THOMÆ LE BLANC

COMMENTARIA

IN

PSALMOS DAVIDICOS.

COMMENTARIA

IN

PSALMORUM DAVIDICORUM

A N A L Y S I M

AUCTORE

R. P. T H O M A L E B L A N C

E SOCIETATE IESU

SACRÆ SCRIPTURÆ IN ACADEMIA REMENSI ET MUSSIPONTANA PROFESSORE

EDITIO

HIERONYMO DE ANDREA

CARDINALI S. E. R.

ARCHIEPISCOPO MELITENO

DICATA

T O M U S IV.

COMPLECTENS COMMENTARIA IN PSALMOS SEXAGESIMUM AD NONAGESIMUM.

NEAPOLI

A P U D I. N A G A R E D I T O R E M

IN VIA TRINITA' DE' SPAGNOLI N.° 33.

M.D.CCC.LIX.

COMMENTARIA
IN PSALMOS.

PSALMUS SEXAGESIMUS.

1. In finem, in hymnis David.

2. Exaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ.
3. A finibus terræ ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.
4. Deduxisti me, quia factus es spes mea: turris fortitudinis a facie inimici.
5. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarum.
6. Quoniam tu Deus meus, exaudisti orationem meam: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.
7. Dies super dies regis adiicies: annos eius usque in diem generationis et generationis.
8. Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam et veritatem eius quis requiret?
9. Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi: ut reddam vota mea de die in diem.

PSALMI SEXAGESIMI ANALYSIS.

David Absalonem fugiens, proponit
- Virtutes suas, erga Deum 2.
  - Orationem, 2. cuius ponit
    - Locum. 3.
    - Modum. 3.
    - Tempus. 3.
  - Fidem qua in Christo exaltatur. 3.
  - Spem, qua a Deo Patre deducitur. 4.
  - Charitatem, qua a Spiritu sancto conservatur. 4.
- Dei bonitatem erga se, 5.
  - Mala avertentis,
    - Asylo aperto, in tabernaculo. 5.
    - Et protectione concessa, sub alis. 5.
  - Bona dantis. 6.
    - Fortunæ,
      - Audita oratione. 6.
      - Regno reddito. 6.
    - Corporis,
      - Vita aucta. 7.
      - Posteris adiutis. 7.
    - Animi:
      - Misericordia posita in voluntate. 8.
      - Veritate in intellectu; 8.
      - Gratitudine in memoria; 9.
        - Unde laus in ore. 9.
        - Virtus in opere. 9.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, in hymnis David.

1. Argum. Psalmi. 1. Sensus est, q. d. Psalmus hic est cantandus in finem; id est semper, et inter hymnos Davidis reponendus. Sed quod est eius argumentum? Primo, est oratio hominis iusti, sive Ecclesiæ Christianæ in peregrinatione inter tentationes varias laborantis, et ad patriam cælestem, et quietem perpetuam suspirantis: ita S. Hilar. S. Hieron. S. August. Bellarm. Ugo, et alii. Sed hoc est mysticum. Se-
2. cundo, est oratio populi apud Babylonem captivi: ita Theodoret. atque Euthymius. Sed cum Davidi primario convenire possit, non est necesse recurrere ad Babylonem: quod de multis aliis Psalmis dictum esto: deinde post captivitatem Babylonicam non fuerunt reges de tribu Iuda, sed duces tantum: et tamen dicitur vers. 7. *Dies super dies regis adiicies*. Tertio itaque, melius Lorinus vult fa- 3.
ctum esse hunc Psalmum in persecutione Saulis, quando in extremis finibus regni eius fugiens latebat David: hoc est, in locis tutissimis Engaddi, postquam evaserat ex deserto Ziph et Maon, 1. Reg. 13. 24. Ita ipse: iuvat quod dicitur: *A finibus terræ ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.* Quarto denique, et pro- 4.
babilius, Psalmus hic factus est in persecutione Absalonis, cum ultra Iordanem fugiens in finibus regni esset; Et optime.
et in urbe Mahanaim, ubi fuerat regia Isbosethi per septennium, securus esset. Erat autem illa urbs in monte Galaad altissimo, de quo dixi psalmo præced. v. 9.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

DUO COMPREHENDIT. PRIMO, VIRTUTES QUATUOR DAVIDIS, v. 2. SECUNDO, ÆTERNITATEM REGNI IPSIUS, v. 5.

SECTIO PRIMA.

2. *Duo continet. Primo, orationis suæ vehementiam et necessitatem, v. 2. Secundo, modum exauditionis, v. 3. et 4.*

PARAPHRASIS.

2. *Exaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ.*

2. Instantium undequaque calamitatum deprecationem exaudi Domine Deus meus: et supplicem ad necessaria mihi, regnoque meo, impetranda bona ne averseris.

3. *A finibus terræ ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.*

3. In extremis regni mei finibus positus, procul ab urbe tua Ierusalem, ubi tibi tabernaculum excitavi, ad te clamavi, cum anxius in summo dolore versarer, propter persecutionem Absalonis filii mei. Tu vero, me in urbe et arce excelsa Mahanaim exaltasti, et securum fecisti.

4. *Deduxisti me, quia factus est spes mea: turris fortitudinis a facie inimici.*

4. Cum ex improviso coactus sum fugere ex urbe regia Ierusalem ob repentinum Absalonis adventum, et quo fugerem ignorarem, tu me veluti paterna manu deduxisti, quia in te uno speravi. Tu mihi extitisti instar turris munitissimæ, quæ hostis impetum sisteret et eluderet.

QUÆSTIO UNICA.

QUALES ET QUANTAS REGUM VIRTUTES ESSE CONVENIT, PRÆSERTIM IN AFFLICTIONE.

3. Ordo Sectionis. DAVID exul in urbe regia Mahanaim existens, throno suo circumponit quatuor virtutes; nempe orationem, fidem, spem, et charitatem, quibus se tueatur et consoletur.

Primo quidem orationem, v. 2. *Exaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ.* Locum orationis assignat, vers. 3. *A finibus terræ.* Modum: *Ad te clamavi.* Tempus: *Dum anxiaretur cor meum.*

Secundo, fidem suam ostendit Deo tribuens exaltationem suam: *In petra exaltasti me.* In sensu mystico id verius. *In petra*, id est, in Christo.

Tertio, spem clare ponit, vers. 4. *Deduxisti me, quia factus es spes mea.*

Quarto denique, charitate se circumvallat: *Turris fortitudinis a facie inimici*, q. d. Fugiens ab inimico, fugio ad te amicum; amatum scilicet, atque amantem.

ARTICULUS UNICUS.

Christianum regem decent virtutes quatuor.

CUM a proprio filio Absalone, qui significat patris pacem, et a subditis suis toto corde ad eum currentibus, Vers. 2. derelictum se videret, David ad Deum confugit, vers. 2. EXAUDI DEUS DEPRECATIONEM MEAM (qua peto eximi a malis) INTENDE ORATIONI MEÆ, qua peto reddi mihi bona mea, et regnum.

4. Vers. 3. 1. Pars. Afflictio iuvat orationem. Ardorem orationis notat clamor: necessitatem, anxietas cordis, v. 3. A FINIBUS TERRÆ AD TE CLAMAVI: DUM ANXIARETUR COR MEUM. Hebr. עטף *atoph*, duo significat. Primo, angi, tristem esse, angore mentis affici, afflictionibus obrui, ita ut animus illis obvolutus et oppressus emergere non possit. Secundo, multiplicare preces et orationes; ut fit in magna afflictione: orare cum effusione cordis, et cum quadam sancta impatientia optante malorum finem. Ubi nota, tunc maxime orandum esse, cum augustiamur: quod Christus nos suo exemplo docuit in Gethsemani, id est in torculari olei, cum scilicet, peccatis nostris ipsi incumbentibus expressus est ab eo sudor sanguinis, Messiæ, id est uncti, oleum sanctissimum Luc. 22. 44. *Factus in agonia, prolixius orabat*, ἐκτενέστερον, id est extensius et intensius: *et factus est sudor eius,*

A *sicut guttæ.* Persicus codex, sicut sudor; Arab. sicut globi; Græc. θρόμβοι, id est grumi *sanguinis, decurrentis in terram.* Ionas, Christi patientis et resurgentis typus, et significat columbam, atque afflictum, et in profundo maris ad Deum clamat, Ioan. 2. 3. *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me: de ventre inferi*, id est ceti, in quo sum velut in inferno, *clamavi, et exaudisti vocem meam:* velut pater filii clamantis et percuntis. Ac vers. 8. *Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum*, ut filius prodigus, cum non posset saturari de siliquis porcorum, patris sui recordatus est, bonis abundantis. Tribulatio enim et nos erigit ad Deum, et Deum demittit ad nos. David de se dicit Ps. 31. *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Vide illum locum. Moses quoque, Iosue, Asa, Ezechias, Bethuliæ cives, Iudas Machabæus, aliique in afflictione clamaverunt ad Deum, et adiuti sunt. Oratio enim est potentissima ad Deum mediatrix. Græce est, ἐν τῷ ἀκηδιάσθαι τὴν καρδίαν μου, id est, cum cor meum acedia et tædio, gravis-

B simoque mœrore afficeretur, cum animo conciderem, cum deliquium animi paterer, cum inops essem consilii, et curis atque dolore oppressus, nescirem quid agere, aut quo me vertere deberem.

Nota, pro *a finibus terræ*, Hebr. est, *ab extremo terræ:* 5.
hunc enim psalmum scripsisse videtur David in urbe Mahanaim fugiens Absalonem rebellem. Urbs illa fuit in monte Galaad, totius illius regionis pulcherrima, et fortissima, attributa Levitis in tribu Gad trans Iordanem, et facta est civitas refugii. In ea per septennium regnavit Isboseth, filius Saul, super undecim tribus. Ad eam se recepit David, ut dicitur 2. Reg. 16. 24. ubi habetur: *Cum venisset David in castra*, Hebr. et Sept. *in Mahanaim*, hoc est in urbem quæ vocatur *Mahanaim*, id est castra, eo quod Iacob anno ætatis suæ 98. ante Christum 1757. rediens ex Mesopotamia e domo Laban soceri, et veniens in Chananitidem, vidit in eo loco, ubi postea urbs extructa est, duas acies angelorum, quibus corroboraretur et excuteret conceptum timorem de adventu fratris sui Esau, Gen. 32. Erat porro una acies angeli, qui erat custos et præses Mesopotamiæ, hic cum sibi subditis angelis comitatus fuerat Iacobum usque ad fines subiectæ sibi provinciæ: altera acies erat angeli, qui præsidebat Chananææ, et adventabat eum suscepturus, deducturus, et contra omnes hostes protecturus. Ubi adverte, Primo, quantæ sit dignitatis vir iustus, cui sic angeli famulentur. Secundo, quanta sit angelorum erga Dei servos benevolentia. Tertio, cur David se rece-

Psalmus hic est scriptus in urbe Mahanaim.

Urbs Mahanaim ubi sita, et unde dicta?

C

perit in Mahanaim, sperans scilicet eorumdem angelorum auxilium, et munitione loci invitatus. Quarto, quam vere dicat, *a finibus terræ*, Chananitidis scilicet, *ad te clamavi*. Nomen porro loco illi dederat ipse Iacob, qui visis illis duobus angelorum castris ait, Gen. 32. 2. *Castra Dei sunt hæc: et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est, Castra*. Urbs tamen tunc ibi non erat, sed postea est condita.

6. Tropol. Persarum laudabile institutum in educatione filiorum regis.

Tropolog. nota. Reges, quatuor virtutibus supradictis, nempe orationi, fidei, spei, et charitati traduntur, velut divinis pædagogis, instituendi et efformandi, ut Deo fiant acceptabiles. Cum regis Persarum filius, annum decimum quartum attigerat, præstantissimis ex universo regno selectis pædagogis tradebatur, omnibus virtutibus imbuendus. Plato sic de ea re scribit in Alcibiade fol. 451. edit. Francof. Illum, ait, *suscipiunt ii, quos* βασιλειους παιδαγωγους, *regios pædagogos vocant. Sunt ii profecto ex omnibus Persis ea ætate electi præcipuique quatuor. Sapientissimus, iustissimus, temperantissimus, et fortissimus aliquis vir: quorum primus magicam Zoroastri, Oromasii filii edocet. Est autem illa*, Θεων ευσεβεια, *Deorum cultus: atque idem tradit instituta regia*. Ita ille, ut scilicet videas, quanta debeat esse connexio pietatis et regiorum præceptorum. Pergit Plato: *Secundus admonet, ut in omni vita sit verax. Tertius, ne ulla cupiditate superetur;* ινα ελευθερος ει εθιζηται, και οντως βασιλευς αρχων πρωτα των εν αυτω αλλα μη δουλευων: *Ut liber vivere consuescat, ac revera rex imperans iis ante omnia, quæ in ipso sunt, nec ulli serviens. Quartus denique*, αφοβον και αδεα, *impavidum illum, et intrepidum reddit, ne quando quippiam metuens servus fiat*. Quatuor vero nostri cælestes pædagogi Christianum regem tota vita instituunt. Oratio infantiam eorum dirigit, fides adolescentiam, spes virilem ætatem, charitas senectutem. Omnibus tamen ætatibus singulæ non parum conferant oportet, ut ab omni parte illos securos præstent. Oratio arcet pruinas septemtrionales, et dæmonis frigus: fides orientem solem Christum suscipit: spes occiduas mundi partes, et res caducas sustentat: charitas ardorem carnis extinguit, et cælestes flammas a meridie admittit. Omnibus porro adsit oratio, et omnes præeat necesse est; ut enim ait S. Gregorius Nyss. de scopo Christiani, προσευχη οιον κορυφαιος τις χορου αρετων τυγχανει: *Oratio chori virtutum antistita, dux et præsul est*. S. Macarius hom. 40. orationem vocat, κεφαλαιον πασης σπουδης αγαθης, *totius boni instituti caput*. S. Chrysost. orat. 1. de orando Deum, ait esse, κεφαλαιον αγαθων, *bonorum caput, et fontem*.

Pædagogi quales dandi regibus.

7. Oratio necessaria regibus, et cur?

7. Quæres, cur oratio maxime regibus est necessaria?
Primo, quia in maximis et sæpe implicatissimis negotiis
egent cælesti lumine. Oratio autem, ut ait S. Chrysost.
lib. 1. de orando Deum est *anima lumen*. Unde David pene
omnes psalmos ab oratione incipit, aut in oratione termi-
1. nat. et dicit Ps. 5. 4. *Mane astabo tibi, et videbo*. Consule
ibi dicta. Deus est sol: qui ei astat, videt: qui ab eo abest,
2. in tenebris oberrat et cadit. Secundo, ingens regni moles,
et innumeræ curæ incumbunt regibus, multaque adversa
contingunt, quibus obruantur, nisi a Deo sustententur.
Id autem impetrant per orationem, quæ, ut ait idem S.
Doctor lib. 2. de orando Deum, est *murus qui rumpi non potest, munimentum inconcussum*. Et oratione habita in ma-
gna hebdomada: *Magna armatura, magnum ornamentum*.
S. Ambrosius libro de Viduis vocat orationem, arma Ec-
3. clesiæ. Tertio, in tam multis et variis occupationibus, in
deliciis, divitiis, libertate, et potestate quidvis impune
præstandi, periclitatur virtus, nisi oratione auxilium ex-
traordinarium impetrante sustentetur. David de Augusta
in form. novit. c. 37. orationem dicit esse, *columnam san-*
4. *ctarum virtutum, Deitatis scholam*. Quarto, reges egent
aliqua suavitate et delectatione cælesti, ut non nimis hæ-
reant delectationibus terrenis, et amaritudinibus non ni-
mis deiiciantur. Petrus Blesensis sermone 1. in Ascen-
sione Domini: *Oratio*, inquit, *dulce vehiculum in via, fi-*
5. *delis præcursor ad Dominum*. Quinto, hostes multi sæpe
irruunt, qui regnum concutiant: egent reges Deo, ut eorum consilia prævertant, impetus sustineant, vires infringant, exercitus profligent: atque a finibus arceant, perfectamque et securam victoriam obtineant. Hoc præstat oratio. S. Gregorius Nyssenus serm. de orat, tom. 1. fol. 714. Oratio, inquit, corporum robur est, abundantia domus, recta iuris ac legum in civitate constitutio, βασιλειας
κρατος, πολεμου τροπαιον, ειρηνης ασφαλεια, *regni vires, belli*
trophæum, pacis securitas. Sexto denique, reges maximo 6.
oportet Deo subdi, per quem omnes illis subduntur. Hoc figuratum est Apoc. 5. ubi seniores, id est, principes ac reges, coronas suas aureas abiiciunt ante Deum prostrati. Dicitur enim v. 8. *Et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*. Quam gratæ sint Deo regum preces, patet ex variis victoriis, quas ipsi per orationem obtinuerunt. Hoc expertus est Constantinus Magnus in Crucis signo vincens. Hoc Theodosius item Magnus, seu senior, oratione Eugenium tyrannum superans, a quo fuerat armis pene profligatus. Hoc Clodovæus Galliæ nostræ primus rex Christianus, qui ab Alemannis pene victus, exercitum fugientem oratione retinuit, roboravit, et victorem effecit. Hoc Heraclius Imperator, qui a Persis prope ad extrema deductus, ac variis præliis fractus, oratione Chosroem regem ob præteritas victorias superbientem contudit. Hoc Clotarius primus, qui in Childebertum et Theodebertum fratres pugnans, et ab iis pene victus, prece fulmina impetravit. S. Gregorius Turonensis lib. 3. Hist. Franc. cap. 28. rem narrat in hunc modum: *Mane facto*, inquit, *in loco quo erant congregati, orta tempestas tentoria dissecat, res diripit, et cuncta subvertit, immistaque fulgura cum tonitruis et lapidibus super eos descendunt. Super Clotarium vero neque una quidem pluviæ gutta decidit, aut aliquis sonitus tonitrui est auditus, sed nec anhelitum in ullo loco sensere. Hi quoque mittentes nuntios ad eum, pacem et concordiam petierunt, qua data ad propria sunt regressi:* ita ibi. Mitto fiduciam Caroli V. Imperatoris in precibus, de qua alias dixi, et Tamerlanis ipsius, aliorumque. Ferdinandus quidem rex Hispaniæ nunquam cibo corpus reficiebat, quin prius Missæ sacrificio adfuisset. S. Wenceslaus Bohemiæ rex nullo tam urgenti negotio ita se dedebat, quin diebus singulis eidem mysterio interesset. Henricus VII. Imperat. totas noctes in precatione ponebat, et quotidie sacrum vitæ ferculum sumebat.

Varii reges oratione obtinent victoriam.

8. Vers. 3. 2. Pars.

Secunda virtus regi necessaria, est fides, qua stabiliatur in bonis operibus et in regno suo, atque exaltetur coram Deo et hominibus, v. 3. **In petra exaltasti me**, *in petra*, id est, primo in locis tutissimis Engaddi, cum Saulem fugerem, in deserto Ziph, in colle Hachila, in deserto Maon: ubi, cum desperaret David se posse evadere a facie Saulis, qui cum tribus hominum millibus, quibus ad custodiam suam ordinarie utebatur, eum cingebat, audiens Saul Philisthæos irruptionem fecisse in regnum suum, recessit. Unde locum illum David appellavit, Petram dividentem. Hæc explicatio esset commoda, si ageretur in hoc psalmo de persecutione Saulis, sed agitur de persecutione Absalonis. Secundo, *in petra exaltasti me*, id est, in arce Sionis, ubi est mea regia. Et quidem Hebr. צור *tsur*, petram, rupem, arcem significat, a verbo *tsur*, id est roborare, fortificare. Ubi adverte, quod mons Sion, ut ait Burchardus 1. p. cap. 7. paragr. 42. tam late patet, ut solus commodam urbem fundare potuerit. Eius latitudo, quæ sumitur a meridie ad aquilonem, bis mille cubitis extenditur: longitudo quæ est ab ortu ad occasum, quater mille. Iosephus lib. 6. bell. cap. 6. ait, hunc montem multo cæteris excelsiorem, et prolixitate directiorem fuisse, et urbem ex parte australi, in modum theatri, forma semicirculi ambivisse, et planitiem instar oppidi habere, eamque valde amœnam. Plenius aliquanto Villalpandus noster t. 3. lib. 1. cap. 6. *A meridie*, inquit, *civitatis, totus mons sublimior est, et in prolixitate directior, declivior autem versus Aquilonem, quo tota civitas descendens vergit,*

Sion qualis urbs.

et ob eam causam ipsa etiam latera Aquilonis, civitas regis magni dicuntur. Porro a meridie prærupta rupe semicirculari forma idem mons clauditur: quæ et ipsa in profundam vallem (extra urbem) *desinit. Ab Aquilone vero nonnihil ad interiora curvatur, valleque Tyrapoeum terminatur: in quam, Iosepho teste, domus creberrimæ desinebant. Ab Oriente ob rupes ac vallem Iosaphat, quæ ibi latius patere incipit, nullius certæ aut æquabilis formæ. Denique ab Occidente mons hic curvatur, et in maximam celsitudinem erigitur: in cuius vertice prærupta rupes in coronæ modum exurgit, in qua olim Iebusæorum arx extructa erat:* hæc Villalpandus. Et hic quidem mons, sicut et ipsa eius arx non claudebatur cum reliquis collibus Acra, Moria, Bezetha, unius civitatis mœnibus, antequam caperetur a Davide: sed, ut ait Beda, ei vicinus erat, et oppidum per se quoddam efficiebat muris validissimis, firmissimisque turribus cinctum. Et reipsa oppidum vocatur in libro Iudicum cap. 19. 11. ubi Levites negat, se ingressurum oppidum gentis alienæ, cum eius famulus eum monuisset, ut declinaret ad urbem Iebusæorum. Iosephus quoque lib. 7. Antiq. cap. 2. non semel urbem vocat; quin et post deletos Iebusæos urbem appellari videas a Scriptura, Paralip. 11. 8. Sion itaque recte oppidum dici potuit spectatum per se, iunctum autem reliquæ urbi Ierosolymæ, arx appellatur. Iebusæi ergo superiorem Ierosolymorum partem tenebant, inferiorem vero Hebræi; cuius perspicuum argumentum est, quod resectum Goliathi caput David detulit Ierosolymam annis sexdecim, antequam oppidum Sion et eius arcem eriperet Iebusæis: hæc Salian. tom. 3. Goliathum enim superavit et occidit anno ætatis suæ 21. regis Saulis 10. Sionem cœpit anno ætatis suæ 38. regni sui 8. cum præcedenti electus esset rex super omnes tribus, et tertio inunctus in Hebron, ubi per septem annos imperaverat tribui Iuda. Ex his vides de exaltatione in Sion dici posse: *In petra exaltasti me.* Ibi enim toto vito sedem regiam David habuit, et omnes eius posteri.

Tertio, et optime, in petra exaltasti me, id est, in urbe Mahanaim. Vide paraphrasim.

9. Christus est petra excelsa et inaccessa. Allegor. *In petra exaltasti me*, id est in Christo, in fide Christi, qui est petra firmissima et inconcussa atque altissima. Paulus enim ait 1. Cor. 10. 4. *Petra autem erat Christus.* Eius altitudinem declarat Philippensibus, id est, civibus Philipporum urbis Macedoniæ, cap. 2. 9. ep. ad eos datæ, ubi dicit: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Est mons in vertice montium: fundamenta eius sunt in montibus sanctis. Hæc petra est refugium herinaciis, Ps. 103. 18. In eo monte excelso sibi gratulantur cervi securi. Ex hac petra egrediuntur aquæ largissimæ, ita ut populus bibat et iumenta, Num. 20. 11. Ibi unctio et erectio in titulum, Gen. 28. 22. id facit Iacob, id est luctator contra suas passiones: ad hanc petram alliduntur parvuli nostri, hoc est subnascentes concupiscentiæ motus. Hæc est petra super quam standum est, ut videas gloriam Domini, Exod. 33. 21. Si ad eam accesseris, suges mel de petra, Deut. 32. 13. In huius foraminibus fac audire vocem tuam, Cant. 2. 14. Columbæ sylvestres præsertim, in petra nidos libenter collocant. De lepore, id est homine timido, ait Salomon Prov. 30. 26. *Lepusculus, plebs invalida, in petra collocat cubile suum.* Ieremias cap. 48. 28. ait Moabitis per Nabuchodonosorem vastandis: *Relinquite civitates, habitate in petra, habitatores*

10. Fidei elogia. *Moab.* Id faciunt religiosi, qui fide fortes deserunt Moabitidem, id est domum paternam et eius delicias, quibus corrumperentur. *Moab* significat paternum, patrium, *a patre*, genitum scilicet. Possunt dicere cum S. Ioanne 1. epist. 5. 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* S. Ignatius ep. ad Eph. fidem vocat ἀρχὴν ζωῆς, principium vitæ. S. Thomas 2. 2. qu. 6. nuncupat principium spiritalis vitæ. Firmitatem illius aperit S. Paulus Hebr. 11. 1. *Est fides sperandarum substantia*, ὑπόστασις, basis, fundamentum, *rerum, argumentum non apparentium.* S. Eulogius Archiep. Tolet. qui etiam Martyr fuit, et floruit circa ann. 850. tempore persecutionis Saracenorum, cuius occasione scripsit memoriale Martyrum, ait lib. 1. illius memor. *Fides est fundamentum omnium virtutum, signumque victoriæ.* S. August. præf. in Ps. 31. illam vocat bonorum omnium radicem: *Laudo*, ait, *fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si enim hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodesset qualecumque illud opus esset.*

Regnorum quoque basis et firmamentum est fides et pietas inde exorta. Synesius Episcopus Ptolemaidis in Ægypto, qui magna virtute et eruditione floruit tempore Theodosii iunioris, in cuius aula pietas et fides vigebat, regis statuam describens, illam in pietate, velut in basi, collocat. *Pietas*, inquit, *primum subiiciatur*, κρηπὶς ἀσφαλής, *fundamentum inconcussum*, cui stabile simulacrum insistet, nec illud eo fundamento subnixum tempestas ulla precellet: ita ipse. Et Plutarchus, contra Colotem scribens, dicit: Mihi urbs videtur citius sine solo, quam Respublica sine opinione de diis, aut constitui, aut constituta posse servari: ac deinde appellat religionem, συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας, καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα: Vinculum omnis societatis, *et legislationis firmamentum.* Theodosius quidem senior, cognomento Magnus, Valentinianum iuniorem Arrianum scripsit affligi a Maximo tyranno, quod Catholicos persequeretur. Sic enim ait Nicephorus Callistus lib. 12. Hist. Eccl. cap. 22. Laudatissimus Imperator Theodosius, ubi vidit quæ adversus Ambrosium, rerum novandarum studio incepta atque perpetrata fuerant: et simul de tyranni legatione, et præterea quæ litteris suis significaverat, scripsit profugo iuniori Imperatori Valentiniano; non mirandum esse, quod in tanto metu Imperator is esset: tyranno autem tantum fuerit virium, ut Imperatorem in fugam verterit. Ille enim, inquit, ὀρθῇ πίστει ἐπικουρεῖ, *rectæ fidei opitulatur.* Imperator vero, dum rectam fidem oppugnat, Θεῷ πεπολέμηκε, contra Deum bellum movet. Et tu quidem, τῆς ἄνωθεν πανοπλίας γυμνωθείς, *cælesti armatura nudatus*, fugæ te commisisti: ille autem, recta opinione munitus, superior est, et Dominum suum superat. Prorsus enim veræ pietati, auctor et legislator eius solet esse. Valentinianus senior prius significaret fratri suo Valenti etiam Imperatori Arriano, cum a Barbaris vinci, quod fidem veram non sequeretur; et Terentius ac Traianus duces, et Isaacius monachus idem ei dixeront, ut ait idem Nicephorus lib. 11. cap. 49. fol. 212. et seq. Iustinianus vero Imperator scribebat ad Ioannem Pontificem: Magnam, inquit, sollicitudinem nos habentes pro stabilitate Immaculatæ Christianorum fidei: dehinc namque clementissimum nostrum Deum, adiutorem, et susceptorem nostræ serenitatis esse confidimus adversus omnem inimicum dilectæ nostræ Reipublicæ: ita Iustinianus. Hinc quoque Franciæ felicitatem ortam esse et conservatam opinari debemus; in ea enim regum fides tam firma extitit, ut nullus unquam qui toti regno præfuerit, ab illa deflexerit. Chilpericus ipse Suessionum rex non fuit hæreticus Sabellianus, ut aliqui volunt. Nam ut ait Baron. ann. 583. Sacerdotibus eum monentibus quid fides doceret assensum præbuit: itaque non fuit obstinatus in sua opinione. Quis autem id non miretur, cum a Clodovæo, usque ad regem nostrum Ludovicum XIII. regnaverint reges 59. Pius II. Papa certe elogio pulcherrimo Franciæ reges exornat, cum ait: FIDEM SERVARE, ET ROMANAM ECCLESIAM HONESTARE, FRANCORUM REGUM PROPRIUM EST. Et Agathias lib. 1. de bello Gothico, de Francis omnibus generatim dicit, *Christiani sunt omnes*, καὶ ὀρθότατα χρώμενοι δόξῃ, *et rectissimæ opinionis.* Cum inungendus est rex Franciæ Remis pollicetur omnes se hæreticos expulsurum, si possit. In codicillo purpureo et cæruleo, qui in Remensis Ecclesiæ thesauro servatur, hæc verba habentur, quæ rex pronuntiat in sua inauguratione: *De terra mea, ac iurisdictione mihi subdita, universos hæreticos ab Ecclesia denotatos pro viribus bona fide exterminare studebo. Hæc omnia supradicta firmo iuramento.* Ludovicum nunc regnantem laudare debemus,

11. Fides est basis regnorum.

Valentinianus iunior propter hæresim fugatur.

Et Valens vincitur.

Franci reges fidei acerrimi defensores.

quod hæreticos ita subegerit, ut nulla eis supersit civitas, aut arx ulla, in qua præsidium militare habeant, cum prius supra ducentas obtinerent: *in petra exaltatus est,* cum Rupellam totius factionis et seditionis arcem cœpit, quam tot reges domare non potuerant. Anagrammata in eius honorem plurima ex hoc ipso quem explicamus versu quidam eduxit, sed illa non vidi.

12. Vers. 4. 1. Pars. Deducit Deus servos suos decem modis. Tertia virtus regi necessaria, est spes in Deum. Hanc se habuisse clare hic dicit David vers. 4. DEDUXISTI ME, QUIA FACTUS ES (S. Hier. *fuisti*) SPES MEA (et factus es) TURRIS FORTITUDINIS A FACIE INIMICI. Ubi adverte, quod Deus deducit suos, Primo cum amore paterno seu materno. Hebr. hic est ינחני *lancheni,* id est, deducet te placide et sensim, sicut mater, aut nutrix aliusve puerum, quem manu tenet: aut sicut pastor oves deducit. Rad. est *nacha,* quod est affine *nuac,* id est quiescere: qui a Deo ducitur, et iter facit et quiescit. Unde Isa. 58. 11. ubi est verbum *nacha,* vertit S. Hier. *Requiem dabit tibi Dominus semper.* Pagn. vero, *Ducet te Dominus semper.* Est currus et auriga Israel, et navis salutaris. In curru et navi est quies, et motus simul. Secundo, deducit Deus Davidem, id est manu fortem, cum securitate. Chald. *Certo ductu rexisti me.* Hoc enim significat *debar.* Unde *dabar* verbum, res, negotium: colloquitur Deus cum eo quem ducit, et simul peragit id quod dicit: Dei verbum non est otiosum, sed negotiosum et efficax. Tertio, deducit Deus cum facilitate et celeritate, ostendens viam rectam et compendiosam, atque in ea iuvans. Arabs, *Direxisti me.* Sic de Iacob dicitur Sap. 10. 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei,* in scala illa mirabili. Qui recto ambulat, semper ante oculos suos habet cælum et Deum, ideo alacrius id facit: qui per circuitus et ambages incedit, nihil præter præcipitia cernit, atque obscuras sylvas, id est, passiones suas et commoda sectatur atque honores, et in iis perit. Quarto, deducit Deus servos suos cum luce et sapientia. Num. 14. 14. ait Moses: *Habitatores terræ huius audierunt, quod tu Domine in populo isto sis, et facie videaris ad faciem, et nubes tua protegat illos; et in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna ignis per noctem.* Quinto, deducit Deus cum iustitia. Ps. 22. 3. *Deduxit me super semitas iustitiæ.* Vide ibi de pastore oves ducente. Sexto, Deus deducit cum misericordia, miserum et infirmum sustentando. Ps. 72. 24. *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me.* Septimo, deducit cum lætitia. Habac. 3. 19. *Deducet me victor in psalmis canentem.* Octavo, deducit cum perfectione. Ps. 118. 35. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* Nono, deducit cum perseverantia, Num. 33. ubi variæ mansiones recensentur, in quibus per quadraginta annos in deserto fuerunt Israelitæ, Deo illos ducente ac regente. Decimo denique, deducit cum stabilitate in termino. Ps. 39. 3. *Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis, et statuit supra petram pedes meos.* Ibi in petra, id est, in Christo exaltat, sicut dictum est supra. Orandum itaque cum Davido nostro Ps. 42. 3. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.*

13. Spes in Deum est victoriæ causa. Nota secundo, spes est manus, qua deducere nos et erigere in cælos volentem apprehendimus Deum, eique hæremus, et illo freti fortes sumus. Hinc David dicit Ps. 23. 1. *In Domino sperans non infirmabor.* Aristæas in lib. de septuaginta duobus Interpretibus, qui extat in Biblioth. Patrum tom. 1. edit. Colon. refert q. 5. Ptolemæum Philadelphum Ægypti regem, cuius anno 17. facta est illa mirabilis versio Scripturæ, petiisse ab uno ex illis sapientibus: Quomodo in rebus bellicis posset esse invictus? eum vero respondisse: *Si neque in multitudine, neque in potentia et viribus fiduciam tuam collocaveris, sed Deum semper invocaveris, ut tibi iuste omnia agenti,* ἐμβολάς, κατευθύνῃ, *conatus et consilia dirigat.* Clodovæus primus Franciæ rex Christianus, cum in Alaricum Gothorum regem Arrianum duceret exercitum, in Deo spem victoriæ reposuit: (Clodovæus in Deo sperat, et vincit.) misitque qui supplices faustum belli exitum deprecarentur in æde S. Martini Turonensis, ubi præsagium felix creditum est, quod cum illi templum subirent, versiculus hic caneretur ex Ps. 17. 40. *Præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.* Et vero, vadum fluminis cerva ex improviso aperuit, lux ex S. Hilarii æde promicans, animos addidit, et Alaricum propria manu Clodovæus victor confodit. Illus fiduciam in Deo et Sanctis, collige ex S. Gregorio Turon. lib. 2. Histor. Franc. ubi ait: eum sanxisse edictum, ne quis ex regione Turonensi quidquam præter herbarum alimenta, et aquam assumeret; cumque miles fœnum cœpisset, in eum graviter animadvertisse hoc addito: *Et ubi erit spes victoriæ, si beatus Martinus offenditur?* Carolus IX. Franciæ etiam rex, et hæreticorum osor acerrimus, (Caroli IX. numisma.) numisma cudi imperavit, in quo virgo cerneretur, ad oratorium suum obversa, et columba cælestibus radiis fulgens cum hoc lemmate: IN DEO SPES MEA. Ex altera autem numismatis facie, corona erat duabus columnis inter se implexis imposita, hoc adiecto elogio: PIETATE ET IUSTITIA. Indicabat scilicet, spe, pietate atque iustitia coronam suam firmari.

Non Christiani tantum principes, sed ipsi etiam Barbari spem in Deo uno figendam esse cognoverunt, ut maximo patet ex historia Saracenica a Georgio Elmacino Arabice scripta, in qua symbolum multorum regum fuisse ait, spem in Deum. Primo enim Abdulmenicus filius Merwanis XII. rex seu Chalifa Muslimorum, in sigillo suo habuit hoc symbolum: *Credo in Deum Salvatorem nostrum.* Secundo, Omar XV. Chalifa id sibi sumpsit symboli: *Amarus filius Abdulazizi credit in Deum:* ita lib. 1. refert Georgius. Tertio, lib. 2. cap. 4. dicitur, quod Muhammed Mahadis, filius Almansoris XXIV. Chalifa hanc sententiam pro symbolo adamavit: *Sufficientia mea Deus.* Quarto, lib. eod. 2. cap. 7. Abu-Abdalla Alaminus, qui et Muhammed Abu-Musa dictus est, XXVII. Chalifa, symbolum habuit: *Muhammed confidit in Deum.* Quinto, cap. 9. Muhammed Mutasimus Billa, Abuishacus filius Haronis Rasildi, XXIX. Chalifa: *Confidentia Abuishaei filii Rasiidi Deus est, atque in hunc credit.* Sexto, Haron Waceus Billa Abugiafar filius Abuishaci Mutasimi, XXX. Chalifa: *Deus confidentia est Wacici.* Septimo denique, Alis Abu Muhammed Mutasis Billa XXXVIII. Chalifa: *Alis filius Ahmedis confidit in Deum:* ita lib. 2. cap. 18. Ex quo mirari desine, si Saraceni tot regiones occuparunt, et tamdiu imperarunt. 14. Sperare se in Deum testantur principes Saraceni in suis symbolis.

Quarta denique virtus regi necessaria, est charitas, quæ Deum complectitur, et ab eo suscipitur; et in sinu atque corde eius clauditur, velut in arce et turre munitissima. Unde additur, v. 4. TURRIS FORTITUDINIS (id est fortissima. Est hebraismus frequens, quo Hebræi superlativum exprimunt per substantivum in genitivo positum) A FACIE INIMICI, id est contra inimicum. Vers. 4. 2. Pars.

Symbolice. Chald. de veritate exponit, vertit enim, *Factus es spes mea, veritas fortitudinis a facie auctoris inimicitiæ.* Malim, turrim illam de charitate exponere. Fides enim in imo terrenarum et caducarum rerum luto iacentem hominem ad divinos Ecclesiæ montes erigit. Spes, per amœnos virtutum hortos ad maiora semper aspirantem deducit. Charitas denique, multis ditatum cæli divitiis munitissima in arce securum claudit, ne hostis clandestinis cuniculis irrepat, aut aperta vi irrumpat. Turris est fortitudinis a facie inimici: adeo lucentes radii ex illa emicant, et stygiorum vespertilionum hebetes oculos feriunt. Hebr. *a faciebus inimici.* Dæmon se in omnem faciem et formam convertit, sed nihil potest in hominem charitate circumdatum. Syr. *Turris sublimis a conspectu inimicorum meorum,* q. d. Ita alta est, ut nullæ tam altæ sint scalæ, ut hostis in eam possit evadere. Arabs, arx munita a facie inimici, q. d. Ipsa facies, vultus et aspectus inimici eam turrim munit et succingit: actus enim varios charitatis exercet, qui hostem aspicit, et ab eo a- 15. Charitas turris est fortitudinis.

spicitur atque invaditur. S. August. de laudibus charitatis sic ait: *In charitate pauper est dives, sine charitate omnis dives est pauper. Hæc in adversis tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hilaris est.* Et tract. de moribus Ecclesiæ contra Manichæos, magnam amoris vim declarat: *Nihil tam durum,* inquit, *atque ferreum, quod non amoris igne vincatur.* Denique in psalmum nostrum ait Christum esse turrim fortitudinis: est et turris amoris, cuius porta est cor patens et amans; in eam turrim verus amator admittitur. Verba sancti illius Patris sunt: *Ante te est turris, recordare Christum, et intra in turrim. Quomodo recordaris Christum, ut intres in turrim? Quidquid pateris, cogita quia prior passus est: et cogita quo fine passus est, ut moreretur et resurgeret. Talem et tu finem spera qualis in illo præcessit, et intrasti in turrim non consentiendo inimico. Si enim consenseris inimico, tunc ad te pervenit oppugnantis iaculum inimici. Tu potius in illum iaculare tela, quibus feriatur, quibus vincatur. Quæ sunt ista tela? Verba Dei, fides tua, spes ipsa, tua bona opera. Non dico, sic esto in ista turri, ut vaces ibi, et sufficiat tibi, ad te hostis tela quod non perveniant: age ibi aliquid, non cessent manus. Opera bona tua gladii sunt interficientes inimicum:* ita Aug. *Turris fortissima nomen Domini,* id est Dominus nominatus: quid erit amatus? *ad ipsum currit iustus, et exaltabitur.*

Charitas ardens Martyres armavit et munivit. Pauca videamus ex Actis SS. Martyrum Tharaci, Probi, et Andronici: ea refert Baronius tom. 2. Annal. fol. 666. Cum enim Maximus Præses urgeret Tharacum militem emeritum ut diis sacrificaret senectuti suæ consulens, ait: *Ego Deo meo servio, et sacrifico non in sanguine, sed in corde mundo.* Cum plumbatis cæderetur, dicebat: Ego de ista professione non recedo, quæ me salvum facit. Cum virgis verberaretur, dixit: Nunc vere prudentem me fecisti, plagis confortans, me magis ac magis confidere in nomine Dei et Christi eius. Et postea ait: Christus est Filius Dei, spes omnium Christianorum, propter quem patimur et sanamur. 2. Post hunc Probus adductus est, qui cum nervis crudis cæderetur, clamabat: Corpus meum inter vos est, *mihi autem tormenta unguentum sunt.* Et cum acrius verberaretur, ait: Hoc scias, quoniam cum in me patitur corpus propter Christum, multo magis sanatur anima, et vivificatur. 3. Adductus Andronicus pari constantia tormenta contempsit, cumque varie tortus iaceret, dixit: Confortasti nunc corpus meum in plagis. 4. Altero die cum S. Tharaci os lapidibus contusum esset, et Maximus Præses eum ad sacrificia incitaret, respondit: *Si omnia mea membra collidas, insto fortis in eo qui me fortem facit.* Cum ignes minaretur Præses, ait Sanctus: Ignem tuum temporalem non timebo, timeo autem, si forte consentiam tibi, ne ignis æternus dominetur mei. 5. Andronicus quoque cruciatus dixit: Nos nos vincimus, sed est qui nos confortat Dominus noster Iesus Christus: nam ex parte sentis et recognoscis, quoniam non timemus te, nec tormenta tua. 6. Tertio die, cum gladium minaretur Maximus, eum irridens et contemnens S. Tharacus, ait: Sic

A erat ut compendio moriens non magnum agonem haberem: nunc autem fac, ut mihi in Domino crescat agonizatio fidei meæ. Cum facies eius verberaretur, dixit: Faciem meam exterminasti, sed animam meam vivificasti. Cum capiti prunæ imponerentur, et excoriatio intentaretur, ait: *Etsi totum corpus meum excoriari iubeas, non recedo a Deo meo, qui me fortem facit, ut sustineam arma malitiæ tuæ.* 7. Cum obeliscis ignitis Probo suræ urerentur, dixit: Neque ignis, neque tormenta, neque pater tuus Satanas potest avertere servum Dei a confessione sua. Cum manus illius clavis acutis terebrarentur, et incenderentur, ait: Gratias tibi ago Domine, quoniam et manus meas dignatus es cruciari in nomine tuo. Oculis quoque compunctis clamavit ad Præsidem: Ecce et oculos corporis mei abstulisti, sed nunquam tibi dabitur, ut oculos fidei vivos possis tollere. Et postea addidit: In hoc pugnans agonizor, ut confessionem bonam et integram perficiam, ut a te occidar sine misericordia. 8. Andronicus denique, cum obelisci igniti digitis eius infigerentur, di-
B xit: Insensate Dei contemptor, omni cogitatione Satanæ plenus es totus: vides corpus meum consumptum a pœnis tuis: putas, quod iam timeam artes tuas? *Habeo Christum Filium Dei in me, et contemno te.* Hæc et plura in Actis illis reperies. Tandem gladio occisi sunt, cum feræ illis blandirentur. Poterant illi dicere cum S. Paulo, Rom. 8. 35. *Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos,* q. d. Dilexit nos usque ad mortem et tormenta, ideo et nos eum diligentes idem præstare debemus. Unde addit vers. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Lege S. Chrysost. epist. 3. ad Cyriacum tom. 5. et homil. 25. in Matth. et hom. 2. de Laudibus Pauli, ac S. Bernard. serm. 79. in Cantica. S. Ludovicus
C Franciæ rex tanta erat erga proximum charitate, ut vel ipsa morte salutem eius empturus esset. Tunetensis regis Legatis dixit: *Dicite ex parte mea Domino vestro regi, quod ego tam vehementer salutem animæ eius desidero, quod vellem esse in carcere Saracenorum omnibus diebus vitæ meæ, ibidem claritatem solis non visurus de cætero, dummodo rex vester et gens sua ex vero corde fierent Christiani.* Nonne fortis est, sicut mors dilectio?

Sanctorum illorum ardorem et fortitudinem imitemur. S. Petr. Damian. serm. 63. Charitas, inquit, *quæ mater est omnium virtutum,* in sacrario pectoris nostri semper teneat principatum: quia, sicut Ioannes dicit, *Deus charitas est,* 1. Ioann. 4. ut quia per charitatem Dei Filius descendit in Virginem, per eam nos exaltet ad paternæ gloriæ claritatem. Ut enim ait S. Ignat. epist. ad Ephesios, αρχη ζωης πιϛις, τελος και αγαπη, και δυο εν ενοτητι γενομενα, Θεου ανθρωπους αποτελει: *Initium vitæ, fides; finis vero, charitas: hæc autem duo unita, Dei homines perficiunt.*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

16. *Duo comprehendit. Primo, diuturnitatem vitæ Davidis, et durationem regni eius, vers. 5. Secundo, gratitudinem illius ob accepta beneficia, vers. 9.*

PARAPHRASIS.

5. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarum.*

5. Quare, cum in te, Deus meus confidam, spesque omnes meas in te proiiciam; spero fore, ut me reducas in regiam meam urbem Ierusalem, ubi tibi tabernaculum extruxi, et arcam reposui: ibi tecum ero toto vitæ meæ tempore, et sub alis tuis protegar: sed longe magis tota æternitate in cælo.

6. *Quoniam tu Deus meus*

6. Nam clamantem me, et aris tuis accidentem suscepisti, et voti compotem effe-

exaudisti orationem meam: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.

cisti: mihique, ac filiis ex me nascituris, dedisti in hæreditatem terram promissionis, quod nomen tuum cum timore et amore simus veneraturi.

7. *Dies super dies regis adiicies: annos eius usque in diem generationis et generationis.*

7. In multos quidem annos vitam meam protrahes: et per posteros meos, Messiam præsertim, famam et gloriam meam regnumque in multa sæcula conservabis, imo per totam æternitatem.

8. *Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam et veritatem eius quis requiret?*

8. In oculis tuis tutus et illæsus perstabo, et his in terris dum vita fruar, et in cælo dum aulam tuam sanctis aperies. Nam misericors extiti erga subditos ipsosque hostes, et de tua erga me misericordia et donis secundum promissa concessis vera cecini.

9. *Sic Psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi: ut reddam vota mea de die in diem.*

9. Itaque, tot divinis locupletatus muneribus, tibi ex animo per totam vitam et æternitatem Psalmos beneficiorum memores concinam: ut quæ facturum me in gratiarum actionem vovi, illa singulis diebus præstem.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta cura Deus reges tuetur.

17. Ordo Sectionis. Sectione superiori Davidis virtutes quatuor vidimus: nempe orationem, fidem, spem, et charitatem, et quomodo illæ reges deceant. Nunc dona sibi a Deo collata et conferenda percenset.

Ac primo, mala ab ipso Deus avertit, asylum præbendo, v. 5. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarum*,

Secundo, bona illi concessit Deus: nempe bona fortunæ, corporis, et animi. Ac primo, bona fortunæ, terra promissionis et regno in possessionem et hæreditatem datis, vers. 6. *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.* Secundo, bona corporis, longa vita concessa, v. 7. *Dies super dies regis adiicies;* et datis multis posteris: *Annos eius usque in diem generationis, et generationis.* Tertio denique, bona animi gloria æterna collata, v. 8. *Permanet in æternum in conspectu Dei.* Et datis virtutibus: *Misericordiam et veritatem eius quis requiret?* Hæc omnia longe commodius Christo conveniunt, cuius typus erat David.

Tertio denique, gratitudinem pollicetur. Primo, verbis. v. 9. *Sic Psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.*

ARTICULUS I.

Asylum tutissimum regum est Deus.

David fugiens Absalonem, erat in munitissima urbe Mahanaim, ut dixi in alia sectiona, et validum exercitum habebat: in Deo tamen solo securum se sciens ad
18. Vers. 5. In velamento alarum Dei sperat David. Sionem aspirat, ubi tabernaculum Deo extruxerat, et arcam posuerat. Itaque dicit v. 5. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula (S. Hieron. iugiter) protegar (Hebr. sperabo) in velamento alarum tuarum. Spes protegit: itaqua Hebraicum אחסה echese, id est sperabo, vertit Noster, *protegar*. S. Hieron. reddit: *Sperabo in protectione alarum tuarum*. S. August. cooperiar in velamento. Syr. protegar umbra. Arabs, sub umbra lateris tui in æternum. Hebr. *chasa* significat sperare et tegere.

Allusiones variæ. Nota, alludit primo David ad fugam suam in tabernaculum Nobe, ubi Saulem fugiens accepit ab Abimelech Pontifice panes propositionis, et gladium Goliathi, 1. Reg. 21. Secundo, et melius alludit ad Mosem, qui sæpius fugit in tabernaculum, ut seditionem populi vitaret: ibi enim Deus illum tutabatur, et velamento demissæ nubis tegebat. Num. 14. dicitur, quod cum populus in Ægyptum redire statuisset, ac lapidibus in Mosem atque Aaronem fureret, ipsi fugerunt in tabernaculum, super cuius tectum apparuit *gloria Domini*, id est nubes solito splendidior: quæ illo splendore terruit et sedavit tumultuantes. Gloria Dei est servos suos tueri. Tertio, velamentum alarum alludit ad columnam nubis et ignis, quæ populum ipsum tegebat et ducebat in deserto. De illa dicit Clem. Alex.

A in exhort. ad gentes: *Humanitatis gratia Hebræos, ancillæ instar, sequebatur nubes.* Quarto denique, et optime aspirat ad tabernaculum, quod in arce Sionis, quæ civitas David dicebatur, extruxerat. Hoc deuotat τὸ *inhabitabo;* erat enim tabernaculum illud prope domum ipsam Davidis, sed ab ea separatum. Quod autem dicit, se protegendum in velamento alarum Dei, alludit ad Cherubinos, qui alis suis tegebant arcam fœderis, in eo tarbernaculo positos.

Moral. Deus reges protegit sub velamento alarum suarum. Hebræi Deum aliquando vocant מקום *makom*, id est locum, a Rad. קום *kum*, id est stare, firmare. Deus enim non solum ambit reges, sed eos conservat omni satellitio fortior. Ex eo quod Deus sit locus rerum omnium, Rupertus illud Gen. 3. 9. *Adam ubi es?* expendens, ait: *Recte dicitur illi, ubi es? quia videlicet movet pedem suum, et in loco suo non est. Locus enim hominis Deus est, extra quem nusquam bene est.* 19. Deus reges protegit.

Montes umbra sua vallibus incubant, nubes vero mon-
B tibus: reges umbra sua populum instar vallis humilem tegunt: reges vero, Deus. De primo dicit S. Chrysost. in Psal. 113. *Hoc est principatus, hoc est pascendi scientia, sua negligere, et eorum quos regit, curam gerere.* De secundo autem habes Ps. 79. 11. *Operuit montes umbra eius:* Dei scilicet umbra reges et gloriosos magnates. Hinc Isaias dicit cap. 4. 5. *Super omnem gloriam protectio, et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine.* Reges sunt omnes, qui suas regunt passiones, et illi teguntur alis Dei, et sub illis absconduntur. Psal. 82. 4. *Super populum tuum malignaverunt consilium: et cogitaverunt adversus sanctos tuos.* Hebr. Super absconditos tuos, q. d. Qui se abscondunt hominibus, ne faciant opera sua coram illis, et qui clauso ostio orant te Patrem suum in abscondito, quosque tu vicissim abscondis a turbine et tempestate. Ut enim ait S. August. in Ps. nostr. *Æstus est sæculi, sed magna umbra est sub alis Dei.*

Reges, et principes temporales, sunt instar magnæ il-
C lius arboris, quam vidit Nabuchodonosor rex Babylonis, et quæ sub umbra sua tegebat omnis generis animalia. Dan. 4. 8. *Magna arbor et fortis, et proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia eius pulcherrima, et fructus eius nimius, et esca universorum in ea: subter eam habitabant animalia, et bestiæ, et in ramis eius conversabantur volucres cæli, et ex ea vescebatur omnis caro.* In ea arbore figurabatur ipse Nabuchodonosor, in cuius ditione erant variæ nationes, sed ob scelera sua excisus est. Si vis non excidi, vaca pietati. Constantinus IV. Imperator Georgio Patriarchæ Constantinop. scribebat in hæc verba: *Omnes Reipubl. nostræ a Christo dilectæ curas ponimus, in sequendo nostram Christianam fidem, quam in bellis tam nostri quam nostrorum exercituum a Deo dilectorum propugnatricem habemus.* S. Medard. adhuc puerum, postea Noviomensem Episcop. in ardenti sole apricantem aquila texit alis suis. B. Ioseph Anchietam, in Americæ oris cum Brasilis navigantem, advocatæ aves obvelaverunt,

Deus autem reges tegit et tutatur. Hoc in variis regnis ostendamus.

20. I. *In Francia per Auriflammam.* Primo, in Francia vexillum fuit, quod flammula seu auriflamma dicebatur: atque e cælo fuisse allatum, et Clodovæo primo regi Christiana datum, putant Iac. de Charron hist. universal. cap. 95. Michael Naucl. lib. 7. 3. part. de monarchia sæculari et Christiana. Steph. Farcat. iuriscons. de Gallor. imperio et philosophia, lib. 6. Ioan. Ferrand. tr. de privil. regni Franc. Ludov. Vivald. de tribus liliis, et Rabert. Gaguin. Magister Ord. SS. Trinitat. qui sic ait lib. 1. hist. Franc. in Clodov. *Traditum quoque est, pannum sericum rubrum, instar signi militaris quadratum miro fulgore splendentem divinitus esse exceptum, quo in expeditionibus contra fidei Christianæ hostes pro signo Franciæ reges utuntur. Huicque vexillo nomen Auriflammam hactenus permansisse: diuque a Dionysianis cœnobitis asservatam esse, sed abutentibus signo adversus Christicolas regibus, illud evanuisse.* In eo vexillo spei plurimum reges nostras posuisse testatur Rigardus de gestis Philip. August. *Consueverant*, ait, *antiquitus reges Franc. quod quandocumque contra hostes arma movebant, vexillum desuper altare B. Dionysii pro tutela, seu custodia, secum portabant, et in prima acie pugnatorum ponebant: quod videntes adversarii et cognoscentes, territi multoties terga dederunt.* Quid fuerit auriflamma alias examinavi.

II. *In Italia.* Secunda, in Italia et Imperio universo notum fuit Constant. Magni labarum, de quo vide Bar. t. 3. Annal. Unum tantum refero. Cum Constant. pugnaret contra Licin. ad Hadrianopol. fertur vidisse duas equites cædentes legiones hostium: hæc victoria eum totius orbis Imperatorem fecit, ut ait Pomponius Lætus in vita Licinii. Constant. idem in Maxentii et Licinii exercitus pugnans vidit equitem armatum, qui signum crucis pro vexillo ante aciem præferret, ut tradit Zonaras in Constantino.

III. *In Hispania.* Tertio, in Hispania fertur niveum vexillum, quod rubea crux distinguat, ob Ranimiri, seu Ramiri regis celeberrimam victoriam, Dei ope miro modo obtentam. Cum enim totam diem in Saracenos pugnando extraxisset, et in edito loco trepidus Christianorum exercitus araret, S. Iac. regi in somnis adfuit, monuitque ut expiatis confessione noxis Eucharistiæ cælesti cibo se omnes armarent atque in aciem descenderent, se præsto adfuturum. Sexaginta hostium millia eo conflictu cecidere. S. Iac. equo niveo insidens conspectus est, candidissimum vexillum rubra cruce insignitum præferebat: ideaque in hanc usque ætatem ab Hispanis assumptum est illud insigne, ut scribit Rodericus Toletanus.

IV. *In Lusitania.* Quarto, in Lusitania vexillum quinque Christi plagis ornatum sumitur, quod Alphonsus eius dux primus in quinque Saracenorum reges longe dispari numero præliaturus, confirmatus a Christo in somnis, sit iussus pugnam committere, signumque attallere, cui quinque ipsius vulnera, quæ ostentabat, depicta essent, illustrem victoriam reportavit, ut ait Vasconcellius in hist. Portugal.

V. *In Anglia.* Quinto, in Anglia Arthur. Britta rex in obsidione Badonici montis fretus imagine Matris Dei, quam suis armis insuerat, nongentos hostium solus adversus incredibili cæde profligavit, ut testatur Wilhelmus Malmesbur. lib. 1. de gest. regum Angliæ, cap. 1.

VI. *In Bohemia.* Sexto, in Bohemia dux Curinensis in S. Wenceslaum Bohemiæ ducem exercitum ducebat; cum singulari certamine contenderent ad sanguinem subditorum conservandum, angeli apparuere, qui Wenceslaum protegerent, atque arma ministrarent. Curinensis exterritus equo desiliit, veniam petiit, eaque obtenta quietus et pacatus milites inde removit.

VII. *In Græcia.* Septimo, Græciæ imperium præsagiit aquila Martiano, eum inumbrans. Cum enim Martianus militaret sub Aspare contra Vandalos, postquam illi victoria potiti sunt, ipse quoque captivus cum aliis ex acie abductus est. Gensericus Vandalorum dux, captivos una cum aliis mancipiis videre voluit. Atque ubi in loco quodam congregati sunt, ipse in sublimiore colle considens, spectaculo tantæ captivorum multitudinis se oblectavit. Et cum sic tempus extraheretur, illis tum quod quisque vellet facere permissum est; Genserici enim mandato vinculis soluti erant. Atque alii quidem aliud fecere: Martian. autem, propter ingentem solis ardorem, in solo considens somnum cœpit. *Et aquila aliunde advolans, alis submissis ex adverso solis, iuxta perpendiculum volatum instituens, aeream nubem et umbram quamdam fecit, qua illum divino nutu non mediocriter refrigeravit.* Id Barbarus videns, statim quid futurum de eo esset, aperte coniecit: et accitum ad se Martianum, libertateque donatum, iurisiurandi religione sibi abstrinxit, ut ad Imperialem sublimitatem evectus, sibi et Vandalis fidus esset, neque unquam adversus eos bellum moveret. Id quod Martian. sicuti ille volebat, iuramento interposito fecit, fidemque ei reipsa servavit, sicuti Procopius scribit. Ad hæc, adversus Persas quoque Martian. iturus, cum in Lyciæ oppido, cui nomen est Sidena, morbo correptus esset, cum duabus fratribus, viris præclaris, Iuliano et Tatiano, amicitiam summam contraxit: qui etiam domus suæ hospitio exceptum, ita ut par erat, curarunt: et postea venatum cum eo progressi, tempore meridiano somno omnes sunt sopiti. Atque ubi Tatian. primum somno excitatus est, spectaculum admirandum vidit: aquilam nimirum ingentem, alas supra Martianum extendentem, et umbram quodammodo inducentem. Is fratri excitato prodigium id ostendit, et uterque volucris perbenignum studium admiratus, Martiano, quod de eo futurum esset, prædixerunt. Et ab eodem, quonam loco, si id quod divinarent succederet, in aula futuri essent, sciscitati sunt. Ille, se eos patrum loco habiturum esse, dixit. Quare illi hominem deinde auro hospitaliter locupletatum Constantinopol. deduxerunt. Ubi vero omen illud ad rem collatum est, Martian. ex Lycia eos evocatos, patricios suos creavit: et Tatiano patriæ suæ præfecturam; Iulian. autem, Lyciæ administrationem concessit: ita Niceph. lib. 15. cap. 1. Nonne hoc est in velamento alarum Dei protegi? ad hoc velamentum etiam fugiamus. S. Greg. lib. 32. Mor. cap. 6. *Nos parvulos*, ait, *Dominus dum protegit, nutrit et non gravi atque onerosa, sed levi et blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exerit, quasi more super nos avium alas tendit.*

Anag. hic locus de cælesti tabernaculo intelligitur, in quo Sancti sub alis Dei erunt securi ab omnibus milvis. Ita S. Hier. et S. Hil. qui ait: *In tabernaculo Dei habitaturi sumus in sæcula, sine ullo scilicet ætatis modo in æternum fluentibus sæculis temporibusque mansuri.*

Duo ad protectionem illam necessaria subiungit rex noster, nempe orationem et timorem Dei, vers. 6. QUONIAM TU DEUS MEUS EXAUDISTI ORATIONEM MEAM: DEDISTI HÆREDITATEM TIMENTIBUS NOMEN TUUM: id est, te. Est metonymia frequentissima. Sed quam hæreditatem intelligit? Prima, terram promissionis. Secundo, hæreditatem cælestem. Tertio, regnum sibi et posteris suis datum.

Moral. Magna vis est orationis factæ a regibus. Sæpe se exauditum fuisse dicit David, et hic ait, *Tu Deus meus exaudisti orationem meam.* Secundo, cum Pipin. Francorum rex contra Westphalos et Saxones adhuc paganos bellum gereret, eosque numero potiores ac viribus cerneret, peregrinationem ad S. Swiberti vovit, si victoriam obtineret. Hoc emissa voto, ut ait Sur. in appen. ad vitam eius die 1. Mart. statim lux immensa super exercitum Christianorum splendens non solum paganos exterruit, sed et fere excæcavit, pavorque ingens eos invasit; quod cernentes pagani timore valido perculsi, formidantes manum omnipotentis Dei Christianorum super eos sævire, cælumque super eos ruere, concilio celeriter inito, miserunt duos Satrapas ad Pipin. petentes quæ sunt pacis, eique se subdentes. Tertio, Carol. nomine Magnus, pietate et rebus gestis maximus, cum prælium in Witichindum Saxonum principem adhuc Ethnicum commissurus esset, Deo supplex factus est, genibus humi positis: tum S. Michael eques prima in acie apparuit, niveo equo

21. Oratio regum exauditur. Probatur exemplo Pipini. Caroli Magni.

insidens, armisque niveis instructus, cæruleum vexillum, aureis liliis aspersum præferens, ex quo tam terrifici radii promicabant, ut hostes consternati et excæcati propriis se armis conciderent, ut habetur in hist. Maurac. cap. 7.

Theodosii. Quarto denique, Theod. Magnus Imp. in Eugen. tyrannum movens, cum moneretur nimiæ militum suorum paucitatis, et differendum esse bellum duces clamarent, spei plenus, ait: Minimo tantam tribuendam esse imbecillitatem *omnipotenti Crucis armaturæ*, quæ ex adverso Herculis imagini opposita esset, του γαρ εμου ςρατου ο ςαυρος, εκεινου και, ται ο Ηρακλης. Nam exercitui meo crux præit; illius autem copias Hercules ducit. Constantinopoli autem profectus, ubi in Septimo ad Ecclesiam venit, quam ipse Ioan. Baptistæ construxerat, eam est ingressus; ut simul et precationem ad Deum faceret, et Baptistam ad ferendum sibi auxilium invocaret, quo optatum sibi et exercitui Romano exitum pugna haberet. Cum in Ital. venisset, et in Alpium transitu exercitum suum ab Eugenii numeroso milite circumcingi et concidi vidisset, πρηνης πεσων, δακρυσι το δαπεδον εβρεχε, *humi prostratus, lacrymis solum rigavit, Deo supplicans, ne sic Rom. Imperium in summo internecionis periculo despiceret.* Eum statim Deus exaudiit, ut belli exitus comprobavit. Cum enim nox intervenisset in precatoria domo totam anxius Imp. precibus extraxit. Circiter galli cantum somno oppressus viros duos videre visus est candida veste indutos, et candidis etiam equis vectos, qui ad eum accedentes, forti esse animo, et adversus hostes confidenter ducere iusserunt. Alter Ioan. Evangel. (malim legi Baptistam, cum illum invocasset) alter Philippus Apostol. se esse dixit. Miles, cui eadem erat oblecta visio eam ad Tribunum suum, atque is ad exercitus ducem retulerat, quod Imper. spem auxit. Prælio commisso non exigua pars hostilis aciei ad eum transiit, et ventus validus exortus in ora hostium irruit, et ordines solvit, et tela atque sagittas, quæ contra Romanos emittebantur, vi quadam reluctante in eos convertens qui illam emiserant, reiicit: et clypeos, cum multa purgamentorum congerie, et pulvere incredibili illatus, ex eorum manibus rapiens, et lora conscindens, eos in illorum ora et membra quæcumque concutiens provolvit. Quare divino auxilio cognito abiectis armis ad Imperatoris misericordiam confugerunt. Venia obtenta Eugen. tyrannum vinctum adducunt, cui ad pedes Imper. supplici miles abscidit caput. Arbogastes malorum auctor, manus sibi gladio suo attulit: ita Niceph. lib. 12. cap. 39. fol. 313. Plura de oratione regum dixi sect. 1. art. 1. huius Psalmi. Abulabba Almamon 28. Chalifa Muslimorum seu Saracenorum in sigillo inscripsit, *Pete a Deo, dabit tibi.*

22. Pietas facit reges invictos. Secundo, timor Dei, id est cultus, reverentia, pietas et amor, reges invictos efficit, et regnum iis conservat. Hinc Deus voluit a regibus populi sui describi Deut. in quo leges divinæ habentur, ut eas servans felix esset. Deut. 17. 18. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, etc. ut longo tempore regnet ipse, et filii eius super Israel.* Reges sunt regni sui soles, in quibus nulla debet esse macula: splendor eorum est amor et timor Dei, omnisque virtus. Diotog. Pythag. lib. de regno: Αναγκα, inquit, τον τελειον βασιλεα, ςραταγοντε αγαθον ημεν, και δικαςαν, και ιερεα: *Necesse est regem perfectum esse, et Imperatorem, et Iudicem, et Sacerdotem*: ita ille. Apud multas nationes divinorum mysteriorum periti ut essent, et notitia illa in officio continerentur, reges ex sacerdotibus creabantur, ut de Ægyptiis tradit Plutarch. tr. de Iside, aut fiebant sacerdotes. Securitas oritur illis ex virtute, quod declarare voluit Henricus II. Franciæ postea rex, tunc Delphinus: id est, regis filius primogenitus et successor designatus; in symbolo enim suo posuit annulum, cui inesset adamas: et delphinum piscem, qui globum sustineret, oleæ palmæque ramis decussatum, cum hoc acroamate: *Pacatum ipse regam patriis virtutibus orbem*, ut ait Iacobus Typotius in symbolis humanis et divinis.

Dices, cur non dicit David, dedistis hæreditatem *amantibus* nomen tuum? Resp. primo, ne de illa desperarent reges; quia facilius est timere Deum, quam amare perfecte: amor enim proprius sua quærit commoda. Secundo, in timore amor includitur. Est enim timor filialis. Uterque affectus, timor scilicet et amor, simul iungendi sunt, ut se conservent, et a lapsu impediant. Ut enim Freculph. Episc. Lexoniensis, qui tempore Ludovici Pii floruit, circa ann. 830. in suo chronico ait: *Nimis confidens, incautus est: metus autem, providentiam docet.* Et Agobard. Episc. Lugdun. qui sub eodem Ludovico vixit, in Epistola Ebboni Rhemorum Archiep. scripta: *Cui*, ait, *una defuerit mola, farinam facere non potest: quia in mente sua nihil sanum pertractare potest, quem aut timor sine spe premit, aut spes sine timore levat: unde Psalmista utrumque coniungens dicit, Ps. 146. 11. Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia eius.*

ARTICULUS II.

Pietas vitam regibus prorogat, eorumque posteros beat.

Vitam Davidis patris sui petebat rebellis Absalon, et iam cum exercitu processerat, et in urbem Mahanaim in Galaaditide sitam se receperat David, ubi brevi futuram victoriam prævidens, et prolongationem vitæ suæ ac posterorum longam seriem, dicit v. 7. DIES SUPER DIES REGIS ADICIES, ANNOS EIUS adiicies USQUE IN DIEM GENERATIONIS ET GENERATIONIS, id est, usque ad multas ac pene innumeras generationes et ætates hominum. Sic dicitur Ps. 144. 4. *Generatio et generatio*, id est plurimæ generationes, *laudabit opera tua.* Secundo, dies generationis et generationis, hoc est ætatis et ætatis; infinitarum scilicet ætatum æternus splendor sine nocte, est beata æternitas ad quam aspirat David, ut dies cælestes adiiciantur diebus terrenis. Hac in terra nox adiicitur diei, sed iusto ex hac die exeunti, additur dies nunquam finiendus. Sic *dies diei eructat verbum.* Tropolog. de quolibet igitur viro iusto, rege præsertim, ex die et splendore temporali exeunte, dicitur, *dies super dies adiicies. etc.* 23. Vers. 7.

Alleg. seu potius litteraliter, de Christo hic locus commodissime explicatur. Nec refert, quod priora in Psalmo sint de Davide: nam sæpe a seipso aliisque David transit ad Christum tamquam a typo ad antitypum, et ab amante ad rem amatam. Idem fit ab Isaia et aliis Prophetis. Quia, inquit Bellarminus, Propheta meminit hæreditatis Sanctorum, quæ est vita æterna, declarat hanc hæreditatem toti Ecclesiæ promissam, inchoandam esse in capite: et ideo dicit, *Dies super dies regis adiicies*, id est Christo regi multiplicabis dies super dies sine ullo fine, et similiter annos eius multiplicabis usque in diem generationis et generationis: id est usque in diem æternitatis, qui dies, quamvis unus sit, tamen æquivalet generationi et generationi, sæculo et sæculo, temporibus et temporibus sine fine. Hac phrasi æternitatem significari perspicuum est ex Ps. 118. ubi dicitur: *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cælo, in generatione et generationem veritas tua.* Cui simile est quod dicitur in Ps. 134. *Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generatione et generationem.* In quibus locis pro eodem accipitur, *in æternum*, et, *in generatione et generationem.* Ex his aperte colligitur, hunc Psalmum non convenire regi David, sed soli regi Christo. David enim non vixit ultra septuaginta annos: neque regnum permansit in domo eius, nisi ad certum ac definitum tempus. Itaque æternitas regis et regni in Scripturis sanctis prædicta, in Christo adimpletur: nam et regni eius non erit finis, ut dicitur Luc. 1. et ipse resurgens a mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, Rom. 6. 51. Ita Bellarm. cui tamen non assentior neganti hunc Psalmum David convenire. Allegor.

24. *Pietas vitam prorogat regibus.*

Moralit. regibus vitam prorogat pietas, eos a bellis, morbis, variisque periculis servando. Primo, David noster a periculosissimo hoc Absalonis bello eripitur, licet toto corde rebellem sequeretur universus Israel. Vixit autem postea adhuc annos 11. Nam cœptum et perfectum est hoc bellum anno regni Davidis 30. ætatis eiusdem 60. arce in Sione 20. ante Christum 1044. mundi 3009. Regnavit autem David annos 40. vixit 70. Secundo, Ezechias monitus ab Isaia Propheta de morte sibi instante, precibus et commemoratione suæ pietatis 15. vitæ annos impetrat, 4. Reg. 20. Tertio, Iob rex Hussitarum multis nobilitatus patientiæ victoriis vixit annos ducentis et decem, ut vult Genebr. et habetur in Seder Holam, cap. 3. vel ducentis et septemdecim, ut placet Pinedæ, Tora. et Salian. qui t. 2. ann. 2544. ait, statim a 70. anno in arenam contra dæmonem descendisse, in eoque 7. annos summa animi corporisque contentione collocasse. Posterior eius ætas divina beneficentia, ait Salian. in quamdam ærumnarum compensationem vegetior ac diuturnior, in omnium bonorum copia facta est. Quarto, Moses mansuetissimus omnium hominum et princeps populi duræ cervicis, vixit annos 120. nempe 40. in aula Pharaonis, 40. in terra Madiam ducens oves, et 40. in deserto ducens populum et illi leges præscribens. Quinto, Iosue comes individuus Mosis, vixit annos 110. gubernavit populum in ipsa Chananitide annis 17. quo tempore 33. reges vicit. Contra vero, impiis regibus vita sæpe breviata est. De Anast. Imp. narrat Zonar. t. 3. p. 47. in hæc verba: Anast. Dicorus Imp. Orient. in somnis virum terribilem vidit, qui librum gestans diceret: *Ecce ob perversitatem fidei tuæ annos* 14. *vitæ tuæ deleo.* Et quia fatale sibi esse audiverat, ut fulmine interiret, Tholetum ædificium construxit, in eoque degit, sed frustra. Nam cum aliquando tonitrua horrendum in modum resonarent, et fulgura multa eliderentur; atque ipse territus e cœnaculo in cœnaculum descenderet, et alios atque alios thalamos subiret, in quodam regio cubiculo mortuus est inventus. Iustin. et Iustinian. paulo ante mortem comprehenderat, atque occidere cupiebat, sed eos virtus servavit. Nam vir terribilis ei astitit, hisque eum verbis increpavit: *Iustino et Iustiniano ne quid mali feceris. Nam uterque suo tempore Deo inserviet.* Postea feliciter regnarunt: adeo suorum sollicitus est Deus, neque vel capillum iis unicum temere defluere patitur. Illustre est, quod de Theodosio iuniore commemorat Nicephorus lib. 14. cap. 4. Si quando, ait, bellum motum est ad Deum confugiebat, θεῖον ζῆλον μουσουργοῦ Δαβὶδ, *divinum æmulatus Davidem canticorum sacrorum scriptorem;* quod in illius, velut dispensatoris et œconomi potestate, bellum esse sciret: et quod illum censeret certum curatorem, condignos spe bona percepit fructus. Roilas ingenti Scytarum Nomadum exercitu coacto, et Istro transito, Thraciam vastavit, et ad urbem quoque Imperantem venit, statim primo clamore atque impetu, sicut ipse putabat, eam direpturus atque excisurus. Sed Deus, ἄνωθεν βασιλέως ὑπερασπίζων, *cælitus Imperatorem propugnans, violento tonitru et fulmine demisso, non modo ipsum ustulatum in cineres redegit, sed innumeras quoque copias eius concidit.* Refert idem accidisse Persis, qui, cum imparatum ad resistendum Imperatorem aggressi essent, imbre vehementissimo et grandine impediti sunt, equosque Deus, πεδοκατεῖχεν, velut pedicis cohibuit, qui diebus 20. totidem stadia cursu perficere non potuerunt; donec exercitus congregatus fortiter illis resisteret. Regnavit vero Theod. ann. 48. menses 6. dies 13. Diuturna piorum regum imperia protuli Ps. 54. sect. ult. ubi etiam annotavi, nullum hæreticorum Regum aut Imperatorum ultra annos 40. sceptrum tenuisse præter unum Andronicum Michaelis Palæologi filium: qui tamen tantis est afflictus cladibus, et tam dire ab Andronico nepote exagitatus, ut diuturnitas regni nihil præter miseriarum diuturnitatem attulerit, sicut videre potes apud Nicephorum Gregoram.

25. *Pii reges in posteris suis felices sunt.*

Secundo, Pii reges in suis etiam posteris sunt felices: unde additur, *Annos eius,* regis scilicet, id est Davidis, *usque in diem,* id est in dies et tempora, *generationis et generationis:* hoc est, multarum generationum. Et vero, David et eius posteri, regnaverunt in Ierusalem per ann. 400. et 67. usque ad Sedeciæ ultimi regis captivitatem et urbis eversionem, postquam Duces multi ex eadem familia imperarunt. Contra vero, regum Israelitarum, qui a vero Dei cultu desciverant, series sæpissime est interrupta, ut patet lib. 3. et 4. Regum, et alias ostendi. De Fabio Mario Imper. Trebellius sic ait: *Una die factus est Imperator, alia die iussus est imperare, tertia die interemptus est.* Splendor regum Imperatorum impiorum est hemerocallis, id est, flos unius diei, qui decisus in fimum et fœtorem vertitur. Mathathias pater Machabæorum, et veræ fidei acerrimus propugnator, lib. 1. cap. 2. 61. ait: *Cogitate per generationem et generationem: quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur. Et a verbis viri peccatoris ne timueritis; quia gloria eius stercus et vermis est.* Plerique Imperatorum et regum hæreticorum, aut sine liberis obierunt, aut infelices genuerunt. Constantius quidem primus Imperator hæreticus, Arrii pestifero infectus dogmate prolem nullam reliquit. Iulianus, Valens, Zeno, Basiliscus, Anastasius, variis addicti sectis, liberos non reliquerunt. Philippicus quoque hostis sacrarum imaginum sine prole obiit. Atque, ut ne longior sim in singulis recensendis, quis non admiretur Wisigothorum reges in Hispania Arrianos fuisse viginti: nempe Alaricum II. Ataulphum III. Sigericum IV. Walliam V. Theodoricum VI. Thorismundum VII. Theodoricum VIII. Ericum IX. Alaricum X. Almaricum XI. Theudam XII. Tendesilum XIII. Agilam XIV. Atanagildum XV. Luibam XVI. Leovigildum XVII. Suintillam XVIII. Rechimirum XIX. Vitizam XX. Rodericum, et neminem illorum nepotes habuisse successores. Fateor Theodorico fuisse Thorismundum filium hæredem: Erico Alaricum filium, ac nepotem Amalaricum: Leovigildo Recharedum, et ex eo nepotes, sed Catholicos.

Notabile de Wisigothis regibus Arrianis prole carentibus.

S. Remigius Francorum Apostolus felicem et longam posteritatem promisit Clodovæo regi, quem primum omnium baptizavit; eam tamen conditionem addidit, modo illi posteri veram fidem et virtutem sequerentur. Hincmari verba sunt in eius vita: *Cumque,* ait, *vir sanctus eos sufficienter instruxisset, prophetico repletus spiritu cuncta quæ eis, vel semini eorum eventura erant, prædixit: qualiter scilicet successura eorum posteritas regnum esset nobilissime propagatura, omnique Romana dignitate regnoque potitura, et victorias contra aliarum gentium incursus adeptura: nisi forte a bono degenerantes viam veritatis reliquerint, et diversos vitiorum fuerint seculi anfractus.* Quam constanter autem rectam fidem tenuerint testatur Sigonius de regno Italiæ, ubi agit de baptismo Clodovæi: *Ab eo,* ait. *gens Francorum Christi fidem nomenque tanto ardore, tantaque constantia coluit, ut usque ad nostram ætatem omnes hæreseos labes respuerit, et firma in Ecclesiæ Catholicæ disciplina, ac Romani Pontificis auctoritate permanserit. Unde merito regis Christianissimi nomen accepit.* Regibus Franciæ liliatis id accidit quod liliis, de quibus Plinius lib. 21. cap. 5. Nihil est, inquit, albis liliis fœcundius, una radice quinquagenos sæpe emittente bulbos. Hoc in S. Ludovici felici posteritate annotat noster Stephanus Rousselet, vir eruditus, in suo Lilio sacro, Parall. 1. cap. 6. lect. 2. ubi affert duo eximia anagrammata in Ludovici XIII. nunc regnantis nomen. Ex his enim vocibus: LUDOVICUS XIII. A BORBONIO HENRICI IV. ET MARIÆ FILIUS, fit hoc anagramma. Divina scit, cælo obsequitur, *ideo solium eius firmabitur in hac terra.* 2. Illud ad Davidem nostrum magis pertinens: HIC UTI VERUS SALOMON DIU, FELICITER AC QUIETE ORBIS ORIS DOMINABITUR. Ut in eo possis cum Ecclesia cantare: *Iustus germinabit sicut lilium, et florebit in æternum ante Dominum.* Et quidem cognominatus est Ludovicus Iustus, atque ex omni parte regni sui limites extendit et omnes sibi vicinos populos superavit, pietate sua magis, quam bellico robore.

Francorum regum benedictio.

26. *Vers. 8. 1. Pars.*

Regni sui, sed præsertim Christi stabilitatem magis declarat David, cum subdit v. 8. PERMANET IN ÆTERNUM

IN CONSPECTU DEI. Syr. coram Deo. Primo, id commode accipitur de perfecta et felici æternitate in cælo, ubi Christus erit rex æternus. Secundo, id aliquatenus sumi potest de diuturnitate regni Davidis, et posterorum. Nam עולם *olam*, quod hic habetur, non semper omnimodam æternitatem significat; sed sæculum, et longum tempus. Davidis thronum semper mansurum, donec staret Ierusalem, dixit Abias Propheta Ieroboamo, cui prædicebat dandas decem tribus, ob peccata Salomonis filii Davidis. Sic enim ait 3. Reg. 11. 35. *Auferam regnum de manu filii eius,* (de manu Roboam filii Salomonis) *et dabo tibi decem tribus: filio autem eius dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me, in Ierusalem civitate, quam elegi, ut esset nomen meum ibi.* Generatim loquitur Salomon Proverb. 15. 6. *Domus iusti plurima fortitudo; et in fructibus impii conturbatio.* De impia Syria et Samaria vastanda ab Assyriis, ait Isaias cap. 17. 13. *Rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate.* Septuaginta vertunt, Persequetur ut glumam paleæ ventilantium ante ventum, et tamquam pulverem rotæ tempestas impellens. Et generaliter interminatur omnibus impiis, cap. 60. 12. *Regnum quod non servierit tibi, peribit, et gentes solitudine vastabuntur.* Hoc illustrari potest dicto Philonis, lib. quod Deus sit immutabilis. Sic enim paulo ante finem. An putas, inquit, mortalem rem ullam vere esse, ac subsistere; et non ὥσπερ ἐπὶ αἰώρας τινός, tamquam in suggesto quodam, ab inani et incerta opinione sustineri, μηδὲν ψευδῶν ὀνειράτων διαφέροντα, ab inanibus somniis nihil differentem? Quod si non libet singulorum fortunas perquirare, vide regionum integrarum et gentium mutationes in melius ac deterius. Floruit quondam Græcia, sed Macedones abstulerunt ei potentiam. Postea Macedonia viguit opibus, sed divisa in plures portiones debilitata est, donec omnino interiit. Ante res Macedonum, inclyta fuit Persarum felicitas: sed una dies tam ingenti regno finem attulit: et nunc Persæ, penes quos paulo ante fuerat imperium, sunt Parthorum provincia. Fuit et Ægypti olim perampla magnificaque potentia, sed ὡς νέφος, *nubis in morem, præteriit eius felicitas.* Quid Æthiopes? Quid Carthago in Africa? Quid Pontici reges? Quid Europa, Asiaque? et, ut compendio dicam, totus orbis habitabilis? Nonne, ὥσπερ ναῦς θαλαττεύουσα, more navis sua deque iactatæ marinis fluctibus, nunc secundis ventis, nunc adversis utitur? Nam verbum divinum, χορεύει ἐν κύκλῳ, *choreas in orbem ducit*, quod vulgus hominum fortunam nominat. Ita Philo, qui deinde terrena omnia, 1. umbræ comparat; 2. auræ levissimæ; 3. æstuariis fluxu undarum et refluxu agitatis. Impietate ac sceleribus regna pessumdari vix melius videre possis quam in Dionysio iuniore Siciliæ tyranno, qui, ut ait Ælianus lib. 6. var. histor. cap. 12. imperium habebat, εὐμαλα πεπραγμένην, optime constitutum, munitumque hoc modo: Naves possidebat non pauciores quadringentis, hexeres et quinqueremes. Pedestres copias ad centum millia hominum, equitum novem millia. Civitas vero Syracusarum maximis portubus erat instructa, et mœnibus altissimis circumdata, atque in promptu habebat omnem apparatum bellicum ad alias naves quingentas. Reconditum etiam habebat frumentum ad centum medimnorum myriades, et armamentarium scutis, gladiis, hastis, tibialibus innumeris, thoracibus et catapultis plenum ac refertum: catapulta autem inventum fuit Dionysii: præterea, sociis infinitis vigebat. His rebus confidens Dionysius, imperium, ἀδάμαντι δεδεμένην, *adamante firmatum* obtinere se putabat. Sed ipse primum fratres suos morte affecit. Vidit etiam filios suos crudelissime mactari, et virgineum pudorem filiabus eripi, ac deinde nudas trucidari. Ut verbo expediam, nemo ex eius propagine sepulturam iustam adeptus est. Ita Ælianus, qui cap. 12. ait, nullam tyrannidem usque ad tertiam generationem perdurasse, præterquam Gelonis in Sicilia, Leuconiorum in Bosphoro, et Gypselidarum Corinthi.

Terrena regna parum durant.

Philo id probat inductione.

27. A virtute oriri regni stabilitatem et perennitatem docet Agapetus Diaconus in cap. parænetícis ad Iustinian. num. 14. ὑπὲρ πάντα, inquit, βασιλείας εἶδοξα, εὐσέβεια τιμᾶ βασιλέα κοσμεῖ: *Super omnia quæ regnum habet pietatis cultusque divini corona regem exornat: divitiæ namque evanescunt, vulgi favor et aura transit: sola vitæ Deo placentis gloria immortalibus sæculis coextenditur, et trans oblivionis tenebras collocat possidentes.* Et num. 18. Te revera, inquit, Imperatorem asserimus, quippe qui et imperare et dominari voluptatibus vales, et tum corona castitatis revinctus, tum purpuram iustitiæ indutus incedis: aliis namque potestatibus mors ipsa succedit, τῆς τοιαύτης βασιλείας ἀθάνατον σώζει διαμονήν: huiusmodi vero regnum immortalem servat perpetuitatem: item alia hoc in sæculo solvuntur; hæc autem a perpetuo supplicio liberantur: ita Agapetus.

Stabilitas regni oritur a virtute.

Cum Ptolomæus Philadelphus rex Ægypti petiisset ab uno e Septuaginta Interpretibus: Quomodo posset omnia conservare, et tueri integra et salva, ac tandem eumdem rerum suarum statum posteris tradere ad perpetuitatem quamdam? Ille respondit: συνεχῶς ἀεὶ πρὸς Θεόν, *orando Deum assidue*, ut bona de rebus agendis capias consilia; et monendo liberos ne efferantur dignitate et opibus, neve putent se ista habere ex se, sed sciant Deum ista largiri.

Marcianus Imperator imperii sui stabilitatem in pietate esse repositam profitetur epist. 34. ad Leonem Papam. De studio, ait, et voto nostro Sanctitas tua non dubitet: quoniam veram Christianorum religionem, et Apostolicam fidem, firmam volumus permanere, et ab omni populo firma mente servari. Etenim securitatem nostræ potentiæ ex recta religione et propitiatione Salvatoris nostri consistere non ambigimus: ita Marcianus.

Franciscus I. rex Franciæ dicebat: Regnum tamdiu stare posse, quamdiu coleretur in eo fides Catholica, iuxta formam a Pontifice Romano sancitam. Theodeberto Franciæ item regi scribens S. Gregorius lib. 4. epist. 54. ait: regno per omnia proficit, si quod contra Deum in illis partibus geritur, emendatione vestra excellentiæ corrigatur.

Anag. Iusti regnum in cælo æternum est, quodlibet in terris, temporale est. Statim atque Græcorum Imperator sceptro et corona ornatus erat, quidam præsto aderat, qui una manu vasculum plenum mortuorum ossibus ac pulveribus offerret, alia vero, stuppam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhiberetur, et repente in ictu oculi flamma subito vorante consumeretur. Quod narrans S. Petrus Damian. epist. 17. ad Alexandrum II. Papam addit: *Ut in altero deberet considerare, quod est; in altero valeret videre, quod habet.* Walid XIII. Chalifa Muslimorum, sive Saracenorum, in symbolo sigilli sui habuit: O Walid moriturus es, et rationem redditurus, ut docet Georgius Elmacinus in histor. Saracenica lib. 1. cap. 13. At vero, iustus non interit. Ps. 111. 6. *In memoria æterna erit iustus.* Plin. lib. 7. cap. 2. Cyrnios, ait, Indorum genus Isigonus tradit *annis centenis quadragenis vivere*: item Æthiopes Macrobios et Seras existimat, et qui Athon montem incolant: hos quidem, quia *viperinis carnibus alantur*: itaque nec capiti, nec vestibus eorum noxia corpori inesse animalia. Onesicritus, quibus in locis Indiæ umbræ non sint, corpora hominum cubitorum quinum et binorum palmorum existere, et vivere annos *centum triginta*, nec senescere, sed ut medio ævo mori. Crates Pergamenus Indos, qui centenos annos excedant, Gymnetas appellat; non pauci, Macrobios. Ctesias gentem ex his quæ appellantur Pandoræ, in convallibus sitam, *annos ducentos* vivere: in iuventa candido capillo, qui in senectute nigrescat. Et cap. 48. eiusdem libri Hesiodus fabulose, ut reor, multa de hominum ævo referens, cornici novem nostras attribuit ætates, quadruplum eius cervis, id triplicatum corvis. Et reliqua fabulosius in Phœnice, ac Nymphis. Anacreon poeta Arganthonio Tartessiorum regi centum quinquaginta annos tribuit. Cyniræ Cypriorum, decem annos amplius. Ephorus Arcadum reges *trecentis annis* vixisse dicit Xenophon in periplo, maritimorum regem *sexcentis;* atque ut parce

28. Anagog. Regnum iusti æternum in cælo.

Qui diu vixerunt.

mentitus, filium eius *octingentis:* ita Plinius, qui hæc omnia ob temporum inscitiam accidisse memorat. Annum enim alii unum æstate determinabant, et alterum byeme: alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quibus anni trimestres fuere: quidam lunæ senio, ut Ægyptii. Itaque apud eos aliqui etiam singula millia annorum vixisse produntur. Alexander Cornelius, de Illyrico scribens ait, quod Dando quidam fertur *ad annum quingentesimum* processisse nulla ex parte senescens. Guido Bonatus dicit, Richardum quemdam vixisse *annos quadringentos.* Quidam aiunt Ioannem a Stampis, qui sub Ludovico iuniore Francorum rege obiit, *trecentos sexaginta annos* explesse. Id non credit Paulus Æmylius lib. 5. hist. Franc. neque ego credo: sed cum Davide credendum, quod vir iustus *permanet in æternum in conspectu Dei*, velut solis semper eum vivificantis.

ARTICULUS III.

Reges decet misericordia, veritas, et gratitudo.

A corporis et fortunæ bonis, ad animi ornamentum regium, omni diademate ac gemmis micantiorem Propheta delabitur; et voluntatem regis, decorat misericordia; intellectum, illustrat veritate; et memoriam, grati-
Vers. 8. 2. Pars. tudine locupletat: ait enim v. eod. 8. MISERICORDIAM ET VERITATEM EIUS, QUIS REQUIRET? *eius,* id est, regis Davidis. Secundo, et melius, *eius,* id est, regis Christi. Sensus autem duplex esse potest: *misericordiam et veritatem eius, quis requiret?* id est, pauci requirent, investigabunt, disquirent: quia erunt negligentes. Secundo, *quis requiret?* id est, quis sibi deesse dicet, et illam quæret: perinde quasi Deus nolit illam dare? q. d. Nemo illam requiret, quia Christus illam dabit. Sed quæres, quam misericordiam et
Misericordia Dei multiplex. veritatem hic intelligit? Resp. Quis requiret, Primo misericordiam, qua pro nobis tot et tanta sustinuit? hanc pauci aut nulli requirunt, id est, perfecte investigant. Isa. 57. 1. *Iustus perit, et non est qui recogitet in corde suo.* Eccli. 29. 20. *Gratiam fideiussoris, ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam.* Secundo, quis requiret misericordiam, qua pro talibus illa sustinuit? Rom. 5. 8. *Commendat Deus suam charitatem in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Tertio, quis requiret misericordiam qua peccata dimittit? ad Titum 3. 5. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Quarto, quis requiret misericordiam suam, quia ipse confert gratiam? Ezech. 16. 9. *Lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo.* Quinto, quis requiret misericordiam, qua expectat ad pœnitentiam? Rom. 2. 4. *Ignoras quoniam misericordia Dei ad pœnitentiam te adducit.* Sexto, quis requiret misericordiam, qua peccantes revocat? Isa. 30. 21. *Erunt aures tuæ audientes vocem post tergum monentis.* Septimo, quis requiret misericordiam, qua pascit ingratos? Matth. 5. 45. *Solem suum facit oriri super bonos et malos.* Quis ergo omnes istas misericordias requiret? Pauci certe. Oseæ 13. 16. *Adimpleti sunt, saturati sunt, et elevaverunt cor suum, et obliti sunt mei.* Similiter, quis
Et veritas. requiret veritatem, Primo, qua puniet universaliter? Eccles. 12. 14. *De omni reatu adducet Dominus in iudicium.* Et Matth. 12. 36. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddituri sunt rationem in die iudicii.* Secundo, quis requiret veritatem, qua tam stricte iudicabit? Prov. 6. 35. *Non acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Tertio, quis requiret veritatem, qua tam graviter puniet? Isa. 33. 14. *Quis ex vobis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?* Quarto, quis requiret veritatem, qua tamdiu puniet: id est, sine fine? Apocal. 14. 11. *Fumus tormentorum eius ascendet in sæcula sæculorum.* Loquitur de Babylone, id est, de mundo. Isa. 65. 5. *Iste fumus erit in furore meo, ignis ardens tota die:* ita Ugo. Generalius veritatem pro veracitate sumit S. August. Misericordia, inquit, dicitur, quia non merita nostra attendit Deus, sed bonitatem suam, ut peccata nobis omnia dimitteret, et vitam æternam promit-

A teret. Veritas autem, quia non fallit reddere quæ promisit.

Nota, pro *eius,* Hebr. est מַן *man,* quod Primo Pagn. exponit, *præpara:* sic erit imperativus verbi, *mana,* id est, parare, præparare, numerare. Vertit autem, *Misericordiam et veritatem præpara, quæ conservant eum.* Secundo, Bellarminus putat Septuag. legisse מִן *min:* id est, quis? Ubi etiam advertit, Patres varie legisse pronomen *hu,* additum verbo Hebræo: nam S. Hilar. legit, *Quis requiret eorum?* S. August. *Quis requiret ei?* S. Hieron. in commentario, *Quis requiret eius?* at in versione ex Hebræo legit, *eum.* Septuag. omiserunt pronomen in fine verbi, sed addiderunt ad nomen, veritatis: *Veritatem eius quis requiret?* Et sine dubio versio Septuag. Interpr. optima et clarissima est: ita Bellarm. Tertio, *man* quidam sumunt pro dono, manna, gratia: ita Caietan. qui vertit, *gratia et veritas man custodient eum.* Nihil enim habemus quod non acceperimus. Quarto denique, et optime, *man* significat *quis,* sicut *mi, ma,* et *me.* Unde recte Septuag. vertunt, *Veritatem eius quis requiret.*

B Moral. Misericordia et veritas necessariæ sunt regibus, 29.
si se et regnum suum servare velint. S. Hieron. vertit: Misericordia
Misericordia et veritas servabunt eum. Chald. in Bibliis re- est necessaria
giis, *Bonitas et veritas a Domino servabunt eum;* apud Ne- regibus.
biensem vero, bonitas et veritas, quas præparavit auctor sæculi, servabunt eum.

Primo igitur, rex misericordiam requirat, et misericordiæ occasiones. Primo, quia Deus est misericors: rex vero est imago Dei. Unde Menander poeta Græcus canit: Principatum assecutus, vide ut Deo sis dignus, εικων δε βασιλευς εστιν εμψυχος Θεου, *imago enim animata Dei est rex.* Agapetus Diacon. in capit. paræn. ad Iustinian. hoc dicit expressius, n. 21. *Essentia corporis,* ait, *æqualis est cuilibet homini Imperator: potestate autem dignitatis, cunctorum præsidi Deo: non enim habet in terris se quemquam altiorem. Oportet igitur,* ως Θεον, μη οργιζεσθαι, *ut Deum non irasci:* και ως θνητον, μη επαιρεσθαι, *et ut mortalem non efferri. Nam et si effigie divina honoratus est, at pulveri ta-*
C *men terreno connexus est: quo edocetur, ut erga omnes servet æqualitatem.* Numer. quoque 19. et 20. docet, honorem et amorem regi conciliari per benignitatem magis, quam aliis viis. Secundo, rex sit misericors subditis suis et hostibus, ut ipse laudem ab hominibus consequatur. In eam rem illustre est, quod narratur in historia Saracenica Georgii Elmacini lib. 2. cap. 8. Cum enim Ibrahimus patruus Abulabbæ Almamonis XXVIII. Chalifæ rebellasset, et a militibus oblatum regnum accepisset, ac regno amisso delitesceret, ab Almamone tandem captus est. At Ibrahimus iustam eius iram advertens, dixit: Ne festina tantopere, o fidelium Imperator, virtus aufert peccatum. Delictum utique meum excellit super omnem peccatorem: sicut gratia tua super omnem gratiosum. Ostendit deinde Iosephi erga fratres sceleratos benignitatem, et subdit: *Peccatum meum in te magnum est, sed tu maior es eo: si non fui ego in actionibus meis laudabilis, tu esto.* Ei dixit Almamon: Ego consului meos de te occidendo, et necem tuam suaserunt; verum ego comperi virtutem tuam su-
D pra peccatum esse, et a cæde tua abhorrui. Respondit Ibrahimus: Suaserunt consiliarii id, quod moris est in regimine; sed tu non petis auxilium, nisi ab eo quem assuefecisti per indulgentiam. Si punias, similem habueris, sed *si parcas, nemo tibi similis fuerit.* Et iussit Almamon ei dari mille aureos, dixitque ei: Converte te ad pœnitentiam, et redi ad bonum affectum, et non videbis a me, nisi id quod tibi gratum erit. Ille itaque reversus est ad pœnitentiam, et comparuit illico in sede status sui, ut Almamoni et populo constaret, non superesse in eo cupiditatem Chalifatus. Tertio, rex sit misericors, ut ipse misericordiam consequatur a Deo. Matth. 5. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Demosthenes orat. contra Mediam: Ουδεις, ait, εστι δικαιος τυγχανειν ελεου των μηδενα ελεουντων, *nemo misericordiam consequi dignus est, qui nullius miseretur: neque dignus est venia, qui nemini dat veniam.* Franciæ reges, qui præ cæ-

teris regibus et principibus facilitatem, familiaritatem, et benevolentiam subditis suis ostendunt, velut parentes filiis, cum Rhemis inaugurantur, iurant effecturos se ut misericordia in suo regno conservetur, sic sperantes Dei misericordiam se obtenturos. In codicillo purpureo et cæruleo, qui in Rhemensi Ecclesia asservatur, hæc habentur verba: *Ego populo mihi subdito in Christi nomine promitto. In primis, ut Ecclesiæ Dei omnis populus Christianus veram pacem vestro arbitrio in omni tempore servet. Item, ut omnes rapacitates, et omnes iniquitates omnibus gradibus interdicam. Item, quod in omnibus iudiciis æquitatem et misericordiam præcipiam: ut mihi et vobis indulgeat suam misericordiam clemens et misericors Deus.* Quarto denique, rex sit misericors, et populum suum sollicite conservet, ut a Deo exaltetur. Ps. 46. 9. *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* In Hebræo est, Deo *scuta terræ* vehementer elevata sunt. Scuta terræ sunt reges; tunc a Deo elevantur, cum se ad tegendos iacentes subditos dimittunt. Vide dicta Ps. 100. 1. Hoc unum advertant reges, ut misericordiam suam non faciant, ut placeant hominibus, et oleum peccatoris impinguet caput eorum, sed ut Dei gloriam promoveant. S. Aug. legit in Psal. nostro: *Misericordiam et veritatem eius quis requiret ei?* ubi expendit τὸ *ei*. Sic enim ait: *Quid ei? Sufficeret, quis requiret? Quare addidit, ei, nisi quia multi requirunt misericordiam eius et veritatem discere in libris eius? Et cum didicerint, sibi vivunt, non illi: sua quærunt, non quæ Iesu Christi.*

30. Veritas est necessaria regibus. Secundo reges decet veritas: Primo, proprie sumpta, id est, opposita mendacio. Nam summum regis dedecus est, mentiri. Cum Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti ab uno ex Septuaginta Interpretibus petiisset, Qua ratione veritatem posset diligere et colere? ait: Si primum statueris, magnum dedecus esse omnibus hominibus, mentiri, multo magis regibus: qui, cum habeant potestatem agendi quæ velint, cur mentiantur? Deinde si hoc etiam consideraveris, quod φιλαλήθης ὁ Θεός, *Deus est amator veritatis*. Abu Abdalla Alaminus, qui et Muhammed Abu-Musa dictus est XXVII. Chalifa Saracenorum, effecit ut filius suus Musa futurus eius successor reciperetur, eumque cognominavit, *loquentem verum*, ut tradit Georg. Elmacinus lib. 2. hist. Saracenor. cap. 7. Iudicabat scilicet, toti populo filium suum gratiosiorem fore, si vel nomine veritatem præferret. Secundo, rex sit amator veritatis, id est, iustitiæ et æquitatis. Muhammed Abu-Abdallæ Muhradis Billæ filius Uvacici, qui fuit XXXV. Chalifa, in sigillo suo sculptum habuit: *Qui transgreditur, errat eius gressus*. lib. 2. hist. Sarac. cap. 15. Georg. Elmac. Sic a regio itinere deflectens incidit in præcipitia. Neque ipse errat tantum, qui falsa loquitur et iniusta agit, sed etiam alios errare facit. Si vero rex iustitiam videat et sequatur, in tuto portu sibi subiectos et administrationi suæ traditos populos collocat Agapetus Diaconus in cap. paræn. num. 2. *Sicut*, inquit, *gubernator vigilat semper*, βασιλέως πολυόμματος νοῦς, *Imperatoris oculatissimus intellectus, continens tuto æquitatis clavos, atque expellens fortiter impetuosos iniquitatis fluctus; ut ne cymba mundanæ Reipublicæ illidatur fluctibus iniquitatis.* Dixerat num. 1. iuxta similitudinem cælestis regni, traditum esse regibus sceptrum terrenæ potestatis, ut homines edoceant iusti custodiam. Vide Ps. 100. 1.

Tertio denique, reges decet gratitudo ob accepta a Deo beneficia. Hinc David liberationem suam prævidens, et victoriam de rebellibus sequentibus Absalonem conclu- dit hunc Psalmum: SIC PSALMUM DICAM (S. Hieron. canam) NOMINI TUO, UT REDDAM VOTA MEA DE DIE IN DIEM; id est, per singulos dies. Nota, τὸ *sic* referri potest, Primo, ad verba sequentia, q. d. Ea ratione tibi psallam, et laudes ore dicam, ut etiam opere tibi serviam, vota a me facta explendo. Secundo, *sic*, referri potest ad antecedentia, q. d. Quoniam exaudisti orationem meam; et quoniam dies super dies meos adiicies, et misericordiam tuam ac veritatem nemo requiret; quia eam dabis omnibus: ideo tibi Psalmum dicam, et vota reddam. Utraque explicatio bona est. Giafar Abulfadius Muctadirus Billa filius Mutadidi symbolum hoc in suo sigillo habuit: *Laus Deo, cui nulla res est similis, quique Creator rerum omnium est*, ut ait Georg. Elmacinus lib. 2. hist Sarac. cap. 19. Opus ori est adiungendum, præsertim votivum. Clodovæus in Alemannos pugnans vovit, post victoriam se ad veram fidem, id est Christianam, accessurum; victor id præstitit. Alarico rege Wisigothorum propria manu occiso, equum dono misit S. Martino, in cuius templo preces offerri præceperat ante hanc expeditionem, et illum equum caro pretio redemit. Coronam sibi missam ab Anastasio Imperatore misit ad Romanum Pontificem Christi vicarium, ut in ea suum regnum et potestatem Deo offerret atque subiiceret. Pipinus peregrinationem vovit ad ædem S. Swiberti, si Westphalos et Saxones superaret; victor, summa devotione id præstitit. Carolus Magnus triumphis multis nobilitatus plurima Ecclesiis donavit, atque inter cætera dedit regale sceptrum Ecclesiæ sancti Salvatoris; ut sic sceptrum suum et regnum Christo salvanti consecraret, eique salutem se toties obtentam debere profiteretur. Idem nos præstemus; iudicemus mente omnia nos a Deo accipere, a nobis nos nihil habere, ore id crebro asseramus, opere denique id testemur.

31. Vers. ult. Gratitudo reges decet.

Anag. S. August. *Quid est*, ait, *redde ei vota tua de die in diem? De die isto in diem illum, persevera reddere vota in isto die, donec venias ad illum diem: hoc est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

PSALMUS SEXAGESIMUS PRIMUS.

1. IN FINEM. PRO IDITHUN, PSALMUS DAVID.

2. NONNE Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.

3. Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus: susceptor meus, non movebor amplius.

4. Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos: tamquam parieti inclinato, et maceriæ depulsæ?

5. Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant, et in corde suo maledicebant.

6. Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.

7. Quia ipse Deus meus et Salvator meus: adiutor meus, non emigrabo.

8. In Deo salutare meum, et gloria mea: Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.

9. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus est adiutor noster in æternum.

10. Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris: ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

11. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

12. Semel locutus est Deus, duo hæc audivi: quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia: quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.

PSALMI SEXAGESIMI PRIMI ANALYSIS.

David e throno eiectus, et Absalonem fugiens,

- Spem suam in Deum erigit, 2.
  - Animam illi subiiciens, 2. quam
    - Labantem fulcit, ut Deus. 3.
    - Periclitantem eripit, ut Salvator. 3.
    - Fugientem excipit, ut parens. 3.
    - Nutabundam firmat, ut amicus. 3.
  - Hostes suos increpans, qui
    - Vehementi impetu, ruunt in homulum. 4.
    - Rabie, cædem quærunt innocentis. 4.
    - Stultitia, Dei præsidio nudatum putant. 4.
    - Superbia, coronam eius ambiunt. 5.
    - Obstinatione, fugienti insistunt. 5.
    - Hypocrisi, blandiuntur verbis. 5.
    - Malitia, execrantur corde. 5.
  - Deum laudans, qui
    - Dat patientiam, ad ferendam afflictionem. 6.
    - Iuvat, ad obtinendam victoriam. 7. et 8.
- Comites suos in eamdem spem ad Deum hortatur:
  - Cor illi suum effundendo. 9.
  - Auxilium ab eo expectando. 9.
  - Hominum vana præsidia contemnendo. 10.
  - Divitiarum abundantiam negligendo. 11.
  - Deo uni fidendo:
    - Qui potest, et vult iuvare. 12.
    - Et iuste reddit unicuique mercedem operum. 12.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem. Pro Idithun, Psalmus David.

1. Argum. Psalmi. In hoc Psalmo David afflictus se incitat ad patientiam, conformando se Dei voluntati, eique fidendo et sperando in eius potentia ac misericordia: socios quoque suos et subditos, omnesque homines hortatur, ut idem præstent. Machabæorum pugnam, quam pro religione susceperunt, invictamque fortitudinem et patientiam hic prædici volunt S. Basil. Euth. et Nicephor. sed a Davide nostro non est recedendum, cum Psalmus illi optime conveniat: adaptari tamen potest captivis in Babylone existentibus; Machabæis, tum bellatoribus, tum martyribus: aliisque Martyribus novæ legis.

2. Psalmus hic scriptus est non in persecutione Saulis. Quæres, qua occasione et tempore hunc Psalmum cecinit David? Resp. primo Agnanus, id accidisse in persecutione Saulis, cum David fugit in terram Moab, et admonitus a Gad Propheta in terram Iuda rediit: ita ipse. Secessus porro Davidis in Moabitidem contigit anno Saulis regis 13. ætatis Davidis 25. Hoc fiebat, tum ut ipse David esset securior, tum præsertim ut parentes eius grandævi in quiete vitam reliquam agerent. Ibi mansit in præsidio per aliquot menses; cum autem cœpisset a suis miseriis et periculis respirare, Gad Propheta ad eum mittitur a Deo iubente, ut in Iudæam redeat. Huic præcepto obedire erat perdifficile et molestum: sic enim se præsentissimo mortis discrimini obiiciebat, Saule semper in eius exitium intento, deinde socios ad se confluere videbat in Moabitidem, iamque ducentos acceperat de tribu Beniamin, et de tribu Iuda. Hinc naturalis repugnantia oriebatur ad illud iter suscipiendum: itaque initio Psalmi dicit: *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* q. d. Quid reluctaris anima mea, par est ratio ut Deo te subiicias.

Sed in persecutione Absalonis. Secundo et melius, Arias et Agellius explicant de persecutione Absalonis, in qua summa fuit Davidis afflictio deiecti ex throno regio, et petiti ad necem a filio. Iuvant ea quæ habentur vers. 4. *Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos: tamquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ?* Haud absimilia habentur 2 Reg. 15. 14. *Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium a facie Absalon: festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et* A *impellat super nos ruinam, et percutiat civitatem in ore gladii.* Deinde, Psalmus præcedens agit de persecutione Absalonis. Alia indicia, quod de ea agatur, in contextu Psalmi afferam. Iste Psalmus porro, ut ait S. Hieron. plenum in Deo affectum Prophetæ edocet.

Alleg. De Christo patiente est hic Psalmus, ita S. Ambros. *Præ cæteris, ait, licet etiam in cæteris clareat, divinum tamen in huiusmodi psalmo refulget oraculum? Vide diligentius, quid sit finis, consideremus. Finis enim dicitur τέλος, et summa rei eius quam volumus explicare. Finis dicitur Christus: quia ipse est finis legis, sicut scriptum est, Rom. 10. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Finis etiam dicitur, quia ipse est principium et finis. Ergo isti Psalmi qui titulantur in finem, aut de Christo sunt, aut ipsius Christi. De Christo, cum ipse annuntiatur. Ipsius Christi, cum ipse se nuntiat, venturumque promittit in terras, et futuram nobis revelare dignatur proprii corporis passionem. Ideoque ipsi David inscribuntur in titulo, quasi vero David ipsi Domino prophetici oris ministerio deputentur, per quem humanæ vocis officio vir cœlestis increpuit, et divina sententia resultavit. Meritoque pro Idithun qui fuit Propheta, et Psalmos cum sex filiis canebat suis, velut quædam præfatio est, eo quod esset his venia prophetandi, qui in psallendi ministerio constituti, divina oracula humana voce loquerentur. Et quia pro totius mundi abolendo errore suscipienda dominici corporis passio foret, huius licet nomine, cuius sedulitas probaretur, commendatiorem eruditionem plebis expressit:* ita Ambrosius. 3. Allegor. De Christo patiente sermo est. B

Tropol. Iusti hoc loco, veri Idithum, id est, transilientes eos ad patientiam se et conformitatem cum Dei voluntate hortantur. Vide titulum Psal. 38. ubi agitur de Idithum sive Idithun. Remigius in nostro sic ait: *Idithum interpretatur transiliens eos, scilicet in infimis positos, terrena amantes. Hic miles Christi, qui in hoc Psalmo inducitur, contempta mundi felicitate, omnes mundum amantes transivit, omnes suos devoratores contempsit, et in quemdam sublimem locum se contulit; unde illos despiceret,* 4. Tropol. De iusto se conformante voluntati Dei.

quasi in infimis positos. Et postea subdit, eum contemnere hæreticorum blanditias et deceptiones, falsorum Christianorum insultationes et insidias, infidelium apertas persecutiones, quos sic alloquitur, q. d. Ut quid mihi blanditias intenditis? Cur insultatis? cur minas infertis? cur mortem paratis? Numquid me devorare, et iter meum impedire putatis? quidquid machinemini, quidquid in me operemini: ita Remig. Ubi adverte, Idithum fuisse præfectum cantorum. Sancti alacriter et cum Dei laude adversa patiuntur: transiliunt cum celeritate instar cervorum æternos montes petentium; cantant instar avium e laqueis sese expedientium, et libero securoque in aere volitantium.

Anag. Intentio Davidis in hoc Psalmo est, monere, ut contemptis temporalibus ad æterna aspiremus: ita Ugo.

5. *Quinam Asaph, Heman, et Idithum.* Nota, erant inter Levitas viri admodum illustres, sapientiæ ac psalmodiæ laude commendati: nempe Asaph, Heman, et Idithun: adeo ut digni habiti sint, qui in contentione sapientiæ, cum ipso Salomone componerentur, 3. Reg. 4. 31. Eorum primus ad familiam Gerson, alter ad domum Caathi: tertius Idithum qui et Ethan dictus est, ad familiam Merari pertinebant: qui erant tres filii Levi, ut ex cap. 6. lib. 1. Paralipomenon liquet. Cantorum tamen divisio non est facta per Asaph, Heman, et Idithum; ita ut singuli suam sortem conficerent. Cum enim quatuor essent cantorum milia, nimis magna turba cantorum simul cogeretur, quæ confusionem et tumultum pareret, et præterea nimium sæpe ad iterandum officium Ierosolymam revocarentur; adeo ut vix modico tempore domi versari possent; toto reliquo, vel in templo essent, vel in itinere: dein conveniebat, ut cantorum sortes, sacerdotum vicibus responderent, et primi cantores cum primis sacerdotibus semper essent in ministerio, et secundi cum secundis, et ita de cæteris: permutatio autem facilius confusionem attulisset. *Qualis divisio cantorum a Davide facta.* Itaque ad vitanda hæc incommoda visum est Davidi, et principibus multitudinis cantores in 24. sortes esse dividendos, quæ totidem sacerdotalibus responderent: quarum singulis singuli præessent de filiis Asaph, Heman, et Idithum: quandoquidem commodum factum esset, ut filios haberent numero 24. Habuit enim Asaph filios 4. Idithum 6. Heman 14. Quatuor ergo musicorum millia divisa sunt in partes viginti quatuor, quarum sexdecim haberent singulæ 167. cantores: octo 166. etiam singulæ. Nisi forte, ut probabile est, non erat exactus numerus quatuor millium, sed pauci aliqui desiderabantur, vel abundabant: sæpe enim Scriptura integros numeros ponit, neglectis minutiis. Quamvis autem singulæ sortes suum haberent præpositum, earum tamen 4. quæ parebant filiis Asaph, erant etiam sub manu ipsius Asaph, sicut et filii eius: idemque de 14. filiis Heman, et 14. sortibus: idem denique, de filiis Idithun dicendum est: quandoquidem Scriptura dicit, universos sub manu patris sui fuisse. Significans tres illos primarios cantores Ierosolymis apud regem fere habitasse, proptereaque dicuntur prophetasse, sive cecinisse iuxta regem: et præfuisse alium 4. alium 6. alium 14. sortibus, prout unaquæque suo tempore ministrabat, ut ab iis, qui erant omnium peritissimi, cæteri edoceri ac regi possent. Singulæ porro sortes ita distributæ erant, ut quælibet haberet duodecim viros egregios, non solum musicos bene peritos; sed qui scienter Psalmos et cantica

A de divinis rebus conficere possent, et alios docere. Itaque in 24. vicibus doctores duceuti et 88. reperiebantur: hunc enim numerum reddunt 24. duodecies multiplicata: in numero autem duodenario comprehenditur is, qui princeps erat sortis. Alioqui is numerus constare non posset. Itaque Ioseph, cuius sors prima exiit, erat unus de Doctoribus; reliqui undecim, erant partim filii eius, partim cognati, qui dicuntur fratres: eademque fuit ratio reliquorum. Cæteri autem de quavis sorte misti erant, nulla ratione habita magnitudinis, divitiarum, nobilitatis, ætatis, modo vigesimum annum vel superassent, vel attigissent. Id illa verba significant: *feruntque sortes per vices suas ex æquo, tam maior, quam minor, doctus pariter et indoctus:* sive ut est in Hebræo, *magister et discipulus.* Dedit Heman schedulas quatuordecim, Idithun sex, Asaph quatuor, et coniectæ in urnam, aliquo prædictorum modorum eductæ sunt singulæ. Prima fuit Ioseph filii Asaph, qui deinceps cantare debuit cum sorte sua, dum Ioiaribi sors sacerdotali officio fungeretur. Exiit secunda Godoliæ filii Idithun, qui cantaturus erat in posterum Iedei B sacerdotis vice ministrante, et ita de cæteris. Cantabant autem, sive ut Scriptura loquitur, *prophetabant,* non solum voce laudantes Deum; sed plerique addebant etiam musica instrumenta, citharas, psalteria, et cymbala: tubas quoque, et omnia musicorum organa, prout maiores aut minores celebritates occurrerent: ut nunc quoque videmus in Christianorum Ecclesiis observari, additis etiam pretiosioribus vestium sacrarum ornamentis, ut notat Abulensis quæst. 3. in cap. 25. lib. 1. Paralip. Dicebantur prophetare, sive quia in ipsis aliqui inveniebantur, qui futura prædicerent, sicut in Psalmis Davidis multæ sunt futurorum prædictiones: sive quia hæc cantica pertinebant ad laudem Dei, sicut prophetia; ideoque nec prophani cantores dicerentur Prophetæ, aut prophetare: sive denique, quia, pleraque canebant non satis nota rudi populo, et quæ doctiorum interpretationem requirerent, sicut vaticinia Prophetarum. Quæ causa fuit, ut etiam Saul in medio domus suæ prophetare diceretur; quoniam immundi spiritus impulsu ignota vulgo loquebatur. Existimat C Abulensis non cecinisse hos cantores ex obligatione, nisi in statis legitimisque sacrificiis, ad quæ illa Scripturæ verba referuntur: *Levitæ vero ut stent mane ad confitendum et canendum Domino, similiterque ad vesperam, tam in oblatione holocaustorum Domini, quam in sabbatis, et Calendis, et solemnitatibus reliquis,* etc. In sacrificiis autem, quæ ex devotione offerebantur, non cecinisse. Nec mirum: nam iuge sacrificium, totum diei noctisque tempus occupabat. Itaque necesse fuit singulas sortes in plures partes distribui: ut nunquam deessent, qui in templo canerent, dum alii cibo vacarent, aut somno, cæterisque occupationibus necessariis: ita Salianus anno 3021. tom. 3. Dices, hæc distributio 24. sortium facta est anno ultimo vitæ Davidis, rebellio autem Absalonis, de qua est hic Psalmus, facta est anno ætatis eius 59. id est, undecim annis antea: cur igitur in titulo ponitur *pro Idithun?* Respond. iam tunc fuisse præfectum cantorum, sicut Asaph et Heman, quorum nominibus aliqui inscribuntur D Psalmi, sed anno ultimo vitæ suæ Davidem omnia ordinatius distribui curasse per Pontificem et sacerdotes: non enim debuit per se id facere, cum esset laicus.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

6. DUO CONTINET. PRIMO ENIM, DAVID HORTATUR ANIMAM SUAM, UT DEI SE VOLUNTATI ATTEMPERET, VERS. 2. SECUNDO, ADIUNCTOS SIBI DUCES ET MILITES, OMNESQUE HOMINES INCITAT, UT SPEM IN DEO SUAM DEFIGANT, ET TERRENA BONA PRO NIHILO DUCANT, VERS. 9.

SECTIO PRIMA.

Tria complectitur. Primo, David titubantem animam firmat, eique præsentissimum Dei auxilium ostendit, v. 2. Secundo, hostium suorum rabiem et malitiam declarat, v. 4. Tertio denique, non auxilii tantum, sed futuræ gloriæ ostensione mentem suam ad ferenda adversa concitat, v. 6.

PARAPHRASIS.

2. *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.*

2. Quid internis fluctibus agitata commoveris anima? nonne Deo navem tuam gubernanti te committes, eoque duce securum portum sperabis? Infremant venti, subsultent undæ, tonitrua immugiant, ille unus in hostes innumeros certam salutem dabit.

3. *Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus: susceptor meus, non movebor amplius.*

3. Etenim Deus meus est, cui et servor et pereo: salvator est, cui totum me tradidi: susceptor est, in quo asylum semper paratum summis in periculis reperi. Inanibus periculis pavefacta mens non fluctuabit amplius: et tandem posita tempestate minaces fluctus subsident, secundoque cursu delata ratis stabit in anchoris.

4. *Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos: tamquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ.*

4. Cum tam potentem manum auxiliatricem cernatis, quousque in vestri similem hominem impetum facitis, cum ut unanimi consensu iuguletis? Paupercuium me, et ab humanis omnibus nudatum præsidiis in ruinam impellere cogitatis, veluti parietem ad lapsum propendentem, et maceriam iam conquassatam et disiectam?

5. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.*

5. Etenim pretiosum et eximium honorem mihi a Deo datum moliti sunt a me tollere, mihique regiam coronam tollere: ideo coactus sum fugere e civitate mea Ierusalem, et per desertum sitibundus et famelicus vitæ meæ consulere. Multi mihi exeunti faustum reditum precabantur, qui in corde suo mala imprecabantur.

6. *Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.*

6. Sed quidquid acciderit, divinis te placitis accommoda anima mea: ipse enim ad ferendum vires suppeditabit: eaque tandem præstabit, quæ patienter et æquanimiter præstolor.

7. *Quia ipse Deus meus, et Salvator meus: adiutor meus, non emigrabo.*

7. Deus enim a partibus meis stat, qui iuvare possit: Salvator est, qui velit: adiutor est, qui singulis diebus et noctibus præsto sit. Ex hac urbe Mahanaim non cogar emigrare, licet hostes circumfusi dira minitentur.

8. *In Deo salutare meum, et gloria mea: Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.*

8. A Deo uno malorum omnium instantium depulsionem, et regni promissi gloriam expecto. Hic, ille est, qui in discrimine auxilium præstat, et ventura brevi solatia certo appromittit, atque in se confidentes nunquam eludit.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTO STUDIO VOLUNTATI DEI MENS IN OMNIBUS SUBIICIENDA EST.

7. Ordo sectionis. DAVID videns a filio se ad necem peti, id moleste ferebat; sed afflictum animum sustentat, conformitate cum Dei vindicis voluntate, v. 2. *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.* Rationem affert, Primo, quia Deus est, v. 3. *Nam et ipse Deus meus.* Secundo, quia salvator: *Et salutaris meus.* Tertio, quia adiutor: *Susceptor meus, non movebor amplius.*

Secundo, a Deo susceptus hostes circumstrepentes irridet, quorum Primo, ardorem ostendit, v. 4. *Quousque irruitis in hominem?* Secundo, crudelitatem: *Interficitis universi vos.* Tertio, stultitiam, qua putent facile in ruinam depelli posse: *Tamquam parieti inclinato, et maceriæ depulsæ?* Quarto, ambitionem, qua a regno excludere moliuntur, v. 5. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere.* Quinto, obstinationem, qua fugientem licet persequuntur, et summas in angustias cogunt: *Cucurri in siti.* Sexto, hypocrisim, qua fictis blanditiis applaudunt: *Ore suo benedicebant.* Septimo denique, malitiam, qua perditum et diris devotum volebant: *Et corde suo maledicebant.*

Tertio, hostium furore ostenso, mentem suam corroborat, et patientiam a Deo sperat, v. 6. *Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.*

A Rationem affert, quia sentit se ab eo iuvari: unde ait, se habiturum securitatem et stabilitatem, vers. 7. *Quia ipse Deus meus, et Salvator meus: adiutor meus, non emigrabo;* 2. salutem, v. 8. *In Deo salutare meum;* 3. gloriam: *et gloria mea;* 4. auxilium: *Deus auxilii mei;* 5. spem: *et spes mea in Deo est.*

ARTICULUS I.

Voluntati Dei conformare nos debemus, quia Creator noster est, salvator, et sanctificator.

HOMO luteus licet, atque gravitate sua ad imum proruens, cum Menippo tamen, Icaro, Phaetonte, aut potius cum Lucifero et Adamo, sublimiora se cogitat, et deprimi reformidat. Sed David perversitatem hanc corrigere 8.
B volens, dicit vers. 2. NONNE DEO SUBIECTA ERIT ANIMA Vers. 2.
MEA? AB IPSO ENIM SALUTARE MEUM. S. Hieron. *quia ex eo salus mea,* q. d. Mihi ut homini, Deus omnes creaturas subiecit: mihi ut regi, totam Iudæam subdidit, Philisthæos, Moabitas, Syros, Idumæos, Ammonitas, aliosque populos: ab ovium gregibus abstractum sceptro, coronaque ornavit iam per annos triginta, et imperium meum usque ad mare, et ad magnum fluvium Euphratem extendit; nonne par est ratio, ut uni me Deo subdam in hac afflictione, qua Absalon nititur me obterere; præsertim cum salutem mihi paratam ostendat, et ab eo uno eam expectare possim.

Debemus subiici Deo ut magistro.

Nota, pro *nonne*, Hebr. est אך *ach*, id est, certe, utique, tamen, attamen, tantum. Secundo, pro *subiecta est*, Hebr. habetur דומיה *dumiia*, id est, silens, quiescens, expectans, recogitans, respiciens, observans. Debemus enim Primo, Deo subiici, tamquam discipuli silentes coram magistro. S. Hier. vertit, *Attamen apud Deum silebit anima mea*. q. d. Quidquid mihi accidere passus fuerit Deus, tamen silebo coram eo; et quidem ex animo, admirans et suscipiens eius flagella, et doctrinam excipiens, Isa. 50. 4. *Audiam, quasi magistrum*. Gr. παιδεια et castigationem et eruditionem significat.

2. Ut creatori.

Secundo, debemus subiici Deo, sicut creaturæ quiescentes in suo Creatore, velut in suo centro, et in sinu materno, ex quo emanaverunt. Isa. 45. 9. *Væ qui contradicit fictori suo*.

3. Ut figulo.

Tertio, debemus subiici Deo, ut materia figulo suo, expectans quam in formam se velit fingere. Camp. reddit: *Merito Deum patienter expectat anima mea*. Ier. 18. 6. *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, dicit Dominus*.

4. Ut Domino.

Quarto, debemus subiici Deo, ut ancilla Domino, observans eius nutum, etiam in rebus abiectissimis. 1. Reg. 25. 41. *Famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei*.

5. Ut sponso.

Quinto, debemus subiici Deo, velut sponsa sponso, quæ eum amans respicit, et cogitat quid facere possit, ut ei placeat. Cant. 1. 16. *Dilectus meus mihi, et ego illi*. Et cap. 6. 2. *Ego dilecto meo*.

Sancti fuerunt conformes Dei voluntati.

9. Sancti in id sedulo incubuerunt, ut Dei voluntati se conformarent. Primo, David Ps. 56. 8. ait: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*. Vide ibi dicta. Secundo, Iob in maxima calamitate exclamat cap. 1. 21. *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*. Tertio, Iudas Machabæus in præsenti mortis discrimine ante prælium contra hostes Dei ait 1. Machab. 3. vers. ultimo: *Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic fiat*. Quarto, Christus ipse in agonia dicebat, Luc. 22. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat*. Quinto, S. Pachomii preces incessabiles erant, ut Dei voluntas in omnibus impleretur, sicut est in vitis Patrum lib. 1.

Memorabilis resignatio S. Gertrudis.

Sexto, memorabile est S. Gertrudis factum. Ut enim narrat Blosius in monili spirituali cap. 11. huic aspectabilem se præbens Christus: Hac quidem manu, aiebat, sanitatem fero, hac morbum: Elige, filia, utrum placet. Quid hic faciat Gertrudis? Sanitatem eligat? impudentiæ videbitur. Morbum sanitati præferat? nimiæ modestiæ adscribetur. Certe humani moris est, cum amicus huiusmodi optionem facit amico, ut iste vilius eligat, ad testandam modestiam: ita morbum debuisset elegisse Gertrudis, ad effugiendos orbis alterius cruciatus. Non elegisset inscite, imitata Catharinam Senensem, quæ longe prætulit spineum sertum aureæ coronæ. Prudentius tamen Gertrudis, et melius, elegit neutrum; sed plicatis in crucem manibus ad præcordia, et in genua procumbens: *O mi Domine*, ait, *id ego votis omnibus a te contendo, ut non meam, sed tuam attendas voluntatem: ideo ego ad utrumque parata, neutrum eligo: tuum est, mi Domine, dignoscere, utrum hoc an illud mihi relinquas*. Cui Christus: Quicumque, inquit, cupit a me sæpius adiri, suæ voluntatis clavem mihi offerat, nec eam a me unquam repetat. His Gertrudis edocta, precatiunculam fecit conceptissimis his verbis: *Non mea, sed tua voluntas fiat, mi amantissime Iesu*. Et hoc ipsum trecenties sexagies quinquies instituit ex more repetere: *Non mea, sed tua voluntas fiat, mi amantissime Iesu*.

Qui peccat, in tempestate iactatur; si ad Dei voluntatem se applicet, portum tenet. S. Gregor. Nyssen. lib. de vita Mosis: *Quicumque, ait, fluctibus huius vitæ oppressi a virtute aberrant, exemplo Abrahæ et Saræ quasi quodam gubernaculo*, παλινκατευθυνη προς λιμενα θειου θεληματος, *ad divinæ voluntatis portum revocantur*. Summum virtutis se Deo conformantis pretium paucis verbis aperit S. August. in Ps. 131. *Nihil*, inquit, *gratius Deo possumus offerre, quam ut dicamus ei quod dicitur in Isaia: Posside nos*. S. Chrysost. tres de providentia libros conscripsit, qui extant tom. 4. ut Stagirium arreptitium ad mentis æquitatem reducat; efficiatque, ut maximum illud incommodum patienter perferat. Illos consule.

Epicteti sententia notabilis.

Epictetus licet ethnicus, sæpe monet voluntatem nostram divinæ esse conformandam. Unum aut alterum locum refero. Enchiridii cap. 13. sic ait: *Ne postules ea quæ fiunt, arbitratu tuo fieri*: αλλα θελε γινεσθαι, τα γινομενα, ως γινεται, *sed fieri velis, ut fiunt, et recte te geres. Mortuus, est corporis impedimentum, instituti non item. Quod si singulis in rebus consideraris, quæ incidunt: invenies eas alterius cuiuspiam rei, non tui, esse impedimentum*. Et cap. 23. nos velut in theatro constituit, in quo non multum referat, quam personam; sed quam bene agamus. Verba eius sunt? *Memento te actorem esse fabulæ talis, qualis magistro probata fuerit: si brevis, brevis: si longa, longa. Si mendicum agere te voluerit, fac eam quoque personam ingeniose repræsentes. Ita si claudum, si principem, si plebeium. Hoc enim tuum est, datam personam bene effingere: eam autem eligere, alterius*.

Rationem affert animæ suæ David, cur subiici Deo debeat; quia ab ipso est eius salus: *Ab ipso enim salutare meum*. Hoc probat, quia est Deus, salvator, et susceptor.

Vers. 3. 1. Pars. Deo subiici debemus quia Deus est.

Primo itaque, ait vers. 3. NAM ET IPSE DEUS MEUS. 10.
Hebr. צורי *tsuri*, id est, petra mea, rupes, arx, fortitudo, propugnaculum. S. Hieron. scutum meum. S. Petrus 1. epist. 5. 6. recte monet: *Humiliamini sub potenti manu Dei*. Heli Pontifex auditis minis sibi et familiæ suæ intentatis, ait 1. Reg. 3. 18. *Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat*.

Alis Saraceni sigillum.

Alis filius Abutalibis rex Muslimorum seu Saracenorum, sigillo suo insculpi voluit: *Soli Deo forti dominium*, lib. 1. histor. Saracen. cap. 5. q. d. Cæteri omnes servi sunt, licet reges ac principes esse videantur. Hasenus filius Alis sextus rex, in sigillo quoque expressit: *Non est ullus præter Deum, regem verum, et manifestum*, q. d. Alii reges sunt tantum reges theatrales, qui cito personam deponere debent.

Et Otsm.

Otsman filius Assani quartus Muslimorum rex in sigillo symbolum habuit: *Credo in Deum creatorem et administratorem*, ut refert Georgius Elmacinus lib. 1. histor. Saracen. cap. 4. q. d. Cætera pro nihilo duco: ei soli hæreo, in eo fiduciam pono, illi soli servio et obedio. In creatione Deum se præcipue probat, qui ex nihilo omnia educat. Quis ei se non subiiciat, a quo habet ut sit, cum antea nihil fuerit? S. Bernardus de quadruplici debito hanc rationem urget: *In ianuis est*, inquit, *qui fecit cælum et terram: et Creator tuus est, tu creatura: tu servus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum: totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes, illi præcipue Domino, qui et te fecit, et benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum: ne forte indignationis oculo te respiciat, et despiciat, et conterat in æternum*. Hoc ipsa naturæ lex faciendum edocet. Itaque, nullus est, qui se ab ea subiectione excusare possit. S. Laurent. Iustinian. de obed. cap. 5. *Clamat innata ratio, ut quisque se illi subiiciat, a quo habet ut sit. Humana siquidem natura cum a Deo sit condita, et per eumdem actualiter in esse subsistat, ex necessario quodam iustitiæ et æquitatis iure, mandatis sui obligatur auctoris. Nam etsi innumera sint prærogata beneficia, quibus ad famulandum Deo adstringitur: ex hoc solo, quod ab illo habet esse, usque ad mortem ei obtemperare tenetur*.

Iniurius est Deo, qui eius voluntati non subiicitur.

Voluntatem itaque nostram Dei creantis et gubernan- 11.
tis voluntati adiungamus, ne iniuriam tantæ maiestati faciamus. S. Anselmus id gravissimis verbis inculcat, lib. de similitud. cap. 8. Solus Deus, ait, quidquid vult, debet velle propria voluntate: ita ut aliam quam sequatur non habeat supra se: cum igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, *Deo aufert quasi suam coronam*. Sicut enim corona soli regi competit, sic propria voluntas soli Deo, ita Anselmus. Utilitas quoque nostra et delectatio movere nos debet, ut exercitio illi conformationis voluntatis nostræ cum divina assuescamus. Nullum enim afflicto iusto solatium maius est, quam si cogitet, nihil sibi accidere contra et præter voluntatem Dei parentis sui, a quo amatur. S. Aug. in Ps. 148. *Quidquid*, inquit, *hic*

accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere nisi de voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de legibus ipsius; et, si nos non intelligimus quid quare fiat, demus hoc providentiæ ipsius, quia non sane sine causa. Et epist. 26. illud expendens, *profert numerose sæculum*, Isa. 40. 28. secundum versionem Septuag. Interpretum, sic ait: Deus, cuius sapientia, per quam fecit omnia, longe omnibus artibus præferenda est, nulla in naturis nascentibus et occidentibus temporum spatia, quæ tamquam syllabæ ac verba ad particulas huius sæculi pertinent, *in hoc labentium rerum tamquam mirabili cantico*, vel brevius, vel productius quam modulatio præcognita, et præfinita deposcit, præterire permittit, ita S. August. Tunc bona est musica, cum omnes sibi datam partem a præcentore Deo bene et alacriter cantant, Ps. 110. 2. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Arnob. in omnibus voluntatibus eius. Chald. exquirenda ab omnibus, qui volunt illa. David laudatur Act. 13. quod fecerit Dei voluntatem in rebus omnibus. Sic enim v. 22. *Inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas: id est, omnia a me volita.*

12\. Collai quidam Peruanorum populi, cum crederent maiores suos ex lacu quodam prodiisse, alii ex fonte, alii ex rupium fissuris, ea loca velut sacra venerabantur, et iis sacrificabant: alii denique, cum ad fluvium quemdam referrent originem suam, illum colebant velut patrem, eiusque pisces quos fratres suos putabant, ita curabant, ut sacrilegum crederent qui illos occidisset, sicut asserit Ynca Cargillasso de la Vega in historia Peruana, lib. 2. cap. 19. Erat ille Ynca de stirpe regum Peruanorum, apud quos Yncæ, hoc est reges, et Amautæ, id est Philosophi, Deum creatorem cæli et terræ cognoverunt, eumque *Pachacamac*, hoc est *animam mundi*, nuncuparunt, ut ibidem refertur lib. 2. cap. 2. Sicut igitur corpus animæ, ita Deo animam subiici necesse est: et quidem reges illi barbari, atque eorum sapientes et populi, tanta in veneratione vocem illam Pachacamac habebant, ut eam nunquam nisi summa veneratione, cum necessitas urgeret, proferrent. Tunc enim humeros contrahebant, caput corpusque inclinabant, erigebant oculos in cælum, ac repente eos in terram deprimebant, manus apertas humero dextro imponebant, et aerem petebant osculis. Quæ omnia signa ipsis summæ adorationis et venerationis erant, quæ usurpabant tantum in enuntiatione vocis illius sacræ, in adoratione solis, et regis veneratione. Ex his autem liquet, quo mentis affectu divinæ se voluntati subditos esse deuotarent. Salvianus lib. 1. de provid. et gubern. Dei, advertit, quod Pythagoras Philosophus, quem quasi magistrum Philosophia ipsa suscepit (floruit enim anno mundi 3514. ante Christum 539. Socrate, et Platone antiquior) censebat Deum esse animum per omnes mundi partes commeantem atque diffusum; ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam capiant. Vis Deo te conformare, esto animus; corpus abiice, Deus spiritus est, spirituales amat, fovet ac iuvat, et in omnibus dirigit in cælum. Nihil timeas, omnia tibi cooperabuntur in bonum, si illa de manu Dei accipias.

Peruani adorant lacus, fontes, rupes, et cur?

Deum vocant Pachacamac.

13\. Secundo, Deus iure redemptionis exigit, ut in omnibus homo se eius voluntati accommodet, v. eod. 3. Et salutaris meus. Syr. et Arab. salvator meus. Heb. salus mea. Hebræi sæpe utuntur abstractis pro concretis. Christus non tantum est salvator, sed ipsa salus; id est, perfectissimo et abundantissime salvans. Salutem hanc nomen eius declarat. Unde angelus illud explicans, ait Deiparæ Matth. 1. 21. *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum a peccatis eorum.* Vide in eam rem fuse dicta Ps. 8. sect. 1. S. Basil. in Psalm. nostr. recte colligit, ex illa salutatione oriri in nobis debitum, Deo nos totos in obsequium et servitutem mancipandi. Servire Deo convenit, ait, et diligere ipsum, qui tanto beneficio genus humanum affecit, *ος τηλικαυτην ευεργεσιαν εις το γενος ανθρωπων προκατεβαλετο*: ita Basilius. Quis enim non æquum censeat, ut vitam pro vita offeramus, eiusque nos voluntati aggre-

Vers. 3. 2. Pars. Deo subiici debemus, quia salvator est.

A gemus; si, vel moriens mortem a nobis exigat, et acerbissima patiens, dolores requirat? Servi olim apud Gallos tanto amore dominos suos prosequebantur, ut vita functis illis simul cremarentur vivi. Notabile est, quod Publius Catienus Romæ a patrono suo hæres omnium bonorum scriptus, rogo se vivum iniecit, cum eoque amori voluit. Quid vero præstemus, cum dicat Paulus Ephes. 1. 6. vers. ult. *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno: glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Quanto magis in anima portandus, et glorificandus est, eam illi subdendo? David rex vile iumentum volebat esse apud Deum, ut ab eo in omnem partem flectaretur, sicut a sessore vel ductore iumentum. Et corpus at animam offert Deo S. Bern. serm. de quadrupl. debito, considerans redemptionis beneficium. Sic autem loquitur: *Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, corpus et animam, vel potius unum minutum voluntatem meam; et non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, quo toto se totum me comparavit? alioquin si illam* B *retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia, vado ad viscera misericordiæ Dei nostri?* Et epist. 143. ad suos Clarævallenses, recte eos monet, ut ei totos se tradant, qui mortuus est, ut ipsi viverent: *Nemo sibi vivat*, inquit, *sed ei qui pro se mortuus est. Cui enim iustius vivam, quam ei qui si non moreretur, ego non viverem? cui commodius quam promittenti vitam æternam? cui magis ex necessitate, quam flammas perpetuas minitanti?* Et tract. de diligendo Deo: Si, inquit, totum me debeo pro me facto, quid addam iam pro refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam factus. Nam qui me semel et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura: nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se: et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus, me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? ita Bernardus. Peruani priusquam Yncas, C id est reges haberent, pro varietate provinciarum, nationum, urbium, familiarum, domorum, deos sibi diversos statuebant. Quidam animalia ob crudelitatem et ferociam insitam adorabant, ut leones, ursos, tigres, quos nunquam obvios habebant, quin venerabundi in terram prociderent, seque devorandos obiicerent, neque captata fuga, neque ad defensionem sumptis armis. Serpentes quoque viginti aut triginta pedum, aliaque venenata animalia adorabant. Deum nos benignum et beneficum colimus, qui non venena suffundat, aut sanguinem ebibat; sed proprium sanguinem fundat, ut vitæ suorum consulat. Hunc ergo veneremur, eique sponte nos etiam cum vitæ periculo subiiciamus, dicentes cum Apostolo, Rom. 14. 8. *Sive vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.*

Servorum in Gallia amor apud dominos.

Et P. Catieni Romæ.

Minuta duo, corpus et anima.

Peruani animalia fera putabant deos, et ab iis se vorari sinebant.

Tertio, Deus iure suo exigit a nobis, ut ei nostram voluntatem subdamus, ob sanctificationem. Unde additur v. eod. 3. Susceptor meus. Hebr. משגבי *misgabbi*, hoc est, exaltatio mea, q. d. Qui me ad regium thronum eve- D xit, et ab rebellis Absalonis exercitu salvatum in eo restituet. Tropolog. q. d. Deus porrecta e cælis manu susceptum me ex limo terrenisque rebus ad cælestia et divina extollet. Arabs, *adiutor meus*, ut opera bona faciam. S. Ambr. *defensor meus*, ne ab hostibus in peccatorum præcipitia deiiciar. S. Hieron. *fortitudo mea*, fortis est adiutor et defensor, non est timendum. Syr. *refugium meum magnum, ut non timeam.* Petavius vertit: *Apud se recipit, quando malus ingruit genius.* Deus afflictis signum expandit, velut naufrago portus: fugienti militi, arx inexpugnabilis; reo trepido, sacrum asylum. 14.

Vers. 3. 3. Pars. Deo subiici debemus, quia sanctificator est.

Susceptio hæc Dei primum fit in baptismo, in quo Ecclesia dat patrinos, qui et susceptores vocantur; quorum officium est suo, Deique nomine baptizatum suscipere, eiusque instruendi curam capere. Tunc primum per Spiritus sancti gratiam Deo gignimur, et sanctificamur, quod maxime Deus expetit, maximoque affectu ad id conferen-

Susceptores dicebantur patrini.

dum beneficium fertur, sicut Paulus testatur, Thessal. 4. 3. ubi dicitur: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Secundo genitos suscipit Deus, mammisque suis apprimit, velut nutrix salubri doctrinæ lacte nos nutriens. Oseæ 11. 3. *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Isaiæ 66. 12. *Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis: quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Tertio toto vitæ tempore, ac præsertim in afflictione, servos suos et filios Deus suscipit, ut securum iter ac lætum præbeat: si enim iucundum est, curas suas et dolores in amici pectus effundere; quante erit iucunditas in Dei sinu quiescere, et ab eo portari? Senece in consolatione ad Helviem metrem afflictam ob exilium, quod relegatus erat in Corsicam ait: *Maximum adhuc solatium tuum tacueram sororem tuam illud fidelissimum pectus tibi, in quod omnes curæ tuæ pro indiviso transferuntur, illum animum omnibus nobis maternum. Cum hac tu lacrymas tuas miscuisti, etc.*

Hæc vicissim exigunt, ut Deum ad nos venientem eiusque voluntatem, læti et alacres suscipiemus, et ampiectamur, eique uni hæreamus. Moses Hebræum populum hortabatur, ut Deo serviret; quod ab ipso selectus esset in populum specialem et singularem et donis omnibus ornatum, idque considerans populus pecto inito se totum in Dei cultum obtulisset Deuter. 26. 17. *Dominum,* ait, *elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis eius, et custodias cæremonias illius, et mandata atque iudicia, et obedias eius imperio: et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius: et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem, et nomen, et gloriam suam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.* Hoc autem specialius in baptismo contingit Christianis, qui sacramento solemni aliis renuntiarunt, Deoque se uni addixerunt. Hoc votum in memoriam revocat S. Ambros. lib. 1. de sacrament. cap. 2. Quando, ait, te interrogevit, Abrenuncias diabolo et operibus eius, quid respondisti? Abrenuncio. Abrenuncias sæculo et voluptatibus eius? Abrenuncio. Memor esto sermonis tui, et nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniam eius accipias: teneris obstrictus, et reluctentem fœnerator adstringit, atque illic tua cautione constringeris. Ubi promiseris considera, vel quibus promiseris. Levitam vidisti, sed minister est Christi. Ergo chirographum tuum tenetur non in terris, sed in cælo. Ergo abrenunciasti mundo, abrenunciasti sæculo: esto sollicitus, semper recordare quid promiseris.

15. Vers. 3. 4. Pars. Non moveatur, qui Deo nititur.

Concludit David, ex eo quod Deum pro se habeat salvatorem et susceptorem, fore ut non moveatur, vers. eodem 3. NON MOVEBOR AMPLIUS, id est, multum, valde. Hebr. enim est רבה *rabba*, hoc est multum, plurimum. Hoc autem dupliciter intelligi potest: Primo, q.d. Non movebor a Deo multis et megnis afflictionibus, non deiiciar de throno meo, in quem restituar victo Abselone, et hoc verum fuit: David enim revocatus in Ierusalem per reliquos undecim vitæ annos quietus mansit in aula sua regia, nullo hoste eum lacessente. Non nego tamen post cædem Absalonis statim Bochri insurrexisse in eum, sed hæc coniuratio cum bello Absalonis iungenda est, et cito extincta est occiso Bochri. Secundo, sensus etiam esse potest, q. d. Cum agnoscam pro me stare Deum meum, et esse servatorem et susceptorem meum, non movebor in anima mea, licet affligar, in mediis calamitatibus stabo immotus, et inconcussus. Hic sensus bonus est; sed primus melior.

Mystice, Christus ex aquis baptismi susceptos in gratiæ et gloriæ portum securos deducit. Si vere dixit Philo lib. de migratione Abrehæ: *Vir iustus quasi fulcrum et firmamentum est generis humani*, quale fulcimentum animæ erit Deus et Christus. S. Petrus 1. epist. 5. 10. *Deus,* inquit, *omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Eccl. 14. 2. dicitur: *Beatus qui in sapientia,* tum creata, tum increata, et incarnata, id est, in Verbo et Christo, *morabitur.* Et v. 27. *Et sub ramis eius morabitur, protegetur sub tegmine illius a fervore, et in gloria eius requiescet.* 2. Machab. 1. 24. Nehemias e Babylone redux, Ierosolymæ videns aquam crassam iniectam carni victimarum incensam esse solis radiis, dicebat: *Domine Deus omnium Creator, terribilis et fortis, iustus et misericors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus iustus, et omnipotens, et æternus, qui liberas Israel de omni malo, qui fecisti patres electos, et sanctificasti eos: accipe sacrificium pro universo populo tuo Israel, et custodi partem tuam, et sanctifica.*

Secundo, vicissim nobis videndum est, ut in Deo immoti perstemus, et non moveamur fluctibus cogitationum, eo innixi. Eccl. 11. 22. *Confide in Deo, et mane in loco tuo.* Baptismum vocat S. Gregor. Naz. oration. 11. fol. 188. δευτέρου βίου κρηπῖδα, *secundæ vitæ fundamentum.* In ipso stemus, et pactum cum Deo initum non rescindamus. Pilatum imitemur, qui semel scripta delere noluit. Hoc suadet idem S. Pater orat. 40. fol. 670. Pilatum, ait, in meliorem pertem imitare, male scribentem recte conscriptus. Dic iis, qui te a sententia deducere student, Quod scripsi, scripsi. Puderet enim me profecto, si cum malum stabile ac firmum maneat, bonum contra facile in deterius flecteretur: cum nos ita comparata vitæ ratione esse oporteat, ut a vitio quidem ad virtutem facili motu impellamur, a virtute autem ad vitium nullo modo incitemur. Ita Gregorius, qui prius dixerat, ἐν καιροῖς τρεπτοῖς ἄτρεπτοι μένοντες, περὶ ἀτρέπτου πράγματος, *in obnoxiis mutationi temporibus, de re minime mutabili immutabiles.* Summi tecti petalium versatile, in auras omnes obversum ridemus, stabilem vero domum incolimus. Fugacem transfugam, aut cruciariæ trochleæ gebalo, aut glandibus æneis obiiciemus: statarium vero, et in gradu firmum militem coronamus. Nec Stephanum ipsum corona decorasset, nisi sub lapidum grandine immotus stetisset. S. Ambros. in Psalm. nostr. *Sacerdos,* inquit, *non potuit coronari, Levita non potuit, quia transierunt, et tamquam umbra prætierunt. Stephanus autem martyrio coronatus est, quia stantem videbat Dominum Iesum, immobilem, non prætereuntem. Immobilis ergo fide Stephanus immobilem Christum videbat: nullo erat mortis timore commotus. Non movit se Stephanus, non movit et Christus.* Adhæserat Deo, illique velut delphinus anchoræ implicitus, media in tempestate consistebat. Eodem animo sibi gratulatur rex noster Ps. 65. 9. *Qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit commoveri pedes meos.* Si autem te Deo non iunxeris, cum arundinibus semper fluctuabis. Ut enim ait S. Gregor. lib. 12. moral. cap. 3. *Quis valet Deo recedente quiescere, cum solus ipse sit requies; et a quo quisque quanto longius fuerit, fit tanto et inquietus.* Qui a Deo arce sua recedens in bona caduca et fluxa se abiicit, similis est Iudæo illi qui se Mosen simulans e rupibus in mare sequaces suos deiecit: Rem narrat Nicephor. lib. 14. c. 40. fol. 533. Vir quidam Iudæus, inquit, Mosem se esse, et cælitus in Cretam a Deo missum, simulavit, ut Iudæos per mare duceret in terrem sanctam, auctorque fuit omnem ut pecuniam ac possessiones contemnerent, quod toto anno fecerunt. Die dicto illos omnes in scopulum ducit, atque inde se in mere conilcere iubet, neque deinceps apperuerunt: quidem etiam in præcipitio saxis allisi interierunt. Cæteri vix ab ea mente a piscatoribus Christianis deducti Pseudomosem comprehendere aggressi sunt: sed illico disparuit, magnamque suspicionem præbuit, ὡς ἀλάστωρ τις δαίμων, *perniciosum quemdam dæmonem,* sub humana specie, gentem eem in exitium produxisse. Ideo Iudæi plurimi ad fidem conversi sunt: ita Nicephorus.

Tertio tamen advertendum est; quod, ut ait S. Basil. ἀμήχανον, id est impossibile est, nullo tentationum vento agitari: sed, si Deo velut stabili radici hæreamus, aliqua fortasse folia excident incautis; truncus vero solidus perstabit. Pro gravitate autem vel levitate peccatorum, commotionis impetus erit maior, aut remissior. Eumdem

16. In hac vita est semper tentatio aliqua.

sanctum Patrem audiamus: *Impossibile est*, ait, *in hominis anima aliquam a tentationum flatibus non excitari commotionem. Sane quidem ait: Tantisper dum exigui sunt momenti, et eadem in pauco numero quæ admittimus peccata, leniter ac sensim aliquousque movemur*, ὥσπερ φυτὰ, *sicut tenellæ plantæ, susurro impulsæ leniter ac placide aspirantis auræ. Mox ubi plura accesserint gravioraque peccata, iuxta proportionem coalescentis peccati intendi solet et animæ agitatio. Et hi quidem amplius, illi autem tanta adeo vehementia, ut velut a radice eversi avellantur, cum spirituales illæ nequitiæ acriore impetu, quam ullus evaleat turbo, velut radices revulserint ab anima atque abruperint, quibus ipsa per fidem erga Deum subnixa est:* hæc Basilius.

ARTICULUS II.

Dæmonis impetus in animam, terribilis est atque metuendus.

David cum se in Deum, velut arcem tutissimam, coniecisset, eiusque propugnacula et machinas suspexisset, in circumiectos campos vultum deiicit, atque ex omni parte assultantes hostes ridet, eosque monet in irritum conatus eorum evasuros. Notat autem eorum ardorem, cru-
17. delitatem, stultitiam, superbiam, obstinationem, hypocri-
Vers. 4. sim, malitiam: cursim singula attingamus: ait enim v. 4. Quousque irruitis (Hebr. תהותתו *thehothethu*, id est, cogitatis prava, ut vertit Pagninus: cogitabitis pravitates, ut Felix; insidiamini, S. Hieron. 2. detrahetis, Arias; teritis linguam vestram, R. Ionas 3. irruitis, ut Noster et Flaminius; concitamini, ut Syrus; inclinatis, ut Arabes; superimponitis, cum impetu scilicet, ut Septuaginta, qui vertunt ἐπιτίθεσθε, pugnatis; ut Apollin. qui habet μάχεσθε; Petavius, θυετ επι ζαφελως, impetum facitis vehementer) in hominem? id est in me. Hebræi de se in tertia persona loquuntur sæpe; interficitis universi vos, id est vos ipsos, non me, ait Glossa, Ugo, Bruno, Haimo; 2. et melius, interficitis, hoc est interficere vultis, et tentatis vos universi me et meos. Roman. Psalt. et Cassiod. habent, interficitis universos; tanquam parieti inclinato, et maceriæ depulsæ? id est de loco pulsæ, in ruinam impulsæ. Locus hic est difficilis. Sensus est, q. d. Quousque irruitis in hominem; id est in me, velut in parietem inclinatum et mox casurum, atque in maceriam mox ruituram, et facile deiiciendam. Maceria porro, est paries, sive murus, aut congeries lapidum in unum compactorum, sine intrita, aut alio genere ferruminis: illiusmodi parietes solent esse, quibus vineæ clauduntur. Varro autem lib. 1. de re rustica dividit maceriam in quatuor species, 1. e lapide, ut in agro Tusculano; 2. e lateribus coctilibus, ut in Gallico; 3. e crudis, ut in Sabino; 4. e terra et lapidibus, compositis in formis, ut in Tarentino et Hispano.

Secundo, et melius, hic est aposiopesis seu reticentia, in qua subintelligitur, *incumbitis*, q. d. Tamquam parieti inclinato et maceriæ impulsæ, nec resistere valenti incumbitis, ut me deiiciatis, proteratis, et in pulverem redigatis. Omnes alii modi explicandi magnas habent difficultates.

Quæres, cur David se comparat parieti et maceriæ? Primo, quia erat murus Israelis, quem toties texerat contra hostes plurimos. Secundo, parieti inclinato et maceriæ impulsæ comparat se, quia iam erat senior: natus scilicet annos 59. et ciectus erat e throno ab Absalone iuvene pulcherrimo et omnibus gratioso; omnes enim adorant solem Orientem. Itaque erat in summo discrimine totalis ruinæ; 2. Reg. 15. v. 14. ait David, quod Absalon impellet super se ruinam.

Post apostrophen ad hostes suos ad narrationem affe-
Vers. 5. ctionis suæ convertitur David v. 5. Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant. No-
18. ta, pro *pretium meum*, Hebr. nunc est משאתו *missethо*,
Missecth. id est pretium eius: sed est error pro *missethi*: facile au-
A tem est iod in vau mutari, cum una littera non differat ab altera nisi longitudine. Censeo autem *misseeth* esse nomen Heemanticum, et significare elevationem, exaltationem, excellentiam, gloriam, honorem, principatum, a Rad. נשא *nasa*, extollere, elevare, attollere: unde *nasi* princeps, quod sit super alios elevatus. Hinc S. Hilar. et S. Augustinus legunt, *Verumtamen honorem meum cogitaverunt repellere*. Honorem scilicet regium, quem sibi Absalon arrogarat, deiecto patre suo Davide.

Secundo, pro *cucurri*, nunc est Hebr. ירצו *irtsu*, id est, voluerunt, ut vertit Arias; placuerunt sibi, ut S. Hieronymus; affectabant, ut Felix. Sed legerant Sept. *iarutsu*, cucurrerunt: verterunt autem Græce ἔδραμον, quod significat *cucurri*, sicut legit Noster, S. Hilar. et S. Augustinus: item *cucurrerunt*, ut S. Basil. et Euthymius. Sensus esse potest, q. d. Cucurrerunt illi contra me, ut me interciperent; ideo coactus sum fugere sitiens et fatigatus, ut evaderem. Sic potest concordari utraque lectio. Nota, tanta festinatione et præcipitatione David fugit ex urbe Ieru-
B salem, accepto nuntio de Absalonis defectione, ut nihil ad iter faciendum præpararit. Hinc dicitur 2. Reg. 17. 27. *Cum venisset David in Castra* (Hebr. et Sept. in Mahanaim) *Sobi filius Naas de Rabbam filiorum Ammon, Machir filius Hammihel de Lodabar, et Berzellai Galaadites de Rogelim, obtulerunt ei stratoria, et tapetia, et vasa fictilia, frumentum et hordeum, et farinam, et polentam, et fabam, et lentem, et frixum cicer, et mel, et butyrum, oves, et pingues vitulos, dederuntque David, et populo qui cum eo erat, ad vescendum: suspicati enim sunt, populum fame et siti fatigari in deserto*. Item sensus esse posset, q. d. Cucurri in siti, et illi cucurrerunt mecum in siti, sed ut me proditum traderent Absaloni: unde sequitur, ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant. Sed prima expositio magis arridet.

Tertio, pro *in siti*, Hebr. est כזב *cazab*, quod ordinario significat mendacium. Hinc S. Hier. vertit, Placuerunt sibi in mendacio. Felix, affectabunt mendacium. Campen-
C sis, mendacio delectamini. Sed dico *cazab* significare etiam sitim, seu potius siticulosum locum; qui, cum præbere debeat aquas, et quodammodo illas promittat viatori, eas non dat. David autem cucurrerat in deserto. Ricardus Cenomamus vult אכזב *aczab* præposito aleph significare mendacium aquarum; sed deceptus videtur loco Ierem. cap. 15. 18. ubi *cazab* ponitur, id est mendacium, sed statim additur *maim*, id est aquarum: itaque *cazab* est tantum mendacium; et non mendacium aquarum potius, quam rei alterius.

Tropolog. dæmonis hic ardor, crudelitas, stultitia, superbia, obstinatio, hypocrisis, et malitia in homines declarantur. 19. Tropol. Dæmon in homines est ardens: I.

Primo quidem ardor, v. 4. *Quousque irruitis in hominem?* S. Antonius, S. Hilarion, S. Xaverius, aliique dæmonibus in se irruentibus insultabant, iisque exprobrabant, quod multi et armati in unum hominem et inermem insilirent. Turcarum mos est barbarus, ut contempta mi-
D litum vita urbes obsessas tamdiu continuis insultibus impetant, donec fatigatis aut cæsis propugnatoribus eas invadant: quod tanta obstinatione faciunt, ut nonnunquam uno die septemdecim insultus fuerint numerati. Hostes nos pertinaciores et vehementiores nacti sumus, nempe dæmones, qui noctu diuque pervigiles ab oppugnatione nunquam desistunt. Iob de dæmone dicit cap. 16. 15. *Irruit in me quasi gigas*. Et cap. 41. 5. sub figura Leviathan, id est ceti seu balenæ, ait: *Per gyrum dentium eius formido, corpus illius, quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus* (tentatio tentationem sequitur, ut squama squamam) *una uni coniungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas*.

Secundo, crudelitas dæmonum notatur, cum additur: II. Crudelis.
Interficitis universi vos. Amurathes habuit quatuor canum venaticorum millia, ut refert Baudier lib. 1. hist. Turcicæ fol. 12. Lucifero autem sunt innumeri dæmones: si igitur universi de cæde cogitant hominum, quis evadet? Amu-

rathes tanta erat crudelitate, ut semel morti destinarit duo millia aucupum, quod quidam æsalon (genus accipitris) emissus nihil prædæ cepisset, sed Nivernensis Comes id impedivit: dæmon vellet totas provincias perdere uno ictu, optaretque non ut ille Caligula, totius Romani Imperii homines, sed totius orbis incolas, unam cervicem habere, ut eam unico ictu amputaret. Animarum vero necem longe avidius sitit. De illo sub typo Leviathan dicit Iob cap. 41. 9. *Sternutatio eius splendor ignis, et oculi eius ut palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ.* Omnia vellet inflammare, ac perdere.

20. III. Stultus. Pulveris tormentarii vis. Tertio, stultitia dæmonis est, quod hominem iustum putet se facile posse evertere, tamquam parietem inclinatum et maceriam depulsam. Ignem ipse muro supponit, sed Deus illum sustentat atque roborat. Guicciardinus lib. 6. et 10. atque Iovius in Leone X. refert, quod Petrus Navarrus dux Hispanus cuniculos tormentario pulvere replere, et horrendo motu arces atque propugnacula funditus disiicere primus docuit; et eam ob rem, vulgo πολιπορθος, id est urbium arciumque eversor dictus est. Sic arcem Neapolitanam, quæ Ovum dicitur, magna hostium pro muris stantium strage cepit anno 1503. Sed novennio post res notabilis accidit. Cum enim Bouoniam obsideret Ductu Iulii II. Pontificis et regis Ferdinandi Neapolitani, eam muri partem, qua sacellum est, Baracanum appellatum, subdito igni factis cuniculis una cum sacello adeo in altum extulit, ut per illud spatium, quod inter solum murumque sublatum relinquebatur, ab iis qui foris erant, interior civitas militesque ad propugnandum parati aperte conspecti fuerint. Sed illico subsidens integer murus in eumdem locum, unde ignis impetu divulsus fuerat, recidit: itaque coagmentatus iterum est, ac si nunquam motus fuisset. Quocirca, cum ab ea parte invadi iam non posset, duces ab altera tantum parte oppugnationem adoriendam censuerunt. Bononienses prodigio rem tantam tribuerunt, fieri non posse existimantes, ut penitus iisdem fundamentis sine divino numine coniungi iterum potuisset. Quamobrem sacellum id post magnificentius exstructum fuit, nec parva populi religione frequentatum. Ita illi. Te pietas in omnes hostium conatus atque insultus muniet.

21. IV. Superbus. Quarto, superbia et invidia dæmonis est, quod moleste fert, se deiecto, homines erigi ad filiationem Dei per gratiam et gloriam. Ideo dicit David, id est vir iustus: *Pretium meum cogitaverunt repellere.* Pretium illud Beda censet esse patientiam, quam a nobis tollere dæmon nititur. Secundo, Cassiodorus, fidem, et Christum. S. Leo serm. de S. Laurentio dicit, tyrannum frustra conatum esse Laurentio auferre Christum: et cum Ecclesiastico thesauro, cui inhiabat, frustratus esset, direptionem thesauri potioris aggressum: et depositum illud, quo Laurentius sacratius dives erat, curavisse auferre, renuntiare Christo Laurentium iubendo. Hoc est, regnum Dei intra nos, Luc. 17. 21. et thesaurus in vasis fictilibus, 2. Corinth. 4. 7. Tertio, Remigius ait, pretium illud esse perseverantiam in cursu, ad bravium et coronam. Quarto, Ugo, pretium quo Deum emimus, hoc est bona opera. Quinto, pretium, quo Deus nos emit, hoc est sanguinem eius: ita S. Basilius. Sexto, Haimo, pretium illud dicit esse Deum et gloriam. Bruno Carthusianus, Deum et pretium laboris avellendum a Dei subiectione. Septimo denique, plene et adæquate, arbitror pretium illud comprehendere omnes virtutes, gratiam et dona huius vitæ, et gloriam æternam. S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epistol. 147. dicit, sublimes virtutibus viros vocari debere βασιλικωτάτους, id est maxime regios. Salvian. lib. 4. de providentia seu gubernatione Dei insigne decus Christiani nominis, quo in Dei regis æterni familiam cooptamur, docet retinendum esse per virtutes: *Qui*, ait, *Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videatur. Nomen enim sine actu atque officio suo nihil est. Nam, sicut ait quidam in scriptis suis: Quid est aliud principatus, sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine: aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Sicut etiam per divinas litteras sacer sermo testatus est, dicens: Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua. Et in nobis itaque Christianum vocabulum, quasi aureum decus est: quo si indigne utimur, fit ut sues cum ornamento esse videamur.* S. Ambr. in Psal. nostr. varias virtutes enumerat, in quibus honor noster consistat. Pretium meum, ait, cogitaverunt repellere: quia pretium nostrum pudicitia est, quæ nos separat a pecudibus, Angelis iungit. Pretium nostrum misericordia est: quæ nos, dum confertur inopibus, redimit a morte. Pretium nostrum fides est, quæ omnes homines gentili errore et servitute depressos, Christo acquisivit. Pretium nostrum bona existimatio est, uniuscuiusque nostrum meritorum series æstimatur. Pretium nostrum munditia atque simplicitas est; quia scriptum est: Possessio pretiosa, vir mundus. Nihil enim pretiosius viro simplici. Unde Apostolus pulchre: Abundavit, inquit, in divitiis simplicitatis suæ. Quid enim simplicitate ditius, quæ sicut bonus paterfamilias satis sibi abundat, et sua puritate contenta non quærit alienum, nec abrodit, sed se cæteros fingit? Ita Ambrosius.

22. V. Obstinatus. Quinto, obstinatio dæmonis timenda est, qui semper instat tergo nostro: hinc necesse est ut festinemus. Aliqui legunt, *cucurrerunt in siti.* Noster vero vertit, *cucurrit in siti.* Miseria hominis in huius vitæ deserto fame et siti afflicti, atque omnibus egentis et omnia timentis, exprimi potest Petri Serrani calamitate, quam sic refert Ynca Garcillasso de la Vega lib. 1. hist. Peruanæ cap. 8. Cum, ait, Petrus Serranus non procul a Peruano regno naufragium fecisset, in desertam insulam delatus est, in qua nec aquam, nec lignum, nec herbas, nec quidquam primo vidit, unde vitam sustentare posset: tandem piscibus in littore repertis et testudinibus e mari exeuntibus pro cibo, ac sanguine testudinum pro potu, donec pluviam aquam conchis earum exciperet, usus est. Silicibus diu quæsitis ignem excitat, et marina alga et relectaneis quisquiliis, piscium ossibus aliisque fovet. Post menses aliquot consumptis vestibus nudus omnino pluvias frequentes in illis partibus, summosque solis ardores, maxima cum difficultate tolerat, in eoque martyrio tres totos annos extrahit, cum naves veritæ naufragium, fumo excitato ad eum locum frustra invitarentur. Pili toto corpore increverunt, adeo ut instar ursi appareret hirsutus, et capilli barbaque infra zonam dependerent. Cum tres anni in hac solitudine effluxissent, ad eam tandem insulam naufragus unus sub vesperum appulit, quem ut Serranus aspexit, dæmonem esse credidit, quod et de Serrano villis horrido credebat naufragus. Sed Christianum signis editis alium uterque recognoscens calamitatem suam simul deplorare cœperunt: tum necessitate magistra uniti animis, fratrum instar vivebant, partim igni tuendo alternas vigilias instituentes, partim annonæ quærendæ mutuam operam commodantes. Quis crederet cum his incommodis luctantes a mutua amicitia divelli posse? ea tamen est hominum miseria, ut diu inter se concordes vivere non potuerint: sed orta contentione parum abfuit, quin manus sibi inferrent. Causa rixæ fuit, in quærendo cibo aliisque labor: cum onus in socium uterque refunderet; adeoque verbis asperioribus acerbata est contentio, ut in summa auxilii mutui necessitate se ab invicem separarint. Eos tamen postea ipsa necessitas coniunxit, et per totos quatuor annos in insula illa tenuit; donec nauclerus illam pene insulam radens animadverso fumo misit, qui eos ad se adducerent. In Germaniam ad Imperatorem Petrus Serranus ductus est, quod totus hirsutus esset: illi Imperator dono dedit quatuor millia ducatorum aureorum, et quingentos: sed dum Lanamam petit illa pecunia potiturus, in itinere est mortuus: ita ibi; ubi vides et calamitates hominis, et fortunæ instabilitatem, quæ in felici statu positum post longas miserias statim deiicit.

Serrani naufragi miserabilis status.

23. VI. Hypocrita. Sexto denique, simulatio dæmonum per se suosque blandientium declaratur, cum additur: *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.* Fraus hæc explicari potest facto Atheniensium, de quo agit Plutarchus in Solone, p. 82.

Solon, ait, ad Coliadem navigavit cum Pisistrato. Ibi cum omnes fœminas offendisset, solemnia sacra Cereri facientes, hominem fidum transfugæ specie misit Salamina, qui
Ingeniosa fraus Atheniensium. moneret, si primarias Athenienses matronas redigere cuperent in potestatem suam, secum ut quam ocyssime navigarent ad Coliada. Postquam pellecti Megarenses viros aliquot navi impositos miserunt, ac Solon advertit ex insula advehi, imperavit, ut mulieres facesserent, adolescentes autem ad hæc imberbes earum stolis, mitris, et calceis ornati, et λαβοντας εγχειριδια κρυπτα, παιζειν και χορευειν, pugionibus sub veste abditis muniti lusitarent, et saltarent in littore, dum hostis descendisset, et navem ipsi haberent opportunam. Dum hæc ad eum modum aguntur, Megarenses ea decepti specie, cum prope applicuissent, effuderunt certatim se, velut fœminas capturi. Ita nemo effugit, sed occubuerunt omnes, et profecti Athenienses in insulam, illico sunt ea potiti: ita ibi. Medias inter choreas, et blauda colloquia, sicas suas dæmon evibrat, et animas interimit.

ARTICULUS III.

In afflictionibus voluntas Deo subiicienda est.

HOSTIUM rabie considerata, David ad Deum se iterum convertit, ad eumque animam suam invitat, ut illi su-
24. biiciatur, præsertim in calamitate, quam ab hostibus illis
Vers. 6. A Deo est nostra patientia, id est præmium patientiæ. patitur, v. 6. VERUMTAMEN DEO SUBIECTA ESTO ANIMA MEA: QUONIAM AB IPSO PATIENTIA MEA, id est Primo, præmium patientiæ meæ. Ipse patientibus promittit regnum cælorum, Matth. 5. 10. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hinc S. Ambros. lib. 5. in cap. 6. Lucæ v. 22. Usque ad finem, inquit, te ducit, usque ad martyrium, prosequitur, ibi constituit beatitudinum palmam. Paulus 2.
Battorii symbolum. Timoth. 2. 5. ait: *Qui certat in agone non coronatur, nisi legitime certaverit.* Andreas Battorius sibi sumpsit pro symbolo phœnicem in pyra cum hac inscriptione: *Se necat, ut vivat:* idem faciat Christianus. Nam qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, Ioan. 12. 25.
II. Patientia, id est afflictio. Secundo, a Deo *patientia* nostra, id est, afflictio nostra, quæ est obiectum et materia patientiæ. S. Augustinus Deum comparat aurifici aurum in fornace expurganti: *Quoniam*, ait, *ab ipso est patientia mea. Quæ patientia mea inter tanta scandala, nisi quia, si id quod non videmus speramus, per patientiam expectamus? Venit dolor meus, veniet et requies mea. Venit tribulatio mea, veniet et purgatio mea. Numquid lucet aurum in fornace aurificis? In monili lucebit, in ornamento lucebit: patiatur tamen fornacem, ut purgatum a sordibus veniat ad lucem. Fornax ista, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat aurifex. In fornace ardet palea, et purgatur aurum. Illa in cineres vertitur, a sordibus illud exuitur. Fornax, mundus; palea, iniqui: aurum, iusti: ignis, tribulatio: aurifex, Deus. Quod vult ergo aurifex, facio: ubi me ponit aurifex, tolero: iubeor ergo tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, et quasi consumendum me: illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? Quia Deo subiicietur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea.* Seneca libro de providentia, cap. 2. virum magni animi comparat mari, quod in se recipit omnes aquas omnium fluviorum, et in se non mutatum omnes suo sapore afficit.
Mari comparatur vir fortis. Verba eius sunt: *Quemadmodum tot annos, tantum superne deiectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutavit saporem maris, nec remittunt quidem: ita adversarum impetus rerum, viri fortis non vertit animum. Manet in statu, et quidquid evenit, in suum colorem vincit; et alioqui quietus placidusque, contra incurrentia attollitur: omnia adversa, exercitationes putat.* Docet deinde, athletas cum fortissimis quibusque confligere, marcere virtutem sine adversario, matres optare filios in umbra continere: patres vero, illos ne feriatis quidem diebus eos

A pati otiosos, tum subdit: *Patrium habet Deus adversus bonos animum, et illos fortiter amat: Et, operibus inquit, doloribus ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur. Languent per inertiam saginata: nec labore tantum, sed mole, et ipso sui onere deficiunt. Non fert ullum ictum illæsa felicitas, at ubi assidua fuit cum suis incommodis rixa, callum per iniurias ducit: nec ulli malo cedit: sed etiamsi ceciderit, de genu pugnat. Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos esse atque excellentissimos vult, fortunam illis cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non miror, si quando impetus capit spectandi magnos viros, colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excipit, si Leonis incursum interritus pertulit; tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit. Non sunt ista, quæ possunt deorum in se vultum convertere, sed puerilia, et humanæ obleetamenta levitatis. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus: Ecce par Deo dignum, vir*
B *fortis cum mala fortuna compositus, utique si et provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Iupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, iam partibus non semel fractis stantem, nihilominus inter ruinas publicas rectum*: ita ille. Non patitur navis gubernator quietos et nauseabundos in foris iacere nautas; sed eos huc, illucque missitat, sicut res exigit: labore servorum suorum delectatur Deus, qui coronas æternas soli labori paratas novit. Deo placet generose certans.
Tertio denique, a Deo est patientia nostra, id est virtus III.
patientiæ, quam Deus dat, milites suos invictos efficiens. Patientia, id est virtus patientiæ.
Ps. 17. 35. dicit David noster: *Posuisti ut arcum æreum brachia mea.* S. Stephano pugnanti, in eam rem apparet Christus, Actor. 7. 55. S. Eustachio, priusquam spoliaretur bonis omnibus fortunæ, et uxorem ac liberos a se distrahi videret, apparuit Christus crucifixus, ut eo spectaculo eum animaret. Metaphrast. 2. Nov. Item S. Pantaleoni, sive Panteleemoni, fortissimo martyri sæpius se vi-
C dendum obtulit, cum torqueretur; ut, post dira perpessa, salvum illum et incolumem præstaret.
Ex hac Dei gratia tantum robur datum est sanctis viris, 25.
ut in patiendo essent mirabiles. Primo, Stephanus Abbas Sancti in patiendo mirabiles.
monasterii iuxta Reate, eum sibi amicum credebat, qui sibi molestiæ aliquid irrogasset. Secundo, S. Ioannes Patr. Alexandr. cognomento Eleemosynarius ei non leve debitum cum omnium admiratione remisit, a quo læsus fuerat, iniuria suo consanguineo illata. Tertio, cum statua Constantini Magni, totius pene orbis Imperatoris, lapidi- Constantini factum laudabile.
bus fuisset impetita, multique ad sumendum de auctoribus supplicium illum incitarent, atque dicerent, omnem ipsius faciem saxis convulneratam esse, vir ille toto suo imperio maior, manu faciem palpans, sicut ait S. Chrysostomus homil. 20. ad populum Antiochenum, leniter subridens, ait: Ego vero nusquam vulnus in fronte factum video, αλλ'υγιης μεν η κεφαλη, υγιης δε οψις απασα, *sed sanum quidem caput, sana vero et facies tota.* Illi vero reveriti et confusi, ab hoc iniquo destitere consilio. Et hoc verbum
D hactenus canunt omnes; nec tantum temporis labefecit, aut huius memoriam extinxit. Quarto denique, præsertim martyrum patientia mirabilis est. Thomas Bozius de puero rem notabilem refert libr. 11. de signis Eccles. cap. 1. fol. 838. ex litteris Francisci Monolari Societ. Iesu: Captus Pueri mirabilis constantia.
est, inquit, a Malavaribus Indicis in ora Comorinensi puer annorum duodecim, cui nomen Ioanni, natione Hispano, patria Medina campi: cumque formosa ac liberali specie foret, dono datus est cuidam regulo, qui eximia pueri indole delectatus nihil non egit, ut a Christi cultu illum dedûceret: inter cætera pollicitus est, se illi in matrimonio collocaturum filiam, quam pulcherrime ornatam iussit in medium procedere, ut eius aspectu, blanditiisque deliniretur. Ubi vero, post multa tentata, se nihil ille proficere vidit, furore succensus atrocissimum supplicium mandavit apparari. Nihil eo consternatus impubes, petito temporis spatio, quo supplicaret Deo, intrepidus ad extre-

mum se nihili omnia fecere est professus. Itaque summos primo digitos, deinde manus in plura frusta paulatim secuerunt, idemque brachiis ambobus fecere: mox ad pedes et crura venerunt, minutatimque illa conciderunt: cumque sæpius ab ipso immanissimi tortores, carnificesque exigerent, ut Christo nuncium remitteret, invictus hilarisque respondebat; se nunquam id facturum, et ad adstantes conversus, in quibus multi erant captivi Christiani, ad eadem perferenda hortabatur, affirmans, se nunquam tantum lætitiæ cepisse, nunquam gustasse tantum suavitatis: quæ cum perorasset animo ardentissimo, ad superos evolavit: ita ibi.

Epictetus, licet ethnicus, ait esse puerile conqueri de fortuna et morbis. Sic enim ait lib. 4. dissertation. cap. 7. Ostende, inquit, mihi gladios satellitum: vide quanti sint, et quam acuti? Quid ergo faciunt magni illi gladii et acuti? Occidunt. Febris autem, quid facit? aliud nihil. Tegula quid facit? aliud nihil. Vis ergo, ut ista omnia admirer, et adorem, et istorum omnium servus obambulem? Absit: sed cum semel didicerim, id quod ortum est etiam interire oportere, ne mundus stet aut impediatur: nihil mea refert, febrisne id faciat, an tegula, an miles. Sed si contentio facienda sit, scio minore cum molestia, et celerius id facturum esse militem. Cum ergo nihil eorum timuero, quæ facere mihi potest, quid adhuc admiror? quid adhuc stupeo? quid timeo satellites? Ac paulo post addit: παιδοις ταυτα φοβερα εστι, και τοις ανοητοις: *Pueris ista terribilia sunt, et stultis.* Seneca laudat Augustum Cæsarem in morte liberorum et nepotum. Sic enim loquitur in consolatione ad Marciam. cap. 15. Divus Augustus amissis liberis et nepotibus, exhausta Cæsarum turba, adoptione desertam domum fulcivit. Tulit tamen fortiter, tamquam eius iam res ageretur, cuius tum maxime intererat, *de diis neminem queri*: hæc Seneca.

26. Non patientia tantum, sed etiam constantia et perseverantia est a Deo, v. 7. Quia ipse Deus meus et salvator meus: adiutor meus, non emigrabo, id est non movebor. Supra dixerat vers. 3. *Ipse Deus meus, et salutaris meus: susceptor meus, non movebor amplius*, id est multum, vehementer: hic vero dicit, *non movebor*, q. d. Nec parum, nec multum movebor. Quo enim diutius et profundius meditamur Deum esse Deum nostrum, esse salvatorem a malis, adiutorem in bonis, eo robustiores et constantiores sumus.

Vers. 7. Hæret Deo vir generosus.

Quæres, unde dicit se non emigraturum David? Primo, ex urbe Mahanaim, in quam se receperat fugiens Absalonem, q. d. Prius migravi e Ierusalem memor peccatorum meorum, ob quæ puniri me a Deo sentiebam; nunc non discedam e loco in quo versor, memor bonitatis Dei erga me. Constans animus sæpe vincit, ubi fugax omnia perdit. Amurathes Turcarum Imperator in Varnensi pugna de fuga cogitabat, sed a gregario milite eum increpante, ut qui honeste non egeret, retentus est: statimque post caput regis Hungariæ ad eum allatum est, et gloriosissimam victoriam retulit, ut ait Laonicus Chalcocondilas, lib. 7. de rebus Turcicis, fol. 97. nos a Deo iubente, hortante, minante, pollicente, tela subministrante, clypeo tegente, in Mahaneim, id est in castris, retineri non poterimus?

Secundo dicit, se non emigraturum a Deo suo, asylo suo, et ab eius mandatis. Multi similes sunt fugacibus ac timidis avibus, quæ vel ad ramusculi fractionem evolant. Prov. 27. 8. *Sicut avis transmigrans de nido suo*, (Vatablus pro ave passerculum ponit) *sic vir qui derelinquit locum suum.* Arab. nidum suum, id est, custodiam virtutum, ait Beda. Israelitis hoc exprobrat Oseas Propheta, cap. 9. et 11. *Ephraim quasi avis evolavit.* Isaiæ cap. 16. 2. *Sicut avis fugiens, et pulli de nido avolantes, sic erunt filiæ Moab.* Alphonsus rex Aragonum verbis, minis, verberibus fugaces milites sistere non valens, aliquos ex illis laqueo necavit propriis manibus. Deus punit nimium timidos, eosque hostili gladio, vel laqueo permittit.

27. Motiva non timendi sunt: Primo, quia Deus nos a malis servabit: *Et salvator meus.* Boethius lib. 4. de consolatione philosophica, prosa 6. *Quis alius*, inquit, *vel servator bonorum, vel malorum depulsor, quam rector et moderator mentium Deus? qui cum ex alta providentiæ specula respicit, quid unicuique conveniat, agnoscit, et quod convenire novit, accommodat. Hic igitur quidquid citra spem videas geri, rebus quidem rectus ordo est: opinioni vero tuæ perversa confusio.* Salvatoris in hunc orbem adventum videntur Peruani novisse ante adventum Hispanorum in eam regionem, sed fabulis illum iam dudum obscurarant. Fabulabantur enim solem, quem pro Deo Yncæ seu reges colebant, et colendum populo proponebant, miseratum infelicem hominum sortem, qui ferarum instar mutuis in se odiis et cædibus grassarentur, humanas carnes ederent, et variis sceleribus se pollucrent, e cælo filium suum ac filiam demisisse, qui ritus illos ferinos abolerent, colendæ terræ, alendorum pecorum, urbium condendarum et sanciendarum legum modos edocerent: iisque virgam auream duos latam digitos, mediam ulnam longam concessisse: ut quacumque in terra unico ictu deiecta alte defigeretur, locum sibi habitationis designatum scirent. Octingentas illos leucas decurrisse, neque ullo in loco virgam demitti potuisse: cum vero attigissent *Pacarec Tampu*, id est, *cubile auroræ*: qui locus ab urbe regia Cuzco leucis tantum octo abest, spoi pienos intendisse in vallem, in qua tum nihil esset præter dumos ac sentes: ibi proiectam virgam ictu unico tam alte in terram depressam esse, ut nunquam apparuerit. Prodigio lætos sedem ibi figere statuisse, congregatisque hominibus, qui per sylvas errabant vagi, urbem illam regiam Cuzco condidisse: ita habetur lib. 1. hist. Peruanæ cap. 16. Hæc possis existimare esse symbolica. Sol est Deus Pater; filium misit in terras, qui homines a ferina vita removeret; virga aurea, est lex evangelica, quæ in valle dumosa, id est in humili peccatore, sedem sibi reperit, et in ea alte defixa mansit. Coniecturam auget, quod, ut in eadem historia dicitur lib. 2. cap. 3. fol. 140. crux erat in illa urbe Cuzco, eaque fuit ex iaspide crystalli, longa tres ulnas quadrantes, tres vero digitos lata, spissa totidem, constans unico lapide polito et fulgenti, eam se vidisse asserit de la Vega auctor historiæ Peruanæ, et diu ante Hispanorum adventum ibi fuisse, imo ignorari tempus quo regibus data fuerit: adeo antique erat. Neque id est incredibile: nam cum Patres Societatis nostræ circa ann. 1620. oberrarent vastas et incultas Paraguai terras, in Americæ medio, crucem manu ferebant, ut se Christi exemplo ad labores tolerandos animarent, visa cruce populi illi faciie credebant, quæ illis proponebantur. Id admirantibus Patribus dixerunt, a maioribus se accepisse oraculum, quo monerentur, eos qui signum illud ferrent, sibi lucem veritatis allaturos. De cruce S. Thomæ in India res nota est.

Motiva quatuor non timendi adversa: I. Quia Deus est servator noster.

Peruanorum ingeniosa fabula.

Secundum motivum non timendi hostes adiungitur, quod nimirum Deus sit gloria nostra: *Et gloria mea.* Sic dicebat Ps. 3. 4. idem rex noster: *Tu Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.* In Psalmo nostro Apollin. vertit κυδος εμον και φεγγος, id est, decus meum ac lumen. 28.

II. Non timendum, quia Deus est gloria nostra.

Deus est gloria nostra, tam in hac vita, quam in alia; sed oportet ut voluntatem illi nostram subiiciamus. Eliphaz Themanites dicebat Iobo afflictissimo, et in fimeto iam iacenti, cap. 22. 21. *Acquiesce Deo, et habeto* (id est habebis) *pacem: et per hæc habebis fructus optimos. Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones eius in corde tuo. Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, et longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo: Dabit pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos: Eritque Omnipotens contra hostes tuos: et argentum coacervabitur tibi: Tunc super Omnipotentem deliciis afflues, et elevabis ad eum faciem tuam.* Et postea vers. 28. et 29. adiungitur: *In viis tuis splendebit lumen, qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria:* deiice te infra Altissimum, et ipse te exaltabit. Amurathes Turcarum Imperator gloriabatur, quod tricesies septies decretoria pugna, explicatisque vexillis cum hoste certasset, victorque ex iis omnibus præliis extitisset. Vir

Amurathis felicitas et fortitudo.

iustus Deo fretus innumeris vicibus victor est: semper enim pugnat, et semper hostes domat, et infractus vegetusque perstat, si a Dei ducis sui voluntate non recedit. Alphonsus rex Aragonum, cum interrogaretur, quem felicissimum putaret, ait: eum qui totum se in Dei ducentis voluntatem abiecisset: ab eoque tum iucunda, tum aspera, ut ab eius paterna manu obvenientia reciperet, ut refert Panormit. in eius vita. Cum reges Peruani ad mortem ægrotabant, dicebant morbum illum lethalem, esse nuntium a sole patre sibi missum, qui filium vocaret, ut secum in cælo quiesceret. Et vero Christus in filiis Dei et fratribus suis numerat eos, qui Dei voluntatem faciant. Sic enim ait Matth. 12. 50. *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Quem locum illustrans Euthymius, O admirandam virtutem, inquit, quæ ad se accedentes ad tantum extollit honorem, ut ipsos Christi faciat esse cognatos! S. Thomas 22. q. 81. art. 7. docet, summam perfectionis in hac vita in eo consistere, ut Deo mentem nostram subiiciamus. S. Theresia idem tradit in castello animæ. Seneca ipse epist. 107. *Hic est*, ait, *magnus animus, qui se Deo tradidit: et contra ille pusillus ac degener qui obluctatur, et de ordine rerum male existimat; et emendare mavult Deos, quam se.* In alia etiam vita, qui Deo hic voluntatem subiecit, magnus erit. Stephana Soncinas religiosa Ord. S. Dominici in extasim rapta vidit inter Seraphinos quasdam animas eorum quos noverat. Cum causam ab iis petiisset, dixerunt: se id assecutas esse per summam cum Dei voluntate conformitatem, quam in terris positæ habuerant. S. Leo omnes ad eam hortatur serm. 6. de Passione, ubi illud Luc. 22. 42. *Non mea voluntas, sed tua fiat*, considerans, sic ait: *Hæc vox capitis salus est totius corporis; hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronavit. Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesiæ filii magno pretio redempti, gratis iustificati; et cum adversitas violentæ alicuius tentationis incubuerit, præsidio potentissimæ rationis utantur, ut superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam passionis.*

Stephana Soncinatis visio.

29. Vers. 8. III. Non timendum, quia Deus nos iuvat.

Tertium motivum non timendi hostes ponitur, *Adiutor meus.* Quis enim omnes non vincat Deo sibi auxiliante? Et vers 8. subiungitur idem, IN DEO SALUTARE MEUM: DEUS AUXILII MEI (id est mihi auxilians. S. Hieron. robur fortitudinis meæ) ET SPES MEA IN DEO EST. Dionysius Carthusianus nominat præclarum, splendidum, suavissimumque versiculum istum omni menti devotæ; super mel et favum, dulcem et saporosum. Plus quiddam, ait Lorinus, videtur indicari cum dicitur, *in Deo salutare nostrum ac spes* esse, quam cum ipse salvator, aut salutaris, et spes. Item, cum *Deus auxilii*, quam cum auxilium ipsum. Nam Deum esse salvatorem, spem, gloriam, auxilium, intelligitur per modum actus primi, ut loquuntur; vel, quod in se est, Deum ad hæc conferenda paratum esse: cum autem in illo eadem esse dicuntur ut nostra, nobis ab eodem esse, ac nos illa recipere, et eorum ratione cum ipso coniungi. Valent hæc omnia testimonia contra Pelagianos, ut intelligamus, omnem laudem et gloriam quam revera consequi possumus per meritorum cooperationem, nobis provenire a munere Dei, in quo propterea laudari et gloriari debet quisquis laudatur et gloriatur 2. Cor. 10. 17. ita ut dicat: *In Domino laudabitur anima mea.* Ps. 33.3. Et: *Fortitudo mea, et laus mea, Dominus, factus est mihi in salutem.* Ps. 17. 14. Et: *Ego in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Iesu meo*, Habacuc 3. 18. Vide S. Prosper. contra Cassianum, cap. 36. Peruani primis temporibus deos innumeros credebant; nam singulæ nationes, urbes, familiæ, vici, domus, deos ab aliis diversos adorabant. Hoc enim persuasum habebant, unum solummodo Deum illum, cui se voverant, ad subsidia ferenda potentem esse: ideo pro externis illos omnes habebant, qui ab aliis colebantur. Deus vero noster, Deus unus est: singulis ita auxilium præbens, ut possit omnibus, et ab eo uno, velut armamentario, tela sibi et scuta omnes valeant comparare. Oseæ 13. 9. populo suo

A intimat Deus ipse: *Perditio tua*, id est, ex te, *Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* S. August. in sententiis num. 311. *Multa bona*, inquit, *facit Deus in homine, quæ non facit homo: nulla vero facit homo, quæ Deus non facit ut faciat homo.* In Græcorum scutis depictus erat Neptunus, in Troianorum scutis Minerva: quia in illis confidebant: et eorum patrocinio tutos se fore credebant. Nunc, ut ait Prudentius lib. 1. in Symmachum, clypeorum insignia Christus. Sæpe dicit David noster, Deum esse suum protectorem, Hebr. מָגֵן *maghen*, id est, clypeum, scutum, ut Ps. 17. 3. et 31. Ps. 27. 7. Ps. 32. 20. Ps. 83. 10. et alibi.

Nos vicissim, Dei nos adiuvantis voluntatem sequamur. Isaiæ 48. 17. *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas: utinam attendisses mandata mea, facta fuisset iustitia tua sicut gurgites maris, et fuisset quasi arena semen tuum.* Ratio enim postulat, ut Deo nos iuvanti manum adiungamus, et onus non detrectemus. Faustus Rhegiensis Episcopus, qui vixit circa an-

B num 480. illud, *Deus in adiutorium meum intende*, extendens lib. 2. de libero arbitrio cap. 10. ait: Adiutorii sermo duos indicat, operantem et cooperantem, petentem et promittentem, pulsantem et aperientem, quærentem pariter et retribuentem. Ubi obiter adverte, Faustum hunc mira calliditate Catholicum videri voluisse, licet Pelagianus esset; contra eum libros septem scripsit S. Fulgentius. Vide Adonem in Chronico ad ann. 492. Si porro Dei operantis ductum amemus et sequamur, nos invictos facit. S. Chrysost. hom. cum ageretur de suo exilio, tom. 4. O, τι συ βουλει, ουτος εμοι πυργος, *quod volueris, hoc mihi turris est.* Contra vero, servus propriæ voluntatis importabile sibi pondus imponit, quo degravetur et obruatur a Deo derelictus. S. Bernard. epist. 11. ad Carthusienses: *Hoc*, inquit, *ad æternam iustamque legem Dei pertinuit, ut qui a Deo noluit suaviter regi, pœnaliter a seipso regeretur: quique sponte iugum suave, et onus leve charitatis abiecit, propriæ voluntatis onus importabile pateretur*

Faustus Rhegiensis, fuit Arrianus.

C *invitus.*

Quartum denique motivum non timendi hostes additur: *Spes mea in Deo est.* Spes mea, id est, res sperata a me, in Deo, et intra Deum est. Itaque non timeo, ut quis mihi illam eripiat, bona arx et arca Deus est, ibi bene et secure thesaurus noster collocatur. Vel q. d. Non quæro bona terrena, illa sunt in terræ mineris, in aquarum fundo, in divitum ædibus; Deum unum volo et amo, illum solum spero et quæro. Syrus vertit: *Spes mea Deus est.* Arabs: *Tu, o Domine mi, adiutorium meum, et spes mea.* Sic David dicit Psal. 70. 5. *Domine spes mea a iuventute mea.* Secundo, *spes mea*, id est, actus spei quem elicio, *in Deo est;* Deo uno nititur atque roboratur, q. d. Non spero nec confido in meis viribus, divitiis, gloria, industria, longa experientia, ducibus, ac militibus, aliisque subditis; sed in una Dei bonitate et potestate. Spes illa Dei adiutorium impetrat et experitur, Ps. 93. 22. *Factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in adiutorium spei meæ.* S. Hier. quasi petra spei meæ Ps. 141. 6.

30. IV. Non timendum, quia Deus est spes nostra.

D statim atque dixit: *Tu es spes mea*, subdit, *turris fortitudinis a facie inimici:* perinde quasi unum ex alio sequatur: ut scilicet Deus fiat turris tibi fortissima, si in eum spem tuam coniicias. Eccl. 2. 9. etiam lætitia et misericordia speranti promittitur: *Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectationem veniet vobis misericordia.* Spem velut reginam pingebant veteres. Goropius Becanus lib. 4. de rebus Francicis, ait, spem in numismatis pingi solitam, velut reginam manu lilium gestantem, cum hac epigraphe: Spes Publica, sicut apparet in nummis Imperatorum Claudii, Alexandri Severi, Diadumeni, Traiani, Adriani, et L. Ælii. Cum traiecturus in Asiam Alexander Macedo multa ducibus suis largiretur, interrogatus quid sibi reservaret: *Spem*, inquit. Hac fretus, innumera adiit pericula, et se in hostes immisit, semper victor. Iaspis gemma reperta est, in qua vir appareret scutum habens in collo, cuspidem in manu, et sub pedibus serpen-

tem. Iaspis est symbolum spei: est enim coloris subviridis; illa spes dat scutum et gladium, et de stygio serpente victoriam. Efficit etiam, ut medios inter hostes ac vulnera intrepidi ad regnum et coronam obtinendam curramus. S. Gregor. 6. Moral. 16. *Spes*, inquit, *ad æternitatem animum erigit, et idcirco multa mala exterius quæ tolerat, non sentit.* Symbolum spei Deo circumponit S. Ioannes Apocal. 4. 3. ut ostendat spe Deum possideri et obtineri. Verba eius sunt: *Et iris erat in circuitu sedis, si-* A *milis visioni smaragdinæ:* id est, quæ apparebat eodem colore quo smaragdus. Visio enim ponitur pro colore metonymice: actus scilicet pro obiecto. Hinc Alcazar putat iridi illi non alium fuisse colorem, quam viridem: tamque fuisse viridem, ut smaragdo similis appareret. Verius est illi iridi tres fuisse colores solitos, sed viridem magis emicuisse. Color cæruleus denotat fidem: viridis, spem: rubeus, charitatem: alii misti cæteras virtutes, et gratias, ac dona Dei.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

31. *Tria proponit. Primo, omnibus in Deo adiutore sperandum esse, vers. 9. Secundo, non sperandum esse in honoribus et divitiis, vers. 10. Tertio denique, præmium a Deo iusto iudice esse expectandum, vers. 12.*

PARAPHRASIS.

9. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra vestra: Deus est adiutor noster in æternum.*

9. Quam me spem in Deo concepisse cernitis, eam vos commilitones meorum laborum participes generoso pectore assumite. Curis et doloribus cor oppletum coram eo in oratione effundite: semper enim paratum in eius perenni pietate auxilium reperietis.

10. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris: ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.*

10. Homines vero sunt ipsa vanitate vaniores, neque solida in illis spes reponi potest: iniquis trutinis et ponderibus res examinant; ut mutuis se fraudibus implicent, ob res futiles et inanissimas alter alterum deprimentes atque decipientes.

11. *Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

11. Ne in divitiis per scelus partis fiduciam vestram collocetis: neque congerendis per nefas prædis, animum applicetis. Licet sponte ubertim sine ulla iniustitia affluant, videte ne illis cor vestrum infigatis.

12. *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi: quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia: quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.*

12. Mihi cor meum variis oppressum cladibus in oratione effundenti, semel locutus est Deus: in eo autem eius sermone et collocutione duo cognovi, et ab eo didici. Primo, in eo esse potestatem atque misericordiam, ut possit et velit iuvare in se sperantes. Secundo, eum præmia et supplicia pro diversitate meritorum singulis esse redditurum.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta fiducia in uno Deo, non in hominibus, eorumque divitiis sperandum sit.

32. Ordo sectionis. Sectione præcedenti David Absalonem fugiens spem suam in Deum coniecit. Nunc ad comites suos, milites, et omnem populum conversus, ad eamdem spem omnes hortatur, v. 9. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* Modum docet sperandi: *Effundite coram illo corda vestra.* Rationem adiicit, cur sperare debeant: *Deus adiutor noster in æternum.*

Amplificat deinde auxilium illud divinum, per reiectionem aliorum subsidiorum, quæ sibi homines ab hominibus, honoribus et divitiis conquirunt. Primo, non est fidendum in hominibus, quia mendaces sunt, vers. 10. *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris.* Secundo, non est fidendum in honoribus, quia sunt vanitas: *Ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Tertio denique, non est fidendum in divitiis, quia sæpe iniquæ sunt per fraudes occultas partæ, v. 11. *Nolite sperare in iniquitate;* aut apertis prædationibus quæsitæ: *Et rapinas nolite concupiscere;* semper autem perituræ: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

Concludit, in Deo uno sperandum esse ob eius dotes. Primo quidem, potentiam et misericordiam, v. 12. *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia.* Secundo vero, iustitiam: *Quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.*

ARTICULUS I.

Cor effundendum est coram Deo.

B Ut totum cor Deo effundamus, prius in eo sperandum est, ne timor aliquid retineat quod effundere non au- 33. Vers. 9.
deat. Itaque dicit David, vers. 9. SPERATE IN EO OMNIS CONGREGATIO POPULI, (Arabs, omnes populi. In Hebr. nunc est, *omni tempore populus.* Syr. reddit, Sperate in illum omni hora populus. Sept. legerant non עֵת *eth,* id est, tempus: sed עַד *ed,* hoc est, congregatio) EFFUNDITE CORAM ILLO CORDA VESTRA: DEUS EST ADIUTOR NOSTER IN ÆTERNUM. Deus unus est, et unus omnibus hominibus et creaturis sufficit, velut vastum et semper plenum mare omnibus fluviis et fontibus. Unus enim est omnia. S. Bernard. sive auctor tract. de Passione Domini: *Quid quæris,* inquit, *quod in Christo non invenias? Si ægrotus es, medicus est: si exulas, dux est: si desolatus es, rex est: si impugnaris, pugil est: si sitis, potus est: si alges, vestimentum est: si orphanus es, pater est: sponsus est, amicus est, frater est, summus, optimus, misericordissimus, fortissimus, pulcherrimus, sapientissimus est, omnia sine fine gubernans. Quid autem laboro? Omnia quæ velle potes et debes, est Dominus Iesus Christus. Desidera hunc, require hunc: quia hæc est illa una pretiosa margarita, pro qua emenda, etiam vendenda sunt omnia quæ tua sunt: qua habita nullius tempestatis procellam timebis. Sit ille finis propositi tui, sit in illo posita fortitudo tua, non in viribus tuis, et nullo modo confringeris: quia ipse est, et non alius: est verissimus, et optimus consolator adversitatum et pressurarum:* ita ille. In mediis itaque adversitatibus, et pressuris, exurge per spem: sicut lilium in mo-

In uno Deo omnia reperies. C

diis spinis caput erigens, et cælum suscipiens. Ludovicus Borbonius post reditum ex Africa instituit Ordinem Cardui B. Virginis, quem Albam Spinam vocant: torquem ex liliis, cui intertexta essent cardui folia, gestari voluit, atque ex torque crucem dependere cum hac epigraphe: *Spes.* Volebat sapiens princeps etiam mediis in tribulis innocentiæ lilium candescere, suorumque spem omnem in cruce defigi.

34. Effundendum est Deo cor, id est, vitia cordis nostri. I. Spes in Deum cor dilatat, et aperit. Unde, excitata spe subdit: Effundite coram illo corda vestra id est, ea quæ sunt in corde vestro. Est metonymia. Primo itaque effundenda sunt coram Deo corda nostra, id est, vitia, et mali affectus cordis, ut aspectu Dei cor vacuum et purgatum emundetur, et fiat locus Dei capax: ita S. Basil. S. Ambros. Ugo, et alii. Hoc autem fit per confessionem. Verba S. Basilii sunt: ἀμήχανον ἐστι. *Impossibile est, ut capaces divinæ gratiæ reddamur, nisi perturbationes et vitia nostras animas possidentia prius eiiciamus. Vidi ego tam medicos non prius* σωτήρια φάρμακα, *medicinas salutares dare, quam vomitu materiam illam morbi causam evacuassent, quam ex malo diætæ genere homines intemperantes sibi ipsis creaverant. Sed et vas, quod humore quopiam odoris tetri et graveolentis præoccupatum fuerit atque imbutum, nisi id elueris diligenter, odorati cuiuspiam unguenti influxum neutiquam poterit recipere. Opus itaque ea, quæ prius insunt effundere, ut eorum fiat capax, quæ immittere constituisti.* Chald. vertit, Abiicite coram eo elationes cordis vestri, et orate coram eo ex toto corde vestro, et dicite; Deus est spes nostra in æternum.

II. Lacrymæ. Secundo, ut ait Bruno, *effundit* ante Dominum cor suum, qui peccata sua uberrimis lacrymis confitetur. Cor aliter effundi non potest, nisi creberrimo imbre lacrymarum: ita ipse. S. Maximus homil. de pœnitentia S. Petri: *Utiliores*, inquit, *lacrymarum preces sunt, quam sermonum: quia sermo in precando forte fallit, lacryma omnino non fallit? sermo enim interdum non totum profert negotium, lacryma semper totum prodit affectum.* Anima se quodammodo per lacrymas effundit, et exinanit. S. Greg. Nyssen. oratione funebri de Placilla: Vulnerum animi, ait, tamquam sanguis lacrymæ sunt. Vide dicta Ps. 6. 7.

III. Et optime curæ et affectus. Tertio, et maxime proprie, *effundite coram illo corda vestra:* id est, curas, desideria, affectus, afflictiones, gemitus, necessitates ostendite, et plene aperteque declarate in oratione. Sic David ait Psal. 141. 3. *Effundo in conspectu eius orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.* Sic Anna 1. Reg. 1. 15. dicebat Heli Pontifici in tabernaculo: *Mulier infelix nimis ego sum, et omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.* Ubi adverte, quod effusio denotat: 1. syncerítatem; 2. affectum; 3. ardorem et impetum; 4. integritatem; 5. abundantiam et liberalitatem; 6. purificationem; 7. humilitatem; 8. resignationem; 9. fiduciam. S. August. in Ps. nostr. *Nolite*, inquit, *corda vestra retinere intra corda vestra: effundite coram illo corda vestra, non perit quod effunditis: Ille enim susceptor meus: si suscipit, quid times effundere? iacta in Domino curam tuam, et spera in eum;* 10. effusio amorem denotat: amici enim sua sibi secreta aperiunt, atque in amicorum sinum effundunt, ut nihil velint eos latere. S. Ambros. Cor nostrum, ait, videtur effundere, quando omnes cogitationes alicui et voluntates nostri cordis aperimus. Arabs de oratione exponit: Confidite in eo omnes populi, supplicate ei cordibus vestris.

35. Effundendum est Deo cor, sicut aqua. Quæres, quomodo cor effundendum est coram Deo? Resp. sicut aqua. Ugo Card. Effundite, inquit, coram illo corda vestra per confessionem. Cor enim peccatoris est quasi plenum stercoribus. Unde Dominus non infundit ibi gratiam suam, nisi prius stercora effundantur per confessionem. Thren. 2. 19. *Effunde sicut aquam cor tuum.* Non sicut lac, cuius color remanet. Non sicut vinum, cuius odor remanet. Non sicut mel, cuius sapor remanet. Sed sicut aquam, de qua cum effusa fuerit, nihil remanet. Ita effundendum est peccatum de corde, ut nec color remaneat (Non sicut vinum, lac, aut mel.) A in signis exterioribus, nec odor in verbis, nec sapor in affectu. Isaiæ 14. 22. *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et progeniem, et germen:* ita Ugo. Quod si times, ne quid in corde remaneat non effusum, totum cor erue, et ante oculos Dei abiice, ibique immola; ut novum cor in te creet, sicut fecit B. Catharinæ Senensi. Peruani primis temporibus non solum captivos, sed proprios etiam liberos Diis suis mactabant, in hunc modum. Sive viri, sive fœminæ, sive pueri, aut puellæ iugulandi essent, medium pectus adhuc vivis scindebant, et cor atque pulmones spirantibus eripiebant, calidoque eorum sanguine idolum cruentabant, cui victima immolabatur. Hoc ubi peractum erat, eorum aruspices intentis oculis in cor et pulmones, coniectabant, utrum grata an ingrata fuisset oblatio. Tunc, utut res se haberet, cor cum pulmonibus in honorem idoli concremabant: corpus vero, incredibili aviditate devorabant, atque vel in proprii filii mactatione insano gaudio efferebantur. Quid nos Deo vero præstamus, quod cum idololatrarum illorum ardore sit conferendum? Deus noster B incruentas amat victimas, immola illi sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua: cor tantum sibi præberi vult, ut illud tibi reddat mundius, ornatius, et locupletius: hoc illi munus ae denega. (Peruani cor liberorum suorum offerebant idolis.)

36. Deus est adiutor æternus. Ratio, cur effundendum sit cor Deo, et in eo sperandum, subiicitur: quoniam scilicet nos adiuvat: Deus adiutor noster in æternum. Pro, *in æternum*, Hebr. est סלה *sela*, quod more suo S. Hieron. vertit, *semper.* Chald. vero, in æternum. Arabs et Syrus non interpretantur: vertit Syrus, Deus est protectio nostra. Arabs, Ipse est Deus adiutorii vestri. De voce *sela* dixi Ps. 3. sect. 1. art. 2. in fine.

Nota, æternitas est velut infinitus circulus, omnia tempora in se concludens. Deus est adiutor æternus; itaque nullum tempus est, aut momentum, quo iustis nocere possint scelerati. Murus est, ex omni parte ipsos ambiens, itaque semper securi sunt. Antiocheni muris carebant, et tutos se credebant, quamdiu corpus S. Simeonis Stilitæ haberent. Unde Leonem Imperat. illud petentem rogave- C runt, ne se tanta custodia privaret: Cum non sit, inquit, urbi nostræ murus, quem ira deiecit, sacrum hoc corpus adduximus, ὅπως μὲν γένηται τεῖχος καὶ ὀχύρωμα, *ut nobis pro muro et propugnaculo esset.* Imperator motus precibus, cæleste hoc præsidium illis reliquit, ut narrat Evagrius Scholasticus lib. 1. histor. Eccles. cap. 13. pag. 128. De Deo dicit rex noster Psal. 17. 1. *Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. Deus meus adiutor meus, et sperabo in eum.* Hinc effectum est in lege gratiæ, ut reges Christiani sua Deo offerrent in persona Pontificis vices eius in terra agentis. Clodovæus quidem Romam misit coronam auream cum gemmis, quæ regnum appellari solet. Carolus magnus sceptrum suum obtulit. Alii reges totum regnum quod vectigal Pontifici esse voluerunt, ut in Lusitania, Anglia, Hungaria, et aliis. In una Hungaria nunc hæreamus, ubi etiam Dei adiutorium pro piis regibus et principibus cernemus. Gregorius VII. Pontifex, eruditione rerum gerendarum dexteritate, zelo et mentis robore, sanctitate et miraculis clarus, qui floruit D circa annum 1050. Salomoni regi qui contra ius regnum illud in beneficium ab Imp. acceperat, sic scribit lib. 2. epist. 13. Sicut a maioribus patriæ tuæ cognoscere potes, *regnum Hungariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est,* a rege Stephano olim B. Petro cum omni iure et potestate sua oblatum, et devote traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator, ad honorem sancti Petri regnum illud expugnans; victo rege, et facta victoria, *ad corpus B. Petri lanceam, coronamque transmisit*, et pro gloria triumphi sui, illuc regni direxit insignia, quo principatum dignitatis eius attinere cognovit: ita ibi. Tunc fortes se credebant viri devoti, si ante Deum cor suum et regni decora effunderent, eique servanda et decoranda committerent. Cum vero Salomon rex illis Gregorii epistolis parum moveretur, in Imperatoris potentia spem collocans, divino plane iudicio accidit, ut ait Baronius anno 1074. ex eodem lib. 2. epistolarum Gregorii, epist. 68. ut qui ab

(Margin notes, right column: S. Simeonis Stilitæ corpus erat Antiochiæ murus. — Papæ offerunt regiam coronam et sceptrum reges. — Hungaria oblata erat Papæ a S. Stephano.)

alio, quam a Seda Apostolica regnum Hungariæ accipere voluit, illud penitus perderet: sicqua cognosceret vanam salutem hominum, nisi ipse Deus adiumento mortalibus esset. Qua ratione autem e regno sit expulsus Salomon, narrat Ioannes de Thwrocz in chronico Hungar. lib. 1. Nam cap. 53. ait, Geisam ab Hungaris compulsum regiam coronam sumpsisse, divinoque id prodigio firmatum esse. Dum enim cum fratre Ladislao de loco erigendæ Ecclesiæ in honorem Virginis cogitaret, apparuit ei cervus, habens cornua plena ardentibus candelis, cœpitque fugere coram eis versus sylvam; et in loco, ubi nunc est monasterium, fixit pedes suos. Quem cum milites sagittarent, proiecit se in Danubium, et cum ultra non viderunt. Quo viso beatus Ladislaus ait: *Vere non est cervus, sed angelus Dei erat.* Et apertius cap. 55. declaratur, quomodo Ladislaus, divino præsidio tectus fuerit. Cum enim singulari certamine contra eum Salomon vellet congredi, *Vidit duos angelos super capite ipsius Ladislai igneo gladio volantes, et inimicis eius minantes.* Quo viso fugit in castrum, cui cum milites dixissent: Domine quid est hoc, quod vidimus? numquam te a duobus vel tribus fugere vidimus? quid ergo nunc? Quibus respondit: Noveritis, quod homines non fugissem; sed ista non est homo, quia protegunt eum gladio igneo Angeli. Sic tremuit Attila visis Ss. Petro et Paulo, qui S. Leonem Pontificem protegebant: et dux Curinensis exterritus est visis angelis, a quibus S. Wenceslaus dux Bohemiæ et martyr, cum eo congrediens tegebantur. Unde ex equo desiliens ad eius pedes accidit, et veniam petiit.

Angelus in figura cervi.

Angeli certantem Ladislaum regem tutantur.

Spem in auxilio divino ponendam, et animam in adversis erigendam docet supradictus Gregorius, Iudithām uxorem Salomonis regno eiectam consolans. Sic autem loquitur lib. 2. epist. 44. *Ea quæ nunc tibi instat adversitas, non te terreat, nec mentem tuæ generositatis deprimat: sed si quid mœstum aut grave ingruerit, vultu regalis constantiæ gestuque dissimula, et molestas, quas Deus avertat, causas naturali morum tuorum virtute patienter tolera, fiduciam et spem firmam habens in Deo Salvatore nostro, quoniam ipsi est cura de te; qui nunquam derelinquit sperantes in se: et quanto nunc animum tuum sollicitudinibus verberari sinit acerbius: tanto eum ex vicina et potenti virtute consolationis suæ lætificabit uberus. Ipse enim nihil sine causa præcipit, nihil sine ratione permittit, qui Regum et Imperatorum, omniumque causarum æquus arbiter et moderator existit.*

ARTICULUS II.

In hominibus, et in eorum honoribus non est sperandum.

37. Vers. 10. 1. Pars. SECUNDA ratio hic ponitur, cur in uno Deo sit sperandum? nempe, quia homines vani sunt, mendaces et deceptores, v. 10. VERUMTAMEN (Hebr. אך *ach*, id est, vere, certe) VANI FILII HOMINUM, MENDACES FILII HOMINUM IN STATERIS, UT DECIPIANT IPSI DE VANITATE IN IDIPSUM, sunt, cogitant, loquuntur, certant in idipsum; id est, simul, omnes, in unum. Ubi adverte, τo *ipsi de vanitate in idipsum*, non iungi cum præcedentibus, sed sensum esse, q. d. Sunt omnes vanissimi, et de vanitate inter se contendunt, atque in ea una occupantur. Vani porro sunt homines in intellectu, quia de vanis cogitant, et non de solidis bonis. Psal. 93. 11. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Sapient. 13. 1. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei,* tam speculativa, quam practica. Secundo, vani sunt in voluntate, quia vana et inania amant. Ps. 4. 3. *Filii hominum usquequo gravi corde: ut quid diligitis vanitatem?* Vide illum locum. Tertio, vani sunt in locutione. Ps. 11. 3. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* Ipsi sunt de vanitate in idipsum. Quarto, vani sunt in operatione. Ierem. 2. 5. dicit Deus: *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt?* Quinto, vani sunt omnes homines in sua natura et substantia. Petavius hic vertit, *Filii hominum vani et nihili.* Sexto denique, in omnibus vani sunt. Ps. 38. 6. *Universa vanitas omnis homo vivens.* Ea de re ibi fusius. S. Hieron. nostro in Psalmo etiam reddit, *vanitas filii Adam*, id est terreni; hoc enim Adam, quod est in Hebræo, significat.

Vani sunt homines in omnibus.

38. Nota, Hebr. חבל *chebel*, quod vanitatem, inanitatem, rem quæ cito desinit, redditur hic a Theodotione ατμις, id est, vapor, fumus, halitus, aura tenuis, flatus. Vita nostra vapor est, et omnis eius splendor. Primo, sicut vapor ex aquis calore solis elevatur, ita homo a terrenis principibus et divitibus ex vili conditione sursum attollitur, sed ut cito recidat. In hoc versu nostro, ubi habemus *mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant,* Hebr. nunc est, *ut ascendant*, sicut mox declarabo. Secundo, vapor ascendens minimo vento huc illuc disiicitur; ita vita hominum, cogitationes, et honores. S. Gregorius Nazianzenus in orat. de pauperum amore: *Natura*, inquit, *nihil est in rebus humanis firmum, et æquabile, ac durabile, atque eodem statu constanter manens. Sed res nostræ velut orbe quodam volvuntur: alias sæpe etiam uno eodemque die, atque etiam interdum hora, mutationem advehente.* S. Gregorius Papa in Prologo Ps. 6. pœnitent. *Laboriosa*, inquit, *est vita temporalis, levior fabulis, velocior cursore, instabilitate fluctuans, imbecillitate nutans: cui nulla est fortitudo, nulla propositi constantia, nulla a turbationibus requies, nulla a laboribus reclinatio.* Philo lib. Quod Deus sit immutabilis: *Nihil*, inquit, *est in rebus humanis ac negotiis, nisi* σκια τις η αυρα, *umbra quædam et aura levissima, sine mora prætervolans.* Tertio, vapor postquam ascendit quantum potuit, condensatur, obscurus fit, at in terram et formidnlosam nubem cogitur; ex qua sæpe emicant fulmina, et in qua dira mugiunt tonitrua. Ita vita nostra, et honores ac divitiæ, postquam aliquantulum sua elevatione placuerunt, et aliena luce effulserunt, dolores afferunt ac tumultus tum internos tum externos. S. Greg. Papa loco mox citato: *Quis est*, ait, *quem non excruciet dolor, sollicitudo non urgeat, non subruat timor? Risus fletum sequitur, gaudium tristitia comitatur, esuriei succedit saturitas, saturitatem iterum excludit esuries: in nocte dies optatur, in die nox quæritur: in algore calor, in æstu refrigerium: ante cibum suspiria, post cibum tribulatio, iræ, indignationes exagitant, et innumerabiles miseros homines motus perturbant.* Philo res humanas atque negotia comparat æstuariis huc illuc agitatis. Pergit enim loco allato: *Erunt ultroque, citroque tamquam æstuaria. Nam et marini æstus nunc cum magno impetu, et sonitu accedunt, ac longe lateque per littora diffunduntur, undis stagnantibus. Nunc refluunt retro, magnamque maris partem in formam continentis redigunt. Simile quiddam accidit, quando fortuna, postquam populosam gentem inundavit magnis felicitatibus, fluxu averso, ne guttam quidem sinit reliquam, deletis etiam vestigiis opulentiæ pristinæ.* Quarto denique, vapor infrigidatus tandem in terram decidit, et cum terra lutum facit. Ita multi tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant; et fiant magis infames, viles at abominandi. Marius, qui ex fabro factus erat Imperator, paucis post diebus gladio, quem fecerat, occisus est a servo; qui dum faber esset, cum eo enses cuderat. Ioannes Cantacuzenus lib. 1. histor. cap. 41. ait, Imperatorem inungendum elevari solitum fuisse super scutum, ut honoraretur a populo: hoc et in regibus Francorum, et variorum populorum fiebat. Sed aliqui in ipso ascenso occisi sunt, deiecti, per humum tracti, et indignis modis ludibrio habiti. Ut vere possis dicere cum Salomone Eccl. 1. vers. 1. *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas:* atque ut vertit Aquila, Symm. et Theodotio: *Vapor vaporum, et omnia vapor.* Petrus Blesensis serm. 36. in Dedicat. Eccl. *Cinis*, inquit, *est memoria circuitus humani. Vita enim nostra quasi linea est circumducta, rediens ad idem punctum. A pulvere enim incipiens, et per defectus naturales quasi circulariter progrediens, ad pulverem revertitur.* Alia similitudine utitur Arabs; vertit enim: Omnes filii

Vita hominis est vapor, ob quatuor analogias. 1. 2. 3. 4.

hominum tamquam umbra sunt prætereuntes. Sed de hoc dixi alias. Græce habetur, ματαιοι οι υιοι των ανθρωπων, id est, vani, inepti, leves, stulti sunt filii hominum, id est, homines. Et ubi habemus, *ipsi de vanitate in idipsum*, Septuag. reddunt, αυτοι ματαιουνται ομου, quod reddi potest, ipsi ineptiunt et stultescunt simul. Et vero, nonne magna et frequentissima est hominum stultitia in tot rixis, litibus, contentionibus, tumultibus, rapinis, bellis, curis, periculis, occupationibus inutilibus, damnosis, peccaminosis. A ματαιος, Itali suum *matto*, deducunt. Ierem. 10. 14. *Stultus factus est omnis homo a scientia*, qua sibi idolum conflat, *confusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est quod conflavit, et non est spiritus in eis. Vani sunt, et opus risu dignum. In tempore visitationis suæ peribunt*. Cum visitabit, id est, puniet Deus Babylonem, id est, mundum, et mundanos.

39. Non tantum vani sunt homines, sed etiam mendaces. Hinc additur: MENDACES FILII HOMINUM IN STATERIS, UT DECIPIANT, IPSI SUNT DE VANITATE IN IDIPSUM. Pro *mendaces*, Hebr. est כזב *cazab*, id est, mendacium, ut vertit S. Hieron. at Felix. Homines sunt ipsum mendacium, hoc est mendacissimi. Hebræi sæpe utuntur abstractis pro concretis. Primo, homines habent mendacium mentis, id est difformitatem cogitationis suæ cum obiecto: quia ea magni faciunt, quæ parva sunt: et cælestia ac divina parvi æstimant, quæ tamen maxima sunt. Secundo, homines habent mendacium oris, id est difformitatem locutionis, cum sua ipsorum cogitatione et mente. Tertio denique, habent mendacium operis: quia aliter vivunt quam loquuntur et credunt; atque alii exterius apparere volunt, quam sint interius. Mundum proprio nomine appellavit Muavias, filius Lezidi, nonus Muslimorum Imp. cum deceptionem vocavit. Nam sigillo suo inscribi curavit, *Mundus est deceptio*, ut refert Georgius Elmacinus lib. 1. hist. Saracen. cap. 9. Huius vitæ imposturam eleganti emblemate delineat Cebes Philosophus in tabella, quam his verbis declarat: *Cernitis hoc septum. Hoc primum vobis tenendum est, vitam locum hunc appellari: et magnam multitudinem, quæ portæ assistit, eos esse, qui in vitam venturi sunt. Senex vero is, qui superne stat, chartam quamdam una manu tenens, altera vero quiddam veluti monstrans, Genius dicitur. Mandat autem ingredientibus, quid eis, ubi in vitam venerit, faciendum sit; et cui viæ se committere debeant, si salvi esse in vita velint, ostendit. Vides iuxta portam solium positum, qua turba ingreditur, cui mulier insidet ficto vultu, argutaque specie*, χειρι εχουσα ποτηριον, *poculum quoddam manu tenens, impostura vocatur, quæ omnes homines seducit. Ecquid agit ea? iis qui in vitam ingrediuntur, facultatem suam propinat. Quæ vero est illa potio?* πλανη και αγνοια, *error, inquit, et ignorantia. Quid tum? hac pota veniunt in vitam. Num ergo omnes errorem bibunt? Omnes bibunt: sed alii plus, alii minus. Nonne præterea intra portam vides turbam quamdam mulierum meretricum variis præditarum formis? istæ opiniones, cupiditates, voluptates appellantur: turbaque ingrediente exilientes, amplectuntur singulos atque abducunt. Aliæ ad salutem, aliæ ad interitum ob imposturam. Et quidem omnes pollicentur se illos ad optima quæque perducturos, et ad vitam beatam, in qua acquiescant. Illi vero, propter ignorantiam et errorem, quem apud imposturam hauserint, veram degendæ vitæ viam non inveniunt: sed temere oberrant, ut vides*: ita Cebes. Quis inter tot mortales mero et puro veritatis et virtutis calice potatur? Peruani cum, qui iudicibus mentiatur, morte afficiunt; quod Iudex regis gerat personam, ut ait de la Vega lib. 2. histor. cap. 3. fol. 142. Matthias Hungariæ rex Nicolaum Madrusiensem, falsa in principes mentientem, unde odia oriri possent, in eorum conventu arguit, regnoque eiecit, ut ait Galeotus Martius de dictis et factis Matthiæ, cap. 13. fol. 372. At vero, nobis orbe exeundum est, si mendaces omnes fugere volumus: dicit enim David Ps. 115. 11. *Omnis homo mendax*. Hoc quatenus verum sit, ibi expendetur.

Vers. 10. 2. Pars. Mendaces sunt homines in omnibus.

Muaviæ vera de mundo sententia.

Mundi impostura a Cebete ingeniose depicta.

Nota, pro *ut decipiant*, Hebr. nunc est לעלות *laaloth*, 40.
id est, ad ascendendum: quod Campens. iungens cum sequentibus, sic exponit in sua paraphrasi: *Videte, ne spem vestram in ullo homine ponatis: sunt enim ipsissima vanitate vaniores, tam plebes quam principes: quod palam fieret, si appenderentur in bilance cum ipsa vanitate: plus enim ponderis inesse deprehenderetur vanitati ipsi, quam omnibus illis in altum tamquam re levissima sublatis*. Chald. etiam reddit: *Si acceperint homines stateram ponderantes fata sua, illi quidem ipsamet vanitate erunt leviores*. Est hæc vehemens amplificatio. Noster vertit, ipsi de vanitate in idipsum: sed de vanitate sumi posset pro, præ vanitate, vel per, aut propter vanitatem. Sensus tamen primo allatus initio, et in mea paraphrasi, est magis commodus et præcisus. Si vis ascendere, ascende ad Deum, et supra altitudines terræ extolle te, et illas pedibus calca ac deiice. Maximilianus II. Imperator in nummo sculpsit aquilam, quæ nubes penetrans, sub nubibus coronam inversam, arma et mundum relinqueret, cum hac epigraphe: *Nil humana moror, dum super astra feror*. Sept. pro *laaloth*, id est, ad ascendendum, legerant לעלות *laoloth*, id est, ad iniquitates, seu ad deceptiones, fraudes, iniquas iactationes. Rad. *aval*, iactare, decipere, fraudare, inique agere. Hinc verterunt, του αδικησαι, ut iniuria afficiant, ut contra ius fasque agant. Noster, ut decipiant. Deceptio in societate humana est summa iniustitia; omnem enim securitatem tollit, atque confidentiam, et consequenter in agendis rebus suavitatem et lætitiam. S. Hier. vertit, *in stateris dolosis*. Alludit ad mercatores, qui habent iniusta pondera, bilances et mensuras. His inclama cum Salomona Prov. 20. 10. *Pondus et pondus*, (id est diversa pondera: unum scilicet ad emendum, et alterum ad vendendum) *mensura et mensura: utrumque abominabile est apud Deum*. Et quod præcipit Deus Deuter. 25. 15. *Pondus habebis iustum, et verum: et modius æqualis, et verus tibi erit*.

Varietas versionum.

Homines sunt ipsa vanitate vaniores.

Tropolog. Mendaces in stateris sunt Primo, ut ait Ruf- 41.
finus at Græci, qui de rebus inique iudicant, corruptoque iudicio eligunt instabilia et mala, prave pensantes ad rationis libram. Secundo, S. Hilar. et S. Aug. mendaces in stateris dicunt eos, qui sectantur errores et hæreses. Tertio, Cassiodor. qui videri volunt, quod non sunt. Quarto,
S. Hieron. iudicat, iudices, advocatos, procuratores, no- 1.
tarios, qui sub iustitiæ ponderatione, atque eloquentiæ va- 2.
nitate decipiunt innocentes. Quinto, S. Bern. epist. 18. 3.
et 78. mendaces in stateris dicit eos, qui tacent, quod est; 4.
prædicant, quod non est: non laudanda laudant, vituperant 5.
laudanda, ficti laudatores, veri detractores. Sexto, Haimo 6.
mendaces in stateris, id est, in libra iustitiæ, ait esse eos, qui se tales ostendunt, quasi omnia ponderent æque: id est, in omnibus æquitatem custodiant: sed alii sunt interius, quam se simulent exterius, veluti barbati, id est, personati et larvati. Septimo, mendaces in stateris sunt, qui 7.
se præferunt aliis, ut Pharisæus ille Luc. 18. 11. ita Beda. Octavo, S. Ambr. qui videntur sibi ponderare æqui- 8.
tatem, et gravitate severioris iudicii examinare iustitiam; duri aliis, remissi operibus iniquis, sermone censores. Unde Salomon ait Proverb. 20. Execrabile domino duplex pondus, et statera fallax non bona. In quo significat eos, qui rapinam inexplebili corde meditantur, sobrietatem fronte prætendunt. Tales Scribæ Iudæorum sunt, qui onera gravia aliis observantiæ durioris imponunt, non habentes rectum iugum animæ suæ, sed propensa iniquitate curvati: ipsi autem suorum refugi præceptorum sunt: ita Ipse. Nono, mendaces in stateris sunt, ait S. Bern. serm. 9.
13. in Cant. qui gloriantur non in Deo, sed in se, non probantes et examinantes opus suum ad mensuram divinam. Decimo, qui misericordem volunt Deum, non etiam iu- 10.
stum. Undecimo, qui ponderi peccati sui, æternæ pœnæ 11.
aut beatitudinis, beneficiorum divinorum, divinæ maiestatis, non exæquant, quoad possunt, magnitudinem pœnitentiæ atque meritorum. Duodecimo denique, qui non 12.
æstimant eum, qui fecit omnia in pondere, numero, et mensura, Sap. 11. 21. neque Christi crucem, in qua tam-

Tropol. Multi mendaces sunt in stateris.

quam in statera appensus pro nobis est: ita Lorin. Eccli. 21. 28. dicitur: *Verba prudentium statera ponderabuntur.* Græce, in statera librabuntur. Tu non tantum verba, sed cogitationes et opera examina, expende ac pondera: ne tibi dicatur, quod Balthasari regi Babylonis, Dan. 4. 27. *Appensus es in statera, et inventus es minus*, virtutis et bonorum operum, *habens*. Arab. Alex. Inventus es minus habere de bono. Opera bona et mala S. Henrici Imp. mortui appensa esse ab angelis et dæmonibus, refert auctor vitæ eius cap. 23. De Petro Telonario adhuc in vivis existente idem narratur a Leontio Episcopo Neapoleos in vita S. Ioannis Eleemosyn. habetur apud Sur. tom. 1. mense Ianuario, die 23.

ARTICULUS III.

Non est sperandum in divitiis, præsertim per iniustitiam partis.

42. Vers. 11. 1. Pars. A GENERE delabitur David ad speciem, nempe a generali hominum vanitate ad specialem vanitatem divitiarum, v. 11. NOLITE SPERARE IN INIQUITATE (in iniquitatem, ut legit Arnobius; *super iniquitatem*, ut S. Aug. velut super rapacem milvum et vulturem, ut velut in pullos feratur in pauperes et afflictos impius et prædo) ET RAPINAS NOLITE CONCUPISCERE: DIVITIÆ SI AFFLUANT, NOLITE COR APPONERE.

Nota, pro *iniquitate*, Hebr. est בעשק *beoscek*, id est, Primo in calumnia: ita S. Hier. Pagn. Felix. Secundo, in iniuria; ita R. Kimhi, qui intelligit iniuriam, qua quis alium afficit, fraudando cum mercede, credito, mutuo, deposito, aliave re; quam, cum sit illius, ipse possidet, aut detinet iniuste. Tertio, in extorsione: ita Arias. Proprie est acceptio occulta per fraudem. R. Salom. vult esse detentionem mercedis mercenarii. S. Hier. sæpe vertit calumniam: ubi adverte, vexationem in litibus per fraudem vel frustrationem Latine vocari calumniam.

Bona male parta, instar vaporis evanescunt. Nota secundo, S. Hieron. et alii multi aliter interpungunt, quam Noster, in hoc versu. S. Hier. vertit: *Nolite confidere in calumnia et in rapina, ne frustremini.* Et Pagn. qui reddit, *ne evanescatis*. Felix, *nolite fieri vanitas*. Campensis, Nolite spem locare in iniuria et rapina, nolite vanitati vos dedere. Aquila, εν βια μη ματαιουσθε, id est, in violentia ne evanescatis, ne stultescatis, ne vani et inanes sitis. Symm. επι αρπαγματι μη γινεσθε ατμις: *Super rapinam ne flatis vapor*, flatus, halitus, fumus, aura tenuis, q. d. Rapina in speciem vos extollet, sed ut bona vestra in vaporem evanescentem resolvat, atque in fumum fœtentem, atque in flatum, halitum, et auram levem.

43. Divitiæ cur vocentur iniquitas. Ex his collige: Primo, divitias sæpe esse iniquitatem, et hic sumi posse commode iniquitatem pro divitiis iniuste partis. Unde Magnet. vertit, iniustis ne fide opibus. Secundo, divitias esse plenas calumniis, fraudibus, et occultis acceptationibus. Tertio, divitias plerumque rapinis et aperta vi comparari, sed non diu durare: eas enim cito evanescere: nam male parta, male dilabuntur, quod Gallice dicitur, *Ce que vient par la flûte, s'en va par le tambourin.* Divites sæpe sunt leonibus fortiores et diriores, ac lupis funestiores. S. Chrys. hom. in terræmotum: *Ubi divitiæ*, inquit, *ibi et feritas: leonem faciunt, non hominem;* 2. Clem. Alex. lib. 4. Strom. avarum vocat lupum; λυκος αγριος, ait, ο πλεονεκτικος, *efferatus lupus, est avarus;* 3. S. Cyprian. Latronibus diriorem illum facit. Sic enim tract. 1. contra Demetrianum: In latronibus, ait, est utcumque aliqua verecundia: antra, saltus, et desertas solitudines diligunt, et sic illic delinquitur: ac tamen delinquentium facinus tenebris et nocte velatur, avaritia palam sævit, et ipsa audacia sua tuta in fort luce obruptæ cupiditatis arma prostituit: inde falsarii, inde venefici, inde in media civitate sicarii, tam ad peccandum præcipites, quam impune peccantes: ita Cyprianus. Sed prædam vel ex ipsis leonum et luporum faucibus, atque latronum manibus eripit Deus, et eos ieiunos ac miseros de-

A serit. Ps. 33. 11. *Divites*, Hebr. leones, *eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Vide illum locum. Quodque deterius est, divitiæ mentem spoliant virtute et gratia Dei. Apollon. epist. ad Hestiæum, vult internecinum bellum indictum esse divitiis et virtuti; unumque ab altero, velut clavum clavo, trudi: *Virtus*, inquit, *et opes contraria invicem censentur: Nam altero deficiente, crescit alterum: advenientibus opibus virtus abit: abeunte virtute, intrant vitia.* S. Eucherius ipso in nomine vitiorum et divitiarum affinitatem et cognationem intellexit, epist. parænetica ad Valerianum: Quædam, inquit, societas est, pene etiam nominis, vitiis et divitiis. Petrus Blesensis vocat divitias, organum voluptatum. S. August. ait, esse procreatrices superbiæ. Sic enim serm. 5. de verbis Domini, cap. 9. Nihil est, inquit, quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam. Christus ipse vocat eas, iniquitatem, cum ait Luc. 16. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis;* id est, de pecunia iniqua, id est, iniquos faciente: 1. cum iniustis prædatio-

B nibus acquiritur; 2. dum nimia cura et anxietate conservatur; 3. dum in vana, inutilia et noxia, perversaque expenditur; 4. dum cum dolore et desperatione præter opinionem aufertur. Hinc S. Isidor. Pelusiota conatur a divitiarum amore Martinianum presbyterum avertere, lib. 3. epist. 322. *Ne divitias*, inquit, *expetas, vir optime, quæ superbiam et arrogantiam pariunt, voluptates subministrant;* πασης κακιας δημιουργον, *vitii omnis architectæ sunt, et homini amicitiam ad Deum eripiunt: sed expetas virtutem, quæ ab omnibus malis nos vindicat.*

Secundo, iniquitas etiam hic generatim sumi potest, 44. In vitiis non est fidendum.
cum dicitur: *Nolite sperare in iniquitate*, id est, in quolibet vitio. Nam, *non roborabitur homo ex impietate.* Mira quidem pollicetur impietas, sed nihil præstat. Cebes Philosophus id declaravit in sua tabula. Vides, ait, ubi portam Cebetis tabula.
istam præterieris, aliud septum altius, et mulieres extra septum stantes, ωσπερ εταιρας, meretricum instar ornatas? Harum alia incontinentia vocatur, alia luxuria, alia a-

C varitia, alia assentatio. Observant eos, qui a fortuna aliquid acceperunt. Quid tum? Exultant, et eos amplectuntur, et adulantur: utque apud se manere velint, postulant: ac vitam eis pollicentur suavem, otiosam, et omnis expertem molestiæ. Quod si quis eis obsecutus delicias amplexus fuerit: ei iucunda videtur ad tempus illa vitæ ratio, dum hominem quasi titillarit, cum revera talis non sit. Ubi enim resipuerit, se non comedisse: αλλ' υπ' αυτης κατεσθιετο και υβριζετο, sed ab iis comesum se, et contumeliose tractatum esse sentit. Itaque iam consumptis iis, quæ a fortuna acceperat omnibus, mulieribus istis servire cogitur, et omnia perpeti; indecoreque se gerere, et propter eas quævis perniciosa in se admittere: cuiusmodi sunt fraudare, fama spoliare, prodere, peierare, latrocinari, cæteraque his consimilia. Sed cum eos omnia defecerint, traduntur pœnæ: ita Cebes. Romani, Græci, et populi varii idolis servientes, poterant sperare in iniquitate, cum furiis, vitiis, diis scelestissimis ac dæmonibus thura incenderent, ac victimas mactarent. Veteres triginta deo- Olim triginta millia deorum adorata.

D rum millia colebant, et inter eos, pene omnes, aut omnino omnes, in vitiis fuerant enutriti; aut vitia erant, aut portenta. Mexicani in America adorabant *Tlazolteutl*, id est, Deum luxuriæ; *Ometochtli*, id est, Deum ebrietatis; et *Vitzilpuchtli*, hoc est, Deum belli et homicidii. Nos vero, Deum Sanctum, ac Sanctitatis amatorem, profitemur et Mexicani vitia ipsa adorabant.
colimus: cum Sancto sancti esse debemus; sicut illi perversi erant, cum perversis. 1. Thessal. 4. 3. *Voluntas Dei sanctificatio vestra.* S. Cyprian. tract. de oration. Dominica: *Voluntas Dei, quam Christus docuit et fecit, est humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non posse, factam tolerare posse, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere; amare in illo, quod pater est; timere, quod Deus est; Christo nihil præponere, quia nec nobis ille quidquam præposuit, charitati eius inseparabiliter adhærere, cruci*

eius fortiter ac fidenter assistere, quando de eius nomine et honore certamen est; exhibere in sermone constantiam, qua confitemur; in quæstione fiduciam, qua congredimur; in morte perseverantiam, qua coronamur. Hoc est cohæredem Christi esse, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere. Hasemus VI. Muslimorum rex, cum traderet Imperium Muaviæ filio Abusosefiani, post Dei laudationem, hoc monitum illi dedit, quod memoriæ mandaret: *Sapientissima sapientia est pietas, et stultitia stultissima est impietas.* Quid debent dicere et facere Christiani, si hoc dicunt et sentiunt Saraceni?

45. Non tantum divitiæ non sunt per rapinas corradendæ, sed etiam sponte affluentes, non sunt nimis amandæ. Unde additur: DIVITIÆ SI AFFLUANT (S. Ambr. et S. August. legunt, si fluant: id est, cum fluant) NOLITE COR APPONERE, id est, nolite in iis sperare; 2. nolite nimis eas amare, iis nimio affectu hærere, eas nimis curare.

Vers. 11 2. Pars.

Divitiæ torrens sunt cito siccandus.

Nota, divitiæ fluunt, instar torrentis aut fluvii nunquam consistentis, sed ab alio ad alium semper transeuntis. S. Basil. in Psalm. nostr. ῥευστὴ φύσις πλούτου: *Fluxa est divitiarum natura, suos possessores,* χειμάῤῥου ὀξύτερον, *torrente prærapido ocyus prætercurrit, alios alio modo apta mutare dominos. Quemadmodum fluvius ex alto ruens loco, ita subito exuberat, ut stantes in ripa quandoque contingat: simul vero ubi attigit, mox recedit: sic opum lubrica declivitas pernicissimam exhibet, et prolapsione levissimam sui præsentiam, aliud ex alio natum permutare. Hodie huius est ager, cras erit alterius, et paulo post ad alium perveniet. Respice parumper ad civitatis domos, quot nomina ex eo tempore, quo fuerunt ædificatæ, sortitæ sunt, aliter ab aliis atque aliis appellatæ possessoribus: et aurum e manibus habentis elabens, semper ad alium transfertur, et ab illo ad alium. Magis enim aquam manu circumplexam retinere continenter possis, quam divitias integre conservare tibi ipsi:* ita Basilius.

46. Primo itaque, divitiis non est cor apponendum, quia
I. fluxæ sunt, et quantumcumque illis hæseris, præterfluent, et te deserent. S. Ambrosius hoc loco: *Divitiæ si fluant, nolite cor apponere: Vides, quia fluunt: non vides, quia præterfluunt? Nudus es natus, nudus moriturus es. Quid excipere quæris quod tecum auferre non possis? Fluenta sunt, quæ miraris: quomodo veniunt, sic transeunt et recedunt. Solus Iordanis retrorsum conversus est, in quem conscendisti: qui te admonet, ut in ipsum naturæ fontem et originem revertaris, quæ te nudum, non veste amictum edidit, ut discas superflua non requirere:* Ita Ambr. Aqua baptismalis, est unda Iordanis, saliens in vitam æternam.

Non est divitiis cor apponendum, quia fluxæ sunt.

II. Secundo, divitiis non est cor apponendum, quia, quamdiu tecum hæserint, cor tuum fluat necesse est, cum fluxis adiunctum sit. S. August. hic: *Vel hoc time,* inquit, *divitiæ si fluant. Non vides, quia si ibi cor posueris, et tu flues? Dives es, et ecce iam non concupiscis adhuc habere, quia multa habes. Audi 1. Timoth. 6. Præcipe divitibus huius mundi, non superbe sapere.* Prius dixerat: Divitiæ si fluant, id est, si exundent, tamquam de fonte currant, ne apponatis cor. Noli de te præsumere, noli ibi te figere. Enthym. Quædam, ait, exemplaria habent, noli προστίθεσθαι καρδίαν, apponi corde: et quasi προσηλοῦσθαι, id est, clavis affigi.

Quia cum illis fluitaret.

III. Tertio, divitiis non est cor apponendum, quia, non fluit cum illis fluxu placido et constanti, sed procelloso atque vorticoso, subsultim illud deprimente et elevante. Quarto, quia sæpe cor tuum captivum divitiæ ad saxa et cautes allident, ibique illud vulnerabunt. Quinto, cor tuum spuma et alga involvent. Sexto, illud in salsum mare deportabunt. Septimo, illud submergent. 1. Timoth. 6. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* Octavo denique, cor submersum in curarum et vitiorum amara salsedine putrefaciunt.

Quia cum illis iactaretur.

Et in salso mari mergeretur.

47. Si ex aquis placet emergere, et aliis uti comparationibus: Primo, divitiis non est cor apponendum, quia ignis

Aliæ comparationes:

A sunt, illud exurent. S. Augustin. serm. 25. de tempore: I.
Contemnenda, inquit, *est avaritia, quæ velut ignis, quanto plus acceperit, tanto amplius quærit.* Avarus est similis avibus illis, quibus sub alis ignis apponitur, ut cum ad nidum venerint, illum succendant et totam domum in qua sunt. Rem notabilem de Fridlevi avibus refert Olaus lib. 5. cap. 19. Fridlevus, inquit, dum Duflinum Hiberniæ oppidum obsideret, murorumque firmitate, expugnationis facultatem negari conspiceret, hirundinum alis inclusum fungis ignem affigi præcepit: quibus propria nidificatione receptis, subito flammis tecta luxerunt: quas oppidanis restinguere concurrentibus, maioremque sopiendi ignis, quam cavendi hostis curam præstantibus, Duflino potitur: ita ibi. Si in cordis sinu ignem avaritiæ recipiamus, de nobis actum est. Pergit Olaus cap. 20. fol. 68. Hadingus Danorum rex Handuanum Hellesponti regem, apud Dunam urbem invictis murorum præsidiis vallatum, mœnibusque novatis resistentem, bello pertentat, quorum fastigio oppugnationis aditum prohibente,
B diversi generis aves loci illius domiciliis assuetas, per aucupii peritos prehendi iussit, earumque pennis accensos igne fungos suffigi curavit: quæ propria nidorum hospitia repetentes, urbem incendio compleverunt: cuius extinguendi gratia concurrentibus oppidanis, vacuas defensoribus portas reliquerunt. Adorsus itaque Handuanum cœpit, eique redemptionis nomine corpus suum auro rependendi potestatem fecit. Cumque hostem tollere liceret, spiritu donare maluit: adeo sævitiam clementia temperabat. Attamen quotiescumque postea obsidio aliqua imminebat, regio edicto omnes domesticæ aves necabantur: ita ille. Excute ignem avaritiæ et nimiæ cupiditatis; alioqui domum tuam, familiam, viciniam, et sæpe urbem totam ac provinciam flammis discordiæ et contentionis succendes. Animam vero tuam ita populabitur hic ignis, ut nihil in ea boni relinquat, in eamque omnia mala invehat. 1. Tim. 6. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas,* Græce φιλαργυρία, id est, amor et cupiditas argenti. Con-
C stantinus Manasses aurum vocabat arcem malorum omnium, castellum perniciei. Bion Philosophus nominabat avaritiam, μητρόπολιν κακίας, metropolim impietatis. S. Chrysolog. auri incommoda, aut potius cupiditatis: sic recenset serm. 29. *Auri furor ardentius humano fervet in pectore, quam caminus totus ignescit incendiis, et acrius homines dissolvit in terra, quam solvitur in calore flammarum. Crudelitatis dominus, sævus hostis, amando lædit, nudat vitando, ipsum captivat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, imperat latrocinium.* Omnia paucis complectitur S. Leo serm. 9. de Passione Domini: *Nullum,* ait, *est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum.*

Divitiæ sunt ignis vorax.

Aves ardentem incendentes miro artificio.

Secundo, divitiæ sunt vinculum grave, quod licet sit II.
aureum, non minus gravat, nec minus constringit. Æthiopes olim reos suos aureis catenis ligabant, quos tamen ad mortem postea damnabant. S. Chrysost. hom. 13. in 1. ad Corinthios: *Divitiæ,* inquit, *sunt vinculum grave*
D *his, qui uti nesciunt, sævus tyrannus et inhumanus, omnia imperans in perniciem illorum, qui iis serviunt.*

Vinculum.

Tertio, divitiæ iugum sunt degravans in terram. S. Chrysostom. homil. 11. in epist. 1. ad Timoth. fol. 473. ait: III.
δουλείαν καὶ ζυγὸν ἀπὸ χρημάτων φεῦγε: *Servile pecuniarum iugum fuge: quippe si illas tenere volueris, inops eris: sin autem eas aspernatus fueris,* διπλῆ γίνῃ πλούσιος, *duabus ex partibus dives evades. Tunc tibi omnia undique affluent, ex eo maxime, quod nihilo eorum indigeas, quibus plurimi egent. Neque enim possidere plurima, sed plurimis non indigere divitem facit.* Eo autem gravior est illa servitus, iugumque molestius, quo divitiæ sunt auctiores. Seneca in consolatione ad Polybium, cap. 26. *Magna servitus,* inquit, *magna fortuna.*

Iugum.

Quarto, divitiæ sunt stimulus, qui cordi proximus diu IV.
noctuque illud fodit et cruentat, eique nullam quietis partem relinquit. S. Valerianus hom. 17. de bono martyrii:

Stimulus.

Cupiditas, inquit, *corda hominum divitiarum stimulis inquietat*, ut boum terram perpetuo arantium. Ugo Cardin. in Isaiam: Quanto magis, inquit, divitiæ cordi inseruntur per amorem, tanto magis pungunt per dolorem.

V. *Serpens.* Quinto denique, divitiæ per vim raptæ similes sunt latronibus ferro sævientibus, divitiæ vero a maioribus acceptæ, aut dono datæ, similes sunt servis, lenta venena cibo infundentibus. Colubro bicipiti eas comparat Petrus Damiani epistol. 23. *Amatur*, inquit, *acquisita pecunia, amatur nihilominus acquirenda. Avaritia quippe quasi biceps est coluber, utroque consuevit ore mordere, utroque pestiferum virus influere: dum aut aliena res quæritur, aut habita delectabiliter possidetur.* Venenum illud ita malignum est, ut delectatione ipsa insanos faciat. Quis non insanum dicat Caligulam, in auro se volutantem? De eo sic loquitur Svetonius in Caligula: Contrectandæ, inquit, pecuniæ cupidine incensus, sæpe super immensos aureorum acervos, patentissimo diffusos loco, et nudis pedibus spatiatus, et toto corpore aliquando volutatus est. Arabs vertit in Psalm. nostr. *Ne gaudeant corda vestra in eo quod thesaurizatis.* Ne scilicet ibi cor adhæreseat, sicut avari illius, cuius cor in arca post mortem repertum est. Multi similes sunt muribus, qui a viginti duobus, tribusve annis insolita et formidabili copia in Campania nostra segetes omnes erodebant, et grana in cavernulis condebant, in quibus ipsi post unum aut alterum mensem magnis imbribus submersi sunt, et cum frumentis suis furto sublatis, putruerunt. Syrus vertit, *Opibus, cum abundaverint, ne gaudeat cor vestrum.* Torrens sunt, fractis aggeribus vicinos campos inundans, et steriles reddens, sed ipse cito perit: si se suæ conditionis limitibus homines continerent, diutius in felicitate perstarent. Nicephorus Gregoras lib. 2. histor. fol. 7. laudat Scythas, quod a se divitias omnes excluderent, et in tranquilla pace viverent:

Scythæ erant pacati, quia argentum spernebant. *Apud Scythas*, inquit, *argentum, aurum, margaritæ, ceteræque gemmæ, non pluris fiunt, quam pulvis.* Nulli ibi solemnes ludi, nulla ambitiosa spectacula, nullæ disceptationes de navalibus, trierarchis, et legibus agrariis: sed quod ad hæc quidem attinet, pacata omnia, et vita seditionum expers. Ut enim febres, quæ humana corpora infestant, e materia oriuntur; ac tamdiu vigent, quamdiu illa præsto est. Cum vero et inedia diuturna, et potionibus Medicorum pravi humores consumpti fuerint, statim et febris desinit, et vires paulatim corporis redeunt: sic etiam apud illam gentem, cum eæ res non sint, e quibus lites et contentiones oriuntur, mutuæque insidiæ et cædes suscipiuntur, neque iudiciis, neque curiis, neque legum recitationibus est opus: ita Nicephorus.

48. *Corollaria.* Ex his collige Primo, cum divitiæ fluant, non esse illis cor apponendum, ut eas quærat magno labore et contentione sequendo fugientes. Secundo, cum divitiæ tenentur, non esse nimis gaudendum in illis: fluunt enim, et cito nec opinantem deserunt. Potius imaginariæ sunt opes, quam veræ. Evagrius lib. 5. cap. 13. fol. 793. ait, Iustinus Imp. quod collectis in atrio sub dio, Ioanne, summo sacerdote cum suis, et iis, qui in dignitate magistratus erant, quique in aula militabant, Tiberium imperatoria tunica et penula induit, atque manifeste vociferans, ista

Iustini sanius monitum. dixit: μη πλανατω σε αμπεχονης η φαντασια: *Ne te decipiat vestimenti huius imaginarius splendor*, et eorum quæ nunc oculos perstringunt, scenica hæc pompa et ostentatio; in quam inductus non adverti me ad extrema supplicia esse damnatum: errata mea corrige, cum felicitate regnum administrans. Tertio denique, cum divitiæ fluant, nec mirandum est, nec dolendum, cum te deserunt. Seneca de providentia, cap. 5. *Accepimus*, ait, *perituræ perituri. Quid ita indignamur? quid querimur? ad hoc parati simus. Utatur ut vult suis natura corporibus: nos læti ad omnia et fortes cogitemus, nihil perire de nostro.*

Reges multi in Anglia fuerunt religiosi. Reges ipsi terrenarum rerum vanitatem experti, coronam sceptrumque abiecerunt, ut religiosam paupertatem profiterentur. Edilredus et Coenredus Merciorum reges, hoc fecerunt: Ina rex Occidentalium Saxonum in Anglia, Sigebertus rex Orientalium Anglorum, Sebbas rex Orientalium Saxonum, item in Anglia Ceolnulphus et Egbertus Nordanhumbrorum reges. Alios retuli alio loco. Naames Scenetarum Phylarchus, ethnicus scelestissimus et flagitiosissimus, ita ut et homines sua ipsius manu dæmoniis suis mactaret, ad sacrum baptisma accessit, et *Venerem ex integro auream*, igne liquefactam pauperibus distribuit, ac simul suos omnes ad Deum adduxit, ait Evagrius lib. 6. cap. 23. Aurum pauperibus largire, et Venerem, id est voluptates noxias tollet: da mammona, et iniquitas non erit; tuosque sensus omnes, et facultates ad Deum adduces.

ARTICULUS IV.

Deus cum potestate et misericordia reddit unicuique quod suum est.

Reiectus vanis hominibus, et inanibus divitiis, redit David ad Deum, ut in eo uno speret, quem potentem, *Vers. 12. et 13.* misericordem et iustum esse noverit: ait ergo vers. 12. SEMEL LOCUTUS EST DEUS, DUO HÆC AUDIVI: QUIA POTESTAS DEI EST. Et v. 13. ET TIBI DOMINE MISERICORDIA: QUIA TU REDDES UNICUIQUE IUXTA OPERA SUA.

Quæres, quomodo fieri potest, ut locutus semel Deus, 49. *Semel loquitur Deus, duo audiuntur, et quomodo?*
duo dicere audiatur? Resp. primo, *semel* sumi pro firmiter, immobiliter, incommutabiliter, irrevocabiliter, constanter: ita Euthym. S. Hieron. Theodoret. S. August. de spiritu et littera, cap. 33. et lib. 5. de civit. cap. 9. ac Lorinus: firmiter, et absque aliqua duplicitate sermonis: ita Nicephorus. I.

Nota, pro *semel*, Hebr. est אחת *achath*, id est, *semel*: ita Pagn. Felix, Arias, et alii; 2. *achath*, id est, *unum*: ita S. Hier. Campens. et alii. Illud unum porro accipi potest, primo, una lex: secundo, unum Verbum divinum; tertio, quod Deus reddit unicuique suum; quarto, unus sermo.

Secundo itaque, *semel locutus est Deus, duo hæc audivi.* Sic Chald. vertit apud Nebiensem: *Legem unam locutus est Deus, et bis illam audivimus de ore Mosis scribæ magni.* R. Moses dicit, quod cum in deserto lex data est populo Israel, sonus tantum unus a populo sit auditus, effecisse autem Moseu, ut ex eo sono duo prima mandata legis audirentur distincte. Sed hoc est Rabbinicum commentum; cur enim præcepta alia non essent audita? Certum est, quod angelus voce tubali omnia prorsus mandata pronuntiavit in monte Sina, et illa populus distincte et clare audivit, ut eorum transgressionem excusare non posset. Rabbini aliam dant expositionem Psalmi nostri, et dicunt: Deum unum loqui, et duo audiri: quia una Scriptura divina duos continet sensus, et sub cortice litteræ aliud mysticum latet. Alii de una Scriptura explicant, continente duplex testamentum. S. Zeno Veron. Episcop. qui floruit circa annum 260. serm. de somnio Iacob, varias affert similitudines, quibus figuratam vult Scripturam, et duo eius testamenta. Primo, in scala Iacob. Secundo, in gladio bicipiti viso a S. Ioanne. Tertio, in forcipe purgante labia Isaiæ. Quarto, in calamo scribæ velociter scribentis. Quinto, in duobus denariis repertis in ore piscis. Sexto, in virga et baculo consolantibus Prophetam. Septimo, in duobus denariis datis a bono Samaritano. Et post illa fuse exposita, subdit: *Testamenta duo, sed testator est unus. Et scribens canna divisa est, sed unus calamus. Et forfex in duos producitur cultros, sed eorum unus est morsus. Et gladius duas acies gerit, sed sunt unius corporis latera. Et denarii sunt duo, sed una moneta signati. Et scala duos scapos habet, et gradus plurimos, sed eius ascensus est unus. Gradus eius, si vultis scire, quid vocentur, audite. Conversio, audientia, intellectus, credulitas, timor, sapientia, sobrietas, mansuetudo, temperantia, castitas, pietas, charitas, fides, veritas, humilitas, gratia, honestas, verecundia, patientia, perseverantia, consummatio. Scaporum nomina duo testamenta.* Lege S. Ambros. in Psalmo nostro.

III. Tertio, *semel*, id est, unum Verbum suum increatum *locutus est Deus*, *duo*, imo omnia per ipsum, *audivi*. Est enim consubstantiale Verbum, per quod Deus Pater intelligit, loquitur, et producit omnia: ita S. Ambr. 1. S. August. et alii. Verba Augustini sunt: *Deus inter homines hominibus sæpe multis modis, multis partibus per multiformem creaturam locutus est. Apud se semel locutus est; quia unum Verbum genuit Deus: Verbum, per quod facta sunt omnia, et in quo simul sunt omnia, non diversa, non separata, non inæqualia.* Duo vero audita fuisse dicit, nempe potestatem Dei et misericordiam, quæ elucent in omnibus creaturis et hominibus.

IV. Quarto, *semel*, sive unum, *locutus est Deus*, *duo hæc audivi*. Unum illud est, quod reddet unicuique secundum opera sua; illud unum deinde distinguitur in alia duo, nempe in potestatem ad mala puniendum, et in misericordiam, ad præmiandum bona: ita Lorinus.

V. Quinto denique, et simplicissime atque optime, *semel*,
Et optime.
sive unum sermonem mecum locutus est Deus, *duo hæc audivi*, nempe Primo, Deum esse potentem et misericordem. Secundo, reddere unicuique secundum opera sua. Fieri enim potest, ut in una collocutione, non tantum duo, sed multa alia audiantur. S. Basilius: Homo, ait, si quis forte cum alio quopiam semel congrediatur, de multis dissereet, poteritque qui eius audiverit verba, dicere: Semel quidem me allocutus est, et plura dixit. Simile hoc est, quod Propheta dicit: Semel mihi Deus apparuit; duæ autem res sunt, quas mihi dixit: ita Basilius.

50. Moral. Potestas, misericordia et iustitia in Deo sunt
Potestas Dei reverenda est.
admirabiles. Primo, Dei potestatem ipsi Barbari agnoverunt. Peruani solem pro Deo adorabant, eius satellites dicebant esse tonitrua, fulgura et fulmina, ut eum potentem esse declararent, ut ait de la Vega lib. 2. hist. Peruanæ, cap. 1. Deus noster etiam in ranis, muscis et cinere Pharaones domat. Muavias filius Abusosofiani septi-
Hagiagius primus nummos Arabicis litteris inscripsit.
mus Muslimorum Imp. sigillo suo inscripsit: *Omni operi sua est remuneratio;* aut, ut alii volunt: *Non est robur, nisi in Deo.* Et Hagiagius, qui primus signari curavit aureos nummos, et stateres Arabico (habuerant enim antea inscriptionem lingua Romana, et stateres lingua Persica) officinam sibi monetariam constituit, et stateribus impressit, *Deus est Dominus*: q. d. Ille unus in omnes supremam atque plenariam habet potestatem. Ptolemæo Ægypti regi ex Septuag. Interpret. unus sapientissime respondit. Cum enim ab eo interrogaretur: Quid sibi ad vitam degendam foret optimum? ait: *Hoc cognitum habere et statuere, Deum universorum dominari: nosque etiam in illis, quæ nobis maxime gloriosæ sunt actiones, non dirigere consilia nostra: sed Deum omnia perficere, et gubernare pro sua potentia.* Porchetus part. 1. suæ victoriæ cap. 1. refert quamdam veterem Hebræorum Cabalam, hoc est, traditionem. Si quis posset pronuntiare nomen tetragrammaton, nihil illi fore impossibile. Mosem autem illa pronuntiatione cognita hostes omnes prostravisse, et Salomonem nihil rerum omnium humanarum ignorasse. Videamus igitur, ut Dei Domini nostri potestatem agnoscentes, ei nos subiiciamus. S. Chrysolog. serm. 120. *Ne simus*, inquit, *ut Persarum reges, qui subiecta pedibus suis sphæra, polorum calcare vertices mentiuntur.* Alludit ad Chosroem, et eius sphæram, de qua alias.

51. Secundo, amabilis præsertim in Deo est misericordia,
Misericordia Dei amanda.
quam sæpe David noster implorat, et in qua exultat. Vide Ps. 50. 1. et Ps. 135. Haron Uvacius Billa Abugiafar filius Abuishaci Mutasimi trigesimus rex Muslimorum, iam morti proximus, dixit: In morte socii sunt homines, ne-
Billæ morituri humilitas.
que subditus ex iis superstes manebit, neque rex. Deinde tapetem afferri iussit; cumque complicatus esset, corpus suum humi prosterni voluit, tum ex intimo mentis sensu exclamavit: *O tu, cuius regnum non transit, miserere eius, cuius regnum transit*, ut ait Georg. Elmacinus lib. 2. hist. Saracen. cap. 10. Divinam misericordiam imitari debent reges, ad eamque illos hortatur S. Gregor. Naz. orat. 27. fol. 471. *Imperatoris*, ait, *purpuram veremini, tantum-*

A *que circa vos mysterium, Orbis universus manui vestræ subiectus est, diademate parvo atque exiguo panno retentus: supra solius Dei sunt: infra autem, vestra etiam sunt:* Θεοι γινεσθε τοις υφ υμας, *subditis vestris deos vos præbete: liceat enim audacius aliquid dicere:* ita Gregorius. Primus Ynca, sive rex Peruanorum, qui filium solis, quem
Peruani reges se filios solis vocabant.
pro Deo colebant, credi se volebat, morti proximus liberos admonuit, omnibus, ut se clementes, piosque exhiberent; homines beneficiis et amore potius, quam timore sibi subiicerent: eos quos per vim subiecissent, fideles nunquam fore: iustitia omnes tutarentur, neque ullam iis iniuriam inferri paterentur. Uno verbo, *omnibus in actionibus veros se solis filios* esse declararent: Ita Ynca Garcillasso de la Vega lib. 1. hist. Peruanæ cap. 25.

Tertio denique, iustitiæ æquitas in Deo reverenda est: 52.
Iustitia Dei timenda.
Quia tu reddes unicuique iuxta opera sua. Non est acceptio personarum. 1. Cor. 3. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet.* Et 2. Cor 5. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque pro-* B *pria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.* Nemo pro alio ibi punitur, quod sæpe homines faciunt in hac vita. Notabile est, quod refert mox citatus de la Vega lib. 4. cap. 3. quod scilicet in urbe regia Coreo apud Peruanos, adhuc ethnicos, fuit monasterium Virginum mille
Monasterium virginum numerosum.
quingentarum, quibus nulli fas erat loqui, præterquam Coyæ, id est, reginæ; cui cum filiarum suarum comitatu permissus erat in has ædes aditus. Summo in honore habebantur, uxores solis, qui Deus supremus in illa regione
Virginitas in honore habita.
colitur, vocabantur. Yncæ, hoc est regis, et Coyæ vestes omnes elaborabant, atque ea, quæ ad ornatum altarium et templorum solis, mariti sui. Si qua autem in tanto numero in luxuriæ nefas laberatur, viva defodiebatur in ter-
Luxuria severe punita.
ram, in suspendio amasius eius necabatur. Et quoniam nimis leve supplicium arbitrabantur, pro tanto scelere, unum tantummodo hominem perire, eadem pœna afficiebant uxorem eius, liberos, servos, parentes, omnesque urbis, quam incolebat cives, ne demptis quidam infantibus mammæ applicitis. Urbem a fundamentis evertebant, C et lapides conspergebant, ut omnis eius ambitus incultus ac sterilis permaneret; atque cavebant, ne solum illud vel ab ipsis belluis, nedum ab hominibus, calcaretur: ita ibi. Ubi vides grave luxuriæ supplicium; sed in eo iniustum, quod eadem ruina innocentes involveret. Iustus est Dominus Deus noster, qui præcipit, ut filius non portet iniquitatem patris. Et Ier. 31. 30. ait: *Unusquisque in iniquitate sua morietur: omnis homo, qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes eius.*

Nemo etiam meretur alteri, sed soli sibi, vitam æter- 53.
Martyrum Nicomediensium constantia.
nam, quam reddit unicuique iustus Iudex. Ideo Martyres ad tam acerba perferenda se excitarunt. Illustre huius rei exemplum extat in Actis martyr. Nicomediensium. Cum enim Maximianus Imp. die Natali Christi congregatis in Ecclesiam omnibus Christianis, iussisset, ut primi ex Protectoribus, cum magna manu militum Ecclesiam circumdarent, sarmentis, et quacumque alia materia, quæ facile accenditur, in orbem congesta et apposita, ad templi portam aram statuerent: deinde, ut præcones alta voce pro- D clamarent, ut omnes exirent, et ad aram accederent sacrificaturi: quod si non parerent, portis statim optime clausis, et omni alio eius obstructo exitu, ignem accenderent; ut sic omnes una cum ipso templo perirent. Cum, inquam, hæc iussisset Imperator, nuntius ad Ecclesiam mittitur, ut diceret, quæ iussus fuerat ab Imperatore. In medium itaque accedens, et magna voce clamans, ait: O homines! Maximianus orbis terræ dominus, me ad vos misso, alterius ex duobus dat vobis optionem; ut aut diis sacrificetis, (adest enim ara parata) aut si non pareatis, omnes simul pereatis: præsto est ignis. Quod ergo vultis, quamprimum eligite. Cessavit ille, cum hæc dixisset: Ecclesiæ autem Archidiaconus, cum ei esset cor accensum igne divinæ gratiæ, stans ad cornu altaris: O vos, inquit, mei fratres, et inter vos invicem unanimes, nescitis quemadmodum quæ a tribus pueris facta sunt paulo ante per-

sequentes, dici non potest, quantum eorum admirabamur virtutem, et eorum in pietate obstupescebamus fortitudinem; et quemadmodum non tamquam stantes in medio ignis, sed in molli aliqua herba choros ducentes, ipsi et hymnum canebant, et omnem creatam naturam ad universorum Deum laudandum vocabant? Hos non solum iudicabamus beatos, sed eorum quoque coronarum cupiebamus esse socii. Quoniam ergo et nunc nos vocat tempus, et sunt mores Imperatorum similes: efficiamur nos quoque similes iis, qui tunc decertarunt. Quomodo enim non esset absurdum, illos quidem, cum essent pueri, et nec plures tribus, et alioqui cum nullum adhuc accepissent exemplum animi magnitudinis in tuenda pietate, tam præclare decertasse: nos vero, qui et *multitudine sumus prope innumerabiles*, et quibus nihil deest ad perfectam ætatem, et quibus est etiam tanta exemplorum copia, videri vitæ cupidos, et ignavo, abiectoque esse animo, et non *oblatam occasionem tamquam lucrum* accipere: et hanc, quæ est ad tempus, vitam despicere pro Deo, qui nos fecit, et suam animam dedit pro nobis ad mortem, testimonium autem firmæ et infractæ nostræ fidei nostram præbere mortem? Hæc autem dico, etiamsi nulla esset pro eis remuneratio: ita ille; deinde ad rem præsentem aptius: *Cum vero, ait, sint valde parvæ huius temporis passiones, si conferantur cum iis, quæ sunt remunerationibus, et vita quidem expers molestiæ et æterna pro hac brevi et laboriosa: gloria autem nunquam cessans pro infida, et quæ facile excidit: et divitiæ, quæ subripi nequeunt: et voluptas, quæ nunquam transit ad molestiam; nos adhuc in præsentibus manere concupiscemus: et non potius, cum ad eam, quæ illic est gloriam, pro Christo subeundo mortem invenerimus perveniendi occasionem, quamprimum transibimus? Et quidnam aliud facientes ab iis qui sapiunt, iudicabimur, nisi digni qui lugeamur? Mementote, imo vero aspicite ad aram. Verus enim noster Dominus fuit pro nobis sanctificatus. Non nos quoque pro eo in loco sancto animas profundemus, et veluti quoddam sacrificium eas illi igni offeremus in holocaustum?* Cum hoc dixisset, omnes incitavit, et effecit, ut moriendi vehementi tenerentur desiderio. Simul itaque cum illo beatam illam vocem exclamaverunt, Christiani sumus, Christiani: et deos tuos, o Imperator, non colemus. Hæc Maximiano quidem annuntiabantur. Ille autem, cum nec finem quidem expectasset orationis, iussit in eos ignem incendi, et eos una cum templo exuri: ut nullus eorum nec misericordiam consequi, neque latens posset effugere. Pii vero, cum omnes congregassent simul catechumenos, viros, et mulieres, et pueros, eosque in quatuor partes divisissent; utpote, quod tempus postularet celeritatem, eos divino baptismo perficiunt, et chrismate ungunt, et eos intemeratis impertiunt Sacramentis. Protinus autem aderant ministri quoque Imperatoris, et ignem incendebant, illeque ex omni parte tollebatur in altum: et cum totam comprehendisset Ecclesiam, in unum ascendebat verticem, omnia tam quæ erant extra eam, quam quæ intra, depascens: premens itaque malum ingruebat gravissimum. Illi autem intus magna voce ad Deum clamabant, et canebant canticum puerorum, omnem creatam naturam vocantes ad choream: neque prius cessarunt glorificare, quam oblata essent accepta sacrificia, castæ hostiæ agno, qui fuit pro mundo mactatus. Quinque dies transierant, et ignis depascebatur materiam. Cum vero flamma iam cessasset, nullus quidem teter odor sentiebatur nec ex corporibus, nec ex fumo: spirabat autem potius

A quidam suavis et mire fragrans odor. Apparebat vero quidam radius, auri rutilantis speciem præ se ferens, varium quamdam edens, et valde gratum splendorem, quo modo sol lucet, qui modo apparet in Oriente. Hactenus sanctorum Martyrum Acta, ex quibus intelligis, quanta sit vis divinæ remunerationis, cum semel alto animo insederit.

Nota, in hac etiam vita Deus reddit unicuique iuxta opera sua, ut plurimum tamen gravius punit peccantes Christianos, quia maiori luce abutuntur. Sic Iudæi statim plectebantur ob peccata. Unde auctor lib. 1. Machab. 6. 14. *Non enim sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum iudicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. Propter quod nunquam quidem a nobis misericordiam suam amovet: corripiens vero in adversis, populum suum non derelinquit.* Fidei suæ, et sibi iniuriam fieri putat Deus, si quod corde creditur, et ore dicitur, hoc opere non præstetur. Vel in fide hominibus violata exemplum lugubre B et memorabile videamus. Cum Turcis pacem fecerant Hungari, pacto fœdere disrupto, bellum renovarunt, ideo illos magna strage permisit concidi: atque ut cognosceretur in pœnam a Deo cladem immitti, signis evidentibus Deus declaravit id sibi bellum displicere. Nam, ut ait Philippus Callimachus lib. 3. de rebus gestis Uladislai, post dimissum conventum, in quo decreta in Turcos secunda expeditio; cum, qui convenerant, se quisque ad se præparandos digressi essent: *mota est adeo vehementer terra*, ut non privatim tantum ædificiorum partes, ut assolet, deiecerit: sed pleraque oppida pene tota, in prodigium usque, ad solum excusserit: fluviorum etiam quorumdam cursus alveosque commutaverit, tenueritque fama vulgo, propter subsecutam frugum caritatem, vel semina vel agros exinde degenerasse. Antonius Bonfinius lib. 6. decad. 3. rerum Ungaricar. sic rem enarrat: Amurathes, cum suos a Uladislao rege non sine magna cæde fugari conspiceretur, deprompturn o sinu codicem initi sanctissimo fœderis, explicat: intentis in cælum oculis: Hæc sunt, inquit C ingeminans, Iesu Christe fœdera, quæ *Christiani tui* mecum percusserunt, per nomen tuum sancte iurarunt, datamque sub nomine tuo fidem violarunt, perfide suum Deum abnegarunt. Nunc Christe, si Deus es, (ut aiunt, et nos hallucinamur,) tuas measque hic iniurias, te quæso, ulciscere: et his qui sanctum tuum Nomen nondum agnovere, violatæ fidei pœnas ostende. Vix hæc dixerat, qui ultimum in se impetum expectabat, cum prælium quod anceps ac dubium diu fuerat, inclinare cœpit, camelorum onerariorum interventu: a cæde ad prædam Ungari animos revocarunt. Equi, iumentorum peregrinorum insolentia perciti, colluctari et expavescere occepere. Rex Uladislaus temere se in Ianizaros immittens, occiditur, Christiani fugiunt et cæduntur: ita Bonfinius. Narrat etiam, quomodo Iulianus malorum causa, mediis in agris desertus, et graviter læsus occubuerit. Laonicus Chalcochondylas lib. 7. fol. 98. ait, quod Amurathes in tanto periculo constitutus, voverit Deo se, si inde discederet, omnia relicturum, et vitam monasticam Turcorum actu- D rum; quod præstitit, regno tradito filio suo: sed postea facti pœnitens, ope Charitis in urbem regiam rediit, et tamquam rex ius dixit, cum filius ad venationem exivisset, sicque iterum regni habenas moderatus est. Tu vide, ut sis fidelis hominibus; et Deo fideli, et fideliter præmia reddenti quibusvis pro merito. Omnibus dicitur Apocal. 14. 13. *Opera illorum sequuntur illos.*

54. Deus citius et severius peccantes fideles punit, et cur.

Hungari vicii in Varnensi pugna ob fœdus violatum.

PSALMUS SEXAGESIMUS SECUNDUS.

1. Psalmus David, cum esset in deserto Idumææ.

2. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.
3. In terra deserta, invia, et inaquosa: sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.
4. Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.
5. Sic benedicam te in vita mea: et in nomine tuo levabo manus meas.
6. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: et labiis exultationis laudabit os meum.
7. Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.
8. Et in velamento alarum tuarum exultabo: adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.
9. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.
10. Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

PSALMI SEXAGESIMI SECUNDI ANALYSIS.

David Absalonem fugiens, in deserto declarat,

- Orationem suam,
  - Cum vigilantia factam: 2.
    - Animo. 2.
    - Et appetitu inferiore. 2.
  - Cum desiderio uniendi se Deo. 2.
  - Cum impatientia videndi. 3.
    - Virtutem Dei. 3.
    - Et gloriam. 3.
- Gratitudinem,
  - Labiis Deum laudando. 4.
  - Lingua. 5.
  - Manibus. 5.
  - Voluntate. 6.
  - Ore. 6.
  - Memoria. 7.
  - Intellectu. 7.
- Misericordiæ divinæ effectus:
  - Sive Deum spectes, 8.
    - Adiuvantem in pugna. 7.
    - Protegentem in quiete. 8.
    - Præeuntem in via. 8.
    - Suscipientem in patria. 8.
  - Sive hostes, 9.
    - Præda quæsita frustratos. 9.
    - In præcipitia ruentes. 9.
    - Gladio cæsos. 9.
    - A feris devoratos. 9.
  - Sive Davidem ipsum, 10.
    - Lætitia in Deo exultantem. 10.
    - Comites suos exornantem. 10.
    - Hostibus mutis insultantem. 10.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Psalmus David, cum esset in deserto Idumææ.

1. Psalmus hic factus est in persecutione Absalonis.

In deserto constitutus David optabat ardenti desiderio, ut redire liceret ad revisendum tabernaculum, vel arcam: ita Lorinus. Secundo, et Augustinus, David occasione deserti, in quo latebat, et sitim atque varia incommoda patiebatur, contemplatur mundum hunc esse desertum, ex quo optabile sit in cælum evolare. De Saulis persecutione exponit Iansenius, qui desertum Ziph vult hic vocari desertum Idumææ. Malim tamen explicare de persecutione Absalonis. Primo, quia de illa sunt duo præcedentes Psalmi. Secundo, quia tunc Davidi maxime hic mundus displicebat, et ex eo exire optabat. Tertio, quia Absalonem fugiens incedebat contra viam quæ respicit desertum, et abscondit se in campestribus deserti, 2. Regum 15. Quarto denique, quia ibi sitim passus est, ut colligitur 2. Reg. 17. 29.

2. Desertum Idumææ cur dictum desertum in quo erat David?

A Quæres, cur illud desertum vocatur desertum Idumææ? Respond. primo, esse mendum, et pro *Idumææ* legendum esse *Iudææ*: ita Lyran. Titelman. Placidus, Bredembachius, Iansenius et alii. Et quidem in Hebr. est *Iuda*, et Complut. codices ac Regii habent *Iudæ*. Sed cum S. Ilar. S. Hieron. et S. August. et alii legant *Idumææ* retinenda est vulgata versio. Secundo igitur, Bellarm. censet, illud desertum vocari desertum Idumææ, amplificandi gratia: quomodo Ierusalem aliquando vocatur Sodoma. Nam desertum Idumææ est longe maius deserto Iudææ: imo tota Idumæorum regio in montibus et solitudine est, ut intelligi potest ex cap. 1. Malachiæ, ubi loquens Deus de possessione Edom, *Posui*, inquit, *montes eius in solitudinem, et hæreditatem eius in dracones deserti*. Idem colligitur ex lib. 4. Reg. cap. 3. ubi describitur desertum Idumææ iti-

neris septem dierum, et carens aqua. Tertio, Euthymius est desertum illud, in quo latuit David fugiens Saulem, antea Idumææ regionis fuisse et deinde Iudææ partem effectum esse. Quarto, Guilielmus Scepreus ait, desertum illud utroque nomine, *Idumææ* scilicet ac *Iudææ* appellatum esse: quoniam Idumæa Syriæ regio ampla, non solum complectebatur tribum Iuda, quam Paraphrastes hic exprimit, vocans desertum in finibus tribus Iuda, sed totam Iudæam: et in Idumææ finibus sunt quidam saltus, desertaque loca, ut Ziph, Pharan, Hareth, etc. in quibus latuit David in Saulis persecutione. Quinto denique, su-

A spicor desertum illud dictum esse desertum Iudææ et Idumææ: Iudææ quidem, quia in illa erat: Idumææ vero, quod in eo loco victi essent olim Idumæi, aut victores. Sic Petra Oreb vocatus est locus, in quo occisus est Oreb rex Madiau: et Torcular Zeb item locus, in quo occisus est Zeb, item eorum rex, Iudic. 7. 25. cum mirabilem victoriam reportavit Gedeon cum trecentis militibus contra centum triginta quinque hostium millia. Tropol. de quolibet iusto et Ecclesia in hoc mundo agitatis, et ad Deum summo mane confugientibus Psalmus hic exponi potest.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3. TRIA CONTINET. PRIMO, PRÆREQUISITA AD ORATIONEM, VERS. 2. SECUNDO, ORATIONIS IPSIUS MODUM, VERS. 4. TERTIO DENIQUE, ILLIUS EFFECTUM, VERS. 8.

SECTIO PRIMA.

Duo comprehendit. Primo, conditiones ad orationem prærequisitas, vers. 2. Secundo, finem orationis, vers. 3.

PARAPHRASIS.

2. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.*

2. O Deus, qui te specialiter Deum meum, id est, protectorem et tutorem, toties in me beneficiis collatis demonstrasti, ad te postpositis omnibus curis somnoque excusso convertar summo diluculo et prima luce albente. Deliciis tuis assueta mens divinum nectar in contemplatione appetit, teque unum sitit. Corpus quoque, et vis animæ inferior, in quam cælestis ros et suavitas depluit, miris et inexplicabilibus modis in oratione incalescit.

3. *In terra deserta, invia et inaquosa: sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam.*

3. His divinis desideriis exæstuans in terra deserta, nullis hominum trita vestigiis, et aqua carente, perinde me tibi obtuli atque in medio tuo tabernaculo: ut in oratione illustratus cernerem summum robur tuum in servis tuis protegendis, et gloriam in coronandis.

QUÆSTIO UNICA.

QUÆNAM CONDITIONES PRÆREQUISITÆ AD ORATIONEM, ET QUIS EIUS FINIS.

4. Ordo Sectionis. TRES hic expressas conditiones reperio. Primo, vigilantiam, v. 2. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.* Secundo, desiderium ardens animæ uniendi se Deo, et gratiis eius se reficiendi: *Sitivit in te anima mea.* Tertio, desiderium naturale corporis et appetitus inferioris, micas ex illo sacro convivio stillasque divini fontis percipere soliti: *Quam multipliciter tibi caro mea!*

Finis vero contemplationis duplex hoc loco indicatur. Primo, ut videamus virtutem Dei nos iuvantis, v. 3. *In terra deserta, invia, et inaquosa: sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam.* Secundo, ut videamus Dei gloriam: *Et gloriam tuam.*

ARTICULUS I.

Vigilantia iustis omnibus est perutilis.

5. Vers. 2. 1. Pars. PRIMA orationis et orantis conditio est, ut sit pervigil: quis enim ferat oscitabundum et nauseabundum principi ac regi assistere et loqui? ait itaque David, vers. 2. DEUS DEUS MEUS (S. Hier. fortitudo mea. Est enim Hebr. *Eli*, quod et fortitudo mea, et Deus meus verti potest) AD TE DE LUCE VIGILO (S. Hier. de luce consurgam ad te. Felix, quæram te) SITIVIT IN TE ANIMA MEA, QUAM MULTIPLICITER TIBI CARO MEA!

In prima huius versus parte tria dicuntur. Primo, esse vigilandum. Secundo, ad Deum. Tertio, de luce.

Vigilandum nobis est: Primo itaque dicit, *vigilo.* Multæ nos rationes ad vigilandum impellunt. Prima, quia vigilia auget vitam no-

B stram: somnus vero qui est imago mortis illam decurtat. Ut enim ait S. Chrysolog. Episc. Ravennas, serm. 24. *Plus vigilare, plus vivere est: quid est tam mortis simile, quam dormientis aspectus? Quid tam vita plenum, quam forma vigilantis?* Plato, ut constat ex lib. 1. de legibus, cæteros monere solebat: ut nocte, tum ad res privatas, tum vel maxime ad publicas, surgerent. Somnum enim immodicum et corpori et animo obesse, et dormientem a mortuo parum distare. Iphicrates dux Atheniensium, cum vigilem, quem dormientem repererat, occidisset, ait se talem reliquisse, qualem invenerat. Idem fertur dixisse Epaminondas dux Thebanorum peritissimus, et generosissimus. I. Quia vigiliæ augent vitam.

Secunda ratio, cur vigilandum sit, petitur ab efficacia vigiliarum contra hostes nostros et peccata. 1. Petr. 5. 8. *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret.* S. Hieronym. id illustrans ad Heliodorum epist. 1. *Insidiatur leo hic in spelunca sua, insidiatur ut rapiat pauperem, et tu frondosæ arboris tectus umbraculo molles somnos, fu-* II. Vigiliæ domant hostes nostros.

C *turus præda, carpis? Inde me persequitur luxuria, inde avaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo: compellit libido, ut habitantem in me Spiritum sanctum fugem, ut templum eius violem; persequitur, inquam, me hostis cui nomina mille, mille nocendi artes, et ego infelix victorem me putabo dum capior.* Et multis interiectis subdit: *Nolite credere, nolite esse securi: licet in modum stagni fusum æquor arrideat: licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur, magnus hic campus montes habet, intus inclusum est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus, tranquillitas ista, tempestas est.* S. Cyrillus Ierosolymitan. cathech. 4. Opus est, ait, cum divina gratia, sobria mente et vigilantibus oculis, ut zizania vitemus pro tritico, pro ove lu-

*

dum, pro angelo bono diabolum. S. Antioch. ait, sacras vigilias esse armaturam optimam: *Vigilia*, inquit, μεγα οπλον, *scutum miræ magnitudinis, et eleganti decore conspicuum, nobis indutum a Deo est adversus diabolum, et eius milites.* Vigiliæ victorias complures acervat S. Ioan. Climac. grad. 20. fol. 268. αγρυπνον ομμα, inquit, σμηχει νουν, *omnes mentis labes obstersit: multus somnus obtundit et excæcat animam. Vigiliæ libidinis faces extinguunt, insomnia fœda pellunt, oculos lacrymis suffundunt, conscientiam cordis teneram et delicatam reddunt, cogitationes in potestate habent et custodiunt: cibos tamquam fornax absumunt, vitia cupiditatum et dæmones edomant.* L. Paulus Æmylius, qui Macedoniam populo Romano subdidit, iubebat ut in bello milites nocturnas stationes sine lancea agerent, sicque cogerentur vigilias sollicitius obire.

III. *Virtutibus animam ornant.* Tertia ratio, cur vigilandum sit, oritur, quod vigilia virtutes omnes in animam inducat. S. Hier. in regula monachorum, si tamen illius est hic liber, tit. de vigiliis: Vigilando, inquit, omnis timor excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, vitia tabescunt, charitas roboratur, recedit stultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput diabolus gladio spiritus vulneratur.

IV. *Merita cumulant.* Quarta ratio, merita magna acquiruntur vigilando, quæ perduntur dormiendo. Theodorus Abbas hoc indicavit Ioanni Cassiano, quem cum dormientem offendisset, ait: Quanti, Ioannes, hac ora Deo colloquuntur, cumque in semetipsis amplectuntur et retinent; et tu fraudaris tanto lumine, inerti sopore resolutus. S. Bernardus dictitabat: Dormientem monachum Deo mortuum esse, nec sibi, nec aliis utilem. Primis temporibus non poterat ferre stertentes, cum diceret: Somnum eiusmodi esse sæcularium, non religiosorum proprium.

V. *Sancti in vigiliis fuere insignes.* Quinta denique ratio, cur vigilandum sit, petitur ab exemplo Sanctorum. Olim in Oriente fuit monasterium Acœmetarum, id est, non dormientium, quia totas pene noctes vigilabant in oratione et psalmorum cantu. Nunc plerique Religiosi de nocte surgunt, ut orent et cantent. S. Antonius et S. Arsenius sæpe tota nocte sine ulla intermissione orabant. S. Ignatius et S. Xaverius vix pauculas horas somno tribuebant. S. Gregor. Naz. oration. 21. tom. 1. fol. 379. virtutes S. Athanasii omnibus imitandas proponens, inter cæteras constituit, το εν αγρυπνιαις και ψαλμωδιαις ευτονον τε και αηττητον, *in vigiliis et psalmodiis insuperabilem quemdam vigorem.* S. Cuthbertus Episc. Lindisfarnensis nonnunquam tres quatuorve noctes in oratione pervigil manebat, ut tradit Edouardus Maihew. in Tropheis Congregation. Anglicanæ Ordin. S. Benedicti tom. 1. fol. 332. S. Birstanus Episcopus Wintoniensis noctibus depulsa formidine solus circuire solitus cœmeteria, pro animarum salute Psalmos decantabat. Hoc cum quadam vice faceret in sacris illis vigiliis, et expletis omnibus subiungeret, *requiescant in pace*, voces quasi exercitus infiniti a sepulcris audivit, respondentium Amen, ut ait Malmesburiensis lib. 2. de gestis Pontificum Anglorum ff. de Episcop. Occident. Saxonum. Notabile est, quod Delphinus rex piscium brevissimi somni est, et maxime interrupti. Nam, ut Ælian. tradit lib. 11. cap. 22. ne dormiens quidem a motu conquiescit. Cum enim ad somnum necessitate naturali compellitur, ex alto ad summam aquam ita extollitur, ut totus appareat: in eoque situ dormit, et dormiens in profundum tamdiu dimittitur, quoad imam maris sedem contingat: ad quam postquam funditus dilapsus est, terræ pulsu e somno excitatur, deinde ex alto emergit, ac repetito somno similiter atque prius ad maris fundum appulsus, expergiscitur: tum rursus eminet extra aquam: et hoc ipsum sæpe facit, eamque ob causam inter quietem et actionem agens, nunquam omnino a motu conquiescit: ita Ælianus. Ubi etiam
6. vides somnum deprimere, vigilias in altum tollere.

Vers. 2. 2. Pars. Vigilandum est ad Deum. Secundo, non quælibet vigilia laudabilis est, sed quæ fit in Dei honorem, et coram Deo. Unde dicitur, *ad te* vigilo. Hoc ut faciamus, incitamur: Primo, quia Deus semper vigilat pro nobis, ut nos dirigat et protegat. Ps. 120. 4. *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Deus est oculus in somnis, rebus mortalium semper invigilans; ita ut sit noster, et ad nostram utilitatem vigilet. Hinc dicitur, *Deus Deus meus.* Ugo Card. *Deus* pater, *Deus* filius, *meus* Spiritus sanctus quia est donum; 2. Deus ante legem colendus, Deus in lege metuendus, quia lex data est in timore; meus, in tempore gratiæ diligendus; 3. Deus qui me creasti, Deus qui me recreasti; meus, qui me glorificabis: ita Ugo paulo subtilius. Sanctæ Trinitatis elogia S. Greg. Thaumaturg. profert in expositione fidei: *Unus Deus pater verbi viventis, sapientiæ subsistentis, et potentiæ, atque characteris sempiterni: perfectus perfecti genitor, pater filii unigeniti: unus Dominus, solus ex solo, Deus de Deo. Character et imago Deitatis, verbum efficax. Sapientia, constitutionis rerum comprehensiva: et virtus atque potentia universæ creaturæ effectiva. Filius verus veri patris: invisibilis, eius qui est invisibilis: et incorruptibilis, corruptioni non obnoxii: ac immortalis, mortis prorsus nescii, et sempiternus sempiterni. Unusque Spiritus sanctus ex Deo existentiam habens: et qui per Filium apparuit, scilicet hominibus. Imago filii, perfecti perfecta,* ζωη ζωντων αιτια, *vita viventium causa, fons sanctus, sanctitas sanctificationis suppeditatrix, in quo manifestatur Deus Pater, qui super omnia est, et in omnibus: et Deus filius, qui per omnia est; Trinitas perfecta, quæ gloria et æternitate, ac regno atque imperio non dividitur, atque abalienatur.*

I. *Quia Deus pro nobis vigilat.*

II. *Deus semper nos aspicit.* Secundo, vigilandum est ad Deum, quia semper nos aspicit, ut orantes exaudiat et peccantes puniat. Eccl. 39. 6. *Cor suum tradet* (sapiens) *ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur.* Vide nostrum Alvares de Paz tom. 3. de oratione mentali lib. 2. part. 1. cap. 7.

III. *Nos illuminat.* Tertio, vigilandum est ad Deum, quia illuminat eos qui oculis apertis vigilant, et se aspiciunt. Sol non illuminat dormientes. S. Basil. de Spiritu sancto cap. 9. *Animo*, inquit, *purgata a probro quod eam per malitiam contaminarat, et ad nativam pulchritudinem reversa, ac velut imagine regia veterem formam puritate reddens, hoc uno demum modo potest ad Paracletum appropinquare. Ille vero veluti sol purum nactus oculum, ostendet tibi in seipso imaginem illius, qui videri non potest. Hic Paracletus eis qui a tumultu cupiditatum purgati sunt illucescens, per communionem quam cum illo habent spiritales reddit: Et sicut corpora illustria et lucida contacta radio solis, fiunt et ipsa supra modum splendida, et alium fulgorem ex sese profundunt. Sic et animæ spiritu afflatæ, ac spiritu illustratæ fiunt et ipsæ spiritales, et in alios gratiam emittunt.*

IV. *Qui dormit dona Dei perdit.* Quarto, vigilandum est ad Deum, quia dona Dei dormientes perdunt, quæ vigilantes colligunt. Leo Imperator inter cæteros vigiles, duodecim habuit, qui palatio suo propiores excubarent, dum somnum sub meridiem caperet; hos cum omnes pervigil princeps stertentes esse conspicatus, clam e palatio egressus, auri libram curam singulis apponit, et subducit. Unus ex illis qui somnum tantum simulabat, reliquorum pecuniam surripuit. Vocantur ab Imperatore milites, num quid vigiliæ præstitutæ tempore vidissent, interrogantur. Cæteris stupentibus duodecimus ille ait: Videbar ego vigilans dormire, cum quidam similis tui, singulis auri libram apponit clam, et tacitus clauso discedit ostio. Collegis tam pulchram visionem non videntibus, surrexi, et undecim libras meæ duodecimæ coniunxi: arbitratus honestum, ut duodecim hæ libræ ob honorem duodecim Apostolorum simul essent, quos religiose veneror. Hinc me quoque quieti dedi, et in somnis duodecim mihi astare Apostolos vidi, qui meam laudarent solertiam. Expergefactus duodecim libras auri in marsupio reperi, et versionem meam veram fuisse re ipsa didici. Leo in risum solutus: Vigilandi, ait, et auspicandi officium exegisti simul, dignus qui talem visionem habueris. Collegæ tui stultitiæ pœnas secum ferant, et dormiant hinc usque ad confusionem: ita Zonaras in Leone, penes quem sit fides. Sed scimus visos angelos in cho-

Lepidum vigilis militis furtum.

ro thurificantes, aut in monasterio benedicentes eos, qui vigilabant et orabant: cæteris omissis et contemptis, qui dormiebant.

V. *Vigiles sunt angelis similes.* Quinto, vigilandum est ad Deum, quia vigilantes angelis sunt similes Dei throno assistentibus. Clem. Alex. lib. 2. pædag cap. 9. *Beati*, ait, *qui ad Deum vigilarint*, *σφας αυτους επεικαζοντες αγγελοις, ους εγρηγορους καλουμεν*, *seipsos assimilantes angelis, quos vigilantes vocamus.* Multi, ait Cornelius in primam S. Petri Epistolam, in templo sunt superstitiosi, in curia contentiosi, in foro ambitiosi, in platea contumeliosi, in officina fraudulenti, in agro rapaces, in domo rixosi: multi in mensa sunt lupi, in cubiculo vulpes, in opere asini, domi pavones, foris accipitres, in lecto porci, in tribunali tigrides, in circulis canes, in plateis Leones. Oportet autem, ut in Christianismo omnis conversatio in agendo, loquendo, ambulando, comedendo, studendo, disputando, dormiendo, operando, regendo, etc. sit pura, Christiana, sancta, angelica: ut in templo Christiani sint ardentes in oratione ut Seraphini: in schola et cubiculo speculantes ut Cherubini: in iudicio placidi et æqui, ut Throni: in cupiditatibus frænandis excelsi ut Dominationes: in regimine prudentes ut Principatus: in tentatione mundi calcanda generosi, ut Potestates: in lucta cum dæmone fortes, ut Virtutes: in officio et opere publico fideles, ut archangeli: in mensa, platea, foro, lecto, etc. honesti, pudici, compositi, sancti, ut angeli: ita ille. Cherubini coram Deo in throno sedente assistentes a S. Ioanne visi sunt pleni oculis, ad denotandam eorum vigilantiam. Apocal. 4. 6. *In medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia, plena oculis ante et retro.*

VI. *Mundani vigilant.* Sexto denique, vigilandum est ad Deum, quia mundi, carnis et dæmonis sectatores vigilant, ergo longe magis servi Dei vigilare debent: illi vigilant ad malum, hi vigilare debent ad bonum: cum præsertim verum sit illud S. Paulini epist. 10. *Sanctæ animæ in Domino vigilare, requiescere est.* Vigiliæ vero impiorum plenæ sunt doloris. Primo, mundus servos suos vigiles habet. Iob. 24. 14. *Mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem.* Etiam iuste possessæ divitiæ somnum sæpe tollunt, unde Sigismundus eas tortores et carnifices vocabat. Cum enim illi ex Hungaria allata essent quadraginta millia aureorum, et de nocte quiescere non posset, anxius quos in usus expenderet: ocyus consiliarios omnes suos ducesque militum acciri curavit: *Ecce*, inquit, *crudelissimi hostes hi atque carnifices* (nummos manu indicans) *somnum mihi eripuerunt: accipite et inter vos dividite, ut mihi tranquillo dormire liceat.* Distributa itaque inter eos pecunia, cum læti exirent: Recedit, inquit, a me tortor ille qui me flagellavit, securius iam quiescam. Secundo, caro vigiles servos suos facit. Isaiæ 5. 8. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam.* Tertio denique, vigil est dæmon. Iob 41. 9. *Oculi eius, ut palpebræ diluculi*, id est, auroræ. Palpebræ autem auroræ dicuntur primæ lucis radii. Servos quoque suos vigiliis, sed lethalibus conficit: dum enim illis palpebras resecat, et vanitatum ac superbiæ soli obiicit, eos excæcat et interimit, sicut Attilium Regulum furibundi Carthaginienses.

7. *Vers. 2. 3. Pars. Vigilandum est mane.* Tertio denique, vigilandum est ad Deum mane. Ad te *de luce* vigilo: id est, cum primum oculi mei corporei vident lucem corpoream, ad te mentem erigo, ut lumen spiritale consequar, et me tibi Deo ac Domino meo sistam. Hebr. est, אשחרך *asciacharecha*, id est, sub auroræ exortum te quæro, cum primum auroræ radii tenebras noctis pellere incipiunt, te perquiro, in primo crepusculo matutino. Græce, *προς σε ορθριζω*: ad te summo mane accurro. De oratione matutina dixi satis fuse Ps. 5. vers. 4. Liberi solent salutare parentes suos, cum evigilarunt; inter Sinas olim Christiani parentes benedicebant liberis suis omnibus facto super eos signo crucis, ut Trigautius refert. Magdalena ideo resurgentem Iesum vidit, quia summo mane venit ad sepulcrum, Ioann. 20. 1. Israelitis mane surgentibus dabatur manna: unde illis dicit Moses, Exod. 16. 6. *Mane videbitis gloriam Domini.* Iudæi quotidie in templo offerebant agnum immaculatum mane in holocaustum. Iudas Machabæus emundato et purificato templo, quod polluerat Antiochus Epiphanes, altare holocaustorum novum extruxit, ubi victimæ Deo offerrentur, 1. Machab. 4. 52. *Ante matutinum* (id est, primo mane) *surrexerunt quinta et vigesima die mensis noni, hic est mensis Casleu* (qui partim Novembri, partim Decembri nostro respondet) *centesimi quadragesimi octavi anni* (imperii Græcorum) *et obtulerunt sacrificium secundum legem, super altare holocaustorum novum, quod fecerunt.* Altare novum, est cor novum, et novis flammis succensum. Quotidie sol novus exoritur, mens tua quotidie innovetur: siste te vero soli, ut ab eo lucem recipias, quæ tenebras omnes expellat. Sap. 6. 13. *Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.* Cimmerii populi noctem habent sex mensium, viso sole exultant, et cantica concinunt, velut quodammodo redivivi; somnus mors brevis est, cæcos enim, mutos et immobiles, omnisque actionis expertes facit: cum ab illa morte resurreximus, Deo laudes dicamus, cum Ecclesia inclamantes: *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Constantinus Imp. mane vocem amissam recuperavit, dicens, rursum Iesus meus: rem narrat Georgius Cedrenus in histor. compendio fol. 409. Constantinus, inquit, qui alio nomine Basilius dicitur, vocis usu privatus, eius restitutionem tum a Deo, tum a S. Gregorio Theologiæ nomine illustri, cuius ibi forte quædam erat statua, postulavit. Preces eius Sanctus audiit, visaque est ei imago sacra dicere: *Mane ceram hanc lege.* Ac Basilius fidem dicto habens, *Basilii sanatio miraculosa.* ingressus fanum clara purissimaque voce recitavit hæc, *παλιν Ιησους εμος*, *rursum Iesus meus.* Voce itaque recepta, traditam a patre sibi impietatem abominatus, gratum se erga sacras imagines præbuit: ita Cedrenus. Visum quoque recipies, si mane te vero soli obieceris, eique palpebras aperias. Ps. 5. 4. *Mane astabo tibi et videbo.*

Tropol. Vigilat de luce, seu mane ad Deum, qui gratia 8.
Dei illuminatus, ei servit. *Tropol. Somnus animæ exitialis.* S. Aug. hic: *Malus est somnus animæ, bonus somnus corporis, quo reparatur valetudo corporis. Somnus autem animæ, est oblivisci Deum suum. Quæcumque anima oblita fuerit Deum suum, dormivit. Dicit ergo quibusdam Apostolus: Surge qui dormis et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Numquid corpore dormientem excitabat Apostolus? Sed excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat, ut illuminaretur a Christo. Ergo secundum ipsas vigilias dicit iste, Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Non enim vigilares in te, nisi oriretur lux Dei, quæ te de somno excitaret. Illuminat enim animas Christus et facit eas vigilare. Si autem lumen suum detrahat, obdormiunt. Ideo enim illi dicitur in alio Psalmo. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Aut si ab illo aversi obdormiunt, præsens est illis lumen, et non possunt videre, quia dormiunt. Quomodo et corpore qui dormit inter diem, iam ortus est sol, iam dies calet, et ille tamquam in nocte est, quia non vigilat ut videat iam ortum diem: sic quibusdam iam præsente Christo, iam prædicata veritate, inest adhuc somnus animæ illius. Ergo vos si vigiletis, dicite quotidie* Ephes. 5. *Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Vita enim vestra et mores vestri vigilare debent in Christo, ut sentiant alii pagani dormientes, et ad somnum vigiliarum vestrarum excitentur, et ipsi excutiant somnum, et incipiant in Christo vobiscum dicere, Deus Deus meus, ad te luce vigilo.* Et sermon. 23. de verbis Domini cap. 10. Corde, ait, vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila. Et S. Gregor. Ille, ait, vere vigilat, qui ad aspectum veri luminis, oculos cordis tenet apertos. Ille vigilat, qui servat operando quod credit. Ille

vigilat, qui a se torporis et negligentiæ tenebras expellit. Ugo Card. mane vigilandum esse monet, id est, in iuventute, quæ est aurora vitæ. In iuventute, inquit, incipit homini quasi lucescere, et tunc maxime necesse est hominem vigilare ad Deum, propterea quod tunc magis infestatur a tentationibus: quia tunc est quasi vas novum, quod si imbutum fuerit bono odore, servabit diu, similiter si malo odore imbutum fuerit. Secundum quod dicit Horatius: Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu. Sic est de homine iuvene. Unde Prov. 22. 6. *Proverbium est, adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Et ideo bonum est mane, id est, in iuventute, vigilare ad Deum, et assuescere bonis cogitationibus et operationibus. Thren. 3. 27. *Bonum est viro, cum portaverit iugum Domini ab adolescentia sua:* ita Ugo.

ARTICULUS II.

Sancti Deum, et eius bona, sitiunt.

Vers. 2. 4 Pars. MAGNAM Davidis sitim fuisse oportet, qui summo mane evigilans dicit se sitire: ait enim v. 2. DEUS DEUS MEUS, AD TE DE LUCE VIGILO (quod expositum est art. præcedenti, et statim addit) SITIVIT IN TE ANIMA MEA, QUAM MULTIPLICITER TIBI CARO MEA. Ubi tria dicuntur: Primo, quod sitiat anima. Secundo, quod sitiat caro. Tertio, quod sitiat in Deo, sive in Deum.

9\. Deus est fons vitæ. Nota, Deus est fons vitæ. Ps. 35. 10. *Apud te est fons vitæ*, id est, vivus; 2. dans vitam. Vide illum locum. Fons ille intellectum vivificat et satiat. Prov. 13. 14. *Lex sapientis, fons vitæ.* Et cap. 16. 22. *Fons vitæ eruditio sapientis.* Voluntati quoque dat vitam, eamque replet. Proverb. 14. 27. *Timor Domini, fons vitæ.* Deus est fons lactis in principio conversionis. Paulus dicit Corinthiis, 1. epistol. 3. 2. *Lac vobis potum dedi;* 2. est fons aquæ in progressu. Eccli. 15. 3. *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum;* 3. fons est olei, ad luctam, et ad sananda vulnera. Cant. 1. 3. *Oleum effusum nomen tuum.* E pectore S. Walburgæ Virginis et Abbatissæ Ordin. S. Benedicti sacrum oleum dimanat, quod cæcos illuminat, aliaque miracula efficit. Hora missæ, quæ dicitur in altari ubi est reposita, frequentius et uberius distillat. Si phialæ directæ non supponantur, guttæ illius olei sic cohærent dependentes, ad modum botri, vel favi mellis, nequaquam in alium locum cadentes: sed postquam negligentia corrigitur, in vas defluunt. Sæpe compertum est, quod receptum in vase mundo, si immunde vel irreverenter teneatur, vel ad loca ubi peccata crebra perpetrari consueverunt, deportetur, omnino evanescit, et ad orificium vasis ipsum oleum nequaquam ad effectum sanationis egreditur, ut asserit Edovardus Matthæu in Troph. Congreg. Angl. Ord. S. Bened. Deus requirit vasa munda, ut in ea oleum suum distillet, et in iis conservet; 4. denique, Deus est fons vini suavissimi, in fine pro perfectis et beatis. Psalm. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos:* ibi non pauca reperies.

10\. Nemo nisi sitiens ad Deum fontem admittitur. Nota secundo, nemo ad Deum fontem admittitur, nisi sitiat. Remig. hic: *Nemo*, inquit, *ad Deum vigilat, nisi eum prius sitiat. Sitis animæ desiderium est.* Christus solos sitientes vocat, Ioann. 7. 37. *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Et Isaias 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Fons immensus est, non vult eos qui parce bibant: neminem sitientem reiicit, cum toto orbe sit diffusus. Orthogules visus est sibi in somnis videre lunam suum in sinum devolantem, quem cum attigisset, statim enata est arbor, quæ ramis foliisque regiones plurimas obumbraret, atque ex radice limpidissimum vitæ fontem effunderet, quo in varios dissecto rivos vasta planities rigaretur, fœcundarentur campi, prata virescerent, vineæque uvis gravidæ oculos recrearent. Discit ab Edebale Osmanis ortum designari, qui tanta fuit inter Turcas in existimatione ob mansuetudinem et benignitatem, ut in Imperatorum suorum coronatione bonitatem illius Osmanis apprecentur, sicut habetur in Annal. Turcicis. Dei fons infinitus est, immensus, et inexhaustus.

Nota tertio, pro *in te*, Hebr. est לך *lecha*, id est, tibi. S. Hilar. et S. August. legunt: *Sitivit tibi anima mea.* q. d. Non mihi, non carni, non mundo sitio, delicias, honores et divitias ad meam delectationem et utilitatem desiderans: sed unam gloriam tuam appeto et ambio. S. Augustini verba sunt: *Sitivit tibi anima mea. Ecce illud desertum Idumææ. Videte quomodo hic sitit, sed videte quid hic bonum est: sitivit tibi. Sunt enim qui sitiunt, sed non Deo. Omnis qui sibi vult aliquid præstari, in ardore est desiderii. Ipsum desiderium sitis est animæ. Et videte quanta desideria sint in cordibus hominum. Alius desiderat argentum, alius desiderat possessiones, alius desiderat hæreditates, alius amplam pecuniam, alius multa pecora, alius domum magnam, alius uxorem, alius honores, alius filios. Videtis desideria ista, quomodo ardent in cordibus hominum. Ardent omnes homines desiderio, et vix invenitur qui dicat: Sitivit tibi anima mea. Sitiunt enim homines sæculo, et non se intelligunt in deserto esse Idumææ, ubi debet sitire anima ipsorum Deo:* ita Augustin. Idumæa significat 1. terrenam; itaque hæc terra iure dicitur desertum Idumææ; 2. sanguineam significat; sic desertum Idumææ erit mons calvariæ; ibi sitiendum est, ubi sunt vivifici fontes e Christo fluentes. 11. Pauci Deum sitiunt.

Secundo, *lecha* verti potest *in te:* ita Noster, q. d. In te existens, sitivit te. Eccli. 24. 29. *Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient.* Tanta est enim Dei dulcedo, ut semper novum sui appetitum excitet.

Tertio denique et clarissime, *lecha* S. Hieron. vertit *ad te*, q. d. Sitivit anima mea ad te, ut in te satietur. Te unum sitit et desiderat anima mea. Syr. *sitiens est tui anima mea.* Gr. εδιψησε σε, id est, sitivit te, q. d. Cætera bona pro nihilo duco. Talis erat Magdalena, quæ ne ipsos quidem angelos curans, unum Christum quærebat et cogitabat, atque eo non reperto prope sepulcrum flebat. Alexius Patriarcha in libello, de iis qui per donationem monasteria consequuntur, πας, inquit, εχηνεν εις αργυριον, ουδενα πορον αισχρον η κερδος αδικον παραιτουμενος: Quilibet inhiat argento, nullum turpem quæstum vel lucrum iniustum repudians, sed ex religiosis pariter ac piacularibus ditescere cupiens. Et paulo post subdit, ποιουμεν χρηματα εαυτων ψυχης προτιμοτερα, *pecuniam maiori quam animas nostras in pretio habemus.* Verus vero David, id est, amabilis Domino, et amans Dominum, ait Ps. 41. 3. *Sitivit anima mea, ad Deum fortem vivum.* Vide ibi dicta, ubi cervo se sitienti et ad fontes currenti comparat. Paulus le Ieune in relatione Canadensi anni 1639. cap. 6. miram refert sitim unius catechumeni Canadensis. Cum enim Patres Societ. nostræ baptismum eius ad maiorem securitatem differrent, et ille ad cibos quærendos in sylvam ire cogeretur, media in via substitit, retroque pedem flexerit. Cum, ait, oculos in vitæ anteactæ peccata coniicio, baptismique fontem, sacri instar lavacri, ea omnia abluturi, contemplor, ab illis me avellere nequaquam possum, a quibus tantum boni sum consecuturus. Cum baptismus ipsius in festum omnium Sanctorum dilatus esset, crebro Patres intervisens, dicebat: Populares mei in eam venire possint opinionem, sæpius me ad vos ventitare, vestris ut terrenis donis locupleter, et vobis fortasse nonnulla eius rei suboriri possit suspicio. Sed persuasum habeatis velim, nullius rei me desiderio, nisi sacræ doctrinæ, teneri. Si his in terris videndum se Deus exhiberet, vobis relictis statim ad eum evolarem: aut verius vos ad eum unanimi mecum affectu et veneratione colendum invitarem, cum perinde atque cætera creata opus sitis tanti opificis. Sed cum Deus hic non appareat, necesse est, ut etiam importuni accedamus ad eos, qui eius nobis notitiam possint impertiri. Quanto autem desiderio in unum ferretur Deum, et cætera neglectui haberet, alias his verbis indicavit: Cor meum a seipso totum est diversum. Prius enim in quærendis terræ commodis omni co- 12. Canadensis unius mirus ardor.

natu affectuque enitebatur: vix uno in loco pedem fixaram, cum maioris spe lucri ac prædæ alio evolabam. Nunc quocumque demigrem, anima mea vobiscum manet, in vestro uno sermone conquiescit, divinas laudes ita sitit, ut semper eas avidis auribus excipiat, neque iis unquam satietur. Exprobrant nonnulli gentiles mei, quod deserta mea natione Francus efficiar. Quibus ego. *Nec Francus, nec Canadensis sylvestris sum, sed Dei filius esse ardenter cupio:* neque Franci omnes, neque summus inter eos Imperator salvam præstare animam meam possunt: non in eos, sed in eorum ipsorum creatorem credo. In baptismo vocatus est Ignatius. Cum autem ad sacelli valvas, ad quas sistuntur catechumeni, ante baptismum staret: Cor meum, inquiebat postea, ardentissimo desiderio incitabatur, ut quam ocyssime in Dei domum ingrederer, perinde atque si a quopiam ad id compellerer, ad quod toto affectu rapiebar. Mecum animo reputabam. Tandem Deus misertus est mei pauperculi: tandem mihi patebunt portæ: mox in familiam credentium, et in filiorum Dei nationem transcribar: *Ubi sacræ undæ caput attigerunt, cor omnino immutatum sensi.* Et vero est aliud prorsus a seipso. Ab eo enim temporis puncto, non expectat donec peccatum ad ipsum veniat, cum se offert peccandi occasio: sed crederes extra se efferri, ut obvium se perniciosis rebus sistat, easque dispellat tanto robore, ut non videar ego resistere. Sic ipse loquebatur. Eucharistiæ vero divinæ percipiendæ tantam patiebatur sitim, ut ad eam explicandam hac comparatione ad Psalmum nostrum accommodata uteretur. Si quis præter voluntatem suam in dissita procul regione a parentibus suis et amicis separatus diu teneretur, atque torqueretur; si post diros cruciatus toleratos evadendi viam reperiret, patriamque repetendi: quo affectu ad eam ferretur? qua voluptate in aspectu complexuque parentum et sodalium colliquesceret? Is erat animæ meæ sensus: videbatur illa sibi gravissimis e carceris vinculis exilire, totisque viribus ad eum, quem percepturus erat, evolare, seque interno quodam monitore ad illum suscipiendum compelli sentiebat. Ubi vero Deum hospitiolo suo excapit, tum votorum omnium compos sibi visus est, et nihil amplius cæterarum rerum postulare. Hæc aliaque plura noster Paulus le Ieune persequitur, quibus addit admirans in terra deserta olim, invia et inaquosa hanc sitim oriri, regi sæculorum immortali soli Deo honor at gloria. Erat is ex natione Algonquinorum, qui tam ardentia in se Dei atque salutis suæ desideria sentiebat.

13. *Vers. 2. 3. Pars. Caro nostra Deum sitire debet, et quomodo.* Non anima tantum Davidis, sed etiam caro, Deum naturali appetitu sitiebat. Unde addit: QUAM MUTIPLICITER SITIVIT TIBI CARO MEA, id est, os meum te orando: ita Magnetius et S. August. qui sic ait: Si opus est carni panne, si opus est aqua, si opus est vino, si opus est nummo, si opus est iumento carni huic, a Deo petere debet, non a dæmoniis et idolis, et a nescio quibus potestatibus huius sæculi.

Secundo, *caro mea*, id est carnalis mens appetitus, meus sensitivus appetitus; qui sitit, id est, ardenter expetit consolationes sensibiles, quas percipit ex redundantia consolationum spiritualium animæ. Hic sensus mihi maxime arridet. Deus dat irriguum superius, et irriguum inferius. Rebecca postquam Eliezer Abrahæ servum potavit oblata ei hydria sua, adiecit, Gen. 24. 19. *Quin et camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* Iacob fodit puteum prope Sichar, quæ postea Samaria dicta est; et sicut dicit Samaritana, *ipse ex eo bibit, et filii eius, et pecora eius,* Ioan. 4. 12. Cum virga bis silicem percussisset Moses, *egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet, et iumenta.* Numer. 10. 11. ita Deus et rationalem et sensitivum appetitum consolationibus repiet.

Tertio denique, *caro mea*, id est, corpus. Est synecdoche. Corpus autem naturali appetitu Deum multipliciter sitit adiutorem; quia, ut ait Bruno, multis afficitur iniuriis. S. Hier. quia plus sustinet caro, quam anima. Titelmannus: Corpus hoc meum, ait, infirmum et fragile, quod multis iam obnoxium malis et corruptionibus, ac variis subditum afflictionibus, admodum multis rationibus ad te fertur desiderio vehementi, quasi desiderans per te de afflictionibus nimium magnis, nimium multis, nimiumquo diuturnis, invenire requiem: ita ille. Si in siti et potu placet sistere. Thales philosophus dum certamen gymnicum spectat, siti et æstu moritur. Terrenæ delectationes, aridæ sunt et siccæ: si quid autem succi habeant, noxius est ac lethifer. Clisthenes Sicyonius aquæductum in oppidum Criseorum fontem deferentem abrupit. Moxque affectis siti restituit aquam elleboro corruptam, unde orta dysenteria eos facile sibi subiecit, ut refert Frontinus lib. 3. c. 7. Hoc plerisque carnis deliciis accidit, ut veneno infectæ necem afferant. Sancti vero dum carnem, velut silicem, Mosis instar percutiunt, suavissimas Deus aquas amittit, quibus sensus ipsi corporis recreentur. Lorinus: Caro, inquit, tunc Deum sitit, quando per ieiunium abstinet, et arescit. Et quidem, ut ait, aliqui nostrum versiculum sic exponunt, *Arefacta est propter te caro mea.* S. Hier. in cap. 16. et 44. Ezech. dicit, quædam exemplaria habuisse: *Quomodo consumpta est,* vel *contabuit caro mea.* Aquila reddit, ἐτετάθη, *intendit se.* Ibid. in cap. 16. Ezech. ait: Sanctus carnium dicitur parvularum, quæ in eo decrescunt quotidie, et per virtutes attenuantur: ita ut nequaquam caro appellctur, sed spiritus. Hoc contigit in B. Borgia Soc. Iesu, qui per abstinentias et ieiunia ita carnem suam diminuit, ut pellem ventris instar subuculæ complicaret. In S. Basilio vix cutis ossibus hærebat. S. Richardus Episcopus Cicestrensis cilicio et lorica corpus atterebat, et quidem cilicium et circulos ferreos carni appressos tulit usque ad mortem, illisque cadaver eius constrictum repertum est, ut refert Harpesfeldus: hinc in oratione deliciis cælestibus colliquescebat; et in Deum, velut vivum fontem, totus immergebatur, ut sitim suam expleret. Non recensebo sanctorum Ephremi, Francisci, Bernardi, Ignatii, Xaverii, Catharinæ Senensis, Lutgardis, Theresiæ, et aliorum severitatem in corpus suum, et delectationes etiam sensibiles in oratione. In meo Canadensi Ignatio, de quo mox egi, hærebo. Cum summo in frigore incommode vestitum cernerem, ait Paulus le Ieune, rogavi num aliam togam haberet, qua sibi provideret. Habeo, inquit, a fratre meo donatam, sed ea duplici de causa non utor. Primo, corpus meum vereor, ne si illud delicatius habuero, et texero ad calorem conservandum, idem semper expetat: si vero, hoc industria mea semper comparare non possim, compellat me, ut vos non tam salutis quærendæ causa, quam terrenorum commodorum adeam. Secundo, si erga dona vestra uxor me affici senserit, cum iudicio acri non valeat, auribus continuo meis instrepet, ut vobis sim importunus. Abdebat se nonnunquam in condensas sylvas, ibique summo ardore arreptis rubis corpus lacerabat, ut divinam misericordiam popularibus suis exoraret, eiusque iram flecteret. Deus vero, tantis cum afficiebat gaudiis, ut in oratione suaves aquarum rivi ex oculis defluerent, et ardore summo ad cælestia raperetur: atque adeo in Deum absorptus esset, ut surdus et cæcus terrenis rebus esse videretur, sicut ipse loquebatur. Nam, inquiebat, ad ea quæ in oculis meis fiunt, non adverto. Heri in nostro tugurio tantus a pueris excitatus est tumultus, ut domestici mei in iram concitati intolerabilem strepitum ederent: ego vero ne advertebam quidem: neque audivissem, nisi essem admonitus. Tum subdubitare cœpi, num obsurdescerem, sed ubi rem consideravi, statim agnovi cor meum tanto mihi clamore interius loqui, ut exteriora omnia non attenderem. Quis ad hæc audita et lecta non obstupescat? itaque iure auctor ille inclamat, Magnus Dominus, et magnitudinis eius non est finis.

Corpus suum domant sancti, ut exemplis probatur.

Corpus Sanctorum sive voluntariis, sive aliunde immissis afflictionibus attenuatum sitit ad Deum, ut resurrectionem gloriosam obtineat, in qua erit impassibile, agile, subtile et luminosum. S. Augustinus in Psalm. nostr. *Multipliciter tibi sitit et caro mea, quia et carni nostræ promittitur resurrectio. Quomodo animæ nostræ promittitur beatitudo, sic et carni nostræ promittitur resurrectio.*

Et multis interiectis addit: *Videte, quia nullus est carnis nostræ status, quoniam infantia avolat in pueritiam et quæris infantiam, et non est infantia, quia iam pro infantia pueritia est. Iterum et ipsa migrat in adolescentiam. Quæris pueritiam, et non invenis. Adolescens fit iuvenis: quæris adolescentem, et non est. Iuvenis fit senex: quæris iuvenem, et non invenis: Et senex moritur: quæris senem, et non invenis. Non stat ergo ætas nostra, ubique fatigatio est, ubique lassitudo, ubique corruptio. Attendentes qualem nobis spem resurrectionis promittat Deus, in istis omnibus multiplicibus defectionibus nostris sitimus illam incorruptionem, et sic caro nostra multipliciter sitit Deo. In ista Idumæa, in isto deserto, quam multipliciter laborat, tam multipliciter sitit: quam multipliciter fatigatur, tam multipliciter sitit illam infatigabilem incorruptionem.*

Nota, pro *quam multipliciter*, Hebr. est כמה *camah*, cum mappik, id est, cum puncto infra *he* posito, quod ostendat *he* illud non esse quiescens sed sonare, id est, pronunciandum esse. Varii autem varie exponunt *camah*. Primo, S. Hier. Pagn. Felix, Chald. R. David, R. Emmanuel, Syr. Arabs, et alii volunt esse verbum. S. Hier. vertit *desideravit*. Syr. expectavit. Arabs, speravit. Chald. *meraggheg*. desiderans, concupiscens. Secundo, Sept. Theodotio, S. Hilarius, et alii sumunt *camah* pro particula indeclinabili. Sept. quidem vertunt ποσαπλῶς, id est, multis modis, ut Suidas et Hesychius usurpant: aut potius, quam multis modis, quam multipliciter. S. Hilarius videtur legisse divisum πῶς ἁπλῶς, unde vertit, quam simpliciter. Theodotio denique reddit, ποσαχῶς, id est, quot modis, ut etiam ea voce utitur Aristoteles.

14. Post sitim suam explicatam, locum et causam illius aperit, quia scilicet erat in deserto arido et siticuloso, v. 3.

Vers. 3. 1. Pars IN TERRA DESERTA, INVIA, ET INAQUOSA (S. August. sine aqua. S. Hieron. consitiente sine aqua) SIC IN SANCTO APPARUI TIBI, UT VIDEREM VIRTUTEM TUAM ET GLORIAM TUAM: τὸ *in terra deserta, invia, et inaquosa*, potest referri ad præcedentia, q. d. Sitivit tibi anima mea et caro, quia sum in deserto arenti; 2. potest etiam referri ad sequentia, q. d. In terra deserta, inaccessa, et aquis destituta perinde tibi apparui, quasi essem in tuo sanctuario contemplans potentiam tuam et gloriosam maiestatem. Uterque sensus bonus est. Primo, favent Hebræa. Secundo, Syrus, qui vertit: *Sicut terra sitibunda et concitata expetens aquam, ita expectavi te cum veritate: ut viderem magnificentiam tuam et maiestatem tuam.* David porro hunc Psalmum fecit in deserto fugiens Absalonem, ut dixi in titulo: vel Saulem, ut alii censent.

Mundus est desertum malum. Tropol. desertum hic sumi potest in bonam et malam partem. Primo, quidem in malam sumendo, mundus est desertum invium et inaquosum: ita S. August. Ugo, et alii. In terra deserta, ait Ugo, sitivit anima mea, et caro mea, id est, in hoc mundo, in quot triplex est defectus, qui notatur hic 1. quia est sine fructu, unde dicit: In terra deserta; 2. sine habitatore, unde addit, invia; 3. sine aqua, unde dicit inaquosa, q. d. Mundus est sine ubertate, sine societate, sine refrigerio: et ideo non est mirum, si ad te, vel in te sitiam. Sine ubertate bonorum operum est mundus, licet multas spinas et tribulos peccatorum germinet. Unde dicitur de mundanis Oseæ 8. 7. *Ventum seminabunt, et turbinem metent; culmus stans non in eis, germen non faciet farinam.* Ps. 13. et 52. *Non est qui faciat bonum.* Item, sine societate bonorum virorum. Unde Ierem. 4. *Intuitus sum, et non erat homo.* Sunt quidem ibi multæ feræ, sed non est ibi homo ratione utens. Item, est sine refrigerio gratiæ. 2. Regum 1. 21. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos.* Ps. 142. 6. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Item, sine refrigerio aquæ lacrymarum: quia mundani non habent irriguum superius, neque inferius. Sic, in tali terra vel penuria, apparui tibi in sancto desiderio; id est, perfectum desiderium meum tibi repræsentavi. Ps. 37. 10. *Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.* Ut viderem virtutem et gloriam tuam, id est, Christum, qui est virtus Dei Patris, 1. Cor. 1. Hæc Ugo, qui varias deserti et mundi proprietates sublicit. Primo, inquit, horret mundus. Deuter. 32. 10. *In loco horroris, et vastæ solitudinis.* Secundo, inest serpens. Deut. 8. 15. *Ductor fuit in solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, ac dipsas.* Tertio, latro. Luc. 10. 30. *Incidit in latrones.* Quarto, leo, id est, diabolus, qui in mundo venatur. Eccli. 13. 23. *Venatio leonis onager in deserto.* Quinto, spina, unde Moses vidit rubum in deserto. Exod. 3. 2. Isaiæ 7. *Omnes montes in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum.* Sexto, spelunca. Iob 30. 6. *In desertis habitabunt torrentium, et in cavernis terræ.* Septimo, non colitur. Numer. 20. 5. *Eduxisti nos in locum istum pessimum, qui seri non potest.* Octavo, sterilis. Ierem. 48 6. *Eritis quasi myricæ in deserto.* Nono, invia. Isaiæ 34. 10. *Desolabitur in sæcula sæculorum, non erit transiens per eam.* Decimo, sicca. Num. 21. 5. *Deest panis, non sunt aquæ.* Ier. 17. 6. *Habitabit in deserto in siccitate.* Decimo denique, silens. Isa. 24. 8. *Quievit sonitus lætantium.* S. Bernardus: *Mundus est*, inquit, *ubi malitiæ plurimum, ubi sapientiæ modicum, ubi omnia sunt viscosa, omnia lubrica, omnia operta tenebris, et obsessa laqueis, ubi periclitantur animæ, affliguntur corpora, ubi omnia vanitas, et afflictio spiritus.* Abbas Abraham apud Cassianum Collat. ult. cap. 25. iugum religiosorum suave esse probat, et onus leve: atque ad rem præsentem ait: *Revera si comparare volueris splendentem virginitatis florem, et suaveolentem castimoniæ puritatem tetris ac fœtidis libidinum volutabris: quietem et securitatem monachorum, periculis et ærumnis quibus huius mundi homines implicantur: paupertatis nostræ requiem, edacibus divitum tristitiis ac pervigilibus curis, quibus non absque summo vitæ periculo, diebus ac noctibus consumuntur, suavissimum iugum Christi, onusque levissimum facile comprobabis.* S. Bernard. ait, mundum esse plenum spinis, quæ in terra sunt, quæ in nostra carne sunt: versari in his et minime lædi, divinæ potentiæ esse et non virtutis nostræ. Ex his facile concludi potest mundum non esse amandum. S. Gregorius lib. 3. dialog. cap. ult. *Despiciendus*, inquit, *a nobis hic mundus fuerat, etiamsi blandiretur, etiamsi rebus prosperis demulceret animum. Ac postquam tot flagellis premitur, tanta adversitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud quam ne diligatur, clamat?* S. Augustinus serm. 34. ex quadraginta novis: *Quare*, inquit, *contristamur, et causamur Deum? Abundant mala in mundo, ut non ametur mundus. Magni viri, fideles, sancti, qui contempserunt mundum speciosum. Nos non possumus contemnere nec fœdum:* ita Augustinus.

Secundo, in bonam partem sumendo, desertum est domus et vita religiosa. Primo enim, ut ait Ugo, ibi est lignum illud salutare, de quo Exod. 15. 25. *Dominus ostendit ei lignum, quod dulcoravit aquas Marath:* lignum illud est crux Christi. Secundo, ibi est latex fluens de petra Christo. Exod. 17. 6. *Percuties petram, et exibit ex ea aqua.* Et de hoc etiam dicitur Num. 20. Tertio, latebræ. 1. Reg. 23. 19. *Ecce David latitat apud nos.* Et 24. 4. *David, et viri eius in interiori parte speluncæ latebant.* Quarto, lex data est in deserto. Exod. 20. 22. *De cælo locutus sum vobis.* Quinto, mens, id est, contemplatio. Ex. 19. 18. *Mons Sinai fumabat.* Sexto, mel ibi est, quia ut habetur Matth. 3. 4. *Ioannes mel sylvestre edebat.* Septimo, manna, de quo Num. 21. et Sap. 16. Octavo racemi: quod sint racemi in deserto, est contra naturam, tamen inveniuntur ibi. Similiter contra naturam est, quod homo terrestris ascendat cælum. Oseæ 9. 10. *Quasi uvas in deserto inveni Israel*, hoc est, nasci ex tribulis ficus: et de spinis uvas, id est, ex peccatore cælicolam. Nono, visio, de qua Exod. 3. 3. *Vadam et videbo visionem hanc magnam;* et 3. Reg. 19. 12. *In sibilo Dominus.* Decimo, panis. 3. Reg. 19. 6. *Helias reperit panem subcinericium ad caput suum.* Et Ioan. 6. 10. *In deserto pavit quinque millia hominum.* Undecimo, agon, id est, certamen tentatio- 15. Domus religiosa est desertum bonum.

num. Matth. 4. 1. *Ductus est Iesus in desertum, ut tentaretur a diabolo.* Duodecimo, angeli. Exod. 23. 23. *Præcedet te angelus meus.* Decimo tertio, herba, qua sancti vescuntur. 2. Machab. 5. 27. *Iudas secesserat in desertum locum, ibique inter feras cum suis in montibus vitam agebat, et fœni cibo vescentes demorabantur, ne participes fierent coinquinationis.* Decimo quarto, feræ. Iob 39. *Numquid nosti tempus partus;* ibi cum Marci 1. 13. *Eratque cum bestiis:* ita Ugo. Dicebat ipse David Ps. 72. 23. *Iumentum factus sum apud te: et ego semper tecum*, q. d. Cum sim iumentum non delector conversatione hominum, sed mea una delectatio est cum Domino meo esse, et illi servire. Tales sunt boni religiosi, qui amant esse in deserto cellæ suæ, non in vanis mundi collocutionibus. Verum est illud Abbatis Allois effatum: *Nisi dixerit homo in corde suo, ego solus et Deus sumus in hoc mundo, requiem non habebit.*

16. Vers. 3. 2. Pars. Arca dicitur gloria Israel. Mens a mundo remota, et in deserto posita, oculos uni Deo aperit; et ab eo videtur, atque illustratur: unde additur: SIC IN SANCTO APPARUI TIBI; Arias, Pagn. et Felix, sic in sanctitate vidi te, UT VIDEREM VIRTUTEM (S. Hier. fortitudinem) TUAM, ET GLORIAM TUAM, id est, arcam tuam, de qua Ps. 77. 61. dicitur: *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici.* 1. Reg. 4. 20. et seqq. uxor Phinees, vocavit filium suum *Ichabod*, q. d. Ubi gloria, abiit gloria, id est, arca Ichabod: vertit Iosephus ἀδοξία, id est, ignobilitas, q. d. Hic filius meus vocatur inglorius: nam translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei. Ieremias Propheta lugens excidium Ierusalem et templi per Chaldæos, ait Threnor. 2. 1. *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: proiecit de cælo in terram*, id est, e regia dignitate in servitutem, *inclytam Israel*, id est, arcam, ait Lorinus; 2. et melius, Ierusalem quæ erat totius regni metropolis et decus, *et non est recordatus scabelli pedum suorum*, id est, arcæ, *in die furoris sui.* Sic cap. 14. 21. templum seu arcam vocat solium gloriæ Dei. Et cap. 13. 18. putat Lorinus arcam vocari coronam gloriæ, sed hoc non videtur verum: dicitur enim: *Dic regi et dominatrici*, id est, Iechoniæ seu Ioachin, et uxori eius, *humiliamini, sedete: quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ*, id est, corona vestra regia, q. d. Non eritis amplius reges.

Secundo, *ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam:* id est, Christum tuum, de quo ait S. Paulus 1. Cor. 1. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis *Christum Dei virtutem, et sapientiam.* Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus: hic sensus est mysticus.

Tertio itaque, *ut viderem virtutem, et gloriam tuam;* id est, potentiam tuam gloriosam. Est hendyadis. Ubi adverte, quod oratio dat lumen. Isaias Abbas oration. 4. Animæ tuæ, inquit, lux est oratio. S. Chrysost. lib. 1. de orando Deum, orationem soli comparat: *Sicut sol*, inquit, *lucem præbet corpori, sic animæ lumen est oratio: proinde si cæco damnosum est non intueri solem, quanto gravius damnum est homini Christiano, si non assidue deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat?* In oratione et contemplatione videtur Primo, Dei potentia. S. Ioan. Climac. grad. 28. Oratio, inquit, si ipsius naturam spectes, est familiaris conversatio et coniunctio hominis cum Deo: si autem vim et efficaciam, κόσμου σύστασις, *mundi conservatio*, propugnaculum adversus impetum afflictionum, bellorum oppressio et extinctio, etc. Secundo, in oratione et contemplatione apparet gloria Dei, ut Mosi stanti supra petram et oranti. Exodi 33. 21. ubi sic Deus loquitur ipsi: *Stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea, donec transeam; tollamque manum meam, et videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* In lege gratiæ videtur facies Dei patris, id est Christus: in lege scripta videntur posteriora seu dorsum, id est creaturæ: nempe angeli: in omni enim apparitione visi sunt angeli, non Deus, tempore veteris testamenti. Vide aliam adhuc expositionem in paraphrasi.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

17. *Duo complectitur. Primo, orationis ipsius modum et ardorem, vers. 4. Secundo, misericordiæ divinæ effectus, per orationem impetratæ, vers. 8.*

PARAPHRASIS.

4. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.*

4. In deserto licet sim positus, tantam misericordiæ tuæ ubertatem experior, ut mihi potior sit deliciis omnibus, vitaque acta in aulæ splendore: eam ob rem in laudes tuas erumpens labia mea aperiam.

5. *Sic benedicam te in vita mea: et in nomine tuo levabo manus meas.*

5. Et te extollam quamdiu vivam, et in oratione manus meas erigam, tuum nomen et numen invocans.

6. *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: et labiis exultationis laudabit os meum.*

6. In hac misericordiæ tuæ contemplatione, tantis mens mea deliciis colliquescet, atque pinguescet; ut cor exundans tantam suavitatem continere non possit, sed cum lætitia in voces laudis formetur.

7. *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.*

7. Vel ipsa in quieto somnoque beneficia tua et bonitas menti meæ recursabunt: hinc fiet, ut summo mane aptus sim ad tuam benignitatem contemplandam; quia tu me in hac persecutione Absalonis ab omnibus derelictum protexisti.

8. *Et in velamento alarum tuarum exultabo: adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.*

8. Nocturna matutinaque oratione communitus diem integrum securus transigam et lætus, sub alarum tuarum umbra conquiescens. Quocumque ducere volueris, te sequar ex animo, tibique adhærescam, spero enim fore, ut tu manu prehensum in via difficili ac lubrica fulcias et dirigas.

9. *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.*

9. Hostes itaque mei frustra me quærunt, ut vitam eripiant: hiatu terræ haurientur, et in ima præcipitia devolventur: multique, victorum gladio cæsi, in mediis agris iacebunt, præda vulpium et imbecillimorum etiam animalium futuri.

10. *Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.*

10. Ego vero, cæsis adversariis meis, et Absalone, in regium thronum restitutus lætabor cum Deo meo, et in eius potentia et misericordia gloriabor; omnes qui a meis partibus stant, meritam gloriam consequentur. Nam conticescent devicti scelerati, qui mihi veluti iam victo, servisque meis insultabant, et dira imprecabantur.

QUÆSTIO UNICA.

Misericordiam Dei omnibus animi corporisque viribus quomodo laudare debemus.

18. Ordo sectionis. David misericordiam veluti reginam supra omnia sibi optatissima erigit, v. 4. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas;* 2. circa eius thronum septem corporis partes animique potentias collocat, veluti septem principes angelos, qui Tob. 12. 15. *astant ante Dominum,* ut eam laudent et admirentur: nempe labia, linguam, manus, voluntatem, os, memoriam et intellectum.

Primo enim misericordiam Dei extollit labiis, vers. 4. *Labia mea laudabunt te.* Secundo, lingua, vers. 5. *Sic benedicam te in vita mea.* Tertio, manibus: *Et in nomine tuo levabo manus meas.* Quarto, voluntate, vers. 6. *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Quinto, ore: *Et labiis exultationis laudabit os meum.* Sexto, memoria, vers. 7. *Si memor fui tui super stratum meum.* Septimo denique, intellectu: *In matutinis meditabor in te.*

Secundo, effectus divinæ misericordiæ aperit, tam respectu Dei, quam hostium et ipsius Davidis.

Primo enim ait, quod Deus nocte sui memorem, et mane dona sua meditantem atque exposcentem ab æstu diurno et meridiano tuetur, vers. 8. *Et in velamento alarum tuarum exultabo;* 2. comitem se dat iusto, eique viam commonstrat: *Adhæsit anima mea post te;* 3. vesperi fatigatum domo sua excipit: *Me suscepit dextera tua.*

Secundo, prævidet hostes suos præda exoptata frustrandos, v. 9. *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam;* 2. perituros: *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.*

Tertio denique, prædicit se in thronum regium esse restituendum, vers. 10. *Rex vero lætabitur in Deo;* 2. eos qui suas partes secuti sunt futuros gloriosos, et os hostibus suis victis et confusis occlusuros: *Laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.*

ARTICULUS I.

Misericordia Dei laudanda est corpore et animo.

19. Vers. 4. Omni vita est melior misericordia Dei. Ipsi vitæ suæ præfert misericordiam Dei David, vers. 4. Quoniam melior est misericordia tua super vitas (S. Hier. quam vitæ): labia mea laudabunt te. Quæres, super quas vitas est melior misericordia Dei? Resp. super omnes. Primo Chald. interpretatur de vita impiorum. Sic enim vertit: *Melior est misericordia tua, quam facies iustis in mundo venturo, vita quam dedisti impiis in mundo isto.* Euthymius intelligit, vitas deliciis et voluptatibus deditas. Secundo, S. Augustinus sumit varios vivendi modos, conditiones et status, ut negotiandi, rusticandi, fœnerandi, militandi et similes. Tertio, alii intelligunt vitam vegetativam, sensitivam et rationalem. Quarto et aptius, melior est misericordia tua *super vitas;* id est, plusquam vitæ longissimæ et felicissimæ, quas sibi homines exoptant. Quinto, *super vitas,* id est, super vitam meam, q. d. Pluris faciam tot dona misericordiæ tuæ mihi collata, quam vitam meam, q. d. Illam plurimi æstimo, nihil mihi illa optatius et acceptius. Septimo denique, melior est misericordia tua *super vitas,* tam meam, quam meorum parentum, liberorum, subditorum, militum, amicorum, q. d. Video me meosque in hoc bello de vita periclitari, sed tu es pater et Dominus meus misericors; quidquid feceris, misericordiam tuam laudabo, tua enim natura est bonitas. S. Basil. oratione de fide: Increata natura, inquit, incomprehensibilis substantia, virtus libera et sui iuris, φυσικη

A αγαθοτης, *bonitas naturalis,* herilis dignitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

Nota, misericordia Dei dat vitas, ideo est melior et præstantior illis. S. Greg. illud Iobi explicans, *Vitam et misericordiam tribuisti mihi,* explicans ait, lib. 9. Moral. cap. 38. *Vita quippe tribuitur, cum malignis mentibus benignitas aspiratur. Sed vita sine misericordia accipi nequaquam valet: quia ad obtinenda Dominus iustitiæ bona non adiuvat, si prius misericorditer anteactas nequitias non relaxat. Vel certe, vitam nobis et misericordiam tribuit: quia ea, qua nos misericordia ad bene vivendum prævenit, etiam subsequente custodit.*

Dei autem misericordiam laudat David. Primo, labiis: Labia mea laudabunt te, q. d. Non continebo illam laudem in animo, sed erumpet foras. Victimis illas laudes comparat Oseas Propheta cap. ultim. 3. *Reddemus vitulos labiorum nostrorum:* apum favo æquiparat illas Christus animæ sanctæ Sponsus, Cantic. 4. v. 11. *Favus distillans labia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua.* Ideo Sancti toti sunt in eius laudibus, ac præsertim ipsius misericordiæ. S. Clemens Papa lib. 7. Constitut. Apostolicar. cap. 34. sic ait: Deus Abraham, Isaac et Iacob, ο ελεημων και οικτιρμων, qui es misericors et miserator: longanimis et multæ misericordiæ, cui omne cor patet: ad te clamant iustorum animæ, in te sunt collocatæ spes Sanctorum. Tibi per omnes partes orbis habitabilis, προσευχης και λογων αναπεμπεται σοι θυμιαμα, thymiama precationis et sermonum adhibetur: ita Clemens. Martyres in ipsis suis tormentis misericordiam Dei sentiunt, postulant et prædicant. S. Thelica generosissimus Christi athleta, cum laniaretur, dicebat: Non sumus homicidæ, non fraudem fecimus, *Deus miserere.* Gratias tibi ago. Pro nomine tuo da mihi sufferentiam. Libera servos tuos in captivitate huius sæculi. Gratias tibi ago, nec sufficio tibi gratias agere. Cum ictibus ungularum fortius latera sulcarentur, profluensque sanguinis unda violentis tractibus emanaret, Proconsulem sibi dicentem audivit: Incipis sentire, quæ vos pati oporteat. Et adiecit, ad gloriam. Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum æternum, regnum incorruptum. Domine Iesu Christe, Christiani sumus, tibi servimus: tu es spes nostra: tu es spes Christianorum, Deus sanctissime, Deus altissime, Deus omnipotens, tibi laudes pro nomine tuo agimus. Ita habent Acta Proconsularia, ubi etiam referuntur non dispares S. Emeriti Martyris laudes. Huic Proconsul precanti iniecit: Habes Scripturam aliquam in domo tua? Et respondit: *Habeo, sed in corde meo.* Et Proconsul. In domo tua, inquit, habes an non? Emeritus martyr ait: In corde meo illas habeo, rogo Christe: tibi laudes: libera me Christe: in nomine tuo patior, breviter patior, libenter patior, Christe non confundar: ita ibi.

20. Vers. 4. 1. Pars. Labiis Deus est laudandus.

B

S. Thelicæ generosa mens.

C

Symbolice. Labia Christi sunt Apostoli et Apostolici viri, quorum est proprium celebrare Deum laudibus. Guilhelmus in cap. 1. Cantic. illud explicans, *Oleum effusum nomen tuum;* per oleum gratiam vult intelligi, quæ per Apostolos mundo effundatur: *Labia eius,* inquit, *Apostoli, in quibus posuit saluberrimum verbum prædicationis, et per quos suavissimum osculum reconciliationis mundo porrexit.*

D Secundo, lingua benedicendus est Deus, v. 5. Sic benedicam te in vita mea (id est, vita mea, et bonis operibus; 2. toto vitæ tempore: et is sensus est simplicior et melior) et in nomine tuo levabo manus meas. Nota cum Lorino, pro *sic,* Hebraice est כן *chen.* Græc. ουτως, quæ significare possunt, *itaque,* aut, *cum hoc ita sit;* nempe, quod dixi, me in sancto apparere tibi, nec recedere a tui præsentia, iugique meditatione virtutis et gloriæ tuæ; propterea benedicam te; 2. *sic,* id est, eo modo 21. Vers. 5. 1. Pars. Lingua Deus est laudandus.

quo nunc facio, ut Euthymio placet, et indicat Apollinaris, explicans optative: *Sic te glorificem semper donec repo; 3. sic*, q. d. Si sic, ut spero, ac peto, concesseris, reditum scilicet in patriam, multoque magis ad visendam arcam: ita innuit Arnobius; 4. *sic*, q. d. Tribuendo et adscribendo tibi vitam meam, et quæcumque habeo: ita S. Augustinus; 5. *sic in vita mea*, id est, quamdiu vivam, benedicam te; 6. *sic*, id est, modo quodam, quem non satis queo exprimere, ἐξ ὅλης ψυχῆς, ait Nicephorus, id est, ex tota anima. Hanc vim habet alibi τὸ *sic*, ut Ioann. 3. vers. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; 7. sic*, id est, deinde, postea. Genebrardus putat hic τὸ *sic*, esse blandientis ac demulcentis particulam, eo modo quo illam crebro usurpat 2. de Ponto eleg. 8. ad Cottam Ovidius, et Prudentius in hymno de Hyppolyto martyre; 8. *sic*, est aliquando particula imprecandi, aut bene precandi, ut apud Martial. lib. 6. epigr. 60. denique 9. *sic*, id est assidue te laudando, hic sensus est simplicissimus, facillimus, et optimus: dixerat enim, *labia mea laudabunt te*: deinde addit, *sic benedicam te in vita mea*.

Sic varie expositum.

Optima expositio.

Moral. Lingua bona est instrumentum optimum ad laudandum Deum. S. Gregor. Nazianzenus oratione in quadragesimam: *Nulla res est*, inquit, *quæ maiorem hominibus perniciem afferat, quam lingua. Equus est perpetuo cursu mentem antevertens*. Si vero, ut ait idem sanctus Pater orat. 1. fiat θείας μελῳδίας πλῆκτρον, *divinæ melodiæ plectrum*, nihil est illa utilius. Agapetus Diaconus in cap. parænecticis ad Iustinianum Cæsarem: Lubricum, inquit, est instrumentum linguæ, maximumque affert negligentibus periculum. Quod si primum intellectum velut musicam, illi præfeceris, omnibus harmoniæ numeris modulabitur melos. Sancti viri totam vitam optant impendere in Dei laudibus. S. Egbertus Ordinis S. Benedicti præter solemnem canonici temporis psalmodiam, quotidie psalterium totum in memoriam divinæ laudis decantabat, et diem in septimana unum cum nocte ieiunus transigebat, ut ait Eduardus Maihew in Troph. Congregat. Angl. Ordinis S. Benedicti tom. 1. pag. 437. idem auctor p. 665. refert Bedam non minus virtutibus, quam scientia venerabilem, morti proximum in casulæ suæ pavimento iacuisse: et orationi intentum, cum dixisset: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, vix nomine Spiritus sancti enunciato animam exhalasse. Nonne hoc est benedicere Deum tota vita sua?

22. Vers. 5. 2. Pars. Manibus Deus est laudandus.

TERTIO, manibus laudandus est Deus, vers. eod. 5. ET IN NOMINE TUO (id est, in tua auctoritate et posteritate; 2. et melius, in invocatione nominis tui) LEVABO MANUS MEAS, ut hostes meos percutiam. Sic dicitur Ps. 73. 3. *Leva manus tuas in superbias eorum*; 2. ut iurem; solebant enim, ut etiamnum fit, levare manus in iurando. Sic dicit Abraham, Genes. 14. v. 22. *Levo manum meam ad Deum possessorem cæli et terræ, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*; 3. et melius, levabo manus meas ad te in oratione. Sic monet S. Paulus 1. Timoth. 2. vers. 8. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus*. Et David noster ait Psal. 140. 2. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Locum illum consule.

Elevantur in oratione manus ob tres rationes.

Tria porro denotat hæc elevatio manuum in oratione. Primo, nos orare debere cælestia, non terrena. S. Anselmus in 2. epist. ad Timotheum: *Orent*, inquit, *levantes ad cælestia, non deprimentes ad terrena manus puras a peccatorum sordibus: ne enim confundantur manus ad Deum levatæ, debent et a peccatis esse puræ, et in omnibus operibus exercitatæ*. Christus manus expandit in cruce, ἵνα περιλάβῃ οἰκουμένης πέρατα, ut comprehenderet fines terræ, sicut loquitur S. Cyrill. catech. 13.

Secundo, levandæ sunt manus in oratione, ut indicemus nos a Deo solo auxilium sperare. Apollin. hic ponit pro *in nomine tuo*, σοὶ ἐπιθαρσεῖς, id est, *in te confisus*. Tertullianus in Apologetico cap. 30. *In cælum*, ait, *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus: denique, sine monitore, quia de pectore oramus. Sic itaque ad Deum expansos ungulæ fodeant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insideant. Paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani*. Sic mediis in flammis fornacis Babylonicæ tres pueri manus ad Deum adiutorem elevabant. S. Andreas Episcopus Cretensis orat. 2. de exaltatione S. Crucis: Sustulerunt, inquit, olim manus in altum Azarias et socii eius, in Babylonicæ fornacis igne precantes, et elatam in altum ignis flammam extinxerunt, crucem exaltatam adumbrantes.

Tertio denique, levandæ sunt manus in oratione, ut denotetur opera esse verbis iungenda. Ut enim est in parœmia, *dii facientes adiuvant*. Vernacule dicimus: *Aide toy, Dieu t'aidera*. Hercules orantem iussit manum precibus addere. Parœmia etiam est, *cum Minerva manum quoque move*. Ieremias dicit Threnor. 3. 41. *Levemus corda cum manibus*, quod expendens S. Gregor. lib. 18. Mor. cap. 5. *Corda*, inquit, *cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat, cor levat, et manus non levat: qui vero operatur, et non orat, manus levat, et cor non levat*: ita Gregorius. Ubi etiam adverte, quod manus elevatio et extensio denotat opera bona. Hoc indicat Philo lib. 2. Allegor. legis, ubi sic loquitur: *Moses Propheta dicit: Cum egressus fuero civitatem, id est animam*, πόλις γάρ ἐστι καὶ αὐτὴ τοῦ ζώου. *Nam hæc quoque est animantis civitas, mores legesque præscribens, extendam manus. Extendam et explicabo meas actiones Deo*, μάρτυρα καλῶν καὶ ἐπίσκοπον ἑκάστης, *testem inspectoremque singularem invocando, eum malitia suopte ingenio quærat latebras*.

Quarto, voluntate Deus laudandus est, vers. 6. SICUT ADIPE ET PINGUEDINE REPLEATUR (S. Hieron. et Arabs, implebitur) ANIMA MEA (tota, sed præcipue voluntas, ut infra patebit) ET LABIIS EXULTATIONIS (id est, exultantibus) LAUDABIT OS MEUM. 23. Vers. 6. 1. Pars. Voluntate Deus laudandus.

Nota, omnis adeps victimæ immolatæ, etiam in victima pacifica, et in hostia pro peccato comburebatur in honorem Dei. Levitici 3. 16. *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo in generationibus, et cunctis habitaculis vestris*. Huius legis ratio est, quia adeps est optima pars victimæ, et aptissimus est ad comburendum. Secundo nota, differunt adeps et pinguedo, quod adeps musculorum extremitatibus aut membranis adhæreat, pinguedo inter carnem et cutem sita sit. Haimo: Adeps, inquit, proprie pinguedo interior est, quæ est circa vitalia, ut reticulum, et cætera: pinguedo, quæ est in membris exterioribus, ut in pectore, quæ cremabantur Deo in sacrificiis veteris legis.

Quæres, quid per adipem et pinguedinem hic deposcat sibi David? Respond. primo, charitatem denotare: ita Aiguanus: Adeps enim, inquit, realiter defendit vitalia interiora, et ipsa operit: sic et virtus charitatis et amicitiæ proximum operiendo custodit. Unde Levitici 3. dicitur: *Offerent Domino adipem, qui intrinsecus operit vitalia, et quidquid pinguedinis est intrinsecus*. Vitalia enim interiores virtutes dicuntur, quas operit charitas, et custodit quam Deo debemus offerre: quia omnis actus veræ charitatis terminatur ad Deum: Adeps ergo charitatis operit vitalia: quando quis vitam proximi charitate defendit, nutrit et protegit. Dicit magister de proprietatibus rerum lib. 7. quod, si adeps, vel pinguedo in corpore hominis dissolvatur, statim deficit calor naturalis, et mors subitanea sequitur. Quid enim est calor naturalis, nisi ipsa vita gratiæ, in qua consistit nostrum vivere spiritnale; sicut et vita corporalis in naturali calore? Si ergo adeps interius coagulatus dissolvatur, id est unio charitatis ad proximum disrumpatur, statim cessat calor spiritualis, in quo vita gratiæ consistit: et sic subito sequitur mors animæ. Istum ergo adipem charitatis conservare debemus: scilicet corde et opere. In cuius figuram dicitur Levit. 7. v. 30. *Tenebit in manibus adipem hostiæ et pectusculum*. Per manus opera intellige: sed per pectuscu- 24. Adeps, pinguedo quid symbolice notent. I.

lum, in quo latet, cor, ipsam intentionem. Debemus ergo adipem charitatis tenere in manibus, id est, charitatem per opera proximis ostendere: debemus etiam pectusculum tenere in manibus, ut scilicet operibus exterioribus copuletur charitas interior: ut scilicet solum propter Deum exteriora opera fiant, at non propter aliquod temporale, vel carnis delectationem, ut scilicet adeps charitatis separatus sit a carne; id est, ab omni carnis voluptate vel affectione, sicut de Nathan Propheta dicitur Eccl. 47. v. 2. *Surrexit Nathan Propheta, quasi adeps separatus a carne.*

II. Secundo, adeps animæ, est spes et desiderium bonorum cælestium: ita S. Gregorius lib. 8. Mor. cap. 11. Illud considerans Iobi 7. v. 5. *Cutis mea aruit et contraeta est*, sic loquitur: In sanctæ Ecclesiæ corpore, hi, qui solis exterioribus cutis inserviunt, congrue cutis vocantur. Quæ nimirum cutis arescendo attrahitur, quia mentes carnalium dum præsentia diligunt, et quasi iuxta posita concupiscunt, ad futura tendi per longanimitatem nolunt. Qui dum internæ spei pinguedinem negligunt, ut attrahantur, arefiunt: quia si eorum corda desperatio non siccaret, neqnaquam æstus hæc pusillanimitatis attraheret. Hanc namque attractionem Psalmista formidaverat, cum siccitatem mentis metuens dicebat: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: Adeps quippe pinguedinis animam replet: cum hanc contra præsentium desideriorum æstum supernæ spei infusio refovet.* Cutis ergo arescens attrahitur, cum cor rebus exterioribus deditum, atque ex desperatione siccatum, in auctoris sui amorem non tenditur: sed in semetipso, ut ita dixerim, rugosa cogitatione replicatur: ita Gregorius.

III. Tertio, adeps et pinguedo mentis sunt fides, et omnes virtutes: ita Bruno. Pinguedo animæ, iuquit, divinarum rerum scientia est, et recta fides, et inconcussa patientia, etc. unde sæculi istius macies superatur: ita ipse. Notabila est, si verum, quod refert Ælianus lib. 9. cap. 14. his verbis: Philetam Coum aiunt, λεπτοτατον γενεσθαι το σωμα, macerrimo corpore extitisse. Quoniam igitur quavis occasione, in omnem partem facile flecti poterat, ferunt eum, μολιβδου πεποιημενα εχειν εν υποδημασι πελματα, *plumbeas habuisse soleas in calceis*, ne a ventis prosterneretur, si paulo durius eum afflassent. Multi nolunt adipem et pinguedinem cælestem quærere, et plumbo rerum terrenarum se degravant. S. Augustinus in Psalmum nostrum: *Habet*, inquit, *quamdam pinguedinem anima nostra. Est quædam saturitas pinguis sapientiæ. Sapientiæ enim ista animæ qui carent, marcescunt, et omnino ita exiles fiunt: ut in bonis omnibus operibus cito deficiant. Quare cito deficiunt in omnibus bonis operibus? quia non habent pinguedinem saturitatis suæ.* Audi Apostolum dicentem de pingui anima, præcipientem ut quisque bene operetur qui ait 2. Corinth. 9. vers. 7. *Hilarem datorem diligit Deus:* hæc ipse, qui aliquot interiectis subdit: *Divitias hic amas, ipse Deus tibi erit divitiæ tuæ. Sed amas fontem bonum: quid præclarius illa sapientia? quid lucidius? Quidquid hic potest amari, pro omnibus tibi erit qui fecit omnia.*

Philetæ macies et levitas mira.

IV. Quarto, adeps et pinguedo mentis est Eucharistia. Hæc est *convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Isaiæ 25. v. 6. *Hic est panis frugum terræ uberrimus et pinguis*, ibidem cap. 30. v. 23. *Hic est panis pinguis, qui præbebit delicias regibus, id est, sanctis viris passiones suas regentibus et moderantibus.* Gen. 49. 20. *Hoc est oleum impinguans, et vinum inebrians*, Ps. 22. 4. Vide ibi dicta. Nunc sufficiat Paschasius Radbertus, Abbas Corbeiensis, qui floruit circa annum 850. tempore Caroli Calvi regis. Is libro de corpore et sanguine Domini comparat Eucharistiam arbori vitæ, quæ vegetum semper, vividum, et vivens corpus conservasset. Sicut, inquit, fuit arbor vitæ in paradiso, ita sancta Dei Ecclesia, quæ paradisus deliciarum in Canticis appellatur, habet in se mysterium vitæ. Eva cibum vetitum viro exhibens mortem mundo invexit: Maria vitalem Eucharistiæ escam offerens vocavit ad vitam: ita ipsa. Cibos diis oblatos comedebant sacerdotes Baal, Dan. 14. 20. Hoc etiamnum faciunt Indi, de quibus noster Orlandin. lib. 4. hist. Soc. num. 67. In Pagodibus, ait, qui et ædes sunt et simulacra deorum, dum de cibariis populi ventrem farciunt, tympanis perstrepunt, non tam harmonico ac leni, quam absurdo barbaroque concentu, quo multitudini fidem faciant, quam suaves sint diis epulantibus missæ dapes. Nam et Deorum fingunt simulacra prandere, quorum ipsi prandia et dona liguriunt: hæc ibi. Deus vero noster non curat cibos nostros, sed seipso nos pascit. Ps. 22. 1. *Dominus regit me*, Hebr. pascit me, *et nihil mihi deerit.* Quis erit aliis contentus, qui cibum hunc negligant? S. Prosper in epigr.

Idola prandere fingunt. Indi Brachmanes.

Nam quid erit, quod dira procul fastidia pellat,
Cum seipso refugit mens salutare Deo?

Quinto denique, adeps et pinguedo mentis est devotio 25.
tum interior in oratione, tum exterior in promptitudine V.
et alacritate orationis. S. Thomas 22. quæst. 82. art. 1. in corpore, dicit, quod devotio nihil aliud esse videtur, quam voluntas quædam prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum. Unde Exodi 35. dicitur, quod multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima atque devota primitias Domino. Et art. 2. dicit, devotionem esse pinguedinem, qua nutritur charitas, et vicissim charitate nutriri devotionem. Sic enim ait in responsione ad 2. Pinguedo corporalis, et generatur per calorem naturalem digerentem, et ipsum calorem naturalem conservat, quasi eius nutrimentum. Et similiter charitas et devotionem causat in quantum ex amore aliquis redditur promptus ad serviendum amico: et etiam per devotionem charitas nutritur: sicut et qualibet amicitia conservatur et augetur, per amicabilium operum exercitium et meditationem: ita S. Thomas. Devotionem maxime nutriunt oratio et meditatio. S. Hier. epist. 6. ad Florentium: *Meditatio*, inquit, *animæ Christianæ pabulum.* S. Franciscus orationis gratiam viro religioso super omnia desiderandam esse aiebat, nullumque credebat sine illa in Dei prosperari servitio: ac modis quibus poterat omnibus fratres suos ad eius studium incitabat. Nam ambulans et sedens, intus et foris, laborans et vacans, semper orationi intentus existebat, ut ait Lucas Waddingus in Annal. tom. 1. pag. 75. num. 51. Cibi corporis debent accipi cum magna moderatione, ne nimis degravent et nauseam pariant; sed ut ait S. Bonaventura in Ps. 33. quanto quis magis sumit de spirituali cibo, tanto magis ei placet. Et Hugo a S. Victore in Ps. cap. 78. *Cibus corporalis*, inquit, *carnem reficit, sapientia mentem pascit. Cibus corporalis tria habet in se: saporem, nutrimentum, massam. Sapor delectat, nutrimentum sustentat, massa onerat: sapor quodammodo spiritualis est; et ideo solummodo delectat, non gravat: gula percipit saporem, stomachus nutrimentum, et massam: alterum ad refectionem, alterum ad gravamen.* Pythagoras iure reprehendebat discipulum quemdam pinguiorem, quod, ut dicebat, carcerem sibi molestiorem struere non desineret: corpus scilicet obesius et ponderosius. Epaminondas Thebanorum dux obesum militem e castris suis expulit, quod diceret cum tribus quatuorve clypeis tegi vix posse. Danorum rex iussit quemdam histrionem suspendi, quod singulis diebus decem hominum cibos devoraret. Ventris saginam non amat Deus: unde etiam convivia ab Ecclesiis eliminari iussit, ut decretum est in Concilio habito in Trullo canon. 74. Non oportet, inquit, in dominicis locis vel Ecclesiis, eas quæ dicuntur Agapas, id est charitates facere, et intus in æde comedere, et accubitus sternere. Qui autem hæc ausi fuerint, vel cessent, vel segregentur: ita ibi. At vero, hortatur Deus nos ut usque ad saturitatem cibos spirituales comedamus. Isaiæ 55. v. 2. *Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.* Psal. 147. v. 14. *Frumenti adipe satiat nos Dominus.*

Devotio est adeps mentis.

Voraces puniti.

26.
Quinto, ore laudandus est Deus: ET LABIIS EXULTATIONIS LAUDABIT OS MEUM. S. Hieronymus, labiis laudan- Vers. 6. 2. Pars.

Ore Deus est laudandus.

tibus canet os meum. Psalt. Rom. et Gallican. S. Hilarius, S. Augustinus, Arnob. Cassiod. habent, labia exultationis laudabunt nomen tuum, id est, te, q. d. Tu et nomen tuum eritis semper in ore meo. Sed quod nomen? Domini, aut salvatoris, q. d. Quia tu me liberasti a meis hostibus, ego te contenta voce et exultante laudabo. Plutarchus lib. contra Epicurum: Neque vini copia, inquit, vel assæ carnes diffundunt in festis animum: sed bona spes, sed existimatio adesse Deum propitium, libentique animo delata sibi admittere: ita ille. Ex abundantia cordis os loquitur: est enim os, velut cordis echo et præco. S. Ambrosius lib. 6. Hexaem. cap. 9. *Quid est*, ait, *os hominis, nisi quoddam sermonis aditum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis.* Horus lib. 1. hierogl. cap. 21. dicit, quod Ægyptii Nilum faciebant similem cordi lingua prædito: cordi quidem, quoniam princeps hæc et potissima apud ipsos habetur totius corporis pars, sicut et Nilus totius Ægypti dux est et princeps. Linguæ autem, quod cum hæc perpetuo in humido esse gaudeat, insuper et ipsam genitricem causamque rerum status appellant: ita Horus. Adde, quod cor Deo plenum, et os iubilans exundet, necesse est instar Nili, ut omnes fœcundet. Hinc David noster Ps. 46. v. 1. exclamat: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.* S. Cedmonus religiosus illiteratus curam iumentorum habens derepente carmina angelice cecinit divinitus dictata, e solis sacris petita litteris; quæ tantæ erant elegantiæ, tantoque rerum ac verborum pondere efformata, ut frustra doctissimi ad eam venustatem aspirarent, ut refert Harpesfeldus.

S. Cedmonus divinitus docetur.

Nota, pro *labiis exultationis*, Hebr. est, labiis רננות *renanot*, id est clamoris fortis, sive in cantu, sive in oratione; 2. orationis triumphi, acclamationis gratulatoriæ: quod huic loco est aptum, in quo David prædicit victoriam de Absalone obtinendam. De vi clamoris in precibus egi alias. Moderatione tamen et gravitate opus est, præsertim in sacris cantibus, ut præcipit Concilium sextum in Trullo. canon. 75. Eos, ait, qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, et naturam ad clamorem urgere: nec aliquid eorum, quæ Ecclesiæ non conveniunt, et apta non sunt asciscere; sed cum magna attentione et compunctione psalmodias Deo, qui est occultorum inspector, offerre. Pios enim et sanctos fore filios Israel sacrum docuit oraculum. Hæc patres illi recte sanciverunt.

27. Vers. 7. 1. Pars. Memoria Deus est laudandus.

Sexto, memoria laudandus est Deus, eius et datorum beneficiorum recordando, v. 7. Si (Valentia legit sic, sed perperam) MEMOR FUI TUI SUPER STRATUM MEUM (S. Hieronymus, in cubili meo) IN MATUTINIS MEDITABOR IN TE. Nota, utilis est memoria Dei de nocte. Primo, ut meditatio matutina sit expeditior, et efficacior, atque iucundior. Hinc dicit, *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te:* quia plena bonis et sanctis speciebus mens in seipsa colligitur, et divino amore exardescit, sicque flammas statim concipit: contra vero, nocturnis phantasmatis et illusionibus turbata phantasia difficilius ad cælestia revocatur. Ut enim ait Nemesius Emisenus libro de natura hominis, cap. 13. Ea vis qua meminimus, memoriæ et recordationis causa est, et penu. Memoria est, ut Origenes ait, phantasia intus relicta, ab aliquo sensu, qui actu fit: ut Plato autem definiebat, sensus et intelligentiæ notionis conservatio: ita ipse. Itaque intellectus ex memoria, velut ex thesauro, statim desumit sibi ad meditandum necessaria. Secundo, de nocte memor Dei, in ipsa nocte facile orat et meditatur. De utilitate illius meditationis dixi Ps. 1. v. 2. *In lege eius meditabitur die ac nocte;* Aquila, resonabit. Vide ibi dicta. Adde S. Ambros. lib. 3. de Virginibus: *In ipso cubili*, ait, *volo psalmos cum oratione dominica frequenti contestas vice, vel cum evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget.* Tertio, memoria Dei nocturna fugat tentationes, et dæmones. Diadochus Episcopus Photic. libro de perfectione spirituali, cap. 31. *Si*, ait, *tunc mens ita parata inveniatur, ut nomen Domini Iesu ferventi memoria retineat, et hoc sancto et glorioso nomine, tamquam armis, adversus dolos eius usa fuerit, recedit fallax et versutus dæmon.* Si enim vere dixit S. Gregorius Nazianzenus iambico 18. meminisse tantum Martyrum, sicut reor, affert salutem; de Dei et Christi crucifixi memoria quid dicemus. Quinto, memoria Dei nocturna est indicium et fomes amoris divini. Libanius in epistola ad Leontium scribit: Tantum abest, ut possim oblivisci tui, ut potius membra corporis mei sine spiritu moveantur, quam sine tui memoria vivere possim: ita ipse, summum erga ipsum amorem declarans. Dicit Christus amatæ et amanti se sponsæ, Cantic. 8. v. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio.* Signaculum ponitur pro imagine signata, quæ ferenda est super brachium ad operationem, super cor ad recordationem. Ugo Cardinalis sensum esse vult, q. d. Volo, ut mei pro te crucifixi memoriam habeas: ut per te nihil nocivum intret, aut exeat, ut mihi soli arcanum cordis aperias, ut speciei meæ in te similitudo resultet, ut mei character amoris te ab omni alieno discernat, ut in castro tuo meum semper vexillum appareat. Monile pectoris est signaculum cordis, ne affectio indigna surrepat: armilla brachii, signaculum fortitudinis in exteriori operatione, ut etiam in corpore nostro stigmata Domini nostri Iesu Christi circumferamus: ita Ugo.

Libanii amor de amico memor.

28. Vers. 7. 2. Pars. Nox in quatuor vigilias distributa.

Septimo denique, intellectu Deus laudandus, meditando eius potentiam et benignitatem, v. 7. IN MATUTINIS MEDITABOR IN TE (id est, de te; *beth* enim id est *in*, pro omni particula apud Hebræos ponitur) QUIA FUISTI ADIUTOR MEUS. Nota, pro *in matutinis*, Hebr. est באשמורות *beascimurot*, id est, in vigiliis, ut vertunt Pagn. Felix; in custodiis, ut Arias; per singulas vigilias, ut S. Hier. Sed intellige præsertim vigiliam matutinam. Romani enim et Hebræi noctem in quatuor vigilias seu custodias dividebant, quarum singulæ ternas durabant horas. S. Augustinus serm. 14. de verbis Domini secundum Matthæum: *Quarta vigilia noctis*, inquit, *extrema pars noctis. Vigilia una tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigilias habet, ternis horis per singulas vigilias distributis. Quarta ergo vigilia noctis, hoc est pene iam nocte finita: sic veniet Christus in fine sæculi iniquitatis nocte transacta, ad iudicandos vivos et mortuos.* Ita Augustinus symbolice explicans adventum Christi ad Apostolos tempestate iactatos in mari Tiberiadis; ad eos enim venit quarta vigilia noctis. Quatuor vigilias etiam ponit Censorinus de die natali, cap. 23. Modestus libro de vocabulis rei militaris, Vegetius lib. 3. de re militari, cap. 8. et alii. Ubi advertе, Christianos ac præsertim Religiosos, debere vigilare in oratione, psalmodia et meditatione, tamquam milites, 1. cum armis; 2. cum attentissima cura, ne hostis irrepat, et iugulet dormientes, urbemque aut arcem invadat, et cordis ipsorum et totius communitatis, atque civitatis et provinciæ in qua sunt. Sunt enim vigiles atque custodes regnorum a Deo constituti. De prælatis dicitur Hebr. 13. v. 17. *Ipsi pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* A pastore dormiente ovis repetitur quam lupus rapuit. Unde Iacob dicebat Laban socero suo, Gen. 31. v. 40. *Fugiebat somnus ab oculis meis.* Apostolus ait, se fuisse in vigiliis multis, 2. Corinth. 11. v. 27. Secundo, adverte *ascimurot* non dicere simplicem vigiliam, sed vigiliam cum custodia; *sciamar* enim est custodire, servare, conservare, et quidem cum cura, sollicitudine et diligentia. Agitur de anima, et tota æternitate. S. Petrus Apostolus cum dixisset, 1. epist. 5. 8. *Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, statim addidit, *cui resistite fortes in fide.* Quid enim prodest vigilia in leonem furentem, nisi armatum et virile pectus, et brachium illi opponas? Euthymius ad Psal. 129. Custodias, inquit, antiqui certas noctis partes appellabant, eo quod milites in exercitibus noctem solent in quatuor partes dividere, quibus alternatim vigilantes reliquum exercitum ab hostium insidiis custodiunt: ita ille. Harum excubiarum militarium

Christiani in oratione vigilent.

argumento, ait Iosn. Stephan. Durandus primus Præses senatus Tolosani, lib. 3. de ritibus Ecclesiæ Catholicæ, cap. 5. Ecclesia, velut castrorum acies ordinata, Cant. 6. cui ab hoste communi perpetuo tenduntur insidiæ excubias clericis agendas instituit, idque nocte. Eo enim præsertim tempora, auctore S. Hilario ad Ps. 118. in ea verba, *Memor fui nocte nominis tui*, subrepunt animo impuræ cupiditates, et vitiorum stimuli per recens assumptum cibum corpus exagitant, ac maxime corporis vitiis opportunitas datur. Multa, in illo tempore, ait S. Ambrosius tentamenta proserpunt. Tunc fervet carnis illecebra, tentator illudit. Cæterum, antiquitus nocturni matutinarum precum separatim in singulis noctis vigiliis, tribus distinctis temporibus recitabantur. Primus nocturnus prima vigilia, secundus secunda vigilia, tertius tertia vigilia, Beleth in explicatione divinorum officiorum cap. 20. et seq. Guilielmus Durandus in Rationali, lib. 5. cap. 3. S. Thom. in cap. 14. prioris ad Corinthios, Glossa pragmat. qualiter horæ. Quod et S. Hieronymus non obscure indicat epistola 22. ad Eustochium, ibi, Noctibus, bis terque surgendum. Nonnulli coniiciunt non omnes initiatos singulis nocturnis adfuisse: verum quosdam ad primum, alios ad secundum, reliquos ad tertium; ad quartum vero, seu laudes matutinas omnem initiatorum cœtum convenisse, Dominicus de Soto libro ultimo de iustitia et iure, quæst. ult. At probabilius est omnes initiatos singulis nocturnis interfuisse. Divinum enim officium clerici recitare perfecte debent. Præterea etsi ad singulas noctis vigilias surgere, et ad recitandos nocturnos convenire cogerentur: non tamen per totam vigiliam excubare, et in vigilia manere. Recitatis enim, quæ singulis nocturnis dicenda sunt, liberum erat eis, se iterum somno at quieti tradere, atque somnum repetere usque ad proximam vigiliam. Dein Ecclesia imbecillitati humani generis consulens, Nocturnos dicere una cum laudibus ad unam noctis vigiliam indulsit. Cassianus lib. de institut. monach. c. 4. testatur, iam suo sæculo matutinam (ea vero laudes complectitur) quæ solebat in Galliæ monasteriis, recitatis Nocturnis, paulo post celebrari, in suo monasterio cum quotidianis vigiliis perfici, et consummari. Amalarius item in apologo antiphonarum commemorat, se edoctum a Theodoro Archidiacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ, idque iussu Romani Pontificis, Romanos nihil recitare solitos inter nocturnale et matutinale officium. Eaque ratione Hugo a S. Victore lib. 2. de Eccl. offic. cap. 2. docet, nocturnum officium non concludi oratione, sicut diurnum. Officium enim nocturnum, ait ille, simul cum laudibus dici consuevit: hæc et alia Durandus. Nocturnos porro cum laudibus plerique Religiosi recitant præcise media nocte. Benedictini Reformati, qui suam reformationem incœperunt in monasterio S. Vitoni huius urbis Virdunensis, ac deinde per Lotharingiam et Franciam propagarunt, illos recitant hora secunda post mediam noctem. Canonici sæculares tam cathedralium, quam collegiatarum Ecclesiarum, recitant ante auroram. De oratione matutina satis dixi Psal. 5. v. 4. in illud, *Mane astabo tibi.* Mos hic orandi mane ab ipsis Apostolorum temporibus per totam Ecclesiam receptus est. In Socotera insula, ut ait Orlandinus lib. 3. histor. Societatis Iesu, num. 87. se Christianos dicebant, et ad Apostolum Thomam suam referebant originem. Ab eo priscos olim suos in ea insula baptizatos gloriose iactabant. Quater in die salutandi numinis causa coibant, nocte, luceque media, et *matutinis* vespertinisque temporibus. Populum ad id non ære campano, aut tintinnabulo egestate premente, sed ligneis crepitaculis, ut maiora apud nos in hebdomada convocabant. Multas memoriter precationes, non vernacula lingua, sed peregrina pronuntiabant, ad earum explicationem surdi. Ea Chaldæum quid sonare videbatur, vocemque dumtaxat illam sæpius iterabant, Alleluia, Alleluia; iis, quas dixi, precationibus intermistam: ita ibi. Alleluia porro significat, laudate Deum; et est vox Hebraica, aut potius ex duabus Hebraicis facta, ut dicetur suo loco.

A Meditationi porro David, velut optimæ custodi, diei totius ianuam committit, cum ait: *In matutinis meditabor in te*, ne quis hostis irrepat; et, ut assolet in subitaneis urbium occupationibus, de nocte latitans miles sub auroram portis se inferat, et victor cives mentis luguiet, spoliaque omnia abripiat. Et vero, ut ait Ptolemæus in Almagesto: *Meditatio est clavis veritatis.* Secundo, meditationi diei initium committit, velut sapienti œconomo, qui totum diem ordinet, ac dirigat. S. Bernard. lib. 1. de consideratione cap. 7. *Quid sit pietas, quæris? Vacare considerationi. Primum quidem ipsum fontem suum, id est, mentem de qua oritur, purificat consideratio: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat: postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam affert.* Lege nostrum Olivarium Bonartium lib. 1. de horis canonicis, cap. 3. quem tibi prorsus relinquo intactum.

Tropolog. memor est Dei super stratum suum, et meditatur in matutinis, qui sanctum otium iungit operibus B bonis, et in luce gratiæ factis: ita S. Augustinus, Remig. Bruno Herbipolensis Episcopus, Conradi Imperatoris secundi patruelis, et alii. Verba S. August. sunt: *Qui*, ait, *quando otiosus est, non cogitat Deum, in actionibus suis cogitare potest Deum? Qui autem memor eius est, quando quietus est, in ipso meditatur cum agit, ne in actionibus suis deficiat. Ideo quid adiecit? Et in diluculis meditabor in te, quia factus es adiutor meus. Etenim nisi Deus adiuvet bona opera nostra, impleri a nobis non possunt. Et digna debemus operari: id est, tamquam in luce, quando Christo demonstrante operamur. Quicumque operatur mala, in nocte operatur, non in diluculo, Apostolo dicente* 1. *Thessalon.* 5. *v.* 7. *Qui inebriantur, nocte inebriantur: et qui dormiunt, nocte dormiunt. Nos qui diei sumus, sobrii simus. Hortatur nos ut secundum diem ambulemus honeste.* Rom. 13. v. 13. *Sicut in die, inquit, honeste ambulemus. Et iterum* 1. *Thessal.* 5. *Vos, inquit, filii lucis estis, et filii diei, non estis noctis, neque tenebrarum. Qui sunt filii lu-* C *cis, et filii tenebrarum? Qui omnia mala operantur, usque adeo filii noctis sunt, ut timeant videri qui operantur. Et quæ publice operantur mala, ideo publice operantur, quia multi illa operantur. Qui pauci operantur de abscondito operantur. Qui autem talia publice operantur, sunt quidem in luce solis, sed in tenebris cordis. Nemo ergo in diluculo operatur, nisi qui in Christo operatur. Sed qui otiosus memor est Christi, in ipso meditatur in omnibus actionibus suis: et est illi adiutor in bono opere, ne per infirmitatem suam deficiat. Si memoratus sum tui super stratum meum, in diluculis meditabor in te, quia factus es adiutor meus:* ita Augustinus. 29. Tropol. Opera iungenda sunt otio sancto.

Secundo, stratum, seu lectus mentis, est prosperitas: ita S. Hieronym. Beda, Haimo, Bruno Herbip. Aiguan. Ugo, Raynerius, et alii. Sic autem Aiguan. loquitur: Per stratum sive lectum, qui est locus quietis, significatur status prosperitatis, in quo sine turbatione homo quiescit. Et sic ille memor est Dei super stratum suum, qui in statu prosperitatis positus, virtutem servat humilitatis, et D bona opera sibi sternit, in quibus requiescere possit. Unde S. Gregorius lib. 23. Mor. cap. 23. illud Iobi 33. 19. expendens *Increpat quoque per dolorem in lectulo*, sic ait: *In scriptura sacra lectus, sive grabatus, seu stratum, aliquando voluptas carnis, aliquando repausatio in bonis operibus, aliquando requies temporalis accipitur: quid est enim dicere, surge, nisi mala quæ perpetrasti derelinque? Et quid est dicere, sterne tibi, nisi mercedis causas, in quibus requiescere debeas operare? Ut et deserat resurgendo quæ fecit, et inveniat sternendo quod fecerit. Quod utrumque Propheta breviter comprehendit, dicens Ps.* 36. *v.* 27. *Declina a malo, et fac bonum. Declinare quippe a malo, est, ab eo quo iacuit surgere: bonum vero facere, est mercedis opera, in quibus requiescere debeat, præparare. Qui enim declinat a malo, sed adhuc bona non fecit, surrexit quidem ab eo quo iacuit: sed ubi requiescere debeat nondum stravit. Et rursum, lectus vel stratum requies temporalis*

accipitur, sicut scriptum est Ps.40.4. Universum stratum eius versasti in infirmitate eius: ita Gregorius.

Tortio, stratum, seu lectus mentis, est puritas conscientiæ: ita S. Bruno Carthusianorum fundator, qui floruit circa annum 1088. Quarto, pudicitia. S. Hieronymus: In lectulo, ait, pudicitiæ atque sanctitatis mamor sum tui: quia immemor sum delectationis mundanæ. S. Hilarius: *Meditationem,* inquit, *matutinam recordatio nocturna consumat, et idcirco de luce ad Deum vigila: quia ex strati, id est lectuli puritate, et fiducia et conscientia orationis est matutina.* Grellius lib. 10. cap. 15. ait, quod pedes lecti, in quo flamen Dialis cubabat, luto tenui litos esse oportebat. Multorum lectus est. Lutum ac lectulus Christi et animæ sanctæ est floridus.

ARTICULUS II.

Misericordiæ divinæ effectus quatuor erga iustos.

Postquam misericordiæ Dei gratum se futurum Propheta dixit, rationem affert, et quatuor illius effectus assignat. Primo, quod iuverit pugnantem. Secundo, quod texerit trepidantem. Tertio, duxerit sequentem. Quarto denique, susceperit ad se venientem.

30. Vers. 7. 3. Pars. Misericordiæ divinæ effectus quatuor: I. Deus milites suos iuvat in pugna.

Ac primo, misericordia Dei militem suum iuvat in pugna, v. eod. 7. Quia fuisti adiutor meus: tum in variis pugnis contra varios hostes, tum in hac contra Absalonem, quem prævideo fore prosperam. Prophetæ autem futurum sæpe exprimunt per præteritum, ob certitudinem futuritionis. Deus porro pios adiuvat in acie, ut patet in Theodosio orante, et Eugenium tyrannum superante; 2. in Ciodovæo conversionem ad veram fidem vovento, atque Alemannos domante; 3. in Cyriaco B. Theodosii cilicium pro lorica gestante, et hostes profligante; 4. in Comite Arenarum S. Francisci de Paula candelas benedictas ad bellum ferente, et Turcas ab Italia repellente. Postremam hanc victoriam refert Ludovicus Dony d'Afficby lib. 1. histor. general. Minimorum pagina 41. his verbis: Mahometes, inquit, Turcarum Imperator huius nominis secundus, Italiæ totius debellationem animo meditans, numerosum exercitum in regni Neapolitani fines immiserat: S. Franciscus de Paula a Deo præmonitus regem de illa ventura inundatione certiorem fecerat. Turca interim Hydrunto potitur. Comes Aranarum Catholici dux exercitus ad sanctum illum virum, velut ad oraculum, accedit, consilium et opem imploraturus: ab eo discit brevem hanc urbis captæ iacturam fore, victores ex acie redituros Christianos: in eamque rem candelas benedictas militibus singulis elargitur, quas illi pia exosculati cum gaudio susceperunt uno dumtaxat excepto, qui gladio se magis quam candelis in hostes egere iactitavit. Cui sanctus vir, Horum verborum infelicem exitum ingemens. Primo in conflictu iactabundus ilia ense hostili occubuit, nullus vero eorum qui candelas acceperant desideratus est, cruentis licet præliis interfuerint; 5. Didicimus in precibus magis, quam in armis, esse præsidii, in pugna Pictaviensi et Cresciacensi contra Eduardum Angliæ regem pugnantes, de qua re dixi alias; 6. denique, Athelsthanus rex Angliæ in summis angustiis constitutus, intercessiona S. Adelini innumeros hostes fudit, sex reges at plures comites cum infinita hostium multitudine occidit.

31. Vers. 8. 1. Pars. II. Tegit periclitantes.

Secundo, misericordia Dei tegit periclitantem, v. 8. Et in velamento (S. Hieronymus et Arias, in umbra. Hebr. צֵל *scel,* significat umbram, velamentum, tegumentum, defensionem, protectionem) alarum tuarum, (alludit ad arcam et propitiatorium, ubi erant duo Cherubini aurei a Mose facti expandentes alas, in signum protectionis populi sub alis Dei in propitiatorio sedentis, et oracula reddentis) exultabo. Vide dicta Ps. 16. v. 8. Ps. 35. v. 8. Ps. 56. v. 2. Ps. 60. v. 5. Adda illud Deuter. 32. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas,* Deus scilicet ad tegendum populum Israel in deserto: de Marciano bis ab aquila mirabiliter obumbrato dixi Ps. 60. 5. nec mirum, cum de eo Imperatore dicat Nicephorus lib. 15. cap. 1. πλουτον ηγειτο, *Divitias putabat, non aliena omni studio corradere, sed indigentium penuriam liberalitate sua sublevare posse.*

Alæ Dei sunt boni Prælati.

Symbol. Ugo Card. Sunt, inquit, alæ Domini misericordia et veritas, sive potentia et clementia. Potentia defendit, clementia fovet. Secundo, alæ Domini sunt Prælati boni: scilicet alæ illius gallinæ, de qua Matth. 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos sub alis, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, et noluisti?* Et dicuntur Prælati boni alæ Domini, eo quod pullos Domini defendunt ab imbribus, a vulpe, a milvo, a vento, a pulvere. Imber est damnatio iræ Dei. Ps. 10. v. 6. *Pluet super peccatores laqueos.* Gen. 19. v. 24. *Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem.* Vulpes sunt hæretici. Cantic. 2. v. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Ventus superbia: Pulvis avaritia: propter hoc bene signantur Prælati boni per saga, quæ cooperiebant tabernaculum. Exodi 26. v. 11. *Facies aliud operimentum de sagis.* Ubi dicit S. Gregorius: Ut intus byssus fulgeat, pelles at cilicia, imbres et pulverem portent. Qui ergo magnis virtutibus in Ecclesiæ sinu proficiunt, præpositorum vitam despicere non debent, cum vacara eos exterioribus vident. Prælati ergo sunt alæ Domini, sed multi pulli nolunt subesse istis alis, sed superesse, at ideo a milvo rapiuntur. Nunc autem perversæ sunt alæ, quæ pullos occidunt, quos protegere debent. Ierem. 2. v. 34. *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum, et innocentum.* Tertio denique, alæ Domini, sunt brachia in cruce extensa, sub quibus protegitur Ecclesia tota. Deuter. 32. v. 11. *Expandit alas suas, et assumpsit eos, atque portavit in humeris suis.* Non tantum autem protegit Dominus, sed et trahit: unde sequitur: *Adhæsit anima mea post te:* hæc Ugo. S. Ambros. in Ps. 118. sub illis alis dicit totum mundum obumbrari: *Nobis,* ait, *manus suas expandit Iesus, ut totum mundum obumbraret. Quomodo non sumus in umbra, qui crucis eius protegimur velamento? Quomodo non sumus in umbra, quos Crucifixus a malignitate sæculi, et corporis ardore defendit!* Arnoldus itam Carnotensis, Abbas bonæ vallis, discipulus S. Bernardi, et amicus, qui floruit circa annum 1177. ait, in opusculo de septem verbis Domini: Extensis brachiis Christus in cruce totum corpus infra se positum complexus est, et sub alis crucis aggregato generi nostro, ibi et protexit et fovit, ubi nihil posse putabatur: ita Arnoldus.

Tertio, misericordia Dei rapit se sequentes ac sibi unit, 32.
v. 8. Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua. Adhæsio denotat primo, desiderium. Secundo, fiduciam. Tertio, et præcipue, charitatem constantem, qualis erat S. Pauli dicentis Rom. 8. v. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Quid autem potest deesse ei, qui per charitatem Deo adhæret, atque in illo vivit? Richardus a S. Victore tract. de gradibus charitatis c. 1. Charitas, inquit, vita fidei, spei robur, et omnium intima vis et medulla virtutum. Hæc vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, excessus corrigit, mores componit, valens ad omnia et omnibus prævalens: ita Richardus. Hebr. דבק *dabak,* denotat perfectam adhæsionem, et agglutinationem.

Vers. 8. 2. Pars. III. Rapit se sequentes.

Anima debet adhærere Deo, et quomodo.

Nota, adhæret anima Deo, Primo, valut amicus amico. Ps. 72. v. 28. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Amor ex duobus unum facit. S. Ambros. lib. 2. offic. cap. 16. *Quid est,* inquit, *amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adiungas atque applices: et ita misceas, ut unum velis fieri ex duobus, cui te tamquam alteri tibi committas, a quo nihil timeas.* Talis fuit amicitia Ionathæ et Davidis, 1. Reg. 18. 1. *Anima Ionathæ conglutinata est animæ David; et dilexit eum Ionathas, quasi animam*

suam. Talis fuit amicitia S. Basilii et S. Gregor. Naz. qui ait in oratione funebri de S. Basilio, quæ est 20. una utrique anima videbatur, duo corpora ferens. Quod si minor fides iis habenda est, qui omnia in omnibus posita esse dicunt; at nobis certe credendum est, quod uterque in altero, et apud alterum positi eramus: ita Gregorius. Secundo, anima sancta adhæret Deo, ut pullus gallinæ matri, sub eius alis latens et incalescens, ac milvos evitans, Ps. 56. *Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Ubi Bruno ait: Duæ alæ, sunt duo præcepta charitatis, quibus protegi se petit Propheta, donec transeat iniquitas: id est, diabolus cum suis satellitibus. Tertio denique, anima sancta adhæret Deo velut passerculus aquilæ in cælum evolanti. S. August. lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 11. *Neque enim,* ait, *est angelus, cum inhæremus Deo, nostra mente potentior: et toto mundo est omnino sublimior mens inhærens Deo.*

Anima debet sequi Deum non præire. Nota secundo, debet anima ita Deo adhærere, ut eum sequatur, non vero præeat. Nam dicitur: *Adhæsit anima mea post te*, non vero ante te. Quo indicatur, 1. humilitas; 2. obedientia; 3. resignatio ad omnes voluntates Dei se ducentis atque dirigentis. S. August. in Psalm. nostr. *Agglutinata est anima mea post te. Videte desiderantem, videte sitientem, videte quomodo hæret Deo. Ubi est ipsum gluten? Ipsum gluten charitas est. Charitatem habe, quo glutine agglutinetur anima tua post Deum. Non cum Deo, sed post Deum, ut ille præcedat, tu sequaris. Qui enim voluerit Deum antecedere, consilio suo vult vivere, et non vult sequi præcepta Dei. Propterea et Petrus repulsus est, quando voluit consilium dare Christo passuro pro nobis. Adhuc enim infirmus erat Petrus, et quanta utilitas esset generis humani in sanguine Christi, non noverat. Dominus autem, qui venerat redimere nos, et dare pretium pro nobis sanguinem suum, cœpit prædicare passionem suam. Expavit Petrus, quasi moriturum Dominum, quem volebat hic semper vivere, quomodo illum videbat, quia carnalibus oculis deditus, carnali affectu circa Dominum tenebatur, et ait illi, Matth. 16. 22. Absit a te Domine, propitius esto tibi. Et Dominus: Redi post me Satana: non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Quare quæ sunt hominum? Quia antecedere me vis. Redi post me, ut sequaris me.* Adhære saltem Deo, sicut populus Israel columnæ igneæ in deserto ducenti; 2. sicut idem populus arcæ civitatem Iericho circumeunti, et muros eius disiicienti; 3. sicut Tobias angelo suo ductori; 4. sicut S. Patricius angelo suo singulis septem diebus ad eum descendenti, et in omnibus dirigenti; 5. sicut S. Francisca Romana angelo semper se præcunti; 6. denique, sicut primi S. Ignatii socii angelo eos in Germania per ignotos calles ducenti.

33. Vers. 8. 3. Pars. Deus suscipit servos suos dextera quatuor modis: I. QUARTO denique, misericordia Dei materna manu et pectore suscipit ad se accurrentem, vers. eod. 8. ME SUSCEPIT DEXTERA TUA. Primo, suscepit me iacentem, et eiectum throno ab Absalone. Tropolog. deiectum a diabolo: neminem enim opem implorantem Deus reiicit, sed orantem eripit de ipsa manu inferi. Hormisdas Papa misericordiam semper patere pœnitenti, declarat in epist. ad Epiphanium: *Habet*, inquit, *et ecclesiasticarum ordo regularum, et ipsius forma iustitiæ, et medicina rationabilis benigne et fideliter sperantibus non negetur: nec quisquam ita est ab humanitate discretus, quem non a rigore discretionis inclinet incauta simplicitas:* ita Hormisdas. Anathemate damnatus est Novatus a S. Cornelio Papa, quod lapsos nollet recipi: δια τω ασυμπαθες αυτου, και μισαδελφον, ob morum implacabilitatem, et fraternum odium, ut Zonaras loquitur in can. 8. Nicæni Concilii. Notabile est, quod refert Antoninus Senensis in Chronico Dominicanorum, pag. 19. de quodam Scholastico Bononiæ in voluptatibus hærenti, et misericorditer a Deo in religiosum ordinem vocato. Videbatur sibi, ait, cum per agrum spatiosum ambularet, subita nocte intercipi: quam cum ille vellet evadere, ad domum quamdam accurrit, sed ab ea repellitur cum hoc dicto: Hic habitat *Iustitia,* quam quia tu factis non nosti, hic minime recipi potes. Mœstus ad aliam cellulam abiit, sed quia ibi habitabat *Veritas*, ab ea repulsus est, quod semper secutus esset mendacia. Ad aliam pergit, sed quia ibi *Pax* habitabat, quæ non datur impiis, ab ea quoque repellitur. Salutare tamen illi donatur consilium, ut progrediatur ulterius ad domum, quam pacis soror, *Misericordia* habitabat, quæ consueverat miseris subsidio esse. Misericordiæ fores pulsavit lacrymans, et statim receptus est: remedium poscit, ut a tam sæva tempestate liberetur, iubetur ire Bononiam ad domum Fratrum Prædicatorum: fore enim, quod ibi inveniret pœnitentiæ stabulum, præsepe continentiæ, et doctrinæ pabulum. Evigilans fit religiosus: ita Anton. Senensis. Nos etiam quotidie fores misericordiæ pulsemus, cum quotidie per varios lapsus miseri simus.

Secundo, misericordia Dei venientem ad se suscipit dextera, ut lapsantem, atque titubantem potenter fulciat. Hebr. תמכה *thameca*, suffulsit me dextera tua, sustentavit, atque sustinuit. II.

Tertio, misericordia Dei venientem ad se suscepit dextera, ut eum amplectatur, et ad sinum suum, ac mammam applicet. Arabs. *Amplexata est me dextera tua.* Cant. 2. 6. dicit Sponsa, id est, anima perfecta: *Læva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* S. Bern. serm. 4. de vigilia Nat. Domini. Læva quidem levat, inquit, dextera suscipit, læva medetur et iustificat, dextera amplectitur et beatificat. In læva eius merita, in dextera vero præmia continentur. In dextera, inquam, deliciæ, in sinistra sunt medicinæ: ita Bernardus. III.

Quarto denique, misericordia Dei venientem ad se suscipit dextera, ut in hostes ducat, et pugnantis manum roboret ac dirigat. Apollinaris vertit: *Et tua dextera*, με υπερμενιως προμαχησεν, *me potenter propugnavit.* Sic de rege Cyro, qui solem significat, id est, de Christo, et viro cælesti dicitur, Isa. 45. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius Gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo ianuas, et portæ non claudentur.* Nisi Deus manu sua manum nostram apprehendat, et cum ea pugnet, nihil faciemus. Lucas Waddingus in annalib. Minorum, tom. 1. pag. 70. rem ad hoc maxime appositam refert: Dum, ait, S. Iuniperus unus ex S. Francisci sociis oraret, et quid magnum de se conciperet, apparuit manus in aere, et divina vox insonuit: *Manus sine manu nihil potest facere:* id est, nullus est tam bonus, qui possit quippiam sine manu, hoc est, potentia Dei et auxilio facere. Quod audiens Iuniperus, per domum exiliens et saltans dicebat: Domine, est verum, Domine bene est verum. Manus porro illius divinæ efficaciam colligere possis ex eo, quod idem auctor pag. 106. anno 1212. num. 51. narrat de S. Francisco, qui cum leprosum ablueret, quocumque perveniebat *manus*, vegetum reddebat ac sanum: dextera item sua aquam in vinum vertit, unico crucis signo. Quid faciet Deus, cum potentiam dexteræ suæ volet ostendere? IV. Dei manus potentissima. S. Francisci manus efficax.

ARTICULUS III.

Iustitiæ divinæ erga sceleratos effectus quatuor.

In articulo præcedenti vidimus misericordiæ divinæ erga iustos effectus quatuor, nunc totidem effectus iustitiæ erga impios consideranda sunt.

Primus quidem est, quod inanes et inutiles reddit eorum molitiones contra pios factas, v. 9. IPSI VERO (id est, hostes mei, eos non nominat, quia illos contemnit, et quia satis noti erant) IN VANUM (nunc est, לשואה *lescioa*, id est, ad desolationem, ut vertit Pagnin. ad devastationem, ut Felix; sed Septuaginta melius legerant לשוא *lasciau*, ideo verterunt ματην, id est, frustra, ut reddit Campensis: in vanum, sine ullo fructu suo, sine consecutione voti sui) QUÆSIERUNT ANIMAM MEAM (id est vitam meam), INTROIBUNT IN INFERIORA TERRÆ: TRADENTUR IN MANUS GLADII, PARTES VULPIUM ERUNT. 34. Vers. 9. 1. Pars. Iustitiæ divinæ effectus quatuor: I. Reddit inutiles conatus impiorum.

Vitam Davidis quæsieraat hostes eius. Primo, Saul, qui iam generum suum conatus erat sæpius hasta transfigere. Secundo, varii hostes in præliis. Tertio, Absalon, ac præsertim Achitophel, in bello, de quo agitur in hoc psalmo: dixerat enim Absaloni Achitophel urbe Ierosolyma occupata, ex quo David fugerat: *Eligam mihi duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte. Et irruens super eum (quippe qui lassus est, et solutis manibus) percutiam eum: cumque fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam regem desolatum.* Sed hoc dixit in vanum; Deus enim per Chusai Arachitem illud consilium dissipavit et infatuavit: unde indignabundus et desperabundus ipse Achitophel laqueo se suspendit. Sic Sanctorum suorum animas in manu sua positas servat Deus, nec sinit tangi a tormento mortis; qua de re dixi non pauca, quæ martyribus acciderunt Ps. 43. Duos confessores hic attingam. S. Franciscum de Paula furori satellitum Neapolitani regis in eum irati subduxit Deus, eum reddens invisibilem, cum oraret prope altare ante eorum oculos; et ipsi revelavit eiectionem regis, et occupationem regni per Carolum VIII. regem Francorum, ut ait Ludovicus Dony d'Attichy. S. Ignatium quoque, in quem furibundus quidam Michael, moleste ferens S. Xaverii conversionem, stricto gladio involabat, a præsentissima nece liberavit, sicario occulta voce deterrito: Quo miser raperis, quo festinas insanus? ut tradit Nicolaus Orland. lib. 1. hist. Soc. Iesu, n. 86. Tropolog. Animam nostram quærunt dæmones, sed in vanum, si eis resistere velimus, aut eos fugere. Proverb. 1. 17. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Chald. ante avem pennatam: id est, ante animam cælestia desideria habentem. Salonius in eum locum: Frustra rete, inquit, id est laqueus diaboli, obiicitur sanctis et electis viris: quia facile superare possunt insidias diaboli, qui suam conversationem habent in cælis: ita Salonius. S. Eucherii filius, et Salviani discipulus, qui floruit circa ann. 470. diabolum urso ligato comparat. Ugo Cardin. in Ps. nostr. Animam meam, ait, quæsierunt: non dicit, invenerunt: sic est enim de diabolo, sicut de urso, qui cæcatur, et ad palum ligatur, et circuit ibi quærens quem devoret, nullum potest devorare, nisi accedentem spontanee ad ipsum. Unde dicitur Eccli. 21. 2. *Fuge peccata, si ad illa accesseris, suscipient te dentes leonis:* ita ille; in textu est: *Quasi a facie colubri*, id est, a facie diaboli, ait Rabanus: alluditur ad serpentem, qui Evam decepit, *fuge peccata: et si accesseris ad illa, suscipient te,* δέξεται, id est, mordebunt te. *Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum.* Ubi adverte, τὸ si accesseris: nam si non accesseris ad peccata, non te mordebunt, leones sunt ligati. S. Chrysost. homil. 8. in epist. ad Romanos: Peccatum, ait, ad nos non accedit, sed nos ad illud transfugimus: inter nos habitat, quasi latro quidam ac tyrannus, qui nisi quem apprehenderit inermem ac solitarium, in suas speluncas descendentem, accedere sane non sustinet: hæc Chrysost. Utitur S. August. serm. 197. de temp. exemplo canis catenis innexi, qui neminem possit mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit: ita ut stultus sit, quem canis in catena positus mordet: qui se illi per voluptates et cupiditates sæculi non coniungit, ad eum non præsumit accedere. In morte præsertim dæmon quærit animas hominum, sed iustos tuetur Deus. Thomas Prior Dunelmensis, in extremis positus, vidit choros candidatorum in superiori parte domus deambulantes, et ad susceptionem sui cum iubilo præparatos. Diaconus etiam quidam conspexit columbam niveam toto noctis tempore circa loculum volitare, cum Dunelmum transferretur, et alarum plausu sacris exequiis obsequium præbere. Visus est quoque dæmon, domus in angulo lugens, cum e vivis abiit, planctus miserabiles ore terribili et facie deformi edere, ursi quippe specie erat. S. Barthol. denique, Sacerdos et Eremita, vidit eiusdem Prioris animam ab angelis in cælum deferri, ut refert Edovardus Maihew t. 1. p. 868. S. Martin. sibi in morte apparentem specie terrifica dæmonem irrisit, et abegit.

Secundus divinæ iustitiæ effectus in sceleratum Absaloaem, et rebelles ipsum sequentes, fuit deiectio in præceps, vers. eod. 9. INTROIBUNT IN INFERIORA TERRÆ, id est, in terræ speluncas, et hiatus. Primo, in monte Galaad pugnantes Absalonis milites, et victi a Ioab duce exercitus Davidis, fugiendo ceciderunt in præcipitia. Secundo, terræ motu exorto, alii hausti sunt a terra, et ruentibus cautibus obruti, ut alias ostendi, et hic locus indicat. Tertio, in cavernas se abdiderunt, ut laterent victores. Quarto, ipse Absalon e quercu, in qua suspensus et occisus pendebat, sublatus, proiectus est *in foveam grandem*, et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis, 2. Reg. 18. 17. — 35. Vers. 9. 2. Pars. II. Deus deiicit impios in præceps.

Sic Core, Dathan et Abiron terra absorpti descenderunt in infernum viventes. Num. 16. 31. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, et aperiens os suum devoravit illos, cum tabernaculis suis, et universa substantia eorum.* Sic a terra devorata est Drahomira, quæ filium suum Boleslaum ad cædem S. Venceslai regis Bohemiæ, item filii sui incitarat, et ad cædem sacerdotum. Ut enim ait Ioannes Dubravius, Olomucensis Episc. lib. 4. et 5. hist. Bohemicæ, eo loci, quo adhuc insepulta iacebant ossa occisorum sacerdotum, terra sua sponte dehiscens, vivam Drahomiram, una cum curru, et qui simul vehebantur, absorbuit, auriga solo incolumi, qui ad aram iuxta sitam equo desiliens accurrit, cum forte tintinnabulum tinnire audisset, ut corpus Domini adoraret, execrante illum Drahomira omnibus maledictis. Quare locum cum etiamnum, ut execratum funestumque declinant viatores, qui arcem Pragensem ab occidentali plaga petunt; quamquam terra eodem loci in statum pristinum cohæserit. Puniti et illi divinitus, qui Boleslaum assectati, gladios etiam suos adversus divum Venceslaum strinxerunt: pars enim eorum mente alienata, in rabiemque versa, præcipites ex alto deorsum se dabant: quidam in eos gladios, quos nudaverant, incubuere. Ingeniosas Scytharum minas refert Herodot. lib. 4. Cum enim Darius Hystaspis, Persarum rex anno mundi 3536. Imp. Pers. 20. ante Christi 517. Scythas bello lacessivisset, ad ipsum miserunt legatum cum muneribus: ave scilicet, mure, rana, et quinque sagittis. Darius interpretabatur illis significari, quod Scythæ ipsi se tradebant, et terram atque aquam. Murem enim in terra gigni, et eodem cum hominibus cibo vesci: ranam vero, in aquis nasci: avem porro, esse equo assimilem: sagittis denique seipsos dedere. At Gobryas unus e septem, qui magos sustulerunt, hoc dicere dona coniectabat: *O Persæ, nisi effecti ut aves in cælum evoletis: aut effecti ut mures, subeatis terram: aut effecti ut ranæ, insiliatis in paludes: non remeabitis unde venistis, his sagittis confecti:* ita ipsi. Sed sive in cælum pergant impii, sive in terram desiliant, dicentes montibus et collibus, operite nos, Deum semper ultorem reperient, qui eos detrudat in inferiora terræ, id est, in infernum inferiorem, de quo dixi Ps. 85. 13.

Pereuntibus impiis, Deus primo servat pios. Num. 26. 10. *Factum est grande miraculum, ut Core pereunte filii eius non perirent.* Cum S. Dunstanus Archiep. Cantuariensis synodum haberet, omnesque in unum cœnaculum convenissent, illa pars solarii, quæ erat sub pedibus adversariorum eius, corruit: altera parte, ubi Dunstanus cum suis considebat, nullam ruinam patiente. Cedrenus refert rem admirabilem fol. 380. Die, ait, 25. Ian. mensis, Constantino ex Cazara Irena filius nascitur, cui Leoni nomen fecit. Eodem tempore in Syria gravis terræ motus terribiles edidit ruinas, quibusdam urbibus prorsus, quibusdam ad mediam partem prostratis; nonnullis etiam a montanis in subiectas planities cum muris, et ædificiis absque ullo damno traiectis ὡς ἀπὸ μιλίων ἕξ, usque ad sex milliaria: ita ipse. Si ex superbiæ monte in humilitatis te vallem demiseris, etiamsi tota terra intremat, nil patieris. Secundo, deiectis in inferos sceleratis, sancti in cælum evehuntur. S. Cuthbertus Episcop. Lindisfarnensis ex monacho factus, priusquam monachus esset, et in remotis montibus ageret pecorum custodiam, noctu in oratione pervi- — Sancti in cælos mirabiliter elevati.

gil, vidit choros angelorum terras petiisse, raptaque anima S. Aidani Antistitis Lindisfarnensis, ad cælos rediisse. Quo visa excitatus, monasterium ingressus est, ut ait Beda in eius vita cap. 4. Cum S. Amphibalus esset martyrio coranandus, duo angeli cælesti fulgare radiantes, de cælo ad eum veniunt, qui beati viri, animam, nimia candore fulgentem, secum assumentes, in cælum cum hymnis et laudibus deferunt. Voxque audita est, quæ diceret: *Amen dico tibi, quia hodie cum discipulo tuo Albano eris in paradiso.* S. Guthlaco presbytero et anachoreta mortuo, tota domus, in qua obiit, incredibili splendore illustrata est; visaque est turris ignea e cælo ad terram pertingens, quæ solis fulgorem superare videbatur. Audiebantur denique, cælestes et angelici cantus.

36. Vers. 9. 3. Pars. III. Neci dari eos permittit. Tertius divinæ iustitiæ effectus in Absalonem, et rebelles, est eorum occisio in prælia, v. eod. 9. TRADENTUR IN MANUS GLADII, id est, occidentium gladia: ita Chald. qui vertit: *Trade eos in manus occidentium gladio.* Est metonymia; 2. et melius, gladius inducitur, velut persona potens et terribilis, eos arripiens et mactans. Est prosopopœia: sicut gladia sæpe tribuitur os. Traditio porro in manus denatat Primo, facilitatem victoriæ. Secundo, inevitabilem impiorum interitum. Tertia denique, multitudinem pereuntium. Nam viginti millia ceciderunt unica prælia de exercitu Absal. 2. Reg. 18. 7. non omnes tamen gladio perierunt, etenim in fuga multos saltus consumpsit. Gladius porra synecdochice sumitur pro armis omnibus: Absalon enim non est occisus gladio, sed tribus ictibus lancearum a Ioab percussus, cum penderet in quercu. Fortasse etiam gladiis est concisus a decem iuvenibus armigeris Ioab, adhuc palpitans in quercu. Id autem facere ausus est Iaab, quod esset nepos Davidis, et bellator fortissimus, et sciret, sibi tota vita infensum fore Absalonem, qui tunc erat natu maximus omnium filiorum; et ideo erat post ipsum regnaturus.

37. Vers. 9. 4. Pars. IV. Eos insepultos abiici curat. Quartus denique divinæ iustitiæ effectus in Absalonem, et rebelles, est carentia sepulturæ: et, quod impii, hac illac per agros sparsi, a feris devorati sunt, vers. eod. 9. PARTES (Hebr. pars, portia: id est esca, cibus) VULPIUM ERUNT, q. d. A feris etiam imbellibus devorabuntur. Vulpem enim synecdochice posuit pro qualibet fera. Vulpis autem specialem fecit mentionem. Prima, ob hostium vafritiem et fraudes, quibus se amicos simulantes, ut patuit in Absalone et Achitophele, statim in detestabilem coniurationem eruperunt. Secunda, ab eorum feritatem, quia vulpes nunquam mansuescit, sic illos nulla beneficia cicurarant. Tertio, ob eorum multitudinem; Iudæa enim vulpibus abundabat, ut patet ex trecentis vulpibus a Samsone captis, et immissis in segetes Philisthinorum; et probabiliter saltus ille, in quo commissum est prælium contra Absalonem, multas habebat vulpes. Quarto denique, ob eorum imbecillitatem, quia cito victi sunt. Aristophanes in equitibus, milites vulpibus comparat, quod racemas esitent per agras, et dissipatis vitibus, non parvam vastitatem afferant, quacunque irruperint.

38. Vulpibus dæmon comparatus. Trapalog. *Partes vulpium erunt*, id est cum hypocritis ponentur, et in æternum punientur. Matth. 24. 51. *Partem eius ponet cum hypocritis.* Secunda, partes vulpium erunt: id est erunt præda dæmonum, qui vulpibus camparantur. Primo, quia ut dixi, vulpes nastrates non mansuescunt, licet apud Ælian. lib. 17. de animal. cap. 17. tradat Amyntas, quod vulpes Caspiæ cicures sunt ut canes. Secundo, dæmanes camparantur vulpibus, ab deceptianem et continuas fraudes. Hinc ἀλώπηξ a Græcis dicta est vulpes, ab ἀλῶ, id est decipia, atque ὤψ, id est, vultus, facies, et παίζω, illudo. S. Ambr. in cap. 9. Lucæ, et S. Isid. lib. 12. arigiuum, sive etymolog. dicunt, solam vulpis utilem esse pellem; aliquanda res exteriares a dæmone et hypocritis prapositæ bonæ sunt; sed cavendus est fraudulentus animus, et ruinam nostram appetens.

Vulpium fraudes variæ. Nata, varias vulpis fraudes refert Olaus lib. 18. cap. 31. quæ dæmoni et hypacritæ aptari possunt. Primo, inquit, vulpes fame pressa, frigore et nivibus accedendo ædes

A humanas, *fingit latratum canis*, ut confidentius domesticæ bestiæ ad eam accedant. Dæmon et hæreticus, atque veterator, mores castas, fidemque sanam simulant, ut incautas devorent. Secundo, vulpes fingit se mortuam, ac resupina flatum attrahit, lingua porrecta. Tunc aves incaute descedentes quasi cadaver comesturas, aperto ore varat et rapit. Dæmon nonnunquam victum se simulat, sicut S. Ant. ut ex improviso per superbiam, aut aliud scelus irrepat. Tertio, vulpes quando esurit, nec invenit quod manducet, rubea terra se invalvit, ut appareat quasi cruenta: proiiciens se in terram, retinet flatum: quam videntes aves non spirantem, linguamque ore eiectam, mortuam putant. Sed max ut descenderint, eas attractas devorat. Patientiæ et mortificatiouis virtutes hypocrita simulat, ut in gravioribus enecet. Quarto, vulpes cum videt non posse propter aculeos superare echinum, se resupinat, atque ita mollem corporis partem laacinans enecat. Duratos laboribus, omniqus ex parte invulnerabiles, luxuria superat, nisi provideant. Paula aliter Ælian. lib.
B 6. de animal. cap. 24. ait, vulpem summa cautione oris leviter et caute primo echinas evertere, ac supinos constituere, deinde eos laniare. Sermonibus blandis multos seduxit impietas. Quinta, vulpes vesparum quandoque multitudinem cavens simulans se abscondit, extante cauda: circa quam ut illas certatim occupatas, villoque denso implicitas animadvertit, egreditur, atque ad saxum sive arborem perfricando obterit: ut extinctas deinde pascatur. Impii, cum se ob vitia reprehendi sentiunt, gravissima abscondunt, patiuntur in levibus hærere aculeos, ut amicitia et familiaritate contracta, incautos iustas sibi implicent, eosque perdant. Sexto, vulpes cancris et pisciculis insidiatur, ripam oberrans, caudaque in aquam demersa: illi novitati accurrunt, villisque obvoluti, illico extrahuntur. Ac paulo post subdit: Vidi et ego in scopulis Norvegiæ vulpem inter rupes, immensa cauda in aquas plures educere cancros, ac demum devorare. Idque non rarum est spectaculum, cum nulli pisces, ita ut caveri, immis-
C sæ rei, præsertim villosæ adhæreant: etiam aridis piscibus, in aquas ad emolliendum emissis. Cancri sunt, qui retrogrado feruntur motu, et recta ad Deum non tendunt, ii facile qualibet arte scelcratorum capiuntur, iisque adhærent. Septimo, ut idem Olaus dicit cap. 30. sunt in septemtrionalibus sylvis vulpes nigræ, candidæ, rubeæ, crucigeræ in darso, aliæque cælestino colore respersæ, omnes tamen in eadem malitia atque astutia participantes. Nigræ pelles pretiosiores cæteris æstimantur: quia Maschovitarum principes frequentius his utuntur: deinde crucigeræ pelles, hoc est, quæ nigra cruce dorso tenus sunt a natura signatæ, propter maiorem ornatum, et pellium magnitudinem: quam nonnisi in maturiore ætate vulpes consequitur. Hæque pelles, ubi nigræ, magno commercio Maschovitarum, et Russarum, et Tartarorum appretiantur. Ab adulataribus et hypocritis, velut a pestibus, amnes sibi caveant, ac præsertim reges. Creta vulpes ignorat, omnis regio adulatoribus abundat. Octavo, in colare rufo,
D quali sunt pleræque vulpes, natari patest ira et crudelitas dæmonis in homines: dirum eius rei exemplum refert Edovardus Maihew iu Traph. Cangr. Angl. pagina 404. Cum, ait, S. Elphegus Archiepiscapus Cantuariensis, et martyr esset Prior Glasconiæ, quidam ebriasus de nocte potens subita marte iuteriit. Accurrit ad strepitum S. Elphegus, ac per rimas videt duos ingentes dæmones cadaver pene exanime crebris malleorum ictibus torquentes, illa eiulatibus auxilium implorante, respondebant hastes tartarei: Nec tu abedisti Deo, nec nos tibi. Quod cum cæteris S. Elphegus mane retulisset, alii moderatiores sunt facti. Nono, ut natat Ugo, de nocte vulpium aculi micant. In nefariis et tenebrasis rebus impii sunt lynces, et filii tenebrarum prudentiares sunt filiis lucis. Ierem. 4. v. 22. *Sapientes sunt, ut faciant mala, et bene facere nescierunt.* Decimo denique, vulpes obliqua via graditur, ne intercipiatur, ita et hypocritæ. Prov. 2. 15. *Quorum viæ perversæ, et infames gressus eorum.*

39. Vers. 10 Victis impiis triumphant, gaudent, et laudantur iusti, v. 10. REX VERO LÆTABITUR (id est, ego lætabor) IN DEO: LÆTABUNTUR OMNES, QUI IURANT IN EO: QUIA OBSTRUCTUM EST OS LOQUENTIUM INIQUA. Tropol. Rex est, qui ita alacriter servit Deo, ut in eo uno lætetur. S. Bern. serm. de diversis affectionibus animæ: *Quid mihi*, ait, *est in cælo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei et pars mea, Deus in æternum. Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam tamquam privato sui ipsius amore desiderat anima, quæ eiusmodi est: sed tota pergit in Deum, ubicumque ei perfectum desiderium est, ut introducat eam rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur. Unde et iugiter revelata facie, quoad potest, cælestis sponsi gloriam speculando, in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu. Ex hoc plane audire meretur: Tota pulchra es amica mea. Audet et ipsa loqui: Dilectus meus mihi, et ego illi. Atque in huiusmodi felicissima et iucundissima confabulatione delectatur gloriosa eum sponso.* Regina itaque est, cum sponsus sit Rex Regum.

Iuramentum sumitur pro omni Dei cultu publico. Nota, *iurant in eo*, id est, per eum, nempe regem Davidem, qui ab eius partibus stant, ac præsertim duces ac milites sacramento militari illi obligati, illi laudabuntur tum ob fidelitatem, tum ob victoriam. Secundo, et melius, ad Deum hoc referendum est, q. d. Ego David rex lætabor in Deo, nec ego tantum, sed laudabuntur etiam omnes qui iurant in eo; id est, Primo, qui eum colunt: nam synecdochice per iuramentum intelligitur omnis cultus Dei publicus. Iuramentum enim est actus religionis, seu latriæ, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 89. artic. 4. et Opusculo 4. cap. 13. Hinc dicitur Isaiæ 19. v. 18. *In illa die erunt quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan*, id est lingua sancta, *et iurantes per Dominum exercituum;* id est, colentes, invocantes, et adorantes publice verum Deum: per Ægyptum autem sumitur gentilitas; in qua quinque, id est multæ, civitates Deum colent. Et Ierem. 12. 16. Deus loquens de Moabitis et Ammonitis: *Et erit: si eruditi didicerint vias populi mei, ut iurent in nomine meo: Vivit Dominus, sicut docuerunt populum meum iurare in Baal: ædificabuntur in medio populi mei.*

Secundo, *iurant in eo;* id est, in Deo, qui firmiter statuunt ei servire, et constanter id præstant. Hoc faciunt Christiani in baptismo, ubi abrenunciantes diabolo in milites Christi conscribuntur. Lactantius lib. 7. cap. 6. *Idcirco*, ait, *mundus est factus, ut nascamur; ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi, ac nostri Deum ideo agnoscimus, ut colamus: ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus: quoniam maximis laboribus cultus Dei constat: ideo præmio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti, summo Patri ac Domino in perpetuum serviamus, et simus æternum Deo regnum. Hæc summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi.* Hoc præsertim martyres præstiterunt, qui velut generosi bellatores usque ad mortem pro rege suo certaverunt, licet viribus, ætate, sexu imbelles. Talis fuit S. Agatha, quæ modicum passa adeo virtute divina est roborata, ut Aphrodisiæ lenæ se tentanti, dixerit: *Operam perdis: ego enim ita firmata sum in fide, castitate, et amore Dei, ut per eius gratiam citius sol perditurus sit suum lumen, ignis calorem, nix albedinem, quam ego mutem propositum. Præparet Quintianus leones, acuat gladios, ignes succendat, portas inferni aperiat, omnesque in me dæmones concitet: Dei ope vivam et moriar Christiana, æque ac virgo: intensissime enim amo et desidero Christum, cui me totam devovi et despondi.* Nec minus fecit fortiter quam dixit. Eamdem et nos mentis fortitudinem exhibeamus, ut et hic per gratiam et virtutes, et in cælo per gloriam regnemus.

PSALMUS SEXAGESIMUS TERTIUS.

1. IN FINEM, PSALMUS DAVID.

2. EXAUDI Deus orationem meam, cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam.
3. Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.
4. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram: ut sagittent in occultis immaculatum.
5. Subito sagittabunt eum, et non timebunt: firmaverunt sibi sermonem nequam.
6. Narraverunt, ut absconderent laqueos: dixerunt, quis videbit eos?
7. Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio.
8. Accedet homo ad cor altum: et exaltabitur Deus.
9. Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.
10. Conturbati sunt omnes qui videbant eos: et timuit omnis homo.
11. Et annuntiaverunt opera Dei; et facta eius intellexerunt.
12. Lætabitur iustus in Domino, et sperabit in eo: et laudabuntur omnes recti corde.

PSALMI SEXAGESIMI TERTII ANALYSIS.

David in persecutione Absalonis a multis se impeditum cernens,

- Petit ab eorum timore eripi, 2. qui
  - Malitia, cœtus in ipsum agant. 3.
  - Rabie, turmatim insiliant. 3.
  - Contumeliis apertis, velut gladio, sæviant. 4.
  - Clandestinis detractionibus, velut arcu, impetant. 4.
  - Temeritate, velut sagitta, feriant. 5.
  - Impudentia, nihil timeant. 5.
  - Obstinatione, calumnias iterent. 5.
  - Hypocrisi, fraudes nectant. 6.
  - Blasphema stupiditate, artes suas tectas putent. 6.
  - Curiositate noxia, vitam eius scrutentur. 7.
- Et punitionem illorum prædicit.
  - Deo,
    - Efficiente, ut deficiant. 7.
    - Superbiam eorum contundente. 8.
  - Ipsis,
    - Propria sagitta vulneratis. 9.
    - Et calumnias detectas lugentibus. 9.
  - Comitibus eorum,
    - Turbatis et timentibus, visa eorum pœna. 10.
    - Et Deum vindicem mirantibus, ac laudantibus. 11.
  - Iustis,
    - Lætantibus in Deo. 12.
    - Sperantibus in ipso. 12.
    - Laudatis ab omnibus. 12.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, Psalmus David.

1. Canon quidam Græcorum.

Agitur hic de Absalonis persecutione.

Primo canon, id est, regula Græcorum est, psalmos qui nihil novum habeant in titulo simile præcedenti continere argumentum. Hinc infert Lorinus, quod hoc in Psalmo orat David contra persecutionem Saulis, de qua egit in præcedenti Psalmo.

Secundo, et melius, hinc inferemus agere de persecutione Absalonis, de qua fuit præcedens Psalmus, ut ibi ostendi: et confirmari potest ex hoc Psalmo, qui evidentius est de Absalonis coniuratione. Primo enim, repentino terrore correptus est David, ita ut mox neci dandus videretur: unde ait 2. Reg. 15. 14. *Fugiamus, neque enim erit nobis effugium a facie Absalom: festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinam, et percutiat civitatem in ore gladii.* Hic vero dicit: *A timore inimici eripe animam meam.* Secundo, ibi fuit coniuratio in Hebron, non vero quando a Saule affligebatur: tunc enim pene solus Saul illi erat contrarius: unde levissima orta occasione, adducebatur ab eo iam pene capto. Hic dicitur: *Protexisti me a conventu malignantium.* Tertio, in illa coniuratione Absalonis fuerunt multi, ut patet 2. Reg. 15. v. 12. *Cumque immolaret victimas, Absalon scilicet in Hebron, facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalon. Venit igitur nuntius ad David, dicens: Toto corde universus Israel sequitur Absalon.* Hic autem dicitur: *Protexisti me a multitudine operantium iniquitatem.* Quarto, in coniuratione Absalonis multa convicia iactata sunt contra Davidem, ut patet in Semei maledico, 2. Reg. 16. v. 7. Hic autem dicitur: *Exacuerunt ut gladium linguas suas,* etc. Quinto, in coniuratione Absalonis fuerunt occultæ machinationes, 2. Regum 15. v. 6. *Absalon sollicitabat corda filiorum Israel. Miserat etiam exploratores in universas tribus Israel, dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalon in Hebron.* Hic autem dicitur: *Narraverunt, ut absconderent laqueos.* Sexto, mira fuit superbia Absalonis, sceptrum et thronum paternum invadentis. Hic dicitur: *Accedet homo ad cor altum.* Septimo, Absalon in eo ipso bello, quod susceperat contra Davidem, periit. Hic dicitur: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Octavo, in nece Absalonis filii regis maxima fuit perturbatio. Hic dicitur: *Conturbati sunt omnes, qui videbant eos.* Nono denique, in victoria de Absalone obtenta, licet tristatus sit David, ut pater, tamen lætatus est, ut rex, et omnes boni eius subditi, et duces ac milites eius laudati sunt. Hic dicitur: *Lætabitur iustus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde.* Pleraque autem ex his non ita commode conveniunt Saulis persecutioni et morti.

Allegor. de Christo et eius passione est hic Psalmus: ita S. Hilarius, S. Augustinus et alii. Cassiodorus dicit, hunc esse Psal. 6. ex iis, qui passionem Domini et resurrectionem brevi relatione contingunt. Tropol. agitur hic de Martyribus, et aliis iustis, tentationem patientibus a diabolo et ab hominibus: ita S. Augustinus: hunc sensum præsertim sequar.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Tria hoc loco præstat David. Primo, orationem suam proponit, vers. 2. Secundo, malitiam hostium suorum in unum cætum adunatorum, vers. 3. Tertio denique, Dei ultoris vindictam, vers. 8.

SECTIO PRIMA.

2. *Duo complectitur. Primo, orat liberari a timore hostili, vers. 2. Secundo, explicat, in quo situs sit ille timor, unitis simul ad nocendum hostibus, vers. 3.*

PARAPHRASIS.

2. Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam.

2. O Domine, cui rerum omnium principi vel difficillima in expedito sunt, impendentem vertici meo cladem amolire: cum orationem fundo ne diutius opem tuam differas. Undique hostis circumstat, tu unus mihi sufficis, ut innumera inter tela securus agam hanc mihi fiduciam elargire.

3. Protexisti me a conventu malignantium: a multitudine operantium iniquitatem.

3. In hanc usque diem illæsum me et innoxium texisti, cum tamen malitiæ veneno suffusi omnem se in partem hostes infunderent, mihi ut exitium afferrent, densatis cuneis scelerum opifices irruebant, ut subitaneo procursu in ruinam impellerent; tu labentem fulsisti, et indemnem præstitisti.

4. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram: ut sagittent in occultis immaculatum.

4. Ad eam te pietatem, cum tua bonitas, tum eorum impulit perversitas, qui apertis calumniis, velut gladiis, famam meam contrucidant. Atque ubi minus ex votis cedere vident publica mendacia, clandestinis susurrationibus, quod acerbius et periculosius est, me convulnerant, et innocentem apud subditos meos accusant.

5. Subito sagittabunt eum, et non timebunt: firmaverunt sibi sermonem nequam.

5. Nulla prævia deliberatione, omni in hominum cœtu, tela in me verborum congerunt: et nullo Dei aut hominum terrore a calumniis cessant: pervicaci, obduratoque animo ferendis in me criminationibus occupantur, ut me de medio tollendum inclamant.

6. Narraverunt, ut absconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos?

6. Mutuis colloquiis varias artes et pedicas comminisci contenderunt, ut illis incautum me implicarent: eaque fuerunt recordia, sibi ut persuaderent, se tanta solertia illas excogitasse, ut ne divino quidem tectus præsidio, et sapientia edoctus, eas videre possem.

7. Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio.

7. Diu multumque omnem in partem animum versaverunt, novos ut nocendi modos excogitarent: sed in irritum omnia eorum cogitata et molitiones ceciderunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quam exitialis sceleratorum, præsertim detractorum et calumniatorum societas.

3. Ordo Sectionis. David densato hostium agmine circumcinctus, anxilium a Deo implorat, et quidem promptissimum, velut in summo discrimine, v. 2. *Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor.* Exponit deinde, quænam sit oratio, et quod auxilium petat: *A timore inimici eripe animam meam.*

Tum timorem illum declarat oriri ob cœtum impiorum, in se armatorum omni telorum genere: Primo, describit armatos malitia, velut veneno, quod cibis et potui inserant, v. 3. *Protexisti me a conventu malignantium.* Secundo, rabie, velut securi militari, qua sibi tela præparent, et me in frusta concidant: *A multitudine operantium iniquitatem.* Tertio, contumelia, velut gladio, quo etiam præsentem confodiant, v. 4. *Quia exacuerunt ut gladium linguas suas.* Quarto, occultis susurrationibus, velut arcu, quo absentem impetant: *Intenderunt arcum rem amaram: ut sagittent in obscuris immaculatum.* Quinto, temeritate, velut sagittis, quibus nec opinantem feriant, v. 5. *Subito sagittabunt eum.* Sexto, impudentia, velut Plutonis Casside, se obtegentes: *Et non timebunt.* Septimo, obstinatione, velut lorica, qua semel dicta, licet falsa, tueantur: *Firmaverunt sibi sermonem nequam.* Octavo, fraudibus, velut retibus, quibus incautos implicent, v. 6. *Narraverunt, ut absconderent laqueos.* Nono, blasphemia velut clypeo, quo sua obvelent, et oculis simplicium subducant: *Dixerunt, quis videbit eos?* Decimo denique, curiositate, velut ariete, quo vitam aliorum suffodiant, et virtutem, A famamque evertant, v. 7. *Scrutati sunt iniquitates.* Sed frustra, ut infra videbitur: *Defecerunt scrutantes scrutinio.* Id declarabitur in Sectione sequenti.

ARTICULUS I.

Timor mundanus est spernendus.

Ob subitam et improvisam conspirationem Absalonis, 4. Timor est inpendens malum.
et ob multitudinem populi ad eum confluentis, David exterritus orat ab eo pavore liberari, v. 2. Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam, id est, me: ita Syrus. Est synecdoche; 2. vitam meam: ita S. Hieronym. Hebr. est חיי *chaiai*, id est, vitas meas, seu vitam meam: hoc enim nomen non reperitur in numero singulari. Non tantum regnum, sed etiam vitam Davidi patri suo eripere volebat Absalon, ut securius regnaret, sicut iam sæpe monui. Secundo, a timore inimici, id est, inimicorum. Numerus B pro numero sæpe ponitur apud Hebræos.

Moral. Magnum malum est timor. Lacedæmonii appingebant leoninum caput timori, ut ait Plutarchus in Cleomene. In scuto etiam Agamemnonis insculptus erat timor eadem forma, cum hac epigraphe: *Hic timor est hominum, sed eum gestans Agamemnon*, ut ait Pausanias in Eliacis lib. 5. pavori et pallori victimas obtulit Tullus Hostilius, III. rex Romanorum, ut refert Minutius Felix in Octavio, et S. Aug. lib. 4. de civit. cap. 15. Occasio vovendi fuit, quod commisso inter Romanos et Veientes prælio nunciatum esset, Albanos desciscere, eamque ob rem pallere et pavere Romanos videret. Hinc magna cura

Timor capite leonino effectus.

Varii ritus cunctium ad prælium.

duces exercituum conantur terrorem hostibus suis iniicere Syri, in primo congressu immodicis vocibus exultantes, cursu quam citatissimo acies subeunt, et in hostes irruunt, et ita vano metu perturbari hostem putant. Æthiopes, cum cecinit classicum, clamoribus dissonis tumultuantur, et sui moris tripudiis exultant. Ubii et Treviri, virorum cantu et fœminarum ululatu, terrorem faciunt, et voce obtundunt, ut ait Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 7. Gedeon a Deo edoctus, milites suos armavit, lampadibus, quas testacea vasa clauderent, ac tubis; de nocte Madianitas et Amalecitas adortus, eos partim confractione vasorum, partim luce titionum et facum, partim tubarum sonitu ita terruit, ut trecenti milites vicerint, et ad internecionem deleverint centum et triginta quinque hostium millia, ut habetur in lib. Iudicum, cap. 7. Phalisci et Tarquinienses, compluribus suorum in habitu sacerdotum subornatis, faces et angues furiali habitu

Cum facibus et serpentibus pugnantes.

præferentibus, aciem Romanorum turbaverunt. Idem Veientes et Fidenates facibus arreptis fecerunt, sicut memorat Frontinus lib. 2. cap. 4. Bœotos, qui Arnam incolunt, cum Thessalis bellum gerentes, superavit Thessalus absque pugna. Observans enim noctem illunem et tenebrosam, mandavit militibus, ut dispersi per campum, alius alibi in montium fastigiis faces et tædas incenderent, atque sublimes ferrent, rursusque deprimerent. Bœoti conspecto igne, quasi fulmine circumdati, in metum ac terrorem inciderunt, et ad supplicandum Thessalis, et de pace rogandum se convertebant, sicut Polyænus tradit lib. 1. Thessali autem terrore victi sunt a Phocensibus. Cum enim inter se bellum gererent, constiterant in primo Phocidis aditu castra Thessalorum; ibi lecti homines e Phocensibus quingenti, observato eo tempore, quo suum luna orbem aspleverat, Thessalos noctu adoriuntur, oblitis gypso corporibus: gypso item dealbatis armis. Ingentem memorant Thessalorum factam cædem, quod ea specie territi, immissa divinitus per noctem sibi spectra, non hostium illud astu evenisse censerent, ut dicit Pausanias lib. 10. Cum vero timor occupavit cor, rationem ducem amplius non audit. Alphousus rex Neapolitanus adeo erat adventantium Gallorum fama perculsus, ut diceret de nocte auribus suis insonare clamores Francorum: ipsas etiam arbores, lapidesque, magnis et iteratis vocibus Franciam, Franciam inclamare; qui pavor tantum potuit, ut Franeis sine prælio regnum fugiens reliquerit, ut ait Ludovicus Dony d'Attichy lib. 1. hist. gener. Minimorum, p. 72.

Phocensium inventum ad terrendos hostes.

Alphonsi error.

5. Dei est, timorem tollere. Hinc David orat: A TIMORE INIMICI ERIPE ANIMAM MEAM. Arabs, *Redime animam meam*, quasi captivatam. S. Augustinus hoc loco pie: *Non a timore*, inquit, *volo esse immunis: sed a timore inimici liber, sub timore Domini servus.* Pericles ut militibus suis audaciam, hostibus terrorem iniiceret, finxit deos sibi adesse. Cum enim animadvertisset lucum, ex quo utraque acies conspici poterat, densissimæ opacitatis, vastum alioqui, et Diti patri sacrum: ingentis illic staturæ hominem, altissimis cothurnis, et veste purpurea, coma venerabilem, in curru candidorum equorum sublimem constituit: qui dato signo pugnæ proveheretur, et voce Periclem appellans, cohortaretur eum, diceretque, deos Atheniensibus adesse. Quo pene ante coniectum primi teli hostes terga verterunt, ut asserit Frontin. lib. 1. cap. 11. Simili commento Pisistratus receptus est Athenis. Nam cum ope Megaclis Atheniensis Athenas esset reductus, ut citra sanguinem tyrannidem reciperet: mulierem quamdam Bbyam nomine e tribu Pæaniæa, tribus digitis minus statura quatuor cubitorum, formosissimam, Minervæ habitu instructam, curruique impositam, ante exercitum in urbem duxerunt, præmissis præconibus, qui Palladem Pisistrato favere assererent. Ea re audita, Athenienses Pisistrato sese dediderunt, teste Herodoto lib. 1. Pellenam oppugnabant Ætoli. Prope Pellenam collis est excelsus, e regione arcis positus, in quem, concursu facto, Pellenenses arma expediebant. Palladis sacerdos consuetam illius diei armaturam habens, et galeam tricollem, cum pulcherrima, maximaque omnium virginum turma, ab arce intuebatur civium sese armantium multitudinem. Ætoli virginem armatam e templo Minervæ procedere conspicati, ipsam Minervam auxilio Pellenensibus venire existimantes, reverterunt. Eos vero insecuti Pellenenses non parvum numerum occiderunt, sicut habet Polyænus lib. 8. Vana hæc erant rudium et superstitiosorum terriculamenta: nobis audiendus est Isaias cap. 8. v. 12. *Timorem eius ne timeatis, neque paveatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, et ipse terror vester:* id est quod pavere et timere debetis, non vero exercitum Rasin regis Syriæ, et Phacea regis Samariæ. S. Isidorus Pelusiota viros, qui virtutibus florent, vocat βασιλικωτάτους, id est, maxime regios. Locum Isaiæ sic citat S. Petrus 1. Epist. 3. 14. docens, non esse timendos persecutores: *Timorem eorum ne timueritis, et non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.* S. Ignatius Martyr nomen Iesu cordi insculptum habebat, ideo nihil timebat. Sic enim in epist. ad Romanos: *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorumque divisio, et totius corporis contritio, et tormenta diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar.* S. Hilarius in apologia ad Constantium Imp. Arrianum: Atque utinam, inquit, illud potius omnipotens Deus, et universorum Creator, sed unius Domini nostri Iesu Christi pater, ætati meæ et tempori præstitisses, ut hoc confessionis meæ in te, atque in Unigenitum tuum ministerium, Neronianis, Decianisqua temporibus explessem. Nec ego per misericordiam Domini, et Dei filii tui Iesu Christi, calens equuleum metuissem, qui desectum Isaiam scissem: nec ignes timuissem, inter quos Hebræos pueros cantasse meminissem: nec crucem et fragmenta crurum meorum vitassem, postquam in paradisum translatum latronem recordarer: nec profundum maris et Pontici æstus absorbentem rheumam trepidassem, cum per Ionam et Paulum docuisses fidelibus esse in mari vitam. Adversus enim absolutos hostes felix mihi illud certamen fuisset. At nunc pugnamus contra persecutorem fallacem, contra hostem blandientem, contra Constantium antichristum: ita Hilarius, apud quem vide plura. Dicebat David Ps. 59. 6. *Ephraim fortitudo capitis mei*, id est, tribus Ephraim, est robur mei regni. Hebr. enim est מעוז *maoz*, Sept. κραταίωσις, id est, robur, firmitas, securitas, munimentum. Nos autem singuli de Deo dicemus potiori iure, Deus fortitudo capitis mei, q. d. Efficit, ne caput meum et mens titubet et agatur vertigine in tot mundi negotiis et afflictionibus. Abrahamo dixit Deus Gen. 15. 1. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum.* Hebr. Ego scutum tibi. Septuag. ἐγὼ ὑπερασπίζω, id est, clypeo te desuper protego. Modo velis illi clypeo subiici, ne hostes timeas: bene tegitur, qui Deo circumdatur. Sed vide, ut eo protectore te indignum non reddas. Ptolamæus rex Ægypti ab uno e Septuag. Interpret. petiit, quomodo posset sine metu esse, respondit: Si habueris, inquit, mentem nullius malæ actionis sibi consciam: Deo eam dirigente, ad consultationes de omnibus rebus bonas.

Deus timorem pellit.

Pericles fingit, Minervam sibi adesse.

Hoc in psalmo etiam possis intelligere timorem, ne quis nobis maledicat. Hic excutiendus est S. Gregor. hom. 9. in Ezech. Cum, ait, linguæ derogantium corrigi nequeant, æquanimiter sunt per omnia tolerandæ: nec obtrectationis sermo timendus est, ne dum vituperatio perversorum metuitur, via recti operis deseratur: ita Gregorius. A lingua mala protegit Deus, ut statim subdit David noster. Unde sit,

ARTICULUS II.

Detractorum, et aliorum sceleratorum consortia vitanda sunt.

Hoc loco David nobis proponit decalogum diaboli, et satellitum eius unanimem consensum ad scelera, ut iustos a rectitudinis via absterreant.

Primo, caput serpentis ostendit, ex quo venenum omne 6.

fluat; nempe malitiam seu malignitatem, a qua solus Deus protegere possit, v. 3. PROTEXISTI ME A CONVENTU (Hebraice מִסּוֹד *missod*, id est, a consilio: ita Pagu. a secreto: ita Arias, a scelere: ita Syrus, ab invidia: ita Arabs; *sod* significat secretum; 2. consilium, quod necesse sit esse secretum; 3. cœtum, conventum, congregationem) MALIGNANTIUM: A MULTITUDINE OPERANTIUM INIQUITATEM. Malignantes vocat Absalonem, et eius consiliarios, ac præsertim Achitophelem, totius coniurationis architectum. Conventum porro malignantium vocat cœtus et coitiones illorum coniuratorum, tum in Ierusalem, tum in variis urbibus, tum in ipsa Davidis aula, ac præsertim in Hebrone urbe, ubi voti solvendi prætextu Absalon sacrificia et convivia celebraverat, atque ubi regem se inungi, et proclamari curavit. Hebronem porro elegit Absalon, quia ibi David regnans per septem annos super tribum Iuda, tabernaculum, seu oratorium extruxerat, ubi sacrificia offerret. Eo se densatim conferebant plurimi, ut regem Absalonem facerent. Dicitur enim 2. Reg. 15. v. 12. *Populusque concurrens augebatur cum Absalon*, quod Apollinaris recte hic expressit, cum vertit: *Abscondisti me a malis gregatim irruentibus.*

Vers. 3.
1. Pars. Decalogus diaboli.
I. Præceptum, malitia.

Tropol. Maligni conventum faciunt contra pios. Unde Iob queritur 19. v. 12. *Obsederunt in gyro tabernaculum meum*, velut Sodomitæ domum Loth, velut crabrones et sciniphes Ægyptii, bombo importuno instrepentes, et continuis aculeis importuni; in circuitu iustorum impii ambulant, ut aditum ad eos sibi reperiant. Sap. 2. v. 12. dicunt: *Circumveniamus iustum.* Secundo, vitiorum stygius conventus e variis furiis conflatus in nos irruit. S. Ioannes Climacus grad. 10. fol. 186. Plures, ait, nequam puellæ sunt hypocrisis, *malitia*, tristitia, acceptarum iniuriarum recordatio, de alieno corde iudicium, *et detractio*, quæ aliud ad speciem prætendunt, et aliud respiciunt atque agunt: ita Climacus. Tertio, a malitia et detractione præsertim cavendum est. Hermas lib. 2. Pastoris, mandato secundo. Dixit, inquit, mihi angelus, simplicitatem habe, et innocens esto: ot eris sicut infans, qui nescit *malitiam*, quæ perdidit vitam hominum. Primum, *de nullo male loquaris, neque libenter audias male loquentem.*

Conventus malignantium: 1. In foro. Conventus hi malignantium et detrahentium, fiunt Primo in foro et plateis ab otiosorum et rumores captantium et narrantium turba. Hinc S. Clemens Papa lib. 1. Constit. Apostolic. cap. 4. monet: Non eris ὡς πετόμενος, quasi volitans, et inambulans, atque errans, in vicis, intempestivus spectator eorum, qui turpiter vivunt: imo artem tuam, tuumque opus attende, et stude, ut facias, quæ Deo probentur: ita ipse. Rumusculorum aucupatores et venditores sunt instar infundibulorum et canalium, qui accepta ab aliis statim obvio cuilibet effundunt, ac domos urbesque universas perturbant. In nugigerulos illos vero

2. In officinis. Demochares, nepos Demosthenis invectus est. Secundo enim, in officinis tonsorum, chirurgorum, et similibus vana et nova narrantur, et sæpe plus famæ alienæ, quam pilorum raditur. Demochares itaque, cum videret obtrectatores, καθεζομένους ἐν ἰατρείῳ, una sedentes in officina chirurgi, et mala loquendi cupidos: Quid loquimini, ait, δυσμενίδαι. Simul hoc nomine ingenium et naturam ipsorum innuens, et detegens, ut refert Ælian. lib. 3. variæ hist. cap. 7. δυσμενίδαι enim dicuntur maligni, malevoli, furiæ execrabiles: eæ enim dicuntur Eumenides, sed per antiphrasim, q. d. Dysmenides, id est malo animi concitati

3. In conviviis. ardore irruentes. Tertio, conventus malignantium et detrahentium sæpe est in conviviis et compotationibus. Cum enim mens et corpus mero incaluerunt, tunc omnia, quæ latent recondita, effluunt atque eructantur. In eam rem ait David Ps. 140. 4. *Non communicabo cum electis eorum.* S. Chrys. vertit: Non comedam simul dulcia eorum. S. Hieron. et Arias, non comedam in deliciis eorum. Pagn. non comedam cibum voluptatum eorum. Chald. in cantilena eorum. Id est in convivio, in quo dicteriis, sannis, cavillis, proximo illudunt, ei insultant, et irridendum omnibus proponunt. Unde S. Chrysost. docet, esse summæ

A sapientiæ, eiusmodi fugere convivia, et tales cœtus. Quarto denique, conventus illi malignantium et detrahentium reperiuntur in omni loco, et malitiam suam facile per urbes diffundunt. S. Basil. hom. 9. Noxiæ, inquit, sunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea est amicitiæ huius lex et vis, ut per similitudinem *malitiam* coniunctis indat: ita ille. Scabies, lepra, et pestis est, quæ contactu et afflatu inficit. Hoc confirmat S. Ambros. lib. 1. epist. 4. ad Irenæum: *Noxiæ*, ait, *sunt conversationes cum insipientibus, et efficiunt sobriam mentem ac decolorant: quia adhærens sancto sanctus eris: ita cum perverso perversus eris. Frequenter enim accidit, ut qui contra propositum suum intemperantem audit, cum velit ipse continentiæ disciplinam tenere, fuco insipientiæ coloretur: meritoque contrariæ sibi sunt et repugnantes, disciplina et insolentia:* itaque

4. In omni loco.

David noster iure gratias agit Deo, dicens, PROTEXISTI ME A CONVENTU MALIGNANTIUM. Protegit autem ab illis lamiis et furiis duplici modo. Primo, cum mediis in flammis,
B et venenis, ac pestifero aere illæsos servat, sicut Iobum qui dicit cap. 30. 29. *Frater*, id est socius, *fui draconum*, Sept. Sirenum, *et socius struthionum.* Quod S. Gregor. admirans lib. 20. Mor. 29. ait: *Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet*: ita Gregorius. Conventus malignantium, velut frigus hyemale auget ardorem eorum, qui divina charite inflammantur. Afflatus eorum, est ventus aquilo, qui arborum in horto Dei positarum radices firmat et auget, ac truncum roborat. Secundo, et securius, a conventu malignantium protegit Deus, cum ex illis laqueis et vepribus expedit, et aperto liberoque virtutum in campo constituit. Hinc dicitur Prov. 1. 10. *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, Veni nobiscum, etc. Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum.* Vel ipsa terra, eorum calcata vestigiis, pestem contrahit atque communicat. Loth eripitur ab angelis ex incendio Sodomorum, cum ipsis in ignibus servari potuisset. 2. Petr. 2. 7. *Et iustum Loth op-*
C *pressum a nefandorum* (Sodomitarum) *iniuria ac luxuriosa conversatione eripuit.* Loth significat resinam pretiosam, quæ dicitur stacte; 2. involutum, colligatum, coopertum. Resina loco impuro corrumpitur, ideo separanda est. Loth in ea urbe, licet pius, ita colligatus et involutus erat, ut vix extrahi inde ab angelis potuerit, adeo in suis vinculis hærebat. Captus iam fuerat a Chodorlahomor, et in captivitatem abductus; ibique putruisset, nisi Abrahæ virtute liberatus esset, Genes. 14. 12. Abraham, ne spolia quidem quæ a quinque regibus victoribus eripuerat: nempe aurum, argentum, et alia Sodomitarum bona, attingere voluit, licet rex Sodomorum illa offerret, ait enim Genes. 14. 22. *Levo manum meam*, id est iuro, *ad Dominum Deum excelsum, possessorem cæli et terræ, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt: ne dicas: Ego ditavi Abraham.* Quia suppellex ipsa impiorum, quodammodo venenata est; et qui alios beneficiis devinxerunt, si mali sunt, facile eos ad actiones suas malas trahunt. Cum Va-
D lentiniano, vestis ipsa dissecanda est, si in eam vel levissima guttula impiorum defluxerit. A tabernaculis Core, Dathan, et Abiron iubetur abscedere populus, ne eadem ruina involvatur.

7. Dupliciter Deus protegit a conventu malignantium.

Hæc insipientium ruina et clades, orta ex societate et amicitia improborum explicari commode potest per capturam Alphestarum, qui pisces sunt, τὸ ὅλον κιρροειδεῖς, coloris prope omni ex parte *lutei*, quibusdam tamen partibus purpurei. Eos fama est, αὐτοὺς ἁλίσκεσθαι σύνδυο, *capi binos semper*, sic ut ad caudam alter sequi videatur alterum. Quod igitur ad nates alter comes alterius sit, ex antiquis nonnulli Alphestas vocant incontinentes, et ad venerem propensos, ut ait Athenæus lib. 7. Deipnosoph. fol. 281. cap. 6. In cœtibus malignantium id quotidie accidit, ut obscœnitate miseri capiantur. Quare sapientissimum consilium dat Iustiniano Imperat. Agapetus Diaconus in cap. parænet. c. 29. cum ait: *Expedire plurimum arbitror fu-*

Alphestarum captura.

gere pravorum contubernia: qui enim cum hominibus improbis versatur semper, η παθειν η μαθειν αναγκη τι πονηρον, *cum vel pati, vel discere malum aliquid necesse est. Qui vero, una cum bonis degit, aut imitationem honestorum edocetur, aut diminutionem vitiorum condiscit.*

8. Vers. 3. 2. Pars. II. Malum impiorum est tumultus.

Secundum impiorum, ac præcipue detractorum et calumniatorum telum est rabies ac tumultus in turba excitatus, vers. eod. 3. A MULTITUDINE OPERANTIUM INIQUITATEM. Pro *multitudine*, Hebr. est רגשת *regascia*, quæ vox significat congregationem, multitudinem, societatem conversationem, conventum, consortium, conventiculum, tumultum, strepitum, fremitum. Hinc primo Syr. totum versum sic vertit: *Protege me a scelere maligni, et a conversatione operantium iniquitatem.* Secundo, Arabs reddit, Ab invidia malorum, et a multitudine oppressionis opprimentium, protege me. Tertio Campensis, Absconde me a consilio pravorum secreto consultantium adversus me, et *a conspiratione* sceleratorum. Quarto denique, Chald. Abscondes me a secretis pravorum, et a fremitu operantium שקר *secker*, iniquitatem, mendacium. Omnis iniquitas mendacium est: mira pollicetur, et nihil præstat. S. Hieron. Pagn. Felix, *a tumultu*. Non est pax impiis: sunt in se mare fervens, et in alios mare furens; omnia complent tumultu, fremitu, conspiratione, agitatione atque furore et seditione. Leones sunt in antris suis frementes, atque rugientes, sues grunnientes, lupi ululantes, serpentes sibilantes, et sibi aliisque venenum afflantes. Draco unus Romam peste infecit: quid faciat infinita pene colubrorum, cerastarum, viperarum, basiliscorum, draconum, reliquorumque serpentium millia, in compitis et plateis assibilantium? Hinc veluti magnum Dei beneficium Propheta prædicat, quod in foveam serpentium non ceciderit: *Protexisti me a multitudine operantium iniquitatem.* Psylli in medio serpentium durant illæsi, sed in medio sceleratorum vix ullus evadit sine noxa: cum lupis ululandum est, et cum serpentibus sibilandum. Detractores angelus comparat dæmoni tumultuoso, qui in pace consistere non potest. Sic enim docet Hermam S. Pauli discipulum, ut ipse refert lib. 2. Pastoris mandato secundo: *Perniciosa*, inquit, *est detractio. Inconstans dæmonium est, nunquam in pace consistit, sed semper in discordia manet. Contine te ab illa, et semper pacem habe cum fratre tuo.* Conspirant simul detractores et velut Ægyptiæ locustæ in quemlibet involantes, bonæ famæ florem ad radices usque devorant, et totas sæpe familias, urbes, provincias absumunt: similes locustis Polonicis, quæ per Germaniam et Gallias magna segetum omnium clade decurrentes in Oceano Britannico mersæ sunt, et ad littus reiectæ atque putrefactæ pestem gravissimam in omne regnum immiserunt. A regibus ad muliones, a Prælatis ad rusticos detractor volando delabitur; nihil intactum, ne seipsum quidem, relinquit. Nullum tantum scelus est, ad quod trahi se non sinat homo nefarius aliis admistus. Catilina cum suis sociis, epoto humani sanguinis poculo, in patriam suam coniuravit. Brasilii morem parentum, et domesticorum, aliorumque secuti carnes humanas vorant. Non apparet fœditas iniquitatis, cum eam plures manibus versant atque simul operantur. Pergami oppidani manicas suas infando iusculo intinxerunt, ut se ad arma sumenda incitarent. Cedrenus in compendio histor. fol. 370. rem narrat in hunc modum: Masalmas Pergamum adortus cœpit. Nam oppidani, magi cuiusdam instinctu, prægnantem mulierem dissecuerant, fœtuque in cacabo elixato, quotquot militare vellent, in execrando hoc sacrificio manicas dextrarum suarum intinxerunt. Eapropter iusto Dei iudicio hostibus sunt traditi.

9. Multi pro malis.

Nota, *multi* nonnunquam sumuntur pro improbis, ut Ps. 3. 1. *Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.* Vide illum locum, ubi etiam ostendit multos secutos esse Absalonem. Matth. 7. 13. *Lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam.* Lege S. Ambros. et Basil. in Psal. 1. Aurum alii cudunt, aut poliunt, alii

A argentum, ferrum aut æs alii. Curribus fabricandis hi distinentur, illi domibus extruendis insudant, varia varii moliuntur. Operarii vero iniquitatis sunt infiniti, in officiis prope omnibus venalis prostat. 1. Ioan. 5. 19. *Mundus totus in maligno positus est;* id est, in malignitate et malitia. Oceanus terras ambit, et per canales occultos permeat: iniquitas vero infra, supraque, et in orbem terras omnes occupat. Itaque, cautio ubique adhibenda est, ut a Sapiente discis Eccl. 11. 33. *Attende tibi a pestifero*, Græc. κακουργου, id est malefico, ut vertit Tigurina, malitioso, vafro: *fabricat enim mala.* Fornax eius semper ardet, ut massas scelerum efformet; ac modo in gladios, modo in lanceas, modo in pugiones, aliaque nocendi instrumenta, effingat. Hanc malorum segetem succrescentem, velut lolii feracis, Alexius Patriarcha deplorat, libello de iis, qui per donationem monasteria consequuntur. Την αρετην, ait, παρευημερησεν η κακια: *Virtutem improbitas fertilitate sua superavit. Omnis in hominum vitam modo vitiositas irrepsit, et inhonesta per summam licentiam*
B *impune committuntur*: ita Alexius. Ora plurima fundunt pisces, id est voluptatibus dediti: et serpentes, id est invidia suffusi. Pronitatem hanc vitiatæ naturæ, ut in scelus ruat, docet S. Gregor. lib. 9. epist. 39. Tres, ait, in arca filii Noe fuerunt: Unus irrisor patris extitit. Duos Abraham filios habuit, sed tamen carnalis eius filius est repromissionis filium persecutus. Duos Isaac filios habuit, sed unus qui spiritalis extitit, ante minas carnalis fratris fugit. Duodecim filios Iacob habuit: sed unum, qui rectius vivebat, undecim in Ægypto vendiderunt: ita Gregorius. Si hæc contingunt in domo sancta, quid fiet in media mundi colluvie. Audi S. Cyprian. lib. 1. ep. 11. *Ne*, ait, *diabolo insidianti, et sævire cupienti, ad nocendum detur occasio, quando et Apostolus dicit: Nolite locum dare diabolo. Liberanda est igitur vigilanter de periculosis locis navis, ne inter scopulos et saxa frangatur: eximenda est velociter de incendio sarcina, priusquam flammis supervenientibus concremetur. Nemo diu tutus est, periculo pro-*
C *ximus.* Idem sanctus Pater eamdem rem aliis similitudinibus declarat lib. de singular. clericorum, si tamen eius est hic liber: alii enim tribuunt Origeni, alii auctori latino, sed minus polito quam sit S. Cyprianus. Sic autem ibi habetur: *Adversa est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat, et lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se posse sperat. Incerta est victoria, inter hostilia arma pugnare: et impossibilis liberatio est flammis circumdari, et non ardere. Verendum est dormienti in ripa, ne cadat. In hac parte expedit plus timere, quam male fidere; et utilius est, ut infirmum se homo cognoscat, quam fortis videri velit, et infirmus emergat. De qua re præsumptores obiurgat Apostolus, dicens: Si quis se putat aliquid esse, cum nihil sit, seipsum implanat. Pro certo implanator proprius animam suam decipit, qui non cavendo contraria, noxiis rebus semetipse immiscuit. Ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus, species quascumque noxias semper extimescit*: ita ibi.

Multi semper fuerunt mali.

10. Vers. 4. 1. Pars. III. Dentes detractorum sunt gladius.

D Tertio, Propheta detractorem armat gladio, v. 4. QUIA (Hebr. אשר *ascer*, id est, *quia*, ut habet Chald. S. Hilar. Regia et Complutensia Biblia; 2. *ascer*, id est, *quia*, ut etiam S. Hier. vertit, eo quod, propterea quod) EXACUERUNT UT GLADIUM LINGUAS SUAS, INTENDERUNT ARCUM REM AMARAM. Cum Periclem adulatorum turba circumstetisset, atque alius Samum ab eo expugnatam, alius Eubœam commemoraret: alii mare totum circa Peloponnesum navibus emensum: alii alia dicerent, apparebat, neque illum moleste ferre neque delectari admodum. Illud vero ex omnibus, quæ in administranda Republica gesserat, præ cæteris laudari cupiebat; quod, cum tanto Atheniensium populo præfuisset, ουδενι θανατου αιτιος, *nemini causam mortis attulisset*: neque civium quisquam, qui atratus prodiisset, huius sibi calamitatis auctorem fuisse Periclem aliquando dixisset, ut ait Iulianus Imper. orat. 3. fol. 239. Peccatores autem, et præsertim detractores, eo se excelsiores et laude digniores credunt, quo

plures occiderint. Hinc Ps. 56. 5. dicitur: *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ: et lingua eorum gladius acutus.* S. Clemens Papa epist. 1. ad S. Iacobum testatur a S. Petro detractorem inter homicidas esse computatum. Verba illius sunt: *Homicidiorum tria genera dicebat B. Petrus, et pœnam eorum parilem esse asserebat. Sicut enim homines interfectores fratrum, ita detractores quoque eorum, eosque odientes homicidas esse manifestabat.* Hebræi non homicidio tantum, sed idololatriæ etiam atque adulterio detractionem comparabant. Sic enim habetur in libro præceptorum negativorum, Num. 9. *Ob tria scelera punitur homo, et in hoc sæculo, et in futuro, et sunt ista, idololatria, adulterium, et sanguinis effusio: sed mala lingua his tribus respondet, et peior est.* In scholio 2. ad gradum 10. S. Ioann. Climaci malitia hæc ostenditur: Anima, inquit, quæ detractionibus est obnoxia, τριβολον εχει γλωσσαν, trisulcam habet linguam. Nocet enim et sibi ipsi, et auditori, et illi quandoque, de quo detrahitur: ita ibi. Possis etiam trisulcam dicere, quia et in Deum fertur, quem crucifixit; et in proximum, quem cruentat; et in se, quam damnat. Quis satis vituperet Doegi linguam, quæ uno ictu trucidavit octoginta quinque viros, vestitos ephod lineo. Nobe autem civitatem sacerdotum, percussit *in ore gladii*, seu potius in oris gladio, cum dixit Achimelech. Pontificem Davidi favisse in sua fuga: trucidavit etiam viros, et mulieres, et parvulos, et lactentes, bovemque et asinum, et ovem in ore gladii, 1. Reg. 22. 18. Quæ furia tetrior et funestior e styge unquam prodiit illa Doegi lingua, totam civitatem mactante? Calumniam seu detractionem iure pinxeris equo insidentem, et exerto gladio per plateas vicosque oberrantem, et sanguine omnia fœdantem. Explicare id possis circulatoris cuiusdam facto memorabili quod refert Cedrenus in historiarum compendio, fol. 531. Regnante, ait Romano Imper. vir quidam extitit Philoræus nomine, stipator magistri Romani

Mira circulatoris agilitas. Moselis, prognati a Romano sene. Is vir iniecta veste equo celerrimo, ισταμενος ορθιος, και ξιφος χερσι βασταζων, illi insistebat rectus, gladium manibus gestans; quem equo concitatissimo currente rotans Euripum Circi percurrebat, στρεφων ανω και κατω το ξιφος, gladium sursum deorsumque versans, et ne minimum quidem vestigio suo elabens: ita Cedrenus. Laudabilis erat illa agilitas, sed calumniæ gladius est lethifer. Philoræus ille gladium e manibus elabi non patiebatur: at calumnia ore funereo gladios perpetuo eiectat, velut Ætna flammarum globos. Pluviam grandinis omnes exhorrent, sed gladiorum pluviam quis ferat? Damoclem unicus ensis terruit capiti imminens, quis tot gladiorum, quot verborum iaculationem non perhorrescat? Quod deterius est, detractio virtutes omnes, ac præsertim charitatem trucidat. S. Ioan. Climacus grad. 10. *Detractio*, inquit, *est odii partus, subtilis morbus, crassa tamen, sed latens,* και λανθανουσα βδελλα, *et occulta hirudo, quæ charitatis sanguinem exhaurit et absumit. Amoris simulatio, et cordi sordes et conscientiæ grave onus conciliat, castitatemque abolet.*

11. **Christus est occisus linguis Iudæorum.** Allegor. Hic locus de Christo est, quem Iudæi, linguis suis occiderunt, clamantes, Crucifige, crucifige. Unde S. Marc. 15. 25. dicit, Christum fuisse crucifixum hora tertia, quia illa hora clamabant Iudæi crucifigendum illum esse. Ita S. August. in Psal. nostr. qui sic loquitur: *Pilatus dixit in Christum sententiam, et iussit cum crucifigi, et quasi occidit: et vos o Iudæi occidistis. Unde occidistis? gladio linguæ. Acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis, Crucifige, crucifige? Propterea quidam Evangelista Matth. 27. 45. dicit, Hora sexta crucifixum Dominum, et quidam hora tertia: nisi intelligamus, perturbamur. Iam incipiente sexta hora, dicitur Pilatus sedisse pro tribunali: et revera quando levatus est Dominus in ligno, hora sexta erat. Sed alius Evangelista intuens animum Iudæorum, quia volebant se immunes videri a morte Domini, narrando eos ostendit reos, dicens Dominum hora tertia crucifixum. Considerantes autem omnem circumstantiam lectionis quanta agi potuerunt, cum apud Pilatum Dominus accusaretur, ut crucifigeretur, invenimus horam tertiam esse potuisse, quando illi clamaverunt, Crucifige, crucifige. Ergo verius illi tunc occiderunt, quando clamaverunt. Apparitores potestatis hora sexta crucifixerunt, prævaricatores legis hora tertia clamaverunt: quod illi manibus hora sexta, hoc illi lingua hora tertia. Rei magis isti, qui clamando sæviebant, quam illi, qui obtemperando administrabant. Ipsum est totum acumen Iudæorum, hoc est, quod pro magno quæsiverunt: Occidamus, et non occidamus: sic occidamus, ut non ipsi occidisse iudicemur. Exacuerunt tamquam gladium linguas suas.* Sed illud acumen cito hebetatum est; patuit enim eorum malignitas et crudelitas. Peiores illis facit eos, qui animas occidunt S. Bernardus. Sic enim ait sermone 1. de conversione S. Pauli: *Agnoscite*, ait, *dilectissimi, et expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino maiestatis manus sacrilegas iniecerunt.*

Quarto, occultis et insidiosis susurrationibus nocent **12.**
detractores: ideo Propheta illis dat arcum, sicut ante gla- **Vers. 4.**
dium, quo aperta contumelia denotatur. Per gladium vero **IV.**
et arcum omnia arma denotantur synecdochice: ait itaque v. 4. INTENDERUNT ARCUM REM AMARAM, UT SAGITTENT IN OCCULTIS (S. Hilar. in obscuro) IMMACULATUM, id est eum, qui facile falli potest, et simplicem, ut exponit S. Hilarius; 2. et melius, *immaculatum*, id est, innocentem, nulla maculatum labe. Nulli parcit calumnia, in luce maligna circumspiciens percutit, et puros maculat et cruentat. **Detractor est arcus dolosus.**

Nota, pro *rem amaram*, Hebr. est verbum amarum. S. Hieronymus vertit, verbum amarissimum. Symmachus, *Impleverunt arcum suum sermone amaro.* Itaque sermonem amarum sumpsit pro sagitta emissa ex arcu: nempe, ex corde doloso, et lingua fallaci. Chald. amaritiem illam iure venenatam vocat. Non pauci barbari olim sagittas suas veneno illinebant, quod nunc etiam faciunt. Reddit porro, *Unxerunt sagittas suas veneno mortifero, et amaro.* Ubi adverte, pro *arcu*, vertere, sagittas. S. Hieronymus vertit quoque: *Tetenderunt sagittam suam, verbum amarissimum.* Hebr. חץ *chets* proprie sagittam significat: Noster tamen *arcum* interpretatur, sed plenum sagitta: cum subdit, *ut sagittent.* Arcus ergo fit mentio, ut sciamus, non sola manu sagittam esse excutiendam, sed arcu, et consequenter magis penetraturam. In arcu etiam dolus notatur: quia cornua arcus inflectuntur et obliquantur, ut sagitta emittatur; item, arcu sagitta emissa ferit e loco remoto: itaque præcaveri non potest, sicut gladius. Ier. 9. 8. *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Oseæ 7. 16. *Facti sunt quasi arcus dolosus.* De hæreticis simplices decipientibus psalmum nostrum exponit S. Hilarius: *Non hic*, ait, *Propheta arma bellica, nec enses, aut iacula, tormenta arcuum pertimescit. Omnis enim in lingua timor est, huius gladios et spicula metuit; ab his quidem fide sua tutus. Ait enim: Protexisti me a conventu malignantium. Sed arcus homicidæ linguæ semper intentus est, et acumen gladii in lingua eius præsto est. Volant autem lethales eius sagittæ, et non ambiguum est quid efficiant: scilicet, ut sagittent in obscuro immaculatum. Et proprietas verbi intelligenda est. Non sanctum, non fidelem, non iustum, sed immaculatum sagittant; eum, cui per Sacramentum baptismi, sordes et maculæ veterum criminum recens ablutæ sunt, nondum tamen firmatæ fidei; nondum doctrinis spiritalibus eruditum; nondum contra hæc pugnacis linguæ arma certantem, sed simplicem, et ex novæ nativitatis infantia tenerum:* ita Hilarius.

Remedium in tales sagittarios, idem est, quod assignat Synesius in Scythas ιπποτοξοτας, id est, equestres iaculatores: nempe, virile pectus et infractum. Synesii verba sunt oration. de regno ad Arcadium: Ex peregrinis *equestres aliquot sagittarii* relicta patria, ad homines nimium faciles proficiscuntur, comiter ac benigne excipi sese po-

stulantes, sibique in exemplum nequiores illos proponentes. Animis adversus homines istos opus est, ac vel ex imperio terram colent; sicut Lacedæmoniis olim Messenii positis armis servierunt: aut eadem qua venerunt via, fugam arripient: et transfluvium habitantibus renuntiabunt, non eamdem in Romanis humanitatem inesse: sed eorum principem esse, νεον τε και γενναιον, generosum adolescentem: ita Synesius.

13. Quinto, temerarii sunt detractores, et sine ulla consi-
Vers. 5. 1. Pars. V. Detractor est temerarius. deratione sagittas suas emittunt, v. 5. SUBITO SAGITTABUNT EUM, ET NON TIMEBUNT: FIRMAVERUNT SIBI SERMONEM NEQUAM. Pro *subito*, Hebr. est פתאם *pitom*, quod significat mox, repente, celeriter, subitanee, præter expectationem, ex improviso, ex inopinato, præcipitanter, cum periculo deceptionis ac sine matura deliberatione. Deducitur enim a verbo *pata*, decipere, seducere, inclinare cor ad ea, quæ sunt præter rationem. Vel a *peti*, id est, fatuus, stultus, insipiens, simplex, parvulus, qui facile decipitur. Hic autem deceptio sumi potest tam active, quam passive: id est, ita ut detractor et decipiat eum, cui loquitur, et decipiatur: inducens se in laqueos, unde se non possit expedire, et inimicitiam multorum sibi temere concilians. Ratio, cur detractoris lingua sit præceps, inde petitur: quod diabolus linguam eius regat. S. Bernard. *Detractor*, inquit, *et libens auditor, uterque diabolum portat in lingua.*

Portat dæmonem in lingua. In omnes autem insilit, sicut canis rabidus, aut homo furiosus a dæmone possessus, nec parentes, nec amicos, nec principes cognoscens. Pergit enim idem sanctus Pater: *Si pauper es, vilem et abiectum te reputat: si dives, ambitiosum, avarum et cupidum. Si affabilis, dissolutum: si prædicator vel doctor, honoris et humani favoris quæsitorem: si tacens, inutilem: si ieiunus, hypocritam: si comedens, voratorem.* Et vero id contigit Iudæis, qui Ioannem et Christum reiecerunt, et in eos convicia iecerunt, ut ipse Christus docet Matth. 11. 18. *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens, et dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus.* Iaculationes porro subitaneæ detractorum recte exprimentur per repentinam serpentis iaculi deiectionem ex arbore in viatores. Plin. lib. 8. cap. 23. *Vulgatum est, Iaculum ex arborum ramis vibrari: nec pedibus tantum cavendas serpentes, sed et missili volare tormento.*

14. Sexto, detractores sunt impudentes, sine ullo timore
Vers. 5. 2. Para. VI. Detractor est impudens. omnes pungunt et mordent, atque transfigunt, si possint. Unde additur: ET NON TIMEBUNT. Neque timent Deum, neque homines reverentur. In ipsa regum sceptra et coronas, Pontificum mitras et tiaras involant muscæ importunæ, fœtentes et impudentes: quoties abegeris, toties redibunt. Os quoque canis, et latratum illis tribue, atque impudentiam, Cynocephalo item percommode illos composueris: de eo ait Agatharcides: *Cynocephalus hominis habet corpus, sed caninam faciem, stridorem muris: animal ita ferum, ut cicurari nunquam possit:* ita ille.

Cynocephalo comparandus. Detractora nihil est humanius, si sermonis ingressum cernas: sed ubi oculos in faciem eius intenderis, et quo spectet, consideraris, tum canem sentis et mordacem, atque mussitationibus totos dies vacantem ingemis; neque ullis artibus cum ab insana illa mente abduxeris. De illius impudentia dic cum Herma lib. 3. Pastoris similitudine 9. *Magnum dæmonium est audacia, et confidentia inanis.* Sapienter autem, fortiter, et Christiane ages, si, cum auctoritate polles, os impudens sancta et modesta libertate occludas et contundas. Isaac Abbas rationem addit, ut animam tuam salves: *Si quis*, inquit, *sermones perniciosos intulerit, tu ne velis illos audire, ne perdas animam tuam: nec reverearis vultum eius, sed contrista tu illum.* Et postea, φευγων φευγε παντελως, *Fugiens fuge omnino.*

Remedium, ut et detractor se emendet, et tu illum fugias, est timor Dei. Petr. Cellensis lib. de panibus, c. 14. *Quasi custos*, ait, *super innumerabiles gazas: sic timor in ultimo charismatum ponitur, ad conservandas incomparabiles gratias. Gemma pretiosissima pietas, sed facile ab*

A *impietate surripitur, nisi timore custodiatur. Melior est igitur bona custodia acquisitorum, quam impensa opera acquirendorum. Habeamus bonas et pulchras gratiarum puellas, sed sub custodia diligentissimi pædagogi, scilicet timoris.* Time itaque, et securus eris.

Septimo, detractores sunt obstinati, et in scelere suo 15.
pertinaces. Hinc additur, v. 5. FIRMAVERUNT SIBI SERMONEM NEQUAM. S. August. serm. malignum. Arnob. verbum iniustum: nempe, me regno et vita privandi. Hoc enim statuerant Absalon, Achitophel, et alii. Coniuratio, est sermo nequam, præsertim in reges, et est sermo firmus, quia includit iuramentum, sed non obligans, imo omnimodo irritandum. De vitio detractionis ait Salvian. lib. 3. de provid. *Esuriendi libido*, ait, *terminum habet, detrahendi libido terminum non habet. Nam semper admodum cibo, nunquam detractione saturamur.* De calumnia vero dicit S. Antiochus, quod immortale, et sine ullis induciis bellum gerit: *Pervicax*, inquit, *et perplexa est affectio calumniæ:* μαλλον δε και διαβολικων: ασπονδοι γαρ οντες και θεοστυγεις συκοφανται, *et verius est diabolica.*

Vers. 5. 3. Para. VII. Detractor vix emendatur.

B *Fœdus cum nullo ineunt sycophantæ, sed perpetuum bellum gerunt: ideoque Deo invisi, illorum sunt accensendi consortio, et eiusdem sunt malitiæ participes, et eiusdem patris hæredes, qui veritatem ipsam sceleratissime prodiderunt, et cruci affixerunt: hoc est, Dominum nostrum Iesum Christum. Ipse enim dixit: Ego sum veritas et vita:* ita Antiochus. Eo autem magis est incorrigibilis detractor, quo magis se latere posse putat per fraudes suas. Nam, ut ait Philo lib. de sacrificiis Abelis et Caini: Calliditas est morbus animæ voluntarius, χαλεπη και παντως ανιατος, ægre, vel potius numquam sanatur et repellitur: hæc Philo.

Firmant autem detractores et calumniatores sermonem nequam, præsertim quando conspiratione facta symbolum suum conferunt ad famam alicuius deturpandam. Aristeas illos comparat mustelis, quæ aure concipere putantur: sed a plebecula et ore parere. Sic autem ait: *Mustela auribus concipit, quæ ore parturit. Qui mos hominibus perniciosissimus est, ut quæ ipsi auribus accipiunt, eadem verbis exaggerantes, maioribus malis involvant, instantemque turpitudinem omnibus ipsi modis auctam inique*

C *fœdant.* Plin. lib. 29. cap. 4. ait, mustelarum fel esse venenum; ira calumniatoris et detractoris venenum est; 2. mustela, quæ in domibus nostris oberrat, catulos suos, ut auctor est Cicero, quotidie transfert, mutatque sedem. Suas calumnias et detractiones variis per compita et plateas vendicant scelerati; 3. In Proselene insula viam mustelæ non transeunt, ait Plin. In omnem locum penetrant nostræ feræ.

Octavo, detractores et calumniatores sunt fraudulenti, 16.
v. 6. NARRAVERUNT (Apollinar. consideraverunt. Nicephor. consultaverunt) UT ABSCONDERENT LAQUEOS (S. Augustin. muscipulas): DIXERUNT, QUIS VIDEBIT EOS? Ad fraudes faciendas, et laqueos iusto parandos, se impii hortantur. Proverb. 1. 11. *Abscondamus tendiculas contra insontem frustra*, id est, contra eum, qui sine ullo suo fructu est insons, et virtuti vacat.

Vers 6. 1. Pars. VIII. Detractor est fraudulentus.

D Inter tendiculas illas, seu laqueos, ponit S. Leo linguas obloquentium. Sic enim sermon. 5. Quadragesimæ: *Plena*, inquit, *omnia periculis, plena laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium.* Mali illius frequentiam luget S. Hieronym. ad Celantiam epist. 14. *Pauci admodum sunt, qui detractioni renuncient: raroque invenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam: tantaque huius mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant:* hæc Hieron. Itaque laqueus detractionis est laqueus maxima periculosus, cum eos ipsos implicet, qui ab aliis se expediverunt: eoque detractio est perniciosior, quo est occultior, et venenum suum occultius fundit se illius, cui loquitur, inclinationi, moribus, conditioni et sermonibus accommodans.

Plin. lib. 8. cap. 23. *Quod ad serpentes attinet: vulgatum est, colorem plerosque terræ habere, qua occultentur. Cerastis corpore eminere cornicula sæpe quadrigemina, quorum motu reliquo corpore occultato, sollicitent ad se aves.* Quis evadat, cum serpentes retia tendunt, et incautos occupantia ab illis, ne ipsæ quidem cæli aves securæ sunt: sed præsertim, cum odia spargunt, contrariis detractionibus fratres, et amicos a se dividentes: illos non male compares serpenti amphisbænæ, ex utraque parte capitatæ: de ea pergit Plinius dicere: *Geminum caput amphisbenæ: hoc est, ad caput et ad caudam tamquam parum esset uno ore fundi venenum.* Et cum blandiuntur initio, et cum mordent in fine, cavendi sunt detractores. Alexius Patr. libello de iis, qui per donationem monasteria consequuntur: *Simulatio*, inquit, *et larva* ὡς τιμιον επιτηδευμα, *pro re honesta et laudabili ducitur.* Hinc fit, ut venenum et laqueus non appareant prius, quam dolor sentiatur.

Cerastis collati detractores.

Et amphisbænæ.

17. Nono, detractores et calumniatores instorum sæpe fiunt blasphemi, vers. eod. 6. Dixerunt, quis videbit eos? laqueos scilicet: ita Iansen. Bellarm. Titelman. Et clare S. August. qui legit: *Narraverunt, ut absconderent muscipulas; dixerunt: Quis videbit eas?* Sed difficultas est in textu græco; habetur enim, διηγησαντο του κρυψαι παγιδα; ειπον, τις οψεται αυτους; id est, eos, non potest referri ad παγιδα, id est, laqueum: Verti autem Græca sic debent: *Narraverunt, ut absconderent laqueum; dixerunt: Quis videbit eos?* Lorinus putat esse verba dicentium de seipsis in tertia persona, *Quis videbit eos?* id est, nos; clarius esset, si cum Cassiod. et Arnob. legeremus, *nos*. Sed arbitror textum græcum esse corruptum, et pro αυτους legendum αυτην, atque referendum esse ad παγιδα; id est, ad laqueum; illum enim occultum esse vult detractor.

Vers. 6. 2. Pars. IX. Detractor sæpe est blasphemus.

Quod autem dicitur, *Quis videbit eos?* sensus est, q. d. Nemo eos videbit, ne quidem ipse Deus: ita S. Augustin. explicans de Iudæis, qui putabant se latere Deum, cum affligebant Christum, quem purum hominem esse arbitrabantur, ac subdit: *O cor humanum, quare tibi dixisti, quis videt me; cum ille videat, qui te fecit? Dixerunt: Quis videbit eas? Videbat Deus, videbat et Christus, quia et Christus Deus.* Iansenius exponit de iis, qui providentiæ et iustitiæ divinæ nullam habent rationem. Illis autem maledicit Isaias cap. 29. 15. *Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera.* Detractione porro hominem sensim ac sine sensu ad blasphemiam deduci S. Dorotheus, qui floruit circa annum 560. docet, Doctrina 2. *Memini*, ait, *vidisse me aliquando hominem, qui, si quis e fratribus locutus quidpiam esset in alterius commendationem et laudem, statim illum spernebat*, και κατεπτυεν, *et quasi conspuebat, dicens: Quis est ille? non est alius, qui aliud valeat præter Zosimam, et qui cum eo sunt. Post, cœpit et illos contemnere, ac dicere: neminem alicuius pretii esse præter Macarium. Et paulo post: Quis, ait, Macarius? Nullus est præter Basilium et Gregorium. Atque etiam non multo post hos quoque cœpit pariter spernere, et nullum ullius existimare, præter Petrum et Paulum. Cui ego prædixi, quod evenit, fore, ut illos etiam contemneret. Quod sane factum est: nam eos sprevit, et nihil esse in pretio habendum præter Trinitatem, asserere cœpit. Statimque in Deum factus insolentior, intumuit:* ita Dorotheus: ubi diabolicam sceleratorum gradationem vides. Itaque, parvuli allidendi sunt ad petram.

Notabile exemplum detractoris.

Secundo, et simplicius, ac melius: *Quis videbit eos?* q. d. Nemo eorum, quibus loquimur, advertet laqueos et insidias, ac fraudes adulationum, detractionum, atque calumniarum nostrarum. Vis aliquem modum discernendi adulatores et detractores ab amicis et hominibus zelo ardentibus? audi Aristeam in hist. Septuag. Interpretum; ait enim, cum Ptolemæus rex ab uno illorum petiisset: Quomodo posset discernere dolose secum agentes: *Si*, ait, *observaveris, quam sit cuique vita libero homine digna: et quam constans, certaque morum æquabilitas in salutationibus, consultationibus, et reliqua conversatione, et benevolentia, et reliquis vitæ officiis, nihil ultra modum agant.* Verborum itaque index est vita, sicut in horologio manus declarat, quænam hora insonuerit.

Decimo denique, detractores sunt curiosi scrutatores vitæ alienæ, v. 7. Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio. *Scrutati sunt iniquitates*, id est, inique, iniuste, cum iniquitate et scelere. Campens. vertit: Excogitaverunt varios nocendi modos. Vel, inquirunt prava consilia. Secundo, sensus est, q. d. Scrutati sunt, ut inveniant iniquitates in aliis, peccata aliorum investigant, quærunt, utrum in me, et mea administratione sit aliquid vitii, ut illud aperiant, et inde odiosum me reddant populo meo: ipsique sibi captent eius benevolentiam, ut meo in throno sedeant. Hoc aptissime convenit Absaloni, de quo est hic Psalmus. Nam 2. Reg. cap. 15. 2. habetur: *Mane consurgens Absalon, stabat iuxta introitum portæ, et omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad regis iudicium, vocabat Absalon ad se, et dicebat: de qua civitate es tu? Qui respondens, aiebat: Ex una tribu Israel ego sum servus tuus. Respondebatque ei Absalon: Videntur mihi sermones tui boni et iusti. Sed non est, qui te audiat constitutus a rege, dicebatque Absalon: Quis me constituat iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, et iuste iudicem? Sed et cum accederet ad eum homo, ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens osculabatur eum. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad iudicium, ut audiretur a rege, et sollicitabat corda virorum Israel.* 18.

Vers. 7. 1. Pars. X. Detractor est curiosus scrutator.

Moral. Detractor scrutatur iniquitates, non virtutes aliorum. Chald. vertit: *Pervestigabunt, ut inveniant iniquitates, ad disperdendum iustos.* Scrutatio iniquitatum denotat Primo, malevolentiam detractoris. Secundo, diligentiam. Tertio, defatigationem. Quarto, calumniam; ut enim ait Photius, si post scrutationem nihil reperiant, fingunt mendacia. Verba eius sunt: *Curiosæ mentes ad recte facta alterius, seu virtutes, nolunt attendere, nec respicere*, αξυωπουσι δε προς το ελαττωμα, *minimum vero lapsum peracute cernunt: et si quid deprehenderint, arripiunt, exagitant, et examinant. Si nihil reperiant*, αυτοι μαλλον ειδωλοποιειν και πλαττειν αιρουνται: *Ipsi sibi somnia et imagines fingunt, potius quam ut ipsi inanem curiositatem suam abire sinant.* Quinto, *scrutatio* notat detractorum vilitatem, qui abiecta et reiectanea colligant, iisque mentem et linguam impleant, veluti scrutis vilibus. Scruta enim sunt attritæ usu vestes, dimidiatæ strigiles, lumentorum soleæ, refixi clavi, idque genus alia, quæ vilissimi proxenetæ venalia habent, quos antiqui scrutarios σχρυταπωλας appellabant. S. Chrysost. iure dicebat detractoribus: si flores mihi affertis, illos accipiam, et odorabor, sed lutum et stercus a me removeo, nec accipere et odorari volo. Sexto denique, scrutatio iniquitatis, stultitiam detractoris notat, sicut fossoris cavernæ plenæ serpentibus portam aperientis, ut ab illis mordeatur. S. Ioann. Clim. grad. 10. fol. 191. Sicut, inquit, prudens uvæ vinitor maturos tantum acinos comedit, et acerbas uvas negligit: ita bona mens, et sapiens, quascumque in aliis virtutes viderit, studiose notabit: ο δε αφρων, insipiens vero, tantum vitia defectusque pervestigabit.

Scrutatio sex denotat in detractore.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

19. *Quatuor complectitur. Primo, detractorum punitionem a Deo, vers. 7. Secundo, punitionem a seipsis, vers. 8. Tertio, punitionem ab aliis hominibus iniustis, vers. 9. Quarto denique, punitionem a iustis, vers. 11.*

PARAPHRASIS.

7. *Defecerunt scrutantes scrutinio.*

7. Nefarii calumniatores nihil in me repererunt, unde coniurationem suam iuste roborare possint; sed magno et inani labore fatigati sunt in vita mea et gubernatione scrutanda et examinanda.

8. *Accedet homo ad cor altum: et exaltabitur Deus.*

8. Ipsi profundo corde varia versabunt consilia, ut mihi noceant; et Deus vindex exurget, ut eos puniat.

9. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum: et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.*

9. Suis sagittis confixi, et propriis artibus victi, misere perierunt: eorum calumniæ, detractiones, atque obmurmurationes illis victoriam tribuere non potuerunt, sed in eorum perniciem reciderunt.

10. *Conturbati sunt omnes, qui videbant eos: et timuit omnis homo.*

10. Comites coniurationis videntes miseram eorum mortem et totius exercitus cladem, conturbati sunt, et timuerunt.

11. *Et annuntiaverunt opera Dei: et facta eius intellexerunt.*

11. Omnibus narraverunt quid sibi accidisset in prælio, et quanta consternatio fuisset in militibus: quam multi gladio et terræ motu periissent, eaque omnia a Deo accidisse cognoverunt.

12. *Lætabitur iustus in Domino, et sperabit in eo: et laudabuntur omnes recti corde.*

12. Ego vero, et qui meis partibus adhæserunt, lætabimur in Deo nostro, et spem in illo nostram reponemus; omnesque, qui iusti sunt, sentient res suas ita fluere ex sententia, ut ab omnibus laudentur.

QUÆSTIO UNICA.

SCELERATORUM, ET PRÆSERTIM DETRACTORUM, QUANTA CALAMITAS.

20. Ordo Sectionis. SECTIONE superiori calumniatorum et detractorum perversitatem vidimus, in hac præsenti punitionem illorum spectemus. Puniuntur enim, v. 7. *Defecerunt scrutantes scrutinio.* Primo enim, Deus illos punit, v. 8. *Accedet homo ad cor altum: et exaltabitur Deus.* Secundo, sibi ipsis nocent, cum tam multa vana et inania effutiant, ut ex ipsis eorum verbis mendacia appareant, v. 9. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum: et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Tertio, comites eorum punitione deterriti, ab iis fugiunt, vers. 10. *Conturbati sunt omnes qui videbant eos, et timuit omnis homo.* Ac Deum vindicem laudant, vers. 11. *Et annuntiaverunt opera Dei: et facta eius intellexerunt.* Quarto denique, iusti eiusos eorum conatus rident, et Deo freti exultant, v. 12. *Lætabitur iustus in Domino, et sperabit in eo: et laudabuntur omnes recti corde.*

ARTICULUS I.

Scelerati, et detractores præsertim a Deo puniuntur, et sibi ipsis nocent.

21. Vers. 7. 2. Pars. IN aliorum vita scrutanda laborat detractor, sed frustra, v. 7. SCRUTATI SUNT INIQUITATES: DEFECERUNT SCRUTANTES SCRUTINIO, id est diligentissime scrutantes. Hebraismus est, sic dicunt, vita vivere, morte mori, et similia. Scrutinium autem, est diligens investigatio et perquisitio. Alii legunt, scrutantes scrutinium, ut S. Hieron. et Cassiod. Alii, scrutantes scrutationes, ut S. August. Sed idem sensus est, q. d. Attentissime quidem et laboriosissime vitam meam atque opera excusserunt, ut mihi nocerent, sed frustra: nam in ipsa sua scrutatione defecerunt,
22. Iudæorum vana consilia et irrita. fatigati sunt, et tempus sine fructu contriverunt. Primo, id de hostibus Davidis ad litteram explicui in paraphrasi. Secundo, alleg. de hostibus Christi sumit S. August. *Perscrutati sunt, ait, iniquitatem, defecerunt scrutantes scrutationes, id est, acerba et acuta consilia. Non tradatur per nos, sed per discipulum suum: non occidatur a nobis, sed a iudice: totum nos faciamus, et nihil fecisse videamur.*

A *Et ubi est clamor linguæ, Crucifige, crucifige? Sic cæci estis, ut et surdi sitis. Simulata innocentia non est innocentia: simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas: quia et iniquitas est, et simulatio. Ergo, isti defecerunt scrutantes scrutationes. Quanto acutius sibi excogitare videbantur, tanto magis deficiebant: quia lumine veritatis et æquitatis in profunda consiliorum malignorum demergebantur. Habet iustitia quamdam lucem suam, perfundit et illustrat animam inhærentem sibi. Anima vero, avertens se a luce iustitiæ, quanto magis quærit, quod inveniat contra iustitiam: tanto plus a luce repellitur, et in tenebrosa demergitur.*

Tertio, defecerunt scrutantes scrutinio, qui Ecclesiam opprimere conati sunt, et martyres falsis testimoniis, aliisque modis, perdere. Ubi enim sunt Nerones, Decii, Maximini, Diocletiani, Maximiani, et similes pestes? Diocletianus et Maximianus de subactis, ut putabat aut putari volebat, deletisque penitus Christianis columnas erexerunt; Cluniæ enim in Hispania in nobili columna, hæc in-
B scriptio legitur: DIOCLETIAN. IOVIUS. MAXIMI. HERCU- Et tyrannorum.
LEUS CÆSAR. AUGG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCID. IMPER. ROMAN. ET NOMINE CHRISTIANORUM DELETO, QUI REMP. EVERTEBANT. Rursus ibidem altera inscriptio hæc habet: DIOCLETIAN. CÆS. AUGUST. GALERIO IN ORIENTE ADOPT. SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQUE DELETA, CULTU DEORUM PROPAGATO. Hæc illi, in variis orbis provinciis; sed defecerunt scrutantes scrutinio: nam adeo crevit, sanguine martyrum seges Christianorum, ut Diocletianus et Maximianus Herculius secundo persecutionis anno præ desperatione sese imperio abdicarint, ac deinde misere perierunt. De illis ait Euseb. lib. 8. cap. 26. *Cum secundus iam annus eius tumultus in nos commoti nondum esset completus, facinus quoddam novum et inauditum in imperio factitatum, cuius statum penitus commutavit evertitque. Nam qui primus nostrarum ærumnarum auctor erat, Diocletianum dico, in tam lethalem et pestiferum morbum delapsus est, ut mens inde de statu suo deturbaretur. Et propterea cum ille ipse, tum alter,*
C *Valerium, Herculium, Maximianum intelligo, qui secundas post illum obtinebat in imperio, honore imperii deposito, plebeium et privatum vitæ genus sibi delegit.* Idem dixit Constantinus in oratione illa, quam habuit ad Sanctorum cœtum, in concilio Nicæno 1. Hoc ipsum refertur in Actis S. Menæ et sociorum eius apud Sur. tom. 6. die

10. Decembris. Hæc considerans Baron. t. 2. ann. 304. A iure cum Isaia cap. 19. 13. exclamat: *Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, immisit in eos Dominus spiritum vertiginis.* Et notebile est quod remanserunt ipsorum res gestæ obscuræ admodum: adeo ut quatuor lustra, quibus imperarunt, et adversus barbaros atque tyrannos feliciter decertarunt, reiicta sint penitus obvoluta silentio, atque oblivione sepulta: cum alioqui illo tempore non defuerint historici nobilissimi, nempe Ælius Spartianus, Iulius Capitolinus, Ælius Lampridius, Trebellius Pollio, et Flavius Vopiscus: qui, cum ipsi Diocletiano, tum Constantio Cæsari, sive Constantino eius filio, illorum qui præcesserant Imperatorum vitas a se conscriptas dedicarunt: testatur Vopiscus in Bonoso, se scripturum fore Diocletiani res gestas, idemque affirmat in Carino Claudium Eusthenium, qui Diocletiano ab epistolis fuit, scriptis mandasse quatuor principum acta, nempe Diocletiani, Maximiani, Galerii, atque Constantii, totidem libris: quæ omnia perierunt. Et iuste quidem hæc passi sunt de scriptis rerum suarum commentariis, qui B in Christianorum sacros codices sævierunt. Defecerunt itaque, et quod funestius est, Maximianus suspendio periit seipsum strangulens, Diocletianus morbo fœdissimo consumptus. Vere ait Cassiod. in Psal. nostr. *Se consilia prava confundunt, et in opere cogitationis suæ malignæ deficiunt; semper in cogitationibus suis deficiunt, qui ad res pessimas pervenire contendunt.*

Quarto, defecerunt scrutantes scrutinio, qui sanctorum Confessorum vitas scrutati sunt, ut de illis detraherent. Hoc patuit in S. Franc. de Paula; cum enim malevoli apud Ferdinandum regem Neapolitanum accusarunt, veluti regno perniciosum: nimis credulus rex vetat, ne quoddam monasterium inchoatum perficiat; et quidem filius eius ex illo monasterio Religiosos eiicit, et ibi palatium sibi extrui imperat: sed, cum brevi post mortuus esset, rex indignabundus accersito præfecto remigum, quinquaginta milites assignat, ut aut vivum, aut mortuum, ad se Franciscum adducat. Ad illud nuntium Religiosi trepidi sanctum virum monent, ut se subducat eorum furori: sed ille C interritus placido renidentique vultu: *Per charitatem,* inquit, *si e Dei voluntate fuerit me accipient: sin minus, nullus est pavori locus.* His dictis, in Ecclesiam se recipit, et ante magnum altare genuflexus orat. Præfectus ille cubiculo omnia excutit: per Ecclesiam sæpius cum militibus discursat; sed defecerunt scrutantes scrutinio: Nam veluti cæci sanctum virum in omnium oculis positum non videbant, qui tandem videndum se illis ultro obtulit, et præfecto placato candelas benedictas dedit; quas regi, reginæ, et filio eius duci Calabriæ offerret, his adiectis: Nisi citissime iram Dei placarent, vindictam Dei adfuturam. Hoc autem brevi post accidit. Ferdinando enim mortuo Carolus VIII. rex Francorum in Italiam venit, et cum paucis militibus incruenta victoria totum regnum occupavit, Alphonso præ stupenda consternatione inde statim fugiente. In Francia quoque medicus Ludovici XI. defecit scrutans scrutinio. Erat is Iacobus Cortier, tantæ apud regem æstimationis, ut ei in menses singulos daret D decem aureorum millia; quæ summe ingens erat illis temporibus. Veritus ille, ne sanatum regem vir ille divinus ab ea summa danda deduceret, in regis creduli aures insusurrare cœpit, Franciscum hypocritam esse, remque parvo negotio constare posse: muneribus illum tentandum esse. Abaci argentariam supellectilem mittit rex; oratque, hoc ut amoris sui pignore utatur. Negat vir sanctus suæ paupertatis esse aureis argenteisve vasis abuti, scutellam sibi ligneam abunde esse. Crassiorem hunc dolum esse ratus calumniator, regem impellit, ut imagunculam Deiparæ auream, gemmis divitem, et arte mirabilem, ac decies septies mille aureis æstimatam mittat, quod per eleemosynarium suum rex fecit; sed ter missam ter Deo plenus vir reiecit; licet eam in Ecclesiæ usus dari iactaretur. Rex ipse clanculum se in eius cubiculum coniecit, sacculumque aureis plenum ad monasterii extructionem obtrusit; cui vir terrenis omnibus maior, dixit: Convenientius, o rex, Deoque gratius fuerit, debita exolvere, et populum tributis non gravare: hæc sunt Deo acceptissima opera, et ad salutem maxime necessaria. Tum rex tantam abstinentiam admiratus est, et asperiorem obiurgationem æquo animo tulit, medicique calumnias contempsit. Ita defecerunt scrutantes scrutinio; lætatus est autem iustus in Domino, et speravit in eo, non in pecunia et thesauris. Locus hic commode aptabitur scrutatoribus mysteriorum fidei, et maiestatis divinæ, qui opprimentur a gloria.

Quod defecerint scrutantes scrutinio, probat Propheta quatuor rationibus, ut monui supra.

Primo quidem, quod a Deo puniantur, v. 8. ACCEDET HOMO AD COR ALTUM: ET EXALTABITUR DEUS. Hebreice est hic Primo קרב *kereb*, quod S. Hieron. vertit, cogitatione. Pagnin. intimum. Felix, interius. Sed Septuaginta melius legerant *karab*, id est accessit, seu accedet. Secundo, pro *ad*, nunc est ו *ve*, id est *et*. Unde S. Hier. vertit, *Defecerunt scrutantes scrutinio, et cogitatione singulorum, et corde profundo.* Sed aliter legisse Septuag. necesse est, aut illud *ve* sumpserunt, tamquam encliticum nihil significans, ut sæpe apud Hebræos usurpatur, sed initio periodi. Tertio denique, pro *exaltabitur Deus,* Hebr. est ויורם *vaiorem*, quod Symm. et S. Hieron. vertunt, *Sagittabit eos Deus.* Aquila, ῥοιζώσει, circumaget et volvet eum impetu et stridore. In epigrammat. ῥοιζεῖσθαι αἰθέρος, exponitur, ferri per aerem cum stridore, instar sagittæ: apte etiam exponetur de lapide, qui funda excussus in aere rotatur, volvitur et stridet. Sic Davidi nostro dicebat Abigail 1. Reg. 25. 29. *Inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et circulo fundæ.* Sed non est necesse recedere ab interpretatione Septuaginta interpretum, qui fuerunt linguæ suæ peritissimi, et longe peritiores omnibus hebraizantibus. Non nego, quod *iorem* possit significare, sagittabit eos, deducendo a *iara*, quod est *iacere*, iaculari, sagittare. Sed dico, posse etiam significare, *et exaltabitur*, derivando a verbo *rum*, exaltare, elevare, et in altum tollere: tunc *iorem* erit futurum in coniugatione *poel*, quæ est numero septima: et sic *mem* erit radicale: si sumamus *iorem* a verbo *iara*, erit *mem* affixum, significans *eos*.

23. Vers. 8.

Quæres primo, quid sit hoc loco *cor altum?* Resp. cor profundum: sicut dicitur altus puteus, altum mare. Accedit porro homo ad cor altum, id est profundum, cum attenta et diuturna cogitatione varia versat consilia et machinationes diversas, quibus rem aliquam expediat. Vernacule dicimus, *un songe creux.* Aquila, Symm. Theodotio vertunt, *amoc*, καρδία βαθεῖα, cor profundum. Hebr. *amoc*, significat profundum.

24. Cor altum.

Quæres secundo, quis homo a Davide intelligitur, qui accedit ad cor altum? Primo, S. August. Dionys. Carth. Bruno, Bellarminus, aliique de Christo id explicant: *Accedet*, ait Bellarm. *homo ad cor altum,* id est Christus, qua homo est, *accedet*, offeret, atque obiiciet se quasi infirmus, et quasi nesciens: et tamen vere penetrans profunda cordis ipsorum accedet ad illas omnes passiones, quas in occulto corde suo disposuerunt: id est, perferet patienter, et humiliter iniurias, quas illi alto, profundo, et pravo corde machinati sunt. Potest etiam per cor altum intelligi cor ipsius Christi, ut sit sensus: *Accedet homo Christus ad cor altum*, id est, ingredietur cor suum profundum, et secretum, quo disposuit obiicere Iudæis formam servi percutiendam, et celare intus formam Dei, per quam resuscitandus erat. Utramque expositionem attigit S. Augustinus: *Et exaltabitur Deus*, id est, humiliabit se, ut homo: exaltabitur ut Deus: quia tunc maxime demonstrabitur sapientia divina, vincens malitiam humanam: quando apparebit, Christum moriendo mortem destruxisse, et resurgendo vitam reparasse: ita Bellarminus. Sed hic sensus videtur difficilis, et parum naturalis.

25. Quid est accedere ad cor altum? I.

Secundo, *accedet homo*, id est rationalis et philosophus ad cor altum, quod exponit alia littera quæ habet, ad cognitionem altam. *Et exaltabitur Deus,* id est, non intelliget II.

homo. Dicit enim Chrysostomus, quod, sicut qui navigat Oceanum, cum non possit terram reperire, revertitur; sic, qui vult essentiam divinam investigare, tandem deficit. Dicit iterum sic: Hoc solum invenisse confessi sunt, quod incognoscibilis sit Deus. Cant. 6. v. 4. *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Oculos fidei non debemus avertere a Deo, sed oculos rationis, eo quod non possumus intueri solem in rota. Proverb. 23. 5. *Ne erigas oculos ad opes quas habere non potes; quia, facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cælum:* ita Ugo; item, S. Cæsar. Arelat. Episcop. hom 7. *altitudinem cordis* interpretatur fidei altitudinem et magnitudinem, quæ in suscipiendo Christi corpore se habeat, sicut in cibo sumendo aviditas: ita ipse. Sed hic quoque sensus videtur parum connexus cum præcedentibus, et subsequentibus, quæ sunt de hostibus Davidis.

III. Et genuine. Tertio itaque, *accedet homo*, id est Absalon, vel Achitophel, vel Iudas, *ad cor altum*, id est ad profundum cor et machinationes contra me Davidem, vel Christum; *et exaltabitur Deus*, ut illum puniat, et glorificetur illo prostrato. Alludit ad suspendium Absalonis ad quercum, Achitophelis ad trabem, Iudæ ad ficum, ut censet Iuvencus et Beda. Tunc omnibus innotuit Dei potentia et iustitia. Secundo et melius, *accedet homo*, id est homines, Absalon scilicet et omnes eius sequaces, Iudas et Pharisæi, aliique hostes Christi. Nam et antecedentia et sequentia sunt in plurali numero. Sed Hebræi sæpe commutant numeros, et ab uno ad alium transeunt.

Tropol. Cor altum est cor superbum. Tropolog. *cor altum* est cor superbum alta et excelsa petens, sicut cor Luciferi dicentis, *Ero similis Altissimo:* exaltatur autem Deus, cum superbos deprimit et calcat, sicut Iosue colla quinque regum devictorum. Cordis humani elatio commoda comparabitur: Primo, altitudini glaciei in Ponto Euxino, de qua Cedrenus hist. fol. 381. Anno, inquit, Constantini Imp. Iconomachi 23. ingens ac sævissimum fuit frigus Constantinopoli, ac versus Septemtrionem, Ortum et Occasum: per hoc a terra ad centum usque milliaria mare septemtrionale, ἀπελιθώθη, in lapidem C redactum est, crassitiæ *triginta cubitorum*, et nive glaciei

Portentosa glacies in Ponto Euxino. superfusa aucta est crassities aliis *viginti cubitis*. Itaque mare protinus æquale fuit: pedestrique itineri hominum, ferarum, ac domesticorum animalium glacies locum dedit, a Zicha usque ad Danubium, et Cupham fluvium, ac Danastrin, et Danaprin, etc. ita Cedrenus. Mare est cor impiorum, congelatur per recessum charitatis et per obstinationem: elevatur per superbiam et hypocrysim, qua albedinam virtutis mentitur, sed frigidus est ac durus. Deus vero exaltatur superbos deiiciens, at defluere faciens, instar nivis illius et glaciei septemtrionalis, infra quam erat aqua torpens at lutum. Sic rem narrat Cedrenus f. 382. Februario mense glacies ista, κατὰ κέλευσιν Θεοῦ, *Dei iussu*, in plurima montium similia frustra discessit, quæ ventorum vi ad Hierum fanum delata, inde per angustias ad urbem Constantinopolim devenerunt: littusque omne ad Propontidem usque, et Abydum, et insulas obtexerunt. Erant iis immista ferarum et cicurum animalium cadavera. Licebat veluti in terra pedibus iter facere a Sophianis D usque ad urbem, et a Chrysopoli usque ad D. Mamantis et Galatas. Unum de his frustis allisum arcis scalæ, eam confregit. Aliud muro allisum, vehementer eum concussit, sentientibus tremorem iis etiam qui intus habitabant. Inde in tres ruptum partes urbem cinxit, a Manganis ad Bosphorium, altitudine muros superans: ita illa. Sed tandem tota hæc terribilis et infesta massa in aquam et spumam resoluta est: superbi quoque postquam omnibus terrifici et noxii fuerunt, in aquam et lutum resolvuntur, ac fœtent.

Secundo, tumor et elatio superborum exprimi potest per Chosrois regis Persarum fastum qui Deo se supparem faciens, in cælo solium sibi collocabat. Cedrenum audiamus fol. 338. In urbe, ait, Gazaco fuit fanum solis, the-

Chosrois statua mirabilis. saurus Crœsi, impostura carbonum. Ingressus autem in eam Heraclius abominandum offendit Chosroæ simulacrum, et effigiem eius in globi formam, referente palatii A tholo, ὡς ἐν οὐρανῷ καθήμενον, *tamquam in cælo sedentem.* Circa illum autem sol, luna, et astra, quibus illa superstitiosum tamquam diis serviebat, et angelos sibi sceptrigeros circumposuerat. Machinas porro impius paraverat, quæ eo ex loco guttas, pluviæ instar, emitterent, sonitumque tonitrus æmulum ederent: ita ibi. Exaltatur vero Deus, cum illa omnia evertit et in cineres redigit, ut humanæ suæ originis homines recordentur. Pergit enim Cedrenus: *Hæc omnia, ipsamque ignis* (quem Persæ adorabant) *ædem, et totam urbem combussit Heraclius.* Ipse Chosroes misere periit occisus a proprio filio Syroe.

Tertio denique, deiectio superbi recte comparabitur deiectioni cometarum, qui videntur stellæ de cælo cadentes. Apocal. 8. 10. *Tertius Angelus tuba cecinit, et cecidit de* Cometa supra cælos inferiores. *cælo stella magna, ardens tamquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum, et nomen stellæ dicitur Absinthium, et facta est tertia pars aquarum in Absinthium: et multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.* Viegas stellam illam magnam ait B esse Hæresiarchas, qui libros Scripturæ depravant et amaricant: illi autem sunt maxime superbi. In cælo autem esse aliquando cometas docent Mathematici: imo quidam asserunt cometam, qui anno Christi 1618. apparuit, præsagus bellorum, quæ ab eo tempore cœperunt, et nunc hoc anno 1648. adhuc durant, fuisse supra cælos omnes inferiores; idque probant ex maxima eius parallaxi, quæ non potuit fieri nisi in cælis excelsis et vastissimis. Erat porro cometes ille ingens instar, trabis coloris tenuissimi, gladii figuram referens, cuius mucro die 18. Novembris sub Cratera apparebat: ima vero pars oblique ad Centauri humeros pertingebat: mox autem die 30. Novembris mucro per 12. et 13. ad Hydræ cor dirigebatur, pars vero inferior sub 22. eiusdem Hydræ conspiciebatur. Hunc ego vidi cum essem Nancei in Lotharingia. Videntur autem nonnunquam cometæ, et alia meteora de cælo cadere. Cedrenus fol. 382. Martio mense, ait, anno 23. Constantini Imp. Iconomachi confertim stellæ de cælo ceciderunt: ita ut vulgo diceretur finis mundi appetiisse: siccitasque fuit ingens, qua et fontes et flumina exaruerunt: hæc ipse. De cælo, sive supremo æthere, cadit superbus, cum cadit de ordine religioso, de statu clericali, de Ecclesia, de virtute, de bona fama ob peccata publica.

Remedium contra cor altum, est consideratio deiectionis superborum. Cum Ptolemæus rex Ægypti petiisset ab uno e Septuag. interpretibus, Quomodo quis vitaret, ne in superbiam incideret? *Si primum æqualitatem servaverit: deinde ubique sibi in memoriam revocaverit*, καθὼς ἄνθρωπος ὢν; ἀνθρώπων ἡγεῖται, *quod ipse homo præsit hominibus: tertio, si cogitaverit, Deum deprimere superbos, et exaltare humiles:* ita Aristæas. Iuvare etiam potest, si cogitaverit se magis humilitate et benignitate, quam ipso honore honorari. S. Bern. serm. 34. in Cant. *Humilitas in honore*, inquit, *honor est ipsius honoris, et dignitas dignitatis. Omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignatur.* Hinc Agapetus Diaconus in cap. Parænetícis ad Iustin. Imperat. cap. 6. Nulla res, ait, adeo εὐδόκιμον, commendabilem reddit hominem, ut posse quidem quæ velit, afficere: semper autem, humana et velle, et agere.

Secundo, non Deus solus punit detractores, et sceleratos omnes: sed ipsi sibi nocent, v. 9. SAGITTÆ PARVULORUM FACTÆ SUNT PLAGÆ EORUM: ET INFIRMATÆ SUNT CONTRA EOS LINGUÆ EORUM. Sensus est Primo, q. d. A parvulis et sagittandi imperitis confossi sunt: quod aliqui explicant de Saule victo a Philisthæis. Sed agitur hic de Absalonis rebellione. Itaque aptius diceretur prædici interitus Absalonis, qui postquam tribus lanceis confossus est a Ioab, adhuc palpitabat: ideo cucurrerunt decem iuvenes armigeri Ioab, et percutientes interfecerunt eum. Sed illi iuvenes non videntur usi sagittis, nec fuisse parvuli, sed fortissimi milites. Vel, sensus est, q. d. Mei milites, quos velut parvulos, id est imbelles et afflictione consternatos ridebant, de iis victoriam reportarunt. 26. Vers. 9. 1. Pars.

Secundo et melius, τὸ *parvulorum* refertur ad ipsos hostes, q. d. Sagittis suis occisi sunt, suis artibus perierunt: rebellio, qua me opprimere cupiebant et sperabant, eos obtrivit.

Detractor sibi nocet.

Moral. Ugo Card. *parvulos* hic intelligit invidos. Iob 5. 2. *Parvulum occidit invidia*. Secundo, et melius Bellarm. de calumniatoribus et blasphematoribus exponit. Alludit enim ad id, quod supra dixit, v. 4. *Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram*. Calumniæ et detractionis gladius et sagitta sæpe in damnum dominorum emittuntur. Oseæ 7. 16. *Cogitaverunt malitiam, facti sunt quasi arcus dolosus, cadent in gladio principes eorum, a furore linguæ suæ*. Illis etiam applica illud Apocal. 13. 10. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*. Vir iustus similis est Martyribus, in quos contorta tela in auctores resiliebant. In Actis M. S. Sanctorum Cosmæ et Damiani legitur: Præses iratus iussit Sanctos Cosmam et Damianum crucifixos lapidari. Carnifices cruciligentes lapidabant eos. Lapides autem conversi retorquebantur in eos, qui illos mittebant. Videns insanus iudex ministros suos vulneratos, furore succensus, iussit venire quatuor ordines militum, qui eos sagittarent: accedentes milites expenderunt omnes sagittas suas in sanctos, et nihil nocuerunt eis. *Sagittæ vero retroactæ* interfecerunt plurimam multitudinem virorum ac mulierum concurrentium ad eumdem locum: ita ibi. Iusti sunt Christo petræ iuncti, et petra ipsi fiunt. Ut autem ait S. Hieronym. epist. 4. Sagitta in lapide nunquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Hesiod. in operibus vere dixit, Sibi mala fabricatur vir, alteri mala machinans. Quæ quis seminaverit, hæc primus metet, sive pacem, sive bellum. S. Clemens lib. 3. Constitut. Apostol. cap. 15. Si pax, ait, ad illos rursus redit, qui eam permiserunt, quia non reperit, qui ea digni essent. Multo magis maledictio in caput eius, qui inique eam iecit, revertitur: quia is, in quem iacta est, non sit ea dignus. Quisquis enim sine causa convicium facit sibi maledicit, ut Salomon ait, Proverb. 26. *Sicut aves volant et passeres, sic maledictio vana non abibit in nihilum*: ita Clemens. Ridiculi erant Getæ et crudeles, qui mittebant nuntium ad Zamolxim Deum, seu potius dæmonem suum; atque ut hoc præstaret illum tribus iaculis occidebant: stultior est detractor, qui se confodit, ut alieni peccati nuntium per urbes spargat. De Getis ait Herodotus lib. 4. fol. 254. Getæ fortissimi Thracum atque iustissimi, mori se non putant: sed eum qui defunctus est meare ad Zamolxim dæmonem, quem nonnulli eorum opinantur eumdem esse Gebeleizim. Ad hunc mittunt assidue cum navi quinque remigum nuntium quempiam, ex seipsis sorte delectum, præcipientes ea quibus semper indigent, eumque ita mittunt. Quibusdam eorum datur negotium, *ut tria iacula teneant*: aliis, ut comprehensis eius qui ad Zamolxim mittitur, manibus pedibusque agitantes in sublime, *iactent ad iacula*. Qui si statim extinguitur, propitium sibi Deum arbitrantur: sin minus, ipsum nuntium insimulant, asseverantes malum illum esse virum. Hoc insimulato, alium mittunt, dantes adhuc viventi mandata. Iidem Thraces dum tonat, fulguratque, *in cælum sagittas excutiunt*, Deo minitantes; quod, nullum alium præter suum esse arbitrantur: hæc Herodot.

Lapides resiliunt in tortorem.

Stulta Thracum consuetudo.

Nota, pro *sagittæ parvulorum*, Heb. nunc est חץ פתאם *hets phithom*, id est *sagitta repentina*. Talis est detractio et calumnia. Primo, quia ut plurimum fiunt cum præcipitatione. Secundo, sæpe cum ira. Legerant Sept. non *phithom*, sed פתאם *pethaim*, id est parvulorum: ideo vertunt: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*. Et hæc versio est significantior, et sequentibus magis connexa.

27. Vers. 9 2. Pars. Sequitur enim vers. eodem 9. **Infirmatæ sunt contra eos** (Psalter. Gall. in ipsis. S. August. super eos) **linguæ eorum**. Sensus est, q. d. Infirmæ fuerunt et imbecilles ad nocendum mihi, meisque, linguæ et calumniæ eorum: et infirmæ fuerunt contra illos, quia sibi ipsis nocuerunt. S. Hieron. vertit, *Corruent in semetipsis linguis suis*. S. Chrysost. hom. 3. ad popul. declarat, quantus mœror sit detractori, quod sua lingua sibi noceat. Sed ait, iucundum est detrahere: imo iucundum non detrahere. Detrahens enim continenter anxius est, suspicatur, et timet, *linguam suam mandit*, tremens, ne forte aliis enuntiatum verbum magnum sibi periculum afferat: ita ipse. Nestorii lingua in Deiparam blasphemantis a vermibus corrosa est. Maria soror Mosis de fratre suo detrahens lepra inficitur tota septimana. Unde S. Ephrem tom. 1. detractionem comparat lepræ: *Ex teterrima*, inquit, *Mariæ Prophetissæ lepra docemur, quam grave et detestabile vitium sit obtrectatio. Corpus quod lepra infectum cernebatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cuius indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum est, quomodo detractoris corrumpatur animus. Nam sicut illa defecerat a fratre suo: ita et ab ipsa proprium corpus defecit, ut ex semetipsa charitatem addisceret*.

Polypo in concha capto colitus detractor.

Detractor alienas carnes devorans, comparari potest Polypo capto a concha, dum eam vorare vult: vel conchæ hianti, quam devorat Polypus. Primo enim Trebius Niger comes Luculli prodidit, Polypos esse concharum avidissimos: illas vero ad tactum comprimi, præcidentes brachia eorum, ultroque escam ex prædante capere. Lingua tum ob gulam, tum ob detrahendi aviditatem multos perdidit. Secundo, non male etiam os calumniatorum semper patulum compares conchis hiantibus, quæ a Polypis devorantur. *Carent conchæ visu*, ut ait Plin. lib. 9. cap. 30. *omnique sensu alio quam cibi et periculi. Insidiantur ergo polypis apertis: impositoque lapillo extra corpus, ne palpitatu eiiciatur, ita securi grassantur, extrahuntque carnes: illæ se contrahunt (sed frustra) discuneatæ*: ita Plinius. Visu caret detractor atque ratione, una devorandi cupiditate præceps agitur: huic dæmon obstinationem, veluti lapidem iniicit, et hiantem vorat, atque hostium furori prædam obiicit. Auctor libri præceptorum negativorum apud Hebræos Numer. 9. *Scriptum est*, ait, *quod in diebus Achab Iudæi erant victores; quia, non erant detractores, delatoresque, qui non accusaverant Prophetam, qui tot servaverat: et tempore Saul, quo malæ linguæ sæviebant, a victoria excidebant*: ita ibi.

Et conchæ hianti.

ARTICULUS II.

Visa sceleratorum, et maxime detractorum pœna, impii convertuntur, et iusti exultant.

Iram Dei in nefarios vidimus in præcedenti articulo; nunc quid illa ira et punitio efficiat videamus. Primo, conturbantur ad pœnitentiam comites impietatis, atque alii, v. 10. **Conturbati sunt omnes qui videbant eos: et timuit omnis homo**. S. Hier. timuerunt omnes homines. Pro *conturbati sunt*, Hebr. est יתנודדו *ithnodedu*, id est Primo, attoniti sunt: ita Campensis; commovebuntur: ita Felix. Secundo, movebunt capita sua: ita Chaldæus. Tertio, elongabunt se, ut vertit Pagn. fugient, ut S. Hieron. 28. Vers. 10.

Ex illa conturbatione et timore sequitur cognitio potentiæ divinæ, v. 11. **Et annuntiaverunt opera Dei: et facta eius intellexerunt**, nempe punitionem Absalonis, et cæterorum rebellium, viderunt a Deo oriri. Vers. 11.

Sic conturbati sunt Israelitæ in deserto, videntes mortem decem exploratorum, qui detraxerant terræ promissionis, quod esset mala, Num. 14. Unde argumentum a minori ad maius desumitur, contra eos qui personis detrahunt. Auctor libri præceptorum negativor. Numer. 9. sic habet: *Ait R. Eliezer: Veni et vide, quam magna vis sit improbæ linguæ. Unde hoc discimus? Ex illis exploratoribus, qui ad terram explorandam missi sunt. Si enim illi qui male locuti sunt de lignis et lapidibus, tot mala pepererunt et passi sunt: quanto maiora mala invehent atque patientur, qui personis detrahunt, et linguam in homines armant?*

Mulus e terra prodiens.

Ipsa detractoris contemplatio cum detrahit, conturbat. Cedrenus fol. 380. rem ridiculam refert: In Mesopotamia, inquit, terra in longum ad duo millia rupta est, atque imo.

e fundo terra candidissima atque arenosa egesta: de cuius medio animal *muli forma* ascendit: ita ipse. Quis ad hunc aspectum et eius ruditum non obstupuit. Alio item emblemate repræsentari possunt furiosi detractores et calumniatores, qui domos omnes atque familias evertuut. Idem Cedrenus ait, quod anno 9. Constantini Imper. Copronymi

Spectra fallacia. *spectra* hominibus oblata sunt, ita ut multi hominum mente abalienati putarent se eum peregrinis quibusdam, et terribili vultu præditis hominibus iter facere, qui occurrentes sibi, ὡς φίλους, *tamquam amicos* eompellarent, atque eum iis colloquerentur. Videbant autem eos in domos intrare, aliosque intus suspendere, alios gladio ferire. Eventus, pleraque ab ipsis dicta, vera ostendit: ita ibi. Calumnia et detractio est instar furiæ omnia vastantis. Dicebat S. Antioch. hom. 40. Præmuniamus nos, fratres, adversus calumniam, nulla non sui parte pestiferam et perniciosam. Sed ipsa sibi quoque est exitialis, et tam apparentem Dei vindictam sæpe sentit, ut omnes exhorreant. Florentius quidam continuis maledictis S. Benedictum lacessebat: panem veneno illitum ei dono miserat, ut ipsum interimeret, septem puellas nudas coram eius Religiosis choream inire iusserat: sed eum sanctus vir alumnis suis timens, et ab angelo admonitus, loco cessisset, Cassinum petiturus: lætusque calumniator obtenta victoria gauderet, repente porticus domus, in qua deambulabat concidit, eumque oppressit, ut refert Andreas de Yepes in chronico generali Ord. S. Benedicti anno 526. pag. 77.

Iustis vero dicit David tria obtingere, 1. lætantur; 2. sperant; 3. laudantur.

29. Vers. 12 Iustus in Deo lætatur ob quinque rationes. Ac primo, lætantur, sed in Deo, v. 12. LÆTABITUR IUSTUS IN DOMINO, ET SPERABIT IN EO: ET LAUDABUNTUR OMNES RECTI CORDE. Lætitiæ causa iustis est Primo, conscientia bona, et laus bonorum. S. Bernardus hom. 24. in Cantica. Bona consolatio est, ait, cum bene facientes

1. blasphemamur a malis, si recti diligunt nos. Omnino sufficit adversus os loquentium iniqua, opinio bonorum, cum

2. testimonio conscientiæ. Secundo, iustus lætatur in Deo: quia videt eum esse in cælo oculis defixis cernentem actiones suas. S. Gregorius lib. 13. Mor. 13. illud considerans Iobi 16. 20. *Ecce in cælo testis meus, et conscius meus in excelsis*, sic ait: *Qui testem in cælo habet, reprehensio-*

3. *nes hominum metuere non debet*. Tertio, iustus lætatur in Deo, id est intra Deum, quia Deum in se habet. Philo fol. 219. in hæc verba, *Resipuit Noe*, sic loquitur: *Quæ domus in omni creatura invenitur dignior, quam Deus inhabitet, præter animam perfecte purgatam, quæ solum hone-*

4. *stum bonum existimat*. Quarto, lætatur iustus in Deo, quia Deus in eo existens omnia aspera illi facit dulcia, melius quam lignum a Mose inventum et eoniectum in aquam Mara. Unde sancti viri eoutumelias et opprobria in pretio habuerunt. S. Iuniperus unus e S. Francisci sociis, cum a quodam afficeretur opprobriis, fimbrias pauperis lacernæ expandens dicebat: *Amice, proiicias huc liberaliter, imple gremium lapidibus istis pretiosis: imple, ne timeas*. Hinc S. Franciscus iure dicebat, optare se habere sylvam de talibus iuniperis. Vincentius Bellovacensis lib. 3. part. 1. distinct. 3. ait, idem factitatum esse a pia fœmina, in quam cum vicina conviciorum plaustra congereret, expandit pallium, modestaque voce dixit: *Domina, ista vituperia vestra sunt mihi valde necessaria, quasi pretiosum aurum et lapides pretiosi, ad mea debita, quibus multum affligor, persolvenda: et ad coronam æternam mihi fabricandam; proiiciatis ergo satis de iis in hoc pallio*. Cum S. Cosmas et Damianus martyres ad mortem per conviciantium turbam ducerentur, tamquam ex uno ore sic psallebant: *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo Altissime; ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. Quia magnificasti super nos misericordiam tuam:* ita habetur in eorum Actis. Supplicia sua, et opem Dei in illis, iure magnam misericordiam appellabant. S. Placid. in medio Saracenorum insultantium triumphabat gaudio, et lingua licet exsecta Deum his vocibus

A prædicabat: *Benedictum sit Domini Iesu Christi nomen, ac virtus eius, quæ ab omni nos malo protegit ac præservat*. Caput ipsi cæterisque Religiosis barbari præsciderunt: sed citissime ultor Deus adfuit. Nam cum Mamuca dux in Italiam copias traiicere moliretur, naufragio periit, atque sexdecim militum millia, ne nuntio quidem cladis relicto, ut ait Andreas de Yepes Abbas in chron. gener. Ordin. S. Benedicti, anno 541. pag. 254. Quinto denique, lætatur iustus in Domino, ob spem futuræ æternitatis beatæ. Ludovicus Blosius in appendice de quatuor sanctis fœminis: S. Virgo Mechtildis, inquit, cum feria quarta post diem Paschæ in Missa inchoaretur, Venite benedicti Patris mei, *ipsa ingenti et insolita lætitia repleta*, dixit ad Dominum: O si una essem ex illis benedictis, qui hanc dulcissimam tuam vocem audituri sunt. Et Dominus ad eam: Certo scias, te unam ex illis esse, et ut nihil dubites, *ecce ego do tibi cor meum* in pignus amoris et in domum refugii, ut semper maximeque in hora mortis tuæ consolationem et requiem in eo invenias. Ab eo 5.

B tempore cœpit mira devotione erga cor Iesu affici. Unde et frequenter dicebat: Si scribi deberent omnia bona quæ a benignissimo corde Domini mei accepi, nullo quamlibet grandi volumine scribi possent. Instante autem hora mortis D. Iesus eam lumine divinitatis suæ totam illustrans, blanda voce invitavit his verbis: Veni benedicta Patris mei, posside paratum tibi regnum a constitutione mundi. Igitur beata illa anima expirans in cælum ad suavissimum Iesu cor evolavit: ita Blosius. Magnetius in Psal. nostro. Τὸ *lætatur iustus in Domino, et sperat in eo*, iungit per hendyadim, et sic exponit in quarta editione. *Lætitiam insoliti pariet spes nixa Tonantis præsidio*. In alia quadam editione posuerat, Lætitiam iusto pariet spes certa perennem.

Secundo igitur, iustus lætus *sperat in Deo*. Ubi obiter adverte, quod, lætitia spem, tristitia parit et fovet desperationem. Sperat autem iustus, et lætatur in afflictione; quia scit, tunc Deum esse propiorem, et magis adesse. Origen. hom. 9. in Numeros notat, tunc apparuisse nu- 30. Iustus in Deo sperat tempore afflictionis.

C bem tegentem cum luce insolita Mosem in tabernaculo, quando populus illum lapidare voluit. Verba eius sunt: *Non legimus antea, quia obtexerit nubes tabernaculum, et apparuerit maiestas Domini, et receperit intra nubem Mosen et Aaron, nisi nunc eum insurrexit in eos populus. Discamus ex hoc, quanta sit utilitas in persecutionibus Christianis, quantum gratiæ conferatur, quomodo propugnator eis fiat Deus: quomodo abundanter Spiritus sanctus infundatur. Tunc enim maxime gratia Dei adest, cum hominum sævitia concitatur; et tunc pacem habemus apud Deum, cum ab hominibus propter iustitiam bella perpetimur*. Cum Normanni occupata maxima parte Neapolitani regni obsiderent S. Andreæ Castellum, quod Monasterii Cassinensis erat: obsessi ad extrema redacti S. Benedicto supplices facti sunt: tum vidisses tela, lapidesque in mœnia coniectos, resilire magno impetu contra iacientes, eosque occidere: eumque in muros insilirent hostes, visus est Religioso habitu vir venerabilis, qui propugnatores ad defensionem animaret, sicque ab hoste liberati sunt. Deus Cum tunc a Deo iuvetur specialius. Normannis se opponit S. Benedictus.

D tunc maxime adest, cum omne humanum auxilium inane est. Quod si charitas te inimicis cedere persuadeat, Deus ducem se tibi et protectorem præbebit. S. Benedictum maledictis omnibusque iniuriis onerabat, et vexabat Florentius quidam, et nefaria in eum aliosque Religiosos moliebatur, vir sanctus loco cessit; angeli duo, ut docet Leo Ostiensis et Gordianus, iuvenum aspectu iucundissimo, eum deduxerunt: et quoties bifidum iter fuit, illi præiverunt, donec per leucas quadraginta progressi, eum, velut alterum Mosem, in Cassinensi monte collocarunt, Dei contemplationi vacaturum.

Tertio denique, iustus lætus, et in Deo sperans laudatur. Unde additur: ET LAUDABUNTUR (S. Hier. exultabunt. Vis laudari, exulta. Non laudantur tristes. Hebr. יתהללו *ithallelu*, proprie significat laudabunt se, gloriabuntur. Est enim in coniugatione *hithpael*, quæ significat actionem eiusdem in seipsum) OMNES RECTI CORDE. Laudantur 32. Virtus est laudabilis, et cur.

porro recti corde, Primo, quia spargunt suavem virtutis odorem omnibus ad eos accedentibus. Ut enim ait S. Basilius hom. de Gordiano Martyre: *Suavia*, inquit, *aromatum odoramenta proprium quiddam per aerem spirant, quibus præsentes recreantur: ita vir bonus toti sibi commorantium contubernio salutaris et iucundus est.* Secundo, laudantur recti corde; quia, nihil est virtute præstantius. Iulian. Imper. orat. 2. fol. 149. affert Atheniensis cuiusdam præclaram sententiam: *Aurum omne*, ait, *quod sub terris, aut in terris est, cum una virtute non est comparandum.* Unde ipse Iulianus addit: *Quamobrem qui ea præditus est, hunc nos sine ulla cunctatione divitem appellamus. Addam etiam*, και ευγενη, και βασιλεα μονον απαντων, *et nobilem, et præ omnibus regem.* Tertio, laudantur recti corde; quia, Deo iunguntur, qui est rectissimus, et a quo est omnis gloria. Aristeas in histor. Septuag. interpret. Deus, ait, δοξης πασης κυριευει, *omnem gloriam gubernans*, quo vult eam inclinat. Quarto denique, laudantur recti corde; quia, magna et illustria faciunt Deo adiuvante; ad quem, velut filii ad parentem, securi accedunt. Xenoph. lib. 1. Cyropæd. sic loquentem militibus suis Cyrum inducit: Nostis me non modo res magnas, sed etiam parvas aggredientem, initium a cultu divino facere. Quid autem idem Cyrus moriturus dicat, attende. Sic enim idem auctor lib. 8. Cyrus, inquit, morti proximus: Vos ubi vitam cum morte commutavero, de me velut beato et dicere omnia et facere oportet. Nam et cum puer essem, eorum quæ ea in ætate præclara videntur, fructum mihi consecutus esse videor: et adolescens, eorum quæ habet adolescentia: et virilem prorsus ad ætatem ubi perveni, eorum quæ virilis ætas habet. Quin et progressu temporis vires meas auctas animadvertere videbar. Itaque senectutem meam adolescentia nunquam imbecilliorem factam sensi; neque vel expetiisse me animo meo, vel aggressum quidquam memini, cuius non fuerim compos: ita ibi. Ubi Deus præest, quid deerit? Hermæ discipulo S. Pauli dixit angelus, ut habetur lib. 1. Pastoris, Visione 2. *Illud te salvum faciet, quod non discesseris a Deo vero.* Vis tu lætari, sperare, laudari et securus esse? Deo adhære, et ab eo separari te nulla re patere.

Iustus omnis, est rex.

PSALMUS SEXAGESIMUS QUARTUS.

IN FINEM, PSALMUS DAVID.

1. CANTICUM IEREMIÆ ET EZECHIELIS POPULO TRANSMIGRATIONIS, CUM INCIPERENT EXIRE.

2. Te decet hymnus Deus in Sion: et tibi reddetur votum in Ierusalem.
3. Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.
4. Verba iniquorum prævaluerunt super nos: et impietatibus nostris tu propitiaberis.
5. Beatus quem elegisti et assumpsisti; inhabitabit in atriis tuis.
6. Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.
7. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ: et in mari longe.
8. Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.
9. Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis: exitus matutini et vespere delectabis.
10. Visitasti terram et inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.
11. Flumen Dei repletum est aquis: parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius.
12. Rivos eius inebria, multiplica genimina eius: in stillicidiis eius lætabitur germinans.
13. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: et campi tui replebuntur ubertate.
14. Pinguescent speciosa deserti: et exultatione colles accingentur.
15. Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

PSALMI SEXAGESIMI QUARTI ANALYSIS.

Captivi e Babylone redituri ad Iudæam patriam suam aspirantes,

- Finem sui desiderii exponunt: ut
  - Deum laudent in Ierusalem, 2.
    - Cum omnium affluxu. 3.
    - Et Dei miseratione. 3.
  - Tranquille ibi vivant. 4.
    - In atriis Dei frequentes. 5.
    - Bonis domus Dei repleti. 6.
    - Sanctitatem templi admirantes. 6.
- Felicitatem illius regionis describunt:
  - Deo totam terram benedicente. 7.
  - Montes firmante. 8.
  - Tempestates compescente. 8.
  - Hostes domante. 9.
  - Dies lætos concedente. 9.
  - Pluvias fœcundas dante. 10.
  - Fluvios, aquis implente. 11.
  - Rivos, undequaque spargente. 12.
  - Campis, messe opima divitibus. 13.
  - Deserto, floribus et herbis specioso. 14.
  - Collibus, multa vindemia ornatis. 14.
  - Pecore copioso, et lanato. 15.
  - Vallibus, frumento abundantibus. 15.
  - Omnibus, magno clamore Deum laudantibus. 15.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, Psalmus David.

1. Canticum Ieremiæ et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.

1. Argum. Psalmi. I. Hic psalmus rectissime in tempora Davidis quadrat. Extructo enim in monte Sion tabernaculo, pro arca Domini precatur Propheta hoc psalmo: ut dimissis populi iniquitatibus, auferat ab eo hostium in circuitu habitantium, qui ei populo aliquando prævaluerant, imperium et iugum; ut donata populo pace, sublatoque servitutis iugo, ex omnibus locis homines accedere valeant ad templum Domini, quod in Sion sibi elegerat. Ubi sicut peculiariter Dominus præsidebat, ita quoque ibi eum peculiariter laudandum canit ob potentiam eius, quam in cælo, terra, marique declarat: et bonitatem eiusdem, qua, in usus hominum, terram immissa a cælo pluvia, varios fructus producere facit: ita Iansenius.

II. Et melius. Secundo, et melius, Psalmus hic scriptus est a Davide in persona eorum, qui redituri erant ex captivitate Babylonica, et aspiraturi ad mansionem in Iudæa et Ierusalem, ut Deum in templo colerent, et in tota terra illa bonis etiam temporalibus abundarent: ita pene omnes interpretes, nec ipse Iansenius negat, quin recte illis accommodentur, quæ hic dicuntur: sed propensior videtur in primam sententiam cum dicat, rectissime psalmum in tempora Davidis quadrare.

2. Cur hic psalmus dicitur Ieremiæ et Ezechielis? Dices, quomodo hic psalmus dicitur canticum Ieremiæ, cum nunquam fuerit in Babylone, igitur ab ea non potuit exire. Ad respons. Nota, titulum psalmi in textu Hebr. tantum esse, *In finem psalmus Davidis, et canticum.* Nec assentior Lorino suspicanti aliquid deesse, cum sit, inquit in Hebr. *psalmus David canticum*, cum semper dicatur psalmus cantici, aut canticum psalmi. Sed hæc levis est coniectura. Septuag. in hexaplo tantum habent, εις το τελος ψαλμος τω Δαυιδ ωδη: *In finem psalmus Davidi, et canticum.* In nonnullis exemplaribus additur, Canticum Ieremiæ, et Ezechielis, et populi peregrinantis, cum profecturi essent. In Latinis codicibus est etiam varietas: nam S. Hilar. omnium antiquissimus habet tantum, *In finem psalmus David*, sicut Iansenius dicit esse in Hebræo: sed fallitur, ut patet supra. S. August. legit: In finem psalmus David canticum Ieremiæ et Ezechielis ex (Noster, *de*) populo transmigrationis, cum inciperent exire.

His positis, resp. verum esse quod Ieremias non ivit in captivitatem Babylonicam; cum enim conatus semper esset persuadere Sedeciæ regi, ut se dederet Chaldæis et suam urbem, honorifice habitus est a Nabuchodonosore et relictus in Iudæa cum Godolia toti regioni præfecto, sicut optaverat. Hoc contigit anno mundi 3447. desolationis 1. Romæ conditæ 146. regnante in ea Tarquinio Prisco, ante Christum 606. Eodem anno, occisus est Godolias proditorie ab Ismaele, quem statim fugavit Iohanan, et deduxit Ieremiam licet invitum in Ægyptum, ubi reprehendens vitia obrutus est lapidibus anno sequenti, id est anno mundi 3448. ætatis suæ 42. Dicitur tamen hic psalmus canticum Ieremiæ: quia sæpe illum cecinit: consolans eos, qui erant reliqui in Iudæa et in Ægypto, et reditum captivorum prædicens.

Dices secundo, ipse Ezechiel erat mortuus ante exitum populi e Babylone; cur igitur dicitur hic psalmus canticum Ezechielis? Resp. Ezechielis nullam mentionem fieri ab anno mundi 3462. ante Christum 591. desolation. 16. itaque censeri eum esse mortuum circa hæc tempora, et consequenter annis 55. ante liberationem a captivitate, et reditum in Ierusalem: ille enim reditus contigit anno mundi 3517. Imperii Pers. 1. Romæ conditæ 216. ante Christi nativitatem 536. Psalmus hic tamen dicitur canticum Ezechielis; quia illud sæpe concinens, eius verbis prophetias suas de reditu ex captivitate confirmabat.

Arnobius in titulo psalmi addit Aggæum. Sic enim titulum ponit: In finem psalmus David, *canticum Aggæi, Ieremiæ et Ezechielis* de verbo peregrinationis, et de populo transmigrationis, cum inciperent proficisci. Ruffinus notat, aliquos cum Aggæo addere Zachariam. Sed non ita illis convenit, το *cum inciperent exire.* Nam post reditum e captivitate prophetaverunt. Et quidem Aggæus prophetare incepit anno 2. Darii regis, id est solutæ captivitatis 17. qui fuit ann. mundi 3533. ante Christum 520. Zacharias vero prophetare cœpit eodem anno, sed duobus mensibus postea. Aggæus enim incepit mense sexto anni sacri, qui incipit a Martio, itaque prophetavit mense Augusti. Zacharias autem mense octavo, id est mense Octobri. Igitur non prophetaverunt cum inciperent exire filii Israel de Babylone. Quæres, quis scripsit hunc titulum? Resp. Arnobius tribuit Esdræ. Iansen. et Dionys. alicui expositori. Res incerta est. Ut ut sit, est scriptura canonica ab Ecclesia recepta.

Allegor. Orat hic Propheta, ut ablatis infidelitatis et peccati tenebris nationes omnes veniant ad spiritualem montem Sion, atque ad urbem Ierusalem: id est ad Ecclesiam, in qua sola laudem sibi offerri vult Deus. Ibi flumen est doctrinæ, et ubertas omnium gratiarum. 3. Allegor.

Anagog. vir iustus, tædio huius miseræ vitæ affectus, suspirat ad cælestem patriam, in qua omnia abundant: ita S. Augustinus, qui sic loquitur: *Quamdiu sumus, ait Apostolus, peregrinamur a Domino. Et videte nomina duarum istarum civitatum Babylonis et Ierusalem. Babylon, confusio interpretatur: Ierusalem, visio pacis. Intendite nunc civitatem confusionis, ut intelligatis visionem pacis: istam toleretis, ad illam suspiretis. Unde dignosci possunt istæ duæ civitates? Numquid possumus eas modo separare ab invicem? Permistæ sunt, et ab ipso exordio generis humani permistæ currunt usque ad finem sæculi. Ierusalem accepit exordium per Abel; Babylon per Cain, ædificia quippe urbium postea facta sunt.* Postquam vero dixit, Ierusalem urbem fuisse in terra Iebusæorum, Babylonem, in terra Persidis (late scilicet Persidem sumendo: proprie enim erat in Chaldæa) iterum ad mystica regreditur. *Duas, ait, istas civitates faciunt duo amores. Ierusalem facit amor Dei; Babyloniam facit amor sæculi. Interroget ergo se quisque, quid amet: et inveniet, unde sit civis: et si se invenerit civem Babyloniæ, extirpet cupiditatem, plantet charitatem. Si autem se invenerit civem Ierusalem, toleret captivitatem, speret libertatem. Multi enim cives sanctæ matris Ierusalem cupiditatibus Babyloniæ corrupti tenebantur, et ipsa corruptione cupiditatum tamquam cives inde facti erant, et multi adhuc ita sunt, et multi post nos in hac terra futuri ita erunt: sed novit Dominus conditor Ierusalem, quos cives eius prædestinaverit, quos videat adhuc sub dominatu diaboli redimendos sanguine Christi, novit illos ipse antequam se ipsi noverint. Sub hac ergo figura cantatur hic psalmus, in cuius titulo positi sunt etiam duo prophetæ, qui illo tempore in captivitate fuerunt, Ieremias et Ezechiel: et cantabant quædam, cum inciperent exire. Incipit exire, qui incipit amare: exeunt enim multi latenter, et exeuntium pedes sunt cordis affectus, exeunt autem de Babylonia. Quid est de Babylonia? De confusione. Quomodo exitur de Babylone, id est de confusione? Qui primo confusi erant similibus cupiditatibus, incipiunt charitate distingui. Iam distincti, non sunt confusi: et si adhuc corpore permisti sunt, desiderio tamen sancto discernuntur: et propter permistionem corporalem nondum exierunt, propter affectum cordis exire cœperunt. Iam ergo audiamus fratres, audiamus et cantemus, et desideremus unde cives sumus. Et quæ gaudia cantantur nobis? Quomodo in nobis reformatur amor ci-* Anagog. Civitates duæ sibi contrariæ Ierusalem et Babylon.

vitatis nostræ, quam diuturna peregrinatione obliti fueramus? Sed misit inde ad nos epistolas pater noster, ministravit nobis scripturas Deus, quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium; quia, peregrinationem nostram diligendo, ad hostes faciem posueramus, et dorsum ad patriam. Hactenus Augustinus, suo more ingeniose et pie. Sed, ut dixi, Ieremias non fuit in captivitate Babylonica, quod videtur dicere; in ea vere fuit Ezechiel, translatus e Iudæa, quando Iechonias rex captivus ductus est a Nabuchodonosore in Babylonem, anno mundi 3436. Ieremiæ 29. Romæ conditæ 134. in qua tunc regnabat Ancus Martius quartus eius rex, ante Christum 618. Ezechielis ipsius 25. Nam prophetare cœpit anno 30. ætatis suæ, qui annus erat quintus transmigrationis. In captivitate autem mansit usque ad mortem, quæ contigit anno mundi 3462. transmigrationis 27. Itaque ibi fuit per annos 27. Nos quamdiu vivimus, captivi sumus in Babylone; id est, in confusione, cogitationum, affectionum, passionum, tentationum, negotiorum, malorum amicorum, perniciosorum et potentium hostium.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

4. Duo complectitur. Primo, captivi e Babylone exeuntes exultant, quod in Ierusalem sint, Deum laudaturi, vers. 2. Secundo, exultant ob fertilitatem Iudææ, ad quam pergunt, vers. 6.

SECTIO PRIMA.

Captivi e Babylone exeuntes exultant quod in Ierusalem Deum laudabunt.

PARAPHRASIS.

2. *Te decet hymnus Deus in Sion: et tibi reddetur votum in Ierusalem.*	2. Cum cæli terræque summus sis imperator, ac Dominus, par est ratio, ut omnes homines ubique laudibus tuis celebrandis se dedant; ac præsertim in Sione monte, et in urbe Ierusalem, quam ad hoc præ ceteris elegisti: in ea tibi vota toto captivitatis tempore facta persolvemus.
3. *Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.*	3. Si nunc fusas ad te pro felici reditu preces audiveris, omnis populus alacri animo ad sacrum hunc locum te adoraturus convolabit.
4. *Verba iniquorum prævaluerunt super nos: et impietatibus nostris tu propitiaberis.*	4. Per totos septuaginta annos insultantium nobis hostium dicteria et sannas perferre coacti sumus: sed tandem nostra nobis scelera, quibus vindictam meriti sumus, condonabis.
5. *Beatus quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.*	5. Beati sumus omnes nos, quos in populum tuum elegisti, et ex hac infidelitatis terra sumpsisti, ut in optatam patriam rediremus: ibi frequentes erimus in oratione, et sacrificiis, atria templi tui frequentantes.
6. *Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.*	6. Qui in Babylone remanent, bona sibi terrena conquirant; nos donis spiritualibus replebimur in templo tuo: sanctus enim locus est, ob specialem tui in propitiatorio sedentis præsentiam: in eoque, per summam æquitatem, pro orantium affectu et pietate, tanta dona elargiris, ut in admirationem omnes rapiant.

QUÆSTIO UNICA.

Quanto desiderio paradisus expetendus est.

5. *Ordo sectionis.* Si Anagogiam sequimur, Propheta hoc in psalmo in Dei, cælestis aulæ, et angelicorum hymnorum contemplationem abreptus, ad cælestem suam patriam aspirat, ut Deum tota æternitate laudet. Ad illam autem se excitat consideratione Dei, hominum pœnitentium, suorum hostium, Christi, sanctorum, et loci ipsius. Hanc anagogiam sumamus, ut sit utilior expositio.

Primo, Deus tantæ est maiestatis, ut laus ipsi sit maxime conveniens, et in loco selectissimo atque ornatissimo, v. 2. *Te decet hymnus in Sion, et tibi reddetur votum in Ierusalem.* Secundo, homines pœnitentes, qui prius erant carnales, ad Deum accurrunt, v. 3. *Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.* Tertio, hostes obmutescent, visa gloria iustorum, et venia ipsis a Deo concessa, v. 4. *Verba iniquorum prævaluerunt super nos, et impietatibus nostris tu propitiaberis.* Quarto, Christus in medio redemptorum agmine, velut spoliis dives, triumphabit in monte illo cælesti, v. 5. *Beatus quem elegisti, et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.* Quinto, sancti imperatorem suum circumstantes, ab eo variis donis augebuntur, v. 6. *Replebimur in bonis domus tuæ.* Sexto denique, locus erit omni benedictione cumulatus: *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.*

ARTICULUS I.

Deus est hymnis in Ecclesia et in cælo celebrandus.

Captivi, in quorum persona loquitur Propheta noster, velut sui obliti primum de laudando Deo cogitant, v. 2. 6. *Vers. 2.*
Te decet hymnus (Hebr. תהלה *theilla*, id est *laus*. Hæc sæpe confunduntur, hymnus, psalmus, laus, canticum. In titulo facta est mentio psalmi et cantici, nunc meminit hymni) Deus in Sion, et tibi reddetur votum, id est, vota tibi facta toto captivitatis tempore, in Ierusalem; τὸ *in Ierusalem*, non est in textu Hebræo: additum est a Sept. interpretibus, ad magnitudinem doni Dei declarandam, qui permittat reditum in amplissimam et pulcherrimam civitatem, licet tunc eversam, sed brevi decus pristinum resumpturam. In ea porro parte Ierusalem, quæ Sion dicebatur, erant vota reddenda. Nam mons Moria, in quo Salomon extruxit templum, quod post captivitatem incitantibus Prophetis Aggæo et Zacharia reparavit Zorobabel, erat pars montis Sion.

Nota, pro *te decet hymnus*, Hebr. est לך דומיה *lecha dumia*, id est, *tibi silentium* Deus in Sion; quod Chaldæus sic interpretatur, q. d. Laudem nostram non esse satis dignam, ut Deum laudemus, imo laudes angelorum pro nihilo censeri apud ipsum. Sic enim vertit: *Coram te reputatur, sicut silentium, laus angelorum, o Deus, cuius maiestas residet in Sion.* Secundo et melius, sensus est, q. d. Laudandus es cum silentio venerationis pleno. *Deus cum silentio adorandus.*

*

7. *Deus est hymnis celebrandus, ob duas rationes: I. Quia est liberator noster.* Primo igitur, decens est ut Deum celebremus hymnis. Primo, quia ab illo est omnis nostra liberatio. Olim apud Græcos erat in more positum, ut victores in prælio quintam spoliorum partem regi suo offerrent, quæ πενταμοιρια, q.d. Quintula portio vocabatur. Nos Deo gloriam omnem deferamus. Imitemur Ioannem Tzimiscam Græcorum Imperatorem, qui victoria de Scythis parta ope Deiparæ, quæ S. Theodorum martyrem pro ipso pugnaturum immiserat, gratum se exhibuit; et Deiparæ, atque Christo, gloriam attribui voluit. Rem narrat Cedrenus fol. 562. Verba eius audiamus. Excepit, ait, Imperatorem urbis Patriarcha, et Pontificum ordo ac Senatus, cum pæanibus et lætis victoriæ gratulationibus coronatum: et adduxerant quadrigas magnifice exornatas, quas quatuor equi albi traherent, coque invehi eum ac triumphare volebant. Sed Imperator nihil insolens, aut superbum admittens, moderate se gessit: sertisque quæ offerebantur acceptis, *Tzimiscæ Imper. pietas.* albo equo triumphum duxit. Quadrigis Bulgaricas regum vestes imposuit, supraque has imaginem Deiparæ, ὡς πολιουχον, ut quæ tutelam urbis gereret, eamque se præcedere iussit. Cum in forum venit, gratulatoriarum iam satur acclamationum, actis pro parta victoria Deiparæ et eius filio gratiis, in conspectu populi insignibus Bulgarici regni Borysen exuit (Ea erant corona aurea, tænia byssina, et calcei rubei) indeque ad magnum progressus templum coronam Bulgaricam, ανάθημα τω Θεω, Deo donarii loco suspendit: ita ibi. Pergit deinde enarrare sapientis Imperatoris gratum erga Deum animum. Imperator, ait, ut gratias Christo servatori referret, templum quod circa fornicem Chalces est, de novo ædificavit: nulli sumptui parcens, dum id quam ornatissimum faceret. Absolvit etiam subditos universos fumario tributo: et edixit, ut cum in aureo nummo, tum in obolo, *Servatoris insculperetur imago, quod antea non fuerat receptum:* et alteri parti inscribi iussit, Ιησους Χριςος βασιλευς βασιλεων, *Iesus Christus Rex regum:* quod successores etiam observarunt. Hactenus Cedrenus.

8. *II. Quia est Deus et rex noster.* Secundo, decens est, ut Deum hymnis celebremus, quia Rex noster est, qui in Sione præsidet, ut regat populum suum Israel: et specialiter se eius Deum testetur, et vocari velit. Te decet hymnus *Deus* in Sion, S. Clemens Papa lib. 2. Condit. Apost. cap. 56. ait: In terra cuncti homines uno ore et uno animo celebremus solum Deum et verum, per Christum unigenitum. S. Ambr. lib. 1. offic. cap. 45. *Te*, inquit, *decet hymnus Deus in Sion. Hoc est dicere: honestum est ut te timeamus, te diligamus, te precemur, te honorificemus. Hymnus specialiter Deo dicitur. Hoc tamquam excellentius cæteris credere est decorum, quod deferimus Deo.* *Turcæ summa veneratione Deum colunt.* Turcæ tantam reverentiam Mahometi traditionibus et statutis præstant, ut, non modo Deum non blasphement, sed schedam quomodocumque scriptam in terra iacentem si repererint, erectam et sæpius deosculatam in rimam aliquam parietis positam obstruant: dicunt peccatum esse, si litteræ quibus Dei nomen et lex Mahometi describuntur, pedibus conculcentur. Nemo audet Christiano, aut alterius sectæ homini vendere Alcoranum, aut alia eorum scripta, ne pedibus conculcentur, vel immundis manibus contrectentur: alioquin capitis pœna plecteretur, ut docet Bartholom. Georgieviz Peregrinus in epitome de moribus Turcarum pag. 20. rex Benomotapæ (quæ vox Imperatorem sonat) seu Munne- *Monomotapæ regem omnes donis honorant.* motapæ, aut Monomotapæ, subditos habet ab omni tributo liberos: cum tamen illum adeunt, munus aliquod offerre debent, ut ei loquantur. Neque enim fas est tenuioris fortunæ hominem potentiori se sistere: quin donum deferat, in obsequii et venerationis signum. Pari iure omnes alicuius notæ magnates tenentur ex triginta diebus impendere septem in regis servitium. Mercatores quoque, cum ad nundinas proficiscuntur, regem munere aliquo donant, ut eius conspectu fruantur, ut ait Iu. de Baros. lib. 10. cap. 1. A regibus etiam sibi subiectis in singulos prope dies dona accipit, ut asserit Sanut. lib. 12. Subditi tantum venerationis illis exhibent, ut genu flexo ministrent: cum bibit, aut tussit, omnes in eius honorem exclamant, eumque elogiis exornant, illique clamores ita ab alio ad alium transeunt, ut toti urbi innotescat regem aut bibere, aut tussire, teste Petro Davity in descript. Africæ, fol. 466. Nos autem quid Deo præstare addecet, cum singulis momentis nos cumulat donis suis? Colossenses hortatur Paulus, ut illi Psalmos, hymnos et cantica concinant. Sic enim cap. 3. v. 16. *Commonentes*, ait, *vosmetipsos psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus.* Hinc sancti totos dies et noctes in Deo laudando consumpserunt. Andreas de Yepes tradit, lectum S. Mauri fuisse calcem et arenam: in quadragesima autem, vix dormire solitum: et quidem stantem, aut sedentem, cum prorsus vires illum deficerent. Vigilias vero illius tam fuisse continuas, ut cum ad matutinas preces signum daretur, psalterium integrum iam recitasset. S. Chrysost. hom. 9. docet, hymnum esse rem diviniorem, quam sit Psalmus; et angelis attribuit.

Secundo, hymni Deo concini debent cum decore. Te *decet* hymnus in Sion. Illud autem decorum consistit Primo, in honesta corporis, et vultus, atque oculorum conformatione et modestia. Secundo, in moderato vocis sono, bene articulato et non nimis præcipiti. Tertio, in mentis veneratione, et admiratione. Quarto, in silentio, non interrumpendo hymnos divinos confabulatione cum hominibus. S. Hieron. hic vertit, *Tibi silentium laus Deus in Sion.* Athenæus lib. 7. ait, silentium esse rem divinam, et Thomas a Kempis vocat silentium, devotionis nutrimentum: id habet serm. 4. part. 1. Iamblicus in libro de mysteriis ad Porphyrium scribens, ait: Ægyptios Deum habuisse, quem Ichthon vocabant: in quo, primum esset intelligens, et intelligibile primum, quod solo silentio colebatur. Olympiodorus Alexandrinus docet Pythagoricos per silentium arcana, hoc est απορρητα Dei, significare. Pythagoras ipse suis imperabat: γλωσσης προ των αλλων κρατει, Θεοις επομενος: *Linguam præ cæteris contine, Deum imitans.* Mysteria veterum a silentio nomen habuere: μυςηριον enim απο του μυειν, id est ab occultando dicitur. Hine Eunapius in Ædesium vocat, μυςηριων δε σιωπην, id est silentium mysteriis congruum: et ιεροφαντικην εχεμυθιαν, sacrorum præside dignam taciturnitatem. *Angeronia Dea.* Angeronia Romanis erat Dea, ait Lorinus, ore obligato signatoque, vel digito ad os admoto, cum Tacita, sicut Harpocrates apud *Tacita Dea.* Ægyptios, dictus etiam Sigaleon a silentio. *Harpocrates.* Colebant præterea crocodilum Ægyptii, qui caret lingua, ut innuerent, et perpetuo in silentio Deum quodammodo esse, et silentio coli melius. Trismegistus in hymno quem canit Deo, ineffabilem vocat, solo prædicandum silentio; et Horatius 2. Carm. ode 13. Utrumque, ait, digna silentio mirantur umbræ dicere. Spectat eodem cognitio Dei per negationes, de qua R. Moses lib. 1. ductoris dubiorum c. 58. S. Clemens Papa tradit, Diaconos per templum inambulando contemplatos esse viros ac mulieres, ne quis fieret strepitus; ne quis nutus faceret, aut mussitaret, aut dormitaret. Brissonius lib. 1. de formulis pag. 10. In rebus, ait, divinis quæ publice fiebant, *ut faverent linguis*, imperabatur, quemadmodum a Cicerone lib. 1. de divinatione, et Plinio lib. 28. natur. histor. cap. 2. memoriæ proditum est. Hine Ovidius lib. 2. Fastorum, Terminalia describens, alios serta libaque ferentes, alios ignem lignis admoventes, alios vina libantes, reliquam porro multitudinem spectantem, et linguis faventem facit. Donatus ad eum v. 5. Æneid. Oro favete omnes, sic ait: In sacris ore favere, est silentium commodare. 9. *Hymni Deo canendi sunt cum decore et silentio. Silentii elogia.*

Ex his nota, posse hic agi de duplici silentio. Primo quidem, quo abstinetur in templo et oratione a verbis profanis et ad res terrenas spectantibus. Secundo autem, quod cessat omnis laus, etiam Dei, vocalis; et mens in admirationem tantæ maiestatis abrepta, et in eius contemplatione suspensa, videt non posse se verbis exprimere illi debitam laudem, sed suæ imbecillitatis conscia, in eius conspectu se suaque abiicit, nihil dignum Deo suo arbitrata; in cuius comparatione omnes creaturæ sunt velut 10. *Duplex silentium quo Deus honoratur.*

guttula roris antelucani. Utroque silentio laudatur Deus: A *Tibi silentium Deus laus in Sion.*

In templo est abstinendum a iocis et garrulitate.

Primum silentium, quo scilicet inter orandum abstinetur a iocis, facetiis, verbis inutilibus, ita necessarium est, ut sine eo Deus decore laudari non possit. S. Antioch. hom. 103. silentium laudat, quod contemplationem iuvet. Sic enim ait: *Silentium aliud prorsus nihil est, quam* μητηρ εννοιων σοφωτατων, *sapientissimarum cogitationum mater. Benignus etenim ille Spiritus vix aliud tam adversatur et fugit sicut multiloquii vanitatem. Silentii et quietis amator non potest non a Deo diligi. Cum enim Dei amore inardescat, soli Deo cupit colloqui per sinceram orationem.* Sese admiscet Seraphinis Isaiæ laudantibus Deum, et præ veneratione faciem atque os obvelantibus. Galfridus lib. Alleg. in Lucam: Non vacat, inquit, a mysterio, quod mutus pater Ioannem genuit, quæ vox clamantis fuit: semper enim melius vox in silentio generatur: et spiritalis otii quiete sapientia foris proferenda percipitur. S. Petr. Damiani lib. 7. ep. 6. ad Agnetem Imperatricem scribens, B ait: bonum et utile esse privari consortio hominum, ut cum silentio Deum in nobis recipiamus, atque veneremur. Verba eius sunt: *Eorum qui tecum conversabantur absentiam, noli deputare iacturam, imo salutis occasio, perfectionis lucrum, et propensio nostri meriti deputetur argumentum: quia, dum strepitus humani cessat alloquii, construitur in te per silentium templum Spiritus sancti. Hinc est, quod de Israelitici templi constructione sacra testatur historia: quia malleus, et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo Domini, cum ædificaretur. Templum quippe Dei per silentium crescit: quia cum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificii structa consurgit: tantoque succrescens in altiora sustollitur, quanto per silentii custodiam circumclusa, sese extrinsecus fundere perhibetur. Custos enim iustitiæ silentium.* S. Ambros. exemplo ipsorum gentilium docet, silentium in templo servandum esse: *Maxima*, inquit, *est virtus tacendi, præsertim in Ecclesia.* Nulla te divinarum sententia fugiet lectionum, si aurem C admoveas, vocem premas. Nullum ex ore verbum quod revocare velis, proferas, sed parcior loquendi fiducia sit. Copiosum quippe in multiloquio peccatum Homicidæ dictum est: Peccasti, quiesce: ne peccaret amplius. Sed virgini dicendum est, quiesce ne pecces. Conservabat enim Maria, ut legimus Luc. 2. omnia in corde suo, quæ de filio dicebantur: et tu, cum legitur aliquid, quo Christus aut venturus annuntiatur, aut venisse ostenditur, noli fabulando obstrepere, sed mentem admove. An quidquam est indignius, quam oracula divina circumstrepi ne audiantur, ne credantur, ne revelentur: circumsonare sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferunt? Unde illud exemplum proditur: Alexandro sacrificante Macedonum rege, puerulum barbarum qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanta in puero barbaro fuit D disciplina reverentiæ, ut naturam vinceret: atque ille non deos, qui nulli erant, sed regem timebat. Quid enim timeret eos, qui, si idem ignis eos contigisset, arsissent? Quid, quod quidam in convivio patris adolescens iubetur, ne meretricios amores indiciis insolentibus prodat? Et tu, in ministerio Dei virgo gemitus, excreatus, tusses, risus abstine. Quod ille in convivio potest, tu in ministerio Dei non potes? Vocis virginitas prima signetur, claudat ora pudor, debilitatem excludat religio, instituat consuetudo naturam, Virginem mihi prius gravitas sua nuntiet, pudore obvio, gradu sobrio, vultu modesto, et prænuncia integritatis anteeant signa virtutis. Non satis probabilis virgo est, quæ requiritur cum videtur. Frequens sermo est, cum plurima *ranarum murmura* religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse ut conticerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi: tunc subito circumfusos strepitus quievisse. *Silent igitur paludes, homines non silebunt?* Et irrationale animal per reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat: hominum tantam esse immodestiam, ut plerique deferre nesciant mentium religioni, quod deferunt aurium voluptati? Hactenus Ambrosius. Arrianus lib. 4. Epictet. cap. 11. ait, in gentilium templis religioni fuisse expuere, aut nasum emungere. De Turcarum reverentia in templis dixi alias.

11. Silentium in contemplatione.

Secundum silentium, quo silet mens in Deum absorpta, et nullas voces in laudem eius efformat, Deo est gloriosum; fatetur cum eum esse ineffabilem S. Dionys. Areopagita cap. 1. de divinis nominibus: Neque, ait, ea quæ ratione intelliguntur, ab iis quæ sub sensum cadunt, comprehendi cernique possunt, nec ab iis quæ ficta et figurata sunt, simplicia et non figurata: neque ab iis qui corporeis figuris efficta sunt, eorum quæ corpore vacant, formæ vacuitas, quæ nec tractari, nec figurari potest: sic et essentias vincit ac superat, quæ termino caret immensitas: et mentes quæ mente superior est unitas, αρρητον τε λογω παντι, υπερ λογον αγαθον: *Et bonum, quod orationem vincit, nulla oratione exprimi potest.* Notum est dictum Simonidis: non posse quavis data dilatione temporis, quid Deus sit, exponi pro dignitate; illud refert Cicero lib. 1. de natura Deorum.

12. Deus est laudandus in Sion, non in Babylone.

Tropol. Deum decet hymnus in Sion, non in Babylone: id est, in ore viri iusti Deum speculantis, non in ore peccatoris confusione scelerum turbati. Ita S. Augustinus: *Te, ait, decet hymnus Deus. Sed ubi? in Sion, in Babylone non decet. Etenim quisque, cum cœperit innovari, iam corde in Ierusalem cantat dicente Apostolo Philipp.* 3. 20. *Conversatio nostra in cælis est. In carne enim ambulantes, inquit, non secundum carnem militamus. Iam desiderio ibi sumus, iam spem in illam terram quasi anchoram præmisimus, ne in isto mari turbati naufragemus. Quemadmodum ergo de navi, quæ in anchoris est, recte dicimus, quod iam in terra sit; adhuc tamen fluctuat, sed in terram quodammodo educta est contra ventos et contra tempestates: sic contra tentationes huius peregrinationis nostræ, spes nostra fundata in illa civitate Ierusalem facit nos abripi in saxa. Qui ergo secundum hanc spem cantat, ibi cantat: ergo dicat, Te decet hymnus Deus in Sion. In Sion, non in Babylone. Cives Babyloniæ, hymnum Dei non decenter cantant: audi vocem Scripturæ Eccl.* 15. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris:* ita S. Augustinus, qui ait: Votum reddendum in Ierusalem, id est corpus et animam in cælo: sic erit perfectum holocaustum. Dei gloria est a sanctis viris laudari, S. Cyprian. tract. de zelo et livore: *Si hominibus, ait, lætum est et gloriosum filios habere consimiles, et tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles subseciva respondeat: quanto maior in Deo Patre lætitia est, cum quis sic spiritualiter nascitur, ut in actibus eius et laudibus divina generositas prædicetur?* Prius dixerat: *Qualis cælestis tales et cælestes. Quomodo portavimus imaginem eius, qui de limo est: portemus et imaginem eius, qui de cælo est: imaginem autem cælestem portare non possumus, nisi in eo quod esse nunc cœpimus Christi similitudinem præbeamus: hoc est enim mutasse, quod fueris: et cœpisse esse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ut ad Patrem Deum Deifica disciplina respondeat, ut honore et laude vivendi Deus in homine clarescat, ipso exhortante et eis qui se clarificant vicem mutuam pollicente. Eos, inquit, qui clarificant me, clarificabo. Ioan.* 12. hæc Cyprianus. In Sione semper est laus Dei, quia cor viri iusti tendit ad Deum, sicut ad suum centrum. S. Franciscus in opusculo decem perfectionum: Perfectio, ait, perfecti Christiani est, quod cor suum ab omni mundana et humana creatura eradicet: nec quærat, cur inveniat fundamentum, aut radicem, nisi in illo qui fecit sibi cor: sed consuescat cor suum proiicere in ipsum Deum, et de fæcibus terrenis frequenter elevare: ita quod sine pœna quandocumque voluerit, revertatur ad Christum, cogitando et afficiendo se ad cordis creatorem: et intentus sit in omni loco, et tempore, altissimo benefactori.

13. Allegor. Alleg. Sion est Ecclesia catholica: in ea sola laudatur Deus, extra illam quidquid fiat, non est laus Dei: ita Hilarius. Hymnus, inquit, hic Deo concedet, qui sit in Sion spiritali et Ecclesiastico cantico innocens, et Dei laudibus dulcis. Omnia autem superstitionum genera, quæ extra religionem Dei sunt, condemnat. Plures enim sunt in diversissimo erroris profundo locati, qui doctrinæ suæ perversitatem quadam inanis laboris probitate commendent. Cernimus namque nudis Philosophos corporibus algere: ipso etiam coniugiorum usu magistri abstinent: hæretici sicco pauis cibo vivunt. Sed qui tandem otiosi huius propositi profectus est? Totum hoc inane atque ridiculum est, et cum ipsis superstitionis causis miserabile. Deo ergo vovenda sunt, contemptus corporis, castitatis custodia, ieiunii tolerantia: hæc ipse.

Anag. Sion est Ecclesia triumphans in cælis, ibi Deum laus decet atque hymnus: his in terris non est perfecta musica. Ps. 136. 4. ait Ecclesia, in terræ huius Babylone ingemiscens: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Vide illum locum.

ARTICULUS II.

Benignitas Dei erga peccatores, quos ad se attrahit.

14. Vers. 3. Post conspectum mente terminum optatum viæ suæ, nempe Sionem, captivi a Deo petunt, ut ad illum terminum pervenire liceat, v. 3. Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet. *Omnis caro*, id est nos omnes licet carnales, viles et peccatores. Secundo, *omnis caro*, id est, omnis homo, ex omni natione homines. Est synecdoche, qua *caro* pro toto homine ponitur, sicut *anima* item pro homine sumitur. Sed hic utitur voce illa *caro* David in persona captivorum agens, ut se humiliet, Deum exaltet; coram quo, purissimo et infinitæ perfectionis spiritu, omnes homines sint tantum abiecta et putrida caro. Nota, non soli Iudæi, sed etiam Gentiles ad templum Ierosolymitanum veniebant Deum adoraturi. Sed cum hac distinctione, quod Iudæi intrabant in atria interiora, proxima atrio Levitarum: in quod, nec in Sanctum, licebat illis intrare, Gentiles vero penetrare tantum poterant ad porticum et atrium gentium: pœna capitis proposita, si ulterius pergerent: sicut eadem pœna afficiebantur Iudæi, qui ausi essent ingredi atrium Levitarum, aut Sanctum, et Sanctum sanctorum. Sunt, ait Salian. t. 3. ann. 3025. Num. 10. qui in templo Salomonis nullam porticum, aut atrium immundis et gentibus destinatum putarint: sed tantum in templo Herodis: in illo autem duorum tantum atriorum, et consequenter porticuum, tam a Scriptura quam a Iosepho fieri mentionem: interioris scilicet, quod erat Sacerdotum et Levitarum; et exterioris, quod erat Israelitarum. Hæc est sententia Riberæ, Barradii, Ariæ Montani, Tornielli, Genebr. et aliorum. Existimo nihilominus, porticum et atrium gentium a Salomone extructa fuisse. Nam Iosephus lib. 8. antiquit. cap. 2. ubi de templo, eiusque partibus et supellectili disseruit: addit Salomonem circumdedisse templum septo quodam trium cubitorum altitudine, exclusurum profanam multitudinem, et solos sacerdotes admissurum: et hoc est atrium Leviticum proximum templo. Secundo addit, extra hoc septum fuisse fanum, porticibus magnis ac latis cinctum; in quo cuilibet, e populo puro et casto accessus patebat; et hoc fuit Israelitarum atrium, ambiens tam atrium Levitarum, quam templum ipsum. Tertio, aliam statuit aream super aggestam terram ad quadringentos cubitos et templi solo æquatam, quam cinxisse ait duplicibus porticibus, id est duplici contignatione constantibus, quas columnæ e nativo saxo sustentabant: quod omnino fuit atrium gentium, et porticus Salomonis: subdit autem hæc omnia septennio fuisse perfecta: ita Salianus, et hæc est communis sententia Doctorum. Nec enim credibile est, templum Herodis fuisse maius aut magnificentius Salomonico. Hæc autem porticus gentium cum atrio suo mundis et immundis patebat: ideoque porticus ipsa, licet ianuis ad omnes cæli plagas aperiretur, quæ periboli aditus respicerent, sicut et ianuis atriorum Israelis, nullis tamen instructæ fuerunt ianitorum cubiculis, sicut porticus Israelitarum; nec opus erat quando neminem excludi fas erat. In hac porticu, atque atrio sæpe ad confertam multitudinem Christus Dominus verba faciebat: ibi ethnici Philippum adeunt, ut Christum viderent; ibi Æthiops eunuchus reginæ Candacis adoravit, ut ait idem Salianus, et Lorinus hoc loco et in Acta, Sanchez, Caietan. et alii. Verius tamen arbitror, eunuchum illum fuisse quidem gentilem genere, sed Iudæum religione, et consequenter intrasse ad orandum in atrium Israelitarum: colligitur id ex eo, quod in curru suo legebat Isaiam: ita S. Irenæus lib. 4. cap. 40. Baron. tom. 1. Annal. et alii. Porticus porro gentium pars Orientalis (quadripartita enim erat) dicta fuit Salomonis, etiam Christi tempore, ut ex Evangelio et Actis constat; quod pars eius aliqua cladem Chaldæorum effugisset, posteaque a Zorobabele et Herode, ut putant, restaurata, primi auctoris nomen retinuisset.

Atrium gentium erat etiam in Salomonis templo.

Alleg. Omnis caro, id est omnis homo, venit ad Christum, in Sione, id est, in Ecclesia sedem sibi deligentem. 15. Allegor.
Arab. vertit: *Ad te omnes homines venient.* Dicebat Christus Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.* Onus omnium est caro, et corpus degravans animam. Veniente Christo spiritus descendit in carnem, et eam elevavit ad ipsum. Ioel 2. 28. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Matth. 13. 47. *Ecclesia comparatur sagenæ ex omni genere piscium congreganti.* S. Aug. in Psalm. nostr. *Secundum quid ergo intelligimus, Ad te omnis caro veniet? Omnis caro dixit, omnis generis caro, ex omni genere carnis, venietur ad te. Quid est ex omni genere carnis? Numquid venerunt pauperes, et non venerunt divites? Numquid venerunt humiles, et non venerunt sublimes? Numquid venerunt docti, et non venerunt indocti? Numquid venerunt viri, et non venerunt fœminæ? Numquid venerunt Domini, et non venerunt servi? Numquid venerunt senes, et non venerunt iuvenes? Aut venerunt iuvenes, et non venerunt adolescentes? Aut venerunt adolescentes, et non venerunt pueri? Aut venerunt pueri, et non allati sunt infantes? Postremo numquid venerunt Iudæi: nam inde erant Apostoli, inde multa millia primo tradentium, postea credentium, et non venerunt Græci? Aut venerunt Græci, et non venerunt Romani? aut venerunt Romani, et non venerunt Barbari? Et quis numeret omnes gentes venientes ad eum cui dictum est, Ad te omnis caro veniet?* Ita S. Aug. Quantus hic est confluxus gentium omnium ad Christum? Thebæ in Ægypto urbs erat tam populosa, ut licet ibi essent centum portæ, ex singulis tamen egredi simul possent decem millia armatorum, ut ait Mela lib. 1. cap. 9. Itaque in ea una urbe erant decies centena armatorum millia, id est unus millio. Alexandriæ erant quinque hominum milliones cum septingentis millibus, ut dicit Budæus de asse. Qualis erit tota hominum collectio qui unquam Romæ, Constantinopoli, Parisiis, Memphi, Pequini, et in aliis urbibus et gentibus extiterunt? Miramur Osymanthem aut Osmanduem Ægypti regem in Bactrianos duxisse quadringenta peditum, et viginti equitum millia, teste Diodor. Siculo lib. 1. cap. 47. Sesostrim aut Sesosim eiusdem Ægypti regem sub signia suis numerasse sexcenta peditum, et viginti equitum millia, atque viginti septem aut viginti octo millia curruum bellicorum, ut eodem in libro dicitur. De Semiramidis, Xerxis, Tamerlanis, Balazethi, et aliorum numerosis exercitibus dixi alias. Christo millia millium angelorum ministrant, et decies centena millia ei assistunt: tanta vero hominum turba, ut nemo illam dinumerare possit: eaque ex omnibus, gentibus, tribubus et linguis conflata. S. Ambros. in illud Ps. 48. 18. *Cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius*, sic loquitur: *Gloria sæculi non descendit cum peccatore: sed gloria virtutis ascendit cum innocente.* Christus omnia trahit ad seipsum, sicut magnes, succinum et Pantarbas rapiunt ferrum, paleas et alia.

Urbes populosæ. Thebæ et Alexandria. Exercitus numerosi.

16. Symbol. Symbol. Ad Christum venit *omnis caro*, id est omnis peccator et carnalis homo. Ipse dicit Matth. 9. 13. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Sacerdos apud Græcos olim ad sacrificium accessurus inclamabat, τίς τῆδε, id est, *Quis hic?* Qui aderant, subiiciebant: πολλοὶ κ'ἀγαθοί, *multi et boni.* Deus vero peccatores recipit et publicanos, atque cum iis manducat, eosque ad suum convivium invitat: sed ut eos a peccato liberet. Luc. 3. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Secundo, *omnis caro*, id est tota caro, totum corpus, omnes corporis sensus et membra ad Deum venient, ut tamquam regi suo tributum persolvant. Froto quartus Daniæ rex gravissimo tributo Saxones oppressit: et quod ante pro singulis capitibus dabatur pro membris singulis dari voluit, ut ait Albertus Krantzius in Chron. Daniæ, pag. 40. cap. 36. Nulla venula est, aut arteria, aut tendo, vel fibra, quæ Deo tributum laudis non debeat, a quo id habet omne quod est.

17. Moraliter. Omnes ad Deum veniunt, et cur. Moral. Omnis caro, id est, omnis homo ad Deum venit. Primo, quia est summa bonitas. Secundo, quia omnes per gratias suas et charitatem trahit. De primo, nempe de bonitate ait S. Dionysius cap. 4. de divinis nominibus:

I. *Theologi divinam essentiam, bonitatem appellant; quod hoc ipso quod bonum est,* ὡς οὐσιῶδες ἀγαθὸν, *ut bonum per se, et essentia sua, in ea quæ sunt omnia bonitatem diffundat. Sicut enim sol noster non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est omnia illustrat, quæ eius lumen pro modo suo capere possunt: Sic etiam ipsum bonum, quod ita præstat soli, ut prima species tenui obscuræque imagini, per se ipsaque essentia sua iis quæ sunt omnibus pro eorum captu, totius bonitas radice emittit:* ita Dionysius. Ad bonum porro omnia tendunt, quia bonum omnia appetunt, velut centrum suum in quo conquiescant. S. Gregor. lib. 12. Mor. 3. *Quis,* ait, *valet Deo recedente requiescere, cum solus ipse sit requies: et a quo quisque quanto longius fuerit, fit tanto et inquietior.*

II. Secundo, Deus cum sit bonitas, ex se bona varia diffundit, quibus veluti catena aurea nos ad se trahat amantes, et eius desiderio accensos. S. Dionys. eleganti similitudine id explicat, cap. 3. de divinis nominibus fol. 180. *Nos,* inquit, *precibus ad altiorem divinorum et benignorum radiorum conspectum contendamus: ut si* πολυφώτου σειρᾶς, *funis magna luce nitens e summo cælo penderet, et huc usque demissum semper ante nos manibus vicissim succedentibus arriperemus, eum quidem trahere videremur, re autem vera eum qui et supra, et infra præsens est, non deduceremus: sed ipsi nos ad sublimiores magno lumine fulgentium radiorum splendores eveheremur. Aut quemadmodum, si conscensa navi, funes ex saxo aliquo ad nos, usque porrectos auxilii causa teneremus: non ad nos saxum, sed nos ipsos revera et navim, ad saxum traduceremus.*

18. Vers. 4. Prima ratio, cur captivi exaudiri petant, est eorum reditus ad patriam, ut Deum laudent, *Ad te omnis caro veniet*, ut mox dictum est. Secundam rationem addit v. 4. VERBA INIQUORUM (Hebr. *iniquitatum*, id est iniquissimorum hominum. Hebræi sæpe ponunt abstractum pro concreto) PRÆVALUERUNT SUPER NOS: ET IMPIETATIBUS NOSTRIS TU PROPITIABERIS. Sensus est Primo, q. d. Mala opera iniquorum parentum nostrorum prævaluerunt super nos filios eorum, nosque gravaverunt iugo durissimæ captivitatis: sed tu Pater misericordissimus propitiaberis impietatibus nostris, quas a parentibus hæreditavimus: et quas ipsi eorum exempla imitati superaddidimus. Quod autem per *verba* interpretati simus, *opera*, nemo mirabitur, qui in scripturis versatus sit. Sic Luc. 2. 15. *Videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis.* Ps. 21. 2. *Verba delictorum meorum.* Ps. 104. 27. *Posuit in eis verba signorum suorum.* 2. Reg. 1. 4. *Quod est verbum, quod factum est, indica mihi:* ita Bellarminus. Sed licet verbum apud Hebræos aliquando rem significet, tamen hic melius sumetur in propria significatione: neque convenit ut parentes suos accusent illi captivi.

Sensus. Secundo igitur, et melius, sensus est, q. d. Verba iniquorum Babyloniorum, et aliorum hostium nostrorum *prævaluerunt*, id est, prævalere incœperunt (Hebræorum verba sæpe sumuntur in actu inchoato) *super nos, et* (tunc) *impietatibus nostris propitiaberis*, id est propitiari cœpisti, et tandem perfecte propitiaberis reddita per Cyrum libertate. Ubi adverte, quod Darius et Cyrus cœperunt Babylonios, cum non crederent eos esse capiendos: unde, licet obsessi, cum magna securitate festos dies agebant, et irridebant obsidentes Medos et Persas. Cum igitur esset septuagesimus annus captivitatis Iudæorum eos irridebant Babylonii, quod iactitassent sæpius se illo anno in patriam suam liberos reditnros. Fortasse illa ipsa nocte, qua capta est Babylon, verba illa irrisoria in Iudæos iactabantur. Causa enim, ait Salian. tom. 4. anno 3516. Num. 22. cur ex improviso deprehensi sunt Babylonii, fuit auctore Herodoto, quod cum illis is dies festus esset, exercendis choreis et oblectationibus opera dabatur. Quem diem de industria captatum a Cyro esse scribit Xenophon. Ac fossæ quidem, ait, iam actæ erant: Cyrus vero cum audiisset celebrari Babylone festum quoddam, quo Babylonii omnes nocte tota potarent et comessarentur, quam primum eo die tenebræ accessissent, magna mortalium multitudine adhibita, fossarum ostia versus amnem aperuit: hoc cum factum esset, aqua noctu in fossas manabat, et alveus fluvii per urbem tendens hominibus permeabilis esse cœpit. Huius diei causam Hebræi commenti sunt. Commentum Rabbinorum. Tradunt enim, ut ait S. Hier. huiusmodi fabulam, quod usque ad septuagesimum annum, quo Ieremias captivitatem Iudæorum dixerat esse solvendam, irritam putans Dei pollicitationem Balthasar, falsumque promissum, versus in gaudium fecerit grande convivium: insultans quodammodo spei Iudæorum, et vasis templi Dei: sed statim ultio consecuta est. Existimo sane alicui deorum suorum festum diem Babylonios eo die celebrasse: quo pertinet laus deorum super mensam a Daniele memorata. Quamquam huic Iudæorum fabulæ aliquid probabilitatis addunt, allata vasa templi Iudæorum in convivium, quæ hactenus in thesauris Beli, et Nabuchodonosoris videntur fuisse conservata: hæc Salianus. Non arbitror quidem convivium a Balthasare institutum, ut Iudæos irrideret, sed incalescente mero iactatas fuisse blasphemias contra Iudæorum Deum, quasi causam malorum suorum et obsidionis, eum ut imbellem, irrisum, et vasa eius profanata: ut ostenderetur, nec regem, nec principes illum curare; tunc varias in Iudæos captivos minas fuisse iactatas etiam probabile est. Sed eadem nocte urbs capta est, et Balthasar cum suis convivis occisus. Itaque, iure in psalmo nostro dicunt captivi: *Verba iniquorum prævaluerunt super nos, et impietatibus nostris tu propitiaberis.*

Tropolog. Verba iniquorum prævalent super nos, Primo, cum iniquitates, quas a parentibus et magistris didicimus, opere complemus: ita Augustinus. *Omnis homo,* ait, *ubicumque nascitur, ipsius terræ vel regionis vel civitatis linguam discit, illius imbuitur moribus et vita. Quid faceret puer natus inter paganos, ut non coleret lapidem, quando illum cultum insinuaverunt parentes?* Ita ipse, qui vertit, Sermones iniquorum prævaluerunt super nos. Panthera grato odore feras ad se allicit, et secum retinet, sed ut eas devoret: ita mali socii blandis verbis iuvenculos. 19. Tropol.

Secundo, verba iniquorum prævalent super nos, cum detractores iis nos confodiunt. Lingua eorum gladius acutus, ut dictum est Ps. 56. 5. Pastinacæ marinæ radius nulla medicina est curabilis: nam ubi primum pupugit, enecat; unde eius telum etiam peritissimi naturæ reformidant, ait Ælian. lib. 1. cap. 56. Calumniæ autem detractionis, susurrationis et contumeliæ, tela longe periculosiora sunt: non enim tantum sunt, βέλεμνα κοῦφα, hoc est, tela velocia, ut ea vocat Anacreon: sed etiam venenata tela, ut loquitur S. Leo ser. 8. de passione Domini. Unde fit, ut facile lædant, et difficulter curentur. S. Valerian. hom. 5. de oris insolentia: *Nihil,* inquit, *est sævius, nihil violentius amaris asperisque sermonibus: quorum vulnera tanto difficilius curantur, quanto facilius proferuntur. Ferri spicula per cælum volantia facile scuti obiectione contemnis: ver-* Calumniæ tela perniciosa.

borum vero iactus nec revocari potest, nec prohiberi: multo enim velociores sagittis sunt. Photius in bibliotheca sua refert ex Ctesia, ignem illum qui ex Ætna erumpit medium regionis tractum, quem olim εὐσεβῶν χώραν, *piorum regionem* vocabant, nequaquam infestare: eum tamen alia circum loca exurat, atque populetur. Lingua vero, ignis est omnia devorans, nulli rei aut virtuti parcens. Iacobi 3. 6. *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ.* Hoc est, incessabilem vitæ procursum, ut explicat Beda.

20. Ob gravia scelera non est desperandum. Nota, licet gravissima admiseris scelera, non est desperandum: Deus enim propitiatur ipsis impietatibus: impietas autem grave crimen est: opponitur enim pietati, quæ Deum colit, velut parentem: et subvenit proximis, quia sunt filii Dei vel ad imaginem eius facti: primum docet S. Thom. 2. 2. q. 121. art. 1. secundum vero, idem sanctus Doctor in 3. d. 34. q. 3. art. 2. Magna et periculosa vulnera declarant peritiam medici ea sanantis. Dicit autem S. Ioannes 1. epist. 2. 1. *Advocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Vide dicta Ps. 24. 12. in illud: *Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim.* S. Chrys. hom. 3. de pœnitentia, comparat misericordiam Dei immenso mari, peccata autem nostra exiguæ scintillæ, quæ in illud mare coniecta cito extinguitur. *Cogita,* inquit, *scintilla si in mare ceciderit, num possit stare aut apparere? Quantum scintilla ad mare se habet, tantum hominis malitia ad Dei clementiam pietatemque: imo vero non tantum eodem modo, sed etiam supra.* Est enim infinita, scelera enim nostra sunt finita. Richard. tr. 3. de eruditione interioris hominis cap. 5. ait, misericordiam Dei esse oleum putrefaciens omnia peccata. Putrescit, inquit, iugum a facie olei; eo quod, divinæ remissionis miseratione, pereat usus peccandi, servitusque peccati.

S. Chrysostomi dictum notabile.

ARTICULUS III.

Benignitas et liberalitas Dei erga iustos.

21. Vers. 5. Dei propitiatione cognita exclamat Propheta in persona captivorum e Babylone exeuntium, beatum esse illum qui eam consequitur, v. 5. **Beatus quem elegisti, et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.** S. Hilar. in tabernaculis tuis. Primo, per atria intelliguntur omnia atria templi Salomonis, quod erat reparandum. In eo enim erant tria atria: 1. atrium Levitarum et Sacerdotum, in cuius medio erat altare holocaustorum, ubi fiebant sacrificia; 2. erat atrium laicorum mundorum: quod erat distinctum in atrium virorum, et in atrium fœminarum; 3. erat atrium gentium, in quod intrabant gentiles, et Iudæi immundi legaliter. Non enim erat maior immundities contracta ob contactum morticini, v. g. quam immunditles orta ex infidelitate. Secundo et melius, per atria totum templum synecdochice intelligitur: id est, tam Sanctum sanctorum, quam omnia atria cum suis porticibus et cubiculis: ad quæ cubicula alludit, τὸ *inhabitabit.* In atrio enim Israelitarum erant gazophylacia, ait Salianus, non thesauris tantum idonea, sed humanis etiam usibus. Exedræ enim et cubicula, his quoque vocibus in ea fabrica intelliguntur. Erant hæc cubicula lata calamos duos (calamus continet sex cubitos) longa totidem, et via ante cubiculum utrinque posita protendebatur, eiusdem cum cubiculis latitudinis, longitudinis vero quingentorum cubitorum, exceptis duobus ultimis muris, quorum singuli crassi erant calamum unum. Nulla est autem ratio, cur eadem, sive gazophylacia, sive cubicula, eademque via, in tertio tabulato non constituantur. Ex quo sequitur, in duobus istis tantum ordinibus, per totum hoc atrium magnum, fuisse cubicula valde multa. Nam sepositis sexdecim atriolis quadratis, quæ sub castellis erant in concursu porticuum, quæ lumini et commoditati viarum ante cubicula serviebant, non numeratis etiam scalis sexdecim, quæ totidem cubiculorum loca occupabant, et iuxta prædicta atriola collocata erant, numerus cubiculorum invenietur in secundo tabulato 340. In tertio autem totidem, in utroque 680. Willalpand. lib. 5. cap. 60. numerat 712. sed triginta duo reliqua, in castellis posita fuisse videntur. Felices itaque Levitas et sacerdotes dicunt captivi, qui erunt digni ut inhabitent in illis atrii cubiculis: sed τὸ *inhabitabit,* dici potest de toto populo, et notat eius in templo, 1. quietem; 2. stabilitatem; 3. perseverantiam in precibus; 4. delectationem.

In atrio templi quot cubicula erant.

Quid in illis atriis facturi, et obtenturi sint, declarant, v. 6. **Replebimur in bonis** (id est, bonis. Est Hebraismus) **domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.** Recte sic vertit Noster Hebraica. S. Hier. reddit, terribilis in iustitia, et refert ad sequentia, ut ibi dicitur. Templum porro Salomonis erat mirabile in æquitate; id est, per et propter æquitatem seu iustitiam, quam ibi Deus servabat, exaudiens preces iustorum ex suo propitiatorio, in quo sedebat velut in throno suo, et puniens impios. 22. Vers. 6.

Alleg. Beatus est Christus, qui secundum carnem assumptus est ad unionem hypostaticam: ita S. Augustin. Ipse, inquit, secundum carnem quod homo est, electus et assumptus est. Ut tamquam verbo Dei dicatur, quod erat in principio. Et paulo post, addit loquens filio Dei. Ille homo quo indutus es, qui cœpit ex tempore, natus ex fœmina, templum quodammodo illius est, qui semper in æternum est et in æternum fuit: ita ipse. Ubi tamen advertе, non posse simpliciter dici, quod homo sit electus et assumptus a verbo: quia τὸ *homo* includit ipsam personam, nempe verbum. Sicut, hæc propositio falsa est. Homo factus est Deus, ut docet S. Thom. 3. p. q. 16. art. 7. Item, falsa est hæc propositio, *iste homo,* demonstrato Christo, *incepit esse,* ut habet ibid. art. 9.

Tropol. Beatus est vir iustus, qui electus et assumptus est ad fidem, gratiam, virtutes, et alia dona Spiritus sancti, qui habitat stabilis et constans in Ecclesia, quæ est atrium Sancti sanctorum in cælo aperiendi. Nota porro, quod electio sumitur pro prædestinatione. Ephes. 1. 4. *Elegit nos in Christo, ante mundi constitutionem.* Secundo, pro vocatione. Ioan. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Tertio, pro iustificatione. Ioan. 6. 70. *Nonne duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est.* Quarto denique, pro glorificatione. Unde

Anagog. Præsertim beatus est, qui electus est ad gloriam, et ad eam assumptus, quia æternam habebit habitationem in cælis. Primo, beatus est, quia liberatur de captivitate corporis, et exilio huius terræ. Psal. 125. 1. *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* Tunc rumpitur porta ferrea, quæ ducit ad civitatem, ut S. Petro Act. 12. 10. Sveno Daniæ rex eo usque in omnibus erat infelix, ut ter ab hominibus captus, et a suis redemptus, tandem ad Erico Svetiæ rege expulsus fuit e throno. Ad Norvegiæ ducem Olavum fugiens, ab eo spretus est: ad Angliæ regem Eduardum se recepit, deinde Scotiæ regem adiit, a quo Christianis sacris imbutus est. Cum pietate oritur felicitas. Annus erat exilii septimus, cum Ericus Svetiæ rex mortuus est. Sveno tunc regnum suum recuperavit. Poppo vir sanctus in eo regno semina fidei sparsit: cumque obduratos cerneret, petiit utrum convertendi essent, si candens ferrum illæsa versaret manu: cum illi annuissent, in chirothecæ formam aptari ferrum iussit, idque candicans et scintillans afferri. Tum nihil veritus arreptum alacri vultu manuque innoxia ad statutum locum detulit; quo miraculo plebs stupefacta ad sacros fontes convolavit. Sveno autem rex Svecos antea victores superavit, et rege eorum oppresso regnum sibi subiecit. Anglos quoque ita præliis fregit, ut rex iurare sit coactus, sibi mortuo Svenonem esse successurum. Feliciores sancti sunt, qui a captivitate ad regnum æternum et nunquam amittendum assumuntur. Secundo, beatus est electus et assumptus in cælum ob cohabitationem cum Deo: *Inhabitabit in atriis tuis.* Themistius oratio. 1. vocat Platonem, asseclam et comitem Iovis. Dio-

23. In cælo beati sunt: 1. Quia liberati sunt a captivitate.

Svenonis varia admodum fortuna.

24. 2. Quia cum Deo versantur.

nys. Alexandrin. apud Nicephorum lib. 6. cap. 4. martyres nuncupat, Christi assessores. Christus ipse dixit, Ioan.
Frolo plebi gratissimus. 12. 26. *Ubi sum ego, illic et minister meus erit.* Frolo Quartus Daniæ rex, cognomento Largus, a cunabulis ipsisque infautiæ rudimentis, adeo cunctis charus evasit, ut ne humi quidem incedere, aut consistere toleratus, sinu semper gestatus, omnium osculis frueretur, ut loquitur Albertus Krantzius in chron. Daniæ lib. 1. cap. 35. pag. 38.
Terra non est tangenda. Iaponum supremo Antistiti terram pedibus tangere non licet. Cælo nati sumus; eo feratur nunc animus, ubi est habitatio eius æterna. Philo lib. de agricult. fol. 153. Inquilini ut essemus, inquit, non habitatores perpetui, venimus. *Revera enim omnis sapientis anima* πατρίδα οὐράνιον ἔλαχε, *cælum habet patriam,* in terra peregrinatur: et sapientiæ domum existimat suam, corporis vero alienam, cuius inquilina sibi videtur.
25. 3 Quia cæli divitias habent. Tertio, beati erunt electi et assumpti, quia satiabuntur deliciis cælestibus: *Replebimur in bonis domus tuæ.* Plenitudo illa excludit omne vacuum, tota domus impletur odore unguenti, nulla potentia quidquam desiderat. Luc. 6. 38. ait Christus: *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem, dabunt in sinum vestrum,* ut nihil effluat. Quis non impleretur, Deo ipso se in eum infundente? Ioan. 14. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Quid fiet in cælo, cum divitias omnes suas operiet Deus, si id fit terris? ibi erit perfecta plenitudo et satietas. Ps. 15. 10. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo,* Hebr. Satietas gaudiorum cum vultu tuo. Ps. 16. 15. *Satiabor* (S. Hieron. implebor) *cum apparuerit gloria tua.* Apoc. 2. 7. dicitur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Luc. 22. ait Christus: *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Sap. 12. 37. dixerat, se illis ministraturum. Pulchritudo ipsius domus, et civitatis, animum beatorum pascet atque implebit. De Bruga urbe Belgii Had. Barlandus Zelandus hoc elogium ponit. Publicarum privatarumque ædium in hoc oppido splendor et magnificentia, omnem orationem, omnem dicendi facultatem supergreditur, ut paucis omnia dicam. Totus hic locus *pascendis oculis,* recreandis animis dicatus est. Pulchra sunt oppida Gandavum, Antuerpia, Bruxella, Lovanium, Mechlinia, sed nihil ad Brugas: ita Ipse. Non sedeo hic arbiter et iudex pulcherrimarum urbium, sed vere cum S. Paulo dicam 1. Corinth. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Civitatis illius descriptionem vide Apoc. 21. Hoc in psalmo vocatur domus, sicut Ioan. 14. 2. ut denotetur beatos esse filios unius pa-
26. 4. Quia sunt in loco sancto. trisfamilias et sibi invicem fratres. Quarto, beati sunt electi et assumpti in cælum, quia sunt in loco sancto. *Sanctum est templum tuum.* Vocavit prius domum, nunc templum, quia templum est domus Dei, et domus Dei est templum. Sanctum autem est, id est, segregatum ab omni labe. Ps. 23. 3. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, et mundo corde.* Apocal. 22. 14. *Beati qui laverunt stolas suas* (corpus et animam) *ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem.* In Ianuis veterum scriptum erat, μηδὲν εἰσίτω κακόν, quod et de vitiis et de calamitatibus exponi potest. In cælo, 1. nulla est calamitas, in quo propter locum, ut ait Synesius epist. 47. ἐστὶν εὐτυχία εὐτυχεστέρα, felicitas est felicior; 2. in cælo nullum ei vitium. Apoc. 21.
Nihil pollutum cælos intrat. 27. S. Ioannes dicit de sancta illa civitate: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt* (id est, sed ii tantum qui scripti sunt) *in libro vitæ agni.* S. Ambros. pollutum cæde Thessalonicensium Imper. Theodosium arcuit ab ingressu templi Mediolanensis: et Polyeuctus Patriarcha Tzimiscam seu Zemiscem Imper. post cædem Nicephori, prohibuit aditu templi Constantinopolitani. Cedrenus in
Polyeucti fortitudo. histor. Compend. fol. 546. sic refert: Cum Tzimisca Imperator esset acclamatus Nicephoro occiso, in magnum

A templum se confert, ut manu Patriarchæ diadema sibi imponatur. Sed eum Polyeuctus non admittit. Non licere, ait, templo subire eum, cuius manus adhuc recenti cognati cruore stillarent, atque fumarent: operam daret, ut pœnitentiæ officia præstaret: ita demum permissum iri, πατεῖν ἔδαφος οἴκου κυρίου, *ut solum domus Dei calcet.* Eam obiurgationem placide tulit Tzimisca, promittens se omnia obedienter facturum: sic tandem est admissus in templum. Turcæ se lavant templum adituri, ut narrat Bar- Turcæ se lavant aute preces.
tholomæus Georgieviz Peregrinus, in epitome de Turcarum moribus. Apud Turcas, inquit, circa templum turris est miræ altitudinis, quam eorum sacerdos orationis tempore ascendens, alta voce, digitis in aurem insertis hæc verba ter repetit, *Allach hechber,* id est Deus verus unus. Audito clamore, conveniunt in templum nobiles et otiosi, tantum devotioni addicti. Deinde prædictus sacerdos orat cum illis, idque ex officio facere debet quinquies singulis diebus. Quicumque vero veniunt ad orationem,
B debent *abluere* manus, pedes et pudenda. Postremo, *ter spargunt aquam super capita,* recitando hæc verba, *Ellem lillahi,* id est, *Gloria Deo meo.* Deinde exutis calceamentis, *Pastimagh* dictis, eisque ante ianuam templi relictis, introeunt; alii nudis pedibus, alii habentes munda calceamenta, *Mesth* vocata, quibus non inquinant terram. In templo, fœminæ semper a viris separatæ orant: ipsæque rarius templum frequentant, ut tempore Bairam (paschatis) nonnunquam diebus veneris, orantque ab hora nona noctis, usque ad duodecimam, ut puta mediam noctem: atque inter orandum continuo agitatu et vociferationibus corpus mire affligunt, ut sæpius viribus et animo deficientes, in terram pronæ concidant: et si aliqua ab eo tempore se gravidam senserit, Spiritus sancti gratia imprægnatam se esse affirmat. Cumque pariunt, ab ipsis nati appellantur animæ, vel filii Spiritus sancti. Christianum hominem sacris eorum interesse nefarium putant: credunt enim ab hominibus, ut aiunt, *illotis,* sua templa contaminari: quippe Christiani non usurpant illorum more
C frequentia lavacra. Apud eos per duas circiter horas sacerdos concionatur, deinde peractis precibus cum toto populo submissa voce cantat, quassando corpus in latus, nihil aliud præter hæc verba, *La illach illellach,* id est, *non est nisi unus Deus.* Sic media fere hora personat ac movetur. Hæc ille; ubi observa qualem te etiam in templis nostris gerere debeas. Iudæi primam templi sui partem vocabant Sanctum: secundam, Sanctum sanctorum; id est partem templi sanctissimam. In Sancto sanctus sis: omnem spurcitiam reiicit Deus; non admittebantur immundi in templum Ierosolymitanum. Christus ait Luc. 20. 35. *Qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque ultra mori poterunt: æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.* Petrus Abbas Cellensis munditiem cælestium voluptatum ex eo probat, quod ex Deo fluant. Sic enim ait lib. de panib. cap. 12. *Locus voluptatis in Deo est, et Deus est, neque unam originem, neque unum finem habent delectationes spiritus et carnis: non patitur*
D *cohabitare summa illa voluptas cum nostra infima. Nam illa mundat, ista inquinat: illa Deo copulat, ista a Deo separat: illa semper sine fastidio, ista plena tædio.* Quinto 27.
denique, beati sunt electi et assumpti in cælum, quia ibi 5. Quia
præmia pro meritis dantur cum summa æquitate. 2. Ti- præmia dantur pro meritis.
moth. 4. 8. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum eius.* Mirabile, ait Lorinus, ac terribile in æquitate templum Dei erat Ierosolymis: quia ibi mirabilia edebat signa iustitiæ suæ: vel ipsa fabrica et ministerium templi divinitus præscripta adeo apte, concinne, æquabiliter, constanter, quanta inesset Deo iustitia indicabant: quam ubique eidem in externis operibus cara et in mundi universitate, quam tabernaculum et reliquus ornatus templi repræsentabat, maxime qui ad Pontificem pertinebat. Addit Rickelius, quod in templo causas dubias atque difficiles iudicarent

sacerdotes, prout Dominus Mosi iusserat, Deuteron. 17. 8. Regina Saba visa Salomonis domo ordinibus ministrantium, cætera supellectile, et holocaustis, quæ offerebat in domo Domini, non habuit ultra spiritum, 3. Reg. 10. 5. miratam etiam templi fabricam, cum ordine ministrantium tradit Iosephus lib. 8. cap. 3. Hæc in figura contingebant illis. Constantinus Magnus in orat. habita in concilio Nicæno ad sanctorum cœtum, cap. 9. ait, Piorum animos post mortem domicilia in pulcherrimis cæli locis velut consecrata habere. In eo cæli templo locum non habent avari, ut Troilo eleemosynas invito animo eroganti ostensum est: non detractores et impudici, aliique scelerati, ut dicitur Apoc. 21. 15. Explicari id potest visione Mariæ Ægyptiacæ adhuc peccatricis, quæ in templum Ierosolymitanum intrare non potuit, licet ad id omnibus viribus niteretur, quin prius bene vivendi propositum concepisset. Christi in templo illo cælesti sedentis iustitiam explicare aliquatenus possis punitione Udonis Archiepisc. Magdeburg. qui in ipso templo S. Mauritii gravissime punitus est. Item visione impii Bardæ, de qua Cedrenus fol. 455. Bardas, ait, Cæsar per quietem sibi imaginatus est, se cum Michaele Imper. ad solemnem quamdam festivitatem, ad magnum templum ire: quo cum appropinquasset, quosdam præire albis amictos vestibus, et se ab iis deduci ad cancellos tribunalis; ibique se nihil videre aliud, quam solio Patriarchæ residentem senem quemdam, quem ipse putaret Petrum esse, Apostolorum coriphæum: ad pedes eius volutari Ignatium, et iniuriarum suarum ultionem flagitare: porro Petrum cuidam astantium ensem tradere, et mandare, ut *θεοργιστον, iræ obnoxium* (sic Bardam vocabat) inter eos qui a sinistris stent, collocet, eoque ense membratim concidat; *ασεβοτεκνον, impium filium* (sic Michaelem Imp. adhuc iuvenem vocans) constituat quidem inter dextros, sed simile tamen supplicium denunciet: ita Cedrenus; in hoc tamen est disparitas: quod in templum cæleste impii non penetrant, sed ibi sedens Christus Rex et Iudex illos punit. Bardæ somnium terrificum.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

28. *Duo complectitur. Primo, Dei potentiam, v. 7. Secundo, eius liberalitatem, quæ Iudæum implet bonis omnibus, v. 10.*

PARAPHRASIS.

7. *Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ: et in mari longe.*

7. Ex molestæ captivitatis vinculis reditum in patriam templumque tuum postulantes exaudi, cum salutem nobis toties attuleris: in te uno spes suas repositas habent, qui remotas totoque orbe seclusas terras incolunt, aut sparsas in ultimo mare insulas possident.

8. *Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.*

8. Tu montes a mundi initio stabilivisti, et mirabili per totum orbem ordine disposuisti tua fortitudine sapienti: ex omni enim parte circumdatus es potentia, qua efficis quæcumque tibi placent. Tu ad nutum fluctus agitas in imo maris fundo, et tempestatibus excitatis horribilem fragorem edis, collisione aquarum inter se et ad cautes, ventorumque furentium commotione. Deinde, cum vis, unico momento omnia tranquillas.

9. *Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis: exitus matutini et vespere delectabis.*

9. Omnes terræ nationes conturbabuntur et expavescent, etiam quæ sunt in extremis orbis finibus positæ, videntes et audientes signa tua cælestia, id est fulgetras, coruscationes, cometas, tonitrua, fulmina. Tunc cum placebit, reddita cæli serenitate iucundum facies auroræ exortum, radiis solis terras illustrantibus; et iucundum tempus vespertinum, luna et stellis cælum sua multitudine atque splendore decorantibus.

10. *Visitasti terram, et inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.*

10. Totam terram, sed præcipue Iudæam ad quam pergimus, donis tuis invisis, et aquis tum cælestibus tum fluviatilibus inebrias: eaque ratione multis modis, frumento, hordeo, aliisque seminibus, herbis, floribus, et arborum fructibus locupletas.

11. *Flumen Dei repletum est aquis: parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius.*

11. Iordanis fluvius tuus plenus est aquis: et per eum, servis tuis in terra tua manentibus, cibum præparas: quia, ea est præparatio et dispositio illius terra Iudææ, patriæ nostræ, ut eam pene totam fœcundet.

12. *Rivos eius inebria, multiplica genimina eius: in stillicidiis eius lætabitur germinans.*

12. Ab eo profluentes rivos aquis adimple, et herbas, fruges ac plantas, quas irrigat multiplica: terra germinans, fructusque abunde producens exaltabit; ob stillantes, et in eam se suaviter infundentes aquas.

13. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: et campi tui replebuntur ubertate.*

13. Præsertim benedictionem tuam dabis toti huic anno, quo misericorditer nos a captivitate liberas; et agri terræ tuæ, ex omni parte, erunt fœcundi.

14. *Pinguescent speciosa deserti: et exultatione colles accingentur.*

14. Loca ipsa deserti, quæ non arantur, sed ad pascua herbis et floribus exornantur, cælesti rore, pluvia et benedictione tua pinguescent: ipsique colles vitibus, arboribus, lætissimo gramine vestiti, et circumdati, ridebunt.

15. *Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.*

15. Præ ubertate pascuorum, arietes et totus grex quem ducunt, induentur optimo vellere, et valles cultæ abundabunt frumento: ideoque cum clamore perennes tibi gratias agent, et hymnos concinent.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta cælestis paradisi pulchritudo et fœcunditas.

29. Ordo Secucris. Sectione præcedenti captivi se excitarunt ad desiderium cælestis patriæ; seû potius, illud desiderium suum declararunt. Nunc describunt felicis illius regionis bona.

Ac primo, petunt se a captivitate salvari, v. 7. *Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ: et in mari longe.*

Secundo, paradisum describunt, instar terræ pulcher-

rimæ, a Deo donis omnibus cumulatæ; in qua Primo sint montes stabiles et inconcussi, v. 8. *Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia.* Secundo, mare magnum: *Qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.* Tertio, Deus hostes sanctorum arma parantes contundit et exterret, v. 9. *Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis.* Quarto, solem ibi lucidissimum, atque gratissimum, semper ostendit: *Exitus matutini et vespere delectabis.* Quinto, rex ipse amabilem suam præsentiam exhibet, v. 10. *Visitasti terram.* Sexto, pluviam divitem affundit: *Et inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.* Septimo, flumen copiosum et fœcundum suppeditat: *Flumen Dei repletum est aquis: parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius.* Octavo, rivos varios ex fluvio illo abundanti per totam terram deducit, v. 12. *Rivos eius inebria, multiplica genimina eius: in stillicidiis eius lætabitur germinans.* Nono, fructus arborum, et messes terrarum ac flores toto anno perstabunt, vers. 13. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Decimo, agri copiosas segetes fundent: *Et campi tui replebuntur ubertate.* Undecimo, desertum ipsum amœnissimis floribus vernabit, v. 14. *Pinguescent speciosa deserti.* Duodecimo, colles vineis ditescent: *Et exultatione colles accingentur.* Decimotertio, arietes et pecora lanis abundabunt, v. 15. *Induti sunt arietes ovium.* Decimoquarto, valles frumento replebuntur: *Et valles abundabunt frumento.* Decimoquinto denique, illis omnibus dat voces, quibus Deum benefactorem suum laudent: *Clamabunt, etenim hymnum dicent.*

ARTICULUS I.

Paradisi stabilitas, tranquillitas, pax, lætitia, ubertas.

30. Vers. 7. In psalmi principio captivi oraverunt, ut Deus orationem eorum exaudiret, factam pro reditu suo e Babylone, et ingressu in Sionem ad eum laudandum; nunc eamdem iterant, terram descripturi, v. 7. EXAUDI NOS DEUS SALUTARIS NOSTER (S. Hieron. Salvator noster,) SPES OMNIUM FINIUM TERRÆ; ET IN MARI LONGE, id est, et maris longinqui, ut S. Hieron. vertit. Fines autem terræ, et mare longe positum, usurpantur pro hominibus ibi degentibus. Est metonymia. Non assentior Bredembachio existimanti, indicari homines veros in ipso mari more piscium habitantes et degentes. *Homines marini.* Fateor tamen pisces esse quosdam humana forma et membris, et hinc fabulas Tritonum, Nereidum et Sirenum ortas esse arbitror. Plin. lib. 9. cap. 5. Tiberio, ait, principi nuntiavit Olyssipponensium legatio ob id missa, visum auditumque in quodam specu concha canentem Tritonem, qua noscitur forma: et Nereidum falsa non est opinio, squamis modo hispido corpore, etiam qua humanam effigiem habent. Namque hæc in eodem spectata littore est, cuius morientis etiam gannitum tristem accolæ audivere longe. Et Divo Augusto legatus Galliæ complures in littore apparere exanimes Nereidas scripsit. Auctores habeo in equestri ordine splendentes, visum ab his in Gaditano Oceano *marinum hominem*, toto corpore absoluta similitudine: ascendere eum navigia nocturnis temporibus, statimque degravari, quas insiderit partes: et si diutius permaneat, etiam mergi. Tiberio principe, contra Lugdunensis Provinciæ littus in insula simul trecentas amplius belluas reciprocans destituit Oceanus, miræ varietatis et magnitudinis, nec pauciores in Santonum littore: interque reliquas elephantos et arietes, candore tantum cornibus assimilatis, Nereidas vero multas: hæc Plinius ibi: Lib. etiam 32. cap. 11. mentionem facit Tritonum, Nereidum, elephantorum, hominum, qui marini vocantur, aitque animalium in mari viventium septuaginta sex genera esse. Rondeletius meminit Episcopi, et monachi marini. Cleo, Magnes apud Pausaniam in Phoicicia refert, marinum hominem se vidisse in littus eiectum, non breviorem quinque iugerum spatio, qui fulmine ictus conflagraverat. Ludovicus Vives 2. de veritate fidei Christianæ narrat, ætate sua in Batavia hominem marinum captum, et supra duos annos detentum, iam cœpisse fari, cum prius esset mutus; ac tandem bis ictum pestilentia, in mare esse remissum, gaudentem et exilientem. Sed ex hac locutione non recte infertur rationalitas, sicut nec in psittacis aliisque avibus loquacibus.

Symbol. Aiguanus per terram intelligit peccatores; per mare, pœnitentes. Malim per terram intelligi soliditatem virtutum; per mare, pœnitentiam omnibus semper patentem. R. Hanina sic ait: *Sicut mare hoc nunquam clauditur, sed quicumque vult, lavat se ibi in omni hora qua vult; ita ipsam pœnitentiam, quæcumque hora vult homo ipsam facere, facit: et Deus sanctus et benedictus recipit eam.* S. Augustin. hic mare interpretatur sæculum. Mare, inquit, in figura dicitur sæculum hoc, salsitate amarum, procellis turbulentum; ubi homines, cupiditatibus perversis et pravis, facti sunt velut pisces invicem se devorantes. Attendite mare malum, mare amarum, fluctibus sævum attendite qualibus hominibus plenum sit. Quis optat hæreditatem, nisi morte alterius? Quis optat lucrum, nisi damno alterius? Quam multi aliorum defectione cupiunt sublimari? Quam multi, ut emant, optant alios vendere res suas? Quomodo se invicem opprimunt, et qui possunt, devorant? Et cum devoraverit unus piscis maior minorem, devoratur et ipse a maiore. Iam in mari capti per retia fidei, gaudeamus nos ibi natare adhuc intra retia: quia adhuc mare hoc sævit procellis: sed retia, quæ nos cœperunt, perducentur ad littus. Littus est finis maris, ergo perventio in finem sæculi. Interim intra ipsa retia, fratres, bene vivamus, non retia rumpentes foras exeamus. Multi enim ruperunt retia et schismata fecerunt, et foras exierunt; quia malos pisces intra retia captos se nolle tolerare dixerunt: ipsi mali facti sunt potius, quam illi, quos se non potuisse tolerare dixerunt. Namque illa retia cœperunt pisces et bonos et malos. Dominus dicit Matth. 13. 47. *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare,* quæ congregat ex omni genere: ita Augustinus, perstringens Novatianos, qui negabant lapsos recipiendos esse ad pœnitentiam. 31. *Symbol. Mare est pœnitentia.*

Post orationem suam captivi incipiunt describere paradisi stabilitatem, et fœcunditatem, atque amœnitatem.

32. Vers. 8. Primo quidem stabilitatem, v. 8. PRÆPARANS (id est stabiliens) MONTES IN VIRTUTE TUA, ACCINCTUS POTENTIA (S. Hieronym. fortitudine, Chald. accingens se cingulo in robore. S. Augustin. circumcinctus in potentatu, id est, potentatu. Accinctio notat proximam dispositionem et facilitatem ad agendum, atque ultimum complementum; ita ut Deus agat, cum vult: et nullo alio indigeat, a quo adiuvetur) QUI CONTURBAS PROFUNDUM MARIS, SONUM FLUCTUUM EIUS, supple conturbas; id est compescis, illi minando, et eum perterrefaciendo. Profundum maris sunt fluctus ex imo maris excitati, dum tempestas est; eos Deus conturbat iratos: id est compescit, et impedit ne sæviant, sicut vellent. Est prosopopœia. Mari enim et fluctibus eius fræna inicit Deus, et legem ponit, non minus, quam si sensu et ratione essent prædita. Hebr. est nunc, *Qui mitigas sonitum maris, sonitum fluctuum eius.* Non est necesse aliter legisse Sept. Interpretes, quam nunc legatur, ut patet. Mare porro symbolice est omnis persecutor in Martyres, et cæteros Sanctos, desæviens; conturbatur a Deo, cum quis in cælum venit, ut enim dicitur Apocal. 21. 1. *Mare iam non est.* Isaiæ 57. 20. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, et redundant fluctus eius in conculcationem.* In hac etiam vita tranquillitas et stabilitas est viris piis. Haderagus Abbas Hirsaugiensis tam placidæ mentis extitit, ut nemo illum unquam ira perturbatum viderit, ut ait Trithemius in Chronico Hirsaugiens. pag. 26. Bona etiam temporalia illorum stabilia sunt, et tranquilla. Georg. Castriot. rex Albaniæ, quem Scanderbegium, id est, Alexandrum Magnum nominant, filio suo moriturus dixit: *Fili mi, Ioannes, morti me proximum vides: teque parvulum ac pene infantem relinquo. Si virtuti te adiunxeris, firmum tibi ac*

stabile regnum relinquo: sin vitio aditum aperueris, debile prorsus ac imbecillum. In eo curam tuam impende, ut cæteris bonis virtutem anteponas. Hæc enim una thronum tuum firmabit, regnumque stabiliet: neque pacem modo et tranquillitatem præstabit, sed singulis diebus terminos eius extendet, ut ait Iacobus de Lavardin. In vita eius, lib. 12. cap. 3. p. 490.

33. In cælo sunt montes, et quomodo. In cælo montes Primo sunt ipse locus erectior cæli empyrei, in quo est civitas beatorum, quam vidit et describit S. Ioannes Apoc. 21. et antequam id faciat, dicit v. 10. *Sustulit me in spiritu, in montem magnum et altum.* Mons hic non erat extra civitatem, ait Cornelius, quasi eo ductus sit Ioannes, ut ex eo eminus conspiceret civitatem; sed fuit mons ipse civitatis, sive in quo ædificata erat hæc civitas. Secundo, montes cæli empyrei sunt omnes sancti, in æternum ibi firmati; montes Ecclesiæ militantis sunt Prælati, Doctores et Prædicatores. S. Aug. in Ps. nostr. *Præparans,* inquit, *montes in fortitudine sua. Non in fortitudine illorum. Præparavit enim magnos prædicatores, et ipsos appellavit montes, humiles in se, excelsos in illo: Præparans montes in fortitudine sua. Quid dicit unus ex illis montibus,* 2. *Cor.* 1. 9. *Ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non fidentes in nobismetipsis simus, sed in Deo, qui suscitat mortuos:* ita Ipse. Qui addit Christum circumcinctum esse in potentatu; quia a credentibus in medio, tamquam omnium potentia, ideo circumcingitur: ait deinde, fundum maris esse cor impiorum. Sicut enim a fundo vehementius omnia moventur, et fundus continet omnia: sic quidquid processit per linguam, per manus, per potestates diversas, ad persecutionem Ecclesiæ, a fundo processit. Si enim non esset radix iniquitatis in corde, non illa omnia procederent adversus Christum. Fundum conturbavit, ut fundum exhauriret. Nam in malis quibusdam exhausit mare a fundo, et posuit mare desertum. Dicit illud Ps. 65. 6. *Qui convertit mare in aridam.* Omnes impii et pagani qui crediderunt, mare erant, terra facti sunt, salsis fluctibus primo steriles, postea iustitiæ fructu fœcundi: hæc Augustin.

34. Vers. 9. 1. Pars. In die iudicii præsertim, hostes Sanctorum terrebuntur, vers. 9. TURBABUNTUR GENTES, ET TIMEBUNT QUI HABITANT TERMINOS (S. Augustin. Cassiodor. Arnob. fines terræ. Chald. incolæ finium abyssorum) A SIGNIS TUIS, id est, ob signa tua, nempe ob miracula, quæ fecisti in reductione populi tui e Babylone. Probabile est, aliqua evenisse, sed nullus auctor alicuius nominis ea refert. Eversionem Babylonis, in qua erant captivi, signa etiam præcesserunt, ut, cum in convivio Balthasaris apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ: et rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, et cogitationes eius *conturbabant* eum: et compages renum eius solvebantur, et genua eius ad se invicem collidebantur. Populi qui habitabant terminos Iudææ, nempe Syri, Samaritani, Idumæi, aliique, turbati sunt, et timuerunt in reditu Iudæorum in patriam.

Allegor. Gentiles turbati sunt, atque hæretici et schismatici ob miracula, quæ fecerunt Apostoli, ac viri Apostolici. Anag. Turbabuntur omnes Gentes ob signa præcedentia et comitantia iudicium extremum, de quibus sermo est Luc. 21. Et præsertim turbabuntur, qui habitant fines abyssorum, ut vertit Chaldæus; id est dæmones. Bogoris regis conversio. Bogoris rex Bulgarorum conspecta tabella, in qua expressum erat extremum iudicium, ita timuit, ut ad fidem sit conversus, ut ait Cedrenus fol. 443. Audita hac conversione, proceres Bulgarorum in eum insurrexerunt, et populus, atque illum interficere conati sunt; sed ipse cum parva suorum manu, *Crucis signo prælato,* omnes fudit; reque inopinata territos ad fidem Christi perduxit. Tunc poterat dicere: Turbabuntur gentes et timebunt, qui habitant terminos *a signis tuis,* et ob eorum conversionem addere, *exitus matutini et vespere delectabis.*

35. Vers. 9. 2. Pars. Secundo, in paradiso est delectatio. Unde additur vers. eod. 9. EXITUS MATUTINI ET VESPERE (Psalter. Gallicanum, quo utitur Ecclesia Mediolanensis, Genebr. et aliqui alii legunt, *vesperæ,* per diphtongum, et esset clarius; Græce quidem est ἑσπέρας, id est, vesperæ: sed non est necessaria mutatio: *vespere* enim adverbium satis sensum exprimit) DELECTABIS, id est, delectabiles facies. Exitus porro matutini et vesperæ, sunt exortus auroræ et crepusculi vespertini, in quibus tum sol, tum luna, et astra, delectabiles radios emittunt. Pagn. vertit, *Stellas matutinas et vespertinas laudare facies te.* Quod astra laudent Deum, et quomodo id faciant, dicetur Psal. 148. Per exitum autem matutini et vesperæ, intellige synecdochice totum diem, et totam noctem, in quibus sol, luna et astra captivis liberatis luxerunt iucundius.

Allegor. exitus vesperæ est recessus infidelitatis: exitus auroræ, est recessus vanitatis. Vel melius, exitus seu introitus auroræ est lux fidei, exitus seu ingressus vesperæ est delectatio divina in persecutione. Tropol. exitus matutini seu auroræ, est lux gratiæ in principio conversionis: exitus vesperæ, est lux gratiæ finalis in hora mortis. Symbolice et ingeniose S. August. Mane, inquit, significat prosperitatem sæculi, vespera significat tribulationem sæculi. Arridet tibi ampla pecunia, mane tibi fit. Noli corrumpi, et habebis exitum mane. Si enim habes exitum, non capieris. Sic enim promissio lucri, quasi esca in muscipula. Coarctaris, et non est quo exeas, caperis in muscipula. Dedit autem tibi exitum Dominus Deus tuus, ne lucro capiaris, cum tibi dicit in corde: Ego sum divitiæ tuæ: noli attendere, quod mundus promittit, sed quod promittit conditor mundi. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur?* hæc ipse; ait deinde, improbos etiam contemnendos esse, cum pœnas minantur, nisi pravis corum voluntatibus obtemperaverimus. Quomodo, inquit, contempsisti mane sæculi ex luce Domini: sic contemne et vesperam ex passionibus Domini, ut dicas animæ tuæ: Quid mihi amplius facturus est iste, quam passus est pro me Dominus meus Deus, ut teneam iustitiam, non consentiam ad iniquitatem? Sæviat in carne, frangatur muscipula, et volabo ad Dominum meum, qui ait Matth. 10. 28. *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.* Et de ipso corpore securitatem dedit, dicens Luc. 21. 18. *Capillus capitis vestri non peribit.* Sol aliquando visus est sanguineus, ut refert Trithemius in chronico Hirsaugiensi pag. 36. sed cito redit fulgor solitus; idem fit in tribulatione.

Anag. in paradiso erit lux æterna. Primo enim, ibi est Deus sol perpetuus. Apoc. 21. 23. *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus:* id est, Christus, qui dicebat: *Ignem veni mittere in terram;* sed in cælo est fons illius ignis. In Africa Imperator Monomotapæ quot annis legatos mittit ad regulos sibi subditos, ut illis novum ignem deferant. Cum itaque legatus ad quempiam venit, totius regionis ignis extinguitur: neque ulli alium ignem licet accendere, quin prius a legato novum acceperit, omnesque illum in domum suam tenentur deferre: si vero quis ignem illum accipere abnuit, in eum exercitus ducitur, ut docet Petrus Davity in descriptione Africæ, pag. 465. A Christo uno, et his in terris, et in cælis, flamma concipienda est. Prope lectum Imperatoris Turcarum excubias agunt duo pueri tota nocte, alter ad caput, alter vero ad pedes lecti, uterque ardentem facem manibus tenens, ut ait Wilhelm. Godelevæus tractat. de Turcarum moribus. Sed quid lux prodest dormienti? gaudent vero Beati semper vigiles in Dei lumine. Secundo, Sanctorum lux recreat cælestem civitatem. Daniel 12. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Cum impii satellites in S. Lambertum Episcopum Tungrensem insurgerent, tanta lux in eius vultu effulsit, ut territi destiterint, et ad veram fidem convolarint, sicut tradit Ægidius in cap. 9. Anselmi Canonici Leod. p. 114. S. Servatii Episcopi Tungrensis ab Hunnis capti facies,

Marginalia: 36. In cælo est lux æterna: 1. Ob Dei præsentiam. — Novus ignis in Monomotapa regno. — 2 Ob splendorem Sanctorum.

instar solis resplenduit; et dum Missam faceret, velut ignis radiasse visa est, ut ait Harigerus Abbas Lobiensis, de Gestis Pontificum Tungrens. Traiectensium, et Leodiens. pag. 40. et 41. In aula luminum quid universus Electorum chorus efficiet, ubi iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum, ut ait Christus Matth. 13. 43.

37. Tertio, in cælo est fœcunditas, v. 10. VISITASTI TERRAM, ET INEBRIASTI EAM: MULTIPLICASTI LOCUPLETARE EAM; (Vers. 10.) id est, valde illam locupletem fecisti per aquarum ubertatem, illam visitando, eique providendo. Captivi enim reduces sibi gratulantur, quod Deus, per pluvias suo tempore datas, sit visitaturus, et fœcundaturus Iudæam, ad quam pergebant. Præteritum autem ponitur pro futuro, ob certitudinem. Iobi 38. 28. Deus gloriatur, se esse pluviæ patrem, et nullum alium præter se banc habere potestatem. Sic enim ait: *Quis est pluviæ pater, vel quis genuit stillas roris?* quod Cresolius noster expendens lib. 1. mystagog. cap. 12. Responderent, inquit, mundi sapientes, Iovem esse, quem ea causa nominavere, Græci ὄμβριον et ὑέτιον, Latini pluvium, cui sacra faciebant Indi, aram extruebant Athenienses: Romani, ut Tertullianus refert, Aquilicia immolabant. Et quidem eum ipsum, quem dixere Soterem Iovem, habitum quoque fuisse ὀμβρῶν ἀρχηγὸν, pluviæ largitorem et moderatorem prodit Athenæus lib. 15. Sed illos impiæ vanitatis coarguit Ieremias, aculeato hoc dicto, cap. 14. Numquid sunt in diis gentium qui pluant? Est veri potentissimique numinis, habere summum et perfectum imbris dominatum. Hebrææ theologiæ principes, cum Deo quatuor claves tribuerent, quas ille nec ulli angelo, ac ne Scrapho quidem, unquam dedisset; primo loco reponebant *clavem pluviæ*. Ipse apud Iob legitur cap. 28. 26. ponere pluviis legem. Et cap. 26. 8. *Aquas ligare in nubibus*. Græci dicebant, eo die quo Minerva in lucem edita est, auream e cælo pluviam descendisse. Priscillianus hæreticus fingebat, virginem quamdam lucem esse, quam Deus, volens dare hominibus pluviam, principi humidorum ostendebat. Sed verius dicamus, quod omnis pluvia a Deo solo est.

38. (Tropol. A Deo est pluvia doctrinæ et gratiæ.) Tropol. A Deo est aurea et salutaris pluvia. Primo, doctrinæ cælestis. Secundo, gratiæ. De prima Ps. nostr. exponit S. August. hic, et S. Ambros. in Ps. 118. serm. 3. ubi sic loquitur: *Stillant mel labia prædicantis, quando collisa duris casibus vel ruinis, lapsæ animæ membra refoventur. Est etiam vis ferventior verbi, sicut et vini. Est etiam in lactis specie sermo lucidior. Edite, inquit Cant. 5. 1. proximi mei, et bibite, et inebriamini. Bona ebrietas, quæ ad meliora atque iucunda facit quemdam mentis excessum, ut immemor sollicitudinum animus noster vino iucunditatis hilaretur. Bona mensæ spiritalis ebrietas. Denique, poculum inebrians quam præclarum. Sed et alibi habes: Rivos eius inebria, multiplica generationes eius: eo quod ebrietas terræ cum infusa fuerit imbre cælesti, suscitare semina, fructus multiplicare consueverit. Itaque, ubi verbum, quod sicut pluvia descendit de cælo, venas terræ nostræ vel animæ, ac mentis nostræ inebriavit prædicatione divina, excitavit virtutum studia diversarum, fructusque fidei et castæ devotionis adolevit; meritoque ei dicitur: Visitasti terram, et inebriasti eam.* Moses Deuter. 32. 2. ait: *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.* Chald. Paraphr. ibi vertit: Suavis sit, sicut pluvia, doctrina mea. Secunda pluvia, qua Deus inebriat animam, est gratia Spiritus sancti. Ugo Cardin. Visitasti terram, id est Ecclesiam, quæ dicitur terra a soliditate. Et inebriasti eam intus Spiritu sancto: et multiplicasti, id est multipliciter locupletasti eam donis et charismatibus: ita ipse, atque postea id explicat de gratia cuilibet animæ data. Marcus Eremita tractat. de lege spirituali, gratiam sic comparat pluviæ: *Quemadmodum*, inquit, *pluvia terræ infusa accommodam qualitatem plantis suppeditat; dulcem quidem dulcibus, acerbam autem acerbis. Sic quoque gratia in corde fidelium assidue descendens, ac influens, convenientes virtutibus actiones largitur.*

39. Allegor. Visitavit terram Christus per incarnationem,

A et eam inebriavit, atque locupletavit bonis omnibus doctrinæ, gratiæ, Spiritus sancti atque donorum eius. Unde S. Zacharias pater S. Ioannis Baptistæ canit Luc. 1. 78. *Visitavit nos oriens ex alto;* id est Christus, qui est verus sol oriens e cælo, *illuminare*, ad illuminandum, *his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent.* S. Ambr. in Ps. 118. serm. 13. Susceptione corporis visitavit, inquit, ut sanaret infirmos; inebriavit gratia spiritali, ut anxios iucunditate mulceret: ita Ambrosius. Inebriat præsertim in Sacramento Eucharistiæ, ibi enim est calix inebrians, de quo dixi Ps. 22.

Anag. In cælo præsertim, Beatos Deus inebriat in cœna magna, quam iis parat, et in qua illis ministrat. Ps. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Vide illum locum.

Pluvia non semper cadit, ideo ne siccitatem timeas, 40.
fluvium adiiciunt captivi e Babylone exituri, v. 11. FLUMEN DEI REPLETUM EST AQUIS: PARASTI CIBUM ILLORUM, (Vers. 11.) (Hebr. דגנם *deganam*, id est frumentum eorum) QUONIAM
B ITA EST PRÆPARATIO EIUS, terræ scilicet, ut patet ex Hebraico affixo fœminino: itaque non potest commode ad τὸ cibum referri, cum *dagan* sit generis masculini. S. Aug. legit, *tua*, sed Psalt. Arabicum et Æthiopicum, aliaque, retinent *eius*.

Quæres, quodnam flumen Dei hic intelligitur? Primo (Flumen Dei quod et quale? I.) de nubibus exponit Iansenius. Flumen tuum, inquit, o Deus, quod in nubibus aeris est, unde in terram fœcundans aqua profluit, plenum est aquis pluvialibus, nunquam deficientibus. Ex quo quidem flumine semper parasti, et paras cibum illorum, qui degunt in terra. Hoc enim modo, nempe per pluviam inebriantem terram, fit ex tua ordinatione præparatio terræ, ut ad ferendos fructus homini necessarios apta sit, et fertilis. Chald. favet, quem citabo infra.

Secundo et melius, Bellar. flumen Dei exponit de omnibus II.
fluviis per terram universam dispersis. *Flumen Dei*, inquit, id est rivi aquarum a Deo effecti ad irrigandam terram,
C pleni sunt aquis ex divina providentia et benignitate: sic enim ita tu Deus præparasti cibum eorum: id est hominum et animantium cæterorum: quoniam ita est præparatio eius: id est, quoniam sic fundata et disposita est terra: ut per aquarum irrigationem fœcundetur, et fructus suos pariat.

Tertio, et optime, *flumen Dei* intelligitur hic Iordanis III. (Et optime.)
fluvius, loquentur enim captivi rediturí in Iudæam, de illa sua terra per fluvium Iordanem fœcundanda; eius enim magnam partem secat et irrigat. De illo sic ait Plin. lib. 5. cap. 15. Iordanis amnis oritur e fonte Pancade, qui cognomen dedit Cæsareæ, *amnis amœnus*, et quatenus locorum situs patitur, ambitiosus: accolisque se præbens, velut invitus. Asphaltitem lacum dirum natura petit, a quo postremo ebibitur, *aquasque laudatas* perdit pestilentibus mistas. Ergo ubi prima convallium fuit occasio, in lacum se fundit, quem plures Genesaram vocant, 16. mill. pass. longitudinis, 6. mill. pass. latitudinis, amœnis circumseptum oppidis: ab oriente Iuliade et Hippo, a meridie Taricbea, quo nomine aliqui et lacum appellant: ab occi-
D dente Tiberiade, aquis calidis salubri: ita Plinius. Iordanis porro dicitur *flumen Dei* potius quam alius fluvius: quia terram Dei nempe Iudæam, in qua populus Dei habitabat, alluit. Sicut ipsa Iudæa sæpe vocatur terra Dei. Alludit David, seu captivorum turba, ad plenitudinem Iordanis tempore messis: tunc enim obliquatas nives in vicinis montibus intumescit et exundat. (Iordanis tempore messis exundat.) Tempus autem messis in Iudæa est mensis Martius, est enim regio calida: quod autem tunc fruges maturescant, ex eo patet quod in Paschate primæ fruges bordeaceæ Deo ex lege offerebantur, et mensis Nisan, qui est Martius, ab Hebræis nominatur mensis novarum frugum. Eo mense in terram 41.
promissam intravit Iosue, ut habetur Ios. 3. 15. *Iordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat.* Ad quod (Tempore veris e Babylone captivi egressi sunt.) fortasse etiam alluditur a captivis sperantibus brevi ingressum in eamdem terram. Adde, quod captivi nostri exiverunt Babylone mense Martio post peractum suum pascha,

decima quarta luna, id est die 14. illius mensis; sicut duce Mose exiverant ex Ægypto, post Agni paschalis comestionem. Hoc probabile fit ex Scriptura. Nam ut ait Salianus, tom. 5. anno mundi 3517. Cyri et Zorobabelis 1. Romæ conditæ 216. Servii Tullii regis Romanor. 41. ante Christ. 536. facile intelligi potest Iudæos Babylone exeuntes sub veris initium mense Martio, vel Aprili sese in viam dedisse, et quatuor circiter mensibus hoc iter confecisse. Nam Esdras cum suis septimo anno Artaxerxis, primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, et in primo die mensis quinti venit in Ierusalem, ut dicitur 1. Esdr. 7. 9. Non potuit brevius tanta multitudo, tamque multiplex omnis ætatis, atque sexus, cum tot impedimentis vasorum, pecorum, variæque supellectilis, illud iter peragere. Nota præterea, quod flumen Dei opponunt fluminibus Babylonis, super quos prius sedebant et flebant.

42. Allegor. Flumen Dei quodnam?

Allegor. Flumen Dei est Primo, baptismus, qui repletur aquis gratiæ. Secundo, flumen Dei, ait S.Chrys. est doctrina cælestis, de qua S.Cyrill. et Procop. explicant illud Isa. 41.17. *Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam illos: aperiam in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes: ponam desertum in stagnum aquarum, et terram inviam in rivos aquarum.* Ecclesia est terra fundata super aquas, ut dicitur Ps.23.2. Vide ibi dicta. Hermas lib. 1. Pastoris visione secunda, eam describit sub figura turris fluvio impositæ. Turris, inquit, quam vides ædificari, ego sum Ecclesia, quæ tibi apparui: et modo, et prius, turris ædificatur super aquas: quoniam vita vestra per aquam salva facta est, et fiet.

Ecclesia est turris super aquas.

Fundata est enim verbo omnipotentis et honorifici nominis. Continetur enim ab invisibili virtute Dei. Illi autem iuvenes, qui ædificant, hi sunt angeli Dei. Cæteri qui apportant lapides et ipsi sancti angeli Domini. Cum ergo consummata fuerit structura turris, omnes simul epulabuntur iuxta turrim, et honorificabunt Dominum, quoniam consummata erit structura turris: ita Hermas.

43. Anagog. Flumen Dei est beatitudo.

Anagog. Flumen Dei repletum aquis, est ipsa beatitudo Sanctorum omnibus bonis cumulata et exundans. Secundo, est Deus Ipse. Æthiopes et Ægyptii Nilum præ cæteris diis adorabant, quod regionem eorum fœcundaret. De Deo habes Ps. 35. 10. *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Illum locum consule. Eccl. 24. 41. dicit Sapientia increata, id est Dei filius: *Ego quasi trames immensæ aquæ de fluvio: ego quasi fluvii Dioryx* (id est, alveus, rivus, fossa) *et sicut aquæductus exivi de paradiso.* Aliqui legunt: *Ego quasi fluvius Doryx,* et interpretantur medicamentum generationis. Et Ioan. 7. dicit: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.*

Ariditas in Africa.

Contra vero, in mundo est siccitas, qualis in desertis et arenis Libyæ. Leo in descript. Africæ tradit, in urbe Tunctana neque puteos, neque fluvium esse: sed cisternas tantum quibus aqua pluvia continetur. Et parte prima docet, in Libya vix aquam reperiri, præterquam in puteis quibusdam, quorum salsa est et amara aqua. Quare mercatores in arietum, et hircorum pellibus eam deferre coguntur; 2. in carnis regione, fluvii quidem sunt, sed turbidi et sanguinei. qualis fuit Nilus tempore Pharaonis, et fons tempore Diethmari Hirsaugiensis Abbatis, de quo Trithemius in chron. Hirsaug. pag. 36. Anno, ait, Diethmari octavo in civitate Ianuensi *fons sanguinis* largissime effluxit, portendens forte ipsam urbis imminentem ruinam, quæ eodem anno subsecuta est; 3. in dæmonis regione, sunt fluvii picei et sulphurei, ac mare mortuum bitumine plenum, et fructus efficiens in specie externa pulchros, sed intus cinere et favilla plenos.

44. Fœcunditas ex aqua oritur.

Aquæ fluminis Dei, sibi propinquæ terræ dant fœcunditatem. Unde additur: *Parasti cibum illorum.* Quorum? populorum in terra tua Iudæa habitantium. Est Hebraismus. Sæpe enim Hebræi ponunt pronomen tertiæ personæ sine antecedente et supposito, quod ex sensu est intelligendum. Miramur quod Rabanus Archiepisc. Moguntinus pauperes diversis e locis suscipiens, quotidie plusquam trecentos sustentaret, ut ait Trithemius in chron. Hirsaugiens. pag. 19. quod S. Ioannes Alexand. Patriarcha sæpe ad septem millia nutriret: quod Vespasianus Imperator diceret Ægyptiis, ἀρύσατε ἐξ ἐμοῦ, ὡς Νείλου, *haurite a me velut a Nilo,* ut tradit Philostr. lib. 5. cap. 10. vitæ Apollonii. Sed quid hæc, si cum Christi liberalitate conferantur, qui omnibus omnium provinciarum et temporum hominibus dicit Ioann. 7. 37. *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Unus omnibus sufficit; est enim fons infinitus, atque æternus. S.Prosper ad eum pure suscipiendum invitans, id declarat epigramm. 72.

Cor mundum et sapiens fructu virtutis alatur,
Et Christi in nostro pectore regnet amor.
Quo semel impletus, nunquam vacuabitur illo:
Æterna æterni flumina fontis erunt.

Terra cordis tui non est riganda aliis aquis, ut lætos fructus fundat. De fonte, in quo Christus lavit, rem mirabilem refert Bozius lib. 2. de signis Eccl. cap. 7. pag. 126. Burchardus, inquit, natione Germanus fuit, ante annos fere trecentos, diu moratus est in Oriente, fuit in Ægypto, vidit hortum balsami: aitque, fruticem balsami non edere ullum ex se fructum, nisi irrigetur fonte vicino, in quo Maria sæpius Iesum lavit, Saracenosque expertos frustra irrigare aliis aquis: quamobrem duxisse in illum fontem aliunde aquam, ut virtutem divinam inde hauriens abunde sufficeret ad irrigationem: ita Bozius.

Fons ad balsamum rigandum.

Tu uno Christo contentus esto, et si necessitas huius vitæ alia solatia, et subsidia exigit, per Christum et a Christo illa suscipe, et ad eius gloriam referre contende. Si a Christo aquas sumpseris, vel in salso huius mundi mari erunt dulces. Ioan. Petr. Maffæus lib. 2. histor. Indicæ, sic de argenteo fluvio loquitur: Brasilia, quam Capralis *Regionem sanctæ Crucis* nominarat, scatet tota ferme fontibus, ac sylvis et amnibus inclytis: e quibus, is quem argenteum vocant, leucarum quadraginta ostio in mare fertur, adeo violentus, ut inde nautæ *dulces hauriant latices,* priusquam tellurem ex alto conspiciant. Si ad terram sanctæ Crucis pergis, ex ipsa cruce flumina tibi fluent aquæ vivæ et suavis, nulla mundi salsedine corrumpendæ: nec deerit fluvius argenteus, et quidem sine solita avarorum amaritudine.

45. Vers. 12.

Ut plures terras fœcundaret Iordanis, in varios rivos effusus illas irrigabat. Hinc additur vers. 12. RIVOS EIUS INEBRIA, MULTIPLICA GENIMINA EIUS: IN STILLICIDIIS EIUS LÆTABITUR GERMINANS, terra scilicet promissionis; τὸ *eius* varie sumitur. Sensus enim est, q. d. Iordanis fluvii rivos, et alveos, per quos deducitur, inebria, aquis abundantibus illos implens: multiplica genimina, id est fruges et fructus *eius* terræ: in stillicidiis *eius* fluvii Iordanis: id est in tenuissimis rivis et canalibus, supra et intra agros sese instillantibus et guttatim infundentibus, lætabitur germinans; id est gramina, segetes, et arbores fundens terra.

Secundo, et melius, τὸ *eius* semper ad terram referendum est. Cum enim esset dictum: *Quoniam ita est præparatio eius,* terræ scilicet, subiungitur, *Rivos eius inebria,* etc. Pro *rivos,* Hebr. est תלמים *thelamim,* id est *sulcos,* vertit S. Hieron. Felix, Pagn. et legit S. August. 2. porcas, ut vertit Mercerus; 3. liras, ut Arias.

Lira et porca.

Sextus Pompeius Festus dicit, sulcos appellari, qua aratrum ducitur, vel sationis faciendæ causa, vel urbis condendæ, vel fossuram rectis lateribus, ubi arbores serantur. Sulcus itaque, est fossa illa oblonga, quæ inter arandum fit vomere, et in vitium cæterarumque arborum plantationibus fossa in longum ducta, in qua plantantur semina. Porcæ vero, ut ait idem appellantur rari sulci, qui ducuntur aquæ derivandæ gratia, ita dictæ quod porcant, id est prohibent aquam frumentis nocere: nam crebriores sulci, limi vocantur. Alii volunt, porcam in agro esse terram elevatam inter duos sulcos. Liras cum porcis confundit Columella. Sic enim ait lib. 11. cap. 2. Liras rustici vocant easdem porcas, cum sic aratum est, ut inter duos latius distantes sulcos medius cumulus siccam sedem fru-

mentis præbeat. Nonius vero Marcellus liram confundit cum sulco, ait enim liram esse fossam rectam in agro, in quam terræ uligo confluit.

Tropol. Deus inebriat sulcos seu rivos terræ, qui sunt humiliores reliqua terra. Humilitas enim ad se Dei gratias derivat. Delirat, id est a lira et sulco exorbitat, qui superbus est, et sic a se avertit aquas fœcundantes. Arabia Trogloditica sterilis est, ac deserta, et ob aquarum penuriam pene inculta, soloque commercio alitur. Zeilensis urbs aqua dulci prorsus caret, ut ait Sauut. lib. 12. atque advehi debet itinere dierum duorum. Talis est anima peccatis infecta. De iustis Deum laudantibus possis dicere cum Ioele Propheta, cap. 3. 18. *Per omnes rivos Iuda ibunt aquæ.* Iacobus Marchantius lib. 1. commentar. Flandriæ, pag. 133. tradit, quod fundus Ypræ urbis in Belgio dicitur esse plumbeus: quod pene infiniti plumbei canales, et aquæductus in eo fundo positi, publicis et privatis puteis aquas, ut Brugæ, subministrent, nullo alvi viscerumque detrimento: quod alibi medici aquis per plumbeos canales labentibus imputant. S. Athanasius et Eusebius *rivos* seu sulcos hic volunt esse profunditates cordium humanorum, quæ inebriatione gratiæ reddantur fertilia, proferantque multos iustitiæ fructus; opera quoque magistrorum, quos comparant cum nubibus, quæ stillas rorantes mittunt, hoc est notitiam et intellectum divinarum Scripturarum. Arnobius speciatim de Apostolis exponit. Rivos eius, inquit, inebriasti, ita ut cum esset hora diei tertia, illi ebrii putarentur, Act. 2. 13. De cæteris etiam Ecclesiæ Doctoribus explicat S. Greg. hom. 10. in Ezech. Sic enim ait sub finem: *Rivos eius inebrians multiplicans generationes eius, in stillicidiis suis lætabitur cum exorietur. Rivi quippe Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, qui terram nostri cordis infundunt. Sed cum inebriantur rivi, generationes Ecclesiæ multiplicantur: quia cum uberiorem gratiam spiritus prædicatores accipiunt, fidelium numerus augetur. Quæ sancta Ecclesia in suis stillicidiis lætatur. In stillicidio etenim aqua de tecto in terram vadit, quæ de cælo ceciderat in tectum. Tectum vero Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, qui nos intercedendo et admonitionibus muniendo protegunt. Sed quia illorum cor divinitus in prædicatione infunditur, quasi aqua de cælo venit in tectum. Quia vero nos eorum verbis irrigamur, quasi aqua de tecto defluit in terram. Sancta itaque Ecclesia dum exoritur, in stillicidiis suis lætatur: quia, cum in fide et bonis operibus nascitur, ea quæ accepit dona, considerat, et in verbis prædicantium exultat.* Ita Gregorius, qui non ita post initium homiliæ dixerat, eum bibere et non inebriari, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem, bibentium sensus mutari. Christus est mare immensum, ex quo omnia gratiarum et donorum flumina oriuntur: vel est flumen, aut lacus, ex quo rivi defluunt. Maffæus lib. 1. hist. Ind. pag. 13. Lacus, inquit, in interiore Æthiopia est ingens, *adinstar pelagi,* prorsus ut leucas centum in longitudinem patere dicatur: ex quo tres nobilissimi Africæ amnes, Nilus in mare internum, Cuama et Zaires in externum effluunt. A Christo omnia externa et interna proveniunt.

Apostoli sunt rivi gratiarum.

Lacus in Africa maximus.

46\. *Genimina* hic intelliguntur terræ fruges, fructus, arbores. Tropol. virtutes, in anima per gratiam Dei enascentes, et virorem suum ac fructum fundentes. Apoc. 22. 2. *Ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim per menses singulos reddens fructum suum: et folia ligni, ad sanitatem gentium.* Christus illud est lignum vitæ. Sancti etiam sic quodammodo vocari possunt, si ad ripam cælestis fluminis plantentur. De Christo ait S. Gregor. Thaumat. serm. de Annuntiatione Deiparæ: *Hæc,* Deipara scilicet, *semper vigens immortalitatis paradisus, in qua lignum vitæ plantatum, cunctis immortalitatis fructus suppeditat. Hæc virginum gloriatio, et matrum iubilatio.* De sanctis id afferre potes, quod de Basilio Imperatore refert Cedrenus fol. 461. Cum, ait, mater ex Macedonia illum misisset Byzantium, et quem laborum finem sortitus esset, desideraret cognoscere: dum animi angitur, in somnis imaginatur videre se in aula sua magnam plantam, cupresso similem, aureo trunco, ramis aureis, totam denique auro nitentem, et super hac filium suum Basilium considere. Ut evigilavit insomnium hoc mulieri cuidam religiosæ proposuit, ea bono ipsam animo esse iubet filii causa, coniiciensque insomnii vim eum Romanorum Imperatorem fore pronuntiat. Ita ipse Electos suos Deus volut aureas arbores fructus aureos et incorruptibiles producturas in suo viridario, id est in Ecclesia, servat, in cælum postea transferendas. Si quis ob peccata truncum se ac stipitem siccum sentit, non desperet, revirescere potest, et fructus fundere. Æneas Sylvius, postea Pius Papa II. cap. 6. hist. Bohemicæ, pag. 13. fabellam refert de Primislao III. Bohemorum duce, qui ex rustico eam dignitatem adeptus est Libussæ voluntate. Fingunt, ait, solutos eius boves elevatos in aera, et in altissimam speluncam demissos delituisse, nunquam postea visos; stimulum vero, quo boves urgebantur, terræ defixum *mox fronduisse,* ac tres coryli ramos emisisse: ex quo duo statim aruerunt, tertium in arborem eiusdem generis excrevisse. Addamus cum eodem Sylvio, Non recipio ad me veri istius periculum; apud auctores ista quærantur. Vidi tamen inter privilegia regni, litteras Caroli IV. Roman. Imperat. divi Sigismundi patris: in quibus hæc tamquam vera habentur: villæque illius incolæ, in qua hæc gesta creduntur, libertate donantur: nec plus tributi pendere iubentur, quam nucum illius arboris exiguam mensuram. Sed nec mihi Carolus fidem facit: hæc ipse prudenter. Sed qui ad cælum se per vota, et preces ex pœnitenti corde fusas, erexerit, is licet sterilis et siccus, flores et fructus Deo dignos fundet. His in terris ut plurimum sunt poma vel Sodomæ fallacia, vel Evæ lethifera, vel Eudoxiæ discordiarum semina. De pomo ab Eudoxia misso Paulino vide Cedrenum pag. 277. Mundum hunc etiam iure compares Æthiopiæ, de qua Petrus Davity in descriptione Africæ sic ait: in Æthiopia interiori tam multæ sunt locustæ, ut non segetes solum absumant, sed arbores etiam: tantaque copia modo in hanc, modo in illam regionem devolant, et aerem obscurant, ut nonnunquam viginti quinque milliarium spatio sol non videatur. In cælo autem arbores et prata grato semper virore vernant; et de ea regione, verius quam Aristides de quadam Græciæ civitate, dixeris: *Hic ver perpetuum.* Ibi sunt flores innumeri, qui hyemem non sentiant, quales Theophilo missi sunt a S. Dorothea: ex iis coronæ Sanctorum fiunt. Hoc ut declarent, coronati apparent. Harigerus Abbas Lobiensis, cap. 15. de Gestis Pontificum Tungr. Traiect. et Leodiens. pag. 19. sic ait: S. Eucherius et Valerius S. Materno Episcopo Trevirensi apparent sacerdotalibus infulis coruscantes, *coronas singulas rosis ac liliis, et diversarum specierum gemmis mirabili arte intertextas gestantes,* tertiamque consimilem manibus protendentes, atque dicentes: Materne frater, sicut iam ante promissum nostrum habueras, ante diem tuæ dormitionis visitandi gratia ad te venimus, prænuntiantes te die tertia corpus hoc reiicturum, et ad inenarrabilia Domini tui gaudia introiturum. En certe præmii tui incorruptibilem coronam a paradiso perpetuæ amœnitatis a Christo tibi per nos transmissam, *cuius flos nunquam marescit, cuius odor nunquam a suavitate deficit, cuius perseverantia finem non novit,* quam post vitæ huius corruptionem incorruptibiliter possidebis, et in consortio regis æterni, cum eo laureatus æternaliter perseverabis, his dictis disparuerunt: ita Harigerus. Eadem nobis corona offertur: ne manum et caput subducamus.

Visio notabilis arboris aureæ.

Stimuli boum frondentes.

Locustæ multæ in Æthiopia.

In terra perpetuis floribus et fructibus redundante, lætitia habitat. Hinc adiungitur a Davido, *In stillicidiis eius lætabitur germinans,* homo scilicet iustus, qui est terra sancta, et alter paradisus. Si vis lætari, germina, et in virtutibus cresce. S. Hilar. in Psal. nostr. *Est nobis,* ait, *per Sacramentum baptismi renatis maximum gaudium: cum quædam in nobis Spiritus sancti initia sentimus, cum* 47.

Lætitia in cælo.

subeat nos Sacramentorum intelligentia, prophetiæ scientia, sermo sapientiæ, spei firmitas, sanationum charismata, et in dæmonia subiecta dominatus. Hæc enim tamquam stillicidia nos penetrant, quæ paulatim cœpta fructu multiplici exuberant. In his ergo stillicidiis, cum exorietur, terra lætabitur. Sed stillicidia multiplicantur, ut rivi autem inebrientur, ut flumina sint.

In cælo fluvius est lætitiæ. Ieremias Thren. 2. 15. vocat Ierusalem, urbem perfecti decoris, *gaudium universæ terræ.* Septuag. coronam lætitiæ. Chald. pulchritudinem gaudii. Hoc de Ierusalem cælesti verum est, quam fluvius lætificans ex omni parte circumfluit. Ælianus l. 3. var. histor. cap. 18. fol. 101. ex Theopompo refert: Silenum Midæ dixisse, Europam, Asiam, et Lybiam insulas esse, quas circumcirca Oceanus circumfluat. Continentem vero, extra hunc mundum existere, καὶ τὸ μέγεθος αὐτῆς ἄπειρον, et magnitudinem eius infinitam et immensam esse. In urbe, quæ εὐσεβὴς, id est pia dicatur, incolas vivere γελῶντας μάλα καὶ ἡδομένους, in suavissimo risu et voluptate, deosque cum illis commorari. Addit homines aliquos nomine Meropes, in illis locis habitare multas, magnasque civitates. In finibus autem regionis illorum, locum esse, et nominari ἄνοστον, id est, irremeabilem, similem voragini et hiatui: neque vero tenebris, neque lumine insignem, sed aerem impendere obscuro quodam rubore permistum. In eo loco duos fluvios labi, *alterum voluptatis, alterum tristitiæ:* et ad utrumque arbores sitas esse magnitudine platani magnæ. Quæ ad flumen tristitiæ sunt, eiusmodi naturæ ac potestatis fructus producere: si quis iis vescatur, cum tantum eicere lacrymarum, ut per universæ vitæ reliquum tempus fletibus luctibusque diffluat, et sic vitam finiat. Alteras vero, quæ fluvio voluptatis agnoscuntur, fructum contrarium ferre: qui enim gustat, ab omnibus pristinis cupiditatibus abducitur: et si quem amavit, in eius oblivionem venit, atque paulatim fit iunior, et præcedentem ætatem iamque transactam retro agit et resumit: abiecta enim senectute ad vigorem ætatis revertitur, deinde adolescentiam induit, tum pueritiam, postremo fit infans, et sic denique expirat: ita Ælianus. In cælo solum est fluvius æternæ lætitiæ, et vita semper vigens atque æterna.

Fluvius lætitiæ et tristitiæ.

Hac in terra sublunari sunt stillicidia, in quibus guttatim fluunt et bibuntur gratiæ et dona Dei, in cælesti terra sunt plena flumina vini, lactis, nectaris. S. August. in Ps. nostr. *Lætetur,* inquit, *in stillicidiis suis cum exorietur, augeatur, et roboretur, et capiet sapientiam, quomodo infans nutritur lacte, et fit idoneus cibo: tamen primo de ipso cibo cui minus idoneus erat, illi lac factum est.* Maffæus lib. 2. histor. Ind. pag. 46. ait, Cerigonum catulos non avelli a mamma, donec ambulare valeant. In Cerigonibus, inquit, illud mirum: ex eius animantis alvo duæ dependent veluti manticæ: in his catulos circumfert, et quidem adeo pertinaciter suo quemquo uberi affixos, ut a perpetuo suctu non avellantur, antequam ad pastum ipsi per se progredi valeant. Beati in cælis tota æternitate Deo intime uniti ab eius uberibus nunquam discedent, immensa lætitia semper satiati. Cerigones porro sunt animalia buxeo colore, vulpeculæ magnitudine.

Cerigonum catuli mammis affixi.

48. Vers. 13. 1. Pars. Annus benignitatis, quis.

Ne arboribus, floribus, segetibus atque uvis timeamus, addunt captivi redituri in patriam, vers. 13. BENEDICES (id est benefacies. Benedictio enim Dei est efficax) CORONÆ ANNI BENIGNITATIS TUÆ: ET CAMPI TUI REPLEBUNTUR UBERTATE. *Annus benignitatis* est Primo, quivis annus fertilis, in quo Deus benignitatem suam erga populum
1. declarat. Secundo, *annus benignitatis* est annus remissio-
2. nis: septimus scilicet, quo terra non colebatur, nec vites, et quo servi exibant liberi: item annus quinquagesimus, qui erat annus Iubilæi, in quo et servi donabantur libertate, et terra quiescebat, et omnes redibant ad suas possessiones, quas vendiderant. Sensus itaque est, q. d. Benedictione complebis coronam, id est totum circulum, anni remissionis: ideo, licet nec seramus, nec metamus, nihil nobis deerit ad vitam sustentandam necessarium.

A Tertio et optime, *annus benignitatis* est annus, quo egrediebantur e Babylone per Cyrum liberati. Dum enim læti egrederentur, sub initium anni sacri, mense Nisan: id est, mense Martio, a quo incipiebat annus sacer, prædicuut totum illum annum fore fertilitate sua illis commodum: ita ut sine difficultate vivere possent, in terra promissionis, ad quam pergebant. S. Hieron. reddit, *Volvetur annus in bonitate tua.* 3. Et optime.

Alleg. Corona anni benignitatis divinæ, est tota vita Christi. Ut enim ait S. Paulus Tit. 3. 4. *Cum autem benignitas et humanitas,* φιλανθρωπία, id est, amor singularis in homines, *apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ,* id est, non ex merito operum nostrorum, *quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti:* per gratiam scilicet, qua nos renovat. Corona illius anni est Primo, totus circulus vitæ Christi, qui semper victor extitit. Secundo, est corona spinea. Tertio, est corona gloriæ, qua coronatus est in Resurrectione et A-
B scensione. Quarto denique, est missio Spiritus sancti, quo coronavit Apostolos: sedit enim super capita singulorum, in figura linguarum ignearum. S. Ambr. lib. de institutione virginis, cap. 15. *Quis est,* ait, *annus Dominicæ bonitatis, nisi ille, de quo Scriptura dicit: Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adiuvi te: quando populorum fide Ecclesiam fœcundavit, iustitia induit sacerdotes? Unde et Apostolus dicit* 2. *Corinth.* 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quando venit Dominus prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. Sicut in Evangelio suo ipse memoravit, dicens: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, etc. Tunc ergo Dominus operibus suis, et gloria et honore sui tempus coronavit adventus. Totus enim ille annus conversationis eius in hoc mundo, diversarum habuit certamina passionum. Vicit Herodem parvulus, de quo in passione infantium triumphavit. Esurivit, sitivit, pro nobis vapulavit, pro nobis contumeliarum indigna toleravit, crucem ascen-*
C *dit, mortuus est pro nobis.* 49. Allegor.

Secundo, *annus benignitatis* divinæ, est tempus legis evangelicæ. Nam primo datur in illo gratia abundantior. Secundo, remissio peccatorum est facilior per sacramenta. Tertio, pacatior est atque fœcundior mundi status, ut alias ostendi, et probat Thomas Bozius lib. 15. de signis Ecclesiæ cap. 17. et 18. ac lib. 20. cap. 3. et lib. 22. cap. 1. et 6. Arabs hic vertit: *Benedixisti coronæ anni gratia tua.*

Tropol. *Annus benignitatis* divinæ, est vita cuiuslibet Sancti, donis cælestibus cumulata: corona illius anni, est remuneratio, quæ datur in die iudicii. S. Gregor. 4. Mor. cap. 18. vel 22. *Illuminationis nostræ,* ait, *annus tunc perficitur, quando apparente æterno iudice sanctæ Ecclesiæ peregrinationis suæ vitæ completur. Tunc laboris sui remunerationem recipit, cum expleto hoc belli tempore ad patriam redit. Unde bene per Prophetam dicitur: Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. Quasi enim corona anni*
D *benedicitur, cum finito laboris tempore virtutum remuneratio confertur. Dies vero huius anni sunt singulæ quæque virtutes. Menses autem, multiplicia facta virtutum.* 50. Tropol.

Symbol. *Annus benignitatis* divinæ, est annus Iubilæi in lege gratiæ: in eo enim benignitatem suam ostendit Deus, per relaxationem culpæ in Sacramento pœnitentiæ, ad quod frequentius et ardentius accurritur, et per relaxationem pœnæ indulgentiam plenariam concedendo: item annus benignitatis est, quia maior datur potestas singulis sacerdotibus absolvendi a reservatis peccatis et pene, ab omnibus votis; 1. campi, id est, viri iusti, replentur ubertate bonorum operum; 2. *deserta,* id est, peccatores gratia destituti, pinguescunt rore cælesti; 3. colles, id est Sacerdotes et Prælati ecclesiastici exultatione accinguntur, ob accedentem ad se cum lætitia atque pietate turbam populorum, et se ex omni parte cingentem; 4. *arietes ovium,* id est, divites, nobiles ac duces plebis induuntur viscera misericordiæ, et lanam mansuetudinis, atque cæ-

terarum virtutum; 5. *valles*, id est, pauperes abundant frumento, ob copiosiores eleemosynas. Vel, valles, id est humiles, abundant frumento, id est, eucharistico cibo; 6. omnes vero clamant, et hymnum dicunt benefactori suo.

51. Anagog. præsertim, *annus benignitatis* divinæ, est electorum felix æternitas. De illo anno recte dicatur, ut vertit Chald. *Coronasti annum bonitate benedictionis tuæ*. R. Isaias Tranensis explicat, q. d. Annum illum, quem benedicere intendis tuo magno bono, benedictione coronas.

Annus unde dictus. Nota, corona anno tribuitur, quod in circuitum perpetuum volvatur. Annus enim, ut Varro apud Cyraldum interpretatur, velut parvi circuli annuli: sic, magni circites anni dicebantur. Hinc et Servius ab annulo dictum annum existimavit, qui et Ægyptios ait ante litterarum usum, angue caudam suam mordente, annum effinxisse, Attius vero Capito annum a circuitu temporis dictum ait; quia veteres *am* pro *circum* ponere solebant. Græci ενιαυτον vocant, παρα το εν αυτω ιεναι, *quod in seipsum redeat*. Hebr. שנה *sciana* appellant a mutatione, seu revolutione.

Annus magnus. Rad. שנה *sciana*, mutavit, iteravit. Annus æternitatis *magnus annus* est, de quo apud auctores tanta dissensio est. Aristoteles hunc annum maximum potius quam magnum vocavit, quem solis et lunæ, vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt: cum ad idem signum, ubi quondam simul fuerunt, una referuntur. Quod idem fere M. Tullius in lib. de fin. bon. et mal. dicit; et in lib. 6. de Republ. ex persona Scipionis sic loquitur: *Homines annum tantum solis, id est unius astri reditu metiuntur: re autem ipsa, cum ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint: eamdemque totius cæli descriptionem longis intervallis retulerint, tunc ille vere vertens annus appellari potest*. Hunc autem, ut Macrobius scribit, fieri Physici volunt post annos 15. mille peractos, mundanusque annus nominatur. Plato autem in Timæo perfectum appellat. Hunc annum Aristarchus putavit esse annorum vertentium duum millium quadringentorum octoginta quatuor, Aretes Dyrrachinus quinque millium quingentorum quinquaginta duorum, Herodotus et Linus decem millium octingentorum, Dion tredecim millium nongentorum octoginta quatuor, Orpheus centum viginti, Cassandrus tricies sexies centum millium, Tullius duodecim millium nongentorum quinquaginta quatuor, Iosephus Hebræus lib. 6. Antiq. sexcentorum tantum, Iulius, qui et Vilius Firmicus mille nongentorum sexaginta, et unius anni circuitu terminavit. Sunt, qui cum phœnicis avis vita eius anni conversionem fieri scribant. Alii *infinitum esse*, nec in se reverti unquam putaverunt. Æternitas autem est interminabilis vitæ tota simul et individua possessio.

Ut probent captivi annum, quo redituri erant in patriam, esse a Deo benedicendum, dicunt id eventurum ubique: nempe in campis, desertis, collibus, vallibus, et pecoribus.

52. Vers. 13. 2. Pars. Ac primo, in agris dicit fore abundantiam segetum, v. eod. 13. Et campi tui replebuntur ubertate. Pro *campi*, Hebr. est מעגליך *magalim*, id est cæli; 2. vestigia; 3. orbitariæ; 4. vituli. Hinc Pagn. vertit: *Cæli tui stillaverunt pinguedinem*, id est pluviam, ex qua oritur pinguedo. Secundo, S. Hieron. reddit: *Vestigia tua rorabunt pinguedine*. Sic fingeretur Deus sedens in nubibus, et ambulans super pennas ventorum: ex cuius pedibus, aut loco pedibus eius calcato, ros pinguefaciens agros defluat. Tertio, Arias habet: *Orbitæ tuæ stillabunt pinguedinem*: curru vehitur Deus, felicius quam Triptolemus a Cerere artem agriculturæ edoctus, et eam varios populos docens: et agros omnes fœcundat, quos percurrit. Campensis vertit: *Orbitæ currus tui pinguedine stillant*. Vel quocumque iveris, apparebunt in vestigiis tuis signa fertilitatis maximæ. Sed quia *magalim* sunt viæ plaustro vel aratro factæ, ideo Sept. et Noster recte verterunt: *Campi tui replebuntur ubertate*. Syrus autem, qui vertit, *Vituli tui saturabuntur herba*, pro *magalim* legerat *agalim*, id est vituli.

53. Tropolog. *Campi* sunt Primo, Iudæi sub lege et cultura Dei bonis operibus fœcundi: ita S. Hilarius. Secundo, Iansenius per campos intelligit particulares Ecclesias, et singulas fidelium animas. Ugo, iustos, qui suscipiunt semen verbi Dei, et pluviam gratiæ. Tertio denique, Euthymius campos ait, esse humiles, nihil sublime cogitantes. Hos campos colit Deus. Ioan. 15. 1. *Pater meus agricola est*. Imperator Monomotapæ in Africa, ut plurimum gestat cingulo suo appensum ligonem cum manubrio eburneo, et manu duo tela; ut intelligant subditi, per ligonem agriculturæ curam ipsi esse: per telum vero unum, sciant ipsi potestatem esse sceleratos puniendi: per alterum telum, bonos ab hostibus protegendi. Osor. lib. 4. Sanut. lib. 12. In regione Tigral apud Abassinos terra bis in anno fert fructus, ut ait Petrus Davity in Africæ descriptione, fol. 491. Goromæ regio ibi tam fertilis est, ut dum messores segetem colligunt, alii sementem iniiciant sine ulla alia cultura, ut tradit Petrus du Iarric. lib. 5. cap. 21. Deus vero efficit, ut perpetuo fructus ferat anima iusti, et ipse vicissim continuos ei rores effundat. S. August. serm. de communi vita clericor. de se et religiosis secum vescentibus agens, dicit: *Commune nobis erat magnum et uberrimum prædium ipse Deus*. In cælo id erit longe verius; est enim terra lacte et melle iugiter manans. Exploratores terræ promissionis ad populum suum reduces dicebant, Num 13. 28. *Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potest*. Dicamus id, quod longe postea dixerunt exploratores tribus Dan, qui missi ad explorandam terram, ut fines suos extenderent, inventa urbe Lais, cuius territorium erat optimum, ad suos redierunt, et dixerunt, Iudicum 18. 9. *Surgite, ascendamus ad eos: vidimus enim terram valde opulentam et uberem: nolite negligere, nolite cessare: eamus, et possideamus eam, nullus erit labor*.

Monomotapæ regis habitus notabilis.

Regiones fertiles in Abassia.

Secundo, deserta ipsa terræ promissionis, veruatura, verbis et floribus, dicunt captivi, vers. 14. Pinguescent speciosa deserti, et exultatione colles accingentur. Pro *speciosa* in quibusdam codicibus est ωραια, id est spatiosa: in emendatis Bibliis habetur ορη, id est montes. Æthiopicum etiam psalterium habet, *montes*. S. Hilar. S. Aug. S. Ambr. *fines*, quasi legerint ορια, id est fines. Hebr. נאות *neoth* significat, Primo habitacula. Hinc Felix vertit, stillabunt habitacula deserti. Campens. habitacula deserti ubertate perfruentur. Secundo, *neoth* significat pascua. S. Hieronym. Pinguescent pascua deserti. Proprie *neoth* significat habitacula, seu pascua speciosa et amœna. Itaque recte vertit Noster, pinguescent speciosa deserti. Chald. dulcescant laudabilia deserti. 54. Vers. 14. 1. Pars.

Desertum.

Tropol. *desertum* sunt gentiles non seminati verbo Dei. Ita S. Augustinus: *Fines deserti*, ait, *omnes gentes. Quare fines deserti? Deserti erant, nullus ad eos propheta missus erat. Sic erant illi quomodo eremus, qua non transit homo. Nullum verbum Dei missum erat ad gentes, soli populo Israel prædicaverant Prophetæ*. Secundo, desertum erant peccatores omnes, gratia Dei destituti. Tertio, desertum erat cælum ante Christi adventum; quia nullus ibi erat hominum. Unde dicitur Luc. 15. 4. *Dimittit nonaginta novem in deserto*. Quarto denique, desertum est domus religiosa, in quam se recipiunt qui mundum deserunt, et in quo non recipiuntur vanitates tumultuosæ sæcularium. Illud desertum est cæleste. Petr. Blesensis epist. 13. *Si paradisus*, inquit, *in vita præsenti est, in claustro est*. Quidam alius dicit: Meritorium animarum est solitudo, castra Domini exercituum est solitudo, sagena ad capiendos cibos est solitudo, paradisus deliciarum est solitudo, gymnasium est cælestis philosophiæ solitudo. Quid amplius? Deambulatorium Dei est solitudo. De anima religiosa iure dixeris illud Isaiæ 35. 1. *Lætabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium, germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans*.

Domus religiosæ laus.

Tertio, colles gramine, floribus, vitibus, et arboribus in Iudæa patria sua vestiendos dicunt captivi v. 14. Et exultatione colles accingentur: id est, ex omni parte vestientur colles exultatione; hoc est, herbis, floribus, vi- 55. Vers. 14. 2. Pars.

tibus, et arboribus exultantibus, et aspectu suo exultare facientibus incolas regionis. Est metonymia: ponitur enim actus pro obiecto. Magnetius vertit: *Exilient læto vestiti gramine colles.* Sic prata dicuntur ridere. Olaus lib. 2.
Mons amœnus in Vestrogothia. cap. 20. f. 22. Mons est, inquit, eminentissimus, inter Vestrogothos non longe a lacu Vener, vulgari gentis sermone Kindakulle dictus, tantæ altitudinis, ut a longe navigantibus ultra quadraginta milliaria Italica in eodem lacu, quasi atra nubes, inter cæli hiatus appareat. Ideoque multi tempestatibus, vique ventorum agitati, summis viribus conantur eius pedem attingere, ubi tranquillissimum portum adesse noverunt. In huius montis summitate, ea amœnitas frondium, herbarum, fructuum diversarum arborum, excepta vite, suapte sponte nascentium non raritate magis quam suavitate, velut satarum aut plantarum, reperitur, ut vix delectabilior in tota Septemtrionali plaga investigari possit, aut inveniri. *Illic suavitas inenarrabilis*, etiam concentu variarum avium multiplicata. Senibus paucis notum ait locum illum esse, neque iuvenibus ostendendum, ne voluptati et otio se dedant. Colles vero, et montes æternos, omnibus ostentat Deus, in quibus est portus securitas, et summa amœnitas, sed purissima. Ier. 3. 19. ait: *Tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram.* Chald. vertit, hæreditatem lætitiæ. De illius montis pinguedine dicam Ps. 67. 15. In psalmo nostro vertit Arabs, *proferent montes gloriam, et colles*
56. Cantus triumphalis in monte. *exultationem.* Quam in rem afferri potest, quod memorat Clemens Alexandr. lib. 6. Strom. fol. 455. Qui, ait, composuere Persica, in locis quæ in Magorum regione sunt eminentiora, referunt tres montes in longissimo campo ordine sitos: eos autem qui locum transmittunt, cum ad primum quidem montem pervenerint, confusam audire vocem, non secus quam si millia hominum clamorem ederent in acie. Ad medium autem ubi est perventum, maiorem simul et evidentiorem strepitum percipere: tandem autem, παιωνιζόντων ἀκούειν, ὡς νενικηκότων, *audire in fine canentes pæana, perinde ac si vicissent.* Cuiusvis autem soni causa est, ut censeo, et locorum lævitas et concavitas: ita Clemens. Per colles Berengosius Abbas lib. de mysterio ligni dominici, intelligit excellentiores sanctos. S. Hilarius hoc loco martyres cæteris celsiores. Quod adhuc commodius erit, si pro collibus legas, montes. Hi montes exultatione accingentur. Dicitur enim Ps. 149. 5. *Exultabunt sancti in gloria.*

57. Vers. 15. 1. Pars. Quarto, pecora opima futura in Iudæa, patria sua, prædicunt captivi et Babylone exituri, v. 15. INDUTI SUNT (id est induentur. Præteritum pro futuro ponitur ob certitudinem eventus) ARIETES OVIUM, ET VALLES ABUNDABUNT FRUMENTO: CLAMABUNT, ETENIM HYMNUM DICENT. Pro *arietes*, Hebr. est כרים *carim*, id est pascua, campi; 2. agnus; 3. aries, vervex. Hinc Pagn. vertit, induerunt se pascua pecudibus. Arias, induerunt se campi pecore. Secundo, S. Hieronymus, vestientur agnis greges. Tertio et optime, Sept. et Noster, induti sunt arietes ovium. Est autem synecdoche: nam per arietes, qui sunt duces ovium, intelligitur totum pecus: imo et capræ, aliaque animalia; tum minuta, tum grandia.

Sensus porro est Primo, q. d. *Induti sunt arietes ovium*, id est multiplicatis ovibus vestiti sunt arietes, sive agni, qui pauci antea erant: ita Bellarminus. Arietes, ait Petavius, ovibus circumdati frequentibus ferentur ad pascua.

Secundo, simplicius et melius sensus est, q. d. Propter opima pascua arietes duces gregis ovium erunt induti optimo vellere, et plurimo. Bonitas enim pascuorum dat copiam et bonitatem velleris. Nec valet, quod dicit Bellarminus, in Hebræo esse, *agni pecore, sive ove induti sunt:* non vero, *arietes ovium:* Non valet inquam: nam *tson* verti potest et *ovis* et *ovium*, vel *pecoris.* Sæpe enim Hebræi numeros mutant: et pro singulari usurpant pluralem, et contra.

Anagog. Arietes induti sunt Patriarchæ, Prophetæ et Apostoli, vestiti stola immortalitis, et lumine gloriæ. S. Hilarius: *Cum*, ait, *arietes ovium induentur, æterna illa et beata Patriarcharum, et Prophetarum, et Apostolorum, qui duces gregis sancti sunt, vestis ostenditur, de qua ait beatus Apostolus Paulus* 1. *Corinth.* 5. 2. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem. Et iterum* 2. *Corinth.* 5. 4. *In quo nolumus dispoliari, sed superindui, ut absorbeatur hoc mortale a vita. Hoc ergo indumento arietes ovium induuntur, et gloriosæ immortalitatis habitu vestiuntur:* ita Hilarius. Quam iucundus erit conspectus sanctorum omnium amœnam illam cæli regionem agminatim decurrentium: cum hi purpureis, illi candidis, alii cæruleis omnisque coloris cohortibus per iucundissimas planities, colles et montes ferentur. Illustrari hoc potest facto Prœci, de quo Constantinus Porphyrogenita lib. 1. de Thematibus in themate 12. dicto Lycandus, ubi sic loquitur: Cum Constantinus Imperat. potitus Romano imperio, Asiæ minoris partes obiret, Lycandum pervenit, ubi Thomas Prœcus eius urbis pecoris ditissimus illi *decem millia ovium* coloribus inter se discrepantia obtulit, mille nigras, mille albas, mille coloris mustellini, totidem flavas, totidem variegatas, totidem rubras, totidem auri speciem referentes, et rutilanti vellere totidem, cuiusmodi ferunt illud celeberrimum aureum vellus, et simpliciter decem chiliades diversi coloris. Quod miratus Imperat. iussit hæc iocans inscribi in urbis ambitu: Τι Κωνσταντινούπολις; τι Λυκανδος; τι Θωμᾶς Προοικος; τι Βασιλεύς; Quid Constantinopolis? quid Licandus? quid Thomas Prœcus? quid Imperator; quasi hæc inter se æqualia diceret. Christo assignat rubrum indumentum Isaias cap. 63. 2. Sanctis dat stolas, id est vestes albas, S. Ioannes Apoc. 7. 13. De Ecclesia militante, ut explicat Beda, dicit Salomon Prov. 31. 21. *Omnes domestici eius, vestiti sunt duplicibus.* Chald. vertit, coccino, id est vestibus coccineis et pretiosis. Quid dicetur de Ecclesia triumphante, quæ est mulier non solum fortis, sed victrix et sponsa Christi æterna? Nunc variegatas vestes sumere debemus. S. Paulus Col. 3. 12. *Induite vos sicut electi Sancti et dilecti Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis:* sicut oves dant lanam suam, et non recordantur sibi factæ iniuriæ. Si has vestes usque in finem serves, admitteris in ovile Dei. Vide Ps. 131. 9. in illud: *Sacerdotes tui induantur iustitiam.*

Prœci grex mirabilis.

Quinto, valles fore opimas dicunt captivi, v. eod. 15. ET VALLES (S. Hilar. et S. Aug. *convalles*) ABUNDABUNT FRUMENTO: omnis enim terræ pinguedo, et pluviæ, e montibus et collibus defluunt in valles. Tropol. Valles sunt animæ humiles. *Convalles*, ait S. Aug. *abundabunt frumento, et humiles populi multum fructum afferent.* S. Bernardus ad suam Claram vallem alludens, aut eam laudans, sparsim de vallis laudibus agit. Et quidem serm. de S. Benedicto: *Ubi*, ait, *sunt decursus aquarum? profecto in vallibus: quia inter medium montium pertransibunt aquæ. Quis enim non videat etiam torrentes montium ardua declinare, et mediam ad humilitatem semper divertere vallis? Sic profecto, sic Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Securus hic fige pedem, quicumque es iumentum Christi: super hunc ramum innitere, semitam vallis incede. Nimirum in monte sibi sedem constituit serpens antiquus, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro: propterea vallem magis elige ad ambulandum, vallem elige ad plantandum. Neque enim vel in serendis arboribus montana solemus eligere, quod frequenter arida sunt et petrosa. In vallibus pinguedo est, ibi proficiunt plantæ, ibi plena spica, ibi centesimus oritur fructus, iuxta illud: Et valles abundabunt frumento.* 58. Vers. 15. 2. Pars. Vallis laus.

Humilitas huius vitæ dat gloriam æternam in alia. Prov. 29. 23. *Superbiam sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipit gloria.* Chald. vertit, Humiliter autem sentientes firmat gloria Dominus. Arabum vetus est parœmia, quæ habetur Centur. 1. Prov. Arabicor. num. 30. *Esto in pueritia tua humilis, ut sis in senectute tua exaltatus.*

Omnia denique laudem Dei concinunt. Unde addunt captivi, v. eod. 15. CLAMABUNT ETENIM (S. Hier. et Felix 59. Vers. 15. 3. Pars.

et Flamin. atque. Pagn. etiam. Euthym. et Niceph. notant A γάρ, id est *etenim* redundare. Hebr. אף *aph* sæpe est encliticum, ac redundat) HYMNUM DICENT. Sed quinam? Homines, ut ait Lorinus, cum dictum sit initio, *Te decet hymnus Deus in Sion.* Sed hoc est remotius. Secundo et melius, clamor et cantus hymnorum tribuitur vallibus, arictibus, collibus, desertis campis. Est prosopopœia. Sic Ps. 18. 1. dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei;* et Ps. 148. invitantur ad laudandum Deum montes, colles, ligna fructifera, cedri, bestiæ, universa pecora, serpentes et volucres pennatæ. Clamores etiam et laudationem vallium, collium et deserti possis quodammodo transferre ad aves ibi Deum laudantes suis cantibus. Hieronymus Rorarius Exlegatus Pontificius, qui libris duobus probare contendit, animalia bruta ratione uti melius homine, rem notabilem refert de psittaco recitante symboli Apostolorum

Mira de psittacis. partem. Narrabat, inquit, Iacobus Bannisius: cui, quemadmodum nosti, vel dicenti, vel scribenti in primis fides habebatur: vidisse apud Hispanum mercatorem Antuerpiæ psittacum, qui Latine salutanti Latine redderet salutem: multaque Hispana, multa Belgica lingua proferret: illud erat præcipuum quod cum Christianæ fidei symbolum exprimere vellet, nullum intermittebat verbum usque ad illud, et in unum Dominum Iesum Christum: si quis verbum interposuisset, omisso illo, sequens nectebat, alternis verbis dicere contendens: velut si *Credo in unum Deum* quispiam dixisset, subiungebat psittacus, *patrem omnipotentem:* dixisset ille, *factorem cæli et terræ,* addebat psittacus. *visibilium et invisibilium.* Ita Rorarius, qui subnectit, Venetiis fuisse psittacum, qui, quæ dominam perperam agere viderat, repetenti domum marito sedulo nun-

Lusciniæ et turdi loquentes. tiabat. Titum atque Domitianum habuisse luscinias doctas Græce et Latine. Plin. lib. 10. cap. 42. sic ait: *Agrippina coniux Claudii Cæsaris* (mater Neronis) *turdum habuit* (*quod nunquam ante*) *imitantem sermones hominum, cum hæc proderem. Habebant et Cæsares iuvenes sturnum, item luscinias Græco atque Latino sermone dociles: præterea meditantes in diem, et assidue nova loquentes, longiore etiam contextu:* ita Plin. Dicebat Melampodes, draconem quemdam aures lambendo, intelligentiam sibi sermonis avium dedisse: Democritus quoque asserebat, aves esse, quarum confuso e sanguine serpens gigneretur: quem si quis gustasset, intellecturus esset avium colloquia. Nugas illi narrabant: vis voces avium nosse, Deum laudant. In anima ipsa creatorem suum prædicant. Clemens Alex. lib. 6. Str. dicit, in Britannia insula esse quamdam speluncam monti subiectam, in fastigio autem hiatum: cum autem ventus in speluncam incidit, et in fossæ sinu alliditur, *audiri sonum cymbalorum,* quæ numerosa pulsantur. Sæpe autem cum in sylvis quoque moventur folia, per repentinum et densum spiritus impetum, ὀρνίθων ᾠδῇ παραπλήσιος προσπίπτει ἦχος, *editur sonus avium cantui similis.* Spiritu sancto afflati, Deum laudant, ut decet.

Tropol. et Anagog. valles, id est humiles: colles, id 60.
est Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, contemplatione sublimes Sancti: deserta, hoc est Religiosi, aliique Deum lau- B dabunt hic, et in tota æternitate. Ps. 83. 5. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* De S. Francisco ait S. Bonaventura lib. 1. vitæ eius, cap. 9. cum instar citharæ cælestis Deum laudasse iugiter. Verba eius sunt: *Totus quasi quidam carbo ignitus divini amoris flamma videbatur absorptus. Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecæ chorda cordis interior tangeretur. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, et per impressa rebus vestigia prosequebatur ubique dilectum: de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum. qui est desiderabilis totus. Inauditæ namque devotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tamquam in rivulis degustabat.* B. Iacoponus dicebat, beatitudinem huius vitæ, in eo positam esse, ut quis cum Deo, vel de Deo, assidua tractet. Si vis ergo beatus esse, os tuum et cor tuum Deo trade creatori et benefactori tuo.

PSALMUS SEXAGESIMUS QUINTUS.

1. IN FINEM, CANTICUM PSALMI RESURRECTIONIS.

2. IUBILATE Deo, omnis terra, Psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.
3. Dicite Deo: quam terribilia sunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.
4. Omnis terra adoret te, et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.
5. Venite, et videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum.
6. Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso.
7. Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt: qui exasperant non exaltentur in semetipsis.
8. Benedicite gentes Deum nostrum: et auditam facite vocem laudis eius.
9. Qui posuit animam meam ad vitam: et non dedit in commotionem pedes meos.
10. Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.
11. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra.
12. Transivimus per ignem et aquam: et eduxisti nos in refrigerium.
13. Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.
14. Et locutum est os meum, in tribulatione mea.
15. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.
16. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.
17. Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.
18. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.
19. Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ.
20. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

PSALMI SEXAGESIMI QUINTI ANALYSIS.

Christus ob resurrectionem suam, summa lætitia exultans:

- Nationes omnes invitat ad gratias Deo agendas, 2.
  - Voce non articula, cum iubilo. 2.
  - Instrumentis musicis, cum psalmo. 2.
  - Oratione panegyrica, cum laude Dei, 3. ob
    - Trepidationem hostium. 3.
    - Adorationem amicorum. 4.
    - Exultationem omnium hominum. 4.
  - Mente cum admiratione operum et consiliorum Dei. 5.
- Causam exponit gratiarum actionis, 6. ob
  - Beneficia concessa Iudæis,
    - In transitu maris rubri. 6.
    - Et Iordanis. 6.
  - Et beneficia data Gentibus,
    - Quas præ Iudæis elegit. 7.
    - Et donis cumulat. 8.
  - Ac sibi
    - A morte resuscitato. 9.
    - Et in passione confortato. 9.
  - Et electis omnibus, qui
    - Igne probati, instar argenti. 10.
    - Laqueo detenti, instar avis. 11.
    - Oneribus oppressi, ut iumenta. 11.
    - Gravati et in terram deiecti, ut servi. 11.
    - Tribulatione varia cruciati, ut omnium peripsema. 12.
- Et gratias agit, ac
  - Victimas pollicetur
    - Spontaneas. 13.
    - Voto promissas. 13. 14.
      - Arietes. 15.
      - Boves. 15.
      - Hircos. 15.
  - Gentes omnes advocat, ut videant, 16.
    - Dona sibi collata:
      - Orationem ferventem. 17.
      - Deum laudantem. 17.
      - Cum puritate cordis factam. 18.
      - Exauditionem orationis. 19.
    - Gratum animum suum, 20.
      - Ob perseverantiam sibi datam in oratione. 20.
      - Et misericordiam Dei sibi conservatam. 20.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, Canticum Psalmi resurrectionis.

1. Tituli varia lectio. In Hebræo non est τὸ *resurrectionis*. Leo a Castro conqueritur lib. 3. apologiæ pag. 347. sublatam fuisse illam vocem a Iudæis, ne tam clara et expressa esset do Christi resurrectione mentio. Hic titulus, ait Theodoretus, apud Hebraicum exemplar non legitur, neque apud alios interpretes, neque apud Septuaginta in Hexaplo: sed nonnulli (ut verisimile est) hanc inscriptionem apposuerunt: ita ipse. Hexapla porro et Octopla compegit Origenes; qua de re sic ait S. Epiphan. lib. de mensur. Cum invenisset Quintæ et Sextæ editionis libros, eo quem diximus modo; et nesciret, quinam essent interpretes eorum, quo tempore inventi erant: unam ex his editionem consequenter ad priores quatuor adiecit, et Quintam appellavit, inscriptione facta per quintam litteram, quinarii numeri significatricem, atque sic nomen eius declaravit. Eodem modo senarii numeri notam inscribens ei editioni quæ postea inventa est, Sextæ interpretationis nomen indicavit. Sed et artificiose hoc peregit, id quod aliqui ex studiosis ignorant, cum incidunt in Hexapla aut Octopla. Quatuor enim sunt Græca, quando Aquilæ, Symmachi, et Septuaginta duorum, et Theodotionis coniunctæ fuerint: ubi autem quatuor hæ columnæ duabus Hebraicis adiectæ fuerint, Hexapla appellantur. Si vero Quinta et Sexta interpretatio coniunctæ fuerint ad illas, consequenter Octopla vocantur: ita Epiphanius, quæ non erit inutile hic posuisse. Sed ad rem. S. Hilarius nomen *resurrectionis* non ponit in titulo, illius tamen meminit in commentario psalmi. S. Basil. Theodor. Apollinar. Euth. Niceph. S. Aug. et alii, titulum habent sicut nunc legimus. Agellius suspicatur primam vocem psalmi iungendam titulo, et legendum non *ariu*, id est iubilate: sed *hair*. Sed nec *hair* significat resurrectionem, et magna est differentia inter *hariu* et *hair*, deinde, si tollas primam illam a psalmo, quomodo sensus eius constabit? Arbitror itaque quod

(Margin: Hexapla et Octopla.)

Hic psalmus agit de Hebræorum futura liberatione per 2.
Messiam in fine mundi: ita R. Salomon; sed perperam, Argum.
cum venturus sit Messias in medio annorum, et iam ve- Psalmi.
nerit. Secundo, Lyranus ait esse gratiarum actionem, ob 1.
liberationem Hebræorum de captivitate Ægyptiaca. Ter- 2.
tio, Græci censent hic agi de liberatione a captivitate Ba- 3.
bylonica. Quarto et optime, Christus, vel quilibet iustus, 4.
agit gratias de sua resurrectione, v. 9. id declaratur, *Qui* Et optime.
posuit animam meam ad vitam, ut ibi ostendetur.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Tria præstat. Primo, omnes invitat ad Deum laudandum ob potentiam et sapientiam in resurrectione manifestatam, vers. 2. Secundo, sigillatim explicat dona per illam potentiam et sapientiam accepta, vers. 6. Tertio denique, gratum se fore pollicetur, ob aggesta in se dona, et orationem auditam, v. 13.

SECTIO PRIMA.

3. *Tria continet. Primo, Christus lætitiam et laudem Dei omnibus hominibus præscribit, v. 2. Secundo, verba ipsa suppeditat, quæ dicturi sint, v. 3. Tertio denique, contemplationem divinorum operum exigit, v. 5.*

PARAPHRASIS.

2. *Iubilate Deo omnis terra, Psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.*	2. Præ amoris et admirationis vehementia, in lætitiæ voces amici mei erumpite, ad nominis divini celebrationem psalmos concinite, benigni patris, qui me a mortuis suscitavit potentiam glorificate.
3. *Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.*	3. Hæc autem verba usurpate. Quam admiranda et stupenda sunt opera tua, sive in rerum creatione et gubernatione, sive in mea resurrectione et glorificatione! Tanta in his et tam multiplex elucet potentia tua, ut mendaces facili negotio deprehendantur ii, qui aut te orbis creatorem et moderatorem, aut filii et electorum suscitatorem negare voluerint.
4. *Omnis terra adoret te, et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.*	4. Non exiguis tantum terminis arctati Iudæi, sed toto diffusi orbe homines Deum meum adorate, et ad nominis eius honorem psalmos diebus singulis concinite.
5. *Venite, et videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum.*	5. Auribus vestris ne credite, propero cursu advolate, oculis vestris Dei mysteria usurpate: sermonem omnem exuperant et fidem. Admirandus est in electione gentium, quibus post resurrectionem meam, spretis pene Iudæis, lucem fidei impertitur, et stupendo decreto maiores gratias effundit.

QUÆSTIO UNICA.

Quanto affectu studioque laudandus Deus ob resurrectionem Christi.

4. Ordo Sectionis. Christus resurgens suis alumnis omnem laudandi Dei modum imperat. Primo, eum qui voce indistincta, nec articulata exhibetur, in subita admiratione victoris, v. 2. *Iubilate Deo omnis terra.* Secundo, eum qui musicorum instrumentorum modulatione fit: *Psalmum dicite nomini eius.* Tertio denique, eum qui voce articulata fit: *Date gloriam laudi eius.*

Secundo, ne verba desint, illa suggerit, v. 3. *Dicite Deo: quam terribilia sunt opera tua Domine!* Cum mendacia hostium eius sint manifesta: *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* Secundo, ab amicis peti vult, tum internam adorationem, v. 4. *Omnis terra adoret te:* tum externam lætitiam: *Et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.*

Tertio denique, ne illudi sibi homines credant, hortatur eos, ut opera illa Dei contemplentur, et eorum mysteria intelligant, v. 5. *Venite, et videte opera Dei.* Optat autem, ut præsertim notent eius reconditam in gubernando et gratiis distribuendis sapientiam: *Terribilis in consiliis super filios hominum.*

ARTICULUS I.

In resurrectione Christi laudandus est Deus ab omnibus hominibus.

Quinque hic dicit David. Primo, esse iubilandum. Secundo, iubilandum Deo. Tertio, ab omni terra. Quarto, psalmum illi dicendum. Quinto denique, gloriam dandam. Ait enim v. 2. Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius, (Vers. 2.) id est rebus laudabilibus ab eo gestis.

5. Iubilus quid. Ac primo, iubilandum est, *iubilate.* Est porro iubilus, clamor sine voce articulata ingentem lætitiam exprimens, quæ verbis explicari non possit: ita S. August. in Psal. (A) nostr. Ubi sic ait: *Quid est iubilate? in vocem erumpite gaudiorum, si non potestis verborum. Non enim verbis iubilatur, sed solus gaudentium sonitus redditur, quasi parturientis et parientis cordis lætitiam in vocem rei conceptæ, quæ verbis explicari non possit.* Ad iubilum nos etiam hortatur Ps. 94. 1. *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro.* Vide ibi dicta. In Hebræo habetur הריעו *hariu:* id est, præ ingenti lætitia voce contenta clamate. Rad. *roa,* id est, voce ingenti clamare in lætitia. Significat etiam, malum esse. Si malus fuisti, et nondum verba, quibus Deum laudes, didicisti, saltem iubila. Ad perfectos tamen etiam iubilus pertinet. Gr. est ἀλαλάξατε, id est, clamate alala: hoc est, clamorem tollite cum animi alacritate et exultabunde, atque in signum victoriæ. S. Hilar. id considerat: ἀλαλαγμὸς, ait, quem Latine iubilum ponunt, significat vocem exercitus præliantis, aut in concursu proterentis hostem, aut successum victoriæ exultationis voce testantis. Et postea, rem ad mores trahens addit: *Positi igitur in vitæ istius præliis, et hoc carnis ac* (B) *sanguinis nostri certamine adversum diabolum exercitusque eius armis spiritalibus dimicantes: Deo monemur in voce exultationis iubilare.* Vide dicta Ps. 99. 1.

6. Iubilandum in die Paschatis. Hoc faciendum est, præcipue in die Paschatis, ob Christi resurrectionem. S. Cyrill. Ierosol. catech. 14. *Lætare Ierusalem, et celebrate festum omnes,* οἱ ἀγαπῶντες Ἰησοῦν, *qui diligitis Iesum; resurrexit enim. Gaudete omnes, qui antea lugebatis, Iudæorum temeritatem et iniquitatem audientes.* S. Gregor. Naz. orat. 19. tom. 1. pag. 304. diei resurrectionis dignitatem amplificat, et lætitiæ causas acervat. Sanctum, ait, et celebre pascha, βασίλισσα τῶν ἡμερῶν ἡμέρα, *dies dierum rex,* ac splendida illa nox, peccati tenebras solvens, in qua nos cum magna luminis copia salutis nostræ festum celebramus, atque cum luce propter nos mortua morte simul affecti, cum eadem excitata simul excitamur. Suidas appellat κυριακὴν μεγάλην, magnam dominicam, et sic a Græcis dici consueverat. Petrus Diaconus in Leone Constantini filio: In crastinum, inquit, quando videlicet *magnus dominicus dies* Paschæ celebratus est. S. Hilar. efficaciam illius iubili docet in Psal. nostr. Ne-

cesse est, ait, terreri omnem adversantem, et bellari adversus diabolum, et vinci resurrectionis fide mortem, tali exultantis vocis nostræ iubilo. Lege S. Cyprianus lib. 2. epist. 6. ad Martyros, ubi eos hortatur ad fortiter et alacriter dimicandum. David noster Ps. 88. 16. ait: *Beatus populus qui scit iubilationem.* Chald. vertit, Qui novit complacere creatori suo cum iubilo. S. Athanas. in catena Nicetæ ait, Lætandum esse Gentibus omnibus, ac laudes ab iis triumphales offerendas Deo per ἀλαλαγμόν, ἐπινίκιον ὕμνον, iubilationem qui est victorialis hymnus cani solitus propter hostes devictos.

7. Secundo, iubilandum est Deo, *iubilate Deo,* non vobis: cavete, ne in victoriis vestris et virtutibus vobis applaudatis, sicut Pharisæus Luc. 18. 12. Dicamus cum Davide Ps. 94. 1. *Iubilemus Deo salutari nostro.* q. d. Illi iubilemus, quia ab eo solo est salus nostra. Ubi adverte, Deo esse iubilandum, cum sit ineffabilis, nec clara ac distincta voce eius excellentia possit explicari. Est enim, ut quidam recte dixit, ἄρρητος φύσις, natura sermonem omnem superans. S. Gregor. Nazianz. orat. 42. pag. 677. Θεός, ait, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον, *Deus pelagus quoddam essentiæ immensum et interminatum, omnem tum temporis naturæ cogitationem superans.* Chald. vertit: *Iubilate coram Domino,* q. d. Decenter, modeste, pie, sancte, ex toto corde et ore iubilate, quia Deus vos videt.

Iubilandum Deo

8. Tertio, iubilandum est ab omnibus hominibus: *Iubilate Deo omnis terra,* id est omnes habitatores terræ, ut Chaldæus vertit. Ubi adverte, quod non bene iubilat, qui solus vult iubilare. S. August. hic: *Nemo iubilet in parte, omnis terra iubilet, Catholica iubilet, Catholica totum tenet. Quicumque partem tenet, et a toto præcisus est, ululare vult, non iubilare.* Hoc dicebat contra Donatistas hæreticos in Africa, idem dic contra hæreticos huius temporis, iubilant tantum in angulo terræ, ideo ululant. Isaias cap. 44. 23. de Christi redemptione agens et terram et cælos ad iubilandum invitat: *Laudate cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus: iubilate extrema terræ* (Sept. fundamenta terræ, id est ipsum terræ centrum, ubi erant animæ patrum) *resonate montes laudationem, saltus et omne lignum eius: quoniam redemit Dominus Iacob, et Israel gloriabitur.* Per Iacob et Israel intelligit populum fidelem.

Iubilandum ab omnibus hominibus.

In die Paschatis est iubilandum. S. Athanas. serm. de passione et cruce Domini inducit angelos verba psalmi nostri usurpantes, cum Patriarchis exeuntibus e limbo, in quo captivi detinebantur. In scolio 10. ad gr. 15. Climaci sic habetur: παγκόσμιον χαρᾶς, *Dies, quo totus mundus gaudio exultavit, non est alius quam dies resurrectionis Domini et Salvatoris nostri, quo genus humanum ab æternis inferorum vinculis est liberatum.* S. Gregor. Nyss. serm. 3. de Resurrectione optime lætitiam fidelium omnium in die festo Paschæ exprimit. Materfamilias, inquit, cum toto grege domus, nemine familiarium atque domesticorum absente, festum celebrans lætatur. Nunc enim ipsa, atque maritus, et liberi, et servi, omnesque domestici lætantur, ac *veluti novum ac recens editum examen apum* ex latibulis primum et alvearibus simul coactum et confertum in ædem ac lucem evolans, ramo alicuius arboris sese applicat et considet: haud aliter in hoc festo integræ familiæ ad sedes quæque suas confluunt.

Quarto, Psalmus dicendus est Deo victoriæ et resurrectionis auctori. Unde additur, *Psalmum dicite nomini eius:* id est, ipsi. Nomen enim ab Hebræis sæpe ponitur pro re nominata. Est metonymia. David ait Ps. 9. 3. *Psallam nomini tuo,* id est tibi, *Altissime.* Vim illius psalmodiæ declarat S. Nilus in Parænesi: *Psalmus precationis,* inquit, *sit in ore tuo: Deus enim nominatus fugat dæmones.*

9. In die porro Paschatis psalmos in Ecclesia concini solitos docet S. Clemens Papa lib. 5. Constit. Apostol. cap. 18. Legem, ait, Prophetas, et psalmos usque ad galli cantum legentes, et catechumenos baptizantes, ac lecto Evangelio in timore et tremore, et habito ad populum sermone de iis quæ ad salutem pertinent, deponite luctum: atque deprecamini Deum, ut convertatur Israel, et locum pœ-

In die Paschatis hymni canebantur et psalmi.

A nitentiæ accipiat, et veniam impietatis. De S. Dominico Loricato refert S. Petr. Damianus in eius vita, illum sacrosancto die paschali, *meridie extensis in crucis effigiem brachiis psalterium cepisse:* quo decurso, signum protinus horæ nonæ personuisse. Hoc itaque modo vinxit victoriam Crucis cum gloria Resurrectionis: ita ipse. Si iustum virum, aut a peccato resurgentem et sanctificatum vis loqui in hoc psalmo: per nomen, hic potes intelligere nomen Iesu, quod tantæ est efficaciæ, ut prolatum mortuos suscitet. S. Cyrill. Ieros. catech. 14. fol. 152. Testatur, inquit, Resurrectionem Iesu Tabitha ipsius nomine a mortuis excitata. Quis enim credere recusabit Christum resurrexisse: cum, *vel ipsum nomen* mortuos suscitet: ita Cyrillus. Non lego tamen Petrum eo usum nomine, cum eam suscitavit, dixit enim tantum, Act. 9. 40. *Tabitha, surge.* Sed S. Cyprianus et alii legunt: Tabitha surge in nomine Iesu Christi, et ita legisse videtur Cyrillus.

Symbol. Psalmus dicendus est Deo: id est, opere laudandus est: ita S. August. Psallendum, ait, nomini eius 10.
B est: quia, ut per organum psalmus est, ita et corporis nostri, quod animæ, ed affectionis, et negotiorum omnium organum est, artificiosis operibus est placendum. S. Chrysost. hom. de decem millibus dicit: *Non est satis,* inquit, *si divina verba percenseas: nisi ea quoque rebus præstes: et quemadmodum citharæ nervos attingit artifex, attingit quoque imperitus: sed ita ut iste auditorem vexet, ille voluptatibus et oblectatione ducat, atque utrobique eiusdem generis digiti et nervi: recte, sed non adest peritia. Ita quoque in sacris Scripturis, multi adoriuntur divina verba, sed non omnes inde lucrum faciunt, aut fructum referunt, in causa quod non eodem modo adeant; neque cum artificio citharam pulsent: quod enim in re citharœdica ars, hoc ipsum in Dei legibus operum exhibitio.*

Symbol. Psallit, qui opere Deum laudat.

Quinto denique, glorificandus est Deus, in die resurrectionis Christi: *Date gloriam laudi eius,* id est facto eius mirabili, et laudabili. Est metonymia: nam ponitur actus pro obiecto. Iubilatio simplex, imperfectorum est ac re- 11.
C cens conversorum, qui rerum primo conspectarum admirabilitate perculsi exclamant. Iubilatio cum psalmo, eorum est, qui iam in notitia cælestium mysteriorum profecerunt. Iubilatio vero cum Dei glorificatione, perfectorum est, qui non suam aut gloriam aut utilitatem, sed Dei unius laudem et gloriam quærunt. Dicebat Isaias cap. 49. 13. *Laudate cæli, et exulta terra, iubilate montes laudem.* Montes, hoc est excelsi sanctitate viri iubilant laudem, sed si sint per humilitatem concavi, et gloriam suam non quærant. Iob alio simili usus viros iustos astris comparat cap. 38. 7. *Ubi eras,* ait Deus, *cum me laudarent astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei.* Non est filius Dei qui non iubilat: neque est astrum, qui Deum non laudat. Aut si astrum est, est astrum cadens et non matutinum.

In die Paschatis laudandus Deus.

In die Paschatis danda est Deo gloria ab omnibus, sed præsertim a concionatoribus. S. Greg. Naz. orat. 42. fol. 677. *Facere nequeo,* ait, *quin de magna victima, et* μεγίστης ἡμερῶν, *die omnium dierum maximo,* θυσίαν λόγους, *sermones instar victimæ offerens, ad Deum excurram, atque il-*
D *linc exordium ducam.* Turcæ cum templa sua subeunt, ter spargunt aquam super capita, recitando hæc verba, *Ellemdu Lillahi,* id est, *gloria Deo meo,* ut ait Barth. Georgieviz Peregrinus in epitome de moribus Turcarum. Quid igitur facient Christiani concionatores et doctores. Ugo Cardin. illis dicit: Iubilate in officio Ecclesiæ, psalmum dicite in bona operatione, date gloriam in prædicatione. S. Aug. fuse explicat illud Pauli 1. Cor. 1. 26. *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Probat hoc exemplo Matthæi Publicani in Apostolum electi, et Nathanaelis doctoris et innocentis, qui non fuit Apostolus. Græci tamen,

Turcarum mos in introitu templi.

in suo Menologio dicunt Nathanaelem esse Simonem Chananæum Apostolum: Rupertus et Abulensis censent fuisse Bartholomæum Apostolum: S. Augustinum id tamen negantem sequuntur Toletus et Baronius, aliique. Quidquid sit de ea re, subdit S. Aug. in Ps. nostr. *Videte, quemadmodum nobis abstulit gloriam, ut daret gloriam. Abstulit nostram ut daret suam. Abstulit inanem, ut daret plenam. Abstulit nutantem, ut daret solidam. Tanto ergo gloria nostra fortior et firmior, quia in Deo.* Evagrius recte: Deus, inquit, nullius eget: sapiens autem Deo tantum opus habet. Philo libro, quod deterius potiori insidiari soleat, p. 128. Si, ait, rationem longe ab intellectu sensuque abducens, patrem creatorem mundi, matremque sapientiam eius, per quam condita sunt omnia, honore dignaberis, ipse beneficium accipies. Nullius enim indiget, nec plenus ille Deus, nec illa summa et perfectissima scientia: ita Philo. Contra vero, qui gloriam suam captat, infinitorum dominorum fit vile mancipium. Idem auctor lib. de Ioseph. p. 415. qui, ait, auram populi captans concionaturus locum superiorem ascendit, sicut venalicii, δουλος αντ' ελευθερου γινεται, *fit servus ex ingenuo*, propter honores quos videtur accipere, επαχθεις υπο μυριων δεσποτων, *addicens se innumeris dominis:* idem a feris circumventus inducitur quod huic insidietur, θηριον ατιθασσον, immanis bestia vana gloria, corripere et devorare tales solita. Hactenus Philo.

ARTICULUS II.

In resurrectione Christi elucet Dei potentia.

12. Post invitationem ad Dei laudem, subdit Christus materiam laudis, nempe potentiam Dei in resurrectione sua, v. 3 DICITE DEO: QUAM TERRIBILIA SUNT OPERA TUA! (Hebr. quam terribilis es in operibus tuis) IN MULTITUDINE VIRTUTIS TUÆ, MENTIENTUR TIBI INIMICI TUI. Quæres, quænam opera intelligit? Primo omnia: nempe creationem, conservationem, gubernationem orbis, incarnationem, passionem. Hebr. enim נורא *nora*, et terribilem et mirabilem significat: *terribilia* igitur dicit opera Dei, hoc est admirabilia. Quia admiratio habet adiunctum quemdam horrorem et tremorem saltem ut plurimum. Est metalepsis Secundo, *terribilia* opera Dei fuerunt in eductione populi Israel ex Ægypto, Pharaonem et Ægyptios puniendo, ut canit Moses Exod. 15. 11. et prædicat Deut. 7. 21. Eodem modo terribilis fuit in introductione eiusdem populi in terram Chanaan, et in conservatione eius domando Chananæos, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Syros, aliosque. Tertio, terribilis est Deus in electione gentilium et reprobatione Iudæorum, quod fuse amplificat S. August. qui recte ait: *Si gaudes, et time: ne forte, quod datum est humili, auferatur superbo:* ait enim, Iudæos ob suam superbiam cecidisse.

Vers. 3. Terribilis Deus in suis operibus.

13. Quarto denique, terribilis et admirabilis fuit Deus in resurrectione Christi. Primo enim terribilis fuit morti, quam debellavit, reddens vitæ corpus Christi. Unde ait Paulus 1. Corinth. 15. 55. *Ubi est mors victoria tua? ubi*
1. *est mors stimulus tuus?* et v. 54. posuerat: *Absorpta est mors in victoria*, quæ adaptat resurrectioni nostræ. Oseas id clarius dixit de Christo, quem loquentem inducit cap.
2. 13. 14. *Ero mors tua, o mors.* Secundo, terribilis fuit Christus dæmonibus in resurrectione sua. Hinc addit loco citato Oseæ: *Morsus tuus ero, o inferne;* hoc explicat similitudine hydri crocodilum interficientis S. Petr. Damiani lib. 2. epist. 18. ad Cardin. *Hydrus*, inquit, *animal est habitans in gurgitibus fluminum, crocodilis feraliter inimicum. Hic itaque, cum viderit crocodilum aperto ore in crepidine fluminis dormientem, provolvitur in limo luti, ut faucibus illius lubrico corpore facilius possit illabi. Tunc in os crocodili dormientis perniciter insilit, quem ille desubitatus repente deglutit. Hydrus vero viscera eius cuncta dilaniat, donec eo iam prorsus extincto, de cadavere illius vivus et victor erumpat. Quid hic crocodilus, nisi figuram tenet mortis et tartari? Quid hydrus, nisi victoriam innuit Salvatoris? Limo ergo hydrus obvolvitur, dum redemptor noster humanæ carnis luto vestitur. Hic ventrem ingreditur crocodili, quia Dominus claustra penetravit inferni. Hic demolitur intima viscerum, et Dominus mortis evertit imperium. Ille corroso ac penetrato cadavere post victoriam redit, quia salvator noster postquam infernum moriendo momordit, cum triumphali de sepulcro gloria resurrexit. Unde morti per Prophetam victor insultat: Ubi est, inquit, o mors victoria tua? ubi est stimulus tuus? Et iterum. O mors ero mors tua: morsus tuus ero,*
inferne; vide Cyrill. catech. 14. Tertio, terribilis fuit Chri- 3.
stus in resurrectione sua militibus sepulcrum servantibus. Nam terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum: *erat autem aspectus eius sicut fulgur*, Matth. 18. 2. Fulgur illud, erat symbolum iræ: unde territi sunt milites. Itaque additur: *Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.* S. Hieron. stupefacti, ait, instar mortuorum; metuebant enim, ne fulmine afflarentur. Quarto, terribilis et admi- 4.
rabilis fuit Christus in resurrectione sua mulieribus ad sepulcrum eius accedentibus: nempe Mariæ Magdalenæ, Mariæ Iacobi minoris matri, Salomæ uxori Zebedæi, ac matri S. Iacobi maioris et S. Ioannis, atque aliis, quæ licet audirent ab angelo, *Nolite expavescere*, tamen exeuntes fugerunt de monumento: invaserat enim eas *tremor et pavor:* et nemini quidquam dixerunt: *timebant enim.*
Quinto, terribilis et admirabilis in resurrectione sua Chri- 5.
stus fuit Apostolis, cum illis apparuit in cœnaculo, die ipsa resurrectionis. Cum enim tunc stetisset in medio eorum et dixisset: *Pax vobis, ego sum, nolite timere;* tamen timuerunt. Additur enim Luc. 24. 37. *Conturbati vero, et*
conterriti, existimabant se spiritum videre. Sexto, terribilis 6.
fuit in resurrectione sua Christus Pharisæis, principibus sacerdotum, et hostibus suis: unde timentes munierunt sepulcrum, sigillantes annulo urbis vel publici concilii impositum lapidem, et apponentes custodes; resurrectione autem nunciata militibus pecuniam copiosam dederunt, ut dicerent Apostolos nocte corpus eius furatos esse,
Matth. 27. et 28. Septimo, terribilis et admirabilis fuit Chri- 7.
stus in sua resurrectione: quia multi Iudæi excæcaverunt seipsos, et Gentiles ad fidem illam recepti sunt. S. Augustin. in Psal. nostr. *Fusus Domini sanguis donatus est homicidis, non ut dicam Deicidis: quia, si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Modo homicidis, donatus est fusus sanguis innocentis. Et ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt. Dicite ergo Deo: Quam timenda sunt opera tua! Unde timenda? Quia cæcitas ex parte in Israel facta est, ut plenitudo gentium intraret. O gentium plenitudo, dic Deo, quam timenda sunt opera tua! et sic gaude, ut contremiscas, noli ex-*
tolli super ramos præcisos. Octavo denique, terribilis et ad- 8.
mirabilis est omnibus Christus in sua resurrectione: quia illa est causa efficiens et exemplaris resurrectionis nostræ quoad corpora, et quoad animas per gratiam, ut docet S. Thom. 3. p. quæst. 56. art. 1. et 2. De admirabilitate porro resurrectionis omnium corporum in fine mundi agit S. Cyrill. Ierosol. catech. 18. ubi inter cætera dicit pag. 211. *Navigatores a piscibus devorati sunt, et ipsi quoque comesti sunt: eos qui cum bestiis pugnarunt, ursi et leones una cum ossibus comminuerunt vultures, et corvi mortuorum humi proiectorum corpora comederunt, et in universum mundum dispersi sunt. Unde congregabitur corpus? Nam avium, quæ illud comederunt, aliam quidem in India mori contingit, aliam in Perside, aliam in Gothia igne comburi, et ipsius cineres ventus dispersit. Unde id corpus congregabitur? Tibi sane homuncioni exiguo et imbecilli procul a Gothia, India et Hispania, ac Perside videtur:* Θεω δε κατεχοντι πασαν γην εν δρακι, παντα εγγυς: *Deo autem, qui terram pugillo continet, omnia sunt prope. Non igitur pro tua imbecilitate, Deum arguas impotentiæ: sed potius illius potentiæ assentiare:* ita Cyrillus. Sol omnia vivificat, et in hyeme mortua, in vere resuscitat: cum sit, ut

Et in ipsa Christi resurrectione.

Hydro collatus Christus resurgens.

idem ait, ἔργον μικρόν, *exiguum opus*, si Deo scilicet comparetur. Quid efficiet Deus, qui est infinitæ potentiæ?

14. Licet territi hostes Christi, tamen non sunt emendati. Vers. 3. Hinc addit Christus v. 3. IN MULTITUDINE VIRTUTIS (S. Hieron. *fortitudinis:* ita etiam Pagn. Felix, Arias; legit S. August. *potentiæ*) TUÆ MENTIENTUR TIBI INIMICI TUI. Sensus est primo, q. d. *In multitudine*, id est ad multitudinem, virtutis tuæ, mentientur hostes tui: hoc est mentientur ut inde crescat et magis glorificetur robur tuum; ex eorum mendacio fiet, ut gloria tua magis eniteat: ita S. Augustinus. Ideo, ait, mentientur tibi inimici tui, ut crucifigaris: ideo crucifigeris, ut resurgas. Mendacium ergo illorum ad commendandam multam potentiam tuam valebit. Et multis interiectis, subdit: milites resurrectionis testes a Iudæis pecunia corruptos dixisse: Cum dormiremus nos, venerunt discipuli eius, et abstulerunt eum de monumento. O vere, inquit, stultitia dormiens! aut vigilabas, et prohibere debuisti: aut dormiebas, et quid sit gestum nescisti. Accesserunt et ipsi mendacio inimicorum: auctus est et numerus mentientium, ut augeretur merces credentium, quia in multitudine potentiæ tuæ mentientur tibi inimici tui: ita Augustinus. In eum sensum concurrunt, qui τὸ *mentientur tibi* explicant, q. d. Mentientur ad utilitatem et gloriam tuam.

2. Pars. Mentiti sunt hostes Christo resurgenti.

I.

II. Secundo et melius, Iansen. et Bellarm. *In multitudine*, id est præ multitudine potentiæ tuæ, *mentientur tibi*, id est mendaces a te ostendentur hostes tui: ita ipsi. Ubi adverte, hic esse enallagen quantitatis, multitudo enim ponitur pro magnitudine, sed multiplici. Vide paraphrasim.

III. Tertio, *mentientur tibi*, id est de te, inimici tui, etiam in multitudine potentiæ, hoc est in ipsa luce resurrectionis, et in mirabilibus eam probantibus, ut accidit primo in Pharisæis et aliis Iudæis seipsos excæcantibus audita militum testificatione, Matth. 28. 13. Secundo in ipsis militibus dicentibus, corpus Christi abreptum a discipulis, ibid. Tertio, in Gentilibus resurrectionem irridentibus, ut accidit Athenis prædicante Paulo, Actor. 17. 32. S. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 43. dicit, resurrectionem a gentilibus irrisam esse, ὡς ἀδύνατον, ut impossibilem.

IV. Quarto, Iansen. et Lorinus: *In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi*, id est, opera tua talia sunt, ut ob magnitudinem potentiæ tuæ declaratam in tuis operibus, non solum tibi subiiciantur qui te diligunt, sed etiam inimici tui serviliter fictoque animo tibi supplices fiant, voluntariam subiectionem simulantes, quantumvis inimicos in te gerant animos: ita ipsi. Hic sensus est plausibilis et bonus.

V. Quinto denique, et simplicissime, *in multitudine* fortitudinis tuæ, id est cum maxime te ipsum a mortuis suscitando fortitudinem tuam ostendes, mentientur tibi hostes tui: id est non præstabunt ea quæ erant polliciti: dixerant enim: *descendat nunc de cruce et credimus ei*, Matth. 27. 42. Multa alia effutiisse, non est dubium, v. g. si seipsum suscitet a mortuis, illi credemus. Hoc autem non fecerunt, ideo mentiti sunt ei.

Et optime.

15. Nota, resurrectio etiam nostra probari potest Primo, auctoritate Scripturæ. 1. Cor. 15. 11. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, ad gloriam scilicet, q. d. Resurgent omnes, sed non omnes in corpore glorioso. Secundo, probari potest nostra resurrectio ex dictis veterum philosophorum. Plato dicit, Zoroastrem resurrexisse, cum duodecimo die post mortem in rogo positus esset, ut tradit Clemens Alexand. lib. 5. Strom. pag. 436. Ubi aliis rationibus agit in philosophos difficiliora docentes. Plato item lib. 10. de Republ. scribit, quemdam Herum Pamphylum decimo post mortem die redditum esse vitæ. Tullius in lib. de Republ. arbitratur, eum lusisse potius, quam quod id verum esset, dicere voluisse, ut tradit S. Augustin. lib. 22. de civitate Dei cap. 28. A Platone autem resurrectionem mortuorum agnitam esse docet S. Iustinus in exhortatione ad gentes. Verba Chrysippi Stoici ex lib. de provid. refert Lactantius lib. 7. divin. instit. Nos, ait, iam vita functi exactis temporum revolutionibus rursus in eam, quam nunc habemus, faciem

Resurrectio probatur: 1. ex Scriptura. 2. ex dictis veterum philosophorum.

A restituemur. Tertio, Sibyllæ verba resurrectionem futuram testantia habes apud Clement. Papam lib. 5. constit. Apostol. cap. 6. fol. 919. bis verbis: *3. Sibyllarum.*

At postquam in cinerem fuerint mortalia versa,
Extinctusque Deo fuerit, quem incenderit, ignis,
Ossa hominum, cineremque Deus reparabit et orbem:
Constituetque homines iterum, velut ante fuerunt.
At tunc iudicium quo cernet cuncta, futurum est.
Terra teget quoscumque malus damnaverit error:
Qui bene vixerunt, hi vivent rursus in orbe:
Spiritus his, et vita Deo donabitur, una et
Gratia: et aspicient sese, cernentque vicissim.

Quarto, resurrectio nostra probari potest ex variis naturæ mirabilibus, 1. In grano seminum putrescente et revirescente id apparet. S. Damasc. *Considero*, ait, *in sulcis, tamquam in sepulcris semina suffossa, quis illis radices imponit, et folia, et culmos subtilissimos? Nonne qui universorum artifex est, cuius præcepto condita omnia?* B *Sic crede, et mortuorum resurrectionem fore divina voluntate et nutu, concurrentem enim habet voluntati virtutem.* S. Cyrill. catech. 4. fol. 15. ait, arbores hyeme præterita, ὥσπερ ἐκ νεκρῶν ἀναβιοῦν, velut ex mortuis reviviscere. Tertull. lib. de resurrectione carnis, cap. 12. *Mira*, inquit, *ratio de fraudatrice servatrix: ut reddat, intercipit: ut custodiat, perdit: ut integret, vitiat: ut etiam ampliet, prius decoquit. Siquidem uberiora et cultiora restituit, quam exterminavit. Revera fœnore interitu, et iniuria usura, et lucro damno, semel dixerim universa conditio recidiva est.* 2. Ex bombyce, id est, verme simili erucæ, qui in India, Æthiopia, Italia, Gallia in aranearum morem tenuissima fila ducit ad vestem faciendam, argumentum resurrectionis desumit S. Basil. homil. 8. in Hexaemer. Cum vos, ait, o mulieres, repetitis vicibus, ordimini, et retorquetis vestram operationem sedentariam: fila nimirum, quæ ad vos usque Seres transmittunt ad raras istas ac præmolles vestes concinnandas, veniat vobis in mentem huiusce varietatis animantis in formas varias mutatio: C inde resurrectionis dilucidam certamque sententiam sumite; neu fidem futuræ mutationis abrogetis ei, quam hominibus omnibus fore ipse D. Paulus pollicetur. 3. Ex phœnicis avis nota narratione resurrectionem probat S. Ambrosius in Hexaem. lib. 5. cap. 23. Æneas Garæus in Theophrasto, Clemens Papa lib. 5. Constit. Apost. cap. 6. fol. 919. S. Cyrill. Catech. 18. aliique. Ex cineribus enim suis renasci putatur. Sed fabulam esse arbitror, et solis esse symbolum phœnicem. 4. In solis et astrorum ortu atque interitu figuratur resurrectio. S. Theophil. Antioch. Episcopus sextus a S. Petro Apostolo, qui floruit circa ann. Christi 170. lib. 1. ad Autolycum, iubet oculos in cælum attolli, ut videatur, ἀνάστασις σελήνης, *lunæ resurrectio*, quæ singulis mensibus et perit, et renascitur. De sole et aliis astris ait Minutius Felix in Octavio: *Vide quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit, et nascitur: astra labuntur, et redeunt: flores occidunt, et reviviscunt: post seminum arbusta frondescunt, semina nonnisi corrupta reviviscunt:* D *ita corpus in sæculo, ut arbores in hiberno, occultant vigorem ariditate mentita. Quid festinas, ut cruda adhuc hyeme reviviscat et redeat? Expectandum nobis etiam corporis ver est. Nec ignoro plerosque conscientia meritorum, nihil se esse post mortem magis optare quam credere: malunt enim extingui penitus, quam ad supplicia reparari.* 5. In anni variis mutationibus repræsentatur etiam resurrectio. S. Orientius in Commonitorio resurrectionem in anno perpetuam agnoscit, ob temporum varietatem. Sic enim canit:

4. ex naturæ mirabilibus. *In agrorum seminibus.* *In bombyce.* *In phœnice.* *In sole et astris.* *In totius anni mutationibus.*

Et dum se longi sequitur rota mobilis anni:
Nascitur, et moritur, succidit, atque redit.

Quinto, resurrectio figurata est in virga Aaronis amygdalina florescente, et fructus fundente: item in virga Mosis transmutata. S. Cyrillus Ierosol. Catec. 4. fol. 35. Virga Mosis, inquit, in dissentaneam naturam mutata est Dei voluntate: et homo delapsus, de integro in statum

5. ex mutatione virgæ Aaronis et Mosis.

6 ex aliis mysteriis. suum non restauratur? Sexto, resurrectio, quam Synesius iure vocat, ιερον τι και απορρητον, sacrum quidpiam et arcanum, aliis mysteriis stabiliri potest. S. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 404. ad Theodosium Diaconum: Quemadmodum, ait, virginitatem colente natura partus Domini extitit: nec Incarnationis progressus castitati detrimentum ullum attulit: eodem modo clauso et obsignato monumento resurrectio contigit. Dei enim humanitate induti utrumque opus est. Septimo denique, probatur ratione resurrectio: quia nihil est quod in ea implicet, neque ex parte agentis, neque ex parte actionis, neque ex parte termini: imo difficile videtur, quomodo non possit fieri naturaliter. Nam cur anima mox egressa de corpore ob defectum dispositionum necessariarum, angelus non potest illas reponere, præsertim cum sæpe anima adhuc existente in corpore posset illas conservare? v. g. cum quis præ nimio frigore moritur, poterat enim angelus variis modis calorem conservare. Sed de fide est, quod Deus hanc resuscitandi potestatem sibi soli reservavit.

Fallaces itaque et mendaces Christi inimicos, resurrectionem eius aut nostram negantes execremur, atque ad veritatem transvolemus. Præstemus id, quod Philo ait in alia materia, lib. Quis rerum divinarum hæres. fol. 409. Oram, inquit, solventes navigabimus a regione mendaciorum ac sophismatum, ad veritatis stationes portusque tutissimos: ita ille. Regio mendacii est hæresis, schisma, idololatria: portus autem veritatis, est Ecclesia Catholica.

ARTICULUS III.

Gratitudo hominum in resurrectione Christi.

16. Vers. 4. Omnes homines adorare debent Deum. In cælo prius ab angelis colebatur Deus, et in exiguæ Iudææ angulo, nunc se vera lux post Christi resurrectionem per totum orbem diffudit, v. 4. OMNIS TERRA ADORET TE, ET PSALLAT TIBI: PSALMUM DICAT NOMINI TUO. Quæres, cur dicitur *omnis terra:* non vero, *tota terra?* Resp. primo, quia triplex est terra, 1. terra viventium, id est, cælum; 2. terra mortuorum, id est, infernus; 3. terra morientium, id est, hic mundus. In his tribus terris adoratur, colitur, et timetur Deus. S. Paulus dicit flecti omne genu cælestium, terrestrium, et infernorum in nomine Iesu, Philipp. 2. Secundo, *omnis terra,* id est, tota terra, est enallage quantitatis. Tertio, *omnis terra*, id est, et terra Gallica, et terra Italica, Hispanica, Germanica, etc. Quarto denique, et optime, *omnis terra,* id est, omnes homines universi orbis. Est metonymia. Omnes autem homines ad hoc creati sunt, ut Deum adorent. Lactantius lib. 3. Institut. divin. cap. 28. *Omnis,* inquit, *sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat et colat: hoc nostrum dogma, hæc sententia est.* Et lib. de Ira cap. 1. *Lumen mentis humanæ Deus est, quem qui cognoverit, et in pectus demiserit, illuminato corde mysterium veritatis agnoscet.* Prophetice hæc dicta vult Syrus, qui vertit: In tota terra adorabunt. Hebr. adorationis reverentiam declarant, habent enim: *Omnis terra incurvabit se tibi,* q. d. Non tantum homines, sed ipsa terra id faciet: quod indicat maiorem, profundiorem, et universaliorem adorationem. Esset prosopopœia in hoc sensu.

Præsertim in Paschate. In Paschate præsertim, in quo celebratur festum resurrectionis, Deus adorandus est. S. Gregor. Nazian. optat sibi vocem angelicam, ut in paschate posset omnes homines invitare ad Deum laudandum. Sic enim ait orat. 49. pag. 676. *Utinam vocem angelicæ parem, omnesque orbis terræ partes circumsonantem accipiam. Pascha Domini, Pascha, et iterum Pascha dicam in honorem Trinitatis, hæc est,* εορτων εορτη, και πανηγυρις πανηγυρεων, *nobis festivitatum festivitas, et celebritatum celebritas: tanto cæteris omnibus, non solum humanis et humi defixis, sed iis etiam quæ ipsius Christi sunt, superior,* οσον αστρας ηλιος, *quanto sol stellas antecellit.* R. Iudas id viderat, cum libro de disciplina dicebat: Per Paschæ sacrificium tam arcte Deum consociasse sibi homines, ut in eo per ipsius divinum numen, *similiter atque lucernæ ellychnium,* in lumine inhæreant: ita ille. Concilium Meldense volebat ob tantum mysterium dies octo integros esse festos: *Dies octo,* ait, *Paschalis festivitatis omnibus Christianis feriatos esse decernimus, ab omni opere rurali et fabrili,* etc. Sed nunc id non observatur, ardorem saltem devotionis augeamus. Ut enim ait S. Cyrillus Ierosol. catech. 18. fol. 210. ριζα αγαθοεργιας η της αναστασεως ελπις, *radix totius bonæ operationis est spes resurrectionis.* Tertullianus lib. de resurrect. carnis sic incipit: *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum.* Hoc autem per Christum, et propter Christum fiet, cuius resurrectio spem nostræ resurrectionis nobis ingenerat.

Concilii Meldensis statutum notabile.

Venerentur itaque redivivum Salvatorem Franci, Itali, Hispani, Germani, Poloni, Indi, Sinæ, Iapones, Brasilii, Peruani, Mexicani, Canadenses, populi omnes. Adoret eum omnis terra. Adorent eum virgines, religiosi, coniugati, varias illi offerant coronas. Explicari id possit per coronarum oblationem factam cuidam Præfecto urbis Romæ, de illa Ioannes Hocsemius pag. 505. sic loquitur: Nicolaus filius cuiusdam molendinarii fit Tribunus urbis Romæ, ab omnibus Italiæ principibus accipit donaria, et variis coronis decoratur. Primo, Lateranensis Ecclesiæ Prior coronam illi quernam obtulit, his adiectis: Suscipe quercum, quia cives a morte liberasti. Secundo, S. Petri Prior offert hederaceam, additque: Suscipe coronam ex hedera, quia religionem amasti. Tertio, Decanus S. Pauli myrteam: Suscipe, inquit, myrtum, quia officia et scientiam observasti, et avaritiam odisti. Quarta corona fuit laurea, delata per Abbatem S. Laurentii extra muros urbis, cum hoc elogio: Suscipe laurum, quia officia et scientiam observasti. Quintam coronam ex oliva obtulit Prior S. Mariæ Maioris, dicens: Vir humilis, suscipe olivam, quia cum humilitate superbiam superasti. Sexta corona erat argentea, per Priorem S. Spiritus in Saxo præsentata: Tribune Auguste, inquit, suscipe dona Spiritus sancti, cum corona et sceptro spiritualem coronam. Pomum autem detur per dominum Godefridum militem, sic dicentem: Tribune Auguste, suscipe, et cole iustitiam, da libertatem et pacem, et osculetur eum. Notatu quoque dignum est, quod cum coronaretur, voluit sibi adesse pauperem, qui gladium manu gestaret, et corollas e capite detraheret, ut conditionis humanæ memor esset; dicebatque: Triumphatoribus priscis convicia a quibuslibet solita fieri, et ab illis tolerari. Et vero, ut est sors terrenæ felicitatis infida, ab urbe expulsus est pag. 509. sed postea restitutus, pag. 510. Christi regia dignitas et felicitas post resurrectionem nunquam deperit: coronam illi quernam deferant innocentes, quos in terribili dæmonum conflictu, clypeo suæ protectionis servavit. Hederaceam coronam offerant pœnitentes, qui cum humi serperent, ad eius crucem sese applicuerunt, et cælum petierunt. Myrteam coronam offeraut Patriarchæ et Prophetæ, qui casto coniugio venereas flammas extinxere. Lauream coronam dent Apostoli et Martyres, qui de tyrannis et idolis triumpharunt. Oleaginam dent Confessores, qui misericordiæ operibus floruerunt. Argenteam Virgines, quæ miro candore et puritate excelluerunt. 17. Coronæ omnes Christo offerendæ. Præfecto cuidam urbis Romæ offeruntur coronæ multæ.

De Psalmo decantando ob resurrectionem suam dixerat iam Christus initio: sed ob vehementiam lætitiæ, iterum dicit, v. 4. ET PSALLAT TIBI, PSALMUM DICAT NOMINI TUO; id est, tibi. Arabs addit, *Altissime:* ita et S. Hilarius, et S. Augustin. et plerique codices Græci. Syrus vero reddit: *Laudabunt nomen tuum in sæcula.* S. Hieron. *Canat nomini tuo semper.* Sic solet vertere סלה *sela,* quod hic habetur, de quo egi Psalm. 3. 18. Vers. 4. 2. Pars.

Repetitur admonitio, ut Deo psallamus: quia, ut ait Evagrius lib. de octo vitiosis cogitationibus: *Dei crebrius recordari, quam spiritum ducere oportet.* Et postea: *Fac sermonem de Deo frequentius, quam cibos repetas.* Repetitur vero ter illa admonitio, ut toti Trinitati supplices simus. Ubi adverte, psalmos pios esse cantandos, et Davidicos præsertim, cæteros eliminandos. Sidonius Apollina- Crebro recordemur Dei.

ris Episcopus Arvernensis epist. 2. ad Agricolam, agens de aula regis Theodorici: Nullus, ait, ibi lyristes, choraules, mesochorus, tympanistria, psaltria canit. Rege solum illis fidibus delinito, quibus non minus mulcet virtus animum, quam cantus auditum.

Præsertim diebus Paschalibus. In Paschate præsertim psalmi canendi sunt, ut dixi art. 1. huius sectionis. S. Bernardus serm. in feria secunda Paschæ de Religiosorum psalmis in sacro præcipue illo die, sic ait: *O quam dulce est ante lucem surgere ad quærendum dilectum! Dulcis est quærenti illum. In lectulo meo quæsivi per noctes, quem diligit anima mea: quæsivi illum, et non inveni illum: restat ergo ut vadam ad monumentum, id est, ad Religiosorum claustrum, ad vigilias claustralium: quia ibi dilectum inveniam, etsi non secundum corpus. Etenim si cognovimus secundum carnem Christum, sed iam nunc non novimus. Civitatem custodiunt isti vigiles: Angeli sunt, quorum visionem se vidisse asserunt mulieres, quæ dicunt eum vivere, et per fervorem veræ dilectionis ostendunt Christum in suis cordibus habitare. Isti sunt vigiles observantes omni tempore custodias Domini. Ipsi excubant ad ostium tabernaculi, ipsi sunt Oriones et Hyades, et interiora Austri. Quam delectabile est eis interesse vigiliis: consurgunt de nocte in principio vigiliarum suarum, ut effundant cor suum coram Domino, et oratio eorum apud Altissimum. Ibi in medio iuvencularum tympanistriarum, principes coniunguntur psallentibus. Ibi in excessu mentis Beniamin adolescentulus, ibi resonat cælestis simul concentus. Ibi sunt Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus clamantia, et Cherubim sese versis vultibus in propitiatorium respicientia. Ibi iubilant omnes filii Dei, laudant Dominum sidera matutina. Ipsi sunt vere similes angelis, per studium angelicæ conversationis. Ipsi commissa est custodia monumenti, scilicet observantiæ regulares claustri.* Ita Bernardus, qui prius dixerat oleum effusum est nomen eius, oleum, inquam, effusum, unguentum aromatum, *iubilus cordium*, Iesus Nazarenus rex Iudæorum: ita ipse. Itaque psalmus etiam dicendus est nomini eius, id est, nomini Iesu, hoc est, nomini Salvatoris in Paschate. Resurrectio enim Christi fuit complementum redemptionis nostræ: et, ut docet S. Thom. 3. p. quæst. 56. art. 2. resurrectio Christi habet instrumentaliter virtutem effectivam, non solum respectu resurrectionis corporum, sed etiam respectu resurrectionis animarum. Similiter etiam habet rationem exemplaritatis respectu resurrectionis animarum: quia Christo resurgenti debemus etiam secundum animam conformari: ut sicut, secundum Apostolum Rom. 6. Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris: ita et nos in novitate vitæ ambulemus: et sicut ipse resurgens ex mortuis iam non moritur: ita et nos existimemus nos mortuos esse peccato, ut iterum vivamus cum illo: hæc S. Thomas.

Iesus est iubilus cordis. — *Resurrectio Christi est causa resurrectionis nostræ.*

19. Non sufficit adoratio externa et psalmodia, contemplatione mysteriorum opus est. Ideo addit Christus, vers. 5. Vers. 5.
VENITE, ET VIDETE OPERA DEI (quæ fecit, et faciet post meam resurrectionem) TERRIBILIS IN CONSILIIS (Arias et Felix, opere) SUPER FILIOS HOMINUM, id est, plusquam filii hominum: ita Arabs; 2. et melius, erga filios hominum, hoc est, erga homines: est enim Hebraismus. Deus porro est terribilis, id est, Primo, admirabilis in consiliis suis, id est, in iis quæ consulto et deliberate facit erga homines. Syrus vertit, plurima sunt miracula eius erga filios hominum. Secundo, *terribilis* in propria significatione melius hic sumitur, id est, tremendus, metuendus, admirabilis cum quodam horrore. Iob 25. 3. ait Baldad Suhites: *Potestas et terror apud eum est.* Sed in quibus terribilem se Deus ostendit post Christi resurrectionem? In electione Gentium, et in reprobatione Iudæorum, de quibus agit infra, ut videbitur sect. seq. S. Augustin. hic: *Vere terribilis*, ait: *ecce cæcitas ex parte Israel facta est: ecce Iudæi, ex quibus natus est Christus, foris sunt: ecce gentes, quæ contra Iudæam erant, in Christo intus sunt.* Itaque nobis volvenda est sententia S. Pauli Rom. 11. 20. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Lege etiam prima capita illius epistolæ. Theodorus Raytensis, id est, presbyter in monasterio de Raytu, qui floruit circa ann. 460. sic ait: *Time naufragium*, ait S. Gregorius cognomento Theologus, *et infrequentius ac difficilius impinges*, δειλα βοηθῶ χρώμενος, *timore usus adiutore et navarcho.* Adverte etiam, Deum non punire ex ira præcipiti, sed in consilio et matura deliberatione.

SECTIO SECUNDA.

20. *Duo proponit Christus. Primo, se a Deo Patre a mortuis esse excitatum, ut toti orbi, ac speciatim gentilibus dominetur, v. 6. Secundo, se in paradisum cum electis suis post multas tribulationes evehendum esse, v. 10.*

PARAPHRASIS.

6. *Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso.*	6. Olim Deus mare rubrum exsiccavit, ut populum suum educeret ex Ægypto: et fluvium Iordanem aquis vacuavit, ut illum introduceret in terram promissionis: ex his rebus lætitia etiam in nos redundavit.
7. *Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.*	7. Cum sit æternus, et potentissimus omnium Dominus, Gentilium curam gerit, eosque benignis oculis aspicit, atque gratiis complet. Itaque Iudæi, qui toties eum sceleribus suis, ac præsertim in me admissis, irritarunt, non superbiant, nec se filios Abrahæ iactament, et alios populos despiciant.
8. *Benedicite gentes Deum nostrum: et auditam facite vocem laudis eius.*	8. Vos vero Gentiles, ad veræ fidei lucem vocati, Deum meum ac vestrum extollite: nullus sit orbis angulus, in quo laus eius per vos non resonet.
9. *Qui posuit animam meam ad vitam: et non dedit in commotionem pedes meos.*	9. Qui me regem vestrum ac Dominum a morte excitavit, et cum durissimis luctantem cruciatibus potenti manu firmavit, atque inconcussum præstitit.
10. *Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.*	10. Hanc tibi laudem, o Deus meus, debitam esse profiteor: quia nos omnes variis cladibus et calamitatibus non attrivisti, sed probasti, tuos ut efficeres, teque dignos præstares: flammis nos urentibus non absumpsisti, sed expurgasti, sicut in catino expurgatur argentum, ut mundius sit atque sonantius.
11. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes*	11. Per deliciarum prata errabundos, in laqueum hostilem induxisti, ut captos ad te transferres: flagellis nos tyrannorum concidi permisisti, ut ad te velociori cursu

in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra. tenderemus: iumentorumque instar barbaris nos hominibus subiecisti, ut calcaribus fossi ad te suspiraremus.

12. *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* 12. Tribulationum gravissimarum igne excoctos, et undis prope obrutos, paterna manu e periculo subduxisti: atque amœnum in portum, et viridantes ac suavissimos hortos transtulisti.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTA TRIBULATIONIS FORTITER TOLERATÆ UTILITAS.

21. Ordo Sectionis. CHRISTUS superiori Sectione nationes omnes invitavit, ut Deum laudarent: nunc causam laudis illius aperit, nempe resurrectionem suam, et fructus inde consequentes, vocationem scilicet atque electionem gentium ad gloriam æternam.

Ac primo, antiqua Dei erga Iudæos beneficia memorat. Primo, quod eos ex Ægypto eduxerit per mare rubrum siccatum, v. 6. *Qui convertit mare in aridam.* Secundo, quod eos introduxerit in terram Chanaan, siccato Iordane fluvio: *In flumine pertransibunt pede.* Tertio denique, ob ea beneficia collata dicit se lætari, et Deum laudaturum: *Ibi lætabimur in ipso.*

Secundo, recentia et longe maiora beneficia erga Gentiles attingit, nempe electionem ad æternam gloriam, v. 7. *Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt.* Itaque Iudæis non esse superbiendum: *Qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.* Gentilibus Deum esse laudandum, v. 8. *Benedicite gentes Deum nostrum: et auditam facite vocem laudis eius.*

Tertio, beneficia sibi collata percenset. Primo resurrectionem, v. 9. *Qui posuit animam meam ad vitam.* Secundo, constantiam et perseverantiam in passione: *Et non dedit in commotionem pedes meos.*

Quarto, glorificationem suam et electorum suorum per tribulationes obtinendam commemorat. Utitur autem primo, similitudine rei inanimatæ, nempe argenti, vers. 10. *Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Secundo, similitudine avium captarum, v. 11. *Induxisti nos in laqueum.* Tertio, similitudine iumentorum oneratorum: *Posuisti tribulationes in dorso nostro.* Quarto, similitudine victorum, vel operariorum capite ligna et alia portantium: *Imposuisti homines super capita nostra.* Earum tribulationum acerbitatem declarat, v. 12. *Transivimus per ignem et aquam.* Fructum denique aperit: *Et eduxisti nos in refrigerium.*

ARTICULUS I.

Causæ lætitiæ in resurrectione Christi.

E PASSIONIS oceano, velut Moses e mari rubro, aut Iosue e Iordane fluvio, exiliens Christus, lætum ac triumphale canticum occinit. Ad singulas eius partes animum advertamus.

22. Vers. 6. Ac primo, figuras veteres attingit, v. 6. QUI CONVERTIT MARE IN ARIDAM, IN FLUMINE PERTRANSIBUNT (transiverunt) PEDE: IBI (in eo mari rubro, et in Iordane flumine) LÆTABIMUR IN IPSO, Deo scilicet, non in nobis ac nostris viribus. De transitu maris rubri habes Exod. 14. De transitu autem Iordanis habes cap. 3. lib. Iosue.

Ionas typus Christi resurgentis. Alleg. Transitus uterque denotat Christum ex Ægypto, id est, ex mundo tenebroso et sceleratissimo, transiturum ad Patrem per mare rubrum passionis suæ, et hostes suos in eo demersurum: item per Iordanem, id est, fluvium iudicii, venturum ad cælum, quod est terra promissionis. Ionas in mari iactatus tempestate, in ventre ceti latens, et ex mari incolumis egressus, typus est Christi in passione iactati, in lymbo quiescentis, et e sepulcro resurgentis. S. Cyrillus catech. 14. Ionas obdormivit in navi, ait, et stertebat in maris tempestate: et Iesu per providentiam obdormiente concitatum est mare, ut postea virtus dormientis agnosceretur: ita Cyrillus. Margaritæ Austriacæ symbolum. Cum mortua esset Margarita Austriaca regina Hispaniæ, symbolum in eius ho-

A norem hoc appictum est Romæ: margaritam seu unionem lapidem pretiosum in tabella posuerunt, non intra mare, sed intra thecam gemmariam, cum hac epigraphe: *Deseruisse iuvat mare.* Ex his scilicet vitæ fluctibus in securum paradisi portum evaserat. Navem cognomento Victoriam, quod orbem integrum decurrisset, et late furentis oceani vortices superasset, ad portum feliciter appellentem pinxerunt cum hoc lemmate: *Æmula solis.* Christus sole micantior exiit ab oceano passionis, et in sole posuit tabernaculum suum. Sole etiam velocior, exultavit ut gigas ad currendam viam suam.

Tropolog. Mare convertitur in aridam, id est, in terram solidam, et amaris aquis carentem, cum quis liberatur a fluctuatione et amaritudine rerum sæcularium: sive intrando domum religiosam, velut desertum aut terram promissam: sive gratiarum robur e cælo suscipiendo: tunc enim sub pedibus, id est, affectibus, mare fit solidum, ut accidit S. Petro in mari Tyberiadis, cum ad Christum e navi exiliens pergeret: dixerat enim Matth. 14. 28. *Iube* 23. Mare amarum est hic mundus.

B *me ad te venire super aquas.* Hoc admirans S. Augustinus in Ps. 39. *Didicit homo,* inquit, *magno studio in fune ambulare, et pendens te suspendit. Illum attende editorem maiorum spectaculorum. Didicit iste in fune ambulare, numquid scit in mare ambulare? Obliviscere theatrum tuum, attende Petrum nostrum non funambulum, sed, ut ita dicam, mariambulum. Ambula et tu, non in illis aquis, ubi Petrus aliquid significans ambulavit: sed in aliis, quia hoc sæculum mare est.* Idem sanctus Doctor in Ps. nostr. sic ait: Mare mundus amarus salsitate, turbulentus tempestate, sæviens fluctibus persecutionum, mare erat. Certe in aridam conversum est mare. Modo sitit aquam dulcem mundus, quia salsa plenus erat. Quis hoc fecit? Qui convertit mare in aridam. Iam anima gentium omnium quid dicit? Anima mea velut terra sine aqua tibi: ita Augustinus. Terrere vult Deus nonnunquam servos suos, ne pereant. Apostolos permisit tempestate iactari, sed brevi illam sedavit. S. Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 22. Christum sic loquentem inducit: *Esto mihi discipulorum*

C *præceptor, o mare, et pro flagello fluctuum terrorem iniice: attollantur undæ tuæ, armentur venti, iactetur undequaque scapha, naufragii minæ intententur, mors ostentetur, mortis expectatione pendeant, usque ad spem tamen stet terra: nam terreri volo, non occidi:* Hæc Basilius. Ligna quædam aquis supernatant, alia merguntur. Andreas du Chesne lib. 1. antiq. urbium Franciæ, cap. 11. p. 222. A S. Germani pago, ait, distat una leuca, Parisios versus, nemus cæduum: eius in medio iter est, cuius ab altera parte si ramum fregeris, et in aquam conieceris, pro cæterorum lignorum more in ea fluitabit: ab altera vero parte, accepti rami, ad aquæ fundum instar lapidis defluunt: eam ob rem a vulgo appellatur *proditionis lignum*, quod ob quamdam Ganelonis traditionem id contigerit. Iusti enatant ab aquis, et in mari mortuo huius mundi nihil vivum mergitur. Lignum ad aquæ fundum decidens.

Nota, Iudæi in ipso mari rubro, et in ipso Iordanis alveo plurimum lætabantur, iusti vero in ipsa tribulatione: quia sub eorum pedibus fit terra, id est stabilitas: *Ibi læ-* 24. In tribulatione lætatur vir iustus.

D *tabimur in ipso.* S. Iacobus cap. 1. epist. can. v. 2. ait: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Velut in vorticem et abyssum agitati maris. Hieronymus Columna dux Paliani, ac Præfectus copiarum regis Ferdinandi, pro symbolo sibi Sirenem sumpsit, familiæ suæ vetus ad apicem galeæ ornamentum, eique hanc adscripsit epigraphen, *Contemnit tuta procellas.* Petrus Franciscus Ferrerius Episcopus Vercellensis, et S. R. E. Cardinalis, pinxit follem pugilisrium, *un balon*, in mari procellis sæviente, eique hoc lemma iudidit, *Ina-* Hieron. Columnæ symbolum. Et Francisci Ferrerii.

nes minæ. Fluctus non timet vir mundo maior. Clotarius rex Francorum variis curis exercitatus rotam molendini figuravit in tabella dicente, *Convertunt, non evertunt:* aquæ scilicet rotam illam. Calamitatum aquæ mentem exercent, non mergunt, imo illam magis erigunt. S. Laurentius Iustin. lib. de casto connubio animæ, cap. 6. *Virtus*, ait, *languet, nisi exerceatur; lacessita autem crescit.* S. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 213. Videtur, inquit, ut plurimum humana natura in adversis quidem rebus modestiam colere; in secundis autem, petulantem se præbere. Atque hoc ex iis, quæ Hebræis contigerunt, apertissime liquet. Transierunt enim mare rubrum, nec periculi quidquam subierunt. Cum autem in terram venerunt, ἐναυάγησαν, *naufragium fecerunt:* hæc ipse. Saltem nobis et tranquillitas et fluctus sint in pari desiderio: sive in mari, sive in terra simus, in Deo simus et lætemur. Ludovicus VI. Galliarum rex pro symbolo ranam depingi curavit, eum hac epigrapho: *Mihi terra lacusque*, q. d. Modo in terra, modo in aquis versor. Idem in hippopotamo, crocodilo, et aliis amphibiis videtur.

Atque Clotarii regis Galliæ.

Ac Ludovici VI. regis Galliæ.

25. Facilius tamen lætantur Primo, qui in fluviis sunt placidis, et bona ac firma rate vehuntur. Apud Sinas, ut ait Trigautius noster, navigia quibus magistratus, quod semper sumptu publico fit, in fluminibus vehuntur, ita magna sunt, ut omnem familiam nullo suo incommodo vehant, ac si domi suæ versarentur. In iis enim variæ sunt stationes, aula, culina, cellæ: eæque ita eleganter exornatæ, ut principum virorum ædes, non navigia videantur. Ita sæpe contingit, ut ad instituendum solemne epulum, in huiusmodi se navigia recipiant, quoniam eodem tempore per flumina lacusque non sine voluptate navigant. Hæc Trigautius l. 1. de Christiana expeditione apud Sinas, cap. 8. pag. 90. Secundo, facilior est lætitia in littore, quando ibi stat Iesus, et cœnam apparat: sicut fecit post resurrectionem Petro, Thomæ, Nathanaeli, duobus filiis Zebedæi, id est, Iacobo et Ioanni, et aliis duobus discipulis, quibus e mari evocatis dixit: *Venite, prandete*, Ioan. 21. 12. In littore secura quies est etiam tempore tempestatis, quod Curtius Gonzaga, Castilionis marchio, suo symbolo edocuit, cum marinum vitulum in scopulo dormientem effinxit, quod illius belluæ proprium est, cum tempestas in mari desævit, et lemma addidit, *Sic quiesco*, q. d. Non curo tempestates, ab hostibus meis excitatas, sum securus in littore. Multi possunt dormire cum vitulis in ripa; sed pauci cum Iesu in ipso mari agitato. In fluminum ripis etiam deliciæ sunt, arboribus ibi lætius virentibus, et floribus lætius vernantibus, ob aquas se in terræ sinum infundentes. Walterus Paulus e Societate nostra ingeniose lusit cum Verallo Cardinali gratificaturus pinxit rosam in rivi iugiter fluentis ripa, cum hoc lemmate, *Ver alo.* Rosa autem est insigne gentilitium Verallorum.

A tribulatione emergit vir iustus.

Naves Sinarum ad delectationem.

Vitulus marinus in littore dormiens.

Rosa in ripa rivuli florens.

26. Symbol. S. Augustinus, *pede transire*, ait idem esse atque cum humilitate transire. Verba eius sunt: *Quid est pede transire? Facile transire: non quærat equum, et transeat, non erigatur superbia ad transeundum flumen: humilis transeat, et ocyus transit:* hæc ipse. Israelitæ pedites transierunt mare rubrum, eques Pharao ibi periit. Equum enim et ascensorem deiecit Deus in mare, Exod. 15. Vis flumen etiam cum delectatione transire? esto piscis similis Christo, qui est a Sibylla vocatus ἰχθύς, hoc est, piscis. Saltem in fluentibus et murmurantibus mundi aquis silebis. Quidam eleganter de fluvio et pisce dixit:

Pede transire

Ipsa domus resonat, tacitus sed non sonat hospes,
Ambo tamen currunt, hospes simul et domus una.

27. Per Resurrectionem Christi, non ipsi solum mare passionis vertitur in terram solidam et in consolationem, sed etiam eius alumnis, ac præsertim gentilibus. Hinc dicit ipse Christus v. 7. Qui dominatur in virtute (S. Hieronymus, in fortitudine. S. Hilarius in potentia) sua in æternum. oculi eius super gentes respiciunt. Te eius redundat. Sensus est, q. d. Domini oculi respiciunt super gentes. Qui exasperant, Deum scilicet. Hebraice, rebelles. Arabice, irritatores, non exaltentur in se-

Vers. 7.

A metipsis, dicendo se esse filios Abrahæ et contemnendo gentiles, tamquam incircumcisos.

Nota primo, Deus est supremus Dominus omnium hominum: unde κατ' ἐξοχὴν vocatur Dominus: Dominus nomen illi. Et sæpe in Scriptura habetur, dicit Dominus. Ita hic eum vocat, *Qui dominatur*, Ps. 98. 2. *Dominus in Sion magnus, et excelsus super omnes populos.* Eos intra se continet, sicut malum punicum grana. Theophilus lib. 1. ad Autolicum pag. 106. *Quemadmodum*, ait, *mali punici grana omnia cortice continentur: ita universa natura a Dei continetur spiritu. Spiritus vero, qui naturam universam consertam tenet, a Dei manu continetur.* Matth. 28. 18. Christus de seipso ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.* Et Apocal. 19. 16. dicitur: *Rex regum, et Dominus dominantium.* Secundo, Deus est Dominus potens, cuius potestati nemo potest resistere: *Qui dominatur in virtute sua*, id est, in fortitudine, quæ est ipsi intrinseca, quam a nullo alio mutuatur. Dei enim potentia identificatur eius essentiæ. Vincentius Vallerus symbolum assumpsit sibi ensem districtum cum hac epigraphe: *Vice valli ero:* quo et nomen et cognomen prope continebat, sententiamque complectebatur fortitudine militari plenam. Rationem affert noster Sylvester Petrasancta lib. 8. Symbol. heroicor. Quasi, ait, auctor symboli polliceretur, non a muro, nec a vallo, nec ab ullis castris, sed a solo gladio sibi in acie munimentum fore: ita ille. Deus autem solo scuto bonæ voluntatis suæ servos protegit et coronat. Tertio denique, Deus est Dominus æternus: *Qui dominatur in virtute sua in æternum;* a S. Paulo vocatur 1. Timoth. 1. 17. *Rex sæculorum:* quo significat, ait Cornelius, quod Deus est primum et æternum ens, et consequenter rex, auctor, ordinator, distributor, moderator et dominus omnium sæculorum, hoc est, et æternitatis suæ, et ævi, sive æviternæ vitæ angelorum, et temporum nostrorum: hæc enim omnia manant a Dei æternitate. Unde pulchre et divine S. Dionysius de divinis nominibus, cap. 5. 7. et 10. hunc locum explicans, ait: *Ex eo quia est Deus æternus, rex sæculorum, sæculum est, essentia, et ens, et tempus, et generatio, et quod generatur, et quod quomodocumque subsistit.* Omne enim esse temporaneum manat ab esse æterno et perpetuo, quod est in Deo Rege sæculorum: *Et idcirco*, inquit Dionysius, *Deus dicitur rex sæculorum: utpote in quo, et circa quem, totum esse et ens subsistensque versetur.* Unde pro *sæculorum*, Græce est αἰώνων; αἰὼν autem significat 1. æternitatem Dei; 2. ævum angelorum, ævum et durationem hominum: æternitas enim, quæ duratio est, nec principium nec finem habens, soli Deo competit: æternitas vero quæ principium habet, et catenus convenit cum tempore nostro: sed caret fine, et catenus participat aliquid æternitatis divinæ, angelis tribuitur, et animæ rationali. Hinc, ut ait Aristoteles lib. 1. de cælo, cap. 9. dicitur, αἰὼν, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι, id est, ab eo quod semper sit. Forte voluit Apostolus perstringere fictos æones Valentini, et his opponere Deum verum Dominum æonum omnium: hæc Cornelius in epist. ad Timotheum. 28.

Deus est Dominus: 1. omnium hominum.

2. Potens.

3. Æternus.

Nota secundo, oculos Dei esse beneficos: *Oculi eius super gentes respiciunt*, ut eas illuminent, iisque providcant. Ps. 117. 24. *Deus Dominus* est, et *illuxit nobis.* Non vult tenebras in anima sibi subdita. Est sol omnes contemplans atque illustrans. Ps. 118. 132. *Aspice in me, et miserere mei.* Neque gentiles et peccatores aversatur. Prov. 15. 3. *Oculi Domini contemplantur bonos et malos.* Matt. 5. 45. *Solem suum*, id est, gratiam suam, *oriri facit super bonos et malos.* Franciscus Villadumius magnus Præses Equitum Rhodiorum solem lumine corusco conspicuum in tabella proposuit, cuius id erat lemma: *Ubique similis*, q. d. Sibi perinde esse, sive pacem, sive bellum Turcæ optarent. Deus ubique est similis, qui omnibus pari face lucet, neque ullis nebulis splendor eius obscuratur. Strutiocamelus ova fovet non incubando, sed aspiciendo, soloque contuitu pullos excludit. Salvatoris aspectus tantæ fuit efficaciæ, ut Zachæum videns, eum converterit, Luc. 19. 5. Matthæum videns in telonio Apostolum fecerit, Matt. 9. 9. Petrum 29.

Oculi Dei sunt benefici.

post negationem aspiciens, in pœnitentis lacrymas solverit. Huic et nos dicamus: *Aspice in me, et miserere mei.* Sole oriente, adulto et occidente, lotos germen exurgit, consistit et recliuat. Idem facit anima ad Dei aspectum vel absentiam. De Deo dicitur Apoc. 1. 8. *Ego sum α et ω, principium et finis,* id est, sum æternus, ait Aretas, carens scilicet principio et fine: vel, ut alii explicant, ego sum causa efficiens et finalis universorum. Sic Plato ait: *Deus est, qui in principium, medium, et finem rerum omnium complectitur.* Iupiter dicebatur, τερμιος, id est, terminalis, quia omnium rerum est principium et terminus. De Christo etiam dicitur Apocal. 22. 13. *Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis.* Oculi eius ab æterno et in æternum super homines omnes respiciunt, ut eos iuvent, et ad vitam æternam resuscitent. S. Ambrosius lib. de Instit. Virg. cap. 11. *Vide,* ait, *clementiam Christi: ipse est primus et novissimus. Qui primus erat, propter nos se novissimum fecit. Primus, quia per ipsum omnia: novissimus, quia per ipsum resurrectio. Descendit enim et proiecit se ut caderet, infra omnes se faciens, ut omnes iacentes levaret:* ita Ambrosius. Qui dominatur in virtutesua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt. Gentes sceleribus pollutæ horrorem aspicienti ingenerabant, sed Deus eas mediante misericordia sua, velut vitro trigono, contemplatus, pulchras fecit. In eam rem quadrat symbolum Ioannis a Rosmarino, qui in aulam Petri Aloysii Carafæ Episcopi et Legati admissus, ut ostenderet se licet abiectum optime ornari aspectu tanti viri, crystallum admodum longioris trianguli figuravit, hoc elogio addito: *Vel fœda nitescunt.*

30. Deum exasperant Iudæi. Nota tertio, si Domino æterno placere volumus, servi eius humiles simus, et diligenter superbiam vitemus: QUI EXASPERANT (S. August. qui amaricant. S. Hieron. qui increduli sunt. Felix et Pagn. rebelles) NON EXALTENTUR IN SEMETIPSIS. Humillentur in seipsis, ait S. Aug. exaltentur in Christo. Quæres, qui sint qui exasperant et amaricant Deum? Resp. primo, Iudæi eum sæpe ad iram provocaverunt. Unde ab Ezechiele, cap. 2. 5. dicuntur domus exasperans. Non est autem quod exaltentur, ut probat S. Paulus in epist. ad Romanos cap. 2. 3. et 4. ubi ostendit omnes peccavisse, et egere gloria, id est, gratia Dei. Et cap. 3. ait Iudæo: *Ubi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem* (quæ per charitatem operatur, ut ait Galat. 5. 6.) *sine operibus legis,* Mosaicæ. *An Iudæorum Deus tantum? Nonne et Gentium? Imo et Gentium. Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem;* id est, tam circumcisos Iudæos, quam præputiatos Gentiles. Eccl. 9. 4. ait Salomon: *Melior est canis vivus leone mortuo,* quod explanans Salonius S. Eucherii filius, et Salviani discipulus, qui floruit circa ann. 470. ait: *Canis vivus significat populum Gentium: Leo mortuus populum Iudæorum a Deo derelictum. Melior est ergo apud Deum canis iste vivus, quam leo ille mortuus: quia nos, qui de gente credimus viventes, per fidem cognoscimus Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum.*

31. Et superbi. Secundo, qui exasperant, et ad iram provocant Deum sunt superbi. Deus enim superbis resistit, ut dicitur Iacobi 4. 6. Salonius loco mox citato pergit: *Canis vivus est, peccator, qui se peccatis mortuum confitetur, et per pœnitentiam resurgens incipit per iustitiam vivere. Leo mortuus est iustus, qui in sua iustitia confidit, et de meritis suis gloriatur, et idcirco superbia elatus mortuus est apud Deum.* Hoc in Pharisæo et Publicano patuit, Luc. 18. Nonatus monachus Catholicus homil. de humilitate et obedientia, et de calcanda superbia, quæ extat tom. 4. Biblioth. Patrum, vere dixit: *Via salutis non est nobis pervia, nisi humilitas:* ita ipse. Crocus gaudet calcari et atteri, pereundoque melius provenit: ideo iuxta semitas et fontes lætissimus, ut ait Plinius. Hinc Bernardinus Rota mortuam uxorem tabella honoravit, in qua crocum appinxit cum hoc lemmate, *Pereundo melior,* ut indicaret eam clausisse vitam optimam meliori morte. Nos pereundo et perdendo, nosque omnibus substernendo in dies singulos evadamus meliores. Zacharias Mytilenæus Episcopus disputatione de mundo ad eam mentis demissionem nos hortatur: Præclarum est, ait, serviiem suam conditionem agnoscere, quod arrogantiam, et audaciam, et superbiam, et fastum exterminat, το πρωτον και τελευταιον κακον, *primum et extremum malum,* et omnino spiritus comprimit, et in memoriam revocat Delphicam inscriptionem: Nosce teipsum: ita Zachar.

32. Atque omnes peccatores. Tertio denique, qui exasperant et ad iram provocant Deum, sunt omnes peccatores. Sap. 14. 9. *Similiter odio sunt Deo, impius et impietas eius.* Illos recte monet S. Augustinus: *Humilientur in seipsis, exaltentur in Christo.* Non enim debent desperare. Dicant cum S. Paulino Episcopo Nolano, qui floruit circa ann. 420. *Christum amemus, quem amare debitum est: illum osculemur, quem osculari castitas est: illi copulemur, cui nupsisse virginitas est: illi subiiciamur, sub quo iacere supra mundum stare est: propter illum deiiciamur, cui cadere resurrectio est: illi commoriamur, in quo vita est.* S. Paulus dicebat Philip. 4. 13. *Omnia possum*, sed ne viribus suis fidere videretur, addebat, *in eo qui me confortat.*

33. Vers. 8. Ex benignitate Dei Gentiles præ Iudæis aspicientis et illuminantis per Christum, recte infert ipse Christus, eos debere Deum benedicere ob suam resurrectionem. Unde addit v. 8. BENEDICITE GENTES (S. Hieronymus et Felix, populi) DEUM NOSTRUM (Psalt. Rom. addit, Dominum) ET AUDITAM FACITE (S. Augustinus et Cassiodorus, audite. Sed noster signatius, auditam facite) VOCEM LAUDIS EIUS, id est, eum laudantem: est Hebraismus.

34. Vers. 9. Christus a morte surrexit. Causam monitionis dat v. 9. QUI POSUIT ANIMAM MEAM AD VITAM: ET NON DEDIT IN COMMOTIONEM PEDES MEOS. Ponere animam ad vitam, est iterum illam corpori unire, ut actus vitales in corpore exerceat. Inter Platonicos, resurrectionis quoddam genus admittebatur. Plato enim in Phædone immortales esse hominum animas inde probat, quod contrariorum vicissitudinem esse oporteat, atque a vita ad mortem, et vicissim a morte ad vitam fieri transitum, quod ille nominat αναβιωσκεσθαι, id est, *reviviscere.* In quo transfusionem animarum a corporibus in corpora admittere videtur: et Diogenes Laertius id inter Platonis placita enumerat. Christus melius Psalm. 117. 16. *Non moriar, sed vivam: et narrabo opera Domini.* Mors enim eius tantum somnus fuit, ex quo Patris æterni voce, velut leonis rugitu, est excitatus. Sic enim Abigail 1. Regum 25. 29. dicebat Davidi nostro: *Erit anima Domini mei,* id est, tua, *custodita quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum;* de rege universorum quid dicetur?

35. Et nos cum ipso resurgemus. Nota, in Hebr. est *animam nostram:* et *pedes nostros.* Christus enim in sua et suorum persona sæpe loquitur in Psalmis. Scit autem omnes resurrecturos. S. Cyrillus Ierosol. catech. 18. fol. 212. *Arbor,* inquit, *excisa rursus floret: homo autem excisus non florebit? et seminata demessaque in areis manent: homo autem ex hoc mundo demissus non manet in æternum?* Hinc Matth. 19. 28. dicitur: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis,* etc. Est enim resurrectio veluti nova generatio, in novam enim vitam transmutatur qui resurgit. S. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 43. id probat ex transmutatione elementorum. Verba eius sunt: *Ignis crassitiem contrahens, ac deorsum vergens, aer efficitur: aer, aqua: aqua terra: ac rursus terra extenuata in aquam: aqua in aerem: aer in ignem commutatur. Quid igitur incredibile dicimus, cum corpus hoc, quod nunc maxima ex parte terræ particeps est, cum attenuatur, æthereum ac spirituale fieri affirmamus?* Tatianus Assyrius in oratione contra Græcos: Quamquam, inquit, aut in fluviis, aut in mari contabescam, aut a feris dilanier, ταμειοις εναποκειμαι πλουσιου δεσποτου, condor in thesauris divitis Domini: ita ille. Secunda generatio hæc est gloriosior prima. S. Ambr. serm. 48. hoc de ipso Christo dicit: *Ubique, ait, beato corpori defertur sanctitas, ubique virginitas, purus illud venter concipit, novus tumulus includit, quin potius ipsam sepulturam vulvam dixerim; est enim*

similitudo non parva: sicut enim Dominus de matris vulva vivus exivit, sic de sepultura vivus surrexit, nisi quod gloriosior ista est, quam illa nativitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale. Post illam nativitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cælos.

36. *Vita hæc pro nihilo ducenda.* Ex his colligitur Primo, mortalem hanc et onerosam vitam negligendam esse. Clemens Alex. lib. 5. Strom. p. 437. ait, vitam istam a Platone vocari noctem. Plato ait in septimo de Republ. eum qui est hic diem, νυκτερινὴν, *nocturnum* appellavit, propter mundi principes, ut sentio, harum tenebrarum: somnum vero et mortem animæ descensum in corpus, eo modo quo Heraclitus: ita Clemens. Secundo, omnia vitæ huius miseræ bona esse contemnenda, ut veram vitam vivamus. Salvianus lib. 3. ad Eccles. Cath. *Quidquid libet*, inquit, *dederis pro te, vile est. Quidquid pro te obtuleris, parvi pretii est. Quia anima tua omnium est rerum comparatione pretiosior. Et ideo nihil dubites pro te dare: quia si te amiseris, omnia in te perdis: si autem te lucrifeceris, tecum, et in te omnia possidebis.*

37. *Deo iuvante tribulatio est ferenda fortiter.* Tertio, tribulationes fortiter ferendas esse. Momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Et mors nostra est transitus ad vitam. Idiota lib. 2. de vera patientia: *Nequaquam*, ait, *contemnenda est tribulatio, quæ cordis est sanitas, et via recta ad vitam.* Quarto, hæc constantia in afflictionibus huius vitæ petenda est a Deo, de quo hic dicit Christus, *Non dedit in commotionem pedes meos.* Illius est omnes stabilire. Eduardus VI. rex Angliæ, in symbolum sibi assumpsit orbem catenatum, atque e cælesti pendentem manu, cum hac epigraphe: *Nil sine Deo*, q. d. Nihil stare posse globo versatili, nisi catenis cælestibus vinciatur, totumque mundum a Dei pendere potestate, ut cui voluerit, regna conferat atque principatus. Andreas Sfortia marchio Palavicinus, et Venetarum copiarum generalis dux, alas in summa pyramidis parte posuit, cum hoc elogio, *Immobilis*, q. d. Constantiam se omni celeritati anteferre. Difficile est in orbe facile mobili, et semper agitato, prorsus non moveri, sed Deus firmitatem addet, nec dabit in commotionem, velut in abyssum et vorticem devorantem, pedes et affectus nostros, et nos non inducet in tentationem. Quinto denique, hinc colligitur Christum resurgentem, et resurrectionem nobis promittentem, esse ab omnibus gentibus benedicendum. Henricus I. rex Lusitaniæ, Africam numerosa classe petens, pro symbolo alatum sibi Pegasum sumpsit, qui extremis pedibus leonem protereret, lemma porro symboli erat: *Perennitas laudis.* Christus resurgens limbos et purgatorium captivis vacnavit, et victor orbi suam opem obtulit: *Benedicite itaque gentes Deum nostrum.* Turcæ ipsi diem resurrectionis Christi cum gaudio celebrant, ut refert Bartholomæus Georgieviz Peregrinus lib. 1. de Turcarum cæremoniis, cap. 1. Turcæ, ait, Pascha celebrant quod Bairam vocant, illudque per triduum magna celebritate faciunt: obliniunt ungues manuum et pedum certo ceromate, ab eis *Chna* appellato, quod ungues rutilas efficit, eadem quoque tinctura caudas equorum et pedes imbuunt. Mulieres non solum ungues, sed manus etiam et pedes illo ceromate perungunt: ita ille.

38. *Orbem velut catena nexum tenet Deus.*

ARTICULUS II.

Resurgens Christus alumnos suos in cælum ducit, sed tribulatione probatos.

39. *Vers. 10. et 11.* Ut magis excitet gentes ad benedicendum Deum, quod non dederit in commotionem pedes suos, aperit Christus vehementiam commotionis et passionis suæ, eiusque mercedem, nempe datum refrigerium: ait enim vers. 10. QUONIAM PROBASTI NOS DEUS: ET IGNE NOS EXAMINASTI, SICUT EXAMINATUR ARGENTUM.

Vers. 11. Et quoniam: INDUXISTI NOS IN LAQUEUM, POSUISTI TRIBULATIONES IN DORSO NOSTRO: Et quoniam IMPOSUISTI HOMINES SUPER CAPITA NOSTRA: Et quoniam, v. 12. TRANSIVIMUS PER IGNEM ET AQUAM: ET EDUXISTI NOS IN REFRIGERIUM. *Vers. 12.*

Nota, plerisque placet virtus, si modo velut alciones in tranquillo mari nascantur: si vero vel levissimus flatus oriatur, voluptatum prata perquirunt. Animo pacato cælestia contemplantur, dum cælum lumine, terra pace illis blanditur: si vero lapillum in eos intorseris, Olai antro sonantiores strepitus edent ac murmura. Facie modesta, verbisque sericis omnes oblectant ac demulcent, dum laudibus blandiris: ubi autem verbo læseris, igneis globis penetrantiores ictus inferent. Illos Scipionis Barghalii sclopeto comparem, in quo rotula cum igniario silice hanc habet epigraphen: *Si tangar.* Levi enim digiti attactu latentes glandes displodet. Tange montes, et fumigabunt. Christus vero sectatores suos vult esse lucernas versatiles, oleo sacro plenas, de quibus possis dicere: *Verte, non extingues.* Vult eos esse rosas inter alias fragrantiores, et mediis in spinis tutiores, atque admirabiliores equos, qui lupi morsu fiant generosiores: Cubos, qui coniecti in terram semper stent erecti firmique: Aratra, quæ usu splendescant, et corda omnium divino amore in tribulatione melius penetrent. 40. *Multi virtutem deserunt cum tribulantur.*

Nota secundo, ad bene ferendam tribulationem utile est eam suscipere, velut a Deo immissam. Ideo dicitur, *Probasti nos Deus.* Sic David noster fugiens rebellem Absolonem, et audiens convicia Semei sibi maledicentis, impetum Abisai occidere volentis illum maledicum, repressit hac cogitatione: *Dominus præcepit ei, ut malediceret David! et quis est qui audeat dicere, quare fecerit?* 2. Reg. 16. 10. Rabsaces vero dux Sennacherib regis Assyriorum hortatur Ierosolymæ cives, ut se dedant regi suo, quia a Deo missus erat, lib. 4. Reg. 18. 25. *Dominus dixit mihi: Ascende ad terram istam, et demolire eam.* Nisi malis per Dominum intelligere Sennacherib regem. Pharao Nechao rex Ægypti, cum pergeret in Carcamis iuxta Euphratem, anno mundi 3425. fundati templi 403. Romæ conditæ 124. ante Christum 628. Iosiæ regi Iudæorum sibi transitum neganti dicebat, 2. Paralip. 35. 21. *Contra aliam domum pugno, ad quam me Deus festinato ire præcepit: desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te.* Cum Iosias eum non audivisset, in pugna est occisus. Attila iactitabat se esse flagellum Dei. Tamerlanes rex Scytharum se esse iram Dei. Alexander Magnus se a Deo, qui Pontificis Iudæorum habitu apparuisset, ad Asiaticam expeditionem incitatum. Titus clamabat, se invitum ad Ierosolymæ excidium esse compulsum. Nullum est malum pœnæ in civitate, quod non fecerit Dominus. 41. *Tribulatio velut a Deo missa suscipienda est.*

Tertio nota, tribulationem immitti a Deo non odio prosequente, sed amante et probante atque expurgante: *Probasti.* Hebr. בחנת *bachantha*, id est, periculum fecisti, explorasti, tentasti, examinasti, expertus es. Moses loquens Israelitis monet, ne pseudoprophetas sequantur ad idola compellantes. Deut. 13. 3. *Tentat* (tentari permittit) *vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non, in toto corde et in tota anima vestra.* Longe magis id fit, cum afflictiones corporales immittuntur. Ut enim ait S. Petrus Damian. ser. 40. Virtus in pace acquiritur, in persecutione probatur: ita ipse: Nec probatur tantum, sed splendescit. Quidam ad chalybem et igniarios silices Equitum velleris aurei appinxit: *Ante ferit, quam flamma micet.* Deus electos percutit, ut eos luce sua illustret: stellæque et gemmæ melius noctu lucent, quam interdiu. Ut sentias, an a magnete acus sit contacta, illam move, videbis consistere, cum ad polum respexerit. Petro Aloysio Carrafæ in symbolum placuit libra cum his verbis: *Consistam in æquo*, q. d. Deprimant infausta, prospera elevent, consistam in mediocritate et in virtute. Cassianus itaque sapienter monet, nos semper debere esse paratos ad suscipiendas tribulationes de manu Dei. Sic autem ait lib. 4. cœnob. Institut. cap. 42. *Patientiam tuam non debes de aliorum sperare virtute: id est, ut tunc eam tantummodo possideas, cum a nemine* 42. *Et quidem nos amante.*

fueris irritatus: quod, ut possit non evenire, tuæ non subiacet potestati: sed potius de humilitate tua et longanimitate, quæ in tuo pendet arbitrio.

43. Auro et argento est similis vir iustus et fortis.

Quarto nota, viri excellentes et virtute præditi similes sunt argento et auro. Eusebius lib. 13. de præparation. cap. 25. dicit, Platonem videri transcripsisse id quod ab Ezechiele scribitur, de ære, stanno, ferro, plumbo, scoria argenti, deque ira Dei conflantis, atque velut fabulam sicut Plato vocat, proponi. Narrabat scilicet, omnes in eadem civitate degentes fratres esse: cum Deus illos fingeret, aurum immiscuisse iis, qui ad gubernandum apti sunt: argentum iis, qui civitatem armis defendunt: ferrum et æs agricolis aliisque opificibus assignasse: interdum ex auro nasci argentum, ex argento aurum: præcipere magistratibus Deum, ut magnam diligentiam habeant, si quis degeneraverit ab auro in argentum, aut ex argento in peiora, nullo modo ignoscant, sed naturæ congruentem reddentes honorem, in opifices aut agricolas deducant: si a peioribus argentum vel aurum productum sit, honoretur iste, et ad convenientem locum argenti vel auri conscendat: si ferrum aut æs ad regendum pervenerit, civitatem esse destruendam: hæc ille symbolice. Salomon Prov. 10. 20. ait: *Argentum electum lingua iusti.* Cornelius in eum locum quinque affert analogias argenti et linguæ iusti: 1. in candore et nitore; 2. in pretio; 3. in soliditate; 4. in puritate; 5. in sono. Illum consule, et dicta a me Ps. 11. 7. *Eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum septuplum.*

44. Argentum illud est purgandum igne.

Quinto enim nota, argentum esse igne excoquendum, ut a scoria expurgetur, et magis luceat: *Igne nos examinasti.* Hebr. צרפתנו *tsaraphtha*, id est, excoxisti: ita Arias; conflasti: ita S. Hieronymus et Felix; expurgasti a scoriis in conflatorio, explorasti velut igni. In Proverbiorum loco citato, ubi habemus, *Argentum electum lingua iusti*, Septuag. vertunt πεπυρωμένον, hoc est, ignitum, igne examinatum, igne defæcatum et purgatum tum a terra et scoria, tum a stanno, plumbo, aliisque metallis. Nam, ut ait Plinius lib. 34. cap. 46. in eadem vena nascitur stannum, argentum et plumbum. Materia enim igne liquata primo fundit stannum, deinde argentum et plumbum.

45. Argentum est stanno et plumbo mistum.

Eius, ait Plinius, *qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur: qui secundus, argentum: quod remansit in fornacibus, galena, quæ portio est tertia addita venæ. Hac rursus conflata dat nigrum plumbum.* Magna enim est metallorum inter se vicinitas, ideoque argentum accedit ad aurum. Unde, ut idem ait lib. 33. cap. 4. *Omni auro inest argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte*, etc. *Ubicumque quinta argenti portio est, electrum vocatur;* quod priscis in pretio fuisse testatur. Modum vero eruendi et purgandi argenti idem describit lib. 33. cap. 6. *Nonnisi in puteis*, inquit, *reperitur, nullaque sui spe nascitur, nullis ut in auro lucentibus scintillis. Terra est alia rufa, alia cineracea. Excoqui non potest, nisi cum plumbo nigro, aut cum vena plumbi, galenam vocant, quæ iuxta argenti venas plerumque reperitur, et eodem opere ignium descendit pars in plumbum: argentum autem superne innatat, ut oleum aquis. Reperitur in omnibus pene provinciis, sed in Hispania laudatissimum:* hæc Cornel. in Proverbia. Ignem inferorum, sapientem ignem vocat Minutius Felix, quod comburat, non absumat corpora: ignis tribulationis sapiens est, quod terrena vincula in cineres redigat, et ad pedes deiiciat, ut conculcentur, mentem vero non lædat. Verba Minutii de inferis loquentis sunt: *Illic sapiens ignis membra urit, et*

46. Tribulatio dat libertatem.

reficit: carpit, et nutrit. Tribulationis ignis commodius comparabitur igni sapienti, comburenti vincula puerorum in fornace Babylonica, et eos ac vestes ipsorum non lædenti. Expedit enim tribulatio a terrenis affectionibus, ac libertate animam donat. R. Iohanan: *Quem*, ait, *Deus amat, hunc corrigit et punit: si herus servo dentem aut oculum excutit, Dei lege tenetur eum liberum dimittere: quanto magis liberum hominem facient flagella a Deo inflicta, quæ totum hominem corripiunt?* Itaque S. August. epistol. 87. vocat tribulationem præstitum a Deo beneficium. S. Laurent. Iustin. lib. de casto connubio, cap. 6. Virtus, inquit, languet, nisi exerceatur: lacessita autem crescit. Ignis quo plus agitatur, plus serpit. S. Chrysost. hom. 3. in Matthæum: Iustitia, inquit, in tentationibus floret, in prosperitate autem marcida est. Origenes hom. 27. in Numeros, tentationes vocat animæ custodiam et munimen. S. Hilarius in Psal. nostr. ostendit Martyrum alacritatem in perferendis ignibus et tormentis, quod scirent se illis probari et purgari. *Examinandi*, ait, *argenti illa sola ratio est, ut sordes, quæ ex prima terra materiæ adhæserint, decoquantur: et quæ fraudulenter ex alterius metalli natura admista fuerint, purgentur. Deus itaque credentes in se non tamquam fidei eorum ignarus examinat: sed quia etiam secundum Apostolum tentatio probationem affert, examinantur credentes non ad cognitionem Dei, sed ad sui probationem: ut igne purgati, et ab admistione vitiorum carnalium defæcati, splendeant examinatæ innocentiæ claritate. Tentationum autem genera, et diversas Martyrum victorias contuentes, scimus quibus modis anima ponatur in vitam, cuius contemptu desævientibus pœnarum ingeniis, a fidei gressu et testimonio non moventur. Alii enim in vinculis carcerum gloriantur, alii cæsi in verberibus gratulantur, alii potestati irreligiosorum desecanda felicium capitum colla submittunt: plures in extructos rogos currunt, et trepidantibus pœnæ ministris, ignem saltu devotæ festinationis insiliunt: alii in profundum dermergendi non in aquas necaturas, sed in refrigerium æternæ beatitudinis decidunt, toto ipso se corpore Deo hostiam tamquam holocausta præbentes. Percurrit ergo per hæc passionum genera ex persona Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum propheticus sermo, dicens: Igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentum:* ita Hilarius. 47.

S. Laurentii, et S. Saviniani fortitudo.

S. Laurentius in craticula assatus clamabat ex Ps. 16. 3. Probasti cor meum, et visitasti nocte: igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. S. Savinianus Trecensis dicebat Aureliano Imper. Excoque carnem igne totius tribulationis, ut resudet in me si quid est æruginis. Nam thus magis fragrat iniectum ignibus: ita ipse. Salomon ait Prov. 25. 4. *Aufer rubiginem*, Chald. scorias, *de argento, et egredietur vas purissimum.* Hinc magna consolatio sumi potest in afflictionibus. S. August. in Ps. 94. In manibus, ait, artificis es, aliquid tibi tollit, aliquid corrigit, aliquid complanat, aliquid mundat, agit quibusdam ferramentis suis. Non vult refici, non vult perfici, non consummari qui tentationes fugit. Cassianus Collat. 18. cap. 13. Non esset, inquit, laudabilis, nec admiranda patientia, si nullis inimicorum iaculis impetita tranquillitatis propositum retineret: sed in eo est præclara atque gloriosa, quod irruentibus in se tentationum procellis immobilis perseverat. Nam in quo vexari frangique adversitatibus creditur, in eo potius roboratur: et in eo magis acuitur, in quo putatur obtundi: ita Cassianus. Si ignem veremur, signum est nos neque aurea neque argentea præditos esse anima. Plato in Gorgia: Si, ait, aurea mihi anima foret, nonne arbitrareris me libenter reperturum aliquam ex his lapidibus, per quos probari solet aurum optimum? ad quem animam admovens meam, si ab ipso quasi recte educata approbaretur; certo scirem, me satis habere, nec probatione ulterius alia indigerem: ita Plato. S. Laurentius Iustinianus tract. de ligno vitæ: Sicut, inquit, sub eodem igne aurum rutilat, palea fumat: ita una eademque tribulatio irruens bonos probat, purificat et elucidat: malos autem damnat, vastat et exterminat. In prologo autem de triumphali Christi agone: Uniuscuiusque opus, ait, quale sit, tribulationis ignis et persecutionis ac tentationis probat procella: hæc ipse. Aliqui excoquuntur, sed velut plumbum, ut consumantur. Ierem. 6. 29. *In igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.* Antequam enim nota esset argenti vivi efficacia plumbum adhibebatur ad conflationem, habet magnam vim separandi scoriam, et alia mista, eo quod vim liquandi habeat. Nunc

ad id utuntur argento vivo: sed adverte, illud ipsum argentum vivum in igne non durare, sed evaporari et resolvi, et in fumum ac nihilum evanescere et eliquari. Persecutores purgant alios, et ipsi pereunt. Argentum vivum quid sit, docet Plinius lib. 33. cap. 6. aitque, esse venenum rerum omnium, exedere et perrumpere vasa permanans tabe dira.

48. (In tribulatione vir fortis est: 1 adamas in igne 2. salamandra.) Constantiam viri fortis, ac Martyrum præsertim, aliis comparationibus explicare possis. Primo, adamantis in medio igne illæsi. Nicolaus Antonius Marchio de Vico, ut constantiam profiteretur, in igne et inter malleos adamantem effigiavit, hoc addito lemmate, *Semper adamas*. Secundo, salamandræ in igne viventis. Ioannes rex Aragoniæ, mediis in ignibus salamandram pinxerat, cum hac epigraphe, *Durabo*. Plinius lib. 10. cap. 67. Salamandræ, inquit, tantus rigor, ut ignem tactum extinguat, non alio modo quam glacies: ita ipse. Sestius id negat; experientia docet, in igne aliquamdiu durare propter summum frigus, sed tandem comburi. Vir autem Deo plenus, propter summum ardorem charitatis in quantolibet igne invictus perseverat. Alexander Imper. dicebat: Decet viros fortes atque moderatos optima quidem optare, sed ferre quæcumque incidant. Ut enim quæ cum voluptate agimus, dulcia: (3. tela ex asbestino lapide. 4 tela ex lino Indico incombustibili.) ita quæ cum virtute, gloriosa sunt: ita Alexander. Tertio denique, Martyres in mediis ignibus, et pios in media tribulatione illæsos, optime conferes telæ confectæ ex asbestino lapide, aut ex lino Indico. De primo, afferri potest symbolum Marci Antonii Columnæ, qui erat dux Paliani, is, ut constantiam suam, qua contra Gallorum Venetorumque exercitum Veronam tutatus est, declararet, symbolum hoc sibi assumpsit, talarem scilicet vestem ex asbestino, seu amiantho lapide contextam, ignique magno impositam, in eoque illæsam. Lapis enim hic in subtegmina finditur, ac texitur, et flammam non sentit. Inscriptionem hanc adiecerat: *Semper pervicax*. De secundo, nempe de lino Indico, habes symbolum Petri Francisci Tortoli, qui mappæ ex hoc lino contextæ, atque in ignem coniectæ, adscripsit lemma: *Terget, non uret*. Sic tribulationum ignis iustos purgat, non adurit. Sed Plinium de illo lino loquentem audiamus. Sic enim ait lib. 19. cap. 1. *Linum inventum est etiam, quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igne magis quam possent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis favillam ab reliquo separant cinere. Nascitur in desertis adustisque sole Indiæ, ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes: assuescitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cætero color, splendescit igne. Cum inventum est, æquat pretium excellentium margaritarum. Vocatur autem a Græcis asbestinum ex argumento naturæ. Anaxilaus auctor est, linteo eo circumdatam arborem, surdis ictibus, et qui non exaudiantur, cædi. Ergo huic lino principatus in toto orbe:* hæc Plinius. Lege Cornelium in caput 3. Daniel. 40. et Surium die 2. Novemb. ubi agit de S. Acindyno et sociis, in grabato ferreo positis.

49. (Varii laquei Martyrum.) Secunda comparatio in Psalmo petitur ab avibus laqueo captis: *Induxisti nos in laqueum*. S. August. more suo legit, in muscipulam. Pagn. in rete. S. Hieron. In obsidionem. Possis laqueum illum explicare, Primo, de cruciatibus Martyrum: ita Hilarius. Sic S. Petrus ab Herode Agrippa, filio Aristobuli, filii Herodis Ascalonitæ, in carcerem coniectus, erat vinctus catenis duabus, Act. 12. 6. ubi earum laudes fuse prosequitur Cornelius a Lapide. Secundo, inducti sunt Martyres in laqueum, quia pro fide strangulati sunt, ut nunc fit in Anglia, et Eusebius lib. 8. cap. 6. refert de SS. Dorotheo et Gregorio; sed id supplicii genus fuit olim infrequentius, tum quia erat mitius, tum quia in carcere solebat fieri, Martyres autem publice puniebantur. Tertio, et præcipue, laqueus denotat clandestinas hostium insidias et machinationes, quibus, ut ait Cicero in Offic. facilius boni intercipiuntur, quia alios ex seipsis metiuntur. Illis laqueis captum se dolebat David Ps. 17. 6. *Præoccupaverunt me laquei mortis*. Ps. 118. 60. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*. Sic David conclusus erat ab exercitu Saulis in deserto Ziph, 1. Reg. 23. 26. et exercitus Alexandri Rom. Imp. per Artaxerxem, ut ait Herodianus lib. 6. hist. pap. 239. Artaxerxes, ait, rex Persarum, omnibus copiis occurrens imparatis minimeque expectantibus, et ωσπερ σαγηνευσας, *quasi intra retia undique concludens*, et sagittis petens, profligavit.

50. (Qui in afflictione sunt fortiores.) Patitur autem Deus Martyres in laqueos induci, ut virtus eorum in illis eniteat, sicut in S. Paulo apparuit. De eo S. Chrysostomus: Vinciuntur manus, inquit, sed manet liber animus, et lingua libera, quam nemo ligare potest, nisi sola formido et infidelitas. Præponit autem Paulum vinctum Neroni purpurato, et septo agmine militum. Secundo, ut virtus in illis laqueis et vinculis augeatur. Eduardus II. rex Angliæ, in symbolum sibi sumpsit araneam intra retia sua flante vento laborantem, hoc addito lemmate: *Audentior ibo*. Matthias archidux Austriæ missus in Hungariam, ut eam a Turcarum servitute liberaret, pro symbolo elegit Perseum involantem in immane monstrum, quod Andromedam ad scopulum alligatam devorare moliebatur. Hæc autem erat epigraphe, *Amat victoria curam*. Quod recte applicabis ei, qui animam suam alicui vitiorum laqueo hærentem, nititur liberam efficere. Ioannes Baptista Porta, ut indicaret se ex amatoriæ vesaniæ veluti carcere emersisse, bombyci e serico suo ergastulo egredienti inscripsit: *Et feci, et fregi*, ut ait noster Sylvester Petrasancta lib. 1. de symbolis heroicis. Carcerem nobis nostrum facere possumus, sed inde emergere, et laqueos catenasque dissolvere non possumus, nisi Dei gratia nobis adfuerit. 1. Cor. 15. 10. *Gratia Dei sum id quod sum*. Et Ioan. 15. 5. *Sine me nihil potestis facere*.

51. (Tribulatio in dorso: 1. propter onera.) Tertia comparatio in Psalmo petitur a iumentis vel oneratis, vel flagellatis: *Posuisti tribulationes* (מועקה *muaka*. id est, stridorem: ita Hieron. 2. angustiam: ita Felix; coarctationem, catenam, anxiam molestiam, afflictionem, morbum constringentem. 1. Rad. *hik*, id est, arctare, coarctare) *in dorso nostro*. Primo, *tribulationes in dorso* sunt *onera dorso imposita*: ita S. Augustinus. *Erecti male*, inquit, *superbi eramus, male erecti curvati sumus, ut curvati bene erigeremur*. Ad litteram Lyranus et Trevetus id exponunt de Hebræis captivis in Ægypto. De illis dicitur Exod. 1. 11. *Præposuit eis Pharao magistros operum ut affligerent eos oneribus*. Vide Philonem lib. 1. de vita Mosis. Secundo, Euthym. et S. Basil. exponunt de captivis in Babylone flagellatis: (2. ob flagella.) tribulationes enim in dorso recte dicuntur flagellationes. In Ægypto etiam, qui præerant operibus filiorum Israel, flagellati sunt ab exactoribus Pharaonis, Exod. 5. 14. Tertio et melius, S. Hilar. et Ruffinus exponunt de flagellatis Apostolis. Christus enim hic loquitur. Apostoli porro omnes flagellati sunt, Act. 5. 40. Hoc illis prædixerat Christus, Matth. 10. 17. De seipso id ait Paulus 2. Cor. 11. 25. Quarto et optime, ac plene, explica de Apostolis, atque omnibus Martyribus et Sanctis dura patientibus. 2. Tim. 3. 12. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur*, 1. Thess. 3. v. 3. *Nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus*. Syrus vertit, ad hoc destinati sumus. S. Athanasius epist. ad Orthodoxos in persecut. *Flagella pati*, inquit, *Christianorum est; inferre, Caiphæ et Pilati*.

52. (Deus servos suos flagellat et onerat, et quam ob causam.) Flagellis autem probos subiicit Deus, tamquam filios, Hebr. 12. 8. *Si extra disciplinam*, χωρις παιδειας, *extra castigationem estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri et non filii estis*. Primo enim, flagello expiantur culpæ præteritæ, ut earum pœna exsolvatur, nec in alio mundo maneat. Secundo, habitus mali tolluntur flagello, velut pulvis ab animæ veste. Petrus Blesensis epist. 31. *Flagello Domini*, ait, *pulvis excutitur, quem ad deformationem animæ iniquitas assidua congessit, et exteriori vulnere sanatur plaga interior*. Tertio denique, flagello compellit Deus viros iustos celerius in via Dei ambulare. Pius III. oleæ ramo flagellum iunxerat, eaque verba inscripse-

rat: *Pœna et præmium*. q. d. Omnes, vel metu pœnæ, vel spe præmii, ad agendum incitantur.

Onera quoque servis suis imponit Deus. Primo, ut eos cogat terram suam respicere, et sic humiliati in Deum cervices per superbiam non elevent. Hanc rationem perstrinxit S. Augustinus, ut iam dixi. Secundo, ne a vento superbiæ abripiantur. Ioannes Baptista de Ninis Perusinus apem effinxit, parvi in humeros lapilli iniectu se adversus ventorum vim munientem, hoc addito, *Ne deviet impetus Euri.* Augustæ quoque Perusiæ, Insensati Academici grues efformarunt, quæ lapillos falculis suis et unguibus ferunt, atque arenam vorant, pontum transituræ; hocque lemma adscribunt: *Vel cum pondere.* Notum est eas ori lapillum imponere, Caucasum montem transituras, ne clangore aquilas in se concitent. Tertio, oneri assuefacti fiunt robustiores, sicut accidit in Milone Crotoniate taurum ferente. S. Gregorius Naz. orat. 23. in Herouis laudem ait: *Philosophi animus ex eo quod passus est, generosior redditur, atque ut candens ferrum frigidæ aspersione, ita ipse periculis obdurescit.*

53. Illi fidendum est affligenti. Deo nos oneranti confidamus: si enim camelo aut asino nihil supra vires imponitur, nonne credemus Paulo dicenti, 1. Cor. 10. 13. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Dicamus eum libris Ferrariensibus, quos quidam sic loquentes inducit, *Premat, dum imprimat.* Aut cum pecunia, quæ cuditur, *Imprimor, et valeo:* aut cum cylindro lapidibus gravato, *Sub pondere levis.* Itaque onus a Deo impositum non timeamus, sed ei nos sponte subdamus: manu enim eius dirigente et sublevante sarcinam nobis utilem et facilem sentiemus. S. Petrum audiamus 1. epist. 5. 6. *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut exaltet vos in tempore visitationis: omnem sollicitudinem proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Iugum et onus Christi leve est, imo allevians et erigens, sicut pennæ avium.

Tropol. *Posuisti tribulationes in dorso nostro*, Hebr. in lumbis nostris, ut vertit Pagnin. Tunc tribulationes sunt in lumbis, cum pleni sunt illusionibus. Vide Ps. 37. 8.

54. Imponuntur homines capitibus servorum. Quarta comparatio, qua explicatur afflictio Christi, Martyrum, et aliorum Sanctorum, petitur a conculcatione devictorum et prostratorum ante hostes suos, qui eorum colla superbo pede comprimunt: *Imposuisti homines super capita nostra:* id est, fecisti, ut homines pedibus suis capita nostra calcarent, quasi nobis iure belli devictis et triumphatis. Sed hæc etiam metaphora est, qua per similitudinem conculcationis capitum devictorum significatur tyrannica et crudelis potestas principum in miseros subditos. Nam principes modesti et æqui præsident quidem capitibus subditorum, sed ita leviter premunt, ut onus obedientiæ suaviter ferri possit: tyranni vero et sævi, atque inhumani principes, quales erant persecutores Christianorum, et quondam Pharao Ægyptius, et Nabuchodonosor Assyrius, ita premunt subditos exactionibus, edictis, pœnis, ut respirare non possint. Hoc versiculo Propheta miro artificio personas iustorum toto corpore afflictas demonstravit: nam laquei ad manus et pedes, onera et verbera ad dorsum, conculcatio ad capita pertinent: ita Bellarminus. Hebr. adhuc significantius, pro *imposuisti*, ponitur הרכבת *hircabta, equitare fecisti*, q. d. Capita nostra contrivisti, sicut conteruntur a victoribus equo discurrentibus per campum pugnæ, capita iacentium et truncatorum inimicorum; id est, dirissima servitute nos obtrivisti. Magnum pondus est homo potens et crudelis homini misero impositus. Dionysius Longinus servitutem vocat ψυχῆς γλωσσόκομον, *animæ marsupium*, quod in ea

55. Servitus est grave malum. mens præ dolore clausa contrahatur. Cicero in Philippic. servitutem ait esse postremum malorum omnium: non modo bello, sed morte etiam repellendum. Dio Chrysostomus orat. 14. eam vocat rem turpissimam. Homines, ait, præ cæteris rebus liberi esse cupiunt, dicuntque, libertatem esse μέγιστον ἀγαθῶν, maximum bonorum: servitutem vero, αἴσχιστον καὶ δυστυχέστατον, rem turpissimam atque infaustissimam. Persæ fuerunt studiosissimi suæ libertatis; et quidem Ælius Lampridius testatur, eos nunquam Romæ servivisse, nisi sub Alexandro Severo Imperatore, et mox adhibito prætio suis redditos. Romani ne servitutis quidem nomen admittebant. Cicero in 6. Philippica, num. 19. Aliæ, inquit, nationes servitutem pati possunt, populi Romani est propria libertas. Iudæi vero præ cæteris populis erant amantissimi libertatis, idque sibi debitum credebant ob veri Dei notitiam. Et quidem quotidie Deum laudant סדר תהלות *seder thehilloth*, id est, in lib. orationum his verbis: Benedictus sis tu, Domine Deus noster, rex mundi, qui me servum non fecisti. Cicero tamen in orat. de provinciis Consularibus vere dixit, Iudæi et Syri, nationes natæ servituti. Post eversionem Ierosolymæ id longe verius. Martyres nobilissimi habiti sunt instar vilissimorum mancipiorum: partim damnati ad metalla, ut S. Clemens Papa missus in Pontum: partim ad iumentorum in stabulis curam, ut S. Marcellus Papa, qui in eo servitio est mortuus, ut tradunt Romanæ Ecclesiæ Notarii in eius Actis.

Symbol. Ugo Cardin. hæc adaptat Religiosis, qui primo probantur, antequam donentur veste religiosa. Secundo, examinantur sicut argentum, et purgantur in novitiatu. Tertio, inducuntur in laqueum, cum ligant se votis religionis. Quarto, ponuntur tribulationes in dorso eorum per disciplinas et alia onera. Quinto, imponuntur homines super capita eorum, per votum obedientiæ. Sexto, transeunt per ignem, cum tentationes et dolores patiuntur, atque in illis non manent devicti, sed eas superant. Septimo, transeunt per aquam, cum tepiditatem exuntiunt. Octavo denique, educuntur in refrigerium, cum habent divinas consolationes in oratione, communione, lectione spirituali, et aliis piis exercitiis. Pauca ex his attingit Ugo. 56. Religiosi igne probantur.

Quinta denique comparatio, qua declaratur afflictio Christi et Sanctorum, est transitus per rogum ardentem, aut per torrentem rapidum, vers. 12. *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Græce, εἰς ἀναψυχήν, id est, in refrigerationem, refocillationem, recreationem. Arabs, in requiem. Hebr. רויה *revaia*, significat irrigationem, terram irriguam, multis fontibus et rivis humectatam, et consequenter fœcundam. R. David vertit, terram ebriam, quam scilicet aquæ multæ potant Chald. reddit, רוחא *revacha*, id est, latitudinem, ut vertit Interpres; malim vertere respirationem, relaxationem, recreationem, refocillationem, dilatationem cordis; nam *ravah* Hebr. et *revah* Chaldæis est respirare: et, quia respiratio dilatat, inde est dilatare, et latum esse. 57. Per ignem et aquam iusti transeunt.

Hæc est ultima metaphora, ait Bellarm. qua Propheta pulcherrimis similitudinibus sub aspectum ponit supplicium Sanctorum. Ignis enim et aqua contraria sunt: ignis ardet, aqua congelatur: ille acerrimus, ista mollissima: ignis desiccat aquam, et aqua extinguit ignem: quare, si ignis dolore afficit hominem, aqua consolari et demulcere deberet, et tamen in pœnam iustorum servorum Dei, ignis et aqua coniurasse videntur; ignis consumendo, aqua suffocando. Igitur *per ignem* intelliguntur acriora supplicia, flagella, vulnera, cædes, combustio: *per aquam* supplicia lenta, sed diuturna, ut exilia, carceres, nuditas, fames. S. Augustinus tamen per ignem intelligit omne genus angustiarum et molestiarum contristantium hominem: per aquam vero omne genus voluptatum, et abundantiam temporalium bonorum, quæ spiritum suffocant. Sed sicut ignis consumit lignum, non aurum: sic etiam aqua corrumpit et putrefacit lignum, non aurum: et sicut aurum per ignem purgatur a scoria, sic idem aurum per aquam lavatur a sordibus. Itaque iusti et sancti, qui sunt auro similes, sine detrimento transeunt per ignem et aquam: quia in tribulatione patientiam, in prosperitate modestiam servant. Sed filii huius sæculi similes ligno putrido in igne consumuntur, in aqua suffocantur: quia impatientes in tribulatione murmurant, maledicunt, blasphemant: dissoluti in prosperitate mollescunt, luxuriantur,

superbiunt. Dicunt igitur electi: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium:* quoniam etiamsi in cæiesti patria non deerunt ignis et aqua, tamen ille ignis calefaciendo recreabit, non comburendo consumet: et illa aqua sitim extinguet, non vitam. Ita utrumque suo modo refrigerabit, id est, erunt in cælo ardores charitatis, erit ignis divinus feliciter consummans, non consumens: perficiens, non destruens: transformans in Deum, non convertens in cineres: erit aquarum abundantia, erit ubertas bonorum æternorum, erunt gaudia immensa, at ineffabiles iucunditates: sed non mollem aut pigrum efficient animum, non carnis adversus spiritum concupiscentiam nutrient; denique refrigerando delectabunt, non obruendo suffocabunt: ita ipse pie, ingeniose et genuine. S. Hier. et Arnob. per ignem intelligunt Spiritum sanctum: per aquam vero baptismum. S. August. in baptismo alium ignem reperit, nempe eum quo per exorcismum dæmones comburuntur. Sic enim ait: *Noli festinare ad aquam, per ignem transi ad aquam, ut transeas et aquam. Propterea et in Sacramentis, et in catechizando, et in exorcizando adhibetur prius ignis. Nam unde plerumque immundi spiritus clamant, ardeo, si ille ignis non est? Post ignem autem exorcismi venitur ad baptismum: ut ab igne ad aquam, ab aqua ad refrigerium. Quod autem in Sacramentis aqua baptismi, hoc etiam in tentationibus huius sæculi angustia timoris. Accedit prima vice ignis, postea oblato timore metuendum est, ne felicitas corrumpat mundana:* hæc Augustinus, sed symbolice.

58. Tortores ignem præsertim adhibuere contra Martyres, ut ostendi Ps. 43. ubi acerrimos cruciatus Martyrum recensui. Dicunt hic Martyres *transivimus*, quo notant, Primo, alacritatem suam ad ingrediendum illos ignes: in eos sæpe sponte sua insilierunt, quod fecit turba Martyrum in Hispania, prosiliens in fornacem calcis: unde postea dicta est: *Massa candida.* Chald. hic vertit: *Transivimus per fornacem et aquam, et eduxisti nos in refocillationem.* Secundo, notant celeritatem et brevitatem tribulationum. Nihil enim longum est, quod finem habet, si æternitati comparetur. Tertio, lætitiam et felicitatem post transitum. Plato dicebat, quibusdam temporibus terram, δια πυρος καθαιρεσθαι και υδατος, per ignem et aquam purgari, ut ait Clemens Alex. lib. 5. Strom. p. 401. Transitus Sanctorum per tribulationum ignem, explicari potest per pyram extrui solitam ad Imperatorum consecrationem, quam fuse describit Herodianus lib. 4. hist. pag. 155. et 156. tum subdit: Quæ ubi celebrata sunt, facem capit Imperii successor, eamque tabernaculo admovet. Tum cæteri omnes, *ignem undique subiiciunt,* cunctaque ilico fomitibus illis aridis odoramentisque referta. Igne valido corripiuntur. Mox ab extremo minimoque tabernaculo, tamquam a fastigio quodam, αετος αφιεται, aquila demittitur simul cum subiecto igne ascensura in æthere. Quæ creditur ipsam principis animam deferre, απο γης εις ουρανον, *e terra in cælum*, et iam ex illo una cum cæteris Numinibus Imperator colitur: Ita Herodian. Hinc inter medios ignes velut vincula, quibus in terra tenebantur, exusturos lætabantur et cantabant, Deumque laudabant Sancti, ut accidit S. Polycarpo in media pyra, et S. Amphiano, de quo sic habetur in Rom. Martyrol. die 2. Aprilis *Cæsareæ in Palæstina natalis S. Amphiani martyris, qui in persecutione Maximini, cum Urbanum Præsidem idolis immolantem arguisset, sæve dilaniatus, ac pedibus lino in oleum intincto, eoque incenso obvolutis, acerbissime cruciatus demum in mare demersus, transiens per ignem et aquam eductus est in refrigerium.* Similis fuit Abrahamo, qui eductus est de Ur Chaldæorum, Gen. 15. 7. transivit magnum fluvium Euphratem, unde Hebræus, id est, transitor, dictus est. Ur erat urbs Chaldææ, in qua servabatur sacer ignis, quem adorabant Persæ et Chaldæi. Ur porro significat flammam ignis: unde traditio est Hebræorum, quod Abraham coniectus sit in ignem proprie dictum, eo quod eum colere nollet, sed ab illo illæsus exiit. Id Esdras dicit lib. 2. cap. 9. 7. *Deus qui elegisti Abraham, et eduxisti eum de igne Chaldæorum.* Peccatores in igne cupiditatum suarum sese præcipitant, et illo exuruntur. Ps. 105. 18. *Flamma combussit peccatores.* Iustus vero tum internos, tum externos ignes transit, in illis non moratur: ardet et lucet, sed Deo: ignis eum non lædit, sicut nec Petrum igneum, sed ad Deum celerius festinare compellit. Gen. 15. 7. *Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam,* q. d. Non potui tibi eam dare, nisi prius passus esses in Ur Chaldæorum. Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit.

In eo transitu notatur: 1. Alacritas Martyrum. 2. Brevitas tribulationum. 3. Felicitas post transitum.

In transitu per aquam, alluditur ad transitum Mosis et Hebræorum per mare rubrum, et Iosue eorumdemque Hebræorum per Iordanem fluvium; tunc enim educti sunt in refrigerium, id est, in terram fluentem lacte et melle, Exod. 13. 5. et 33. 3. in qua habitarant absque timore ullo unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua, 3. Reg. 4. 25. Proiicimur omnes in fluentum mundi, sicut Moses in Nilum fluvium Ægypti, sed transeundum est. Sumus in corpore fragili velut in scirpea fiscella, id est, arcula iuncea, obliti bitumine et pice, id est, afflictionibus circumdati: expositi in carecto, id est, in hoc mundo paludoso et stagnante, ac pleno aquis Nili fluvii turbidi. Carectum est locus, in quo nascuntur carices. Carix porro est herba alta, in speciem gladii, et sub finem acuminata: vivimus in medio nationis pravæ, et semper in nos armatæ, militia est vita nostra. Evadamus si soror nostra Maria nos servet. Archidamus noctu milites duxit ad Carras *per viam aquosam*, asperam et longam. Militibus labore fatigatis et indignantibus, consolabatur eos Archidamus quantum poterat, atque ne deficerent, hortabatur. Postquam vero repente irruentes plurimis hostibus interfectis oppidum excidissent, cœnam parantes, atque exultantes victoria, rogavit Archidamus, quando sibi urbem cepisse viderentur? Respondentibus aliis, cum impressionem faceremus: aliis, cum iacula mitteremus. Nequaquam, ait ille, sed cum viam longam et palustrem transiremus: nam voluntas ad laborem propensa, cuncta vincere consuevit. Hoc refert Polyænus lib. 1. Stratagematum. Nobis palus ingens tranando est, sed suavis superest victoria, et dux prævius animos vel ignavissimo facere debet. S. Maximus Taurinens. Episc. qui floruit circa ann. 428. sic ait hom. de Cruce: *Grande crucis est sacramentum: et si intelligamus, per hoc signum etiam mundus ipse salvatur. Nam cum a nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, ut cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, et hoc dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis evadunt. Figura enim sacramenti quædam est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in cruce. Sicut autem Ecclesia sine cruce stare non potest, ita et sine arbore navis infirma est.* 59.

Alluditur ad transitum per mare rubrum.

Archidami dictum notabile.

In limine domus Dei Ezechiel aquam vidit, per eam veniendum est ad Sancta Sanctorum. Ezech. 47. 1. *Et convertit me ad portam domus, et ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem.* Quodque admireris magis, quo propius accesseris, eo sunt profundiores aquæ, ut primum ad talos, deinde ad genua, tum ad renes perveniant, ac denique occurrat torrens, qui non potest transvadari. Sed inde iustos educit angelus. Itaque pergit Ezechiel Propheta: *Et eduxit me, et convertit ad ripam torrentis.* Deinde describit pulchritudinem arborum in ripa illius torrentis: quo enim maior est afflictio, eo maior est gratiarum proventus. In regno Benæ apud Afros, ut inquit Petrus Davity in Africæ descriptione fol. 398. cum quis moritur, consanguinei illius, qui diversis in oppidulis morantur, mouiti se dedunt luctibus, pannumque, aurum et alia dona afferunt: eorum tertiam partem dant regi, tertiam illi qui sanguine est propinquior defuncto: tertiam, defuncti in fossam proiiciunt, quod alia in vita reperturos ea quæ iecerint, mortuos credant. Reges vero et principes ac magni nominis et opum nobiles de nocte sepeliunt, paucis tantum consanguineis loci consciis atque præsentibus: fortasse quod cum aurum omne, quod in eam rem congesserunt, simul sepeliant, fures verean-

tur. Ut autem locus ignoretur, persæpe *in fluminis alicuius alveo condunt*, cuius aquas eam ob causam aversas, suo deinde cursui permittunt. Nos in vita per aquas transimus, sed post mortem fruetibus in ripa agnatis eum gaudio vescimur.

Scirtus amnis. Edessam præterlabitur Scirtus amnis, de quo repertum est oraculum, σκιρτος ποταμος σκιρτησει κακα σκιρτηματα πολιταις: *Scirtus amnis saltabit damno civium.* Hoc contigit Iustino imperante: tunc enim maris instar exundans, domos una cum inhabitantibus abripuit atque submersit, ut docet Georgius Cedrenus in hist. compend. fol. 300. Scirtus amnis a saltando nomen habet. Vitæ huius calamitates in nos insiliunt, non ut submergant, sed ut saltare faciant in vitam æternam; sunt enim fons et fluvius aquæ salientis in vitam æternam. Gen. 7. 17. *Factum est diluvium quadraginta diebus super terram: et multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime a terra.* Miraberis nonnunquam in cratere fontis, globulum aqua per siphonem immissa ita extolli, ut in aere sublimis pendeat, variosque agat circuitus, ab una aqua tum assiliente tum B cadente sustentatus. Hoc in iustorum animabus præstant tribulationis aquæ, exterrent nonnunquam et exagitant, sed in magnum meritorum culmen erigunt: idque accidit quod de undis mare concitantibus dicit Petrasancta, *Turbant, sed extollunt.*

Tribulatio est fortiter ferenda. Ex his colligitur, magno et alacri animo huius vitæ calamitates de manu Dei esse suscipiendas, licet sint ipsis undis maris et igne diriores. Apoc. 15. 2. *Vidi tamquam mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam, et imaginem eius, et numerum nominis eius, stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei.* Ribera per mare vitreum accipit sæculum hoc, sive terram, aerem et aquam, quæ instar vitri pellucent: item homines huius sæculi, qui misti sunt igne conflagrationis mundi, quem Deus in pœnam peccatorum orbi immittet, de quo cap. 14. 18. Sæculum enim hoc periculosum et tempestuosum vocatur mare. Dicitur vitreum, Primo, quia sic a Poetis cognominatur, eo quod sit pellucidum. Secundo, quia habet colorem C vitri. Tertio, quia fragile est instar vitri. Sancti dicuntur stare supra illud: quia scilicet sæculum hoc sancte, prudenter et feliciter transierunt et superarunt, iamque quasi victores stant in littore, quod mari imminet, estque supra mare: quia iam appulerunt ad portum salutis, et in cælo beati consistunt: ita Cornelius. Non solum de igne mundum exusturo ante diem iudicii, sed de calamitatibus quotidianis huius vitæ intelligi potest hic locus, illas perferunt Sancti non tantum cum patientia, sed etiam cum alacritate et cantu atque exultatione: tenentes citharas in manibus, id est, iubilantes in suis operibus.

Marchio Sanctacrucius, Archithalassus Philippi regis, ut ad terrestrem et maritimam pugnam perinde paratum se esse ostenderet, porphyrionem avem pinxit, cum hoc adiecto lemmate: *In utrumque paratus.* Hæc enim avis et terrestris et aquatica est; alterumque pedem, instar anseris, patulum latumque habet ad natatum; alterum vero, cæterarum instar avium, sectum, et cum falculis, ut terra D quoque ingredi valeat. Quid nos duce Christo, velut altero Mose, eiusque cruce subnixi undas maris vereamur? S. Ignatii navis eum a Ierosolyma reduxit salvum et incolumem, licet pene dehiscens, aliis firmis navibus pereuntibus, ut est in eius vita. S. Lazarus cum Martha et Magdalena sororibus, atque aliis, licet nave perforata, oras Franciæ feliciter attingit. B. Iosepho Anchietæ tutum iter pandit mare. S. Franciscus de Paula, S. Raimundus, S. Birinus, aliique, illud securo pede ac sicco vestigio calcant. Deo ductore nullus est formidini locus. S. Maximus Taurinens. hom. de passione: *Ex quo,* ait, *Christus religatus in cruce est, ex eo nos mundi illecebrosa discrimina, velut clausa aure transimus: nec pernicioso enim sæculi detinemur auditu, nec cursum melioris vitæ deflectimus in scopulos voluptatis. Crucis enim arbor non solum religatum sibi hominem patriæ repræsentat, sed etiam socios circa se positos virtutis suæ umbra custodit:* ita Maximus.

A Alludit ad Ulyssem, qui cantus Sirenarum neglexit, et rabiem evitavit ad navis malum religatus. Crux sit malus navis nostræ, et securi primus in quolibet mari et agitatione. Isaias cap. 43. 2. ad Psalmi nostri locum alludit, ubi Deus sic loquitur: *Servus meus es tu: cum pertransieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus.*

Post sudores et luctam sequitur refrigerium et requies, vers. eod. 12. *Et eduxisti,* S. Ambros. serm. 3. in Psal. 118. induxisti, *nos in refrigerium.* Apollin. εις αναπαυμα, id est, in requiem. Alias versiones attuli supra.

Primo, id de refrigerio in hac vita dato explicant Cas- 60.
sianus, Beda, S. Cyrillus Alexandr. et Petavius. Servis Virtus habet refrigerium in hac etiam vita. enim suis post tonitrua et fulgura, atque montium commotiones, et ventorum turbines, solet Deus lenem favonium immittere, sicut Eliæ in monte Oreb oranti, 3. Regum 19. 12. *Post ignem sibilus auræ tenuis.* Quinimo in ipso tribulationis igne Deus dat refrigerium, sicut tribus pueris in fornaco Babylonica. Dan. 3. 50. *Fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem.* Petavius in sua Psal. paraphr. sic vertit: Per ignem et aquam euntibus dedisti refrigerium, ne continuum malum esset. Cassianus lib. 5. instit. cap. 2. refrigerium illud intelligit præsentis temporis divinas consolationes post tribulationes et extincta vitia: atque, ut ait Beda, propter conscientiam refrigeratam. S. Cyrillus, propter laborum gloriam et voluptatem. Petrasancta in elogio gentis Carafææ rem notabilem refert. Vetus fama, inquit, et a priscis ævis tradita, originem Carafæorum refert in strenuum quemdam ducem, Carafæorum familiæ. qui ex prælio victor, ad Cæsarem, quem pugnando servaverat, suo et hostium sanguine conspersus venit: meruitque ut idem Cæsar in ipso familiæ decora, simul ore, simul manu æternaret, dum ore videlicet laudans eius fidem caram, cognomentum *Cara fe* composuit: et manu, seu extertis eius ternis maioribus digitis, cruorem extergens, in thoracis chalybe tesseram illius gentilitiam delineavit. Quod si ita est tunc primum insignia Carafæorum, nempe albentes lemnisci tres, *in purpureo madore,* splenduerunt. Lemnisci sunt fasciolæ dependentes ex coronis. Sanguine et sudore emitur gloria. Fidem nostram Deo probemus, et per fidem vincemus, et obturabimus ora leonum.

Mollia et suavia duris obvolvit et inclusit Deus; velut Deus iunxit mollia duris. aurum in asperis, duris et sterilibus montibus. S. Laurentius Iustinian. tract. de casto connubio verbi et animæ, cap. 6. Procul dubio, ait, tentatio via est, quæ non solum hominem perficit, verum etiam divinæ providentiæ thesauros patefacit: ita ipse. S. Gregor. Turon. dicit, prope Iericho urbem Palæstinæ nasci arbores, quæ lanas gignunt. Exhibent enim poma in modum cucurbitarum, testas in circuitu habentes duras, intrinsecus autem plena sunt lanæ. Et his ferunt ipsi Iesu nave solere fieri indumenta. Sed et hodie tales exhibent lanas, ex quibus nos a quibusdam delatas vidimus, et admirati sumus vel candorem, vel subtilitatem: hæc Gregorius.

Ludovicus XII. rex Galliarum sibi in symbolum assum- Ludovici XII. symbolum. psit Craterem cæleste signum, cum hoc lemmate: *Inter eclypses exorior.* Regnum enim obtinuerat Carolo VIII. mortuo sine liberis; sicut Crater in cælo apparet 15. Cal. Maii inter maiorum siderum defectiones. Qui se in medio tribulationis humiliari gaudet, exaltabitur post tribulationem. Sara filia Raguelis et uxor Tobiæ iunioris vehementer afflicta, in oratione spem ad Deum erigit, Tob. 3. 21. *Hoc pro certo habet omnis qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: et si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis. Sit nomen tuum Deus Israel benedictum in sæcula.* Hæc oratio angelum Raphaelem ad eam direxit, qui dæmonem septem virorum eius interfectorem religaret, et Tobiam

virum adduceret. In ipsa tribulatione durat et lucet vir sanctus. Si ex Amianto herba ponatur in lucerna ellychnium, ad viginti annorum circuitum sufficit, solo oleo per lucernæ ignem semper evaporanto, ipsa manente incorrupta, ut tradit S. Cæsarius S. Gregorii Naz. frater, vir pereruditus.

Guidobaldi. Sed hoc attende, quod requiem et refrigerium non reperies, si terrena et abiecta quæris et amplecteris; sublimia quærenda sunt. Guidobaldi ducis filia in symbolum sibi assumpsit flammam cum hac epigraphe: *Quies in sublimi.* Claudia item Rangonia, matrona nobilis et generosa, flammam item appingi curavit, his verbis additis, *Numquam deorsum*, q. d. Amor meus in cælo est, atque in Deo, nunquam humi adhærebit. Ignis ipse tribulationum in sublime erigit. Hoc indicavit angelus apparens Manue patri Samsonis lib. Iudicum cap. 13. 20. *Cum ascenderet flamma altaris in cælum, angelus Domini pariter in flamma ascendit.*

Et Claudia Rangoniæ.

61. Virtus habet refrigerium in cælo. Secundo, et melius, hic intelligitur refrigerium, quod Sancti post transitum per ignem et aquam habebunt in cælo. S. Petrus statum alterius vitæ vocat tempus refrigerii. Loquens enim Iudæis in templo Salomonis post claudum sanitati restitutum, ait Actor. 3. 19. *Pœnitemini et convertimini, ut deleantur peccata vestra, ut cum venerint tempora refrigerii* (Vatabl. refocillationis. Syr. tranquillitatis et quietis) *a conspectu Domini.* Tertullian. lib. de resurrect. carnis, a persona Domini. Caietanus, a facie Domini. Etenim, ait, facies Christi erit obiectum et causa beatitudinis. Nam visio divinitatis Christi est obiectum beatitudinis essentialis: visio autem humanitatis eiusdem, est obiectum primarium beatitudinis accidentalis. Sap. 4. 7. *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio,* Græce, in requie, *erit.* Lege S. Bernard. epist. A 105. ad Romanum, et S. August. lib. de vita Christiana, cap. 5. tom. 9. Viatores hic sumus cum labore sudantes et anhelantes, in medio æstu ambulamus; in fine viæ quiescemus in umbra et floribus. Ierem. 6. 16. *Qui steterit super vias suas, et viderit, et interrogaverit de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulaverit in ea, inveniet refrigerium animæ suæ.* Leo X. pilam pugillatoriam in symbolo suo posuerat, eique hæc verba adiecerat: *Vi et virtute:* sive huc illuc a lusoribus agitetur, sive in terram propellatur, ut in altum resiliat, gratia Dei requiritur. Honorius de Bellis pinxerat ferulam orbibus volubilibus innexam, quæ aperiri non potest, nisi quibusdam litteris certo ordine dispositis.

Nullus coronatur ante pugnam. S. Valerianus Episcop. Cemeliensis, qui floruit circa annum 450. hom. 2. *Quis, unquam,* ait, *otiosus trophæa composuit? aut quis circumstantibus undique hostium legionibus ad victoriam dormitando pervenit? Parum laudis habet virtutum corona, quæ ex labore non descendit. Potest quidem habere palmam,* B *sed non habet victoriam.* Ante pugnam militibus suis dat prandium Agamemnon Iliad. 2. Christus servis suis dat cœnam, post quam non laboratur.

Si per ignem transiveris in hac vita, lucem habebis in alia. S. Cyrillus Ierosol. catech. 18. pag. 219. *Corpus hoc,* ait, *excitabitur non ita infirmum, sed ipsum quidem resurget: indutum tamen incorruptione transmutabitur, sicut ferrum igne versatum, fit ignis.* Lux illa erit æterna. Felix Ursina, princeps matrona, in symbolum sibi elegit Ursam maiorem, celebre sidus, cum hac epigraphe, *Sine occasu felix.* Sidus enim illud nunquam nobis occidit. In Psalmo nostro habetur, εἰς ἀναψυχὴν, quod Noster vertit, *in refrigerium;* possis vertere, *in resurrectionem;* ψυχὴ enim animam significat.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

62. *Duo exequitur. Primo, Christus gratias se acturum Deo, et vota persoluturum pollicetur, v. 13. Secundo, omnes Dei servos invitat, ut idem faciant, eosque edocet orationis suæ modum et utilitatem, vers. 15.*

PARAPHRASIS.

13. *Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.*	13. Ab his exemptus tribulationibus, domum tuam cælestem subibo, tibi ut holocausta offeram. Vota exolvam, quæ, cum in angustiis versarer, clare et distincte emisi.
14. *Et locutum est os meum, in tribulatione mea.*	14. Quæque spem in te meam defigens verbis protuli, cum vehementer affligerer.
15. *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.*	15. Holocausta tibi pinguissima offeram cum thuris incenso, quod in arietum, aliorumque oblatione tibi adoletur. Non agniculos tantum et exigui pretii victimas offeram, sed opimos boves, hircosque prægrandes.
16. *Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.*	16. Cumque me tantis beneficiis celebrandis imparem sentiam, oro vos omnes, qui Dei cultores estis, huc ut advoletis, vobis ut enarrem, quanta in animam meam Deus bona contulerit.
17. *Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.*	17. Ad Deum quanta potui contentione vocis maxima clamavi, cumque summis laudibus extuli, cum agnoscerem ab eo uno salutem meam dimanare.
18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*	18. Si vindictæ in hostes desiderio, aliave iniusta de causa orationem ad eum fudissem, preces meas non audivisset.
19. *Propterea exaudivit Deus, et attendit voce deprecationis meæ.*	19. Cum autem pura sinceraque mente, velut ad omnis boni fontem, et miserorum asylum confugerim, ideo preces meas facilis et benignus exaudiit.
20. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.*	20. Omnes itaque unanimi consensu parentem optimum benedicant, qui et verba ad orationem suppeditavit, et misericordi manu dona sua in orantem effudit.

QUÆSTIO UNICA.

Quam grati Deo esse debemus oratione nostra exaudita.

63. Ordo Sectionis. Christus Ecclesiæ caput, advertens se suosque ab omnibus eductos periculis, gratum se fore pollicetur: omnesque hortatur; idem ut præstent.

Ac primo, holocausta se oblaturum profitetur, v. 13. *Introibo in domum tuam in holocaustis.* Rationem affert, votum suum: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Tempus aperit, quo vovit, v. 14. *Et locutum est os meum, in tribulatione mea.* Modum declarat, quo victimas offeret, et quales sit oblaturus, v. 15. *Holocausta medullata offeram tibi cum incensu arietum: offeram tibi boves cum hircis.*

Secundo, omnes compellat, ut gratias quoque Deo agant, v. 16. *Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.*

B Oratione se illa obtinuisse asserit. Et tres illius proprietates declarat. Primo, fervorem, v. 17. *Ad ipsum ore meo clamavi.* Secundo, humilitatem: *Et exaltavi sub lingua mea.* Tertio, puritatem et innocentiam, v. 18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Effectum deinde orationis ostendit, vers. 19. *Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ.*

Concludit denique omnia per gratiarum actionem, v. 20. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.*

ARTICULUS I.

Victimæ in domo Dei sunt offerendæ, et quales.

Igne et aqua transvadatis Christus in refrigerium cæleste eductus, in templo Patris æterni victimas pacificas Vers. 13. et 14. offert in gratiarum actionem, v. 13. Introibo in domum tuam in (id est, cum) holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Et v. 14. Et locutum est os meum in tribulatione mea.

Christus non ingreditur solus in civitatem ac domum cælestem, sed cum victore et triumphante exercitu. Unde Euthymius et Nicephorus legunt, *Introibimus* in domum tuam; 2. non intrat manibus vacuis. Solebant enim triumphantes offerre varias victimas; 3. perfectissimæ victimæ offerentur in cælo, nempe holocausta; quia totum corpus cum suis membris, sensibus et passionibus; tota anima cum suis potentiis, cogitationibus et affectionibus, in igne perpetuæ charitatis uni Deo offerentur, et sine ulla reservatione ad eius gloriam se expendent. In hac vita holocaustum Deo sunt Martyres et Religiosi: in alia omnes

Mundus est Dei domus. Et præsertim cælum. Sancti. *Deo una domus est mundus hic totus,* ait Minutius Felix. Sed selectissima at ornatissima eius pars cælum est, ad quam admittuntur Sancti. S. Chrysost. tom. 4. parænesi 1. ad Theodorum lapsum, pag. 666. *Nunc,* inquit, *quemadmodum in utero puellus, sic in mundo vivimus multis interclusi angustiis, et venturi sæculi nec fulgorem nec claritatem valentes contueri. Cæterum ubi tempus advenerit parturitionis, et in die iudicii mortales omnes, quos exceperat, hic mundus protulerit. Abortivi quidem de tenebris in tenebras ingredientur, et ex afflictione ad afflictionem non paulo duriorem. Maturi autem fœtus,* βασιλικῆς εἰκόνος χαρακτῆρας διαφυλάξαντα, *qui notam regiæ imaginis gerunt et observant, perducuntur ad regem, eiusque ministerium capessunt, quod Angeli quoque et Archangeli Deo rerum omnium perficiunt:* ita Chrysost. Rex autem dat illis stolam primam, et fulgentem annulum, et convivium apparat, in quo est musica angelorum, et inenarrabilis suavitas. Apoc. 2. 17. Christus curat hæc scribi angelo, id est, Episcopo Pergamensi, nempe S. Carpo, ut putat Aureolus: aut potius alteri, sed nobis ignoto, ut docet Pererius. *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum*

A *scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Manna absconditum significat delectationes in cælo esse inexplicabiles, de illis dixi Ps. 30. 20. Calculus candidus, ut ait Ugo, est gloria corporum in cælo. Durities calculi notat dotem impassibilitatis; candor, claritatem. Nomen novum erit *Iesuani,* sive *Iesuitæ,* id est, salvati, quo omnes in cælo vocabuntur, ut ait idem auctor. Præ oculis domum illam Dei regis nostri semper habeamus, illius aspectus nos ad bona opera excitabit, sicut Troilum Episcopum, antea avarum, fecit liberalem. Præmia, ibi danda victoribus, nobis animos augebunt. Albertus Austriæ dux, ad magna se excitans, dapingi curavit Iasonem, qui vellus aureum manu dextra teneret, hinc ad pedes suos draconem velleris custodem, inde boves ignem spirantes. Nobis præmio cælesti proposito nec dracones stygii, nec labores mundi animos frangunt. Non sunt enim condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ut enim equites aurei velleris ad vellus suum adscribunt, *Pretium non vile laborum,* ut se ad regi suo alacriter serviendum excitent; et se gratos ostendant ob torquem illum velleris aurei acceptum, atque alios ad generosa facta invitent: ita et nos cordi apprimamus memoriam præmiorum cælestium, et contento cursu ad illud feramur. Philippus II. Hispaniarum rex, ut regni sui amplitudinem ad Indos ultra anni solisque vias protensi denotaret, circum antiquorum pingi curavit, et equum generosum qui circi metas transiliret, hoc adiecto, *Non sufficit orbis.* Melius dicebat S. Ignatius, *Heu quam sordet terra, cum cælum aspicio!* Dic Deo in orationibus tuis, et in afflictionibus, *Introibo in domum tuam,* et cætera pro nihilo duces. Unum adverte, nullos intrare illud Dei templum, nisi *in holocaustis,* id est, nisi Deum ament ex toto corde, tota anima, et totis viribus. Laurentius Mediceus sibi in symbolum elegit annulum aureum cum adamante, ac tribus plumis: alba scilicet, viridi et rubente, hoc adiecto lemmate, *Semper,* quo denotabat se in fide, spe et charitate erga Deum perseveraturum. Charitas ignis est

Ubi labor, ibi præmium.

C divinus totam animam inflammans, et illi uni immolans.

In ea Dei domo quid facturus sit declarat, vers. end. 13. Reddam (velut debitum) tibi vota mea, quæ distinxerunt (S. Hieron. promiserunt. Hebr. פצו *phasu,* aperuerunt, id est, aperte et distincte protulerunt, aperto ore at volenti animo emiserunt) labia mea. *Vota* hic sunt

Votum varia significat. Primo, psalmi at orationes, quæ debent reddi distincte et ordinate: ita Ugo. Secundo, desideria celebrandi Dei laudes in beatitudine: ita Beda, Haimo, Bruno Carth. et Herbipol. Cassiod. Tertio, promissiones factæ in baptismo, cum abrenunciamus diabolo, mundo, et pompis eius: ita alii. Quarto denique, et optime, vota hic sumuntur proprie dicta atque facta cum intentione se stricte obligandi. S. Thom. 2. 2. q. 88. ait, votum esse promissionem Deo factam. Tria autem requiri ad votum: nempe deliberationem, propositum, et promissionem: in qua promissione consistit ratio voti. Sed quandoque addi pronuntiationem oris, et testimonium aliorum, ad quamdam confirmationem voti. De votis a Christo factis dixi Psal. 21. 26. De 1. 2. 3. 4.

D obligatione votorum et eorum excellentia, et præcipue Religiosorum, dixi Ps. 49. 14. at 55. 13. S. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 87. vocat Leontium Episcopum, ἁγνείας ἀνάκτορον, *puritatis delubrum.* Vir pius est Dei templum; in eo templo, se Deo suo offerat et bona sua. Subtiliter S. Augustin. *Quæ est,* ait, *distinctio in votis. Hæc est distinctio, ut te accuses, illum laudes: te intelligas creaturam, illum creatorem: te tenebras, illum illuminatorem. Redde vota distincta, confitere te mutabilem, illum immutabilem: confitere te sine illo nihil esse: ipsum autem sine te perfectum esse: te indigere illo, illum autem tui non indigere:* hæc ingeniose, sed non ad litteram. Commodius Ugo, *Reddam vota mea, quæ distinxerunt labia mea,* id est quæ distincte, et discrete promiserunt. Iephte enim indistincte et indiscrete vovit, et ideo non debuit reddere, de quo habetur Iudicum 11. Unde dicit Augustinus, quod stultus fuit in vovendo, et impius in reddendo: ita Ugo.

Perinde displicet stulta, atque infidelis promissio, Deo
64. sapientissimo et fidelissimo. Eccl. 5. 3. *Displicet Deo infidelis et stulta promissio.* Infidelis est, quæ non redditur: stulta, quæ temere fit. Nonne stulta erat promissio veterum Romanorum, qui vovebant ferro se depugnaturos pro salute ægri, et ipsa capita sua, proposito titulo, nonnunquam vovebant, ut ait Sveton. in Caligula. Græci decimum quemque eorum, qui se Persis dedidissent, Apollini Delphico voverant, ut tradit Herodot. lib. 7. Persæ vovebant vivos se homines defossuros: quod fecit Amestris, uxor Xerxis; illa enim quatuordecim illustrium Persarum liberos defodit, ad referendam pro se gratiam Deo, qui sub terra esse fertur, ut ait idem Herodot. lib. eodem. Pudet dicere a Locrensibus votam virginum suarum prostitutionem. Romæ *ver sacrum* vovere, erat quidquid ex suibus, ovibus, et agnis, inter Calendas Martias et Idus Maias apud quemque natum esset, devovere: tolerabile erat hoc votum: sed in eo erat impium, quod pueri et puellæ intra illud tempus geniti etiam comprehendebantur. Votum illud tamen non erat perfectum, nisi a populo, Senatu, et Pontificibus ratum esset habitum; hominum autem immolationem ritu quodam evitabant.

Vota impia Paganorum

65. S. Bernardus de modo bene vivendi sermon. 62. versum nostrum ad vota Religiosa sic transfert: *Rogo*, inquit, *soror dilecta, ut dicas cum Propheta: Introibo in domum tuam, id est, monasterium: in holocaustis, hoc est in spiritu contritionis et compunctionis, reddam tibi vota mea: id est, ibi me integram offeram tibi in ara cordis, quam tibi vovi. Necesse est, ut, qui salvari desiderat, bona quæ Deo vovit, cum omni devotione reddat. Quicumque ad gaudia æterna desiderat pervenire, necesse est, ut bona quæ Deo promisit, studeat adimplere: unde Propheta: Vovete et reddite Domino Deo vestro. Ac si diceret: Vos ipsos vovete, et reddite: quia necesse est, ut, qui vovit, etiam reddat: quia vovendo se debitorem fecit. Et melius esset non vovere, quam post votum promissa non solvere. Sunt etiam quædam vota omnibus communia, quædam vero specialia. Communia vota sunt ea, quæ in baptismo promisimus, scilicet, ut non peccaremus: et, ut diabolo et operibus eius abrenunciemus. Specialia vota sunt, quando aliquis se monachum fieri, aut canonicum, aut eremitam, vel aliquid aliud promittit. Quod si ille qui vovit, non reddiderit, salvus esse non poterit. Quomodo vult a Deo accipere donum cæleste, qui Deo non vult reddere suum votum? aut quomodo se putat a Deo accipere dona cælestia, qui Deo negligit persolvere vota sua? quia non est fidelis, sed infidelis. Inter infideles condemnabitur ille, qui vota sua Deo negligit reddere.* In vetustis monumentis solemne illud V. S. L. M. id est, vota solvit libens merito.

Monasterium est domus Dei.

66. Nota, ex hoc loco recte probat S. Fulgentius vota in afflictione facta esse Deo reddenda, sunt enim simpliciter voluntaria. Hinc in præliis et morbis ut plurimum vota fiebant ab ipsis paganis in periculo positis. Sic Romulus sistendæ suorum fugæ causa vovit templum Iovi Statori. Appius in medio pugnæ discrimine vovit templum Bellonæ. Cornelius Consul, principio pugnæ vovit ædem Sospitæ Iunoni. Fulvius Flaccus ob Celtiberos in fugam virtute equitum versos et cæsos, fortunæ equestri ædem vovit. Marcellus in Gallos pugnans vovit Iovi Feretrio pulcherrima et præstantissima hostium arma, item vovit templum honori et virtuti. Republica multum afflicta bellis Punicis, ædem menti, librorum Sibyllinorum monitu voverunt. Flavius idem vovit Concordiæ, si reconciliasset populo ordines. Peste grassante, ædes Apollini vota pro valetudine populi. Velleius Paterculus refert, cum Pompeius gravissima valetudine tentaretur in Campania, per universam Italiam vota pro salute eius primo omnium suscepta. Caius in L. si calvitur. D. de verbor. signific. tradit, invaluisse morem, ut incunte anno pro Cæsarum salute vota nuncuparentur. Vota porro dicebantur concipi, suscipi, nuncupare: ac deinde solvi, et *reddi*, veluti debitum scilicet. Virgilius in Cyri: *Debita cum castæ solvuntur vota Minervæ.* Valer. Max. lib. 1. cap. 1. Cum, ait, Marcellus quintum Consulatum gerens, templum honori et virtuti, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus *nuncupatis votis debitum* consecrare vellet. Horat. lib. 2. Carminum, ode 7. *Ergo obligatam redde Iovi dapem.* Dicebantur porro vota reddi merentibus seu meritis diis. Livius lib. 15. ad eosdem deos, ait, quibus vota nuncupavit, *merita dona* Popul. Roman. traducit. Ovidius lib. 4. Trist. eleg. 2. *Munera dat meritis, sæpe datura deis.* Qui vota fecerat, dicebatur reus voti; qui eius compos factus fuerat, antequam persolveret, dicebatur damnatus voti. Publicorum votorum nuncupatio in tabulas referebatur, ut diligentius solverentur. Cum vota solvebantur, sæpe etiam tabulæ eius testes ponebantur: in illis votivis tabulis naufragorum casus et pericula solebant depingere. Interpres Horatii lib. 2. sermon. Satyr. 1. sic ait: *Votiva tabula est, quæ ex voto posita est in templo aut aliquo loco publico: in qua descripta, hoc est depicta est fortuna alicuius. Ita solent naufragi, suum naufragium in tabella depictum circumferre, et in templis alicui Deo consecratum suspendere.* Vota solebant nuncupare, sublatis in cælum manibus; unde scilicet auxilium sperabant. Cum fiebant a magistratibus, et populo, præibat illis Pont. Max. certis conceptis verbis.

Varia vota paganorum in pugna.

Nota secundo, tribulatio os aperit: *Locutum est os meum* 67.
in tribulatione mea: apertum autem implet Deus rore suo. In amaritudine tribulationis preces ad Deum emittimus, sed suavissimam nobis pluviam affundit. Hoc possis explicare symbolo Academicorum Humoristarum, ut vocant, Romæ, qui pingunt sublatam e mari nubem, eamque rorantem et pluentem, et aquæ antea amaræ adscribunt, *Redit agmine dulci*, lacrymæ ad Deum emissæ salsæ sunt et amaræ, et de corde velut mari salso et agitato ascendunt; sed, si ad patrem suum pervenerint, redibunt dulces. Aliud simile potest afferri. Serulæ enim videntur magna arte contextæ, quæ non clave ulla aperientur, sed orbibus circumductis, donec litteræ coeant, et fiat certa verbi significatio, quod Sylvester noster Petrasancta adaptat Deiparæ, cum hac epigraphe, *Uni patet Verbo:* nulli enim viro, sed Verbo Dei tantum patuit. Hoc orationi possis adaptare: illi enim ad levissimum verbum patet aula Dei et thesaurus, cum ipse Christus asseruerit, Matth. 21. 22. *Omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.*

Oratio in cælum emissa cum lacrymis.

Cum holocaustis, id est cum victimis in holocausto immolandis, aut immolatis, dixerat Christus se introiturum 68. Vers. 15.
in domum Dei: nunc declarat, qualia sint ea holocausta, v. 15. Holocausta medullata (Pagn. medullatorum: agnorum scilicet. Felix, pinguium) offeram tibi, cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.

Quæres primo, quænam sint holocausta medullata? Resp. primo, Arnobius, holocausta medullata esse orationem ex intimo corde factam: *Holocausta*, inquit, *sine medulla offeret Deo, qui corde inanis, corpore videtur orare* 1.
et psallere. Ego autem, inquit, *medullata tibi offeram. Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente.* Secundo, holocaustum medullatum, est bonum o- 2.
pus orationis lacrymis irrigatum: ita S. Gregorius. Verba eius sunt hom. 20. in Ezechielem: *Sunt quidam, ait, qui etiam sæculum relinquentes, totum quidam quod habent, offerunt: sed tamen in bonis quæ agunt, minime compunguntur: et bonum quod agunt, holocaustum est: sed quia flere ac semetipsos diiudicare nesciunt, seque ex amore ad lacrymas non accendunt, perfectum eorum holocaustum non est. Hinc per Psalmistam dicitur,* Ps. 19. *Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. Holocaustum siccum, est bonum opus, quod orationis lacrymæ non infundunt. Holocaustum vero pingue est, quando hoc quod bene agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur. Unde rursus dicitur: Holocausta medullata offeram tibi. Quisquis enim bonum opus agit, sed omnipotentis Dei amore atque desiderio flere nescit, holocaustum habet, sed medullam in holocausto non habet. Qui vero bona operatur, et visioni iam Creatoris sui inhiat, atque*

Holocausta medullata quæ:

ad æternæ contemplationis gaudia pervenire festinat, seque ipsum ex amore quo accenditur in fletibus mactat, holocausta Domino medullata dedit. Idololatræ externa holocausta offerunt per acerbissimas mortificationes; sed intus medulla non est: quia, in illis non est humilitas, sed inanis et vana superbia. In Bellonæ sacrificiis, ut ait Lactantius lib. 1. Instit. divin. cap. 21. ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exerantes currunt, afferuntur, insaniunt. Optime Quintilianus in fanatico: Istud, inquit, si Deus cogit, iratus est. Etiamne hæc sacra sunt? Nonne satius est, pecudum more vivere, quam Deos tam impios, tam profanos, tam sanguinarios colere? hæc Lactantius. Sacerdotes Baal incidebant se cultris at lanceolis, cum victimas suas immolabant, 3. Reg. 18. 28. sed holocaustum eorum non fuit medullatum; quia rivi aquarum, id est compunctionis et lacrymarum, circa illud non currebant, sicut circa holocaustum Eliæ.

3. *Et optime.* Tertio denique, et optime, holocaustum medullatum est illud, quod fit cum plena et perfecta charitate. Hoc autem perfectissime in cælo reperitur. Ita S. Augustinus: *Holocausta,* inquit, *medullata offeram tibi: Quid est medullata? Intus teneam charitatem tuam, non erit in superficie; in medullis meis erit, quod diligo te. Nihil enim interius medullis nostris. Interiora ossa sunt carne, medullæ interiores sunt ipsis ossibus. Quisquis ergo in superficie colit Deum, magis placere vult hominibus. Aliud autem intus sentiens, non offert holocausta medullata: cuius autem medullam inspicit, ipsum totum accipit:* ita Augustinus. Et vero quidni demus Deo Patri medullas nostras, qui dedit nobis medullas suas? Numer. 18. 12. *Omnem medullam olei, et vini, ac frumenti dedi tibi.* Præterea dedit filium suum et Spiritum sanctum, quibus intime coniunctus est: filius autem et Spiritus sanctus seipsos totos dederunt, et quotidie dant nobis: filius in Eucharistia, quod vere est holocaustum pingue et medullatum, et Spiritus in sanctificatione. Rex Parsarum in excelsis montium iugis pyram extruebat, et lacte, melle, vino et odoribus infusis vota concipiebat, pyræque tunc ignem subiiciebat. Selectissima nos Deo offeramus in excelso mentis nostræ loco; et sollicite curemus, ut holocaustum nostrum semper in conspectu Dei ardeat. Levit. 6. 12. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies, et imposito holocausto desuper adolebit adipes pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Curtius Burgbesius asbestum lapidem, qui semel igne concepto nunquam solet extingui, sibi in symbolum sumpsit, cum his verbis, *semper ardet.* Sed sursum feratur ille ignis. Hebr. vertit Arias: Ascensiones medullatorum faciam ascendere tibi cum suffitu arietum. Hoc aptissime poneretur symbol. Rangon. de quo v. 12.

69. *Incensum arietum est:* Quæres secundo, quid sit incensum arietum? Resp. primo, incensum arietum esse suffitum et nidorem arietini adipis, sive odorem qui ex arietum carnibus incensis exhalat: ita Bellarm. Iansen. Trevatus, Caiet. Agell. Vatabl.

I. *Nidore e carne et adipe arietis.* Genebrardus, qui ignorantiæ arguit aliter explicantes: sed paulo severiori censura, ut videbitur. Non nego tamen, etiam Deo placuisse odorem, qui egrediebatur ex ipsa carne et adipe arietis. Dicitur enim Exod. 29. 18. *Offeres totum arietem in incensum super altare: oblatio est Domino, odor suavissimus victimæ Domini.* Et de sacrificio Noemi post diluvii cessationem Gen. 8. 21. *Odoratus est Dominus odorem suavitatis.* Licet in his arbitror præsertim intelligi suavem odorem thuris, quod imponebatur omni victimæ pacificæ et holocausto, ut cum illis cremaretur.

II. *Thus oblatum cum ariete.* Secundo itaque dico, *incensum* hic sumi in propria significatione, nempe pro thure, at esse hyperbaton, q. d. *Holocausta arietum medullata offeram cum incenso.* Hinc Sept. S. Hil. S. Aug. Cassiod. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso et arietibus. Felix vertit, cum thure arietum. Chald. cum thure aromatico, et sacrificio arietum. Ubi adverte, quod Hebræi thus adhibebant in omni sacrificio, excepto sacrificio pro peccato. Arnobius lib. 7. negat, a paganis vetustissimis thus adhibitum fuisse in sacris. Nam heroes Hetrusci, et ipse Romulus ac Numa thurificatione usi non sunt: sed exta observabant, deinde assas vel elixas carnes diis cremare erant soliti: idque docet Gyraldus syntagm. 17. ex Apuleio. Moses, cum versaretur in Arabia, iussus est thus adhibere in sacrificiis; id etiam fecere postea Græci, et alii populi; unde thus quidam deducunt a θύειν, id est, sacrificare. Divites *acervos thuris* in altarium focos ingerebant, et thus acerra et lancee plena dabant: pauperes vero grana tantum aliquot, vel glebulas et micas summis digitis iniiciebant, ut discimus a Virgil. lib. 5. Æneid. ab Horatio lib. 3. carm. ode 8. Arnob. lib. 4. advers. Gentes. Ovid. lib. 3. Trist. eleg. 13. et lib. 4. Fastor. Tertulliano in Apologetico, ubi sic ait: *Qui ei offero opimam et maiorem hostiam, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam: non grana thuris unius assis.* Tu illum imitare, et sis erga Deum liberalis. Alexander liberaliter thura sacrificans, Arabiam thuris feracem obtinet. Hæretici irrident thurificationem in Ecclesia fieri solitam, sed imperite. Nam a primis Ecclesiæ temporibus in usu fuit. Apostoli ipsi canon. 3. vetant, aliquid offerri ad altare, præter oleum ad luminare, et incensum tempore oblationis. S. Dion. cap. 3. docet, Pontificem, ubi orationem sanctam super altare peregit, ex ipso incensum adolere, omnemque templi ambitum circuire. S. Ambr. in Lucam cap. 1. Utinam, ait, nobis adolentibus altaria, et sacrificium deferentibus, assistat angelus. Magi oblato thure professi sunt, Christum esse Deum et sacerdotem, ut ait S. Iren. lib. 3. cap. 20. S. Cypr. serm. de stella et magis. S. Hilar. can. 1. in Matth. et alii Gentiles, censebant a Christianis idolo suo sacrificatum esse, si summis digitis paululum thuris iniecissent in acerram, vel thuribulum. Quatuor modis solebant profani Christianos ad idololatriam adigere, ut ait Stephan. Durantus lib. 1. de ritibus Eccl. cathol. cap. 9. Primo, ut nomen suum darent, quod scribebatur in libello, seu catalogo. Hi a Christianis contumeliose *Libellati* appellabantur, ut docet S. Cyprian. lib. 1. epist. 3. et lib. 3. epist. 5. ac lib. 4. epist. 2. Ubi vulgo legitur Libellaticos, legendum est Libellatos. Secundo, ut iniicerent thus in arculum, vel thuribulum: eos vero, qui talia agebant, *Mittentes* appellabant, eamque actionem mittere dicebant, ut in Synodo Romana, in qua Marcellinus Papa causam dixit. Tertio, qui manu capiebant thuribulum, ut adolarent, vocabantur *Thurificuli* apud eumdem Cyprianum. Quarto, qui pollutis mentibus, manus et ora sacrificantes polluerunt, *Sacrificati,* vel *Sacrificiati* appellantur. Ita Durantus, qui deinde affert rationes cur fiat thurificatio. Primo, ad reverentiam loci et divini officii, ut si fuerit in loco odoris fœditas, thure incenso depellatur: et, qui adsunt, odoribus lætis mulceantur. Secundo, ad repræsentandum effectum gratiæ, qua bono odore Christus fuit, iuxta illud Genes. 34. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni:* at a Christo derivatur ad fideles, officio ministrorum, 2. Corinth. 2. odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco: et ideo undique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem. Hæc S. Thomas 3. parte quæst. 83. art. 5. Tertio, per thurificationem monentur, qui sacris adsunt, auctore Philone Episcopo in Cant. in illud: *Ex aromatibus, myrrhæ et thuris,* ad cælestia omni desiderio ascendere depulsis a cordis cubiculo importunis cogitationibus, reiectisque curis omnibus, et studio rerum caducarum, cor suum ignitum, veluti thuribulum coram Deo odoratissimum faciens. In quo quidem corde, cum per amorem virtutes colligit, quasi carbones in thuribulum congerit, quibus seipsam mens in conspectu Dei igne charitatis accendat, dum ferventes et mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum, ex thuribulo exhalat, ut coram Sponso suave redoleat: et proximos quosque ad eius amorem, per bona exempla concitare non desinat. Quarto, thurificatio significat devotionem, et celebrantis, et eorum qui assident ad Deum directam. Ps. 140.

2. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum.* In incenso, ait S. Hilar. orationes significantur. Vide a me dicta in illo loco. Quinto, thus denotat odorem bonæ famæ. S. Cyrill. lib. 12. de adoratione: Thus, inquit, et simila oleo madens odoratam illam nitidamque vitam innuunt. Sexto denique, thus et thurificatio sunt symbolum operum sanctorum, ferventi charitate velut liquefactorum, et fumigantium: quæ in igne eiusdem charitatis adolentur Deo, et suavissimum Deoque gratissimum odorem emittunt.

70. Quid per arietes, boves et hircos figuratur.

Quæres tertio, quid hic per arietes, boves, et hircos intelligatur? Primo, Raynerius sic exponit: Holocausta medullata, meipsum scilicet totum in anima et corpore, offeram tibi atque devovebo cum incenso arietum, et destructione motuum superbiæ: etiam offeram tibi mactando bo-
1. ves, quibus terra aratur, et sunt motus avaritiæ: cum hir-
2. cis et fœtidis motibus superbiæ, sic vitia mactando. Secundo, S. Athan. S. Cyrill. et S. Basil. Offert arietes, inquiunt, qui mactat, et mortificat, motus et impetus ab irascibili animæ partæ, et exhibet λογισμους ηγεμονικους, id est ratiocinationes principales, regias et imperantes atque dirigentes, et τα παθη κερατιζουσι, passiones cornu petunt atque deiiciunt. Boves sacrificat, qui seipsum offert Deo hostiam vivam per actiones honestas: hircos, opera resi-
3. piscentiæ, quoniam pro peccato offerebautur. Tertio, auctor operis imperfecti hom 41. ait, hic loqui Christum, et offerre Patri rationabiles arietes, id est, principes Christianorum: boves, rationabilem terram colentes: hircos, eos qui ex gentibus pro nomine Christi passi sunt: et bos posse intelligi tauros, et altilia prandii parabolici, de quo
4. agitur Matth. 22. Quarto denique, quia arietes sunt duces gregis: ideo per illos intelligi possunt divites, potentes, principes, reges, imperatores; 2. Patriarchæ et Prophetæ; 3. Apostoli et Doctores; 4. Prælati Ecclesiæ. Nam, ut ait S. Greg. lib. 33. Mor. cap. 5. illum vers. explauans, Prov. 30. 30. *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum: gallus succinctus lumbos, et aries, nec est rex qui resistat ei:* per leonem sumit Christum; per gallum, prædicatores sanctos et castos; per arietem, sacerdotum ordinem: *Quem*, ait, *hoc loco arietem accipimus, nisi primum intra Ecclesiam ordinem sacerdotum. De quibus scriptum est Ps. 28. Afferte Domino filios arietum, qui per exempla sua gradientem populum, quasi subsequentem ovium gregem, trahunt. Quibus spiritaliter recteque viventibus nullus rex sufficit omnino resistere; quia quilibet persecutor obviet, intentionem eorum non valet præpedire. Sciunt enim ad eum quem desiderant, et anxie currere, et moriendo pervenire. Ponitur ergo primus leo, secundus gallus, tertius aries. Apparuit enim Christus, deinde sancti prædicatores Apostoli, et tunc demum spiritales patres Ecclesiarum præpositi; videlicet duces gregum, quia doctores sequentium populorum.* Per boves intelliguntur Patriarchæ; 2. opifices, agricolæ et alii laboribus sibi vitam quærentes; 3. Iugum Domini portantes, et bene operantes, tum pro sua, tum pro aliorum salute. S. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 25. in illud Iob 1. 14. *Boves arabant, et asinæ pascebantur iuxta eos*, sic ait: *Quid aliud in figura per boves, quam bene operantes? quid aliud per asinas, quam quosdam simpliciter viventes accipimus: Quæ bene iuxta boves pasci referuntur; quia mentes simplicium etiam cum alta capere non possunt, eo magis vicinæ sunt, quo et fraterna bona sua per charitatem credunt: cumque invidere alienis sensibus nesciunt, quasi in pastu se minime dividunt. Simul ergo se asinæ cum bobus reficiunt: quia prudentibus coniuncti tardiores, eorum intelligentia pascuntur.* Per hircos denique, pœnitentes intellige propter fœtorem peccatorum præteritorum; et quia illa retinent in sua memoria, et omnes habitus mali non sunt omnino sanati, atque nonnunquam in leves lapsus recidunt, nec carent tentationibus petulcis. Hircus, est animal petulans, sed mundum et aptum ad sacrificia: ruminat enim, et dividit ungulam. S. Aug. in Ps. nostr. notat, iungendos esse hircos bobus: *Hirci*, ait, *per se, non possunt accipi: adiuncti bobus accipiuntur. Talibus enim dictum est Luc. 16. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut et ipsi recipiant vos in æterna tabernacula. Ergo hirci illi non erunt a sinistris, qui fecerunt sibi amicos de mammona iniquitatis. Qui autem hirci ad sinistram? Quibus dicetur Matth. 25. 35. Esurivi et non dedistis mihi manducare, non qui peccata sua eleemosynis redemerunt.*

Nota, sub arietibus continentur agni; sub bobus, tauri 71.
et vituli, sub hircis, hædi. Est synecdoche. Erant hæc animalia munda ad sacrificium, et nulla alia. Nota secundo, pro *offeram* secunda vice habetur Hebr. אעשׂה *ehese*, id est, *faciam*. Hinc S. Hieron. Pagnin. Felix, Arias, et alii vertunt, *Faciam boves cum hircis*, hoc est, illos sacrificabo. Verbum enim Hebraicum *asa*, et facere et sacrificare significat, ut patet Exod. 10. 25. Ubi sic Noster habet: Hostias et holocausta dabis nobis quæ offeramus, (Hebr. עשׂינו *asinu* faciamus, id est sacrificemus) *Domino Deo nostro.* Græci pro θύειν, id est sacrificare, usurpabant etiam ἔρδειν et ποιεῖν, id est facere. Quod autem *facere* sumatur pro sacrificare, patet ex Varrone lib. 5. de lingua Latina. *Flamen Dialis*, inquit, *auspicatur vindemiam, sed ut iussit vinum legere, agna Iovi facit.* Sic *hostia facere* dixit Censorinus lib. de die Natali cap. 1. *Ambarvalis hostia*, ut ait Festus Pompeius, *est quæ rei divinæ causa circum arva ducitur, ab iis qui pro frugibus faciunt*, id est sacrificant. Vide plura exempla apud Brisson. lib. 1. de formulis et solemnibus Popul. Roman. verbis, pag. 22. Verbum quoque operandi in sacris usurpabatur. Cornel. Tacitus lib. 2. Nox eadem, ait, lætam Germanico quietem tulit, *viditque se operatum*, et sanguine sacro respersa prætexta pulchriorem aliam manibus aviæ Augustæ accepisse. Virgil. lib. 1. Æneid. *Lætis operatus in herbis.* Opus hoc tibi præcipuum esse existima operari sacris, vel sacrificio adesse. S. Paulus 1. Cor. 11. 24. ait, Christum post consecrationem sui corporis dixisse Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*: item, post consecrationem calicis, Concil. Trident. Sess. 22. cap. Ex Ecclesiæ perpetuo consensu dicit, illis verbis Apostolos ordinatos fuisse sacerdotes. Lege Durantum lib. 2. c. 3. ubi fuse et erudite docet, sacerdotes in missa sacrificare, in eam rem multa sanctorum patrum profert testimonia.

Facere pro sacrificare.

Operari pro sacrificare.

ARTICULUS II.

Per accessum ad Iesum, et per ferventem orationem, obtinetur divina misericordia.

Non contentus Christus tota æternitate laudare Deum, 72.
omnes ad se invitat, ut auditis beneficiis ab ipso acce- Vers. 16.
ptis illum laudent et ament, v. 16. Venite, audite (Psalt. Rom. addit, *me*) et narrabo omnes qui timetis (qui colitis: timor enim Dei in Scriptura ponitur pro omni Dei cultu. Timor etiam filialis manet in cælo, ut ait S. Thom. 1. 2. quæst. 67. art. 4. ad 2. quoad actum quo reveretur Deum, non quoad actum quo timet separationem ab eo) Deum, quanta fecit animæ meæ, id est, mihi, 1. præsertim animæ, eam ornans scientia tum beata, tum infusa, et gratia infinita, si infinitum dari potest; aut, maxima possibili. Vide S. Thom. 3. p. q. 10. 11. 12. et 13.

In verborum ordine est hic hyperbaton. Sic enim verba connectenda sunt: *Venite, audite omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.*

Accurrendum ad Iesum, et cur?

Nota, accurrendum est ad Iesum. Primo, quia qui eum advenit, illum audit, et audiendo docetur. Ps. 32. 12. ait: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Vide illum locum. Deuteron. 33. 3. dicitur: *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Sic Maria Mag- 1.
dalena sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, Luc. 10. Apostoli in monte prope ipsum sedentes audiverunt doctrinam de beatitudinibus, Matth. 5. verba vitæ æternæ habet, ut dixit Petrus nolens ab eo recedere, Ioan. 6. 69. Secundo, qui venit ad Iesum et illum audit, 2.
sensum verborum eius percipit et gustat: habet enim clavem David, qua aperit et nemo claudit: habet etiam cla-

vem scientiæ. S. Chrysol. serm. 98. *Christus solus verbum*, inquit, *scientiæ fons, dicendi flumen, qui omnium*
3. *corda rigat, sensus aperit, ingenium dilatat.* Tertio, etiam qui timent ad eum accedant: sanat enim vulnera, ad eius contactum fugiunt animæ morbi, ut olim morbi corporis. Vipera, ut ait Pausanias in Bœoticis, et Theophr. lib. 4. cap. 6. de hist. plant. ad balsami arbusculas repit, et libenter ibi nidulatur: sicque ope illius odorati germinis, venenum magna ex parte minuit, vel ponit universum: ideo noster Petrasancta Guilielmo Coelmontio parthenio sodali, iureconsulto et amico, symbolum obtulit, in quo depicta esset vipera ad germen balsami accedens, adiecta hac epigraphe: *Venio positura venenum*. A serpente videlicet id veneficii habuimus omnes, ut nascamur filii iræ et genimina viperarum. Ope Deiparæ, sed Christi præsertim, venenum deponamus: atque in eam rem, ad
4. eorum salutarem umbram fugiamus. Quarto denique, ad Christum accedens disces quanti sint facienda animæ bona, cum de iis tantum sit tecum acturus. Philo lib. de plantat. Noe fol. 171. *Credendum est*, inquit, *benignissimum Deum plantare in anima*, καθάπερ παράδεισον κοσμῶν, *tamquam paradisum virtutum et actionum, quæ ex harum præscripto fiunt, qui ad eius perfectam felicitatem conducat. Ideo locum convenientissimum assignavit paradiso nominatum Eden, quod interpretatur deliciæ, qui significat animam recte cernentem*, αρεταις εγχορευουσης, *choreas agentem cum virtutibus, exultantem præ nimio gaudio, unam delectationem innumeris hominum voluptatibus præferentem, quales solus consectatur sapiens.*

73. Vers. 17. Laus Dei sub lingua cur ponatur?

Ad se vocatis narrat Christus, quanta Deus fecerit animæ suæ, v. 17. AD IPSUM ORE MEO CLAMAVI, ET EXALTAVI (ipsum; Richelius, Ludolphus, Turrecremata et alii legunt, *exultavi*, sed perperam) SUB LINGUA MEA, id est lingua mea, seu in lingua mea. Dici tamen *sub lingua*
1. *mea*, ut ostendat Primo, se fugisse ostentationem in suis
2. clamoribus et orationibus. Secundo, non tantum voce, sed corde laudasse, et laudem illam non processisse tantum e primoribus labiis, sed etiam ex fundo cordis. *Quid est*, ait S. Augustinus, *clamavi ore meo, et exultavi sub lingua mea? Ipsum publice prædicavi, ipsum in secreto confessus sum. Parum est Deum exaltare lingua, sed et sub lingua, ut quod certus loqueris, hoc tacitus cogites. Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea. Vide quam vult in secreto esse integer, qui in secreto offert holocausta medullata.* Laus Dei in lingua, sub lingua, et supra linguam sit, ut luceat omnibus hominibus, et videant cor tuum bonum. Lucerna piscis linguam habet lucentem, unde et nomen retinet: linguæ lux eum in maris fundo detegit: si cor tuum habeat linguam, Dei laude lucentem, satis se prodet, quale sit. Hinc ille dicebat: Lo-
3. quere ut te videam. Tertio, *sub lingua* laudem Dei ponit, veluti thesaurum et rem suavissimam, quam per otium gustare velit, nemine interpellante aut illam eripiente. Cant. 4. 11. hoc in sponsa sua, id est in anima perfecta laudat Christus: *Favus distillans labia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua.* Ibi clauso ostio, laudat patrem suum in abscondito, et deliciis eius fruitur.

74. Vers. 18. et 19. Peccatum est iniquitas.

Rationem profert, cur fuerit exauditus, v. 18. INIQUITATEM SI ASPEXI IN CORDE MEO, NON EXAUDIET (S. Greg. Cassiodor. et Arnob. non exaudiat) DOMINUS. Et v. 19. PROPTEREA EXAUDIVIT DEUS (quia iniquitatem non aspexi) ET ATTENDIT VOCI DEPRECATIONIS MEÆ. Nota primo, omne peccatum est iniquitas: quia, non servat æquitatem et iustitiam, suum cuique reddendo: nam peccator præfert terram cælo, caduca æternis, creaturas Deo: corpus suum, et concupiscentiam, quæ ancilla et serva esse debet, animæ, quæ dominium iure suo sibi vendicat. S. Chrys. parænesi 1. ad Theodorum lapsum, t. 4. fol. 667. id deplorat: *Ornantes*, ait, *abiectissimam servam infinitis ornamentis, relicta domina nobilissima, inculta magis magisque neglecta quovis mancipio.* Secundo, peccatum est iniquitas: quia, fit contra legem Dei æquissimam. S. Ioan. 1. epist. 3. 4. *Omnis qui facit peccatum, et* (hoc est, etiam)

A *iniquitatem facit: et peccatum est iniquitas.* Græce, ἀνομία, id est, divinæ legis prævaricatio. S. August. lib. 22. contra Faustum, cap. 27. sic definit peccatum: Est dictum, factum vel concupitum, contra legem æternam. Et vice versa ait Ioannes, ibid. cap. 5. 17. *Omnis iniquitas*, Græce ἀδικία, iniustitia, *peccatum est.*

75. Iniquitatem quis in corde aspicit?

Secundo nota, in ipso corde iniquitas existens orationem impedit, et eius exauditionem. Deus enim intuetur cor, neque habitabit iuxta eum malignus: *Aspicit* autem *iniquitatem in corde suo.* Primo, qui multorum sibi scelerum reus, in illis sibi complacet, nec illa vult emendare. Secundo, qui morosa cogitatione scelus versat, et illud committere desiderat. Ut enim ait Christus Matth. 5. 28. *Ego autem dico vobis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, ut illam concupiscat, et desideret illa frui extra matrimonium, *iam mœchatus est eam in corde suo.* Iam in lege veteri erat vetita concupiscentia, ut patet in decalogo, Exod. 20. 17. et Deut. 5. 21. et 7. 25. Modo cor servetur illæsum, satis est, S. August. in Psalm. nostr.
B *Quidquid lætum promiserit, iniquitas, ut illiciat ad peccandum, quidquid triste minatum fuerit, ut impellat ad malefaciendum, totum nihil est, totum transit: despici dignum est, ut calcetur: non conspici, ut accepletur. Suggerit enim aliquando per cogitationes vel per verba colloquentium malorum. Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala: tu noli ea respicere. Sed parum est in vultu, parum est in lingua. in corde noli respicere: id est, noli diligere, noli acceptare. Nam respectum pro dilectione poni quotidianum est, primo quia de Deo dicimus, respexit me. Quid est, respexit me? Ante enim te non videbat? Aut rursum attendebat, et precibus tuis commonitus est, ut in te oculos mitteret? Videbat te et ante: sed respexit me dicis, dilexit me. Et homini qui te videt, et rogas eum, dicis, ut misereatur tui, Respice me. Videt te, et dicis, respice me. Quid est, respice me? Dilige, attende, miserere mei. Ergo non ideo dixit: Iniquitatem si aspexi in corde meo, quia omnino nulla iniquitas suggeritur cordi humano. Ibi*
C *suggeritur, non cesset suggestio, sed non fiat respectio:* ita August. *Quasi a facie colubri fuge peccata*, Eccl. 21. 2. Parœmia Hebræis est: Cogitationes peccati, graviores sunt quam peccatum.

76. Orationis vim impedit peccatum.

Orationis porro efficaciam impedit iniquitas: Primo, quia impedit, ne bene fiat oratio: peccatum enim, et aspectus peccati, atque affectus ad illud, animam ab oratione avertit, in ipsa oratione distrahit, inquietat, lancinat, polluit. Secundo, iniquitas tollit fiduciam ab anima: unde Publicanus non audebat faciem in cælum levare. Innocentia vero, dat fiduciam: per fiduciam autem, *oratio* fit efficax, cum non fluctuat. 1. Ioan. 3. 21. *Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, et ea quæ sunt placita coram eo facimus.* Auctor imperfecti hom. 13. in Matth. Sicut oleum, ait, accendit lumen lucernæ, ita bona opera dant animæ confidentiam. Nam iustus quasi leo confidit. S. Gregor. lib. 10. Mor. cap. 15. vel 17. Diffidit, inquit, accipere se posse quod appetit, qui
D profecto reminiscitur nolle se adhuc facere, quod divinitus audivit: et cor nos in petitione reprehendit, cum resistere se præceptis eius quem postulat, meminit: ita Gregorius. David noster dicit Ps. 118. 6. *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Tertio, iniquitas efficaciam orationis impedit: quia Deus oculos suos et aures avertit a corde, facie, manu pollutis et impiis. Isaiæ 1. 15. *Cum extenderitis manus vestras avertam oculos meos a vobis: cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Contra vero dicitur Ps. 40. 13. *Oculi Domini super iustos, et aures eius in preces eorum.* Vide illum locum. Imo ad eorum cor descendit, et ibi thronum suum collocat, ut preces eorum exaudiat. S. Isidor. Pelusiota lib. 1. epist. 186. ad Isidorum Diaconum: *Divinum numen*, inquit, *licet sole longe splendidius, cernere quidem est impossibile: animo autem concipere non est impossibile, virtutem amat*

et exosculatur. Quamobrem, si nobis cordi est, id quod captum excedit, capere: ac rem dignitates omnes superantem consequi, temperantia, iustitia, prudentia, fortitudine, aliisque virtutibus nos ipsos exornemus. ψυχη αρετης. *Plura et casta anima nullam aptiorem sibi, et familiarem magis, sedem ullam esse constituit.* Ibi autem positus Deus cor replet omnibus suis donis. Salonius in Proverbia: Cellaria, inquit, sunt corda iustorum, qui per doctrinam sapientiæ replentur substantia pretiosa et pulcherrima: id est, donis virtutum atque bonorum operum: ita Salonius. Imo eum qui non aspicit in corde suo iniquitatem, neque in vanis cogitandis et appetendis se occupari sinit, sed in cælo ipsoque Deo fixos oculos habet: non tantum cælestibus sed etiam temporalibus bonis cumulat. Ticini olim urbe regia Affidati Academici, ut ad rerum divinarum et humanarum cogitationem iungendam se excitarent, Stellinum sive Stellarem avem pinxerunt, quæ ad Mercurii sidus evolans, ex unguibus ovum emittit, quo humi alliso pullus excluditur: hoc autem addidere lemma, *Utraque felicitas*, q. d. Et avis hæc in altum elevata luce Mercurii fruitur, et eius ovum deorsum cadens excludit pullum. Quærite primum regnum Dei, per volatum ad Deum et eius aspectum: et cætera adiicientur vobis, per abundantiam temporalium bonorum. Bernardinus Baldinus, ut se virtutis semper studiosum fore polliceretur, acum nauticam pinxit, quæ ad sidus arcticum verteretur, cum hac inscriptione, *Inoccidua sequor;* acus respiciens illam stellam, iuvat nautas, ut bene cursum suum in mari dirigant: si intellectus et affectus tuus ad unum Deum convertantur, nihil timendum est tibi in huius vitæ fluctibus.

77. Quinque dona data Christo.
Ex his collige, quinque bona animæ suæ facta Christum hic enarrare. Primo, donum orationis: *Ad ipsum ore meo clamavi.* Secundo, laudem Dei: *Et exaltavi sub lingua mea.* Tertio, innocentiam cordis: *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Quarto, exauditionem orationis: *Propterea exaudivit Deus et attendit voci deprecationis meæ.* Quinto denique, perseverantiam in oratione, et virtute, ac donorum Dei perceptione: additur enim: *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me:* de quo mox dicetur infra.

78. Peccatores aliquando exaudiri, et quando.
Tertio denique nota, peccatores etiam aliquando exaudiri. Primo cum peccandi voluntatem deposuerunt et petunt necessaria ad salutem. S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 16. in corp. *In peccatore*, inquit, *duo sunt consideranda, scilicet natura quam diligit Deus, et culpa quam odit. Si ergo peccator orando aliquid petit in quantum peccator, id est secundum desiderium peccati, in hoc a Deo non auditur ex misericordia, sed quandoque auditur ad vindictam: dum Deus permittit peccatorem adhuc amplius ruere in peccata. Deus enim quædam negat propitius, quæ concedit iratus, ut Augustinus dicit tract. 7. in Ioan. Orationem vero peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex iustitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia. Observatis tamen quatuor præmissis conditionibus: ut scilicet pro se petat necessaria ad salutem, pie et perseveranter.* Secundo, peccator etiam volens in peccato persistere, exauditur aliquando, 1. quia tamquam minister publicus induit personam Ecclesiæ, et eius orationibus utitur; 2. ob sacrificii Missæ dignitatem et efficaciam: in eo enim Christus est hostia et principalis offerens; 3. ob fidem, et devotionem eorum pro quibus sacrificat, aut preces fundit; 4. propter merita, et intercessionem Sanctorum, quos invocat; 5. propter propriæ fidei firmitatem: manet enim fides in peccatore, licet charitas pereat; 6. ob spei eius excellentiam; per peccatum enim quodlibet spes non tollitur, sed tantum per desperationem; sicut fides per solam infidelitatem; 7. denique, quia quæ petit ad commune Ecclesiæ, aut regni, civitatis, familiæ, domus, in quibus est, et ad gloriam Dei, conducunt. Sicut e contra, sancti viri aliquando non exaudiuntur, ut Moses orans pro sorore sua leprosa, Num. 12. 14. nec pro seipso, ut intraret in terram promissionis, et vetatur id amplius petere, Deut. 3. 16. nec Samuel orans pro Saule, 1. Reg. 16. 1. nec Ieremias pro populo suo a Chaldæis vastando: nec Iob pro liberis suis, pro quibus quotidie sacrificabat: et tamen omnes una hora simul convivantes interfecti sunt, domo primogeniti in ipsos cadente, Iob. 1.

79. Vers. 20.
Denique, gratias agit Christus quod habuerit perseverantiam in oratione, et Deus constanter illi benefecerit, v. 20. **BENEDICTUS DEUS, QUI NON AMOVIT ORATIONEM MEAM, ET MISERICORDIAM SUAM A ME.** Oratio iusti, et misericordia Dei, duæ sunt sorores inter se connexæ, quæ a se invicem separari nec debent, nec possunt.

Oratio conciliat Dei misericordiam peccatori.
Nota, oratio divinam misericordiam nobis obtinet, conservat, et adauget in vitæ spiritualis initio, progressu et fine.

Primo enim, peccatori pœnitenti oratio divinam misericordiam conciliat. S. Greg. Nyss. serm. de oratione: *Oratio*, inquit, κρινομενων συνηγορος, δεδεμενων λυσις, *reorum patrona, nexorum et vinctorum solutio et relaxatio, fatigatorum requies, mœrentium consolatio, gaudentium animi delectatio, lugentium solatium, nuptias contrahentium corona, natalitii festi celebratio, morientium funus.* Et S. Leo serm. de ieiunio decimi mensis: Oratione, ait, propitiatio Dei quæritur, ieiunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur: ita Leo. Divinam iram emollit oratio, et fulmen capiti impendens removet iuvante misericordia. S. Laur. Iustin. *Oratio*, inquit, *Deum mitigat, et velut quoddam scutum ab ira Dei protegit.* Hoc evidenter patet Exod. 32. 9. ubi Deus oranti Mosi ait: *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* Oratio iuvat Dei misericordiam, cum pugnat in iustitiam, eamque illa reddit fortiorem: hinc iratus Deus vetat orationem, ne cogatur parcere. Ieremiæ Prophetæ dicit Ier. 7. 16. *Tu vero noli orare, et non obsistas mihi.* Iacob per orationem potens fuit contra Deum, et ab eo obtinuit benedictionem per luctam orationis. Gen. 32. 29. *Orationes sanctorum, quasi quoddam frænum iræ Dei immittunt: quo scilicet ipse coerceatur, ne quantum merita peccantium exigunt, ipsa in eos sæviat*, ut ait Petr. Abaelardus epist. 3.

80. Illi etiam qui in virtute progrediuntur.
Secundo, oratio iuvat in vitæ spiritualis progressu, ut Dei misericordiam semper comitem habeamus, ut transeamus per undas tribulationum sine naufragio. S. Chrysostom. hom. 41. ad popul. Antioch. *Armis nobis opus est*, inquit, *magna vera armatura oratio: opus est ventis a puppi, opus omnia discere, ut diei spatium absque naufragiis et vulneribus transigamus. Multi namque per dies singulos scopuli: et frequenter illiditur scapha, atque submergitur: propterea nobis opus est oratione, matutina præsertim et nocturna.* Isaac presbyter lib. de contemptu mundi: *Oratio*, inquit, *refugium est auxilii, et fons salutis, et confidentiæ thesaurus: et lumen iis, qui in tenebris sunt, et portus liberans a tempestate, et auxilium in ægritudinis violentia, et clypeus liberationis in prælio, et sagitta acuta contra inimicos.* S. Chrysost. lib. 2. de orando Deum, illam vocat animæ nervos. S. Ambros. lib. de viduis, dulce vehiculum in via.

81. Et perfectio.
Tertio denique, oratio perfectos in vita unitiva promovet, eisque thesauros divinæ misericordiæ aperit, ut plena manu inde virtutes et dona hauriant. S. Chrysost. in Ps. 7. Nihil, inquit, æque facit in virtute crescere, atque cum Deo assidue versari et colloqui, eique perpetuo gratias agere et psallere: ita ibi. In lib. autem 2. de orando Deum egregia similitudine rem illustrat: *Si qui*, ait, *cum Cæsare miscent sermones, familiariterque cum eo versantur, non possunt esse pauperes: multo minus fieri potest, ut qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales. Nam mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege divina. Ex quo consequitur, animæ vitam esse Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porro vitam piam ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, et veluti thesaurum animis nostris recondit:* ita Chrysostomus. Neque ullus ita virtuti iam acquisitæ confidat, ut orationem unquam a se amoveri patiatur: statim enim aberrabit. S. Augustin. lib. de natura

et gratia, cap. 26. *Sicut*, inquit, *oculus corporis etiam plenissime salvus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissime iustificatus, nisi æternæ luce iustitiæ divinitus adiuvetur, recte non potest vivere.* Abbas Isaias oration. 4. eam vocat, animæ lucem. S. Chrysost. lib. 1. de orando Deum mox citato, caput bonorum omnium, basim ac radicem vitæ frugiferæ. David de Augusta infor. novit. cap. 37. columnam sanctarum virtutum, deitatis scholam. Tu cave tantum, ne tam salubre præsidium a te amoveatur. Ugo Card. quindecim modos, quibus id evenit, percenset. Primo, inquit, oratio amovetur per interdictum generale. 1. Machab. 2. 8. *Templum eius, sicut homo ignobilis.* Secundo, per interdictum particulare, id est suspensionem. 1. Esdr. 2. 62. *Eiecti sunt de sacerdotio.* Tertio, per interdictum Dei. Ierem. 7. 16. *Noli orare pro populo isto, nec assumas pro eis laudem.* Quarto, per prohibitionem Ecclesiæ, vel Prælati. 1. Ioan. 5. 16. *Non pro eo dico, ut oret quis.* Quinto, per negligentiam. Luc. 11. 14. *Erat Iesus eiiciens dæmonium, et illud erat mutum.* Sexto, per curam superfluam. Eccl. 10. 1. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* Septimo, per idoli venerationem. Isaiæ 25. *Rogant Deum, non salvatorem.* Octavo per desperationem, sicut Cain et Iudas. Amos 6. *Tace, et ne recorderis nominis Domini.* Nono, per indevotionem. Ps. 31. 3. *Tacui, dum clamarem tota die.* Decimo, per conscientiam criminis. Ps. 49. 16. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas?* Thren. 3. 44. *Opposuisti nubem, ne transeat oratio.* Undecimo, per morbum, vel captivitatem. Ps. 136. 4. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Duodecimo, per delictum plebis, pro qua oratur. Ier. 14. 12. *Cum ieiunaverint, non exaudiam preces eorum.* Decimo tertio, per inordinationem. Matth. 20. 22. *Nescitis, quid petatis.* Decimo quarto, per ignorantiam. 2. Corint. 12. 8. *Ter Dominum rogavi, ut discederet a me.* Decimo quinto denique, per imperseverantiam. Luc. 11. 9. *Si perseveraverit pulsans:* ita Ugo. Nos cum Apostolis petamus, *Domine, doce nos orare.* Cum oratione nobis omnia bona obveniunt, et misericordia Dei nos comitabitur usque ad cælos, ut Deum iugiter benedicamus, qui non amoverit orationem nostram, et misericordiam suam a nobis.

PSALMUS SEXAGESIMUS SEXTUS.

1. In finem, in hymnis, Psalmus Cantici David.

2. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.
3. Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.
4. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.
5. Lætentur et exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate: et gentes in terra dirigis.
6. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.
7. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terræ.

PSALMI SEXAGESIMI SEXTI ANALYSIS.

David contemplans Incarnationem, orat
- Christum, 1. ut
  - Misereatur peccatorum. 2.
  - Benedicat iam iustificatos. 2.
  - Illuminet perfectos. 2.
  - Omnes paterna pietate adiuvet, 2. ut
    - Cognoscant viam eius. 3.
    - Et salutem datam gentibus. 3.
- Et homines, 4. ut
  - Confiteantur Christo, ore. 4.
  - Lætentur, corde. 5.
  - Exultent corpore: 5. ob
    - Iustitiam eius erga Iudæos. 5.
    - Et misericordiam erga Gentiles. 5.
  - Laudent, et revereantur opere: 6. 7. ob
    - Incarnationem pro omnibus. 6.
    - Et benedictionem pro iustis. 7.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, in hymnis, Psalmus Cantici David.

1. Argum. Psalmi. Psalmus hic, ut ait S. Hilarius, brevis est, et evangelica prædicatione absolutus. Rabbini illius argumentum volunt esse gratiarum actionem, pro fertilitate cuiusdam anni, cum dicatur Terra dedit fructum suum. Sed cur ob fertilitatem unius anni in Iudæa diceretur: Lætentur et exultent gentes?

Itaque sancti Patres Hilar. August. et alii pene omnes, psalmum hunc censent esse vehemens desiderium Incarnationis Christi. Ut enim ait Christus ipse Luc. 10. 24. *Multi Prophetæ et reges* (Matth. 13. 17. *Multi Prophetæ et iusti;* omnis enim iustus est rex) *voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt: et audire quæ auditis, et non audierunt.* Bellarminus putat Christum loqui de Prophetis, qui simul etiam reges fuerunt. Nomine autem regis intelligendos esse omnes principes, qui regium ius in populum suum habebant, quales fuerunt Adam, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Moses, Iob, et alii: qui simul Prophetæ fuerunt, et Christum videre desideraverunt: ita ipse. Sed non video cur excludat alios Prophetas, qui non fuerunt reges, ut Isaiam, et alios, qui maxime desidera-

verunt videre Messiam. Nam ratio quam affert; nempe, quod si omnes intellexisset, non dixisset, *multi Prophetæ*, sed omnes Prophetæ, infirma est. Sæpe enim *multi* in Scripturis ponitur pro *omnes*, ut apud eumdem Matthæum cap. 20. 16. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. Certum autem est, omnes vocatos esse ad vitam æternam. S. Augustinus tria præsertim desiderasse fertur. Primo, videre Christum in carne conversantem. Secundo, cernere Romam in splendore imperii triumphantem. Tertio, audire Paulum in cathedra fulminantem.

A Nota, *Psalmus cantici*, est psalmus, qui primo instrumentis musicis canitur, et deinde voce articulata continuatur. Contra vero, canticum psalmi, est psalmus, seu canticum quod initio voce cantatur, deinde instrumentis musicis. In textu Hebræo pro *in hymnis*, est hic בנגינות *binghinoth*, id est in instrumentis musicis. Sensus itaque est, q. d. Psalmus hic cantandus est *in*, seu cum *hymnis*, seu instrumentis musicis, sicut solent hymni cantari: idque in finem, hoc est semper: seu in Christum, qui est finis legis. Vide titulum Ps. 4. et 47. 2. Psalmus cantici.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3. Duas in partes scinditur. Prima, postulat divinam in Christi adventu misericordiam, benedictionem et illuminationem, vers. 2. Secunda, requirit ab omnibus nationibus gratiarum actionem, et Dei laudem ob tantum beneficium, vers. 4.

SECTIO PRIMA.

Duo proponit. Primo, petit Incarnationem, vers. 2. Secundo, finem illius duplicem aperit, vers. 3.

PARAPHRASIS.

2. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.*	2. Cum maximis animæ corporisque miseriis urgeamur, utinam divina misericordia optatum tamdiu Messiam e cælo demittat, qui humanum genus benedictione cumulet. Vultus sui splendorem, Verbumque æternum, cuius luce angeli recreantur, hunc in orbem convertat, et sacro amore incalescentes misericordiam eius sentiamus.
3. *Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.*	3. Ut in terris Deum ambulantem, et mirabili modo cum hominibus conversantem videamus, eiusque vestigiis insistamus, atque Salvatorem nationum omnium colamus, a quo libertas nostra et tranquillitas profluet.

QUÆSTIO UNICA.

Quam excellens Dei beneficium incarnatio.

4. Ordo Sectionis. Propheta noster in contemplatione venturi Messiæ defixus, eius celerem adventum postulat, eiusque utilitatem ostendit virtutis iter ingredientibus, in eo iam progressis, et metam prope tenentibus. Primo enim, Christus adveniens, peccatores suscipit misericordia sua, vers. 2. *Deus misereatur nostri*. Secundo, iam provectiores donis complet: *Et benedicat nobis*. Tertio, perfectos partim radiis cælestibus reficit et illustrat: *Illuminet vultum suum super nos;* partim continuata misericordia ad cælum perducit: *Et misereatur nostri*. Nullum enim tempus est vitæ, quo homo non egeat misericordia, cum nunquam nos deserat miseria.

Finem adventus Christi et illuminationis eius ponit. Primo, Dei notitiam, vers. 3. *Ut cognoscamus in terra viam tuam*. Secundo, salutis sibi præstitæ admirationem: *In omnibus gentibus salutare tuum*.

ARTICULUS I.

Misericordia, benignitas, et lux Dei in Incarnatione.

Ruptis nubibus, quæ Deum inter et homines velum oppanderant, ros divinus in terras depluit, et sol micantiori splendore irradiat, omnesque gaudio et cælestibus divitiis cumulat.

5. Vers 2 1. Pars Incarnatio est opus misericordiæ Dei, et cur? I. Ac primo, opus Incarnationis, est opus maximum misericordiæ Dei, v. 2. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri. Misericordiæ opus est, quia nemo mereri potuit de condigno unionem hypostaticam. Verbi divini cum natura humana, 1. non Christus ipse, quia meritum debet antecedere præmium, saltem ordine naturæ: in Christi autem humanitate nullum meritum præ-

B cessit unionem, quæ est fons omnis meriti Christi; 2. non homines iusti, qui præcesserunt, quia gratia eorum fuit inferioris ordinis quam unio hypostatica; 3. denique, nulla pura creatura id potest; quia si considerentur gratia creata, et opera quæ ab illa procedunt, secundum se tantum, et intrinsecam suam naturam, solum habent naturalem proportionem, et condignitatem cum gloria, cuius semen est gratia: quæ cum unione hypostatica nec proportionem habent, nec condignitatem; cum gratia nec semen eius sit, sed inferioris cuiusdam ordinis, neque ex natura sua ad illam ordinetur. Vide Suar. tom. 1. in 3. part. disp. 10. sect. 3. et seqq. Hinc mysterium Incarnationis tribuitur in Scriptura divinæ misericordiæ. Luc. 1. 78. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto;* et charitati, Ioan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*.

Secundo, Incarnatio fuit opus misericordiæ Dei, quia facta est, ut nostræ miseriæ mederetur. Galat. 4. 4. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege,* II.
C *ut eos qui sub lege erant, redimeret;* et ipse Christus dicit Matth. 18. 19. *Venit filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat*. Et Deipara in suo cantico ait, Luc. 1. 50. *Misericordia eius a progenie in progenies;* quod explanans Titus Bostrorum Episcopus: *Non alia*, inquit, *de causa in Virginis utero conceptus, homoque factus est, quam ut suam in omnes generationum generationes misericordiam diffunderet*. S. Greg. Nazianz. orat. 36. Humanitatis, inquit, susceptæ causa nostra est: quid enim aliud causa esse potuisset? S. Cyrillus Alexandr. lib. 5. Thesaur. cap. 8. Sciebat, inquit, nos mortales futuros propter peccatum, atque ideo ante sæcula constituit, ut Verbum suum homo fieret, renovaretque hominem. Pene omnes Sancti hanc unam causam assignant Incarnationis; et multi Theologi docent, Christum in carne non fuisse venturum, si Adamus non peccasset. Et qui dicunt, venturum fuisse propter solam excellentiam mysterii, asserunt non venturum fuisse passibilem et mortalem. Itaque opus solius miseri-

cordiæ saltem erit, quod venerit passibilis. S. Leo Papa serm. 1. de Ieiunio decimi mensis: *Causa*, ait, *reparationis nostræ non est nisi misericordia Dei, quem non diligeremus, nisi prius nos ille diligeret, et tenebras ignorantiæ nostræ suæ veritatis luce discuteret.*

6. *Necessaria fuit Incarnatio ad perfectam satisfactionem.* Nota secundo, magnitudo illius misericordiæ patet ex magnitudine Verbi Incarnati: *Deus misereatur nostri*. Nulla enim pura creatura potuit ex perfecta iustitia satisfacere pro peccatis hominum, sed ad hoc necessaria simpliciter fuit hypostatica unio, ut docet S. Thomas 3. part. quæst. 1. Hoc clare docet S. Leo serm. 1. 4. et 10. *Si non esset Deus, non afferret remedium.* S. Cyrillus Alexandrin. lib. 1. de fid. ad regin. cap. Quod per Christi sang. etc. sic ait: Quomodo Deus haberi non debet, qui suo sanguine credentes in ipsum emundat? S. Basilius in Ps. 28. in illud: *Frater non redimit, redimet homo? Non*, inquit, *homo nudus, sed homo Deus Iesus Christus: quia nullus alius poterat condignum afferre pretium.* S. Augustin. in Enchiridio cap. 108. Neque, ait, per ipsum liberaremur mediatorem hominum Christum, nisi esset Deus. Secundo, magnitudo misericordiæ illius patet ex motivo illam exhibendi, nempe ex vehementi amore. Unde S. Paulus Ephes. 2. 3. vocat, *nimiam charitatem;* 1. Timoth. 3. 16. *Magnum pietatis sacramentum.* Tertio, magnitudo misericordiæ patet ex eius fine, gloria scilicet æterna hominibus danda. Leo Imperat. in orat. 2. Victus es, ait, ab innata tibi misericordia: neque passus es, ut manus tuæ opificium a morte absumeretur: neque amori tuo adversus me consentaneum esse duxisti, si me omni studio destitueres: sed statuisti teipsum, ἀντίλυτρον δοῦναι σεαυτὸν ἐμῆς σωτηρίας, pro me pretium redemptionis et salutis comparandæ tradere: descendisque ad has meas infimas sedes, ut qui per insidias huc delapsus sum, non solum ab imo revocet, sed et ad cælos, ubi prius non degebam, transferar: ita Leo. Quarto, magnitudo misericordiæ illius patet, quia fit peccatoribus et indignis. S. Augustin. lib. 13. de Trinitate, cap. 10. ait: Incarnationem factam esse a Deo, ut dona in nos sua sine ullis bonis meritis nostris, imo præcedentibus et malis meritis nostris, *indebita largitate* conferret.

Incarnatio magnum est Dei beneficium, ob quatuor rationes.

Nota tertio, sancti Patres et alii iusti per suas orationes et bona opera meriti sunt de congruo Incarnationem: unde David noster illam petit in hoc Psalmo, *Deus misereatur nostri*, etc. S. Dionys. Alexandr. qui floruit circa ann. 250. æqualis S. Cypriani, in responsione ad septimam quæstionem Pauli Samosateni: Seipsum, ait, Deus flexit, et exaudivit preces supplicantium, et inclinavit cælos, et descendit, ἐξελέσθαι ἡμᾶς ἐλεύθερος ὤν, ut liberaret nos ipse liber existens, utpote Deus et Dominus gloriæ Iesus Christus: ita Dionysius.

7. *Non in nobis, sed in Deo est confidendum.* Tropol. Non in nostris meritis, sed in misericordia Dei fidendum. Ipse enim est fons bonitatis, ut ait Hermas in Pastore, qui humanum genus misericordia prosecutus est. Eduardus VI. Angliæ rex, ut omnia Deo accepta ferre se demonstraret, orbem terrarum catena revinctum, atque a cælesti suspensum dextera e nubibus effulgente, figuravit, hac addita epigraphe: *Nil sine Deo.* Alexander Cardinalis Ursinus, ursæ, quæ suctu priorum pedum vivit multos dies a puerperio, lemma hoc appinxit: *Ipse alimenta sibi*, ut suæ sibi auctorem laudis et gloriæ denotaret. Nos vero a nobis nihil habemus præter peccatum. Itaque dicamus: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, id est, secundum misericordiam, quam exhibuisti in Incarnationis prædestinatione, et illius executione, ut Ps. illum 50. exponunt S. Cyril. S. Chrys. S. Ambr. Orig. et alii. Quæ misericordia est proprie divina, quia, ut ait S. Paulus 1. Timoth. 2. 5. *Unus mediator Dei et hominum, homo Iesus Christus.* Et S. Dorotheus doctrina prima: Θεοῦ μόνου ἦν τὸ ἰᾶσθαι, *Dei solius erat mederi, et huiusmodi miseriis opitulari.*

8. *Vers. 2. 2. Pars Incarna-* Secundo, in virtute proficientes Christus incarnatus cumulavit virtutibus. Liberalitas enim Deo in has terras veniente, comitem se misericordiæ adiunxit, et flores cælestes plena manu effudit, vers. eod. 2. Et BENEDICAT NOBIS, id est, benefaciat: benedictio enim est efficax. De benedictione per Christum data dicitur Ephes. 1. 3. *Benedixit nos in omni benedictione*, id est, omni benedictione, omni bono, beneficio et dono, *spirituali*, nempe fide, gratia, peccatorum remissione, iustitia, amicitia Dei, virtutibus, bonis operibus, *in cælestibus*, donis scilicet, *in Christo*, id est, per Christum. Ioannes cap. 1. 16. *De plenitudine eius*, inquit, *nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*, id est, propter et per gratiam Christi. Ut enim ait S. Cyrillus: De plenitudine Filii, quasi iugi fonte, gratiarum donum scaturiens, in singulas animas, quæ dignæ sunt, defluit. Et S. Chrysost. Ipse, inquit, fons est et radix bonorum omnium. Ipse vita, ipse lux, ipse veritas, non in seipso bonorum divitias continens, sed in universos diffundens, quibus diffusis plenus permanet: neque ex eo quod aliis suppeditet, minuitur, sed divitias suas clargitur semper uberius: cumque omnes his bonis impertiat, in eadem permanet perfectione: ita Chrysost. Rationem reddit Ammonius, quia scilicet Christus est Deus: ὡς ῥίζα, inquit, πάντων ἀγαθῶν καὶ πηγή, *tanquam radix nimirum et fons bonorum omnium existit, qui plurimos bonitatis suæ participes efficiens, minime minuitur, ex quibus ipse quidem largitur, sed accipit creatura, Christus nempe Deus est.* S. Basilius epist. 43. Per Scripturam, inquit, ducimur et instruimur, ut collationis bonorum, quæ Spiritus sanctus in nobis operatur, auctorem atque causam unigenitum Dei Filium esse credamus. S. Athanasius adversus eos, qui damno afficiunt genus nostrum, sigillatim hanc Christi benedictionem amplificat. Quod ab homine, ait, fieri non poterat, id per hominem Deo copulatum nullo negotio fiebat: 1. sic resurrectionis donum consequimur; 2. sic adoptionem nanciscimur; 3. sic Domini fratres appellamur; 4. sic cohæredes credimus; 5. sic hostem in primitiis vincimus; 6. sic fiduciam ex illis accipimus; 7. sic sumptæ ex nobis carnis adversus diabolum trophæum nobis vendicamus, illud divinum robur concutientes; 8. sic omnes qui vere credimus, expectamus nos glorioso eius corpori conformes fore: ita Athanasius.

...tus Christus iuvat proficientes in virtute.

Iris tangens aspalathum. Explicare id possis Iridis comparatione. Si enim Iris cælestis aspalathum, id est, spinam candidam tetigerit, miras virtutes, et peregrinos odores, atque insolitam fragrantiam aspalathus diffundit. Si Christi nos misericordia, quæ per iridem figuratur, contigerit, virtutum bonos odores emittemus. Eutychianus Pontifex epist. ad Episcopos Bæticæ: *Humilitas Christi*, ait, *nostra nobilitas est: contumelia eius, honor noster est: quod ille Deus in carne consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renovati.* Alterum simile refert Theodorus Abucara, nempe peponis contrahentis gustum mellis ob semen illitum melle. Verba eius sunt opusc. 6. *Aiunt agricolæ, si semen peponis melle tinctum seras, dulcedinem mellis in ipsum fructum transire. Ita Christus natura ab oleosa qualitate, nimirum a peccato, per sanctum baptisma expurgata, assumpsit illam absque labe et macula, qualis prius erat, et condita fuerat,* καὶ ἐμβαλὼν αὐτὴν μέλιτι θεότητος γλυκύτητι, *eaque melle divinitatis et dulcedine, hoc est, virtute Spiritus sancti delibata, nos etiam dulcedinis participes effecit: quemadmodum grana peponis, quasi per traducem, fructum participem efficiunt.*

Grana peponis melle illita.

Tertio, Christus in Incarnatione mundum illuminat, 9.
v. eod. 2. ILLUMINET VULTUM SUUM SUPER NOS. Illuminatio vultus Dei super nos, multa significare potest. Primum *Vers. 2. 3. Pars. Illuminat super nos vultum suum Deus tribus modis.*
enim, dicitur Deus illuminare vultum suum super nos, quando remotis nubibus iræ et indignationis sereno vultu nos respicit ut filios, ut amicos, ut ad gratiam revocatos. Secundo, dicitur etiam illuminare vultum suum super nos, quando nos illuminat et calefacit, sapientiam et charitatem infundens, quomodo sol iste corporalis facere solet, 1.
quando nullis nubibus tegitur. Tertio denique, dicitur illuminare vultum suum super nos, quando præstat, ut eum 2.
quasi remoto velamine intueamur: quod maxime præstitit, quando per incarnationis mysterium in terris visus 3.

est, et cum hominibus conversatus est, ut dicitur Baruch 3. Atque id videtur hoc loco petere sanctus Propheta, ut Deus vultum suum, si non in forma Dei, saltem in forma hominis nobis ostendat. Quod etiam petiit, cum ait Ps. 79. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse*: ita Bellarminus. *Vultum Dei* hic sancti Patres et S. Hieronymus explicant de Filio Dei illuminationem vultus; de benigno favore exponit Genebrardus; de illustratione sapientiæ S. Hilarius, et S. Augustinus: sed hic paulo subtilius, et non ad litteram ait, Dei vultum esse animas nostras factas ad imaginem Dei; vultum etiam Dei exponit de ipso Deo: *Non enim*, inquit, *aliquando illuminat vultum suum Deus, quasi aliquando fuerit sine lumine: sed illuminat super nos, ut quod nos latebat, aperiatur nobis: et quod erat, sed nobis absconditum erat, reveletur super nos, hoc est, illuminetur. Aut certe imaginem tuam illumina super nos, ut hoc dixerit, illumina vultum tuum super nos, impressisti nobis vultum tuum, fecisti nos ad imaginem et similitudinem tuam, fecisti nos nummum tuum, sed non debet imago tua in tenebris remanere. Mitte radium sapientiæ tuæ, repellat tenebras nostras, et fulgeat in nobis imago tua. Gestamus vultum eius, quomodo dicuntur vultus Imperatorum. Vere quidem sacer vultus Dei est in imagine ipsius; sed iniqui non cognoscunt in se imaginem Dei. Ut illuminetur vultus Dei super illos, quid debent dicere? Tu illuminabis lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. Sum in tenebris peccatorum, sed radio sapientiæ tuæ discutiantur tenebræ meæ. Appareat vultus tuus: et si forte appareat per me aliquantulum deformis effectus, a te reformetur, quod a te formatum est*: ita Augustinus.

10. Vultus Dei quid?

11. Quid nobis meruit Christus?

11\. Nota, Christus est splendor paternæ gloriæ, ut eum vocat Paulus Hebr. 1. v. 3. Radius Dei, ut Tertullian. in Apologet. c. 21. Sol humani cordis, ut S. Fulgentius lib. 1. de remissione peccatorum, cap. 21. Illuminat autem nos, præsertim per Incarnationem. Christus enim per suam passionem et mortem, meruit nobis non solum remissionem peccatorum, sed etiam primam gratiam, gloriam et vitam æternam; 2. item, omne auxilium gratiæ excitantis et adiuvantis, quod datur homini, ut se disponat ad gratiam a prima vocatione usque ad dispositionem ultimam; 3. meruit nobis omnia auxilia gratiæ, quæ dantur post iustificationem; 4. augmentum gratiæ et gloriæ, et omnes actus, quibus illam meremur; 5. meruit nobis prædestinationem et electionem ad gloriam, ut docet Suar. tom. 1. in 3. part. disp. 42. Hinc S. Anselmus Incarnationem vocat maris stellam. Sic enim in cap. 1. Matth. *Incarnatio Christi fuit nobis stella in mari, et lux in tenebris*. Hinc etiam S. Zacharias pater S. Ioannis Baptistæ Christum vocat solem orientem, cum iam esset in utero Virginis, brevi inde toti orbi futurus conspicuus. Luc. 1. 78. *Visitavit nos Oriens ex alto, illuminare*, ut illuminet, *his qui in tenebris et in umbra mortis sedent*. Oriens ibi est substantivum nomen, et Christi proprium. Dixerat prius Zacharias Propheta c. 3. 8. *Ecce ego adducam servum meum Orientem*. Hebr. צמח *semah*, id est, germen, solare scilicet. Græc. ανατολην, Chald. Messiam. Et cap. 6. 12. *Ecce vir Oriens nomen eius*. Isa. 4. 2. *In illa die erit germen Domini in magnificentia et gloria*. Septuaginta reddunt, In illa die illucescet Deus in consilio cum gloria. S. Simeon illum ulnis gestans Luc. 2. 32. vocat, *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis Israel*. Matthæus cap. 4. 16. cum nuncupat lucem magnam: *Populus*, ait, *qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*. Ideo angeli apparuere lucidi pastoribus de nocte vigilantibus. Luc. 2. 9. *Ecce angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos*. Arabs vertit, gloria Domini orta est super illos. S. Ambrosius serm. 19. censet, nativitatis dominicæ die solem novo quodam fulsisse splendore, et ad ortum festinasse: et vero, si pugnante et vincente Iosue dies fuit longior, decuit quoque longiorem atque splendidiorem esse orto vero mundi ac dæmonis triumphatore. Christo iure symbolum assignabimus, quod sibi sumpsit Fridericus III. Mantuæ Marchio, solem scilicet plena facie coruscum, cum hac epigraphe, *Solus indeficiens*. Luna enim augetur vel senescit, et aliquæ minores stellæ incrementum ac decrementum lucis sentiunt, quod notatum est in stella Veneris, et in stella Mercurii, ope tubi optici. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromat. pag. 505. ait, Christum esse totum oculum et lucem: *Nunquam*, ait, *a sua specula excedit Dei Filius, ut qui non dividatur, non dissecetur, non transeat de loco in locum, sit autem semper ubique, et contineatur nusquam*, ολος νους, ολος φως πατρωον, ολος οφθαλμος: *Totus mens, totus lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, scit omnia, potestate scrutatur potestates*. Ante Christi adventum nox erat, diem nobis ac lucem ipse adveniens attulit. S. Cyrillus in illud Oseæ: *Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me vir meus*, cap. 2. 16. sic ait: Diem hoc loco tempus adventus Salvatoris nostri nominat. Proprie enim ac vere dies vocari potest tempus incarnationis Unigeniti, quo caligo in mundo depulsa est, et profligatæ tenebræ, et quasi quidam splendores in animis credentium exorti, et sol iustitiæ illuxit, veræ cognitionis lumen inserens iis, qui mentis oculos aperire noverunt. S. Bernardus serm. 13. in Cantica: *Quidquid sapientiæ*, ait, *quidquid virtutis te habere confidis, Dei virtuti, Dei sapientiæ, deputa Christo: origo fontium et fluminum mare est, virtutum et scientiarum Dominus Iesus Christus*. Et perfectos et imperfectos illuminat. Ps. 17. 29. *Illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas*. Sive simus in tenebris, sive in lumine, ab eo tota lux nostra speranda est.

12. Christus est nobis stella et sol.

Friderici Mantuani symbolum.

13\. Nota secundo, non dicitur simpliciter, *Illuminet vultum suum*, sed *illuminet super nos*. Semper enim Deus in lumine extitit, et fons est totius luminis: nos vero eramus tenebræ, et in mediis tenebris cæci aberrabamus a via cæli, cum ipso autem, et per ipsum lucidi sumus. Iris cæca et obscura nubes est, si in se sola spectetur: sed accedentibus solis radiis, lucida est atque admirabilis. Comes Ioannes Baptista ab Arcu, ut indicaret se tanto clariorem fore, quanto sub maiori principe militaret, iridem seu arcum cælestem in nube a sole illuminatum variis coloribus figuravit, cum hoc lemmate: *A magno maxima*. *Arcus* enim ille cælestis eo maior formari solet, quo sol in cælo fuerit altior. De S. Ioanne Baptista dicit Gabriel angelus, Luc. 1. 15. *Erit magnus coram Domino*. Et quidem statim accedente ad ipsum vero iustitiæ sole, exultavit infans in utero matris, rationis usu donatus est, et spiritu prophetiæ, ut docet S. Leo serm. de Epiphania, S. Gregorius lib. 3. Moral cap. 5. et alii, et illa dona continuo perseverarunt in ipso, ut ait S. Ambrosius et Origenes. Nullus maior inter natos mulierum extitit, quia nullus soli propior fuit. Ferdinandus Gonzaga, dux Mantuanus, ut indicaret gloriam se ex propria virtute quæsiturum, solem pingi curavit, his verbis additis: *Non mutuata luce*. Hoc Deus iure dixerit. Nos vero utamur symbolo alumnorum Collegii Anglorum Soc. Iesu Leodii: hi enim ut Maximiliano duci Bavaro fundatori suo omnia se accepta ferre testarentur, in tabella hortum efformarunt, qui multiplici flore, quasi ore, ut loquitur noster Sylvester Petrasancta, ita solem alloquitur: *Aspice, ut aspiciar*. Nos cordi nostro inscribamus: *Ostende faciem tuam, et salvi erimus*. Deus benedictionis modum, quo Aaron et filii eius populo bene precentur, declarat Mosi Num. 6. 24. *Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem*. Nos quoque ad illum solem vultum nostrum vertere debemus, si illuminari volumus. Margarita Valesia, Navarræ regina, heliotropium ad solem obversum pro symbolo sibi selegit, cum hoc lemmate: *Non inferiora secuta*. Ut indicaret se ex regia stirpe ortam habuisse regem maritum. Contra vero, terreni homines terram spectant ac lutum, similes talpæ ac scarabæo lutum versanti: et se tamen filios lucis putant et prædicant. Ægyptii scarabæum in summa veneratione habebant, tamquam solis

Illuminat nos Deus semper in se lucidus.

Iridi similes sumus.

Margaritæ Valesiæ symbolum.

imaginem, ut docet Porphyrius lib. de abstinentia ab animalis. Dicebant globulum, quem fingit ex luto scarabæus, mundi esse imaginem, et dum ab ortu in occasum adversis illum pedibus volvit, atque ab occasu in ortum reflectit: dum eumdem humi recondit ad dies 28. quot diebus luna duodecim zodiaci signa percurrit: dum altero die illum extrahit, et mergit in aquam, quo die luna cum sole est, ac fit mundi generatio: dum prolem gignit habentem tricenos digitos, quot sunt in mense dies, dum, inquam, hæc præstat omnia, solem videtur repræsentare. Ita ipsi dicebant: Volve, revolve terram, semper lutum erit. Tu felicius operare lucis opera ad solem obversus, et cum eo luminosos cursus faciens. Laurentius Priolus, dux Reipubl. Venetæ, pro symbolo eo horologium solare sibi sumpsit, cum hac inscriptione: *Nulla hora sine linea.* Sol enim singulis horis lineam unam duasve percurrit.

14. Quarto, Christus per Incarnationem non tantum initio miseretur nostri, sed usque ad finem vitæ, donec nos in gloria collocet, quæ gloria est magna adhuc eius misericordia. Unde additur, **Et misereatur nostri.** Repetitio denotat vehemens desiderium obtinendi illam misericordiam, ut ait Euthymius; 2. quod a misericordia Domini proficere incipimus, et in bona spe, ipso largiente servamur, ut exponunt Cassiodorus, Haimo, Beda, et alii. Hæc verba non habentur in Hebr. Chald. Syr. textu, neque in Græcis codicibus emendatis; in Æthiopico Psalterio habetur, *et vivemus.* Omnia latina Psalteria illas voces retinent, et S. Hilarius antiquissimus in Psalmos Commentator. In Hebræo est vox סלה *selah*, quæ notat illa esse meditanda quæ dicta sunt, et paulisper quiescendum, aut vocis tonum mutandum, ut dixi Ps. 3. Per hæc autem verba, *et misereatur nostri*, monemur præsertim in Incarnatione misericordiam Dei erga nos esse meditandam. Christus enim ad nos venit instar boni Samaritani, qui iacentium vulnera alligaret, infundens oleum misericordiæ, (Christus enim unctum significat et ungentem) atque vinum, id est, sanguinem passionis, Luc. 10. Venit, ait S. Ignatius martyr in epistol. ut attactu suo tuis ægritudinibus mederetur. S. Gregorius Nyssenus orat. 2. de pauperibus amandis, ut simile simili curaret, anima animam, carne carnem. S. Dorotheus doctrina prima, ut tollat damnationem peccati, simili simile rapiens. Theodoretus dialog. 1. ut restituat ruentem imaginem. Pisidas de mundi opificio, ut terrenum hoc corpus ab inducta corruptione liberaret animam rursus humanam, postquam illam propriam sibi reddidisset, suæque naturæ firmitate et immutabilitate perinde ac vellus colore imbuisset, διαπερ εριω βαφην εγκατα χρωσας αυτη, peccato superiorem declararet: ita ipse. Post mortem Mahometis orta est stella, quæ Docites, id est, trabalis dicitur, Arabum imperium portendens, mansitque ad triginta dies a Meridie Septemtrionem versus, gladii forma se protendens, ut ait Euthymius Zigabenus in Moamethicis. Stella vero, quæ Christo nascente regibus apparuit, pacis prænuntia extitit, in pulcherrimi pueri forma apparens, ut quidam volunt. Veniebat enim Salvator, ut hominibus humanitatem exhiberet, et prædicaret pacem hominibus bonæ voluntatis.

Vers. 2. 4. Pars. Christi misericordia semper durat.

Mahometis stella.

15. Quinto, Christus per Incarnationem suam effecit, ut eius notitiam habeamus, vers. 3. **Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.** Prius locutus est David in tertia persona, *Deus misereatur nostri;* nunc loquitur in secunda, *Ut cognoscamus in terra viam tuam.* Est Hebraismus. Solent enim Hebræi aliquem, præsertim principem aut regem alloqui in tertia persona: itaque cum dicitur hic, *Deus misereatur nostri*, idem est ac si diceretur, *tu Deus miserere nostri.* Alloquitur porro secundam Trinitatis personam, quæ est incarnata.

Vers. 3. 1. Pars.

Quæres, quam viam aperit nobis Incarnatio? Primo, viam ad cælum, per præcepta et consilia quæ dedit Christus. Secundo, ipsum Christum, qui est dux viæ; et ipsa via, per quam itur in cælum: sicut est ostium, per quod omnes salvandi transeunt. S. Augustinus in Psal. nostr. *Ut cognoscamus*, inquit, *in terra viam tuam. In terra hac,*

Viam nos docet Christus et quam: 1. 2.

A *in hac vita cognoscamus viam tuam. Quæ est via tua? Quæ ducit ad te. Agnoscamus quo eamus, agnoscamus qua eamus: utrumque in tenebris non possumus. Longe es a peregrinantibus, viam nobis porrexisti, per quam redeundum sit ad te: agnoscamus in terra viam tuam. Quæ est via ipsius, quia hoc optavimus ut cognoscamus in terra viam tuam? Quæsituri sumus eam nos, non per nos discituri. Possumus eam de Evangelio discere. Ego sum via, Dominus ait, Christus dicit Ioan. 14. Ego sum via. Sed times, ne erres; adiecit, et veritas. Quis errat in veritate? Errat in veritate, qui recesserit a veritate. Veritas Christus, via Christus. Ambula. Times ne moriaris antequam pervenias. Ego sum vita. Ego sum, inquit, via, et veritas, et vita. Quasi diceret: Quid times? Per me ambulas, ad me ambulas, in me requiescis. Quid ergo ait, Cognoscamus in terra viam tuam, nisi cognoscamus in terra Christum tuum?* Ita Augustinus. Tertio, et melius, ut cognoscamus in terra viam tuam, id est, tuos agendi modos, tuam vivendi rationem, tuas virtutes, quibus toti orbi præluceas, et tuo exemplo 3.
B cælum aperias. Unde additur, *In omnibus gentibus salutare tuum*, in morte scilicet, q. d. Ut te viventem et morientem videamus, cognoscamus, admiremur, amemus et laudemus. Non vult enim sterilem et nudam cognitionem, sed amori ipsius coniunctam, et desiderio imitationis. Prov. 30. 18. *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro: Viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia.* Hebr. בעלמה *bealma*, id est, in adolescentula, nempe in virgine. Natus est enim de Virgine, quod superat captum hominis. S. Ambrosius ad rem nostram apte in illud caput Proverb. per viam aquilæ in cælo accipit Christi descensum in terras Virginisque uterum, ac rursus eiusdem ascensum in cælum: per viam colubri in petra immunitatem Christi a peccato et servitute diaboli: per viam navis in mari, Christi tum incarnationem, tum crucem, tum Ecclesiam: per viam viri in adolescentia, Christi vitam et conversationem in hoc mundo. Illum consule, dignus est qui legatur.

Et optime.

C 2. Mirabilis quoque est via Christi in terris, quia nobiscum ambulat, et in cælo cum Patre manet. S. August. citatus a Petro Damiani opusc. 1. cap. 4. In sole calor, ait, et splendor in uno radio sunt: sed calor exsiccat, splendor illuminat: et cum calor aliud agit, aliud splendor, tamen ab invicem nequeunt separari. Sic et Filius suscepit carnem, et non deseruit Patrem. 3. Mirabilis est via Christi in toto vitæ decursu, Ps. 18. 6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam: a summo cælo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius.* De sole et de Christo id dicitur, uterque exultat in suo lumine et cursu, atque exultare homines facit. S. Chrysologus serm. 98. Christum vocat fontem scientiæ, et fontem lucis. Itaque ad eum accedens similis est illi pyramidi, quæ soli obiecta, in meridie nullam faciebat umbram: cuique hæc verba adscripta sunt: *Umbræ nescia.* Lux illa cognitionis Christi efficit, ut cognoscamus viam cæli, et ad illud intremus. Sap. 15. 3. *Nosse te consummata iustitia est: et scire iustitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis!* 4. Denique, mirabilis est
D via Christi in suo termino, quia Christus visibilis in cælum ascendens et ibi regnans, nobiscum manet in Eucharistia, et in ea totum orbem misericorditer decurrit.

Pyramis umbram non faciens.

Sexto denique, Christus per Incarnationem attulit salutem toti mundo. **In omnibus gentibus salutare tuum**, id est, salutem tuam, ut vertit S. Hieronymus, Felix et Pagninus. Hic fuit finis passionis Christi, ut nos a dæmone captivatos redimeret, atque ab unguibus eius ereptos salvaret. Habacuc 3. 13. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Id est, cum Mose, liberans Israelitas ex Ægypto; 2. cum Cyro vincente Babylonios, et servos tuos liberante ex captivitate illa Babylonica; 3. cum Messia, et per ipsum Salvatorem omnium hominum. Hinc sexta editio habet, *Egressus es, ut salvares populum per Iesum Christum tuum.* Ab aliis alia quæramus, a Iesu salus petenda est. Arnobius lib. 2. adversus Gentes: *Ut dii certi, ait, certas apud vos habent tutelas, licentias potesta-* 16.

Vers. 3. 2. Pars. Christus incarnatus salutem attulit.

tes: neque eorum ab aliquo id, quod non est eius potestatis ac licentiæ, postulatis: ita unius Pontificis Christi est dare animis salutem, spiritum perpetuitatis apponere. In via, quam apud nos decurrit, nomen Salvatoris est meritus. S. Cyrillus Alexandrinus lib. de fide ad reginas: Dei Patris, ait, Verbum, prout secundum se nude et extra carnem consideratur, non appellatur Iesus Christus; Christi autem Iesu nomen tunc demum sortitum est, ὅτι γέγονεν ἄνθρωπος, cum homo factus est: ita Cyrillus. Hanc salvationem inchoavit in utero Virginis, in cruce perfecit. De primo ait S. Epiphanius in Ancorato: In officina Virginis salutem nostram operari dignatus est. De secundo, illud affert symbolum Alphonsi X. regis Legionis et Castellæ. Nam pelicanum pingi fecit rostro pectus sibi aperientem, et sanguinem eiicientem, ut pullis vitam conservet aut

Alphonsi symbolum.

A reddat, his verbis additis: *Pro lege, et pro grege;* idem fere fecit Christus pro nobis. Ut enim ait Paulus, Rom. 3. 24. *Iustificati gratis* (sine meritis præcedentibus) *per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem* (propitiatorem) *per fidem in sanguine ipsius.* Excellentia illius salutis est, quod non solum erepti sumus a servitute diaboli, sed etiam primo facti filii Dei. S. Chrysostomus hom. 1. In Ioan. ait, Christum venisse in mundum, ut filios hominum, τέκνα ποιήσῃ Θεοῦ, filios Dei faciat. Secundo, ut eos in cælo coronet ac reges faciat. S. Amphilochius Episcopus Iconii S. Gregorii Nysseni æqualis, floruit enim circa ann. 380. Propterea, inquit, cælestis venit in terram, ut tu qui in terra es, in cælum extollaris.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

17. *Duo complectitur. Primo, laudandum esse Christum, qui in terras descendit, ut homines iudicaret ac regeret, v. 4. Secundo, non laudandum tantum, sed metuendum et adorandum, quod illis benedicat.*

PARAPHRASIS.

4. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.*	4. O Christe, ratio exigit, ut omnes populi te laudent, iunctisque vocibus ob Incarnationis beneficium glorificent.
5. *Lætentur et exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.*	5. Gentiles ipsi gaudio subsultent, quod non tantum Iudæorum æquus iudex atque moderator adveneris: sed idolorum cultui addictas gentes per virtutum cælestem viam dirigas.
6. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.*	6. Tandem, votis omnium exoptatum Salvatorem terra cælesti rore fœcundata germinavit; omnes populi plaudant manibus, Deoque laudes concinant.
7. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terræ.*	7. Tu Domine Deus, qui antea cælestium Principum in medio cælos illustrabas, iam per Incarnationem noster factus, benedicas et benefacias nobis; omnesque populi te revereantur et colant.

QUÆSTIO UNICA.

Gratiæ referendæ sunt Deo ob Incarnationem, et quomodo.

Sectione superiori vidimus Incarnationis mysterium, et eius utilitatem. Nunc dicit, ob illud nos debere esse gratos ore, opere, et corde.

Primo, ore illi laudes dicendo, v. 4. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.* Secundo, opere alacri serviendo, v. 5. *Lætentur et exultent gentes.* Ratio triplex, 1. quia iudex: *Quoniam iudicas populos in æquitate;* 2. quia rector et dux: *Et gentes in terra dirigis;* 3. quia in terra nasci dignatus est, v. 6. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.* Tertio denique, corde gratiæ agendæ sunt, Deum venerando, v. 7. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terræ.*

ARTICULUS I.

Glorificandus est Christus ob Incarnationem.

18. Vers. 4. David sentiens se exauditum, et imparem videns tantæ laudi ob Verbi divini incarnationem, omnes populos invitat, quos prævidet in ipsum credituros, vers. 4. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, confessione scilicet laudis. Ad eam confessionem nos invitat S. Ioannes, cum ait 1. Ioan. 4. 2. *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne ve-*

B *nisse, ex Deo est.* S. Augustinus dicit, omnes hæreses repugnare Christo incarnato, unde S. Ioannes hæresiarchas omnes vocat Antichristos. Alii enim negabant eius divinitatem, ut Cerinthus et Menander: alii ipsam eius humanitatem, quam dicebant fuisse tantum phantasticam, ut Simon Magus et Manes: sicque totam fidem Christianam in suo fundamento evertebant. Ut enim ait Leporius in libro emendationis: *In hoc maxime fides nostra consistit, ut credamus unicum Filium Dei pro nobis omnia secundum carnem fuisse perpessum, et non sibi agonizasse, sed nobis: nec propter se, sed propter nos, quia iacebamus, illum ab excelsis misericorditer ad ima venisse.*

Nota, quater repetitur τὸ *confiteantur*, ob vehementiam gaudii et admirationis, atque ob ardens desiderium gratitudinis. Tropolog. Ugo id applicat confessioni peccatorum, vultque hac repetitione indicari eius frequentiam: quia, inquit, frequenter cadit homo, et per confessionem resurgendum est. Prov. 24. 16. *Septies in die cadit iustus, et resurgit.* Hæc frequentia confessionis innuitur Ioan. 11. 7.

C ubi dixit Dominus: *Eamus in Iudæam iterum.* Iudæa enim significat confessionem. Et hoc dicebat, ut Lazarum mortuum suscitaret. Isa. 23. 16. *Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum.* Item quater dicit, *confiteantur:* quia est quadruplex confessio. Fidei, peccati, laudis, prædicationis. 1. Fidei, quoad omnes. Roman. 10. *Ore autem confessio fit ad salutem.* 2. Peccati, quoad *peccatores.* Prov. 28. 13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* 3. Laudis, specialiter quoad clericos et religiosos. Eccli. 51. 1. *Confitebor tibi Domine Rex.* 4. Prædicationis, quoad prædicatores et Prælatos. Ps. 104. 1. *Confitemini Domino, et invocate,* Item

Confessio quadruplex.

quater dicit, *confiteantur*, propter quadruplicem effectum confessionis: scilicet quoad Deum, quoad Ecclesiam, quoad animam, quoad diabolum. Primo enim, confessio Deum glorificat. Iosue 7. 19. dicitur Achan, *Da gloriam Deo Israel, et confitere;* 2. reconciliat. Isai. 57. 19. *Creavi fructum labiorum pacem;* 3. advocatum atque excusatorem facit. 1. Ioan. 1. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis et iustus est Deus ut remittat*, et ita advocatum habemus apud Patrem. Secundo, confessio Ecclesiam reintegrat. 1. Machab. 4. dixit Iudas, *Ascendamus mundare sancta, et renovare;* 2. eam mundat et scopat. Ps. 79. 7. *Et scopebam spiritum meum.* Matt. 12. 44. *Invenit eam scopis mundatam;* 3. advocatum facit, et obligat ad orandum. Genes. 8. 9. *Noe extendit manum, et apprehensam columbam intulit in arcam.* Columba de diluvio revertens, est anima a peccato resiliens: manus Noe, est adiutorium Prælati, qui Ecclesiæ præsidet. Tertio, confessio animam purgat. Rom. 10. 10. *Ore confessio fit ad salutem.* Ps. 31. 5. *Dixi confitebor*, etc. *et tu remisisti;* 2. eam decorat. Ps. 95. 6. *Confessio et pulchritudo in conspectu eius;* 3. exhilarat. Psalm. 96. 8. *Exultaverunt filiæ Iudæ;* 4. cautam facit. 1. Machab. 5. 53. *Erat Iudas congregans, et exhortabatur per totam viam populum, donec venirent in terram Iuda, et ascenderunt in montem Sion cum lætitia et gaudio;* 5. humiliat. Eccl. 4. 7. *Presbytero humilia animam tuam.* Item Eccli. 41. *Erubescite a Principe, et a iudice de delicto.* Quarto denique, diabolum accusat et prodit. Iudith 13. 19. *Proferens Iudith de pera caput Holofernis.* Iudith, confessio: caput Holofernis, initium suggestionis; 2. Diabolum confundit et interficit, sicut Iudith Holofernem. Iudith 14. 16. *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Iudic. 1. *Ascendit Iudas, et Dominus tradidit Chananæum, et Pherezæum in manus eorum;* 3. obliviosum facit, et delet scripturas eius. Daniel. 2. 1. *Vidit Nabuchodonosor somnium, et conterritus est spiritus eius.* Nabuchodonosor est diabolus, qui videt somnium, id est, peccatum, in quo est vana delectatio: spiritus eius terretur per confessionem, et sic fugit ab eo peccatum. Ita Ugo. Hæc confessio præsertim facienda est in festis Christi; illi enim fit confessio, et in festis suis dat facilius salutem. Festum Annuntiationis Virginis, quod est festum Christi incarnati, vocant Patres tempore Iustiniani Imp. congregati in Trullo, id est, in sic dicto secretario imperialis palatii Constantinopolitani, principium et fundamentum salutis nostræ. *Eam diem*, inquiunt, *velut* αρχην και κεφαλαιον σωτηριας ημων, *principium et fundamentum salutis nostræ, veneramur, et solemni totius populi conventu pompaque celebramus*: ita Patres illius Concilii in Trullo.

19. *Ecclesia Catholica Deum laudat.* Nota secundo, confessio laudis Christo facienda est ab omnibus populis in Ecclesia Catholica: *Confiteantur tibi populi omnes.* Hinc S. Aug. reprehendit Donatistas, et ostendit non esse in vera Ecclesia, cum essent tantum in Africa. Et addit: Ambulate in via cum omnibus gentibus, ambulate in via cum omnibus populis: o filii pacis, filii unicæ Catholicæ, ambulate in via, cantate, ambulate: ita Augustinus. Non amat voces dissonas Deus, concorditer confitendum est, simul fatendum est non separate atque contraria. Non est dividenda nostra mater Ecclesia. In eam rem aptari potest dictum Iuliæ. Cum enim Geta et Antoninus Imp. eius filii inter se dissidentes, orbem partiri vellent, mater eorum Iulia sic ait: *Notabile dictum Iuliæ.* *Terram quidem et mare, o filii, iam invenistis, quo pacto dividatis: et continentem utramque, ut dicitis, Pontici discriminant fluctus: matrem vero quonam modo dividetis? quonam pacto infelix ego distribuar inter utrumque vestrum, aut dissecabor? Me primam igitur occidite, dimidiamque apud se partem sepeliat, ut ego quoque inter vos cum mari terraque ipsa dividar.* Hoc audiant, et ecclesiæ atque religioni suæ applicent schismatici, et matrem suam factionibus dividentes.

20. Nota tertio, Christus venit in terras iudex et rex futurus omnium hominum. De eius iudiciaria potestate dicitur vers. 5. LÆTENTUR ET EXULTENT GENTES, QUONIAM IUDICAS POPULOS IN ÆQUITATE, id est, cum iustitia. *Vers. 5. Christus est hominum iudex.* *Iudicas*, id est régis, gubernas; *in æquitate*, id est, citra delectum personarum: ita Genebrardus. Rex enim est supremus iudex. 2. *Iudicas*, proprie sumendo illam vocem, id est, absolvis aut condemnas iuste. Ierem. 23. 6. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Isaiæ 11. 3. *Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ, et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium, et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides cinctorium renum eius.* Psal. 44. de Christo etiam dicitur, v. 7. *Virga directionis, virga regni tui.* S. Hieronymus vertit: Sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui. Vide illum locum. Petrus Aloysius Carrafa, ut declararet se in iure administrando iustitiæ fore memorem, stateram vetus familiæ suæ symbolum pinxit, cum novo hoc lemmate, *Omnibus eadem.* Libram quoque fieri curarit, hoc adiecto, *Consistam in æquo*, ut dixi supra. S. Ludovicus sub quercu, quæ adhuc visitur in sylva Vicennarum, administrabat aliquando ipsemet iustitiam, ac per præcones evocari curabat eos, qui litis aliquid et rixæ inter se haberent, ut ait Andreas du Chesne lib. de Antiquit. urbium Franciæ. De Christo dicit Origen. hom. 15. in Ierem. Ego hominem non novi, nudum hominem non novi, sed σοφιαν την αυτοδικαιοσυνην, sapientiam quæ sit iustitia ex seipsa. Euseb. Cæsar. in Psal. 6. Christus ut sapientia, inquit, liberam animam rationalem ab insipientia efficit: ως δικαιοσυνη, της αδικιας ελευθεροι, ut iustitia, vendicat ab iniustis: ut veritas, liberat a mendacio. 3. *Iudicas*, id est, punis et præmias, ut patet ex loco Isaiæ mox citato. Redeunti e Mesopotamia Iacobo occurrerunt angeli Dei, quos cum vidisset, exclamavit, Genes. 32. 2. *Castra Dei sunt hæc: et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est, castra.* Quod considerans Eliezer Zoh in Leviticum, col. 98. interpretatur de misericordia et iustitia Dei in hunc modum: *Appellavit*, inquit, *nomen loci illius exercitus duo, Mahanaim. Unus ex parte iudicii; et unus ex parte dilectionum seu misericordiarum. Angeli ab hoc latere, et angeli a latere isto.*

Secundo, Christus est rex et dux omnium hominum, ac præsertim gentilium, v. eod. 5. ET GENTES IN TERRA DIRIGIS. 21. *Et rex.* Iudæi cæci sunt, et duces eorum: ideo dirigi se non patiuntur, sed in foveam cadunt. Dirigit porro Christus: Primo, sicut columna nubis et ignis Israelitas in terram promissam. Secundo, sicut stella matutina Apoc. 22. noctis tenebras dispellens, et diem inchoans. Siderei equites a Ioanne Franciæ rege instituti, pro galeri ornamento sumpserunt stellam trium regum, qui in cunis Christum venerati sunt, cum hoc elogio, *Monstrant regibus astra viam.* *Stellæ equitum in Gallia.* Tertio, dirigit Christus Ecclesiam, velut eius caput. Ephes. 1. 22. *Ipse dedit caput super omnem Ecclesiam.* S. Augustin. lib. de catechiz. rudib. cap. 9. Ipse, inquit, unigenitus Dei Filius, Verbum Patris, æquale et coæternum Patri, per quod facta sunt omnia, homo propter nos factus est, ut totius Ecclesiæ tamquam totius corporis caput esset: ita Augustinus. Quarto, Christus mundum totum dirigit in hoc vasto tentationum mari, sicut musculus piscis balænam in oceano. *Musculus balænam dirigit.* Iacobus V. Scotiæ rex, ut neminem vel abiectissimum spernendum esse declararet, musculum piscem, qui vel maximas balænas minus perspicaces ducit et dirigit, pro symbolo sibi delegit, cum hac inscriptione, *Urget maiora.* Quod si hæc tibi comparatio videtur abiectior, recordare quod exinanivit Deus semetipsum, formam servuli accipiens, ut nobis præiret nos dirigens et erigens. Lucifer Calaritanus Episcopus, Athanasii æqualis, floruit enim circa annum 350. lib. Quod moriendum est pro filio Dei: Immutabilis, ait, et inconvertibilis, quia Deus omnipotens, Filius omnipotentis, propter nostram tamen salutem sese humiliare dignatus est, ut nos iacentes atque depressos, erectos exaltatosque efficeret.

ARTICULUS II.

Christus in Incarnatione fuit fructus terræ sanctæ, id est, Deiparæ.

22. Vers. 6. *Terra dedit fructum suum, et quem?*

CUM dixisset David Christum esse iudicem æquissimum, et regem universalissimum, exultat quod in terram venerit, v. 6. CONFITEANTUR TIBI POPULI DEUS, CONFITEANTUR TIBI POPULI OMNES: TERRA DEDIT FRUCTUM SUUM. Quæ terra, quem fructum? Respondeo Primo, *terra*, id est, terreni homines, dederunt fructum pietatis: ita Theodoretus. Sicut enim fructus pomi est pomum, et piri est pirum; ita fructus hominis est pietas et virtus: ideo dicitur, *fructum suum*. Secundo, *terra* sumitur pro terra promissa: ita Hebræi, et Chaldæus, qui vertit: *Terra Israel dedit fructum suum*, id est, proventum annuum copiosum, et fruges in abundantia, ut Hebræi et Lyranus ac Trevetus exponunt; 2. et melius, *dedit fructum suum*, id est, Messiam tamdiu ipsi promissum, et ab ea expectatum. Sic dicitur Isaiæ 45. 8. *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem*. Tertio, *terra*, id est, Deipara dedit fructum suum, id est, sibi proprium, et quem nulla creatura producere erat digna. 2. Suum, quia sola illum produxit, sine interventu ullius hominis. Unde Christus dicitur *filius hominis*, id est, Virginis, ut aliqui volunt, licet non bene: ponitur enim articulus masculinus, τοῦ ἀνθρώπου. Sed quidquid sit, Deipara fuit Virgo; itaque eius unius fructus est Christus, novus Adam. Vetus Adam ortus est de terra virgine, id est, non subacta, ita et Adam novus. Primasius Episcopus Africanus, qui floruit circa ann. 545. in cap. 5. epist. ad Romanos: *Sicut*, inquit, *Adam sine commercio coniugali Dei manibus est factus: ita et Christus ex Virgine Deo operante processit*. S. Maximus hom. 6. de Christi Nativitate: Quod Deus est, ait, solius Patris est unigenitus: quod homo est, solius matris est filius. S. Gregorius lib. 18. Mor. cap. 36. Ipse ante sæcula de Patre sine matre: ipse in fine sæculorum de matre sine patre. Ipse conditoris templum, Ipse conditor templi, ipse auctor operis, ipse opus auctoris: manens unus ex utraque et in utraque natura, nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus. 3. Deipara Christum dedit *fructum suum*, id est, pro se præsertim datum.

Mundus est creatus propter iustos.

Rabbi Simeon zohara, id est, doctrina, illustratione, commentario in Exodum: Mundus, inquit, non est creatus nisi propter Israelem. R. Iba zohara in Levit. col. 157. Dum, ait, creavit Deus mundum, non creavit nisi propter ipsos Israelitas, ut acciperent legem in monte Sinai, et ut mereantur in omnibus, et inveniantur iusti ante ipsum: ita ipse.

Et Christum.

In Thalmude, Massecheth Sanhedrin, capite Helec legitur. Cum Rabbi Ghidel dixisset: *Mundus non est creatus, nisi ob Davidem, Samuel, et Mosem. Rabbi Iohonan dixit: imo vero ob Messiam:* hæc ibi.

Ac Virginem.

Si hæc dicuntur, longe verius est quod ait de Virgine S. Bern. serm. 3. super Salve Regina: *Propter hanc totus mundus factus est*. Anastasius Sinaita iure dicit, omnia facta esse propter Christum: Ipse enim est initium et finis omnis Creaturæ; ipse autem est præcipue propter matrem suam, cui confert dignitatem maternitatis pene infinitam, et dat gratiam et gloriam maiorem omni gratia et gloria singulorum, et pene omnium angelorum. Verba eius sunt anagogicæ. Contemplationum lib. 1. *Ut tibi*, inquit, *Deus ostenderet magis quam omnia esse necessariam Incarnationem, et propter eam facta esse omnia, sine qua bona sunt atque inania, peccato effecta inutilia, et ad nihilum redeuntia, statim ab initio Scripturæ, et ab ipsis procemiis illam tibi tradit dicens: In principio Deus creavit cælum et terram. Seu, fecit in principio temporali: seu, placuit ei ut fieret cælum, tamquam Deus: et terra propter Iesum hominem. Quando ergo cælum constituit et terram, et quæ sunt cum eis, tunc etiam contexuit mysterium Incarnationis.*

23. *Deiparæ et terræ quatuor parallela:* 1.

Nota, Deipara est terra promissionis germinans Salvatorem. Primo, quia terra est infimum omnium elementorum. Deipara nullus fuit humilior, Luc. 1. 48. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hinc S. Aug. serm. 2. de Assumpt. Deiparæ, exclamat: O vere beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, et hominum animas ab inferis liberavit! Facta est Mariæ humilitas scala cælestis, per quam descendit Deus ad terras.

2. Secundo, terra immobilis stat, cætera in vario motu sunt. Nihil est Deipara constantius. Eccl. 1. 4. *Generatio præterit, et generatio advenit: terra autem in æternum stat.* Deipara est illa mulier, de qua dicitur Eccl. 26. 23. *Columnæ aureæ super bases argenteas, et pedes firmi super plantas stabilis mulieris.* Et vero quid stabilius esse debuit illa terra, quæ sustentavit eum qui portat orbem, atque eum tremefacit ad nutum?

3. Tertio, terra pluviis et rore cælesti impinguatur. Hinc orabant sancti Patriarchæ et Prophetæ, petentes ut Deipara rore divino impleretur, ut daret salutem. Isa. 45. 8. *Rorate cæli desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Berno Augiensis in fine epistolæ: Bene, ait, vernali pluviæ eadem charitas, quæ testante Ioanne Deus est, comparatur: quia ipse Deus vernali tempore sicut pluvia descendit in vellus, et per intactæ Virginis uterum, ad redimendum genus humanum, in hunc mundum nascendo venit.

4. Quarto denique, terra fœcundissima est, et floribus, frugibus, et aliis locupletatur ad vitam omnium sustentandam. Deipara loquitur Eccles. 24. 25. *In me gratia omnis viæ et veritatis.* Ac postea addit, v. 26. *A generationibus meis*, id est, fructibus a me genitis, *adimplemini*. Terra est lacte et melle manans, hoc est, dans nobis Deum et hominem. S. Petrus Damiani lib. 2. epist. 5. *Lac*, inquit, *de terra fluit, mel de superioribus venit. Quia igitur in uno mediatore Dei et hominum, et humanitatis lac, et mel divinitatis inesse cognoscitur, recte per terram lacte et melle manantem, Incarnationis eius mysterium figuratur.*

24. Vers. 7.

Fructum adventus Christi in terras petit David pro omnibus hominibus, præsertim fidelibus: nempe benedictionem, vers. ult. BENEDICAT NOS DEUS, DEUS NOSTER, BENEDICAT NOS DEUS: ET METUANT EUM OMNES FINES TERRÆ. Hæc sit grata vicissitudo, ait Bellarminus, ut Deus aperiat manum suam, et impleat nos omnes benedictione, id est, copia bonorum omnium, præcipue spiritualium et cælestium: et contra, omnes homines usque ad ultimos terræ fines habitantes, Deum verum timeant timore sancto, reddentes ei tributum obedientiæ et laudis usque in æternum. S. Augustinus in 1. vers. Psalmi nostri: *Prior est*, ait, *in nobis benedictio Domini: et consequens est, ut et nos benedicamus Dominum. Illa pluvia, iste fructus est. Ergo reddetur tamquam fructus agricolæ Deo compluenti nos et colenti.* Theodoretus quæst. 19. in Genes. ait, unam adorationem a natura universa illi esse offerendam. Ps. 85. 9. ait David: *Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine.* Ante Incarnationem Deus erat velut absens a terra; non enim videbatur: per Incarnationem fit præsens oculis nostris, atque visibilis: itaque coram eo adoratur. Hinc dicitur Ps. 94. 1. *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem eius in confessione.* Vide ibi dicta.

25. *Cum reverentia adorandus est Iesus.*

Nota, cum metu, id est, cum magna veneratione et reverentia, adorandus est Deus incarnatus: *Et metuant eum omnes fines terræ*, id est, omnes habitatores terræ, ut exponit Arabs, qui addit: *Alleluia. Alleluia.* Metus enim ille non impedit alacritatem et lætitiam. Cum admiratione prosternamus nos ante Deum humanatum. S. Methodius Episcopus Tyri, qui floruit circa annum 285. incarnationem vocat admirabilem. Petrus Blesensis epist. 83. abyssum inscrutabilem. S. Maximus Taurinensis Episcopus, qui obiit tempore Honorii et Theodosii Iunioris Imperatorum, hom. 6. de Christi Nativitate, ait: Tantæ dignationis gratiam non debemus examinare, sed credere: nec discutere, sed mirari: ita ipse. Metum admisceri vult Theodorus presbyter Monasterii Raytu, qui scripsit libros quindecim de Incarnatione, et floruit circa ann. 460. agens enim de illo

mysterio, ait: Dum secundis ventis navigas, φοβηθητι το ναυαγιον, metuo naufragium, inquit Greg. Theologus, et minus naufragium facies adiutore usus metu: hæc Theodorus. Metuendum primo est, ne male de incarnatione sentiamus, aut Deum, aut hominem negantes esse Iesum. Secundo, ne parum aptis verbis sublimitatem tanti mysterii explicemus. Tertio, ne parum pie, et decenter, ac digne carnem Deo unitam veneremur, quam Cassiod. in Ps. 33. vocat adorabilem, salutiferam, vivificatricem, quæ peccata dimittit, propter Verbum, cui adunata est. Quarto denique, ne parum grati Deo simus ob tantum donum, sine quo perieramus. Ut enim ait Euseb. oration. de laudib. Constantini Imp. venit Deus in has terras, ut non humana ope et facultate curari posse genus humanum videretur: sed adiutore, qui supra hominem putandus est, indigere. Pertinax creatus Imperator a militibus, dicebat: *Arduum in primis est, magnis acceptis beneficiis paria referre. Cumque prior quispiam in te quædam contulerit, tum si illum ample demerearis, non tam deesse quod reponas, quam ipse inops sensuum, ac plane ingratissimus videare.* Christo sæpe dicamus cum sanctis angelis in faciem suam per humilitatem ante thronum Dei cadentibus, et Deum adorantibus, Apoc. 7. 12. *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum, Amen.* Ubi multa habet Cornelius noster de actione gratiarum. Galatinus lib. 2. c. 1. de arcan. fidei cathol. ait, veteres Thalmudistas constituisse, ut versus quem explicamus, et similes a singulis Iudæis bis saltem in die, mane et vespere dicerentur. Sub illis enim arcanum quoddam tempore Messiæ esse revelandum.

26. Nota secundo, cum ter hic repetatur τὸ *Deus*, mysterium Trinitatis indicari volunt S. Hier. Ruffin. Arnob. Alexander Papa I. epist. 1. Durandus 4. rational. cap. 4. num. 15. Magister distinct. 2. littera F. et alii multi. Ubi etiam hoc potest adverti, quod secundo loco dicitur *Deus noster*, quod de filio incarnato dici præsertim oportet. Ut enim ait Isaias cap. 9. 6. *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* Euseb. Emissen. seu Eucherius, seu Cæsarius Arelat. seu Faustus Rhegiensis, (nam non est certus auctor homiliarum, quæ nomine illius Eusebii inscribuntur) hom. 1. ait: *Natus est nobis, qui sibi erat: datus est ergo ex Divinitate, natus ex Virgine. Natus, qui sentiret occasum: datus, qui nesciret exordium. Natus, qui et matre esset iunior: datus, quo nec pater esset antiquior. Natus, qui moreretur: datus, ex quo vita nasceretur. Ac sic qui erat, datus est: qui non erat, natus est. Illic dominatur, hic humiliatur. Sibi regnat, et mihi militat.*

Per incarnationem Deus factus est noster.

Lege S. Aug. serm. 27. de tempore. Apte ad rem nostram S. Leo serm. 3. de Pentecoste: *Divisit sibi*, ait, *opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis.* Pater æternus filium mittit, Spiritus sanctus virginem obumbrans, ex purissimo eius sanguine corpus eius format. Filius carni unitur et animæ. Duo vestem porrigunt, tertius eam induitur. Trinitati toti ob hoc mysterium nos totos tradamus. Secundo, et melius, ad solum Christum puto orationem converti, q. d. Tu *Deus* per incarnationem tuam benedicas nos: tu inquam *Deus noster*: et ita benedicas, ut te omnes fines terræ metuant atque venerentur, et verum ac solum Deum esse cognoscant. Sic ad ipsum filium initio psalmi conversus dixit: *Deus misereatur nostri*, etc. q. d. Tu Deus miserearis nostris, et benedicas nobis, illumines vultum tuum super nos, et miserearis nostri. Hebræi enim, ut ibi dixi, cum quempiam alloquuntur, sæpe utuntur tertia persona. Ipsi et nos unanimes dicamus cum Davide: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terræ.* Sicut Deus noster esse voluit, ita et nos servi eius simus.

PSALMUS SEXAGESIMUS SEPTIMUS.

1. In finem. Psalmus cantici ipsi David.

2. Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius: et fugiant qui oderunt eum a facie eius.
3. Sicut deficit fumus deficiant: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.
4. Et iusti epulentur, et exultent in conspectu Dei: et delectentur in lætitia.
5. Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius, iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.
6. Exultate in conspectu eius: turbabuntur a facie eius patris orphanorum, et iudicis viduarum.
7. Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.
8. Qui educit vinctos in fortitudine: similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.
9. Deus cum egredereris in conspectu populi tui: cum pertransires in deserto.
10. Terra mota est, etenim cæli distillaverunt a facie Dei Sinai: a facie Dei Israel.
11. Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, et infirmata est: tu vero perfecisti eam.
12. Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi Deus.
13. Dominus dabit verbum evangelizantibus: virtute multa.
14. Rex virtutum dilecti dilecti: et speciei domus dividere spolia.
15. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: et posteriora dorsi eius in pallore auri.
16. Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei mons pinguis.
17. Mons coagulatus mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos?
18. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.
19. Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.
20. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus: Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.
21. Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.
22. Deus noster Deus salvos faciendi; et Domini Domini exitus mortis.
23. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum; verticem capilli perambulantium in delictis suis.
24. Dixit Dominus, ex Basan convertam: convertam in profundum maris.
25. Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.
26. Viderunt ingressus tuos Deus; ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.
27. Prævenerunt principes coniuncti psallentibus: in medio iuvencularum tympanistriarum.
28. In Ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Israel.

29. Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu: Principes Iuda duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.
30. Manda Deus virtuti tuæ; confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
31. A templo tuo in Ierusalem: tibi offerent reges munera.
32. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento.
33. Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus eius Deo.
34. Regna terræ cantate Deo; psallite Domino: Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli: ad orientem.
35. Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: magnificentia eius, et virtus eius in nubibus.
36. Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

PSALMI SEXAGESIMI SEPTIMI ANALYSIS.

Propheta noster Christum in cælum ascendentem demirans, ostendit

- Triumphi splendorem, 2. ob
  - Hostes tartareos,
    - Dissipatos, in Christi ascensione. 2.
    - Fugientes, ad eius aspectum. 2.
    - Deficientes, instar fumi. 3.
    - Defluentes instar ceræ. 3.
  - Victores iustos,
    - Epulum triumphale sumentes. 4.
    - Choreas sacras agentes. 4.
    - Lætitia summa affectos. 4.
  - Cives cæli,
    - Cantica dicentes regi suo. 5.
    - Psalmos modulantes Salvatori hominum. 5.
    - Iter triumphatoris ornantes. 5.
    - Exultantes, ob curam orphanorum et viduarum. 6.
  - Christum ipsum,
    - In palatium cæleste deductum. 7.
    - Homines angelis unientem. 7.
    - Captivos e Limbo liberantem. 8.
    - Peccatoribus conversis parcentem. 8.
- Donum triumphantis, S. Spiritum, 9. cuius
  - Figuram proponit, manna,
    - Datum in deserto, post egressum ex Ægypto. 9.
    - Cum terræ motu. 10.
    - Cælo illud distillante. 10.
    - Deo speciale illud donum dante populo suo. 10.
  - Excellentiam describit, cum
    - Pluviæ instar sacræ Ecclesiam fœcundet. 11.
    - Et fideles in ea habitantes reficiat ac recreet. 12.
    - Potentes efficiat ad alios in eam congregandos, cum sit rex. 13. 14.
    - Securitatem præstet ac decorem in periculis. 15.
    - In monte sancto et pingui collocet. 16. 17. 18.
- Victorem exercitum iustorum, 19. qui
  - Currum triumphalem sequantur Christi,
    - In cælum ascendentis. 19. 20.
    - Captivos liberatos educentis. 20.
    - Dona accipientis pro hominibus, etiam barbaris. 20.
  - Triumphatorem laudent, quod
    - Iter in cælum sibi aperiat. 21.
    - Salutem perfectam tribuat. 22.
    - Ab hoste et morte liberet. 22.
  - Hostes in catenis videant, 23.
    - Confractos. 23.
    - Conculcatos. 23.
    - Deiectos. 24.
    - Trucidatos. 25.
- Laudes triumphanti dictas, 26. ab
  - Apostolis,
    - Videntibus eum in cælum ingredientem. 26.
    - Psallentibus cum Deipara et aliis iustis. 27.
    - Omnes ad Dei laudem invitantibus. 28. 29.
  - Regibus,
    - Potestate Dei conversis. 30.
    - Munera in templo offerentibus. 31.
  - Populis,
    - Increpatione evangelica conversis. 32.
    - Dissipatis, ne noceant Ecclesiæ. 33.
    - Ad Deum accurrentibus. 33.
  - Regnis integris,
    - Cantantibus in honorem Dei. 34.
    - Psallentibus ob ascensionem Christi. 34.
    - In fide confirmatis. 35.
    - Magnificentiam eius prædicantibus. 35.
    - Sanctorum gloriam et virtutes mirantibus. 36.
    - Perseverantibus in virtute. 36.
    - In æternum Deo laudes canentibus. 36.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem. Psalmus Cantici ipsi David.

1\. *Psalmi encomium.* Psalmum hunc ait Aben Ezra esse valde nobilem et gloriosum. S. Hilarius dicit, esse ipsum totum Sacramentis legis evangeliorumque contextum. Bellarminus notat esse plenum figuris, et metaphoris, et poeticis descriptionibus admirabilibus: ut propterea quanto est pulchrior, tanto sit etiam difficilior. Arbitror esse psalmorum omnium difficillimum et elegantissimum.

Eius argumentum. Quod ad eius argumentum attinet. Primo, Iansenius psalmum censet esse decantatum in translatione arcæ ad
1\. montem Sion: aut cum ad bellum David proficisceretur.
2\. Secundo, Tirinus noster vult esse carmen triumphale de
3\. victoriis Hebræorum. Tertio, aliqui volunt tractari de victoria Ezechiæ, cum ab angelo una nocte cæsa sunt centum octoginta millia militum Sennacherib regis Assyriorum.
4\. Quarto, et melius, primario et ad litteram arbitror agi de Christo, cum allusione tamen ad aliqua mysteria veteris testamenti. Hoc autem varii varie explicant. Primo, S. Hilar. S. Hier. Bellarm. et alii docent, in hoc psalmo decantari mysteria utriusque testamenti, cum negari non possit, ait Bellarminus, in hoc Psalmo describi descensum Domini in montem Sina, ad legem populo dandam. Secundo, S. Aug. et Ugo Card. agi volunt de Resurrectione Christi et Ascensione, aliisque mysteriis. Tertio et commodissime dicemus agi de Ascensionis triumpho, et iis, quæ illum consecuta sunt, ut patebit in totius psalmis explanatione: et hoc fit evidens quod in principio, medio, et fine fit mentio Ascensionis. Dicitur enim v. 5. *Qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.* In medio, nempe v. 20. *Ascendisti in altum.* In fine denique, v. 34. *Qui ascendit super cælum cæli, ad Orientem.*

2\. *Psalmus cantici.* Nota, Noster Interpres psalmum hunc inscribit, *Psalmus Cantici.* Chald. reddit, hymnus seu laudatio, et canticum. Distinguunt nonnulli canticum a psalmo: quod canticum ore caneretur, atque magis soluto metro, communique cantu, et quasi plano; Psalmus ad cytharam, lyram, psalterium, aliaque musica instrumenta cantaretur, metro magis lyrico et artificioso. Quare *psalmus cantici* esset, quem simul ore ac instrumentis cantores modularentur. Quod tamen a psalmo denominatur psalterium, A psalmis modulandis adhibitum sæpius videtur, quod nunc quale fuerit, describere non vacat. Meminit citharæ aliquando David: et Ioannes in Apoc. 5. 8. non alia dat in Beatorum manus instrumenta musica: fortasse propterea, quoniam etsi psalterium concavum sit in parte superiore: sonumque edat sursum, qui proprius videtur Beatorum, tamen significare voluit laudes, quas Beati reddunt Deo, et lætitiam, quam percipiunt ex victoria per mortificationem: habet enim teste Hieronymo, cithara concavitatem in parte inferiori. Lege Ioannem Ferdinandum in thesauro, verbo cithara. Eugubinus vult psalmum et canticum esse synonyma, nec in titulo dicendum, psalmus cantici: sed, psalmus canticum: vel addita coniunctione psalmus et canticum: ut si dicas, melos atque oda, ad maiorem expressionem, sicut Chald. hic dicitur, laus et canticum. Id quod verum est, aliquando Latine *canticum* poni pro *mizmor*, pro quo fere semper alias ponitur, *Psalmus:* et Græce ponitur ᾠδὴ, pro eodem Hebræo nomine, cum tamen ᾠδὴ et canticum, respondeant Hebræo B שיר *scir.* Item *Laus canticum,* videtur dici pro psalmo αἶνος ᾠδῆς. Attamen plurimum prævalet auctoritas, cum præsertim non adeo sæpe in titulo ista duo nomina exprimantur: et aliquando ordine contrario *canticum psalmi.* Nonnulli psalmum cantici dicunt esse similem cantico: canticum psalmi simile psalmo: sic Vatablus, et alii. Aliqui, cum vox et instrumentum musicum una iungebantur, sed modo unum magis, modo aliud: id est, ut psalmus cantici esset, quando post vocem instrumenti musici vox sequebatur humana: canticum psalmi, e contrario. Sed Hebræi profitentur se hoc ignorare: ita Lorinus. Dixi iam psalmo superiore, psalmum cantici esse, cum ab instrumentis musicis ducitur initium, et sequitur vox humana: canticum psalmi, cum post humanam vocem adhibentur musica instrumenta. Tropolog. S. Augustin. et alii, per canticum sumunt intelligentiam mentis: per psalmum, opera corporis. Itaque, psalmus cantici erit, cum a vita activa aliquis ad contemplativam assurgit. Canticum vero psalmi, cum post contemplationem ad exteriora quis descendit.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3\. Quatuor præstat. Primo, oculis nostris exhibet Christum triumphatorem in cælos ascendentem, trepidantibus dæmonibus, plaudentibus angelis et sanctis, vers. 2. Secundo, cælitibus, et hominibus adhuc in hac vita degentibus dona largientem triumphantium more, vers. 9. Tertio, hostes erepta præda confusos proterentem, vers. 18. Quarto denique, Apostolos in terra existentes, regesque totius orbis, et populos conversos, illum ob Ascensionem et dona accepta laudibus exornantes, vers. 26.

SECTIO PRIMA.

Tria continet. Primo, Ascensum Christi in currum triumphalem: et hostium in triumpho ductorum, et supplicio affectorum trepidationem, vers. 2. Secundo, victoris exercitus epulum et lætitiam, vers. 4. Tertio denique, triumphatoris Christi gloriosum ingressum in urbem suam regiam et palatium, vers. 26.

PARAPHRASIS.

2\. *Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius: et fugiant qui oderunt eum a facie eius.*

2\. Qui hactenus summa mentis demissione in terris, in sepulcro, in limbo delituit Deus, tandem exurgat; et sibi debitum ac paratum in cælis thronum triumphator petat: eoque supra scandente aerii dæmones huc illuc disiecti dissipentur, trepidique vespertiliones tantæ lucis perstricti radiis in antra diffugiant, qui in cælum posuerunt os suum.

3\. *Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera a fa-*

3\. Quemadmodum agitante vento fumus dispergitur: ita tænariæ legiones illæ victoris Christi virtute evanescant. Et sicut ad ignis præsentiam cera diffluit ac perit:

cie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

sic ad conspectum irati Dei, ac fulmineo vultu exardescentis, avernales furiæ sceleribus oppletæ in nihilum recidant, et igneos in lacus cremandæ demergantur.

4. *Et iusti epulentur, et exultent in conspectu Dei: et delectentur in lætitia.*

4. Epulumque triumphale Iustorum animæ cum Salvatore laureato celebrent, sacrasque choreas eo applaudente et gratulante agant, atque in perennis lætitiæ domo in omne ævum summo mentis gaudio perfruantur.

5. *Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius, iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.*

5. Musicis choris tot prospere gesta bella decantate, novumque psalmum ob Iesu nomen a salvatis gentibus iure partum, et a Patre æterno inditum concinite. Floribus, sacris aulæis, et aromatis iter principis exornate, qui occidentem hunc orbem, cælosque ab ortu in occasum volubiles transgreditur, cum sit rerum omnium rex ac Dominus.

6. *Exultate in conspectu eius: turbabuntur a facie eius, patris orphanorum et iudicis viduarum.*

6. Vos, qui virtutem amatis, gaudio triumphate, cum scandentem in cælos Christum aspicitis: impii vero exhorrescant, cum pupillorum parentem et tutorem, viduarumque vindicem et patronum, in potestatis suæ sedem evehi conspiciunt.

7. *Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.*

7. Christus iam stat in summo cælorum apice, et ad sacræ Triadis sanctuarium et palatium penetrat: duces suos omnes ac milites armis positis et bellis sopitis tranquilla pace frui concedit, velut familiæ eiusdem unanimes filios.

8. *Qui educit vinctos in fortitudine: similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulcris.*

8. Tum e Limbo, tum e peccatorum vinculis miseros mortales in æternam libertatem summa fortitudine asserit. Nec levibus tantum noxis implicitos expedit: sed etiam eos, qui immanibus sceleribus illum ad iram provocaverant, et in umbra mortis iacentes, idolisque servientes in prædam inferno destinabantur.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta dæmonum trepidatio, et Sanctorum exultatio in Ascensione Christi.

4. Ordo Sectionis. Christum, triumphantis de more, in cælum conscendentem Propheta laudibus vehit, eique omnia contigisse docet, quæ triumphantibus accidebant.

Primo, cum Sionem montem, et apud Romanos Capitolinum ascendere incipiebat triumphator, hostes in triumpho ducti ad carcerem alia via trahebantur, v. 2. *Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius: et fugiant qui oderunt eum a facie eius.* Non tantum dissipabantur et fugiebant, sed perimebantur, v. 3. *Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.*

Secundo, epulum publicum solebat dari exercitui victori, aut præcipuis saltem ducibus, v. 4. *Et iusti epulentur,* Choreas sacras agebant in honorem Dei, et triumphantis: *Et exultent in conspectu Dei.* Dies multi decernebantur festi: *Et delectentur in lætitia.*

Tertio, musicis cantibus et festo tubarum sono, triumphantem prosequebantur, vers. 5. *Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius:* triumphantes vocabantur Africani, Asiatici, Macedonici, pro regionum subactarum varietate. Iter floribus, peripetasmatis, aliisque ornabatur: *Iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.*

Quarto, lætitiæ indices voces ab omni victore populo tollebantur, vers. 6. *Exultate in conspectu eius.* Hostium triumphatorum metum aperit et confusionem: *Turbabuntur a facie eius, patris orphanorum et iudicis viduarum.* Qui ulciscetur cives occisos in bello, ut clamor pupillorum et viduarum exigit.

Quinto denique, actis Deo gratiis triumphator ad suum palatium cum pompa ducebatur, v. 7. *Deus in loco sancto suo.* Urbem universam tranquilla in pace positam gaudebat: *Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* Captivos ab hoste redemptos cum gratulatione in domos suas subsultantes remittebat, v. 8. *Qui educit vinctos in fortitudine.* Nonnullis hostium parcebat: *Similiter eos qui exasperant.* Cum iam ergastulo clausi præsentissimam mortem expectarent: *Qui habitant in sepulcris.*

ARTICULUS I.

In Ascensione Christi trepidaverunt, et contriti sunt dæmones.

Cum Propheta noster montem Oliveti præ oculis haberet, et præsaga mente Christum in eo laureatis sanctorum et angelorum succinctum agminibus læto volatu,

A cantuque, et pompa triumphali cælos scandentem videret, 5.
admiratione plenus, et gaudio exclamat vers. 2. Exurgat Vers. 2.
(Hebr. Chald. Syr. Arab. futurum habent, atque Interpres Arabici textus vertit, *surget.* Rectius tamen, et nervosius Noster, S. Hieron. et Felix reddunt, *exurgat.* Apud Hebræos enim non est optativus modus, et pro eo utuntur Indicativi futuro) Deus, et dissipentur inimici eius: et fugiant qui oderunt eum a facie eius.

Ac vers. 3. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut Vers. 3.
fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Primo, hæc quidam explicant de desiderio Incarnationis. Cum enim captivum sub diaboli potestate humanum genus gemeret, exoptabant sancti Patres surgere Christum et venire, cum silens et sedens videretur adhuc manere in ira et desiderio vindictæ contra peccatores. Sic dicitur, Ps. 11. 6. *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.*

Secundo, S. Cypr. lib. 2. cap. 28. exponit de die iudi-
B cii, in quo surgente Christo ad iudicium, et in mediis nubibus elevato, in æternum dissipabuntur et fugient, ac penitus interibunt eius hostes. Sed hoc est anagogicum.

Tertio et melius, S. Hilar. Arnob. Glossa et alii plurimi, psalmum exponunt de resurrectione Christi; tunc enim dissipati et victi sunt hostes Christi, tum Iudæi, tum dæmones.

Quarto denique, et optime, de Christi Ascensione locus 6
hic exponendus est, ut dixi in argumento psalmi, ac titu- Ascensio est complementum festorum Christi.
lus indicat. In Hebræo enim est, ut vertit Pagn. *Victori ipsi David cantus cantici*, id est cantus, summa lætitia et exultatione cantandus. Felix, *Vincenti David Psalmus cantici.* Primam vocem Theodotio vertit, εις το νικος, ad victoriam. Symmach. επινικιος, victorialis. Aquila, τω νικοποιω, victori. Complementum autem victoriæ Christi, et illius triumphus, in Ascensionis festo contigit. Unde S. Epiph. orationem de Christi assumptione his verbis incipit, t. 2. f. 286. *Corporis ornamentum est caput corpori impositum,* κοσμος εορτων, *festorum decus est festum hodiernum. Cele-*
C *bramus enim Christi Domini secundum carnem ascensum: quod sane festum,* δεσποτικων εορτων πληρωμα, *dominicorum omnium festorum complementum est.* Lege dicta Ps. 23. ubi satis fuse egi de ascendentis in cælum Christi triumphali pompa, curru, corona, acclamationibus hominum et angelorum, arcu triumphali, ipsius triumphantis ornatu. Nunc quæ occurrent, breviter lustrabimus, eodem præduce Propheta.

Nota secundo, primum huius psalmi versum timent dæ- 7.
mones, illo utebatur S. Antonius veluti telo acerrimo, il- Dæmon timet initium Psalmi huius.
loque stygias totas catervas effugabat. S. Athanasius, aut potius alius auctor, in quæstionibus, unam proponit. Quam diabolus maxime orationem timeat? Respondet vero fide

dignos πνευματοφόρους, exorcistas, expulsores dæmonum, retulisse, ab ipso diabolo visibiliter apparente responsum, nullam in utroque testamento adeo timeri a se, sicut istam: *Exurgat Deus*, etc. et statim ut pronuntiatur, se ululando evanescere. S. Petrus Damiani lib. 6. epist. in 36. sive 109. refert, beatum Papam Leonem narravisse, quod ex amitæ suæ Sanctimonialis narratione acceperat, cum comitem suam ad divinas laudes decantandas nocte somno pressam vocans excitare nequivisset: iratiorque ac minus attendens quid diceret, illi dixisset, *diabole surge;* diabolum sub comitis pigmææ forma præsto fuisse: una cum illa mutuos versiculos psallendo reddidisse: sed cum ad huius psalmi exordium perventum esset, ultra progredi nequivisse: et sic deprehensum, atque signo crucis mox pulsum evanuisse.

Notabile exemplum.

8. Nota tertio, si divinam naturam spectes, nec exurgere, nec descendere potest Deus. Nam, ut ait S. Dionys. de divinis Nomin. cap. 5. p. 229. Præsens est omnibus, et ubique: atque id uno et eodem toto: ἐπὶ πάντα πρόεισι, καὶ μένει ἐφ' ἑαυτοῦ, καὶ ἕστως, καὶ κινούμενος· καὶ οὔτε ἕστως, οὔτε κινούμενος, *ad omnia venit, et in se manet, stat, et movetur: et nec stat, nec movetur:* Ita Dionysius. Si vero in humanam naturam oculos, flectas, et surgit, et sedet, et ascendit, et deorsum movetur Christus.

Deus non movetur e loco suo.

9. Nota quarto, alludit David hoc loco ad Arcam quæ cum ab uno loco in alium deportanda, elevabatur humeris Levitarum, Moses concinebat applaudente universo cantorum choro, Num. 10. 35. *Surge Domine, et dissipentur inimici tui: et fugiant qui oderunt te, a facie tua.* Ugo Card. in ps. nostr. multa paucis complectitur: *Arca*, inquit, *typus fuit Christi, in quo est manna pietatis, virga æquitatis, tabulæ veritatis.* Arca dabat victoriam Israelitis in prælio, si pie se gerebant, hostes atterebat, et in fugam dabat. *Dei verbum*, ut ait Euseb. de laudib. Constantini, *clementissimi Patris voluntati obsequens, lubens admodum in mundum venit, et nostræ naturæ castra ingressus est:* ita ille. Quid in hostes fecerit videamus.

Oratio cum elevabatur arca.

Christus est arca.

10. Primo, illos dissipavit, v. 2. Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius. Multos in aere esse dæmones, dixi alias: hi dissipantur Christo in cælos ascendente. Ludovicus XII. Gallorum rex, ut declararet se posse vel remotissimos hostes impetere et perfodere, histricem figuravit, hastatum et pharetratum animal, cum hac epigraphe: *Eminus et cominus.* Urget tamen præsentia Turni, et quo propior muris aut hosti admovetur machina, eo vehementius illos disiectat. In eam rem venit Christus in orbem terrarum, ut stygiis tyrannis sceptra eriperet, eorumque vires infringeret. Zachar. 9. v. 4. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce rex tuus veniet tibi iustus et Salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ, et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Ierusalem, et dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus, et potestas eius a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ.* Si ascendens super asinum tanta potest, quid faciet ascendens super Cherubim? Descendens in terras, dæmonum principes ex templis et oraculis cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum: descendens ad inferos, captivam turbam patrum illis eripit, et portas ferreas disrumpit. Unde Ps. 23. Angeli imperant, ut multi opinantur: *Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ.* Nunc ascendens in cælum, aerem expurgat, et cruce victos dæmones in triumphum ducit. Coloss. 2. 15. *Expolians principatus, et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*, ac deinde illos amandat in æternos carceres.

Christus ubique vincit dæmones.

Ludovici XII. symbolum.

11. Christo quidem nihil est mansuetius, ut ex ipso discimus, qui humilitatem tantum et mititatem profitetur. Matth. 11. 29. Cum vero appetitus fuerit a dæmone in se ac membris suis, illum sternit. Herculus Cardinalis Gonzaga, ut nulli nisi lacessenti nocere se velle denotaret, cygnum pinxit aquilæ insidentem, eamque rostro fodientem, cum hoc lemmate, *Lacessitus.* Cygno enim nulla est avis mansuetior, nec ullam avem primus aggreditur: aquilas tamen invadentes adoritur, ac sæpe prosternit. David noster profugus orabat, 2. Reg. 15. 34. *Dissipabis consilium Achitophel*, qui interpretatur fratris mei ruina, et est typus diaboli. Ac Ps. 58. 12. *Disperge illos in virtute tua.* Mansuetissimus erat David, et Christum nobis figurabat, severe tamen aliquando hostes suos punivit, ut Ammonitas irrisores legatorum suorum, 2. Reg. 12. 31. Sæpe gravius plectit subsannatores servorum, quam in se peccantes Christus.

Christi lacessiti severitas.

Gonzagæ symbolum.

Abulensis in cap. 10. Numerorum, refert figmentum Hebræorum: nempe, cum præcedente Arca dicebatur, *Exurgat Deus, et dissipentur inimici eius: et fugiant qui oderunt eum a facie eius*, omnem montem et abruptam viam explanari solitam. Ad solum aspectum, nomenque Scanderbegii regis Albaniæ, et Huuniadis regis Hungariæ intremebant Turcæ, et fuga sibi consulebant: quomodo victoris Christi vultum noctuæ averni perferrent? Obiecit se tenarius exercitus S. Hilarioni, et currus igneus in eum insiliens visus est: sed ad unicum Iesu nomen terra dissiliit, et flammeus currus in stygis rogos decidit: quo viso, sacer pugil exclamavit: *Equum et ascensorem eius deiecit in mare.* Ascensionis est percupidus dæmon, et similis Altissimo cælos scaudenti, esse et apparere exoptat: sed a triumphatore præceps deiicitur et conteritur. Alexander Mediceus, ut indicaret nunquam se ex acie pedem moturum, sed constanter, ad mortem pugnaturum, pro symbolo Rhinocerotem sumpsit, hoc adscripto: *Non redeo, nisi victor.* A pugna enim in elephantem semel suscepta rhinoceros non abscedit: sed vel vincit, vel occiditur. Noluit Christus ad patrem redire, nisi victor: mortuus quidem est in pugna: sed moriens adegit cornu in adversarium, eumque prostravit, et spolia opima referens ad patrem ascendit. Ps. 28. 6. *Dilectus quemadmodum filius unicornium.*

Scanderbegii et Huuniadis virtus.

Rhinoceros in elephantem.

Secundo, dæmones in aere dissipatos fugat Christus, ut sibi suisque viam in cælum faciat, v. eod. 2. Et fugiant qui oderunt eum a facie eius, id est, ab eius conspectu. Ad aspectum S. Ludovici regis Francorum, in terram sanctam classe pergentis, et flammato vultu oculisque ardentibus in mare dissilientis, ut hostes ad littus multo cum equitatu affusos invaderet, fugit Sultanus Ægypti cum universo suo exercitu: tantoque pavore perculsus est, ut Pelusium urbem munitissimam, ad Nili ostia sitam, vacuam illi, apertamque permitteret, cum in ea multos menses obsidio tolerari potuisset. Ad terram sanctam pergit Christus, et hostes aspectu fugat. E Constantini Imperat. labaro sæpe emicabant tot, et tam vehementes radii, ut hostilem exercitum perstringerent, et in fugam darent. Hoc ipsum de Auriflamma regum nostrorum testantur Annales Galliæ. Rigordus quidem de Gestis Philippi Augusti: *Consueverunt*, ait, *antiquitus reges Francorum, quod quandocumque contra hostes arma movebant, vexillum desuper altare B. Dionysii pro tutela seu custodia secum portabant; et in prima acie pugnatorum ponebant. Quod videntes adversarii, et cognoscentes, territi multotiens terga dederunt.* Auriflammam porro alii putant fuisse vexillum Ecclesiæ S. Dionysii ex antenna suspensum; alii S. Martini augustam sacrorum trabeam: nunc ad rem meam est, quod ait Robertus Gaguinus, Ordinis SS. Trinitatis Generalis, scilicet sacrum illud Labarum e cælo in terras demissum esse, quod Michael Nauclerus asserit lib. 7. tertiæ partis de monarchia sæculari et christiana, et Stephanus Forcatulus Iurisconsult. lib. 6. de Gallorum imperio et philosophia. Sed ut se res habeat de Auriflamma, Iesus e cælo venit, atque in cælum redit, ad cius contuitum hostis intremit. Isaiæ 2. 18. *Introibunt in speluncas petrarum, et in voragines terræ a facie formidinis Domini, et a gloria maiestatis eius*, præsertim cum veniet ad iudicium. S. Epiphan. in Assumpt. Christi, de illo ascendente in cælos dicit: *Prætercurrentem Belial potenter excutit et vertit.*

12. *Vers. 2. 2. Pars. Ad Christi aspectum fugit dæmon.*

S. Ludovici ardor.

Auriflamma, et eius vis.

Tertio denique, illos penitus perdit, velut fumum et ceram, quæ liquefit ab igne, v. 3. Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera a facie ignis (id est, ab

13. *Dæmon et peccator sunt instar fumi.*

ignis præsentia et operatione. Est prosopopœia) SIC PEREANT PECCATORES A FACIE DEI, illos consumente instar ignis. Peccatores sumit pro Gentilibus Lorinus. Sic Paulus Iudæos distinguens a Gentilibus, vocat istos peccatores, Galat. 2. 15. *Nos natura Iudæi, et non ex gentibus peccatores.* Secundo alii, tum Iudæos, tum Gentiles hic intelligunt: dicuntque, Gentiles elatos ob sapientiam et potentiam comparari fumo ascendenti et evanescenti: Iudæos vero, compactos ex favo legis et privilegiorum divinorum, comparari ceræ liquefactæ, ob vehementiam tribulationum, a quibus velut ab igne consumuntur. Tertio et melius, peccatores κατ' ἐξοχήν, sunt dæmones, qui toti ex peccato videntur conflati, et nihil aliud spirant præter peccatum. Non possunt enim bene operari, et a bonis operibus omnes avertunt. In die ascensionis Christi destruitur peccatum, ut S. Epiph. serm. de Ascensione proclamat: *Hodie*, ait, *peccatum per Iesum assumptum*, ὡς καπνὸς διαλύεται, *veluti fumus disparet.* Vide dicta Ps. 36. 20. ubi impios fumo contuli. Virtus vero, velut ignis perpetuus semper emicat, nulloque flatu aut concussione extinguitur. Illam iure conferas lucernæ versatili, quæ nec oleum effundit, nec lumen amittit, licet manubrio in omnem partem moveatur. Utrique prudenter inscripseris: *Verte, non extingues.* Impietas autem omni vento agitatur, et evertitur. Prov. 12. *Verte impios, et non erunt.*

Et ceræ liquefactæ.

Ceræ quoque per ignem diffluenti, impios conferre possis: *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei*, per exteriores afflictiones urente: et per interiores etiam, quod Arabs indicat, cum vertit: *Sicut liquescit candela in igne, sic perdet Deus peccatores a conspectu suo.* In medio candelæ est ignis, qui omnia circumstantia absumit. Vide dicta Ps. 57. 9. in illud: *Sicut cera quæ fluit, auferentur.* S. Athanas. sermon. in Assumpt. Christi: Nunc, ait, me magnanimitas quædam contra diabolicam tyrannidem invadit, cum videam hodie gentis meæ primitias in cælis regnantes. Nunc cecidit orbis robur, defecerunt diaboli machinationes. Non est hic amplius paradisus, o diabole: neque plantæ dulcedo ad dolum invitans, ut iterum legis metu soluto me in mortem coniicias: ita Athanasius. Christus ascendens, in sole posuit tabernaculum suum, et sol effectus est iustos illuminans, impios adurens. Clemens VII. Rom. Pont. ex gente Medicea globulum e crystallo figuravit: qui sole illuminatus: solis instar lucet, resque obiectas inflammat, iis exceptis, quæ candorem habuerint. Alia comparatione uti possis Emmanuelis Philiberti Sabaudiæ ducis, qui, ut indicaret, nemini se, nisi lacessenti damnum illaturum, elephantum figuravit, qui ne oviculas obvias protereret, illas proboscide submovebat, hoc adiecto lemmate: *Infestus infestis.*

Anagog. S. August. de futuro iudicio sic explicat: *Cum in hoc sæculo, sicut fumus se extollendo, id est superbiendo defecerint, veniet illis in fine extrema damnatio, ut ab eius facie pereant in æternum, cum in sua claritate fuerit præsentatus, velut ignis ad pœnam impiorum, lumenque iustorum.*

ARTICULUS II.

In Ascensione Christi, lætitia hominum.

14. Vers. 4. A GEMITU et ruina dæmonum triumphatorum, transit Propheta ad gaudium et epulum triumphantium, v. 4. ET IUSTI EPULENTUR, ET EXULTENT IN CONSPECTU DEI: ET DELECTENTUR IN LÆTITIA; id est, cum vera, perfecta et solida, æternaque lætitia: in his terris delectamur aliquando; sed in tristitia, id est in rebus tristibus, et tristitiam afferentibus: nam initium et finis terrenarum delectationum est ut plurimum dolor et anxietas, ac rosarum ipsarum in medio cultæ compungunt spinæ. In cælo autem est sincera et impermista lætitia. Syr. vertit: *Lætentur in suavitate eius.* Matth. 25. 21. servo bono et fideli dicitur: *Intra in gaudium Domini tui.* In hac vita superficies tantum gaudii sumitur, ad intimas medullas non venitur, in timore et tremore prægustus quidam lætitiæ est. In cælis vero, torrens gaudii est, in quo Sancti immerguntur. Hoc Bellarm. explicat de Sanctis in hac vita, sed melius intellige de Sanctis cum Christo ascendentibus.

Nota, pro *epulentur*, Hebr. est ישמחו *ismechu*, id est 15.
lætentur, ut vertit S. Hieron. et Felix. Græce quoque est εὐφρανθήτωσαν, animo lætentur. Sic Luc. 12. 19. avarus ille dicebat: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Gr. est, εὐφραίνου. Et Luc. 16. 19. de divite epulone habes: *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso: et epulabatur quotidie splendide.* Græc. est, εὐφραινόμενος. Lætitia autem per epulum exprimitur, ut denotetur, in cælo esse lætitiam. Primo, vehementem, et quæ maxime afficiat, sicut cibus. Secundo, quæ sit intima, et non superficialis. Tertio, quæ in Beatorum quodammodo substantiam convertatur, eosque totos penetret, imbuat, reficiat et corroboret. In hac etiam vita micas nonnunquam percipimus, e cælesti illa mensa cadentes. Prov. 15. v. 15. *Secura mens, quasi iuge convivium.* Chald. reddit, hilaris animus, continuum est convivium. Pro *secura mens*, Hebr. est *bonum cor.* Esto bonus et rectus corde, et eris securus ac lætus. S. Ambrosius in Ps. 45. Quis, ait, puritate et simplicitate pectoris dulcior fructus? quis cibus suavior, quam is, quem animus bene sibi conscii et mens innocentis epulatur? S. Augustinus in sententiis, num. 90. Non potest, inquit, quisquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Æterna enim exultatio est, quæ bono lætatur æterno. S. Bern. lib. de conscientia: *Nihil*, ait, *est iucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conscientia: premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illi erit secura. Bona conscientia secura erit, cum corpus morietur: secura, cum anima coram Deo præsentabitur: secura, cum utrumque in die iudicii ante tribunal terrificum iusti iudicis statuetur. Futuræ benedictionis non est utilius remedium, nec certius testimonium bona conscientia. Cum mundus omni volubilitate circumrotetur, floret, rideat, pereat, transeat; nunquam marcescit bona conscientia. Subiiciatur corpus in pœna, in iniuriis maceretur, verberibus lanietur, eculeo distendatur, gladio trucidetur, crucis patibulo affigatur, secura erit conscientia.* Hugo a S. Victore lib. 3. de anima, cap. 11. Conscientia bona, inquit, titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus et clausus, et in die iudicii aperiendus: ita Hugo. Bonam conscientiam comparat Plutarchus herbæ tristitiam expellenti, quam Græci vocant Nepenthes, q. d. Sine tristitia, a νη privativa particula, et πένθος, tristitia; verba eius sunt: Sicut Nepenthes herba ab Homero prædicata, addita poculis omnem tristitiam discutit: ita bona mens indita nobis, omnem vitæ sollicitudinem abolet: ita ille. Nepenthes porro eadem herba esse existimatur cum buglosso, quæ eamdem vim habet, ut ait Plin. lib. 25. 8. Buglossos, inquit, boum linguæ similis, cui præcipuum, quod in vinum deiecta, animi voluptates auget, et vocatur *euprosynum*, q. d. Lætum, exhilarans. Idem auctor lib. 21. cap. 21. Helenio quoque tolli tristitiam refert. Helenium, ait, ex Helena natum, favere creditur formæ, cutem mulierum in facie, reliquoque corpore nutrire incorruptam. Præterea putant, usu eius quamdam gratiam iis veneremque conciliari. Attribuunt et hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eumque quem habuerit nepenthes illud prædicatum ab Homero, quod eo tristitia omnis aboleatur. Est autem succi prædulcis: hæc Plinius. Nunc in officinis vocatur Enula campana. Natam illam herbam putant ex lacrymis Helenæ, et ideo in Helena insula laudatissimam. Non video quam apte finxerint ex lacrymis Helenæ natam herbam lætitiæ effectricem, cum lacrymas illas fuderit in Helena insula, in qua Paris illi primum obtulit stuprum, ob quod amarissimas lacrymas summo cum dolore fundere debebat, Troianæ provinciæ excidum allatura. Sed de iustis vere dixit Propheta

Lætitia cælestis cur comparetur epulo.

Conscientiæ bonæ elogia.

Nepenthes.

Buglossi vis ad exhilarandum.

Et Helenii.

noster Ps. 125. 5. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Vide illum loco.

16. [In triumpho fiebat epulum publicum.] Nota secundo, triumphantes, aliique dabant sæpe epulum publicum Romæ. Hoc docet Varro lib. 3. de re rustica, cap. 5. Dio Cassius lib. 43. Iosephus de bello Iudaico. Caius Iulius Cæsar triumphans, uno die in duobus et viginti millibus triclinorum instructis paratisque mensis, et vini Falerni amphoras centum, et Chii cados totidem dedisse fertur, et sex murænarum millia, quas C. Hirtius in pondo mutuo dedit. Tiberius in triumpho Illyrico prandium populo mille mensis, et congiarium tricenos nummos viritim dedit. Lucullus acto triumpho, et urbem et suburbanos vicos convivio excepit. Iam inde a Romulo hoc incepit. De illo Dionysius Halicarn. agit his verbis: Romulus ultimus pompæ gradiebatur purpurea veste amictus. Lauro coronatus, et, ut maiestatem regiam retineret, quadrigis invectus (probabilius est peditem incessisse); equitum et peditum copiæ sequebantur ornatæ per ordines, laudantes hymnis patriis deos, et ducem tumultuariis carminibus ornantes: ex urbe omnes occurrere cum uxoribus et liberis utrimque præter viam lætitiæ participes. Ut autem exercitus urbem iniit, ubique præ foribus illustriorum ædium mensas cibis omnis generis refertas crateresque vino mistos repererunt, quibus uti liceret: ita ille agens de Romulo triumphante. Si hæc fiunt in exilio et penuriæ deserto: quid fiet in ubertatis omnis terra? Christus dicit Apocal 2. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Cum Franciscus Barberinus Cardinalis collegium Societatis nostræ inviseret Romæ, noster Alexander Donatus foribus Rhetorices appingi curavit hortum, cum hoc lemmate: *Expectat apes.* Secum enim apes gentilitium stemma erat illaturus. Flores sunt in amœnis cæli viridariis parati, sed iis qui apes fuerint morum innocentia, et vitæ laboribus. Christus dicit Apostolis suis, Luc. 22. 29. *Ego dispono vobis* (et vestri similibus, non aliis) *sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis* (regie scilicet) *super mensam meam in regno meo.* Ab eo convivio excludit impios Deus, Isai. 65. 13. *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis: ecce servi mei bibent, et vos sitietis.* Tantalorum instar mediis in aquis divites avari sitiunt his in terris, dum pii divinos rores suscipiunt. Tota æternitate cum divite epulone sitient in mediis flammis, dum sancti in cælo inebriabuntur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis eius potabuntur. Poetæ fabulantur, Tantalum voluptatum avidissimum petiisse ζην τον αυτον τροπον θεοις, vitam diis similem, ut loquitur Athenæus lib. 7. Iovem id concessisse, sed saxum capiti imposuisse, ne frueretur lautissimis cibis appositis. Avari instar deorum bonis omnibus abundant, et præ duritia cordis illis non utuntur, sed anima et corpore esuriunt, nec sibi nec aliis ex tanta copia quidquam largientes. Vide a me dicta de ebrietate divina beatorum et de torrente voluptatis Ps. 35. 9. [Fluvii quatuor in paradiso a Mahomete ficti.] Euthymius Zigabenus in Moamethicis, Mahomedus, inquit, dicit in paradiso esse fluvios quatuor: primum aquæ limpidissimæ, secundum lactis purissimi, tertium vini suavissimi, quartum denique mellis iucundissimi. Hinc Nicetas de ordine qui observatur, cum quis ad fidem venit a Saracenismo, hæc fere ad verbum reddit dicenda ab eo qui convertebatur: *Anathematizo Mahomedi paradisum, in quo quatuor fluvios esse ait: Unum aquæ limpidæ, alterum lactis suavitatem suam non amittentis, tertium vini dulcis, quartum mellis suavissimi:* ita ibi. Inepte hæc Mahomedes referebat omnia ad corpus, sed fide certum est longe suavissima futura animæ gaudia et corporis, quæ nullus satis explicare queat.

17. [Sanctorum mira ieiunia.] Nota tertio, has cælestes epulas Sancti meriti sunt per ieiunia. Christus in deserto pavit quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres, quia triduo iam perseverabant cum ipso, et non habebant quod manducarent, Matth. 15. 32. Quis ad cæleste convivium non censeat admittendum S. Hilarionem, qui cum omnia bona pauperibus elargitus esset, paucis caricis vivebat? S. Franciscum de Paula, qui annis nonaginta et uno conviviorum lautitias subterfugit, pane, aqua, et herbis contentus, nullis præcibus ab ea severitate unquam dimotus? S. Benedictum, qui tempore quadragesimæ bis tantum in hebdomada cibos aqua sola contentus sumebat? S. Reginaldam, quæ aqua pura et pane avenaceo totos annos vivebat? S. Hedwigem Poloniæ ducissam, quæ cum erga pauperes esset munificentissima, ab esu carnium abstinuit annis plus minus quadraginta: neque ullius unquam precibus vel obiurgationibus adduci potuit, ut tam bonam consuetudinem intermitteret. Hunc abstinentiæ modum victusque rationem sibi præscripserat, ut die Dominico, tertia et quinta feria, piscibus et lactariis; sabbato et secunda feria, aridis leguminibus: quarto et sexto die, pane et aqua dumtaxat vesceretur. Eam vitæ rationem cum aliquamdiu observasset, postea solis leguminibus usa est, exceptis diebus dominicis, et magnis quibusdam solemnitatibus. In adventu et quadragesima, multorum quoque Sanctorum et Sanctarum, præcipue vero Apostolorum, in pervigiliis, panem et aquam tantum sumebat, et quidem perparum. Quis delicias paradisi tantis laboribus neget? Audient illi sibi a Christo dici: *Iusti epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.*

Nota quarto, in hac vita sæpe est convivium Lapitharum et Centaurorum, ubi rixæ et cædes: in cælo vero est convivium cum musica et symphonia, ubi pater exultat cum filiis. Luc. 15. 26. prius dixerat paterfamilias post datam stolam primam annulum et calceamenta filio: *Manducemus, et epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, et revixit.* Id post resurrectionem corporum usurpari poterit. Enthym. in eum locum: *Edere,* ait, *dicitur Deus ob lætitiæ communicationem.* S. Hier. epist. 146. *Nulla potest esse iucunditas, nisi patre nobiscum celebrante convivium.* David non ivit ad convivium Absalonis, ideo occidit fratrem suum primogenitum Amnonem. Ubi Deus non est, ibi convivium sæpe furor est. In Anglia Haraldus Danica præsidia convivio excepit: ubi autem mero incaluere, immissis percussoribus, omne Danicum nomen in Anglia delevit, ut refert Albertus Krantzius lib. 2. chron. Daniæ cap. 31. pag. 161. In mensa principum statuendus est culter in gutture, ut monet Salomon Prov. 23. 2. ob timorem, ne quid excidat. Cum Deo autem perennis lætitia est viris iustis. Eccl. 9. 7. *Vade, et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua.* Contra vero, impiis mœror reservatur. Eccl. 14. 10. *Oculus malus ad mala, et non satiabitur pane, sed indigens et in tristitia erit super mensam suam.* Ier. 25. 15. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea: et propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos.* Voluptatem omnes amant, et in ea felicitatem suam reponunt. Philæterus in Cynægide ait: Mortalem hominem quid ego facere postulem? præterquam, ηδεως ζην τον βιον, in diem vivat ut suaviter? dummodo sit, quod ad id suppetat: ita ille. Sed eam voluptatem sibi mutuo eripiunt scelerati. Apollodorus Carystius in Grammatidopœo: *O universi homines, cur iucunda vita spreta incommodis vos mutuis afficere satagitis, invicem bella gerentes?* ου τουτο το ζην εστι το καλουμενον, *id per deos vivere non est, quod vivere dicunt.* Sancti delectantur in lætitia, id est, sine ulla tristitia. Geminatio enim illa denotat veram, certam, perfectam et maximam lætitiam. 18. [Convivia in his terris sæpe plena sunt rixis et cædibus.]

19. [Hebræi epulabantur in tabernaculo, et in templo.] Nota quinto, alludit primo ad Hebræorum solemnitates, in quibus epulabantur coram Domino de pacificorum carnibus, et libaminibus in templo, ut habetur Deut. 12. 11. *In loco quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen eius in eo, illuc omnia quæ præcipio, conferetis: holocausta, et hostias, ac decimas, et primitias manuum vestrarum: et quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovebitis Domino. Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro, vos et filii ac filiæ vestræ, famuli et famulæ, atque Levites qui in urbibus vestris commoratur.* Idem docetur Deuter. 15. 20. ubi iubetur sacerdotibus ut comedant primogenita

oblata, iu conspectu Dei, id est in atrio tabernaculi aut templi. Sic Primo, Iethro socer Mosis veniens ad generum in desertum Sinai, anno primo egressionis ab Ægypto, sub eius finem (itaque post datam legem) obtulit holocausta et hostias Deo: venerunlque Aaron et omnes seniores Israel, ut comederent panem cum eo coram Deo, hoc est in tabernaculo, quod erat domus Dei. Secundo, Samuel Saulem, quem lenticula olei uncturus erat postea in regem, convivio excepit in excelso, id est in sacello, quod erat in colle seu monte ubi sacrificaverat, 1. Reg. 9. 13. et seqq. Hoc autem fiebat cum lætitia. Nehemias, Esdras et Levitæ in festo Tabernaculorum dicebant populo, 2. Esdr. 8. 10. *Ite, comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi: quia sanctus dies Domini est. et nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.* Gaudium Domini, id est quo gaudet Dominus, et quo nos gaudemus in Domino. Active enim et passive sumi potest. Vetus parœmia est: Procul a Iove, procul a fulmine. Quidam ut ad principes non sæpius accedendum doceret, ardenti rogo inscripsit: Nec prope, nec procul. Ad Deum autem semper veniendum est, et cum eo manendum. Id facient Sancti tota æternitate gaudentes. Singulis dicetur: *Intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25. 21. Exultabunt in conspectu Dei, et delectabuntur in lætitia: id est in Deo, qui facie ad faciem visus, erit eorum gaudium. Ut enim ait Trismeg. ἡ οὐσία Θεοῦ, τὸ καλόν: Essentia Dei, est pulchritudo. Maximus Tyrius dissert. 1. πᾶν τὸ κάλλος ἐκεῖθεν ῥεῖ: *Omnis pulchritudo inde emanat.* Et Boetius lib. 3. de consolat. *Pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens, similique ab imagine formans.* S. Bernard. suavitatem ex Deo emanantem sic declarat Epistol. 234. *Illi comparata omnis aliunde iucunditas, mœror est: omnis suavitas, dolor est: omne dulce, amarum: omne decorum, fœdum: omne postremo quodcumque aliud, quod delectare possit, molestum.* Vide Ps. 15. vers. ult.

Secundo et melius, alludit ad sacras choreas, quæ fiebant in tabernaculo seu templo, cum ait: *Exultent in conspectu Dei.* Epulæ denotant interiorem delectationem, gustum, fruitionem; unde dictum est: *Iusti epulentur.* Saltatio autem indicat exundantiam gaudii, quod foras prodeat. Vide dicta Ps. 26. 6. *Circumdabo altare tuum Domine.* Et Ps. 26. 6. *Circuivi, et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis.* Apud Romanos moris fuit ludos exhibere et spectacula post triumphum, ut tradit Polybius pag. 269. et Vopiscus in Aureliano.

20. *Tropol. In conspectu Dei quomodo exultandum.* Tropol. Exultandum est in conspectu Dei. Primo, omnia faciendo bona intentione, et ante oculos habendo Dei gloriam: inde orietur iugis lætitia, quidquid accidat in re suscepta. Secundo, exultandum in conspectu Dei, id est in omni lætitia nostra Deus semper aspiciendus est, velnti præsens nobis. Tertio, in conspectu Dei, id est in oratione Deum contemplando. Quarto, in Eucharistia Christum adorando in Missa, et recipiendo. Tunc proprie iusti epulantur, et exultant in conspectu Dei, et delectantur in lætitia.

21. *Quale convivium sanctorum.* Et dictis collige, convivium Sanctorum in cælo esse. Primo, suave, quia cum Deo fit, ex Dei bonis, et Deo ipso. Secundo, gloriosum, quia fit triumphanti. Tertio, certum, quia promissum laboranti et pugnanti. Quarto, sincerum et nulla permistum molestia. Quinto denique, sanctissimum, quia fit in conspectu Dei.

ARTICULUS III.

In Ascensione, angelorum exultatio.

22. *Vers. 5. 1. Pars.* Post gaudium explicatum hominibus conveniens in Ascensione Christi, transit ad gaudium angelorum, quod invitat ad cantandum et psallendum in laudem triumphatoris, v. 5. Cantate Deo (Christo triumphanti) psalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi. Hæc dicuntur ad Apostolos, ait Bellarminus, et ad alios primos fideles ex sententia non solum veterum Latinorum, sed etiam Græcorum, Theodoreti et Euthymii. *Cantate Deo,* vos primitiæ credentium: *Psalmum dicite nomini eius,* laudate Deum voce et opere, vos qui digni facti estis cognitione tantorum mysteriorum: *Iter facite ei qui ascendit super occasum*, id est, parate viam Domino prædicationibus vestris, ut is qui iam ascendit super occasum, qui supergressus est omnem corruptionem, et mortalitatem, et habitaturus est per fidem in cordibus omnium gentium, per vestras prædicationes aditum apertum et paratum inveniat: *Dominus enim nomen est illi*, et ideo iure suo regnare debet. Dominus autem est, quia condidit et redemit: ita Bellarminus.

Secundo, et melius, alloquitur angelos, qui comitabantur Christum ascendentem in cælum, quique illi ob viam veniebant: illi enim faciebant, id est præparabant viam triumphatori. Sic dicitur illis Ps. 23. 7. *Attollite portas principes vestras, et introibit rex gloriæ.*

Primo, itaque invitantur angeli ad cantandum et psallendum: Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius, id est, ipsi; 2. nomini Iesu, quod morte sua meritus est: tunc enim fuit complete et perfecte Iesus, id est, Salvator. Illud itaque nomen, in triumpho celebrandum est: sicut vocabantur Asiatici, Africani, Numidici, Lybici, a victa Asia, Africa, Numidia, Lybia, aliisque provinciis, duces Romani in ovatione, id est triumpho minore; in hoc cum myrto coronabatur victor, et pedes urbem intrabat, tibiæ tantum canebant: in triumpho autem, cum laurea erat corona, et currus dabatur, tubæ toti præibant pompæ, et iterum post vasa aurea atque argentea. Citharistæ vero et citharœdi cum tityristis, id est cantoribus pastoritiis erant proxime Imperatorem in curru laureatum. Citharistæ citharam tantum pulsabant, citharœdi etiam ore cantica accinebant, ut vult Moscopulus. Solebant autem cantica fieri in laudem Dei, cui accepta ferebatur victoria, et in laudem trimphatoris. Hic David angelis dicit, *Cantate Deo,* tum Patri, tum Christo ipsi præsertim, qui etiam Deus est; unde additur, *psalmum dicite nomen eius,* ut iam dixi. M. Servilius ad Plutarchum in P. Æmylio, triumphum vocat θεῶν τιμήν, deorum honorem. Dionysius Halicarn. tradit, in Romuli triumpho milites processisse laudantes hymnis patriis deos. Curtius quoque lib. 5. refert, cum Alexander ingressus est Babylonem, magos suo more carmen diis cecinisse. Moses Pharaone cum suis Ægyptiis merso in mari rubro canticum cecinit in honorem veri Dei, Exod. 15. Debora et Barac victo Sisara duce Iabin regis Chanaan, Iudicum 5. Iudith cæso Holoferne duce Nabuchodonosoris regis Assyriorum, Iudith 16. Israelitarum puellæ canticum cecinerunt in honorem Davidis, percusso Goliatho et fugatis Philisthinis, 1. Reg. 18. Multis psalmis præfigitur titulus, εἰς νῖκος, ad victoriam, ἐπινίκιος, victorialis, τῷ νικοποιῷ, victori, seu victoriam danti: quæ postrema vox in nostro ponitur. Laudes porro et cantica dicta in honorem Christi triumphantis figurata sunt in laudibus et canticis ordinatis a Davide, cum arca Dei, quæ humanitatem Christi repræsentabat delata est in montem Sion, ut collocaretur in tabernaculo extructo in eam rem ab ipso Davido. Sic autem habetur 1. Paralip. 15. 14. *Sanctificati sunt ergo sacerdotes, et Levitæ ut portarent arcam Domini Dei Israel. Et tulerunt filii Levi arcam Dei sicut præceperat Moses iuxta verbum Domini, humeris suis in vectibus. Dixitque David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet et lyris, et cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ.* Recensentur deinde nomina multorum Levitarum; et v. 21. dicitur, quod Mathathias, et Eliphalu, et Macenias, et Obededom, et Iehiel, et Ozaziu, in citharis pro octava canebant epinicion, id est carmen victoriale et triumphale. De Christo dicitur, Ps. 95. 1. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, et benedicite nomini eius.* Post triumphum fiebant Romæ ludi musici in laudem triumphantis, ut do-

23. In triumphis hymni Deo canebantur.

Ovationis tibiæ; triumphi tuba, et cithara.

cet Tacitus lib. 14. Et vero, Luc. Anicius Prætor ob debellatos Illyrios acto Romæ triumpho ludicrum musicum et athleticum dedit, ut tradit Athenæus lib. 14. Per totam æternitatem angeli et homines Christum laudabunt.

Nota, angeli et homines simul laudant Christum in Nativitate. Angeli enim apparentes pastoribus præcinunt. Luc. 2. 13. *Facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* De pastoribus vero, post adoratum Christum dicitur, v. 20. *Reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus quæ audierant et viderant.* De ascensione quoque ait David Ps. 46. 6. *Ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubæ;* in iubilo hominum, et in tuba angelorum. Vide illum locum. S. Athanas. in assumpt. Christi, ὦ παραδόξων θαυμάτων, inquit, *O miracula inaudita! Aer penetratur, æther suscipit, angeli circumglomerantibus,* ᾄσμασιν ἐπινικίοις, *cantibus triumphalibus ei accinunt.*

Nota secundo, David sæpe monet ut cantica Psalmis iungantur, ut Ps. 97. 4. Ps. 104. 2. et alibi. Sic Paulus Ephes. 5. 19. *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.* Lactantius lib. 7. cap. 5. pie admonet, homines creatos esse, ut opera Dei sensu admirari, et voce proloqui possint. S. Amatus in monte Vogeso instituit religiosarum Benedictinarum monasterium, in quo esset *laus perennis:* id est, in quo semper ab aliquibus laudes Dei canerentur in choro, ut refert Andreas de Yepe in chron. Ord. S. Benedicti, anno 620. Sandionysianum monasterium eiusdem Ordinis tot habuit religiosos in Francia, ut in eo etiam esset *laus perennis*, sicut tradit idem auctor ann. 643. pag. 326. Laudem perennem in cælo concinunt angeli et Sancti, nos eam his in terris inchoemus.

Symbol. Symbolice, cantant Deo, qui eius attributa contemplantur et admirantur: psallunt Deo, qui ad eius gloriam bene operantur. Paulo aliter S. August. *Cantat Deo qui vivit Deo, psallit nomini eius, qui operatur gloriam eius: ita in cantando, ita in psallendo: id est, sic vivendo, sic operando.* Quare imitemur Ottobertum Comitem Habspurgensem, qui pro symbolo assumpsit brachium armatum cum cithara, ea inscriptione addita, *Hæc mihi tuba.* Fortis animus sibi solidam delectationem parit, suavemque Deo melodiam efficit: enervis vero per voluptatem omnia incestat. Unde sapienter Alexander Magnus oblatam sibi Paridis lyram accipere noluit. Paris erat effœminatus et luxuria perditus, qui Helenam rapuit, et excidium patriæ suæ extitit.

24. Vers. 5. 2. Pars. Secundo, invitantur angeli, ut iter præparent Christo in cælos ascendenti, v. eod. 5. ITER FACITE EI QUI ASCENDIT SUPER OCCASUM. Quæres primo, quid hoc loco intelligatur *per occasum?* Nota, pro illa voce, Hebr. est ערבות *araboth*, quod significat primo vesperam; 2. solitudinem, desertum. Hinc S. Hieron. vertit: *Præparate viam ascendenti per deserta;* 3. cælos. R. Abraham vertit: *Ascendenti in cælos.* Primo itaque, *occasus* sunt partes occidentales orbis terræ: ita Tirinus intelligit; 2. *occasus* est mors: ita S. Gregor. 3. miseria humana: ita S. Isidorus Pelusiota; 4. nubes: ita Campensis; 5. denique et melius, per occasum intellige omnes cælos. Est synecdoche, quia fit tantum mentio occasus: est et metonymia, quia ponitur actio pro agente seu mobili: dicuntur autem cæli ab Hebræis *araboth* ob latitudinem, ut vult R. Moses; ob amœnitatem et iucunditatem, ut R. David et Mercerus; quia cælum supremum, quod ambit omnia, et sphæras motu movet suo destitutum est stellis: ita Isidorus Clarius et R. David; 6. et commodissime intellige per *occasum*, cælos omnes illos qui oriuntur atque occidunt, ut contradistinguantur a cælo empyreo quod est immobile. Paulus Burgensis arctat ad solum primum mobile, sicut R. David, sed de omnibus cælis qui moventur explico. Possis dicere eos cælos dici *araboth*, id est, deserta, quia nullus hominum ibi habitat, licet tanta sit amplitudo: sicut desertum dicitur terra, quæ ab hominibus non habitatur, etsi habeat arbores, aves, et feras multas. Secundo, cæli erant desertum, quia nullus hominum adhuc per eos ascenderat, nunc est via trita post Christi ascensum.

Ascendit Christus super occasum, id est, super cælos.

Præsertim super cælos qui oriuntur et occidunt.

Quæres secundo, quomodo Christus ascendit super occasum? Primo, S. Gregor. lib. 19. Moral. cap. 2. *Super occasum*, ait, *Dominus ascendit, quia unde in passione occubuit, inde maiorem suam gloriam resurgendo manifestavit. Super occasum videlicet ascendit, qui mortem quam pertulit, resurgendo calcavit.* Illum sequitur Bellarminus. Sed hoc est morale. 25. *Quomodo super occasum ascendit, varie explicatur.* I.

Secundo, S. Isidor. Pelus. per occasum intelligit miseriam humanam, in hunc modum lib. 1. epist. 248. Oriens vocatur divinitas ortus expers, quæ sempiternum lumen est. Ascensus autem super occasum, est humanæ paupertatis communio ac societas, quæ occasus est ac nocti similis, si cum superno splendore comparetur. Ab eo explicandi modo non multum recedit S. Bernard. serm. 3. de Ascensione: *Hodie*, inquit, *cælorum Dominus, cælorum alta cælesti potentia penetravit, et infirma carnis tamquam nubila quædam excutiens, induit stolam gloriæ. Elevatus est sol in ortu suo, incaluit et invaluit. Dilatavit et multiplicavit radios super terram, nec est qui se abscondat a calore eius. Rediit ad regionem sapientiæ sapientia Dei: ubi omnes bonum et intelligunt et requirunt, intellectu perspicacissimi, affectu paratissimi, ad audiendam vocem sermonum eius. Nos autem in regione ista sumus, ubi plurimum est malitiæ, sapientiæ parum: quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem:* ita Bernardus. Illustrari id potest symbolo Ascanii Picolominei, Archiepiscopi Senensis, qui, ut ostenderet curaturum se, ut corpore in terram cadente mens cælos penetraret, pinxit duas situlas, quibus aquam e puteo haurimus. Nam dum altera deorsum volvitur, altera sursum agitur. Hoc considerans noster Sylvester Petrasancta, lib. 1. Symb. Heroic. Obiter etiam discas, ait situlam deorsum ire, quæ vacua est: sursum venire aliam, quæ cum plena sit, affert putei opes. Ita in morte corpus deprimitur, pars hominis vacua: sed animus, cum eum virtus et fama impleat, felicissime erigitur. II.

Tertio, noster Iacobus Tirinus sic explicat, q. d. *Ascendit super occasum*, id est, versus occidentales orbis regiones, ad quas transtulit Christus Ecclesiam suam: ita ille. Sed agitur de Ascensione Christi in cælum. III.

Quarto, *Iter facite ei qui ascendit super occasum*, q. d. Extollite illum, qui pro vehiculo utitur nubibus. Hebr. aliquantulum iuvant, quæ habent: Qui equitat super occasum. IV.

Quinto et optime, *Ascendit super occasum* in sua Ascensione Christus: quia ascendit super omnes cælos mobiles, et ab ortu quotidie inclinantes se in occasum: tamdiu enim ascendit, donec veniret ad cælum empyreum, et omnes angelorum choros prætergressus sederet ad dexteram Patris in throno gloriæ æternus Rex hominum et angelorum, et Dominus omnium creaturarum. Ubi advertere, quod cælum empyreum est ἔξω τῆς φορᾶς, extra lationem seu motum, ut Aristoteles loquitur: quæ immobilitas denotat tranquillitatem, et æternitatem felicitatis sanctorum. Illa explicatio iam posita est supra. V. *Et optime.*

Quæres tertio, quomodo fit iter ascendenti super occasum? Resp. primo S. August. Bellarm. S. Gregor. id fieri per prædicationem. Verba S. Augustini sunt: *Iter facite Christo, ut per speciosos pedes evangelizantium, pervia sint ei corda credentium. Ipse est enim qui ascendit super occasum: sive quia non eum excipit nova vita se ad eum convertentis, nisi vetus occiderit huic sæculo renunciantis: sive quia ascendit super occasum, cum resurgendo vicit corporis casum.* S. Gregor. lib. 19. Mor. cap. 3. sic loquitur: *Qui ascendit super occasum, iter facite ei: id est resurgenti Domino in vestris cordibus per fidem præbete viam. Ei itaque, qui ascendit super occasum, iter facimus, cum eius gloriam fidelibus mentibus prædicamus, ut eas et ipse post veniens, per amoris sui præsentiam illustret. Hinc Ioanni per spiritum dicitur. Luc. 1. Præibis ante faciem Domini parare vias eius: quisquis etenim præ-* 26. *Iter paratum Christo ascendenti, et quomodo* I.

*

dicando a sordibus viliorum corda audientium mundat, venienti sapientiæ viam præparat. Sed hæc mystica sunt, licet litteralia velit esse Bellarminus.

II. Et genuine. Secundo itaque, et facillime ac simplicissime, iter fit, id est paratur Christo in cælum ascendenti, cum exornatur laudibus, sono instrumentorum musicorum, turba sanctorum et multitudine angelorum obviam procedentium, comitantium, et sequentium. Ubi nota, quod triumphantibus in urbes suas intrantibus viæ exornabantur. Cum Alexander Magnus, victo et cæso Dario, ultimo rege Persarum, ingressus est Babylonem, totum iter floribus coronisque constratum erat, argenteis altaribus ab utroque latere dispositis, quæ thure et odoribus cumulata erant, ut ait Curtius lib. 5. Cum Dio triamphans urbem Syracusas ingressus est, utrimque in via mensas et crateres statuerunt, eumque transeuntem mola salsa asperserunt, et tamquam Deo supplicarunt, ut ait Plutarchus in Dione. Romani Imperatores auream arenam aliquando viæ insperserunt in suis triumphis, ut alias dixi. Triumphans Christus ingressus est Ierosolymam, quomodo via illi parata sit ab Apostolis et populo universo habes Matth. 21. Multa possunt adaptari triumpho eius cælesti, ac præsertim laudes illi datæ.

(Alexandri ingressus in Babylonem. — Et Dionis in Syracusas.)

27. Vers. 5. 3. Pars. Ratio cur Christo in cælos ascendenti præparanda sit via, subnectitur v. eod. 5. DOMINUS NOMEN ILLI. In Hebræo est, *in Iah nomen eius*, ut reddit ad verbum Arias. Vel, ut S. Hieron. in Domino nomen eius. Vel, ut Pagn. *in Iah nomine eius.* Noster clare vertit, Dominus nomen illi.

יה Iah quid significet. Nota primo, יה *Iah* est unum ex decem Dei nominibus, et significat Dominum. 1. Hebræi per illud nomen volunt denotari Deum ut creatorem mundi; 2. Chaldæus interpres, et R. Salomon a timendo dictum volunt: unde Chald. sæpe *iah* vertit דחלא *dachala,* id est timorem; 3. S. Hieronym. in cap. 26. Isaiæ dicit, significare invisibilem; 4. et optime Mercerus dicit, non esse dubiam, quin sit abbreviatum ex voce *Iehova:* itaque significat Deum velut supremam essentiam, ab omni alia independentem. Deducitur enim utrumque ab היה *haia*, seu הוה *hava*, id est, fuit, est. Quidam suspicantur *Iah* contractum ex *Iehova* designare Verbum abbreviatum per incarnationem. In ea sententia fuisse videtur Campensis, qui hic vertit: *Cui proprium nomen Servator Deus.* Addit Lorinus, fortasse punctum mappik, quod in יה *Iah* ponitur intra *he*, ut sonum ipsius magis exprimat, denotare sensibilem naturam assumptam a Verbo. Alii etiam denotari Deum imminutum, id est Christum humiliatum, passum et mortuum. Sed iure Mercerus id putat curiosius et alienius esse.

28. Dominus noluit vocari Tiberius. Nota secundo, Domini amplissima et illustrissima est cognominatio, ut alias ostendi: unde Tiberius Imper. edicto vetuit, ne Dominus appellaretur, et Romani Pontifices Domni, non Domini dicebantur. Dei vero nomen est Dominus, ut hic dicitur, et Deus ipse asserit, Isa. 42. 8. *Ego Dominus, hoc est nomen meum.* Iam dixerat Mosi Exod. 6. 3. *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, et Iacob in Deo omnipotente, et nomen Adonai non indicavi eis.* Adonai non tantum significat *Dominus*, sed *Domini mei:* est enim nomen plurale cum affixo primæ personæ, quod fit primo ad reverentiam. Hebræi enim honorabiles personas in plurali numero alloquuntur, licet sit tantum una, sicut nos etiam Galli facimus. Secundo, ut indicetur, Deum in se uno complecti omne dominium, et omnia illi uni servire debere. Iudith 16. 16. *Adonai Domine,* (q. d. Domine, Domine,) q. d. Perfectissime et absolutissime Domine: vel, est explicatio, sicut Rom. 8. 15. *Abba Pater* (id est, pater, pater) *magnus es tu, et præclarus in virtute tua, et quem superare nemo potest. Tibi serviat omnis creatura tua.* Iure naturæ, atque ab intrinseco, Deus est dominus, et nos eius servi. S. Gregor. Nazianz. orat. 21 pag. 428. *Duas summas,* inquit, *in iis quæ sunt, differentias reperio, dominationem nempe et servitutem: non quas apud nos vel tyrannus scidit, vel paupertas disiunxit. sed quas natura distinxit: si cui tamen hac voce uti libeat. Nam quod primum est, supra naturam quoque est. Harum autem*

(Adonai cur Deus vocetur.)

A *altera effectrix est, et princeps, ac motus expers: altera effecta, et imperio subiecta et caduca. Atque, ut compendiosius adhuc loquar, altera supra tempus est, altera tempori subest. Vocatur autem illa Deus, etc.* Christus quoque sæpe vocatur Dominus. Vide Psal. 109. 1. in illud: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.*

Nota tertio, Christus dominium suum generale in omnes creaturas ostendit, præsertim in Ascensione. Primo, ob excellentiam et eminentiam cælorum præ orbe reliquo. S. Bern. serm. 2. de Ascens. *Cum, ait, se dominum universorum, quæ sunt in terra, et in mari, et in inferno Christus probasset: non restabat, nisi ut aeris et cælorum dominum argumentis similibus, vel certe potioribus approbaret. Terra enim cognovit dominum, quia ad vocem virtutis eius, cum clamasset magna voce, Lazare veni foras, mortuum reddidit. Cognovit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus eius: ita ut Apostoli eum putarent phantasma esse. Cognovit infernus, cuius ipse portas æreas et* B *vectes ferreas confregit: ubi et ligavit illum insatiabilem homicidam, qui vocatur diabolus et satanas. Profecto quod mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cæcos illuminavit, claudos firmavit, et omnes exufflavit infirmitates, Dominus omnium fuit: et eadem manu qua fecerat, quæ defecerant, reficiebat.* S. Chrysost. clare t. 5. serm. de Ascens. *Elias tamquam in cælum* (4. Regum 2. 12. iuxta textum Græcum) *assumptus est: servus enim erat; Iesus autem in cælum, quia Dominus erat.* Secundo, Dominum se probavit Christus ascendens, quia id fecit propria virtute. S. Cyrill. catech. 14. *Si,* ait, *Habacuc translatus est, coma capitis portatus: quanto magis Prophetarum et Angelorum Dominus, de monte Olivarum per nubem ascendens,* οἰκείᾳ δυνάμει, *propria virtute ascendere in cælum erat potentior? Illi ferebantur, hic autem omnia fert. Memineris, quod Henoch translatus est, sed Iesus ascendit:* ita Cyrillus. Ideo rogantibus angelis, qui in cælo musicos choros agitabant. Quis est iste Rex gloriæ? Angeli et homines, qui pompam ducebant, respondent, Dominus virtutum ipse est Rex glo- C riæ. Tertio denique, quia in Ascensione Christus ponitur in throno regio ad dexteram Patris, ibi datur illi omnis potestas in cælo et in terra, eaque potestate utitur, ibi omnes angeli ipsum adorant. Vincentius Gonzaga dux Mantuæ pro schemate suo lunam sumpsit, quæ sursum cornua erexit, cum hac voce, SIC, hoc est, SIC ILLUSTRIOR CRESCAM, cum scilicet paulatim augebor. Henricus filius Francisci I. Galliarum regis, superstite adhuc parente, lunæ symbolo cornua extendentis usus est, eique hanc addidit epigraphen, DONEC TOTUM IMPLEAT ORBEM: id est, donec patri succedam in toto regno. Dum in nativitate pastores, reges, stellæ, angeli Christo se subiiciunt: dum in vita morbi cedunt, mortui resurgunt: dum in resurrectione illustris apparet discipulis, paulatim se eius imperium profert: nunc vero cælos ascendens totum implet orbem, et rerum omnium dominus apparet, ut ex Bernardo diximus. Qui Romæ triumphabat, eo die supremam habebat in ea urbe potestatem, sed eius imperium cum illo die terminabatur: Christi vero dies nunquam desinet D in noctem, et eius imperium erit æternum. Regni eius non erit finis: *Habet in vestimento et in femore scriptum: Rex regum, et dominus dominantium,* Apoc. 19. 16. In cælo Sancti omnes reges sunt, sed coronas suas abiiciunt ante Deum et Agnum, Apoc. 4. 10.

(29. Dominium suum in omnia Christus probavit. — Vincentii Gonzagæ et Henrici II. symbolo.)

Tertio, invitantur angeli, ut in Ascensione Christi lætentur et exultent, v. 6. EXULTATE IN CONSPECTU EIUS, TURBABUNTUR A FACIE EIUS, PATRIS ORPHANORUM, ET IUDICIS VIDUARUM. S. Hilarius hæc accipit de gaudio discipulorum, ob visum Dominum post resurrectionem. Secundo, et melius, Propheta alloquitur angelos, quos ad gaudium invitat. Primo, quod ad eos ascendat, Christus se videndum cum gloria sua illis exhibens: *Exultate in conspectu eius.* Secundo, quod dæmones turbati sint et fugati eo ascendente, ita ut transitum, quem obstruxerant euntibus ad cælum, aperuerint: *Turbabuntur a facie eius,* id est, eo se ostendente turbati sunt, et semper 30. Vers. 6. 1. Pars.

turbabuntur. Tertio, quod in cælum ducat patres desolatos et afflictos: *Patris orphanorum, et iudicis viduarum.* Est enim synecdoche. Nam orphani et viduæ ponuntur pro omnibus afflictis. S. Chrysost. serm. de Ascens. t. 5. fol. 540. *Hodie*, ait, *recuperarunt angeli, quod dudum desideraverant; hodie aspexerunt archangeli, quod diu concupierant: hodie nostram naturam de throno regali, fulgoris instar resplendentem, gloria et pulchritudine immortali viderunt. Nam licet eos natura humana, largito sibi honore superaret: attamen de bonis nostris gaudebant. Nam et quando cruciabantur, dolebant*: hæc Chrysostom.

Ascensio est festum magni gaudii. Nota. S. Isidorus putat, triumphum dici απο της θριαμβης, id est ab exultatione. S. Epiphan. recte notat, lætitiam Ascensionis Christi superasse lætitiam omnium aliorum festorum. In aliis enim erat adhuc aliquid mœroris, in hac omnia læta sunt. Postquam igitur dixit, nativitatem Christi esse φρικτην και θαυμαστην, venerandam et admirabilem: Epiphaniæ festum, πολλω πρωτης θεωριαν μειζω εχειν, contemplationis materiam offerre sublimiorem: Resurrectionem esse duobus festis præcedentibus, ενδοξοτεραν, illustriorem: subdit de Ascensione. Verum hodie in Ascensionis festo, παντα δια παντων ευφροσυνης πεπληρωται, uberrima lætitia cumulata sunt omnia. Hodie Christus Dominus sidereos micantesque luce cælos aperiens, ac subtilissimum aerem sibi ad gradum, et scansionem substernens, atque hominem e terra concretum supra cæli convexa transferens: tum universis angelicis naturis, χαραν αληκτον, immensum gaudium afferens novum mundo planeque peregrinum spectaculum ostendit: videlicet carnem nostram supra regium solium evectam: ita Epiphanius. Festivitatem hanc iure vocat S. Bernard. gloriosam et gaudiosam. Sic enim serm. 2. de Ascens. statim initio: *Solemnitas ista, fratres carissimi, gloriosa est: et ut ita dicam, gaudiosa: in qua et singularis Christo gloria, et nobis spiritalis lætitia exhibetur. Consummatio enim et adimpletio est reliquarum solemnitatum, et felix clausula itinerarii filii Dei. Qui enim descendit, ipse est, et qui ascendit hodierna die super omnes cælos, ut adimpleret omnia:* ita Bernardus.

31. Iucundus erat aspectus Christi triumphantis. Nota secundo, tunc præsertim exultabant cives et milites, cum triumphantem videbant in suo curru radiantem: EXULTATE IN CONSPECTU EIUS, id est, et cum illum aspicitis, et cum ille vos aspicit. Active enim et passive sumi potest conspectus eius. Iucundum erat aspicere Romanos triumphatores, quorum habitus erat toga picta, tunica palmata, sceptrum eburneum, corona aurea, laurea capiti imposita, laureus ramus in manu, ut docet Dionys. Halicarn. Florus, Livius, Plut. Xiphilin. et alii. Sed longe iucundius est, et utilius Christum videre solis instar effulgentem, innumeris angelorum et sanctorum legionibus circumdatum, in cælos ascendentem. Unde ab illo aspectu divelli non poterant Apostoli, quibus angelus ait, Act. 1. 11. *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Synesius lib. de insomniis, pag. 135. *Nihil*, ait, *sole in rebus aspectabilibus, aut divinius, aut communius est. Iam vero cum per sese Deum intueri sit*, χρημα ευδαιμον, *res plena felicitatis: tum per phantasiam apprehendere illius notitiam, exquisitioris cuiusdam intuitus est.* Gabriel Cæsarinus, vir princeps, aquilæ ad solis radios pullorum indolem ac genus exploranti, hanc adiecit inscriptionem: *Mei non degenerant.* Ne terram et lutum aspiciamus, dum Apostoli et apostolici viri Iesum contemplantur. Dicebat Anaxagoras, se natum esse, ut solem aspiceret: in eius contemplatione et admiratione totos dies consumebant gymnosophistæ. S. Ignatius dicebat, Heu quam sordet terra, cum cælum aspicio! Nos dicamus, Heu quam sordet terra et cælum, cum Iesum Deum meum et Salvatorem aspicio! Tota Trinitas lumen est infinitum. S. Greg. Nazianz. orat. 43. fol. 698. Deus, ait, φως τι απροσιτον και αδιαδοχον, lumen est inaccessibile et successioni minime obnoxium, nec principium habens, nec finem habiturum, nec in dimensionem cadens, perpetuo fulgore rutilans, trino splendore micans: atque eiusmodi, ut paucis, imo ne paucis quidem, perspicua sit eius magnitudo: ita Gregorius. Humanitas Christi est solius illius infiniti mirabile parelium.

Quarto, hostes Christi et Sanctorum eius turbantur ad contemplationem eius gloriæ, v. eod. 6. TURBABUNTUR A FACIE EIUS, PATRIS ORPHANORUM, ET IUDICIS (S. Hier. defensoris. Campens. vindicis) VIDUARUM. Nota, το *Turbabuntur a facie eius*, non habetur in Hebr. Chald. Syr. textu. In Hebræo enim tantum est, *Exultate coram eo patre pupillorum, et iudice viduarum.* In Chald. *Lætamini coram eo. Pater est orphanorum, et iudex viduarum.* Hæc est optima ratio, q. d. Perpetua sit vestra lætitia: licet enim mundus vos deserat et sitis desolati ac derelicti, Deus non deerit vobis. In Syriac. Corroboramini coram patre orphanorum, et iudice viduarum. 32. Vers. 6. 2. Pars.

Nota secundo, terribiles sunt viduæ et orphani devictis hostibus, et in triumphum ductis: vident enim eos postulare vindictam a triumphatore, ob cæsos parentes et maritos suos in bello. Itaque triumphator erat hostibus terribilis, specialiter quia se patrem orphanorum ac tutorem, et viduarum iudicem ac vindicem declarabat. Christus porro triumphans est pater orphanorum, id est Primo, Apostolorum, quos deserebat secundum visibilem præsentiam. Erat tamen pater eorum, et eos iuvabat ut pater in cælis. Unde dixerat Ioann. 14. 18. *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos*, per Spiritum sanctum, per gratias, per Eucharistiam. S. Bern. tract. de cœna Domini, serm. 9. *Non vos relinquam orphanos: id est, non ita dabitur spiritus per me, ut ego non sim vobiscum. Orphani, Græce Latine, pupilli. Hic indicat se esse patrem illis. Veniam ad vos post resurrectionem carnis, qui vobiscum sum semper præsentia maiestatis divinæ.* Apostoli potissimum appellari poterant orphani a tempore ascensionis usque ad descensum Spiritus sancti. Secundo, orphanos et viduas vocat eos, qui religiosam vitam sectantur, spreto et relicto mundo. Desolatos putant, ait S. August. a quibus plerumque gladio verbi Dei et parentes a filiis, et mariti ab uxoribus separantur: sed habent consolationem destituti atque viduati, patris orphanorum et iudicis viduarum. De his orphanis et viduis, id est, spei sæcularis societate destitutis, Dominus sibi templum fabricat, de quo consequenter dicit: Dominus in loco sancto suo: ita August. Tertio, orphani et viduæ sunt omnes, qui abrenunciant diabolo et mundo: ita Ugo Cardin. Orphani sunt, ait, qui conversi ad Dominum, iam non habent patrem mundum, vel diabolum. De quo in Ps. 44. 11. *Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* De quibus Ioann. 8. 44. dicitur: *Vos ex patre diabolo estis.* Nec habent matrem concupiscentiam. De quibus, scilicet patre et matre, Ezechiel 16. 3. *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Viduæ etiam sunt animæ, quibus maritus mundus, et error sponsus mortui sunt. De quo Ioan. 4. 18. *Quinque viros habuisti, et nunc quem habes non est vir tuus.* Et propter hoc Dominus fit iudex harum viduarum, ut eas vindicet, et pater orphanorum, ut eis hæreditatem cælestem donet. Unde in Ps. 26. 10. *Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me:* scilicet ut pater et iudex; cum in die iudicii homines mundani, qui modo istos orphanos et viduas persequuntur, faciem Domini iudicantis videbunt sibi iratam: ita Ugo, quod præsertim de religiosis est intelligendum. Quarto denique, et melius, de orphanis et viduis simpliciter sumptis, et ad litteram, hoc est intelligendum: eorum enim præcipuam curam suscipit Christus Salvator et adiutor miserorum.

Viduas et pupillos tutatur Deus.

Sensus huius loci.

Moral. viduarum et orphanorum maxima cura habenda est. De orphanis et pupillis egi Psal. 9. sect. ult. itaque addo tantum verba S. Ignatii ad Heronem Diaconum, ορφανων προϊστασο, ait: *Pupillis assistito: Deus enim pupillorum pater est.* Prælatis eorum curam commendat Chalced. synod. can. 3. et permittit eorum negotia sæcularia procurare. *Definiit sancta synodus, neminem deinceps, nec* 33. Viduarum et orphanorum cura habenda est.

Episcopum, nec clericum, nec monachum, vel possessiones conducere, vel sæcularibus, vel possessionum administrationibus seipsum ingerere: nisi utique ex lege, εις ορφανων απαραιτητον επιτροπην, *ad inexcusabilem impuberum curam.* De viduis pauca dicamus.

Primo, viduis succurrendum est, quia sunt afflictæ, miseræ, desolatæ, ope destitutæ. Hebræi viduam appellant אלמנה *almanah,* q. d. Mutam et ligatam: a Rad. *alam,* colligavit, obmutuit: quod viro mortuo, velut dolore ligata sileat, nec lætis canticis aut colloquiis gaudeat, litesque tractare nesciat. A Græcis vocatur χηρα, a verbo χηρευω, id est desolo: vel a χαιρω, id est gaudeo, sed per antiphrasim. Quintilian. declamation. 338. Per se, ait, imbecilla res est fœmina, et affert infirmitati naturali non leve pondus, quod vidua est. Hinc S. Chrysost. lib. 3. de sacerdotio ait, insultare viduis esse extremæ crudelitatis.

Secundo, iuvandæ sunt viduæ, quia periculis multis animæ exponuntur. S. Chrys. eas comparat urbi muris nudatæ: maritus enim est murus uxori. Verba eius sunt t. 4. ad iuniorem viduam, fol. 521. *Quemadmodum,* ait, *civitas mœnibus non circumdata, proiecta est, atque exposita omnibus, quicumque eam capere voluerint: ita et puella in viduitate ætatem agens, habet multos qui undique insidientur.*

Tertio, iuvandæ sunt viduæ, quia sunt Christi sponsæ. S. Chrysost. citatus dicit, Deum multam adhibere curam erga pupillos et viduas: ac deinde addit, quod viduæ, αρμοττονται Χριστω, iunguntur Christo, velut viro suo: unde concludit: *Nunc in Therasii viri demortui locum habes Christum.*

Quarto, iuvandæ sunt viduæ, quia eas tutatur, 1. Deipara, quam S. Zeno serm. de fide, spe et charitate vocat, viduarum scutum validissimum; 2. Christus, qui videns viduam urbis Naim, quæ erat in Galilæa distans duobus milliaribus a monte Thabor, flentem ob filii defuncti mortem, *misericordia motus super eam,* dixit: *Noli flere; et filium eius a mortuis suscitavit;* 3. Deus tutor est viduarum. Philo lib. de victimis offerentibus pag. 661. *Pupillorum,* ait, *atque viduarum tutelam profitetur Deus: quia hæ maritis, illi parentibus orbati sunt, quibus humana ope destitutis nullum præterea præsidium relinquitur. Ideo maxima in divino spes superest: quia propitium numen non aversatur huius generis patrocinium.* Vetat, ne quis illis noceat, imo ne severam quidem iuris sui exactionem permittit. Deut. 24. 17. *Non perverles iudicium advenæ et pupilli: nec auferes pignoris loco, viduæ vestimentum.* Preces earum exaudit, cum vindictam deposcunt. Eccl. 35. 17. *Non despiciet preces pupilli, nec viduam si effundat loquelam.* Nec mirum, cum sint altare Dei. S. Ignat. epist. ad Philippens. *Eas,* ait, *quæ in virginitate degunt, in pretio habete,* ως ιερειας Χριστου, *velut Christi sacerdotes: Viduas in pudicitia permanentes,* ως θυσιαστηριον Θεου, *velut altare Dei.* Ethnici ipsi viduas in honore habent. Nicol. Trigautius lib. 1. de Christiana expeditione apud Sinas, cap. 7. tradit: solere viduis, quæ secundas nuptias renuerint, titulos honorificos a rege conferri: sicut et senibus, qui sæculum integrum vitam protraxerint: hosque titulos supra limen exponi, plurimique apud eos fieri, atque duobus tribusve characteribus exprimi.

34. Vitulinus punitur ab Heraclio propter occisum viduæ filium.

His permoti reges et principes boni magna cura iniurias illatas viduis ulti sunt. Duo tantum exempla profero. Primum Heraclii Imperat. qui severe Vitulinum illustrem virum punivit ob cæsum viduæ filium. Rem narrat S. Nicephor. Patriarcha Constantinop. in breviario historico ab obitu Mauritii ad Constantin. usque Copronymum. Verba eius sunt: Vitulinus quidam, dignitate et opibus illustris, filium viduæ cuiusdam occidit; illa sublato mortui corpore, vestem eius ad Imperatorem ferens Byzantium advolat, ibique procedentem eum observans accurrit: et equi, cui insidebat, fræna manibus arripiens, unaque filii sui vestem ostendens, hæc ad eum vociferata est: Sic filiis tuis, Imperator, eveniat, nisi sanguinem huuc, quem ostendo tibi, subinde legibus ulcisceris. Concurrentibus prætorianis, et vulnera mulieri intentantibus, Heraclius Imperator prohibuit, atque ulterius progredi vetuit: sc, cum visum esset, de causa cogniturum. Vitulinus Byzantium petiit, ut causæ suæ provideret. Illum Imperat. in vincula coniici iubet, et muliere accersita de perpetrata cæde accuratius inquirit: et quam mortis pœnam extinctus illæ viduæ filius pertulerat, eamdem in Vitulinum decernit.

Illustre factum Ottonis Imper.

Alterum longe illustrius est, quod refert Albertus Krantzius in Saxonia lib. 4. cap. 26. et Godefridus Viterbiensis chron. p. 17. in Ottone III. Cum enim Ottonis ipsius uxor, Maria nomine, filia regis Aragonum, in Comitem quemdam virum innocentissimum oculos coniecisset, et repulsam passa esset, illum de pertentata pudicitia calumniose accusavit apud Imperatorem, qui nimis credulus comitem ad necem damnavit. Uxor re comperta pro tribunali sedentem Ottonem adit, de nece iustissimi viri vindictam exposcit, proiectoque capite viri in medium, ipsum Imperat. reum sanguinis innocentissimi apud ipsum iura reddentem accusat. Probationem per contrectationem ferri candentis, veritatis indicem offert: consentit ille, paratur ignis, ferrum candens exhibetur, mulier conscia innocentiæ viri sui, arripit illud illæsa, contrectat inusta, quia iusta: stringit ut flores ignitum metallum, quo solum exuruntur præcordia ipsius Imperatoris. Cui tunc insultans victrix fœmina, vindictam in Imperatorem a gladio exigit imperantis. Fatetur ille culpam, nec refugit pœnam, spondens iugulum, sed poscit inducias. Interim proceres accurrunt, pro vita Imperatoris fœminam exorant, sed frustra diu laboratum: at tandem ea est conditione transactum, ut auctrix sceleris Augusta, ex qua causa processerat necis viri sui, flammis daretur comburenda. Quo facto, suam redemit vitam iustissimus Imperator, qui eamdem donatam tribus castris, solutus ipse ac liber subeundi supplicii, eam ut abiret rogavit.

ARTICULUS IV.

Lætitia Christi in Ascensione.

In cives omnes, ac præsertim in affines, consanguineos, liberos et parentes triumphantis derivatur gaudium triumphi: sed ad ipsum triumphantem maxima gaudii pars redit. Christus autem triumphans gaudet Primo, quod in cælo velut in palatio suo, a Patre collocetur. Secundo, quod in eo sint omnes eius subditi unanimes. Tertio denique, quod omnes sint a se liberati et redempti.

35. Vers. 7. 1. Pars. Locus Dei sanctus est templum. 1.

Ac Primo, domum triumphalem Christus inhabitat, v. 7. Deus in loco sancto suo (Chald. in habitaculo domus maiestatis sanctæ suæ. Aquila, εν βασιλειοις αγιοις αυτου, in palatiis sanctis suis) Deus qui inhabitare facit unius moris in domo. Quæres, quis hic locus sanctus? Primo, Rabbini id intelligunt de urbe sua Ierusalem, ubi in Sione colebatur Deus: tempore Davidis, in tabernaculo ab eo facto, ubi arcam posuerat: tempore Salomonis, et aliorum regum ac ducum, in templo a Salomone extructo et ornato. Secundo, S. August. locum illum sanctum intelligit Deum ipsum: Deus enim in seipso velut in templo ab omni æternitate habitat. Verba eius sunt: *Quis est locus iste? Ipse Deus, qui eum sibi facit.* Nam cum Deus sit immensus, nullo loco clauditur, sed est locus sibi ipsi. Tertio, idem S. Aug. et Bellarm. locum sanctum Dei hic sumunt corda sanctorum, in quibus habitat Deus. Sed hoc est morale. Quarto itaque, et optime, locus sanctus Dei hoc loco est cælum, in quo est omnis et perfectissima sanctitas, et ad quod aspirant velut ad domicilium suum, qui ad sanctitatem aspirant. Campens. vertit: *Deus in cælo, habitaculo sanctitatis suæ.* Alludit David ad Sanctum, et maxime ad Sanctum sanctorum, quod cælum figurabat. Aristot. vocat cælum οικητηριον Θεων, habitaculum deorum. Deus est ubique, ut docet S. Thom. 1. part. q. 8. in cælo tamen dicitur habitare; quia ibi se electis suis manifestat,

2. Deus ipse. 3. Sancti. 4. Cælum.

et in illo potentiam suam et sapientiam ac bonitatem magis declarat. Vide dicta Ps. 2. in illud: *Qui habitat in cælis, irridebit eos.* Christus ibi thronum suum posuit triumphans. Ubi adverte, quod Romæ domus triumphales erant, quæ publico sumptu Imperatoribus fiebant, qualis data est P. Valerio Publicolæ. S. Athanas. conferens Christum pugnantem in passione, et triumphantem in ascensione, rapitur in admirationem tantæ diversitatis: *O miracula*, inquit, *incredibilia, et aliena a natura! Quibus paradisus est interclusus, illis cælum apertum est. Qui paulo ante sub Pilato iudicabatur, hodie in cælum iudex solium occupat. Qui a Iudæis ridebatur, sedet publicus quæsitor. Cuius iudaicis spinis caput coronatum, is divinæ dignitatis diademate cingitur:* hæc Athanasius.

36. SECUNDO, gaudium triumphantis est, quod in regiam suam urbem atque domum omnes milites suos deducit, ibique in æterna pace custodit, et quemque in loco suo sine alterius invidia collocat. DEUS QUI INHABITARE FACIT UNIUS MORIS IN DOMO. Primo, inhabitare ibi eos facit. Secundo, efficit, ut sint unius moris.

Ac primo, nemo in cælum intrat, nisi per Christum. Ipse est ostium. Ioan. 10. 9. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* S. August. ibi ait: *Ecce quod clausum est, aperuit. Ipse est ostium. Intremus, ut nos intrasse gaudeamus.* Hæc est maxima consolatio afflictorum, quod et ipsi et amici eorum post mortem cælum inhabitabunt. Hac consolatione utitur, ut uxorem Therasii demortui ad animi tranquillitatem reducat S. Chrysostomus. Sic enim tom. 4. pag. 324. ad viduam iuniorem: Si penitus interiisset Therasius tuus, et in nihilum abiisset, mœrendum ac dolendum erat: sin autem, εις ευδιον κατεπλευσε λιμενα, ad quietum placidumque delatus est portum, atque ad suum vere regem profectus est, nullus hic lacrymis, sed lætitiæ locus est. Etenim hæc mors non est mors, sed migratio ac domicilii mutatio a deterioribus ad meliora: a terra ad cælum, ab hominibus ad angelos et archangelos, atque ideo ipsum archangelorum Dominum: ita Chrysostomus.

37. Secundo, Christus angelos omnes et sanctos, et secum et inter seipsos videt unanimes, *Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.* Pro *unius moris*, Hebr. est יחידים *iechidim*, id est Primo *unicos:* ita Pagn. et Felix; *solitarios:* ita S. Hier. Sic autem sensus erit, q. d. Qui habitare facit unicos et solitarios, destitutos aliorum auxilio: facit, inquam, habitare in domo sua sine timore et periculo; quia ipse pater orphanorum eos protegit. Vel sensus est, q. d. Facit ut qui unicus erat et solitarius multam prolem procreet, atque integram sibi familiam efficiat: ita Chaldæus, qui vertit: *Deus est qui copulat coniugia unica cum filio legitimo, simul ut ædificet domum ex eis.* Ubi adverte, quod Hebræis ædificare domum alicui, significat, dare illi prolem numerosam, et divitem atque diuturnam. Hinc Deus remunerans charitatem Ægyptiarum obstetricum, quæ noluerant interficere mares Hebræarum mulierum, ædificavit eis domos, Exod. 1. 21. id est, ut explicat Cornelius, dedit eis prolem et progeniem numerosam, honoratam, insignem, longævam et diuturnam. Symmachus vertit, δεδωκε μοναχοις οικειν οικιαν, *dedit monachis*, hoc est solitariis, *habitare domum;* quod non incommode ad Religiosos traduces, qui relicto mundo sibi et Deo vacant. Sed videant, ut sint unius moris, sicut sunt unius vestitus. Secundo enim, *iechidim* melius hoc loco Noster vertit, *unius moris;* S. Aug. *uniusmodi*, id est, ut Psalt. Vatican. habet, *unanimes*, unius sensus, mentis, voluntatis et affectus. (Sensus huius loci.) Hoc primo Lorinus exponit de concordia fidelium in primitiva Ecclesia, ut dicitur Act. 4. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una;* secundo, et magis consequenter, id de Ecclesia in cælo triumphante cum Christo hic intelligendum est: ibi est vere שלום *scialom*, id est, *pax perfecta*. Hebræi nomine pacis omne bonum intelligunt. Et vero, ubi pax est, ibi omne bonum est: ubi rixæ, dissensiones, bella, ibi omnis est miseria. (In cælo est vera pax.) *Scialom* deducitur a radice *scialam*, id

A est perfecit, complevit. S. Chrysolog. eam vocat stabile fundamentum Religionis. Verba eius sunt serm. 149. *O quam*, ait, *desiderabile nomen pacis, quam Religionis Christianæ stabile fundamentum, et altaris dominici cælestis ornatus.* Si pace tamquam basi mundus nititur, stabilis est. Simeon Gamalielis filius, ut habemus in Pirke avoth: *Super tria*, inquiebat, *firmatur mundus: super iustitiam, super veritatem, super pacem.* In cælo supra ventos ac turbines, atque nubium tonitrua, siti sunt sancti Dei; factus est in pace locus eorum, et habitatio in Sion, unde speculantur bella nostra, velut pugnas formicarum. In Olympi montis vertice, ne pulvis quidem vento movetur; in vero Olympo, ubi vera lux est Dei, erit aliquis turbo qui Sanctos interturbet?

TERTIUM, Christi gaudium in triumpho ascendentis, fuit liberatio captivorum, v. 8. QUI EDUCIT VINCTOS IN (cum) FORTITUDINE: SIMILITER (id est, et) EOS QUI EXASPERANT, QUI HABITANT IN SEPULCRIS. 38. Vers. 8. Primo, pro *in fortitudine*, Hebr. est בכושרות *bacoscerot*, in compedibus, ut B R. David et Arias vertunt, atque Vatablus; 2. in congruentiis, ut Clarius: id est, in opportunitatibus; 3. et melius, in fortitudine, ut Noster, et S. Hieron. S. Cyprianus lib. 2. legit, in virtute, id est cum robore. Sept. εν ανδρια, id est, cum virili fortitudine; 4. Syr. cum prosperitate.

Secundo, pro *qui exasperant*, Hebr. est סוררים *sorerim*, hoc est rebelles: ita Felix; increduli: ita Hier. perfidi, desertores: ita Campensis. Rebelles autem, immorigeri et contumaces ad iram maxime provocant regem ac dominum suum: ideo *sorerim* vertit Noster, *qui exasperant*. S. August. *amaricantes*. Lorinus reddit, perversos, refractarios, rebelles, recedentes, contumaces, immorigeros, intractabiles, indisciplinabiles, avertentes se ab alterius imperio, vel a consuetudine quos Apostolus nominat, υιους απειθειας, filios diffidentiæ. S. August. Græcum παραπικραινοντας Ephes. 22. melius expressit per *amaricantes*, qui aliter dici possunt exacerbantes, id est ad amaram iram concitantes. (Contumaces et rebelles Deum ad iram incitant amaram.) Omnis quidem peccator Deum natura dulcem ad amaritudinem adducit, et facit sibi ama- C rum, ut S. Hieron. docet: at is præsertim, qui contumax est et rebellis, de quo apud Ieremiam c. 2. 19. Deus ipse. *Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.* De talibus quoque loquitur Paulus Hebr. 3. 8. verbis psalmi 94. 8. qui obdurarunt corda sua, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto: id est, sicut in die tentationis: et audientes exacerbaverunt: ubi est παραπικρασμος et παραπικραινω. Apud Oseam cap. 12. 14. loquitur etiam Deus: *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis;* et apud Ierem. cap. 31. 21. *Pone tibi speculam, constitue tibi amaritudines:* id est, considera peccata idololatriæ tuæ, quibus ad iracundiam me provocasti. Et Petrus Simoni Mago dicit Act. 8. 23. *In felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse.* Et in Thren. cap. 3. 42. est: *Ad iracundiam provocavimus.* Hebr. מרינו *marinu*, provocavimus ad amaritudinem. Postremo, quoddam D iracundorum extremum genus est, quos vocat Aristoteles 4. Ethic. 5. *amaros*, qui difficile placantur, et longo tempore sunt sub ira.

Tertio, pro *qui habitant in sepulcris*, Hebr. est, qui habitant צחיחה *tsechicha*, id est siccitatem, locum siccum. S. Hier. vertit, in siccitatibus. Pagn. in sicco. Rabbi David et R. Abraham, in loco arido et sicco. Vox צחיחה *tsechicha*, significat primo candidum, limpidum et nitentem. Secundo, aridum et siccum. Tertio, eminentem et elevatum; quia ut plurimum locus altus caret herbis et gramine, sicque est glaber, nitidus et aridus.

Nota, το *similiter eos qui exasperant*, includendum est parenthesi, sicque sensus erit facilis et planus, q. d. In fortitudine sua Christus in cælum ascendens eduxit vinctos, qui habitabant in sepulcris, id est in ergastulis, et eduxit illos ipsos, qui eos exasperabant suis peccatis, sed per pœnitentiam mortui erant in gratia. Sepulcra porro 39. (Sensus huius versus.)

vocat limbum, qui erat lacus sine aqua, ubi manebant omnes qui erant mortui in gratia Dei ante Christi in terras adventum, et unde eos eduxit resurrecturus a mortuis, atque in cælum secum ducturus, sive tota vita fuissent innocentes, sive post admissa peccata resipuissent. Ubi adverto, hic alludi ad liberationem e captivitate Ægyptiaca, ubi Hebræi dira passi erant in carceribus et variis tormentis. Et tamen Deum sæpe exasperaverunt suis peccatis, tum in Ægypto, ubi fuerunt multi ex illis idololatræ: tum in deserto, ubi sæpe contra Deum murmuraverunt. Vel, *per eos qui exasperant*, alludit ad vulgus promiscuum Ægyptiorum, quod cum Hebræis transivit mare rubrum, ut illis serviret, et in terram promissam pergeret. Illud enim Ægyptiorum vulgus facile murmurabat, et suspirabat ad carnes et ollas Ægypti.

40. *Comitatus Christi in cælos ascendentis.* Nota secundo, currum triumphatoris Romæ sequebantur omnes, qui ab hoste per ipsum erant erepti, et pristinæ libertati redditi, ut docet Livius lib. 33. Sequebantur autem pileati, quia pileus apud ipsos erat symbolum libertatis. Christum vero ascendentem in cælestem montem, comitabantur liberati non solum pileati, sed etiam coronati, et suas coronas immarcescibiles tota æternitate servaturi. Cælum sedes est libertatis, nullæ ibi sunt catenæ, nulli compedes. De loco unde educuntur, ait Propheta Zacharias cap. 9. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui*, id est sanguine tuo in cruce fuso, quo sancivisti testamentum et fœdus novum de æterna hæreditate danda hominibus, *emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*. Lacus in quo non est aqua, est limbus Patrum, ut docent sancti Patres et Doctores citati a Bellarm. lib. 4. de anima Christi, cap. 11. De loco in quem Christus ascendens deducit servos suos liberatos, dicitur in psalmo nostro v. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem*, id est captivos. S. Athanas. sermon. de Assumpt. Christi: Quasi, ait, permutatione facta cum terrenis commerciis, cælum calcandum præbet hominibus. Non enim decebat eum, qui mortem vicisset, humanum genus relinquere, θανατου χωριοις, in regionibus mortis: ita Athanasius.

41. *Peccator est ligatus.* Tropol. *Vincti*, sunt peccatores ligati peccatis suis: *Qui habitant in sepulcris*, sunt ii, qui consuetudine peccandi, et obduratione mentis, in profundum peccatorum venerunt, et cum Lazaro iam fœtent: ita S. August. qui legit: *Amaricantes qui habitant in sepulcris*, et addit: *Isti amaricantes qui habitant in sepulcris, in eo genere sunt, quod alio loco Scriptura significat, dicens Eccl. 17. 27. A mortuo, velut qui non sit, perit confessio. Unde est illud, Prov. 18. 3. Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit.* A Christo petenda est solutio a vinculis: illam Luc. 13. pro se obtinuit mulier, quam alligaverat satanas decem et octo annis, et erat inclinata, et incurvata in terram. Eam ab eo petant iusti, pro obstinatis et omnino iam mortuis, sicut Maria et Martha pro fratre suo Lazaro iam quatriduano mortuo, et iam habitante in sepulcris, atque ligato manus et pedes institis: id est fasciis funereis et sepulcralibus, quin etiam facie sudario ligata, Ioan. 11. Peccator mortuus nec ambulare, nec operari, imo nec respicere potest. Explicare possis hanc liberationem peccatoris per Christum, per liberationem captivorum factam a variis Sanctis. Unam invenies mirabilem in Actis martyrum Edessenorum.

Solutionem a vinculis et catenis mirabilem habes in vita S. Emerici filii S. Stephani regis Hungariæ. Vide Surium tom. 6. mense Nov. die 4. Unam refero liberationem a carcere et catenis, quæ facta est per S. Leopoldum Austriæ Marchionem et Confessorem. Eam habet Franciscus Patavus, Advocatus consistorialis, in eius vita: Ioannes, ait, scholasticus Pataviens. diœcesis, annos quadraginta natus, pedibus manibusque ligatus catenis, atque ab hostibus, uno pede adstricto, non sine ingenti dolore pedum, et carnium ruptura: recurrens ad benemerita Leopoldi, liber a carceribus, a gemitu et catena fit. S. Leonardus præcipue vim habuit ad liberandos captivos: adeo ut si quis in carcerem coniectus, eius nomen invocaret, ruptis catenis, nullo impediente, liber abscederet, sicut legitur in Vita eius 6. Novembr. Inde accidit, ut multi etiam ex longinquis regionibus a vinculis et carceribus per eum liberati, ad illum venirent, et compedes atque catenas secum afferrent, ad eius sese pedes humiliter abiicientes: e quibus etiam non pauci, apud eum manebant, se illi servos offerentes; sed vir Dei illis potius servire studebat, partem eis sylvæ distribuens, ut consuescerent agriculturæ operam dare, et inde sibi parare victum, non inhiare prædis: ne rursus in vincula coniicerentur, atque in obscuros carceres: ita eius vita. Christi est proprium animas libertate donare. Galat. 5. 13. *Vos in libertatem vocati estis, fratres.* Et cap. 4. 31. dixerat: *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit.*

SECTIO SECUNDA.

42. *Tria complectitur. Primo, mannæ donationem factam Israelitis, vers. 9. Secundo, donationem Spiritus sancti omnibus populis, v. 11. Tertio denique, felicitatem eorum, qui illius doctrinæ et ductui adhæserint, v. 13.*

PARAPHRASIS.

9. *Deus cum egredereris in conspectu populi tui: cum pertransires in deserto.*

9. Cum ex Ægypto egressus es Deus, atque in oculis populi tui, quem educebas, apparuisti in columna nubis et ignis, eumque per desertum totos annos quadraginta traduxisti.

10. *Terra mota est, etenim cæli distillaverunt a facie Dei Sinai: a facie Dei Israel.*

10. Non tantum populus tuus e servitute liberatus, sed circumiectæ etiam nationes potentiam tuam admiratæ sunt, cum in Sina apparens cæleste manna per angelos efformatum demisisti.

11. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, et infirmata est: tu vero perfecisti eam.*

11. Nunc autem, cum in supremo aulæ tuæ palatio et locuplete ærario verseris, pluviam Spiritus sancti, et Evangelicæ doctrinæ, ac donorum, et quidem copiosam atque munificam, secernes Ecclesiæ tuæ. Nam variis incommodis agitata est: tu vero eam perficere et cælestibus thesauris locupletare statuisti.

12. *Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

12. In ea Ecclesia oves tuæ sedem sibi et pascua conquirent: ibi vel pauperrimi, atque ab omni auxilio destituti, ubertatem et suavitatem gratiarum sibi tua benignitate paratam comperient.

13. *Dominus dabit verbum evangelizantibus: virtute multa.*

13. In eadem Ecclesia, tu Domine orbis terræ, Apostolis tuis atque præconibus divina eloquia suggeres; quæ tantæ erunt potestatis, ut vel obstinatissimos convertant.

14. *Rex virtutum dilecti*

14. Tu Rex es exercituum amantissimi patris tui, qui his te omnibus præfecit: tu

dilecti: et speciei domus dividere spolia.

speciosæ Ecclesiæ tuæ, quam ex omnibus domum tibi secrevisti, concedes hostes suos gladio verbi tui superare, et spolia pro voluntate alumnis suis partiri, ad decus et ornamentum suum.

15. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: et posteriora dorsi eius in pallore auri.*

15. Vos vero, tanti Imperatoris milites, timorem omnem deponite. Si enim vel medias inter sortes summaque pericula maneatis, neque evadendi ulla via pateat: vobis erunt pennæ columbæ, cuius collum argenteo colore, dorsum aureo, sed subpallido rutilat: quibus pennis in sublime elati discrimen evadatis.

16. *Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: mons Dei mons pinguis.*

16. Et dum Salvator iam in cælos evectus hæreditati suæ et Ecclesiæ Apostolos et Prælatos distribuit, qui eam verbo et operibus regant, pennæ vestræ columbinæ niveo candore emicabunt in excelso Ecclesiæ loco, ad quem, velut ad celsum montem Selmonem, vestra vos virtus eriget.

17. *Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid suspicamini montes coagulatos?*

17. Neque mirum est, si tantis in eo monte gratiis abundetis, cum sit mons Dei, et omni cælestium bonorum pinguedine abundans. Mons ille, omnesque eius varii colles, floribus omnibus herbarumque thoris ornatur, et divinæ gratiæ lacte semper pinguescit. Cur vero putatis, me dicere hunc Selmonem montem, qui ob varios colles multorum est instar montium, pinguedine abundare.

18. *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.*

18. Hæc una ratio est, quod hunc montem, Ecclesiam scilicet suam, sibi Deus elegerit, in quo habitaret, et quem locupletaret. Et quidem non ad unum aut alterum diem, sed in omnem æternitatem, eo in monte virtutibus et cælesti doctrina in cælum usque erecto, habitabit.

QUÆSTIO UNICA.

Quam iucundus et efficax est Ecclesiæ Spiritus sanctus.

43. Ordo Sectionis. Sectione superiori triumphatorem Christum trepidantibus dæmonibus, et plaudentibus sanctis, tum angelis, tum hominibus, in cælos euntem prosecuti sumus. Nunc videndum est, quam liberali manu dona exercitui suo distribuat, atque spolia dividat; Spiritum enim sanctum emittit, qui Apostolos edoceat.

Primo autem, hoc illustrat Mannæ typo, quo figurata est donatio Spiritus sancti, et gratiarum eius: 1. tempus assignat, quo Iudæis donatum est manna, vers. 9. *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto;* 2. comitantia donationem illam, v. 10. *Terra mota est;* 3. locum declarat, unde manna defluxit: *Etenim cæli distillaverunt;* 4. denique auctorem tanti doni ait fuisse Deum, qui in monte Sinai apparuit, et legem populo suo dedit: *A facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.*

Secundo, veritatem adaptat figuræ, et docet Christum in cælos ascendentem demisisse in Apostolos et fideles Spiritum sanctum, cælestis instar pluviæ, v. 11. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* Rationes quatuor illius demissionis affert: 1. ut sterilitatem terræ suæ amoveret: *Et infirmata est;* 2. ut illam perficeret, ac floribus frugibusque exornaret: *Tu vero perfecisti eam;* 3. quia in illa hæreditate erunt oves eius et armenta, v. 12. *Animalia tua habitabunt in ea;* 4. denique, quia nisi o cælo pluat, oves illæ sibi providere non possunt: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

Tertio, Christus triumphator hostium spolia dividet, et duces suos ac milites virtutum ornamento decorabit, per Spiritum sanctum. Nam Apostolis dabit virtutem miraculorum, et divinæ eloquentiæ, v. 13. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.* Potest autem illam vim dare, cum sit Rex cælestium exercituum, v. 14. *Rex virtutum dilecti dilecti.* Non Apostolis tantum, sed reliquis iustis, qui fuerunt domus Dei, id est eius Ecclesia, partem spoliorum dabit: *Et speciei domus dividere spolia.*

Quarto, spoliis illis ac donis locupletati fideles in virtute proficient, si in Ecclesia manserint. Primo enim, erunt securi in mediis periculis, v. 15. *Si dormiatis inter medios cleros.* Secundo, per varias virtutes erunt instar columbæ Deo placentis: 1. habebunt pennas contemplationis et spei: *Pennæ columbæ;* 2. fide, erunt argento puriores: *Deargentatæ;* 3. charitate, auro pretiosiores: *Et posteriora dorsi eius in pallore auri;* 4. puritate et innocentia, erunt nive candidiores, cum Prælatis suis se subdent, vers. 16. *Dum discernet cælestis reges super eam, nive dealbabuntur.*

Quinto denique, hæc dona dari docet in Ecclesia, quam comparat Selmoni monti: *Nive dealbabuntur in Selmon.* Montem autem illum describit. Primo, ab eius possessore, v. 17. *Mons Dei.* Secundo, ab ubertate: *Mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis.* Explicat denique, unde oriatur, ut mons ille sit tantæ fertilitatis. Hoc autem facit suo more eleganter. Per interrogationem petit, unde oriatur illa fertilitas montis Selmonis, et collium eius? *Ut quid suspicamini, montes coagulatos?* Deinde, per subiectionem sibi respondet: hoc inde accidere, quod Deus in eo maneat, v. 18. *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Tempus autem mansionis dicit æternum fore: *Etenim Dominus habitabit in finem.*

ARTICULUS I.

Spiritus sanctus est manna divinum, et pluvia cælestis.

Christus triumphator noster, varia iam Apostolis suis et militibus dona dederat ante pugnam, et in pugna, partaque per crucem victoria. Multa quoque concesserat angelis et Sanctis secum triumphantibus, et cælum ascendentibus, antequam in illud intraret, et in throno suo sederet. Sed tum demum donum donorum fontem et originem, nempe Spiritum suum effudit, cum ad montem illum excelsum ascendens sedit ad dexteram Patris, et totius orbis Rex ac Dominus declaratus, coronatus et adoratus est. Tunc enim Spiritum sanctum veluti pluviam fœcundam, demisit in totam Ecclesiam.

Typum autem illius doni commemorat, nempe donationem mannæ, statim post exitum ab Ægypto, v. 9. Deus cum egredereris in conspectu populi, cum pertransires in deserto. *Egreditur Deus*, pertransitve, sicut et exurgit, propter novum effectum (ducis instar aut pastoris, etc.) quem alicubi operatur, qui nullo abest loco. Secundo, R. Moses lib. 1. director. dubior. c. 23. ait, *egredi Deum* dici, quando magnum parat de aliquo supplicium, vel aliquo opere potentiam, quæ prius abscondita videbatur, erigit: S. Hier. in c. 26. Isaiæ, et in cap. 5. Michææ, dicit *Deum egredi*, cum vult ultionem sumere, quod est alienum ab eius ingenio: id est, a benignitate. Quiescit veluti domi Deus, nec nisi lacessitus foras exit. Hinc Isaias cap. 26. 21. *Ecce enim Deus egreditur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum.* Et in Ps. 43. 10. *Non egredieris Deus in virtutibus nostris:* id est, cum nostri exercitus pugnaverint. Sic igitur nunc egredi dicitur Deus in conspectu populi, ut nempe illius adversarios perderet: ita Lorin. Sed nullo modo arbitror dici hoc loco Deum egredi, eo quod esset puniturus hostes Hebræorum; agit enim de donis datis. Tertio itaque, clare et facile: Deus dicitur egressus cum Israelitis ex Ægypto: sicut dicitur cum illis pertransisse in deserto, nempe per angelum, qui eius personam sustinebat: unde tamquam legatus Dei lo-

(Margin: 44. Vers. 9. Egredi Deum quid sit? 1. 2. 3. Et optime.)

quebatur, perinde ac si Deus esset. Exod. 33. 2. *Mittam præcursorem tui angelum, ut eiiciam Chananæum, et Amorrhæum, etc. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es.* Hac dicit iratus ob adarationem vituli aurei. Angelus ille primarius, qui legem dedit, et populum duxit ac direxit, videtur fuisse S. Michael, qui erat præses synagogæ, sicut nunc est Ecclesiæ.

45. Quid in illa egressu acciderit, declarat: nempe, terram
Vers. 10. esse motam, et cælos pluisse, v. 10. TERRA MOTA EST, (cum obtriti sunt Ægyptii in mari rubro, ut alias ostendi; 2. et præcipue, cum data est lex in monte Sinai, ut habetur Exod. 19. 18. *Eratque omnis mons terribilis.* Chald. vertit, et contremuit totus mons. Septem terribilia, cum daretur lex in monte Sinai, refert ibi Cornelius) ETENIM (Hebr. אף *aph*, id est, etiam) CÆLI DISTILLAVERUNT A FACIE DEI SINAI: A FACIE DEI ISRAEL. Quomodo cæli stillaverunt? Primo, R. David Kimhi sumit pro aeris offuscatione contra hostes, et pro ingentibus pluviis, quibus oppressus est Sehon rex Amorrhæorum. Secundo Cornelius noster Exod. 19. 18. exponit de pluvia, quæ simul cum B terræ motu inter ignes et fulgetras extitit, ut etiam Iosephus testatur. Tertio denique, et melius, cæli, id est aer, distillaverunt manna, quod pluvia vocatur Ps. 77. 23. et
Manna seqq. *Mandavit nubibus desuper, et ianuas cæli aperuit.*
cur vocetur pluvia? *Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cæli dedit eis. Panem angelorum manducavit homo.* Exod. 16. 4. vocatur pluvia de cælo: *Dixit Dominus ad Mosen: Ecce, ego pluam vobis panes,* id est manna, *de cælo.* Manna autem recte pluvia vocatur, Primo, quia instar pluviæ ex aere defluebat. Secundo, quia cum manna dabatur, duplex ros cadebat, primus quidem tegebat terram instar pruinæ concretus et conglaciatus, ne manna fœdaretur terra, deinde super illum rorem cadebat manna, ad extremum ros alius cadens tegebat manna, ita ut tam inferne quam superne esset inclusum intra rorem, velut thecam, sic docent Rabbini, et Oleaster atque Caietanus: rorem tamen illum superiorem probabilius non admittunt alii, ad quid enim cecidisset? nihil enim erat quod manna inquinaret: C cum statim ut lapsum erat, colligeretur, aut ad solis orientis radios evanesceret.

46. Allegor. S. Aug. sic explicat terræ motionem, et cælo-
Allegor. rum distillationem: *Ut terra mota esset ad fidem, cum in desertum Gentium transiret Evangelium, cæli distillaverunt a facie Dei. Hi sunt cæli, de quibus Ps. 18. canitur: Cæli enarrant gloriam Dei. De his quippe paulo post ibi dicitur: Non sunt loquelæ, neque sermones, quarum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Nec tamen istis cælis tanta gloria tribuenda est, tamquam ab hominibus illa gloria venerit: ut desertum, id est gentium terra, moveretur ad fidem. Non enim cæli a seipsis distillaverunt, sed a facie Dei, ubique inhabitantis eos, et facientis eos inhabitare unius moris in domo:* ita Augustinus.

47. Post mentionem mannæ dati Hebræis in deserto, me-
Vers. 11. 1. Pars. minit doni maioris David, nempe pluviæ voluntariæ datæ a Christo in cælis triumphante, et toti suæ Ecclesiæ providente, v. 11. PLUVIAM VOLUNTARIAM SEGREGABIS DEUS D HÆREDITATI TUÆ, ET (id est, *quia:* pro illa enim particula sæpe sumitur *et* in Scriptura) INFIRMATA EST: TU VERO PERFECISTI EAM. Pro *pluviam voluntariam,* Hebr. est, pluviam נדבות *nedaboth,* id est Primo, spontaneitatis, liberæ voluntatis. Secundo, liberalitatis, munificentiæ; unde Arias vertit: *Pluviam munificentiarum elevare fecisti Deus hæreditatem tuam.* Tertio, principatus, q. d. Pluviam principalem dabis Deus hæreditati tuæ.

Pluvia voluntaria est doctrina cælestis. Quæres, quænam est hæc pluvia voluntaria, munifica et principalis? Primo pluvia illa, est cælestis doctrina et prædicatio. Sic Moses dicebat Deut. 32. 2. *Concrescat,* Hebr. stillet; Chald. suavis sit, *ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillæ super gramina.* Recte comparatur doctrina cælestis, pluviæ, 1. quia e cælo est. Matth. 23. 8. *Nolite vocari Rabbi, unus est enim magister vester.* Secundo, quia A refrigerat æstum concupiscentiæ. Eccl. 18. 16. *Nonne ardorem refrigeras ros.* Tertio denique, terram fœcundat et germinare facit. Isaiæ 55. 10. *Quomodo descendit imber, et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Hoc videri patest in conversione totius orbis per prædicationem Apostolorum, per quam deserta gentium irrigata cælesti imbre, herbas et flores virtutum producunt. Si psalmi verbis insistis, cæli, id est Apostoli et concionatores, *distillant,* id est guttatim eam pluviam demittunt, ne multitudine et magnitudine mysteriorum mentem obruant, sed paulatim in eam se insinuent, eamque pervadant. Abbas Pimenion cuidam conquerenti, quod verbum Dei, licet magno teneretur eius desiderio, complecti tamen non posset, respondit: *Mollis admodum natura est aquæ, lapidum autem durities est ingens: attamen, dum guttatim in durum decidit silicem, tandem eum perforat. Ita et verbum Dei molle et dulce est, corda autem nostra dura sunt, minusque eius capacia. Eius autem cor, qui frequenter et sedulo verbum Dei audit, tandem emollit, sic ut eius suavitatem et fructum plene percipiat.*

Secunda, *pluvia voluntaria,* quam segregavit Deus hæ- Et lex
reditati suæ, est lex ipsa quam dedit in monte Sinai; eam Dei.
enim cæli distillaverunt a facie Dei, ut terra moveretur. Et ipse est terræ motus, cum conturbantur homines, quia legem implere non possunt. Pluviam illam segregavit Deus hæreditati suæ: quia non fecit sic ulli genti, et iudicia sua non manifestavit eis: ita S. Augustinus.

Tertia, et commodius, *pluvia voluntaria* quam segrega- Atque
vit Deus hæreditati suæ est gratia. De convenientia aquæ eius gra-
et gratiæ dixi psal. 1. 3. Pluvia illa dicitur voluntaria, quia tia.
Primo, ut ait S. Augustin. nullis præcedentibus operum meritis datur. Si enim gratia, iam non ex operibus: alioquin, gratia iam non est gratia. *Non enim dignus sum,* inquit, *vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei: gratia autem Dei sum id quod sum.* Hæc est pluvia voluntaria. Voluntarie quippe genuit nos verbo veritatis, hæc est pluvia voluntaria. Inde alibi dicitur, Psal. 5. 13. *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Istam pluviam cum Deus transiret in deserto, id est prædicaretur in gentibus, cæli distillaverunt, non tamen a seipsis, sed a facie Dei: quoniam et ipsi gratia Dei sunt id quod sunt: ita sanctus Doctor. Secundo, gratia dicitur pluvia voluntaria, ob liberum arbitrium illam libere recipiens: neminem enim cogit: sed a montibus eam reiicientibus defluit in valles, et terras sinum suum illi pandentes.

Quarto denique, et optime, *pluvia voluntaria,* munifica, 48.
et principalis Christi, quam e cælis demisit ascendens in Et præci-
cælum, et in throno suo sedens, est Spiritus sanctus, de pue Spi-
quo Propheta Ioel cap. 2. 28. *Effundam spiritum meum su-* ritus san-
per omnem carnem. Et Isaias cap. 44. 3. *Effundam aquas* ctus.
super sitientem, et fluenta super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. Et Christus ipse Ioan. 7. 38. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Quod Ioannes explicans subdit: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* S. Bern. serm. 2. in Pentecoste: Hodie, inquit, dilectissimi, cæli distillaverunt a facie Dei Sinai, et a facie Dei Israel, et pluvia voluntaria segregata est hæreditati Christi. Spiritus enim sanctus largiori munere suæ maiestatis in Apostolos supervenit, et tribuit eis charismatum dona: ita Bernardus. Neque dicas Spiritum sanctum cecidisse in eos instar pluviæ igneæ: ignis enim hic aquam non impedit. Aristot. de admiran- E petra
dis auscultationib. cap. 109. In Carthaginensium ditione, ignis et
ait, in monte Gonio iuxta fontem nascitur petra magnitu- aqua.
dine non exigua, quæ æstate flammam igneam emittit: per hyemem vero, ex eadem petra rivus aquæ salet defluere: neque hoc fit per exiguum tempus, sed per universam æstatem scatet ignis: per reliqua omnia anni tempora a-

quæ erumpunt. Spiritus sanctus est ignis in Apostolos depluens, et aqua simul eodem tempore fluentis gratiæ ipsos reficiens, ut canit Ennodius Panegyr. in S. Epiphanium, his versibus:

Qui cuncta videt, quem cuncta tremiscunt,
Fons, via, flamma, lapis.

49. *Spiritus sanctus est cælestis pluvia, et cur.* Nota, Spiritus sanctus vocatur pluvia. Primo, quia e cælo venit. Unde ipso in Apostolos descendente, fit de cælo sonus, Act. 2. Caro nostra per Ascensionem Christi in cælos ascendit, et per demissionem Spiritus sancti venit in terras spiritus, ut fieret divinum inter utraque commercium. S. Bern. serm. 3. in Pentec. *Quidni,* ait, *fidelissimum fieret gratissimumque commercium, inter cælum et terram: inter Angelos et Apostolos, ut exhiberetur illis caro Christi, istis vinum cæli, essetque in terra spiritus, caro in cælis, ac deinceps omnia omnibus communia in æternum.* Cælestis totus est hic spiritus, Deus enim est. S. Hilar. in serm. de Trinitat. Deus plenus, ait, ex Patre et Filio procedens: Zaga Zabo Æthiops in confessione fidei: *Spiritus sanctus est Deus.* Deus unus, qui ex Patre et Filio procedit. Concil. Tolet. 4. cap. 1. dicit, eum esse unius Deitatis atque substantiæ cum Patre et Filio. Concil. Tolet. 6. cap. 1. unius essentiæ, virtutis, maiestatis, et potestatis uniusque naturæ. Concil. Wormatiense in confessione fidei, sic loquitur: Unum et æqualem cum Deo Patre et Filio credimus esse Deum, unius substantiæ, unius quoque naturæ. Leo Nonus epist. ad Petrum Antiochenum: Plenum, ait, et perfectum, verumque Deum a Patre et Filio procedentem, coæqualem, et coessentialem, et coomnipotentem, et coæternum per omnia Patri et Filio. Alcuin. lib. 2. de Trinitat. cap. 19. Cum Patre et Filio æqualiter adoratur: quia æqualiter Deus est. S. August. lib. 1. de Trinit. cap. 6. Patri et Filio, inquit, prorsus æqualis, et in Trinitatis unitate consubstantialis et coæternus. S. Eucher. Lugdun. hom. de SS. Trinitate: Spiritum sanctum, ait, cum Patre et Filio unum Deitatis noveris habere privilegium, quem personæ vides obtinere ius proprium. S. Eugenius Carthagin. de ratione fidei ad Hunnericum: Spiritum sanctum, inquit, Patri et Filio consubstantialem credimus, coæqualem, et coæternum.

Secundo, Spiritus sanctus est pluvia *voluntaria,* tum ex parte Spiritus sancti, qui per voluntatem Patris et Filii procedit, et est amor essentialis: tum ex parte Christi et Patris, qui cum summa charitate ad nos mittunt. Nam sicut dicitur Ioan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret,* etiam dici potest, *ut Spiritum suum daret:* præsertim filio suo ab hominibus crucifixo. Ubi adverte, quod pluvia illa voluntaria fuit pluvia *nedaboth,* id est, Primo, ut explicui supra, *munificentiarum.* Vincentius Burgundus prima parte Speculi, cap. 2. Ex summa, inquit, liberalitate oportuit summum bonum procedere. Rainerus Pisanus in Panthologia de Spiritu sancto, cap. 3. vocat Spiritum sanctum, summum bonum et donum. Secundo, Spiritus sanctus est pluvia *nedaboth,* id est principatus, seu principalis, et regia, Deus enim est. Vide dicta Ps. 50. 14. ubi actum est de spiritu principali. Spiritus mittitur quidem a filio, sed est ei consubstantialis. S. Greg. Nazianz. orat. 49. Misit, inquit, nobis Christus Spiritum sanctum de propria sua, et ex una eademque substantia, protectorem, signatorem, et ductorem in vitam æternam. S. Gregor. Neocæsar. Episcopus, cognomento Thaumaturgus, in confessione fidei, vocat illum filii imaginem. Per filium, inquit, apparuit imago perfecta filii perfecti. Bessarion Episcop. Nicæn. in oratione dogmatica, habita ad Græcos in synodo Florentina, cap. 7. Mittitur, ait, ex Filio ipsa Spiritus hypostasis, quæ et a Patre procedit. S. Cyrill. Alex. de recta fide ad Theodos. Imperat. Immittit Christus Spiritum baptizatis, non alienum, sed eum, qui ex illo, et per illum est. S. Gregor. Niss. hom. 3. in orat. Dominicam, Spiritus filii dicitur, quia ab eo accipit, ab eoque procedit, et ex eo est, sicut ex Patre. S. Fulgentius respons. contra Arrianos: Unus est atque idem Patris et Filii spiritus, totus de Patre procedens, totus in utroque consistens: nec est divisus in singulis, quia inseparabiliter est utrique communis.

Tertio denique, Spiritus sanctus est pluvia *voluntaria,* quia volentes irrigat, refrigerat, reficit et fœcundat. Ps. 118. 131. *Os meum aperui, et attraxi spiritum.* Lege S. Chrys. serm. 1. et 2. de Pentecoste, tom. 3. et quæ dixi Ps. 50. 12. et seqq.

Tres præsertim effectus Spiritus sancti hoc loco ponit David. Primo, quod Ecclesiam perficit. Secundo, quod eam ita fœcundam reddit, ut alumnos suos pascat. Tertio denique, quod illam dulcedine compleat. 50. *Spiritus sancti tres effectus.*

Ac primo, ut Ecclesiam seu animam, particularem perficiat, duo facit. Primo, infirmam et languentem reficit. Secundo, eam adauget ac perficit: sicut pluvia herbas aut arbores morientes vivificat primum, deinde crescere atque florere facit. Dicit itaque David: ET, id est quia, INFIRMATA EST: TU VERO PERFECISTI EAM. Chald. vertit, Ecclesiam laborantem tu erexisti.

Primo igitur, Spiritus sanctus Ecclesiam seu animam infirmam vivificat et sustentat. S. Martial. epist. ad suos Burdegalenses, agens de Spiritu sancto, sic loquitur: In quo omnia subsistunt. S. Cyrill. Alex. de recta in Deum fide, ad Reginas, lib. 2. vocat vivificum spiritum. Carolus Magnus epist. ad Elipandum Toletan. Vivificatorem omnium. S. Iacobus in sua Liturgia seu Missa, vivificantem et consubstantialem spiritum. Vide Ps. 32. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vim illius ad ablationem scelorum declarat S. Bern. serm. 1. in Pentecoste: Ad declinandum a malo, inquit, tria operatur in nobis: compunctionem, supplicationem, remissionem. Quod si a comparatione aquæ non vis recedere, audi S. Eucherium hom. de SS. Trinitate: *Spiritus sanctus,* inquit, *secreta et ineffabili potentia lavat culpas, infectas ad infectum redigit maculas, absolvit reas, et purificat conscientias, quarum solus emundator, solus est cognitor. Ipse ad regenerandas animas, steriles benedicit aquas: ipse sacri fontis irriguum illa qua dudum Mariam locupletavit, virtute fœcundat.* S. Cyrill. Ierosol. catech. 16. commoda comparatione utitur: *Sicut,* inquit, *aridum lignum aqua irrigatum flores emittit: sic et anima peccatrix, quæ pœnitentiam Spiritu sancto dignam reddit,* βότρυας ἐκφέρει δικαιοσύνης, *iustitiæ racemos progenerat.* Iure itaque appellatur a S. Ioan. Damasc. lib. 1. de fide orthod. c. 7. vis essentialis. Et ab Elia Cretensi in orat. 23. S. Gregor. Naz. essentialis potentia in propria et peculiari hypostasi considerata. A variis vocatur spiritus sanctificationis, spiritus adoptionis filiorum, spiritus revelationis, spiritus promissionis. Secundo, Spiritus sanctus ex infirmitate sua revocatam animam virtutibus perficit. Psal. 103. 30. *Emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* Hoc commode explicatur per varios et admirabiles effectus pluviæ: terram enim arentem et sitibundam una pluvia floribus innumeris exornat, et fructibus locupletat. S. Cyrill. catech. 16. fol. 180. *Paradisum totum,* ait, *fons unus irrigat, et una pluvia in universum descendit mundum, quæ alba quidem fit in spinis, rubra autem in rosis, purpurea vero in hyacinthis, ac in diversis speciebus diversa, et in omnibus fit omnia: cum ipsa nihilominus eadem, eiusdemque sit speciei. Neque enim seipsam transmutans pluvia, alia et alia descendit, sed cuicumque nodo sese adiunxerit, illi fit incrementum. Sic et Spiritus sanctus, cum sit unus et idem, et non divisibilis, unicuique,* διαιρεῖ χάριν καθὼς βούλεται, *dividit gratiam prout vult.* S. Chrysost. tom. 3. serm. de Ascens. alio simili utitur: *Elias,* ait, *ascendens, ovinam pellem super Eliseum demisit: Iesus autem ascendens, gratiarum dona in discipulos demisit, non unum Prophetam facientia, sed infinitos Elisæos, atque adeo illo multo maiores et illustriores.* Ita ipso Spiritus sanctus replet totam animæ domum. S. Bernard. sermon. 1. in Pentecostes: *Monet,* inquit, *memoriam, rationem docet, movet voluntatem.*

I. *Vivificat Ecclesiam.* (margin note beside the paragraph "Primo igitur")

Secundo, pluvia voluntaria, id est Spiritus sanctus, reddit terram, hoc est Ecclesiam, ita fœcundam, ut omnes 51.

Vers. 12. II. Spiritus sanctus iuvat omnes fideles.

in ea habitare et pasci possint, v. 12. ANIMALIA TUA (Hebr. חיתך *chaiatecha*, id est, *animal tuum*. Campens. armentum tuum. Arias, societas tua. Pagn. congregatio tua. Petavius exponit, ἴφια μῆλα, vegetæ oves) HABITABUNT IN EA, (pluvia scilicet voluntaria: ita S. Hilarius; 2. *in ea*, id est in hæreditate tua: ita idem sanctus Doctor, et melius) PARASTI IN DULCEDINE TUA PAUPERI DEUS.

Quæres, quænam sunt illa animalia? Primo, Hieronymus Osorius ait esse Hebræos etiam vilissimos, instar brutorum animalium imperitos. Non enim tantum Deus consulit doctioribus et sibi carioribus, sed omnibus abiectissimis. Sic Ps. 35. 8. ait David noster: *Homines et iumenta salvabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Secundo, S. Hieron. et Glossa interlinearis docent, animalia illa esse gentes mansuefactas et conversas. Illæ ostensæ sunt S. Petro in forma quadrupedum, serpentium, et volatilium, Act. 10. 12. S. Iustinus qu. 89. ad orthodoxos arbitratur in illo linteo fuisse sola animalia immunda. S. Hieron. in cap. 38. Ezech. putat, ibi fuisse animalia tam munda quam immunda. Tertio, *animalia* quæ habitant in hæreditate Christi, id est in Ecclesia, sunt angeli. Ita Chald. vertit: *Animalia tua collocasti in ea, præparasti exercitus cœtuum angelicorum, ut benefaceres pauperibus Dei.* Animalia vocantur angeli, Apoc. 4. 6. ubi dicitur: *Et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti.* Pererius et Hieron. Prado iure dicunt, hæc animalia esse quatuor angelos primarios, stipatores, principes et administratores Dei circa curam Ecclesiæ, et circa salutem et regimen hominum totiusque mundi: iidem visi sunt ab Ezechiele circa currum Dei, et ab eodem vocantur animalia, cap. 1. 5. Quarto, *animalia* illa quæ habitant in hæreditate Christi, seu Ecclesia sunt Apostoli. Ita Theodoretus, qui etiam notat, ipsos vocari equos a Propheta Habacuc cap. 3. 8. *Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio.* Hoc de Evangelistis explicat S. Augustinus. Sic quatuor animalia Ezech. 1. et Apocal. 4. visa, S. Hieron. S. Ambr. S. Greg. et multi alii explicant de quatuor Evangelistis.

Quinto denique, et optime, per animalia quæ habitant in hæreditate, seu Ecclesia Christi, intellige omnes fideles, qui etiam vocantur oves pascuæ Psal. 73. 1. et alibi. De illis habetur Ps. 76. 21. *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Mosi, et Aaron;* et Ps. 79. 2. *Deducis velut ovem Ioseph.* Totius Ecclesiæ ovibus sufficit Spiritus sanctus. Nam, ut loquitur Paschasius Diaconus Cardinal. qui floruit circa ann. 499. Spiritus sanctus nullis terminis con-

52. Spiritus sanctus est sol Ecclesiæ.

cluditur. Sapientiæ 1. 7. *Replet orbem terrarum.* Cassiod. in Psal. 138. ubique totus est. S. Bernard. serm. de passione: In orbem terræ profunditur, omnia repiens, omnia continens. S. Prosper epist. ad Demetriadem: Ubique totus est, et omnia comprehendit: sed ab illis modo quodam intelligitur recedere, quos destiterit gubernare. S. Cyrill. Ieros. Spiritum sanctum comparat soli totum orbem radiis suis illustranti. Sic enim ait catech. 16. fol. 186. *Perspice cuiuslibet nationis Episcopos, sacerdotes, diaconos, monachos, virgines, et reliquos laicos: et*, βλέπε μέγαν προστάτην, καὶ χαρισμάτων παροχόν, *vide magnum hunc præsulem, et gratiarum parochum* (id est exhibitorem), *quomodo in toto mundo alii quidem castitatem, alii virginitatem, alii studium paupertatis, alii vim repellendi adversarios spiritus tribuit: et sicut lumen, radii progressu, illuminat omnia: ita Spiritus sanctus eos, qui habent oculos, illustrat.* Quod si a similitudine psalmi nostri non vis recedere, Spiritum sanctum dic esse illum imbrem matutinum, et serotinum, promissum terræ sanctæ, Ioel. 2. 23. ubi sic habetur: *Filii Sion exultate, et lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, et descendere faciet ad vos imbrem matutinum et serotinum, sicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo. Et reddam vobis annos,*

A *quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca: Et comedetis vescentes, et saturabimini: et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum.* Doctor iu- 53.

53. Et fons paradisi irrigans totam terram.

stitiæ est Christus. Ubi adverte, Hebr. מורה *more* significare et doctorem et pluviam; unde quidam vertunt: Dedit vobis pluviam propter iustitiam. Si placet, Christus est pluvia matutina, Spiritus sanctus est serotina. Item, Spiritum sanctum compara fonti illi paradisi terrestris, qui fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ, Gen. 2. 6. Aquila enim, Chaldæus, et Hebræi aliqui, ac Molina, Pererius, Delrio, Hebræum איד *ed*, vertunt vaporem, quem scilicet sol e terra sursum vi sua attraxerit, qui postea noctis frigore concretus, in rorem et in humorem resolutus, terram eiusque germina irrigarit initio mundi, donec paulo post pluvias dedit Deus terræ, ad eam irrigandam. Hic ergo vapor et ros erat tunc loco pluviæ et humoris, quo plantæ recens creatæ foverentur: nam primos dies mundi decuit esse sudos et serenos. Ita illi apud Cornelium, qui tamen iure ipsis refragatur, et B censet cum S. Augustin. Philone, et Nicolao Papa ad Michaelem Imperat. per fontem, qui ascendebat de terra, intelligi fontes, rivulos et flumina, quæ ab una matrice et abysso, seu congregatione immensa aquarum late per totum orbem funduntur. Ad meam rem maxime facit S. Augustinus, qui ait lib. 5. Gen. ad litter. cap. 9. et 10. initio mundi proprie unum fuisse fontem, qui stato tempore instar Nili exundaret, et terræ germina rigaret. De hoc non disputo: sed vere R. Simeon, filius Iohai, in libro Zoar, vocat Spiritum sanctum fluvium et fontem, quo orbis irrigatur. Nam sic refert super illa verba, *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est: Ait Rabbi Ibba: Hic est, o Israel, antiquus Iehova, Deus, qui est principium omnium rerum, antiquus antiquorum, hortus radicum, et omnium rerum perfectio, et dicitur pater Deus noster. Profunditas fluminum, et fons scientiarum, quæ procedunt ab illo patre et filio, vocatur Iehova Deus. Hic est Spiritus sanctus, qui a duobus procedit, et vocatur mensura vocis: unus est,* C *ut unum concludat et colligat.* Gratiarum varietatem et multiplicitatem ab eo Spiritu donatarum exponit S. Gregor. Naz. orat. 26. fol. 450. *Spiritus quidem unus est, non autem pares gratiæ: quandoquidem nec paria,* δοχεῖα πνεύματος, *conceptacula Spiritus, Alii enim per Spiritum datur sermo sapientiæ, etc. Hunc ordinem revereamur, o fratres, hunc tueamur et conservemus. Alius auris sit, alius lingua, alius manus, alius aliud quiddam. Alius doceat, alius discat, alius propriis manibus bonum operetur, ut habeat quod egentibus impertiat. Alius præsit, ac plebem moderetur: alius iustitiæ laudem per ministerium consequatur:* ita Gregorius.

54. III. Spiritus sanctus recreat Ecclesiam.

Tertio denique, Spiritus sanctus hæreditatem Christi, id est Ecclesiam, maxima suavitate complet: PARASTI (manna scilicet) IN DULCEDINE TUA (Hebr. in bonitate tua. S. Aug. in suavitate tua. Camp. pro benignitate tua) PAUPERI DEUS.

Manna datum Ecclesiæ est: I. Gratia.

Quæres, quodnam manna parat Deus populo suo in dulcedine sua? Primo, S. August. ait, esse gratiam novi testamenti: quæ efficit, ut bonum opus fiat non timore, sed D amore: non formidine pœnæ, sed delectatione iustitiæ. Verba eius sunt: *Parasti in tua suavitate egenti Deus. In tua suavitate, non in illius facultate. Egens est enim: quoniam infirmatus est, ut perficiatur: agnovit se indigentem, ut repleatur. Hæc est illa suavitas, de qua alibi dicitur Ps. 84. Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum, ut bonum opus fiat non timore, sed amore: non formidine pœnæ, sed delectatione iustitiæ. Ipsa est enim vera, et sana libertas: sed Dominus hoc egenti paravit, non abundanti, cui opprobrio est ista paupertas, de qualibus alibi dicitur, Ps. 122. Opprobrium his qui abundant, et despectio superbis:* ita Augustinus.

II. Eucharistia.

Secundo, parat in dulcedine sua pauperi Deus, cum dat fideli Eucharistiam, ut ait Dionys. Carthusianus. Nihil enim est dulcius Eucharistia. Vide dicta Ps. 22. 5. In illud: *Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam præclarus est.*

III. Spiritus sanctus. Tertio denique, parat in dulcedine sua pauperi Deus, cum dat illi manna suavissimum Spiritus sancti: de illo enim dato post Ascensionem Christi hoc loco agitur, ut patet ex dictis.

55. Spiritus sanctus vocatur manna, ob decem rationes. Nota, Spiritus sanctus est manna. Primo enim, e cælo demittitur, sicut manna. S. Chrysost. tom. 5. serm. 36. *Pluit*, inquit, *in terram manna Deus, et panem cæli dedit eis. Panem enim angelorum manducavit homo: res procul dubio magna est, Deique digna benignitate. Postea de cælo demissus est ignis, et Iudaicum populum errantem correxit, ac sacrificium abripuit ab altari. Omnibus rursus fame tabescentibus demissa est pluvia,* 3. *Reg.* 18. *multamque frugum attulit ubertatem. Magna sunt hæc et admirabilia, sed multo maiora sunt præsentia. Non manna, ignis et pluvia demissa est hodie,* αλλ᾽ ομβρος χαρισματων πνευματικων, *sed pluvia spiritualium donorum. Nimbi desuper sunt deiecti, quibus non iam ad fruges proferendas tellus excitatur, sed naturæ persuadetur humanæ, ut virtutis fructum hominum agricolæ reddat,* ανθρωπων γεωργω, *quique guttam inde exceperant, naturæ suæ confestim obliviscebantur, et angelis omnis terra subito replebatur: angelis, non cælestibus, sed,* εν ανθρωπινω σωματι ασωματων δυναμεων αρετην επιδεικνυμενων, *qui humano in corpore potestatem incorporearum virtutum exhiberent. Non enim illi deorsum descenderunt: sed quod mirabilius fuit, qui deorsum erant ad illorum virtutem ascenderunt: non enim carne deposita nudis animabus incedebant, sed naturam retinentes animi proposito,* αγγελοι εγενοντο, *angeli fiebant:* hactenus Chrysostomus.

Secundo igitur, Spiritus sanctus manna est, quia est panis angelorum, non ab angelis formatus in nube (a Patre enim et Filio procedit excelsior angelis) sed angelos faciens in terra. Manna dicebatur panis fortium, de quo vide Ps. 77. 25. Abbas Anuph. de se dicebat, apud Palladium cap. 53. *Ex quo servatoris nomen professus sum, humani cibi nihil sumpsi, alente me quotidie angelo.* Idem Palladius cap. 46. ait, se novisse hominem in solitudine, qui decem annos nihil terreni cibi gustavit: sed et angelus tertio quoque die cælestem cibum ad eum afferebat, et ei in os iniiciebat, isque erat ei instar cibi et potus.

Tertio, Abulensis probabiliter opinatur, quod quando manna demittere volebat Deus, prius mittebat ventum, qui superficiem terræ purgaret ab aquis, vaporibus, et similibus rebus: ita ut nullæ in eo aquæ aut sordes manerent, quæ manna maculare possent. Cum Christus dedit Spiritum sanctum Apostolis post resurrectionem, *insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum,* Ioan. 20. Quod etiam fit, antequam aliquis baptizetur. In Pentecoste vero immissus est ventus vehemens, qui replevit totam domum Act. 2. Non vult sapientia habitare in corpore subdito peccatis.

Quarto, ante manna decidebat ros conglaciatus in modum pruinæ in granula formatæ, ut terra esset instar mensæ, ros ille candidus, esset instar mappæ, in quam decideret manna, ne sordes ullas contraheret. Spiritus sanctus non habitat, nisi in iusto habente gratiam. Isaiæ 66. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* S. Bern. hom. 1. super *Missus est*, legit: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum? Gen. 6. 3. dicit Deus iratus ob scelera hominum: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Spiritus sanctus est columba Noe, quæ non requiescit supra putrida cadavera, sed in manu Noe, id est in operatione hominis quieti: et in arca, id est in anima clausa omnibus maris fluctibus, et illis superiore.

Quinto, manna in deserto quotidie dabatur tribus hominum millionibus, et eadem mensura colligebatur pro viris et pro parvulis, ac mulieribus et puellis. Omnibus et singulis sufficit unus et idem spiritus, nec est qui se abscondat a calore eius.

Sexto, manna pro cuiusque stomacho erat levius aut gravius. In debili stomacho erat leve, et facile digerebatur: in stomacho valentiore erat validius. Spiritus sanctus singulis sese attemperat, et fit omnia omnibus.

Septimo, manna colligebatur summo mane, sicque soli diligentes et vigiles illud colligebant. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Cum in aliquem intrat, dicitur in illum insilire, ut in Saulem unctum a Samuele et iunctum Prophetis, id est sacris Cantoribus et veris Prophetis, et cum eis prophetantem, 1. Reg. 10. 10. et cum statuit liberare cives urbis Iabes, quod feliciter præstitit, cap. 11. 6. Item dicitur Spiritus irruere in aliquem, ut in Samsonem, cum occidit et discerpsit leonem, Iudic. 14. 6. et quando disrupit funes, quibus ligatus fuerat; atque maxilla asini occidit mille Philisthinos, Iudic. 15. 14.

Octavo, cum incaluisset sol, liquefiebat manna, et inutile reddebatur. Ardor iracundiæ et concupiscentiæ dissolvit spiritum, et illum dissipat.

Nono, manna quotidie pluit toto tempore peregrinationis Hebræorum in deserto, quamdiu non habuerunt farinam ex Ægypto allatam, et non comederunt fructum terræ Chananæorum. Quotidie et omni hora egemus Spiritu sancto, et eius gratia, sed non habetur, nisi cibo deliciarum terrenarum nos privemus.

Decimo denique, manna habebat omnem suavitatem, pro voluntate comedentium. 1. Cor. 12. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu: alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Hæc autem omnia parat in dulcedine sua, cum sit amor æternus, et infinitus Patris et Filii, illisque consubstantialis: unde S. Bernard. serm. 1. de Pentecoste: *Dulcissimum quiddam*, inquit, *in Deo Spiritus sanctus est: benignitas Dei, et idem ipse Deus.* Suavissimis nominibus appellatur a sanctis Patribus. A S. Ignatio epist. ad Philadelph. dicitur, unus Paracletus, spiritus veritatis: ab Innocentio III. serm. 2. in festo Sanctorum omnium, *amor et delectatio* ab utroque procedens: sed nec posterior nec minor, utrique consubstantialis, et coæternus utrique. Urbanus IV. in Ps. 50. sic eum compellat: O Spiritus sancte Deus, qui et ignis non consumens, sed lucens: non comburens sed urens: ure renes meos, et cor meum. O ignis divine, *qui amor es afficiens*, et ardor indeficiens, *charitas*, Deus meus, accende me: ita ille. S. Cyrill. catech. 17. Advenit, inquit, Paracletus de cælis: custos et sanctificator Ecclesiæ, animarum gubernator, et vincentium coronator. Descendit autem, ut et virtute induat, et ut baptizet Apostolos: ita Cyrillus. Hæc et alia considerans S. Bernardus, duo concludit. Primo quidem serm. 1. de Pentecost. Spiritus sancti solemnitatem tota cum iucunditate esse celebrandam, et esse dignam omni devotione. Secundo autem, serm. 2. in eodem festo, concludit, duros nimis esse eos, qui a tanto amore non emolliuntur: *O duri*, ait, *et indurati, et obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit!*

Nota secundo, Spiritus sanctus et tota Trinitas parat cibum spiritualem *pauperi*, id est, humili: et cibum corporalem pauperi, id est egeno et mendico. Tu quoque pauperum curam habe, sicut magni viri habuerunt. Anno 1537. magna fames totam inferiorem Germaniam pressit. Philippus Hispaniarum rex tria millia pauperum tunc aluisse fertur. Eius exemplo principes et viri nobiles eleemosynam benigna manu dederunt. Ideo tam multi pauperes Bruxellas confluxerunt, ut novemdecim eorum millia aliquot mensium spatio in Xenodochiis sint mortua, ut refert Ioannes Chapeavillus in Gestis Pontificum Leodiensium, c. 9. 56. Pauperum cura est habenda.

Mirabilis pietas S. Hedwigis. fol. 381. Summum sanctæ Hedwigis erga pauperes amorem, nemo est qui demirari non debeat. Surium in eius vita 15. Octob. audiamus. Exemplo, ait, piissimi Salvatoris nostri abluentis pedes pauperum discipulorum suorum, non mediocriter incitata, flexis genibus sæpissime lavabat pauperum pedes aqua calida, quam a ministris acceptam, famulæ illi offerebant. Nec hoc contenta, lotos eorum pedes et extersos linteo, exosculabatur, itemque manus: dataque illis eleemosyna, semper bene consolatos a se dimittere studebat. In cœna Domini, amore eius, qui propter nos voluit ut leprosus haberi, aliquot leprosorum pedes lavabat, et eosdem novis induebat vestibus. Porro paupertatem Domini Iesu, qui propter nos, cum dives esset, egenus factus est, tanto complectebatur affectu, et studio venerabatur, ut semper apud se pauperes habere vellet, præsertim cum discumberet: quibus etiam magna animi humilitate, priusquam ad mensam sederet, sua manu, flexis genibus, cibos ministrabat. Deinde ad mensam residens, nolebat potum sumere, nisi prius ex eius scypho bibisset pauper ille, qui inter alios deformior videretur. Loca etiam, in quibus pauperes sederant, quando id secreto fieri potuit, appressis labiis suis, osculabatur: atque ita Christum in pauperibus, tanquam specialibus eius amicis, honorabat. Denique cibos Religiosorum hominum, sanctorum Angelorum escam putabat, fragmina panum a monachorum et monacharum mensis collecta, a mendicis, quibus ea dabantur, pretio redimebat, et priusquam inde ederet, multa oscula eis imprimebat. Persuaserat enim sibi pauperes omnes, et præsertim Religiosos, esse suos dominos: non quidem divitiis, sed sanctitate: itaque delectabat eam vesci reliquiis ciborum, quibus illi usi essent: ita Surius.

57. *Anagog. In paradiso est omnis suavitas.* Anagog. parat Deus pauperi in dulcedine sua, cum eum in cælis satiat gloria sua. S. Bernard. in festo S. Nicolai, Paradisus, inquit, est regio supercælestis, regio beata et gloriosa, voluptatis et gratiæ, suavitatis et lætitiæ, benignitatis et gloriæ: ibi requies a labore, iucunditas de novitate, de æternitate securitas. Et alibi, seu alius potius auctor serm. de quinque regionibus: *Paradisus locus est voluptatis, ubi torrente voluptatis potantur iusti. Locus splendoris, ubi iusti fulgent sicut splendor firmamenti. Locus lætitiæ, ubi lætitia sempiterna super capita eorum. Locus abundantiæ, ubi nihil deest videntibus eum. Locus suavitatis, ubi apparet Dominus suavis universis. Locus pacis, ubi in pace factus est locus eius. Locus admirationis, ubi sunt mirabilia opera eius. Locus satietatis, ubi satiabimur cum apparuerit gloria eius. Locus visionis, ubi videbitur magna visio. O regio sublimis, plena divitiarum, de valle lacrymarum suspiramus ad te, ubi sapientia sine ignorantia, memoria sine oblivione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splendebit. Regio in qua Dominus transiens ministrabit electis suis: id est, talem se, qualis est, ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, ubi rerum universitas mirabiliter ordinata dabit Creatori gloriam, lætitiam creaturæ.* S. August. In civitate Dei, ait, rex est veritas, lex charitas, dignitas æquitas, pax felicitas, vita æternitas. S. Gregor. in Ps. 7. pœnit. *Ibi*, ait, *est lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Perfecta viget in omnibus charitas, una omnium lætitia, una iucunditas.*

ARTICULUS II.

Spiritus sancti potestas summa in Evangelio propagando.

Pluviam parentis optimi voluntariein Ecclesiam demissam vidimus, nunc Domini potentis ventum vehementem in Evangelii dilatatione contemplemur, et eius sonum

58. *Vers. 13.* toto orbe auditum, v. 13. Dominus dabit (id est tu dabis. Hebræi sæpe transeunt a secunda persona ad tertiam, cum quempiam alloquuntur, præsertim magnates, vel Deum) verbum evangelizantibus virtute multa. Hebr. multo, צבא *tsaba*, exercitu, ut vertunt Arias, Pagnin. Felix, Flaminius. Hinc dicitur Deus Sabaoth hoc est exercituum; 2. et melius, S. Hier. vertit, fortitudinis plurimæ; *tsaba* enim etiam robur significat.

Nota, pro *Evangelizantibus*, Hebr. est in genere fœminino מבשרות *mebasseroth*, id est annuntiatricibus, ut Campensis et Felix reddunt. Laudatricibus, ut Flaminius. Unde hunc locum exponit de mulieribus, quæ iubente Christo ipsius discipulis nuntiaverunt Resurrectionem. Alii de mulieribus, quæ nuntiaverunt exercitum Sennacherib adventare contra Ierusalem. Alii de mulieribus prophetantibus hostes fugituros, licet magnis exercitibus adveniant. Sed hæ explicationes manifeste reiiciendæ sunt, ut patet ex toto psalmi contextu. Nec iuvat illas genus fœmininum, quod hic ponitur: nam Hebræi sæpe utuntur genere fœminino pro masculino ad elegantiam. Sic Salomon se vocat concionatricem Eccles. 11. iuxta textum Hebræum; ibi habetur: *Verba concionatricis filii David, regis Ierusalem:* ubi manifeste est fœmininum pro masculino. Chald. vertit, *verba coheleth, ipse est Salomon.* Mercerus et Marinus probabiliter putant, *coheleth* esse nomen Toar masculinum, non vero participium in Kal fœmininum. Sic Aggæi 1. 13. habetur: *Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini:* id est legatus et nuntius unus ex probatissimis nuntiis et legatis Domini. Interpres legit cum Septuag. *bemalacoth*, id est in angelis, sive legatis et nuntiis: licet enim sit hoc nomen Hebr. fœmininum, tamen masculine sumitur: significatque rei, puta legationis, excellentiam, ait Cornelius. Sicut Ecclesiastes Hebr. vocatur *coheleth* fœminine, q. d. Concionatrix, ob concionis præstantiam. Mulieres enim in eloquio sunt facundæ, disertæ et præstantes, miramque habent dicendi, in animum influendi, persuadendi vim: ita ille. Sic Prov. 9. 3. dicitur de Sapientia incarnata, nempe de Christo: *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis.* Sept. et Syr. vertunt, *servos suos*, item Arabs. Servi autem illi seu ancillæ Christi, sunt Apostoli et concionatores, qui evocant omnes ad Ecclesiam, quæ est arx munita, et civitas David in monte Sione sita et firmata. *Hebræi utuntur genere fœminino pro masculino ad elegantiam.*

Genere autem fœminino utitur noster David, ut denotet Primo, Apostolorum atque Christi prædicatorum naturalem et veluti fœmininam ex se imbecillitatem, quam Christus virtute multa corroboraturus fuerit: ita Pineda in Iob. cap. 40. num. 5. Secundo, ob elegantiam, et venustatem, ac suavitatem orationis, in animos omnium sese cum amore et benevolentia insinuantis, ut dixi supra. Tertio, ob charitatem et teneritudinem affectus, ac materna viscera. S. Paulus Galatis dicebat cap. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Corinthiis vero etiam maternum affectum aperit, 2. epist. 11. 29. *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Ipse Christus comparat se gallinæ pullos sub alis congreganti, Matth. 23. 37. Et Deus aquilæ provocanti pullos suos ad volandum, et expandenti alas suas, ut eos ferat, et cadentes sustentet, Deut. 32. 11. Vide de ea re S. Ambr. lib. 2. de Salom. cap. 2. Adde, in psalmo nostro *mebasseroth*, id est *nuntiatrices*, dici Apostol. quia nuntiabant incarnatum Christum. Rad. enim est *basar*, id est *caro*: unde *bisser*, id est fausta et læta nuntiare. Nihil enim lætius potuit mundo nuntiari quam incarnatio. Hinc Angelus in Nativitate dicit pastoribus Luc. 2. 10. *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Non inepte existimes a *mebasser* quod est Benoni in Piel, deduci Gallicam vocem *ambassadeur*: hoc enim significat *mebasser*. Erit metathesis, seu transpositio unius litteræ.

Nota secundo, virtus seu fortitudo triplex in Apostolis fuit: 1. in efficacia concionum; 2. in libertate agendi, et impios arguendi; 3. in miraculis. 59. *Triplex vis fuit in Apostolis.*

Ac primo, mira fuit efficacia verbi Dei, quod duodecim imperiti piscatores, aut homines scientiarum omnium expertes, totum mundum cum suis regibus et doctoribus converterunt a deliciis ad crucem ferendam, et ab impie- 1. *In efficacia sermonum.*

tate ad pietatem. Isaiæ. 55. 11. *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Hinc Evangelium confertur grano sinapis, quod minimum est, habet tamen ingentem vim. Vide de illo S. August. serm. 31. et 33. de Sanctis, qui duo sermones extant etiam apud S. Ambrosium tom. 5. serm. 19. et 20. in Dominica 6. post Epiphaniam. Item, Evangelium comparatur fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis, seu modiis tribus, donec fermentatum est totum, q. d. Ait S. Chrysost. Sicut fermentum multam farinam transmutat in suam virtutem: ita et vos o Apostoli, totum mundum transmutabitis. Utraque comparatio et fermenti, et sinapis habetur Matth. 13. Quis non stupeat, considerans facta a S. Xaverio, S. Vincentio Ferrerio, S Paulo? de quo S. Chrysost. serm. 6. tom. 5. fol. 107. *Paulus Apostolus, vas electionis, Dei templum*. σωμα Χριστου, λυρα πνευματος, διδασκαλος οικουμενης, *os Christi, lyra spiritus, doctor orbis terrarum, qui terram et mare peragravit, qui peccatorum spinas revulsit, qui religionis semina iactavit: ille regibus opulentior, ille divitibus potentior, ille magis philosophus quam ipsi philosophi: ille disertior oratoribus: qui nihil habebat, et omnia possidebat, qui mortem umbra sua solvebat, qui morbos suis vestimentis fugabat, qui trophæa erexit in mari.* Sed ut fiant illæ conversiones, virtus requiritur oratoris: magis enim homines credunt oculis, quam auribus: itaque, ut bene et fructuose evangelizes, id fac cum virtute multa. S. Greg. Thaumaturgus intrans Neocæsaream ubi fuit Episcopus, invenit tantum septemdecim Christianos, moriens reliquit tantum septemdecim ethnicos, cæteros Christo lucratus erat. Nec mirum, de eo enim scribit S. Gregor. Nyss. in vita: *Ingressus est civitatem Neocæsaream non curribus, et equis, et mulis, et comitatus multitudine se iactans: sed circumcirca stipatus virtutibus.*

60. II. In libertate loquendi. Secunda virtus seu fortitudo in Apostolis, et apostolicis viris, fuit libertas ubique evangelizandi, vitia arguendi, tyrannos ipsos reprehendendi, spreta morte ac tormentis. Christus dicit Apostolis Luc. 21. 15. *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Hoc patuit in S. Stephano Act. 6. cui non potuerunt resistere, qui erant de synagoga seu collegio Libertinorum: id est filiorum, qui prognati erant ex parentibus in servitutem a Pompeio et aliis Romam, aliove abductis, sed libertate donatis: et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et eorum qui erant a Cilicia, et Asia minore quæ adiacet Ciliciæ, atque nunc vulgo Turcia appellatur. S. Franciscus spe martyrii navigavit in Syriam ad Sultanum, seu principem et regem, idque maximo fervore. S. Bonav. in eius vita cap. 9. Tanta, inquit, mentis constantia, tanta virtute animi, tantoque fervore spiritus prædicavit illi Iesum Christum, ut Evangelicum illud in ipso clarescerct veraciter esse completum. *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Nam et Sultanus libenter ipsum audiebat, admirans in viro Dei fervorem spiritus, conspiciens et virtutem et ad moram contrahendam eum eo instantius invitabat. Christi vero servus, superno illustratus oraculo: Si vis, inquit, converti tu cum populo tuo ad Christum ob illius amorem libenter vobiscum commorabor. Quod si hæsitas propter fidem Christi, legem Mahometi dimittere, iube ignem accendi permaximum, et ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar: ut vel sic cognoscas, quæ fides certior et sanctior non immerito tenenda sit. Sed fugientibus eius sacerdotibus, obtulit se solum ignes intraturum, si converti vellet viso miraculo. Hoc admirans Sultanus multa obtulit munera, quæ vir Dei sprevit. Lege quæ dixi Ps. 118. 46. in illud: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar.* Lege etiam librum S. Hilarii contra Constantium Imper. et librum Luciferi Episcopi Calaritani, quem S. Athanas. nominat Eliam sui sæculi. Sic autem ait lib. de Moriendo pro filio Dei, alloquens eumdem Con-

A stantium: *Mactasti plurimos, laniasti, dispersisti: sed hi omnes Martyres sunt. Crede mihi, quod a te statuerimus interfici: quia et melius esse videmus in omnia æva Deum habere amatorem, quam te cum Iuda Scarioth, Iudæorum imitatorem, puniri: subire parati sumus omne exilium.* Ac postea subiungit: *Indigne fers Arrii vermis, quod defendamus filium Dei. Si tandem oculos serpentis morsibus confossos aperias, invenies stolidissime Imperator, ubique Christianos, sicut nos credere, ac pro Dei filio, ut nos, mori cupere: at tua novella prædicatio et recens religio, blasphemia est:* hæc et plura ille. Deo collati omnes principes, reges et imperatores, sunt instar exigui pulvisculi, aut muscæ in aere volantis. Miranda tamen est potius, quam imitanda libertas eorum, qui cum magna fortitudine adhibuerunt acerbitatem verborum contra reges: licet enim dyscoli, reges tamen sunt, et a Deo sibi datam potestatem et maiestatem habent.

Tertia virtus Apostolorum enituit in miraculis. Christus ait illis Luc. 10. 19. *Ecce dedi* (Græc. διδωμι, do) *vo-* 61. III. In miraculis.
B *bis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem* (Gr. δυναμιν, id est vim et potentiam) *inimici, et nihil vobis nocebit.* Eadem pollicetur credentibus Marc. 16. 17. Vipera momordit S. Paulum in Melita insula: sed non modo illi non nocuit, verum ab eo tempore serpentes omnes ibi veneno carent; et licet aliquem momorderint, ei non afferunt nocumentum: insulani id vocant gratiam Pauli. Imo si serpens aliunde invehatur, suum venenum perdit, et terra Melitensis prodest contra venena, et ipsi Melitenses quasi terrori sunt serpentibus, ut ait Baronius, Gagncius, et Thomas Fazellus Ord. S. Dominici tract. de rebus Siculis, Decad. 1. lib. 1, cap. 1. De admirabili S. Petri potestate in patrandis miraculis dicit S. Chrys. t. 5. ser. 36. *Videre erat*, γλωτταν πηλινην δαιμοσιν επιταττουσαν, *luteam linguam dæmonibus imperantem, videre erat luteam manum morbos sanantem: imo vero non manum tantum luteam videre erat: sed quod multo mirabilius erat, luteorum corporum umbras, et mortem, et*
C *incorporeas potestates, dæmones, inquam, superantes. Nam quemadmodum apparente sole, tenebræ discutiuntur, feræ latibula sua ingrediuntur: homicidæ, latrones, et tumulorum prædones, ad vertices montium recurrunt: sic apparente, vocemque mittente Petro, erroris tenebræ discutiebantur, recedebat diabolus, fugiebant dæmones, corporum morbi tollebantur, animarum ægritudines sanabantur, malitia omnis arcebatur, in terras virtus reducebatur.* Et serm. 36. pag. 519. agens de omnibus Apostolis ait: Ταμεια βασιλικα, *æraria regia*, erant Apostolorum ora, in quibus sanationum reconditus inerat thesaurus, vel unumquodque verbum exiens spirituales multas opes pariebat. Vere, ιατροι οικουμενης, *medici orbis terrarum* fuerunt Apostoli, et agricolæ, et gubernatores. Medici quidem, quoniam ægritudines curabant: agricolæ, quoniam verbum religionis seminabant: gubernatores, quoniam erroris procellam sedabant: ita Chrysostomus. Vere itaque Dominus dedit verbum *evangelizantibus virtute multa.*

D Quæres, quis Dominus dedit verbum evangelizantibus? 62.
Respond. esse Christum, quem hic alloquitur David, et raptus in extasim toto psalmo contemplatur. Primo, ascendentem in cælum: unde dixit in principio: *Exurgat Deus*, q. d. Tu Deus exurge. Secundo, in throno sedentem, et dona sua largientem. Itaque dixit: *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* Et nunc mutans personam ait: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.* Dedit autem illis hanc virtutem multam per Spiritum sanctum. Luc. ult. 49. dixit Apostolis: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Hæc virtus multa in evangelizando figuratur in igne, qui est maxime activus, demisso in capita Apostolorum, sub forma linguarum, Act. 2. 3. Ut enim ait S. Bern. serm. 1. in Pentecoste: *Venit tunc super discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur, et legem igneam linguæ igneæ prædicarent.* Virtus quoque multa in linguis apparuit, quia loquentes Apostolos varii populi intelligebant, Parthi, Medi, Ela-

mitæ, id est Persæ, variique alii. Notabile est, quod dum S. Servatius Tungrorum Episcopus materna lingua verbum Dei loquebatur populis, sive divina celebrando, sive prædicando, sive confessiones audiendo, omnes eius verba intelligebant, cuiuscumque essent nationis: cum autem de rebus sæcularibus loquebatur, nec ipse populum, neque populus ipsum intelligere poterat, nisi per interpretem, ut docet Ægidius in cap. 24. Harigeri Abbatis Lobiensis tract. de Episcop. Leodiensibus.

Mirabile de S. Servatio.

63. Nota, etiam Spiritus sanctus Dominus est, et dat verbum evangelizantibus. Act. 2. 4. *Repleti sunt Spiritu sancto, et* (id est, ideo) *cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Et 1. Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Agatho Papa in epist. ad Heraclium et Tiberium Augustos, Spiritum sanctum vocat Dominum et vivificatorem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum. S. Ioan. Damasc. de fide orthod. cap. 11. *Eodem modo*, inquit, *credimus in unum Spiritum sanctum, qui Dominus est et vivificat: qui ex Patre procedit, et in filio conquiescit: qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, utpote consubstantialis et coæternus: qui Dei Spiritus est rectus, principalis, sapientiæ, vitæ, ac sanctitatis fons: qui cum Patre et Filio Deus est, et appellatur: qui increatus est, plenus artifex, omnipotens, omnium effector, infinita potentia præditus, rebus omnibus conditis imperans, nullius autem rei imperio parens: qui implet, non impletur: deificat, non deificatur: participatur, non participat: sanctitate afficit, non ipse afficitur: qui consolator est, utpote omnium consolationes capiens: per omnia Patri et Filio similis, ex Patre procedens, et per Filium omni creaturæ impartitus, atque perceptus, per seipsum omnia creans, atque ut sint faciens, sanctificans, atque conservans:* ενυποστατος, *id est, in propria hypostasi existens, a Patre et Filio inseparabilis, et nunquam egrediens, omnia habens quæ habet Pater et Filius, excepta ingeniti et geniti proprietate.* Raimundus Sebundius in viola animæ, cap. 7. Amor, ait, qui est Spiritus sanctus, est infinitus, omnipotens, æternus, omnium rector, et dominus, et Patri et Filio æqualis. Petrus Aliacus serm. 2. in Pentecoste: Consideremus, inquit, et laudemus magnificentiam venientis: quoniam magnus est et admirabilis Dominus, qui mittitur. Magnus in pietate, quia Paracletus, id est, consolator piissimus. Magnus in veritate, de quo dicitur, Ioan. 16. 13. *Ille vos docebit omnem veritatem.* Magnus in potestate, vel in maiestate, quia a patre procedit. Venit ergo *Dominus clemens,* quia spiritus pietatis: venit *Dominus sapiens,* quia spiritus veritatis: venit *Dominus potens,* quia spiritus divinæ maiestatis: ita ille. Virtutem eius multam ostendit S. Gregor. Naz. oratien. 44. pag. 715. *Hic spiritus*, ait, *utpote sapientissimus atque hominum amantissimus, si pastorem nactus fuerit, psaltem efficit, pravos spiritus incantantem, atque Israelis regem designat. Si caprarium moros vellicantem, Prophetam reddit: Davidem et Amos cogita. Si adolescentem pulchræ indolis acceperit, presbyterorum iudicem constituit, idque supra quam ætatis ratio ferre videtur. Testis est Daniel, qui leones in lacu superavit. Si piscatores invenerit, Christo irretit, orbem universum sermonis retibus complectentes. Petrum atque Andream accipe, tonitruique filios, qui spiritualia intonuerunt. Si publicanos, ad discipulatum elucratur, atque animarum negotiatores efficit. Testis Matthæus, heri publicanus, hodie Evangelista. Si feroces persecutores, zelum commutat, ac Paulos pro Saulis facit: nec minus pios reddit, quam impios offenderat.* Hæc Nazianzenus.

Spiritus sanctus dat verbum evangelizantibus.

64. Rationem profert David, cur Christus sit daturus verbum evangelizantibus virtute multa: scilicet, quia est Rex exercituum sanctorum, vers. 14. REX VIRTUTUM DILECTI DILECTI: (id est, dilectissimi. Est Hebraismus: illa geminatio est in textu Hebr. et apud Septuaginta in bibliis Sixtianis emendatis, et apud S. Hier. Sic dicitur in Psalmo nostro v. 21. *Domini, Domini,* id est, Domini potentissimi, *exitus mortis*) ET SPECIEI DOMUS, dabit, DIVIDERE SPOLIA. Hoc loco ridet Ioan. Calvinus hæresiarcha, in antidoto Concilii Tridentini, hanc lectionem editionis Latinæ vulgatæ, et vult ipse legendum esse, *Reges exercituum fugerunt, fugerunt; et habitatrices domus diviserunt spolia.* Sed interpres Latinus non ex Hebræo, sed ex Græco traduxit psalmos. Græcus autem textus (qui Septuaginta interpretum esse censetur) habet idipsum, quod latinus interpres fideliter reddidit. S. Hieron. quoque non vertit, *fugerunt, fugerunt;* sed, *fœderabuntur, fœderabuntur.* Proinde Calvinus ridere potuisset non solum editionem vulgatam, sed etiam interpretationem S. Hier. et Sept. virorum sapientissimorum: ipse pro tam impia temeritate deflendus potius, quam ridendus. Adde, quod non est difficile videre, quid in textu hebraico legerint Septuaginta interpretes, et eos recte vertisse hunc locum, et Latinum interpretem eumdem locum fideliter reddidisse: ac primum pro, *Rex virtutum*, in Hæbreo sunt duo verba, quæ si legantur, *malchi tsebaoth*, significant, *Rex virtutum*, ut Noster interpres vertit: si legantur cum aliis punctis, *malche tsebaoth*, significant, *Rex virtutum*, sive *exercituum.* Sed ut sæpius diximus, credibile est melius legisse Septuaginta interpretes, quam Rabbinos, qui puncta litteris addiderunt. Illud autem *dilecti*, in Hebræo nunc est, *iddodun*, quod significat, *fugient*, sed Septuaginta interpretes non habuerunt hanc vocem in suis codicibus, ut neque etiam S. Hieronymus. Videntur enim Septuaginta legisse *iedidoth*, quod significat *dilectum:* hæc enim vox habetur in titulo Psalm. 44. quam Sept. verterunt, dilecto: et S. Hieron. *amantissimo.* Denique illud *nevath baith*, significat quidem *habitatricem domus:* sed significat etiam *mulierem speciosam et delicatam*, quæ fere semper domi manet: et inde translato vocabulo, significat *speciem et pulchritudinem*, ut hoc loco non solum Sept. sed etiam B. Hieronym. reddiderunt, quibus maior fides debetur, quam Rabbinis aut Calvino.

Vulgata versio propugnata.

Sensus igitur ex Patrum expositione hic erit. *Rex virtutum*, id est, Rex exercituum multorum *dilecti, dilecti,* id est dilectissimi: Christi scilicet, dilectissimi Deo et hominibus, *ipse dabit speciei domus*, id est ad speciem et decorem domus Dei, quæ est Ecclesia, *dividere spolia*, gentium videlicet ad fidem Christi conversarum per evangelizantes Apostolos. Ubi verbum *dabit*, subintelligitur ex versiculo præcedente, ut hic sit integer sensus: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*, et ipse idem *Dominus rex virtutum dilectissimi, dabit ad speciem domus dividere spolia.* Illud autem, *dilectissimi,* coniungitur cum nomine, *virtutum.* Rex virtutum, id est exercituum, qui exercitus sunt Christi, filii Dei dilectissimi. Neque obstat, quod nomine regis, idem Christus intelligatur. Nam phrasi Hebraica consuetum est dicere, Christus rex exercituum Christi, pro quo nos diceremus, Christus rex exercituum suorum, ut notat S. Augustinus, et sunt exempla in Scripturis plurima, ut Roman. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi:* id est, ex resurrectione eius a mortuis. Et Exod. 16. *Dixit Moses ad Aaron, Sume vas, etc. sicut præcepit Dominus Mosi*, id est, sicut præcepit Dominus mihi. Denique in Pentateucho sæpe legitur: fecit Moses hoc, vel illud, sicut præcepit Dominus Mosi, id est sicut præcepit ei Dominus. Porro rectissime dicitur Christus Rex exercituum: nam Apocal. 19. *Vidit Ioannes quemdam insignem equitem, qui habebat vestem sanguine aspersam, et nomen eius erat Verbum Dei, et sequebantur eum exercitus, qui sunt in cælo.* Ita Bellarminus, et recte, nisi quod pro *iddodun*, ut nunc legitur, nolim reponere *iedidoth*, ob magnam utriusque vocis differentiam, et quia *iedidoth* est plurale: itaque non significat dilectum, sed dilectos. Putem ego Septuaginta legisse ידידון *iedidun*, hoc est valde et teneritudine quadam dilectum. Est enim diminutivum a *iedid*, dilectus. Et hoc fit ob assumptam humanitatem, ob quam dicitur, *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius*, Isaiæ 9. 6.

Sensus huius loci.

Notatio utilissima de antecedente et pronomine apud Hebræos.

Est princeps pacis, ut ibi dicetur: est etiam Dominus Sabaoth, id est exercituum, tum angelorum in cælo empyreo, tum stellarum et planetarum in cælo sidereo, tum hominum et cæterarum creaturarum in terra, aere et aqua. Vide aliam expositionem in paraphrasi, sed hanc præfer.

65. *Variæ versiones huius loci.* Ex his patet, minus necessarias esse multiplices versiones hebraizantium in hoc loco, et melius esse insistere versioni nostræ. Primo, S. Hieron. vertit, Reges exercituum fœderabuntur, fœderabuntur: et pulchritudo domus dividet spolia. Secundo, Caietanus, Reges exercituum movebuntur: et habitatrix domus dividet spolia. Tertio, Vatablus, Reges ingentibus copiis instructi fugerunt, fugerunt qui domi desidebant: diviserunt spolia. Quarto, Campensis, Reges potentissimi fugient: fugient, inquam, et fideles domestici divident spolium. Quinto, Chaldæus reddit, Reges cum exercitibus suis migraverunt de prætoriis suis, et sapientes dimoti sunt a sapientia sua: et congregatio Israelis dividebat prædam de cælis. Sexto, Syrus, Reges exercituum congregabuntur: et pulchritudo domus tuæ dividet spolia. Septimo alii denique, Reges potentes congregabuntur, et bona domus tuæ opulenta divident inter se.

66. *Christus regit Ecclesiam per Spiritum sanctum.* Nota, Christus Rex Ecclesiam suam regit per Spiritum sanctum, qui inspirationibus suis eam dirigit, et gratiis armat et roborat: itaque iure etiam dici potest Spiritus sanctus Rex exercituum dilecti, dilecti, id est Christi sibi dilectissimi et Patri æterno. Ioan. 14. 16. Christus ait Apostolis: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Est velut anima Ecclesiæ, eam animans, vegetans, movens ac dirigens. S. Augustinus libro de gratia novi Testamenti: *Spiritus sanctus,* inquit, *est Patris et Filii amor et connexio, ad ipsum pertinet societas, qua efficimur unum: corpus hominis multis constat membris, et vegetat omnia membra una anima, faciens in oculo ut videat, in aure ut audiat, et sic in cæteris: ita Spiritus sanctus membra corporis Christi, quod est Ecclesia, continet et vegetat.* Inductione id probat S. Cyrill. Ieros. catech. 16. fol. 187. tam in hominibus quam in angelis: *Vide,* inquit, *virtutes, vide principatus, vide potestates, vide thronos, vide dominationes,* τουτων παντων επιστατης παρα Θεου, και διδασκαλος, και αγιοποιος ο παρακλητος: *Eorum omnium Præses apud Deum, et magister, et sanctificator est hic Paracletus. Eo indiget Elias et Isaias, inter homines: eo opus habet Gabriel et Michael, inter archangelos: nihil ex rebus progenitis dignitati illius adæquatum. Nam et universum genus angelorum,* και στρατιαι πασαι ομου συναχθεισαι, *atque omnes exercitus simul congregati, nequaquam Spiritus sancti proportionem sustinuerint.* Et pag. 189. ad Patriarchas, Prophetas et iudices populi Dei delabitur his verbis: *Spiritus sanctus descendit in omnes iustos ac Prophetas, Enoc et Enos, Noe ac reliquos Abraham, Isaac et Iacob. Nam de eo, quod Ioseph habuerit spiritum Dei, etiam Pharao expertus est. De Mose enim, et rebus admirandis ab illo virtute Spiritus sancti factis, persæpe audisti: In virtute huius spiritus, quemadmodum in libro Iudicum habemus, Othoniel quidem iudicabat, Gedeon vero invalescebat, Iephte vincebat, Debora mulier pugnabat, et Samson vindicans, supra vires humanas certabat.* Lege cætera in illa catechesi. Pace belloque potens est hic Spiritus. S. Gregor. Nazianzenus orat. 44. πνευμα εστι πραοτητος, ait, και παροξυνεται αμαρτανουσι: *Spiritus est lenitatis, et tamen in eos qui peccant, incitatur.* Apis est, dat mel et favum iustis, stimulo confodit adversarios. Rodulphus I. in symbolo suo brachium

67. *Barbari capita hostium affigebant postibus domus suæ.* armatum posuit, quod clavam cum oleæ vento stringeret, cum hac epigraphe, *Utrum lubet:* ut indicaret se ad bellum et pacem eodem modo paratum esse. Dividit autem spolia sua ad speciem et decorem domus suæ, id est Ecclesiæ. Victores Belgæ olim capita hostium suorum affigebant foribus ædium suarum, ut ait Strabo lib. 4. Galatæ, qui ultra Rhenum habitabant, et capita, et spolia sanguine perfusa postibus suis applicabant, ut refert Diodor. lib. 6. Geloni vero, hostium cutes, ut testatur Herodotus. Templa quoque spoliis hostium ornabantur. Persius id testatur de Romanis Satyr. 6. ubi sic canit:

Ac iam postibus arma,
Iam chlamydas regum, iam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.

De Græcis habes lib. 6. Anthologiæ:

Sed arma cruore
Perfusa humano Martia templa tenent.

De Pœnis, Horatius lib. 3. ode tertia.

Signa ego Punicis
Affixa delubris, et arma
Militibus sine cæde vidi.

Nunc etiam in templis nostris vexilla et arma hostium apponuntur, ut Deo acceptas victorias feramus, eique uni gloriam tribuamus. Spiritus sanctus Ecclesiam suam ornat spoliis ab hoste raptis, id est peccatoribus conversis: nempe Petro, qui Christum negaverat, Paulo persecutore, Matthæo publicano, Maria Magdalena peccatrice ac similibus. Philippus II. Hispaniarum rex, ut indicaret Burgundicam domum extinctam, in domo Austriaca illustrem fore, lauros duas ignarias effingi curavit, ex quarum attritu mutuo vapor et flamma erumperet, cum hac epigraphe, *Dominus mihi adiutor,* q. d. Deo nihil est impossibile: efficere potest, ut quæ perierunt maiori gloria reviviscant atque splendeant. Idem fit in peccatoribus conversis, qui sæpe domum Christi magis ornant, et in ea ornantur, quam iusti tepidi. Matth. 21. 31. ait Christus principibus sacerdotum (hoc est principibus 24. familiarum, in quas distributi erant sacerdotes omnes) et senioribus populi: *Amen,* id est vere, *dico vobis, quia,* quod, *publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Aurum, argentum, et gemmæ Ægypti inserviunt ad decorandum tabernaculum Dei a Mose confectum. Spiritus sanctus, speciei, id est ad speciem et decorem domus, dividit hostium spolia. Hebræi spoliaverant Ægyptum, nos spoliemus omnes Christi hostes, et corona Melchom ornemus David, id est Christum et domum eius. *Philippi regis symbolum.*

ARTICULUS III.

Spiritus sanctus ab hostium terrore liberat.

Ut Deum regem exercituum optimum esse declaret Propheta noster, ait sub eius tutela omnes securos esse. 68.
Hoc autem declarat eleganter columbæ similitudine de *Vers. 15. I. Pars. Clerus quid?*
mediis periculis evolantis, v. 15. SI DORMIATIS INTER MEDIOS CLEROS, PENNÆ (vobis erunt) COLUMBÆ DEARGENTATÆ: ET POSTERIORA DORSI EIUS IN PALLORE AURI. Nota, *clerus* est vox græca. Significat autem κληρος, Primo sortem, hoc est notam quæ in vas coniicitur, cum aliquid sorti committitur. Secundo, κληρος, est ipsa sortitio, id est ipsa actio, qua sors ducitur. Tertio, κληρος, est res quæ sortitione alicui obvenit: et specialiter sic vocatur hæreditas, seu possessio aliqua: quia hæredes olim, ut nunc etiam sorti committebant partes suas prius ad æqualitatem, ut poterant, redactas. Hinc apud Latinos vocantur *consortes*, qui aliquod patrimonium vel hæreditatem una habent: et *consortium*, eiusdem hæreditatis communio. Quarto denique, quia quæ sorti committuntur, in periculo sunt: ideo metonymice sors et κληρος pro periculo et discrimine sumuntur.

Nota secundo, pro *cleros*, Hebr. est שְׁפַתַּיִם *sephattaim*, id est Primo, duo labia: sed sic esset ponendum 69.
Sin, nunc vero est *Scin: sapha* autem, hoc est labium, quod in duali facit *sephattaim*, scribitur cum Sin: habet enim punctum in cornu sinistro. Secundo, *sephattaim* quidam exponunt *ollas*, ut Flaminius et Calvinus; *tripodes*, ut Pagn. et Arias; *chytropodes*, id est ollas quæ habent pedes: vel instrumenta ferrea, super quæ olla apud ignem collocatur, ut in ea cibi coquantur, ut Felix; ollas, sive caldarias, vasaque plena fuligine, ut Vatablus. Illis versionibus favent R. David, R. Abraham, et alii Rabbini. *Versiones variæ reiectæ.*
Sensum porro esse vult R. David, q. d. Si ambulastis ha-

etenus nigris induti vestibus ob inimicorum afflictionem, adhuc eritis albi sicut alæ columbæ, quæ tecta est argento: id est, quæ habet pennas albas sicut argentum; 2. R. Abraham sensum esse vult, q. d. Ne timeatis ab inimico: quia si iacuistis inter chytrapodes, eritis albi sicut columba, quæ tecta est argento; 3. Campens. q. d. Si huc usque inter fuliginе obductas ollas iacuistis, et tam atri quam carbo facti estis: eritis post hac tam candidi, quam alæ alicuius columbæ, etiamsi argento exornata fuerit, et pennæ illius eleganter admistum habeant auri pallorem: ita illi. Sed iure Bellarminus temeritatis arguit illas explicationes et versiones. Tertio itaque melius S. Hier. vertit *sephattaim, terminos.* Nam deducitur a Rad. שפת *sapath,* id est ordinare, disponere, ponere intra certos terminos. Sic Gen. 49. 14. dicitur, *Issachar asinus fortis accubans inter sephattaim,* id est. *terminos:* ita vertit S. Hieron. et Chald. *inter acies:* ita R. Abraham; *inter medios cleros,* seu sortes: ita Sept. Ibi non patest esse mentio ollarum: sequitur enim: *Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum suum, ad portandum, et factus est tributis serviens.* Adde, quod nulli sancti patres meminerunt ollarum in psalmo nostro.

70. Sensus huius loci. Quæres, quis igitur erit sensus loci istius, quem plerique obscurissimum esse confitentur? Primo, ait Bellarminus, Calvino cum Rabbinis inter ollas dimisso, existimamus

I. sensum huius versiculi hunc esse: *Si dormiatis inter medios cleros,* id est, si vos, qui evangelizatis verbum Domini, dormiatis, id est quiescatis in medio duorum testamentorum, novi scilicet ac veteris, acquiescentes videlicet veritati divinitus inspiratæ Prophetis et Apostolis: tunc *pennæ columbæ,* id est, Ecclesiæ fides, et mores, *erunt deargentatæ* puritate sapientiæ, *et deauratæ* fervore charitatis. Nam per *duos cleros* intelligenda esse duo Testamenta, scribunt communi consensu Latini, et Græci expositores, S. Augustinus, et S. Hieronymus, Theodoretus atque Euthymius. Neque absurdum est, per duos cleros, intelligi duo Testamenta: quoniam clerus sortem, possessionem et hæreditatem significat. Sunt autem Scripturæ divinæ possessio quædam, et hæreditas Ecclesiæ. Quod si etiam per cleros intelligamus cum S. Hieronymo, terminos: rectissime duo Testamenta duo termini erunt, extra quos egredi non licet, nisi veritatis semitam perdere velimus: ita Bellarminus.

II. Secundo, Iansenius hunc putat sensum esse, q. d. Qui prius prementibus multis malis atri fuistis et inglorii, cum devictis omnibus hostibus vestris feliciter requieveritis in medio sortium vestrarum, interque terminos hæreditatis vestræ; tunc eritis sicut deargentatæ pennæ alicuius columbæ, cuius dorsum fulgorem habet auri: hoc est, candidi, læti, atque festivi eritis.

III. Et optimus. Tertio denique, et optime, sensus est, q. d. *Si dormiatis inter medios cleros,* id est inter sortes seu pericula, evadetis ex illis, perinde ac si essent vobis *pennæ columbæ* pulcherrimæ, et variis coloribus picturatæ. Non enim tantum securitatem in fuga reperietis, sed etiam gloriam. Ad eum sensum accedunt Pintus, Pineda et Pradus. Nam Primo Pintus in cap. 40. Ezech. sic explicat, q. d. Si dormiatis, sive habitetis inter medios cleros, sive sortes, ac terminos duarum hæreditatum, vel regionum, ubi nulla solet esse securitas, et iuxta inimicos vestros, vos præsertim Pastores et Prædicatores, non domi vestræ ac vobis, et genio indulgentes: sed semper vigiles, et ad omnem hostis excitati rumorem, pulchra erit vobis commissa Ecclesia, instar columbæ, etc. Secundo, Pineda in cap. 5. Iob v. 22. n. 1. Si dormiatis, inquit inter medios cleros, sive sortes, in tanto scilicet discrimine, ut sortiantur milites, cuius futuri mancipia sitis, aut missis deliberent hostibus de facultatibus vestris, eritis tamen securi ac tuti. Confirmat exemplo Petri, qui cum dormiret inter duos milites vinctus catenis duabus, et ita sopitus somno, ut latere percusso debuerit excitari, liberatus dimissus est, Act. 12. Specialius noster Pradus in cap. 17. Ezech. v. 3. et in cap. 24. v. 6. Sensum esse vult, q. d. Si iaciantur de vobis sortes ad vitam vel interitum, inter milites Babylonios, qui pro vexillo gestant columbam argentatam, cuius dorsum rutilat quasi aurum fulvum, eruemini, et vos potius eorum dividetis spolia: ita ille. Generaliorem arbitror esse sententiam, et de omni, magno præsertim, periculo agere, ex quo Deus servos in se sperantes eruit, cum facilitate, celeritate et gloria.

Tropol. Durmit inter medias cleros et sortes, qui manet inter spem et metum. Ita S. Bern. serm. 51. in Cantica, illud explicans cap. 2. 6. *Læva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Ibi enim sic loquitur: 71. Tropol. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem et securitatem, tamquam inter lævam et dexteram, media videlicet spes, in qua mens et conscientia molli nimirum supposito charitatis strato suavissime requiescit.* Secundo, Bellarm. Possent, ait, per duos cleros intelligi possessio cælestis et terrena. Debent enim prædicatores Evangelii non toti esse affixi contemplationi cælestium bonorum: neque toti addicti vitæ activæ, et operibus charitatis erga proximos: sed in medio utriusque sortis quiescere, et nunc per contemplationem erigi in Deum, nunc per charitatis obsequium descendere ad proximos. Tertio denique, ut ait idem auctor, potest cum S. Augustino sic exponi versiculus, *Si dormiatis inter medios cleros:* Si moriamini inter felicitatem terrenam contemptam, et felicitatem æternam speratam, et nondum adeptam, tunc erunt *pennæ columbæ deargentatæ:* quia quando sancti Prædicatores perseverant usque ad mortem, contemnentes terrenam felicitatem, et sperantes æternam, et sic dormientes dormitione mortis inter has duas hæreditates constituti: tunc fama Ecclesiæ quasi pennis deargentatis volat ubique, et exaltatur, ac magnificatur: ita ille. Ubi nota, quod somnus periculosus est, nisi fiat cum Spiritu sancto. Franciscus Mandolus, ut ad prælia et victorias vigilem se declararet, gallum sibi avem sumpsit pro symbolo, cum his verbis: *Non decipit somnus.* Sed si in Deo dormiamus, in pace in idipsum requiescemus sine timore. Ut enim ait S. Cyrill. catech. 16. pag. 185. agens de Spiritu sancto: Magnum commilitonem et auxiliatorem apud Deum habemus: magnum Ecclesiæ doctorem, magnum protectorem nostrum. Non metuamus ergo dæmones, nec diabolum. Maior enim est, qui certat pro nobis, modo illi ostia aperiamus: ita Ille. Somnus in Deo sæpe est utilior omni vigilia, ut contigit Iacob videnti scalam illam in cælum erectam, Gen. 28. 12. Dormiebat ille inter medios cleros, videns angelos ascendentes et descendentes, ac Deum innixum scalæ, evigilans erexit altare Deo, et super illud oleum effudit. Tu auto et post somnum tua et teipsum Deo offer, ut te conservet, ac somnia tua et actiones dirigat. Semus Delius lib. 2. Deliadis, ait: Deam vaticiniorum præsidem appellari Brizzo (βρίζειν enim apud veteres, dormire est) illi autem Deæ Deliades cum sacrificant, scaphas bonis omnibus refertas offerre, exceptis piscibus, pro omnium salute Deam precantes, ac præcipue navigia ut servet. Nos, sive vigilantes sive dormientes, in mari sumus, et continua tempestate iactamur: Quantum est navis periculum, omnibus in ea dormientibus, et sopito ligatoque ipso nauclero? Necesse est, ut Deus arcam fluctibus agitatam claudat a foris, et gubernet.

Somnus periculosus, nisi fiat in Deo. — *Mandoli symbolum.* — *Dea somni.*

72. Quæres, cur pennas columbæ pollicetur? Primo, quia columba volat ocyssime. Secundo, quia est innocens, et nemini infert iniuriam, sed sibi tantum consulit fugiendo: Christus patientes atque innoxios servos amat, eis fugam, non concertationem suadet, tempore persecutionis, Matth. 10. 23. Tertio, ob pulchritudinem pennarum columbæ. Quarto, quia a Palæstinis Syris et Babyloniis in magno honore habebantur columbæ. Vide a me dicta satis fuse Psal. 54. 7. in illud: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ: et volabo, et requiescam?* Columba apud Hebræos erat felicitatis symbolum: unde qui erant ditiores eius alas gypso illitas effingebant tectis, ut ait Euthy-

Pennæ columbæ quid significent. — *Gratia Dei et fervor spiritus sunt alæ columbæ.*

mius. Symbolice, duæ alæ columbæ nobis necessariæ sunt. Primo, gratia Spiritus sancti, qui est columba super Christum baptizatum et super omnes eius filios sedens. S. Greg. Naz. oration. 17. pag. 266. dicit, a Davide nostro optari pennas columbæ: quia spiritum adumbrant, cuius unius auxilio pericula fugiuntur, ut quam longissime se a præsentibus malis removeat. Secundo, ala columbæ est fervor spiritus, qui ideo in igne descendit super Apostolos. S. Greg. Papa hom. 30. in Evangelia: *In columba*, inquit, *Spiritus sanctus, et in igne monstratus est: quia omnes quos repleverit, simplices et ardentes facit. Simplices puritate, ardentes æmulatione. Neque enim placere Deo, aut simplicitas sine zelo, aut zelus sine simplicitate potest. Hinc ipsa Veritas dicit Matth.* 10. 16. *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Hic est ignis, qui cecidit in sacrificia Abelis, Gedeonis, Eliæ, Salomonis, et aliorum.

73. *Album et nigrum varia significant.* Quæres secundo, cur pennas illas dicit fore deargentatas? Resp. per pennas deargentatas intelligi pennas albas. Sic Theodoricus apud Cassiodorum lib. 4. variar. epist. 1. equos argenteo colore vestitos dixit, id est albo. Color autem albus symbolum est, Primo bonitatis, innocentiæ, puritatis et castitatis. Contra vero, color niger est symbolum malitiæ. Unde illud ad rem nostram: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.* Et aliud: Albus, an ater sis nescio. De Nazaræis conqueritur Ieremias Thren. 4. 7. quod cum essent prius candidiores nive et nitidiores lacte, denigrata esset facies eorum, super carbones. Ps. 71. 9. *Coram illo procident Æthiopes,* Chald. vertit: *Coram illo procident proceres:* impii scilicet. Amos 9. 7. *Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel?* Ubi S. Hier. ait: In omnibus scripturis Æthiopes dicuntur, qui penitus in vitia demersi sunt. Pythagoras monebat, ne gustaremus de his quibus nigra est cauda: id est, ne versaremur cum sceleratis. Hinc rei alicuius criminis procedebant atrati, tum apud Romanos, tum apud Hebr. Candidati vero prodibant, qui magistratum aliquem ambiebant, ut ipsa veste suam innocentiam testarentur: unde, ut ait Seneca epist. 3. omnes candidatos appellabant viros bonos. Secundo, albus color est vitæ symbolum: hic itaque dormienti inter medios cleros et pericula iure dantur pennæ albæ, ut speret vitam. S. Hier. notat, equo albo invectum Christum in Apocal. cap. 19. ut notaretur eius immortalitas. Verba eius sunt in cap. 66. Isaiæ: *Equo rufo,* inquit, *sedebat Dominus atque salvator, humanum corpus assumens. Equo autem sedebat albo, quando post resurrectionem, immortale et incorruptum corpus assumpsit. Et quicumque cum sequebantur, candidis utebantur equis, incorruptis videlicet immortalibusque corporibus.* Ita Hieronymus, cui tamen non assentior dicenti Christum insidere equo rufo Apocal. 6. 3. Nam illi equo insidens aufert pacem de terra. Christus autem est princeps pacis, et veniens in terram hominibus attulit pacem, et totum mundum tunc in pace esse voluit. Equo itaque illi rufo insident tyranni Ecclesiam persequentes, ut Traianus, Antoninus, Decius, Diocletianus et alii. Tertio, albus color signum est felicitatis et victoriæ. Apoc. 6. *Ecce equus albus: et qui sedebat super illum, habebat arcum: et data est ei potestas, et exivit vincens, ut vinceret.* Sessor illius equi est Christus: equus sunt Apostoli eum portantes per varia regna: arcus est sacra Scriptura et prædicatio evangelica, quæ sagittis acutis et ignitis transfigit atque inflammat corda hominum. Dies albo signanda lapillo, est dies læta et fausta. Contra, soles atri, id est tristes et infausti dicebantur, et nigræ in luctu vestes assumebantur olim, et nunc id etiam fit. Quarto denique, albus color est pacis symbolum: unde deditionis pacisque petitio, ut ait Corn. in Apocal. olim, nonnisi sublata alba

74. *Argentum est fidei symbolum ob tria.* veste, firma et rata habebatur. Hinc Æneas lib. 3. Æneidos, ex candore equorum, qui in conspectu Italiæ apparuerunt, pacis omen accepit. Tamerlanes obsidens urbem, primo die vexillum candidum quasi signum pacis, si se dederent, prætendebat: secundo die, atrum: tertio die, cruentum. Quod si te delectat argentum in pennis, nota argento denotari fidem propter tria. Primo ob candorem, qui est index veritatis et sinceritatis fidei. Richard. a S. Victore in alleg. super Danielem: *Argentum,* ait, *quo frequentiori usu atteritur, eo utique clarius redditur: sic veritas, quo magis discutitur, eo melius commendatur.* Hoc argentum dat columba nostra, id est Spiritus sanctus qui est Spiritus veritatis, Ioan. 16. 13. Illo argento anima ornatur. Salvian. in epistolis: Præter cæteras, ait, castimoniæ sapientiæque virtutes, est etiam fides nobilis, *quæ omnibus semper ornatibus ornamento est:* quia sine hac nihil tam ornatum est quod ornare possit. Iulianus Imp. epist. 19. ait, vocari ab Homero argentum illustre, et Lunam argenteam a Sappho; unde concludit: Quare diis argentum potius quam aurum congruere, coniectare possit aliquis: ita ille. Aurum tamen Deo convenit, ut patebit infra. Secundo, argentum est symbolum fidei, ob pretium. Hoc indicavit Leo III. Papa, cum Apostolorum Christi symbolum inscribi curavit in scutis argenteis. De eo sic ait Anastasius. Hic pro amore et cautela orthodoxæ fidei fecit scuta argentea duo, scripta utraque symbolo: unum quidem litteris Græcis, et alium Latinis, sedentia dextra lævaque super ingressum corporis, pensantem inibi libras nonaginta quatuor, et uncias sex: ita Anastasius. Articulos symboli inclusit argento, ut indicaret omni rei luteæ fidem esse præferendam. Tertio denique, argentum est fidei symbolum, ob sonum. Hinc murenulas aureas vermiculatas argento dat auribus sponsæ suæ, id est animæ sanctæ, Christus, Cant. 1. 10. ubi sic ait: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas,* id est variegatas, *argento.* Quem locum sic explicat S. Gregor. *Murena,* inquit, *piscis est, qui captus vertit se in circulum, ad cuius exemplar fit inauris, quæ murenula dicitur, qua designatur prædicatio, quæ auribus inhæret, et eas penetrat. Murenulis monilia collo ligantur: quia et sapientia et religio a Scripturis sanctis, prædicatoribus adiungitur. Per murenulas enim sancta Scriptura intelligitur. Quæ bene auro et argento vermiculatæ dicuntur: quia et sapientia sancta Scriptura fulget, et sonora prædicatione per universum mundum auditur. Sicut enim per aurum sapientia, sic per argentum sancta prædicatio demonstratur:* hæc Gregorius. Videamus, ut non in cute tantum extima simus argentei, sed ut fides ad mentis intima penetret. S. Greg. 18. Mor. 11. Argento, inquit, intelligi sacri eloquii claritas solet: eloquia Domini, eloquia casta argentum igne examinatum. Et quia nonnulli eloquium Dei non interius per exhibitionem, sed exterius per ostensionem habere concupiscunt; idcirco per Prophetam Sophoniam dicitur cap. 1. *Disperierunt omnes involuti argento.* Hi nimirum, qui eloquio Dei non interiori refectione se replent, sed exteriori ostensione se vestiunt: hæc ipse. Argentei Æthiopes iure vocabuntur, qui exterius puri, interius nigri sunt. S. Hieron. epist. 100. Bonosum vellicat. An ideo, ait, tibi bellus videris, quia fausto vocaris nomine? Quasi non et Lucus ideo dicatur, quod minime luceat: et Parcæ, quod nequaquam parcant: et Eumenides, furiæ, quod non sint benignæ: et vulgo Æthiopes vocentur argentei: ita Hieronymus. Cave ne nomen habeas, et facta non habeas. Psalterium Ambrosianum habet, *Pennæ columbæ circumargentatæ.* Æthiopes albi sunt tantum secundum dentes, columba Dei ex omni parte alba est: ne nota quidem nigredinis in ea una est.

Non argento solum, sed etiam auro irradiat anima sancta; unde additur: ET POSTERIORA DORSI EIUS IN PALLORE AURI, id est, habentia colorem auri pallidi. In collo columbæ, si agitetur, et varie radiis percutiatur, apparent varii colores, ut quotidie cernimus. De illis, sicut de coloribus iridis philosophandum est: nempe, non esse veros colores, sed tantum apparentes. Pro *posteriora dorsi,* Septuag. habent μεταφρένα, id est inter scaplea, ut vertit S. Hilarius, hoc est interstitium, quod est inter humeros seu scapulas. Rufus censet μετάφρενον esse partem inter dorsum et lumbos, qua renes adiacent. Alii, esse totam partem posteriorem corporis a collo usque ad cinctum, 75. *Vers. 15. 2. Pars. Versiones variæ.*

quæ obiicitur præcordiis a tergo, q. d. *Post præcordia.*

76. *Aurum sæpe est causa cladis.* Secundo, pro *in pallore*, habetur Hebr. in ירקרק *ierakrak*, id est in virore: ita S. Hieronym. In viriditate: ita S. Augustinus et Felix; in collo columbæ apparet color viridis intermistus colori aureo; 2. *ierakrak* significat flavum, subrufum; hinc Arias reddit, *in flavo auro*. R. Abraham censet geminatione illa minui significationem: itaque *ierakrak* esset subviride aut subflavum, aut subrufum, quod est magis conveniens huic loco psalmi. Aliud contra censent significationem augeri; itaque significaret valde viride, flavum, aut rufum; 3. denique, *ierakrak* est pallidum, seu pallor. Unde Noster et Flaminius vertunt, *in pallore auri*. Nota, חרוץ *aruts*, unde *aurum*, dictum a Latinis arbitror, significat, 1. aurum; 2. foveam; 3. concisionem et cladem; 4. tribulam ferream, et serratam, qua grana excutiuntur e segetibus. Ubi adverte, quod aurum sæpe cladem affert domino suo, et eum in foveam deiicit perditionis, eumque tribulat et conterit. Sæpe etiam divites auro suo et potentia tribulant pauperes, et ab iis excutiunt ipsorum substantiam; 5. denique, *aruts* cum est nomen Toar, id est adiectivum, significat acrem, strenuum, sollicitum, solertem: tales sibi aurum comparant atque divitias. Vigilantibus enim iura succurrunt.

77. *Mystice, quid pennis columbæ argentatis et inauratis figuretur.* Mystice. Suidas arbitratur, argento pennarum denotari simplicioribus et candidioribus communicari simpliciora Spiritus sancti munera: in auro dorsi, perfectioribus altiora convenire.

Secundo, Ugo Card. in argento pennarum significari vult innocentiam et simplicitatem: in posterioribus dorsi, exempla patientiæ Sanctorum, quæ sequentibus videnda relinquunt: in pallore auri, imitationem Iesu Christi, qui est aurum et pretiositas Ecclesiæ. Cant. 5. 11. *Caput eius aurum optimum.* Aurum istud pallidum fuit in passione, Isaiæ 53. 5. *Livore eius sanati sumus.* Talia posteriora ostendebat Apostolus 1. Cor. 11. 1. *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Galat. 6. *Stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto:* ita Ugo.

Tertio, in candore argenti malim intelligere fidei et morum puritatem, in pennis spem, in auro charitatem, quæ est adhuc pallida his terris, erit splendida in cælis. Hic tamen, licet aurum charitatis palleat, est purum et defæcatum. Syr. vertit: *Si dormieritis inter scobes:* id est inter peripsemata, seu ramenta et purgamenta, (noster Ioan. Baptista Ferrarius vocem Syr. *sephoie*, vertit offendicula, vel stimulos, in suo nomenclatore Syriaco) *alæ columbæ tectæ argento, pennæque eius auro purissimo.* Arabs reddit, Si dormieritis in medio planitiei, illic alæ columbæ contectæ argento, et humeri eius in pallore auri purissimi. De charitate vero sic ait S. Augustinus: *Inter scapulas pars est utique corporis, pars est circa regionem cordis: a posterioribus tamen, id est a dorso, quam columbæ illius deargentatæ partem in viriditate auri esse dicit; hoc est, in virore sapientiæ, quem virorem melius non puto intelligi posse quam charitatem. Sed quare a dorso, et non a pectore? Quamquam mirer quomodo positum sit hoc verbum in alio psalmo, ubi dicitur Ps. 90. 4. Inter scapulas suas obumbrabit tibi, et sub alis eius sperabis: cum sub alis obumbrari non possit nisi quod a pectore fuerit, et Latine quidem inter scapulas fortasse aliquo modo ex utraque parte possit intelligi, et ante et post, ut scapulas accipiamus quæ in medio caput habent. Et in Hebræo sit fortassis ambiguum, quod possit et hoc modo intelligi. Sed quod in Græco est* μεταφρενον, *nonnisi a posterioribus significat, quod est inter scapulas: utrum propterea ibi est auri viriditas: id est, sapientia et charitas, quia ibi sunt quodammodo et radices alarum, an quia ibi portatur illa sarcina levis? Quid enim sunt vel ipsæ alæ, nisi duo præcepta charitatis, in quibus tota lex pendet et Prophetæ? Quid ipsa sarcina levis, nisi ipsa charitas, quæ in his duobus præceptis impletur? Quidquid enim difficile est in præcepto, leve est amanti. Nec ob aliud recte intelligitur dictum Matt. 11. 30. Onus meum leve est, nisi quia dat Spiritum sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, ut amando liberaliter faciamus, quod timendo qui facit, serviliter facit. Nec est amicus recti quando mallet, si fieri posset, id quod rectum est non iuberi:* hæc August. Dicit Apostolus 1. Cor. 13. 7. *Charitas omnia sustinet.* 2. Cor. 11. 29. *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Omnes hortatur Galat. 6. 2. *Alter alterius onera portate.* Zoroastres dicebat, animam duas habentem alas, atque e cælo ruentem, unam amisisse: conandum, si revolare velit, ut alteram accipiat. Utramque dat charitas; unam quidem qua evolet ad Deum cum Seraphinis Isaiæ, et Cherubinis Ezechielis: alteram qua descendat ad proximum cum angelis a Iacob Patriarcha conspectis. His alis vir fortis omnia penetrat: fortis enim est, ut mors, dilectio. Felix princeps Salerni, et generalis dux, ut alacritatem suam sine temeritate, regi suo testatam faceret, in symbolum alatam testudinem sibi sumpsit, cum hac inscriptione, *Amor addidit:* alas scilicet.

In ea charitate aurum (id est divitiæ Christiani) situm est. S. Chrysost. tom. 5. pag. 566. serm. de Pentecoste: Η αγαπη, ait, ριζα, και πηγη, μητηρ εςιν απαντων αγαθων: *Charitas radix est, et fons, materque omnium bonorum. Etenim tamquam radix sexcentos virtutum ramos germinat: quasi fons, multos latices profundit: et, ut mater, gremio suo ad se confugientes arcte complectitur.* Et homil. de misericordia: *Ille*, inquit, *vere est dives, qui in Deo dives est: qui magis misericordia opulentus, quam divitiis, facultates suas cum pauperibus dividit, qui locupletem se dando magis, quam habendo ostendit.* S. Ambr. lib. 6. de Sacramentis: Habes, ait, in quo sis dives. In quo divitiæ tuæ? Pudicitiæ sunt et castitatis infulæ, fides, devotio, et misericordia: ita ille.

Illæ sunt veræ divitiæ, et præ ipsis cæteræ sunt contemnendæ. 78. *Divitiæ terrenæ contemnendæ.* S. Gregor. Naz. in sententiis: *Curabis*, inquit, *ut solas divinitatis opes tibi compares, mundumque universum arancarum telis similem semper arbitreris.* S. August. serm. 5. ex 40. qui novissime excusi sunt, pie et ingeniose terrenis omnibus amorem Dei et Deum præferri debere educet: *Si*, ait, *per quamdam dementiam præposuero argentum auro, ideo demens dicor, quia ambo intueor, quia ambo manu contrecto, præpono viliorem chariori. Aurum Deo quomodo præpono? Aurum video, Deum non video. Nec hic te excusabis. Quare amas argentum? quia carum est, quia caro valet. Quare plus aurum? quia carius est. Argentum carum, aurum carius. Deus ipsa charitas est.* Et serm. 4. ex iisdem quadraginta ait: *Ecce quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Quid volui? Divitias fluxas, caducas, volaticas? Quid volui? aurum? terræ pallorem: argentum? terræ livorem: honorem? temporis fumum.* Alcuin. epist. 66. Avarus, ait, aurum quærit: et quid in auro nisi species vana? Ipse Iulianus Imper. orat. 2. quæ est de Constantii rebus gestis pag. 149. *Aurum omne, quod sub terris vel in terris est, cum una virtute non est comparandum. Quamobrem qui ea præditus est, hunc nos sine ulla cunctatione,* πλουσιον καλωμεν, *divitem vocemus:* ita ille. Unde iure cum S. Chrysostomo, furiosum illum existima, qui spretis virtutibus ad terrena anhelat. Sic enim in 1. ad Timoth. hom. 17. dicit, avaros αληθως μαινομενους και εξεςηκοτως, vera furere insania, et mentis esse impotes: naturæ leges ac præcepta Dei, et omnia prorsus violare. Eorum animam ξιφη μυρια κατεχειν, *mille præcingi gladiis:* nullum agnoscere, sed æque furere in omnes, omnibus insilientes et contra omnes oblatrantes: non canes, sed humanas animas necantes, atque impie in cælum ipsum blasphemantes: ita ipse. Quis non amentem et furiosum putet, qui hæc tam contraria divinæ et humanæ charitati faciat, auri, argenti aut gemmarum, aut vestium pretiosarum amore captus? Quid est enim gemma, ut idem S. Doctor loquitur, nisi, υδωρ θαλαττιον, maris aqua? Quid aurum et argentum? nisi, σποδος, id est cinis? Quid serica vestis et pretiosa? nisi, σκωληκων υφασμα, vermium contextus? 79.

Sacerdoti octo necessaria. Symbolice. Octo notantur in hoc versu, quæ necessaria sunt sacerdoti. Primum est, quies mentis, quoad se,

quod notatur per, *Dormiatis*. Cantic. 5. 2. *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Ioan. 14. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Secundum est, concordia, sive pax cum aliis, quod notatur ibi, *Inter medios.* Marc. 9. 50. *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos.* 1. Cor. 1. *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, in eadem scientia.* Tertium est, scientia duorum testamentorum, quod notatur per *cleros*. Ps. 103. 12. *De medio petrarum dabunt voces.* Cant. 7. 13. *Omnia poma nova et vetera, dilecte mi, servavi.* Matth. 13. 52. *Omnis scriba doctus in regno cælorum de thesauro suo profert nova et vetera.* Quartum est, volatus contemplationis, quod notatur ibi, *Pennæ*. Isaiæ 60. 8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* Psal. 54. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo?* Quintum est, simplicitas, quod notatur ibi, *Columbæ*. Matth. 10. 15. *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Sextum est eloquentia, quod notatur ibi, *Deargentatæ*. Unde Moses se excusat, Exod. 4. 10. *Obsecro Domine, non sum eloquens.* Ierem. 1. 6. *A, a, a, quia puer ego sum, et ecce nescio loqui.* Unde Exod. 28. 35. *Vestietur ea Aaron, id est tunica cum malis punicis, et tintinnabulis, in officio ministerii, ut audiatur sonitus, quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur.* Ibi Glossa: Omnia sacerdotis vocalia sint, ut veritatem, quam mente suscipit, habitu resonet: et quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit. Unde Ioan. Baptista interrogatus, quis esset, respondit, Matth. 3. 3. *Ego vox clamantis in deserto.* Num. 10. 2. *Fac tibi duas tubas argenteas.* Septimum est, compassio ad proximum, quod notatur ibi, *Posteriora dorsi.* Nam in dorso portatur onus. Gal. 6. 2. *Alter alterius onera portate.* Octavum est charitas, quod notatur ibi, *In pallore auri.* Eccl. 28. 30. *Aurum tuum et argentum tuum confla, id est, purifica.* Sap. 3. 6. *Tamquam aurum in fornace probavit illos:* ita Ugo Cardin. Aurum in hac vita est pallidum, tum quia etiam Sancti tremunt in persecutione; tum quia non est ita perfecta charitas, quin adhuc aliquid misceatur de amore proprio.

ARTICULUS IV.

Spiritus sanctus Apostolos Ecclesiæ dividit, ut virtutem omnes sciant et sequantur.

REGEM Christum daturum verba evangelizantibus, dixerat David: nunc dicit, quod eos reges per Spiritum
80. sanctum constituet, et toti orbi dividet, ut Ecclesiam re-
Vers. 16. gant, instruant et purificent, v. 16. DUM DISCERNIT (dividit) CÆLESTIS REGES SUPER EAM (Ecclesiam, seu hæreditatem) NIVE DEALBABUNTUR IN SELMON (qui mons Selmon describitur): MONS DEI, MONS PINGUIS. Hebr. mons Basan, unde Lorinus putat agi de monte Basan: sed hoc loco sumitur *Basan* appellative, id est pinguis;
Vers. 17 v. 17. MONS COAGULATUS (id est, instar casei densatus, q. d. Totus ita pinguis, ut videatur esse totus lac et caseus. S. August. legit, montes incaseatos, id est, velut in caseum transformatos) MONS PINGUIS, UT QUID SUSPICAMINI (S. Hilar. *suspicitis:* et in hac significatione, licet minus usitata, sumi hic arbitror τὸ suspicamini) MONTES COAGULATOS? Τὸ, *ut quid suspicamini montes coagulatos?* est insertum, velut per parenthesim. Pergit deinde exponere, qualis sit mons Selmon, id est, Ecclesia,
Vers. 18. quam prius per columbam delineaverat: addit enim v. 18. MONS IN QUO BENEPLACITUM EST DEO HABITARE IN EO. (τὸ *in eo* redundat per pleonasmum hebraicum) ETENIM DOMINUS HABITABIT IN FINEM, id est, semper: in monte Selmon, id est, in Ecclesia.

81. Sensus huius loci est Primo, ut ait Lorinus, q. d. Dum habitator cæli, atque omnipotens Deus et Christus pro sua pugnabit Ecclesia discernens ac dissipans potentes in terris, tum dæmones, tum impios homines adversarios,

A ipsa Ecclesia quodammodo nivescet, ac lætabitur mirifice felix, quo solet pacto Selmon, per se alioqui cavernosus et umbrosus mons, nive splendescere. Sed vix poterit exponi quid sit τὸ *super eam.*

Secundo, Theodoretus et Euthymius exponunt de missione Spiritus sancti in Pentecoste, cum Apostolis divisa est gratia eius, et ipsi per totum orbem dispersi sunt. Verba Theodoreti sunt: *Reges, Apostolos nuncupavit, tamquam regni cælorum hæredes* (non ob hoc tantum, sed quia præfecti sunt Ecclesiæ, ut dicetur infra) *ut etiam in quadragesimo quarto psalmo principes nominavit. Constitues enim eos, inquit, principes super omnem terram. Cæterum Spiritus sancti gratiam prædicit, in die Pentecostes, in quo ipsi linguarum discriminis gratiam acceperunt. Dicit igitur ea tempestate, qua ipsis orbis terrarum regna dividit, et hunc quidem his gentibus, hunc vero illis præesse iubet, illustrabit ipsos, et similes nivi ostendet. Prædicit autem etiam locum, in quo hæc fient. Selmon enim Ierosolymam nominavit: in illa namque civitate Apostolorum*
B *chorus degens, sancti Spiritus gratiam consecutus est:* ita Theodoretus. Sed non placet, quod in Selmone vult Ierusalem designari: non enim ibi Dominus habitabit in finem, hoc est semper.

Tertio itaque, et optime ac perspicue, Bellarminus sic exponit: Descripsit Propheta Prædicatores, per similitudinem dormientium inter cleros et Ecclesiam, per similitudinem columbæ deargentatæ et deauratæ: nunc describit eosdem Prædicatores per similitudinem regum a summo rege constitutorum: et Ecclesiam, per similitudinem montis altissimi candidi propter nives, et uberrimi propter abundantiam lactis. Selmon enim mons est altissimus, et ideo nivibus in vertice coopertus, sed in imo fertilis, cuius fit mentio in lib. Iudicum, cap. 9. Ait igitur, *Dum discernit cælestis reges super eam:* id est, Dum *cælestis:* vel, ut est in Græco, *super cælestis*, et, ut est in Hebr. *Sciaddai omnipotens:* Deus videlicet Christus, Rex cælestis, et omnipotens, *discernit*, id est, dividit ac segre-
C gat unicuique provinciæ, *Reges super eam*, id est, Apostolos super Ecclesiam, per columbam antea designatam: eos enim constituit Principes super omnem terram, ut regant ac dirigant populos. *Nive dealbabuntur in Selmon:* id est, tunc populi multi iustificabuntur, et nigrore peccatorum in candorem iustitiæ commutato, super nivem dealbabuntur in Selmon monte altissimo, qui Ecclesiam significat. Qui mons Selmon est mons Dei, mons pinguis: quoniam Ecclesia est mons, propter excellentiam dignitatis: et est mons Dei, quia in ea Deus habitat: elegit enim eam in habitationem sibi: et est mons pinguis ob abundantiam gratiæ, et Spiritus sancti. Et est etiam mons coagulatus, et per hoc pinguissimus: quia lac divinæ gratiæ non defluit: sed quasi coagulatum in ea semper manet. *Ut quid suspicamini montes coagulatos:* id est, quare suspicamini, vel opinamini esse alios montes æque coagulatos, et pingues? q. d. Non est quod existimetis, esse alios montes æque pingues, atque hic Selmon. Hic enim est unicus
D mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: nec in eo habitabit ad tempus, ut fecit in monte Sina, sed habitabit *in finem*, id est, semper. Hæc videntur dici adversus hæreticos, qui alias Ecclesias erigere conantur. Pro voce *suspicamini*, legunt aliqui, *æmulamini*, vel *contenditis:* sed idem est sensus. Significant enim illæ voces, frustra alios montes contendere cum isto monte, vel ei invidere. De hoc monte legimus apud Isaiam cap. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles: et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Ascendamus in montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius.* Quæ sine controversia intelliguntur de Ecclesia: hæc Bellarminus enucleate. Reiiciendus est Caietanus, qui hæc accipit de quinque regibus devictis a Iosue, in quorum exercitum Deus immisit lapides grandinis, in memorabili illa pugna, cum sol stetit, Iosue 10. 11.

82. *Apostoli sunt reges Ecclesiæ.* Nota primo, principes et reges Ecclesiæ sunt omnes Apostoli. Ps. 44. 17. *Constitues eos principes super omnem terram.* Apostoli enim singuli habebant potestatem prædicandi, et omnia ministeria sua exercendi in tota terra, sub directione tamen S. Petri principis Apostolorum: cui non tantum agni, sed ipsæ oves, id est, Prælati, commissæ sunt a Christo, Ioan. 21. 17. cum cæteri Apostoli nullam in se invicem haberent potestatem. Vide ibi dicta de eorum regia dignitate, ratione ordinationis Christi; 2. reges erant Apostoli ob eminentem virtutem. Iulianus Imp. oration. 2. pag. 149. *Qui, ait, virtute præditus est, hunc nos sine ulla cunctatione divitem appellamus. Adidam etiam, si cui idem videtur, ευγενη και βασιλεα, nobilem et regem. Est enim nobilitas ignobilitate præstantior: et virtus ea animi affectione melior, quæ non omni ex parte cum virtute ac probabilitate coniuncta est.*

83. *Virtus animas dealbat.* Nota secundo, gratia Dei et virtus Sanctorum animas dealbant, et columbas niveas efficiunt: *Nive dealbabuntur in Selmon,* q. d. ait S. August. *Gratia candificabuntur in protectione corporis Christi;* alludit ad etymon *Selmon*, quod significat umbram, ut mox dicam. Dealbationem animæ per gratiam promittit Deus Isaiæ 1. 18. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum* (S. Basil. ut phœnicium, id est, ut lepra: sed non placet. Coccinum est purpura) *quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.* De ea re dixi Ps. 50. 9. Sancti dealbant stolas suas, id est sua vestimenta in sanguine Agni. Apocal. 7. 14. S. Norberto vestes albas pro se et alumnis suis obtulit Deipara: unde Ordo Præmonstratensis vocatur, *candidissimus Ordo.* Cæsaraugustani martyres sub Daciano passi, dicti sunt *Massa candida*, quod eorum cineres, nive candidiores, ab aliis terris discerni potuerint. Sylva nigra in Germania dicta est *Sylva candida*, ob martyrium Ss. Marcellini et Petri, ut habetur in Martyrol. Rom. 2. Iunii. Ibi vide Baronium agentem de Massa candida, die 3. Novembris. S. Sylvestri anima visa est cælum ascendere in specie viri candidissimi, hoc refert Andreas Iacobi Generalis Ord. de monte Fano, sive Sylvestrinorum, in vita S. Sylvestri Abbatis Auximatis. *Visus S. Sylvester cælum ascendere candido vestitu.* Cuidam, inquit, e nostris, qui Pater Bona Pars dicebatur, in Æsino cœnobio degenti, quod a monte Fano distabat minimum passuum millia 25. divinitus accidit, ut dormienti per speciem ostensæ sint scalæ, quæ a cœnobio montis Fani ad cælum usque pertingerent, quibus Angelorum chori descenderent, et Sylvestri animam beatissimo lumine fulgentem, *specie pulcherrima viri nive candidioris in cælum delatam, Domino scalarum cacumini innixo, ingenti gratulatione atque significatione lætitiæ sistere.* Sacerdos hac visione e somno excitatus, convocatis fratribus, Sylvestrum diem suum obiisse nuntiat: quod non prius crediderunt, quam postridie eius diei nuntius ad eos illius rei est delatus. Ex S. Remacli sepulcro visa est egredi columba nivea in signum eius puritatis. Eum candorem dat Spiritus sanctus, qui sæpe visus est specie columbæ niveæ, aut insidere super capita virorum pietate illustrium, ut S. Gregorii Agrigenti Episcop. et S. Severi Ravennæ Episcopi: aut illis loqui, ut S. Basilio concionanti. S. Cyrill. Ieros. catech. 16. *Est, ait, Spiritus sanctus, μεγιστη δυναμις, maxima potentia, divinum quiddam et investigabile. Nam vivit, et rationalis est, sanctificans per Christum omnes, qui sunt a Deo conscripti:* ita Cyrillus.

84. *Ecclesia est mons Selmon et cur?* Nota tertio, Ecclesia est mons Selmon, in quo dealbantur viri sancti. Primo, Ecclesia est mons, 1. ob altitudinem et sublimitatem doctrinæ; 2. ob stabilitatem et firmitatem, quia portæ inferi adversus eam non prævalebunt; 3. ob thesauros gratiarum et mysteriorum in ea latentium; 4. ob fontes baptismi et pœnitentiæ, quibus anima lavatur; 5. ob oliveta, oleo enim utitur in Sacramento Confirmationis, Ordinis, et Extremæ Unctionis; 6. ob vinum Eucharistiæ; 7. ob pascua necessaria coniugatis, et aliis fidelibus, qui sunt oves Christi. Secundo, specialiter est mons Selmon ob umbram salutarem Spiritus sancti, Christi, et Sanctorum. S. August. in Ps. nostr. *Selmon*, inquit, *interpretatur umbra. Ecce quomodo nive dealbabuntur in Selmon, in gratia Spiritus Christi, quo eius etiam propria dona discreta sunt, de quo dictum est Luc. 1. 35. Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: hoc est, umbram faciet tibi. Propterea et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Umbra porro ista defensaculum intelligitur ab æstu concupiscentiarum carnalium: unde illa virgo Christum non carnaliter concupiscendo, sed spiritualiter credendo concepit. Constat autem umbra lumine et corpore. Proinde illud quod in principio erat Verbum, lumen illud verum, ut umbraculum meridianum fieret nobis, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: Deo scilicet homo, tamquam lumini corpus accessit, et in eum credentes umbra protectionis operuit. De tali umbra scriptum est Ps. 16. 8. Sub umbra alarum tuarum protege me.* Vide illum locum. Huc flecti potest illud Deut. 33. 12. *Beniamin amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur* (Sept. vertunt, Et Deus obumbrat super eum omnibus diebus) *et inter humeros eius requiescet.* S. Ambros. cap. 12. de benediction. Patriarch. hæc verba ad Paulum flectens, a Christo ait esse illum adumbratum. Habitabit, ait, fidens in domo, quam ante vastabat, habitabit in tabernaculis Christi, qui antea sicut lupus errabat in sylvis, et Deus obumbravit super eum, quando visus est ei Christus. Ita Ambrosius, qui rursus serm. 118. serm. 19. ait: Umbra, caro Christi fuit, quæ nostrarum æstus refrigeravit cupiditatum, quæ compescuit insolentiam vitiorum, quæ restinxit ignes libidinum, quæ avaritiæ diversarumque passionum incendia temperavit. Et quid dicam de umbra Domini, quando Apostolorum umbra sanabat? ita ipse. Alludit ad umbram Petri, qua tangente ægrotum unum, omnes sanabantur, ut ait Bozius lib. 18. De umbra Pauli dixi supra ex S. Chrysostomo. De umbra Christi dicens illud Ier. Thren. 4. 20. *In umbra tua vivemus in gentibus.* B. Thomas a Villanova concion. 1. de Annuntiatione: Competenti, ait, similitudine, Christi sacratissima caro, Deitatis umbra nuncupatur: quia sicut umbra corporis motus, formamque insequitur; ita a Deitatis nutibus sacerrima humanitas illa neque ad modicum deviavit, sed quocumque iret spiritus, sequebatur et corpus, ut et de rota olim Propheta prædixerat: ita ille. Quis in illa umbra non quiescat? de qua Vates noster Ps. 90. 4. *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis.* Hoc egregie illustrat S. Ambros. in Ps. 118. octon. 3. Nobis, inquit, manus suas expandit Iesus, ut totum mundum obumbraret. Quomodo non sumus in umbra, quos Crucifixus a malignitate sæculi, et corporis ardore defendit: ita Ambrosius.

SECTIO TERTIA.

85. *Duo exponit. Primo, qualiter se triumphator Christus in cælum ascendens, gesserit erga captivos, quos ab hoste liberaverat, vers. 19. Secundo, quam severe ipsos hostes captos contriverit, vers. 26.*

PARAPHRASIS.

19. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.*

19. Currus quo vehebatur Deus, cum in montem Sinai ascendit, legem ibi populo suo promulgaturus, erant innumera angelorum millia lætantium de tanta Dei erga homines benignitate. Deus autem in eorum medio sedens apparuit esse Dominus, supra montem illum eius præsentia sanctificatum atque consecratum.

20. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus: Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.*

20. In summum cælorum verticem supra omnes Seraphinorum et Cherubinorum thronos evolasti, tecumque eductos ex inferis homines iustos evexisti; qui se suaque omnia tibi in gratiarum actionem obtulerunt: tuque vicissim dona hominibus a Patre impetrasti, etiam iis, qui prius non credebant te incarnatum his in terris habitasse, et esse totius orbis Dominum.

21. *Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.*

21. Per singulos dies ab omnibus orbis nationibus lauderis, tam benigne Salvator et Domine. Felix et securum iter nobis in cælum præstabis, cum sis Deus salutis nostræ, qui tot laboribus ab hostium nos unguibus eripuisti incolumes.

22. *Deus noster Deus salvos faciendi: et Domini Domini exitus mortis.*

22. Tibi proprium est salvare, et variis modis a mortuis eripere, cum vel maxime in mortis periculo versati fuerimus.

23. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.*

23. Tu Domine Deus noster, dæmonum et obstinatorum hominum tibi obstantium audaciam contundes, ac superbiam deprimes. Tu capitis eorum verticem, in cælos erectum, victrici planta conteres, cum eos elato collo et supercilio videas in sceleribus suis perseverare et gloriari.

24. *Dixit Dominus, ex Basan convertam: convertam in profundum maris.*

24. Olim dixit Deus, ex regione Basan et tota Chananitide eiiciam hostes populi mei: eosque in præceps et in profundum malorum, unde emergere non possint, præcipitabo.

25. *Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.*

25. Tantasque eorum strages edam, ut pes tuus, o David, et totius populi mei Israel, cæsorum sanguine purpuretur, et canes ad illum lambendum sanguinem, et devorandos impios advolent. Idem tu præstabis exterminans idololatriam et vitia per tuos Apostolos.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta captivorum liberatorum lætitia in Ascensione Christi!

86. Ordo Sectionis. Sectione superiori contemplati sumus, quam præclara dona ducibus suis ac militibus Triumphator noster distribuerit. Nunc videndum est, qualem se gesserit erga eos, quos ab hoste liberavit, et erga ipsos hostes in triumphum ductos.

Primo itaque, sicut initio præcedentis sectionis fecerat, proponit figuram Ascensionis: cum scilicet Deus in montem Sinai comitantibus angelis ascendit, v. 19. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: Dominus in eis in Sina, in sancto.*

Secundo, veritatem adaptat figuræ, et ait, Christum ascendisse in cælum, v. 20. *Ascendisti in altum;* 2. captivos a se liberatos eduxisse, de more triumphantium, ad illustriorem pompam: *Cepisti captivitatem;* 3. dona ipsi a Patre oblata pro hominibus: *Accepisti dona in hominibus,* etiam pro barbaris prius non credentibus: *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum,* supple, cepisti.

Tertio, captivorum triumphalem hymnum, et suum, refert, v. 21. *Benedictus Dominus die quotidie.* Causam reddit illius admirationis et glorificationis: *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* Non solum iter facit prosperum, sed tandem ad metam perducit, et salutem perfectam dat, v. 22. *Deus noster, Deus salvos faciendi: et Domini, Domini exitus mortis.*

Quarto denique, hostes ipsos dæmones, qui captivos tenebant homines, esse conterendos edocet: 1. modum ostendit, v. 23. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum;* 2. causam assignat, eorum superbiam: *Verticem capilli perambulantium in delictis suis;* 3. locum declarat, in quem eos deiecturus est, profundum scilicet

A inferni, v. 24. *Dixit Dominus: ex Basan convertam in profundum maris;* 4. severitatem punitionis, et magnitudinem victoriæ aperit, v. 25. *Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.*

ARTICULUS I.

Triumphantis Christi maiestas, et gloria.

Priusquam declaret liberationem captivorum factam per Christum, repetit quanta fuerit ascendentis gloria, in curru sedentis, sicut olim Deus in curru sedit super montem Sinai, legem promulgans, v. 19. Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: Dominus in eis, in Sina (nunc Sinai, nunc Sina vocatur ille mons a nostro Interprete) in sancto, id est, in Sione, ut ait Lorinus, sed non placet: Est enim appositio, q. d. In Sina monte sancto, tum ob præsentiam Dei, tum ob legem datam in ipso. 87. Vers. 19.

B Nota, pro *decem millibus multiplex,* Hebr. est רבותים *ribbothaim,* id est, *bis decem millibus.* Nam singulare *rebaha* significat decem millia: ergo eius duale significat bis decem millia: cum tamen numerus certus et definitus ponatur pro indefinito et indeterminato. Interpres noster vertit, *decem millibus multiplex,* q. d. Multis decem millibus. Unde S. Hier. reddit: *Currus Dei innumerabilis.* Vim vocis præcise et stricte expressit Chaldæus, *Currus Deus binæ myriades ignis ardentis.* Et Pagn. *Currus Dei viginti millia.* Currus Dei ex multis angelis constabat.

Secundo, pro *lætantium,* Hebr. est שנאן *sinan,* vox quatuor litterarum, id est habens quatuor consonantes. Varii varie illam interpretantur. Primo, quidam volunt significare angelos. Hinc Chald. vertit: *Duo millia angelorum ducunt eos.* Pagn. Felix, R. David assentiuntur. Secundo, S. Hier. *abundantium.* Curterius Interpres Pro-

copii in cap. ult. Isaiæ, *exuberantium*. Tertio, Hervetus vertens S. Cyrill. in idem caput Isaiæ, *diligentium*. Quarto, Arabs, *exercitus*. Quinto, alii, *duplicationis*. Unde Arias reddit: Currus Dei duæ myriades, millia duplicata. Sexto denique, Noster Petavius, et alii, *lætantium*, alternis scilicet atque duplicatis choris. Sept. vertunt ευθυντων, id est dirigentium; 2. prospera fortuna utentium; 3. exuberantium; 4. lætantium. Apollinar. vertit, χορευτων, id est choros cum lætitia agentium. Pyrrhicis saltationibus in lætitia triumphi, et in ludis triumphalibus utebantur.

Quæres, quorum erant illa tot millia lætantium? Resp. angelorum. Innumeri enim comitati sunt Deum, id est, angelum Dei legatum, qui erat typus Christi, ascendentem in Sinai, ut cum maiori pompa legem populo Dei promulgaret. Deut. 33. 2. *Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, et cum eo Sanctorum millia:* non Prophetarum, ut volunt Thalmudistæ, sed Angelorum. Ubi adverte, quod Deus dicitur nonnunquam descendere in Sinai; o cælo enim veniens descendat oportet: nonnunquam dicitur ascendere, quia populus erat ad radicem montis stans: deinde, quia Deus seu angelus in nube sua residebat supra tabernaculum, quod erat etiam in castris populi, aut prope illa. Nam ante ædificatum illud celebre tabernaculum, cuius materiam, formam et ornamenta Deus ipse determinavit, Moses parvum habebat tabernaculum, in quo oraret, et cum Deo colloqueretur: inde igitur Deus pergens in Sinai ascendebat.

88. Qualis currus triumphantium Romæ.

Nota, Romæ triumphatoris currus erat aureus, vel eburneus, gemmis persæpe distinctus. Appianus tribuit Pompeio, αρμαλιθοκολλητον, currum gemmatum. Paulus Æmilius victo Perseo, triumphavit in curru aureo. Constantius autem in aureo gemmeoque, de quo Ammian. Marcellin. lib. 16. cum ait: Constantius insidebat aureo solus carpento, fulgenti claritudine lapidum. Tibullus mentionem facit eburnei currus, lib. 1. eleg. 8.

At te victrices lauros Messala gerentem,
Portabit nitidis currus eburnus equis.

Varie currus ille pingebatur, et quidem Scipioni tradit Appianus, αρμα καταγεγραμμενον ποικιλως, currum varie depictum. Belisarius Constantinopolim invectus est, curuli sella argentea, humeris captivorum. Philo appellat cælum, volucrem Dei currum. Plato fingebat, Iovem suum aureo vectum curru, frequentia deorum comitatum ire per templa cælestia: cælicolas autem illum intuentes, divinis cantibus salutare, eorumque vocibus cælum omne subsultare. David vero noster Deo dat currum ex angelis conflatum hoc loco, et in Ps. 79. 2. *Qui sedes super Cherubim*, quem locum consule. Angeli apparuerunt Elisæo ad modum curruum et equorum 4. Reg. 6 17. Vide S. Ambr. serm. 2. de illo Propheta. Elias eius magister raptus ab angelis in forma currus ignei apparentibus, 4. Reg. 2. 11. *Ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque*, Eliam et Eliseum, *et ascendit Elias per turbinem in cælum*. Ille ignis erat aer crassior, splendens, rubensque ut ignis, in quo latebant angeli eius motores. S. Ambr. serm. 2. de Eliseo: *Elias magister Elisei nonne angelis ducentibus raptus ad cælum est, et quadrigæ igneæ impositus, quasi in quodam triumpho victor ascendit? Victor enim extiterat non gentium barbararum, sed secularium voluptatum. Siquidem graviores inimici sunt pravi mores, quam hostes infesti: ut facilius intelligamus, hoc tempore malignitatem hostium vinci posse, quam morum*. Quomodo fuerit figura Christi ascendentis, ostendit S. Greg. hom. 29. in Evangelia.

89. Angeli sunt innumeri.

Nota secundo, innumera est angelorum multitudo, ut discimus ex lib. Iob cap. 25. 3. Matth. 26. 53. Hebr. 12. 22. Apocal. 5. 11. apud S. Dionys. Areopagit. de hierarchia, cap. 14. S. Birgitta 4. revelat. cap. 11. scribit, pro unoquoque homine plusquam decem angelos creatos esse. S. Greg. 17. Mor. 9. Numerus, ait, supernorum civium infinitus est, et definitus exprimitur: ut qui Deo est numerabilis, esse innumerabilis hominibus demonstretur. Iure itaque S. Epiph. admirabundus exultat, currum Christi aspiciens e tot myriadibus conflatum. Verba eius sunt serm. de Assumpt. Christi: *Ubi nunc sunt*, ait, *qui Circensibus ludis, equorumque cursibus capiuntur? quos aurigarum celeritas delectat? Agedum, venite, aurigamque per cælorum spatia admirabiliter gradientem cernite: adeste quæso* παραδοξον ιπποδρομιον, *novum et stupendum agitatorem spectate: nempe creaturæ opificem*, εν ανθρωπινω εποχουμενον αρματι, *humana natura quasi vehiculo utentem: qui non currum incomposite in terra regat: sed qui novo more modoque, cursum per cælos tentet, cælestemque metam quam primum occupare festinet, ac prætercurrentem Belial potenter excutiat et evertat*: ita Epiphanius. Multitudinem illam angelorum declarat David noster, cum ait, *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis, in Sina, in sancto*. Quod ad Christi Ascensionem id applicet, aperit, cum subdit, v. 20. ASCENDISTI IN ALTUM (Tertullian. lib. 5. contra Marcionem, cap. 14. in sublimitatem; Chald. in firmamentum, id est, in cælum) CEPISTI CAPTIVITATEM: ACCEPISTI DONA IN HOMINIBUS: ETENIM (etiam cepisti) NON CREDENTES INHABITARE DOMINUM DEUM. Vers. 20.

90. Tria hic dicuntur.

Hic tria dici vide. Primo, quod Christus ascenderit in cælum. Secundo, quod secum in illud duxerit captivos. Tertio denique, quod dederit dona hominibus, quæ a Patre pro illis accepit.

Ac primo, το *ascendisti in altum*, aliqui explicant de ascensu Dei ex Ægypto, quæ est terra depressior, quam desertum Arabiæ, et terra promissa in Chananitide; 2. Arnob. et Euthym. exponunt de ascensione in crucem; dixit enim ipse Christus Ioan. 12. 32. *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Verba Arnobii sunt: *Multiplex currus Iesu Christi in passione agitatus est, ubi sibi ipse plus sufficit, quam decem millia legionum angelorum, et millia lætantium, quæ fuerunt cum Mose, in Syna, in sancto. Tunc ascendit in altum, id est, in crucem, cepit captivitatem, ipsam captivitatem ligni primi, ipsam cepit, et de peccato damnavit peccatum. De ligno, inquam, crucis lignum concupiscentiæ cepit, et dona erogavit hominibus. Passus est etiam his qui non credebant; etiam his dona dedit in cruce positus, et non parva dona. Audi quam magna. Preces pro his fundebat, dicens: Pater remitte illis, quia ignorant. Dedit ergo dona hominibus, id est credentibus: et non solum credentibus, sed etiam his, qui non credunt inhabitare Dominum: qui non credunt, quia Deus erat in Christo mundum concilians sibi*. Sed clarum est hic agi de ascensione in cælum; tunc enim proprie Christus cepit secum captivos, et dedit dona hominibus.

91. Tropol. In virtute semper ascendendum est.

Tropolog. Viri iusti semper debent ascendere, et ire de virtute in virtutem contra inclinationem naturæ semper deorsum tendentis. Ps. 83. 6. *Ascensiones in corde suo disposuit*. Vide ibi dicta. Claudia Rangonia, ut denotaret desiderium nihil admittendi, quod generis sui nobilitati et castimoniæ obesset, in symbolum sibi elegit flammam sursum tendentem, addita hac epigraghe, *Nunquam deorsum*. Carolus V. Imper. adhuc celsiorem gerebat animum, atque ut ad maiora continuo se aspirare denotaret, solem figuravit, cum his verbis, *Nondum in auge*: id est, nondum perveni ad summam circuli mei altitudinem. Divitiis, licet, honoribus, aliisque excelsis ad altiora et cælestia tendamus, cor Deo capax, nihil magnum præ Deo æstimat. Præsto nobis erit currus Dei, de quo supra, nempe angeli sancti, ut nos portent in manibus suis, ne forte offendamus ad lapides, et res huius mundi asperas, pedem, id est, affectum nostrum. Edovardus Maihevu in Natalib. Congreg. Anglicanæ, tom. 1. pag. 272. refert, septimo die ante obitum, ad S. Ceaddam ex monacho factum Episcopum descendisse angelos cantantes, qui eum monuerunt, post septem dies se redituros, et animam eius ad cælum ducturos. Tunc quidam vir sanctus animam sancti Ceaddæ fratris eius e cælo descendentem vidit, assumptaque eius anima in cælum redeuntem. Pagina vero 328. ait, S. Cuthbertum Episcopum Lindisfarnensem ex monacho factum, antequam religiosus esset, atque remotis in montibus pecorum ageret custodiam, noctu in oratione

Claudiæ Rangoniæ et Caroli V. symbolum.

S. Ceaddæ anima in cælos tollitur.

pervigilem vidisse choros angelorum, qui terras peterent: et rapta anima S. Aidani Antistitis Lindisfarnensis ad cælos redirent, eoque viso excitatum, sæculo nuntium remisisse. Hoc ipsum tradit Beda in eius vita, cap. 4. Gloriam ascendentium, ac splendorem, varie ostendit Deus. Uno exemplo contentus esto. Idem Maihevn, pag. 388. asserit, S. Gutblaco presbytero et anachoreta mortuo, totam domum, in qua obiit, incredibili splendore illustratam esse, ac visam fuisse turrim igneam, e cælo ad terras pertingentem, quæ solis fulgorem superare videbatur, auditosque deinde cælestes et angelicos cantus.

Et anima S. Aidani. Et S. Gutblaci.

92. Vers. 20. 2 Pars. Christi triumphantis currum sequuntur donati libertate.

Secundo, non solus ire in cælum Christus voluit, sed ascendit pandens iter ante nos. Additur enim **Cepisti**, (Hebr. שבית *sciabitha*, reverti fecisti, ut vertit Lorinus. Sic deduci deberet a *sciub*, hoc est revertor, reverti facio: sed tunc esset dicendum *sciabtha*, non vero *sciabitha;* 2. igitur proprie *sciabitha* est *captivasti*, ut legit S. Aug. *captivam duxisti*, ut Paulus Ephes. 4. 8. et S. Hier. hic a Rad. *sciaba* captivavit) **captivitatem**, id est captivos, partim patres in limbo detentos, partim animas quæ erant in purgatorio, partim postea cæteros iustos a diabolo ligatos. Captivavit autem sibi Christus illos omnes, et, ut loquitur Noster, *cepit*, ut sibi captivatos vera libertate donaret. Currum Triumphatoris Romani sequebantur omnes, qui ab hoste erant eius virtute erepti, ibantque pileati: pileo enim donabantur, qui a servitute in libertatem asserebantur. S. Paulus citatus utitur psalmi nostri loco, agens de Christo in cælos eunte, *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*. Zachar. 9. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Isaiæ 49. 25. *Hæc dicit Dominus: equidem et captivitas a forti tolletur: et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur.* Iosephus orabat pincernam Pharaonis regis, Gen. 40. 14. *Memento mei cum bene tibi fuerit: et facies mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere, quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, et hic innocens in lacum missus sum.* Tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui, nec eum fecit secum ascendere de carcere, licet ab eo affectus beneficio. Non sic Iesus, qui vult ministros suos esse ubi ipse est, nec sua tantum curat, sed etiam nostra. S. Chrysolog. serm. 57. *Ascendit*, inquit, *non ut se referret in cælum, qui semper mansit in cælo: sed ut te perferret, quem taliter vinctum absolvit, et subtraxit inferno. Intellige unde, ubi. ut homo per Deum sis levatus, ut esses in cælestibus stabilis, qui eras lubricus, ac semper nutabundus in terra.* S. Epiphan. lugentes inducit dæmones ob ereptam sibi prædam, et loquentes, serm. de Assumpt. Christi. Hodie, ait, lugens diabolus plaransque eiusmodi næniam edit: Quid faciam infelix? Omnes quos a sæculo vinctos detinebam, ως ιεραξ οξυπετης αρπαξας, velut accipiter advolans, lapsu incitatissimo mihi intercepit: meque desertum, et omni ex parte alis exutum, in terram deturbavit. Decepit me Mariæ filius, etc. Deinde expendit, quæ in eum sit molitus, dum viveret: atque in unum se labores eius omnes cecidisse deplorat. Accipiter fuit, qui cepit prædam, et eam in cælum abstulit. Nomen eius est, *Accelera spolia detrahere, festina prædari*, Isaiæ 8. 3. Quod S. Paulus dicit Coloss. 2. 15. *Expolians principatus et potestates* (id est dæmones ex illis ordinibus lapsos, et consequenter omnes. Est synecdoche) *traduxit confidenter, triumphans illos in semetipso.*

93. Vers. 20. 3. Pars. In triumpho dabantur dona militibus. Illustre exemplo de Sisinnio.

Tertio denique, non contentus Christus milites suos secum in triumpho duxisse, et participes lætitiæ suæ et gloriæ fecisse, illos donis locupletat, v. eod. 20. **Accepisti dona in** (Hebr. *beth* significat in, inter, et alia multa, hic sumitur vice, inter) **hominibus**; Muisius vertit, *Accepisti dona pro hominibus.* S. Paulus Ephes. 4. 8. textus Syr. et Arab. hic: *Dedit dona hominibus.* Nota, solebant triumphantes dona et populo, et præsertim exercitui suo distribuere, in suis triumphis. Belisarius quidem zonas aureas populo dispersit. Sisinnio Dentato prælatæ sunt coronæ aureæ octo, civicæ quatuordecim, murales tres, obsidionalis una, torques 183. armillæ 160. hastæ octodecim, phaleræ 25. quæ omnia ob virtutem bellicam ab Imperatoribus suis acceperat. Livius lib. 39. vocat dona insignia. Marcellinus lib. 25. anteactæ vitæ insignia. Aurelius Victor, arma insignia. Lampridius in Alexandro, cuncta insignia, et honorificentiæ genera. Zonaras hæc dona quomodo darentur, declarat: *Imperator ornatus*, επινικιω σχημ, *triumphali habitu, armillis sumptis, laurea redimitus, et ramum dextera tenens, populum convocabat: et militibus publice, quibusdam etiam seorsim laudatis, pecuniam donabat, et ornamenta, armillas, hastas sine ferro, et coronas, aliis aureas, aliis argenteas, expresso in iis nomine et facinore viri.* Christus dat dona suis militibus. Primo, patribus secum in cælum ductis gloriam æternam, et omnia paradisi bona. Secundo, hominibus iustis in terra relictis, Spiritum sanctum, et eius dona. S. Thomas docet 1. p. quæst. 38. art. 2. donum, esse proprium nomen Spiritus sancti, 12. quæst. 68. art. 4. et 22. quæst. 8. art. 6. docet, Dona spiritus sancti esse tantum septem: nempe sapientiam, intellectum, consilium, fortitudinem, scientiam, pietatem, et timorem Domini. S. Iustin. contra Tryphonem Iudæum agens, in dialogo cum ipso habito Ephesi, ait: Sapientiæ spiritum fuisse in Salomone: spiritum consilii et intellectus in Daniele: fortitudinis et pietatis in Mose: timoris, in Elia: cognitionis, in Isaia. Non putem ea dona voluisse dividere, ita ut singulis dentur singula: omnia enim dantur omnibus: sed tantum dixisse, aliqua in aliquibus se prodidisse magis, et fuisse in iis per excellentiam.

ARTICULUS II.

Feliciter nos Iesus triumphans in cælum ducit.

Post expositum triumphantis Christi in cælos ascensum, gratias agit David noster, et sibi gratulatur, quod eius 94. Vers. 21.
ope eamdem viam sit initurus, v. 21. **Benedictus** (sit) **Dominus die quotidie** (Hebr. יום יום *iom iom*, id est, *die die*, id est, quotidie. S. Hieron. per singulos dies. Sept. ημεραν καθ' ημεραν, quod ad verbum reddit Noster, *die quotidie*. Hæc geminatio denotat assiduitatem et continuationem sedulam in benedicendo) **prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum**: id est, Deus salutis nostræ, sicut est in Hebræo: hoc est, Deus nos salvans, auctor et promotor nostræ salutis, a quo salus nostra tota pendet. Sept. et Noster in plurali posuerunt: quia egemus multiplici salute, cum in multiplici periculo simus.

Nota, pro *prosperum iter faciet*, habetur tantum una vox Hebr. יעמוס *iaamos*, id est, Primo onerabit, imponet onus. Secundo, portabit, id est, sustentabit, fulciet. Tertio, portabit, id est, apportabit, afferet. Hinc varii varie explicant. Versiones variæ.

Primo enim, minus recte Chaldæus vertit: *Benedictus Dominus, qui singulis diebus onerat nos: addens nobis præcepta super præcepta: fortis, quia est redemptio nostra, et auxilium nostrum in æternum.* Versio hæc non placet, benedicendus tamen est Deus, etiam cum nos onerat: iugum enim eius suave est, et onus leve, Matth. 21. 30. Iumentum simus apud eum, non patietur nos tentari supra id quod possumus: nec digito tantum, sed tota manu et brachio sustentabit onus impositum: tribus digitis sustinet orbem terræ: ne trepidemus, eo adiuvante.

Secundo, Flaminius vertit: Oneret nos beneficiis suis Deus salutarium nostrorum. Sic dicimus nos obrui beneficiis alicuius, cum tam multa sunt, ut referendis gratiis pares esse non possimus. Felix vertit: Aggravabit nos Deus salute nostra. Arias vero, imponet nobis in onus Deus salutem nostram. Ubi adverte, quod conscientia nostra oneratur Dei donis: quia, ut ait Christus Luc. 12. 48. *Omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo: et cui commodaverunt multum, plus petent ab eo.* S. Greg. hom. 9. in Evangelia: Cum, ait, augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere,

quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. R. Emmanuel hoc dicit in Psal. nostr. Sic enim ait: Dicit cantor David: Benedictus Dominus, qui facit nobis bona: adeo quod propter illa onerat nos iugo gravi: quia secundum multitudinem bonorum, ac misericordiarum illius, tenemur nos tradere in manu illius, et esse grati Deo salutis nostræ: id est, qui est causa salutis nostræ temporalis et æternæ.

Tertio, Pagninus vertunt: Afferet nobis Deus salutem nostram.

95. Christi virtute in cælos tollimur.

Quarto denique, et optime, S. Hieronym. *Portabit nos Deus salutis nostræ.* Proprio pondere ad ima ferimur, Dei sola virtute erigi possumus, et portari ad terram promissam. Hoc in figura designatum est in Hebræis, quos ex Ægypto Deus ascendere fecit, et portavit quadraginta annis per desertum. Deuter. 32. 10. *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis: circumduxit eum, et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum atque portavit in humeris suis. Dominus solus dux eius fuit: et non erat cum Deo alienus.* Sylvester Petrasancta Bernardo Candido Iureconsulto allecto in sodalitium B. Virginis in cælos assumptæ, hoc symbolum dedit regallolum, sive regem avium, *un roitelet,* qui aquilæ alis insideat, dum supra nubes fertur: his verbis additis: *Ut assumar,* q. d. In tutelam Virginis assumptæ me committo, ut eius alis in cælum evehar, licet exiguus et infirmus. Quanto verius id de Christo dicetur, cuius virtute ipsa Virgo est assumpta. S. Bernard. serm. 4. in Ascensione: *Quis,* ait, *vel desiderare presumeret ascensum cæli, nisi quia is qui descenderat, prior ascendit? Dico ergo vobis, non multo mihi tolerabilior videretur exilii huius habitatio, quam gehenna: nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen fiduciæ et expectationis: quando elevatus est in nubibus, et spem fecit credentibus.* Ac postea a superbiæ ascensu nos dehortatur: *Cupidi,* ait, *sumus ascensionis, exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles enim creaturæ sumus, et magni cuiusdam animi: ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed væ nobis, si voluerimus eum sequi, qui ait: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Heu miser! in lateribus Aquilonis: frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinem præsumis potentiæ:* ita Bernardus.

S. Dunstanus ad cælum invitatur.

In die Ascensionis Christi S. Dunstanus Archiep. Cantuar. solus tantum mysterium mente volvens in Ecclesia Salvatoris, post nocturnum officium, vidit angelos, qui se Cherubim et Seraphim asserebant, ipsumque ad cælos invitabant die sabbati sequenti: itaque eo die mortuus est, ut narrat Edovardus Maihevu in Natalib. Sanctorum Congr. Augl. tom. 1. fol. 542. Christus nos invitat ad se, et rapit, ut ferrum magnes. Ioan. 13. 32. dicit: *Ego si exaltatus fuero a terra,* (per resurrectionem et ascensionem, ait Chrysostomus) *omnia traham ad meipsum.* Ioseph in Ægypto exaltatus est, fecitque eum Pharao ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. Ei quoque dixit rex Gen. 41. 44. *Ego sum Pharao,* (id est rex, lingua Ægyptiaca) *absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.* Omnia traxit ad seipsum, cum patrem suum et totam eius familiam verbis amantissimis evocavit c. 45. 9. ubi tamen adverte, quod ait, Descende ad me, quia omnis celsitudo terrena vilis est ac depressa. Christus vero dicit nobis, ut ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob; atque ad id se hortantur fideles, Isaiæ 20. 3. Mons enim ille non est crux, ut voluit S. Cyprian. non B. Virgo, ut S. Gregor. non Christus, ut S. Hieron. sed Ecclesia militans, ut S. Athan. et S. Cyrillus, et Ecclesia triumphans in cælo, si sequamur anagogiam. S. Bern. serm. in illud: *Quis ascendet in montem Domini? Erit,* inquit, *ibi mons pacis, mons gaudii, mons vitæ, mons gloriæ. Et hi omnes montes unus mons consummatæ felicitatis.* Hæc Bernardus.

96. Tropol. Virtus ad cælum elevat.

Tropol. Virtutibus cor a terra elevandum terrenis vacuum, si Christum nos trahentem sequi velimus. Ovum, exemptis vitello et albumine, ac refertum rore sursum a sole trahitur: Si ad Christum rapi cupis, evacua te amore creaturarum, et rore virtutum implearis. Hoc si feceris, non cælestem modo, sed etiam illam, quam terreni ambiunt felicitatem, consequeris. Ticini olim urbe regia, affidati Academici stellinum seu stellarem avem in symbolum sibi delegerunt, quæ dum volat versus Mercurii sidus, eiusque pulchritudine invitatur, ex unguibus ovum emittit, eoque humi alliso pullum excludit, epigraphen addidit: *Utraque felicitas.* Ad Christum tendamus, ut felices simus: vel ipsa afflictio erit felix, et cooperabitur in bonum. Hic vero ipsa felicitas infelix est, et amara. S. Bern. serm. 6. in Ascens. *Quomodo,* inquit, *iam bonum est nos hic esse? imo vero, molestum est, grave est, periculosum est. Nimirum ubi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum: si tamen modicum invenitur. Ubi viscosa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis peccatorum: ubi periclitantur animæ, ubi spiritus affliguntur sub sole: ubi tantum vanitas et afflictio spiritus est. Levemus igitur, fratres mei, levemus in cælum corda cum manibus, et ascendentem Dominum sequi, velut quibusdam passibus devotionis et fidei, contendamus:* ita Bernardus.

97. Vers. 22. Iehova qua ratione sit legendum.

Cum Christum vocaverit versu superiori Deum salutarium nostrorum, id exultans repetit, vers. 22. DEUS NOSTER, DEUS SALVOS FACIENDI (S. Hieron. Deus salutis. Arias et Pagn. Deus ad salutes. Felix, Deus in salutem) ET DOMINI DOMINI (Hebr. ליהוה אדני *lehovi adonai,* quod legunt *lehovi adonai.* Cum enim Iehova sit nomen ineffabile Dei, pro eo, cum solum est, Hebræi legunt *adonai,* et ei supponunt puncta *adonai:* sed cum post *iehova* sequitur ipsum *adonai,* pro *iehova* legunt *elohim,* et illi supponunt puncta ipsa *elohim,* ut hic patet) EXITUS MORTIS, id est, exitus, seu evasio a morte, tum pro se in resurrectione propria, tum pro nobis in variis periculis; 2. Pagn. vertit, Domino Deo ad mortem sunt exitus: ut scilicet occidat hostes nostros, sicut fecit Ægyptios liberans populum suum. Chald. reddit: A conspectu Domini concertant in impios mors, et exitus animæ in suffocationem. Sed hæc explicatio minus placet. Dices, Hebr. est למות *lammaveth,* id est, ad mortem. Resp. *lammaveth,* etiam significare mortis. Nam τo *lamed,* aliquando est nota genitivi, ut patet in titulis Psalmorum, ubi sæpe *le David,* significat *Davidis. Maveth* autem est mors.

98. A Iesu est omnis salus.

Nota, Iesus est Deus salvos faciendi, et eius sunt exitus mortis, et quidem velut Domini: morbis enim, sanitati, vitæ ac morti imperat ut servo, cui Dominus dicit, fac hoc, et facit. Unde Centurio habens sub se centum milites, sive Caius Cornelius Hispanus, sive quis alius, ait Matth. 8. v. 8. *Tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.* Iesus Hebr. significat Salvatorem, a rad. *iasa,* et hæc est vera eius significatio. Græce vero, sanatorem, ab ιαομαι medeor, sano, ut putat Clemens Alex. lib. 1. Stromat. Cum Pythagoras intrabat aliquas civitates, exibat fama, quod veniebat, ου διδαξων, αλλ' ιατρευσων, non docendi, sed sanandi causa, ut ait Ælianus lib. 4. variæ historiæ c. 17. De Christo in terris degente Luc. 6. v. 19. *Omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Hoc expressius dicitur Matth. 4. 23. et 24. Tandem mortuus est, ut sanguine suo omnes sanaret ac vivificaret.

Alphonsi regis symbolum.

Alphonsus X. rex Legionis et Castellæ, ut pro lege Christiana, et pro subditis vitam se ac sanguinem profusurum declararet, Pelicano sibi pectus aperiente, et pullos ad vitam revocante usus est in symbolum, hac adiecta inscriptione: *Pro lege, et pro grege.* Hoc Christus longe excellentius fecit, ac rivos sanitatis effudit per totam terram, postea in cælis perfectissimam et æternam sanitatem daturus. Guillelmus in Canticor. c. 4. 15. *Est,* inquit, *Christus fons hortorum, rigando eos. Puteus aquarum viventium, continendo eos. Continet sibi abyssos vitæ, et immortalium gaudiorum: sed non ita continet sibi, ut non effundat et aliis. Effundit angelis et hominibus participationem*

pro captu singulorum. Angelis quidem torrentem voluptatis: hominibus in hac peregrinatione rivulos sanctitatis et sanitatis: donec et ipsi cives effecti inebrientur ab ubertate domus eius, et torrente voluptatis eius potentur. Sic tamen effundit, ut non minus contineat. Hoc quoque efficit per Spiritum sanctum, qui est verus apotropæus et medicus animarum. S. Cyrill. Ierosol. catech. 16. pag. 183. Spiritus sanctus, inquit, ante sui adventum radios lucis præmittit cognitionis. Germani protectoris viscera habens; Venit enim servare et sanare, docere, adhortari, confortare, admonere et illuminare mentem: ita Cyrillus.

99. Nota secundo, in mari sumus, dum vivimus; undis obruimur; nisi nos manu prehendens Christus, ad se trahat, et sursum elevet, sicut vivens fecit Petro Matth. 14. 31. Illi dicamus cum eodem: *Iube me venire ad te super aquas.* Enatandum est ex aquis, si ad illum venire vis. Hoc ipse faciet, si ei te obiicias. Est sol non solos vapores, sed ipsas testudines elevans. Hunfridus Comes Habspurgensis, ut mediis in periculis sapientis animum non mergi denotaret, pinxit testudinem mari innatantem, quam sol amico vultu respectans, in fluctibus sustinet, hoc adiecto lemmate: *Immersabilis.* Sol enim calore suo et lumine efficit, ut testudo marina exsiccata interdiu non mergatur. Sol iustitiæ Christus Iesus nos a cælo respiciens, cunctis ærumnis superiores facit, ab iisque nos salvat. S. Chrys. serm. de Ascensione Christi tom. 5. fol. 535. hoc testatur: Celebritas præsens, ait, veneranda est et magna, sensumque ac intellectum omnem humanum excedens, Deique munificentia qui illam fecit, digna. Hodie enim genus humanum reconciliatum est Deo. Hodie diuturna simultas, longumque bellum deletum est atque sublatum. Hodie pax quædam nobis mirabilis rediit, non antea unquam expectata: hæc Chrysosostomus.

ARTICULUS III.

Christus dæmones et superbos deiicit et conterit.

In Ascensione Christi visa Angelorum hominumque iustorum lætitia et utilitate, redit ad dolorem dæmonum,
100. et obstinatorum in sceleribus, atque in iis superbientium
Vers. 23 contritionem et deiectionem, v. 23. VERUMTAMEN DEUS CONFRINGET (S. August. conquassabit. Pagn. transfiget) CAPITA INIMICORUM SUORUM: VERTICEM CAPILLI (id est capillatum. Est Hebraismus. Symm. vertit, κορυφον ευτριχον, *verticem capillatum,* volutantium se in delictis suis) PERAMBULANTIUM IN DELICTIS SUIS, q. d. Licet Christus in cælum ascendens sit Deus salvos faciendi: et ipsius sint exitus seu evasiones mortis: tamen salvat tantum, et a morte eripit amicos suos; inimicos vero, et in delictis suis ambulantes et gloriantes confringit et conterit, pede victore et triumphante calcans superbum et ornatum eorum verticem. Alludit ad morem victorum, qui calcabant caput hostium suorum, de quo more alias dixi. Deuter. 33. v. 29. dicitur: *Beatus es tu Israel. Quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino? scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ. Negabunt te inimici tui, et tu eorum colla calcabis;* ut fecit Iosue colla quinque regum devictorum prope Gabaonem. Alludit secundo, ad superbos crispatos et cincinnatos, quos in pulverem et lutum deiectos Christus calcat, et calcari facit. Hinc meminit capillorum. Isaias alloquens mulieres et puellas Ierosolymitanas, quæ ambulabant extento collo in delictis suis, inter cætera ait: *Erit pro suavi odore fœtor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium.* Ubi Cornelius plurima habet contra luxum muliebrem, et in 1. ad Timoth. 2. 10. Lege Tertull. librum integrum de cultu fœminarum, atque S. Cyprian. lib. de disciplina et habitu virginum.

101. Incessus prodit superbum. Nota, incessus maxime superbum prodit; unde dicitur: Confringet capita et verticem capilli, *perambulantium in delictis.* Cassianus libr. 12. institut. monast. sic depingit superbum: *Excelsa vox, sermo rigidus, amara et turbulenta responsio, incessus erectus ac mobilis, lingua facilis, procax loquela, nec unquam taciturnitatis amica.* S. Gregor. 14. Moral. 20. Cunctis, ait, apud se superba cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imaginatione, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad arrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos vero alios importuna: ita Gregorius. Ex quibus signis teipsum cognosce, qualis sis, an superbus, an humilis. S. Ambros. præclare lib. de Noe et Arca, cap. 16. Superbia, inquit, se extollit in hac terrena fragilique substantia, et immemor divinorum humana despiciens, ipsum arrogantis viri habitum incessumque deformat: quales describit Isaias cap. 3. 16. Iudææ filias oculorum micantes nutibus, et alta se cervice iactantes. Sunt enim huiusmodi erigentes supercilia, inflato corde, elato pectore, cervice resupina: qui solum quidem vestigiis pedum perstringant, toto autem se librent corpore, et inani suspendant examine: in priora gressu procedant, ad posteriora verticem reclinantes: cælum spectent, terram autem fastidiant, tamquam cervicis dolore suffixi, ut eam inclinare non possint.

Nota secundo, superbus hostis Dei est, et vertice elato 102. Superbus est hostis Deus.
ambulat in delictis suis. De primo, ait S. Hier. epist. 45. *Vide frater, quale malum sit superbia, quæ adversarium habet Deum!* Cassianus lib. 12. institut. cap. 7. Tantum, ait, est malum superbiæ, ut non angelum, non alias virtutes contrarias, sed ipsum Deum adversarium habere mereatur. S. Ambros. serm. 7. in Ps. 118. Scriptura dicit, Iacobi 4. 6. *Deus superbis resistit.* Tamquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen. Tamquam dicat, Meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio: ita Ambrosius. Christus est Rex virtutum dilecti, dilecti: reginam vitiorum superbiam singulari certamine aggreditur et iugulat. Gulielmus Comes palatinus Rheni, ut ostenderet boni esse principis superbos deprimere, et sub iustitiæ ac legum æquitate et æqualitate continere, pro suo symbolo accepit dentale, quo glebas agricolæ comminuunt, et agrum exæquant, ut occatum semen terra cohibeatur, adiecta hac epigraphe, *Evertit et æquat.* Andreas Gonzaga, Marchio Guastallæ, ut a reis pœnas exacturum se denotaret, scorpionem pingi curavit, cum hoc lemmate: *Quis vivens lædit, morte medetur.* Scorpio enim vulneri applicatus, cum læsit, prodest extinctus; ita superbi attriti sanant aliorum tumorem, quam exemplo suo et incitamentis fecerant. Dæmon vocatur per antonomasiam *inimicus:* Dei scilicet atque hominum. Superbus est dæmon incarnatus. S. Chrysost. hom. 43. ad populum: *Nullum malum,* inquit, *par elationi est: hominem enim reddit dæmonem.* De secundo, nempe quod superbus ambulet in delictis suis, per ea splendescere cupiens, declaravit Aloysius Gonzaga, unus ex iis Caroli V. ducibus, qui Romam invaserunt ac diripuerunt. Ut enim quocumque modo nomen se ac famam quærere declararet, flagrans Ephesinæ Dianæ templum sibi pingi curavit, cum hac inscriptione: *Alterutra clarescere flamma.* Alludebat ad eum, qui Dianæ templum illud combusserat, nulla alia re permotus, quam ut nominis celebritatem quæreret.

Tropolog. superborum capita conterit Deus: quia, Primo eos curis conficit. Secundo, eos suis honoribus et di- 103. Plenus est aer dæmonibus.
gnitatibus privat. Tertio, calamitatibus variis et cladibus conterit. Quarto denique, illos dæmonis potestati permittit, qui eorum cincinnis et crispantibus comis adhæret, veluti dominus illis insidens, ut dicat superbus illud Ps. 39. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Æneesius Platonicus dicebat, ita plenum esse aerem dæmonibus et angelis, ut nihil prorsus esset vacuum. Verba eius sunt lib. de anima: *Angelis et dæmonibus,* πληρης ο αηρ, πληρης και η γη, και θαλασσα, και τα υπο γην παντα, *plenus est aer, plena terra, mare, et omnia quæ sub terra sunt: et, ut aliquis sapientum apud nos dixit, vacuum*

*

nihil est, κιλον ουδεν: *neque quantum stipulæ, aceris aut pili iactus sit: ita ut licet Deus velit hominibus vitam ad infinitos annos propagare, non putem fieri posse, ut animæ hominum, angelorum et dæmonum numerum æquent:* ita Æneslus per hyperbolem. Dæmon insidet capiti superborum, ibique dominatur, atque ex eorum crinibus tela eiaculatur. Crines flavos, aureos et lucentes poetæ Itali comparant fulguri, quod instar fulguris pervadant ocu-
104. los intnentium. Maro lib. 2. Æneid. vocat crinem flagrantem. Sed sæpe ignis ille, est ignis inferorum: unde S. Hieronymus ad Lætam de institution. filiæ agens, dicit: *Nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, et ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.* Tunc in more erat colorare capillos ac faciem cerussa, stibio, et pigmentis variis. Tiraquellus leg. 2. Connub. num. 27. docet, eos qui hæc parabant, dictos esse cinerarios et ciniflones, a cinere fucorum. S. Gregor. Nazianz. in oration. contra mulieres se ambitiosius ornantes: *Cavete,* inquit, *o mulieres, ne caput vestrum nothis et adulterinis crinibus, tamquam turribus quibusdam muniatis: mollia colla e scapulis delicate ostentantes: ne Dei formas fœdis coloribus inungatis: sic ut iam non facies, sed larvas gestetis.* S. Paulus 1. ad Timoth. 2. 9. *Volo mulieres orare in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.* Timebat regina Esther dæmonem superbiæ, ne capiti suo insideret, cum dicebat Deo, Esther. 14. 16. *Tu scis necessitatem meam* (ut me ornem) *quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ,* regiam cidarim seu coronam, *quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in diebus silentii mei.* S. August. epist. 199. notat, eam verum dixisse, cum sit exaudita. Diabolus vocatur Isaiæ 13. 31. et 34. 14. שְׂעִיר *sair,* id est pilosus: inde Satyri dicti sunt dæmones, in sylvis apparentes hirsuti et capripedes. In exorcismis nonnunquam dixit dæmon, se illigatum esse capillo mulierculæ, quam possidebat. Itaque Deus iure confringit verticem capilli perambulantium in delictis suis, ut hoc psalmi loco dicitur.

Capillis et faciei cincinnatorum dæmon insidet.

Superbus alta petit, ambulans in delictis, velut in mon- 105.
tium superciliis, sed inde in præcipitia et abyssos devol- Vers. 24.
vitur. Unde addit Propheta, v. 24. Dixit Dominus, ex Basan convertam: convertam in profundum maris, servos meos illos libertate donans, et eripiens a iugo Pharaonis, et aliorum hostium: ita non pauci. Secundo, et melius, sensus est: Ex Basan regione pinguissima convertam, et tollam hostes meos, Og regem eius, et alios, eosque deiiciam in profundum maris: id est, in summas et profundissimas miserias, atque ad ultimam et extremam perditionem. Adeo ut in tanta clade pedes populi Dei, sanguine eorum tingantur et cruententur, et lingua canum tingatur ab ipso occisorum sanguine, sicut lambuerunt postea sanguinem Achab. Sequitur enim v. 25. Vers. 25.
Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso, sanguine scilicet. Ubi adverte, quod Basan sumitur synecdochice pro tota Chanaanitide, seu terra promissa, ex qua eiecit Deus impios, idem facturus cæteris sceleratis per totum orbem. Mentionem autem fecit Basan regni Og, quia primo Israelitæ regnum illud totum occuparunt, omnibus ad internecionem deletis, ac rege ipso. Dicit Deus Isaiæ 63. 3. *Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi.*

Nota cum Bellarmino. In Hebræo habetur, *ex profundo maris,* quæ videtur lectio contraria lectioni nostræ editionis Vulgatæ, quam tamen habuerunt S. Hilar. S. August. et S. Hieron. in commentario. Et quamvis in Hebræo sit propositio *min,* quæ significat *ex,* vel *ab,* tamen ponitur aliquando pro *beth* quæ significat *in,* et contra, *in* ponitur pro *ab;* nam Eccles. 2. 3. ubi legimus: *Cogitavi distrahere a vino carnem meam:* in Hebræo est, *in vinum.* Sed S. Hieron. recte iudicavit, *in,* positum esse pro, *a vel ab:* et contra Deut. 33. 2. ubi legimus, *Dominus de Sinai venit,* R. David existimavit positum esse, *de,* pro *in,* quia *Dominus in Sina montem venit,* non de Sina, quando legem dedit: hæc Bellarminus, et recte.

Ex, pro in, ab Hebræis positum.

SECTIO QUARTA ET ULTIMA.

106. *Quatuor continet. Primo, Apostolos dicit laudes Christi in cælos ascendentis cantasse, vers. 26. Secundo, reges ipsos terræ munera ipsi oblaturos, vers. 31. Tertio, populos etiam voce evangelica conversos ad eum venturos, vers. 32. Quarto denique, regna terræ omnia illius ascendentis gloriam celebratura, vers. 34.*

PARAPHRASIS.

26. *Viderunt ingressus tuos Deus; ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.*

26. Amici tui et Apostoli gradientem te maxima pompa in cælum, magnoque angelorum et patrum comitatu sanctuarium tuum subeuntem, in quo regnaturus es in æternum, contemplati sunt.

27. *Prævenerunt principes coniuncti psallentibus: in medio iuvencularum tympanistriarum.*

27. Illico ad tam suavem mirabilemque intuitum ipsi, cum sint futuri orbis Christiani principes, in voces laudis et cantica proruperunt cum cæteris fidelibus, atque Deipara et cæteris mulieribus, quæ ad tantum spectaculum affluxerant, et hymnos suos aliis admiscebant.

28. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Israel.*

28. Eia sacri principes in Ecclesiis et sacris conventibus Deum Christum in cælo nunc dominantem celebrate: fontes cælestes prius latentes, nunc reclusi sunt toti orbi.

29. *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu: Principes Iuda duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.*

29. Inter hos principes erant nonnulli ex tribu Beniamin, qui minimus inter fratres extitit: iique cum cæteris in extasim rapti tantum Ascensionis mysterium mirabantur. In illis quoque populi Christiani ducibus, alii e tribu Iuda, alii e tribu Zabulon, alii e tribu Nephthalim electi sunt, atque Ecclesiæ præpositi.

30. *Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

30. Exere ad nos iuvandos fortitudinem tuam, o Christe, quam in triumpho tuo manifestas: quod dum viveres, in nobis cœpisti, stabili et perfice.

31. *A templo tuo in Ierusalem: tibi offerent reges munera.*

31. Reges ipsi tua virtute ad Ecclesiam tuam confluent, iudeque tibi in cælo manenti se suaque in debitum cultum offerent.

32. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento.*

32. Irrumpentes in caulas tuas sævissimos hostes lanceis armatos, imperio tuo cohibe. Congregantur enim ferocissimi principes instar taurorum furentium, adiunctis sibi populis, qui velut vaccæ petulcæ insaniunt in fideles tuos. Ut cornibus calcibusque ab Ecclesia et cælesti hæreditate excludant eos, qui tuba evangelica tentati et probati sunt, dignique habiti, qui sacris tuis cœtibus adiungantur.

33. *Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus eius Deo.*

33. Aduuatos et plebeios et principes, ut conferto agmiue cladem alumnis tuis inferant, dissipa, eorumque robur infringe. Vel ex Ægypto, quæ idolorum est studiosissima, populi ad fidem tuam aggregabuntur, et semotissimi Æthiopes illam præcedent, per eunuchum reginæ Candacis conversi.

34. *Regna terræ cantate Deo; psallite Domino: Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli: ad orientem.*

34. Universa orbis imperia communi iam Domino regique cantica et psalmos concinite. Verus est Deus, qui cælos omnes transgressus, thronum Patri æterno proximum collocavit, unde fons omnis lucis emanat.

35. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: magnificentia eius, et virtus eius in nubibus.*

35. Voci suæ evangelicæ vim et efficaciam addet ad conversionem populorum: laudes illi concinite ob tot tantaque in electos collata beneficia. Nubes in ascensione penetrans, cælosque ipsos pervadens, maiestatem suam, liberalitatem et potentiam declaravit, donis inde in Ecclesiam effusis.

36. *Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.*

36. In cælo, velut in sanctuario suo, totum orbem regens, mirabilem se exhibet: ipse electorum se præsertim Deum ac parentem ostendet, iisque robur et fortitudinem præstabit, ut ad cælum evadant: itaque dignus est, qui populorum omnium ore celebretur.

QUÆSTIO UNICA.

Quanto ardore ascendenti Christo laudes dicendæ sunt.

107. Ordo Sectionis. PRIMA sectione huius psalmi, Salvatorem cælos trepidantibus dæmonibus, angelis sanctisque plaudentibus penetrantem, contemplati sumus. In secunda, vidimus dona illis iustis in cælum partim iam assumptis, partim assumendis, a triumphatore data. In tertia dæmones ob ereptam prædam confusos et a Christo victore contritos. Nunc in hac sectione ultima Vates noster exponit, Apostolorum adhuc in terra degentium, et regum populorumque ad fidem conversorum, laudes Christo triumphanti dictas dicendasque.

Ac Primo, docet Apostolos vidisse illum Christi scandentis triumphum, v. 26. *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.*

Secundo, laudes ab Apostolis dictas aperit, vers. 27. *Prævenerunt principes coniuncti psallentibus;* et ab ipsa Deipara et sanctis mulieribus: *In medio iuvencularum tympanistriarum.* Exultans ipse David, eos ad laudes illas continuandas hortatur, v. 28. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel.*

Tertio, enumerat Apostolos, qui erant partim ex tribu Beniamin, v. 29. *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu;* partim ex tribu Iuda, Zabulon, et Nephtalim: *Principes Iuda duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.*

Quarto, reges nationum conversos ad Christum venturos, et munera oblaturos asserit. Ac primo, petit eorum conversionem, v. 30. *Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Secundo, aperit fructum conversionis, v. 31. *A templo tuo in Ierusalem, tibi offerent reges munera.*

Quinto, ait populos quoque regibus suis iungendos in una Christi fide. Ac primo, petit impediri tyrannos et dæmones, qui impediebant populorum conversionem, v. 32. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento.* Ut etiam impediat plebis tumultus, orat v. 33. *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* Secundo, prædicit conversionem nationum, etiam idolis addictissimarum: *Venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus eius Deo.*

Sexto, regna integra gaudio subsultabunt, ob veram fidem perceptam, Christoque in cælis constituto laudes concinent, v. 34. *Regna terræ cantate Deo; psallite Domino: Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli, ad orientem.*

Septimo denique, in throno iam collocati et regnantis A Christi potestatem ob oculos ponit, ut ad laudem perennem populos incitet, vers. 35. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel.* Magnificum et liberalem prædicit fore, e cælis dona demittendo: *Magnificentia eius, et virtus eius in nubibus.* Ipse in admirationem raptus tot mirabilium, in cælo et in terra conspectorum, Christum laudat, vers. ult. *Mirabilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.*

ARTICULUS I.

Apostoli in cælos ascendenti Christo laudes canunt.

CUM oculi dolorem et gaudium augeant, Apostolis suum in cælos triumphum amantissimus Salvator ostendere voluit, v. 26. VIDERUNT INGRESSUS TUOS (S. Hieron. itinera tua Deus) INGRESSUS DEI MEI, REGIS MEI (id est tuos, qui es Deus meus, et rex meus. Hebræi sæpe repetunt antecedens loco pronominis) QUI EST IN SANCTO, 108. Vers. 26.
B id est in Patre, ait Euthymius; 2. et melius, qui est in suo sanctuario cælesti, q. d. Apostoli viderunt te intrantem cæleste tuum sanctuarium, et in eo maxima pompa incedentem usque ad thronum collocatum in dextera Patris, ubi declaratus et adoratus es Rex totius orbis, ac præsertim Ecclesiæ tuæ.

Nota, ingressus illos Christi, Primo, aliqui exponunt de adventu eius in terras per Incarnationem, et totam œconomiam circa redemptionem nostram. Secundo, et melius, S. Hilar. S. Hieron. hic, et S. Isidorus de Nativit. Domini, ingressus illos explicant de ascendente in cælum Christo, qui sit visus ab Apostolis et quingentis fratribus. De illa sacra humanitate, quæ est primaria Sponsa, de qua agitur in Canticis, dicitur Cant. 7. 1. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Hebr. *filia Nadib*, quod Aquila vertit, filia sponte dantis, seu munifici. Scholiastes Vaticanus, liberalis. Ubi adverte, quod Ingredi, et incedere sunt ambulantium cum maiestate et pompa, vincentium et triumphantium verba. Vide C nostrum Ludovicum de la Cerda, in illud: *Ast ego, quæ divum incedo regina,* lib. 1. Æneid. ubi loquitur Iuno, et in illud: *Et vera incessu patuit Dea,* ubi agit de Venere, eodem in libro. Heliodorus dicit, deos maxime cognosci βαδίσματι, id est incessu. Iliad. 13. Aiax Oileus abeuntem Neptunum, latentem tamen in figura Calchantis, agnoscit ex incessu: et ex eo colligit, non esse Calchantem, sed Neptunum. Ad Deum verum revertamur, maiestatem in eius incessu notat Chaldæus, qui explicat de incessu super mare rubrum. Sic autem vertit: *Viderunt domus Israel incessum maiestatis tuæ super mare, Deus: incessus*

Dei nostri regnantis super universum orbem in sanctitate.
109. Videntes Apostoli Christum, tanta pompa triumphan-
Vers. 27. tem, illum laudant, vers. 27. PRÆVENERUNT PRINCIPES CONIUNCTI PSALLENTIBUS, IN MEDIO IUVENCULARUM TYMPANISTRIARUM, id est Ecclesiarum novarum, ait S. Aug. nam Apostoli in earum medio laudes Christo cecinerunt primi, et eos secuti sunt fideles. Secundo, et melius, principes Apostoli Christum Deum suum et Regem videntes in cælos ascendentem, prævenerunt cæteros canticum ipsi inchoantes: quos secuti sunt fideles, qui erant præsentes, ac Deipara cum Maria Magdalena et aliis mulieribus. S. Aug. serm. 18. de Sanctis, summam et eximiam tympanistriam virginum, Virginem Mariam vocat.

Nota, alludit ad Canticum Mosis, quod ipse cum sorore Maria, et principibus, totoque populo cecinit ascendens ex mari rubro. Chald. vertit: *Prævenerunt et dixerunt canticum post Mosen et Aaron, qui modulabantur ante eos: in medio mulierum iustarum, cum Mario tympana pulsantium.* Constat, inquit Lorinus, solitos præcedere
Cantores in exercitibus. cantores in Hebræorum exercitu. Nam 2. Paral. 20. 21. dicitur: *Iosaphat dedit consilium populo, statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, et antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius.* Vim et efficaciam illius cantus explicat deinde; causa enim fuit insignis victoriæ. In exercitu Lacedæmoniorum fuisse cantores, et cantum quemdam inter eos dictum esse ἐνόπλιον, id est cum armis dictum, tradunt Xenophon de Republ. Laced. Thucidides lib. 5. Sixtus Empyric. contra Mathematicos, c. 22. De Germanis id tradit Tacitus lib. de morib. Germanorum. De Gothis Iordanes de rebus Geticis, cap. 10. De Nicanore duce Antiochi regis Syriæ, Machab. lib. 2. 15. 25. Suidas docet, Græcos usos esse alalagmo: et eleleu acclamasse, cum moderato motu. Frequentatus apud eosdem Pæan duplex, teste Scholiaste Thucididis lib. 1. ἐμβατήριος Marti, ante prælium congressivus: et ἐπινίκιος Apollini, post prælium victorialis. De Romanis Marcellinus lib. 19. et 31. Dio Cassius lib. 36. et Polyb. lib. 12. tradunt, voce martia cecinisse, suorumque laudes imperatorum extulisse. In ipso congressu quiddam pium decantatum a Christianis legimus in variis historiis; ut, *Crux vicit*, sicut ait Cedrenus in Basili. *Alleluia*, ut Beda lib. 1. histor. cap. 20. Constantius in vita S. Germani Altisiodor. *Hostem repellas longius*, ut historia Simonis Montfort. contra Albig. Hispani patronum suum S. Iacobum Apostolum invocantes, de Mauris celeberrimas victorias retulerunt, ut legi in eorum historiis. Titulus psalmi nostri est ἐπινίκιος, vel, εἰς τὸ νῖκος, vel τῷ νικοποιῷ, ut ibi explicui: id est psalmus victorialis, seu ad victoriam, seu victori. Nonnulli cantores erant designati apud Hebræos ad epinicion, id est carmen victoriale et triumphale, ut patet 1. Paral. 15. 21. et epinicia festive agitari solebant, 2. Mach. 8. 33. et faustæ fiebant acclamationes, 1. Mach. 5. 46. ac preces, 1. Mach. 15. 25. Sed ad rem præsentem faciunt maxime preces post bellum, ut 2. Machab. 15. 29. et Iudith cecinit cum populo post truncatum Holofernem, Iudith 13. 21. Legendus Iosephus Iudæus 2. de bello, cap. 24. at alter cognomento Stephanus in lib. 1. Mach. cap. 3. v. 2. et noster Mazzarinus discursu 86. et 87. in psalm. 50.

110. Mortificatio iuvat orationem. Tropol. Iuvenculæ tympanistriæ sunt Primo, puellæ virginitatem exercentes, et divinam symphoniam Deo afferentes: ita Theodoretus, et S. Augustinus, qui sic ait: In medio iuvencularum tympanistriarum, hoc est, adolescentularum carne edomita Deum laudantium. Hoc enim est tympanistriarum, eo quod tympana fiant corio siccato et extento. Secundo, omnes animæ vacantes mortificationi. Bene enim orat et Deum laudat, qui se passionesque a ratione discordantes reprimit. Hinc S. Ignatius Fundator Societ. Nostræ, audiens quempiam Religiosum laudari ob studium orationis, illum a mortificatione laudavit. Verba Maffeii sunt lib. 3. vitæ eius, cap. 2. *Cum e familiaribus nescio quis, fratrem præstanti religione collaudans, ad Ignatium cum admiratione dixisset: En hominem iugiter precationi vacantem: imo vero, mutata voce: En, inquit Ignatius, hominem sibimet acriter imperantem.* Mortificatio siccat et extendit chordas, oratio illas percutit, et resonare facit.

Symbol. Principes sunt angeli, qui iunguntur psallenti- 111.
bus et orantibus. Ita S. Bern. serm. 7. in cantica: *Quod,* Angeli iunguntur psallentibus.
ait, *psallentibus dignanter admisceri sancti angeli soleant, quid eo manifestius quod Psalmista ait: Prævenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuvencularum tympanistriarum. Unde et dicebat Ps. 137. 1. In conspectu angelorum psallam tibi. Doleo proinde, aliquos vestrum gravi in sacris vigiliis deprimi somno, nec cæli cives revereri: sed in præsentia principum tamquam mortuos apparere, cum vestra ipsi alacritate permoti, vestris interesse solemniis delectantur. Vereor, ne vestram desidiam quandoque abominantes, cum indignatione recedant: et incipiat unusquisque vestrum sero cum gemitu dicere Deo: Longe fecisti notos meos a me. posuerunt me abominationem sibi. Ps. 87. 9. et illud v. 19. Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria. Item Psal. 37. 13. Qui iuxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam. Pro certo enim, si se a nobis boni spiritus elongaverint, impetus malignorum quis sustinebit? Dico ergo his, qui eiusmodi sunt: Maledictus, qui opus Dei facit negligenter. Ierem. 48. Dicit quoque, non ego, sed Dominus. Apocal. 3. 15. Utinam te calidum aut frigidum invenissem: sed quia te tepidum inveni, incipiam te evomere ex ore meo. Ea propter attendite principes vestros, cum statis ad orandum vel psallendum, et state cum reverentia et disciplina: et gloriamini, quia angeli vestri quotidie vident faciem patris. Nimirum missi in ministerium propter nos, qui hæreditatem capimus salutis: devotionem nostram in superna ferunt, referunt gratiam. Usurpamus officium, quorum sortimur consortium: ut in ore infantium et lactentium perficiatur laus. Dicamus eis Ps. 46. 7. Psallite Deo nostro, psallite. Atque audiamus eos vicissim respondentes: Psallite regi nostro, psallite. Laudem ergo cum cæli cantoribus in commune dicentes, utpote cives Sanctorum et domestici Dei, psallite sapienter. Cibus in ore, psalmus in corde sapit:* ita Bernardus.

David veluti præsens spiritu, et in extasi audiens Apo- 112.
stolos cum cæteris Christum laudantes, eos ad id horta- Vers. 28.
tur, v. 28. IN ECCLESIIS (Syr. turmatim. S. Greg. Nyss. de vita Mosis, *in cantionibus.* Philo Carpath. in Cantica, *in voluntariis*) BENEDICITE DEO DOMINO: DE FONTIBUS ISRAEL. Hic versus est quasi parenthesis, qua Propheta prævidens futuram lætitiam principum Ecclesiæ, hortatur eos, ut in Ecclesiis, quas fundaturi erant, pergant benedicere Domino Deo, de fontibus Israel materiam laudis haurientes; vocat autem *fontes Israel* promissiones Dei ad Patriarchas, et vaticinia Prophetarum prædicentium ea, quæ nunc impleta esse videmus et gaudemus. Illud, *Deo Domino*, legi debet cum distinctione hoc modo: *In Ecclesiis benedicite Deo, Domino de fontibus Israel*, id est, benedicite Deo in Ecclesiis: benedicite, inquam, Domino, de fontibus Israel. Sic enim distinguitur hic versiculus in codicibus Hebraicis: et hoc modo distinctus maiorem habet venustatem: ita Bellarminus. Sed hæc notatio non est necessaria, melius est enim insistere editioni Vulgatæ, et Septuaginta interpretum.

Secundo, *fontes Israel* sunt sacri Prophetarum libri. Ita Fontes Israel sunt Prophetæ.
Theodoretus: *Fontes Israelis*, inquit, *iure quis nominare poterit Vatum libros, ex quibus dulcem cantum Deo offerimus.* De Apostolicis fontibus interpretatur sequentia: ibi Beniamin, etc.

Tertio, *fontes Israel* sunt Apostoli, ex quibus sacra do- Et Apostoli.
ctrina profluxit: ita S. August. et Lorinus, et S. Greg. Nyss. de vita Mosis, ubi ait, eos esse figuratos in duodecim fontibus, repertis a populo Israel in deserto, sicut septuag. palmæ ibi inventæ erant typus septuaginta discipulorum. Numer. 33. 9. ubi hæc habentur: *Profecti de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et pal-*

mæ septuaginta: ibique castrametati sunt. S. Chrysostom. hom. 4. de laudib. S. Pauli, eum vocat mare sapientiæ.

Aut potius, variæ gratiæ. Quarto denique, et optime, *fontes Israel* sunt fontes, hoc est gratiæ irrigantes Israelem, id est fideles: ac præsertim Apostolos, et primos Christanos, qui erant Iudæi: ut etiam ipsi fontes illos derivareut foras. Ioan. 7. 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ.* Vide S. Greg. hom. 10. in Ezech. et a me dicta in illud Ps. 35. v. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Adde S. Chrysostomum: *Spiritus gratia, cum menti illapsa est, eamque irrigarit, omni fonte uberius scaturit, nunquam deficit, nunquam vacuatur, nunquam stat. Simul igitur et indeficientem copiam, incredibilem operationem, et fontem et fluvios appellavit:* hæc Chrysostomus.

113. Vers. 29 Beniamin adolescentulus sumi potest: I. Tribus Beniamin. Post paranthesim versus præcedentis redit ad principes Apostolos, qui prævenarunt coniuncti psallentibus in medio iuvencularum tympanistriarum, v. 29. Ibi (inter eos principes) Beniamin adolescentulus in mentis excessu: Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephtali. Primo, Tirinus noster, qui ingressus Dei supra explicuerat, de itinaribus, quibus populum suum deduxit ex Ægypto per mare rubrum, per sterile desertum, per Iordanem in terram promissam, et per tot victorias ex tantis calamitatibus ad tantos triumphos, opes, potentiam, gloriam, hunc versum sic explicat, q. d. Ibi, id est, in illis triumphis, *Beniamin adolescentulus*: id est tribus Beniamin, omnium fratrum minimi, et omnium tribuum minima, (utpote pene stirpitus excisa ob stuprum Gabaitarum, Iudicum 20.) est sibi et aliis omnibus ad stuporem admiranda, ob incredibile robur et peritiam bellicam, et insignes victorias sæpius partas, maxime sub Saule Beniaminita, ut Chaldæus explicat: ita Tirinus et Rabbini.

II. S. Paulus. Secundo, et melius, etiam ad litteram, per Beniaminum, principes Iuda, et alios, intelliguntur Apostoli: ita S. Hier. S. Aug. Theodoret. Euth. et alii. Primo quidem pene omnes per Beniaminum adolescentulum sumunt S. Paulum, qui se minimum vocat Apostolorum, 1. Cor. 15. 9. et ad Apostolatum ultimus vocatus est: unde se nominat abortivum, ibid. v. 8. Ut enim ait Svetonius in Octavio, cap. 35. Solebant Romæ Senatores vocari abortivi, qui supra numerum per gratiam in Senatum allegabantur. Paulus autem factus est Apostolus, post Christi mortem, iam completo numero Apostolorum: ille fuit in mentis excessu, tum in prima vocatione, quando vidit Christum se vocantem, Actor. 9. tum in mirabili raptu usque ad tertium cælum, 2. Corinth. 12. Ita S. August. *Ibi,* inquit, *Paulus novissimus Apostolorum, qui dicit. Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham de tribu Beniamin. Sed plane in extasi, expavescentibus omnibus tam magnum in eius vocatione miraculum. Extasis namque est mentis excessus, quod aliquando pavore contingit, nonnumquam vero per aliquam revelationem et alienationem mentis a sensibus corporis: ut spiritui quod demonstrandum est, demonstretur.* Hæc ipse, qui pro *in mentis excessu,* legit, *in extasi.* S. Hilar. *in pavore.* Sed cum agatur hic de Christi ascensione, et S. Paulus non sit conversus, nisi post necem S. Stephani, anno secundo post ascensionem, vix video quomodo dicatur ibi fuisse: licet ob quatuor analogias, quas refert Corn. Act. 9. fuerit Benoni et Beniamin. Malim itaque per Beniaminum adolescentulum intelligere S. Ioannem Apostolum, qui fuit Christi Beniamin, id est discipulus, quem diligebat Iesus, Ioan. 21. 20. Et quidem Ioannes significat gratiosum Deo. Hebr. enim est *Iehohanan*, et per crasim *Iohanan*: ipse fuit in mentis excessu, dono contemplationis eximio donatus, præsertim ex quo recubuit supra pectus Domini. Lege Cornelium nostrum, proœmio in primam S. Ioannis epistolam, ubi fuse elogia eius recenset, inter cætera dicit: *Fuit S. Ioannes Beniamin B. Virginis, imo Beniamin Christi, et quasi Beniaminus, id est minimus natu Apostolorum, et præ omnibus gratiosus ac tenere dilectus in sinu Christi requievit.* Vocatus est ad Apostolatum natus annos 30.

III. Et præcipue, S. Ioannes a Christo amatus.

A circiter. Extases eius satis probat initium Evangelii et Apocalypsis integra. Nota, pro *in mentis excessu*, est Hebr. רדם *rodem*, id est dominans eis, ut vertunt Arias et Pagninus; continens eos, ut S. Hieron. deducunt a Radice רדה *roda*, id est dominari, imperare, continere; 2. tamen *rodem* potest optime derivari a verbo רדם *radam*, quod significat altissime dormivit, mentis excessum passus est. Syr. vertit, ibi Beniamin parvulus, in tranquillitate; Arabs, in securitate sua. Securus est, qui in Deo dormit et requiescit. S. Ioannes id habuit in sinu Iesu recumbens, et in ascensione instar aquilæ evolans post dilectum suum. Dices, S. Ioannes non fuit de tribu Beniamin: fuit enim consanguineus Christi in secundo vel tertio gradu. Nam fuit filius Zebedæi et Salomes, quam Beda et Albertus Magnus putant fuisse filiam S. Annæ. Resp. fateri me, S. Ioannem fuisse Christi consanguineum, et de tribu Iuda: sed Beniaminum hic sumi metonymice pro dilecto, sicut Gallice dicimus, *c'est son petit Beniamin*, nego tamen Salomen fuisse filiam S. Annæ, quæ unam tantum habuit filiam, B nempe Deiparam, ut docet noster Suar. 3. part. tom. 2. disp. 5. sect. 4.

Quæres, quinam igitur erant principes Iuda, principes Zabulon et Nephtali? Resp. esse Apostolos, qui erant ex illis tribubus: et, si non placent mox dicta, puta per Beniaminum intelligi aliquem Apostolum, qui fuerit de tribu Beniamin, et de numero duodecim Apostolorum, ut dixi in paraphrasi. Neque velim asserere, omnes Apostolos fuisse de illis quatuor tribubus, ita ut nullos prorsus esset ex alia tribu. Sed est synecdoche. Porro, de tribu Iuda fuerunt, qui Christi fratres dicuntur in evangelio, quod essent filii Cleophæ fratris S. Ioseph, sponsi B. Virginis: nempe S. Iacobus minor, seu Iacobus Alphæi, suppla filius (nam Alphæus et Cleophas sunt unus et idem) Iudas Apostolus cognomento Thaddæus et Lebbæus, frater Iacobi minoris, et S. Simeon seu Simon, qui successit S. Iacobo minori, fratri suo, in Episcopatu Ierosolymæ, et crucifixus est sub Traiano, anno Christi 109. natus an- C nos 120. et consequenter natus ante Christum annis undecim. Item fuerunt de tribu Iuda S. Iacobus maior Hispaniarum Apostolus, et S. Ioannes, filii Zebedæi et Salomes, quæ fuit soror S. Iacobi minoris, S. Iudæ, et S. Simonis Apostolorum, ac S. Ioseph iusti, qui fuit propositus cum S. Mathia, ut fieret Apostolus: sed sors cecidit super Mathiam. Ex quibus patet, quod Iacobus minor fuit avunculus Iacobi maioris, et eo senior novem vel decem annis: dictus tamen minor, quia tardius ad Apostolatum est electus. Theodor. Euth. Bellarm. Lorin. et aliqui alii, censent S. Iacobum maiorem et S. Ioan. non fuisse de tribu Iuda: sed contrarium patet ex dictis. S. Petrus, S. Andreas, S. Philippus, S. Matthæus, at cæteri, qui erant a Bethsaida, vel Capharnaum, ac vicinis civitatibus, ad sortem Zabulon et Nephtali pertinebant, ut colligitur Matth. 4. 13. et seqq. Dices, solæ tribus Iuda at Beniamin redierunt ex captivitate Babylonica, cum Levitis, ut habetur lib. 1. Esdræ. Resp. paucos ex aliis tribubus se illis admiscuisse, ut patet Luc. 2. ubi dicitur Anna Prophetissa D fuisse de tribu Aser.

114. Apostoli multi fuerunt de tribu Iuda, Zabulon et Nephtali.

Symbolice, S. Bern. per principes Iuda, Zabulon et Nephtali sumuntur confitentes, continantes, et contemplantes. Sic enim serm. 7. in Cantica: *Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, et principes Nephtalim; hoc est confitentium, continentium, contemplantium. Norunt siquidem principes nostri regi suo acceptam esse psallentium confessionem, continentium fortitudinem, contemplantium puritatem: et solliciti sunt exigere a nobis istiusmodi primitias spiritus: quæ profecto non aliud sunt, quam primi et purissimi fructus sapientiæ. Quod enim non ignoratis, Iuda laudans vel confitens: et Zabulon, habitaculum fortitudinis: Nephtalim, cervus emissus interpretatur. Qui nimirum agilitatis suæ saltibus exprimit speculantium excessus: sed et opaca penetrare nemorum, ut illi sensuum consuevit:* ita Bernardus. Ubi adverte, quod Nephtali, id est tribus Nephtali, vocatur *cervus emissus*, aut, ut alii 115. Symbol.

vertunt, *cerva emissa*. Gen. 49. 21. ob formositatem et agilitatem: sed hoc non significat vox *Nephtali:* est enim comparatio, æquiparatio, retorsio, colluctatio, a Rad. פתל *patal,* id est, pervertere, luctari, distorquere, comparare.

ARTICULUS II.

Reges et populi conversi, Christum triumphatorem prædicant.

116. Vers. 30. PROPHETA admirans, quæ facta in ascensione cernebat, et dona Apostolis collata, exclamat vers. 30. MANDA DEUS VIRTUTI TUÆ (Psalter. Vaticanum et Ambr. virtutem tuam. Sed Vulgata magis placet) CONFIRMA HOC DEUS, QUOD OPERATUS ES (Psalterium Æthiopicum, quod perfecisti) IN NOBIS. Virtutem Dei hic intelligunt Christum, S. Hilar. S. Hier. et S. Cyrill. Alex. lib. 1. thesauri, cap. 5. Ut enim ait S. Paulus 1. Corinth. 1. 24. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, ipsis vocatis Iudæis, atque Græcis, Dei virtutem et sapientiam. Secundo, et melius, Dei virtus est hic Dei potentia, q. d. Impera tuæ potentiæ, ut id perficiat et conservet, quod operatus es in nobis, dona tua nobis distribuendo: ante ascensionem eligendo Apostolos, eos creando Sacerdotes et Episcopos, iis donando potestatem faciendi miracula: in ascensione illos cumulando donis tuis, et promittendo te illis parare locum: post ascensionem, demittendo Spiritum sanctum. Est igitur prosopopœia, qua Dei potentia instar personæ cuiusdam constituitur. Non agitur itaque hic de Sacramento Confirmationis, ut vult Loriuus, et S. Hieron. qui sic explicat, q. d. Manda Christo tuo, ut donum baptismi, quod contulit, Spiritus sancti infusione confirmet. Nota. Hebr. nunc est, mandavit Deus tuus virtuti tuæ. Seu, ut vertit Arias, præcepit Deus tuus fortitudini tuæ. Sed vox Hebr. צוה *tsiva*, potest esse præteritum, *mandavit*, et imperativum, *manda*. Arbitror Sept. non legisse *Deus tuus*, sed tantum, Deus: alioqui esset sensus obscurissimus.

117. Vers. 31. Rationem petitionis suæ affert, quod sic reges ipsi offerent dona Christo, v. 31. A TEMPLO TUO (Symmach. et Flamin. propter templum tuum. Sic τὸ *a* sumitur Ps. 43. 17. *A voce exprobrantis et obloquentis*. Psal. 118. 104. *A mandatis tuis intellexi*. Pagnin. In templo tuo. Felix, ex templo tuo) IN IERUSALEM: TIBI OFFERENT REGES MUNERA. Qui reges? Primo, sacerdotes, qui sunt spirituales reges, unde coronam gestant in capite; illi offerent tibi munera: id est, 1. oblationem sacrificii Eucharistici, quod est holocaustum, et sacrificium pacificum, et hostia pro peccato, atque mincha perfectissimum; 2. sacrificia laudis et orationis pinguia et medullata; 3. sacrificia conversionis animarum. De regia eorum dignitate, vide Ps. 44. 17.

Secundo, et melius, Euthymius exponit de regibus et principibus temporalibus, qui in templis, et ad templi ornatum ac dotationem offerunt Deo munera. Vide a me dicta Ps. 44. 13. in illud: *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur*.

Tropol. S. Hieron. Reges intelligit eos, qui sibi imperant. Sic enim ait: Reges dicit, qui regnant sibimetipsis, secundum quod scriptum est, Proverb. 24. 1. *Cor regis in manu Dei*.

Anagog. idem sanctus Pater: *A templo* illo corporali, quod bene vivendo sanctum fecerunt, *reges,* in quibus peccatum ultra non regnat, offerent in cælesti Ierusalem, quæ est primitivorum Ecclesia, munera Regi æterno: scilicet seipsos offerentes hostiam vivam, placentem Deo in conspectu omnium angelorum: ita ipse. Templum corporale est corpus Sanctorum, in quo inhabitat Deus.

118. Vers. 32. A regibus descendit Propheta ad populos se opponentes Evangelio, et ad tyrannos in Ecclesiam irruentes, quos petit comprimi, v. 32. INCREPA FERAS ARUNDINIS (S. Hieron. bestiam calami. Arias, feram cannæ. S. Hilarius, feras sylvæ. Cassiodor. feras sylvarum. Flamin. turbam lanceis armatam) CONGREGATIO TAURORUM (Psal-

A terium Vatican. et Ambros. *Congregatio fortium,* erit) IN VACCIS (Pagnin. cum vitulis. Flamin. inter vitulos) POPULORUM: UT EXCLUDANT EOS QUI PROBATI SUNT ARGENTO; hoc est, instar argenti in camino tribulationis, et facti sunt purissimi et candidissimi, ac pretiosissimi. Vide supra, ubi dixi de pennis columbæ deargentatis, v. 15. Vide etiam bonam explicationem in paraphrasi mea.

Nota, hunc versum varii varie vertunt. Primo S. Hier. Increpa bestiam calami congregatio fortium, in vitulis populorum calcitrantium contra rotas argenteas. Secundo, Pagn. Disperde congregationem calami, congregationem taurorum cum vitulis populorum, gloriantem se in incisionibus argenteis. Arias, in fragmentis argenti. Tertio, Felix, dissipa feram arundinis, congregationem robustorum in vitulis populorum, optantem numerationes argenti. Quarto, Flaminius, increpa turbam lanceis armatam, congregationem taurorum inter vitulos populorum, ut supplex veniat cum fragmentis argenti. Quinto, Chald. increpa exercitus peccatorum, confringe illos sicut cannam, congregationem virorum, qui confidunt in vitulis, idolis gentium: beneplacitum eius est in populis, qui student mente sua in lege multo puriori argento. Sexto, Syrus, increpa feram arundinis, cœtum iuvencorum, vitulos populorum obductos argento. Septimo, Arabs, increpa feras quas possedisti, omnes tauros et vitulos populorum, ut concludat tentatos argento. Octavo denique, Noster Interpres optime vertit, *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento.* Legerant Sept. quos ad verbum Noster sequutus est רצי *ratse,* cum camets, et sine daghes, a רצה *ratsa,* id est complacuit, probatus est. Itaque vertit, qui probati sunt. Nunc legitur cum patach et daghes, ideo vertunt fragmenta, rotas, incisiones, et alia. Versiones variæ.

Quæres, quænam sunt feræ arundinis, qui tauri, quæ vaccæ? Primo, Bellarminus intelligit hostes Ecclesiæ. Ac primum, inquit, loquitur de hostibus invisibilibus, ut exponunt S. Hilarius ex Latinis, et Euthymius ex Græcis. 119. Dæmon sibi placet in levibus.

C Ait igitur, *increpa,* id est exterre, coerce, reprime feras arundinis: per feras intelliguntur bestiæ sylvestres, quæ latent inter arundineta: et per has bestias describuntur dæmones, qui libenter versantur inter homines vanos et leves: et in locis humentibus, ubi regnat luxuria. Sic enim de diabolo sub figura behemoth loquitur Dominus in libro Iob cap. 40. 16. *Sub umbra dormit, in secreto calami, et in locis humentibus.* Deinde addit de hominibus, *congregatio taurorum in vaccis populorum*: id est in medio populorum insipientium et insanientium instar vitulorum, sive iuvencarum, (nam in Hebræo exprimitur non solum genus fœmininum, sed etiam iuventus.) Congregatio, inquam, facta est, ut excludant eos, qui probati sunt argento: id est, convenerunt principes et populi impii, Satana instigante et impellente, ut excludant, reiiciant, ad nihilum redigant prædicatores fidei, qui probati sunt instar argenti in fornace ignis, et inventi purissimi ac fideiissimi. Itaque significantur his verbis persecutiones gravissimæ, tum Iudæorum, tum Paganorum, quæ D exortæ sunt post Christi ascensionem in cælum: ita Bellarminus non improbabiliter. Quænam feræ arundinis, tauri, et vaccæ? I.

Secundo, S. Aug. per feras arundinis, sive per feras calami, ut ipse legit, intelligit hæreticos, quoniam Scripturarum sensum pro suo errore pervertunt; 2. eosdem hæreticos vocat tauros, propter superbiam duræ indomitæque cervicis; 3. vaccas populorum intelligit seductibiles animas, quia facile hos tauros sequuntur. Non enim populos universos seducunt, in quibus sunt graves et stabiles: unde scriptum est Ps. 34. 18. *In populo gravi laudabo te:* sed in his populis quos invenerint vaccas. Ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis erroris, semper discentes, et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes. Quod autem ait Apostolus 1. Corinth. 11. 19. *Oportet et hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis:* hoc etiam hic sequitur: Ut excludantur ii, qui probati sunt ar- II.

gento: id est qui probati sunt eloquiis Domiui. Eloquia quippa Domiui eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ. Nam *excluduntur* dictum est, appareant, emineant: quod ait illa, manifesti fiant. Unde et in arte argentaria exclusores vocantur, qui de confusione massæ novarunt formam vasis exprimere. Multi enim sensus Scripturarum sanctarum latent, et paucis intelligentioribus noti sunt: nec asseruntur commodius et acceptabilius, nisi cum respondendi hæreticis cura compellit: ita Aug.

III. Tertio, S. Hilarius feras vult sumi dæmones, per tauros et vaccas, Iudæos. Enthym. in ferarum expositione convenit: per tauros intelligit Pharisæos et Scribas, cæterosque Iudæorum principes: per vaccas, subditos Iudæos.

IV. Quarto, Theodoretus per feras accipit peccata: per tauros, Iudæos ob eorum usitatam superbiam: per iuvencas populorum, eos, qui ex gentibus crediderunt, propter novitatem vocationis. Prædicit igitur divinum oraculum, Iudæorum impetus factos in principio diviui præconii contra homines pios. Hoc vero, inquit, facient, volentes ipsos excludere, ot felicitate privare, quæ ipsis data fuit, qui instar argenti igne examinati, declarati sunt esse probati. Hoc de ipsis beatus Paulus inquit, Galat. 4. *Æmulantur vos non bene, sed contendentes excludere,* et varias sanctorum cædes, efficientes: hæc Theodoretus.

120. Quinto denique, et optime, *feræ arundinis* sunt hostes
V. Et optime. occulte nocentes, sive sint Iudæi, sive Pagani, sive hæretici, sive schismatici, sive alii impii. *Tauri et vaccæ* sunt hostes Ecclesiæ, aperte et per vim nocentes. Ubi adverte, in his versib. ac superioribus, alludi ad victoriam raportatam de Pharaone et Ægyptiis. In Ægypto autem prope Nilum sunt multæ arundines, in quibus latent crocodili, qui sunt feræ terribiles, de quibus Plin. lib. 8. cap. 25.
Apis Deus Ægypti. Itam, io Ægypto adorabatur Apis, id est bos (id enim Ægyptiace Apis significat) alio nomine Serapis dicebatur. Erat autem nigro corpore, candida fronte, et in tergo alba nota insignis, illum certos vitæ annos excedere non licebat, atque ideo demersum in lacum defunctumque plangebant, et alio invento mirifice lætabantur. An fuerit mas an fœmina dubitatur. Herodotus enim lib. 2. ait, boves, fœminas maxime, sacras fuisse Isidi apud Ægyptios. Hinc Iosephus lib. 8. cap. 3. tradit, vitulos aureos, propositos a Ieroboam in civitatibus Dan et Bethel fuisse vitulas. Iure igitur hic, agendo de Ægyptiis fit mentio taurorum et vaccarum. Per Ægyptios autem intelliguntur omnes idololatræ, qui superstitiose varios deos colebant, at ideo erant persecuturi Christianos. Per id autem quod sequitur, *Dissipa gentes quæ bella volunt,* intelligo Æthiopes, qui erant olim feri et barbari sicut nunc sunt Canadenses, Hurones, Iroquii, et Brasilii, qui in hoc unum sunt intenti, ut se mutuis cædibus, ac præsertim advenas, conficiant. Illi etiam ac similes multum negotii facessunt apostolicis viris, et multos ex illis mactant.

Nota, hostes Ecclesiæ partim eruditione, partim vi adigendi sunt ad officium. Hinc pro primo dicitur, *increpa:* pro secundo, *dissipa.* Fridericus III. Imper. ut ostenderet Cæsarea se maiestate ac potestate id sanciturum, quod leges præciperent, schema sibi delegit, brachium armatum cum districto gladio supra codicem apertum, hac adiecta epigraphe: *Hic regit, ille tuetur:* scientia dirigit, ferrum protegit. Deus per Apostolos suos illuminat homines, rebelles ipse punit. Sacri Scripturæ codices viam ostendunt: brachium Dei intercursantes hostes dissipat. Octavius Farnesius dux Parmæ et Placentiæ, ut industriam ac fortitudinem suam in hostes testaretur, sibi in symbolum elegit clavam, glomum fili, et tres piceos orbes: hoc est, illa quibus Theseus peremit in Creta Minotaurum, idque adiecit inscriptionis, *His artibus.* Quos Christus benignitate sua allicere non potest, severitate contundit, ut dicitur Ps. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.* Vide illum locum.

121. Fructum increpationis et dissipationis posuit conversio-
Vers. 33. nem populorum barbarorum ad veram fidem, v. 33. DISSIPA GENTES QUÆ BELLA VOLUNT, VENIENT LEGATI EX

A ÆGYPTO, ÆTHIOPIA PRÆVENIET MANUS EIUS DEO. Per Ægyptum et Æthiopiam intelligit omnes gentes idololatras. Ægypti autem facit mentionem, Primo, quia erat regio Iudææ vicina. Secundo, quia idololatriæ maxime dedita. Tertio, quia Iudæis infensissima, quales fuarunt Christus et Apostoli. Quarto denique, quod in hoc Psalmo allusum sit ad punitionem Ægyptiorum in mari rubro mersorum, et ad canticum populi, ac Mosis inde ascendentis. Fit vero Æthiopiæ mentio, Primo, quia est regio totius orbis extrema. Secundo, quia Æthiopes sunt nigerrimi, et figura peccatorum maxime obstinatorum; dealbati tamen sunt per Christi sanguinem et baptismum.

Quæres, quos legatos misit Ægyptus, et ad quem? Nota, pro *legatos,* Hebr. est חשמנים *chasmannim*, id est, principes: ita Felix. Principes magni: ita Arias et Pagninus, atque Aben Ezra. Principes regni regesve: ita R. Emmanuel. Viri magni et duces: ita R. David in libro radicum. Optimates: ita Flaminius. Magnates: ita Muisius; 2. *hasmannim* S. Hier. sumit adverbialiter, et vertit, B velociter. Sed non placet; 3. itaque Sept. Syr. Arab. Petav. et alii, *hasmannim* vertunt, *legati.*

Resp. itaque Primo, legatos, et ipsos sapientes ac principes venisse ad Christum per fidem tempore S. Marci, qui Alexandriam missus a Petro, ibi fundavit Ecclesiam: unde Patriarcha Alexandrinus diutissime fuit primus post Romanum Pontificem, donec Anatolius Patriarcha Constantinopol. auctoritate Concilii Chalcedon. per fraudem obtinuit, ut illi præponeretur, anno Christi 451. Quam florens porro fuerit Alexandrina Ecclesia, docet S. Hier. lib. de Ecclesiasticis scriptoribus in Philone, ubi sic loquitur: Philo Iudæus, natione Alexandrinus de genere sacerdotum, idcirco a nobis inter scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia libr. de prima Marci Evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum lauda versatus est: non solum eos ibi, sed in multis quoque provinciis esse commemorans, et habitacula eorum diceos monasteria. Ex quo apparet, talem primam in Christo credentium fuisse Ecclesiam, C quales nunc Monachi esse nituntur et cupiunt, ut nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur et psalmis, doctrinæ quoque et continentiæ, quales et Lucas refert, primum Ierosolymis fuisse credentes. Hæc S. Hieron. secutus Eusebium, qui lib. 2. cap. 15. et 16. ea de Christianis sub Essenorum nomine a Philone scripta esse contendit, pluribusque id probat Baronius tom. 1. anno Christi 64. paulo post initium.

Alexandrinæ Ecclesiæ sanctitas et dignitas.

Secundo, legati ex Ægypto venerunt ad Deum tot sancti monachi, pro toto orbe in precibus suis Deo supplices. 122.
Callixenus Rhodius, lib. 4. de Alexandria docet, Ægyptum ob circumfusi aeris temperiem, copiosissima gignere, et peranni esse fœcunditate: ita ut rosæ, violæ, aliusque quivis flos vix unquam desint. Fœcundior fuit sanctis viris tempore S. Antonii, et postea. S. Athanasius in vita S. Antonii: Erant, inquit, in monte monasteria, tamquam tabernacula, plena divinis choris psallentium, legentium, orantium: tantumque ieiunandi et vigiliarum D ardorem cunctorum mentibus sermo eius afflaverat, ut futuræ spei aviditate ad mutuam charitatem et misericordiam indigentibus exhibendam ingi studio laborarent, qui infinitam regionem quamdam, et oppidum a mundana conversatione seiunctum, plenum pietatis et iustitiæ videbantur incolere: hæc Athanasius. Quantus autem splendor et ornatus Ægypto accesserit ex illis monasteriis, docet S. Chrysost. homil. 8. in Matth. *Si quis nunc, ait, ad Ægypti veniat solitudines, paradiso quovis omnem illam videbit eremum digniorem, et innumerabiles angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus.* De fœminis specialim ait: *Atque hæc non in viris solum, verum etiam in fœminis splendere conspicias: nam illæ quoque non minori quam viri, virtute decorantur: non clypeo arrepto in equum insilire callentes, ut honestissimi illi ac sapientissimi Gentilium iubent magistri: sed multo certe vehementius bellum gerentes. Communis enim illis ac viris adversus*

Ægyptii monachi sanctissimi.

diabolum pugna est, contraque huius mundi potestates: neo uspiam teneritudo sexus his congressibus impares facit: non enim natura corporis, sed voluntate animi exercentur ista prælia: propterea sæpe in huiusmodi acie fortius viris fœminæ decertarunt, ac trophæis insignibus claruerunt. Non ita variis astrorum choris cælum refulget, ut Ægypti eremus innumeris monachorum ac virginum distinguitur atque illustratur habitaculis: hæc Chrysostomus.

123. Tertio, legatos illos suos Ægyptus misit, non tantum ad Deum, ut illum regem regum sibi conciliaret, sed etiam ad varias nationes, ut sanctæ vitæ institutum arriperent, sicut tradit Baronius tom. 3. anno Christi 328. Qui, ait, Antonium adeuntes, eidem se subiecere discipuli, ex iis alii in eisdem cum illo montibus monasticam exercuere disciplinam: alii vero, ex eadem planta palmites succidentes, et in diversis provinciis complantantes, brevi tempore factum est, ut repleriut terrarum orbem tam sancta progenie, nimirum Palæstinam, Syriam, Asiam minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, et Boreales regiones, usque ad latrones Bessas et Dacos: de quibus S. Paulinus hæc cecinit in carm. ult. de reditu Nicetæ ad Natal. S. Felicis, a quo Niceta accepit id quod scribit:

Monasticam disciplinam per varias provincias spargunt.

O vices rerum bene versa fama!
Invii montes prius et cruenti,
Nunc tegunt versos monachi latrones
Pacis alumnos.
Sanguinis quondam, modo terra vitæ est:
Vertitur cælo pia vis latronum,
Et favet Christus supera occupanti
Regna rapinæ.
Mos ubi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget angelorum,
Et latet iustus, quibus ipse latro
Vixit in antris.

Sed et de Bessis meminit S. Hieron. epist. 3. cum scribens ad Heliodorum hæc ait: Indus, Persa, Gothus, Ægyptius, philosophantur: Bessorum feritas, et pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, stridorem suum in dulce crucis fregerunt melos. Et ad Lætam epist. 7. De India, Perside, Æthiopia monachorum turmas suscipimus. Ita ipse intelligens eos, qui ad loca sancta visenda, pietatis ergo ventitabant.

124. Quin etiam ad extremos usque Indos et Sinas Ægyptiorum Patriarcha, nempe Patriarcha Alex. misit viros eruditione ac pietate insignes, qui Evangelium Christi disseminarent, ut patet in prodromo Ægyptiaco nostri Athanasii Kircheri: ubi agit de colonia Ægyptiacis, et in lapide Sinico reperto ann. 1625. scriptum habetur, ut ibidem refert. De Indis hæc dicit Ludovicus Gusmanua in sua de Indicis expedit. histor. lib. 2. cap. 27. Multi, ait, in India Christiani, quorum numerus ultra centum quinquaginta millia fere excurrit, Christiani Thomæi dicti, per varia regna divisi, diversis regibus Gentilium et Maurorum subiecti reperiuntur. Habent ii suum Archiepiscopum, Episcopos et sacerdotes, qui omnes e Syria veniunt, plerumque eos ad huiusmodi expeditionem Patriarcha Babylonio seu Alexandrino designante: ita Gusmanus. S. August. et Ruffin. legatos Ægypti in Ps. nostr. sumunt de prædicatoribus.

Apostoli Indiam docentes missi ab Ægypto.

Quarto denique, venerunt ex Ægypto legati ad Christum, ut stolas suas dealbarent in sanguine agni, et suo sanguine eius potestatem in omnes testarentur. Idem Athanasius Kircherus cap. 2. Prodromi Ægyptiaci seu Copti: E sacris, ait, historiis lingua Copta scriptis apparet Coptitas innocentissimæ vitæ fuisse, atque adeo ferventes Christianæ vitæ cultores, ut nullis unquam suppliciorum generibus a suscepta semel fide vitaque abduci potuerint. Diocletiani Imper. anno 19. Marcellini Papæ septimo, Christi 302. teste Baronio, ad viginti millia cæsa crudelitate inaudita. Diocletianus tria Ægypto imperavit: Primo, ut libri sacri, sive Christianorum, sive aliorum comburerentur. Secundo, ut artem mutationis metallorum omitterent. Tertio, ut computus anni Ægyptiis usitatus, Romano stylo accommodaretur, et annus Diocletiani diceretur. Quod factum est, dum pagani viguerunt, et postea usque ad ætatem Abbatis Dionysii, qui consignatione annorum Christi proposita, statim omnes habuit sectatores. Eodem modo Ægyptii mentionem impii Imper. omittentes, in nomen alterum, videlicet fortissimorum Martyrum, qui sanguinem sub Diocletiano fuderunt, quem et posteri in hunc diem servant, mutarunt. Primo igitur, Thebais, et vicina Copto loca, postea Alexandrina sedes, tamquam Metropolitana, quæ primo iuxta Dionysii computum, annos suos a primo Ianuarii, mortem sanctorum Innocentium secuto, sumere solebat, suam etiam ipsa particularem æram, una cum Ecclesia Coptana, ob similem alterum eventum accepit, nempe a primo Toth, qui mortem subsecutus est magnorum illorum athletarum, qui iussu Diocletiani occisi sunt dicto tempore. Atque hanc æram vocant *Tarichaschahada*, hoc est, *æram Martyrum*. Ignatius Antiochenus Patriarcha de æra Martyrum, a Scaligero consultus ita respondit in quadam epistola Arabica: Rursus, inquit, quæsivistis super æra Martyrum usitata a Coptitis, quæ, et quam ob causam ita sit appellata. Scito eius initium esse ab anno Diocletiani impii decimo nono, in quo auxit persecutionem contra Christianos, cum edixisset eorum Ecclesias destruendas: item, ut quicumque idolis non sacrificaret, interficeretur. Quocirca hoc edicto, martyrio coronati sunt fidelium terræ Coptæ centum quadraginta quatuor millia, septingenta autem in exilium acta. Ab eo tempore incipit æra Copta, quam vocant æram Martyrum, eorum nempe quorum sanguinem fudit Diocletianus: hæc Ignatius ille. Vocat autem Scaliger hoc loco, manifesto nomine terram Ægypti, terram Copti ab urbe celeberrima Copto, sicut æram Philippi, qua a morte Philippi Ægyptii utebantur, Albategnius vocat *Tarich Elkupti*. Sequuntur hos Æthiopes Abyssini, qui hunc annum Diocletiani vocant, *Amath Macharath*, hoc est, *annum gratiæ et misericordiæ*: neque alia hodie epocha utuntur Abyssini, ut ex eorum computu constat. Hanc æram Martyrum in Ægypto ad hanc diem durare testantur litteræ, quæ conservantur in Actis Apostolicis unionis Ægyptiacæ Ecclesiæ cum Romana, quæ contigit Romæ sub Clemente Octavo in Vaticano, publico in Concistorio, anno 1595.

Æra Martyrum.

Multi Martyres in Ægypto.

Quæres secundo, quomodo *Æthiopia præveniet manus eius Deo?* Respondet primo Bellarminus, τὸ *eius* referendum esse ad Ægyptum, q. d. Venient legati ex Ægypto, pacem petentes, et subiectionem profitentes: et Æthiopia, quæ longius distat, præveniet manum eius Deo, id est, præveniet apud Deum manum Ægypti offerentis munera. Haymo sic exponit, q. d. *Manus eius*, id est, Ægypti operationes præveniet Æthiopia, meliores habitura quam Ægyptus. 125.

Secundo, et melius, est Hebraismus, in quo τὸ *eius* de more redundat per pleonasmum. Itaque *Æthiophia præveniet manus eius Deo*, idem est ac si diceretur, Æthiopiæ manus præveniet Deo, id est, ad gloriam Dei, q. d. Æthiopia celeriter supplicem Deo manum porriget, cito se Deo subiiciet, veram fidem ex primis suscipiet. Ubi nota cum Cassiodoro, morem bellicum, ut qui timent ab hostibus interitum, dedant manus, armaque deponant. Aut potius, morem legatorum, amicitiam alicuius regis aut magnatis ambientium, et fœdua cum eo percutientium, ae manus in signum benevolentiæ iungentium. Item, ritum elevandi manus in oratione ad Deum, de quo dixi Ps. 133. 2. et 140. 2. Quod ad loquendi modum attinet, sic dicitur Ps. 17. 31. *Deus meus impolluta via eius.*

Æthiopia dedit Deo manus, et quomodo?

Dubium autem est, quando primum prævenerit Æthiopia, et ad Christum accurrerit. Primo S. Chrysologus ser. 160. explicat de Magis cunabula Christi adorantibus. Verba eius sunt: *Iam videns Magus credere se, et non discutere, mysticis muneribus confitetur thure Deum, auro regem, myrrha esse moriturum. Thure Deum, auro regem, ut eum diviti placaret obsequio, quem curioso et importune* 1.

Æthiopia Orientalis.

incesserat et offenderat instituto: atque implet illud (quod multi de spadone ex Æthiopia suspicantur) Æthiopia præveniet manus eius Deo. Videt Christum Magus Iudæum præveniens manibus suis, quia quando Christum Iudæus Herodi scelere prodebat, tunc Magus Deum Christum muneribus fatebatur. Et vero probabile est unum ex illis regibus Magis fuisse Æthiopem, non ex Æthiopia Africana, sed ex Æthiopia Asiatica, seu Orientali, et Madianitica. Cornelius in cap. 2. Matth. v. 1. probat, Magos venisse ex Arabia, atque inter cætera ait: Magorum istorum typus fuit regina Saba, quæ ex Arabia cum similibus muneribus venit ad Salomonem, Christi antitypum, 3. Reg. 10. Et licet regina hæc dicatur venisse ex Æthiopia, tamen Æthiopia hæc non erat Abyssinia, sed pars Arabiæ: nam venerat ex Æthiopia Orientali, non Occidentali, ut ait S. Anselmus libr. de imagine mundi, cap. 19. Arabia ergo complectitur mare rubrum, et regiones huic mari adiacentes, ac præsertim vicinam Æthiopiam Orientalem. Sic Madianitæ vocantur Æthiopes, quia nigri vel fusci. Unde uxor Mosis Madianitis, vocatur Æthiopissa, Numer. 12. Inde enim mare rubrum dicitur sinus Arabicus, non Æthiopicus: quia tam eis, quam ultra mare hoc, porrigit sese Arabia. Hinc rursus verisimile est unum vel alterum Magorum fuisse nigrum, sive Æthiopem: tum quia vulgo omnes ita sentiunt, itaque adorationem Magorum pingunt pictores: tum quia ex Æthiopia dicitur venisse Regina Saba: tum denique, quia Ps. 71. dicitur: *Reges Arabum et Saba dona adducent.* Et mox: *Coram illo procident Æthiopes.* Magi vocantur, *reges Tharsis,* id est, maris rubri: ita Cornelius. Ex Arabia quoque venisse reges illos fuse probat Baronius tom. 1. ann. 1. Christi. Hoc examinabitur in dictis Ps. 71. 10.

126. II. Æthiopia Abyssinorum. Secundo, si de Æthiopia Africæ, seu de Abassia placet explicare psalmum nostrum, dic Æthiopiam prævenisse, id est, celeriter adorasse Christum, atque fidem eius suscepisse, quia anno Christi 35. id est, primo anno post eius ascensionem in cælum, Eunuchus, id est, princeps reginæ Candacis venit adorare in Ierusalem, cum esset Iudæus, et in reditu conversus et baptizatus est a Philippo Apostolo, Actor 8. 38. atque in patriam rediens convertit ad Christum reginam, quæ communi quidem nomine vocatur Candaces (sicut reges Ægypti dicti sunt Pharaones, et postea Ptolomæi: reges Syriæ, Antiochi: Parthorum reges, Arsaces: Imperatores Romani, Cæsares) proprio autem nomine dicebatur Indich. Sic itaque Æthiopum manus prævenit Deo, ut illi scilicet fidem et obedientiam deferret. Unde S. Hieronymus in psalmo nostro vertit: *Æthiopia festinet dare manus Deo.* Pagninus et Arias, Æthiopia currere faciet manus suas Deo. Felix, ad Deum. Chald. *Filii Chus* (hi sunt Abyssini) *current, ut expandant manus suas in oratione coram Domino.* Damianus Goes cap. 16. de Æthiopum moribus: *Nos ferme,* ait, *prius cæteris Christianis omnibus, baptismum ab Eunucho Candacis reginæ Æthiopiæ, cui nomen erat Indich, accepimus.* Sic loquentes inducit. Idem ait Ortelius in theatro orbis, in Abyssia, qui pro Indich, eam dicit nominatam esse Iudith reginam Saba, quæ venit ad Salomonem, fuisse ex illa Æthiopia Abyssinorum censent Rabanus, Abulensis, Maldonatus, Toletus, et alii multi. Vide Cornelium in lib. 3. Reg. 10. 1. Illa regina vocatur a Iosepho Nicaule: a Rabbinis in libro Iuchasin, Nicolaa: a Damiano Goes in legatione Æthiopum, Maqueda. De Eunucho autem reginæ Candacis lege Baron. tom. 1. ann. 35. sub finem.

Secundo, Æthiopia Abyssinorum prævenit manus dare Deo, non solum servando præcepta, sed etiam sectando consilia. Iphigenia enim regis filia virginitatem Deo vovit, et cum ducentis virginibus monasterium ingressa, nec oblato sibi regno ab Hyrtaco avunculo suo adduci potuit, ut propositum mutaret, et cum eo coniugium iniret: ut testatur Ribadeneira in vita S. Matthæi, quem Hyrtacus occidi curavit, quod Iphigeniam ab ea mente nollet abducere.

127. Abyssinorum pietas. Tertio, pietas Abyssinorum patet Primo, quod omnes, etiam laici, quantumvis senes, in templo ex reverentia nunquam sedent, sed genuflectunt, vel certe stant innixi scipionibus, si senes sint, vel infirmi. Secundo, quotidie sacram Eucharistiam percipere etiamnum dicuntur, sicut olim fiebat in primitiva Ecclesia. Quod in ea Christi corpus at sanguinem esse credant, patet ex iis, quæ refert Athanasius Kircherus in suo prodromo Copto, sive Ægyptiaco. In Liturgia, inquit, Æthiopica, hæc habentur: *O Princeps noster Iesu Christe, cuius substantia creata non est, sed es purum Verbum: tu es filius Patris, tu es panis* Eucharistia. *vitæ descendens de cælo, qui antequam venires, eras in figura agni immaculati pro redemptione mundi, nunc bonitatem tuam, o amator hominum, humiliter imploramus, ut facies tuam super hunc panem et calicem in hoc altari ostendas. Benedic, sanctifica, munda, et transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, et vinum hoc in sanguinem tuum pretiosum.* Et aliquot paginis interiectis addit idem auctor: Sacerdos Æthiops trisagio dicto sese accingens ad consecrationem, dicit alta voce: *Extendit manus suas ad infirmitatem, infirmatus est ut infirmos sanaret in te sperantes, qui et in ea nocte, in qua traditus est, accepit panem in sanctas et puras manus suas, inspexit in cælum ad te Patrem suum, gratias egit, benedixit, et sanctificavit, et dedit discipulis suis dicens: Accipite et comedite ex eo omnes. Hic panis caro mea est, quæ pro vobis tradetur in remissionem peccatorum, Amen. Populus vero dicit: Amen, Amen, Amen, credimus et confidimus, et laudamus te,* o *Domine Deus noster. Hoc est* (*in veritate credimus*) *caro tua. Similiter calicem, gratias agens, benedixit, et sanctificavit, et dixit eis: Accipite et bibite ex eo omnes. Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, et pro redemptione multorum. Amen. Populus vero respondet, Amen, Amen, Amen, credimus, et confidimus, et laudamus te*, o *Domine Deus noster. Hic* (*in veritate credimus*) *sanguis tuus est.* Tertio, tanti fecerunt fidem, ut monachum quemdam Æthiopem, qui post S. Matthæum est eorum Apostolus, et plures provincias illuminavit, vocaverint *Aba Salama,* id est, *patrem pacis,* eo quod veram pacem at salutem eis attulerit. Hic educatus apud Arabes Orientales, ab eis Christianam fidem et sacram Scripturam hausit, ac deinde universæ Æthiopiæ easdem communicavit: unde eius habetur Apostolus. Ideo Æthiopica S. Scripturæ versio cum Arabica, seu matrice sua, consentit. Quarto, opinio Abyssinorum est, regem suum, quem Negaz ipsi vocant, originem trahere ex filio Salomonis Milek a regina Saba: se autem ab iis ortos, quorum in comitatu Salomon filium suum remisit ad matrem; Christi vero legem ab Eunucho reginæ Candacis, quem in Actis Apostolorum baptizatum a Philippo legimus, accepisse: primumque accepisse fidem oppidum Tigia dicitur: Tigiensique lingua publicæ etiamnum tabulæ conficiuntur omnes. Id faciunt ob reverentiam fidei acceptæ. Rex eorum venerandæ crucis insigne, velut avitæ religionis defensor ubique circumfert: hinc factum est, ut ab aliis Presbyter Ioannes, seu Presbyter Ionanus, seu Preteiannes, seu Pretoioannes, ab aliis Pretiosus Ioannes vocetur: cum proprie hæc nomina sint principis Christiani olim potentissimi, qui in Catayo imperabat duobus et septuaginta regibus: is in pace unam crucem gestabat, indicem susceptæ tutelæ pro Christi fide, eam in bello geminabat: altera erat e solido auro, altera e gemmis, ut denotaret se et opibus et nobilitate cæteris orbis terræ principibus anteire, et Christianæ religionis propugnatorem esse: inde a nostris dictus est Presbyter Ionanus, cum a Tartaris ethnicis vocaretur Uncham, a suis popularibus Christianis Ionanus. Sed ob susceptam Nestorii hæresim florentissimum illud Asiaticum Imperium eversum est, et errore vulgi appellatio transiit ad regem Abyssinorum in Africa imperantem. Quinto, Abyssini calce et saxo ædificia privata non substruunt, quod consentaneum esse dicant, discrimen aliquod inter Dei templa et privatas hominum ædes intercedere. Magna cum reverentia versantur in templis, in quæ nemo ingreditur, nisi calceis positis. Qui in eis rident, vel fabulantur, aut ambulant, pro impiis et infidelibus ac

damnandis habentur. Sexto, Abyssini magna cum austeritate Quadragesimam ieiunant; Monachi enim solo pane et aqua contenti sunt, quinimo aliqui toto illo tempore panem non gustant, et solis illis herbis vivunt. Omnes qui ieiunant, a potu et cibo abstinent usque ad solis occasum. Multa ibi monasteria sunt, et quidem Ordinis S. Antonii. Septimo, rex in suis titulis vocat se filium Davidis, et Salomonis secundum carnem, filium vero sanctorum Petri et Pauli secundum animam. Strabo dicit lib. 17. olim in Meroe, quæ erat Metropolis Æthiopiæ, tantam fuisse potestatem Sacerdotum, ut aliquando, misso nuntio, mortem ipsi regi imperarent.

Tropologice. Licet sis Æthiops, ne despera, sed præveni dare manus Deo, ille te suscipiet atque dealbabit. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Æthiopes esse ingenii præfervidi, et in Dei rebus ardentes, docet promptitudo Eunuchi petentis baptismum statim atque a S. Philippo edoctus est fidem. Act. 8. 36. *Dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam, et ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* q. d. Baptiza me, fides plena est, aqua prope, baptizator præsens, ait Glossa. Hinc fons ille vocatus est fons Æthiopis, qui est in medio itinere, quo itur a Ierusalem in Gazam contra Bethsuram, vigesimo ab urbe lapide, ad radices montis ebulliens. Tibi nunc dicit Christus, quod illi Eunucho S. Philippus: Si credis ex toto corde, licet: te scilicet baptizari, illuminari, et dealbari. Tibi a Christo dictum puta, quod Tullius lib. 2. epist. 25. scribebat suo amico Attico: *Si me amas, tantum quantum profecto amas: si dormis, expergiscere: si stas, ingredere: si ingrederis, curre: si curris, advola.*

Vers. 34. 128. Prævisa multitudine Gentium, ad Christum per fidem ventura, exultans Propheta omnes invitat ad Deum laudandum, ob tantum beneficium, v. 34. *REGNA TERRÆ CANTATE DEO (Christo) PSALLITE DOMINO, PSALLITE DEO (τὸ *psallite Deo*, non est in Hebræo et Græco, nec in Chald. Syr. et Arab. codice: est tamen in Psalt. Vatican. et Ambr. et apud S. Hilarium, S. Augustinum, et alios, itaque retinendum) QUI ASCENDIT SUPER CÆLUM CÆLI, (id est, super cælum supremum et excellentissimum, hoc est, super cælum empyreum. Est Hebraismus: sicut *Sanctum sanctorum* est locus templi sanctissimus) AD ORIENTEM, id est, qui posteaquam ascendit in altum, sedet in summo cælo ad fontem lucis, unde oritur omne lumen: ita Bellarminus. Nam paradisus est regio lucis.

Ad Orientem quomodo Christus ascendit? I.

S. Salvius Episcopus post mortem raptus est in hanc splendidissimam regionem et civitatem Sanctorum. Unde iussu Dei rediens ad vita exclamavit: *Audite, o dilectissimi, et intelligite. quia nihil est quod cernitis in hoc mundo, sed sunt iuxta id quod Salomon Propheta cecinit: Omnia vanitas. Felix est enim, qui ea agere potest in sæculo, ut gloriam Dei mereatur cernere in cælo.* Cumque astantes rogarent, ubinam fuisset, quidnam vidisset? ait: *Cum me ante hos quatuor dies contremiscente cellula exanimem vidistis, apprehensus a duobus angelis in cælorum excelsa sublatus sum, ita ut non solum hoc squalidum sæculum, verum etiam solem et lunam, nubes et sidera, sub pedibus habere putarem: deinde per portam luce ista clariorem introductus sum in illud habitaculum, in quo omne pavimentum erat quasi aurum argentumque renitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis: quam ita multitudo promiscui sexus oblexerat, ut longitudo ac latitudo catervæ prorsus perviderі non posset. Cumque nobis via inter comprimentes, ab his qui præcedebant angelis pararetur, pervenimus ad locum, quem iam de longinquo contemplabamur, in quo superpendebat nubes omni luce lucidior: in quo non sol, non luna, non astrum cerni poterat, sed super his omnibus naturali luce splendidius effulgebat.* Et vox procedebat de nube, tamquam vox aquarum multarum. Ibi etiam me peccatorem humiliter salutabant viri in veste sacerdotali ac sæculari: quos mihi, qui præcedebant enarraverunt esse Martyres ac Confessores, quos hic summo excolimus famulatu. Stans igitur in loco, in quo iussus sum, operuit me odor nimiæ suavitatis; ita ut ab hac suavitate refectus, nullum adbuc cibum potumque desiderem. Et audivi vocem dicentem: Revertatur hic in sæculum, quoniam necessarius est Ecclesiis nostris. Vox enim audiebatur: nam qui loquebatur, penitus cerni non poterat. Et ego prostratus super pavimentum cum fletu dicebam: Heu! heu! Domine, cur mihi hæc ostendisti, si ab his frustrandus eram? Ecce hodie elicis me a facie tua, ut revertar ad sæculum fragile, et huc ultra redire non valeam. Ne quæso, Domine, auferas misericordiam tuam a me; sed deprecor, ut permittas me hic habitare, ne illuc decidens peream. Et ait vox quæ loquebatur mihi: Vade in pace, ego enim sum custos tuus, donec reducam te in hunc locum. Tum relictus a comitibus meis, descendens cum fletu per portam, qua ingressus fueram, huc sum regressus. Quocirca factus Episcopus Albigensis, vitam egit cælestem et angelicam, atque suos omnes hortabatur orationi incumbere, et vigiliis instanter insistere, et bona semper tam in operibus, quam in cogitatione versare, dicens: Hoc agite, ut, si vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in iudicium, sed in requiem intrare possitis: ita S. Gregorius Turonensis refert lib. 7. histor. cap. 1. qui illa se ab eiusdem S. Salvii ore accepisse iuratus asseverat.

Paradisus est regio lucis.

Secundo simplicius et melius: *Ascendit super cælum cæli ad Orientem*, id est, versus Orientem, in parte mundi orientali: nempe in monte Oliveti, qui est orientalis Ierosolymæ: ita S. Augustinus, Genebrardus, Ugo Card. et alii: ut enim ait S. Cyrillus catech. 14. *Elias ad Orientem Iordani: Christus autem ad Orientem torrentis Cedron ascendit:* ita ipse. Cum igitur ascenderit ex illo monte orientali, et recta linea in cælos penetrarit, imaginamur eius thronum cælestem esse in parte mundi orientali: cum præsertim id magis denotet, nunquam deficientem esse lucem. Zachariæ 6. 12. vocatur *Oriens* ipse Christus: *Ecce vir Oriens nomen eius, et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo.* Hinc olim Christiani adorabant ad Orientem versi, et templa nostra ad Orientem sunt obversa. Vide S. Ioannem Damasc. lib. 4. de orthodox. fide. II. Et melius.

Symbolice. Quidam notat in Hebræo esse ad verbum: 129. Symbol. Qui equitat in cælis cælorum *antiquitatis*, id est, qui sunt ab initio: vel *Orientis*, id est, qui sunt ab Oriente. Nam de parte cælorum versus Occidentem, supra locutus est v. 5. Sic æquat orientales occidentalibus, ac utrisque prædicit regnaturum Dominum. Equitare enim est regnare, per methaphoram. Christus non solum in occasum inequitavit, sed etiam in Orientem: extrema, nedum media mundi, sub suis frænis posuit, diverso tamen tempore. Primus enim ascensus Christi fuit super occasum, v. 5. id est, versus nostram Europam, Africam, et Asiæ occidentalia, Ierosolymæ respectu, e qua situs et plagas regionum notare solet Scriptura. Illic enim præcipue et solemnius receptum est Christi regnum atque cultus. Nam Orientis regiones, Mesopotamia, Chaldæa, Arabia, Persia, India, etc. tardius sese dederunt, et minus universe ac publice. Quare vixdum etiam hodie principes Persarum et Indorum (præter unum Presbyterum Ioannem iam a 300. annis Tartarorum armis in Indiis extinctum, ut narrat M. Venetus) publica fidem receperunt; sed perpetuo vel paganismum, vel mahometismum professi sunt. Secundus autem ascensus hic ad Orientem, quia tandem illic solemniter vigebit, coleturque Christus, quod indicatur Apocal. 16. ubi Antichristus præcipuæ ab eius incolis et regibus conficiendus ostenditur. Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, et siccavit aquam eius, ut præpararetur via regibus ab ortu solis ad succurrendum Ecclesiæ. Cui mysterio Portugalenses et Hispani in suis ad illos populos navigationibus et conversionibus, iam ab anno 1500. inserviunt. Hæc ille, cui tamen non assentior in eo, quod dicit reges transituros Euphratem siccatum, ut pugnent in Armagedon, id est, in excidio excidii, esse pro Ecclesia contra Antichristum: nam probabilius Ribera censet eos fore pro Antichristo, et cum eo vincendos a Christo, et cædendos

ad internecionem: unde locus prælii dicitur Armagedon, q. d. Locus, quo fiet cædes maxima.

130. In via Dei semper est ascendendum.

Moraliter. Ascendamus ad Orientem cum Christo, nunquam deflectentes in Occasum, sed novo semper et in dies atque horas exoriente fervore ad alta contendamus. Accipiter non obliquo, aut per anfractus, sed forti alarum remigio recta fertur: unde illum pingens Scipio Bargalius hanc epigraphen addidit: *Recta sursum.* Nec de viribus nostris diffidamus, ipse nos portabit. Ioannes Baptista Brembatius, ut Imperatoris patrocinio se ad magna provectum iri adumbraret, trochilum seu regulum figuravit, qui super alas aquilæ sublimis ferretur, cum hoc lemmate: *Non usitata, nec tenui ferar,* supple, via.

131. Vers. 35. Christi vox est vox virtutis.

Non ita Christus gloriæ suæ consuluit in cælos ascendens, ut nostri sit oblitus: inde enim orbem regit et instruit, v. 35. ECCE DABIT VOCI SUÆ VOCEM VIRTUTIS (Flamin. Arias, et S. Hieronymus, vocem fortitudinis) DATE GLORIAM DEO SUPER ISRAEL: MAGNIFICENTIA EIUS ET VIRTUS EIUS IN NUBIBUS. Quæres, quæ sit illa vox virtutis? Primo, S. Hilarius, S. Hieronym. S. Aug. Bellarminus, et alii explicant de voce Christi in extremo Iudicio.

I. In iudicio extremo.

Tunc enim ille, qui humilis apparuit, et sicut agnus coram tondente obmutuit, ut dicit Isaias cap. 53. nunc sedet super cælum cæli, et paulo post dabit voci suæ, ut sit vox virtutis, id est, vox potentissima et efficacissima: quod fiet, quando omnes mortui audient vocem Filii Dei, et resurgent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii: nulla enim vox potentior excogitari potest. Vox quidem virtutis fuit, quæ dixit: *Adolescens, tibi dico, surge.* Et: *Lazare, veni foras.* Sed vox, quæ cineres omnium hominum ab initio mundi defunctorum subito formabit, animabit, excitabit, quantæ tandem virtutis erit? Vox item maxime virtutis erit, quæ dicet: *Ite maledicti in ignem æternum,* Matth. 25. Et: *Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum:* cui voci absque ulla resistentia vel retractatione respondebit effectus. Certe comparatione ad hanc vocem, omnia omnium principum edicta et imperia nullius virtutis existimanda sunt: ita Illi.

II. In adventu Spiritus sancti.

Secundo, et melius, per vocem virtutis, id est, potentem, Euthymius et Theodoretus intelligunt Spiritum sanctum, qui post ascensionem descendit in Apostolos. Verba Theodoreti sunt: *Ecce dabit vocem suam, vocem virtutis.* Significat autem per hæc, post Salvatoris nostri assumptionem, Spiritus sancti adventum: nam hunc Dominus etiam virtutem appellavit. *Manete enim,* ait Luc. 24. *in civitate hac, donec induamini virtute ex alto.* Cæterum de hac voce etiam B. Lucas mentionem facit, dicens Actor. 2. *Facta est autem vox de cælo, tamquam venientis spiritus vehementis, et implevit domum ubi erant sedentes.*

III. In promulgatione Evangelii.

Tertio, et optime, vox virtutis, quam Christus audiri facit a tota Ecclesia, est vox Apostolorum, et concionatorum, quam Spiritu sancto animat atque corroborat. De illa dicitur Ps. 28. v. 4. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Vide multa in eo Psalmo. Leo Papa X. pilam pugillatoriam sibi pro symbolo elegit, cum hoc lemmate: *Vi et virtute,* ut indicaret, se iu regendo orbe animi vigore usurum esse.

132. Tropol. Lingua est mortificanda, ut habeat vocem virtutis.

Tropologice. Demus voci nostræ vocem virtutis, non vero vocem vitiorum. Mortificemus linguam nostram, et tunc edet vocem potentem, imo ipsum eius silentium erit efficacius omni locutione. Mustela in venenatum animal pugnatura, ramum rutæ ori apponit, sicque pugnat, et vincit. Unde Sfortia Palavicinus contra Turcas pro regno Hungariæ dimicaturus, illam effinxit cum hac epigraphe: *Cautius pugnat.* Ranæ Ægyptiæ, ut ab hydro serpente se tueantur, transversum calamum oro præferunt, ne ab eo devorentur: hanc ideo expressit Polydamas Maynus, hoc addito: *Virtute, non vi.* Crux ori est apponenda, sic erimus invincibiles.

Vers 35. 2. Pars.

Ex his sequitur, Christum esse a nobis glorificandum, cum in se gloriosus nostræ tamen utilitati invigilet, v. eod. 35. DATE GLORIAM DEO SUPER ISRAEL. Theodoretus, τὸ *super Israel,* ad sequentia refert, ac legit: Super Israel magnificentia eius. Sed hoc non est necessarium.

Primo itaque, sensus est, q. d. Glorificate Deum super beneficia in electos eius collata. Omnia enim propter electos, inquit Apostolus 2. Timoth. 2. ita Bellarminus.

133. Magnificentia Christi in nubibus, 1. In iudicio.

Secundo, et melius, *date gloriam Deo super Israel,* id est, super, et propter populum Christianum, quem per vocem Evangelicam virtuosam, potentem et efficacem convertit.

Pergit ostendere, Deo esse dandam gloriam, Primo, quia *magnificentia eius, et virtus eius in nubibus:* 1. id accidet in die iudicii: tunc enim in nube lucida et fulgenti sedebit Iudex vivorum et mortuorum, et rapientur electi obviam ipsi in aera; 2. magnificentia et virtus, seu fortitudo eius patuit in nubibus die ascensionis, de qua est totus Psalmus.

2. In ascensione.

Dicitur enim Actor. 1. v. 9. *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Figuratum id fuit 3. Reg. 44. ubi apparuit nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendens de mari, id est, ex hoc mundo. S. Chrysost. tom. 5. serm. 33. *Elias,* inquit, *in curru igneo, Christus in nube. Nam quando servum vocari oportebat, currus mittebatur: quando autem filium,* θρόνος βασιλικός, *thronus regalis: neque simpliciter thronus regalis, sed ipsemet paternus. Etenim de patre ait Isaias cap. 19. 1. Ecce Dominus ascendet super nubem levem. Quia ergo pater super nubem ascendit, ideo et filio nubem misit;* 3. magnificentia et virtus Christi fuit in nubibus, id est, in Apostolis,

3. In Apostolis.

de quibus Isaias cap. 60. 8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* 4. et maxime consequenter, magnificentia et virtus Christi in nubibus, id est, in cælis: ita Chaldæus,

4. Et optime, in cælis.

Pagninus, et S. Hieronymus. Hebraico enim est שחקים *scechakim,* hoc est, æther, cælum. Syr. vertit, cælum cæli, id est, cælum supremum et præstantissimum: illud autem est cælum beatorum, in quo Christi magnificentia et virtus maxime elucet. Sic Ps. 88. 38. ubi habemus, *Testis in cælo fidelis,* Hebr. est בשחק *basciachak,* in cælo, ut etiam vertit R. Abraham. Ponit autem Propheta nubes hoc loco, quia fortasse viderat thronum Christi in ipso cælo circumdatum nube fulgenti, ut S. Ioannes thronum illum mirabilem, in quo erat Deus Pater, Apoc. 4. 3. dicitur: *Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ,* id est, colori smaragdi. Iris autem fit in nubibus, per refractionem lucis.

Secundo, danda est gloria Deo, quia est, mirabilis in sanctis suis, hoc est, 1. in sanctuariis suis, hoc est in Ecclesiis: ita Genebrardus. Hebr. enim est *micdasim,* hoc est, sanctuaria. S. Hieronymus vertit, Terribilis Deus in sanctuario suo. Pagnin. in sanctuariis suis; 2. in sanctuario suo, id est, in cælo; 3. et optime, mirabilis Deus in sanctis et electis suis, qui sunt sanctuaria et templa, in quibus habitat: ita S. Hieronymus, S. Augustinus, Lindanus, Raynerius, Ugo, et alii. Illam admirabilitatem ponit Lindanus in Apostolorum vita et stupendis miraculis. Raynerius ad alios Sanctos etiam transfert. Mirabilis est, ait, Deus noster in Sanctis suis, per quos fecit mirabilia, cæcos illuminando, leprosos mundando, mortuos suscitando. Ugo Cardinalis optime varia considerat, propter quæ Deus est mirabilis in Sanctis suis: *Mirabilis,* inquit, *Deus,*

134. Mirabilis Deus in Sanctis suis duodecim modis.

in Sanctis suis prædestinandis. Gen. 48. 20. Constituit Ephraim ante Manassem. Secundo, vocandis. Act. 9. 1. Saulus adhuc spirans. Tertio, iustificandis. Mich. 4. 10. Venies usque ad Babylonem, ibi liberaberis. Quarto, magnificandis. Eccl. 11. 5. Insuspicabilis portavit diadema. De his quatuor, Roman. 8. 30. Quos prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et iustificavit: quos autem iustificavit, illos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Quinto, exercendis, ut Paulum per angelum satanæ, 2. Corinth. 12. 7. Sexto, probandis, ut Iob. 1. Septimo, liberandis. Numer. 26. Factum est grande miraculum, ut Core pereunte filii illius non perirent. Octavo, redimendis. 1. Petr. 1. 18. Non corruptibilibus auro vel argento. Nono, mittendis, scilicet idiotis. Act. 4. 13. Comperto quod homines essent sine litteris, et idiotæ, admirabantur. Decimo, roborandis in passionibus et prædicationibus. Sap. 10. 17. Deduxit illos via mirabili. Undecimo, experiendis. 2. Cor.

12. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ.*
Duodecimo, glorificandis. Isa. 60. 5. *Videbis et afflues, et*
mirabitur, et dilatabitur cor tuum: ita Ugo. Vide quæ dixi-
135. mus de Martyribus Ps.43. toto. Comparantur Sancti rebus
Sanctorum variæ figuræ seu symbola. mirabilibus, et iis figurantur in Scriptura. Primo, eorum
figura fuit arca intus et extra inaurata, in qua lex conti-
nebatur, Exod. 25. 10. Secundo, tabernaculum Mosis cum
suis altaribus, atriis, vasis, et ornatu, ibidem 26. 1. et
consequenter templum Salomonis, 3. Reg. 6. Tertio, Che-
rubini aurei supra arcam stantes, et Deum in propitiato-
rio aureo sedentem portantes, Exod. 25. 18. Quarto, Cur-
rus ille mirabilis ab Ezechiele visus, et Cherubini illum
stipantes, Ezech. 1. Quinto, duodecim gemmæ Rationa-
lis, in quibus scripta erant nomina filiorum Israel, Exod.
28. 17. In illis significari duodecim Apostolos, ait Tertul-
lianus lib. 4. contra Marcion cap. 13. Sexto, duodecim la-
pides pretiosi, quibus constant fundamenta civitatis cæle-
stis, Apocal. 21. 19. in iis duodecim Apostolos designari

A vult Cornelius. Iaspide figuratur S. Petrus: sapphiro S. Andreas: chalcedonio seu carbunculo S. Iacobus Maior frater S. Ioannis: smaragdo S. Ioannes: sardonyche S. Philippus: sardio S. Bartholomæus: chrysolitho S. Matthæus: beryllo S. Thomas: topatio S. Iacobus Minor: chrysopraso S. Iudas Thaddæus: hyacintho S. Simon Chananæus: amethysto S. Mathias. Nunc in terris miremur eorum virtutes, ut eorum gloriam videamus in cælis. Septimo, margaritæ, quibus constant paradisi portæ, sunt symbola virorum Apostolicorum et religiosorum. Tredecim analogiis id probat Cornelius, Apocal. 21. v. 1. Octavo denique, cæli, sole, luna, et stellis ornati sunt, Sancti virtutibus illustres. Vide dicta Psal. 18. v. 1. et ad cælos illos oculum mentis extolle, ut lucem aspicias, et lucis filius cælumque fias: Deus ipse dabit virtutem et fortitudinem, ut in dies maiori luce effulgeas, et in æternum cum Sanctis omnibus dicas: Benedictus Deus, qui nos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum. Amen. Amen.

PSALMUS SEXAGESIMUS OCTAVUS.

1. In finem, pro iis qui commutabuntur, David.

2. SALVUM me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.
3. Infixus sum in limo profundi: et non est substantia.
Veni in altitudinem maris: et tempestas demersit me.
4. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.
5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.
Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quæ non rapui, tunc exsolvebam.
6. Deus tu scis insipientiam meam: et delicta mea a te non sunt abscondita.
7. Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine virtutum.
Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel.
8. Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.
9. Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ.
10. Quoniam zelus domus tuæ comedit me: et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.
11. Et operui in ieiunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi.
12. Et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam.
13. Adversum me loquebantur qui sedebant in porta: et in me psallebant qui bibebant vinum.
14. Ego vero orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.
In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.
15. Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.
16. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.
17. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.
18. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.
19. Intende animæ meæ, et libera eam: propter inimicos meos eripe me.
20. Tu scis improperium meum, et confusionem meam et reverentiam meam.
21. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: improperium expectavit cor meum, et miseriam.
Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.
22. Et dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto.
23. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.
24. Obscurentur oculi eorum ne videant: et dorsum eorum semper incurva.
25. Effunde super eos iram tuam: et furor iræ tuæ comprehendat eos.
26. Fiat habitatio eorum deserta: et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.
27. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.
28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: et non intrent in iustitiam tuam.
29. Deleantur de libro viventium: et cum iustis non scribantur.
30. Ego sum pauper et dolens: salus tua Deus suscepit me.
31. Laudabo nomen Dei cum cantico: et magnificabo eum in laude:
32. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.
33. Videant pauperes et lætentur: quærite Deum et vivet anima vestra:
34. Quoniam exaudivit pauperes Dominus: et vinctos suos non despexit.
35. Laudent illum cæli et terra, mare, et omnia reptilia in eis.
36. Quoniam Deus salvam faciet Sion: et ædificabuntur civitates Iuda.
Et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent eam.
37. Et semen servorum eius possidebit eam: et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

PSALMI SEXAGESIMI OCTAVI ANALYSIS.

Christus a Iudæis ad necem protractus, et in summis doloribus constitutus, proponit Deo:

- Passionis suæ acerbitatem sub typo tempestatis:
  - Aquis, in animam intrantibus. 2.
  - Syrtibus infidis, eum haurientibus. 3.
  - Tempestate, eum demergente. 3.
  - Gemitu, raucedinem inducente. 4.
  - Oculis, deficientibus. 4.
  - Hostibus, insultantibus, et confortatis. 5.
  - Delictis hominum, obruentibus. 6.
  - Amicis, erubescentibus et confusis. 7.
  - Facie, rubore suffusa. 8.
  - Apostolis, eum fugientibus. 9.
  - Ipso, se affligente
    - In anima, per zelum. 10.
    - In corpore, per ieiunium et cilicium. 11. 12.
  - Magistratibus et divitibus, irridentibus. 13.
- Dei misericordiam implorat, 14.
  - Liberationem petendo,
    - De luto. 15.
    - De profundis aquarum. 15.
    - De naufragio. 16.
  - Rationes implor. sumendo.
    - A Deo, cuius
      - Misericordia benigna. 17.
      - Et multa. 17.
    - A seipso, cuius
      - Anima servit Deo. 18.
      - Et corpus patitur. 18.
    - Ab inimicis,
      - Nitentibus animam perdere. 19.
      - Et famam lædere. 20.
    - Ab amicis,
      - Nec curantibus. 21.
      - Nec consolantibus. 21.
    - A cruciatu,
      - In esca fellea. 22.
      - Et potu ex aceto. 22.
- Hostium prædicit punitionem:
  - In bonis corporis,
    - Ore, cibis amaris cruciato. 23.
    - Oculis, obtenebratis. 24.
    - Dorso, flagellato. 24.
    - Capite, contuso. 25.
    - Corpore, ligato. 25.
  - In bonis fortunæ,
    - Civitate Ierusalem excisa. 26.
    - Domibus singulis eversis,
      - Ob persecutionem. 27.
      - Et crudelitatem. 27.
  - In bonis animi,
    - Deo graviora peccata permittente. 28.
    - Gratiam subtrahente. 29.
    - E libro vitæ cradente. 29.
- De liberatione gratias agit:
  - Deo uni illam tribuens. 30.
  - Laudes promittens ei placituras. 31. 32.
  - Alumnos invitans, ut ipsi serviant. 33. 34.
  - Creaturas movens ad eum laudandum. 35. et seqq.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, pro iis qui commutabuntur, David.

1\. Cum in præcedenti Psalmo Propheta egisset de triumpho Christi in cælos ascendentis, ne quis de victoria ante pugnam cogitaret, Passionis nobis tempestatem et dolores exhibet, quibus Salvator ad portum salutis pervenit, et Sanctos, quos secum trahit, deducit. De solo enim Christo, etiam ad litteram, hunc Psalmum sine dubitatione intelligendum esse docent S. Hilarius, S. Augustinus, Cassiodorus, Lyranus, Caietanus, Genebrardus, Agellius et alii. Nam sæpius in Evangelio citatur hic Psalmus de Christo. Primo quidem, cum tertio mense post suum baptismum in primo paschate eiecit e templo vendentes boves, oves, et columbas, et numulariorum seu collybistarum pecunias commutantium mensas subvertit, recordati sunt discipuli eius, quia scriptum est: *Zelus domus tuæ comedit me,* Ioann. 2. 17. Secundo, Christus ipse in ultima cæna, expositis iis, quæ fecit pro hominum salute, ait eos fuisse ingratos, et sic adimpletum fuisse quod in lege scriptum est: *Quia odio habuerunt me gratis,* id est, sine causa, et sine mea culpa, Ioan. 15. 23. Ubi adverte, quod licet Hebræi vetus Testamentum dividant in Legem seu Pentateuchum, in Prophetas, et in Hagiographa, qualia sunt Psalmi, Iob, etc. quod tamen

Psalmus hic ad litteram est de Christo.

Sæpe citatur in novo testamento.

aliquando Psalmi, et totum vetus Testamentum legis nomine intelliguntur. Tertio, quintum in cruce verbum dixit Christus: *Sitio*, ut impleretur Scriptura, ait Ioannes 19. 28. nempe ea, quæ habetur in Psalmo nostro: *Et in siti mea potaverunt me aceto*. Tunc enim audita illa voce currens unus militum acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere, ut refertur Matt. 27. 48. Quarto, Act. 1. 20. usurpat S. Petrus hunc versum: *Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui habitet in ea*. Quinto, Rom. 15. 3. S. Paulus omnes adhortans ad patientiam, monet Christum non sibi placuisse, cum scriptum sit: *Improperia improperantium tibi ceciderunt super me*.

2. Mutatio morum nos Deo commendat. Nota, S. Hieron. sic titulum vertit: *Victori pro liliis David*. Felix, *vincenti super lilia David*. Hebraice est, שושנים *scioscianim*, id est, lilia: sed de hac re vide Psal. 44. in cuius titulo ea est dictio. Tropol. Si vis fieri lilium, dealbare in sanguine agni, id est, in passione Christi, sic commutaberis in virum alterum. S. Augustinus: *Ut mutaremur in peius, nostra iniquitas fuit: ut mutaremur in melius, non nostra iustitia, sed gratia Dei præstat. Quod ergo in peius mutati sumus, nobis imputemus: quod in melius commutamur, Deum laudemus. Pro his ergo iste Psalmus, Qui commutabuntur. Unde autem ista commutatio facta est, nisi in passione Christi? Pascha ipsum Latine transitus interpretatur. Non est enim pascha Græcum nomen, sed Hebræum. Resonat quidem in Græca lingua passionem, quia πάσχειν pati dicitur. Sed consultum Hebræum eloquium, aliquid indicat, pascha transitum commendat. Quod admonuit etiam Ioannes Evangelista, qui imminente passione, cum veniret Dominus ad cœnam, qua commendavit sacramentum corporis et sanguinis sui, ita loquitur cap. 13. 1. Cum autem venisset hora, qua transiret Iesus de hoc mundo ad Patrem: expressit ergo transitum paschæ. Sed nisi ipse transisset hinc ad Patrem qui propter nos venit, nos transire hinc quomodo possemus, qui non propter aliquem levandum descendimus, sed cecidimus? ipse autem non cecidit, sed descendit, ut eum qui ceciderat, sublevaret. Transitus ergo illius et noster hinc ad Patrem, de hoc mundo ad regnum cælorum, de vita mortali ad vitam æternam, de vita terrena ad vitam cælestem, de vita corruptibili ad incorruptibilem, de tribulationum conversatione ad perpetuam securitatem. Ideo pro his qui commutabuntur Psalmi titulus est. Causam igitur commutationis nostræ, id est, ipsam Domini passionem, nostramque in tribulationibus vocem in textu Psalmi advertamus, cognoscamus, congemiscamus: et audiendo, cognoscendo, congemiscendo mutemur, ut impleatur in nobis titulus Psalmi: Pro his qui commutabuntur*: ita Augustinus.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3. QUATUOR CONTINET. PRIMO, PASSIONIS CHRISTI SUMMOS DOLORES, VERS. 2. SECUNDO, IMPLORATIONEM AUXILII DIVINI, VERS. 14 TERTIO, PUNITIONEM TORQUENTIUM, ET CRUCIFIGENTIUM CHRISTUM, VERS. 23. QUARTO DENIQUE, GRATIARUM ACTIONEM, OB OPEM PRÆSTITAM IN TANTIS MALIS, VERS. 30.

SECTIO PRIMA.

Duo complectitur. Primo, naufragium Christi in maxima dolorum tempestate, vers. 2. Secundo, naufragi reiectionem ab omnibus, vers. 7.

PARAPHRASIS.

2. *Salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

2. Amantissime Pater, et potentissime Deus, cum dolorum aquis luctantem filium a periculo libera: iam enim pene dissolutam mentis navem subeunt eam, ut in triste naufragium compellant.

3. *Infixus sum in limo profundi: et non est substantia.*

3. Ad arenosas limosasque syrtes infixus hæreo: neque ubi pedem tuto possim figere, reperio; adeo omnia infida sunt, lubrica et periculosa.

Veni in altitudinem maris: et tempestas demersit me.

Inde me resorbens et concussans fluctus, in altum passionis mare abstulit: atque undis subsultim invadentibus obruit, ac demersit.

4. *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.*

4. In hac mentis corporisque fluctuatione irritos clamores emisi, itaque diuturnos, ut raucedinem contraxerim: neque tamen ullus præsto fuit, qui naufraganti manum præberet: oculos supplex in cælum ipsum extuli, ut inde mihi subsidium quærerem; sed elanguerunt et fatigati sunt, dum frustra liberandum me a calamitate ac morte, per paternam opem, confido.

5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.*

5. Non tot in vasto oceano aquæ guttulæ fluitant, nec tot in capite capilli increscunt, quot hostium cunei in me agglobantur; cum tamen optime semper de illis sim meritus, nec ullum unquam læserim.

Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quæ non rapui, tunc exolvebam.

Vehementium instar ventorum laceram navem hac illac disiectantium, in me roborati sunt hostes mei, qui absque ulla causa mihi temere insultant. In illo eorum in me furioso impetu pœnas sustinui scelerum, quæ non admiseram.

6. *Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.*

6. Si quid in eos admissum est sceleris, etiam a non cogitante, tu nosti, testem te innocentiæ meæ invoco: si quid vero sciens ac volens in eos peccavi, tibi etiam est in comperto. Scis enim me nihil eiusmodi egisse.

7. *Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine virtutum.*

7. Ne patiaris tanta me atrocitate ac barbarie ab hostibus discerpi, ut horum contemplatione cruciatuum rubore suffundantur ii, qui salutem, et opem iustis promissam a te uno expectant: cum in omnes exercitus, regesque ac iudices obtineas dominatum.

Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israel.

Neque erubescant me Deum suum, filiumque tuum profiteri, qui tuam amicitiam ambiunt, celerique gradu et ardenti animo ad te anhelant, o Deus Israelitici populi, omniumque iustorum tutor ac protector.

8. *Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.*

8. Hæc enim omnia et cachinnantium sannas, tui unius causa perpessus sum: tamque acerba et pudenda sunt ea quæ pertuli, ut confusio vultum meum iu terram deiectum obtexerit.

9. *Extraneus factus sum fratribus meis: et peregrinus filiis matris meæ.*

9. Intima familiaritate et contubernio mihi coniunctissimi verberibus contritum et lividum, veluti externum et sibi ignotum leprosum fugerunt atque abnegarunt: meque velut hospitem ac peregrinum affines omnes et cognati habuerunt, atque in calamitate solum sine auxilio reliquerunt filii matris meæ synagogæ.

10. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me: et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.*

10. Non indignus sum, quia a te adiuver, cum ardentissimo zelo domus tuæ gloriam sitiverim, ob eamque impios reprehenderim: hanc ob causam, qui tibi legibusque tuis insultant, conviciis me ac probris onerarunt.

11. *Et operui in ieiunio animam meam: et factum est in opprobrium mihi.*

11. Ut iram tuam in scelerates averterem, ieiunio me afflixi: illi vero in risum soluti, cavillis et scommatis me appetiverunt.

12. *Et posui vestimentum meum cilicium: et factus sum illis in parabolam.*

12. Exteriorique vestitu mœrerem ob culpas in te admissas testatus sum: et illorum fabula iocusque, omnium ludibrio patui.

13. *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta: et in me psallebant qui bibebant vinum.*

13. Decretorias in me sententias tulerunt iudices, qui ad civitatis portam tribunalia sua habent: et vilis plebecula in me composita carmina concinit, cum se largiore mero ingurgitaverit.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM GRAVIS FUERIT TEMPESTAS PASSIONIS CHRISTI?

4. Ordo Sectionis. CHRISTUS, qui in toto Psalmo loquitur, Primo, naufragium timens ac prævidens, opem divinam implorat, v. 2. *Salvum me fac Deus.*

Secundo, magnitudinem tempestatis exponit: 1. ait navem animæ suæ dissolvi, et dolorum aquis obrui: *Quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam;* 2. in syrtes infidas et fluitantes coniectam dolet, v. 3. *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia;* 3. iterum se fluctu et ventis in altum mare reiectum esse, atque in eo demersum luget: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me;* 4. gemitus suos vehementes in tanta iactatione et naufragio memorat, v. 4. *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Et spem suam in Deum: *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum;* 5. in naufragio tandem se undis glomeratim assilientibus obrutum depingit, v. 5. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis;* 6. ventis infrementibus huc illuc iactatum se deplorat: *Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniuste.* Licet esset innocens: *Quæ non rapui, tunc exsolvebam;* 7. scopulos varios, ad quos impulsus sit, aperit, nempe hominum scelera, ob quæ punitur, v. 6. *Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.*

Tertio denique, vicinis in rupibus spectantes amicos, et inimicos proponit. Primo quidem, amicos iustos, qui pudore suffundantur ob tantas ei illatas contumelias, cuius se cultores et sectatores profitentur: petit autem, propter ipsos cruciatum mitigari, v. 7. *Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine virtutum.* Et sceleratorum ipsis ob id iniecta probra cum rubore perlaturos prævidet: idque ne fiat, flagitat: *Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israel.* Causam affert cur Deus illam ignominiam amoliri debeat: quod scilicet propter ipsum suscepta sit, v. 8. *Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.* Aliam causam addit: scilicet quod tanta sit, ut propter eam Apostoli ipsi illum desererant, v. 9. *Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ.*

Secundo, hostes suos ostendit in littore, irridentes se cum undis luctantem, v. 10. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Quid autem irriderent, aperit. Primo quidem, quod macie et squalore confectus esset, v. 11. *Et operui in ieiunio animam meam, et factum est in opprobrium mihi.* Secundo, toto corpore cruciatus, v. 12. *Et posui vestimentum meum cilicium, et factus sum illis in parabolam.* Tam magistratibus, quam plebeiis, v. 13. *Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta: et in me psallebant qui bibebant vinum.*

ARTICULUS I.

Afflictio et tentatio, magnæ et periculosæ sunt tempestates.

CUM fragili corporis cymbulæ concreditam vitam suam, et undequaque glomerantos fluctus Salvator adverteret, duplices ad sidera palmas erigens, exclamat, v. 2. 5. Vers. 2. SALVUM ME FAC DEUS, QUONIAM INTRAVERUNT AQUÆ USQUE AD ANIMAM MEAM, tollendam scilicet, ait Lorinus: qui animam vult sumi pro vita; 2. anima hic melius sumetur in propria significatione: intrare autem dicitur aqua seu tribulatio usque ad animam, cum eam tanta tristitia afficit, ut obruat, et tristitia illa nullis rationibus et motivis impediri possit.

Periculi sui magnitudinem declarat, v. 3. INFIXUS SUM IN LIMO PROFUNDI (Apollin. In fundum cœnosum. Syr. in præcipitium profundissimum. Symmach. in interminatas voragines) ET NON EST SUBSTANTIA (id est, non est subsistentia seu consistentia. Hebr. enim est מעמד *maomad*, hoc est, consistentia, firmitas, stabilitas. Chald. non fuit subsistendi locus). VENI IN ALTITUDINEM MARIS (Hebr. veni in profunda aquarum. Arabs, usque ad profunditatem profundi perveni) ET TEMPESTAS DEMERSIT ME. Vers. 3.

Nota, Christus periculorum suorum gravitatem triplici similitudine declarat: nempe Primo, hominis in aqua constituti, cum illæ nimirum affluentes et ascendentes, ac per os ingredientes, prope cor suffocant, animamque seu vitam extinguunt. Secundo, illius, qui delapsus in lutosam et limosam fossam altam, nullo hærere loco potest, nulla inde se ratione extricare, sed quo se versat magis, ac nititur evadere, eo altius et irremediabilius infigitur. Postremo simili utitur naufragantis, ac sæpius vehementiusque in profundo maris agitati, nulla ut spes supersit effugiendi submersionem imminentem: ita Lorinus.

Secundo, et melius, unica est tantum comparatio naufragi, qui fracta nave in fluctum excussus in ima decidit, Comparat se Christus naufrago. atque emergens natat, et deficiens aquam invitus bibit, auxiliumque implorat; 2. ad littus contendens natatu, aut fluctu impulsus infigitur in limo profundo, ubi pedem firmare non potest; 3. denique, inde se proripiens reiicitur in altum mare, ubi destitutus viribus mergitur, et e fundo sese erigere non potest immensa aquarum mole oppressus. In hac similitudine, ait Bellarminus, *per multitudinem aquarum usque ad animam penetrantium,* intelliguntur pœnæ multæ, quas Christus pertulit, quæ usque ad mortem sævierunt: non enim simplici morte defunctus est, sed innumeras pœnas doloresque sustinuit: *per limum profundi,* cui infixus inhæsit, significantur peccata totius

humani generis, quæ illum in pœnis detinuerunt: *per tempestatem*, qua demersus fuit in aquas, intelliguntur iustitia, decretumque divinum, quod expiari peccata voluit: intelligitur quoque rabies et crudelitas Iudæorum: intelligi denique potest, et maxime proprie, vehementia amoris ipsius erga genus humanum. Ita ipse, qui subdit: Nam per eam tempestatem, intelligitur causa efficiens passionis, quæ multiplex fuit, ut Theologi docent ex divinis Scripturis. Nam Apostolus ad Rom. 8. dicit: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et Act. 3. dicit S. Petrus ad Iudæos: *Auctorem vitæ interfecistis.* Et rursus B. Paulus ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea.* Itaque tempestas valida, quæ Christum demersit in profundum passionis et mortis, fuit partim bona et laudabilis, partim mala et reprehensione digna.

6. Mundus est mare, et cur. Tropolog. Omnes tam iusti, quam peccatores, sunt in mari et fluctibus tentationum atque afflictionum. Mundus enim hic totus est vastum et periculosum mare. Ugo Card. in Psal. nostr. *Mundus*, inquit, *est mare*, 1. *salsum per cupiditatem;* 2. *fœtens per luxuriam;* 3. *tumens per superbiam. Aquæ sunt divitiæ, et deliciæ, et honores mundani, et omnia peccata: quæ*, 1. *usque ad animam intrant per delectationem;* 2. *suffocant per consensum;* 3. *submergunt per operationem;* 4. *computrescere faciunt per consuetudinem. Navis, in qua transire debemus mare istud est pœnitentia, vel innocentia.* In illud mare delatum se S. Gregor. Papa conqueritur ob multitudinem negotiorum, velut fluctuum in omnem partem illum iactantium. Sic enim ait libr. 1. epistol. 5. ad Theoctistam sororem Imperatoris. Undique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita ut recte dicam: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* Redire post causas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus redire non possum: *ita* Gregorius. Periculum triplex distinguit Valentia in Psal. nostro. Primo, aquarum in torrente aut flumine, tempore magnarum pluviarum. Secundo, aquarum in aliquo lacu profundo et limoso, sive cœnoso. Tertio aquarum in tempestate maris: denotari vero docet persecutionem populi, hypocritarum, et regum seu principum. Æschylus mediocrem afflictionem aquis fluminis comparat: magnam vero, fluctibus maris. Sic enim ait in Supplicibus: Malorum multitudo, velut fluvius, supervenit: ατας δ'αβυσσον πελαγος, calamitatis vero pelagus sine fundo, non permeabile: hæc ipse. Altissimum mare 15. stadiorum esse, id est, circiter duorum milliarium esse Fabianus tradit: mundus vero, est mare sine fundo. Aliqui in Ponto ex adverso Coraxorum gentis (vocant Bathea ponti) trecentis fere a continenti stadiis immensam altitudinem maris tradunt vadis nunquam repertis.

Maris altitudo quanta.

7. In mundo lutum sunt res terrenæ. Secundo, in mari mundi reperitur lutum et limus tenax: in quo stabilem pedem figere non possis, et ex quo vix te expedias. Primo, res ipsæ terrenæ lutum sunt. S. Chrysostomus hom. 9. in 2. ad Timoth. fol. 607. *Noli*, ait, *fluxis rebus confidere, ut possis firmiter subsistere;* ουδ' εις επυδατος ιςαται, *nullus in aqua stat, sed in saxo omnes firmiter ac secure stant. Aqua enim sæcularia negotia indicat fluxa et mortalia. Petra spiritualia sunt,* ὁλως εςι και πηλος τα βιωτικα, *cœnum ac lutum sunt sæcularia omnia; evellamur ab istis: ita enim frui poterimus adventu Christi.* Secundo, et præcipue, lutum sunt tentationes carnales, quas qui vehementes patitur, inclamare potest: Infixus sum in limo profundi, et non est substantia: eas quis evadet, cum S. Paulus ipse castigatione corporis, S. Hieronymus pectoris contusione, S. Hilarion inedia, S. Benedictus spinis, S. Bernardus stagno congelato, S. Franciscus nive in summa hyeme, S. Edmundus cilicio asperrimo, et lorica plumbea, S. Radegundis regina Franciæ, ferro candenti ad carnem appresso, S. Martinianus deiectu in flammas, generosus martyr linguæ abscissione, variique cæli heroes diversis cruciatibus vix evadere aut superare valuerint? Neque fluctibus sopitis securi subsistimus, cum sanctos Ephremium, Bernardum, Edmundum, Thomam, Bernardinum, Vincentium Ferrerium, aliosque iam prope cæli cives, ausæ sint mulierculæ ad scelus provocare, sed irrito conatu. Quod lugendum est magis, ipso pene in portu dira videmus naufragia, ut S. Iacobo eremitæ accidit, qui, cum annos triginta tanta austeritate et innocentia in spelunca sua constitisset, ut ex energumenorum corporibus dæmonia precibus effugaret, puellam, a qua dæmonem expulerat, invitam corrupit, et desperatione incitatus occidit: seque ipse occidisset, nisi lux tandem e cælo affulgens eum ex limo profundi eduxisset, atque spem illi iniecisset per pœnitentiam scelus omne expiari posse: sicut generose et feliciter præstitit. Vide eius vitam apud Surium tom. 1. mense Ianuar. die 28. R. Moses lib. 3. directoris dubitantium, cap. 48. fol. 105. deplorat mundi inquinationes pene omnibus adhærentes. Genera pollutionum, inquit, sunt multa: adeo quod vix invenis mundum unum de mille. Quia si evaserit a tactu cadaveris, non evadet a tactu alicuius octo serpentium, qui semper inveniuntur in domibus, vel in cibis, vel in potibus, et semper homines incidunt in eis. Si vero effugerit omnia ista, non effugiet tactum menstruatæ, vel fluxus, vel leprosi, vel lecti sui. Et si effugerit ista, non effugiet accessum ad uxorem, vel pollutionem nocturnam: ita R. Moses. Remedium optimum est crux Christi, cui hærendum est, si mundi et stabiles esse velimus. Ut enim ait S. Cyrillus Ierosol. catech. 13. αρραγες θεμελιον ςαυρος, *immobile fundamentum crux.* Mortificatio, est crux nostra, per eam habetur victoria. Noster Paulus Ragneau rem refert notabilem in histor. rerum gestarum apud Hurones anno 1645. et 1646. cap. 4. p. 5. Adolescens quidam, ait, inter Hurones vehementibus adeo concupiscentiæ flammis succendebatur, ut ab omnibus se impuritatis dæmonibus possideri crederet. Cum nullum amplius malo aptum remedium sciret, in sylvam fugit, ubi nudum se in nives abiecit, in iisque se tamdiu volutavit in lacrymas effusus, precesque in cælum eiaculans, donec pene omni sensu amisso flammæ illæ infernales extinctæ sint. Vix autem vires ei supererant, ut ad locum unde secesserat, rediret. Et tamen se incusabat, quod non satis cito illud remedium adhibuisset. Alii etiam Hurones carbonibus et titionibus ardentibus sibi applicatis illas tentationes vincebant, cum sibi dicerent: Poteris ignes inferni tolerare, si hunc ferre non potes, qui eius exilis est adumbratio et pictura?

Et tentationes carnales. Illis ipsi sancti affliguntur. Et in illis periclitantur. Insignis mortificatio Huronis cuiusdam tentati.

Tertio, in hoc mari mundi semper tempestas est, sive sit prosperitas, sive adversitas. Hesychius centuria 2. n. 12. Sicut, inquit, qui facit iter in terra, non potest aerem istum non dividere: ita fieri non potest, ut cor humanum, μη πολεμειται αεννοως, non perpetuo impugnetur a dæmonibus, aut clam torqueatur ab illis, etiam si frequenti occupetur exercitio corporali: hæc ille. Sed ut ab aqua non recedamus: Aqua stygis omnia perforat, præter vasa ex cornu asini Scythici confecta, ut tradit Ælian. lib. 10. de anim. cap. 40. Sed nihil est, sive aureum, sive gemmeum, quod non perfodiat aqua tribulationum et afflictionum. Omnes in mari undoso sumus, nave rimas agente vehimur, omnes undis penetramur. Hoc docuit Democritus Darium Persarum regem, ut recitat Iulianus Imp. epist. 37. ad Amerium, cuius uxor obierat. Aiunt, inquit, Democritum Abderitem, cum nullo modo posset Darium, cui paulo ante uxor pulcherrima e vivis excesserat, consolari, se illi mortuam resuscitaturum dixisse, si vellet ad hoc negotium res necessarias suppeditare: cumque rex eum iuberet nulla sumptus habita ratione, quidquid opus esset, accipere, promissaque præstare: tum paulisper cunctantem dixisse, cætera quidem sibi abunde suppetere, unum deesse, neque id quemadmodum haberi posset, intelligere: Darium tamen quod totius Asiæ rex esset, facile fortasse consecuturum. Hic cum rogaret ille, quid tandem tam magnum esset, quod soli regi fas esset scire: tum Democritum respondisse aiunt, ει τριων απενθητων ονοματα τω ταφω της γυναικος επιγραψειν, *si tumulo uxoris inscriberet nomina trium, quas nemo luxisset, sic demum illam ab inferis esse redituram*, fore enim, ut eius mortis con-

8. In mari mundi est perpetua tempestas. Ingeniose Democritus Darium consolatur.

suetudine orubesceret. Tum Darius cum hæreret, neminemque reperiret, cui triste aliquid non accidisset, Democritus pro sua consuetudine ridens: Et tu, ait, ineptissime omnium non vereris lugere, quasi unus tanti mali particeps; cum neminem eorum, qui unquam fuerunt, sine aliquo privato doloro vixisse reperias. Hactenus Iulianus. Paucis multa complectitur S. Ambrosius in Psal. 45. *Est quædam*, inquit, *in tribulationibus peccatorum sæva tempestas, quando sunt foris pugnæ, intus timores.* Frequentia, imo innumera sunt in hoc mari naufragia. Darii classis ex Thaso ad Acanthum profecta, gravi aquilonis flatu disiecta est, et circa Athon montem allisa: trecentæ naves vi maris diffractæ, et supra viginti Persarum millia in mare eiecta, quorum plures mediis in fluctibus natandi imperiti absorpti sunt, alii cautibus illisi circa littora sunt extincti: si qui montem tenuerunt, a feris laniati. Hæc miramur, et in causa fidei ac morum tot quotidiana naufragia non miramur.

9. *In ipsa prosperitate tempestas est.* Quarto, sæpe quo maior est sæculi prosperitas, et quo magis secundus afflat fortunæ ventus, eo fluctus maior et periculosior exurgit. S. Chrysostomus tom. 4. tract. Quod nemo læditur nisi a seipso, f. 590. ait tres pueros comites Danielis fuisse in aula Nabuchodonosoris, velut in mari scopulis pleno: *In domum regium*, inquit, ὡς εἰς σκοπελόν τινα καὶ κρημνόν, καὶ πέλαγος ὑφάλων γέμον καὶ σπιλάδων, *tamquam in scopulum quemdam ac præcipitium, et pelagus saxis petrisque sub aqua latentibus refertum, introducti sunt, sine gubernatore, sine proreta, sine velis*. τὴν χαλεπὴν θάλατταν, *insanum illud mare*. Cum reges, aut principes sunt impii, sæva tempestas est in tota aula vitiis perdita. De illa captivitate Babylonica Psalmum nostrum exponit. Chaldæus vertit enim: Redime me Deus, quia prævenerunt castra peccatorum, adeo ut coarctarint me sicut aquæ, quæ usque ad animam pertigerunt. Demersus sum tamquam in limo profundi, nec fuit consistendi locus: perveni ad profunda fortitudinis cohortis impiorum: *Et rex fortis, sicut alveus aquarum, quæ rapiditate feruntur, me captivum abduxit.*

10. *Christo iuvante non est timenda tempestas.* Quinto denique, in tempestate ne animum deiicias: etiam Christus eam pati voluit, cum evitare posset. Oblatus enim est, quia ipse voluit. S. Cæsarius, S. Gregor. Nazianz. frater dialogo 3. cap. 131. sic loquentem ipsum inducit: *Quomodo formidabo mortem qui sum aliud nihil, quam* ἡ ἀθάνατος ζωή, *vita immortalis? Quomodo passionem deprecabor, qui a passionibus liber? qui tactu manus sanavi cæcos, qui nudo verbo firmavi paralyticos, et feci ut ferrent grabata, quibus antea gestabantur? Qui fontes sanguinum fimbriis siccavi, et a leprosis maculam abstersi; qui legiones dæmonum mandato fugavi, qui abyssum instar terræ calcavi, ipsamque tumidam et elatam silere ac obmutescere feci,* ὁ πνεύμασι χεῖρα πρὸς ἠρεμίαν ἐκτείνας, *qui ad ventos manum pro tranquillitate extendi, per quos etiam tumebant et æstuabant:* hæc Cæsarius. Tanto duce et navarcho, non est timenda tempestas. Lege S. Paulini epist. 34. in qua celebre exemplum reperies Valgii seu Victoris ab ipso Christo ad portum deducti in sævissima dierum viginti trium tempestate. Si vero est tranquillitas, puta brevi momento, fluctus in contrarium verti posse. S. Gregor. Nazianz. orat. 4. pag. 129. *Ne tempestatis obliviscamur in tranquillitate: nec morbi in sanitate: nec captivitatis, incolumes in Ierusalem reversi: nec Ægypti, post Ægyptum. Ne afflictionis tempus, tranquillitatis tempore melius faciamus.* Postea subiicit verissimam, et usu satis compertam sententiam. *Minoris est negotii sublatam ex oculis felicitatem revocare, quam Dei beneficio præsentem conservare.*

11. *Vers. 4. Christus patiens clamavit.* Nave per decumanum aliquem fluctum diffracta, omnes inclamant, sortem suam deplorantes, opemque a Deo, a comitibus, ab iis quos vident in portu, deposcentes: excussi etiam in fluctus, dum natatu sibi consulere contendunt, et viribus pollent, clamant. Ita Christus patiens dicit, v. 4. LABORAVI CLAMANS, RAUCÆ FACTÆ SUNT FAUCES MEÆ (S. Hieron. exasperatum est; Pagn. siccatum, Felix, adustum est, guttur meum) DEFECERUNT (Chald. consumpti sunt) OCULI MEI, DUM SPERO IN DEUM MEUM. Chald. ob perseverantiam in oratione coram Domino Deo meo. Christus clamavit tempore prædicationis, tum per Ioannem Baptistam præconem suum, qui erat vox clamantis in deserto, Luc. 3. 4. tum per seipsum, omnes sitientes invitans ad fontem aquæ vitæ, Ioan. 7. 28. Clamavit vero præcipue tempore passionis de qua hic agitur. Clamavit circa horam nonam voce magna, dicens, *Eli, Eli, Lamma sabacthani?* hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matth. 27. 46. De illo clamore dixi Ps. 21. sect. 1. Clamavit item voce magna IESUS, dicens, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum,* Luc. 23. 46. Probabile etiam est, pro inimicis suis contenta voce oravisse. Ezechias eius typus, in extremo vitæ periculo, comparat se hirundini clamanti, et columbæ gementi, Isaiæ 38. 14. *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.*

Quæres primo, cur clamet Christus patiens? Resp. primo, id fecisse, ut indicaret auxilio se Patris indigere. S. Cæsarius, S. Gregor. Nazianz. frater dialog. 3. cap. 13. quærit, cur Christus cum sit æqualis Patri, terreatur cruce, et clamet dicens, *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste:* ac respondet in hunc modum. Propositum Christo fuit, non divinitatis potentia propulsare malignum dæmonem, neque principali potestate evertere ipsius aciem: sed mansuetudine potius, et diuturna patientia condemnare adversarium reluctantem. Nam si venisset usurus potestate naturali, nihil admiratione dignum facere visus fuisset, si adversus angelum desertorem decertasset Deus: imo diversum potius accidisset, et in arrogantiam extulisset diabolum, quasi par Deo fuisset adversarius. Merito igitur humana utens humilitate, deprimit ipsius elationem, at victoriæ trophæum nobis asserit. *Cur clamat Christus?*

Secundo, clamat Christus patiens, ut ostendat nobis licitos esse clamores, quibus cor oppressum sublevemus. S. Nilus in narratione prima ex nunc primum editis a nostro Petro Possino, qui etiam illas latinitate donavit: ὡς νέφος, etc. *Quemadmodum atra densaque nubes aliquando stillatim pluvia ad perspicuitatem transmittendæ lucis expressa exudataque sensim qua turgebat aqua, tenuatur: ita levatur ægritudo mærentis animi commemoranda conquerendaque calamitate sua. Cum dolor e contrario oppressus silentio, acriorem eo altius demittat aculeum, sicut in turgenti tubere, ardenti humore distento, cuius ob incensum pus intus æstuantis qualitatis, intercluso exitu violentior palpitatio assidua cutem pulsat ac superficiem, quæcumque obstat erumpenti. Quæ micandi non prius finem faciet, quam perforato laborante membro porta data sit, ruenti foras ac iam mature saniei, qua evacuetur ulcus.*

Quæres secundo, an vere, ac proprie raucus fuerit Christus in sua passione? Resp. id valde probabile esse, cum dicat, *raucæ factæ sunt fauces meæ:* neque sit, quod impediat, hæc in proprio sensu accipere. Ut enim ait Lorinus, Christus raucedinem veram contrahere facile potuit frigida nocte sub dio orans diu, contenta voce, arente palato, præ tristitia, metu, pavore, sanguinis humorumque aliorum eiectione, pororum apertione: deinde in cruce bis clamando valido, quæ validitas stare cum raucedine potest, præsertim iam prius contracta: et sicut negari clamor eius nequit, ita raucedo cur negetur non video: cum, ut argumentari videtur S. Hilarius, infirmitates alias nostras susceperit, et somni, lassitudinis, sitis, esuritionisque necessitati se commiserit. S. Augustin. in Psal. 58. vim comparationis ex gallina pullos congregante, qua Christus usus est Matthæus 23. 37. attendit etiam in vocis raucedine. Lyranus et Rickelius raucedinem oriri dicentes, ex siccitate humorum in faucibus et arteriis, affirmant in Christo fuisse: quia de suo corpore multos humores emisit in passione, per sanguineum sudorem, per flagellationem, per spineæ coronæ impositionem, et clavorum transfixionem. Avicenna lib. 3. sen. 10. tract. 2. cap. 1. raucescere vocem docet, ob multitudinem clamoris, et attractio- 12. *Raucus fuit Christus in cruce.*

*

nem humorositatis, causa eius clamoris, ad tunicam cooperientem guttur, et epiglottidem, id est linguam, quæ asperæ arteriæ meatum obstruit, ne cibus aut potus per œsophagum ad pulmonem deerret. Etsi porro Christus morbis in vita non laboraverit, nihil est incommodi extremo illo vitæ tempore, concedere ea incommoda in corpore admisisse, quæ ex iniuriis cæli orirentur, et ex aliis causis naturaliter sequi possent: imo, vix crediderim, in tantis cruciatibus fuisse sine aliqua febri.

13. Symbol. Symbolice, clamans Christus laborat, et raucus clamat, quia non auditur, nec illi obtemperatur: ita S. Augustinus. Diu clamavit, inquit, Væ vobis scribæ et Pharisæi: diu clamavit, Væ mundo a scandalis. Et revera quodammodo raucus clamabat, ideo non intelligebatur, quando dicebant Iudæi Ioan. 6. Quid est quod dicit? Durus est hic sermo.

14. Oculi ad Deum in cælos levandi. Qui naufragium fecit, et in aquis natat, ac vires suas deficere sentit, non amplius clamat, sed oculos identidem in cælum erigit, unde tantum opem sperat. Hinc additur: *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* Hoc explica Primo de oratione Christi in horto Gethsemani, ubi positus in agonia prolixius orabat, Luc. 22. 43. Secundo, ac præcipue, de oratione in cruce, ubi per tres horas pependit, semper orans, et cælestem opem expectans; unde scelerati dicebant insultantes, Matth. 27. 43. *Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult.* Vide dicta Ps. 120. 1. in illud, *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Et Ps. 118. 82. in illud: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, Quando consolaberis me?* Ezechias, Christi typus, orans fixis oculis in cælo persistebat. Isaiæ 38. 14. *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.* Uranoscopus piscis. Uranoscopus piscis, præter omnium animantium naturam, oculum unum habet in summo capitis vertice, eoque oculo semper cælum aspicit. In cælo thesaurus noster est, illuc oculos intendamus: ut et Deus nos e cælo respiciat, et contra hostes opem præstet. Ps. 31. 8. Deus dicit: *Firmabo super te oculos meos:* cum vero locum sic exponit S. Augustinus: *Non a te auferam oculos meos, quia et tu non auferes a me oculos tuos.* S. Bernardus ad eam cæli et Dei contemplationem suavissimis nos verbis incitat. Sic enim serm. 43. in Cantica: *Habete,* ait, *illum semper non retro in humeris, sed ante præ oculis: ne portantes, et non adorantes, onus premat, et odor non erigat. Mementote, quia accepit eum Simeon in ulnis suis, Maria gestavit in utero, fovit in præsepio. Sponsa sibi inter ubera collocavit, et, ne quid prætermittam, factum est verbum Domini in manu Zachariæ Prophetæ, nec non et quorumdam aliorum. Arbitror et Ioseph virum Mariæ super genua frequenter illi arrisisse. Hi omnes ante se illum habuerunt, et nullus retro. Exemplo ergo sint vobis, ut et vos similiter faciatis. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, et levius vestras portabitis.*

15. Apostoli sunt oculi Christi. Symbol. Oculi Christi sunt Apostoli: ita S. Augustin. et Ugo, qui sic ait: Tunc defecerunt isti oculi, quia non viderunt per fidem amisso lumine fidei. In cuius rei signum successive extinguuntur candelæ in die cœnæ; et in parasceve, et in sabbato in matutinis. De hoc alibi in Psal. 87. 10. *Oculi mei languerunt præ inopia:* scilicet fidei et charitatis. Matth. 26. 56. *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt:* ita Ugo. Non crediderim tamen Apostolos fidem amisisse, cum eam non amiserint Nicodemus, Iosephus ab Arimathia, et Maria Magdalena, ut patet ex eorum fervore in sepeliendo, ungendo et quærendo Christi corpore. Candelæ cur extinguuntur in hebdomada sancta. Quod ad candelas illas et earum extinctionem spectat, ordinarie nunc omnes extinguuntur una excepta, ut denotetur explicitam fidem Resurrectionis in sola B. Virgine fuisse. Durandus 6. ration. offic. cap. 72. docet, in numero candelarum fuisse varium ritum, ut in aliquibus locis sint 72. in aliis 24. aut 15. aut 12. aut 9. aut 7. Itaque nihil inde deduci potest firmum et convincens de fide amissa ab Apostolis: cum præsertim significationes variæ huius rei afferri possint.

ARTICULUS II.

Christus ob zelum et alias virtutes irrisus est, et afflictus.

Tandem post varios conatus, clamores, gemitus, lacrymas, oculorum in cælum coniectiones, naufragus mergitur, et aquis obruitur in fundo maris iacens. Hinc Christus de se patiente dicit, v. 5. MULTIPLICATI SUNT SUPER CAPILLOS CAPITIS MEI, QUI ODERUNT ME GRATIS (id est, sine ulla causa, nulla provocati a me iniuria, imo beneficiis affecti plurimis). CONFORTATI SUNT (Pagnin. roborati sunt) QUI PERSECUTI SUNT ME INIMICI MEI INIUSTE: QUÆ NON RAPUI, TUNC EXSOLVEBAM. S. Hieron. tunc reddebam. 16. Vers. 5.

Christi hostes multi et potentes. Nota, tria hic dicuntur. Primo, Christi hostes fuisse multos. Secundo, fuisse iniustos. Tertio denique, fuisse potentes et violentos. Quod plurimi fuerint, perspicuum est ex Evangelio: nam præter concilium Seniorum, Pontificum, Scribarum et Pharisæorum, accessit turba populi maxima, quæ clamavit, *Crucifige eum.* Accesserunt integræ cohortes militum paganorum: sprevit enim eum Herodes cum exercitu suo. Et in domo Pilati convenit universa cohors militaris ad Christum illudendum. Accessit etiam Iudas super numerum odientium Christum. Quod autem gratis eum oderint, dubitari non potest, cum pertransierit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, Act. 10. et neminem unquam læserit. Causa vero, quam allegabant in Concilio, Ioan. 11. *Si dimittimus eum sic, venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem;* eventus docuit, quam fuerit vana, et ex falsa prudentia prodierit. Nam non dimiserunt eum, imo impediverunt quantum potuerunt Evangelii progressum: et tamen venerunt Romani, et tulerunt locum eorum, et gentem: quod non accidisset, si Christum, qui pacis et mansuetudinis, et charitatis doctor, et auctor erat, fideliter recepissent: ita Bellarminus.

Moral. Nota Primo, multum te debere Christo, qui propter te odio haberi voluit, cum esset agnus innocentissimus, quem nemo arguere poterat de peccato. Eius innocentiam exponit S. Cyrill. catech. 13. *Non propter avaritiam,* ait, *perductus est ad mortem,* ἀκτημοσύνης γὰρ ἦν διδάσκαλος, *nihil enim possidendi erat magister. Non propter concupiscentiam condemnatus: ipse enim aperte dicit,* Matth. 5. 28. *Quicumque aspexerit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est. Non propter temeritatem percussus et verberatus: præbebat enim et alteram maxillam percutienti. Non propter legis contemptum, legis enim impletor erat. Non quod Prophetam affecit contumelia: ipse enim erat a Prophetis prædictus. Non intervertens pretium: ipse enim sine pretio, et gratis curabat. Non verbis peccans, non factis, non conversationibus. Peccatum enim non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* Secundo, enitere, ut non timeas odio haberi propter Christum. S. August. concion. 1. in psalmum nostrum: Accipiant, inquit, membra vocem hanc, discant odio haberi gratis. Iam enim si necesse est, Christiane, ut mundus oderit te, quare non facis, ut gratis te oderit, ut in corpore Domini tui, et in hoc psalmo de illo præmisso agnoscas vocem tuam? Ita ipse. Tertio, caveamus, ne quemquam odio habeamus gratis: hoc enim pharisaicum et diabolicum est. Abbas Esaias oration. 6. *Quemadmodum,* inquit, *virus in totum illius corpus diffunditur, qui morsus est a scorpione, et ad cor usque pertransit: sic quem odium occupat, veneno perfunditur, et animus eius ab eo vulneratur.* Quarto denique, humilia te Christo, et ipsi gratias age, qui, quæ non rapuit, pro te solvit: cum tu solvendo non esses. Ut enim ait S. Anselmus, *Solvere non potuit, nisi Deus: solvere non debuit, nisi homo.* Ezechiel Propheta cap. 18. 2. ait Iudæis: Quid est, quod inter vos parabolam vertistis in proverbium istud in terra Israel, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt? S. Anselmus in speculo cap. 10. et S. Bern. tract. de passione Domini proverbium illud Christo sic adaptant: *Ego uvam* 17. Christus innocens possus est.

acerbam comedi, et dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti, tunc exolvebas.

18. Vers. 6. Scopuli ad quos allisa est navis Christi, sunt peccata omnium hominum, quæ ipse pro suis reputat, et pro quibus patitur, v. 6. DEUS TU SCIS INSIPIENTIAM MEAM, ET DELICTA MEA (Apollinaris, ἀτασθαλίαι, stoliditates meæ) A TE NON SUNT ABSCONDITA.

Crux Christi videtur stultitia, sed est Dei virtus. Quæres, quænam sit illa Christi insipientia? Resp. primo, esse passionem eius, et crucem. Ut enim ait Paulus 1. Corint. 1. 23. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Sed recte subdit, *Ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem et sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Lege S. Chrysostom. homil. 4. de cruce et latrone, et Tertull. lib. contra Iudæos. S. August. concionat. In psalmum nostrum sic ait: *Quid iam simile imprudentiæ, quam cum haberet in potestate, una voce suos persecutores prosternere, pateretur se teneri, flagellari, conspui, colaphizari, spinis coronari, ligno affigi? Imprudentiæ simile est, stultum videtur: sed stultum hoc superat omnes sapientes. Stultum quidem est: sed et granum quando cadit in terram, si nemo sciat consuetudinem agricolarum, stultum videtur: labore magno metitur, portatur ad aream, trituratur, ventilatur, post tanta pericula cæli et tempestates, et labores rusticanorum, curamque dominorum, mittitur in horreum frumentum purgatum. Venit hyems, et quod purgatum erat profertur et proiicitur, imprudentia videtur, sed ut non sit imprudentia, spes facit. Non ergo ille pepercit sibi, quia et pater illi non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et de ipso Galat.* 2. 20. *Qui dilexit me, inquit Apostolus, et tradidit seipsum pro me: quia granum nisi ceciderit in terram ut moriatur, fructum non reddet, Ioan.* 12. Hæc Augustinus. Sic stulti simus, ut simus sapientes. 1. Corinth. 3. 18. ait S. Paulus: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Vide serm. 1. de Epiphania, ubi id S. Bernardus ostendit, in tribus Magis stabulum intrantibus, et ibi puerulum pro rege et Deo suo adorantibus.

19. Peccata sunt stultitia. Secundo, et melius, per insipientiam intelligitur hic imprudentia et stultitia Adami credentis Evæ, offerenti pomum vetitum: item, imprudentia cæterorum hominum serpenti credentium, per delicta vero, sumenda sunt omnia scelera hominum eorumdem, ac præsertim inobedientia Adami, ex qua pestis originalis, et infirmitas, atque inclinatio ad malum, per totum genus mortalium defluxit. Christus, quia caput est nostrum, et se vadem ac solutorem pro nobis obtulit, illa omnia veluti sua reputat. Unde Ps. 21. 2. dicit: *Longe a salute mea verba deliciorum meorum.* Vide ibi dicta. Caput præscinditur, cum manus peccavit. Christus pro toto mundo patitur, ideo acerbissima tolerat. S. Thomas: *Tantum,* inquit, *voluit doloris sufferre, quantum, si ipse omnia peccata mundi fecisset:* ac S. Bonaventura, in stimulo, part. 2. *Domine, tantum me diligis, ut te pro me odisse videaris.* B. Iacoponus Christo stultitiam sibi obiicienti non dubitavit dicere, eum pro peccatoribus maiorem stultitiam suscepisse, crucis tormenta sustinendo.

Moral. Omnis peccator, stultus est. S. Chrys. hom. 17. in Gen. *Nihil,* ait, *peccato peius: ipsum enim ut introierit, non solum confusione totos nos replet, sed etiam insipientes facit eos, qui antea intellectu et sapientia multa prædiii fuerant.* Quid stultius, quam pro nuce et crepundiis, atque quisquiliis dare regnum cæleste atque æternum?

Naufragii sui spectatores declarat Christus, partim amicos, partim inimicos: illos rubore et dolore perditos: hos cachinnis et risu insultantes. Petit igitur illos iuvari: hos vero, spe sua frustrari.

20. Vers. 7. Non est erubescendum in iisquæ Christum spectant. Ac primo, petit pro amicis, v. 7. NON ERUBESCANT IN ME (Pagn. ne pudore afficiantur propter me) QUI EXPECTANT TE DOMINE, DOMINE VIRTUTUM. Syr. Deus potentissime. Hebr. Domine exercituum. NON CONFUNDANTUR SUPER ME (S. Hier. in me; Pagn. propter me) QUI QUÆRUNT TE (Chald. doctrinam a te; 2. et melius, opem a Deo et Deum ipsum) DEUS ISRAEL; id est, totius populi Israelitici amator, tutor, protector, et pater. Postulat itaque, ut non erubescant, nec confundantur propter se. Primo, ne existiment pudendam esse et probrosam atque contemnendam suam passionem, crucem et mortem. Secundo, ne erubescant ipsum sequi crucifixum. Tertio, ne desperent se ab ipso et propter ipsum exaudiendos esse. Nota, Christus illustre præmium pollicetur iis qui inutili pudore non fuerint suffusi. Matt. 11. 6. *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me*, id est qui non fuerit offensus ob humilem et abiectam conversationem meam: quibus non fuerim petra scandali et offensionis, in quam impingant. S. Hilar. ibi ait: Quia futura erat crux plurimis scandalum, beatos eos professus est Christus, quorum fidei nihil tentamenti deferret crux, mors, sepultura: ita ipse. Contra vero, grave interminatur supplicium iis, qui ad crucis supplicium erubescunt. Luc. 9. 26. *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum.* S. Clemens Papa lib. 5. Constit. Apostolicar. cap. 4. Qui, ait, se Christi esse negaverit, ut non sit hominibus odio: qui magis animam suam quam Deum amarit, in cuius alloqui manu eius respiratio est: οὗτος ἐλεεινός, καὶ ἄθλιος, ὡς στυγητὸς καὶ βδελυκτός, hic miserabilis et miser est: utpote impurus et detestandus. Plutarchus habet tract. integrum de malo pudore, et incommodis ex illo consequentibus. S. Paulus 2. ad Timoth. 2. 15. postulat ab ipso Timotheo Ephesi Episcopo, ut se exhibeat operarium inconfusibilem: id est, qui non confundatur, non pudefiat, non erubescat prædicare Christum, quem non pudeat crucis Christi: hinc S. Aug. legit, non erubescentem: ita etiam explicat S. Chrysostomus; 2. ἀνεπαισχυντον, id est quem non confundat vita sua et doctrina: unde S. Anselmus vertit, irreprehensibilem. S. Paulus ipse in nullo gloriabatur, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, Gal. 6. 14. et Christiani omnes nihil cruce nobilius et pretiosius arbitrari debent, ut ostendi Ps. 9. sect. 1. S. Cyrillus catech. 13. Vere, ait, Christus crucifixus est, et non confundimur: crucifixus est, et non negamus: sed potius in eo gloriamur. S. Greg. hæc fuse prosequitur hom. 32. in evangelia. Martyrius monachus, Christum in specie peregrini leprosi, de via lassi, sibi apparentem in humeros sustulit, et usque ad monasterium portavit; sed ita ut pondus non sentiret, quia portantem se portabat. Ibi ergo se illi Christus in sua specie ostendens et ascendens in cælum, dixit: *Martyri, tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cælos*: ita refert S. Greg. hom. 39. in Evangelia. Christus in specie leprosi apparet.

21. Vers. 8. et 9. Causam, cur erubescant amici sui, subiicit: nempe acerbissima et probrosa tormenta, v. 8. QUONIAM PROPTER TE SUSTINUI OPPROBRIUM (et quoniam) OPERUIT CONFUSIO (Felix vertit, ignominia) FACIEM MEAM: ideo ut additur v. 9. EXTRANEUS FACTUS SUM FRATRIBUS MEIS, ET PEREGRINUS FILIIS MATRIS MEÆ. Nota, τὸ *quoniam* refert Bellarminus ad antecedentia, q. d. Iuste peto, ut non erubescant in me servi tui: quia ignominiam quam passus sum, non propter culpas meas, sed propter honorem tuum passus sum. Propter te, inquam, operuit confusio faciem meam: id est propter gloriam tuam, ego sustinui contumelias, flagella, irrisiones, sputa in faciem: et alia id genus, quæ verecundia ac rubore vultum meum impleverunt: ita Bellarminus.

Secundo, et melius, τὸ *quoniam* referendum est ad sequentia, q. d. Quoniam propter te opprobriis et contumeliis oneratus sum, sanguine, luto et sputis oblitus, ideo amici mei, familiares, et cognati, me velut alienigenam ac sibi nulla amicitia aut familiaritate iunctum horruerunt et fugerunt. Sic postea sequitur: *Quoniam zelus domus tuæ comedit me: et*, id est ideo, *opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.* Item: *Et operui in ieiunio animam meam: et*, id est, ideo, *factum est in opprobrium mihi.* Item: *Et posui vestimentum meum cilicium: et*, hoc est, ideo, *factus sum illis in parabolam.*

Nota secundo, *confusio* sumi potest metonymice pro re 22.

Verecundia fuit in Christo. confusionem afferente, qualia sunt alapæ, sputa, lutum, et alia id genus quæ operuerunt Christi faciem, in quam desiderant angeli prospicere. Secundo, *confusio* proprie sumi potest pro actu verecundiæ, quæ etiam in Christo fuit. Non est tamen virtus proprie, sed large, in quantum est passio laudabilis, ut docet S. Thom. 22. q. 144. art. 1. Est timor non de ipso actu peccati: sed de turpitudine, vel ignominia, vel convicio, vel opprobrio, ut dicitur 12. q. 41. art. 4. S. Hilar. et Arnob. legunt, reverentia. S. August. sed mendose, irreverentia. Macrob. lib. 7. cap. 11. dicit, naturam pudore tactam, sanguinem ante se pro velamento diffundere et obtendere: solentque qui erubescunt, manum sibi ante faciem opponere: quia reprehensionem timent, et opprobrium ac dedecus. Vide Aulum Gellium lib. 19. Noct. Attic. cap. 6. et a me dicta Ps. 43. 16. in illud: *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me.* Multum Christo debemus, quod sustinuerit crucem, confusione contempta, Hebr. 12. 2. Nos vicissim eam contemnere debemus pro ipso. S. Isidorus Pelus. ep. 272. ad Cyrum monachum: Præstat, inquit, cum sobrius sis, temulentum videri: quam, cum temulentia labores, sobrium. Tertull. lib. de anima cap. 1. refert, Socratem post sententiam obviæ coniugi, et muliebriter inclamanti: Iniuste damnatus es Socrates, respondisse: volebas autem iuste? q. d. Satius est, ut innocens damnatus

23. *An iniuriæ sine causa factæ plus affligant?* sim, quam nocens. Quæres, an sit causa maioris, tristitiæ et confusionis iniuriari sine culpa, an cum culpa? Videtur, quod sine culpa; quia ibi est maior iniustitia. Iniuriari autem pro culpa est quasi actus debitus, et iustitiæ. Certum est autem, quod actus iniustitiæ est causa maioris confusionis et tristitiæ, quam actus iustitiæ. Hinc est quod communiter dicunt sine causa patientes: Si fecissem quod imponitur mihi, patienter portarem, et similia. Contra vero, tolerabilius videtur pati sine culpa, quia innocentem confortat innocentia, sed reum deprimit culpa: licet autem pati sine culpa includat iniustitiam ex parte agentis, non includit tamen ex parte patientis. Quilibet autem recto ordine magis tristari debet de culpa propria, quam de aliena: ita Aiguanus. Adde, quod qui iniuste ab hostibus patitur, videt utilitatem persecutionis: unde fit, ut ipsos hostes suos amet. Urbanus Papa in metaphrasi Ps. 50. *Apes, etsi inferant punitionis dolorem, amantur* *Inimici sunt amandi.* *tamen, quia mellis dulcedinem administrant: sic et persecutores meos Domine amare volo, et punitiones, quas mihi amoris conatibus inferant, tribulato spiritu tolerare, ut mellita iucunditas subsequatur.* Sustinet itaque iustus opprobrium et exprobrantes, considerans id facientem Christum: videt enim rem esse divinam. S. Gregorius Nazianz. epist. 81. Magnum, inquit, esse censemus de iis a quibus læsi sumus, pœnas sumpsisse: nam et hoc ad aliorum vitio corrigenda utile est: sed πολλω τουτου μειζον και θειοτερον, multo hoc maius ac divinius est, acceptam iniuriam tolerare. Illud enim improbitatem coercet, hoc autem ad probitatem adducit. Ita Gregorius, qui deinde, laudat zelum Phinees, quo occidit Zambri peccantem cum Madianitide: sed præfert orationem Aaronis fusam pro populo percusso: zelum Mosis prædicat, quod Ægyptium occiderit: sed præfert misericordiam, erga Mariam leprosam. Rupertus lib. 4. de victoria verbi Dei cap. 27. confert inimici amorem cum sacrificio Abrahami, offerentis filium proprium, et illum Deo sacrificare volentis. Ratio, inquit, docet nos multo minoris esse meriti pepercisse inimico propter Deum, quam non pepercisse unigenito filio propter Deum: ita Rupert. Adde denique, fortitudinis esse sustinere opprobrium, infirmi et abiecti animi illi succumbere.

24. Nota tertio, Christus pati voluit a suis fratribus, id est, Primo a Iudæis, a quibus erat oriundus. Fuit autem illis extraneus, et pro Samaritano, mago, dæmoniaco, furioso, indigno societate civili et ecclesiastica habitus: quin etiam conspiraverunt Iudæi, ut, si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret, Ioan. 9. 22. id est, excluderetur a synagoga, et in eam non reciperetur, velut excommunicatus, id est extra communionem fidelium positus, et a communi precatione exclusus. Hoc passus est ab eis Cedonius sive Celidonius, qui fuerat cæcus a nativitate, quod post visum recuperatum libere illum confiteretur. Secundo, passus est Iesus a fratribus suis, id est, a cognatis et affinibus: eos enim Hebræi sæpe fratres vocant. Eum illi veluti furentem ligare voluerunt, et a concionandi munere abducere. Quæres, an Christus habuerit aliquos fratres proprie dictos? Primo, S. Hilarius id censet, eos autem filios S. Ioseph ex alia coniuge susceptos, priusquam duceret B. Virginem. Sed S. Iosephum fuisse virginem docet S. Augustinus serm. 14. de Nativitate, S. Hieronymus contra Helvidium, et alii. Secundo, Glossa in cap. 1. ad Galatas et Hugo a S. Victore existimant eos fuisse progenitos ex S. Anna matre Deiparæ: eam enim præter S. Ioachimum duos alios maritos habuisse. Sed verius S. Hippolytus, Baronius, Suarez, et alii docent S. Annæ fuisse tantum unum maritum S. Ioachimum, et unam prolem B. Virginem. Fratres Domini igitur vocantur filii Cleophæ, qui fuit frater S. Iosephi, aut filii fratrum vel sororum S. Ioachimi aut S. Annæ. Tertio, Christus fuit extraneus fratribus suis, id est discipulis (quos sæpe fratres appellat) quia ab illis relictus, et negatus, ac traditus est, Matth. 26. et 27. Eius typus fuit Patriarcha Ioseph, a fratribus venditus, Genes. 37. Et Ieremias Propheta a suis civibus Anathothitis multa mala et necis insidias passus. Et dicit Deus Ierem. 12. 6. *Nam et fratres tui, et domus patris tui, etiam ipsi pugnaverunt adversum te: et clamaverunt post te plena voce.* Poterat Christus dicere, quod ibi Deus dicit apud Ieremiam, v. 9. *Numquid avis discolor hæreditas mea mihi? numquid avis tincta per totum?* Per avem illam discolorem S. Hier. et S. Thom. intelligunt pavonem superbiæ typum, alii autem peregrinam, variis coloribus distinctam. Sept. hyænam feram esse putaverunt, vertunt enim: *Numquid spelunca hyænæ hæreditas mea est mihi?* Hyæna est animal ferum et crudele, quod sermonem humanum assimilat, pastorumque nomina addiscit, ut eos foras evocatos dilaniet. Inimici hominis domestici eius, et hypocritæ, qui mores imitantur sibi familiarium, ut eos in conviviis atque compotationibus devorent. Tu tales pestes fuge, audi Christum Matth. 10. 21. *Tradet frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.* Ac postea dicit v. 34. *Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam, et inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Contra vero, omnem virum probum, tuum parentem et fratrem existima, sic dixit Christus Apostolis Matth. 12. 50. *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Sic S. Victoria virgo et martyr sub Diocletiano Imp. a Proconsule interrogata. Vis ire cum Fortunatiano fratre tuo? respondit, Nolo, quia Christiana sum: et illi sunt fratres mei, qui Dei præcepta custodiunt: erat autem Fortunatianus gentilis. Ideo, cum aliis martyribus inclusa, ibique fame enecta martyrii lauream obtinuit: ita habetur in eius Actis apud Surium die 11. Februarii. Sic primi Christiani se fratres et sorores vocabant, ut patet in Pauli epistolis. Toxaris Scytha omnes qui præclaras res agerent, licet patria dissitos, putabat eo habendos loco, quo domesticos habemus, ac nostrates, ut refert Lucianus in Toxari, sive in tract. de amicitia. Alexander Magnus pro consanguineis suis bonos quoscumque: malos, pro peregrinis, reputabat, ut ait Plutarch. de virtut. Alexand. Ideo successorem imperii sui nominare noluit, sed reliquit illud dignissimo. Traianus Imp. proximum sibi et coniunctissimum censebat eum, quem optimum et diis simillimum reperisset: unde Nervam sibi adoptavit, cui cum nulla ei, nisi virtutis, intercedebat necessitudo. Amicitia virorum bonorum nihil est præstantius. S. Greg. Naz. oration. 6. pag. 136. Amicus fidelis, inquit, θησαυρος εμψυχος, est vivus thesaurus. Amicus fidelis, super aurum et lapidem pretiosum multum. Amicus fidelis, κηπος κεκλεισμενος, hortus conclusus, πηγη εσφρα-

Margin notes (right column): *An Christus fratres habuerit.* — *Responsio* — 25. *Viri boni pro consanguineis et domesticis habendi.* — *S. Victoriæ fortitudo.*

γισμένε, fons signatus, qui opportune aperitur et clauditur, Amicus fidelis, λιμὴν ἀναψύξεως, solatii portus : ita Gregor.

26. Christum naufragum, et cum tempestatis fluctibus luctantem irridebant hostes eius, tum plebeii, tum magnates, et quidem ob varias causas. Primo quidem, ob zelum, vers. 10. QUONIAM ZELUS DOMUS TUÆ COMEDIT ME, ET hoc est, ideo OPPROBRIA (S. Hier. probro. Arabs, improperia. Chald. vituperia) EXPROBRANTIUM TIBI CECIDERUNT SUPER ME, velut undæ novæ, ut me suo impetu obruerent.

Vers. 10.

Vers. 11. Secundo, ob ieiunii austeritatem. V. 11. ET OPERUI IN IEIUNIO id est, ieiunio ANIMAM MEAM, ET ideo FACTUM EST IN OPPROBRIUM MIHI. Tertio, ob vestitum viliorem

Vers. 12. et asperiorem, v. 12. ET POSUI VESTIMENTUM MEUM CILICIUM, ET ideo FACTUS SUM ILLIS IN PARABOLAM. Quæ eo erant molestiora, quod ab ipsis magistratibus fiebant,

Vers. 13. v. 13. ADVERSUM ME LOQUEBANTUR QUI SEDEBANT IN PORTA, ET IN ME PSALLEBANT QUI BIBEBANT VINUM.

Zelus est ignis devorans. Nota primo, zelus comedit zelantem, est enim ignis. Nam ut dicitur Cant. 8. 6. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Sept. ζῆλος, zelus. *Lampades eius*, zeli scilicet, *lampades ignis atque flammarum.* Arabs, *extensio alarum eius, sicut alarum ignis.* Ignis omnia sibi oblata exurit, ita ignis zeli peccata absumit. S. Ambros. lib. de Isaac cap. 8. *Bona charitas*, inquit, *habens alas ignis ardentes, quæ volitat per pectora et corda sanctorum : et exurit, quidquid materiale atque terrenum est: quidquid vero sincerum est, probat: et quod contigerit, suo igne meliorat. Hunc ignem misit in terras Iesus, et refulsit fides, accensa devotio, illuminata est charitas, iustitia resplenduit. Hoc igne inflammavit corda Apostolorum suorum, sicut testatur Cleophas, dicens Luc. 24. 32. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret Scripturas. Alæ igitur ignis in flamma Scripturæ sunt divinæ.* S. Dionys. Areop. cap. 4. de divinis nominibus dicit, zelo, ἐνεργητικὸν ἔρωτος ἐρωτικῆς, amatorium quemdam impetum, et desiderium exsuscitari, Dei naturæ simillimum. S. Gregor. Naz. orat. 23. pag. 409. Laus, ait, zelum parit, zelus virtutem, virtus autem beatitudinem : hæc vero, rerum appetendarum culmen est, ad quod omnis probi viri agitatio tendit. Et pag. 411. zelum vocat fidei præsidium. Orat. autem 13. plura refert, atque inter cætera dicit: ζῆλος ἀνάπτει, *zelus accendit*, spiritus mitigat, spes expectat, charitas constringit : nec bonum, quod in nobis est, dissipari aut diffluere sinit. S. Thom. 12. q. 28. art. 4. ait, zelum esse amorem intensum, non patientem consortium in re amato. S. Laurentius Iustinianus lib. de casto connubio verbi et animæ : *Ignitus amor*, ait, *semper meditatur nova, et insueta componit. Impatiens namque cum sit, cogitare non desinit, quomodo ardentius diligat, diligatur dulcius, fortius teneat, familiarius conversetur. Nil secum amari vult, solus cordis concupiscit tenere principatum. Hinc zelotypia, hinc querimoniæ, hinc amoris murmur, ingeminatio verborum, et absentiæ intolerantia. Nec a clamore vox, nec gemitus a corde, nec ab inquisitione sollicitudo, nec ab intimis conquiescit desideriis ardor, nisi per præsentiam dilecti: qui namque ferventius diligit, fatigatur vehementius, quamvis ipsum amoris immensitas non permittat considerare laborem.* Vide ibi plura, et a me dicta Ps. 118. v. 33. et 139.

27. *Zelus Christum comedit, et quomodo.* Nota secundo, zelus domus Dei comedit Christum. Isaiæ 59. 17. *Dominus opertus est quasi pallio zeli*; 1. gloriæ suæ; 2. iræ in dæmones et peccatores; 3. amoris erga homines zelum illum suum declaravit, primo verbis, gravi increpatione Pharisæos, et alios pungens, Ioan. 8. Luc. 11. Matth. 23. secundo factis, circumiens civitates et castella, ubique evangelizans regnum Dei, et miraculis omnes ad Dei cognitionem et amorem impellens; tertio denique, bis eiecit de templo Salomonis, quod erat domus Dei, vendentes et ementes, oves et boves, et numulariorum effudit æs, et mensas subvertit, quas ad commutandas pecunias ponebant in templo, id est in atrio templi. Christus autem, cum non esset de tribu Levi, non intrabat in atrium Sacerdotum, nec in Sanctum, nec in Sancta Sanctorum, sed tantum in atrium populi. Statim initio prædicationis illos eiecit, ut refertur Ioan. 2. 12. Deinde quatuor diebus ante passionem, nempe die Lunæ sequente Dominicam palmarum, Matth. 21. 12. et Marc. 11. v. 11.

Laudantur ob zelum Primo Phinees, qui anno mundi 2583. exitus ab Ægypto 40. ante Christum 1470. occidit Zambri principem tribus Simeon scortantem cum Corbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum, Num. 25. 15. Et sic avertit iram Dei a filiis Israel : et promisit Deus tam ipsi quam semini eius sacerdotium in perpetuum, quamdiu scilicet lex Mosis duraret. 28. *Sancti varii ob zelum laudati.*

Secundo, Levitæ laudantur a Mose, quod occidissent viginti tria millia hominum, qui adoraverant vitulum aureum : ait enim illis Exod. 33. 29. *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio et in fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Idolum ipse in pulverem redegit, et in aquas sparsit. Id accidit anno mundi 2544. exitus ab Ægypto et datæ legis 1. De zelo Mosis lege S. Greg. 3. Pastor. cap. 23.

Tertio, Gedeon magno zelo evertit altare Baal, Iudicum 6. 31. unde dictus est Ierobaal, q. d. Certans cum Baal. Crantzius lib. 4. metrop. cap. 8. memorat, S. Wolfredum martyrem Sveciæ in concione ad populum dixisse : Si potens est Deus vester Tostan, se vindicet : et arrepta securi simulacrum in frusta concidisse: quare ab astantibus mille confossum gladiis occubuisse.

Quarto, Eliæ zelus mirabilis extitit. Primo, induxit in terram Israel per tres annos siccitatem et sterilitatem, toto enim illo tempore non pluit. Secundo, apprehensos pseudoprophetas Baal et lucorum occidi præcepit, post impetratum ignem e cælo, 3. Regum 18. censeo fuisse num. 850. et patet v. 9. ubi recensentur prophetæ Baal 450. et lucorum 400. Elias idem est ac, fortis Dominus. Zelum illum sibi placuisse Deus ostendit, concessa eius precibus pluvia. Tertio, cum Achab rex Israel occupasset vineam Naboth pauperis, Elias illi et Iezabeli exitium prædicit, 3. Reg. 21. Quarto, Ochoziæ regi Israel filio ipsius Achab ægrotanti, et de sanitate per nuntios consulenti Beelzebub Deum Accoron, per eosdem mortem denuntiat. 4. Reg. 1. Quinto denique, duos quinquagenarios ab Ochozia ad se capiendum missos, igne cælesti cum 50. millitibus comburit, ib. Hinc de Elia dicitur, Eccle. 48. 1. et seq. *Surrexit Elias Propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in illos famem, et irritantes illum invidia sua pauci facti sunt: non enim poterant sustinere præcepta Domini. Verbo Domini continuit cælum, et deiecit de cælo ignem ter.* Hinc S. Epiphanius in vita Prophetorum, et Dorotheus in Synopsi dicunt, eum flamma nutritum fuisse. Cum, ait, nasciturus esset Elias, pater eius Sabacha vidit illum ab angelis albicantibus salutari, *et igne tamquam fasciis obvolvi, et flamma ignis velut cibo ali.* Et Ierosolymam profectus rem istam indicavit: dictumque illi est ex oraculo, ne timeret: fore enim, ut puer nasciturus in luce habitaret, et quæ diceret firmam sententiam haberent, iudicaretque Israelem in gladio et igne.

Quinto, Mathathias filius Ioannis filii Simonis, sacerdos ex filiis Ioarib Iudæum idolis immolantem, et præfectum Antiochi Epiphanis ad id cogentem occidit, exclamans, 1. Machab. 2. 27. *Omnis, qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me*: exercitum collegit, et moriens Machabæos filios suos ad zelum legis incitavit. Unde tot et tam præclara gesserunt, pontificatum et principatum populi a patre accipientes, et ad posteros transmittentes usque ad Christi tempora, per annos 127. usque ad initium regni Herodis, qui rex declaratus est a Romanis anno mundi 4014. ante Christum 37.

Sexto denique, S. Pauli zelus fuit mirabilis, ut ipse testatur 2. Corinth. 11. 28. *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Græce, πυροῦμαι, hoc est ignesco, accendor, dolore scilicet ac zelo. S. Greg. hom. 12. in Ezech. illud exponens cap. 4. 3. *Sume tibi sartaginem ferream*, ait: Ipsum suum cor, quod animarum zelo succenderat, sartaginem fecerat Paulus, in quo amore virtutum contra vitia ardebat: ita Gregor. Comedebatur zelo domus Dei. Ut enim ait S. Augustinus:

Comeditur zelo domus Dei, qui omnia quæ ibi forte videt perversa, satagit emendare: non quiescit si emendare non potest, tolerat, gemit, et apud se dicit: *Tabescere me fecit zelus meus, quia oblili sunt verba tua inimici mei,* Ps. 118. v. 139.

Concludamus, et Bedæ mooito acquiescamus: *Zelemus et nos fratres, domum Dei: si viderimus fratrem, qui ad domum Dei pertinet, superbia tumidum, detractionibus assuetum, si ebrietati servientem, si luxuria enervatum, si iracundia turbidum, si alio cuiquam vitio substratum, studeamus, in quantum facultas suppetit, castigare, polluta ac perversa corrigere: et si quid de talibus emendare nequeamus, non sine accerrimo mentis sustinere dolore, maxime in ipsa domo orationis, ubi corpus Dei consecratur, ubi angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid nostram fraternamve orationem impediat, totis viribus agamus.*

29. Quæres, quid sit in ieiunio operire animam suam? Resp.
Ieiunium Christi spiritualε. primo, S. Aug. S. Hier. Ruffio. Beda, Haymo, Ugo, Cassiodor. Ludolphus Pampolitaous, Remig. Bredembachius, Bellarm. hæc esse intelligenda spiritualiter, ut per ieiunium cum fletu et mœrore iotelligamus esuriem et sitim ardentissimam salutis animarum, pro qoibus angebatur et gemebat. Verba S. Augustini sunt: *Ieiunium Christi erat, quando defecerunt omnes qui in eum crediderant, quia esuries ipsius erat ut in eum crederetur: quia et sitis ipsius erat, quando dixit mulieri, Sitio, da mihi bibere: fidem quippe ipsius sitiebat. Et de cruce eum diceret, Sitio, fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sed illi homines quid propinarunt sitienti? Acetum. Acetum enim vinum vetus dicitur. Merito de vetere homine propinarunt, quia novi esse noluerunt. Quare novi esse noluerunt? Quia ad titulum psalmi huius ubi scriptum est, Pro iis qui commutabuntur, non pertinuerunt. Ergo operui in ieiunio animam meam. Denique respuit etiam fel, quod illi obtulerunt. Ieiunare elegit, quam amaritudinem accipere. Non enim intrant in corpus eius amaricantes, de quibus alio loco psalmus dicit, Qui amaricant, non exaltentur in semetipsis:* ita Augustinus subtiliter.

Et corporale. Secundo, et melius, de ieiuoio corporali id intellige, q. d. Operui in ieiunio me: anima enim synecdochice ponitur pro toto homine. Sed quando id accidit? Primo, ob ieiunium quadraginta dierum io deserto: licet enim hoc ieiunium tunc fuerit occultum, tamen postea inootuit Apostolis: et fortasse eo ipso tempore S. Ioanni Baptistæ, et per ipsos aliis: hoc autem Christo factum est in opprobrium, cum quidam dicerent eum esse magum, et dæmonium habere. Secundo, tota vita sæpius ieiunavit Christus. Tertio, et præcipue, agit hic de ieiuoio ab ultima cœoa, id est a vespera diei quintæ feriæ, usque ad horam oonam feriæ sextæ, id est usque ad horam tertiam
Quomodo opertus ieiunio? pomeridiaoam, horis circiter viginti. Tunc opertus est ieiunio, id est pallore per ieiunium contracto: cum præsertim tuoc plurimum sanguinis fudisset, neque ullo cibo aut potu vires repararet: sic toto corpore indutus erat pallore, apparens totus exanguis, et fractis omoioo viribus. Sic aliquis operitur confusioøe, id est ruboro orto ex ioterna confusione et verecundia. Hic seosus planus et facilis videtur. In codice Vaticano et Æthiopico babetur, *incurvavi in ieiunio animam meam.* In Arabico, *humiliavi.* Qui ieiunat sit humilis.

Dices, in Hebræo habetur, sicut vertit S. Hieronymus, *Flevi in ieiunio animam meam*, id est, vitam meam: tot scilicet miseriis, calamitatibus, tormentis, ac morti esse subiectam. Resp. primo, verti posse hebraice, flevi in ieiunio animæ meæ; 2. flebam et ieiunio me afficiebam: ita Campensis; 3. flevi dum esset in ieiunio anima mea. Resp. secundo, Septuag. non attendisse ad verba, sed ad sensum: ita ut sit sensus, *operui in ieiunio animam meam*, id est, me, q. d. Operui caput meum ieiunaodo; operire autem caput ieiunando, est cum luctu et mœrore in signum humilitatis et pœoitentiæ ieiunare. Unde dicitur in alio psalmo, *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Quod autem lugeotes et mœreotes solerent operire caput, perspicuum est ex multis locis Scripturæ sacræ, lib. 2. Reg. 15. Porro David ascendebat clivum olivarum, scandens et fleos, nudis pedibus, et operto capite. Et eodem lib. cap. 19. *Porro rex operuit caput suum, et clamabat voce magna: Fili mi Absalon, Absalon fili mi.* Esther 6. *Aman festinavit ire in domum suam, lugens et operto capite.* Et de ritu ieiunandi, Isai. 58.5. *Numquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam?* Numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? ubi cootorquere caput quasi circulum est, caput cooperire undique, et tegmen arcte constringere. Atque hinc conciliari potest lectio Hebraica cum Græca et Latina. Quod enim habetur in hebraico: Et flevi in ieiunio animam meam, existimarunt Septuaginta interpretes, iotelligeodum esse non proprie de fletu, sed de signo et ritu fletus, et doloris: et ideo verterunt, Operui in ieiunio animam meam. Ita Bellarmin. qui tamen alium seosum sequitur, ut dixi supra, ubi sententiam quoque meam aperui.

Moral. Ieiunium est cæleste animæ vestimentum. S. Ambr. lib. de Elia cap. 4. *Gula nudos facit, ieiunia operiunt et exutos. Unde Dominus ait Ps. 68. 11. Operui in ieiunio animam meam. Bonum operimentum, quod animam tegit, ne a tentatione deprehendatur, ne a tentatore nudetur. Bonum velamen, quod tegit culpam, tegit abstinentia, tegit gratia. Beati enim Ps. 31. quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Tegit gratia dum remittit, et omnem abolet errorem. Tegit abstinentia, dum abluit vitium, et mœsto abscondit affectu, atque extenuat pœnitendo. Etenim ieiunium et eleemosyna a peccato liberant. Opertus erat Adam virtutum velamine, priusquam prævaricaretur: sed tamquam exutus prævaricatione vidit se esse nudum? quia indumentum quod habebat, amiserat. In diebus enim ieiuniorum vestrorum orietur, inquit Isaiæ 58. Tibi magnum lumen tuum, et sanitas tua matura orietur, et præcedet ante te iustitia, et circumdabit te maiestas Domini. Bonum vestimentum lux. Scriptum est enim Psal. 103. Circumdatus luce sicut vestimento. Bonum vestimentum, quando circumdat Dominus, et operit ieiunantes:* ita Ambr. et sane videmus S. Nicolaum ab ipsis matris uberibus ieiunio insuescentem, et S. Edmundum ab infantia die Veneris pane et aqua contentum: aliosque ieiunio addictos, virtutum circumiectu telis hostium fuisse impervios. 30. Ieiunium est animæ vestis.

Ieiunans apparet oculis hominum exanguis atque aridus: in oculis vero Dei floridus est ac frugifer. S. Antioch. homil. 7. Qui, ait, ieiunat, videri possit similis flori eius palmæ, quæ ἐλατη dicitur: et externe quidem, colore interspergitur plane subtristi et ioamœno: interne autem χιονωδες και πολυκαρπων, niveum candorem præfert: sed et arbor admirabili fructuum ubertate prægoans est. Ad cum se habet modum quisquis sinceriter ieiunat: externe subtristis ipso prospectu videtur, εσωθεν δε φωτειδης υπαρχων, ioterne autem divini lumiois splendore illustratus, Deo colloquitur cum multa fiducia; hæc Antiochus. Cum eo coovenit Hesychius ceotur. 2. num. 63. Initium fertilitatis, inquit, est flos: αρχη τηρησεως νου, *conservandæ vero mentis principium*, est temperantia a cibis et potibus.

Splendidum aotem est illud ieiunii vestimentum. Idem Hesych. cent. 2. num. 1. Eget, ait, oratio temperantia, non aliter quam lampas exigua lumine lucernæ. Et diffusius num. 64. Cum, ait, sumus in Christo Iesu firmati, et sub tutela temperaotiæ educari cœperimus, apparet nobis in animo, ως λαμπας εν χειρι νου, velut lampas, quæ manu mentis teneatur, aoimi nostri semitas dirigens: deinde, ως σεληνη παμφανης εν στερεωματι καρδιας, velut luna integre lucens circumvolvitur, in firmamento cordis. Postea vero, nobis apparet, ως ηλιος Ιησους δικαιοσυνην ηλιοβολων, velut sol, Iesus, radiorum iostar solarium, iustitiam emitteos: ostendens scilicet seipsum, ut ille, et speculationum sui ipsius præclara lumioa. Ac postea pergit num. 67. Fundameotum domus sunt lapides: huius autem virtutis fundamenta et tectum sunt sanctum et adorandum nomen

Domini nostri Iesu Christi. Itaque, gubernator navis imprudens, qui tempore proceilæ nautis expulsis, remis et velis in mare proiectis, dormit, facile naufragium facit. Facilius autem anima demergetur a dæmonibus, quæ et temperantiam negligit, et ingruentibus suggestionibus invocare nomen Iesu Christi non curat: ita Hesychius, ubi etiam vides ope ieiunii evitari animæ naufragium.

31. An Christus sit usus cilicio? Quæres secundo, an Christus sit usus cilicio, cum dicat: *Posui vestimentum meum cilium?* Nota, pro *cilicium*, Hebr. est, saccum, et ita vertit S. Hieron. Pagn. Felix. Resp. primo, Valentia et Bredembachius, Christum fuisse usum aspero cilicio ad carnem appresso. Verba Valentiæ sunt: *Posui vestimentum meum cilicium: quia indutus eram cilicio aspero, macerando carnem meam pro peccato carnis eorum: et tamen non fuit acceptum apud eos, imo factus sum illis in parabolam et proverbium.*

Secundo, probabilius est Christum non esse usum cilicio ex setis cameli, capræ, aut alterius animalis facto. Nam sancti Patres id negant; et non erat par ratio, ut innocentissima caro, quæ nulli inordinato motui subdi poterat, sic torqueretur. Posset fortasse cilicium vocari eius discruciatio toto tempore passionis.

Tertio, S. August. cilicium ait esse ipsam Christi carnem, quam divinitas induit. Verba eius sunt: Posui vestimentum meum saccum, id est, opposui illis, in quam sævirent, carnem meam, occultavi divinitatem meam. Saccum, quia mortalis caro erat, ut de peccato condemnaret peccatum in carne: ita ipse. Eum sequuntur Cassiodorus, Bruno, Ugo, et alii. Beda vim facit in materia cilicii ex pilis caprarum et hædorum: quia fuit Christi caro in similitudinem carnis peccati, Roman. 8. 3. vilitatem, quia Christus fuit spretus, ut solet tale vestimentum: et quod aliquos, qui prius horridi ac hispidi peccatis erant, incorporaverit sibi, et suum quasi vestimentum fecerit, iuxta pollicitationem patris apud Isaiam cap. 49. 18. his omnibus velut vestimento vestieris: propterea factum esse in parabolam, cum obiiceretur, quod cum publicanis et peccatoribus manducaret, Matth. 9. 11. Eadem sunt verba Remigii, qui latronis et centurionis meminit, quos aptavit sibi Christus, tamquam cilicium, convertendo illos ad se. Sed hæc sunt symbolica.

Quarto, Agellius opinatur cilicium, sive saccum impositum fuisse ad lumbos, cum eum crucifigerent, tamquam περίζωμα, idque iuxta morem servatum circa illos, qui crucifigerentur, ut ad crucem firmius astringerentur, corpusque sic sustentatum facilius clavis affigeretur, simulque pudori consuleretur. Nudum omnino Christum fuisse affixum cruci censent S. Ambros. S. Athanasius et alii: quibus tamen non assentior, ut dixi Ps. 21. ubi de ea re actum est. Sed suum saccum seu cilicium Agellius probare non potest.

Cur dicitur posuisse cilicium? Quinto denique, Christus posuit vestimentum suum cilicium tota vita sua, habendo vestes viles, plebeias atque rudiores, quæ saccus videri possint, si comparentur cum vestibus regiis, cum quibus venturum suum Messiam Iudæi arbitrabantur, ideo abiectius vestitum contempserunt. Adde, tunicam inconsutilem fuisse asperiorem, ea autem carnem Christi proxime contingebat. Vide dicta Ps. 34. 13. ubi de illa egi, et fuse de utilitate et usu cilicii. Addo S. Edmundum, et duos ex Ordine Minimorum, qui cilicio velut armis se sapienter et fortiter muniverunt. Ut enim ait S. Hieron. Cinis et cilicium arma sunt pœnitentium.

32. S. Edmundus a pueritia usus est cilicio. Primo, Surius 16. Nov. de S. Edmundo hæc refert, atque de eius matre. Mirabilia, ait, cælestis huius viri mater, in sæculo non sæculariter vivens, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixit. Reiecto enim sæculari habitu, singulis prope noctibus intererat nocturnis Abendoniensium monachorum psalmodiis, atque ad nudum corpus vestem adhibebat cilicinam, quæ et aspera esset, et ad talos usque se porrigeret: utque ea magis affligeret carnem, loricam ferream ei adiunxit ad suras usque pertingentem. Intra ipsam autem loricam duæ erant laminæ ferreæ, quæ cruciatum augerent. Horum autem ipsa moriens hæredes voluit esse duos filios suos Edmundum et Robertum. Cum autem mitteret Edmundum cum fratre eius Parisios, ut liberalibus disciplinis instruerentur: ne ex ignorantia laberentur in errorem, duo eis cilicia dedit, iussitque ut bis vel ter qualibet hebdomada ea induerent, ne per abrupta insanarum libidinum præcipitia incauti agitarentur. Matre mortua novum cilicii genus Edmundus effinxit, non ex tenuibus pilis, ut assolet, contextum: sed ex chordulis quibusdam, instar retis multa densitate inter se consertis et intricatis contextum, cui multi inerant noduli, humanæ carni prope intolerabiles. Ab anteriori parte patebat, funiculis a capitio usque ad fimbrias hinc inde assutis constrictum: qua re fiebat, ut eius nodull corpori arctius apprimerentur, et maiores ei cruciatus afferrent. Nec tamen hoc tormento genere ille contentus, aliud addidit, maiori etiam admiratione dignius. Ut enim ex perpetua cilicii eius compunctione corpus doleret acrius, fune ex equorum pilis triplicato ita illud constrinxit, ut a scapulis usque ad renes crebro ambitu fusis duceretur, et infima parte tanta vi adstringeretur, ut vix corpus inflectere, aut inflexum erigere posset. Et quia interdiu manus et collum, ne homines adverterent, ea ratione affligere non potuit, noctibus cilicio ea affligebat. Addebat vero etiam femoralia cilicina, et caligas æque cilicinas, quibus assidue utebatur cum lorica illa, quam mater ei reliquerat, duplicia de manu Domini recepturus pro duplici martyrio, quo se ipse ultro affecit. Porro in Adventu et Quinquagesima plumbeam quamdam vestem induit, et durum corium atque nodosum, et ad dolores corporis augendos pluribus locis corpus suum funibus constrinxit, ne anima eius peccatorum funibus constringeretur. Asperrimum eius cilicium.

Secundo, quod ad duos Minimos spectat. Primo, Pater Ioannes Debem mori cum veste sua, et cilicio ad carnem appresso voluit: fune ex seta equina renes ita strinxerat, ut iam penetrasset imam carnem, et pelle carneque tegeretur: ibi enatus pestifer carbunculus mortem illi attulit, ut narrat Ludovicus Dony d' Atticby in histor. generali Minimor. lib. 3. pag. 325. Secundo, Ioannes a S. Maria frater Oblatus, ut vocant, usus est cilicio ex variis calceorum soleis consuto, cui omni ex parte clavos inspergerat, ut carnem miro modo laniarent: sæpe ob doloris vehementiam exanimis in terram concidebat. Hoc autem supplicii genus Deo placuisse colligere possis, quod Deus illi difficillimarum Theologiæ quæstionum notitiam infuderat, et cum miraculis illustrem faciebat, ut ait idem Auctor lib. 4. pag. 675. Minimorum duorum austeritas.

Denique, Christus dicit irrisum se fuisse ab omnibus: 33.
nempe a magistratibus, et a plebeis, v. 13. **Adversum me** Vers. 13.
loquebantur (S. Hieron. adversum me detrahebant. S. Augustin. *adversus me insultabant:* quæ vox denotat eorum petulantiam; 2. superbiam; 3. crudelitatem) **qui sedebant in porta: et in me psallebant** (S. Hieron. cantabant) **qui bibebant vinum.** Hebr. שכר *scecar*, id est, siceram; 2. omne potus genus, quod inebriare potest: deducitur enim a radice שכר *sciacar*, inebriare. Mercerus dicit *scecar* esse siceram, seu omnem potum factitium qui inebriat. Inebriativum aut temetum reddi potest. Vinorum factitiorum usus fuit apud veteres, teste Diodoro Siculo lib. 1. Biblioth. apud Babylonios vina conficiebantur ex palmis, ut ait Herodotus. Innumerabilia pene genera vini factitii reperta esse multis ante sæculis docet Plin. lib. 14. cap. 16. ubi multa percenset. Vox Hebr. *scecar* etiam vinum e vite expressum significat: imo Num. 28. 7. sumitur pro vino mero et pleno, quod R. David Kimhi nuncupat vinum. Cum vero nomen vini adiungitur, alios potus significat, ut cum Num. 6. 3. Nazaræus iubetur abstinere a vino et sicera: licet quidam per *iain*, id est, vinum, intelligant vinum dilutum, et aqua maceratum: per *scecar* autem vinum merum.

Quæres, quinam sint illi sedentes in porta? Primo, S. Hilar. et Cassiod. intelligunt ultro citroque commeantes per portas, et in iisdem otiose consistentes. Secundo, Eusebius accepit eos, qui tempore passionis Christi seduce-

bant eos, qui per portam ingrediebantur. Tertio, S. Hippolytus eos, qui extra portam Christum crucifigendum deduxerunt. Quarto, Euthym. et Hesych. illos, qui in templi portis, et in conventibus ibi celebratis quærerent, quid hominis esset Christus? Quinto, S. August. Ruffin. et alii, in porta, nihil aliud intelligunt, quam in publico. Sexto denique, et melius, accipe de omnibus iudicibus, tam politicis quam ecclesiasticis, qui Christum irriserunt, ut doctores, scribæ, pharisæi, sacerdotes et pontifices in domo Annæ et Caiphæ: et Herodes rex, ac Pilatus Iudææ præses, eiusque assessores iudices. Ubi nota, quod olim apud Hebræos solebant iudices et magistratus causas decidere in urbium portis, ut facilius et liberius ex agris omnes eo confluerent, et citius expedirentur. Hoc præcipitur Deut. 17. 18. *Iudices, et magistros*, id est, viros sapientes et magistratus, *constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas domos tuas, ut iudicent populum iusto iudicio*. De muliere forti dicitur Prov. 31. 23. *Nobilis in portis vir eius quando sederit cum senatoribus terræ*. Dices, cum Romani imperabant, non exercebant iudicia in portis: unde Christus condemnatus est in prætorio Pilati. Resp. etiam usu mutato exercendi iudicia in portis, phrasim tamen mansisse, ut sedentes in porta pro iudicibus sumerentur.

Iudices in portis urbium iudicabant.

34. Quæres secundo, quinam hic intelligantur bibentes vinum? Resp. primo, intelligi omnes, qui in popinis vino madidi Christum irridebant, et in eum dicteria iaciebant, atque cantica in eum facta cantabant. Secundo, specialius sunt ii, qui tota Passionis nocte compotabant, dum Christus a scurris et militibus dura et probrosa patiebatur. Tertio denique et optime, intelliguntur milites crucifixores, qui vinum myrrhatum, quod Christus bibere noluerat, et alia vina potabant, ipsi crucifixo illudentes. Sic dicit Christus Thren. 3. 14. *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die*. Iob Christi figura ab omnibus irrisus dicit cap. 30. 9. *In eorum canticum versus sum, et factus sum eis in proverbium*. Samson etiam in convivio potatorum irrisus est, tam a principibus Philisthinorum, quam a vili plebecula, Iudic. 16. Homerus Odyss. 1. cantum et saltationem vocat anathemata, id est, ornamenta vel appendices convivii, aut res dicatas convivio. Plutarchus tract. de musica, eius utilitatem in conviviis potissimam ducit, quod vini vim fervidam revellat ac mitiget. In Christum porro cantica fuisse tunc composita, et in conviviis compitisque esse decantata, est valde probabile. Baronius quidem tom. 3. Annal. tradit, contra Christum factas esse cantilenas iussu Maximini Imp. ac pueris traditas, ut eas memoriæ mandarent, atque concinerent. Id etiam refert Euseb. lib. 9. hist. cap. 5.

Bibentes vinum milites Christum irridebant.

35. Moral. Ebriosi Deum irrident. Primo enim ebrietas efficit, ut Dei cultus negligatur, et venter pro Deo adoretur. Philipp. 3. 19. *Quorum Deus venter est*. Ebrii Bacchum pro Deo suo colunt, et ad solum ventris desiderium respiciunt, Deum vero negligunt. Secundo, ebriosi non considerant opera et iudicia Dei. Isai. 5. 11. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cythara et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis*: opera scilicet tum creationis, tum redemptionis, tum vindictæ et ultionis. Tertio, vinum est vitiorum omnium parens. S. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 203. πάντα ἄλογα ἀνθρώπων ἐγκλήματα, omnia hominum vesana crimina a vino promanant. S. Basilius tom. 1. homil. in ebriet. et luxum: Ebrietas, inquit, κακίας μήτηρ ἀρετῆς ἐναντίωσις, *malitiæ mater*, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperante facit lascivum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni est adversa, sic vinum immodicum rationi. S. Augustinus serm. 231. de tempore, ebrietatem confert paludibus, in quibus omne genus vermium est: *Omnes ebriosi*, ait, *tales sunt, quales paludes esse videntur: nascuntur in illis sanguisugæ, ranæ, et diversa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quam aliquid quod ad victum proficiat exhibere*. Quarto, præcipue vinum est parens libidinis. Amos 6. væ intentatur opulentis in Sion, qui dormiunt in lectis eburnois, et lasciviunt in stratis suis; quique canunt ad vocem psalterii bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti. S. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia, cap. 14. *Pascitur*, ait, *libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate flammatur*. Quidam Poeta apud Clementem Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 2. pag. 115. vinum igni comparat. S. Hieronymus, Ætnæ ac Vesuvio, et aliis montibus flammivomis. *Non Ætnæi ignes*, ait, *non Vulcania tellus, non Vesuvius et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut iuveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammatæ*. Quinto, vinum tyrannus est mentem totam captivam tenens, et in ea tumultus horribiles excitans. S. Basilius in cap. 5. Isaiæ: *Postquam*, ait, *vinum merum fuerit ebibitum, tanquam aliquis tyrannus arcem occupat, caput scilicet, ubi tumultus, qui silentio premi non possunt, in mente excitat: neque ullus est qui eius iniusta imperia detrectare possit*. Sexto, ebrietas rationem tollit. Philo lib. de Plantatione Noe, pag. 183. Prisci Græci, ait, artem vini parandi, μαινομένην, id est, insanam vocaverunt: et occupatas hac, Bacchas, Mænades, id est, furiosas et insanas: quandoquidem insaniæ causa est vinum immoderate se illo ingurgitantibus: ita ipse. Ælianus lib. 13. var. hist. cap. 6. ait, in Heræensium Arcadum agro vites enasci, ex quibus proveniat vinum, quod a rationis usu abducit, et mentis impotes Arcades reddit: at mulieres fœcundas ad pariendum efficit. Oseas propheta de omni vino immoderate sumpto dicit cap. 4. 11. *Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor*, id est, mentem. S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 203. ebrietatem vocat αὐθαίρετον μανίαν, voluntarium furorem. S. Augustinus, sive auctor serm. ad fratres in eremo, id aperte probat horrendo ebrii facto, qui matre sua abusus est, et patrem occidit. Sic enim serm. 33. *Accidit hodie*, inquit, *terribilis casus, ut omnes audistis, propter quem ad Ecclesiam Hipponensem etiam fœminas et infantes congregari præcepi. Ecce præclarissimus civis noster, et fere dilectus ab omnibus Cyrillus, filium habebat, ut scitis, quem corrigere nolebat, et luxuriose vivendo insumpsit partem bonorum suorum. Sed ecce hodie ebrietatem perpessus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, et duas sorores vulneravit ad mortem*. Septimo, ebrietas est dæmon omnia evertens. S. Basilius homil. in ebriet. sic ait: *Ebrietas est* αὐθαίρετος δαίμων, *dæmon voluntarius, ex voluptate animis nostris inditus*. Et paulo post: *Quid miserabilius ebrietate, ebrius dæmon est voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium*. Octavo, ebrietas corpus ipsum deformat, Proverb. 23. 29. *Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foveæ, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis*. Clemens Alexand. lib. 2. pædag. cap. 2. pag. 113. *Vino immodico*, ait, *lingua præpeditur, labra vero solvuntur, oculi autem detorquentur ac divertuntur, cum præ humiditatis multitudine, visus tamquam in piscina natitet, et mentiri coacti existimant omnia in orbem ferri*. Vide descriptionem pulcherrimam apud S. Basilium homil. mox citata. Quoniam in hoc Psalmo est mentio tempestatis, addam ex Clemente pag. 115. Videte, inquit, naufragii periculum. Cor quidem multo potu obruitur, vini autem temulentiam multam maris minis comparavit, in qua corpus tanquam navis demersum, turpitudinis profundum subiit ac dedecoris, decumanis vini fluctibus obrutum. Gubernator autem, mens scilicet humana, supereminentis ebrietatis fluctu circumagitur, et in mari versans caligat, et propter procellæ tenebras a portu veritatis aberrat, donec in saxa sub mari latitantia irruens, seipsum in voluptates impactum perdiderit: ita Clemens in Pædagogo.

Ebriosi Deum irrident, et quidem multis modis.

SECTIO SECUNDA.

36. *Duo proponit Christus. Primo, orationem suam, ut a tempestate liberetur, vers. 14. Secundo, rationes varias, quibus Deus incitat ad illam liberationem, vers. 17.*

PARAPHRASIS.

14. *Ego vero orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.*

14. Dum his quatior fluctibus, ventis in scopulos impellor, undis haurior, ab hostibus rideor, te unum in voto advoco, nihil opis ab hominibus expectans. Iam nunc exauditionis tempus advenit post diutinam tempestatem.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.

Preces ad te fusas non iustitia, sed misericordia tua, et quidem abundans, qua paternum sinum omnibus aperis, suscipiat: fidelitas promissorum tuorum te ad salutem mihi afferendam concitet.

15. *Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.*

15. In vada me lutosa impactum eripe, ne in iis periturus adhærescam: a piratarum in me incursantium odio furoreque in tutos portus evectum me libera: et a frendentis oceani minis tutare.

16. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum.*

16. Ne cruciatuum hæc, contumeliarum, et afflictionum cæterarum dira me tempestas in mortis naufragium compellat: neque me sepulcri, avide prædam expectantis hiatus absorbeat: neque funerea inferorum domus conclusum diu teneat.

17. *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.*

17. Si sceleribus humani generis convestitum despectans, in iram concitaris: lenitatis tuæ, et misericordiæ paternæ redeat memoria ut me exaudias. Eo me benignitatis oculo respice, quo patres nostros tot in periculis constitutos, in securum littus eduxisti.

18. *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.*

18. Neque averso vultu servum tuum deseras, sed radios tuos oranti, et opem imploranti explica. Manum porrige celerem, cum urgeri me gravissima tribulatione intelligas.

19. *Intende animæ meæ, et libera eam: propter inimicos meos eripe me.*

19. Ad intimas mentis medullas clades pervasit: id quæso considera, eamque ab his angustiis eripe: ne hostes mei victores perdito, et prostrato insultent, atque in sua impietate magis roborentur, cum iactitent aut nolle te, aut non posse servos tuos liberare.

20. *Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam.*

20. Tibi cognita sunt in me coniecta probra, quæ pudorem mihi et verecundiam plurimam attulerunt.

21. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: improperium expectavit cor meum, et miseriam.*

21. Ante oculos tuos in me irruunt, meque persequuntur hostes mei: patierisne me tamdiu agitari? cum cernerem hæc omnia te vidente fieri, patienter illatas clades alias aliis advenientes sustinui, neque illas detrectavi.

Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

Quodque mihi peracerbum accidit, nullus se mihi doloris comitem adiunxit, ut afflicto compateretur: neque vel unus solatium ullum verborum attulit, licet diu expectarim.

22. *Et dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto.*

22. Finxerunt quidem hostes mei se in opem meam advolare: sed cum fame urgerer, pro cibo fel obtulerunt: cum siti premerer, in potum acetum obiecerunt, ut magis ac magis me cruciarent.

QUÆSTIO UNICA.

A quibus incommodis, et cur liberari Christus postulat?

37. Ordo Sectionis. Sectione prima conspeximus Christum Salvatorem, in medio tormentorum et hostium suorum, velut in medio fluctuum et tempestatis. Nunc ad Deum unum se convertit, qui solus contra omnes sufficiat.

Ac primo, ad illum solum id clamare edocet, v. 14. *Ego vero orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus.* Misericordiam illius prædicat: *In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me;* et fidelitatem in promissis: *In veritate salutis tuæ.*

Secundo, explicatius liberari postulat a syrtibus peccatorum, quibus ex omni parte erat implicitus, v. 15. *Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.* A morte etiam, sepulcro, et inferno, v. 16. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.*

Tertio, rationes varias adducit, ob quas liberationem A postulat: illas autem petit partim a Deo, partim a se, partim ab hostibus suis, partim ab amicis, partim a cruciatibus.

Primo quidem a Deo, ob suavitatem misericordiæ eius paternæ, v. 17. *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua;* et ob eius multitudinem: *Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.*

Secundo a seipso, quia animo servit Deo, v. 18. *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo;* et corpore pro illo patitur: *Quoniam tribulor, velociter exaudi me.*

Tertio, ab inimicis: Primo, enitentibus animam eius perdere, v. 19. *Intende animæ meæ, et libera eam: propter inimicos meos eripe me.* Secundo, famam eius lædentibus, v. 20. *Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam.* Tertio, impiis, qui Deum cernentem non curent, v. 21. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: improperium expectavit cor meum et miseriam.*

Quarto, ab amicis illum deserentibus, v. eod. 21. *Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.*

B Quinto denique, a cruciatibus in cibo et potu, v. 22. *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*

ARTICULUS I.

Orationis vis, ut ab afflictionibus liberet, atque in eis iuvet.

38. Vers. 14. Ieiunio et cilicio, de quibus dictum est supra, addidit Christus patiens orationem: non ut penitus a passione liberaretur, sed ut cito transirent tormenta, v. 14. EGO VERO ORATIONEM MEAM AD TE DOMINE direxi, ut ait Raynerius: est ellipsis TEMPUS BENEPLACITI DEUS, supple, nunc est. IN MULTITUDINE MISERICORDIÆ TUÆ EXAUDI ME, IN VERITATE SALUTIS TUÆ, id est, secundum veracitatem, qua efficies, ut promissa salus nobis detur: mihi quidem salus corporis per resurrectionem, aliis autem salus animæ per sanguinis mei effusionem. Sex modos, quibus sumi potest veritas, vide apud Lorinum.

Oratio iuvat in tempestate: 1. navem animæ firmat. Nota primo, oratio iuvat in tempestate. Primo, navem fluctibus iactatam firmat S. Chrysostomus lib. 1. de orando Deum: *Precatio, inquit, ecu radix et basis, cæteris omnibus substernitur, atque ut navem et domum, ea quæ substrata sunt, validam reddunt, ac ne solvatur, continet: ita nostram vitam orandi studium et continet, et utique firmam reddit: adeo ut absque hoc nihil nobis novi possit contingere, neque quod ad salutem conducat.* 2. tenebras dissipat. Secundo, oratio est sol tenebras nubium in tempestate condensatarum dissipans. Elias Presbyter in Asceticis: *Quemadmodum, ait, sol nunquam est sine radio: sic in mente semper sit, et maneat oratio, sine qua sollicitudines rerum sub sensus cadentium, velut quædam nubes non aquosæ circumvolantes, mentem a sua perfruenda claritate impediunt.* 3. fluctus sedat. Tertio, oratio fluctus passionum compescit: sicut accidit discipulis, qui oratione sua excitarunt Christum, qui a somno surgens Matth. 8. 26. *Imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna.* S. Augustinus homil. 3. inter 17. quæ extant in fine tomi decimi, sic ait: *Audisti convicium? ventus est. Iratus es? fluctus est. Vento igitur flante, fluctu surgente periclitatur navis, periclitatur cor tuum, fluctuat cor tuum. Audito convicio vindicari desideras. Et ecce vindicatus es, et malo alieno cedens fecisti naufragium. Et quare hoc? Quia dormit in te Christus. Quid est, dormit in te Christus? Oblitus es Christum. Excita ergo Christum, recordare Christum. Evigilet in te Christus, considera illum. Quid volebas? vindicari. Excidit tibi, quia ipse cum crucifigeretur, dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Qui dormiebat in corde tuo, noluit vindicari. Excita illum, recole illum.* Et post aliqua interposita: *Ergo compescam me ab iracundia mea, et redibo ad quietem cordis mei: Imperavit Christus mari, facta est tranquillitas. Quod autem dixi ad iracundiam, hoc tenete regulariter in omnibus tentationibus vestris. Nata est tentatio, ventus est: turbatus es, fluctus est: excita Christum, loquatur tecum:* ita Augustinus. Iulianus Imperator scribens ad Eugenium Philosophum epist. 18. dicebat, se ergastulo corporis clausum, cum convenire, οις εχι πτεροις, alis quas habebat: nempe epistola. Ala nostra, qua volemus ad Deum, oratio est: per eam vel ex ima abysso maris evolabimus, et e 4. ad portum deducit. mediis fluctibus emergemus. Quarto, oratio ad portum deducit, et ipsa portus securus est. S. Gregorius Nyssenus serm. de oratione, dicit eam esse ναυτιλλομενων σωτηριαν, navigantium salutem. S. Chrysostomus t. 1. hom. 3. de incomprehens. natura Dei, pag. 388. vocat illam λιμενα ακυμαντον, γαληνης υποθεσιν, placidum et nullis agitatum fluctibus portum, tranquillitatis basim et fundamentum. 5. arma et vires dat. Quinto denique, si iactatos tempestate, et viribus fractos e portu hostis arcere, aut eiicere velit, oratio vires et arma suppeditat aliis omnibus valentiora. S. Gregorius Nazianzenus orat. 4. fol. 127. Quot tandem, ait, armorum apparatus et machinarum inventiones: quot virorum myriades et instructæ acies, ea perficere potuissent, quæ nos orantes, et Deus voluntate sua perfecit? ita ipse. Hoc patuit in Iosaphat rege, qui cernens contra se congregatam maximam multitudinem Moabitarum, Ammonitarum, et Syrorum, timore perterritus totum se contulit ad rogandum Dominum, et prædicavit ieiunium universo Iuda, exercituque collecto statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, et antecederent exercitum: cumque cœpissent laudes Dei canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, et Moab, et montis Seir, contra se invicem, 4. Reg. 20. S. Hier. in Psalmo nostro vim orationis aperit, cum vertit: *Mea oratio ad te Domine tempus reconciliationis est.*

Nota secundo, tempus afflictionis et tempestatis, est tempus beneplaciti divini. Hinc Christus patiens ait: *Tempus beneplaciti Deus*, nunc scilicet est, cum secundum decretum tuum passionem pro salute hominum perfero. Hebr. est רצון *ratson*, id est, voluntas, decretum, beneplacitum. Tempus afflictionis est tempus beneplaciti Dei. Hinc Noster, Arias, Pagn. Felix vertunt, tempus beneplaciti; 2. *ratson* significat benevolentiam, placabilitatem, gratiam, favorem, bonam voluntatem, reconciliationem, acceptationem, propensum animum. Hinc S. Hieron. reddit: *Mea oratio ad te Domine, tempus reconciliationis est*, ut mox dixi. Arabs: *Tunc oravi ad te in hora exauditionis.* Raynerius exponit, q. d. Tempus nunc est gratiæ et reconciliationis. Ubi adverte, quod passio Christi fuit tempus beneplaciti. Primo, respectu Christi ipsius: fuit enim tempus in quo oblatus est, quia ipse voluit: et in quo placuit Patri se offerens ad eius voluntatem faciendam. Cantic. 6. 3. dicitur Sponsæ, id est, eius humanitati: *Pulchra es amica mea, et decora.* Chald. ibi vertit: *Quam pulchra es tu dilecta mea, in tempore quo vis facere voluntatem meam!* Secundo, passio est tempus beneplaciti respectu Patris æterni: qua tempus illud decreverat, et filio suo mortem imperaverat: unde vere fuit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Acceperat enim præceptum moriendi; 2. erat tempus beneplaciti, id est, benevolentiæ, gratiæ, favoris, et reconciliationis; quia in Christo erat mundum reconcilians sibi. Christo dicebat David Ps. 101. 14. *Tu exurgens*, in crucem, *misereberis Sion*, id est, Ecclesiæ, *quia tempus miserendi eius, quia venit tempus*, a Patre determinatum: aut saltem post liberam Christi electionem, et aliarum mortis circumstantiarum, ab eo approbatum.

Afflictio porro, est tempus benevolentiæ et reconciliationis. Et quidem ob quinque rationes. Primo, quia sistit peccata, quæ prosperitas iuvexerat, ut patet in libro Exodi, Num. et Deut. ubi referuntur peccata populi in deserto, et eius pœnitentia cum affligeretur. In libro Iosue, ubi Achan fur punitur, post acceptam cladem a civibus urbis Hai, ac præcipue in libro Iudicum, ubi ostenditur sæpius peccata populi fuisse causam servitutis sub variis regibus: servitutem vero, causam conversionis ad Deum, et divinæ misericordiæ. De prosperitate autem ait S. Isidor. Pelus. lib. 3. cp. 195. Multis, ait, momentanea ac subita felicitas insidiatur, ανιατων ουσα κακων προοιμιον, immedicabilium existens malorum origo. Secundo, afflictio efficit, ut virtutes perfectorum magis luceant, velut in nocte gemmæ, et quædam herbæ. Ioseph, penes quem sit rei fides, refert de radice Baaras, quod sit colore similis flammæ, noctu vero lumen effundat: et vix accipi possit ab iis, qui illam tenere volunt, sed carpentis manum subterfugiat. Tertio, afflictio ad operandum et laborandum incitans, impedit ne anima situ putrescat. Guido Ferrarius Cardinalis, ut ostenderet sibi honori fore, si amici uterentur eius liberalitate, sibi sumpsit pro symbolo puteum, cui inscribi curavit, *motu clarior*: aqua enim putei cum extrahitur, fit limpidior, quæ alioquin immota putresceret. Hoc ipsum de afflictionis agitatione possis dicere. Quarto, afflictio externa fervorem internum auget, sicut in hyeme ignis est ardentior, et citius comburit ac fortius. Mirabilis est fontium quorumdam natura de nocte exuberantium, aut calidorum cum interdiu contrarium accidat. Plin. lib. 2. cap. 103. *In Dodone*, ait, *fons cum sit gelidus, et immersas faces extinguat, si extinctæ admoveantur, accendit. Inde meridie semper deficit, qua de causa Anapavomenon vocant. Mox increscens ad medium noctis exuberat. Ab eo rursus sensim deficit.* Fontes mirabiles. 2. *In Illyriis supra fontem frigidum expansæ vestes accenduntur.* 3. *Iovis Hammonis fons interdiu fri-*

gidus, noctibus fervet. 4. *In Troglodytis fons solis appellatur dulcis, et circa meridiem maxime frigidus: mox paulatim tepescens, ad noctis media fervore et amaritudine infestatur:* ita Plinius. Nox est symbolum afflictionis: dies vero prosperitatis. Quinto denique, afflictio orationem ferventiorem facit, et eam vehementius in cælum ire cogit. S. Chrysost. id commoda similitudine declarat, t. 1. hom. 5. de incompreh. Dei natura, pag. 389. Sicut, inquit, aqua in canales coacta ascendit sursum: ita mens rerum calamitate circumcingente, atque in inferioribus compressa et coangustata puras et intentas, ac vehementes in altum orationes emittit: cum vero in multa est securitate, iacet ac diffluit: hæc ille. Hoc patuit in Tobia, in Susanna, in Anna matre Samuelis, in Esther, et Iudith, aliisque.

39. *Ordo est in psalmis.* Nota tertio, admirabilem Psalmorum ordinem et contextum esse, quem licet semper invenire non sit facile, tamen esse non dubites. Exemplum esto in hoc nostro Psalmo, ubi hæc sectio præcedenti aptissime respondet. Primo enim, in illa Sectione dixerat: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* In hac vero: *Ego vero orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus:* id est, tempus passionis meæ, ut supra dixi. Secundo, in illa dixerat: *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* In hac: *Eripe me de luto, ut non infigar.* Tertio in illa: *Veni in altitudinem maris.* In hac: *Libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.* Quarto, in illa dixerat: *Tempestas demersit me.* In hac ponitur: *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Quinto, in illa: *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* In hac: *Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* Sexto, in illa: *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* In hac: *Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me,* q. d. Te perpetuo aspicio, tu me aspice vel semel, sed oculo paterno. Septimo, in illa: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* In hac: *Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor.* Octavo, in illa: *Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quæ non rapui, tunc exsolvebam.* In hac autem: *Intende animæ meæ, et libera eam: propter inimicos meos eripe me.* Nono, in illa: *Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita.* In hac: *Tu scis improperium meum, et confusionem meam, et reverentiam meam.* Decimo, in illa: *Non erubescant in me, qui exspectant te, Domine virtutum.* In hac: *Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.* Undecimo, in illa denique: *Quoniam zelus, etc. et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* In hac autem: *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*

40. *Vers. 15. et 16.* Materiam orationis suæ explicate et aperte proponit Christus, v. 15. ERIPE ME DE LUTO UT NON INFIGAR: LIBERA ME AB IIS QUI ODERUNT ME, ET DE PROFUNDIS AQUARUM. S. Hieronymus, et de profundis aquis. Et v. 16. NON ME DEMERGAT TEMPESTAS AQUÆ (Felix, ne inundet me tempestas aquæ. S. Hieron. et Pagn. ne operiat me fluvius aquæ. Hebr. שבלת, *seibboleth,* ut ait R. David, significat inundationem, et impetum aquarum) NEQUE ABSORBEAT ME PROFUNDUM, NEQUE URGEAT SUPER ME PUTEUS OS SUUM, id est, super me non claudatur, et obstruatur, puteus, id est, gurges et vortex, in quem cecidi, fossa et abyssus in quam præceps corrui, q. d. Fac ut eripiar ex his malis et calamitatibus, in quibus sum et exagitor. Ubi adverte, quod prius dixerat, infixus sum in limo profundi, et tempestas demersit me. Sensus itaque hic est, q. d. Eripe me de luto, ut non infigar: id est, ne in eo existens semper profundius in illud cadam, et emergere nunquam possim. Non me demergat, id est, demersum detineat, et caput efferre conantem iterum obruat tempestas aquæ: neque profundus maris vortex ita me devoret atque absorbeat, ut inde non exeam: nec puteus, in quem præceps deiectus sum, ita claudatur, ut inde mihi exitus non pateat: quamdiu enim patet puteus, spes est evadendi: cum vero eius os clauditur, tunc de vita desperandum est. Nota, Hebr. pro *urgeat,* nunc est תאטר *thetar,* id est, claudat, obturet, obstruat: unde Pagn. et Felix, neque claudat super me puteus os suum. Arias, obturet. S. August. non coarctet. Camp. neque constringat. S. Hilar. non contineat. Theodoret. et Euthym. non concludat. S. Hieron. qui vertit, *non coronet,* videtur legisse תעטר *thetar,* cum ain, non vero aleph; עטר *atar* enim cum ain, significat coronare, cingere, circumdare. Apollinar. quoque vertit, μηδε με αμφιβαλετω, neque me circumdet. Vorticem hiantem, et prædam appetentem exprimit Petavius, qui exponit: Neque super me os suum occludat, φρεαρ αμφικεχηνος, puteus circum dehiscens. Si ex omni parte puteus os suum aperiat, quis evadet? si deinde ex omni parte claudat, quis emerget?

Sensus huius. Ut verbo concludam, petit hic resurrectionem corporis sui Christus, et liberationem ab omnibus malis, et præsertim a tormentis suæ passionis. Ugo Cardinalis sic explicat, q. d. *Eripe me de luto* corporis, ut non infigar ei tanta dilectione sensualitatis, ut nolim mori pro salute mundi. Sic dicebat Paulus Act. 20. 24. *Neque animam meam facio pretiosiorem, quam me,* id est, vitam meam, vel animalitatem non præpono animæ meæ. 2. *Libera me ab iis qui oderunt me,* id est, a Iudæis, de quibus Ioan. 15. *Oderunt me, et patrem meum;* 3. *et de profundis aquarum:* id est, de consiliis eorum quæ profunda erant et occulta, sed tamen sicut aquæ fluxerunt: quia ipsi comprehensi sunt in consiliis, quibus cogitaverunt comprehendere Christum: *Non me demergat tempestas aquæ:* id est, impetus pœnæ non me vincat; ipse enim non fuit in hac tempestate demersus, quia totam aquam bibit. Psal. 109. 7. *De torrente in via bibit.* Ab inferno liberari petit, cum dicit: *Neque absorbeat me profundum,* id est, infernus. Unde pro defunctis cantat Ecclesia: *Ne absorbeat eas tartarus.* Et sumitur de loco isto Iob 17. 16. *In profundissimum inferni descendent omnia mea.* Petit liberari a limbo, ut etiam ibi non teneatur. Unde addit: *Neque urgeat super me puteus os suum:* id est, non includat in limbo: ita Ugo ingeniose. Malim tamen, per tempestatem aquæ intelligere mortem Christi: per profundum, sepulcrum, a quo absorbentur et devorantur, qui ibi putrescunt: per puteum vero, infernum, seu limbum. Infernus enim est puteus interitus, de quo dixi Ps. 54. 24. et puteus abyssi, Apocal. 9. 2.

41. *Viri fortes in tempestate proficiunt.* Moral. Viri generosi in tempestate proficiunt. Primo enim, eos servat Deus a naufragio, sicut Apostolos, Matt. 8. 26. Illustre est, quod de S. Maclovio seu Machutio adhuc puero, postea Episcopo Alethensi, refertur a Sigeberto monacho Gemblacensi, in eius vita. Dum, ait, quodam die cum coævis sibi pueris, ludendi gratia, processisset ad littus maris, aliis in otioso ludendi negotio intentis, hic humi reclinato capite, somno cœpit indulgere. Cum subito inundatione redeuntis maris æstu adveniente, quod secundum lunæ cursum in mari Britanniæ fieri est solemne, reliqui pueri fuga consulunt vitæ suæ, illum dormientem in tanto periculo non occurrentes excitare. Sed puero ad salutem multorum nato non longe abfuit Dei protectio, procurata magno rerum miraculo. Nam cum undique aquæ circumfluerent, et undæ undis supervenientes cum fervore tumendo circumstreperent, et tamen circumducto undique circulo, locum in quo puer iacebat, attingere non auderent, omnipotentia Dei fecit illic insulam excrescere, quæ usque ad summum æquoris porrecta sui altitudine, futurum Christi Antistitem eruit a mortis discrimine. *S. Maclovius mirabiliter in mari servatur.* Parentes navem cito mittunt, qua eum ad littus veherent, ad rei memoriam illa insula perdurat: ita Sigebertus. Viri iusti sunt similes testudini sole exsiccatæ, quæ in mari non mergitur. Hunfridus Comes Habspurgensis, ut denotaret se nullis calamitatibus mergendum, testudinem mari innatantem, et solem radiis suis eam calefacientem et exsiccantem depinxit, addita hac voce, *Immersabilis.* *Varia fluviorum natura et lacuum.* Strabo lib. 15. tradit, Siliam flumen

illius naturæ esse, ut in eo μηδεν επιπλει, nihil innatet: idem de Side Iudiæ fluvio docet Ctesias apud Plinium lib. 31. cap. 2. Contra vero, Apuscidamus lacus est Africæ, in quo omnia extant, nihil mergitur, ut ait Plinius ibid. In huius autem vitæ torrente nonnulla merguntur, et nonnulla non merguntur. Illum vitæ, seu mundi torrentem aut mare, possis comparare lacui Asphaltitæ, id est, mari mortuo in Iudæa: in quo, ut ait S. Isidor. lib. 13. orig. cap. 13. nihil habens animam mergi potest. Habe animam, virtutem, et charitatem, nunquam mergeris. De Ecclesiæ filiis dic, quod de ipsorum matre asserit S. Gregor. 20. Mor. 17. *Scit sancta Ecclesia in passionibus crescere: scit nec adversis deiici se: novit contra adversa animum ad spem superni culminis exaltare.*

42. Tempestas virum fortem in sublime elevat. Secundo, tempestas, et inundatio, ipsumque totius orbis diluvium, in sublime erigit Noemum, id est, animum tranquillum. Noe enim requiem significat. Gen. 7. 17. *Multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime,* quindecim scilicet cubitis altius, quam essent ulli montes: itaque pertigit usque ad imum mediæ regionis aeris; eo enim evadit mons Olympus, et aliqui alii. Petrus Blesens. epist. 124. hoc ad mores trahit: *Tempore diluvii*, ait, *concussa inundatione Arca, erecta est in sublime: eius enim concussio, ipsius erectio est: quia sicut B. Hilarius dicit: Proprium est Ecclesiæ, ut tunc vincat, cum læditur.* Carolus Ursinus, ut significaret se extollendum esse per calamitatem, folli lusorio, qui cæstis ligneis et dentatis percutitur, inscripsit, *Percussus elevor.* Tu navi bene constratæ, atque a ventis et fluctibus agitati maris ad nubes impulsæ, appinge: *Turbant, sed extollunt:* aut cum Petro Ferrerio Episcopo Vercellensi, et S. R. E. Cardinali follem pugillarium, proiectum in mare, repræsenta cum hoc lemmate: *Inanes minæ.* Lucianus in vera historia fingit, se cum omnibus sociis navigantem, exorta tempestate elevatum fuisse in ipsum cælum lunæ. Sed vere Christus dixit, Matth. 11. 12. *Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Mercator quidam in Africam ex Hispania navigans, tempestate abreptus est in Americam, antea incognitam: ibique feraces et opimas provincias reperit, redux rem narravit Columbo Prætori Maderæ insulæ. Sic novus orbis repertus est, et omnes auri mineræ, populusque Evangelii lucem accepit. Eodem modo, persecutionis procella, in causa fuit, cur multæ regiones fidem susciperent, in illas eiectis viris Apostolicis.

43. Tempestas e peccato attollit. Tertio, tempestas vitiis demersos in altum tollit. Ælianus lib. 8 de anim. cap. 8. dicit, in mari Indico esse pisciculum, qui ζη αθεατον αποθανων δε αναπλει, toto vitæ tempore in maris fundo latet, mortuus vero emergit. Mors et calamitas sæpe vita et salus sunt peccatorum. Id quoque applicare possis Christo, qui vivens in obscuro delituit, sed a morte statim gloriosus apparuit: hoc etiam sanctis viris accidit. S. Paulus, S. Ioseph Anchieta in fundo maris mirabiliter servati sunt, et inde emerserunt. Vide in vita S. Clementis Papæ mirabilem conservationem pueri dormientis in eius sacello, quod in fundo maris latebat. Athenæus lib. 11. admirabilem Enalli, et virginis cuiusdam emersionem e mari refert, sed fidem eius rei præstet ipse.

44. Tempestas lavat sordes, et dat robur. Quarto, viles et abiectas animas fluctus maris absorbet, fortes lavat et corroborat. Hoc consideravit S. Gregor. Nazianz. ut ipse exponit orat. 28. pag. 478. ibi enim refert se, cum irato mari inambularet in littore, advertisse pleraque mari sorberi, alia vero subsistere. Verba eius sunt: *Fluctus partim procul exurgentes, seque paulatim in summam altitudinem efferentes, ac postea decrescentes, ad ripam solvebantur: partim in propinquas petras incidentes, atque inde repulsi in spumosam ac tenuem asperginem dilabebantur. Hic et lapilli, et algæ, et buccinæ, et levia ostrea extrudebantur, et quasi expuebantur, nonnulla etiam reciprocante fluctu rursus arripiebantur, petris interim non minus immotis et inconcussis remanentibus: quam si nulla omnino vis ipsis admoveretur, nisi quod fluctuum*

A *ictibus verberantur:* ita ipse. Ex hoc spectaculo utilitatem percepisse se memorat, cum omnia ad selpsum referre ac dirigere soleret. *Quid enim*, inquiebat, *an non* θαλασσα ο ημετερος βιος, και τα ανθρωπινα, *mare vita hæc nostra est, et res humanæ? Nam hic quoque multum est*, το αλμυρον και αστατον, *amaritudinis et instabilitatis. Annon venti tentationes ingruentes, et inopinati rerum eventus? Quod mihi animadvertisse videtur David, cum diceret: Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Et alio loco: Libera me, Domine, de profundis aquarum. Et rursus: Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Porro eorum qui tentantur, alii mihi, velut levissima quædam corpora et spiritus expertia, abripi distrahique videbantur, ac ne tantillum quidem adversarum rerum impetum sustinere: alii vero, petræ instar esse, ac petra illa, supra quam stamus, et quam colimus, digni: quicumque nimirum philosophica ratione utuntur, ac supra vulgi humilitatem evecti,* παντα φερουσιν ασειστος και ατιναχτος, *humana omnia immoto et firmo animo ferunt: et eos, qui ta-*
B *libus rebus quatiuntur, irrident, vel miserantur: illud ob philosophici animi generositatem, hoc propter humanitatem et commiserationem:* ita Gregorius.

Symbolice Ugo Cardin. Petit vir iustus liberari ab infelici ternario, 1. Ioan. 2. videlicet a concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Unde dicit, *Eripe me*, id est extra rape per violentiam, *de luto*, id est, de carnali libidine. Sicut enim lutum fit ex aqua et terra: sic libido ex aquis divitiarum et carne generatur et nutritur. In hoc luto tenaci infixi sunt in Ægypto filii Israel, id est clerici in mundo, Exod. 1. Ad amaritudinem perducebant vitam eorum, operibus duris luti et lateris: scilicet libidinis et cupiditatis: *Ut non infigar*: non ut non tangam; velit nolit homo, oportet ut aliquando comedendo et bibendo sentiat et tangat libidinem per aliquam delectationem. Sed equi fortes de facili transeunt lutum istud, et non infiguntur. Habac. 3. 15. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. Libera me ab his qui ode-* 45. Superbia, avaritia, et luxuria hominem affligunt et mergunt.
C *runt me*, id est, a dæmonibus. Et hic tangitur superbia, quæ proprie dæmonibus competit. *Et de profundis aquarum*, id est, de amore divitiarum. In versu sequenti petit pœnitens liberari a tribus peccatis: scilicet inani gloria, avaritia, luxuria, dicens: *Non me demergat*, ex toto, *tempestas aquæ:* per tempestatem intelligitur pompa superborum. Oseæ 12. 1. *Ephraim pascit ventum et sequitur æstum.* Per aquam, significantur dona gratiæ, quia lavant sordes. Tempestas ergo aquæ periculosior est, et magis Deo displicet. Habacuc 3. 8. *Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua? Neque absorbeat me profundum*, avaritiæ. Eccl. 5. 9. Avarus non implebitur, pecunia. *Neque urgeat super me*, etsi aperiat *puteus*, id est, luxuria, *os suum.* Prov. 23. *Fovea profunda meretrix, et puteus angustus aliena.* Hæc plus cæteris urget, eo quod vicinior est naturæ. Unde Apostolum coegit clamare: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* Roman. 7. Ita Ugo. Lege S. Greg. 34. Mor. 9. in illud Iobi cap. 41. 21.
D *Sternet sibi aurum quasi lutum:* ubi id exponit de avaritia, et carnalibus voluptatibus. Vide etiam illum 26. Moral. 24. vel 30. in illud cap. 36. 16. Salvabit te de ore angusto latissime. Pisces symbolum sunt libidinosorum, in aquas voluptatis immersorum, et avarorum se mutuo devorantium. Olaus Magnus lib. 21. cap. 25. ait, in Norvegiæ pelago piscem inveniri, cui nulla forma, nulliusque membri distinctio internoscitur, caput ventri coniunctum est, nihil interiacet, omnium piscium est avidissimus vorator, at quidquid glutierit, mox in pinguedinem vertitur, neque unquam satur videtur, nulli prorsus piscium amicus, exosus omnibus. Avarus est informe monstrum, quod toto orbe, eiusque divitiis omnibus non satiatur: ideo omnibus devorandis intentus est, et ab omnibus odio habetur.

ARTICULUS II.

Christus patiens ab amicis deseritur, felle et aceto ab inimicis potatur.

Duo in passione Christi fuerunt molestissima: Primo, quod nihil opis et solatii ab amicis accepit. Secundo, quod omnibus modis vexatus est ab inimicis.

46. Vers. 21. Ac primo, post auxilium a Deo petitum dicit v. 21. IN CONSPECTU TUO SUNT OMNES QUI TRIBULANT ME: IMPROPERIUM (S. Aug. opprobrium) EXPECTAVIT COR MEUM, ET MISERIAM. S. Hieronymus, opprobrio contritum est cor meum, et desperatus sum. Campensis, assidua contumelia fregit animum meum, et ægrum fecit totum me. Vox אנושה *anuscia*, potest esse verbum: et significare, afflictus sum, ut vertit Felix: dolui, ut Pagn. anxius fui, ut Arias: desperatus sum, id est, valde afflictus: ægrotus fui, ut alii. ET SUSTINUI QUI SIMUL CONTRISTARETUR, ET NON FUIT: ET QUI CONSOLARETUR, ET NON INVENI. Est hyperbole, hoc est, paucissimos inveni. Nam B. Virgo, Apostoli, et piæ mulieres, aliique nonnulli simul tristabantur cum illo. 2. Angelus in horto apparuit illi confortans eum, Luc. 22. 43. Iansenius putat ter illum confortasse, nempe in singulis orationibus, quas ibi fudit. Franciscus Lucas, et alii, melius censent apparuisse tantum in tertia et ultima oratione, cum scilicet in agonia positus prolixius et intensius orabat: unde sanguinis rivos toto corpore effudit. Gabrielem fuisse hunc angelum putat Gabriel Vasquez 1. par. tom. 2. disput. 244. num. 3. Franciscus Lucas putat fuisse Michaelem, quia est summus angelorum. Crediderim fuisse Gabrielem, quia et fuit nuntius incarnationis, et habet officium confortandi, ut nomen eius sonat. Gabriel enim est fortitudo Dei. 3. Portantem crucem multæ mulieres sequebantur, quæ plangebant et lamentabantur eum, Luc. 23. 27. tantis doloribus compatientes. 4. Berenice sive Veronice, vulgo Veronica, sudarium illi portanti crucem obtulit, ut faciem sudore et sanguine madentem abstergeret: ei sudario effigiem suam impressit Christus, ut ait Methodius Episcopus, ac Baronius in Annal. Eccl. tom. 1. anno 34. et traditio Ecclesiæ id docet. 5. S. Ioannes Apostolus cum Deipara, et Maria Cleophæ uxore, et Maria Magdalena stabant iuxta crucem ipsi condolentes. 6. Latro illum regem cæli prædicat, et socium suum blasphemantem reprehendit, Luc. 23. 39. Hæc autem erat maxima Christo consolatio, quod iam passionis suæ fructum videret. S. Vincentius Ferrerius ait esse conversum, quod umbra Christi crucifixi eum contigerit: verius et certius Theophylact. et Euthym. dicunt, illum esse conversum exemplis virtutum eius, patientiæ scilicet, fortitudinis, charitatis, et aliarum.

Pauci Christo attulerunt consolationem.

Secundo, Bellarminus sic explicat: Non defuerunt, ait, qui contristarentur in morte Christi: sed defuerunt qui simul cum illo contristarentur: id est, ob eam causam tristarentur, unde ipse tristabatur. Nam Apostoli, et piæ mulieres tristabantur ob mortem Christi temporalem; ipse vero tristabatur ob mortem spiritualem, et spiritualem cæcitatem Iudæorum, qui insaniebant in medicum, qui venerat curare eos. Sic etiam quæsivit consolantem, et non invenit: quia consolatio quam quærebat, erat conversio impiorum: hæc ipse. Sed prima explicatio est melior, et simplicior, ac solidior: nam saltem B. Virgo simul contristabatur cum Christo, secundum omnia eius motiva.

47. Moral. Primo, amicus nobis necessarius est in hac vita. Thesaurus est indeficiens, et sol vitæ. Alexander interrogatus, ubi thesauros haberet, amicos ostendens, ait, in his, ut ait Maxim. sermon. de amicitia. Hoc præclaro facto declaravit Constantius pater Constantini Magni, qui legatis Diocletiani quærentibus, quod thesauros sibi non compararet, brevi illos plenos ostentavit, amicis et urbibus monitis, quid rei gereretur. Vide Baronium tom. 2. anno 304. S. Ambrosius dicit lib. 1. de offic. eos solem e mundo tollere, qui tollunt amicitiam. Plutarchus ait, amicum esse magis necessarium, quam ignem et aquam. S. Ambrosius lib. 3. de officiis: *Solatium huius vitæ est,* inquit, *ut habeas cui pectus tuum aperias, cui arcana communices, cui secreta tui pectoris committas, ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur, facilis vox et communis, tuus sum totus.* Cum Zeno Cittiensis rogaretur: quid revera esset amicus, dixit: Alter ego, ut refert Laertius lib. 7. cap. 1. Secundo, magnum præsertim solatium est amicus tempore adversitatis. S. Isidorus lib. 3. de summo bono: Amicitia, inquit, et prosperas res dulciores facit, et adversas communione temperat, et leviores reddit: quia dum in tribulatione amici consolatio adiungitur, nec amicus frangitur, et minus eadem patitur. Aristoteles lib. 9. Ethic. cap. 11. Amici aspectus suavis est, ei præsertim qui in miseriis luctuque versatur: in eoque ad depellendum dolorem præsidium quoddam est paratum et constitutum. Seneca epist. 79. Nihil æque ægrum reficit, sicut amicorum affectus. S. Maximus sermone 18. ait: Sicut ægrotis medicos, ita miseris amicos adesse debere: ita ille. Bonus medicus est amicus fidelis: quia et optime novit amici sui morbos, et suavissima aptissimaque affert remedia, nulli labori et impensæ parcens. Tertio, afflictio veros amicos a fictis discernit ac segregat. Felicium enim multi cognati, ut est in vulgari proverbio: et, Amicus certus in re incerta cernitur, ut ait Ennius. Tullius lib. 9. epistol. dicit: Ut *aurum igne*, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici solet. Alio simili eqno rem explicat Philo: Quemadmodum, ait, *equi*, virtutem in bello exploramus: sic amicum in calamitate et infortunio. Tullius rursum simili hirundinum. Sic enim lib. 4. ad Herennium: Ut *hirundines* æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt: ita falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt, simulatque fortunæ hyemem viderint, devolant omnes. Plutarchus simili muscarum: Quemadmodum, ait, *muscæ* in popinis non manent, si desit nidor: ita vulgares divitum amici non perseverant si non adsit utilitas. Namertes legationo fungens, cum a quodam eius gentis, ad quam erat missus, beatus prædicaretur, eo quo multos haberet amicos: interrogavit, quomodo qui multos haberet amicos periculum faceret, an amicum haberet sincerum ac probum? Id quum alter fassus se nescire, cuperet discere: Per adversam, inquit, fortunam, ut ait idem Plutarchus in Laconicis. Auctor Eccli. aperte loquitur cap. 12. 8. *Non agnoscetur* (Tigurina, iudicari non potest) *in bonis amicus, et non abscondetur in malis inimicus. In bonis viri inimici illius in tristitia: et in malitia* (in afflictione) *illius amicus agnitus est.* P. Syrus dicebat: Amicos secundæ res parant, adversæ probant. Demetrius Phalereus: Veri amici, ait, in rebus lætis adsunt vocati, in adversis non vocati, et ultro, ut ait Laertius lib. 5. cap. 5. Idem dictum attribuitur etiam Democrito, qui addebat: Non posse opitulari amicis, inopiæ est signum: nolle autem, malitiæ. Cassiodor. in epist. Qui vere amicus est, omni tempore diligit. Nam eum tormentum non separat, labor non laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat. S. Augustinus lib. 12. quæst. Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici supportatio. Prov. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur.* Chald. frater ad tempus angustiæ natus est. Eccl. 6. *Amicus fidelis, medicamentum vitæ.* Syr. medicina est vitæ. Arab. velut emplastrum vitæ, et immortalitatis: et qui metuunt Dominum, invenient illum. Vide S. Chrysost. hom. 2. in epist. 1. ad Thessalon. S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 32. S. August. lib. de amicitia, cap. 2. si tamen libri illius est auctor. Quarto denique, pauci sunt amici, qui tempore afflictionis amicis condoleant, pauciores qui consolentur, paucissimi qui adiuvent. Hinc auctor Eccl. monet cap. 6. 7. et seqq. *Si possides amicum, in tentatione posside illum, et ne facile credas ei: Est enim amicus secundum tempus suum* (Syr. ad horam) *et non permanebit in die tribulationis. Est amicus socius mensæ* (Græc. par-

Amicus est magnus thesaurus.

Præsertim in adversitate.

ticeps mensarum) *et non permanebit in die necessitatis.* Hebræi dicunt in Gemara: Ad ostium tabernæ fratres et amici: ad hostium carceris neque fratres, neque amici. Plutarchus vocat χυτρας φιλιαν, ollæ amicitiam: cum olla deferbuerit, refrigescet charitas. Olim dicebant, ζει χυτρα, ζη φιλια, fervet olla, vivit amicitia. Elegantia est in similitudine duorum illorum verborum græcorum. Alphonsus rex aulicos suos comparabat avibus voracibus, quæ ubi oblatam escam arripuerint, avolant. Diogenes interrogatus, quomodo amicis suis uteretur Dionysius: Sicut vasculis, ait, dum plena sunt, evacuat, et vacua abiicit. Aristoteles frequenter dicebat, ω φιλοι, ουδεις φιλος; O amici! nullus est verus et sincerus amicus. Seneca epist. 9. *Negotiatio est, non amicitia, quæ ad commodum accedit: detrahit enim amicitiæ qui illam parat ad bonos casus.* Ibi etiam ait: In quid amicum paro? ut habeam, pro quo mori possim: ut habeam, quem in exilium sequar. Itaque recte dixit apud Laertium lib. 2. cap. 8. Antisthenes: Sicut vasa explorantur pulsu et tinnitu, sic amicorum fides exploranda est tribulatione, et rebus adversis. Et Plutarchus: Sicut navis compagem probat tempestas; si enim sit firma et valida, illi resistet; sin autem, fatiscet et desiliet: sic amici probandi sunt malorum incursu: ita ille. Vis amicitiam veram habere, in Christo eam stabilito. Ut enim ait S. Chrysost. hom. 61. in Matth. *Charitas, quæ Christi causa fundatur, firma, stabilis, atque invicta est: nec ulla obtrectatione, ullis periculis, non morte, non alia re temporali conquassatur.*

48. Vers. 22. Ab amicis desertus Christus, inimicorum furori magis patuit. Unde additur v. 22. ET DEDERUNT IN ESCAM (Tertullian. lib. contra Iudæos legit, *in potum*) MEAM FEL, ET IN SITI MEA POTAVERUNT ME ACETO. Ubi tria dicuntur. Primo, datum fuisse fel Christo in escam. Secundo, illum sitivisse. Tertio, in siti potatum fuisse aceto.

An bis potus datus Christo antequam crucifigeretur. Ac primo, cum Christus venisset ad montem Calvariæ sic dictum, quod ossibus et calvariis occisorum et decollatorum esset refertus, dum crux terebraretur et appararetur, tortores *dederunt ei*, ut ait Matth. 27. 34. *vinum bibere cum felle mistum.* Aut, sicut dicit Marcus cap. 15. 23. *dabant ei bibere myrrhatum vinum.* Ubi quæritur primo, an bis potus oblatus Christo fuerit ante crucifixionem? Salmeron tom. 10. tract. 35. censet, bis illi oblatum fuisse potum: hoc probat ob materiæ varietatem: et quod de vino myrrhato dicitur, quod dabant ei bibere myrrhatum vinum, et non accepit: de vino autem felli admisto dicitur: cum gustasset noluit bibere, quæ inter se valde diversa sunt. Verius tamen est, semel tantum ante crucem datum potum: ut mos servaretur, quo reis ad mortem damnatis vinum dabatur ad levandam sitim, oriri solitam in illis angoribus, et agitationibus mentis et corporis: deinde ad roborandas vires, animumque recreandum, ut maiori patientia supplicium perferrent. Hinc Prov. 31. 6. habetur: *Date siceram mærentibus* (Hebr. pereunti: id est ad mortem damnato, ut ait Arboreus; damnatis, ut Vatablus) *et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius.*

49. Christus quo felle potatus. Quæres secundo, an Christus vere et proprie fuerit fella potatus? Primo, Bellar. probabile putat escam istam fellis intelligendam esse spiritualiter, ut per escam fellis intelligatur amaritudo peccatorum quæ Christo in Passione ieiunanti loco cibi ingesta est. Sed hoc videtur omnino improbabile, cum fateatur potum aceti esse ad litteram accipiendum: ergo fel simpliciter etiam sumendum est.

I.

II. Secundo, Simon de Cassia lib. de passione existimat, Centaurion herbam, quæ fel terræ propter insitam amaritudinem a plerisque vocatur, ad augendam amaritudinem aceto permistam fuisse, ac Domino propinatam: quæ sordidius inventa fuit, quam fel ullius animalis quomodolibet trucidati. De illa herba vide Plin. lib. 25. cap. 6. et Dioscoridem lib. 3. cap. 6. etc. Sed fel absolute positum non significat herbam, sed liquorem biliosum qui est in animalibus. Deinde Christo non fuit oblatum acetum priusquam crucifigeretur. Quod enim Græcus textus apud Matthæum pro *vinum* habet οξος, id est, acetum, error est; οξος enim ponitur pro οινος, id est vinum, facili utriusque vocis mutatione. Aut certe, acetum ibi ponitur pro vino acescente et pene corrupto. Sic et nos vina aspera et gustui ingrata acetum vocamus. Et S. Augustinus in Psal. nostr. ait, acetum vinum vetus dici, id est vinum veterascens et deficiens.

Tertio, probabilius alii per fel intelligunt myrrham amarissimam vino permistam. Ita S. Cyrillus Ierosolym. catech. 13. Dederunt, inquit, illi vinum myrrha permistum. Myrrha autem fellis instar amara est. S. Marcus iuvat, qui vinum myrrhatum vocat illud ipsum quod Matthæus dixit vinum cum felle mistum. Beda enim vere dicit, Myrrhatum vinum amarissimum est. Dioscorides, Theophrastus et alii amaritiem myrrhæ attribuunt. Plin. ait, ex myrrha sola non confici unguentum, excepta stacte, quæ est prima myrrha gutta, ob nimiam amaritudinem. Non est itaque audiendus Baronius, qui tom. 1. Annal. putat, vinum myrrhatum fuisse aromaticum, tam sapore quam odore suavissimum: ita dictum, quod in vasis myrrhinis, admistis variis aromatibus condiretur: nec enim crudelitas Iudæorum obtulisset Christo tale vinum, nec a piis fœminis offerri permisisset. Ipse Baronius sententiam suam mutavit tom. 10. et cum cæteris opinatur, myrrhatum vinum esse amarum. Vasa porro myrrhina non fuerunt porcellanæ, ut putavit Cardanus: non vasa confecta ex murice concharum genere: non vasa fictilia: non confecta ex lacrymis, seu fructu myrrhæ: sed fuerunt vasa lapidea, ut constat ex Plinio lib. 37. natural. historiæ. Lege Gretserum lib. de vino myrrhato et murrinis, tract. de sancta cruce. III.

Quarto denique, simplicissime et maxime accommodate, fel in propria significatione sumendum est, id est humor flavus in corpore, in ima hepatis parte, in vesicula quadam contentus, quam cistulam fellis vocant, a medicis appellatur flava bilis. Deut. 32. 32. dicitur: *Vinea Sodomorum, vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ. Uva eorum, uva fellis et botri amarissimi: fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* Hoc sancti Patres Christo patienti attribuunt, cui Iudæi fuerunt fellei. Clare Sibylla apud Lactantium lib. 4. institut. cap. 48. *In escam fel, in sitim seu potum dederunt acetum: inhospitalitatis suæ hanc monstrabunt mensam.* Alia Sibylla Iudæam increpans dixit: *Tu insipiens tuum Deum non cognovisti ludentem humanis sub cogitationibus, sed spinis coronam nexuisti, φοβερων τεχολην εκερασσας, et fel horrendum miscuisti.* S. Hieron. Genebr. S. Chrysost. in Matth. Maior in Ioannem, et quidam alii, censent fel datum Christo in cruce, et mistum aceto illi tunc dato. Sed hoc gratis dicitur, cum in Evangelio non ponatur: sed dicatur vino fel admistum esse antequam crucifigeretur, quod vinum S. Augustinus nuncupat vinum fellitum. IV. Et optime.

Quæres, cur dicatur fel datum in escam, non vero in potum, cum Matthæus dicat, *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum?* Resp. primo, Tertullian. libr. contra Iudæos cap. 10. legit, in potum. Resp. secundo, quædam habere, escæ seu cibi, et potus rationem, ut lac, de quo tamquam de cibo loquitur Ezechiel cap. 34. v. 3. et Paulus, tamquam de potu: *Lac vobis potum dedi non escam.* 1. Cor. 3. 2. Idem de felle dici potest, præsertim admista myrra. Euthym. non improbabiliter opinatur, fragmenta fellis coniecta esse in vinum myrrhatum. Verba eius sunt: *Arbitror fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuisse: ut acetum quidem vini loco esset, illa vero fragmenta pro buccella panis; et præcipue sane potum dederunt, consecutive vero etiam cibum: his enim qui animo destituuntur, vinum præbere solemus, iniecto pane, ut primum bibentes postmodum etiam possint edere:* hæc ille. Sed fel non in acetum, sed in vinum est coniectum. 50. Cur fel in escam datum dicatur?

Secundo, de Christi siti agendum esset: sed vide dicta Ps. 61. 5. in illud: *Cucurri in siti: ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.* Salmeron tom. 10. tract.

44. septem affert rationes, cur Christus sitire voluerit.

51. An bis datum Christo acetum? Tertio denique, in siti sua Christus est aceto potatus: *In siti mea potaverunt me aceto*. Quæritur primo, an sæpius id fecerint? Primo, aliqui putant, datum fuisse acetum et ante crucifixionem, et in cruce. Ubi enim Matthæus habet cap. 27. 34. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum*, Arabs vertit, acetum cum myrrha. S. Chrysostom. Titus. Euth. et Syrus habent etiam, acetum. Sed S. Ambros. Hilar. Hieron. August. et alii latini Patres legunt vinum, de quo dixi supra, ubi egi de felle. Secundo, alii putant, in ipsa cruce bis acetum Christo porrectum fuisse: ita S. Cyrillus. Et probatur, quia S. Ioannes dicit acetum datum ipsi fuisse, quando dixit, *Sitio;* alii vero Evangelistæ aiunt illi propinatum fuisse, cum dixit: *Eli, Eli, lamma sabbacthani*. Ac Luc. 23. 36. videtur dicere, quod plures milites acetum illi porrexerint. Dicit enim: *Illudebant ei milites, et acetum offerentes ei, et dicentes: Si tu es rex Iudæorum salvum te fac*. Hæc sententia non est improbabilis. Probabilius tamen est, quod fere omnes dicunt, semel tantum illi oblatum fuisse acetum: cum enim bibere recusasset, frustra sæpius offerretur, deinde olii impediebant militem offerentem acetum, et dicebant: Sine videomus on Elias sit venturus od eum iuvandum. Præterea, statimque dixit *Eli, Eli*, etc. addidit, *Sitio*. Hinc unus Evangelisto unius vocis, olter alterius meminit.

52. Cur acetum illi datum? Quæritur secundo, cur acetum Christo datum? Nota, acetum fuit militum, qui eum crucifigebant, et aliorum qui crucifixum custodierunt, potus: non purum et merum, sed aqua mistum: nam milites acetum bibisse, non unus veterum docet. Spartianus in Pescennio: Iussit, inquit, vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto universos esse contentos. Cato Censorius, teste Plutarcho, aquam bibit in militia, excepto, quod vehementi aliquando siti acetum posceret. Vulcatius in Avidio: Vetitum militi, ait, præter laridum buccellatum, atque acetum in expeditione quidquam gustore. Persius, Pannosam fæcem morientis sorbet aceti. Quamobrem non militum modo hic potus, sed et ipsorum ducum. Ad quem morem allusit Plautus, cum de quodam: Hic rex, inquit, cum aceto pransurus est, et sale. Nec tamen solum acetum bibebant, sed aqua temperatum: quam potionem proprio nomine vocabant *poscam*, ut docet Lipsius. Suum igitur potum Christo sitienti obtulerunt milites, et forte non mistum aqua, ut moris erat: sed purum merumque acetum: ita Gretserus lib. de vino myrrhato et myrrhinis, cap. 15. His positis:

I. Ut sanguinem sisteret. Primo, Baronius opinatur, acetum Christo datum, ut sanguinem sistendo, et stomachum ac cætera membra cum hyssopo roborando, diutius et viveret et pateretur. Virtutem, ait, o naturo insitam esse aceto sistendi sanguinem, eamdemque hyssopo simul et spongiæ, pluribus in locis testatur Plinius, cuius est in primis locus egregius, od rem de quo agimus valde accommodatus, lib. 23. cap. 1. cum oit: *Acetum fasciculo hyssopi conditum sistendi sanguinis vim quamdam et efficaciam habere, sive spongiæ superponatur, sive ad potandum detur:* tribuit et Dioscorides lib. 5. cap. 14. eamdem aceto virtutem, cum ait: Acetum erumpentem undecumque sanguinem potu sistit. Sic igitur acetum iunctum hyssopo, maiorem inde hauriens efficaciam ad sistendum sanguinem ex clavorum vulneribus manantem, pendenti in cruce, spongia super arundinem affixa, solitum propinari, iure dici posse videtur: hæc quoad potum pertinet. Verum non tantum potu, sed eorumdem rerum applicatione et facto vulneribus admotione, eadem hæc ipsa præstari solebant. De spongia quidem cum loquitur Plin. lib. 31. cap. 11. hæc ait: Veteres spongia conglutinant vulnera. Et paulo post, Spongiis vulnera utilissime foventur. Ac rursum: Ipsæ inflammationibus vulnerum ponuntur nunc siccæ, nunc aceto conspersæ. Ac denique sanguinis profluvium sistunt ex aceto, vel frigida: his, quæ scribit Plinius, antiquus rei usus consentit: siquidem mos erat, ut gladiatori vulnerato ad siccandum fluentem sanguinem spongiam continuo ministrarent. Unde Tertullian. lib. de spectaculis, cap. 25. de his mentionem habens, hæc ait: Poterit et de misericordia moveri defixus in morsus ursorum, et spongias retiariorum. Idipsum et in marmoribus nobiliter sculptis vidimus, nimirum Adonidi ab Apro recenter vulnerato, continuo a ministro quopiam admotam spongiam, ac vulneri superpositam, ut fluentem cruorem sisteret. Habentur hæc in antiquo sarcophago, et historia egregie admodum effigiato, quod Romæ asservatur in ædibus I. V. Tiberii Cevoli. Sic igitur ex industria omnia potiora medicamenta, quæ sanguinem sisterent, o Iudæis parari solita, cum quis cruci offigeretur, satis superque demonstratum est: ita Baronius. Sed non videtur, quod milites voluerint producere vitam Christi, cum famescentes cito redire domum optarent, et nollent Iudæi remanere in cruce corpora sabbato, et ipsi iudices timerent tumultum. In cruce aliqui vivebant diu, ut biduum S. Andreas, triduum S. Victorinus, ut est in eius vita 5. Septembris, diebus novem, ut S. Timotheus et S. Maura, 3. Maii et alii, de quibus Euseb. lib. 8. hist. cap. 8. Seneca de vita beata, cap. 19. Iustinus lib. 22. Vide Lipsium lib. 2. de cruce cap. 12.

II. Ad accelerandam mortem. Secundo, Theophyl. Caiet. Iansen. Franciscus Lucas, Barrad. et alii, putant datum fuisse Christo acetum ad accelerandam mortem: nam aliquando diu vivebant in cruce, ut mox dixi. Acetum autem habet vim penetrandi, atque amaritiem suam et malignitatem omnibus membris communicandi, ac præsertim vulneribus et plagis, ut docent S. Hilarius, S. Chrysostomus, et Nonnus in cap. 19. Ioannis, Reuardus Luta, Toletus, Salmeron et alii. Probant aliqui, ex Plutarcho, qui in Antonio refert: Antonium, cum vulneratus esset postulasse vinum, citoque post expirasse: acetum autem videri habere eamdem vim penetrandi. Sed contra est, quia acetum spiritus reparat, et vires oddit ægris, et iis, qui animi deliquium patiuntur, vulneribus inditum medetur, et venenatis serpentium, aliorumque animalium ictibus sanandis salutare est. Deinde, parum aceti erat in spongia: ideo, tantam vim accelerandi mortem, non habuisset.

III. Et vel ut ipsi illuderent, et eum torquerent. Tertio itaque, acetum obtulerunt milites Christo, ut ei illuderent, sicut expresse habet Luc. 23. 36. Deinde, ut eum torquerent amaro potu, et sitim potius augerent quam minuerent: quia acetum desiccat. Unde sitim auget, licet initio videatur illam sedare.

53. Quomodo acetum datum Christo? Quæritur tertio, quo modo acetum datum Christo? Resp. modum assignat S. Ioannes cap. 19. 29. ubi ait: *Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est*. S. Matth. cap. 27. 48. et S. Marcus cap. 15. 36. dicunt, spongiam impositam seu circumpositam καλάμῳ, id est arundini, ut Matthæi interpres exponit, nomen calami retinuit interpres Marci.

I. Modus. Primo, Baronius putat acetum hyssopo fuisse permistum atque conditum: sicque ex aceto et hyssopo spongiam fuisse imbutam, atque arundini affixam, ad potum Domino propinandum. Porro medicamentum illud sic compositum, non potus causa fuisse præcipue institutum; sed magis, ut eo infusa spongia recentibus admota vulneribus, fluentem largiter sanguinem continuo sisteret. Est et eius rei coniectura non levis, quia (ut dicit se accepisse ab iis, qui eam viderant) spongia qua potatus est Dominus Iesus Christus, quæ usque hodie summo honore asservatur Romæ in Basilica Lateranensi, quasi aliquando sanguine tincta fuisset, ruborem quemdam adhuc retinet, quem semel imbibisset: sicque putat, madidam prius sanguine spongiam, atque pressam, aceto postea et hyssopo superinfusam, per summum scelus sacratissimo ori Domini fuisse odmotam. Sed si hyssopus ponitur pro hyssopi succo, quomodo S. Ioannes dixit, spongiam hyssopo fuisse circumpositam.

II. Secundo, Caietanus censet, spongiam fuisse ligotam

calamo, nexu herbæ hyssopi, tamquam vinculo quodam: sic *hyssopo* circumponere, est cum hyssopo id facere. Sed ad illos nexus non est apta hyssopus, et aliter commodius exponi potest, ut infra mox dicetur.

III. Tertio, Suarez 3. p. tom. 2. disp. 36. sect. 3. censet, in summitate arundinis factum esse ex herba hyssopi receptaculum quoddam et veluti canistrum, in quo facile posset immitti ac sustineri spongia. Hac ratione propriissime intelligitur, simul fuisse spongiam impositam et calamo et hyssopo. Qui modus fit etiam verisimilis ex eo, quod accommodatior erat, ut facile posset spongia poni in summitate calami, absque alio vinculo et nexu: ita Suarez. Sed hoc receptaculum et canistrum non poterat tam cito fieri a milite currente, ut daret acetum clamanti se sitire: deinde cur qui facit mentionem calami et arundinis, non meminit hyssopi: et qui hyssopi mentionem facit, non meminit calami et arundinis; nisi quia unum et idem erant hyssopus, calamus, et arundo.

IV. Et optime. Quarto itaque dico, κάλαμον non significare tantum arundinem, sed etiam culmum sive surculum cuiusvis seminis et herbæ. Unde vocatur calamus seu culmus tritici, avenæ, hordei, hyssopi. Hinc S. Ioannes cap. 19. 29. hunc calamum fuisse hyssopi asserit dicens: *Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes*, ubi idem est verbum Græcum περιθέντες, quod hic interpres vertit, *imposuit*. Unde Syr. Ioannis cap. 19. vertit: *Impleverunt aceto, et posuerunt super hyssopum*. Et Arabicus: *Et impleverunt spongiam aceto, et imposuerunt super arundinem*. Ergo arundo sive calamus, quo porrexerunt Christo spongiam aceti, fuit ipsa hyssopus. Crux enim non erat alta: hinc calamo exiguo poterat ab homine, brachiis extensis spongia admoveri ori Christi. Et in Palæstina hyssopus hortensis altius quam in Europa excrescit. Hortensis dico: nam in parietibus, utpote siccis, humilis est, ut patet 3. Reg. 4. 33. Quin et de vulgari et nostrate hyssopo sic scribit Dodonæus lib. 4. de stirpibus, cap. 19. in Pemptade 1. *Hyssopus*, inquit, *caules erigit dodrantales aut altiores, duros ac lignosos, in virgulas aliquot divisos, ab imo ad fastigium usque foliis circumvestitos oblongis veluti polygoni aut lavendulæ*. Addit Clusius, hyssopos reperiri sesquipedales: harum summitas in brachiis hominis extensis attingere potest os crucifixi. Unde calamum cui imposita fuit spongia aceti, ut ori Christi admoveretur, ut aiunt Matthæus, et Marcus, non fuisse alium quam hyssopum, ut explicat Ioannes, censent Euthym. S. Chrysost. Theophylact. Lyran. S. Thomas, Titelman. Dionys. Carthus. Barrad. et alii: ita Cornelius, qui varias rationes affert, cur hyssopus fuerit adhibita. Vide a me dicta de hyssopo Ps. 50. 9. Ex his patet, reiiciendos esse, qui pro ὑσσώπῳ legi volunt ὑσσῷ, id est pilo seu hasta: nam repugnant omnes codices. In nostra opinione videtur fuisse Magnetes vetustissimus scriptor Ecclesiasticus, lib. 2. et 5. contra Theosthenem Gentilem, Evangeliorum discrepantiam et alia nobis falso in Evangelio obiicientem, ubi ita scribit: *Pro eo, quod unus Evangelista dixit, calamo spongiam circumponentes, dixisse alium, propter similitudinem arbusti, hyssopo circumponentes, cum dicendum, inquit, esset calamo. Item quod unus Evangelista dixit, vinum, rursus dictum esse acetum in cruce (ex eodem enim vase posito hauserunt, cum perventum est ad Calvariam, et in cruce) præsertim, inquit, cum legem historiæ Evangelistæ servarent: nihilque ultra scriberent, quam quod tunc dicebatur in illo tumultu ac furore. Sic enim existimarunt fore, ut historia omni suspicione careret, si littera historiæ non curiosa, sed simplex reperiretur*: ita Magnetes, qui hyssopum pro calamo seu arundine poni putat a S. Ioanne. In eo autem, quod ait, ex eodem vase potum sumptum fuisse, tum ante crucifixionem, tum in cruce, illi non assentior: et id patet ex dictis.

54. Mortificatio est amanda, cum Christi... Moral. Nota primo, Christus felle et aceto potari voluit et cibari, ut discamus mortificationem gulæ. In vita quidem S. Pachomii scripta a Simeone Metaphraste die 14. Maii, refertur, quod Palæmon miræ sanctitatis vir, cum in die Paschatis iussisset S. Pachomio discipulo suo apparare cibum festo tanto congruentem: illeque agrestia olera, quibus vesci solebat apparasset, illisque oleum cum sale præter morem, condimenti vice iniecisset, Palemon frontem pulsans, cum lacrymis dixit: *Dominus meus fuit crucifixus, contumeliis affectus, colaphis appetitus, felle et aceto potatus, et ego oleum comedam?* Quare illud gustare noluit, solitumque olerum cibum sibi apponi iussit. (...sius sit felle et aceto potatus.) Vide S. Hieron. lib. 2. contra Iovinian. ubi multa habet de abstinentia, Plutarch. lib. 2. de esu carnium, Laertium, qui mira refert de abstinentia Pythagoræ, Antisthenis et Diogenis. Plinius dicebat, vinum esse cicutam hominis. Secundo itaque nota, fel et venenum etiam vinis myrrhatis, quæ quidam suavissima fuisse putant, esse admista: ideo fortasse Christus illud poculum sibi oblatum non accepit Prov. 23. 31. *Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet*. S. Ambr. lib. de Elia et Ieiunio, cap. 16. Ebrietas, inquit, fomentum libidinis, incentivum insaniæ, *venenum sapientiæ*. Et c. 14. Quis tale miscuit furoris poculum, quis tantum infudit mentibus venenum? Et infra subdit: Merito Deus per Mosem, non solum veneno, sed etiam *veneno draconum* vinum comparavit, dicens, Deuteron. 32. 33. *Furor draconum vinum eorum, et ira aspidum insanabilis*. Et pulchre additur, insanabilis: multi enim a reliquorum serpentum veneno curantur, nemo ab ebrietate: certe veneno caro vulneratur: vino, mens. Salmeron tract. 35. tom. 10. ait, in mandatis Hebræorum contineri, ut damnatis ad mortem daretur thuris et myrrhæ granum, ut surriperetur eis usus rationis, quatenus semiebrii ex spumis myrrhæ et vini minus dolorem sentirent: ita enim habes inter precepta affirmativa, Num. 98. Hic mos ab Ægyptiis ad filios Israel cum eis diu versatos pervenisse dicitur: quia ut tradit Eusebius Cæsariensis ex Homero Helena potionem dedit Telemacho apud Menelaum hospitem: quo factum est, ut calamitatum suarum oblivisceretur. Et tradit Poeta Helenam hoc accepisse a Polymnestre quadam Tanais regis Ægypti uxore. Nullo lenimento Christus voluit passionis suæ acerbitatem minuere. Hinc myrrhatum vinum non gustavit, acetum gustavit. Plin. dicit lib. 14. cap. 13. *Lautissima apud priscos vina erant myrrhæ odore condita*. Alii pro *myrrha* legunt *myri*, id est unguenti, seu aromatis, odore condita: nam myrrha est amara, ut dixi. Si myrrhatum vinum suave fuisse opinaris, adhuc magis patebit Christi mortificatio. Tertio denique, considera ingratitudinem hominum, 55. Deus cibos dat sanctis.

fel et acetum Deo suo offerentium, a quo suavissima quotidie accipiunt. Iudæi in deserto per 40. annos acceperunt manna, cibum omne delectamentum in se habentem. Sap. 16. 20. Nutriti erant per annos 1503. in terra fluente lacte et melle. Totidem enim interfuerant a primo ingressu Iosue in eam, usque ad passionem Christi. Eliam per corvum nutrit in torrente Carith, 3. Reg. 17. 4. per viduam in Sarephta urbe, ibidem 10. per angelum in via ad montem Oreb, cap. 19. 5. Danieli in lacu leonum mittit cibos per Prophetam Habacuc eo portatos ab angelo, Dan. 14. 33. S. Erasmo Episcopo persecutionem Diocletiani fugienti corvum mittit, qui panem præbeat. S. Blasio Episcopo Sebastæ alias aves destinat, a quibus nutriatur. S. Ægidio ad hostia Rhodani vitam eremiticam agenti cervam donat, cuius lacte alatur, ut tradit Ribadeneira 1. Sept. Samsoni favum mellis obtulit in ore leonis, fontem expressit ex asini mandibula, Iudicum 14. et 15. S. Mennæ eremitæ datur mel ab apibus. Homo autem quid dat Deo? Audi S. Cyrill. Ierosol. Catech. 13. *Qui*, ait, *educebat ipsis ex rupe aquas, en petit a vinea, quam plantavit fructus. Sed quid vinea? quæ secundum naturam quidem erat ex sanctis Patribus: secundum voluntatem autem, ex Sodomis. Vinea enim eorum ex Sodomis, et sarmentum eorum ex Gomorrha, sitienti Domino, spongia medefacta, et imposita arundini, porrigit acetum*. Et paulo post subdit: *Præcantavit in Canticis, cap. 5. 1. De hoc horto ad suam*

sponsam, dicens ad illam: Ingressus sum in hortum meum, soror mea sponsa. Erat autem, ubi crucifixus est, hortus. Et quid accipis illic? Messui myrrham meam, vinum myrrhatum bibens, et acetum. Dicebat Christus Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Et Ioann. 7. 37. *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Homo autem dat illi amaritudinem, et res vilissimas atque corruptas, cum in pauperibus suis indiget.

56. Fel Christo dat, qui non alacriter illi servit.

Symbolice, dat fel Christo, qui fellito et amaro corde opera sua bona facit: non vero, cum alacritate et suavitate, atque vera synceraque charitate. Ita Ugo Card. *Dederunt*, inquit, *in escam meam fel: id est, cum cordis et vultus amaritudine dederunt illum cibum, quem pauperibus dabant. Sed hilarem datorem diligit Deus*, 2. Cor. 9. 7. *Et illud: super omnia vultus accessere boni. Et bene dicit: In escam meam, quasi non in escam alienam hoc fecerunt: quia illud quod dant divitibus, et histrionibus cum magna hilaritate dant. Eccl. 35. 11. In omni dato hilarem fac vultum tuum. Et in siti mea potaverunt me aceto: quia ad litteram vinum corruptum quod iam bibi non potest, dant pauperibus: sed histriones et meretrices bibunt bonum vinum. Non servant illud quod dicitur Proverb. 3. 9. Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum da pauperibus.*

II. Qui odit proximum, et communicat.

Secundo, fel Christo offerunt, qui odio prosequentes proximum suum accedunt ad altare. Fel enim est odium. Hebr. 12. 15. *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.* Præcipit Christus Matth. 5. 23. *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Lege vitam S. Ioann. Eleemosynarii cap. 13. 14. et 16. ac S. Gregorium lib. 4. dialog. cap. 60.

III. Hæretici.

Tertio, fel Christo dant in escam, qui Evangelio, ac præsertim Eucharistiæ Sacramento, contradicunt. *Dederunt*, inquit S. August. *in escam meam fel: non ipsum quod dederunt, esca erat: potus enim erat, sed in escam dederunt. Quid? Iam Dominus escam acceperat, et in ipsam iniectum est fel. Acceperat autem ipse escam suavem, quando pascha manducavit cum discipulis suis. Ibi sacramentum sui corporis demonstravit. In hanc escam tam suavem, tam dulcem unitatis Christi, quam commendavit Apostolus dicens, 1. Cor. 10. 17. Quia unus panis, unum corpus multi sumus: in hanc escam suavem, quis est, qui dat fel, nisi contradictores Evangelii, tamquam illi persecutores Christi? Minus enim peccaverunt Iudæi crucifigentes in terra ambulantem, quam qui contemnunt in cælo sedentem. Quod ergo fecerunt Iudæi, ut in escam, quam iam acceperat, darent bibendum amarum illum potum, hoc faciunt, qui male vivendo scandalum inferunt Ecclesiæ. Hoc faciunt hæretici amaricantes, sed non exaltentur in semetipsis. Dant fel super tam iucundum cibum. Sed quid facit Dominus? Non admittit ad corpus suum. Hoc sacramento ipse Dominus quando illi obtulerunt fel gustavit, et noluit bibere. Si non eos pateremur, nec omnino gustaremus. Quia vero necesse est eos pati, necesse est gustari. Sed quia in membris Christi tales esse non possunt, gustari possunt, recipi in corpus non possunt.* Hæc Augustinus pie et sub-A tiliter: sed non dicitur in Evangelio, quod Christus vinum cum felle mistum gustaverit, sed acetum.

IV. Peccatores omnes.

Quarto denique, fel Christo offert omnis peccator, qui præsertim cum mala conscientia escam Eucharistiæ percipit. Deuter. 29. 18. ait Moses populo Israel: *Ne forte sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem.* Pagn. vertit, venenum et absynthium: ad rem præsentem est expositio R. Onkelos in Targum, id est Chaldaica paraphrasi: *Ne sit inter vos cogitans peccata et superbiam.* S. Petrus dicebat Actor. 8. Simoni Mago petenti emere potestatem faciendi miracula: *In felle amaritudinis*, hoc est in felle amarissimo, *et in obligatione iniquitatis video te esse.* Fel illud, alii dicunt esse iram et invidiam, alii hypocrysim, alii simoniam, alii quodlibet peccatum. Nam primo, peccatum occidit animam, Ezech. 18. 20. Secundo, amarum est et Deo, et peccatori, quem Deus felle, id est amaritudine potat. Ierem. 23. 15. *Cibabo eos absynthio, et potabo eos felle.* Tertio denique, execrabile et invisum est Deo; ei enim odio est impius, et impietas eius.

57. Aceto potant Christum. I. Iudæi.

B Acetum quoque dant Deo Primo Iudæi. Secundo, hæretici. Tertio, mali catholici.

Ac primo, Sedulius lib. 4. de opere paschali ait, acetum esse Iudæos: quia ob peccata sua reiecti sunt a Deo: cui antea, sicut vinum suave, erant accepti: sicut vinum acescens abiicitur, cum prius amaretur. S. Aug. in Ioan. cap. 19. 29. *Date, quod estis Iudæi: quippe erant acetum degenerantes a vino Patriarcharum et Prophetarum, et tamquam vas plenum aceto habentes: scilicet, cor plenum iniquitate, et velut spongiam cavernosis et tortuosis latibulis fraudulentum.*

II. Hæretici.

Secundo, acetum dant hæretici, scripturæ, et scientiæ divinæ suavem odorem corrumpentes. Origenes in Matthæum: *Forsitan*, ait, *quanticumque secundum doctrinam quidem Ecclesiasticam sapiunt, vivunt autem male, dant ei vinum bibere felle permistum: qui autem alienas a veritate sapientias applicant Christo, quasi eo ea dicenti, hi spongiam implentes aceto imponunt calamo, et potant eum.*

III. Mali Christiani.

Tertio denique, omnis peccator dat acetum Christo. C Nam, ut ait S. Hilar. canon. 33. in Matth. *Vinum, et honor est immortalitatis et virtus: quod per vitium aut incuriæ aut vasis coacescit. Hoc igitur cum in Adam coacuisset, ipse accepit et potavit ex gentibus. In calamo enim ex spongia ut potaret, offertur: id est, ex corporibus, gentium vitia corruptæ æternitatis accepit, et in se atque immortalitatis communione ea, quæ in nobis erant vitiata transfudit.* Si acetum factus es, ne despera, vinum per gratiam Dei fieri potes. Plin. lib. 14. cap. 18. Vina, inquit, in apothecis Canis ortu mutantur quædam, posteaque restituuntur sibi: hæc ipse. Idem sæpe fit, cum navigantes transeunt lineam æquinoctialem: tunc enim pleraque vina mutantur, sed postea ad bonitatem pristinam redeunt. Plin. lib. 14. cap. 4. *Durant adhuc vina ducentis fere annis, iam in speciem redacta mellis asperi: etenim hæc natura vinis in vetustate est: nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque ad amaritudinem carie indomitæ.* Qui in virtute usque ad senectutem persistunt, sunt dulciores super mel et favum, sicut Moses mansuetissimus virorum, qui ducatum suum incœpit anno ætatis D suæ octogesimo, et in eo duravit annis quadraginta.

SECTIO TERTIA.

58. *Tria proponit. Primo, crucifigentium et irridentium Christum punitionem in bonis corporis, vers. 23. Secundo, punitionem in bonis fortunæ, v. 26. Tertio, punitionem in bonis animi, v. 28.*

PARAPHRASIS.

23. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.*

23. Cum me felle et aceto potaverint, ipsi quoque fame et siti adeo urgeantur, ut inde in hostium laqueum manusque incidant, atque ob suam in me crudelitatem puniantur, et corruant: idque illis eveniat, cum ad paschale festum et epulum omni ex parte confluxerint.

*

24. *Obscurentur oculi eorum ne videant: et dorsum eorum semper incurva.*

24. Capti ab hostibus excæcentur in derisum et contumeliam, atque vilium instar animalium ad onera destinati fustibus contundantur, et in perpetua captivitate degant.

25. *Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ comprehendat eos.*

25. In scelerata capita fulmen decute; tantisque eos flagellis concide, ut totam iram effundas: tormentis ita illos circumda, ut omni ex parte conclusi locum effugii non reperiant.

26. *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.*

26. Urbs eorum exscindatur, neque cives ullos reliquos habeat: domus ipsæ solo æquentur, neque liceat per principes ac reges illis dominantes eas reparare.

27. *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

27. Pœnas illas meretur eorum barbaries, quia mihi ob peccata hominum patienti iniurii extiterunt, omnisque expertes pietatis iacenti insultarunt. Novis me doloribus cumularunt, et inaudita supplicia excogitarunt, quibus afflictum me attererent.

28. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: et non intrent in iustitiam tuam.*

28. Patere illos in scelerum præcipitia ita delabi, ut ex uno in aliud corruant: nec illis unquam gratiæ tuæ et iustitiæ thesauri pateant, quibus ditentur, et cælo digni evadant.

29. *Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur.*

29. Cum in eam usque diem inter electos tuos annumerati sint, velut Abrahæ filii: nunc ob tantum scelus, ex libro vitæ et prædestinatione divina expungantur, neque in salvandorum numerum referantur.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTA IUDÆORUM PUNITIO, OB NECEM CHRISTO ILLATAM.

59. Ordo Sectionis. **P**RIMA Sectione dolores Christi patientis vidimus: in secunda, orationem eius, liberationem petentis contemplati sumus. Nunc in hac tertia, declarat punitionem hostium suorum in corpore, divitiis, et animo.

Ac primo, in corpore, Primo, eorum ore amarissimis cibis cruciato, v. 23. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.* Secundo, oculis obtenebratis, v. 24. *Obscurentur oculi eorum ne videant.* Tertio, dorso flagellato: *Et dorsum eorum semper incurva.* Quarto, capite fulmine percusso, v. 25. *Effunde super eos iram tuam.* Quinto, corpore toto vinculis hostilibus ligato: *Et furor iræ tuæ comprehendat eos.*

Secundo, in bonis fortunæ. Primo, civitate Ierusalem excisa, v. 26. *Fiat habitatio eorum deserta.* Secundo, domibus singulorum eversis: *Et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* Rationem affert tanti excidii, vers. 27. *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Nisi malis hunc versum ad sequentia referre, quibus aptius congruit. Sed parum refert.

Tertio denique, in bonis animi: Primo, permittendo, ut in graviora semper peccata corruant, v. 28. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Secundo, gratiam illis subtrahendo: *Et non intrent in iustitiam tuam.* Tertio, e libro vitæ eos eradendo, v. 29. *Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur.*

ARTICULUS I.

Punitio Iudæorum in bonis corporis et fortunæ.

60. Vers. 23 Mensa Iudæorum intelligitur hic: I. Scriptura. **P**RO tot inflictis sibi pœnis imprecatur hostibus suis, aut potius prædicit eventura illis mala. Ac primo ait, vers. 23. FIAT MENSA EORUM CORAM IPSIS IN LAQUEUM, ET IN RETRIBUTIONES, ET IN SCANDALUM. S. Hier. et in retributiones ad corruendum. Pagn. et in retributiones, in offendiculum.

Quæres, quænam mensa? Primo, Bellarminus de Scriptura exponit, in hunc modum. Per mensam, ait, intelligunt Patres lectionem Scripturarum, unde pascuntur animæ fidelium veritate divina. Vocat autem mensam, ut opponat escæ fellis, q. d. Illi mihi dederunt fel in escam, tu facies ut eorum mensa et esca vertatur in laqueum; hæc mensa coram Iudæis est, quia assidue legunt Mosem et Prophetas: sed facta est illis in laqueum: quia perperam intelligentes capiuntur laqueo infidelitatis, et illa

A ipsa Scriptura, quæ fideliter considerata poterat eis salutem afferre, affert eis perditionem, quia detinet illos incredulitate. Eadem facta est illis in retributiones, quia quod mensa Scripturarum versa sit illis in laqueum, permisit Deus, ut retribueret illis quod merebantur. Nam iustum est, ut qui lucem aspicere noluerunt, in tenebris maneant. Facta quoque est illis in scandalum, quia lapidem angularem a Deo missum non agnoverunt, sed in eum potius impegerunt et offenderunt, unde factus est illis lapis offensionis, et petra scandali, Isa. 8. et Rom. 11. *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva.* Hæc est radix malorum supradictorum: quia permittente Deo depravatus est intellectus, et affectus eorum. Obscurati sunt oculi eorum interiores, imo velamen est super cor eorum, teste Paulo 2. Cor. 3. Imo excæcati sunt, ut dicitur Isa. 6. Matth. 13. Ioan. 12. et Rom. 11. *Depravatus quoque est eorum affectus, ut nihil appetant nisi terrena:* quod significat illud, *Dorsum eorum semper incurva:* id est, te permittente, ac per hoc puniente eorum

B ingratitudinem, semper curvi incedent, ut nihil nisi terram aspiciant: ita Bellarmin. Didymus mensam hanc vocat, θεόπνευστον γραφὴν, divinitus inspiratam Scripturam: de ea etiam explicant Euseb. Euthym. Origen. S. Hilar. S. Hieron. Ugo Cardin. et alii. Vera hæc sunt, sed mystica, non litteralia.

Secundo, S. Chrysostomus sumit de mensa, in qua Iudæi celebrabant sua sacrificia. Altare enim holocaustorum erat mensa Dei, ubi proponebantur carnes ad cibum, libamen vini et olei ad potum et recreationem, thus ad bonos odores. In mensa panum propositionis, erant panes, et prope eam candelabrum; in altari aureo erant suffitus aromatici, ut ad perfectum et iucundum convivium nihil deesset. Sale quoque omnis victima saliebatur. Genebr. vertit, Et paces sint in scandalum et ruinam. Paces, id est pacifica sacrificia. II. Altare holocaustorum.

Tertio, Ugo Cardinalis et Tirinus mensam illam intelligunt, quam Iudæi apposuerunt Christo, dantes ei fel et acetum, q. d. Mensa hæc eorum, instructa felle et aceto III. Potus Christo datus.

C quam mihi Messiæ suo apposuerunt Iudæi, fiat vicissim coram ipsis: id est, etiam ipsis sternatur, et quidem in laqueum, id est in exitium ipsis: et in retributiones eorum, quæ sua impietate et crudelitate iuste promeriti sunt: et in scandalum, seu in offendiculum et ruinam. Itaque mensam sumunt pro esca. Est metonymia. Chald. vertit: Mensa eorum quam paraverunt in luctu meo coram me, sit coram eis in laqueum, et sacrificia eorum in scandalum. IV. Denique, omnis recreatio ipsorum.

Quarto denique, et optime, mensa est omnis eorum delectatio et recreatio, ac speciatim celebritas atque festivitas Agni paschalis, ad quam ex omnibus orbis partibus de more confluxerant Iudæi, cum a Tito conclusi sunt. Et ipsa die Azymorum, in qua incipiebant festa Paschalia a Ioanne immissis clanculum suis militibus, armatis in tem- Ac præsertim, festivitas et mensa paschalis.

plum, quotquot ibi reperti sunt Zelotæ, omnes ad unum interfecti sunt. Cibi etiam cupiditas in summa fame causa necis fuit plurimis, qui crucibus appendi malebant, quam lenta fama tabescere. Quingenti aliquando per dies singulos hoc supplicii genere afficiebantur, ita ut iam crucibus locus deesset, atque corporibus cruces. Quidam, qui crucem vitaverant, a Syris et Arabibus occisi, visceribus eorum scrutatis ad aurum inveniendum, unaque nocte ad duo millia eo modo interfecta: sed Titus gravi edicto id vetuit. Custos unius portæ Maunæus Lazari filius transgressus ad Titum testatus est, per eam portam sibi creditam elata fuisse a decima quarta mensis Aprilis, qua cœpit obsidio, usque ad Kalendas Iulii, cadaverum centum quindecim millia, et octoginta, absque illis quæ propinqui sepelissent. Post hæc nobiliores profugi, mortuorum egenorum sexcenta millia portis eiecta nuntiabant, aliorum vero numerum minime potuisse comprehendi: nam cum non sufficerent pauperibus efferendis, congesta dicebant in maximis ædibus cadavera esse inclusa. Cum autem populum tanta invasisset fames, ut nec essent herbæ, quibus vesci possent: ex stabulo fimum quærebant in cibum, collectoque stercore vescebantur. Sed ea magis in dies invalescente, illos nec ab humanis carnibus temperasse Iosephus ait lib. 7. de bello Iudaico, cap. 6. Iam enim calceamentis cingulisque, ac insuper coriis, quibus scuta tegebantur, detractis, et insumptis, veterisque fœni laceramentis magno pretio venditis: quæ his careret, eo immanitatis adacta est, fame improba compellente, nobilis ac prædives mulier, Maria nomine, filia Eleazari, a seditiosis iam exuta vitæ substantiis, ut, quo sibi consuleret, fame rabida impulsa, lactentem filium occiderit, quem comestura mox coxit: cuius nidoris odore illecti milites, qui sibi victum, quacumque possent, raptu quærebant, cum eius pervasissent domum, partem assati filii, quæ supererat, intuiti, detestati facinus, abiere: moxque repleta est eius sceleris fama tota civitas; et unusquisque, ut ait idem auctor cap. 8. ante oculos sibi cladem illam proponens, tanquam hoc ipse admisisset, horrescebat: hæc Iosephus. Nonne in his vides mensam eorum fuisse in laqueum, et in retributiones, et in scandalum.

Mater fame pressa filium vorat.

61. Tropol.

Tropol. Mensa diviti epuloni fit in laqueum peccati, quia conscientia eum remordet, et quidem coram ipso: quia scienter peccat, male acquirendo divitias, ut laute vivat: fit etiam in retributionem bonorum, quia recipit bona in vita sua: denique fit in scandalum proximi. Secundo, mercatoribus fit mensa eorum in laqueum: id est, in deceptionem aliorum, quia ibi faciunt dolos, et ad hoc invitant alios ad comedendum secum, ut super mensam cum fuerint inebriati, circumveniant eos in emptione et venditione. Epicuris fit in retributionem, quia ad hoc invitant alios, ut ab ipsis reinvitentur. Contra id quod dicit Dominus Luc. 14. 12. *Ebriosis autem fit in scandalum*, id est in rixam et contentionem: vel etiam in scandalum, id est, in casum, quia stare non possunt, vel ad domum redire præ ebrietate. Tertio, mensa sacræ Scripturæ fit in scandalum iis, qui non faciunt quæ dicunt: item fit in retributionem iis, qui hoc fine addiscunt ut sciant, vel sciantur. Eccl. 51. 30. *Dominus dedit mihi linguam mercedem meam.* Denique fit in scandalum iis, qui nolunt recipere sanam doctrinam. Ioan. 6. *Multi audientes ex discipulis dixerunt: durus est hic sermo, quis potest eum audire.* Et dixit eis Iesus: *Hoc vos scandalizat.* 2. Timoth. 4. 3. *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt*, etc. Quarto, mensa altaris fit multis sacerdotibus, et aliis indigna sumentibus, in laqueum peccati. 1. Cor. 11. *Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat, et bibit.* Fit in retributionem pœnæ, ibid. *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles: et dormiunt multi.* Fit etiam in scandalum proximorum, qui scandalizantur ob immunditiam sacerdotum. Isaiæ 52. 5. *Dominatores populi inique agunt, dicit Dominus, et iugiter tota die nomen meum blasphematur.* Quinto denique, mensa nummulariorum et usurariorum fit eis in laqueum, per dolum: et in retributionem, per usuram: et in scandalum per exactionem: ita Ugo. Pro *in laqueum*, S. Augustin. vertit, *in muscipulam:* esca est causa, cur mures capiantur et feræ.

Quæres secundo, quomodo obscurati sunt oculi Iudæorum? Primo, Bellarminus, Lorinus, ac plurimi alii hoc interpretantur de cæcitate eorum spirituali, ob quam Christum non cognoverunt, nec ea quæ de illo dicebantur in Scripturis. Ab Isaia cap. 42. 19. vocantur surdi et cæci. David Psalm. 16. 11. de illis ait: *Oculos suos statuerunt declinare in terram*, velut talpæ scilicet. S. Paulus 2. Cor. 3. 15. dicit adhuc *velamen esse positum super cor eorum.* Hæc eorum cæcitas multis symbolis exponi potest. Primo, veli coniecti super faciem Mosis, Exod. 34. 33. Secundo, columnæ nebulosæ populum Iudaicum deducentis per desertum, Exod. 13. 21. Illam considerans S. Zeno serm. 2. de Exodo: *Columna nubis*, ait, *te perduxit per diem, ut offenderet cæcum: ignis columna per noctem, ut admoneret arsurum:* ita ille. In ea columna tectus loquebatur angelus, Ps. 98. 7. *In columna nubis loquebatur ad eos.* Cum lex data est, populus audivit illum angelum præcepta proclamantem, sed illum non vidit, Exod. 20. 18. Die qua erectum est tabernaculum Mosaicum, operuit illud nubes, Num. 9. 15. Tertio, templo Salomonis perfecto, intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum, subter alas Cherubim. Factum est autem, cum exissent sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini, et non poterant sacerdotes stare et ministrare propter nebulam. Quarto, Isaias vidit in templo Salomonis, ut vult Pradus, Seraphim Deum laudantes, et domus repleta est fumo, Isaiæ 6. 4. Hoc contemplans S. Hieron. ait: Quam pulcher ordo verborum: postquam terra repleta est gloria Domini Sabaoth, Iudæorum templum impletum est ignorantiæ tenebris, et caligine, et fumo, qui noxius est oculis: ita ipse. Post Christi adventum magis patuit cæcitas Iudæorum, cum tamen tota terra repleta sit gloria Dei. S. Clem. Papa lib. 5. Constitut. Apost. cap. 15. Cæcitate affecti sunt, ait, δια την κακονοιαν αυτων, propter malum animum suum: qui, cum Iesum viderent, non crediderunt esse eum Christum Dei, ex ipso natum ante omnia sæcula, unigenitum filium, Verbum Deum.

62. Cæcitatis Iudæorum symbola.

Secundo et melius, *obscurentur*, S. Hieron. tenebrentur, *oculi eorum*, id est, tanta sit eorum afflictio, cum obsidebuntur a Iudæis, et in illo Paschali festo captos se et in laqueum inductos a Romanis cernent: ac præsertim, cum occupata civitate necem et captivitatem timebunt: ut eos lux deficiat, et caligent ac cæspitent in meridie. Sic Isaiæ 59. 10. dicitur: *Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.* Prædicit vastitatem tum per Chaldæos, tum per Romanos eventuram Ierosolymæ. Pavore enim, spiritus animales et vitales ad cor properant, ac partes ab eo remotiores destituunt: unde genua tremunt, manus frigescunt, lingua hæsitat, oculi hebetantur. Sic Amos prædicens Israelitis cladem ab Assyriis, dicit cap. 8. 9. *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.*

Sensus huius loci optimus.

Moral. nota, hæc vita plena est tenebris; unde S. Ioannes cap. 1. 5. hunc mundum et homines vocat tenebras. Quidam iure dixit, νυξ εστιν ο βιος ουτος και ονειρος; Nox est hæc vita et somnium. Secundo, homines se vitiis excæcant, ut Sodomitæ, Genes. 19. 11. S. Chrysost. homil. 9. in 2. ad Timotheum: *Nemo, ait, qui seipsum sæculi negotiis inquinat, intendere aciem valebit in liquidissimum iustitiæ solem: nulli ex his lucis suæ largitur gratiam, qui in hisce versantur. Resipisce parumper ex huiusmodi profundo, et ex sæculi turbine et tempestate te recipe, si solem intueri cupis, si superni adventus gratiam appetis.* Tertio, humana imbecillitas etiam in sanctissimis cæcutit. S. Dion. Areop. epist. 5. ad Dorotheum, ο θειος γνοφος εστιν, inquit, το απροσιτον φως; Divina caligo est lux, ad quam non patet aditus, in qua Deus habitare dicitur: quæ quidem nec cerni potest, præ excellenti claritate: nec adiri eadem,

63. Vita nostra est tenebrosa.

Mentem illuminat Dei gratia et virtus.

propter singularem divini luminis effusionem. Quarto, oculos illuminat Dei gratia et fides in Christum Salvatorem. Hinc Gregentius Archiep. Tephrensis Herbano Iudæo non credenti ait disputatione contra ipsum pag. 261. Qui noctis caligine et tenebris detinetur ac desidet, nullo modo potest ea cernere, quæ in aere volitant. Et qui mutilos ac læsos habet oculos, solis radios quomodo poterit pure intueri? Similiter et tu ipse: in quibus enim Spiritus sanctus non habitabit, in illis difficile spiritualia conspiciuntur. Credas igitur in Dominum Iesum Christum, et sacro lavacro tingeris in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: et tunc intelliges ea quæ dubitans et stupens admiraris. Quinto, oculos mentis illuminat Christi contemplatio et invocatio. Hesychius Centur. 2. num. 68. *Sicut sol,* inquit, *absque lumine splendere non potest: ita cor purgari non potest sordibus, λογισμῶν ἀπωλείας, per mentium cogitationum, sine Christi invocatione, qua utimur velut propria spiratione. Illud enim lumen. hæ vero tenebræ: et ille quidem Deus ac Dominus, οἱ δὲ δοῦλοι δαιμόνων, hæ autem dæmonum ancillæ.* S. Greg. Naz. oration. 42. pag. 692. comparat Christum serpenti æneo, qui sanabat eos a quibus aspiciebatur, ut refertur Num. 21. Sexto denique, virtutes omnes sunt lux animæ, ac præsertim castitas. Matth. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* S. Chromantius: Munditia cordis, ait, et conscientiæ puritas nullam nubem ad intuendum Deum patietur. Vide S. Leonem sermone in festo omnium Sanctorum. Ipse Iulianus Imperator id vidit orat. 5. pag. 333. Cum se totam, inquit, diis anima dederit, suaque omnia superis gubernanda permiserit, succedente nimirum castimonia, et ante hanc divinis præeuntibus legibus, ubi nihil iam superest quod obstet, impedimentoque sit, continuo divina lux illis affulget, quæ postquam divinæ quodammodo sunt factæ, in congenerem spiritum vim nescio quam vigoremque transfundunt. Qui ubi pervasit, ac se penitus insinuavit, tum eo roboratus et confirmatus spiritus universo corpori salutem consciscit. Hæc Iulianus.

64. Oculi populi sunt sacerdotes et doctores.

Symbolicæ. Oculi Iudæorum erant eorum sacerdotes, Pharisæi et Scribæ, id est Doctores, Principes, Iudices et Magistratus. Hi obscurati sunt: facti enim sunt Iudæi sine rege, sine lege, sine sacerdote, sine templo, sine sacrificio, hebetes, obtusi, illitterati. Agapetus Diacon. in capitulis paræneticis ad Iustinianum docet, principes debere esse oculatissimos et vigilantissimos. Sic enim ait: *Sicut navis gubernator perpetuo vigilat, βασιλέως πολυομμάτος νοος, Imperatoris oculatissimus intellectus, continens tuto æquitatis clavos, et expellens fortiter impetuosos iniquitatis fluctus, ne cymba mundanæ Reipubl. illidatur fluctibus iniquitatis.*

65. Dorsum Iudæorum incurvatum et quomodo?

Quæres tertio, quomodo dorsum Iudæorum est incurvatum, ob Christum crucifixum? Primo, S. Aug. S. Cyrill. Alexandrinus, Ugo, Bellarm. et alii, incurvationem illam explicant de inclinatione et deiectione affectus ad res terrenas. Comparat eos S. Aug. mulieri incurvatæ in terram, de qua agitur Luc. 13. 11. Verba eius sunt: *Quorum oculi fuerint obscurati ne videant, sequitur ut dorsum illorum incurvetur. Unde hoc? Quia cum cessaverunt superna cognoscere, necesse est ut de inferioribus cogitent. Qui bene audiunt, sursum cor: curvum dorsum non habent. Erecta quippe statura est, et expectat spem repositam sibi in cælo: maxime si præmittat thesaurum suum, quo sequatur cor eius. At vero qui futuræ vitæ spem non intelligunt, iam excæcati de inferioribus cogitant, et hoc est habere dorsum curvum, a quo morbo Dominus, mulierem illam liberavit. Alligaverat enim eam satanas annis decem et octo, et eam curvatam erexit: et quia sabbato faciebat, scandalizati sunt Iudæi. Bene scandalizati sunt de illa erecta ipsi curvi.* S. Cyrill. Alexand. eos comparat gibbosis, repudiatis a lege. Vide illum lib. 12. de adoratione, et lib. 1. in Ioan. cap. 33. Hæc vera sunt, sed moralia et symbolica.

II. Secundo, S. Hilar. S. Hier. et S. Cyrill. dorsum Iudæorum dicunt esse incurvatum sub gravi legis Mosaicæ iugo et onere: quia iugum Christi leve et suave supra se tollere noluerunt. Legis novæ et veteris antitheses duodecim refert Cornelius noster in proœmio super Evangelia.

III. Et optime.

Tertio, et optime, incurvatio perpetua dorsi denotat perpetuam Iudæorum servitutem. Alluditur enim ad servitutem Ægyptiacam, in qua opprimebantur operibus portantes paleas, lutum et lateres. De Iudæis dicitur Ps. 20. 13. *Pones eos dorsum.* Vide illum locum, et Ps. 65. 11. *Posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.* De captivitate Babylonica dicitur Thren. 1. 3. *Migravit Iudas propter afflictionem, et multitudinem servitutis,* quod et de Romana dici potest, post quam Caino non absimiles Iudæi per orbem vagantur captivi, nullum regnum sibi proprium habentes, quod illis exprobrat Prudentius in Apotheosi contra Iudæos. Quando Titus cepit et vastavit Ierosolymam, pene infinitus fuit captivorum numerus. Ioseph lib. 7. de bello Iudaico c. 17. Captivorum omnium, ait, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta et septem millium comprehensus est numerus: mortuorum vero per omne tempus obsidionis undecies centum millia: eorum vero qui evaserunt, alii ad opera damnati missi sunt in Ægyptum: alii qui formosiori essent corpore, triumpho servati sunt: plurimos robustos viribus elegit Titus per provincias pugnaturos in theatris cum bestiis. Qui vero infra decimum et septimum annum agerent, simul cum fœminis venditi sunt, sed vilissimo pretio; eo quod non reperirentur emptores, et qua alerentur deesset annona.

Captivi multi in excidio Ierosolymæ.

66. Depravatis magistratibus corrumpitur populus.

Symbol. S. Gregorius prima parte Pastoralis, cap. 1. per dorsum, subditos intelligit; per oculos, eorum superiores. Verba eius sunt: *Psalmista non optantis animo, sed prophetantis ministerio denuntiat dicens, Ps. 68. 24. Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi providendi itineris officium suscipiunt: quibus hi nimirum, qui subsequenter inhærent dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur: quia cum lumen scientiæ perdunt, qui præeunt, profecto cuncti ad portanda peccatorum onera curvantur qui sequuntur.* Lege eundem lib. 25. Moral. cap. ultimo.

67. Vers. 25.

Cladis illius magnitudinem declarat, v. 25. **Effunde super eos iram tuam, et furor iræ tuæ** (S. Hieron. ira furoris tui) **comprehendat eos**, id est, ex omni parte apprehendat et teneat. Ubi nota, *effusione* denotari, Primo, facilitatem, qua Deus potest sine labore hostes suos perdere, sicut facile est vas liquore plenum inclinare et effundere. Secundo, effusio notat abundantiam iræ. Tertio, vindictam ex improviso obruentem et inevitabilem: cum stillat, præcaveri potest: cum effunditur, non cogitantem atterit. *Comprehensio* autem significat potentiam et impetum irruentis; 2. firmitatem et constantiam in puniendo; 3. inevitabilem vindictam, cum undique vincula constringant, vel aquæ aut ignes obruant. Nota enim secundo, effusio fieri potest, Primo ignis, sicut in Sodomam. Gen. 19. 24. *Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino,* id est, a seipso, *de cælo.* Thren. 2. 4. Sion a Chaldæis vastata conqueritur: *Effudit quasi ignem indignationem suam.* Secundo, fit aquæ effusio, ita ut nihil in vase remaneat. Oseæ 5. 10. Deus principes Iuda arguens, ait: *Super eos effundam iram meam;* a Castro vertit, Effundam super eos, quasi diluvium indignationem meam. Alludit ad diluvium universale, q. d. Totam iram effundam.

Effusio iræ quid significet.

68. Ierosolymæ, cum obsideretur, multi erant cives et peregrini.

Nota, comprehensi sunt Iudæi Ierosolymis a Tito, cum pene tota gens eo confluxisset ad festum Paschale. Ioseph lib. 7. c. 13. numerum colligit tunc existentium ibi, aitque ex hostiis eo Paschatis tempore cædi solitis, et numero per contubernia epulantium, agnosci saltem numerum eorum, qui puri essent, quibus liceret solum vesci azymis, fuisse ad vicies centena ac septingenta millia: porro ingentem fuisse oportuit illorum numerum, qui necessitate naturæ, vel alia ex causa puri minus essent. *Tunc ergo,* inquit, *velut in carcerem tota gens fato conclusa est, et farta hominibus civitas obsidebatur:* ita Iosephus.

Peccator non evitat manum Dei.

Tropol. Quemcumque in locum fugiat peccator, eum ibi comprehendet manus Dei, quam evitare est impossibile. Ierem. 49. 16. dicit Deus Idumææ per Chaldæos vastandæ: *Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem collis: cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Quam vero terribile sit in eam incidere, docet S. Greg. Nazianz. orat. 15. fol. 235. Horrendum est, ait, incidere in manus Dei viventis. Horrendus vultus Domini super facientes mala, vitiumque funditus evertens et delens. Horrenda auris Domini, Abelis vocem etiam per tacitum cruorem sentiens. Horrendi pedes, improbitatem cursu assequentes. Horrenda orbis universi impletio, ita ut nemini usquam Dei commotionem effugere liceat: non si in cælum evolaverit, non si in inferos se contulerit, non si ad Orientem profugerit, non si in profundos et extremos maris sinus sese abdiderit. Hæc Gregorius.

69. Vers. 26. Urbis præsertim Iesosolymæ expilatio, combustio, et eversio lugenda fuit, v. 26. FIAT HABITATIO EORUM DESERTA: ET IN TABERNACULIS EORUM NON SIT QUI INHABITET, de gente ipsorum scilicet; nam, licet reædificata sit Ierusalem, et habitari cœpta, habitata est a Gentilibus, vel Christianis, vel Saracenis, non autem a Iudæis, nisi paucis admodum: ita Genebr. et Bellarminus. Secundo, strictius et melius, eversa Ierusalem ita est, ut non reædificata in eodem loco sit, in quo steterat. S. Gregorius homil. 39. in Evang. *Hoc,* inquit, *ipsa iam eiusdem civitatis transmigratio testatur: quia dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam fuerat Dominus crucifixus, prior illa Ierusalem funditus est eversa.* Idem factum est civitatibus Ninive et Babyloni, quæ post destructionem alio in loco sunt extructæ, et sic prophetiæ de perpetua eorum eversione veræ apparent. Aristo Pellæus narrat, universæ genti Iudæorum prorsus interdictum esse ab Hadriano Imper. ne pedem in agrum Ierosolymitanum aliquando inferrent; et legis decreto institutisque Hadriani, ne vel ex edito loco paternum solum oculis aliquando aspicerent. Ierusalem ergo, cum ita esset Iudæorum gente orbata, et veteribus incolis prorsus destituta, genereque frequentata externorum hominum: deinceps cum esset a Romanis occupata, nomen commutavit, et in honorem Ælii Hadriani Imperatoris, qui eam devicisset, illustrandum, Ælia appellata est, ut refert Euseb. lib. 4. cap. 6.

Ierusalem alio in loco est reædificata.

Cur Hadrianus porcum in eius porta posuit.

Quærit anno Christi 137. Hadriani 18. Baronius: Cur super portam, qua Ierosolymitani egrediebantur Bethlehem, porcum in marmore sculptum Hadrianus voluerit collocari? Num, ait, ad designandum, Iudæos esse omnium hominum scelestissimos: quippe quod eiusmodi simulacrum esse soleret hieroglyphicum hominum veritatem spernentium, profanorum, perniciosorumque atque eorum denique, qui a Deo penitus essent aversi? An potius, quod porcus videretur, ob infractum in bello robur, esse Romanorum insigne? nam et tradit Festus, quintum signum militare fuisse porci imagine effigiatum: quod et belli finis ut tradit, symbolum esset. Porcorum imagines in militaribus signis etiam Diocletiani temporibus, imo et Honorii Imp. visas esse satis liquet. An potius, quod, ut dicemus, eadem via in Bethlehem fuerit ab Hadriano erectum templum Adonidi, quem aper occidit? cum alioqui sciamus Plutarchum cultum Adonidis, itidemque Bacchi, Iudæis impingere. Cæterum constat erigere voluisse Hadrianum eiusmodi simulacrum in porta, tamquam titulum quemdam, quo significaretur: *Iudæos propria civitate, patrioque solo esse penitus interdictos:* eiusmodi enim animalium genus ex Iosepho alibi diximus, esse infandum ipsis, atque visu etiam execrandum: quamobrem, ne isthæc signa militaria viserentur in regione Iudæorum, principes ipsorum olim a Vitellio in Arabes profecturo deprecati sunt transitum: ita Baronius.

70. Quid Ierosolymis non destructum.

Nota, Ierusalem solo prorsus æquandam prædixerat Christus. Luc. 19. 43. et 44. *Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique: et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem;* id est, funditus te diruent. Est hyperbole. Quid in ea relictum sit, docet Iosephus lib. 7. de bello Iudaico, cap. 18. Postquam, ait, quos occideret, quidve raperet, non habebat exercitus, quod iratis animis omnia decrant, iubet eos Cæsar totam funditus iam eruere civitatem ac templum: relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phaselo, et Hippico, et Mariamne: murique tanto spatio, quantum civitatem ab Occidente cingebat: id quidem, ut esset castrum illic custodiæ causa relinquendis. Turres autem, ut posteris indicarent, qualem civitatem, et quam munitam Romanorum virtus obtinuisset: alium vero totum ambitum civitatis ita complanavere diruentes, ut qui ad eam accessissent, habitatam aliquando vix crederent. Hæc Iosephus.

Tropolog. Quæ Ierusalem obsessæ, captæ, et solo æquatæ contigeruut, eveniunt animæ per peccatum destructæ, ut habes apud S.Greg. hom. 39. in Evangelia, illum consule.

ARTICULUS II.

Punitio Iudæorum in bonis animi.

A Bonis corporis et fortunæ transit David ad animi bona, et docet in iis punitos esse Iudæos ob impietatem 71.
et crudelitatem in Christum, v. 27. QUONIAM QUEM TU PERCUSSISTI, PERSECUTI SUNT: ET SUPER DOLOREM VULNERUM MEORUM ADDIDERUNT. Vers. 28. APPONE INIQUITATEM SUPER INIQUITATEM EORUM, ET NON INTRENT IN IUSTITIAM TUAM. Et v. 29. DELEANTUR DE LIBRO VIVENTIUM, ET CUM IUSTIS NON SCRIBANTUR.

Vers. 27. 28. et 29.

Iudæis clades accidit ob necem Christo illatam.

Nota, Iudæos patria sua pulsos, tanta passos esse ob crucifixum Christum patet; quia tunc non erant idololatræ, imo fortissime resistebant Idololatris, etiam Imperatoribus ac Præsidibus suis. Primo enim, nobilissimi iuvones cum summo vitæ periculo, et sævissima morte suscepta, aquilam auream, quam præ foribus templi Herodes affixerat, detraxerunt, ut refert Ioseph. lib. 17. antiquit. cap. 8. Secundo, magno ardore Pilato restiterunt Iudæi, cum scuta, licet sine imaginibus, dedicare vellet in suo palatio, ut habet Philo de legatione ad Caium. Tertio, ut iam dixi, summis precibus a Vitellio Syriæ Præside postularunt: ne cum exercitu Romano per regionem suam transiret, quod militaria insignia essent imaginibus ornata. Quarto denique, Caio Caligulæ sibi honores divinos deposcenti, soli ex toto terrarum orbe fortissime restiterunt, ut narrat idem Philo ibid. Ex quibus, aliisque intelliges aliquod scelus idololatria gravius eos admisisse, ob quod regno, Sacerdotio, civitate, templo, libertate, omnibusque pene bonis privati sunt ab annis mille sexcentis, et amplius. Nullum autem aliud scelus reperiri potest præter Christi hominis, et Dei iniustissimam, et crudelissimam necem. Nam, quod Iosephus tribuit cædi S. Iacobi iusti, atque ob alia flagitia seditiosorum, apparet falsum: maiora enim flagitia admiserat populus, ob quæ longe levius erat punitus, 1. ob idololatriam Iudæi servierunt Chusan Rasathaim regi Mesopotamiæ per octo annos; 2. servierunt Egloni regi Moab decem et octo annis, et ab ea servitute liberati sunt per Aod, sicut a prima per Othonielem; 3. servierunt per annos viginti Iabin regi Chanaan, et liberati sunt per Deboram et Barac. Vide tres alias oppressiones et liberationes in libro Iudicum. Captivitas luctuosissima et longissima fuit in Babylone per annos 70. post eversam Ierosolymam ac templum per Nabuchodonosor; omnia deinde restituta sunt per Cyrum, cuius permissu Zorobabel et Iesus filius Iosedec, aliique omnia in integrum restituerunt; atque postea Iudæa, ipsaque Ierusalem fuit florentissima et ditissima sub ducibus, sacerdotibus, et regibus suis. Nunc vero de illis completum videmus, *Dorsum eorum semper incurva*, et illud usque ad finem mundi durabit.

72. Apponere iniquitatem super iniquitatem quid? Quæres, quid sit apponere iniquitatem super iniquitatem? Primo, potest sumi iniquitas pro pœna iniquitatis, q. d. Puni illos propter tantam iniquitatem. Sic Ezech. 21. 27. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*, scilicet coronam Sedeciæ et Iudææ, q. d. Efficiam, ut Sedeciæ cidaris, vel tiara, quæ prius recta erat more regum,
I. incurvetur: idque sensim et tertio: scilicet, 1. a Nabuchodonosor; 2. ab Antiocho et Græcis; 3. et plene a Tito et Romanis, ait Cornelius. Ierusalem posita est iniquitas, id est, tamquam iniqua punita est, cum a Romanis eversa est nunquam reparanda, ut in ea Iudæi habitent et regnent. Isaiæ 19. 1. illud excidium prædicitur sub nomine Ariel, his verbis: *Væ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David*, eiectis inde Iebusæis, *additus est annus ad annum: solemnitates evolutæ sunt. Et circumvallabo Ariel, et erit tristis, et mœrens, et erit mihi quasi Ariel*, q. d. Ierusalem erat Ariel, id est, leo Dei ob fortitudinem, principatum, et altare sic vocatum, erit vero mihi Ariel, id est, maledictio fortis, aut aries maledictionis, cum a Romanis instar arietis mactabitur.

II. Secundo, *appone iniquitatem super iniquitatem eorum*, id est, permitte, ut in nova semper ac maiora peccata proruant, sicque gravius et diuturnius puniantur. Ubi nota, peccatum peccati pœnam esse posse non per se, sed per accidens, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 87. art. 2. Per se, inquit, nullo modo peccatum potest esse pœna peccati: peccatum enim per se consideratur, secundum quod egreditur a voluntate: sic enim habet rationem culpæ: de ratione autem pœnæ est, quod sit contra voluntatem, ut docetur 1. 1. q. 48. art. 5. Unde manifestum est, quod peccatum per se loquendo nullo modo potest esse causa peccati. Per accidens autem, peccatum potest etiam esse pœna peccati tripliciter. Primo quidem, ex parte causæ, quæ est remotio prohibentis: sunt enim causæ inclinantes ad peccatum, passiones, tentatio diaboli, et alia huiusmodi; quæ quidem causæ impediuntur per auxilium divinæ gratiæ, quæ subtrahitur per peccatum. Unde, cum ipsa subtractio gratiæ sit quædam pœna a Deo, ut dicitur 1. 2. q. 79. art. 3. sequitur, quod per accidens etiam peccatum, quod ex hoc sequitur, pœna dicatur, et hoc modo loquitur Apostolus Rom. 1. dicens: *Propter quod, tradidit eos Deus in desideria corda eorum*, quæ sunt animæ passiones; quia scilicet deserti homines ab auxilio divinæ gratiæ vincuntur a passionibus: et hoc modo semper peccatum dicitur esse pœna præcedentis peccati. Alio modo ex parte substantiæ actus, quæ afflictionem inducit, sive sit actus interior, ut patet in ipsa ira et in invidia: sive actus exterior, ut patet cum aliqui gravi labore opprimuntur, et damno, ut expleant actum peccati, secundum illud Sap. 5. 7. *Lassati sumus in via iniquitatis*. Tertio modo, ex parte effectus: unde scilicet aliquod peccatum dicatur pœna respectu effectus consequentis; sed his duobus ultimis modis unum peccatum non solum est pœna præcedentis peccati, sed etiam sui: ita S. Thomas. Hæc autem pœna maxima est omnium. Seneca epist. 97. *Prima et maxima peccantium est pœna peccasse: nec ullum scelus impunitum est, quoniam sceleris in scelere supplicium est.* Mercur. Trismeg. Quis, ait, humanæ animæ maior cruciatus impietate? S. Greg. Nazianz. felicitatem summam esse putat, abstinere a peccato. Sic enim orat. 4. fol. 128. Magnum est, inquit, nihil molesti degustasse: imo nec magnum fortasse: si modo verus hic sermo est, Hebr. 12. 6. Quem Deus amat, castigat; et flagellat omnem filium, quem recipit, et cuius curam habet: illud vero magnum, ne omnino quidem peccasse, aut certe non gravissime; quandoquidem cum statum vitæ, qui omni prorsus peccato caret, Deus supra omnem humanæ naturæ modum constituit. Proximum autem, ut mihi videtur, illud est: ut cum admisso peccato castigati fuerimus, ac postea soluti et indulgentius habiti, in disciplinæ saltem sensu permaneamus, ac secunda ob secundum peccatum verbera fugiamus. Hæc Gregorius.

73. Quæres secundo, quid sit intrare in iustitiam Dei? Nota, iustitia sumitur Primo in propria significatione, id est, Intrare in iustitiam Dei, quid? pro virtute reddente unicuique suum ius. Secundo, pro omni virtute, seu complexione virtutum omnium. Tertio, pro iustificatione. Quarto, pro Christo ipso. Quinto denique, pro misericordia. Quinque igitur modis intrare quis potest in iustitiam Dei.

Primo quidem, intrat in Dei iustitiam, qui ab eo iusto iudice ob virtutem recipit præmia. Theodoretus itaque sic explicat: Non intrent in iustitiam tuam, id est, bona non consequantur, quæ iustis distribuere soles. S. Hieron. q. d. cælorum cum iustis non capiant regna: ita ipse. Cælum enim est regnum iustitiæ, et mercedem operum reddit iustus iudex, et tribuit coronam iustitiæ fortiter pugnantibus et vincentibus.

Secundo, *non intrent in iustitiam*: id est, virtutibus non Sensus optimus. excellant, ita ut iusti sint et prædicentur, non inferant se magno animo in cœtum atque palatium iustitiæ, id est, omnium virtutum.

Tertio, *non intrent in iustitiam tuam*: id est, per te non iustificentur, sed in peccatis suis, velut in fæcibus defixi hæreant, et in peccatis suis moriantur, quod prædixit Christus Iudæis incredulis, Ioan. 8. 24.

Quarto, *non intrent in iustitiam tuam*: id est, ad te iustum: ad Christum scilicet qui est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio, 1. Cor. 1. 30. non quidem iustitia formalis, sed causalis, q. d. Non credant in te Salvatorem nostrum, nec in te tuisque meritis iustitiam tuam reponant, sed in suis iustitiis legalibus, atque cæremoniis inanibus, et gratia vacuatis.

Quinto denique, *non intrent in iustitiam tuam*, q. d. Non consequantur misericordiam: ita Euth. et Nicephorus. Tertius explicandi modus est maxime appositus, in idem tamen pene omnes illi sensus concurrunt, et sibi invicem subordinantur. Nam, non intrat in cælum, qui non credit in Christum, qui non iustificatur, qui non habet omnes virtutes, et qui non consequitur misericordiam. Chald. vertit: Non mereantur intrare in Ecclesiam iustorum tuorum. Ad eam aspirans David, petit sibi aperiri portas iustitiæ, Psalm. 117. 19.

Nota, iustitia est maxime expetenda, in eam intrandum 74. Iustitia est maxime expetenda. est: ut illa induti Christo iustitiæ soli placeamus, eius radiis circumdati. Ex Indis, illi qui Pedalii nominabantur, nihil fere in sacrificiis aliud a diis suis exposcebant, quam iustitiam, arbitrati omnium se compotes futuros, si illam unam essent adepti. Et Nicolaus Papa Epist. 15. scribens ad Michaelis Imper. coniugem Eudoxiam Augustam, cui iustam Ignatii Patriarchæ causam commendat. Nihil, inquit, in regia sublimitate iustitiæ dilectione decentius. Iulian. Imp. Ep. ad S. P. Q. Atheniensium fol. 495. In opinione, ait, esse iustitiæ falso cuipiam potest fortasse contingere. Neque hoc valde singulare est, inter malos multos unum aliquem bonum existere. Nonne vel apud Medos ipsos celebris est quidam Deioces, apud Hyperboreos Abaris, apud Scythas Anacharsis? quos iure miramur inter efferatissimas iniustissimasque gentes, iustitiæ nihilominus cultores fuisse. Quod posteriores duo vere, atque ex animo susceperunt: primus utilitatis causa simulavit. Ita Iulianus: qui deinde laudat Athenienses, quod consilio Themistoclis utilissimo reclamarint, quod esset contra iustitiam.

Nota secundo, Iudæi fuerunt in suis sceleribus obstina- 75. Iudæi sunt obstinati. tissimi, et seipsos obduraverunt Christo eos ad suam gratiam vocante. Iure compares eos luto, quod radiis solaribus induratur. S. Ioannes Climachus ad grad. 28. num. 4. *Deus*, ait, *est sol iustitiæ, ut scriptum est Malach. 4. 2. qui omnes radios bonitatis sincere explicat. Anima vero aut cera, tamquam amans Dei: aut lutum, tamquam corporibus affixa. Sicut ergo lutum pro genio naturæ suæ sole siccatur et arescit, cera vero mollescit: ita omnis anima carni et mundo addicta, etsi a Deo admonita, seu impulsa, quando eidem resistit et refragatur, indurescit, et seipsam cum Pharaone in exitium impellit. Quæ autem Deum amat, tamquam cera mitescit, rerumque divinarum for-*

mas, et characteres, seu signa recipit, et in spiritu fit domicilium Dei: hæc Climachus. De illis possis dicere, quod de corde obdurato ait S. Bern. lib. 1. de consider. ad Eugenium: Cor habent, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana. Possis etiam Iudæos vocare thesaurum impietatis: ita apponebant iniquitatem super iniquitatem, thesaurizantes sibi iram in die iræ. S. Isidor. Pelus. scribens Zosimo sceleratissimo ait epist. 208. Multi, imo, ut sic loquar, omnes homines et virtutes, et vitia habent: atque illis quidem gloriantur, his autem erubescunt. Quod autem omnia vitia in te sedem habere aiunt, et te nominant ταμειον κακιας, και θησαυρον αναισχυντιας, *vitii promptuarium, atque impudentiæ thesaurum*, hoc vero mihi mirandum videtur: atque adeo admirationem omnem excedens: ita Isiderus.

Cor obstinatum describitur a S. Bernard.

76. Quæres tertio, quid sit deleri de libro viventium? Nota, liber vitæ multiplex assignari potest. Primo, liber vitæ seu viventium, est liber vitæ temporariæ, ita ut deleri de illo libro sit tolli ex hac vita, abradi e catalogo vivorum. Secundo, liber vitæ, seu viventium (utrumque enim significat Hebr. חיים *chaim*) est liber, seu catalogus eorum, qui in terra promissionis victuri erant, in qua terra degebant viventes, id est, Deum colentes. Notus enim in Iudæa Deus: cæteri populi erant mortui, adorantes deos lapideos, ligneos, aureos, et argenteos, anima et vita carentes. Deleri de libro illo, est eiici de terra illa promissa, quod accidit Iudæis per Titum domitis, et per alios Imperatores funditus inde eradicatis, præsertim per Hadrianum.

Liber vitæ est multiplex.

Tertio, et melius, hoc loco liber vitæ est liber electionis et prædestinationis divinæ. Ubi adverte Primo, librum vitæ in Deo dici metaphorice: quatenus id quod est in eius memoria, ibi firmiter hæret: liber igitur ille, est Dei notitia et memoria. Secundo, duplex est liber vitæ: unus inchoatus et imperfectus, in quo scripti sunt omnes, qui sunt in gratia Dei, licet non sint salvandi: alter perfectus et completus, in quo scripti sunt ii, qui salvandi sunt: et hic proprie et absolute vocatur liber vitæ. Ut enim ait S. Thom. 1. part. quæst. 24. art. 2. *Liber vitæ importat conscriptionem quamdam, sicut notitiam electorum ad vitam. Eligitur autem aliquis ad id, quod non competit sibi secundum suam naturam. Et iterum, ad id quod eligitur aliquis, habet rationem finis. Non enim miles eligitur aut conscribitur ad hoc quod armetur, sed ad hoc quod pugnet: hoc enim est proprium officium, ad quod militia ordinatur. Finis autem supra naturam existens, est vita gloriæ: unde proprie liber vitæ respicit vitam gloriæ*: ita S. Thomas. De utroque libro prædestinationis hic locus exponi potest, sed maxime de secundo, q. d. Deleantur de libro viventium, id est, in æternum damnentur.

Liber prædestinationis duplex.

77. Quæres, an aliquis possit deleri de libro vitæ? Resp. Quod quidam dicunt, quod de libro vitæ nullus potest deleri secundum rei veritatem, potest tamen aliquis deleri secundum opinionem hominum. Est enim consuetum in Scripturis, ut aliquid dicatur fieri, quando innotescit, et secundum hoc aliqui dicuntur esse scripti in libro vitæ, in quantum homines opinantur eos ibi scriptos propter præsentem iustitiam, quam in eis vident. Sed quando apparet, vel in hoc sæculo, vel in futuro quod ab hac iustitia exciderunt, dicuntur inde deleri. Et sic etiam exponitur in glossa deletio talis, super illud Ps. 68. *Deleantur de libro viventium.* Sed quia non deleri de libro vitæ ponitur inter præmia iustorum, secundum illud Apoc. 3. 5. *Qui vicerit sic, vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen eius de libro vitæ* (quod autem Sanctis repromittitur, non est solum in hominum opinione) potest dici, quod deleri, vel non deleri de libro vitæ, non solum ad opinionem hominum referendum est, sed etiam quantum ad rem. Est enim liber vitæ conscriptio ordinatorum in vitam æternam. Ad quam ordinatur aliquis ex duobus: scilicet ex prædestinatione divina, et hæc ordinatio nunquam deficit, et ex gratia; quicumque enim gratiam habet, ex hoc ipso est dignus vita æterna. Et hæc ordinatio deficit interdum, quia aliqui ordinati sunt ex gratia habita ad habendum vitam æternam, a qua tamen deficiunt per peccatum mortale. Illi igitur, qui sunt ordinati ad habendum vitam æternam ex prædestinatione divina, sunt simpliciter scripti in libro vitæ: quia sunt ibi scripti, ut habituri vitam æternam in seipsa, et isti nunquam delentur de libro vitæ. Sed illi, qui sunt ordinati ad habendum vitam æternam, non ex prædestinatione divina, sed solum ex gratia, dicuntur esse scripti in libro vitæ, non simpliciter, sed secundum quid: quia sunt ibi scripti, ut habituri vitam æternam, non in seipsa, sed in sua causa. Et tales possunt deleri de libro vitæ, ut deletio non referatur ad notitiam Dei, quasi Deus aliquid præsciat, postea nesciat; sed ad rem scitam: quia scilicet Deus scit aliquem prius ordinari in vitam æternam, et postea non ordinari, cum deficit a gratia: ita S. Thomas. Nota, in Psalmo nostro idem dicitur per affirmationem, et negationem more Hebræorum: *Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur*, ut omnimoda certitudo denotetur. Ubi etiam advertendum est, hoc dici de tota gente, quæ a Deo reiecta est atque reprobata, non vero de singulis Iudæis: nam aliqui conversi sunt ad Christi fidem, et in libro fidelium, iustorum, et beatorum scripti.

An quis possit deleri de libro vitæ.

78. Nota etiam, maximam pœnarum omnium esse deleri de libro vitæ: sicut maximum bonum est scribi in illo. Christus dicit Apostolis Luc. 10. 20. *In hoc nolite gaudere, quia, quod, spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Lege Cornelium in illum locum. Si cum Censores legebant Senatum Romanorum, magnus erat dolor ex eo libro expungi, et cum cæteris non nominari: si grave est, tolli ex albo civium cuiuscumque civitatis; quid erit, deleri de libro vitæ æternæ? Apoc. 20. 15. habetur: *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

Magna pœna est deleri de libro vitæ.

SECTIO QUARTA ET ULTIMA.

79. *Tria comprehendit. Primo, se laudaturum Deum, ob auxilium sibi præstitum in tantis doloribus Christus pollicetur, vers. 30. Secundo, invitat iustos, ut idem faciant, vers. 33. Tertio denique, creaturas omnes hortatur ad eamdem laudem, vers. 34.*

PARAPHRASIS.

30. *Ego sum pauper et dolens: salus tua Deus suscepit me.*

30. Ego quidem nunc hostium in medio summam rerum omnium inopiam patior, et doloribus omni ex parte conficior: sed ope tua subnixus ex his ego miseriis eruar, Deus meus.

31. *Laudabo nomen Dei cum cantico: et magnificabo eum in laude:*

31. Liberatus in tuas laudes erumpam, tibique sacra cantica concinam, et pro viribus summam tuam erga me benignitatem exaltabo.

32. *Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.*

32. Eritque hæc laus mea tibi acceptior omnibus victimarum sacrificiis, etiam vituli teneri, iam incipientis et cornua proferre, et ungulis firmari.

33. *Videant pauperes et lætentur: quærite Deum et vivet anima vestra:*

33. Liberationem hanc meam videant pauperes et afflicti, atque exultent, cum sibi simile accidisse adverterint. Itaque id unum curent, Deo ut serviant, tum securos se de vita et salute obtinenda confidant.

34. *Quoniam exaudivit pauperes Dominus: et vinctos suos non despexit.*

34. Dei enim tanta est benignitas, ut etiam pauperculis et protritis subsidio sit: sua causa in arctum compulsos, et in angustiis ad se clamantes exaudivit.

35. *Laudent illum cæli et terra, mare, et omnia reptilia in eis.*

35. Cum rependendis me gratiis imparem sentiam, opem vestram imploro creaturæ omnes, cælum, terra, mare, omniaque in illis ratione et vita prædita, Deum tantæ bonitatis unita voce celebrate.

36. *Quoniam Deus salvam faciet Sion: et ædificabuntur civitates Iuda.*

36. Neque enim me solum, sed per me Ecclesiam suam a dæmonum, tyrannorum, hostiumque omnium feritate liberabit: et toto orbe particulares Ecclesiæ magno fidelium numero et ardore florebunt.

Et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent eam.

Constantes enim in vera fide persistent, et a maioribus acceptam, velut sacram hæreditatem, pro magno thesauro assument.

37. *Et semen servorum eius possidebit eam: et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.*

37. Eamque fidem in posteros suos transmittent: et omnes, qui Dei amore inflammantur, in unius Ecclesiæ Catholicæ fide perstabunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quomodo Christus gratias egit Patri ob opem sibi præstitam in passione.

80. Ordo Sectionis.

Post declarationem passionis suæ, sub typo tempestatis, et declaratum auxilium sibi datum, punitionemque hostium, tandem gratias agit.

Ac primo, se non viribus propriis, sed unius Dei benignitate liberatum fuisse declarat, v. 30. *Ego sum pauper et dolens: salus tua Deus suscepit me.*

Secundo, gratum se fore pollicetur per se, per suos, per omnes alias creaturas. Primo quidem, per seipsum, v. 31. *Laudabo nomen Dei cum cantico, et magnificabo eum in laude.* Hanc laudem, utpote præstantissimam, Deo placituram ait, v. 32. *Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.* Secundo, servos suos monet, ut sibi a Patre data considerent, atque eadem sperent, vers. 33. *Videant pauperes, et lætentur: quærite Deum, et vivet anima vestra.* Deum enim iuvare afflictos, v. 34. *Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit.* Tertio denique, omnes creaturas invitat, ut Deum exaltent, vers. 35. *Laudent illum cæli et terra, mare, et omnia reptilia in eis,* quod præsertim in cruce natam et formatam Ecclesiam stabiliat, v. 36. *Quoniam Deus salvam faciet Sion: et ædificabuntur civitates Iuda;* et numero augeat: *Et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent eam.* Idque in æternum, v. 37. *Et semen servorum eius possidebit eam: et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.*

ARTICULUS UNICUS.

Laudandus Deus ab omnibus.

81. Vers. 30.

Brevi epilogo complectitur Christus afflictionem suam in cruce, et liberationem, de quibus supra fusius dixerat: ait enim v. 30. Ego sum pauper et dolens: salus tua Deus suscepit me, per resurrectionem, ascensionem, et glorificationem. Salus dicitur suscipere, cum Deus perfecte salvat. Est prosopopœia. Dicit Christus Ps. 72. 23. *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.* Et Ps. 70. 20. *De abyssis terræ iterum reduxisti me.* Variis modis eam salutem explicat. Christus fuit phœnix, ex propriis cineribus renascens: mors enim eius fuit mors ipsius mortis et inferni. Christophorus Madrucius Cardinalis, ut ab ipsis ærumnis vim se accepturum declararet, pro symbolo phœnicem sumpsit cum hac inscriptione: *Ut vivat.* Idem cruci appinge.

Nota, Deus, ut ait R. Saadias, dicitur Sciaddai, quia A ipse abundat, et omnes omnium creaturarum defectus supplet. S. Paulus Actor. 17. 25. in Areopago dicebat Athenis, agens de Deo: *Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, et inspirationem, et omnia.* Plato hæc tria inter se distinguens, ἔνδεια, αὐτάρκεια, ὑπερχυσις, inopia, sufficientia, effusio: solam effusionem bonitatis Deo tribuit. Sicut enim crater aliquis vino plenus et superplenus effluit et superfluit: ita et Deus Deique bonitas. S. August. serm. 19. in Ioan. Deus tibi totum est: si esuris, panis: si sitis, aqua tibi est: si in tenebris es, lumen tibi est: si nudus es, immortalitatis tibi vestis est: hæc ipse. Ideo est maxime laudandus, et relictis cæteris solus appetendus. Cassiodorus in Ps. 47. Deus est virtus inexplicabilis, pietas incomprehensibilis, sapientia ineffabilis, cuius definitio est finem in Sanctorum laudibus non habere. Hine S. Ignatius Fundator Societ. Iesu dicebat sæpius: *Domine quid volo, aut quid velim extra te? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Et S. Ludovicus: *Divitiæ meæ Christus, desint cæ-* B *tera. Omnis copia, quæ Deus meus non est, mihi inopia est.* Ac S. Franciscus: *Domine, quis tu, quis ego? Tu omnia, ego nihil: tu abyssus entis et boni, ego abyssus nihili et mali. Tibi ergo me abyssali humilitate et reverentia prosterno. Deus meus et omnia.*

Deus et sibi, et aliis sufficiens.

S. Ignatii dictum memorabile.

S. Ludovici.

Et S. Francisci.

Voluit tamen propter nos Christus pauper fieri, cum esset dives, 2. Cor. 8. 9. *Propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus.* S. Greg. Naz. orat. 1. in Pascha: Pauper, inquit, factus est Christus, ut nos illius paupertate ditescamus: servi formam accepit, ut nos libertatem recipiamus: descendit, ut evehamur: tentatus est, ut vincamus: contemptus est, ut gloria afficiat: mortuus est, ut servet: ascendit, ut ad seipsum trahat humi provolutos in peccati lapsu: ita Gregorius. Secundo, Christus non tantum pauper fuit, sed etiam dolens. Hebr. כואב *coeb*, id est, cruciatus, molestia affectus, graviter dolens. Et paupertatem suam, et afflictiones aperit, Ps. 87. 16. *Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea.* Isaiæ 53. 3. vocatur *vir dolorum,* id est, gravissimis do- C loribus affectus. Lege S. Thom. 3. part. qu. 46. art. 5. ubi docet, Christum passum esse omnes passiones humanas, non quidem secundum speciem, sed secundum genus. Et art. 6. ubi probat, dolores quos passus est Christus, omnes excessisse dolores, quos homines pati possunt in hac vita. Thren. 1. 12. ait: *Attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.* Comes Essexiæ gravi mœrore saucius delineavit parmulam albam, in qua nihil scriptum esset, adiecta hac epigraphe: *Par nulla figura dolori.* Idem de Christo dici potest, eius dolores omnem picturam et locutionem superare. 83.

82. Christus pauper fuit, ut nos ditaret.

Moral. nota, si vis, ut salus Dei te suscipiat, sis dolens, et pauper spiritu. Matth. 5. 3. *Beati pauperes spi-*

Paupertas, et afflictio virtutem iuvant.

ritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. S. Greg. Naz. orat. 12. in principio: Monachorum, inquit, opes in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fœcunditas in cælibatu (siquidem præstantiores fœtus illi sunt, qui secundum Deum existunt, quam qui a carne ortum ducunt) qui deliciis minime studere pro deliciis habent, qui regni cælestis causa humiles sunt, qui in mundo nihil habent, et supra mundum existunt, qui etiam in carne extra carnem vivunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regnum inopia laborant, et propter inopiam regnant: ita Gregorius. Seneca dicebat: *Si vis vacare animæ, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis.* Et S. Hieron. Nimis delicatus est qui vult gaudere cum mundo, et regnare cum Christo. Luc. 6. 24. ait Christus: *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* Act. 14. docent S. Paulus et S. Barnabas gravia passi, quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. In vitis Patrum habetur lib. 3. num. 84. quod Joannes Abbas dicebat, portam cæli esse iniuriarum perpessionem. Hæc est porta cæli, per quam patres nostri per multas tribulationes et iniurias, gaudentes ingressi sunt civitatem Dei: ita ipse. Lazarus dicere poterat: *Ego sum pauper et dolens, salus tua suscepit me.* Nam erat mendicus, et ulceribus plenus, et post mortem portatus ab angelis in sinum Abrahæ. Diviti autem epuloni sepulto in inferis, petenti guttulam aquæ dixit Abraham, Luc. 16. 25. *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* S. Greg. id considerans hom. 40. ait: Mala Lazari purgavit ignis inopiæ, et bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitæ.

84. Secundo nota, aris Salvatoris Salvator, si eum in pauperibus et afflictis iuves; adhuc enim clamat: *Ego sum pauper et dolens, salus tua suscepit me.* Hæc nos ratio permovere debet, ut pauperes cum ardore et charitate suscipiamus, et solemur, sicut Loth duos peregrinos, quos angelos esse nesciebat, suscepit, et a petulantia Sodomitarum eripere tentavit: unde ipse ab iis servatus est ex incendio. S. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 5. considerans ab eo susceptos tres angelos, sub veste peregrinorum, ait: *Qui scis, an Deum suscipias cum hospitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque angelos eius suscipit hospitio: quamvis et cum hospitem suscipis, Deum suscipis. Sic enim scriptum in Evangelio legis, dicente Domino Iesu: Hospes eram, et collegistis me: quod enim uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.* Lege cætera. Et quidem S. Eucherius lib. 2. in Genes. cap. 27. ait: In tribus viris, qui venerunt ad Abraham, Domini Christi prænuntiatum esse adventum. S. Benedictus Christum in hospitibus agnoscebat; sic enim præcipit: Omnibus venientibus, sive discedentibus, et hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui et suscipitur: ita S. Benedictus. Gloriosa itaque est Christiana paupertas, in qua Christus vult delitescere et adorari.

Christus in pauperibus iuvandus.

Hospitalitas amanda.

85. Gratum animum ob acceptam salutem in resurrectione,
Vers. 31. se habiturum Christus profitetur, v. 31. LAUDABO NOMEN DEI CUM CANTICO, ET MAGNIFICABO EUM IN LAUDE. Syr. magnificabo cum gratiarum actione. Ingratus Deum deprimit, se extollit: gratitudo se deiicit, Deum extollit: dum sibi nihil, Deo omnia attribuit.

Omnibus autem victimis acceptiorem fore laudem suam
Vers. 32 declarat, v. 32. ET PLACEBIT DEO SUPER VITULUM NOVELLUM, CORNUA PRODUCENTEM ET UNGULAS. Pagnin. vertit, Pulchrior erit Domino quam bos, quam vitulus cornificans et ungulificans. Ubi adverte, pro *vitulum novellum*, esse שׁוֹר פָּר *scior par*. Scior proprie significat bovem crassiorem, et iusta ætate ac magnitudine. Chaldæi, qui *sein* solent mutare in *thau*, pro *scior* dicunt *thor*, unde Latini *taurum* vocant bovem fortem, et vaccarum admissarium. *Par* proprie significat iuvencum, id est bovem iuniorem, qui iam vitulus esse desiit. Pro vitulo tamen etiam sumitur Exod. 29. 1. *Tolle vitulum* (Hebraice *par*) *de armento.* Noster interpres vertit, *novellum*, quasi sit Toar, id est, adiectivum. Varro lib. 2. de re rustica, quatuor ætatis gradus distinguit in genere bubulo: primum, vitulorum; secundum, iuvencorum; tertium, boum novellorum; quartum denique, boum vitulorum. Vitulus tamen dicitur etiam de iuvenco et tauro novello. Hinc dicit Virg. lib. 4. Georg. Tum vitulus bina curvans iam cornua fronte. Quæres, qua ætate solebant vituli immolari? Quinam censent, trium annorum vitulum seu bovem Deo fuisse immolatum, moti fortasse præcepto facto Abraham, Gen. 15. 9. *Sume mihi vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium.* Tunc enim animalia sunt perfecta statura, ætate, et robore. Sed hoc fuit singulare mandatum: nam certum est in lege Mosis agnos anniculos, et consequenter capros immolari debuisse, et non debuisse excedere annum, potuisseque immolari octavo die. Idem de vitulis dicendum videtur, cum de illis eodem modo loquatur Scriptura: nam Michææ 6. v. 6. habetur: *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso: numquid offeram ei holocautomata, et vitulos anniculos?* Ergo afferri potest vitulus anniculus. Poterat tamen ætate maior; nam aliquando bovis et tauri immolatio præcipitur, aut permittitur. In spontaneis etiam sacrificiis crediderim agnos et capros annum excedentes potuisse immolari.

Vitulus novellus.

Moral. nota primo, Deus laudandus est in cantico: id 86.
est, corde, ore et manu: hæc enim concurrere debent, ut bonum canticum fiat, et quod Deum magnificet. S. Greg. Naz. orat. 8. pag. 143. *Os meum, ait, aperui, et attraxi spiritum: ac mea omnia, meque adeo ipsum spiritui dono offero, actionem et sermonem, quietem ac silentium: tantum me habeat ac ducat, atque manum, mentem et linguam, ad ea quæ honesta sunt, ipsique grata, moveat: rursusque ab iis abducat, a quibus abstinere præstet;* ὄργανον εἰμὶ θεῖον, *organum divinum ipse sum, organum ratione præditum, organum quod a præclaro artifice, hoc est, a Spiritu sancto concors redditur ac pulsatur:* ita Gregorius. Plerique mortalium a Deo beneficia accipiunt, et pro gratiarum actione blasphemias eructant. Illos non male compares citharœdo pisci, qui citharæ habet similitudinem in se expressam, et silet. De illo sic ait Ælianus lib. 11. cap. 23. Hic piscis in mari rubro reperitur, colore aureo, et lineis a capitis summo vertice ad extremam caudam nigris; ita distinguitur, ut citharæ fidiculas possis dicere: unde citharœdus appellatur. Os ei pessumit et subsidit, atque nigerrimum est, cinguloque croceo circumligatur, vertex fulgore aureo, et nigris quibusdam lineis distinguitur, pinnas habet aureas, rufo colore multipliciter variatur: cauda nigra est, præter extrema, quæ candidissima sunt. Multis Christianis præclara species ac lucens: sed os nigrum, et nihil præter scelera eructans, quodque Dei laudes nunquam sonat. A Deo citharam menti inditam habent, sed multi sunt instar citharœdi piscis, qui citharam fert, et nunquam illa utitur ad sonum ullum exprimendum: aut si loquuntur, os eorum nigerrimum esse apparet.

Organum Dei est vir iustus.

Citharœdus piscis.

Secundo, S. Bernardus in sententiis, distinguit vitulos 87.
tres, quos Deo debemus offerre: *Vituli,* ait, *quos Domino immolare debemus, tres sunt. Novæ conversionis effectus: quasi vitulus novellus cornua producens et ungulas. Sacræ religionis profectus: qui est vitulus tenerrimus de armento. Consummatæ virtutis affectus: qui est vitulus saginatus.* Alludit ad Psalmum nostrum, ubi fit mentio de vitulo novello; 2. ad caput 18. Genesis, ubi Abraham tribus angelis peregrinis offert vitulum tenerrimum; 3. ad vitulum saginatum, qui datus est in convivio prodigi reducis. Luc. 15. Chald. hic vertit, Placebit oratio mea coram Domino magis, quam bos saginatus et electus cum cornibus suis, et ungularum fissionibus.

Vituli tres Deo offerendi.

Tertio, plus placet oratio pauperis et dolentis viduæ duo minuta offerentis Deo, quam victimæ omnes superborum, qui sunt vituli cornua producentes et ungulas: cornua, quibus sese extollant, ut ille pseudopropheta Sedecias, qui fecerat sibi cornua ferrea 2. Reg. 22. 11. ungulas vero, quibus alios proterant. Oratio quoque publicani

pauperis spiritu, id est, humilis et dolentis ob peccata sua, gratior fuit Deo quam victimæ pharisæi superbientis, et de ieiuniis suis atque oblationibus gloriantis, Luc. 18.

88. Ad canticum Deo cantandum omnes creaturas invitat,
Vers. 33. ac præsertim pauperes sibi similes, v. 33. VIDEANT PAUPERES (meam resurrectionem et gloriam) ET LÆTENTUR: (quia qui compatitur, et conregnabit) QUÆRITE DEUM, ET VIVET ANIMA VESTRA. Hebr. cor vestrum. Sed cor ponitur pro anima, quia est principium vitæ, et fons spirituum vitalium sese per totum corpus infundentium.

Vers. 34. Rationem affert lætitiæ et vitæ, v. 34. QUONIAM EXAUDIVIT PAUPERES (S. Hieronym. mansuetos. Fcilx, humiles) DOMINUS: ET VINCTOS SUOS NON DESPEXIT, id est, magni fecit, amavit, tenero amore prosecutus est. Est miosis: minus enim dicitur, et plus intelligitur.

Vers. 35. Omnes denique creaturas invitat, v. 35. LAUDENT ILLUM CÆLI ET TERRA (Chald. *Angeli cælorum, et habitatores terræ.* Sed non soli angeli et homines invitantur, verum astra, et alia in terris posita, ipsique cæli et terra) MARE, ET OMNIA REPTILIA IN EIS; est catachresis, id est, omnia quæ in eis sunt, vivunt, et moventur. Cassiodor. et duo psalteria habent: *Omnia quæ in eis sunt.* S. Hieronymus, *omnia quæ moventur in eis,* cælis scilicet, terra, et mari. Repere proprie dicuntur animalia, quæ sine pedibus, ventre gradiuntur, ut vermes, quæ inde nominantur reptilia; 2. repere etiam dicuntur animalia, quæ parvos habent pedes, ut sunt lacertæ, et similia; 3. repere etiam dicuntur pisces, quia non habent pedes, sed ventre incubant aquis: unde Gen. 1. 20. vocantur reptile. Qui cælos liquidos ponunt, dicunt astra instar piscium in cælo moveri, sic abusive possent dici repere.

89. Nota primo, pauperes vident, quia habent purgatos ocu-
Divites cæci sunt. los ab omni terreno pulvere: divites, cæci sunt, quia velut talpæ in terram sese inferunt, et eam supra oculos suos ponunt. Deinde, Deus illos excæcat. Corinth. 4. v. 4. *Deus huius sæculi* (id est, diabolus, ait Œcumen; 2. mammona, seu opes et pompæ, ait S. Thomas; 3. Deus verus, ut ait S. Anselmus) *excæcavit mentes infidelium.* Videant itaque pauperes, primo, Iesum crucifixum, ut in eo sperent atque glorientur; secundo, Iesum resurgentem, ut exultent ob eius gloriam, et similem expectent.

Pauperes oculati sunt. Secundo, pauperes lætantur. Ideo additur: *Et lætentur.* Qui enim sunt pauperes spiritu, non habent nebulas cupiditatis, quæ solis iustitiæ radios videre, et in iis exultare impedit. Marcus Eremita in cap. 24. de temperantia: *Cor*
Et lætantur. *mundum*, ait, *est illud, quod exhibet Deo memoriam omni specie, formaque vacuum,* μονοις αυτου ετοιμη επισημανθηναι τυποις, *paratum insigniri solis ipsius Dei typis, quibus evadere solet illustre:* ita Marcus. Videant itaque pauperes et lætentur, ex Dei enim visione oritur lætitia. Idem Auctor in eodem capite id affirmat: *Homo*, inquit, *excolit animam, et mutuo secum lætantur Dominus et anima: fruiturque homo* φωτι και χαρᾳ, *luce et lætitia, tam erga Dominum, quam erga fratres. Attamen lampas et lumen noctu diuque ardet: ipsum autem totum per dispositionem divinam non alteratur: et purus est totus homo, ac propemodum non est totus ut oportet: abscissus est tamen murus intermedius, et mors devicta. Quandoque lampas ferventius ardet, et exhilaratur: ita ut homo splendorem illum et vibrationem sufferre nequeat, sed quasi solvatur. Cui adiacet aer tenuis et caliginosus, ut in pelle potestatis adversariæ. Propterea inquit homo ille: Non sum plene liber:* ita ibi. S. Iacobus in epist. cap. 5. 1. ait, plorandum et ululandum esse divitibus.

Deum quærunt. Tertio, pauperes Deum melius quærunt, quia non sunt onerati et degravati pondere divitiarum. Eam ob rem dicitur illis: *Quærite Deum,* q. d. Cætera non curate, ad Deum evolate, sicut aves paradisi, quæ non quiescunt in terra.

Et per eum vivunt. Quarto, pauperes Deum quærentes, vivunt in anima sua, vita scilicet gratiæ. R. Isaias Tranensis vitam istam sic explicat, quod videntes mirabilia Dei atque experturi, eidem credituri sunt, atque in ipso fiduciam habituri. S. Paulus 1. Cor. 1. 26. agens de iis, qui fidem susceperant, dicit: *Videte vocationem vestram,* hoc est, modum vocationis, *fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi et contemptibilia elegit, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destruat.* Euthymius et Niceph. per pauperes intelligunt Gentiles, erant enim destituti fide et religione: Iudæi vero erant divites, habebant enim legem, Prophetas, templum, sacrificia. Omnibus dicendum est cum Amos propheta cap. 5. 14. *Quærite bonum, et non malum, ut vivatis.* Sapientia Increata et incarnata, id est Christus dicit, Prov. 8. 35. *Qui me invenerit, inveniet vitam,* Hebr. חיים *chaim,* id est, vitas, *et hauriet salutem a Domino.* Habebit vitas naturæ, gratiæ, et gloriæ. Vide a me dicta Ps. 35. 10. in illud: *Apud te est fons vitæ.*

Quinto, pauperes exaudit Deus. Unde additur v. 34. Atque ab illo exaudiuntur.
Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos suos non despexit. Psalter. Gallicanum, non annuiiavit. Quod pauperes exaudiantur, ostendam Ps. 101. 18. et seqq. Pauperes præsertim afflictos et vinctos audit Deus. Sed quos vinctos hic intelligemus? Primo, S. Hilar. Lyran. et Aiguanus per vinctos intelligit peccatores. Sed cur *suos?* Quia, ut ait Aiguanus, peccatores sunt duplices: aliqui Peccatores Dei et diaboli.
sunt Dei, aliqui sunt diaboli. Dei sunt peccatores, qui tamen æternaliter a Deo sunt prædestinati: sed diaboli sunt, qui a Deo æternaliter sunt reprobati. Primos Deus non de- 90.
spicit, sed finaliter salvat et liberat. Sed secundos finaliter despicit et damnat: ita ille. Secundo, vinctos præce- Quinam vincti Dei.
ptis suis, ac legibus astrictos iuvat Deus: ita Remigius 1.
Altisiod. et Bruno Herbipolensis, ac S. Hilarius. Tertio, 2.
devinctos vinculo charitatis, et subiectionis inter se: ita 3.
Bruno Carthusianus. Quarto, vinctos et incarceratos pro- 4.
pter se, pro nominis sui confessione, pro pietate et virtute. Sic Paulus vinctus Christi, id est, pro Christo, pro Christi confessione et testimonio. Vaticinatur de liberanda Ecclesia e tyrannorum persecutionibus, et asserenda in libertatem sub Constantino, et deinceps: ita Genebr.
Quinto, et optime, vinctos Patres in limbo. Agit enim hic 5.
de resurrectione sua, et iis quæ illo tempore acciderunt: Et optime.
tunc autem liberati sunt patres e limbo, et aliqui ex iis cum Christo resurrexerunt, in quibus Davidem fuisse arbitror. De illis patribus explicant Lyran. Ugo, Valentia, Bellar. et alii. De illis postea dixit Zacharias propheta cap. 9. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua,* id est, refrigerium et consolatio. Sanguis testamenti seu fœderis fuit sanguis Christi, quem fudit, ut novum fœdus inter Deum et homines sanciret. Nonnumquam Deus etiam incarceratos, et vinculis corporeis astrictos liberavit, et hoc præstiterunt S. Nicolaus Myræ Episcopus, S. Germanus Altisiod. Episcopus, S. Avitus, S. Columbanus Abbas, et alii, sed præsertim S. Leonardus eremita, de quo Surius agit tom. 6. mens. Nov. die 6. Honoravit etiam Deus Sanctorum suorum catenas, ut S. Petri, quem per angelum eripuit de Catenæ S. Petri honoratæ.
carcere Herodis, Act. 12. eas catenas ipsi Herodis ministri, quibus divinæ cognitionis lumen affulserat, clam sustulerunt, et apud seipsos *velut thesaurum* conservarunt, ut ait aut Proclus, aut S. Germanus Patriarcha Constantinop. Cum Eudoxia Imperatrix, Valentiniani iunioris uxor, illam Herodianam catenam ostenderet, Pontifex ei vicissim eiusdem S. Petri catenam Neronianam ostendit: quas cum inter se conferrent, statim inter se ita coaluerunt, ut in unam fuerint redactæ. Olim item solebat limatura illarum catenarum pro ingenti dono ad reges et principes a Romanis Pontificibus mitti, ac per eas Deus multa edebat miracula. Vide plura apud Cornelium in Acta. Adde dictum mirabile S. Chrysost. hom. 8. in illud cap. 3. 1. *Ego Paulus vinctus Christi Iesu.* Sic enim ibi ait: *Petrus vinctus fuit, et ab angelo solutus. Hic si mihi quispiam dixisset: Elige utrum velis: vis esse angelus Petrum solvens, an Petrus vinctus? Petrus utique esse maluissem. Maius hoc vinculorum donum est, quam solem sistere, aut mundum movere, aut dominari dæmonibus, et*

eos expellere. Lege illam homiliam, ubi multa de vinculis S. Pauli reperies. Itaque vincula expete pro Christo, qui vinctos suos non despicit.

91. Symbol. Symbol. de vinculis corporis exponunt S. Gregorius Nazianzenus orat. 11. et S. Augustin. hic, ubi sic loquitur: *Exaudivit pauperes Dominus, et compeditos suos non sprevit. Offensus a servis, fecit eos compeditos: sed clamantes de compedibus non contempsit. Quæ sunt istæ compedes? Mortalitas, corruptibilitas carnis, compedes sunt, quibus ligati sumus. Et vultis nosse istarum compedum gravitatem? Inde dicitur Sap.* 9. 15. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Quando homines in sæculo esse divites volunt, istis compedibus pannos quærunt. Sed sufficiant panni compedum: tantum quære, quantum depellendæ necessitati satis est. Cum autem superflua quæris, compedes tuas onerare desideras. Sufficiat diei malitia sua:* ita Aug.

92. Sexto denique, ob illa omnia laudandus est Deus ab omnibus creaturis, v. 35. *Laudent illum cæli et terra: mare, et omnia reptilia in eis,* id est cælites angeli, terrestres sancti, conversi insulani: ita Genebrardus. Est metonymia, qua continens ponitur pro contento. Seu potius, est prosopopœia, qua ipsis cælis, terræ et mari, persona affingitur: Arnobius porro vult invitari cælos ad laudandum Christum, quia in eos ascendit: terrram, quia ibi resurrexit: mare, quia pedibus illud calcavit. Sed hic loquitur Christus, qui propter suam resurrectionem et glorificationem, sanctorumque suorum omnes creaturas incitat ad laudem Dei. Idem præsta: ut enim ait S. August. in Ps. nostr. *Veræ divitiæ pauperis istæ sunt, considerare creaturam, et laudare Creatorem.* Perinde eum laudare debes, ac si pro te solo passus esset: ita enim omnes redemit, ut pro singulis infinitum pretium dederit. Salvian. lib. 2. ad
Christus pro singulis est passus. Ecclesiam: *Christus,* inquit, *sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis: et cunctis se impendit pariter, et singulis: et totum se dedit universis, et totum singulis. Ac per hoc quidquid passione sua Salvator præstitit, sicut totum ei debent universi, sic totum singuli: nisi quod prope hoc plus singuli, quam universi: quod tantum acceperunt singuli, quantum universi.*

93. Allegor. Allegor. Per cælum intellige Apostolos, et viros cælestes. Psal. 18. 1. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Per terram intellige Iudæos, quibus terrena præmia promissa erant, Per mare, intellige gentes per pœnitentiam amaram conversas. Per reptilia, intellige ceteros peccatores terrenis deditos, qui omnes Deum laudare tenentur: quia pro omnibus quoad sufficientiam fuit passus.

Tropol. Tropolog. laudent illum cæli, id est contemplativi. Et terra, id est activi. Mare, id est pœnitentes. Et omnia reptilia in eis, id est omnes debiles et infirmi, tam inter contemplativos quam inter activos, et pœnitentes: ita Ugo. Secundo, cæli sunt intellectus, voluntas et memoria: terra, corpus, mare, appetitus inferior: reptilia in eis, sunt cogitationes, affectiones et passiones. Illa omnia debent laudare Deum.

Symbol. Symbol. laudent illum cæli, id est clerici: et terra, id est agricolæ; mare, id est mercatores: et omnia reptilia in eis, id est milites qui homines lædunt. Et dicit: *in eis:* quia cum clericis, et agricolis, et mercatoribus portionem accipiunt, et utrisque auferunt: ita Ugo. Secundo, cæli, sunt maiores in Ecclesia: terra, minores, qui iam terra facti sunt, ut cæli esse possint: mare, id est fluctus gentium: et omnia reptilia in eis, sunt illi qui sustentantur per cælum, terram et mare: ita Remigius.

Vers. 36. Denique, prædicit Christus suæ Ecclesiæ felicitatem, v. 36. QUONIAM DEUS SALVAM FACIET SION, ET ÆDIFICABUNTUR CIVITATES IUDA: ET INHABITABUNT IBI (S. Hilar. *in ea*, Sione scilicet; 2. et melius, *ibi*, id est tam in Sione, quam in civitatibus Iuda) ET HÆREDITATE AC-
Vers. 37. QUIRENT EAM. Addit vers. 37. ET SEMEN SERVORUM EIUS POSSIDEBIT EAM, ET QUI DILIGUNT NOMEN EIUS, HABITABUNT IN EA. In his vides: Primo, Ecclesiæ salvationem ab omni periculo, tum huius vitæ, tum alterius. Secundo, ædificationem. Tertio, multiplicationem et fœcunditatem.

A Quarto, felicitatem. Quinto, perpetuitatem. Sexto denique, charitatem. Ut enim ait Bellarminus, *Deus salvam faciet Sion,* id est Ecclesiam suam primitivam ex Iudæis collectam: id est, cœtum illum Apostolorum, ac discipulorum primorum, salvabit ab omni periculo, et persecutione in terris, postea salvabit illam perfecta salute in cælis. *Et ædificabuntur civitates Iuda,* id est propagabitur prima illa Ecclesia, dum multi lapides vivi accedent, et multæ Ecclesiæ toto orbe ædificabuntur, quæ dicuntur civitates Iuda, id est confessionis: quia confessio veræ fidæi Ecclesiam ædificat et propagat. Iuda enim confessionem significat. Deinde prædicitur firmitas et beatitudo Ecclesiæ. Nam civitates Iuda, id est cives civitatum Iuda *habitabunt ibi,* id est in Sion, *et hæreditate acquirent eam.* Omnes enim veri fideles Ecclesiarum particularium adhærent Ecclesiæ Apostolicæ, quæ est Sion, et hæreditate acquirunt eam. Ad quam hæreditatem non pertinent sectæ hæreticorum et schismaticorum. Et isti iidem veri fideles, si permanserint in fide, quæ dilectionem opera-
B tur, inhabitabunt quoque Sion cælestem, et hæreditate acquirent eam: quasi filii, et hæredes. *Et semen servorum eius possidebit eam:* id est istam Sion, sive in terris, sive in cælis, non soli primi fideles possidebunt, sed etiam posteri eorum. Non enim perit Ecclesia Christi, quæ fundata est supra firmam petram. *Et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea:* id est illi ex posteritate fidelium permanenter habitabunt in Ecclesia, et pervenient ad cælestem Sion, qui diligunt nomen eius. Qui enim sine charitate invenientur in fine, tamquam paleæ segregabuntur a frumento et igni tradentur, ut comburantur. Salus enim æterna charitatis est præmium, dicente Apostolo Iacobo cap. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Poterunt igitur ad tempus cum sola fide, absque charitate, peccatores cum iustis esse in Ecclesia, ut paleæ cum tritico in area, et pisces boni cum malis in re-
C te; sed non permanebunt usque in finem, neque hæreditate acquirent cælestem Sion, ut in æternum habitent in ea: ita Bellarminus, et bene: nisi quod τὸ *inhabitabunt ibi,* explicat, quod civitates Iuda habitant in Sion, id enim non dicitur commode quod civitas habitet in civitate. Neque dixeris civitatem sumi pro civibus; sic enim etiam Sion sumenda esset pro civibus Sion; et sic non recte diceretur, quod cives civitatum Iuda habitarent in civibus civitatis Sion: itaque rectius. Sensus est, q. d. *Inhabitabunt ibi,* id est tam in Sion, id est in Ecclesia universali: quam in civitatibus Iuda, id est in particularibus Ecclesiis, fideles scilicet ac servi mei.

Symbol. *Deus salvam faciet Sion,* id est contemplati- 94. Symbol.
vos: *et ædificabuntur civitates Iuda,* id est civitas activorum, et civitas pœnitentium, quorum utrique sunt confitentes peccata: ita Ugo, qui id etiam exponit de ordinibus religiosorum in hunc modum. *Deus salvam faciet Sion,* id est religionem, quam Dominus specialiter salvat: quia ibi est securior, et facilior, et compendiosior via salutis. Unde Genes. 19. 17. ne stes in omni circa regione, sed in Religiosos salvat Deus.
D monte salvum te fac. Abdiæ 21. *Ascendent Salvatores in montem Sion iudicare montem Esau, et erit Domino regnum.* Hoc est quod sequitur: *Et ædificabuntur civitates Iudæ:* id est, domus religiosæ, ubi est civium unitas, ubi confitentur Domino, et confessione laudis et confessione peccatorum. Amos 9. *Convertam captivitatem populi mei, et ædificabunt civitates desertas, et inhabitabunt.* Civitates desertæ, sunt religiones, quæ nec redditus, nec possessiones habent. *Et inhabitabunt ibi,* non tantum per annum, vel dimidium, *et hæreditate acquirent eam.* Et bene dicit, acquirent: quia magnum prælium est quandoque in corde hominis inter rationem et sensualitatem, antequam homo ingrediatur religionem. Item, cum intraverit, multum oportet eum laborare et negotiari, antequam ad summum religionis attingat, et antequam apicem vel arcem contemplationis ascendat. 1. Machab. 13. 50. dicitur, quod Simon acquisivit arcem Sion, quod Iudas non potuit face-

re, nec Ionathas: id est, obedientia contemplationem capit, non confessores, nec datores sacramentalium: id est activi. Non omnibus autem datur, ut istam arcem Sion, id est religionem intrent, vel habitent: unde determinat quibus datur: *Et semen servorum eius,* id est illi qui paupertatem Apostolorum volunt imitari, possidebit eam, non progenies viperarum, Matth. 3. Dan. 13. 56. *Semen Chanaan, et non Iuda, species decepit te:* scilicet species mundi, quæ multos decipit et allicit, unde nolunt religionem intrare. Item, *semen servorum eius,* id est sanctorum confessorum, qui religiones instituerunt. Semen S. Benedicti, sunt monachi. Semen S. Augustini, canonici: semen S. Francisci, fratres minores: semen S. Dominici, ordo Prædicatorum. Unde sequitur: *Et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.* Amanti enim nihil est difficile. Et si tenet argumentum a destructione consequentis, ex præmissa sequitur: *Qui diligunt nomen eius habitabunt in ea:* ergo qui non habitant in ea, non diligunt nomen eius: ita Ugo. Ubi adverte, quod Simon significat obedientem, Iudas confitentem, Ionathas donum Dei: omnibus felicior Simon, id est obediens, qui obtinuit arcem Sion, hoc est contemplationem.

95. Anag. *Deus salvam faciet Sion,* id est Ecclesiam triumphantem: *et ædificabuntur civitates Iuda,* id est cœtus et congregationes Sanctorum Deum laudantium; *et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent eam,* velut filii. Si enim filii et hæredes. Galat. 4. 26. *Illa autem quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Hoc dixit S. Paulus de Ecclesia novi Testamenti, etiam in terris militante, sed multo magis hoc dici potest de cælesti. De utraque possis usurpare illud Clementis Alexandr. lib. 1. Pædag. cap. 6. pag. 76. *O miraculum mysticum,* inquit, *unus quidem est universorum pater. Unum est etiam Verbum universorum, et Spiritus sanctus unus, et ipse est ubique:* μια και μονη γινεται μητηρ παρθενος; *Una autem sola est mater Virgo: mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habuit mater hæc sola, quoniam sola non fuit mulier. Virgo est autem simul, et mater, quæ suos accersens infantulos,* αγιω τιθηνειται γαλακτι, τω βρεφωδει λογω, *sancto lacte, nempe verbo infantili, enutrit:* ita Clemens. Si hanc matrem habueris, habebis et Christum patrem: eius enim sponsa est, et ex eius latere prodiit, sicut Eva ex latere Adami viri sui. Tertull. lib. de Anima: Si Adam, ait, de Christo figuram dabat, somnus Adæ, mors erat Christi dormituri in mortem, ut de iniuria proinde lateris eius vera mater viventium figuraretur Ecclesia: ita ipse. Ad tanti patris et matris æternam hæreditatem aspirantes, veros nos, sanctos et immaculatos eorum filios fide, spe, charitate omnibusque virtutibus præbeamus: et in tempestate animis non deficiamus aspirantes ad beatam spem, pro qua tot tantaque tolerarunt sancti Dei, quibus dignus non erat mundus.

PSALMUS SEXAGESIMUS NONUS.

IN FINEM, PSALMUS DAVID, IN REMEMORATIONEM, QUOD SALVUM FECERIT EUM DOMINUS.

1. DEUS in adiutorium meum intende: Domine ad adiuvandum me festina.
2. Confundantur et revereantur, qui quærunt animam meam:
3. Avertantur retrorsum et erubescant, qui volunt mihi mala:
4. Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, Euge.
5. Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te, et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.
6. Ego vero egenus, et pauper sum: Deus adiuva me.
7. Adiutor meus, et liberator meus es tu: Domine, ne moreris.

PSALMI SEXAGESIMI NONI ANALYSIS.

David ab hostibus se impetitum cernens,	Opem implorat a Deo. 1.	Cum attentione necessitatis. 1.	
		Cum celeritate charitatis. 1.	
	Rationes ponit, cur exaudiri debeat: 3.	Ob hostes, 2. qui	Opere, quærunt animam eius. 2.
			Animo, volunt illi mala. 3.
			Verbis, virtutem eius irrident. 4.
		Ob iustos: 5. qui	Lætabuntur, visa iusti victoria. 5.
			Et Deum laudabunt ob salutem illi datam. 5.
		Ob seipsum: 6.	Egenum. 6.
			Et pauperem. 6.
		Ob Deum ipsum: 7.	Adiutorem in bonis exercendis. 7.
			Liberatorem a malis. 7.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, PSALMUS DAVID, IN REMEMORATIONEM, QUOD SALVUM FECERIT EUM DOMINUS.

In hoc titulo apud Hebræos habetur tantum in finem David *in rememorationem:* sed Septuaginta interpretes addiderunt, explicandi gratia, illa verba, *quod salvum fecerit eum Dominus.* Quod enim quidam bonus auctor, sed modernus, scripsit a Septuag. Interpretibus posita fuisse in titulo aliqua verba primi versiculi, non est probabile:

tum quia in Hebræo non ponitur in titulo pars ulla primi versiculi: tum quia in primo versiculo mentio fit auxilii, non salutis: quæ tamen expresse nominatur in titulo: tum denique, quia si ulla pars primi versiculi pertineret ad titulum, certe prima esset: at prima pars, videlicet, *Deus in adiutorium meum intende*, in omnibus codicibus Hebraicis, Græcis, et Latinis invehitur in principio Psalmi
1. Argum. Psalmi. non in titulo. Argumentum Psalmi idem est cum argumento Psalmi trigesimi noni, cuius sex ultimi versiculi sunt iidem cum sex ultimis versiculis huius Psalmi. Igitur continet hic Psalmus orationem Christi in cruce pendentis pro salute sua: id est, pro celeri resurrectione corporis sui, et pro salute populi sui, quod est etiam corpus ipsius, sed mysticum. Dicitur autem Psalmus compositus in rememorationem salutis acceptæ; quoniam David spiritu prophetico, ut prævidit orationem Christi pro salute fundendam: sic etiam prævidit salutem sine dubio secuturam, et in eius memoriam Psalmum Deo cecinit: ita Bellarminus. In textu Græco nunc est, εις το σωσαι με κυριον, id est, ut salvet me Dominus: probabile est nostrum interpretem legisse εν τω σωσαι, id est cum salvum fecerit. S. Basilius, vel Theodoretus de futura salute exponunt, et hoc indicant Euthym. Niceph. et Apollinar. Neque obstat vox in præterito posita. Prophetæ enim ob certitudinem, de re futuro tamquam de præterito loquuntur. De quolibet iusto et de Ecclesia potest hic Psalmus sumi. Vir iustus, ait Iansenius, in urgentibus periculis ac malis constitutus, hoc psalmo orat sibi celerem Dei opem, hostibus confusionem, sanctis autem ex ope sibi impensa lætitiam. S. Augustinus de martyribus opem petentibus explicat.

Nota, totus hic Psalmus pene ad verbum idem est cum ultimis versibus Psalmi trigesimi noni: itaque breviter expediendus est nobis. Ugo Cardin. advertit, in hoc Psalmo esse septem versus, in quibus petuntur septem dona Spiritus sancti. In primo versu, qui est, *Deus in adiutorium meum intende*, petit donum timoris, Sap. 17. Nihil est timor, nisi præsumptionis adiutorium, proditio cogitationis auxiliorum. In secundo versu petitur donum pietatis, quæ resistit diabolo, qui impius est, et animas quærit perdere. Ephes. 6. *Contra spiritualia nequitiæ*. 1. Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ*. Tertio, petitur donum scientiæ, quo sciat vir iustus conversari in medio nationis pravæ et perversæ, inter malignos homines, qui volunt ei mala. Quarto, fortitudo, contra molientem adulationem. Quinto, donum consilii de fine læto, cum dicit, *Exultent*, etc. Sexto, donum intellectus, quo intelligit se pauperem cum dicit: *Ego vero egenus*. Septimo, donum sapientiæ cum dicit: *Adiutor meus et liberator meus es tu*. Hæc ille, sed aliquantulum coacte.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

2. Duo continet. Primo, opem a Deo implorat, v. 1. Secundo, rationes affert, ob quas dari debeat, v. 5.

PARAPHRASIS.

1. *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuvandum me festina.*

1. Circumseptum, et laqueis hostium implicitum, intuere me Domine, et ad opem mihi præstandam attende: ne diutius auxilium differas, cum periculum adeo urgeat.

2. *Confundantur et revereantur, qui quærunt animam meam.*

2. Non volaticæ fortunæ bona, aut fluxam corporis sanitatem, sed animam mihi meam eripere moliuntur: Spe sua elusi, pudore et ignominia afficiantur, te mihi opem offerente.

3. *Avertantur retrorsum et erubescant, qui volunt mihi mala.*

3. Sceleribus me inquinare, æternisque pœnis addicere, moliuntur: sed tuo territi conspectu in fœdam coniciantur fugam, et vultum pudore suffusum a me liberato avertant.

4. *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.*

4. Veluti victores vorlis attrito elodibus, et in virtute perstanti convicibantur, meque irridentes insultabant: sed subito et inopinato impetu eversi cum rubore diffugiant, te eos agitante.

5. *Exultent et lætentur in te omnes, qui quærunt te, et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.*

5. Contra vero, qui amantes tui ad paternum sinum tuum convolant, mihique victoriam opprecantur, exultent et gaudeant, propter subactos a te hostes meos: et carmen victoriale cantantes dicant, qui te diligunt. Tam mirabili de innumeris legionibus obtenta victoria magnus ab omnibus et invictus, Dominus prædicetur.

6. *Ego vero egenus et pauper sum: Deus adiuva me.*

6. Neque enim quidquam de tua gloria decerpam, mihi ut felicem pugnæ exitum attribuam, cum pauper sim, et opis indigus, omnique humano destitutus auxilio: itaque præsto sis laboranti.

7. *Adiutor meus, et liberator meus es tu: Domine ne moreris.*

7. Unum te in dimicando adiutorem, et in extremo periculo liberatorem præstolor: cum sis Dominus meus, servo tibi supplici celerem opem offeras.

QUÆSTIO UNICA.

Quam necessarium nobis divinum auxilium.

3. Ordo Sectionis. Christus, sive David, aut quilibet iustus, pugnam suam delineaturus, velut tabellæ in medio inermem se constituit. A sinistro innumeram hostium turmam subito procursu et clamore involantem; et laqueos, lanceas, gladios intentantem. Secundo, a dextris statuit chorum iustorum, voce et gestu animos addentium. Tertio, in summa tabellæ parte depingit Deum, velut e cælo spectatorem; a quo velox auxilium in tanto discrimine imploret, variasque rationes afferat, quibus ad id illum emoveat.

Ac primo, cuneos hostiles advertens, oculos in cælum erigit, et inclamat, v. 1. *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina.*

Secundo, rationes agglobat petitas ab hostibus, ab amicis, a se, a Deo, ob quos iuvari debeat.

Primo quidem ob hostibus, quod Primo opere per varios artes animam eius venentur, v. 2. *Confundantur et revereantur, qui quærunt animam meam.* Secundo, animo, vario mala tum culpæ, tum pœnæ, inferre moliantur, v. 3. *Avertantur retrorsum, et erubescant qui volunt mihi mala.* Tertio, verbis, insultent et irrideant, v. 4. *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.*

Secundo, rationem petit a iustis, amicis suis, qui Primo, opere Deum quærunt per varias virtutes et labores, vers. 5. *Exultent et lætentur in te omnes qui quærunt te.*

Secundo, verbis, gloriam Dei prædicant: *Et dicant semper: Magnificetur Dominus.* Tertio denique, animo, te ament: *Qui diligunt salutare tuum.*

Tertio, rationem petit a seipso, quod scilicet sit omni humano præsidio nudatus, nec possit sua virtute tanto agmini hostium resistere, v. 6. *Ego vero egenus et pauper sum: Deus adiuva me.*

Quarto denique, rationem petit a Deo, quod in illo spem suam collocet, eumque solum optet protectorem, vers. 7. *Adiutor meus, et liberator meus es tu: Domine ne moreris.*

ARTICULUS I.

Perfecti et imperfecti egent Dei auxilio continuo.

DEUS semper ad nos iuvandos intentus est, sed hoc semper non sentimus per auxilium sensibile, ideo David a Saule, vel Absalone, aliisve hostibus exterioribus aut
Vers. 1. interioribus, gravem tentationem sentiens, exclamat v. 1. DEUS IN ADIUTORIUM MEUM INTENDE: DOMINE AD ADIUVANDUM ME FESTINA. Hebr. חוּשָׁה *chuscia*, id est, festina cum sollicitudine, sedulitate et alacritate. Quidam volunt denotari illa voce festinationem et accursum cum strepitu; ita ut alii sentiant.

4. Nota, hic versus usurpatur initio Horarum omnium Ecclesiasticarum. Primo, ut ostendamus nos prorsus diffidere de viribus nostris, ad obtinenda ea quæ postulaturi sumus, et ad vincendos hostes nostros. Ut enim ait Ierem. 17. 5. *Maledictus homo qui confidit in homine*, id est, in seipso, *et ponit carnem brachium suum: et a Domino recedit, cor eius erit quasi myricæ in deserto: et non videbit cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto,*
I. *in terra salsuginis et inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia eius.* S. Hieron. eum locum explicans dicit: Maledictus qui ponit carnem brachium suum, id est, fortitudinem suam: et quidquid egerit, non Domini clementiæ, sed suæ putaverit esse virtutis. Qui enim hoc agit, a Domino recedit cor eius, asserens se posse, quod non potest. Et erit quasi myricæ: sive, ut interpretatus est Symmachus, lignum infructuosum in solitudine, et terra salsuginis, id est, inhabitabilis, quæ hospitem non habet Deum, nec angelorum præsidia, nec Spiritus sancti gratiam, nec scientiam magistrorum. Ita Hieronymus Serapion apud Cassianum Collat. 5. cum monuisset tentationum liberationem a Deo exposcendam esse, subdit: *Impossibile est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit, industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse.* Et generatim Richardus a S. Victore in Cant. *Quantum*, ait, *fideles de se diffidunt, tantum in divinæ spei adiutorio confidunt: et quantum de se infirmantur, tantum fortes sunt et potentes in Deo.*

Versiculus noster usurpatur initio Horarum Ecclesiasticarum, et cur?

II. Secundo, versus hic usurpatur initio Horarum omnium Ecclesiasticarum, ut ostendamus nos in omnibus Deo fidere, et eius auxilium esse sufficiens omni hora, et ad rem omnem. Marcus tract. de lege spirituali cap. 1. num. 1. Primum omnium, ait, certo sciamus, Θεον παντος αγαθου ειναι αιτιον, και αρχην, και μεσοτητα, και τελος, Deum totius boni esse auctorem, principium, medium, et finem: Deus est omnia in omnibus. S. Bernard. lib. 5. de consideration. cap. 1. *Deus amat, ut charitas; novit, ut veritas; sedet, ut æquitas; dominatur, ut maiestas; regit, ut principium; tuetur, ut salus; operatur, ut virtus; revelat, ut lux; assistit, ut pietas.* Athenagoras in legatione pro Christianis: παντα, ait, ο Θεος εστιν αυτος εαυτω, omnia est Deus ipse sibi, lux inaccessa, κοσμος τελειος, mundus perfectus, spiritus, potentia, verbum: ita ille. Idem etiam aliis existit; est enim fons inexhaustus, unde omnia bona profluunt. Philo lib. de nominum mutatione, pag. 809. Πηγη, ait, καθαρωτατη της αυγης Θεος εστιν; Fons purissimi splendoris Deus est: ita ut cum animum illustrat, radios clarissimos, nec tenuissimam ullam umbram suscipientes excitet. Et lib. 1. Allegor. Legis, Deum vocat, των ολων ψυχην, *animam universitatis.* Sicut ergo corpus sine anima nihil efficit: ita neque anima sine ope divina. Est enim velut anima animæ, cui dat vitam. S. Bernardus sermon. 75. in Cantica: Quid, ait, tam cordium vita, quam Dominus meus Iesus Christus, de quo aiebat, qui eo vivebat, Coloss. 3. 4. *Cum Christus apparuerit vita vestra: tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria:* ita ibi. Serm. autem 13. ibid. *Origo*, ait, *fontium et fluminum omnium mare est: virtutum et scientiarum Dominus Iesus Christus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est rex gloriæ? Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solum autem, sed et si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientiæ, inde sapientiæ sermo. Thesauri siquidem sapientiæ et scientiæ ibi omnes absconditi sunt. Quid casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria: nonne rivuli et fontes illius sunt?* ita Bernardus. Per totum diem et noctem distributæ sunt Horæ Ecclesiasticæ, in quarum initio versum nostrum usurpamus; quia omni tempore ac momento auxilium Dei nobis est necessarium. Cælestinus Papa ad Episcopos Galliæ cap. 9. Quod ergo, inquit, tempus intervenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus, adiutor et protector orandus est: hæc Cælestinus. Iure itaque Bonifacius VIII. versum nostrum sibi in symbolum sumpsit. Theophylus Patriarcha Antioch. lib. 1. ad Autolycum, Θεος, inquit, ανενδεης εστιν; Deus nullius indiget. Homo vero creatus est: perinde, προσδεης εστιν, egens est: hæc Theophylus, qui neminem excipit.

Christus est fons omnis boni.

Primo igitur, ad tentationes vincendas utilissimus est versiculus noster. S. Chrysost. in Acta Apostol. hom. 3. orationem vocat armaturam in tentationibus; et in Psal. 140. μεγιστον οπλον, arma potentissima. S. Ambros. lib. de Viduis, eam nuncupat, arma Ecclesiæ, quæ adversarium vincunt. S. Paulus iis se armis muniebat adversus spiritum satanæ, qui eum colaphizabat; id est, adversus concupiscentiæ motus et libidinis tentationes, quæ eum vexabant, et pudore afficiebant. 2. Cor. 12. 8. *Propter quod ter*, id est, sæpe, *Dominum rogavi, ut discederet a me.* Et universim Romanos rogat, ut sibi præsto sint per suas preces, idque enixe rogat, Roman. 15. 30. *Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Iesum Christum, et per charitatem sancti Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Græce est, συναγωνισασθαι μοι, ut mecum belligeretis. Et quod specialiter ad versum nostrum, *Deus in adiutorium meum intende*, Cassianus Collat. 10. cap. 10. vocat murum, loricam, et clypeum, ut infra videbitur. Procopius in cap. 58. Isaiæ hoc monitum dat: Obsepies et animam tuam Christo, sicut muro, adversus externas molestias textus. S. Bernardus desiderium Dei ad subveniendum tentatis, declarat in illud Ps. 90. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Sic enim ait: *In creatione, in redemptione, cæterisque communibus beneficiis est Deus omnium: in tentationibus suis tamquam proprium eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, et eripere fugientem, ut videri possit relictis omnibus aliis, ei soli operam dare.* S. Hieron. igitur iure dicit, eum hærere in peccatis, qui Dei opem implorare negligit. Sic enim in Proverbiis: Qui gratiam, ait, superni adiutoris petere non curat, merito in impia actione perdurat: ita ipse. Homerus finxit deos suos adesse præliis, amicos nube tegere. Tacitus de moribus Germanorum tradit, maiores populi sui credidisse, Deum bello adesse: Deus noster est Deus Sabaoth, id est, exercituum: sed præsertim adest in bello spirituali, in quo de tota æternitate agitur. S. Climacus grad. 4. dicit, timendum esse omnibus, etiam iis, qui securi esse viderentur. Portus, inquit, navigiis plenus naves facile inter se collidit.

Oratio dat nobis arma in tentatione.

Deus adest præsertim in tentatione.

Secundo, ad virtutes acquirendas oratio est necessaria, et versus noster utilissimus. S. Chrysost. lib. 2. de orando Deum: *Quod*, ait, *in domo fundamentum est, hoc in anima est oratio: hanc ubi primum, ceu basim ac radi-*

Ad acquirendas virtutes oratio est necessaria.

cem, in anima fixerimus, tum oportet diligenter superstruere pudicitiam, mansuetudinem, iustitiam, pauperum curam, breviter omnes Christi leges. S. Antiochus homil. 101. sine hoc fundamento ædificantes comparat araneæ in aere telam texenti. Verba eius sunt: Quemadmodum aranea, ubi ad telæ suæ fastigium conscendit, velut evanescens momento ruit præceps: ita et qui temere propriis ultitur viribus, mox decidit, et in priorem habitum evanidus relabitur. Tales videri possunt neutiquam audisse Iob dicentem cap. 31. 27. *Si osculatus sum manum meam ore meo*, quæ est iniquitas maxima, et negatio contra Deum altissimum: ita Antiochus. Osculatur manum suam, qui actiones suas laudat, et in iis sibi complacet, atque se non putat auxilio alterius indigere. Noster autem versus opem a Deo poscit in omnibus, et impetrat. Cassianus illud omnium optime et fusissime aperit Collat. 10. cap. 10. Primo enim ait, esse utilem ad varias virtutes: 1. ut Dei memores simus: *Erit*, inquit, *ad perpetuam Dei memoriam possidendam hæc inseparabiliter proposita vobis formula pietatis: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuvandum me festina. Hic namque versiculus non immerito de toto Scripturarum excerptus est instrumento. Recipit enim omnes affectus quicumque inferri humanæ possunt naturæ, et ad omnem statum, atque universos incursus proprie satis et competenter aptatur; 2. habet siquidem adversus universa discrimina invocationem Dei; 3. habet humilitatem piæ confessionis; 4. habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam; 5. habet considerationem fragilitatis suæ; 6. exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis semperque astantis præsidii. Qui enim iugiter suum invocat protectorem, certus est eum esse semper præsentem; 7. habet amoris et charitatis ardorem; 8. habet insidiarum contemplationem, inimicorumque formidinem, quibus perspiciens semetipsum die noctuque vallatum, confitetur se non posse sine sui defensoris auxilio liberari:* ita Cassian.

5. Versus Psalmi nostri, Deus in adiutorium, etc. est utilissimus.

Cassiani locus pulcherrimus.

Secundo, ostendit illum versiculum valere contra omnes tentationes: *Hic versiculus*, inquit, *omnibus infestatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus est, et impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus.* Iste in acedia et anxietate animi collocatos, seu tristitia vel cogitationibus quibuscumque depressos, salutis remedia desperare non patitur, ostendens illum quem invocat inspicere iugiter nostra certamina, atque a suis supplicibus non abesse. Isto nos in spiritalibus successibus, cordisque lætitia constitutos admonet extolli penitus non debere, nec inflari de prospero statu, quem sine protectore Deo retineri non posse testatur: dum non solum eum semper, sed etiam velociter, ut sibi auxilietur, implorat. Iste, inquam, versiculus unicuique nostrum in qualibet qualitate degenti necessarius et utilis invenitur. Nam qui se semper et in omnibus desiderat adiuvari, manifestat, quod non tantum in rebus duris ac tristibus, sed etiam in secundis ac lætis pari modo Deo egeat adiutore: ut quemadmodum ex illis erui, ita in istis eum faciat immorari, in neutro sciens humanam fragilitatem sine illius opitulatione subsistere.

Inductione bene longa probat, hunc versiculum contra omnes tentationes valere. Primo, Gastrimargiæ, inquit, passione perstringor, cibos quos eremus ignorat, inquiro, et in squallida solitudine ingeruntur mihi odores regalium ferculorum, atque ad illorum desideria sentio me invitissimum trahi: dicendum proinde mihi est, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina.* Secundo, anticipare horam statutæ refectionis instigor, seu modum iustæ ac solitæ parcitatis retinere cum magno cordis mei dolore contendo, cum gemitu mihi est proclamandum, *Deus in adiutorium*, etc. Tertio, ieiuniis me ob impugnationem carnis districtioribus indigentem stomachi prohibet lassitudo, seu ventris ariditas constrictioque deterret, ut effectus meo desiderio tribuatur; vel certe, ut æstus carnalis concupiscentiæ absque temperamento districtioris ieiunii conquiescat, orandum mihi est, *Deus in adiutorium meum intende*, etc. Quarto, accedens ad refectionem hora legitima suggerente, perceptionem panis exhorreo, atque ab omni esu naturalis necessitatis excludor, eiulatu proclamandum est mihi, *Deus in adiut.* etc. Quinto, volentem me ob stabilitatem cordis insistere lectioni, interpellans capitis prohibet dolor, horaque tertia faciem meam ad sacram paginam somnus allidit, ac deputatum quieti tempus vel transgredi, vel prævenire compellor, ipsum denique canonicum synaxeos Psalmorumque modum intercedere me gravissima somni cogit impressio, similiter proclamandum est mihi, *Deus in*, etc. Sexto, sublato ab oculis meis sopore, multis me noctibus diabolicis insomniis video fatigatum, omnemque a palpebris meis refectionem nocturnæ quietis exclusam, cum suspiriis orandum est mihi, *Deus in*, etc. Septimo, adhuc me in colluctatione positum vitiorum titillatio carnis repente compungit, et ad consensum pertrahere dormientem blanda oblectatione conatur, ne ignis alienus exæstuans urat suaveolentes flosculos castitatis, clamandum mihi est, *Deus in*, etc. Octavo, extincta sentio libidinis incentiva, et genitalem membris meis intepuisse fervorem, ut parta hæc virtus, imo gratia Dei in me diutius vel perpetuo perseveret, intente dicendum est mihi, *Deus in adiut.* etc. Nono, iræ, philargyriæ, tristitiæ stimulis inquietor, cogorque propositam atque amicam mihi interrumpere lenitatem, ne in amaritudinem fellis perturbatione furoris abducat, cum summo mihi gemitu proclamandum est, *Deus in adiutorium*, etc. Decimo, acediæ, cenodoxiæ, superbiæ elatione pertentor, ac de aliorum negligentia vel tepore quiddam sibi mens subtili cogitatione blanditur, ne in me prævaleat hæc inimici perniciosa suggestio, cum omni contritione cordis orandum est mihi, *Deus in adiutor.* etc. Undecimo, humilitatis et simplicitatis gratiam, superbiæ tumore deposito, iugi compunctione spiritus acquisivi, ne rursum veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris moveat me, graviusque de victoriæ meæ elatione confodiar, totis mihi proclamandum est viribus: *Deus in*, etc. Duodecimo, evagationibus animæ innumeris ac diversis, et instabilitate cordis exæstuo; nec cogitationum dispersiones valeo coercere, ipsamque orationem meam fundere absque interpellatione, atque phantasmate inanium figurarum sermonumque et actuum retractatione non possum, tantaque me sentio sterilitatis huius ariditate constrictum, ut nullas omnino spiritualium sensuum generationes parturire me sentiam, ut de hoc animi squallore merear liberari, unde me gemitibus multis atque suspiriis expedire non possum, necessario proclamabo: *Deus in*, etc.

Tertio, etiam cum omnia pro votis succedunt, usurpandum esse versiculum nostrum docet. Directionem animæ, inquit, stabilitatem cogitationum, alacritatem cordis, cum ineffabili gaudio et mentis excessu, visitatione sancti Spiritus me sentio consecutum, exuberantia quoque spiritualium sensuum redundare, revelationem sacratissimorum intellectuum, et antea penitus mihi occultorum repentina Domini illustratione percepi, ut in his merear diutius immorari, sollicite mihi est frequenterque clamandum, *Deus in*, etc.

Quarto, in terroribus dæmonum iisdem armis utendum monet. Addit enim: Nocturnis dæmonum terroribus circumvallantibus exagitor, et immundorum spirituum phantasmatibus inquietor: spes ipsa mihi salutis ac vitæ, trepidationis horrore subtrahitur, ad salutarem versiculi huius portum confugiens totis viribus exclamabo: *Deus in*, etc.

Quinto, etiam in consolationibus contra dæmones. Rursum, ait, cum fuero consolatione Domini reparatus, et ipsius animatus adventu, velut innumeris angelorum millibus me sensero circumseptum, ita ut eorum, quos morte gravius ante tremiscebam; et quorum tactum, imo viciniam, horrore mentis et corporis sentiebam, repente congressus expetere audeam, ac provocare conflictus, ut in me constantiæ huius vigor per Dei gratiam diutius immoretur, totis mihi viribus proclamandum: *Deus in*, etc.

Hinc recte concludit, huuc versum semper in ore et corde habendum esse. *Huius*, ait, *versiculi oratio in adversis ut eruamur, in prosperis ut servemur, ne extollamur, in-*

cessabili iugitate fundenda est. Huius, inquam, versiculi meditatio in tuo pectore indirupta volvatur. Hunc in opere quolibet seu ministerio, vel in itinere constitutus decantare non desinas. Hunc et dormiens, et reficiens, et in ultimis naturæ necessitatibus meditare. Hæc volutatio cordis velut formula tibi salutaris effecta, non solum illæsum ab omni dæmonum incursione custodiet, sed etiam cunctis te vitiis terrenæ contagionis expurgans, ad illas invisibiles theorias cælestesque perducet, atque ad illum ineffabilem ac perpaucis expertum provehet orationis ardorem. Hunc versiculum meditanti tibi somnus irrepat, donec ineffabili eius exercitatione formatus, etiam per soporem eum decantare consuescas. Hic tibi expergefacto primus occurrat, is te evigilante cogitationes anticipet universas, iste te de tuo surgentem cubili curvationi genuum tradat, atque illinc deinceps ad omne opus actusque deducat, hic te omni tempore prosequatur, hunc meditaberis secundum præcepta legislatoris, sedens in domo, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, hunc scribes in limine et ianuis oris tui, hunc in parietibus domus tuæ, et penetralibus tui pectoris collocabis; ita ut hæc ad orationem procumbenti sit tibi acclivis decantatio: et exinde consurgenti, atque ad omnes usus vitæ necessarios incedenti, fiat erecta et iugis oratio: ita Cassianus alludens ad Deut. cap. 11. 19. ubi id de lege Dei dicitur, quod de versiculo nostro monet: nempe meditandam esse, cum quis sederit in domo, etc. atque etiam fusius cap. 6. v. 6. et seqq. Alardus Gazæus iure dicit, multiplices usus et utilitates huius versiculi, tanta orationis copia et splendore explicari hic a Cassiano, ut nihil addi posse videatur. Navarrus Commentar. de oratione cap. 19. ait, citra impedimentum nostrarum actionum, cum magna consolatione et fructu animarum, bonum esse uti isto versiculo, *Deus in adiutorium meum intende*, etc. Itaque faciendum est de eo, quod Tertull. lib. de corona militis cap. 3. dicit factitatum fuisse a Christianis, in signi crucis formatione. Ad omnem, ait, progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quandocumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus: ita ille. Turrecremata in cap. 9. Regulæ S. Benedicti notat, quod versiculus iste ante omnes in principio dicitur, quia cum orare debemus, maxime tunc nititur diabolus, ut muscæ morientes perdant suavitatem unguenti, Eccle. 10. 1. Contra ergo illius insultus auxilium ante omnia a Domino postulatur. Circa hoc autem notandum est, quod contingit tribus modis peccare: videlicet, corde, ore, et opere; ideoque tribus modis, ut dicitur in Rationali divinorum officiorum, Horæ inchoantur, videlicet Completorium, per, *Converte nos Deus salutaris noster,* contra peccatum cordis. 2. Nocturnæ Horæ, per, *Domine labia mea aperies*, contra peccatum oris. 3. Aliæ Horæ, per, *Deus in adiutorium meum intende*, contra peccatum operis: ideo in omnibus Horis, tam nocturnis, quam diurnis dicitur, *Deus in adiutorium meum intende.* Monachi vero, ex institutione S. P. Benedicti in hoc capitulo, dicunt primo in nocturnis Horis, *Deus in adiutorum meum intende.* Et postea, *Domine labia mea aperies.* Quia sine Dei adiutorio nec cor, nec labia ad ipsius laudem aperire valent: hæc Turrecremata.

ARTICULUS II.

Impiorum iustis insultantium pœnæ.

6. Vers. 2. PRIMO, confunduntur, vers. 2. CONFUNDANTUR, ET REVEREANTUR (Ps. 1. Rom. et Cassiodor. addunt, inimici mei) QUI QUÆRUNT ANIMAM MEAM. In bonam partem hæc sumit S. August. qui in hoc Psalmo vult Martyres loqui. Confundantur, inquit, et revereantur. Iam facta est talis vindicta de inimicis Martyrum. Saulus ille, qui Stephanum persecutus est, confusus est, et reveritus: anhelabat cædes, quærebat quos attraheret et necaret; audita desuper voce: *Saule, Saule, quid me persequeris,* confusus est, et prostratus est, et erectus ad obediendum, qui inflammatus erat ad persequendum. Hoc ergo optant Martyres inimicis suis, confundantur et revereantur. Quamdiu enim non confunduntur et reverentur, necesse est sua facta defendant. Gloriosi sibi videntur, quia tenent, quia ligant, quia verberant, quia occidunt, quia saltant, quia insultant. De his omnibus factis aliquando confundantur et revereantur, ne ista facta sua excusent. Si enim confundantur, et convertantur: quia converti non possunt, nisi confusi fuerint et reveriti: ita Augustinus.

7. Impii confunduntur.

Secundo, et melius, in malam partem hæc sumenda sunt, non velut imprecatio, sed veluti prophetia ac prædictio. Et quidem Hebr. hæc sunt in tempore futuro, sicut in textu Chald. Syr. et Arab. Quomodo etiam possint hæc optari dixi alias. S. Martialis Episc. ad Tolosates suos epist. 2. maledicit persecutoribus Christianorum, quia Christum in illis persequuntur. Sic enim cap. 18. Væ illis qui præsentibus intenti Deum non diligunt, et vos persequuntur. Non enim vos, sed Deum persequuntur. *Patitur enim Deus in vobis qui in eum creditis:* ita ipse. B. Rosam Viterbiensem ad fidei confirmationem magnum rogum ingressam esse, ut hæreticæ cuiusdam contumaciam frangeret, ait Lucas Waddingus t. 3. Annal. Min. Cum in eo rogo illæsa perstitisset, maledicta illa mulier ipsi maledicebat, eamque infamia notare conabatur, id patienter tulit. Quidam vero, eam vitia reprehendentem in brachio graviter percussit; cui illa sine indignatione: Ulciscitur, ait, Dominus suorum iniurias, sed tecum mitius aget, non supplicio, sed signo te intra triduum affecturus, per quod ab omnibus dignoscaris. Atque ita tertia die capillis omnibus totius corporis, capitis, barbæ et superciliorum evanescentibus factus est ridiculus. Haud absimile habes apud Nicephorum lib. 15. cap. 22. pag. 622. de lotricibus, quæ irridentes S. Iacobum Nisibis Episcopum statim Incanuerunt, et fons in quo erant, exaruit: sed fonte precibus sancti viri reddito, canities ad pudorem mansit. In MS. codicibus antiquis habetur, quod, cum Alexander Imp. S. Martinam patre natam consule, iussisset in Apollinis templum ingredi, ut thus idolo offerret, illa signo crucis se muniens Deo se commendavit: tum terræ motus vehemens urbem concussit, Apollinis delubrum partim evertit, simulacrum comminuit, et cum sacerdotibus profanis magnam populi multitudinem extinxit. Iratus illis rebus Imperator, sanctæ Virginis faciem alapis cædi iussit, uncisque ferreis eius palpebras lacerari. Instabant nefario operi carnifices, sed inter cædendum viribus destituti clamare cœperunt: Heu dum hanc torquemus, nos ipsi multo acrius cruciamur. Videmus enim quatuor viros splendidos ante illam, qui eam confirmant: et pœnas quas illi inferre nitimur, in nos potius convertunt. Iratus Imperator testarum fragmentis illam laniari iubet. Sed cum opem a Deo, et tortorum conversionem postularet, luce oborta in facies proruunt, et ad Deum conversi capite plectuntur. Hæc apte convenient sententiæ S. Augustini mox expositæ, qui has esse putat Martyrum voces, ut dixi, postulantium conversionem pro suis persecutoribus.

Maledicunt sancti suis persecutoribus. Et Deus illos punit. Exempla notabilia.

8. Secunda impiorum pœna iustos persequentium est timor. Unde additur, *Et revereantur,* Hebr. ויחפרו *iapheru,* id est, erubescant: rubori autem, pudori seu verecundiæ mistus est timor: quod maxime denotat vox Latina, *revereantur.* S. Damascenus sic verecundiam definit: Verecundia est passio timoris de turpi actu. Aristot. 2. Ethic. 7. Verecundia, inquit, est timor dedecoris vel infamiæ, sive veræ, sive existimatæ. S. Bernard. serm. 16. in Cant. Si, ait, segnior forte suas partes minus exequitur pudor, timor sane excitetur in adiutorium; excitetur, ut excitet. Sepone parum pia vocabula benefactoris patris, atque ad austeriora convertere. Nempe, qui legitur pater misericordiarum, et Deus totius consolationis: legitur nihilominus Deus ultionum Dominus. Legitur Deus iudex et fortis. Legitur terribilis in consiliis super filios hominum. Legitur Deus zelans: ita Bernardus. Utilo est Theophrasti con-

Impii timent.

silium: Reverere teipsum, et non erubesces coram aliis.

9. *Vers. 3. et 4. Impii fugiunt nemine insequente.* Tertio, impii fugiunt nemine persequente, v. 3. AVERTANTUR RETRORSUM, ET ERUBESCANT, QUI VOLUNT (S. Aug. qui cogitant) MIHI MALA. Et v. 4. AVERTANTUR STATIM ERUBESCENTES, QUI DICUNT MIHI: EUGE, EUGE. Primo, S. Aug. hæc in bonam partem sumit, q. d. Christum retro sequantur, non præcedant. Qui enim, ait, reprehendit Christianam religionem, et consilio suo vult vivere, quasi præcedere vult Christum, ut ille videlicet erraverit, et invalidus infirmusque fuerit, qui vel noluerit pati inter manus Iudeorum, vel potuerit. Præcedit reprehendens Christum, veluti antecedit Christum: credat in Christum, et sequatur Christum: hæc ipse. Adducit deinde exemplum S. Petri, cui dixit Christus, Matth. 16. 23. *Redi post me satana.* Quid est, redi post me? Sequere me: præcedere me vis? consilium mihi dare vis? melius est ut consilium meum sequaris: hoc est, redi retro, redi post me. Antecedentem compescit, ut retro redeat, et appellat satanam, quia vult præcedere Dominum; paulo ante beatus, modo satanas. Unde paulo ante beatus? Quia non tibi, inquit, revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in cælis est. Unde modo satanas? Quia non sapis, inquit, quæ Dei sunt, sed quæ hominum: ita Augustinus ingeniose et pie.

Secundo, et ad litteram aptius, *avertantur retrorsum*, id est, fugiant, et a cœptis suis desistere cogantur. Hoc mirum fuit in Martyribus, de quibus hunc Psalmum explicat S. Augustin. nam inermes ipsi fugabant et terrebant persecutores. Cum Sapores Persarum rex sanctos Acindynum, Pegasium, Anempodistum, Aphthonium, et Elpidephorum iussisset in templum Iovis ire, ut sacrificarent: ubi eo ventum est, Sancti orationem fuderunt, ac statim templum terræ motu concussum est, ac statua cadens confracta est. Rex territus ex templo exiliit.

10. *Afflictio purgat a vitiis.* Si primam explicationem sequeris, Nota, nihil a vitiis ita avertere atque afflictionem. Marcus Eremita de lege spirituali, num. 18. σιδηρᾶ πύλη *ferrea porta*, inquit, *ducens ad civitatem, cor durum est. Cæterum ei qui malis affligitur, et tribulationibus iactatur, sua sponte, sicut S. Petro, aperitur:* hæc Marcus. In fronte percutitur Goliath, ut erubescat obstinatus a Deo percussus. Franco Affligeniensis Abbas tom. 5. de gratia Dei: David, inquit, bellica arma nullus requirit, quinque lapides limpidissimos, tamquam manu Dei limatos, atque digito Dei inscriptos, de torrente colligit, in pera pastorali abscondit, hosti superbo ex adverso occurrit, unum impudoratæ fronti infigit: ita ille.

11. *Benevolentia est sol mundi.* Si secundam, et genuinam explicationem sequeris, Nota, non tantum puniri eos qui faciunt, sed etiam eos qui volunt Sanctis mala. Nam malevolentia maximum malum est, quæ omnia tenebris offundit, et velut e cælo solem tollit, nempe benevolentiam. S. Ambr. lib. 1. Offic. cap. 32. *Tolle*, inquit, *ex usu hominum benevolentiam, tamquam solem e mundo tuleris, ita erit.* Et postea: *Benevolentia, ut communis parens omnium, amicitiam connectit et copulat, in consiliis fidelis, in prosperis læta, in tristibus mœsta.* In beneficio aut maleficio voluntas potius spectatur, quam actio. Seneca lib. 1. de beneficiis: Quid est beneficium? inquit, benevola actio, tribuens gaudium, capiensque tribuendo, in id quod facit, prona, et sponte sua parata. Itaque non quid fiat, aut quid detur, refert; sed qua mente et animo. Animus est, qui parva extollit, sordida illustrat: sicut nec in victimis quidem, licet optimæ sint, auroque præfulgeant, deorum est honor, sed pia ac recta voluntas venerantium: ita Seneca.

12. *Irrisione nihil est homini molestius.* Nota denique, cum dixisset de quærentibus animam suam, id est, occidere volentibus, *confundantur et revereantur*: de volentibus ipsi mala, *avertantur retrorsum et erubescant*, non addidit, *statim*: sed agens de irridentibus, dicit: *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.* Sed cur? quia nihil est irrisione homini molestius; tollit enim honorem, quem homines plurimi faciunt, et vitæ ipsi præponunt. *Ut patuit in Dionysio.* Hinc contra irrisores maximo furore plerique omnes insurgunt. Cum Dionysius tyrannus uxorem sibi a Rheginis petiisset, responderunt: Nullam se habere præter carnificis filiam; quo dicto excandescens, arma in eos movit, urbem cepit, et crudeliter in eos deseviit, ut ait Diodor. Sicul. lib. 14. pag. 317. Hormisdas Persarum rex Baram ducem congredi cum Romanis iussit: cumque victus esset, abrogato illi imperio vestem muliebrem misit, ac legato eius per litteras mandavit, ut eum occideret. Sed Bara quanto esset in periculo *In Bara.* reputans, litteras excogitavit ab Hormisda ad se datas, quibus omnem exercitum ad iram concitavit, easque palam recitari curavit. Illi Hormisdam capiunt, in carcerem coniiciunt, atque Chosroem filium eius regem creant, ipso reluctante Hormisda: filium vero, cui regnum decreverat, et matrem illius, in conspectu eius occidunt, ipse erutis oculis servatur in carcere. Chosroes ad tempus cum patre moderate se gessit: sed cum nihil illi gratum esset a filio profectum, iratus eum occidi iussit, latera fustibus tundendo. Hic finis fuit irrisionis. Ob muliebrem vestem Narseti victo a Sophia uxore Iustini Imp. missam, et mordax *In Narsete.* dicterium, tradita est Italia Longobardis tunc barbaris, si credimus Paulo Diacono. De Hormisda agit Zonaras tom. 3. Annal. in Mauritio, fol. 61. De Narsete Baronius t. 7. Sancti quoque irrisores puniunt. David severissime ultus *In Davide.* est Ammonitas, quod Hanon rex eorum, legatos eius vestibus et barba fœde mutilatos irrisisset, ut habetur 2. Reg. 10 et præsertim 12. Elisæus sanctissimus propheta *In Elisæo.* quadraginta duos pueros de Bethel egressos ursis devorandos obiecit, quod per irrisionem illum vocarent calvum, 4. Reg. 2. 23. et seqq. S. Basoli baculum quidam *In S. Basolo.* nobilis pedi imponens, mortuus est; neque ad eius, aut S. Remigii ecclesiam deferri potuit, ut ait Flodoard. l. 2. hist. Eccl. Rhem. cap. 3. Cum Robaldus Ord. S. Dominici vir clarus miraculis, Mediolani esset, quidam hære- *In Robaldo.* ticus eum irridere volens accessit, petiitque ab eo, ut crucis signo eum consignare vellet, quod magnis febrium ardoribus teneretur. Cui vir sanctus simulationem persentiens, illique saniorem mentem exoptans, respondit: Deum maximum rogo, ut si febrium dolore premeris, tui misereatur: sin minus, febri laborare incipias. Vix sermonem finierat, cum irrisor febri æstuare incœpit. Trepidus ille ad Sanctum recurrere, opem implorare: ab eo sanatus hæresim eiuravit, ut refert Antoninus Senensis in chronico Dominicanorum, pag. 136. S. Gregorium Thaumaturg. *In S. Gregorio.* Iudæus quidam irridere volens, mortuum se esse finxit; sed in pœnam illico est mortuus: neque sanctus vir eum a mortuis excitare voluit, licet in eius potestate miracula posita esse viderentur. S. Ludovicum regem Franciæ qui- *In S. Ludovico.* dam irridens obtorto collo mansit, nec pro eo vir sanctus orare voluit, ut sanaretur.

ARTICULUS III.

Lætitia Deum amantium, quærentium et laudantium.

Post considerationem hostium suorum ad iustos amicos suos delabitur Christus seu David, et quilibet vir iustus: eosque monet, ut in uno Deo lætentur, ipsumque laudent, v. 5. EXULTENT ET LÆTENTUR (exultent corpore, lætentur animo) IN TE (Ps. 39. 17. *super te*, velut populi super brachia matris aut nutricis) OMNES QUI QUÆRUNT TE, ET DICANT SEMPER: MAGNIFICETUR DOMINUS, QUI DILIGUNT SALUTARE TUUM. 13. *Vers. 5.*

Nota, vera Dei dilectio non est otiosa; ignis enim est, *Charitas non est otiosa.* ut patuit in Maria Magdalena, quæ statim ut dilexit multum, quæsivit dilectum suum pœnitens in ipso convivio, Luc. 7. in virtute proficiens, quæsivit eum in cruce patientem, Ioan. 19. perfecta quæsivit, et invenit resurgentem atque gloriosum, Ioan. 20. 1. Vim divini ignis senserat Isaac presbyter lib. 1. de contemptu Dei: unde ait, *Ignis in humidis lignis non accenditur, et divinus calor in corde diligentis otium, non gignitur.* Multi multa quærunt, sed pauci Deum. Hinc fit, ut divino illo igne non incale-

*

scant. S. Greg. lib. 5. Mor. 26. Mens, ait, concupiscentiis exterioribus occupata, igne divini amoris non calet.

14. Amor Dei et inquisitio dat lætitiam. Nota secundo, ex amore Dei oritur lætitia. Scholiastes S. Ioannis Climaci ad grad. 16. num. 19. *Auxilium*, ait, *adest omnibus fidelibus simpliciter: tutela, seu custodia divina fidelibus Deo servientibus: misericordia Dei servis singularibus: consolatio præstatur diligentibus Deum.*

Nota tertio, inquisitio Dei dat lætitiam. Ps. 104. 3. *Lætetur*, Hebr. lætabitur, *cor quærentium Dominum.* Sive quæras in contemplatione ad eius excellentiam cognoscendam, sive quæras in actione ad eius gloriam amplificandam, et voluntatem exequendam. De primo S. Bernard. serm. 74. in Cant. illud. Cant. explicans: *Similis esto capreæ hinnuloque cervorum*, sic ait: Veritas capreæ oculos habeat: gratia hinnuli hilaritatem. Philo lib. 1. de Monarchia: Nihil, inquit, magis quam verus Deus, quærendum est, etiamsi eius inventio supra vires humanas sit. Quemadmodum autem certo scire non possumus, cuiusque stellæ qualis sit essentia, quærimus tamen alacriter, oblectamurque rationibus verisimilibus propter genuinum discendi desiderium. Ad eumdem modum licet verum illud ens Deum cernere non valeamus, debemus tamen indesinenter quærere, quandoquidem hæc consideratio vel per seipsam citra inventionem, τρισποθεινον ἐστι, *res est summe desiderabilis.* De secundo, nempe quod in ipsa actione Deum quærendo sit lætitia, docet Isaias, qui asserit a Deo tantas vires dari, ut instar aquilæ cum alacritate ad sublimia fiat volatus. Sic enim cap. 40. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument* (Vatabl. sustollent) *pennas sicut aquilæ: current, et non laborabunt: ambulabunt, et non deficient.* Sicut enim ait S. Bern. *Ubi est amor, ibi non est labor, sed sapor.* Lege S. Greg. lib. 19. Mor. 16. Oritur etiam delectatio quærenti Deum, ex intuitu paratæ coronæ. S. Climac. grad. 12. Nihil est, inquit, quod tot coronas pariat, quot pugna cum acedia. Ita ipse S. Thomas in ipsa inquisitione et labore quietem reperit, ob vehementiam amoris in dilectum absorpti. Illud enim Cant. cap. 7. *Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam*, expendens, inquirit, cur sponsus adiuret filias Ierusalem, id est, animas sanctas, ne sponsam suam a somno excitent, cum prius eam non induxisset quiescentem, sed sponsum sollicite inquirentem, ac respondet: *Dulcissimus et suavissimus est somnus Christum quærere.*

15. In Deo suam gloriam posuere Martyres. Nota quarto, magnificatur Deus Primo, per beneficiorum suorum incrementa nobiscum: ita S. Hilar. hoc loco. Secundo, per laudes eius et magnam æstimationem, quam de ipso habemus, et habere nos declaramus, sicut fecere Martyres, de quibus hunc Psalmum exponit S. Augustinus, qui pro eo vitam, honorem, divitias et alia omnia contempserunt, in illo uno suam gloriam et felicitatem reponentes.

1. S. Agatha. Primo, S. Agatha quærenti a se Quintiano præsidi: cur, cum esset illustri genere nata, servam se profiteretur? S. Agatha respondit: *Nostra nobilitas et gloria est in eo, quod Christi annuntiatur servitus*, ut docet Metaph. 2. in eius vita, die 5. mensis Febr. Addidit præterea: Notum sit vobis, quod mens mea et cogitatio fundata est supra petram, quæ nunquam potest separari a Christi charitate: vestra vero verba ventis similia difflantur.

2. S. Tryphon. Secundo, S. Tryphon, qui Gordiani Imper. filiam a dæmone liberaverat, tempore Decii ad tribunal tractus, cum religionem suam profiteri cogeretur, ait: *Sum liber moribus, et vitæ educatione, uni soli Christo serviens. Christus enim est mihi religio, Christus mihi gloria, et corona gloriationis*, ut refert idem Metaphr. in eius Actis mensis Febr. die 1.

3. S. Isidorus. Tertio, cum Numerius dux exercitus S. Isidoro supplicia intentaret, dixit: *Habeo in me etiam cum mortuus fuero, Deum verum et vivum. Vivit enim in me Christus, et ego in eo, nec cessabo Christum confiteri, donec est spiritus in naribus meis.*

4. S. Auxanus. Quarto, cum S. Petrus Auxanus, qui et Balsamus dicebatur, a Præside interrogaretur: Quod tibi genus est? respondit: Christianus sum. Præses dixit: Quod officium geris? Petrus respondit: Hoc maius officium habere non possum: et quid potest esse super hoc melius, ut sim Christianus. Præses dixit: Parentes habes? Petrus dixit: Non habeo. Præses dixit: Mentiris, audio enim te habere parentes. Petrus dixit: In Evangelio mihi præceptum est omnia denegare, cum ad eius nominis venero confessionem. Præses dixit: Nosti præceptum imperiale? Petrus respondit: *Ego præceptum Dei mei novi, qui est verus et perpetuus Rex.* Tandem post varia tormenta cruci affixus est, ut habetur in M.S. perantiquis codicibus.

Nemo lætitiam illam percipit, nisi qui opem a Deo petit, et de suis viribus diffidit. Ideo additur vers. 6. EGO VERO EGENUS ET PAUPER SUM: DEUS ADIUVA ME. Et v. 7. ADIUTOR MEUS ET LIBERATOR MEUS ES TU: DOMINE NE MORERIS. 16. Vers. 6. et 7. Vide dicta Ps. 39. ubi ultimi versus pene sunt similes toti huic Psalmo, sicut supra iam monui.

Nota, egenum se reputat, qui de suis viribus non præsumit. Vera paupertas spiritus est humilitas. Ioan. Cassianus Collat. 10. cap. 11. *Quæ maior*, inquit, *aut sanctior potest esse paupertas, quam illius, qui nihil præsidii, nihil virium habere cognoscens, de aliena largitate quotidianum poscit auxilium, et vitam suam atque substantiam singulis quibusque momentis divina ope intelligens sustentari, verum se mendicum Domini non immerito profitetur, suppliciter ad eum quotidie clamans: Ego autem mendicus et pauper sum: Deus adiuva me:* hæc Cæsarius. Ea mens erat Martyrum. S. Cæsarius martyr interrogatus a Leontio Consulari, quis vocaretur? ait Cæsarius: peccator vocor. S. Aug. in Psal. nostr. Ego, inquit, egenus et pauper. Ego tamquam pupillus, anima mea tamquam vidua et desolata auxilium quæro, semper infirmitatem meam confiteor. Donata sunt mihi peccata, iam cœpi sequi præcepta Dei, adhuc tamen egenus et pauper. Unde adhuc egenus et pauper? Quia video aliam lege in membris meis repugnantem legi mentis meæ: ita Aug.

Nota secundo, Deus adiuvat eos, qui se egenos et pauperes fatentur. 17. Rectissime ait S. Aug. hoc loco, Lazarus adiutus interpretari dicitur ille egenus et pauper, qui oblatus est in sinum Abrahæ, et gerit typum Ecclesiæ Dei, quæ semper confiteri debet adiutorio sibi opus esse. Hoc est verum, hoc pium. *Dixi Domino: Deus meus es tu.* Quare? *Quoniam bonorum meorum non eges.* Ille non eget nostri, nos egemus ipsius. Ideo verus Dominus. Deus tantum est perfectus dominus. Nam tu non valide verus dominus servi tui, ambo homines, ambo egentes Deo. Si autem puras egere tui servum tuum, ut des panem: eges et tu servi tui, ut adiuvet labores tuos. Uterque vestrum altero vestrum indiget. Itaque nullus vestrum vere dominus, et nullus vestrum vere servus: ita ipse. Deus adiuvat in bonis, et liberat a malis: in eo auxilio David plurimum confidebat, ut passim elucet. Unde dicit Ps. 117. 6. *Dominus mihi adiutor, et*, id est, ideo, *despiciam inimicos meos.* Psal. 139. 8. *Domine, Domine virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli*, velut sacra galea. Theodosius Imp. in eo sperabat, cum dicebat Imperatoriam aciem stare, non armis, sed iustis causis. Marcus Eremita tractat. de lege spirituali, num. 2. Firma et constans fides, ait, πυργος ἐστιν ἰσχυρος, *turris est fortissima.* Χριστος και, τα παντα τῳ πιστευοντι γιγνεται; *Christus autem credenti fit omnia.* S. Bern. ser. 4. in Cant. Deus, inquit, ratione utentibus, lux: recte vero utentibus, virtus: vincentibus gloria. Gregentius Archiep. Tephrensis disp. in Herbanum Iudæum: Altissimi dexteræ, inquit, προπυργιος ασφαλεια, præ turrium præsidium sive tutamen est eorum, qui diligunt ipsum: ita ille. Christus apparet S. Polyeucto eum adiuturus. Hoc in Martyribus patuit, qui opem implorantes a Christo adiuti sunt, nonnunquam visibiliter apparente. Cum S. Polyeuctus miles tempore Decii et Valeriani idola fregisset, eique iussu iudicis Felicis soceri sui, os lapidibus contunderetur, et corpus flagellis laceraretur, Christum conspexit prope se assistentem, et iuvantem: ex quo fiebat, ut plagas omnes pro nihilo duceret, sicut legimus in eius Actibus. Et S. Acindyno, ac sociis. S. Acindynus, Pegasius, Anempodistus, Aphthonius, et Elpidephorus in medio igne sic orabant: Qui es illuminatio nostra, Christe, Deus noster, qui propter nos passus es iniurias, et in ligno fuisti extensus, et precatus es pro

iis qui te interimebant, patientiæ et tolerantiæ decreta nobis proponens, aspice ad humilitatem nostram et afflictionem, et libera nos a machinationibus scelerati animi huius tyranni. Sciant omnes nos te habere Deum in cælis, qui potest omnia, et qui est sine principio, tuum Patrem, et adorandum tuum et sanctissimum Spiritum in sæcula. Amen. Cum sic precati essent, in nostra forma apparens Dominus, solvit quidem vincula, ignem autem irroravit, quomodo pueris olim in Assyria, ut docet Simeon Metaphr. in eorum martyrio die 2. Novembr. In omni itaque negotio ad Deum fugiamus. Ut enim ait S. Paulus Philipp. 2. 13. *Deus est, qui operatur in nobis et velle, et perficere.* In templo præsertim facta oratio auxilium impetrat. Hinc atrium populi in Salomonis templo, quod atrium erat velut templum populi, in quo orabat, vocatur עזרה *azara*, id est, adiutorium, 2. Paralip. 4. 9. ubi sic habetur: *Fecit etiam Salomon atrium Sacerdotum, et basilicam grandem.* Pro *basilicam grandem*, in Hebræo est, *atrium auxilii magnum.* In templum velut in sacrum azylum, seu asylum fuge; ibi Deum reperies magnum, potentem, et tui amatorem, non deerit supplici, qui sæpius ne cogitantem quidem adiuvit.

PSALMUS SEPTUAGESIMUS.

PSALMUS DAVID, FILIORUM IONADAB, ET PRIORUM CAPTIVORUM.

1. In te Domine speravi, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, et eripe me.
2. Inclina ad me aurem tuam, et salva me.
3. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias.
Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu.
4. Deus meus, eripe me de manu peccatoris: et de manu contra legem agentis et iniqui.
5. Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine spes mea a iuventute mea.
6. In te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus.
7. In te cantatio mea semper: tamquam prodigium factus sum multis, et tu adiutor fortis.
8. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.
9. Ne proiicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.
10. Quia dixerunt inimici mei mihi: et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.
11. Dicentes: Deus dereliquit eum: persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.
12. Deus ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice.
13. Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confusione et pudore, qui quærunt mala mihi.
14. Ego autem semper sperabo: et adiiciam super omnem laudem tuam.
15. Os meum annuntiabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum.
16. Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.
17. Deus docuisti me a iuventute mea: et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.
18. Et usque in senectam et senium, Deus ne derelinquas me,
Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.
19. Potentiam tuam, et iustitiam tuam Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?
20. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas: et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me.
21. Multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus consolatus es me.
22. Nam et ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam: Deus psallam tibi in cithara, Sanctus Israel.
23. Exultabunt labia mea, cum cantavero tibi: et anima mea, quam redemisti.
24. Sed et lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam: cum confusi et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.

PSALMI SEPTUAGESIMI ANALYSIS.

- David a filio Absalone eiectus, timens sibi, ne ob scelera a Deo repelleretur:
  - Postulat non confundi in æternitate, 2.
    - Ob Deum, 1. qui
      - Bonitate, spem auxilii faciat. 1.
      - Iustitia, hostes iustorum reprimat. 1.
      - Maiestate, omnibus emineat. 2.
      - Immensitate, asylum sit omnibus. 3.
      - Potestate, in omnes tueatur. 3.
    - Ob hostes,
      - Sceleratos. 4.
      - Et iniustos. 4.
    - Ob seipsum,
      - A iuventute in Deo sperantem. 5.
      - Ab utero matris ab eo protectum. 6.
      - Tota vita eum laudantem, 7.
        - In adversis. 7.
        - Et prosperis. 8.
  - In senectute non proiici, 9.
    - Ob hostes,
      - Detractores. 10.
      - Perfidos. 10.
      - Mendaces. 11.
      - Crudeles, qui eum occisuri sint, 11.
        - Nisi Deus adsit afflicto. 12.
        - Et confundat impios. 13.
    - Ob seipsum.
      - Voluntate,
        - In Dei bonitate sperantem. 14.
        - Et laude interiori eum extollentem. 14.
      - Ore,
        - Iustitiam eius in bonis iuvandis laudantem. 15.
        - Et benignitatem in salvandis. 15.
      - Intellectu,
        - Subdolas artes negligentem. 16.
        - Potestatem Dei cognoscentem. 16.
      - Memoria,
        - Iustitiam Dei in omnibus retinentem. 16.
        - Alia omnia ex animo expungentem. 16.
  - Gratitudinem pollicetur: 17. ob beneficia
    - In iuventute accepta, 17. in qua
      - Deus illustrarat eius intellectum. 17.
      - Ipse Dei mirabilia extulerat. 17.
    - In senectute danda, 18. in qua
      - Dei constans auxilium postulat. 18.
      - Gratitudinem pollicetur,
        - Potestatem Dei laudando. 19.
        - Iustitiam. 19.
        - Opera omnia. 19.
        - Essentiam, et attributa. 19.
    - In tota vita, 20. in qua
      - Afflictus ob scelera, 20.
        - Multis cladibus. 20.
        - Et gravissimis. 20.
      - Liberatus Dei bonitate, 20.
        - Vita reddita, cum pene esset desperata. 20.
        - Donis liberaliter effusis. 21.
        - Lætitia restituta. 21.
      - Gratus omni modo: 22.
        - Manu, musica instrumenta pulsando, ad laudandam eius veracitatem. 22.
        - Labiis, exultando ad eius gloriam. 23.
        - Anima, lætando ob salutem ab eo datam. 23.
        - Lingua, laudando ipsius iustitiam. 24.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David, filiorum Ionadab, et priorum captivorum.

1. In textu Hebræo nullus est titulus, itaque non pauci existimant esse eiusdem argumenti cum Psalmo præcedente, quod generaliter dicunt de Psalmis, qui titulo carent. Probabilius tamen Iansen. Caiet. Gagneius, Bellarm. Lorin. Aiguan. Agell. et Rabbi Esaias Trancosis putant, Davidem hic a Deo auxilium petere, cum ab Absalone persecutionem pateretur iam senex: natus scilicet annos 60. Argum. Psalmi. iam enim regnaverat annos 30. Agi de illa persecutione indicium etiam est, quod dicat, inimicos suos consultasse et dixisse: Persequimini eum; id autem indicat Achitophelis consilium datum Absaloni, ut electis duodecim mille viris fortissimis curaret fugienti instari, se in ducem offerens. Appropriatus autem videtur hic Psalmus ab Ecclesia veteris testamenti ad captivitatem Babylonicam; unde Sept. interpretes mentionem fecerunt filiorum Ionadab, et priorum captivorum. Ad quod

2. Nota, Ionadab fuit filius Rechab, qui familiæ Rechabitarum commendatissimæ ob pietatem nomen dedit. Hæc (Quis Ionadab et Rechabitæ.) per trecentos annos observavit præcepta seu consilia patris sui Rechab, nec ab iis se abduci passus est. Quænam autem essent, refertur Ier. 35, 7. ubi Rechabitæ ipsi hæc dicunt: *Ionadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis*

dicens: Non bibetis vinum vos, et filii vestri in sempiternum. Et domum non ædificabitis, et sementem non seretis, et vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Ionadab autem non a se, sed a patre suo, a quo hæc acceperat, voluit imponi nomen posteris, ubi eius modestia apparet. Vixit tempore Iehu regis Israel, cui evertenti aras Baal et sacerdotes, ac pseudoprophetas eius occidenti adfuit, anno mundi 3151. Iehu 1. Athaliæ reginæ apud Iudæos 1. Elisæi prophetæ 13. ante Christum 902. Ab eo autem anno usque ad annum mundi 3446. Sedeciæ regis 11. quo Ierusalem capta, et cum templo eversa est, fluxerunt anni 295. quibus Rechabitæ suum institutum tenuerunt abstinentes a vino, et possessionibus ac domibus fixis carentes. In quo, ut notat S. Hieron. ad Paulinum epist. 13. fuerunt typus Religiosorum novæ legis. Verba eius sunt: *Noster est Elias, noster Elisæus, nostri duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris et solitudinibus, et faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis; de his sunt et illi filii Rechab, qui vinum et siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Ieremiam voce laudantur.* Et vero, ut ait Cornelius in Ieremiam: Primo, Rechabitæ extra urbes seorsim vivebant, ut faciunt monachi. Secundo, domos non habebant, sed habitabant in tabernaculis, quasi peregrini terræ, non cives. Tertio, vino et deliciis abstinebant, unde Rechabitarum posteri sive successores fuerunt Essæi sive Esseni, de quibus Philo, Euseb. et alii: hi enim æque temperantes et continentes fuerunt, ita ex S. Nilo et Suida docet Serarius lib. 3. Trihær. cap. 9. Quarto, non negotiabantur, non serebant, non metebant, non quærebant opes, esto haberent uxores et liberos: sed vivebant ex pecoribus, et arte pastoritia, victu et vestitu simplici contenti. Quinto, erant Scribæ, id est, sapientes, legis studiosi, Deique contemplationi, laudibus et hymnis vacabant: unde ab iis scriptus dicitur Ps. 70. ut habet eius titulus: ita Hebræi et S. Hieron. Sed non assentior Cornelio putanti Psalmum nostrum scriptum esse a filiis Ionadab seu Rechabitis, licet titulus eorum mentionem faciat: sicut Heman, Asaph, et Idithun non scripserunt eos Psalmos, in quorum titulis sunt eorum nomina, ut alias ostendi. Ponitur autem nomen filiorum Ionadab, quia erant cantores populi, præsertim tempore captivitatis, in quam ducti sunt a Nabuchodonosore, cum se recepissent Ierosolymam, veriti eius exercitum. Videntur etiam speciali privilegio tum ob cognationem Mosis, tum ob eximium zelum Ionadab, evertentis aras et templa Baal, tum ob singularem obedientiam admissi in templum, ut essent cantores. Ieremias enim eis vinum bibere nolentibus ait cap. 36. 18. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, et custodistis omnia mandata eius, et fecistis universa quæ precepit vobis. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* Rechabitas fuisse cantores in templo censet Sanchez, et hoc indicatur 1. Paralip. 2. 55. ubi habetur: *Cognationes scribarum habitantium in Iabes, canentes atque resonantes, et in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore* (Hebr. de Hemath: id est, de Epiphania urbe) *patris domus Rechab.*

3. Rechabitæ typus Religiosorum.

Rechabitæ non erant de tribu Levi.

Dices, Rechabitæ erant posteri Iethro sive Raguel Madianitæ, qui fuit soror Mosis, et dictus est Cinæus, quia de stirpe Cin erat oriundus: ergo non erat Levita, et consequenter cantores in templo esse non poterant eius posteri. Resp. negando subsumptum: sicut enim Gabaonitis commissa fuit cura aquæ et lignorum templi, Iosue 9. 23. ita videntur aliqua alia ministeria templi committi potuisse etiam iis, qui non essent Levitæ, modo victimas non attingerent: hoc enim erat solis Levitis proprium. Ordinarie tamen etiam cantores, ostiarii, et huiusmodi templi ministri erant orti de tribu Levi. Rechabitis itaque factus videtur favor specialis, ut inter cantores templi admitterentur ob singularem pietatem. Cum essent veluti Religiosi illius temporis.

4. Huius Psalmi est Scriptura canonica.

Nota secundo, a quocumque sit additus titulus, esse scripturam canonicam. Nam editio vulgata Latina recepta est a tota Ecclesia, et nobis proponitur velut scriptura canonica. S. Hieron. epist. 101. de opt. gen. interpr. ait, Septuaginta interpretes non pauca de suo vel addidisse, vel abstulisse, iis tamen auctoritatem datam ipsa vetustate. S. Augustinus lib. 18. de civit. cap. 43. non dubitat asserere, si quid sit in codicibus Hebræis, et non apud Septuag. noluisse Spiritum sanctum per istos, sed per illos prophetas Hebræos, nempe Scripturarum conditores immediatos, dicere: et contra, si quid apud Sept. et non in dictis libris, per hos maluisse dicere: quidquid apud utrosque invenitur, voluisse per utrosque: sed ita, ut illi præcederent prophetando, isti sequerentur prophetice illos interpretando.

5. Nabuchodon. venit quater in Iudæam.

Quæres, quinam sunt primi captivi, de quibus hic agitur? Nota, quater in Iudæam cum exercitu venit Nabuchodonosor. Primo, anno mundi 3428. ante Christum 625. contra Ioakim regem, ob initam societatem, et armorum animorumque coniunctionem cum Pharaone Nechao rege Ægypti, a quo factus rex fuerat, fratre eius Ioachaz in Ægyptum abducto. Hunc regem Ioakim vicit Nabuchodonosor, et cepit, atque in Babylonem abduxit, ut habetur 2. Paral. 36. sed tamen parum ibi illum detinuit, certisque conditionibus in regnum remisit, retentis obsidibus, Daniele et sociis. Hæc contigerunt anno tertio Ioakim, qui per annos undecim regnavit. Secundo, in Iudæam venit idem Nabuchodonosor contra eumdem Ioakim rebellantem, Ierosolymam obsedit, eamque ingressus ipsum occidit, licet iureiurando interposito pacificum fore ingressum suum promisisset. Ibi filium eius Ioachinum, sive Iechoniam loco patris regem constituit. Tertio, post tres menses Nabuchodonosor timens, ne Iechonias a se ad Ægyptios deficeret, iterum venit Ierosolymam, et in eam admissus deduxit secum in Babylonem ipsum regem Iechoniam, et matrem eius, servos, principes, et eunuchos: urbemque pro voluntate spoliavit. Nam protulit inde omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regiæ, et concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini. Et transtulit omnem Ierusalem, et universos principes, et fortes exercitus, decem millia in captivitatem, et omnem artificem, et inclusorem auri et gemmarum: nihilque relictum est, exceptis pauperibus terræ. Sedeciam autem patruum Iechoniæ pro eo regem constituit. Inde cœperunt numerari anni transmigrationis, anno mundi 3436. ante Christum 617. Quarto denique, post annos undecim, Nabuchodonosor rediit in Iudæam, obsedit Ierosolymam, cœpit, vastavit, evertit, atque succendit cum templo, Sedeciæ filios ante eius oculos occidit, ipsum excæcatum in Babylonem transtulit. Inde incipiunt numerari anni desolationis: his positis,

6. Quinam sunt primi captivi?

Dico, primos captivos vocari eos, qui abducti sunt cum Iechonia sponte se tradente Babyloniis. Inde enim, ut dixi, incipit transmigratio Babylonica; pauci enim fuerant abducti cum Ioachim patre Iechoniæ. Probabile porro est filios Ionadab tunc fuisse deductos in Babylonem, cum essent viri sanctitate, et scientia, auctoritateque illustres.

7. Allegor.

Allegor. Ionadab, qui interpretatur spontaneus, Dominum Christum figuravit, qui filiis et imitatoribus suis præcepit, ut non bibant vinum: id est, terrenæ voluptati non inhæreant: et in tabernaculis, id est, in militia Domini habitare consuescant. Spontaneus Domini fuit Christus, qui Domino Patri usque ad mortem factus est obediens: ita Ruffinus. Oblatus est, quia ipse voluit, Isa. 53. 7. Valentia, in persona Ecclesiæ, quinque peti vult in hoc Psalmo, sed paulo coactius, illum consule.

Tropol.

Tropol. Psalmos agit de his, qui divinæ voluntati sponte obediunt, qui fuerunt primi captivi: hoc est, antequam ad Deum conversi sunt, subditi erant servituti peccati, et iugo diaboli: quemadmodum ait Apostolus Ephes. 2. *Nos aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ,*

et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri. Quamdiu enim portamus imaginem prævaricationis Adæ, captivi ducimur in legem peccati: dum vero imaginem Christi portare incipimus, imitando vestigia eius, liberamur a misera captivitate culpæ atque diaboli, efficimurque filii gratiæ, et in Domino liberi. Hinc enim dicit Apostolus 1.Cor.15.47. *Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cælo, cælestis. Qualis terrenus, tales et terreni: et qualis cælestis, tales et cælestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis:* ita Dionysius Carthusianus.

Obedientes sunt primi captivi. Secundo, et melius, filii Ionadab sunt filii obedientiæ, qui sponte se subiiciunt afflictionibus a Deo immissis, et sunt primi captivi captivantes intellectum suum in obsequium fidei, ac voluntatem ad ea amanda et suscipienda, quæ Deus immittit: iidem enim sunt filii Ionadab et primi captivi, qui scientes Dei voluntatis esse, ut se dederent Nabuchodonosori, hoc Ieremia intimante, omnibus se captivitatis laboribus spontanee obiecerunt. Hinc quidam codices tollunt τὸ *et*, atque habent: *Psalmus David, filiorum Ionadab priorum captivorum.* Huius lectionis Haymo meminit. Sed quia pene in omnibus codicibus legitur, *et priorum captivorum*, ideo malim eos captivos separare a filiis Ionadab, ac dicere esse eos, qui cum ipsis, et cum Iechonia iverunt in Babylonem, Deo sic iubente. Quod fuit laudabile: ideo nolim eos sumere pro typo peccatorum, licet non sit prorsus incongruum.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

8. TRIA COMPLECTITUR. PRIMO, POSTULAT NON CONFUNDI IN ÆTERNUM, VERS. 1. SECUNDO, NON DESERI IN TEMPORE SENECTUTIS, VERS. 9. TERTIO DENIQUE, GRATUM SE FORE POLLICETUR, SI NON DESERATUR, VERS. 17.

SECTIO PRIMA.

Tria continet, ob quæ David, seu Christus aut vir iustus, petit non confundi in æternum. Primo, quod in Deo spem omnem suam posuerit, vers. 1. Secundo, quod hostes eius sint scelerati et iniusti, vers. 4. Tertio denique, quod a prima ætate, et ex ipso utero, sit a Deo adiutus, vers. 5.

PARAPHRASIS.

1. *In te Domine speravi, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, et eripe me.*	1. Cum in te uno, Deus meus spes meas collocarim, hoc a tua clementia postulo, ne me variis in hac vita cladibus contritum in æternitate confundi patiaris: secundum iustitiam tuam me quoque ab hac præsenti calamitate libera, cum in rebellem filium non peccaverim.
2. *Inclina ad me aurem tuam, et salva me.*	2. Ne me pauperculum a maiestatis tuæ throno reiicias, sed benignis auribus orationi meæ intendas, meque ab hoc periculo eximas.
3. *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias.*	3. Ab hominibus expulsus e regio solio, urbeque, ac villis omnibus in desertum me recepi, ibique ad te unum fugio, velut ad tutissimum asilum: protege et salva in te confidentem.
Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu.	Tu enim mihi arcis instar, tutique perfugii extitisti; cum a Saule, aliisque graves passus sum calamitates.
4. *Deus meus, eripe me de manu peccatoris: et de manu contra legem agentis et iniqui.*	4. Etiamnum mihi succurre, et iam in me involantem, meque prope tenentem Absalonis manum amove: et Achitophelis me insequi cupientis consilia manumque impedi, cum iniustus sit, et in regem innoxium perduellis.
5. *Quoniam tu es patientia mea: spes mea a iuventute mea.*	5. Tu enim mihi ad tam acerba ferenda animum addidisti, et me auxilii spe sustentasti: a prima ætate omnem in te fiduciam meam reposui.
6. *In te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus.*	6. In ipso matris utero, et ex quo ab eo in lucem prodii, tu me lubrica hac in vita variisque periculis stabilivisti atque roborasti: et protector contra omnes adversarios extitisti.
7. *In te cantatio mea semper: tamquam prodigium factus sum multis, et tu adiutor fortis.*	7. Eam ob tutelam mea tibi cantica, dum vivam, consecrabo, eaque tuam in laudem concinnabo. Sæpe tantas in angustias redactus sum, ut me velut portentum, et infausti ominis virum omnes fugerent: sed tu te mihi fortissimum adiutorem præstitisti, et me ab omni periculo liberasti.
8. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.*	8. Itaque, etiam in hac adversitate, pleno te ore, gloriamque tuam concinam, qui et affligere, et cum res postulat, iuvare possis et velis: omnibus vitæ diebus prædicabo maiestatem tuam, qua rebus omnibus emines.

QUÆSTIO UNICA.

QUIBUS MODIS CONFUSIO ÆTERNA VITANDA SIT.

9. Ordo Sectionis. Cum David iam senio gravis, a filio suo Absalone, a consiliario suo Achitophele, amicisque desertum se agnosceret, timens ne ob scelera sua Deo esset iratus, petit in æternitate saltem non confundi. Tres autem rationes profert, easque a Deo, ab hostibus, a seipso petitas.

Ac primo, Dei bonitatem considerans, spem suam erigit, vers. 1. *In te Domine speravi.* Ideoque illi petitionem suam proponit: *Non confundar in æternum.* Secundo, iustitiam implorat, per quam liberetur ab iniusta oppressione: *In iustitia tua libera me, et eripe me.* Tertio, maiestatem agnoscit, per quam supra omnes eminet, v.2. *Inclina ad me aurem tuam, et salva me.* Quarto, immensitatem, quæ omnibus est arx munita, vers. 3. *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias.* Quinto denique, potestatem, qua possit tutari omnes, qui ad se confugerint: *Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu.*

Secundo, ostendit hostium suorum scelera et iniustitiam. Primo quidem, scelera Absalonis filii sui, qui patrem solio expellat, vers. 4. *Deus meus eripe me de manu*

peccatoris. Secundo vero iniustitiam Achitophelis, qui in regem et amicum innoxium rebellet: *Et de manu contra legem agentis, et iniqui.*

Tertio denique, semper a Deo protectum se fuisse dicit: Primo, a iuventute, v. 5. *Quoniam tu es patientia mea: spes mea a iuventute mea.* Secundo, ab utero matris, in quo a variis periculis servatus fuit, v. 6. *In te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus.* Tertio, tota vita: *In te cantatio mea semper: tamquam prodigium factus sum multis, et tu adiutor fortis.*

Hic concludit, se tota vita Deum esse laudaturum, v. 8. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.*

ARTICULUS I.

Deus in se sperantes adiuvat et protegit.

10. Hostes sibi circumfusos advertens David, et ignorans cui vitam suam credat, cum toto corde populus sequeretur Absalom, oculos in cælum erigit, quos in terra sine dolore figere non potest: ac Deum in protectorem vocat.

Qui in Deo sperat, non confunditur. Primo, bonum illum esse, et ad audiendas preces facilem dicit, v. 1. **In te Domine speravi** (spero, et sperabo. Verba enim Hebr. late patent) **non confundar in æternum**, id est, nunquam confundar, q. d. A te semper exaudiar; 2. non confundar diu: iam enim confusus sum, et cum rubore fugio Absalonem et rebelles: sed hoc non durabit diu, quia in te, non in me aut alia creatura spero. Id verum fuit: nam victus est Absalon anno eodem quo rebellavit; 3. non confundar in æternum, hoc est, in æternitate: et, ut loquitur Ludolphus, finaliter et in futuro. Duæ primæ explicationes sunt magis litterales. Suavissima est hæc sententia Eccli. 2. v. 11. *Respicite filii, nationes hominum,* non tantum qui sunt, sed qui fuerunt. Gr. enim est, ἀρχαίας γενεάς, id est, antiquas generationes: *et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est.* Dices, quid si peccator est? Audi S. Chrys. *Non dixit,* inquit, *iustus: sed quis. Et si, inquit, sit peccator. Hoc enim est admirabile, quod etiam peccatores anchoram hanc spei tenentes, sint ab omnibus inexpugnabiles.* Dices secundo, ego speravi in Deo, et tamen sæpe confusus sum. Audi S. August. in Ps. 117. *Dices,* inquit, *ego speravi, et sum pudore affectus. Bona verba quæso, o homo, ne divinæ Scripturæ obloquaris. Nam si pudore affectus es, ideo affectus es, quod non ut oportuit, speraveris, ex eo quod cesseris, ex eo quod finem non expectaveris, ex eo quod pusillo et angusto animo fueris. Hoc enim vel maxime est sperare, quando in media mala et pericula fueris coniectus, tunc erigi.* Lege illum in illud Ps. 9. v. 11. *Sperent in te, qui noverunt nomen tuum.* Et in Ps. 30. *Ego in Domino speravi.* Et S. Bern. serm. 9. in Ps. 90. Hinc dicebat S. Paulus Roman. 5. v. 3. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem; spes autem non confundit,* οὐ καταισχύνει, hoc est, non afficit pudore; impetrat enim id quod sperat, et postulat. S. Chrys. in Ps. 4. spem orationi iungendam ait: *Ante omnia,* inquit, *oportet eum qui precatur, habere fiduciam.*

11. *In tempestatibus huius vitæ spes est anchora.* Nota, in perpetuis et periculosis fluctibus versamur; anchora nostra spes est, quam in uno Deo figere debemus, si securi esse volumus. Hebr. 6. 19. *Spem, sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Syr. vertit: Spes nobis est, velut anchora quæ retinet animam nostram, ne commoveatur. Hinc Syri atque Arabes, spem nuncupant *vataca*, id est, firmitatem, robur, soliditatem, a radice *vatac*, firmare, roborare, solidare, vincere; 2. sperare, fiduciam habere. Hinc *vattic*, est iustus, probus, pius, sanctus; 2. doctus, peritus: quia qui sperat in Deo, sanctus est: et vicissim, qui sanctus et pius est, in eo sperat: qui doctus est in sua doctrina confidit, atque ea se roborat. Tu anchoram tuam in Iesu defige. Hesych. cent. 2. num. 48. νοητὴν θάλασσαν πλέων, θάρρει τῷ Ἰησοῦ; *Spiritale mare traiciens confide in Iesum.* Si ei ad-

A hæseris, securus eris. Rom. 5. 1. *Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Secundo, in portu positi, et a tentationum importunitate liberati, spem ne deseramus: nam etiam in portu navis fluctuat, et aliquando inopinata tempestate frangitur. Quod si in terram exscendisti, atque per amœnos littoris hortos vagaris, spem tecum habe, ut fructus vitæ æternæ colligas. Guarricus Abbas serm. 2. de S. Benedicto illud meditans Ier. 17. 7. *Benedictus vir, qui confidit in Domino,* sic ad rem præsentem ait: Qui in Domino fidit, in eo seipsum figit: ubi autem arbor radicem figit, inde succum vitæ, atque humorem pinguedinis bibit. Plane ad humorem radicis misit, qui, ut verbis utar Benedicti magistri, spem suam Deo commisit, ac de ipso fonte summi boni aquas vitæ totius benedictionis et gratiæ bibit; per hanc fiduciam omnia possibilia credenti redduntur. Non solum mundus per eam vincitur, sed et cælum B possidetur, super æternitatem homo stabilitur, et in Deo ipso charitate radicatur et fundatur: ita Guarricus. Tertio, fructus spei nunquam excidunt. Cum S. Isid. Martyr a Numerio duce exercitus dignus diceretur suppliciis, quod nollet sacrificare idolis, respondit: Dignus sum pro Deo meo ferre contumeliam, et plagas accipere, et mortem sustinere: ut ipse me quoque reddat dignum sanctis martyribus, qui ante me carne sunt mortui pro sancto nomine eius. Scio enim spiritu, quod *qui in ipso spem collocant, nunquam sunt morituri,* ut refert Simeon Metaphr. 5. Februarii in eius actis. Quarto, non solum non confunditur qui in Deo sperat, sed etiam hostes suos confundit. Cum S. Cæsarius Diaconus Martyr duceretur in templum Apollinis, ait: Deus pater Domini nostri Iesu Christi, qui es in æternum, tibi omnia cognita sunt: noli me derelinquere: sed respice servum tuum sperantem in te. Hoc cum dixisset, subito templum corruit, et Pontificem Firminum oppressit, ut habent antiqui M. S. codices. C Quinto denique, qui sperat in Deo, ab ipso coronatur. Iob dicebat cap. 13. v. 15. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Chald. coram eo orabo. Quem locum considerans Orig. lib. 1. in Iob ait: Imperatores, qui victores extiterunt, non stantes, sed deorsum adorantes, coronam accipiunt. Sic Iob in prima tentatione ad orationem se prostravit, ut perfectas tolerantiæ suæ a Deo acciperet coronas.

Conclude hinc cum S. Antiocho, non in creaturis, sed in Deo esse confidendum. Sic enim homil. 100. Quacumque de re, ait, in nullum prorsus hominem reclinanda spes nostra est: sed ἐπὶ τὸν ἀεὶ μεριμνῶντα ὑπὲρ ἡμῶν κύριον, in eum coniicienda, qui curam nostri gerit perpetuam, excutiamus a nobis de Deo, ὀλιγοψυχίαν, pusillanimitatem, ex qua hoc nobis oritur mali, ut toti ex hominum fiducia pendeamus: ita Antiochus.

Secundo, non ita divinæ bonitati fidendum est, quin iustitiæ quoque memores simus. Hinc additur: **In iustitia tua** (id est, iustitia tua: nam Hebræi nomen instrumenti et modi ponunt cum propositione) **libera** 12. *Vers. 1. 2. Pars.*
D **me, et eripe me.** Hebr. liberabis me, et erues me. Pagnin. reddit, *propter iustitiam tuam eripies me, et erues me:* velut in profundam abyssum malorum deiectum. Primo, iustitiam interpretantur misericordiam Cassiodor. et Bruno Herbipolensis, nec male. Secundo, et melius, iustitia stricte sumenda, prout est virtus reddens unicuique quod suum; Absalon autem eripiebat regnum patri Davidi, qui eum non læserat, ideo ad iustum iudicem provocat.

Nota, spes roboranda est innocentia et virtutibus, ne strictum divinæ iustitiæ gladium videns languescat. S. Zeno sermone de fide, spe et charitate: *Amplectenda est,* ait, *spes tenaciter nobis, et omni genere custodienda virtutum.* Sacerdotes Ægypti, si vel unicum pilum nigrum in bove advertissent, immundum censebant, ut refert Herodot. lib. 2. Nos vero putemus mentem vitiis denigratam Deo placituram, et cum ea ad Deum accedentes dona nos obtenturos speremus. *Spes roboranda est virtutibus.*

Secundo tamen, etiam innocentissimi et iustissimi, non in sua, sed in Dei iustitia sperent. S. August. in Ps. nostr. concion. 1. *In tua*, inquit, *iustitia erue me, et exime me. Non in mea, sed in tua: si enim in mea, ero ex illis, de quibus ille ait Roman. 10. 3. Ignorantes Dei iustitiam, et suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ergo in tua iustitia, non in mea: quia mea quid? Præcessit iniquitas, et cum ero iustus, in tua iustitia erit, quia iustitia mihi abs te data, iustus ero: et sic erit mea, ut tua sit: id est, abs te mihi data. In eum enim credo, qui iustificat impium, ut deputetur fides mea ad iustitiam. Erit ergo et sic iustitia mea, non tamen tamquam propria mea, non tamquam a me ipso mihi data, sicut putabant qui per litteram gloriabantur, et gratiam respuebant. Nam dictum est alio loco Ps. 7. 9. Iudica me Domine secundum iustitiam meam. Certe non gloriabatur in sua iustitia, sed revoca te ad Apostolum 1. Corinth. 4. 7. Quid enim habes, quod non accepisti? Et sic dic iustitiam tuam, ut memineris quod acceperis eam, et non eam invideas accipientibus. Nam et ille Pharisæus tamquam a Deo accepisse se dicebat, Lucæ 18. 14. Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines. Quare enim inde te delectat quia bonus es, quod alter malus est? Denique quid addidit? Iniusti, raptores, adulteri, sicut et publicanus iste. Hoc iam non est exultare, sed insultare. Ille autem captivus nec oculos ad cælum audebat levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Parum itaque est, ut illud quod in te est bonum, agnoscas quod a Deo sit, nisi etiam inde non te extollas super illum qui nondum habet, qui fortasse cum acceperit, transiet te. Quando enim erat Saulus Stephani lapidator, quam multi erant Christiani, quorum erat ille persecutor: tamen quando conversus est, omnes qui se præcesserant, superavit:* ita August. Qui recte ait in titulo, hunc psalmum omnibus prope suis syllabis gratiam Dei resonare: id est, nobis commendare gratiam Dei gratuitam, quæ nos liberat indignos, non propter nos, sed propter se.

13. Vers. 2. Tertio, maiestatem Dei agnoscit, et suam abiectionem, cum subdit, vers. 2. INCLINA AD ME AUREM TUAM, ET SALVA ME, q. d. Da facilem votis aurem, ut vertit Magnetius: qui enim alium exaudire vult, ad eum sese acclinat: qui vero renuere vult, caput et aures avertit. Inclinatio itaque auris est signum benevolentiæ et felicitatis. S. Aug. notat, hic esse confessionem humilitatis: qui enim dicit, Inclina ad me: confitetur, quia iacet tamquam æger prostratus medico stanti Cassiodorus: Humilem se, inquit, iacere profitetur: quia nisi divina gratia se ad hominem liberandum inclinaverit, ad illam misericordiam suis meritis non potest pervenire, quam cupit: neque cuiusquam meritum ad illum attingit, nisi ipse misericors ad peccatores pronus adveniat. Apud Tauros, rex lugens amicum, mortuo auriculæ suæ partem, nonnumquam totam aurem abscindit, ut denotet amicum illum fuisse aurem suam: et quidem erant apud Persas, qui dicerentur regis oculi et aures. Deus autem noster cum afflictos videt, aures suas illis inclinat, easque longiores facit, ut precibus emotus remedia malis adhibeat.

Mos notabilis regum Toricæ.

14. Vers. 3. Quarto, aurem benignam a Deo cum petiisset David, seque auditum sensisset, factus audacior, totum Deum postulat, v. 3. ESTO MIHI IN DEUM PROTECTOREM, ET IN LOCUM MUNITUM, UT SALVUM ME FACIAS.

Duplex protectio.

Nota, duplex est protectio. Prima, quæ fit per umbram contra calorem. Secunda, quæ fit per brachium vel aliud interpositum, ut per clypeum contra pugnantem. Secundum primum modum protexit nos Christus, factus nobis arbor vitæ, cuius folia fuerunt in umbram, et fructus in cibum. Primo enim Christus prædicavit, et verbis suis quasi foliis contra concupiscentiarum æstus, nos protexit. Postea seipsum nobis in cibum dedit. Utrumque notatur Cantic. 2. 3. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* Sub umbra illius, hoc quantum ad prædicationem; fructus eius, etc. quantum ad corporis eius communionem. De hac umbra dicitur

A Thren. 4. v. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris; cui diximus, in umbra tua vivemus in gentibus.* Hinc se comparat platano, quæ est arbor umbrosa, et crescit iuxta aquas. Eccli. 24. *Protegit itaque nos ab æstu concupiscentiæ.* Secundo, modo protegit nos ab ira patris in crucem ascendens, ubi se interponens ictus pro nobis excepit. Isa. 53. 5. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras:* ibi factus est nobis scutum bonæ voluntatis, et locus munitus. Ad locum munitum tria solent concurrere: nempe, ut sit altus, inaccessibilis, et horridus: 1. Crux alta fuit: unde dicit Ps. 90. v. 9. *Altissimam posuisti refugium tuum;* et iterum Ps. 60. 3. *In petra exaltasti me;* 2. fuit inaccessibilis, eo enim non pertingit ictus diaboli; 3. fuit horrida, cum passus sit Christus spinis coronatus. Crux fuit scopulus præruptus, super quem Ionathas vicit exercitum Philisthinorum. Hæc et plura Grevæus serm. 145. in sensu allegorico. Pro, *in Deum protectorem*, Hebraice est לצור מעוז *letsur maoz*, 15.

Crux Christi est locus munitus.

B id est, in petram habitaculi, ut vertit Arias. In robustum habitaculum, ut Pagninus. Melius vertes, in petram fortitudinis seu munitionis; hoc est in petram fortissimam et munitissimam. Præterea, pro *in locum*, legerunt Septuaginta et Noster, *le beth*, id est, in domum seu locum: nunc legitur *la bo*, id est, ad ingrediendum: unde S. Hieronymus reddit: *Esto mihi in robustum habitaculum, ut ingrediar iugiter.* Felix, Esto mihi in rupem fortitudinis; ut ingrediar iugiter. Syrus, Esto mihi domicilium quod ingrediar omni tempore. Arabs, *Esto mihi Deus conservans, et arx ad quam confugiam in omni tempore.* Ad Deum et in Deo ambulamus, velut in arce tuti, muro nobis circumiecto Deo ipso. Iob dicebat cap. 17. 3. *Libera me Domine, et pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me,* q. d. Neminem timeo, modo sim iuxta te. David vero vult esse intra Deum, non solum iuxta: petit enim Deum sibi esse domum et arcem, 1. Reg. 24. 1. de illo dicitur: *Ascendit David et habitavit in locis tutissimis Engaddi.* Engaddi, id est, fons hædi, et significat

C Christi vulnera, ubi habitare tutissimum est, ut ait Ugo. Infirmis præsertim ad loca tuta ascendendum est. Proverb. 30. v. 26. *Lepusculus plebs invalida, collocat cubile suum in petra.* Pro *lepusculus*, Cassian. collat. 10. v. 10. ex Septuag. legit *erinaceus*, et interpretatur de Christianis et religiosis perfectioni studentibus. Aptius applica peccatoribus conversis. Qui ad Deum convertitur, ab eo protegitur. S. Paulinus in epistola ad militem, quem hortatur, ut Christo militet: *Nunc*, ait, *qui adiutor et tutor es civium, fias comes Christi. Deinde in hac militia soletis in votis habere hanc officii promotionem, ut protectores efficiamini. Si autem Deo te probaveris, ipsum Deum incipies habere protectorem.* Non peccatores tantum, sed et in Deo manere debent iusti, si in loco munito et securo esse volunt. Proverb. 18. 10. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus, et exaltabitur.* Hoc autem fit per spem, qua ad Deum nos extendimus absentem. S. Isidor. Pelus. lib. 2. ep. 17. *Spes in Deum, ait, firma turris est: non modo rerum gravium et acerbarum depulsionem pollicens:*

D *sed ne præsentibus quidem illis animum perturbari sinens.*

Symb. locus munitus et arx, ubi tutum asylum nobis offert Deus, est domus religiosa. Primo, in ea Christus est murus. Isai. 26. 1. *Salvator ponetur in ea murus et antemurale.* Quod commode dicetur de Iesuatis et Iesuitis, de equitibus Christi, de fratribus militiæ Christi, et aliis nomen eius ferentibus. Secundo, turres sunt Doctores. Cant. 8. 10. *Ubera mea sicut turres.* Legi in ordine S. Benedicti fuisse plusquam quindecim Doctorum millia. Tertio, vigiles, sunt prælati. Hebr. ultim. 17. *Obedite præpositis vestris: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quarto, tubæ sunt prædicatores. Num. 10. 2. *Fac tibi duas tubas argenteas.* Duas ponit, quia promittunt et minantur. Quinto, scuta, orationes. Sap. 18. 21. *Proferens servitutis suæ scutum orationem.* Sexto, mons, eminentia vitæ. Matth. 5. *Non potest abscondi civitas supra montem posita.* Septimo, aqua, la- 16.

Domus religiosa est locus munitus.

crymæ. Iosue 15. 19. *Irriguum superius, et inferius.* Octavo, saxa, sunt duritia vitæ, in lectorum duritia, cibi asperitate, disciplinarum rigore. Isa. 33. 16. *Munimenta saxorum, sublimitas eius.* Nono, cibi, sunt lectiones et meditationes. 1. Machab. 1. *Posuerunt ibi arma et escas.* Decimo, machinæ, sunt variæ inventiones carnem domandi, mundum spernendi, diabolum superandi. 1. Machab 6. 52. *Fecerunt et ipsi machinas, contra machinas eorum.* Undecimo, fossa est paupertas, quæ terram eiicit. 4. Reg. 3. 16. *Facite fossas, et fossas.* Duodecimo denique, milites, sunt religiosi, virtutum armis omnibus instructi. 2. Timoth. 2. 3. *Labora, sicut bonus miles Christi*: hæc ferme Ugo.

17. Vers. 3. 2. Pars.

Quinto denique, ne quis adhuc fluctuaret, addit Propheta: QUONIAM FIRMAMENTUM MEUM (Hebr. סלעי *salhi*, petra, seu rupes, arx mea) ET REFUGIUM MEUM (Hebr. מצודתי *metsudathi*, arx seu munitio mea: unde Maceda urbs munita dicta est) ES TU.

In hac vita instabili a Deo firmari debemus.

Nota, in hac vita instabiles sumus. Hoc declaratum vult S. Chrysologus serm. 176. a cæco nato, qui ait videre se homines, sicut arbores ambulantes. *Quare*, inquit, *sicut arbores, non ut columnæ, aut aliud quid; neque stantes, sed ambulantes. Quia post Christi curam viderat, quod homines velut arbores transirent in hoc sæculo, non manerent: temporalem plantationem germinis humani esse in hac vita mox videt, quem curaverit Christus.* Secundo nota, in hac instabilitate, firmamentum est Deus servis suis. Ps. 24. 14. *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* Hoc in martyribus præsertim patuit, qui in acerbissimis tormentis constantes mansere, aut sine ullo doloris sensu extitere. Cum Ss. Acindynus, Pegasius, Anempodistus, Aphthonius et Elpidephorus in ignem coniecti essent, ab eo illæsi servati sunt, regique Sapori præstigiis illud tribuenti prædixerunt, fore ut obmutesceret, quod statim accidit: tunc exercitus angelorum illis apparuit, cumque auxilium cæleste sensissent Martyres, exclamarunt: *Deus noster refugium et virtus, adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.* Sed surge, et nobis fer adhuc auxilium, et libera ab iis quæ nos circumstant vexationibus: hæc ipsi.

ARTICULUS II.

Deus patientes servos suos ab hoste eripit.

18. Vers. 4.

DAVID numeroso Absalonis exercitu circumcinctus, et iam throno pulsus, ab his pedicis explicari postulat, vers. 4. DEUS MEUS, ERIPE ME DE MANU PECCATORIS, ET DE MANU CONTRA LEGEM AGENTIS, ET INIQUI. Syrus vertit, Deus eripe me de manu impii, et de manu flagitiosi maligni. Arias, a vola pervertentis et violenti. Felix, de palma iniqua agentis, et violenti. Arabs, de manu mali opprimentis. Primo loco, pro *manus* est יד *iad*, hoc est, manus extensa: in secundo loco est כף *caph*, id est, manus curvata et contracta, a rad. כפף *caphaph*, curvare, incurvare, q.d. Eripe me de manu extenta Absalonis, qui gladio stricto et aperta vi me insequitur, et eripe me de manu curvata Achitophelis iniqui, fraudibus et artificiis suis mo implicare molientis, et ferme tenentis atque stringentis.

Parentes summo honore colendi sunt.

Nota, peccator et impius fuit Absalon, qui patrem e solio suo expulit. Cum natura ipsa doceat ipsas nationes barbaras summo honore parentes colere. Pisidæ in suis conviviis primitias libabant parentibus, velut diis, ut tradit Nicol. Damascen. de moribus gentium, Scythæ Issionides caput patris purgandum inaurant, adorantque pro simulacro, idque faciunt solemnibus et annuis sacrificiis. Ipsa animalia parentes suos magnifaciunt. S. Antiochus ad Christianum parentum cultum nos hortatur exemplo upuparum, quæ si quando parentes suos viderint consenuisse, et propter senium hebetiores esse visu, filii alacres pilos parentum convellunt, deinde allambunt oculos illorum, mox ipsos parentes suismet alis subvectos calefaciunt ac refovent: atque ita demum eos, quasi pullos recens editos revocant ad florem ætatis: και νεοι γινονται οι γονεις αυτων, sic ut iuvenes videri possint parentes ipsorum, quasi si suis dicant parentibus: Quemadmodum vos pullescere nos fecistis, et labores tolerastis pro educatione nostra, et nos simile vobis reddimus: ita Antiochus.

Secundo, Achitophel contra legem egit, et iniquus fuit, qui Davidem amicum suum et regem opprimere tentavit. Reges sunt bases et fundamenta populi: unde a Græcis βασιλεις vocantur: qui itaque eos exagitat, veluti convellit totius regni fundamentum, et omnia susdeque evertit. S. Greg. Nazianz. divino veluti cultu vult reges honorari. Sic enim ait orat. 27. pag. 471. Θεοι γινονται τοις υφ'αυτους; *Reges dii quidam sunt subditis, ut quid audacius dicam.*

Tertio, Deus manum, seu potestatem rescindit aut inutilem reddit, in suos reges et in Deum rebellantibus. Ac primo Ieroboami dextera, qui in regem suum Roboam vexillum rebellionis erexerat, et eam in prophetam increpantem quod a Deo ipso ad idola deflexisset, coniicere volebat, statim exaruit, 3. Reg. 13. 4. Secundo itaque in Deum surgentes, manum, id est, potestatem, et in agendo efficaciam amittunt. Ea se spe sustentabat S. Callistratus. Cum enim idolis immolare nollet, et leones canesque dux exercitus minaretur, ait: *Spero in Deum fortem, Deum viventem, quod ipse me extrahet de ore leonis, et de manu canum unigenitam animam meam*, ut legitur in eorum Actis. Cum S. Acindynus ac socii, iussu Saporis regis Persarum in tres lebetes ferventis plumbi demissi essent ligati nihil patiebantur, et Pegasis quidem concinebat: *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen*, Ps. 35. 10. Anempodistus autem, *Pes meus stetit in directo*, Psal. 25. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*, Ps. 118. 109. Acindynus denique: *Comprehenderunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me*, Ps. 114. 3. Cum rex barbarus eos plumbo nihil pati cerneret, ait: Novi vestras præstigias, et cum catenas suis tetigisset manibus, demisit sanctos in lebetes ad collum usque. Tum sancti innoxii exclamarunt: Tu quidem *cum tua manu* velles nobis mortem afferre, a scopo excidisti, Deo nos omnino conservante. Labor autem tuus in caput tuum convertetur, et colliges fructus dignos tuis operibus. His autem illa dicentibus, ceciderunt, ac dissolutæ sunt catenæ, ut refert Metaphr. in Actis eorum, 2. Novemb. ubi vides ex manu impii ereptos esse Martyres. 19.

Manum impii excindit Deus.

Tropol. Diabolus est peccator, ex cuius manu nos eripit Deus, et gratia sua firmat ac roborat. Ita Ruffinus: *Firmamentum meum*, inquit, *et refugium meum es tu. Ex te et per te sum firmus: et sicubi fuero infirmatus in me, refugiam ad te. Firmum et immobilem te facit gratia Christi, adversus omnes tentationes inimici. Sed ibi est et humana fragilitas, ibi est adhuc prima captivitas: ibi est lex in membris, repugnans legi mentis. Et adhuc corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Ideo quantumlibet et gratia Dei firmus sis, tamen adhuc formidandum est ex corruptione carnis. Ergo firmamentum meum es tu, ut sim firmus in isto sæculo contra tentationes. Sed si multæ sunt, et turbant me, refugium meum es tu. Et quia superius dixit: Eripe me: nunc determinat a quibus, cum subiungit: Deus meus eripe me de manu peccatoris, id est, de potestate diaboli: qui specialiter dicendus peccator, quia ipse est persuasor omnis peccati. Et potes eripere me, quia Deus es; et etiam debes, quia per gratiam meus fieri dignatus es; et non solum de manu invisibilis inimici eripe me, sed et de manu contra legem agentis et iniqui. Hic notatur omne genus peccatorum: scilicet aut legis transgressor, si accepit legem: aut tantummodo iniquus sine lege, si legem non accepit. De utroque genere loquitur Apostolus, dicens Rom. 2. 12. Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: et qui in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur. Inter utrumque gemit corpus Christi, atque ab utroque affligitur*: hæc Ruffinus. Manus sceleratorum, est eorum potestas, quæ adeo formidanda est, ut non solum in Dei manus sancti malint incidere cum Davide, 2. Reg. 22. 14. sed etiam in ferarum ungues cum S. Columbano: de eo refert Ionas in eius historia, quod cum per avia ambulans cogitaret, utrum e duobus eligendum videretur in homi- 20.

S. Columbani generosus animus.

*

num iniurias incidere, an ferarum sævitiam sustinere: A crebro frontem signo crucis armans, atque orans intra se, ait: *Melius esse ferocitatem bestiarum, absque alieno peccato: quam hominum rabiem sustinere, cum damno animarum*. Dumque hæc animo volveret, conspicit duodecim lupos irruentes, ac dextra lævaque sibi adstantes: tum vir sanctus immobilis consistens, dicebat: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina*. Vestem ore capiebant lupi, sed, cum constanti animo persisteret, intactum reliquerunt. Plerique sceleratorum Neuris sunt tetriores. De illis barbaris refert Solinus pag. 58. eos æstatis tempore solitos esse transformari in lupos: deinde exacto spatio quod huic sorti attributum est, in pristinam faciem reverti. Illi æstate, aliqui vero Christiani toto anno, unica aut altera dumtaxat die excepta, lupi sunt, et funestiores lupis ac tygridibus. Illi pro Deo, Martem: pro simulacris, enses colebant, homines immolabant, ossibus adolebant focorum ignes. Nos Christum agno mansuetiorem adoramus: quid excusationis obtendemus, si in fratres nostros crudeles fuerimus, cum præsertim Christus sibi factum imputet, quod servis eius fit: unde ait Paulo Act. 9. 4. *Quid me persequeris*. Caunii deos suos quorum erant pertæsi, extra fines patrios hastis aerem ferientes expellebant: idem faciunt qui sanctos et pauperes, ac peregrinos, in quibus habitat Christus, persequuntur, vilipendunt, atque eiiciunt. De Cauniis, Herodot. lib. 1.

Neuri in lupos transformati.

Caunii deos suos finibus suis expellebant.

Secundo, manus diaboli est prava consuetudo, qua tenetur peccator. Ita S. August. quodam loco, Lex peccati, inquit, est violentia consuetudinis, qua trahitur et tenetur animus invitus, eo merito quo in eam volens illabitur.

21. Non statim ad primos hostilium armorum crepitus advolat Deus, sed generosorum athletarum gaudet certamine, atque e cælo, velut Stephanos alteros laurea coronandos aspectat, animoque vires sufficit, v. 5. QUONIAM TU ES PATIENTIA (S. Hieron. Felix, Arias, expectatio) MEA DOMINE (et quoniam tu es) DOMINE SPES MEA A IUVENTUTE MEA. Rationem reddit cur petat ab eo eripi de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui: id est servari ab Absalone et Achitophele.

Vers. 5. 1. Pars.

Quæres, quomodo sit Deus patientia nostra? Primo, *patientia*, id est causa patientiæ meæ, q. d. Quia tu me affligis ob mea peccata, ab adulterium scilicet cum Bethsabæa admissum, atque ob cædem Uriæ Hethæi fortissimi et innocentissimi viri.

Deus est nostra patientia tribus modis.

Secundo et melius, *tu es patientia mea*, id est causa cur libenter patiar, cum sciam a te afflictionem esse profectam: sentio paternum flagellum tuum, cui me filiali reverentia et amore subiicio.

Tertio, *tu es patientia mea*, id est, dans robur ad patiendum, et forti animo sufferendum hæc adversa. Sic dictum est Psal. 61. 6. *Verumtamen Deo subiecta est anima mea: quoniam ab ipso patientia mea*. Quem locum fuse variis modis exposui. Ubi Deus est, ibi patientia est: et vicissim, ubi patientia est, ibi Deus est, sicut angelus in camino fornacis Babylonicæ. Et Gen. 39. 21. dicitur Deus fuisse cum Ioseph incarcerato. Et vers. 23. *Dominus erat cum illo, et omnia opera eius dirigebat*. Tertull. amabilem patientiam esse eleganti descriptione ostendit, et eam esse individuam Dei comitem ait. Sic enim loquitur lib. de patientia, cap. 5. *Vultus patientiæ tranquillus et placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta, remissa æque in lætum modum supercilia, oculis humilitate non infelicitate deiectis, os taciturnitatis honore signatum, color quasi securis et innoxiis, motus frequens capitis in diabolum, et visus minax. Cæterum amictus circum pectora candidus, et corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno spiritus eius mitissimi et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet: sed est teneræ severitatis, apertus et simplex, quem tertio vidit Elias. Nam ubi Deus, ibidem et alumna eius, patientia scilicet*. Eam virtutum reginam vocat S. Petr. Damiani epist. 119. Cum, inquit, assidue videamini divinis insistere paginis, mirum est quomodo vobis ignota sit *patientia regina virtutum*. S. Cyprian. eam nuncupat dominatricem vitiorum: sic enim ait lib. de bono patientiæ: Hæc non solum custodit bona, sed et repellit adversa: quia Spiritui sancto favens, et cælestibus inhærens contra facta carnis et corporis, virtutum suarum propugnaculo reluctatur. S. Chrysost. eam dicit esse fundamentum virtutum, et earum sustentaculum. Verba eius sunt homil. de patientia: Validissima est, totius ædificii trabs, cui reliqua tecti moles incumbit. S. Laur. Iustin. illam æquiparat martyrio: *Sine ferro*, inquit, *et flamma, martyres esse possumus, si patientiam veraciter in mente servamus*. Harmenopulus de sectis n. 18. docet Massalianos hæreticos crucem adversari: nos veros et genuinos Ecclesiæ filios crucis amore probemus, eam cum S. Andrea amplexemur, illam ferentes Christi vestigiis insistamus. Ipse est patientia nostra qui dicit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me*. Pulcherrima hæc monita dabat S. Ægidius socius S. Francisci: Si vis bene videre, erue oculos tuos, et esto cæcus. 2. Si vis bene audire, esto surdus. 3. Si vis bene loqui, esto mutus. 4. Si vis bene ambulare, abscinde tibi pedes. 5. Si bene operari, mutila tibi manus. 6. Si bene amare, habeas te odio. 7. Si vis bene vivere, te mortifica. 8. Si bene lucrari, disce perdere. 9. Si vis esse dives, esto pauper. 10. Si vis esse in deliciis, afflige te. 11. Si vis esse securus, semper esto in timore. 12. Si exaltari, humilia te. 13. Si vis honorari, despice te, et honora te despicientes. 14. Si vis habere bonum, sustine malum. 15. Si vis esse in quiete, labora. 16. Si vis benedici, desidera maledici: hæc ille vir sibi mortuus, et mundo crucifixus.

Patientiæ descriptio.

Et regina virtutum.

Martyres facit sine sanguine.

S. Ægidii præcepta caelmia.

Quarto denique, ut patet ex Hebræo, patientia nostra in expectando est Deus. Sic Rom. 8. dicitur: *Per patientiam expectamus*.

Nota, prius fecit mentionem patientiæ, quam spei: quia, ut ait Ruffinus, *de patientiæ virtute certitudo spei generatur*. Hinc Paulus ait Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem: spes autem non confundit*. Quanto hinc graviora propter Deus sustinemus, tanto maiora in futuro præmia a Domino speramus: ita Ruffinus. Sauromatæ non prius virgini nuptias permittebant, quam hostem interfecisset: nec Deus prius in sponsam suam admittit animam, quam cruce, velut divino gladio, hostes attriverit. Philo negat ullam virtutem acquiri posse, nisi prædux patientia præcesserit. Sic enim ait lib. de sacrificio Abelis et Caini: Animæ oculus nullam virtutis actionem potest suscipere, nisi ὡς φωτὶ, συνεργῷ τῷ πόνῳ, *a labore, ceu luce, adiutus*. Franciscus Gambara Cardinalis pro symbolo sumpsit sibi aratrum, cum his verbis, *Longo splendescit in usu*. Contra vero, segnities, et animus patiendi non cupidus, in vitiis a situ putrescet. Tertull. lib. de patientia, cap. 4. *Omne peccatum*, ait, *impatientiæ adscribendum. Malum, impatientia est boni. Nemo impudicus, non impatiens pudicitiæ: et improbus, probitatis: et impius, pietatis: et inquietus, quietis. Ut malus unusquisque fiat, bonus perseverare non poterit*. 22.

Patientia spem roborat.

ARTICULUS III.

Tota vita consecranda est Deo, sed præsertim iuventus, et pueritia.

DEI bonitate ac potestate perspecta, hostium inani conatu contempto, ad seipsum delabitur Vates, totumque se Dei cultui mancipatum fuisse asseverat, v. 5. DOMINE SPES MEA A IUVENTUTE MEA. Ac v. 6. IN TE CONFIRMATUS SUM (S. Hieron. a te sustentatus sum. Pagn. tibi innixus sum) EX UTERO: DE VENTRE (Arabs, a visceribus et a ventre) MATRIS MEÆ TU ES PROTECTOR MEUS. Camp. vertit: Ab ipsis visceribus matris tu avulsisti me. Flaminius: De ventre matris meæ tu eduxisti me. 23.

Vers. 5. 2. Pars. Vers. 6.

Sensus est, q. d. Domine tu es patientia, id est expe-

ctatio mea: in te speravi a prima adolescentia et pueritia mea, ex quo rationis usum habui: imo vero, ex utero matris meæ sensi tua beneficia: ibi enim per te coagulatus sum, et compactos, atque formatus. Ex illo ergastulo per te eductus sum, et ab eo tempore protectus.

Tota vita in Deo sperandum.

Nota, Hebr. נְעוּרִים nehurim, significat primo, pueritiam: nam *naar* puer dicitur, ut Iudicum 8. 20. et alias sæpe: secundo, adolescentiam, ut Isaiæ 54. 6. tertio iuventutem ut Ps. 102. 5. Unde fit, ut Primo Chald. vertit hoc loco: Tu es spes mea Domine Deus meus, fiducia mea *a pueritia mea.* Secundo, S. Hieron. reddit: Tu es expectatio mea, Domine Deus fiducia mea *ab adolescentia mea.* Apollinaris vocat νεοθηλέα ἥβην, virescentem pubertatem. Tertio denique, Noster et Septuag. habent: Tu es patientia mea, spes mea *a iuventute mea.* Quin etiam *nehurim* vertitur *infantia,* Genes. 46. 34. Ubi adverte, ætatem hominis ordinarie in quinque partes dividi: nempe in infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuventutem et senectutem. Varro quinque gradus assignat. In primo usque ad annum decimum quintum *pueros* vult dictos esse, quod sint puri, id est impuberes: in secundo ad annum trigesimum, *adolescentes,* ab adolescendo nominatos: in tertio, usque ad annum quadragesimum *iuvenes* appellatos, eo quod Rempublicam in re militari iuvare possent: in quarto autem gradu, usque ad sexagesimum annum *Seniores* nuncupatos, eo quod tunc corpus senescere incipiat: inde usque in finem vitæ uniuscuiusque quintum gradum factum, in quo qui essent, *Senes* appellatos, quod ea ætate corpus iam senio laboraret. Hæ ætates singulæ trifariam dividuntur, ut prima pars sit virilis, secunda adulta, tertia præceps.

Ætas hominis in quinque gradus dividitur.

24. In Psalmo nostro non sumitur stricte iuventus, sed pro infantia et pueritia præsertim; nam ipsius uteri, et egressus ab utero statim facit mentionem, q. d. Se a prima ætate Deo curæ fuisse. Hoc accidit plerisque sanctis viris, ut a primis annis ad pietatem formarentur, et ad eam quandam inclinationem ostenderent. Primo, S. Elzearius Comes Arriani *tres annos* vix natus, tanto pauperum affectu tangebatur, ut a lacrymis non prius absisteret, quam aliqua eleemosyna adiuti essent: *quintum* vero *annum* ubi attigit, omnia quæ dabantur, in pauperes expendebat. Secundo, S. Catharina Senensim *sextum ætatis annum* fere expleverat, cum supra verticem templi fratrum S. Dominici, vidit in aere thalamum elegantissimum regio splendore compositum, et in illo Christum Salvatorem in throno imperatorio sedentem, indutum pontificio habitu, et in capite ferentem tiaram, qualis est Pontificum Romanorum. Aderant illi Petrus, et Paulus, et Ioannes Apostoli. Ibi puella defigens oculos utriusque hominis in Christum, illum amantissime contemplabatur: vicissimque Christus suæ maiestatis oculis in eam intentis blandissime subridens extenta super eam dextera, expressoque crucis signo, illi benedixit, ut refert Raymundus Capuanus Ord. S. Dominici Generalis, in eius vita. Tertio, S. Cæsarius Episc. Arelat. *septimum ætatis annum* agens vestem suam largitus est pauperibus, ut narrat Cyprianus eius discipulus, in ipsius historia. Quarto, S. Iustinus *puer novem annorum* cum Rictiovari iussu urgeretur, ut socios indicaret, respondit, Repromittit quidem sanctum nobis evangelium, ut qui propter Christum suam animam perdiderit, in vitam æternam vere eamdem custodiat, et idcirco pœnas pati pro illo non timeo, etc. capite est truncatus. Quinto, S. Eutropia *duodecim annos* nata martyrio est coronata. De aliis egi Ps. 43. qui est de martyribus. De S. Eutropia habes in Rom. Martyrol. 15. Iunii. S. Greg. Nyss. in orat. funebri de S. Basilio, eum vocat, πολιὸν ἐκ νεότητος, moribus canum a prima pueritia. Clearchus lib. 5. vitarum ait, Sagarim Mariadynum præ mollitie ad senectutem usque nutricis ore cibatum esse, ne mandendo fatigaretur. Sed Christi sanguine nutriti infantes ad crucem ferendam ab ipsis cunis evolant, ut infra adhuc videbitur. A prima ætatis aurora ad Deum currendum est: id fecerat David, ut ait Ps. 118. 147. *Præveni in maturitate, et clamavi.* Chald. in aurora. Aurora ætatis est infantia et pueritia. Bernardinus Baldinus, ut desiderium suum virtutes Christianas sectandi declararet, acum nauticam et arctoum sidus effinxit, cum hac epigraphe, *Inoccidua sequor.* Deum nos a prima luce ætatis usque ad senectutem consequamur.

In infantia et pueritia ad Deum vocati: 1 S. Elzearius. 2 S. Catharina. 3 S. Cæsarius. 4. S. Iustinus. 5. S. Eutropia.

25. Non ab infantia solum et pueritia, sed ab ipso matris utero dicit David se Deo curæ fuisse, vers. 6. *In te* (Arias super te. S. Hieron. a te) *confirmatus sum ex utero.* Primo, per primam formationem in conceptione. Iob dicit Deo cap. 10. v. 10. *Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti. Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me, vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum.* Sancta et generosa septem martyrum Machabæorum mater, filios ad fortiter ferenda Antiochi Epiphanis tormenta exhortans dicebat 2. Mach. 7. 22. *Nescio qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, singulorum membra non ego ipsa compegi. Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam.* Ut enim ait S. August. in Ps. 118. Nihil de genitoribus, aut de seminibus nascitur, si ea non operetur Deus. Secundo, confirmat Deus, et conservat formatum fœtum in utero per novem menses, et eum a plurimis periculis liberat in tenebricoso et fœtido carcere, ubi singulis momentis mori deberet, nisi ab eo servaretur, et mirabiliter nutriretur. Apollin. vertit: Ipse mihi protectio fuisti caræ in ventre matris. Fortasse etiam aliquod speciale periculum David incurrerat ob lapsum aut morbum gravidæ matris. Tertio, confirmatum, id est sanctificatum in utero matris cum fuisse quidam putant, sicut B. Virginem, S. Ioan. Baptist. et Ieremiam: sed hoc non est probabile: quia in utero sanctificatos postea mortaliter peccasse passim negant: constat autem Davidem adulterio et homicidio peccasse. Adverte cum aliquibus, non esse improbabile hominum genituris angelos præesse, ut fœtus formetur: constat certe ab angelis protegi fœtum in uteris maternis: non ab angelo ipsius fœtus, ut vult Richelius; nam ei tantum nascenti datur: sed ab ipsius matris angelo; cum matre enim unum quid est fœtus.

In utero matris conservatur fœtus a Deo et formatur.

26. Nota, visionibus cælestibus sanctitas clarorum virorum declarata est, cum necdum ex utero prodiissent. Primo, S. Vigoris Episc. Baiocensis gravida mater accepit ab angelo in somnis, habere ipsam in utero filium, quem Dominus sua gratia illustraturus esset, ut habent antiqui M. S. codices. Secundo, mater S. Gudulæ ab angelo monita est filiam se habituram, quæ sanctitate palmam caperet vitæ perennis, ut dicitur apud Sur. tom. 1. die 8. Ian. Tertio, S. Victor Confessor, adhuc in utero terrori fuit dæmonibus, ut tradit S. Bernardus. Quarto, S. Arnulphi Suessionensis Episcopi matri imperatur, ut natum filium Christophorum, q. d. Christum ferentem, vocet, ut docet Lisiardus Episcop. eius successor. Quinto, S. Hugonis Episc. Gratianopolitani mater gravida, visa est sibi genuisse se parvulum, quem sistendum Dei conspectibus Sancti, in quibus et beatus erat Petrus, deferebant in cælum, ut tradit Guido Prior V. Carthusiæ in eius vita.

Sanctitas puerorum utero adhuc clausorum declarata: 1. S. Vigoris 2. S. Gudulæ. 3. S. Victoris. 4. S. Arnulphi. 5 S. Hugonis.

Nonnumquam officia Sanctorum aut martyria in ipso utero existentium fuerunt prænuntiata. Primo, S. Norberti Archiepiscop. Magdeburgensis, et sanctissimi Præmonstratensis Ordinis Fundatoris mater, quemdam audivit in somnis sibi dicentem: Æquo animo esto, Hadervigis, Archiepiscopus futurus est quem gestas in utero, ut testatur Hugo, qui illi in regimine monasterii Præmonstratensis successit. Secundo, cum mater S. Vismari Episcop. gravida esset, apparuit illi senex venerandus per visum, manu puerulum tenens: Accipe, inquit, hunc puerulum, nutricns eum. Cum famem illa obtenderet, panem candidum porrexit, his additis: De hoc pane nutries eum: quem cum accepisset, plurimum panis auctus est. Quo indicabatur, pane vitæ in concionibus multos nutriturum esse, ut accidit. Iterum autem somno depressa, vidit sca-

6 S. Norberti. 7. S. Vismari.

lam, cuius cacumen cælos tangeret, per quam idem puer scandens, cælum ingrederetur, ut ait Ratherius Veronæ Episcop. in eius historia. (8. S. Præiecti.) Tertio, S. Præiecti Episcop. et Martyr. matri gravidæ martyrium eius est præostensum. Nam videre sibi visa est infantem per suum latus egredi, undæ, instar sanguinis rubentis, baptismate ablutum, ut ait Sur. 25. Ian. (9. S. Claræ.) Quarto, cum S. Claræ mater partui iam vicina ante crucem in Ecclesia crucifixum attente oraret, ut eam de partus periculo salubriter expediret, vocem audivit quæ diceret: Ne paveas mulier, quia quoddam Lumen salva parturies, quod ipsum mundum clarius illustrabit. Quo edocta oraculo, natam infantulam sacro baptismate renascentem Claram vocari iussit, ut habetur in vita eius iussu Alexandri Papæ scripta.

Signis quoque aliquando sanctitatem illam Deus ostendit. (10. S. Theodori.) Primo enim, cum S. Theodorum Archimandritam mater concepisset, vidit *stellam ingentem* et claram e cælo in uterum suum descendere, ut refert Georgius, alias Elensius in eius vita. (11. S. Wolfgangi.) Secundo, S. Wolfgangi Episc. Ratisponensis matri gravidæ fertur per visum apparuisse, quod stellam in utero gestaret, ut habent M. S. codices. (12. S. Dunstani.) Tertio, cum Chinedrita S. Dunstani Archiep. Cantuar. mater gravida in festo Purificationis B. Virginis in Ecclesia versaretur, et immensus populus immensa luminum claritate refulgens in domo Dei laudibus divinis intenderet, subito nulla oborta tempestate, sed sereno cælo cuncta simul luminaria extincta sunt. Cum attoniti omnes starent, intuentur *flammam ignis* cælitus labi, et cereum quem mater Dunstani tenebat, ex ea accendi, ut ait Osbertus in eius vita. (13. S. Alberti.) Quarto, S. Alberti de monte Drepano Ord. Carmelitarum pater vidit in somnis *cereum* mirifice radiantem, e coniugis utero prodeuntem, nec dissimilis visio coniugi eius oblata est. (14. S. Vincentii Ferrarii.) Quinto, cum S. Vincentii Valentini, cognomento Ferrarii mater gravida ex utero suo sæpe audiret quasi *canis latrantis* voces emitti, causamque inquireret, vir clarissimus Iacobus S. R. E. Card. et Valentinæ urbis Episc. ait pariturum illam esse infantem, qui esset futurus evangelii Christi ferventissimus ac eruditissimus sanctissimusque prædicator, ut docet Petrus Ranzanus lib. 1. eius historiæ. (15. S. Bernardi.) Sexto, S. Bernardi mater gravida *catellum candidum* totum, in dorso rufum, et latrantem, se in utero habere in somnis vidit. Cum id trepida sancto cuidam viro aperuisset, ille eam est consolatus oraculo Ps. 67. 24. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Et addidit, Ne timeas, bene res agitur, optimi catuli mater eris, et qui domus Dei custos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator, et tamquam bonus canis, gratia linguæ medicinalis, in multis multos morbos curaturus est, ut ait Wilhelmus Abbas S. Theodorici, lib. 1. vitæ. (16. S. Dominici.) Septimo, S. Dominici gravida mater vidit se utero gestare *catulum,* ardentem ore faculam ferentem, totum mundum flammis ab ore illius prodeuntibus illuminantem, ut testatur Theodoricus de Appoldia Dominicanus in eius historia. (17. S. Andreæ.) Octavo, cum S. Andreæ Fesulani Episc. matri tempus pariendi immineret, in somnis visa sibi est *lupum* peperisse pro homine, qui cum Ecclesiam intrasset, paulatim immutatus *in agnum* se vertit. Liberioribus prima in ætate fuit moribus; sed tandem variis matris hortatibus ad meliora deductus, Carmelitarum Ordinem est ingressus: ubi tanta sanctitate floruit, ut ad Episcopatum inde sit vocatus, ut habet Surius 6. Ian. (18. S. Ethelwoldi.) Nono, mater S. Ethelwoldi Wintoniensis Episc. in somnis visa est sibi, vexillo se e cælis demisso involvi, et ex ore suo exilire et avolare quasi auream quamdam miræ magnitudinis *aquilam*, quæ volitando cuncta Wentanæ civitatis ædificia auratis alis obtegeret, et in alta cælorum se subrigens, ab eius se aspectu subduceret. (19. S. Eucherii.) Decimo denique, S. Eucherius Episc. Aurelian. ab angelo matri apparente benedicitur in utero, ut habetur in M. S. codicibus.

27. (In utero servati.) A variis periculis Deus servat fœtum in utero. Hinc additur vers. 6. *De ventre matris meæ tu es protector meus.* Sensus est: Primo, q. d. Tu me protexisti cum essem in ventre matris. Secundo, q. d. Statim ut prodii ab utero matris, tu me protexisti usque ad hanc ætatem senilem.

Primo igitur, Deus servos suos in utero matrum servat. Primo, S. Germani Episc. Parisiensis mater, quod post alterum partum intra breve spatium concepisset in utero, pudore mota muliebri, potionem hausit, aliaque præstitit, ut abortum pateretur: sed illæsus a Deo fœtus servatus est: avia deinde venenum porrigi curavit, sed Deus ei dari permisit, cui hoc scelere quærebatur hæreditas, ut ait Fortunatus Pictavorum Episcop. in eius vita. 2. S. Ludgeri primi Episcopi Monasteriensis mater cecidit adeo graviter, ut latus eius sudo acuta foderetur, statimque moritura crederetur: brevi tamen convaluit, fœtusque illæsus ortus est, refert Christophorus Browerus in eius vita ex Fuldensi bibliotheca extracta.

Secundo, Deus servat in egressu ex utero, quod S. Bernardus iure miratur, dicens esse admirabile quod omnes in eo transitu non conterantur. Hebr. hic habetur: *De ventre matris meæ tu eductor meus es*, ut vertit Pagnin.

28. (Expositi pueri a Deo servati.) Tertio, mox natos et feris expositos, aut in præcipitia abiectos, servat Deus, ut in multis alias ostendi. Unum aut alterum exemplum addo. Sacchoræ Babyloniorum regis futurum e filia nepotem, regnum avi adepturum Chaldæi prædixerunt. Hoc ille metuens durior in filiam fuit: et ut omnis suspicio abesset, arctissime inclusam custodiri curavit. Sed frustra suo consilio rem fatalem impedire conatus est. Nam filia ex obscuro quodam homine gravida peperit. Natum ex ea infantem custodes, regis metu, ex arce qua filia includebatur, præcipitarunt: forte autem prætervolans aquila, viso infantis casu, illico priusquam terræ allideretur, volando subiens dorso eum excepit, et in hortum quemdam deportatum leniter deposuit. Eum loci dominus inventum, forma eius delectatus, amavit, educavitque, et Tilgamum appellavit: is postea in Babylonios regnum est adeptus: ita Ælian. lib. 12. de animal. cap. 21. penes quem sit fides. Simile quid de Aristomene in Ceadem Laconum barathrum coniecto, et ab aquila, se illi supponente servato memorat Pausanias in Messenicis.

29. (A matribus oblati pueri, cum nascerentur.) Multos sanctos viros reperio a parentibus ipso in exortu ex utero esse oblatos Deo et consecratos. Primo, S. Richardum Abbat. Gimesiens. cum pareret mater, illum Deo vovit eius cultibus mancipandum, ut habet Fulbertus in eius rebus gestis. Secundo, S. Nicolaum Tolentinum vovit mater necdum natum velut alterum Samuelem. Tertio, S. Elzearii Comitis Arriani mater recens natum obtulit Deo, oravitque, ut si videret divinæ eius voluntati rebellem fore, ubi tinctus undis salutaribus fuisset, eum e medio tolleret. Deus itaque tanta illum gratia cumulavit, ut adhuc trium annorum puer erga pauperes plurimum afficeretur, ut supra dixi, et in lacrymas solveretur, nisi illis eleemosyna daretur. Crevit autem tota vita illa miseratio, ut M. S. Codices habent. Poterat cum Iobo usurpare cap. 31. 18. *Ab infantia mea crevit mecum miseratio.*

Moris erat, infantes a lavacro susceptos, lactis et mellis gustu quibusdam in locis primum imbuere, quod ad concordiæ significationem factum esse arbitratur Tertullianus: *Inde*, ait, *suscepti lactis et mellis concordiam prægustamus.* Malim ea re denotari, Christianos decere benignitatem, mansuetudinem et charitatem erga proximos: et Deum servos suavioribus gratiis enutrire, si illi se tamquam infantes sine dolo exhibeant, qui sacram doctrinam, velut lac et mel appetant.

30. (In nativitate sanctorum prodigia.) Prodigiis quoque virtus Sanctorum prænunciata ipso eorum primo in exortu. Primo, S. Avito Presbytero nascente tanta lux in cubiculo orta est, ut obstetrices ab officio sint deterritæ, nec ausæ sint lumen illud intueri, ut est in M. S. codicib. Secundo, S. Nicetius Ep. Trevir. ab ipso ortus sui tempore omne caput nudum a capillis habuit, pro more infantium: in circuitu autem modicorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam Clerici fuisse signatam, ut ait Gregorius Turon. lib. de vita Patrum cap. 17. Tertio, S. Petrus de Morono, qui ex

Anachoreta factus est Summus Pontifex, dictusque Cælestinus V. dum puer egrederetur ex utero, quasi quadam religiosa veste indutus apparuit, ut ait Petrus de Aliaco Card. Camaracensis in eius vita.

31. In cunis. In cunis etiam prodigia extiterunt. In ore S. Ambrosii adhuc in cunis positi apes visæ sunt ab eius patre; apes autem illæ modo in os penetrabant, modo egrediebantur veluti ludibundæ: deinde se tantam in aeris altitudinem extulerunt, ut non viderentur. Quo facto admirabundus pater ait: Si vixerit infantulus, aliquid magni erit, ut ait Paulinus Presbyter in vita. S.Catharina, S. Birgittæ filia, ubera nutricis sugere noluit, ob eius luxuriam ut creditur. Nam matris et pudicarum mulierum ubera sine horrore sugebat, ab incontinentibus fœminis cum lacrymis et vagitu prorsus abhorrens.

32. In infantia et pueritia. In prima infantia et pueritia quidam se Deo prorsus addixerunt. Bela rex Hungariæ, et Maria regina eius uxor Deo voverant, si filiam haberent, eam se Deo voturos. Margaretam filiam suam vix tres annos et sex menses natam obtulerunt in monasterio Vesprimiensi, ubi se totam pietati dedit. S.Bernardinus Senensis Franciscanus, in prima pueritia aras sibi in teneriori ætate extruebat domi, easque, ut poterat, ornabat. A concione domum reversus convocabat pueros, eisque tamquam pro concione recitabat ea, quæ memoria erat complexus, ut refert Surius 20. Maii. Felicitatem Deo mature servientium S. Hilarius extollit in Psal. 118. *Magnum*, inquit, *habet consuetudo vinculum: et idcirco optimus ille fuerit cultor, quem non modo delictorum remissio sine crimine constituerit, sed ipsa illa præstiterit vitiorum ignoratio innocentem.* Eget illa ætatula speciali Dei auxilio. Ut enim ait S. Ambr. lib. 8. in Luc. Ætas puerilis infirma est viribus, invalida ingenio, immatura consilio. De iuventute et adolescentia vide a me dicta Ps. 24. 7. S. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 316. vocat εὐόλισθον νεότητα, lubricam iuventutem.

Nota, magnum est motivum spei in Deum, quod illi curæ fuerimus in utero matris, et in primis incunabulis.

S. Callinici amor erga Christum. S. Callinicus a Præside sacerdote increpatus, quod ab idolis homines averteret, ait: Ego quidem me fateor esse hominem specie humilem, et pusillum. Circumfero autem in hoc meo vase fictili pretiosum meum thesaurum et margaritam Christum Dominum meum et Salvatorem Iesum, cuius sum servus, *cui proiectus ab utero;* qui est mihi divitiæ, gloriatio et virtus, per quæ mihi delectabilia, et longe iucundissima quæcumque sunt in vita, aspera et molesta: hæc in eius actis.

33. Allegor. Alleg. Didymus et S. Basilius seu Theodoretus hunc locum explicant de synagoga, quæ a Deo confirmata et protecta est ex utero, id est, in prima generatione et partu, cum exiit ex Ægypto: tunc enim Hebræi coaluerunt in unum populum Deo consecratum, et eius legibus curaque speciali gubernatum. Secundo, Iacobus Iansonius exponit de Ecclesia, quæ a primo tempore contra tyrannos et omnes hostium incursus servata est. Tertio denique, et optime, Eusebius, Bruno Carthus. et alii de Christo exponunt: eius enim corpus formatum est opera Spiritus sancti, anima vero omnibus gratiæ et virtutum donis ornata. Vide dicta Ps. 21. 10. et seq.

Tota denique vita Deus servos suos iuvat, et ab eis lau-
Vers. 7. datur, v. 7. IN TE CANTATIO (S. Hier. laus) MEA SEMPER. Arabs clare, te laudabo omni tempore. De ea re dictum est Ps. 33. 2. fuse. Vide ut laus sit in Deo, tamquam in materia circa quam versetur, non in cantilenis vanis: deinde, sit in Deo, id est, intra Deum, ita ut fiat eo spectante, ac te circumdante: TAMQUAM PRODIGIUM (S. Hier. Pagn. Camp. et Arias, portentum. Caietanus, miraculum) FACTUS SUM MULTIS, ET TU ADIUTOR FORTIS.

34. David fuit prodigium: Quæres, quale prodigium et portentum fuit David? Nota, prodigium dicitur quasi prodigium, quod porro dicat, id est, longe post futura ostendat. Portentum item est prodigium, quod portendit aliquid futurum. Sumitur etiam pro re admirabili et insolita.

I. Gloriæ. Primo itaque, David fuit portentum et prodigium gloriæ. Primo, in adolescentia cum interficiebat ursos et leones, Goliathum mactabat, Philisthæos iteratis præliis vincebat, Saulis gener fiebat, eius insidias evitabat, et regnum obtinebat: ita Lyranus et Caietanus. Sed hoc est valde remotum a persecutione Absalonis, quæ contigit anno trigesimo regno Davidis, anno sexagesimo eius ætatis. Secundo, fuit prodigium et portentum ac miraculum gloriæ tota vita sua præcedenti, in qua tot de Philistæis, Syris, Idumæis, Ammanitis, Amalecitis, aliisque victorias retulerat. Syr. iuvat: *Admiratio factus sum multis, quia tu es fiducia mea prævalida.* Ibi adverte, τὸ *et* quod est in textu nostro, sæpe sumi pro particula causali *quia*. Arabs vertit: *Fui admirabilis multis, et tu es mihi auxiliator et adiutor.* Tertio denique, prodigium gloriæ fuit victo Absalone.

Secundo, David fuit prodigium, portentum et miracu- II.
lum fiduciæ et patientiæ. Primo, fiduciam suam hic decla- Fiduciæ.
rat, cum ait: *Et tu adiutor fortis,* q. d. Hostes meos non timeo, cum sciam te posse eos atterere, cum sis fortis: et velle, cum sis adiutor. S. Hier. vertit: *Et tu spes mea fortissima.* Camp. tu vero firma fiducia mea es. Secundo, patientiam suam heroicam declaravit in hoc bello contra Absalonem; nec in eum, nec in alium murmurantis; ac præsertim impudentis et insanientis Semei contumelias ferens, 2. Reg. 16. 10. Eam patientiam admirans S. Ambr. lib. de David cap. 6. ait: *O altitudo prudentiæ! o altitudo patientiæ! o devorandæ contumeliæ grande inventum! Ecce verborum contumelia parricidii levavit ærumnam. Quis secum talem non compenset iniuriam: ut quem homo læsit, eum Deus meliorum retributione soletur.*

Tertio denique et optime, David fuit prodigium et por- III.
tentum miseriæ et calamitatis in persecutione, cum pa- Et miseriæ.
ter a filio sine causa regno expelleretur, flens et eiulans montem olivarum pedibus in fuga scanderet, a Semei conviciis et lapidibus appeteretur, in deserto famelicus vix latitaret, locum securum quo se reciperet, non haberet, totus populus toto corde Absalonem sequeretur. R. Kimhi dicit, Davidem significare, se insigne factum exemplar iudiciorum divinarum et vindictæ: nempe quod puniat Deus iniquitates, quas scilicet admiserat contra Uriam.

Allegor. Christus fuit prodigium patientiæ et omnis 35.
virtutis, præsertim in passione et cruce; 2. fuit prodigium Allegor.
et portentum afflictionis et doloris. Vide dicta Ps. 21. pene Christus
per totum. Luc. 2. 34. ait S. Simeon Deiparæ: *Ecce posi-* fuit prodigium,
tus est hic in ruinam, Arab. in casum, *et in resurrectio-* et quale.
nem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur: id est, in scopum sagittariorum, in quem hostes eius tela omnia contorserunt: ita Maldonat. et Franciscus Lucas, qui putant alludi ad illud Thren. 3. 12. *Posuit me quasi signum ad sagittam, misit in renibus meis filias pharetræ suæ,* id est, sagittas, quæ in pharetra, velut in utero continentur. 2. Signum, hoc est, velut rem novam, miram, inauditam et prodigiosam: ita ut alludatur ad illud Isaiæ 8. 18. *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.* Lege Cornel. in eum locum.

Tropol. Apostoli, Martyres, aliique Sancti fuerunt pro- 36.
digium et portentum sanctitatis et afflictionis. Nonne pro- Tropol.
digium erat Paulus, qui dicebat Galatis: *Absit mihi glo-* Apostoli et alii
riari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem sancti
mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, Galat. 6. 14. prodigium
Ubi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum fuerunt,
reperit, ait S. Augustinus serm. 20. de verb. Apost. Vide et quo-
Cassian. lib. 4. de institutis renuntiantium cap. 34. et 35. modo.
Secundo, omnes Apostoli fuerunt prodigium, de quibus dicitur 1. Cor. 4. 11. *Usque in hanc horam, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus,* Græc. ἀστατοῦμεν, id est, instabilem sedem habemus, *blasphemamur et obsecramus, tamquam purgamenta,* ὡς περικαθάρματα, id est, veluti sordes undique evertendo collectæ, *facti sumus omnium peripsema*, hoc est, abiecta scobs et ramentum, *usque adhuc.* Syr. vertit, facti sumus piaculum omnium. Tertio, Martyres fuerunt

prodigium in mediis ignibus, rotis ac tormentis, ut dixi fuse Ps. 23. Quarto denique, omnes Sancti fuerunt prodigium, de quibus habes Hebr. 11. 37. *Circuierunt in melotis,* id est, ovinis pellibus tecti, *in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, et in montibus et speluncis, et in cavernis terræ.* Tales fuerunt Elias, Elisæus, David, et cæteri. Qualia prodigia fuerunt S. Alexius Romanorum nobilissimus sponsam ipsa nuptiarum nocte deserens, per 17. annos cum mendicis in templo B. Virginis Edessæ stipem petens, sub gradibus in paterna domo per alios 17. annos in summa egestate latitans. Simeon Sales, id est, stultus, simulans stultitiam. Simeon Stylites supra columnam vivens per 30. annos, cum esset columna 40. cubitorum, aliis in columnis annos 7. in mandra seu spelunca 47. teste Evagrio.

37. *Deus iuvat afflictos.* Nota, Deus iuvat afflictos: unde cum dixisset David, tamquam prodigium factus sum multis, statim addidit: *Et tu adiutor fortis.* Primo, iuvat in contumeliis verborum. Sophar Naamathitem comprimere volens Iob, ait cap. 12. 4. *Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Dominum, et exaudiet eum.* Secundo, iuvat in afflictionibus corporis. *S. Quintini fortitudo.* Cum Rictiovarus S. Quintinum martyrem urgeret ad sacrificandum, respondit: Mortem, quam tu mihi inferre potes, omnino non vereor: vitam autem, quæ tuæ non est potestatis, sed a Deo fidelibus tribuitur hic, pro eius amore morientibus, totis exopto votis. Nam si a te morti traditus fuero, in Christo me victurum fidenter credo. Cum tyrannus minaretur, subiecit Martyr ex Ps. 117. 6. *Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.* Capite præciso visa est felix anima eius carnea mole soluta, *velut columba candida,* sicut nix, de collo eius exire, et liberrimo volatu cælum penetrare; et vox de cælo fertur audita: Quintine famule meus, veni, et coronam accipe, quam tibi pro meritis tuis præparavi: ita in eius Actis. Tertio denique, in omni calamitate Deus servos iuvat. Ps. 45. 2. *Adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.* Quærunt nos ubique, ut ubique nos inveniant. Nam ut ait Philo lib. de mundi opificio: Οὐδὲν ἐν γῇ ἐστι βέβαιον; *Nihil in rerum natura firmum est: mutationes et vicissitudines necessarias humanæ res habent.* Astræus oculorum suorum incremento et decremento designabat lunæ alterationes: unde regibus Aquitanis erat charissimus, quod inter eos contentionem dirimeret, qui iuxta lunæ vicissitudines succedebant imperio. Regna terræ mutabiliora sunt mutationibus lunæ, in cælo tantum vera stabilitas est, quam virtus participat in terris. Seneca lib. de constantia sapientis, cap. 5. Sapiens, ait, nihil perdere potest, omnia in se reposuit, nihil fortunæ credit, bona sua in solido habet, contentus virtute quæ fortuitis non indiget. Et cap. 6. addit: Nec sapiens quidquam suum, nisi se putat esse. Hæc ille ex disciplina Stoicorum. Sed experientia constat, etiam fortissimos cladibus turbari. Iacob fortissimus luctator et supplantator, qui cum angelo luctatus erat, et ab eo vocatus Israel, id est, dominans Deo, impendens tamen sibi periculum videns, ob cæsos a filiis suis Sichimitas, ait Genes. 34. 30. *Turbastis me:* sed statim Deum invocavit, et terror Dei invasit omnes per circuitum civitatis, et non ausi sunt persequi recedentes. Hinc cum statim esset profectus Luzam, id est, Bethel, ædificavit ibi altare, et vocavit *el bethel,* id est, *Deus fortis Bethel.* Deus postea illi apparens dixit: *Ego Deus omnipotens.* Deinde pergens Ephratam, id est, Bethlehem, natum sibi ex Rachele filium, et ab ea vocatum Benoni, hoc est, filium doloris mei, ipse Iacob vocavit Beniaminum, q. d. Filium dexteræ, id est, validum et fortem, ac felicem. Ex dolore et afflictione robur et felicitas. Prius rediens ex Mesopotamia erexerat Deo altare prope Salem, sive Sichem, aut Sichar, Gen. 33. et erecto ibi altari invocaverat super illud fortissimum Deum Israel, qui scilicet se liberaverat a Laban socero irato, et a fratre Esau, aliisque hostibus. Sic Pagani altaria erigebant Iovi victori, Minervæ sospitæ, Æsculapio servatori, et aliis similibus.

Gratum se fore pollicetur David, v. 8. REPLEATUR (Felix, replebitur) OS MEUM LAUDE (Hebr. laude tua) UT CANTEM GLORIAM TUAM: TOTA DIE MAGNITUDINEM TUAM, id est, tuam maiestatem. Cassiodor. vertit, magnificentiam, qua scilicet mihi magna donas. Nota, magnus Deus pleno ore laudandus est. Secundo, etiam in afflictione cantandum. 38. *Vers. 8.* Alcimus memorat Thuscos adeo ad voluptatem propensos fuisse, ut tibiæ cantum adhiberent, cum sontes punirent. *Thuscorum mos ridiculus.* Sancti lugent, cum alios affligere coguntur: quando autem ab aliis tanguntur, resonant ut pulsatæ citharæ. Alexander Magnus iniurias sibi factas irridebat, Augustus remunerabatur, dissimulabat Tiberius, Titus contemnebat, Theodosius, Arcadius, Honorius (pater scilicet, filius et nepos) condonabant et excusabant: tu quid times, cave sis instar murium, qui contacti statim dentem obvertunt. *Iniuriæ fortiter ferendæ. Id fecerunt varii Imperatores.* Esto croco similis, de quo Plin. lib. 21. cap. 6. *Gaudet calcari et atteri, pereundoque melius provenit: ideo iuxta semitas et fontes lætissimum.* *Crocus amat calcari.* Eam ob rem Bernardinus Rota ut ostenderet mortuam suam uxorem meliori morte vitam bonam exornasse, crocum pinxit cum hac epigraphe: *Pereundo melior.* Hoc ipsum de omnibus afflictis potest dicere. Tertio, cantanda est gloria Dei, non nostra. Ut enim ait S. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 411. gloriam suam ab hominibus non quærere, est θειότερον, id est, divinius. Et epist. 152. ad Phaleam Remp. gerentem: Existima, inquit, vitæ huius bonam existimationem esse ἀραχνῶν εὐτελεστέραν ὀνείρων ἀδρανεστέραν, aranearum telis tenuiorem, somniisque magis exilem. Itaque dicamus cum David Ps. 113. 1. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Illum locum consule. Quarto denique, cantanda est magnitudo, id est, maiestas seu magnificentia Dei, cuius aula est fons omnium benedictionum. Ps. 35. 10. *Apud te est fons vitæ.* Prov. 3. 16. *Longitudo dierum* (Arab. ætatis) *in dextera eius: et in sinistra illius divitiæ et gloria.* Contra vero, in aulis regum est inopia atque contumelia. Seneca lib. 3. de Ira: Notissima, inquit, vox est eius, qui in cultu regum consenuerat, cum illum quidam interrogaret: Quomodo rarissimam rem in aula esset consecutus, senectutem? Iniurias, inquit, accipiendo, et gratias agendo: ita ille. Asterias avis cum serva dicitur, irascitur; cum pigra, dolet. Sed volucres paradisi ad omnes sibi dictas et factas iniurias surdæ sunt et mutæ, Deo uni cantare et volare norunt, terræ nunquam adhærentes.

SECTIO SECUNDA.

39. *Duo præstat. Primo, flagitat non deseri in senectute, v. 9. Secundo, rationes affert, cur deseri non debeat, v. 10.*

PARAPHRASIS.

9. *Ne proiicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

9. Cum ab ipso matris utero tua me providentia texeris, ne me effœta hac in ætate proiicias, et hostium ludibrio exponas. Cum me corporis vires defecerint, totusque præ senio elanguescam, ne tuam a me subsidiariam manum subducas.

10. *Quia dixerunt inimici mei mihi: et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.*	**10. Etenim mihi afflicto insultant hostes mei, multisque me conviciis onerant: et clandestinis insidiis vitam meam observantes consilia ineunt.**
11. *Dicentes: Deus dereliquit eum: persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.*	**11. Sibique invicem animos addentes, inclamant: Agite, quid trepidi hæsitatis. Deus abiectum hunc senem deseruit, prostrate, instate, vinculis stringite: nemo est, qui eum e manibus vestris aut possit eripere, aut velit.**
12. *Deus ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice.*	**12. Quare, cum tanto verser in periculo, ne a me discedas, ut territi a cœptis suis desistant: et si accedere ausi fuerint, tu me pugnantem adiuves.**
13. *Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confusione et pudore, qui quærunt mala mihi.*	13. Qui temere mendaciis me suis et detractionibus lacerant, confundantur: cum verba sua in auras evanescere senserint: et deficiant a te confusi. Qui vero non verbis modo, sed armis etiam me persequuntur, ii tuo præsidio territi pedem referant, victique rubore suffundantur, et infamia notentur.
14. *Ego autem semper sperabo: et adiiciam super omnem laudem tuam.*	14. Hæc mihi victoria spem in dies de tua bonitate ampliorem præstabit, amoremque erga te meum augebit, ut iam a me concinnatis tuas in laudes canticis nova superaddam.
15. *Os meum annuntiabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum.*	15. Musicis quoque instrumentis vocem adiungam qua tuam in puniendis sceleratis iustitiam, et in me servando pietatem deprædicem.
16. *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.*	16. Equidem condendorum carminum, et artis musicæ non sum peritissimus, ut scite et eleganter laudes tuas numeris exornem, sed saltem contemplatione ingrediar tuæ potestatis magnitudinem, memoriaque tenaci iustitiam tuam complectar, eam ut amore prosequar.

QUÆSTIO UNICA.

Quam necessarium in senectute auxilium Dei.

40. Ordo Sectionis. **Prima** Sectione postulavit David non confundi in æternitate, Nunc petit non deseri in senectute, vers. 9. *Ne proiicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Duplicem affert rationem. Primam desumit ab hostium sceleribus. Secundam, a sua fiducia in Deum.

Ac primo, proponit Primo, convicia in se coniecta, v. 10. *Quia dixerunt inimici mei mihi.* Secundo, perfidiam: *Et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.* Tertio, mendacia, v. 11. *Dicentes: Deus dereliquit eum.* Quarto denique, crudelitatem: *Persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Eam ob rem, Deum in auxilium suum evocat, v. 12. *Deus, ne elongeris a me: Deus meus in auxilium meum respice.* Et hostes suos confundi postulat, v. 13. *Confundantur, et deficiant detrahentes animæ meæ*, etc.

Secundo, seipsum totum in Dei cultum intentum describit. Primo, ait, voluntate se in Deo speraturum, v. 14. *Ego autem semper sperabo, et adiiciam super omnem laudem tuam.* Secundo, ore, beneficia Dei et iustitiam prædicaturum, v. 15. *Os meum annuntiabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum.* Tertio, intellectu, penetraturum Dei potestatis mirabilia, v. 16. *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini.* Quarto denique, memoria, iustitiam eius custoditurum: *Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius.*

ARTICULUS I.

Senectus hominibus sæpe contemptui est, sed virtutibus ornata acceptissima fit Deo.

41. Vers. 9. Senectutis mala. **David** natus annos sexaginta, videns se a filio Absalone eiici, et ab omnibus deseri, petit saltem non deseri a Deo, vers. 9. **Ne proiicias me in tempore senectutis: cum defecerit virtus mea** (S. Hieron. et Arias, fortitudo mea) **ne derelinquas me.** Nota, Davidis vires notabiliter defecerant anno ætatis sexagesimo, cum anno septuagesimo ita frigidus fuerit, ut calefieri non posset, eoque anno sit mortuus. Nonius dicit, senectutem vocari ætatem malam. Antiphanes eam nuncupat βωμον κακων, aram malorum: item, εργαστηριον κακων, officinam malorum. Euripides dicit, nullum esse gravi senectute gravius malum. Pherecrates ait, eam esse onerosam, et

A undique molestam. S. Gregorius Naz. in morbum suum, illam vocat onus Siculis scopulis gravius. Mimnermus poeta Græcus, κακων αφθιτον, malum immortale. Democritus, ολοκληρον πηρωσιν, omnimodam imperfectionem. Patrocles appellat, vitæ hyemem. Eratosthenes Cyrenaicus vigentem ætatem veri comparabat: declinantem, æstati et autumno: senectam hyemi. Antiphanes asserit, vitam nostram esse similem vino: cum superest modicum, acescit. Menander senem nominat πικρον θρεμμα, molestiarum animal. Euripides in Menalippo, φωνην και σκιαν, vocem et umbram. *Quid est*, inquit, *senex, nisi vox et umbra?* Plautus senem ipsum, mortem vocat. Iuncus tr. de Senectute, fuse probat senem ad omnia vitæ officia esse inutilem. Hebræi in Pirke avoth cap. 5. Filius centum annorum, inquiunt, perinde est ac si mortuus esset, et abiisset ab hoc mundo. Ad Psalmum nostrum aptius Herodes poeta Græcus ait, tempus post annos sexaginta esse cæcum. *Ubi*, ait, *sexagesimum solem reflexisti, o Grylle. Grylle, moritor, cinisque fias, cæcum est quidquid inde*

B *sequitur temporis.* Salomon senectutem vocat annos, de quibus dicas: *Non mihi placent*, Eccle. 12. 1. Hoc autem probat per defectum totius corporis, et id illustrat pulcherrimis emblematis, illa lege et excute. Primo, ait, solem seni, lunam et stellas tenebrescere. Secundo, reverti nubes post pluviam, id est, catarrhos continuos oriri ex continuis stomachi vaporibus generatos. Tertio, commoveri custodes domus, scilicet manus et brachia. Quarto, nutare viros fortissimos, hoc est, crura et tibias. Quinto, otiosas esse molentes in minuto numero, id est, dentes paucos. Sexto, tenebrescere videntes per foramina, id est, oculos in concavitatibus capitis positos. Septimo, claudi ostia in platea, hoc est, labia in latitudine faciei. Octavo, obsurdescere filias carminis, id est, aures, quæ factæ sunt ut voces et carmina audiant. Nono, florere amygdalum, id est, capillos canescere. Decimo, impinguari locustam, id est, ventrem turgidum: locusta enim tota videtur esse venter. Undecimo, dissipari capparim, id est, appetitum: capparis enim excitat appetentiam cibi. Duo-

C decimo, rumpi funiculum argenteum, id est, medullam spinalem dorsi. Decimotertio, recurrere vitam auream, id est, meningem, seu membranam tenuem, quæ cerebrum continet, eiusque est involucrum, et instar vitæ illud includit. Decimoquarto, conteri hydriam super fontem, id est, venas, quæ a iecore sanguinem excipiunt, et per corpus distribuunt. Decimoquinto, confringi rotam super cisternam, id est, caput super cor, a quo caput recipit velut a fonte omnes spiritus vitales. Decimosexto de-

nique, redire in pulverem terram. Hinc senes incurvantur, ut terram suam aspiciant. S. Isidor. Pelus. Senes, ait, illud tantum expectant, in terram se corporo deposito abituros: γηρας enim senectus παρα το γης εραν, quod terram amet, Græcis dicitur. Hinc et senes corpore flexo incurvantur, testificantes se terram repetere. Quod cum ita sit, quam ob causam in senectutis limine maleficiis iuvenaris? ita ille. Fœnum aridum est omnis senex, falcem mortis quotidie expectat, et sententiam iudicis, qui Apocal. 14. cum falce apparet. S. Greg. Nyssen. orat. de Baptismo: Caput, ait, iam canescit, prope est æstas vitæ: in nos forte falx acuitur, et timeo ne nobis dormientibus, et in una spe occupatis, repente accedat messor terribilis: ita Gregorius. Si sancti timent, quid faciet impius? Hippocrates et Galenus varios senum morbos recensent. Senibus, inquiunt, sunt spirandi difficultates, distillationes cum tussi, urinæ stillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum passiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ: alvi, oculorum et narium humiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graves, raucedines, nephritis, podagra, morbi articulares, coxendicum dolores, et quæ laxiori intestino ac spleni frigidæ sunt dispositiones, et præterea crebri anhelitus, quos Græci asthmata vocant, tusses, dorsi curvationes, recurvationes, et obligationes, denuum quæcumque alia morborum genera ex frigidis humoribus ortum habent.

42. *Crudelitas erga senes etiam parentes.* Propter hæc aliaque senectutis incommoda, senes sibiipsis graves sunt atque onerosi, ab aliis vero proiiciuntur. Primo, Onesicritus tradit, apud Bactrianos eos qui senio confecti essent, aut morbo, παραβαλλεσθαι τρεφομενοις κυσιν, vivos proiici canibus dedita opera ad hoc enutritis, quos lingua sua Entaphistas, quasi vespilliones, vocant. Morem illum sustulit Alexander. Secundo, Caspii parentes suos, ubi septuagesimum ætatis annum impleverint, inclusos fame enecant. Ita Strabo lib. 11. p. 517. qui addit pag. 520. Caspii eos, qui septuaginta amplius annos vixerunt, λιμοκτονησαντες εις ερημιαν εκτιθεασιν, fame enectos in solitudinem eiiciunt: eminusque spectantes, si ex feretro detrahi eos ab avibus videant, ευδαιμονιζουσι, beatos illos prædicant: si a feris aut canibus, non item: infelices, si omnino non detrahantur. Tertio, Indorum in more erat, parentes interfectos solemnibus epulis permistos esitare, ut ait Tullius lib. 1. Tuscul. quæst. Quarto, consuetudo est apud Ceos, ut ii, qui senio prorsus confecti sunt, tamquam ad convivium se mutuo invitent, aut ad quoddam solemne sacrificium conveniunt: και στεφανωσαμενοι πινουσι κωνειον, et coronati cicutam bibunt, cum sibiipsis conscii sint, se ad promovenda patriæ commoda inutiles, animo iam ob ætatem delirare incipiente: ita Ælian. lib. 3. var. hist. cap. 37. Quinto, Hyperborei habitant lucos sylvasque: et ubi eos vivendi satietas cepit ac tædium, hilares redimiti sertis semetipsos in pelagus ex certa rupe præcipites dant. Id eis funus eximium est, ut refert Mela lib. 3. cap. 5. Sexto, apud Massagetas θανατος αριστον, optimum mortis genus censetur, si senio confecti cum carnibus ovillis in frusta concidantur, unaque devorentur. Qui e morbo decedunt, eos abiiciunt tamquam impios, et dignos qui a feris vorentur, ait Strabo lib. 11. pag. 513. Septimo, Derbices iugulant eos, qui septuagesimum annum excesserunt: carnes genero propinqui absumunt: vetulas strangulant, ac deinde sepeliunt. Qui intra annum septuagesimum moritur, non editur, sed humatur, ut tradit idem Auctor pag. 520. Octavo denique, si qui inter Troglodytas per senium non possunt greges assequi gutture illigato bovis caudæ, απολυονται ζην προθυμως, incunctanter sibi vitam præcluduut. Quod si quis mortem differt, hunc ως επ'ευνοια, velut ex benevolentia quadam prius admonitum, innexo laqueo, quicumque velit, privandi vita potestatem habet. Sic et membro aliquo captos, aut incurabili morbo correptos, e vita summovere lege statutum est, teste Diodoro Siculo lib. 3. pag. 166. Ex his vides ab omnibus proiici senes; 2. quanta sit barbaries infidelium; 3. quanta charitas legis gratiæ, quæ senum curam maxime commendat, imo et legis Mosaicæ, ubi etiam imperatur senum veneratio et amor. Levit. 19. 32. Deus sic præcipit: *Coram cano capite consurge, et honora personam senis, et time Dominum Deum tuum: ego sum Dominus*, q. d. ut ait Cornelius: Si senes non times, time saltem Deum, et propter timorem Domini senes honora. Senes olim Rempubl. gerebant, unde a senibus nomen rite Senatus habet, et apud Spartanos erat magistratus regi assidens, qui vocabatur γερουσια, q. d. Senectus. Spartani in theatro venientibus senibus omnes assurgebant, et eos sessum recipiebant. Romani adolescentes in curiam deducebant seniores: extra curiam eos præstolabantur, ut domum reducerent. Philo agens de Essenis dicit: *Reverentia erga seniores et cura talis est, qualis esse solet germanorum liberorum erga parentes.* 1. Pet. 5. v. 5. *Adolescentes subditi estote senioribus.* S. Paulus Timotheo licet Episcopo Ephesino mandat, cap. 5. vers. 1. primæ ad eum datæ: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra*, Græce παρακαλει, exhortare, consolare, obsecra, *ut patrem*. Græci senectutem vocant γηρας, quasi γερας, id est, honorem et venerationem. 43. *Senes honorati a Spartanis et Romanis.*

Quæres, quid facturi sint senes, ut a Deo non proiiciantur? Resp. Si eos *non deficiat virtus*, id est, fortitudo et robur mentis; 2. omnis virtus. Primo, senes debent esse fortes. Ut enim ait Hippothoon, γηρας λεοντων, κρειττον ακμαιων νεβρων, *leonum senectus melior est vigentibus hinnulis.* Vigor ille erat in Abrahamo, cum iam natus esset nonaginta et novem annos: unde ab angelo, quem hospitio exceperat, vocatur puer. Ubi enim habemus Gen. 18. 17. *Num celare potero Abraham quæ facturus sum?* Sept. habent: *Num celare potero Abraham* παιδα μου, *puerum meum, quæ sum facturus?* S. Ambrosius id considerans lib. 2. de Abraham cap. 6. *Senilis*, ait, *ætatis Abraham superius Scriptura significavit, cum nonaginta et novem processisset annos: quomodo nunc puerum dicit? Sed cum immemorem senectutis exploratorem indefessum, cursu impigrum, standi patientissimum, deducendi studiosissimum expresserit, nonne convenire nomen pueri videtur? Officiis merito puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam et obsequium deferebat.* Fortitudo maxima eminuit in senibus Martyribus. *Senes sint fortes ut Abraham.* Primo, de S. Tharaco nato annos 65. habes in Actis præsidialibus publice exceptis. *S. Tharacus.* Maximus Præses dixit Tharaco: Qui vocaris? te enim oportet interrogare primum, quoniam ætate senior es: Respondit Tharacus: Christianus sum. Maximus Præses dixit: Tace de hac impia professione, dic qui vocaris. Tharacus dixit: Christianus sum. Maximus Præses dixit: Frangite ei maxillas, dicentes: Aliud pro alio noli respondere. Tharacus dixit: Quod est nomen meum, hoc dico: si autem quod est impositum a parentibus requiris, dicor Tharacus; et cum militarem, nominatus sum Victor. Præses dixit: Ergo prospice senectuti tuæ, quoniam et ego volo ut sis unus ex consentientibus præcepto dominorum nostrorum, et a me honorem magnum accipias. Ergo accede et sacrifica diis nostris. Tharacus dixit: *Ego Deo meo servio, et sacrifico non in sanguine, sed in corde mundo:* non enim sunt necessaria talia sacrificia. Et post aliquot responsiones iterum dixit: *Iam sexaginta quinque annorum sum*, et sic credidi, et a veritate non recedo. Secunda die, qua interrogatus est, cum dentes illi essent comminuti, exclamavit: *Si omnia membra mea collidas, iusto fortis in eo, qui me fortem facit.* Ignem, fumum, acetum cum sale naribus infusum, sinapi cum aceto in nares quoque iniectum contempsit, et alacriter passus est. Unde autem hæc illi vis inderetur, ipse aperit in tertia interrogatione. Non me terrebis, inquit, sermonibus tuis, paratus sum ferre tormenta universa, Dei armatus misericordia. Et cum obeliscos ardentes in axillis passus esset, auresque illi essent abscissæ, ac prunæ imponerentur, ait: Etsi totum corpus meum excoriari iubeas, non tacebo de Deo meo, *qui me fortem facit*, ut sustineam arma militiæ tuæ. Lege cætera. Secundo, S. Polycarpus natus 86. an- *S. Polycarpus.*

nos, cum a Præside urgeretur, ut Christum conviciis appeteret, respondit: *Octoginta sex annos Deo meo servio, et nulla me hactenus affecit iniuria: quomodo contumeliosis verbis possum afficere*, βασιλέα μου τὸν σώσαντά με, *Regem meum, qui me ad hoc usque tempus servavit,* ut ait Eusebius lib. 4. cap. 13. in medium rogum vivus coniectus est. Tertio, S. Eleazari nonagenarii magna fortitudo eluxit, cum ab amicis incitaretur ad esum carnis suillæ contra legem. Sic enim habetur 2. Machab. 6. 23. *At ille cogitare cœpit ætatis et senectutis suæ eminentiam dignam, et ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus: et secundum sanctæ, et a Deo conditæ legis constituta, respondit cito dicens: præmitti se velle in infernum* (ad limbos). *Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur: et per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam etsi in presenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam* (peccasset enim mortaliter si porcinam edisset: quia Antiochus id petebat, veluti signum relictæ legis et Dei). *Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo: adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro gravissimis et sanctissimis legibus honesta morte perfungar.* Dixit fortiter, et fecit: nam verberibus contusus usque ad mortem in constantia sua perstitit. Quarto denique, S. Simeon Episcop. natus annos 120. fortiter martyrium subiit. Ut enim ait Hegesippus, prædictus Simeon consobrinus Domini, filius Cleophæ, ab hæreticis calumniam passus, ot sub Attico Consulari accusatus, multis diebus flagris cæsus martyrium subiit; ita ut cuncti mirarentur, ipse quoque Consularis, quomodo *centum viginti annos* natus ista perficeret, ac tandem crucifigi iussus est.

S. Eleazarus.

44. Secundo, si non vis proiici a Deo in senectute, vide ut non deficiat in te virtus omnis. Senectus est quarta generatio, quæ ex Ægypto egreditur, in qua pueritia, adolescentia, et virilis ætas gravia pertulerunt incommoda lateribus constipandis, coquendisque, et paleis colligendis. Philo id considerans lib. Quis rerum divinarum hæres, fol. 408. Soli, ait, bono viro bona senectus et longævitas contingit. Ostendit deinde in quarta hac ætate hominem redire ad terram promissam, in qua sit κληρονόμος σοφίας, hæres sapientiæ. Nam infantia similis est levi tabulæ, nullis bonis malisve signatæ formis. Adolescentia est επαρατωτάτη γενεά, maledicta generatio illa, in qua corpus, quod pro fundamento est, tum animus turgescit, accensus affectibus se proferentibus, segetes et campos, et obvia cuncta exurentibus. Virilis vero ætas philosophiam ei seu medicinam adhibet: ita Philo. Archelaus rex opiparum lautumque convivium amicis suis paraverat. Euripides in eo convivio proximo sibi assidentem Agathonem tragicum Poetam iam senem, se plurimum amare dixit. Agesilao roganti, cur amandus esset homo senex? Per Iovem, ait, non solum ver est bonorum optimum, sed etiam autumnus. Comparabat autem florentem iuventutem verno tempori, quo omnia sunt in herba et flore: senectutem autem autumno fœcundissimo, ut ait Ælianus *lib.* 13. *de varia historia.* Menander dicit in senectute prudentiam firmiorem fieri. Alexis in Demetrio eam comparat vino veteri. Homo, ait, simillimus vino natura est quodammodo. Vinum enim novum omnino necesse est: item vinum defervere primum, deinde ab iniuriis et malis repurgatum confirmari, et rursus componi, et omnibus deinceps suavem fieri. Æschylus ait, senectutem esse iustiorem iuventute. Plato ei quoque temperantiam tribuit: comparat enim vino aquæ misto. Democritus ait, esse florem temperantiæ. Robur, inquit, et forma corporis bona sunt: senectus autem σωφροσύνης ἄνθος, *flos est temperantiæ.* De fortitudine dixi supra. Ex prudentia autem, iustitia, temperantia, et fortitudine omnes virtutes aliæ intellectuales et morales promanant velut ex fontibus. Metrodorus iure dicebat, senem beatum non esse, nisi absolutum haberet bonorum operum numerum. Cato monebat, virtutibus esse compensanda alia senectutis incommoda. Quia hic de fortitudine præsertim sermo est, addam dictum Solonis et Castritii. De Solone dicit Plutarchus in Tract. An seni sit gerenda Respubl. Cum Pisistratus occuparet Rempublicam, resque videretur ad manifestam spectare tyrannidem, neque quisquam auderet illius conatibus obsistere, Solon productis armis, et ante ædes positis, cœpit inclamare cives; at ubi Pisistratus ad illum misit, qui peterent: qua re fretus hoc auderet? Senectute, inquit. Pari modo Brusa lib. 6. cap. 7. ait, quod M. Castritius Placentiæ Magistratum gerens, Cn. Carboni Consuli iubenti decretum fieri, quo sibi obsides a Placentinis redderentur, non paruit: atque adeo minitanti dicentique: multos habeo gladios; respondit: Et ego annos. Declarans, se præsidio senectutis fretum non timere gladios. Lege Senecam lib. de brevitate vitæ. Guarricus Abbas vocat S. Annam, vivum in emortuo corpore simulacrum totius virtutis.

Senes omni virtute debent excellere.

Rationem petiti auxilii subdit. Primo, blasphemiam hostium suorum, aut saltem mendacium, dicentium eum a Deo esse derelictum, v. 10. et 11. Quod eo est damnabilius, quod illi custodiebant animam eius, id est, cum: q. d. Erant custodes mei, amici et familiares. Vel, custodire sumitur, pro observare, q. d. Custodiebant me, sicut feræ mihi insidiantes, et me circumvallantes ut devorent. S. Ignatius de decem se custodientibus militibus ait epist. ad Philippenses: A Syria Romam usque cum bestiis depugno: non quod a brutis feris devorer (hæ namque, ut nostis, pepercerunt Danieli) in quibus immitis illa fera cubat, quæ me quotidie pungit et vulnerat: ita Ignatius. Secundo, crudelitatem eorum aperit, v. 11. Tertio, detractiones, v. 13. ideo petit eos confundi et deficere. Octavius cum primum fari cœpit, in avito forte suburbano obstrepentes ranas silere iussit, atque ex eo negantur ranæ ibi coaxare. Deus verbulo uno potest detractoribus silentium imponere, et eos elingues reddere. Carmani linguas hostium devictorum comedebant, ut indicarent, sibi maxime displicuisse eorum convicia, dicteria, et vanas gloriationes. Sic refert Strabo lib. 15. pag. 727. Apud eosdem Carmanos Persis conterminos populos nemo ducit uxorem, nisi prius hostis caput amputatum detulerit ad regem. Rex Calvarra in regio thesauro posita, γλῶτταν λεπτοτομήσας, linguam minutatim secans cum farina miscens prius degustatam, et qui obtulit, et familiaribus edendam præbet. 45.

Detractores ranis comparati.

Detractio et contumeliæ verborum maxime displicent.

Nota; Deus non derelinquit iustos, licet eos pati patiatur. De Iosepho agens auctor libri Sapientiæ dicit: *Hæc sapientia venditum iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos qui eum deprimebant, et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, et dedit illi claritatem* (Gr. δόξαν, gloriam) *æternam.* Eximie S. Ægidius comes S. Francisci: Licet, inquit, lapides et saxa de cælo plueret Dominus, non nocebunt nobis, si tales fuerimus, quales nos ille requirit. S. Aug. in illud Ps. 45. 6. *Deus in medio eius non commovebitur,* ait: Sæviat mare, conturbentur montes, Deus in medio eius non commovebitur. Lege S. Bernardum epist. 42. Nicolaus Ursinus Pitiliani Comes, et supremæ Venetorum militiæ dux, ut declararet se et Reip. opem, et hostibus exitium allaturum, sibi in symbolum sumpsit millum seu collare molossi, ex corio minuto clavulis capitatis, cum hac epigraphe: *Sauciat, et defendit.* Collare enim illud et lupum vulnerat, et canem tuetur. De Dei auxilio quid dubitas, cum dicatur Ps. 5. et 13. *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* 46.

S. Ægidii dictum notabile.

Tropolog. Magna erit confusio impiis in hora mortis, cum cernent se post delicias et honores ac divitias, ob quas pios attriverunt, addictos esse gravibus doloribus, et nihil expectare præter supplicia æterna. Dio Prusæus 47.

Tropol.

dictus Chrysostomus ob eloquentiam, orat. 4. de Regno, pag. 469. tradit, apud Persas celebrari solitum Saccharum festum, quo unum e captivis sumebant, morti iam addictum, cui in sella regia sedere, regia chlamyde indui, deliciari, scortari, et omnia pro libidine agere licebat. Post hæc autem exutum, virgisque cæsum suspendebant. Addit deinde sapienter Dio, idem accidere ἀνοήτοις ἀνθρώποις καὶ πονηροῖς, stultis et pravis hominibus, qui potestatem et nomen adipiscuntur, deinde aliquanto tempore superbe viventes, αἴσχιστα καὶ τάχιστα ἀπόλλυνται, turpissime atque ocyssime perduntur. Hæc Absaloni, de quo in hoc Psalmo agitur, apte accommodes. Nam primo, regnavit eiecto patre. Secundo, concubinas eius polluit. Tertio, misere periit, in sylva capillis suis suspensus. Hunc etiam non inepte compares Albanis per suas sylvas furentibus, deliciose viventibus, ac deinde mactatis. Strabo lib. 11. pap. 503. rem sic narrat. Albanorum multi, ait, divino instinctu correpti vaticinantur. Qui vero inter eos furore vehementiore agitatus *per sylvas solus vagatur*, hunc comprehensum sacerdos sacra vincit et constringit catena, et illum τρέφει πολυτελῶς τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον, *sumptuose alit per eum annum*. Productus deinde ad rem sacram Deo faciendam, una cum aliis captis hostibus mactatur, *unguentis delibutus*. Sacrificii ritus est. Quidam sacram tenens hastam, qua fas est homines sacrificandi causa interficere, cominus accedens hasta traiecti, παίει τὴν καρδίαν, *cor ferit*, rei huius non imperitus. Collapso isto, e cadavere divinationes quasdam concipiunt, inque publicum enuntiant: et cadaver in certum locum deferentes, id lustrandi causa universi calcant pedibus: ita Strabo. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam: manus suas*, Hebr. pedes suos, *lavabit in sanguine peccatoris*, Ps. 57. 11.

Saccharum festum. *In deliciis viventes male pereunt.* *Albanorum ritus.*

ARTICULUS II.

Scientiæ contemptus iuvat contemplationem, et cur.

Post petitam hostium punitionem, ait se sperasse semper in uno Deo, atque eum laudaturum: tum declarat, se in viribus et scientiis ac versutiis humanis spem
48. nullam habuisse, ideoque introiturum in potentias Domi-
Vers. 16. ni, v. 16. QUONIAM NON COGNOVI LITTERATURAM, INTROIBO IN POTENTIAS DOMINI: DOMINE MEMORABOR IUSTITIÆ TUÆ SOLIUS. Quæres, quid per litteraturam intelligatur? Primo, litteratura est idem quod grammatica. Hinc Quintilianus lib. 2. cap. 15. Nos, inquit, ipsam nunc volumus significare substantiam, ut grammatice litteratura est, non litteratrix, quemadmodum oratrix: nec litteratoria, quemadmodum oratoria. Litterator etiam est, qui leviter litteris tinctus est, vel, qui prima elementa litterarum docet. Secundo, litteratura est litterarum scientia et cognitio. Tullius 2. Philippica: Fuit, ait, in illo ingenium, ratio, memoria, litteratura, cogitatio, diligentia. Agit de Cæsare. Nota, Græce hic est, γραμματείας, id est, litteraturas, syngraphas, numerationes. Vox Hebraica ספורות *sephoroth*, significat, Primo, numeros, et sic vertunt Pagnin. Arias, Felix, Camp. qui sic explicat, q. d. Os meum commemorabit integritatem tuam, et salutem mihi abs te allatam, quamvis tot extent in me et tanta beneficia tua, ut numerum ignorem. Secundo, *sephoroth* significat litterarum cognitionem et peritiam. Tertio, litteras tractandis negotiis necessarias. Quarto, ipsa negotia sive negotiationes, in quibus continetur etiam computus et numerus, qui exacte initur de rebus magni momenti, et quas magis amamus et curamus. Rad. est *saphar*, id est, recensere, referre, narrare, numerare. Hinc derivatur *sopher*, id est, scriba, litterator, scriptorque litterarum, notarius, publicus scriba annalium, temporum, gestorum, actorum publicorum, censuum, ac redituum, et causarum: item quæstor: præterea, litteratus, doctus, eruditus, iurisperitus, legis atque Scripturæ interpres, versatus in rebus Ecclesiasticis. Talis scriba fuit Esdras, tales ii, qui se cum Pharisæis opposuere Christo. Vox Chaldaica מנין *minian*, significat numerum, computationem, supputationem. Unde sic versum nostrum reddit Chaldæus interpres: Os meum annuntiabit iustitiam tuam, tota die redemptionem tuam, quoniam nescivi numerum earum. Itaque τὸ *quoniam* ad præcedentia refert, sicut alii non pauci. Melius tamen ad sequentia refertur, ut infra videbitur.

Sensus porro est, q. d. Quoniam non novi litteras: quia non sum eruditus in scientiis et versutiis humanis, ideo introibo in potentias Domini: ita Iansen. Lyranus, Bruno Herbipolensis, et alii, litteraturam sumunt pro scientia sæculari et humana. Haymo, pro calliditatibus vitæ et artibus. Raynerius, pro scientia inflante, quæ superbire facit. Minus recte Genebrardus, litteraturam sumit pro sacra Scriptura. Dices, David scribebat carmina eleganti metro, et ipse dicit Psal. 118. 100. *Super senes intellexi:* ergo erat eruditus. Resp. Hæc habuisse per scientiam a Deo infusam. Nam addit, *quia mandata tua exquisivi.* Quod non habuerit humanam scientiam, aut certe parvam, probatur: quia anno ætatis suæ vigesimo, quo unctus est in regem clam a Samuele, servabat oves: post unctionem directus est in eum spiritus Domini, id est, spiritus prophetiæ, fortitudinis, et spiritus regius ac principalis, qui hominem mutat in virum alterum, et plebeias virtutes mutat in virtutes regias et heroicas. S. Hier. *Ideo*, inquit, *directus in eum spiritus Domini dicitur, eo quod tunc Psalmos canere cœperit.*

Quæres secundo, quid est introire in potentias Domini? 49.
Primo, Ruffinus, per potentias Domini intelligit gratiam *Introire in potentias Domini quid?*
et virtutes, ad quas introeat præcepta servando. Verba eius sunt: Spiritualis homo dum non adhæret litteræ, meretur per intellectum ad interiora spiritus introire, ut potentias Domini sciat: id est, gratiam et virtutes, quibus iam non infirmatus per carnem mandata divina potenter impleat.

Secundo, Genebr. potentias Domini explicat eius potestatem, q. d. Quia non satis intelligo Scripturas sacras, et earum mysteria magnitudinem Dei repræsentantia, nec fortasse satis sum instructus litteris et scientiis humanioribus, veniam ad potentias Dei recolendas et commemorandas. Mihi satis erit meditari, et aliis prædicare Deum omnia posse, mire esse potentem, potentiam eius esse immensam: humanis omnibus rationibus et scientiis, quas nescivero, opponam Dei potestatem: ita Genebrardus.

Tertio, Bellarminus hunc sensum esse vult, q. d. Non cognovi litteraturam, id est, non novi sapientiam huius mundi, non confido in humanis consiliis, non approbo astutiam et prudentiam sæculi: sed introibo in potentias Domini, id est, adhærebo penitus omnipotentiæ Dei, in illa confidam, in illa quasi in arce munitissima abscondar. Et sic memorabor iustitiæ tuæ solius, id est, non recordabor humanorum consiliorum, aut virium mearum, vel amicorum meorum: sed recordabor, et mente retinebo iustitiam tuam, qua servas promissa, qua punis impios, qua pios coronas.

Quæres tertio, cur ignorans litteraturam introit in po- 50.
tentias Domini? Nota, pro *litteraturam*, aliqui legunt *ne- Negotiatio est periculosa.*
gotiationes: ita S. Augustinus, Arnob. Cassiodor. et Psalt. Gallicanum et Romanum. Hinc S. Aug. fuse exagitat malos negotiatores, item sutores atque agricolas: sed recte subiungit: *Ista hominum, non rerum peccata sunt:* quo scilicet decipiant, mentiantur, peierent, in Deum murmurent, et alia peccata faciant. Quidam Græce legunt πραγματείας, id est, operationes, negotiationes: sed id non est necessarium, cum idem significent etiam γραμματεῖαι, et Hebr. *sephoroth*. Melius tamen et aptius sumentur pro scientiarum peritia.

Si *litteraturam* pro scientia sumis, ideo scientia impe- 51.
dit, ne contemplatione et affectu introeamus in Dei poten- *Scientia impedit contemplationem Dei, et cur?*
tias: quia, Primo, totum hominem absorbet, et rebus naturalibus speculandis occupat, ita ut inani delectatione in illis occupatus altiora non quærat. Secundo, quia scientia inflat, ut ait S. Paulus 1. Cor. 8. 1. Græce est φυσιοῖ id est, tumet ac turget instar follis vento seu aere disten-

Scientia inflans est cibus indigestus. ti. S. Bernardus serm. 36. in Cantica, illam comparat indigesto cibo: *Sicut*, inquit, *cibus indigestus malos generat humores, et corpus non nutrit, sed corrumpit, ita ex multa scientia ingesta stomacho animæ, qui est memoria, si igne Christi decocta non fuerit, et sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus, transfusa atque digesta, nonne reputabitur in peccatum, tamquam cibus conversus in pravos, noxiosque humores?* S. Ambrosius scientiam inflantem comparat vino inebrianti. Sic enim in epist. Pauli: Sicut vinum, ait, non temperatum admistione aquæ mentem alienat: Ita et scientia superbum facit, nisi fuerit charitate temperata. R. Moses scientiam inflantem confert melli in nimia quantitate sumpto. Illud enim Prov. 25. considerans: *Mel invenisti, comede quod sufficit, ne satiatus evomas*, sic ait: Posuit dulcissimum gustabilium, scilicet mel, cuius natura est, quod si multum comedatur, ex eo parit fastidium, et vomitum, ac si diceret: natura huius apprehensionis, licet sit nobilis et pretiosa, et in ea sit finis perfectionis, si non steterit homo circa terminum, qui ei convenit, et non custodierit cor suum, convertitur in defectum, et in infirmitatem; sicut comestio mellis, si fuerit sicut expedit corpori, nutriet corpus, et proderit ei: ita Moses. Humilitas itaque requiritur cum scientia.

2. Vinum inebrians.

3. Mel nimium.

52. Humilitas iungenda scientiæ. Glossa, Hier. in Prov. Qui, ait, thesauros effodit, terram reiicit, foveam in altum facit, sedulus insistit, donec inveniat quod quærit: sic qui thesauros sapientiæ invenire desiderat, omne pondus terrenum a se reiiciat, in se fossam humilitatis faciat, nec quiescat donec inveniat. Rabbini eos, qui ob scientiam superbiunt, vocant discipulos Balaam: qui vero in scientia sunt humiles, vocant discipulos Abrahæ. Sic enim habent in Pirke avoth: Abrahæ patris nostri discipuli alii sunt, alii vero ipsius Balaam impii. Illi sunt, in quibus cernuntur hæc tria: Oculus bonus, spiritus contritus, *anima humilis*. Hi vero, in quibus tria contraria: Oculus malus, *spirtus elatus*, anima curta: ita illi.

53. Humilitas iuvat contemplationem Dei. Nota, virtus, ac præsertim humilitas, iuvat contemplationem, et efficit ut quis introeat in potentias Domini, licet indoctus. Hesych. centuria 2. num. 45. *Vivendi modus*, inquit, *sui observantissimus, qui dirigitur ex sententia Iesu Christi*, πατηρ γινεται θεωριας, και γνωσεως, *contemplationis et cognitionis pater efficitur*, *et* γεννητωρ αναβασεων θειων, και εννοιων σοφωτατων, *genitor ascensionum divinarum, et doctarum cogitationum, si fuerit humilitati coniugi adoptatus*, ut ait Propheta divinus. Isaias cap. 40. *Qui sustinent Dominum, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, etc.* Respexit Deus humilitatem Virginis, inde effectum est, ut Christum utero conciperet: si vis ipsum, et deitatem, altaque mysteria mente concipere, esto humilis. Matth. 11. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Syr. pueruli, Arab. infantibus: id est, humilibus Apostolis, relictis Capharnaitis, et Scribis, legis doctoribus superbis. Hoc patuit etiam in Ss. Antonio, Paulo eremita, Hilarione, Benedicto, Bernardo, Franciscis Assisiate et Paulino: imo in Ss. Catharina Senense, Theresia, Birgitta, Clara, et aliis, quæ litteraturæ prorsus expertes introierunt in potentias Domini. S. Athanasius in vita S. Antonii refert, ab eo convictos esse Philosophos imperitiam eius contemnentes; cum admisissent priores litteris esse sensus, et ex his illas: cui essent hi incolumes, illas non requirere. S. Arsenius etiam Evagrio litterarum Græcarum peritissimo dixit, propterea Monachos Ægyptios, rudes alioquin et indoctos, tantis esse virtutibus ornatos præ aliis, quoniam alii alienis confidentes laboribus non ita possint velut ex propriis fructum percipere: Monachi vero occupati in propriis laboribus, etiam fructus proprios colligant. S. Greg. lib. 2. dialog. in præfat. scribit, S. Benedictum despectis litterarum studiis recessisse, relicta domo, rebusque patris, cum Deo placere desideraret, et sanctæ conversationis habitum quærere, *scienter nescientem, et sapienter indoctum*. S. Augustinus lib. 8. Confessionum, cap. 8. audita vita S. Antonii narrata sibi a Pontiano, refert, se in magno animi motu dixisse Alipio: *Quid est hoc, quod audisti? Surgunt indocti, et cælum rapiunt, et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne et sanguine?* R. Ionas iure dicebat: Væ illis viris doctis, qui in libro legis student, nec in illis Dei timor est. R. Ravah dicebat sapientibus: Nolite hæreditare duplicem gehennam: hic scilicet ob magnum laborem in studiis, et in æternis ignibus ob superbiam e scientia enascentem. S. Ambr. lib. 6. ep. 10 pulchre David Psal. 33. 11. *Divites, inquit, eguerunt et esurierunt.* Quoniam cum haberent Scripturarum thesauros cælestium, eguerunt, qui non intellexerunt: et esurierunt, qui nullum spiritalis gratiæ gustarunt cibum. R. Zacuth in libro Iuchasin dicit: Maledictus qui filium suum Græcorum instruit disciplinis. S. Augustinus sapientius in illud Ps. 44. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*, sic ait: Pulchritudo, intrinsecus: in fimbriis autem aureis, varietas linguarum, doctrinæ decus. Ista quid prosunt, si non sit pulchritudo intrinsecus? ita ille. Iudic. 1. 12. dicitur: *Qui percusserit Cariath Sepher, dabo illi Axam filiam meam uxorem.* Hoc dicit Caleb, qui significat cordatum, seu quasi cor. Cariath Sepher significat civitatem litterarum, id est, ubi erat Academia Chananæorum. Axa significat habentem ornamenta pedum, hoc est, affectuum. Othoniel, qui significat tempus Dei, seu tempus meum Deus, cœpit illam civitatem, habuit Axam uxorem, et fuit primus iudex, seu princeps populi Israel post Iosue, ac liberavit illum populum e servitute Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, cui servierat octo annis. Vocatur Salvator, cap. 3. 9. Si vis esse populi Salvator in concionibus, exhortationibus, et conversatione, destrue Cariath Sepher, id est, neglige scientiam inflantem, et sis contentus scientia Sanctorum.

Nota secundo, scientia virtuti iuncta utilis est. Thalassius eam animæ comparat, centur. 4. num. 25. *Sicut*, inquit, *anima corpus secundum naturam vivificat: ita et animam virtus et scientia*. Iure scientiam vocabis, animæ solem. Hinc S. Gregor. Nazianz. ep. 10. ad S. Basilium, illum nuncupat orbis tum magnam vocem et tubam, doctrinæ palatium. Aristides Sophista dicitur a Thoma Scholastico, astrum eloquentiæ. Sed optime et verissime auctor Ecclesiastici, cap. 27. 12. *Homo sanctus in sapientia manet, sicut sol.* Omnes enim illuminat suis sermonibus. Tigurina vertit, narratio pii, ut sol, perpetua est sapientia. Philo ait, sapientis animam esse cælum terrestre, ut quæ in æthere habet lucida sidera, concinnas choreas, divinos circuitus virtutum splendore fulgidissimos. S. Iustinus martyr ad Diognetum dicit, scientiam et virtutem esse arborem scientiæ, et arborem vitæ, quæ prope se invicem erant plantatæ. *Neque*, ait, *vita sine cognitione, neque cognitio sine vera vita: ideo in propinquo utrumque plantatum est.* Iure S. Basilius exhort. ad Baptismum: Sicut corpus nisi respiret, vivere nequit: ita nec anima nisi conditorem agnoscat, subsistere poterit; cum ignoratio Dei mors animæ sit: ita ipse. Noli tamen sapere, plusquam oportet sapere, sed sape ad sobrietatem. Eva et Adam comedentes de pomo arboris scientiæ, ut essent sicut Dii, se et nos perdiderunt, atque ad bruta animalia abiecerunt. Salomon recte monet, Ecclæ. 7. 17. *Ne plus sapias, quam necesse est.* Septuag. noli argumentari, plusquam oportet. Hebr. optime, ne tibi sapias amplius quam par est, *ne obstupescas*. S. Isaac presbyter. lib. de contemptu mundi, c. 51. Qui, ait, de sapientia elevatur, tenebrosos ignorantiæ laqueos patietur. 54. Scientia virtuti iuncta utilis est.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

55. *Tria exequitur. Primo, beneficia in iuventute accepta predicat, v. 17. Secundo, in eam rem iuvari in senectute exoptat, ut Deum laudet, v. 18. Tertio denique, si iuvetur, omni modo se divinas laudes celebraturum profitetur, v. 22.*

PARAPHRASIS.

17. *Deus docuisti me a iuventute mea: et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.*

17. Ab ipsa infantia. Deus mysteriorum tuorum, et Maiestatis notitiam infudisti: atque ad hanc usque ætatem admirabilia opera tua annuntiavi, et usque ad vitæ finem eloquar.

18. *Et usque in senectam et senium, Deus ne derelinquas me,*

18. Quod igitur hacteuus cumulatissime præstitisti, ad effœtam usque senectutem et decrepitam exequere, mihique necessarium subsidium ne denega.

Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.

Ut ex his, quibus premor, angustiis liberatus, omnipotentem manum tuam brachiumque, quo et extollis, et deiicis, ut allibitum est, posteris deprædicem.

19. *Potentiam tuam, et iustitiam tuam Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?*

19. Potestatem quidem, qua bonos honoribus cumulas: iustitiam vero, qua sceleratos reprimis ac prosternis, aliaque mirifica opera tua, quibus me adiuvisti et exaltasti. Neminem tibi similem reperio, sive iustitiam, sive potestatem tuam, sive aliud attributum considero.

20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas: et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me.*

20. A me iustitia tua meritas pœnas repetiit, innumeris et gravissimis ob flagitia mea immissis cladibus. Gemitu meo paterna viscera emoveri passus, ad vitam me potestate tua divina revocasti: et prope iam terra absorptum, et morti in prædam datum, ad lucem et quietem pristinam revocasti.

21. *Multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus consolatus es me.*

21. Neque modo me prioribus bonis reddidisti, sed in dies maioribus beneficiis cumulasti: et pro tribulationum gravitate magna mihi novaque gaudia effudisti.

22. *Nam et ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam: Deus psallam tibi in cithara, Sanctus Israel.*

22. Unde fiet, ut ego veracitatem tuam, qua ad te conversis opem pollicitus es, omni musicorum instrumentorum genere decantem: citharaque sumpta laudes concinam tibi, qui Israelitici populi tui sanctificator es.

23. *Exultabunt labia mea, cum cantavero tibi: et anima mea, quam redemisti.*

23. Non languenti mente, sed ita ardente, ut ipsa labia exultent, sacra tibi dicam cantica: totaque anima mea salutis impetratæ non immemor ad nominis tui celebrationem subsiliet.

24. *Sed et lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam: cum confusi et reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.*

24. Lingua mea non cursu præcipiti, sed moderata, distincta, claraque voce iustitiæ tuæ admiranda populo decantabit. Cum throno meo restitutus stratos videro, et rubore suffusos hostes, qui vitæ meæ, regnoque insidias ponunt, et perditum me exoptant.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTO STUDIO OB IUVENTUTIS ET SENECTUTIS BENEFICIA DEO GRATOS ESSE NOS ADDECET.

56. *Ordo Sectionis.* PRIMA Sectione David petierat non confundi in æternum. In secunda, non deseri in senectute. In hac ultima, pollicetur se etiam senem Deo gratias acturum, ob beneficia tota vita accepta.

Ac primo, in iuventute a Deo eruditum se esse gaudet, v. 17. *Deus docuisti me a iuventute mea.* Eam ob rem, se etiam senem Deo gratias agere testatur, et hactenus egisse: *Et usque nunc pronuntiabo omnia mirabilia tua.*

Secundo, in senectute non deseri flagitat, vers. 18. *Et usque in senectam et senium, Deus ne derelinquas me.*

Causam profert: nempe, ut Deum omnes admirentur, suis canticis perlectis: *Donec annuntiem brachium tuum generationi omni quæ ventura est.* Duplex autem brachium Dei se ostensurum ait: scilicet potentiam, ac iustitiam, v. 19. *Potentiam tuam Deus, usque in altissima, quæ fecisti magnalia.* Illis brachiis neminem posse resistere subiungit: *Deus quis similis tibi?*

Duplex illud brachium Dei se sensisse dicit. Primo quidem, iustitiam, cum per Absalonem solio sit eiectus ob scelera sua, v. 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas?* Secundo, potestatem: primo, cum liberando a morte sibi parata ab Achitophele: *Et conversus vivificasti me;* secundo, cum eripiendo a summa inopia, tristitia, et rerum desperatione: *Et de abyssis terræ ite-*

A *rum reduxisti me;* tertio, maiora illi dando, quam antea, v. 21. *Multiplicasti magnificentiam tuam.* Et consolatione ipsum interius reficiendo: *Et conversus consolatus es me.*

Tertio denique, gratitudinem omnimodam pollicetur. Primo, manu instrumenta musica pulsando in potestatis eius honorem, facientis quod promisit, v. 22. *Nam et ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam: Deus psallam tibi in cithara, sanctus Israel.* Secundo, labiis alacritatem suam in cantu et laude Maiestatis eius ostendendo, v. 23. *Exultabunt labia mea, cum cantavero tibi.* Tertio, anima tota laudando eius bonitatem salvantis se: *Et anima mea, quam redemisti.* Quarto denique, lingua iustitiam Dei prædicando in hostes suos exhibitam, vers. ult. *Sed et lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam: cum confusi et reveriti fuerint, qui quærunt mala mihi.*

ARTICULUS I.

B *Magnum Dei donum est ab ipsa iuventute in pietate et scientiis institui.*

OPEM in senectute petiturus David iam sexagenarius 57. *Vers. 17.*
throno expulsus a filio, commemorat dona sibi a Deo facta in iuventute, vers. 17. DEUS (in bibliis Complut. et regiis additur, *meus*) DOCUISTI ME A IUVENTUTE MEA, ET USQUE NUNC (id est, iam inde ad hoc usque tempus) PRONUNTIABO (S. Hieron. et S. August. annuntiabo) MIRABILIA TUA, quæ in me, et per me fecisti, vilem et ignarum pastorem ovium tuis in mysteriis illustrando, imbel-

lem roborando, ita ut ursos et leones, atque Goliathum occiderim, et rusticum ungendo in regem. Secundo, annuntiabo omnia mirabilia naturæ et gratiæ, quæ aliis fecisti, et post facturus es.

David a Deo fuit edoctus.

Nota, Davidem docuit Deus a prima pueritia per præceptores, sicut probabile est, ut legeret, et ea quæ fidelem decent, sciret. Non enim credibile Isai virum pium huic rei curam non impendisse. Secundo, Davidem infantem, puerum, et adolescentem, per se Deus edocuit, dando illi prima virtutum semina, pios ac teneros pietatis motus, illustrationes frequentes, et excitationes ad generosos actus virtutis. Tertio, præsertim illum docuit per scientiam infusam, quæ natum annos viginti implevit spiritu suo, 1. Reg. 16. 13. *Tulit Samuel cornu Dei, et unxit eum in medio fratrum eius. Et directus est spiritus Domini a die illa in David.* Vide dicta de spiritu recto, sancto, et principali, præsertim Psal. 50. 12. et seqq. Quarto denique, Deus ab eo tempore non destitit docere David, tum in pascuis, post unctionem, ubi aliquot fecit Psalmos; tum in aula Saulis, ubi cithara pellebat dæmonem, prudentia vitabat Saulis insidias, fortitudine superabat Philisthæos, omnibus virtutibus sibi Ionatham, et aulicos conciliabat: tum in fuga per annos septem: eo enim tempore plerosque Psalmos composuit, donec natus annos triginta, regnare cœpit in Hebron super tribum Iuda. Tunc erat iuvenis. Nam iuventus incipit ab anno trigesimo usque ad quadragesimum, ait Varro: aut verius, ab anno vigesimo quinto, quando cessat homo adolescere, usque ad trigesimum quintum; eo enim tempore in vigore ætatis iuvare potest Rempublicam. Dicit itaque David: *Deus docuisti me a iuventute mea.* Hebr. מנעורים *minneurim*, id est: Primo, a *iuventute*: ita Noster, et Flamin. Secundo, ab adolescentia: ita S. Hieron. et Felix. Tertio, *a pueritiis meis:* ita Arias. Sub pueritia intellige infantiam; nam vox *neurim* etiam illam significat, ut dixi, v. 5. Psalmi nostri. Nullo unquam tempore servis suis Deus deest. Syrus vertit: *Deus doctrina mea a pueritia, et usque modo, ut ostendam prodigia tua.* Doctrina scilicet, 1. causalis, id est, causa, auctor, et fons doctrinæ; 2. *doctrina*, id est, obiectum doctrinæ. Nihil aliud nisi te, et quæ ad te spectant et ducunt scire volo. *Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum*, ut ait ipse David.

58. Iuventus eget doctore.

Moral. Primo, iuventus eget Doctore, ut virtutem amplectatur. Seneca lib. 3. natur. qu. cap. ult. *Virtus*, ait, *difficilis iuventus est, rectorem ducemque desiderat: etiam sine magistro vitia discuntur.* Quam prona sit adolescentia et iuventus in vitia, dixi Ps. 24. 7. in illud: *Delicta iuventutis meæ et ignorantias ne memineris.* S. Hieronymus ep. ad Nepotianum: Sicut, inquit, ignis in lignis viridibus suffocatur, ita sapientia in adolescentia tentationibus, et libidine impedita non explicat suum fulgorem, nisi labore et studio, et oratione incentiva iuventutis intra repellantur. Hinc pene omnes populi providerunt adolescentibus bonos et sapientes præceptores. Primo, apud Lacedæmonios eligebatur unus e Prætoriis ac Senatoriis viris, qui esset παιδονομος, id est, puerorum Rector, Præfectus disciplinæ et educationi puerorum, ut eorum ingenia omni honestate imbueret. Secundo, apud Athenienses fuerunt Sophronistæ, ut vocat Iamblichus, viri numero decem, omnium suffragio a tribubus electi, quorum esset επιμελειν εφηβων σωφροσυνης, moderari mores iuventutis. Plato in Euthyphrone hoc summi esse momenti admonet. Consentaneum est, ait, νεων πρωτον επιμεληθηναι, *primam de ipsis iuvenibus curam suscipere, ut quam optimi evadant: sicut decet agricolam, novellarum plantarum primam curam gerere.* Tertio, apud Persas duodecim extitere Archontes, εκ των γεραιτερων, ex senioribus, qui iuventutem in eo foro, quod ingenium vocabant, salutaribus institutis informarent, ut ait Xenophon in Cyropædia. Plura de Persarum institutione dixi alias.

1. Cura Spartanorum pro iuvenibus. 2. Atheniensium. 3. Persarum.

59. Deus docet servos suos.

Secundo, Deus Doctor est servorum suorum. Plato dicit, puerorum educatione nihil esse divinius, ουδεν ειναι θειοτερον. De Deo Patre, seu de tota Trinitate, dicit Anna mater Samuelis, 1. Reg. 2. 3. *Deus scientiarum, Dominus est*, id est, omnia novit, ait Chaldæus. De Christo ait Ioel Propheta cap. 2. 23. *Dedit vobis doctorem iustitiæ, et descendere faciet Dominus ad vos imbrem matutinum et serotinum:* id est, doctrinam cælestem in iuventute, et senectute. De Spiritu sancto habetur Ioan. 14. 26. *Ille vos docebit omnia.* Pythagoras dicebat, Deum esse mentem incorpoream, quæ per rerum omnium naturam diffusa, vitalem sensum cunctis animantibus tribuit. Plato aiebat, Deum esse animum per immensas mundi partes diffusum, ex quo omnia, quæ nascuntur, vitam capiunt. Thales Milesius, esse mentem infinitam, quæ per seipsam movetur. Socrates, esse *mentem universi.* Itaque, sine eo omnes sunt amentes; cum illo vero, et per illum, unico momento fiunt sapientes. Philo lib. de sacrificio Abelis et Caini. fol. 92. Non possunt, ait, præceptores, sicut qui in vas infundunt, implere mentem eorum qui introducuntur: sed quando fons sapientiæ, Deus, scientias tradidit humano generi sine mora hoc facit, et ex tempore. Et lib. de præmiis atque pœnis f. 574. Deum soli comparat, iu hunc modum. Sicut solem hunc visibilem nulla alia re, quam sole ipso adiuti cernimus, et stellas ipsas sola stellarum ope aspicimus, lucis aspectum luci debemus. Ita etiam Deus per seipsum sui illustrat notitiam, cooperante nemine, quod ea res excedat vires omnium: ita Philo. Suavitas illius doctoria patet 1. Ioan. 2. 27. *Unctio eius docebit vos de omnibus.* Necessitas vero Matth. 23. 8. *Unus est magister vester.* A diis edoctos se Minos, Lycurgus, Numa, Samolxis, aliique finxeruut, sed unus magister est Christus, de quo ait Clemens Alex. lib. 1. pæd. cap. 2. p. 59. *Pædagogus noster, o pueri, Deo Patri suo est similis, cuius est filius, in quem nullum omnino cadit peccatum, estque nulli reprehensioni affinis, et animo impatibilis: Deus in figura hominis, impollutus, paternæ voluntati serviens, Verbum Deus qui est in Patre, qui est a dextris Patris, et cum figura Deus est:* ita ille. Eius figura fuit angelus docens Mosem in Sinai.

Tertio, iuvenes præsertim docet Deus, sicut Iosephum, 60.
Danielem, ac socios eius. Quomodo sapientia incarnata, id est Christus, specie virginis sole splendidioris apparuerit S. Laurentio Iustiniano iuveni alias retuli. Christus visibiliter apparens docuit S. Catharinam Senensem, et varias sanctas, prima litterarum elementa, et summa fidei mysteria, ut etiam ostendi. Illo doctore instituti iuvenes senibus sæpe præstantiores extiterunt. S. Ignatius hortatur Magnesianos epist. ad ipsos scripta, ut ætatem Episcopi sui iunioris non contemnant. Nec enim annosi, sapientes continuo sunt: neque ipsi senes intelligentiam possident: sed spiritus, qui in hominibus est. Daniel ille sapiens, cum duodecim esset annorum, spiritu Dei afflatus erat; et senes, frustra canos ferentes, calumniatores, et alienæ formæ appetentes esse coarguit. Samuel autem puer parvulus, Heli nonagenarium reprehendit, quod suos filios plusquam Deum honoraret. Similiter Ieremias audit a Deo, Ierem. 1. *Ne dicas iunior sum.* Hæc ille, qui deinde id probat Salomonis iudicio illo mirabili, et idolorum eversione per Iosiam puerum.

Iuvenes præsertim docet Deus.

Quarto, hinc discant parentes et præceptores, quanta 61.
cura liberos suos et sibi creditos adolescentes instituere debeant. S. Chrysost. lib. 3. de vita monastica, parentes vocat, Χριστοφορων οικονομους ναων, Christiferorum ædificatores templorum, ideoque illos hortatur ad rectam eorum educationem. R. Iudas generatim dicit: *Omnis qui lectionem discipulo negat, idem facit, ac si patris illius hæreditatem auferret.*

Parentes habeant curam liberorum.

Quinto denique, hinc etiam liberi et discipuli discant, 62.
parentes et præceptores amare atque revereri, a quibus tantum bonum suscipiunt. Maria Magdalena sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, Luc. 10. 39. Hoc expendens S. August. serm. 26. de verbis Domini. *Quanto, ait, hic melius ad pedes sedebat, tanto amplius capiebat; confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat*

Liberi ament parentes et præceptores.

de tumoribus collis. S. Paulus gloriatur se eruditum fuisse ad pedes Gamalielis. Sic enim loquitur, Act. 22. 3. *Ego sum vir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ: nutritus autem in ista civitate* Ierusalem, *secus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ legis.* Iose Ioazari filius dicebat: In pulvere magistrorum sedeto, et verba eorum cum siti bibito. S. Isidor. Pelus. l. 2. ep. 26. *Discipuli,* ait, *magistros velut patres amare: et velut principes timere debent, ac neque ob amorem metum discutere, neque ob benevolentiam abiurare.* Hebr. in שלחן ערוך *Sciulchan Haruch*, docent, teneri quemlibet honorare suum præceptorem, ac timere amplius quam patrem suum. Strabo tradit l. 15. Brachmanum Indorum auditori, nec loqui, nec screare, aut expuere licitum esse: alioqui per diem illum a cœtu, velut incontinens excluditur. Trigautius noster, quem e Sinis reducem vidi, lib. 1. cap. 8. de expeditione Christiana apud Sinas, ait, eos summo honore præceptores suos venerari. Verba eius sunt: Magistros omnino religiosius, quam nostri venerantur: ac tametsi alter alteri per unum diem sese subiecerit in qualibet scientia vel arte, per vitam deinceps universam eum magistrum appellat, et pro magistro colit: Nam illi nonnisi ad latus in quolibet congressu assidet, et magistralibus eum titulis ac ritibus cohonestat. Cum primum puer studia aggreditur, *aliud ei nomen præceptor imponit,* quod ludi nomen appellatur. Hoc nomino a magistro dumtaxat, atque a condiscipulis appellari solet: ita ille. Nos, Christiani a pædagogo et Magistro Christo dicimur, ei nos humiliemus. De discipulis Dei dicitur, Deut. 33. 3. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Gratos quoque nos illi exhibeamus, illum, doctrinam, et opera eius laudantes. David ei gratum se exhibuit, qui in versu nostro ait: *Pronuntiabo mirabilia eius.*

ARTICULUS II.

Deo a tribulatione liberanti, imo etiam in tribulatione exercenti, gratiæ sunt agendæ.

63. Vers. 20. DEO neminem esse similem dixerat David; nunc id probat, quia ex maximis tribulationibus servos suos eripit, eosque vivificat et consolatur, v. 20. QUANTAS OSTENDISTI MIHI TRIBULATIONES MULTAS ET MALAS (quidam Græci codices habent, κακα, id est mala; Syr. et miseriam) ET CONVERSUS ab ira tua iusta, VIVIFICASTI ME, ET DE ABYSSIS (Pagn. ex voraginibus) TERRÆ ITERUM REDUXISTI ME. Nec modo a malis eduxisti, sed etiam bonis cumulasti
Vers. 21. et exornasti, v. 21. MULTIPLICASTI MAGNIFICENTIAM TUAM (S. Hier. multiplicabis magnitudinem meam) ET CONVERSUS CONSOLATUS ES ME.

Mundus hic est mare. Nota, in hac terra, velut in mari sumus; ideo in abyssos et voragines calamitatum sæpe deiicimur. Seneca libro de consolatione ad Marciam. num. 17. Ad hæc, inquit, genita es, ut perderes, ut perires, ut sperares, metueres, alios teque inquietares: mortem et timeres, et optares: et quod est pessimum, nunquam scires cuius esses status. Comparat denique nos navigantibus more, quibus multa occurrunt toleranda; et probat, nullum esse iustæ querelæ locum. In consolatione vero ad Polybium num. 23. Diutius, ait, accusare fata possumus, mutare non possumus. Stant dura et inexorabilia. Nemo illa convicio, nemo fletu, nemo causa movet: nihil unquam parcunt ulli, nec remittunt; proinde parcamus lacrymis nihil proficientibus. Facilius enim nos illi dolor adiiciet, quam illum nobis reducet: ita ille consolans eum in fraterna morte. Marcus Eremita tr. de lege spirituali. *Traiicere,* ait, *volens,* νοητον θαλασσαν, *mare intellectuale, longanimis est, humilis est, vigilat, temperans est. Absque his quatuor si conatur ingredi, cor quidem conturbat, traiicere vero non poterit.*

64. Deus prædicit sanctis. Nota secundo, Deus afflictiones ostendit servis suis. Primo, ut pius patiantur, sicque meritum augeant, Abrahamo Deus prædicit servitutem Ægyptiacam Gen. 15. 13. *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subiicient eos servituti, et affligent quadringentis annis.* Hos 400. annos numerat Torniellus a nativitate Isaac; ab eo enim anno, usque ad exitum ab Ægypto intercesserunt 405. ab eiectione vero Agar et Ismaelis præcise anni 400. Sed erudite Abrahamus noster lib. 9. integro Phari vet. test. probat per annos totos 400. Israelitas fuisse in ipsa Ægypto. Quidquid sit, cum occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones victimarum ab Abrahamo immolatarum, ut magnitudinem afflictionis prævideret. Deiparæ ipsi Simeon in die purificationis dixit Luc. 2. 35. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius,* non gladius spiritus, qui est verbum Dei, ut voluit S. Eucher. Lugdun. hom. in Dom. post nativ. non terror externi iudicii, ut putavit S. Hilar. in Ps. 118. sed gladius tormentorum Christo illatorum, ut explicat S. Aug. ep. 59. Sophron. serm. de Assumptione. Hinc a S. Hier. serm. de Assumpt. vocatur martyr; a S. Ildephonso Episc. Toletano serm. 2. in eodem festo, plusquam martyr. S. Bernardin. Senens. tom. 2. serm. 61. art. 3. *Tantus,* inquit, *fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas divideretur, omnes subito interirent.* Hyperbolen credo id esse. S. Birgitta in serm. angelico cap. 17. et 18. vim huius gladii et doloris in Virgino, fuso et pathetice enarrat. Sed admirabile est, quod statim ab initio vitæ Christi hic dolor ipsi est revelatus, ut totos 34. annos plus doleret.

Afflictiones, ex quinque causis. I.

II. Secundo, sanctis suis Deus ostendit afflictiones quas passuri sunt, ne ab iis ex improviso invadantur et deiiciantur. Eam in rem Deus toties Prophetas misit, ut clades venturas prædicerent, sicut Davidi post peccatum mala eventura prædixit Nathan, 2. Reg. 12. 9. et seqq. et Galat. cap. 24. 13.

III. Tertio, sanctis suis afflictiones ostendit Deus, ut eas acceptent, in iis se resignent, humiliient, clarius et certius sciant a paterna Dei manu sibi immitti; ita Christus in horto Gethsemani videns omnes dolores Passionis suæ dixit: *Fiat voluntas tua,* Matth. 26. 42. quam vocem meditans S. Leo serm. 7. de passione ait: Hæc vox capitis, salus est totius corporis; hæc vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persequutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus et pro omnibus patiens patri diceret: *Fiat voluntas tua?* ita Leo. Cum in afflictione videtur voluntas Dei, placet ipsa afflictio amanti Deum.

IV. Quarto, sanctis suis afflictiones quas passuri sunt, ostendit, ut ad eas se præparent et arment, atque opem Dei ad hoc sæpe et ardenter postulent; sic Christus eversionem Ierusalem prædixit Apostolis et discipulis suis.

V. Quinto denique, afflictiones illæ sanctis ostenduntur, ut ope Dei in illis prævisa eas augeri appetant, ut fecit S. Xaverius, de quo sic refert Nicolaus Orlandin. lib. 3. histor. Soc. Iesu, num. 43. eum in discessu ex Europa, ut in Indiam pergeret dixisse Simoni Rodericiæ: Meministino, pater, Romæ cum ambo in nosocomio versaremur, te meis nocte intempesta excitatum e somno clamoribus, cum vociferarer, *Amplius, amplius, amplius,* idque quid esset tibi percontanti, me eo tempore subterfugisse prodere. Nunc, quoniam rem ad exitum video dirigi, sic habeto. Haud scio an vigili, an sopito, obiecta tum mihi est scena perampla multiplicium ærumnarum, quas divini obsequii gratia subirem: tantumque tum æterna bonitas mihi roboris et animi dedit, non modo ut oculos ex horrido conspectu illo non retorquerem: sed ut præ cupiditate plura et acerbiora tolerandi, in eas quas exaudisti voces, *amplius poscens,* eruperim. Iam igitur spero, quando ad hanc me provinciam clementissimus Deus pro sua pietate selegit, pariter facturum; ut, quæ tum Romæ dedit votis exposcere, re etiam exequi donet in India: ita Orlandinus.

65. Sensus huius loci. Adverto tamen, το *ostendisti,* in psalmo nostro non denotare præviam tantum manifestationem afflictionum, sed

etiam eorum realem inflictionem, ita ut sit sensus, q. d. Quantas mihi inflixisti, et experiri me fecisti tribulationes. Ubi etiam ostensio illa notat brevitatem calamitatis, q. d. Tam ita brevis fuit, ut tantum ostensa videatur. Vix enim annum unum duravit rebellio Absalonis, imo ne annum quidem integrum. Sic, propter electos breviabuntur dies tribulationis magnæ, quam inferet Antichristus: eius enim monarchia durabit tantum tres annos cum dimidio: ita Iulianus Apostata, et alii persecutores Ecclesiæ cito e vivis sublati sunt post excitatam persecutionem.

66. *Deus servos suos educit ex tribulatione.* Nota tertio, Deus ex afflictionis mari in portum salutis educit; 2. donis amplioribus cumulat; 3. lætitia afficit.

Primo itaque dicit David: *Conversus vivificasti me, et de abyssis terræ reduxisti me,* ut postea Ionas Propheta de se prædicavit in suo cantico cap. 2. 3. S. Callistratus mirabiliter eductus est e mari per duos delphinos; Deus e tentationis et calamitatis fluctibus per se et angelos educit clamantem ad se. *S. Callistratus per delphinos e mari eductus.* De S. Callistrato ait Simeon Metaphr. dic 27. Septemb. Cum iussu ducis exercitus sacco inclusus in mare proiectus esset, perfracto sacco incolumis egressus est, eumque duo delphini, tamquam, iussi, adnatantes, cum sanctum tergo excepissent, subiimem tollunt: deinde ad littus accedentes, sensim et caute eum deponunt in terra. Quo in loco sanctus martyr canens ea quæ David Psal. 68. dicebat: *Veni in altitudinem maris,* sed neque procella me obruit, neque laboravi clamans, dum orarem ad te, Domine. Quoniam celeriter audivisti preces, et ex vinculis inevitabilibus, et ex profundo infimo me abripuisti admirabiliter, ac præter opinionem sacco meo disrupto circumdedisti me lætitia. Præcipue o mari liberabimur, cum mors ad portum cælestem nos deducet. Cum Romæ in basilica Liberiana exequiæ fierent Margaritæ Austriacæ Hispaniarum reginæ, unionem seu margaritam pinxerunt, cum hanc inscriptione: *Deseruisse iuvat* mare, ut eo emblemate denotarent, eam e terris, velut ex oceano, enavigasse. S. Felicitatem, quæ sub Antonio Pio cum septem filiis martyrium obiit, cum Publius præfectus urgeret ut deos coleret, ac minas precibus adderet, respondit: Nec blandimentis his moveor, nec terroribus et minis frangor. Spiritum sanctum habeo, qui mihi suggerit vires, ut pro fide quidvis perpeti velim. Ad filios deinde conversa dixit: *Filii charissimi, in fidei confessione persistite, vos iam expectat Christus cum sanctis suis: pugnate pro animabus vestris, et fideles vos exhibete Christo.* Eusebius lib. 4. cap. 16. ait, quod Lucius martyr morti adiudicatus ab Urbicio Præfecto gratias egit, dicens: *A malis dominis liberor, et ad Deum patrem optimum transeo.* Et S. Babilas martyr cervice inflexa, ut tortoris ictum exciperet, dixit: Revertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Eripuit animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu, ambulabo coram Domino in terra viventium. Cum tribulamur, oculos terris claudamus et in cælum erigamus, ut Ananiam monuit Pusices martyr. Nam cum Ananias cui mors intentabatur, trepidaret, Pusices præfectus omnium artificum regis Saporis exclamavit: Paulisper, o senex, oculos occludito, et bono animo esto: nam statim lumen Dei videbis.

67. *Deus servos suos in afflictione donis cumulat.* Secundo, Deus in afflictione sanctos cumulat donis amplioribus. Aquæ erigunt arcam in sublime, Gen. 7. 17. et post diluvium mense septimo, vigesimo septimo die mensis requievit super montes Armeniæ, quæ est omnium orbis partium celsissima, ut ait Cornelius: unde et Armenia, id est alta et excelsa dicitur. Eius tamen argumentum non est efficax, quod scilicet ibi primum arca consederit, quia in illis partibus tantum fuerat, aut certe non multum inde recesserat: licet itaque tunc essent detectæ aquis Alpes, aut Olympus, aut Atlas, ibi arca non quievisset. Sed ut ut sit, afflictio elevat, et in sublimi locat. Hoc patuit in Iosepho, qui e carcere ad thronum ascendit, Gen. 49. 24. de eo ait Iacob: *Sedit in forti,* id est in Deo, *arcus eius,* id est robur et præsidium. *Dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius.* Vatablus et Kimhi vertunt: Roborata vel consolidata sunt brachia manuum eius; afflictio roborat. Chald. vero: Tunc positum est aurum optimum super brachia eius; afflictio ditat. *Inde pastor, egressus est, lapis Israel,* id est fuit pastor, et princeps, ac rector Ægyptiorum; et lapis, hoc est stabilimentum, et robur, populi sui Israel. Quantam gloriam tribulatio attulerit S. Felicitati aperit S. Gregorius, cum ait: Felix, quæ octuplici patientia octies martyr, octo donanda coronis ad cælum ascendit. S. Nilus in parænesi generatim dicit: Fortiter perfer afflictiones, ἐν αὐταῖς γὰρ τοῖς ἀθλοῦσιν οἱ στέφανοι: *Coronæ enim sunt eorum, qui in eis certamen sustinent.* Isaias tribulationem vocat salutem. Ubi enim vulgata habet cap. 49. *In die salutis auxiliatus sum tui,* Chald. vertit, in die tribulationis ego suscito salutem. S. Greg. lib. 3. mor. cap. 6. Athleta Dei unde premitur, inde sublevatur: ita ipse. Ne te igitur terreant fluctus, qui in cælos exaltant.

Tertio denique, sanctos suos cum undis et tenebris tempestatum luctantes luce sua recreat, sicut Apostolos in mari Tiberiadis iactatos, Matth. 14. Luc. 5. Hinc dicit David: *Et conversus consolatus es me.* Et Ps. 79. 4. *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Festum erat apud Ægyptios, quod Sairei, sive *festum lætitiæ* vocabatur, in honorem Serapidis, hoc est solis. Deus est sol iustitiæ, potentiæ, maiestatis, charitatis, sapientiæ, primus eius aspectus tristitiam fugat. Philo auctorem veri gaudii ait Deum esse. Sic enim libro, quod deterius potiori insidiari soleat, p. 138. illud Gen. 21. 6. Sara dixit: *Risum fecit mihi Dominus:* considerans Syni εὐεργὸς, inquit, ὁ Θεὸς σπουδαίου γέλωτος καὶ χαρᾶς ἐστιν; *Opifex est Deus boni risus et gaudii: Itaque Isaac non vulgariter genitus, sed operante Deo credendus est. Nam si risus Isaac intelligitur, risus autem factor est Deus, iuxta verax Saræ testimonium, etiam pater Isaac rectissime dici potest. Huius appellationis etiam sapiens ille Abraham fit particeps,* ᾧ καὶ τὸ χαίρειν ἐπιγέννημα σοφίας, *cui gaudium proles sapientiæ tristitiam excidens donatum est.* Et fol. 140. In solis, ait, animæ bonis pura, et minime adulterina, invenitur lætitia; in seipso utique gaudet omnis sapiens, non in his quæ circa se habet. Lib. de mundi officio: Deus, inquit, nemine monente suopte consilio decrevit, εὐεργετεῖν ἀταμιεύτοις καὶ πλουσίαις χάρισι, divitias et thesauros infinitos gratiæ sue copiose largiterque distribuere: ita ille. Fons est lætitiæ inexhaustus et infinitus. Cum igitur affligeris, illum aspice, et parentem tuum esse ac remuneratorem recordare. S. Petr. Damiani lib. 8. Epist. 6. *Magna,* inquit, *electis Dei est consolatio, ipsa divina percussio: quia per momenta mea flagella quæ perferunt, ad nanciscendam supernæ beatitudinis gloriam firmæ spei gressibus convalescunt.* Marcus Eremita tract. de lege spirituali: Ignominia, inquit, affectus ab hominibus, illico retributionem gloriæ, quæ est a Deo, fac animo cogites; atque ita, ἄλυπος καὶ ἀπερίοχλος ἔσῃ, nullam tristitiam et conturbationem ignominia ab hominibus obiecta tibi allatura est. Seneca lib. de providentia, n. 2. sic describit tranquillitatem sapientis afflicti: Quare, ait, multa bonis viris adversa eveniunt? Nihil accidere bono viro mali potest. Non miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum superne deiectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: ita adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu, et quidquid evenit in suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior: nec hoc dico, non sentit illa sed vincit, et alioquin *quietus placidusque contra incurrentis attollitur omnia adversa exercitationes putat.* Et lib. de tranquillit. animi cap. 11. Tanta, inquit, sapienti fiducia sui est, ut obviam fortunæ ire non dubitet, nec unquam loco illi cessurus sit; nec habet, ubi illam timeat: qui non mancipit tantum, possessionesque et dignitatem: sed corpus quoque suum et oculos, et manum, et quidquid est cariorem vitam facturum, seque ipsum inter precaria numerat, vivitque ut commodatus sibi, et reposcentibus sine tristitia redditurus: ita Seneca. Ægocephalus avis prorsus liene caret. Est autem lien, risus sedes: sicut fel, iracundiæ:

68. *Deus servos suos lætitia afficit.*

Sapiens mari comparatus.

iecur amoris: ita Arist. lib. 2. hist. anim. splene seu liene ademplo posse animal vivere docet Plin. 11. cap. 57. sunt qui putent adimi simul risum homini. Impii non rident, nisi forte summis labris.

69. Vers. 22. Gratum se fore pollicetur David v. 22. **Nam** (Hebr. est גם *gam*, id est etiam, autem. Sic sæpe ponit *nam*, enim, pro *autem*) **ET EGO CONFITEBOR TIBI IN VASIS PSALMI** (Arabs, cum instrumento lætitiæ) **VERITATEM TUAM: DEUS PSALLAM TIBI IN CITHARA** (id est, cithara) **SANCTUS ISRAEL**, id est Deus sanctus Israelis, hoc est, Primo Iacobi, qui vocatus est Israel ab angelo: Deus enim voluit specialiter dici Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob. De hoc habes Gen. 49. 24. *Dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum illius*, Iosephi scilicet, *per manus potentis Iacob*, hoc est, per manus Dei potentis, qui Iacob ubique tutatus est, et qui se eius Deum esse, id est provisorem, directorem, ducem, protectorem ac parentem testatus est.

Vers 23. Musicis instrumentis vocem se adiuncturum dicit, v. 23. **EXULTABUNT** (S. Hieron. *laudabunt*, cum alacritate scilicet) **LABIA MEA CUM CANTAVERO TIBI** (tristabuntur, cum cantavero mihi, me laudans, inanem gloriam et commoda mea captans) **ET ANIMA MEA, QUAM REDEMISTI**, a variis periculis Philisthinorum, Ammonitarum, Idumæorum, et novissime Absalonis et Achitophelis, ex animo et fundo pectoris necesse est laus nostra prodeat. Arnob. lib. 4. adversus Gentes: *Non enim*, ait, *qui sollicite relegit, et hostias immaculatas cædit, qui acervos thuris dat cremandos igni, numina sentiendus est colere: aut officia solus religionis implere. Cultus verus in pectore est, atque opinatio de diis digna.* Strabo lib. 15. ait quod Persæ cum sacrificabant, carnes hostiæ suos in usus converte- *Mente præsertim laudandus Deus.*

A bant, solam animam Deo relinquebant, τῆς γὰρ ψυχῆς φασι τοῦ ἱερου δεῖσθαι; deos enim sola anima victimæ opus habere.

Denique, ait se laudaturum Deum ob punitionem hostium suorum, v. 24. **SED ET LINGUA MEA TOTA DIE MEDITABITUR IUSTITIAM TUAM: CUM CONFUSI ET REVERITI FUERINT, QUI QUÆRUNT MALA MIHI.** Vide dicta Ps. 57. 11. in illud, *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Licet mali iuveniliter exultent et honoribus fulgeant, cito puniuntur. Minutius Felix in Octavio: *Hi*, ait, *ut victimæ ad supplicium saginantur: ut hostiæ ad pœnam coronantur. In hoc adeo quidem imperiis ac dominationibus eriguntur, ut ingenium eorum perditæ mentis licentia liberi nundinentur. Absque enim Dei notitia, quæ potest esse solida voluptas? Cum sit somno similis, antequam tenetur, elabitur.* Agathias lib. 2. tradit, festum quoddam Persarum fuissse præcipuum, quo serpentes et venenata omnia interimebant: magisque suis pro insigni pietatis argumento offerebant. Deus in extremo iudicio omnes impios simul mactabit; nune id facit per partes. 70. *Vers. 24. Impii dant pœnas.* *Persarum festum ad serpentes occidendos.*

B Nota, in omni victoria gratiæ Deo referendæ sunt. S. Hier. lib. 11. in cap. 39. Isaiæ docet, tradi ab Hebræis, ideo ægrotasse Ezechiam, quoniam post inauditam victoriam Iudæorum, et Assyrii regis interitum, non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moses Pharaone submerso, et Debora interfecto Sisara, et Anna genito Samuele. Agasicles ab Halicarnassæis in exilium eiectus est, ut ait Herodot. lib. 1. quod tripodem quem obtinuerat in ludis, non dedicasset Deo, sed domum retulisset. Citharus piscis, ut ait Athenæus lib. 7. cor candidum et amplum habet. Homo qui habet cor candidum innocentia, et dilatatum charitate, laudes Dei perpetuo concinit; et cithara fit suaviter cælo resonans. 71. *Gratiæ Deo reddendæ.* *Ezechiæ morbus, quod non fecerit canticum.*

PSALMUS SEPTUAGESIMUS PRIMUS.

1. PSALMUS IN SALOMONEM.

2. DEUS iudicium tuum regi da: et iustitiam tuam filio regis.
Iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio.
3. Suscipiant montes pacem populo, et colles iustitiam.
4. Iudicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem.
5. Et permanebit cum sole et ante lunam, in generatione et generationem.
6. Descendet sicut pluvia in vellus: et sicut stillicidia stillantia super terram.
7. Orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis: donec auferatur luna.
8. Et dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.
9. Coram illo procident Æthiopes: et inimici eius terram lingent.
10. Reges Tharsis et insulæ munera offerent: reges Arabum et Saba dona adducent.
11. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient ei.
12. Quia liberabit pauperem a potente: et pauperem, cui non erat adiutor.
13. Parcet pauperi et inopi: et animas pauperum salvas faciet.
14. Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum: et honorabile nomen eorum coram illo.
15. Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei.
16. Et erit firmamentum in terra in summis montium: superextolletur super Libanum fructus eius: et florebunt de civitate, sicut fœnum terræ.
17. Sit nomen eius benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen eius.
Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.
18. Benedictus Dominus Deus Israel: qui facit mirabilia solus.
19. Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum: et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.

PSALMI SEPTUAGESIMI PRIMI ANALYSIS.

David Christum regem contemplans, describit:

- Iudiciariam eius potestatem: 2.
  - A Deo Patre datam,
    - Ut regi. 2.
    - Et orbis Iudici. 2.
  - Hominibus salutarem,
    - Pace data magnatibus. 3.
    - Iustitia mediocribus. 3.
    - Salute tenuioribus. 4.
  - Ipsi gloriosam,
    - Ob radios inde emicantes. 5.
    - Et durationem æternam. 5.
- Descensum e cælo, 6.
  - In incarnatione, allapsu tacito in Virginem. 6.
  - In nativitate, exortu salutari in terram. 6.
  - In tota vita,
    - Iustitia et pace concessa hominibus. 7.
    - In omnem æternitatem duratura. 7.
- Dominum in orbem, 8. cuius,
  - Fines describit
    - A mari Indico, usque ad oceanum occiduum. 8.
    - Et a fluvio Tanai, usque ad Æthiopiam extimam. 8.
  - Et subditos
    - A Meridie,
      - Æthiopes. 9.
      - Et reliquos barbaros. 9.
    - Ab Occidente,
      - Populos maritimos. 10.
      - Et semotas mari provincias. 10.
    - Ab Oriente,
      - Arabes. 10.
      - Ac præsertim Sabæos. 10.
    - A Septemtrione,
      - Reges orbis reliquos. 11.
      - Et populos omnes. 11.
- Passionem pro hominibus, 12. qua
  - Imbelles ab hoste liberat. 12.
  - In se rebelles salvat. 13.
  - A peccatorum tyrannide eximit. 14.
  - Gloria æterna donat. 14.
- Resurrectionem pro ipso, 15. qua
  - Vitam immortalem nanciscitur. 15.
  - Et venerationem a subditis
    - Dona offerentibus. 15.
    - Adorantibus. 15.
    - Laudantibus. 15.
- Eucharistiæ donationem pro iustis, 16. qua
  - Radices eorum firmat. 16.
  - Ramos erigit. 16.
  - Fructus fœcundat. 16.
  - Flores coacervat. 16.
- Et gloriam ipsi redditam, 17.
  - In omni tempore. 17.
  - Ab omnibus populis. 17.
  - Propter omnia opera. 18.
  - In omni loco. 19.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Psalmus in Salomonem.

1. Salomon pro Christo hic ponitur.

Nomen Salomonis hoc loco non sumitur proprie pro filio Davidis et Bethsabææ, sed figurate pro Christo, sicut sæpe nomen Davidis figurate sumitur pro solo Christo, Ezech. 21. 24. et Oseæ 3. 5. Psalmus enim hic noster, licet scriptus videatur occasione Salomonis, cui regnum suum David senex tradebat, non convenit tamen Salomoni in plerisque. Primo enim de eo dici non potest, *Permanebit cum sole et ante lunam, in generatione et generationem.* Nam Salomon mortuus est, et non est productus prius quam luna. Secundo, Salomoni non competit, *Dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Tertio, neque illud: *Adorabunt eum omnes fines terræ; omnes gentes servient ei.* Quarto, de Salomone non bene dixeris, *Ante solem permanet nomen eius. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ.* S. Hieronymus Ruffino scribens, ait nullam esse dubitationem, Salomoni mortuo hunc Psalmum non convenire, sed Christi maiestati. R. Salomon concedit veteres Hebræorum Doctores hunc Psalmum intellexisse de Messia, hoc illi tradunt in *Midras tehillim*, hoc est, in explicatione Psalmorum, et in libro Siphræ. S. Iustinus dicit, φαίνεσθαι, id est, clarum et perspicuum esse, nihil eorum quæ hoc Psalmo contineantur, Salomoni convenire: ita ille in Dialogo contra Tryphonem Iudæum. Nolim tamen negare aliqua competere Salomoni, ut videbitur in decursu, quæ tamen aptius et augustius Christo adaptentur. Quid sit permanere ante lunam et ante solem, dicetur suo loco.

Psalmus hic in multis non convenit filio Davidis.

2. Christus fuit verus Salomon.

Nota, Christus fuit verus Salomon, id est, pacificus. Ut enim ait S. Paulus Ephes. 2. 14. *Ipse est pax nostra*, id est, auctor pacis nostræ, Coloss. 1. 20. *Pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt,* id est, tam homines quam angelos. Primo enim, pacem attulit mundo, in suo adventu pacem faciens inter homines et homines. Cum enim natus est, pax erat in toto orbe. Isaiæ 2. 4. *Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces.* Tunc Augustus clausit templum Iani, quod tantum fieri solebat cum erat pax in toto imperio.

Secundo, Christus nascens fecit pacem inter homines et angelos: unde cantantes advolant ad pastores, et pacis canticum illis occinunt. Luc. 2. 14. *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Tertio, fecit pacem inter homines et Deum. 2. Cor. 5. 18. *Omnia ex Deo,* ex Dei gratia, *qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam Deus erat in Christo,* id est, per Christum, *mundum reconcilians sibi, non reputans,* id est, gratis condonans, *illis delicta ipsorum.* Quarto, Christus fecit pacem inter Iudæos et Gentiles. Ephes. 2. 14. *Fecit utraque unum,* id est, ex Iudæis et Gentilibus fecit unam Ecclesiam, *medium parietem maceriæ,* seu septi et muri, *solvens, inimicitias in carne sua.* Inimicitiæ illæ inter Iudæos et Gentiles erant, murus eos a se invicem separans, illas Christus per carnem et mortem suam sustulit, ut fieret una domus, unus grex, et unus pastor. Quinto denique, fecit pacem hominis cum seipso, pacificans spiritum et carnem, ut simul dicant, Ps. 83. 3. *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Hoc patuit in variis Sanctis novi testamenti, qui in carne veiut angeli vixerunt, ut B. Aloysius carens omnibus impuris motibus et cogitationibus: unde iure angelici nomen obtinuit. Ideo etiam tam multi res omnes mundi deserunt, ut in solitudine religiosa pacifice vivant. S. Cypr. ad Donatum: *Una,* inquit, *placida et fida tranquillitas, una solida et perpetua securitas est, si quis ab inquietantibus sæculi turbinibus extractus, Deo suo mente proximus, quidquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, infra suam iacere conscientiam glorietur. Nihil appetere iam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo maior est.* Lege Senecam Epist. 84.

Quintuplex pax a Christo facta.

3. Nota secundo, Salomon fuit typus Christi. Primo, in nomine: 1. Salomonis, ut mox dictum est; 2. Iedidia, id est, amabilis Domino; 3. Ecclesiastæ seu concionatoris: venit enim evangelizare pauperibus, et prædicare captivis indulgentiam. Secundo, in ortu, celebritate ac titulis: fuit enim filius Davidis, rex magnus, et rex regum. Tertio, in præclara indole, placidissimis moribus, et specie digna imperio. Quarto, in unctione: 1. divinitatis in utero Virginis; 2. publica in resurrectione: bis enim unctus est Salomon; 1. coram paucis in Gihon; 2. coram omnibus tribubus. Quinto, in regni amplitudine. Salomon enim dominatus est e mari rubro usque ad mare mediterraneum et Euphratem. Sexto, in sapientia. Septimo, in divitiarum copia. In Christo enim sunt omnes thesauri sapientiæ, scientiæ et gratiarum Dei. Octavo, in coniugio, filia Pharaonis est Ecclesia gentium, multitudo uxorum est innumera multitudo animarum sanctarum. Nono, in constitutione templi, hoc est, Ecclesiæ. Decimo, in studio videndi et audiendi eum. Undecimo, in opibus subditorum. Vide Salian. t. 3. an. mundi 3059. Salomonis 40. et ultim. ubi hoc Salomonis Epitaphium attexit: *Iacet in hoc non magno saxo magnus ille Salomon, rex Hebræorum clarissimus, magni Davidis filius, cui nullum in regibus parem sol vidit in terris: sive sapientiam, gloriam, magnificentiam: sive stoliditatem, dedecus, turpitudinem contempleris. Hic est enim ille dilectus, ille amabilis Domini, qui fluviorum instar ex amœnissimo illo primævæ innocentiæ domicilio prodeuntium, divina humanaque sapientia in omnem posteritatem exundavit: in verissimum illius typum, in quem effusi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei. Ille puer tenellus et ingeniosus sortitus animam bonam, electus e multis fratribus, qui in solio Domini resideret, qui admirabilem sacrosancti templi ædiumque regiarum fabricam animo capere, et stupenda magnificentia fundare, construere, consummare posset. Hic est ille tam immensis affluens divitiis, ut argento pretium honoremque sustulerit: tanta inclytus gloria, cius ut ex ore attoniti penderent reges, et beatos prædicarent qui eius conspectu, et copiose loquente sapientia fruerentur:* ita Salianus. Sed adverte infinitis partibus Christum Salomone fuisse præstantiorem: unde ipse dixit Matth. 12. v. 42. *Regina Austri,* id est, regina Saba, quæ erat australis respectu Iudææ Æthiopice, regina Aseb, id est, Austri, *surget in iudicio cum generatione ista, et condemnabit eam: quia venit a finibus terræ,* sive ex Æthiopia Abyssinorum, ubi est regio Saba, quæ et Meroe dicitur: sive ex Arabia Sabæa, quæ a Ierusalem distat sexcentis et amplius leucis Gallicis, *audire sapientiam Salomonis, et ecce plusquam Salomon hic.* S. Irenæus lib. 4. cap. 22. de ea re agens: Maior est, ait, legislatio, quæ in libertatem, quam quæ data est in servitutem: et ideo non in unam gentem, sed in totum mundum diffusa est: unus autem et idem Dominus, qui plusquam templum est, et plusquam Salomon, et plusquam Ionas, donat hominibus, id est, suam præsentiam et resurrectionem a mortuis: hæc Irenæus.

Salomonis et Christi undecim parallela.

Salomonis epitaphium.

Quæres, an Salomon hunc Psalmum scripserit? Tirinus id videtur sentire, dubitans tamen loquitur. Chaldæus 4.
id clare dicit; habet enim: *Per manum Salomonis dictus prophetice.* Sed melius, Caietanus, Iansenius, Bellarminus, Placidus, Parmensis, et alii pene omnes censent Psalmum hunc a Davide scriptum esse, et Complut. codices ac regii habent in titulo: *In Salomonem Psalmus David:* rectius tamen emendatiores codices non habent, τὸ *David.* Adde, verba ultima Psalmi huius, *defecerunt laudes David,* aperte probare hunc Psalmum esse Davidis. Et quidem videtur esse omnium ultimus, factus scilicet cum David morti proximus filio suo Salomoni regnum tradidit. Dices, cur igitur non est positus ultimo loco inter Psalmos? Respondeo, quia qui Psalmos in ordinem digessit, satius esse duxit eos concludere illis Psalmis, qui laudes Dei complectuntur, et a voce Alleluia, id est, Laudate Deum incipiunt, atque in eam desinunt. Suprema enim et perfectissima, atque æterna hominis occupatio debet esse, laudes Deo cantare.

Salomon hunc Psalmum non scripsit.

Quæres secundo, quodnam sit argumentum huius Psalmi? In eo agit David de regno Christi. Primo autem, petiit a Patre æterno illi dari iudiciariam potestatem. Deinde adventum eius declarat, regni propagationem et amplitudinem, et gubernationis ipsius rectitudinem, et in tota æternitate gloriam. 5.

Argum. Psalmi.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

6. Tria in Christo futura ostendit. Primo, iustitiam, vers. 2. Secundo, benignitatem, præsertim erga pauperes, vers. 7. Tertio denique, gloriam, vers. 17.

SECTIO PRIMA.

Tria proponit. Primo, petit dari Christo iudiciariam potestatem, vers. 2. Secundo, explicat illius fructum, vers. 3. Tertio, eius perennitatem, vers. 5.

PARAPHRASIS.

2. *Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis.*

2. Cum summa erga genus humanum benignitate filium tuum in orbem mittas, qui populos omnes imperio suo contineat, huic leges statuendi et iudicandi auctoritatem concede.

Iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes in iudicio. — Ut sub iniquis legibus gementem populum tuum sua æquitate recreet: atque eos præsertim, qui præ paupertate ditiorum potestate opprimuntur.

3. *Suscipiant montes pacem populo, et colles iustitiam.* — 3. Per filium hunc tuum magnates ac principes, qui cæteros dignitate præeunt, suscipiant pacem et benignitatem in subiectæ plebis utilitatem: et tenuiores patiantur se eorum Christique ipsius iustitia in officio contineri.

4. *Iudicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem.* — 4. Ad se accedentibus vel abiectissimis quibusque, atque ab opibus destitutis ius reddet, eosque a ditiorum tyrannide liberabit: dæmonemque et eius asseclas calumniis variisque artibus iusto insultantes atteret ac deprimet.

5. *Et permanebit cum sole et ante lunam, in generatione et generationem.* — 5. Et noctu diuque, dum sol et luna radiis suis orbem illustrabunt, in omnes consequentium ætatum generationes eamdem æquitatem conservabit.

QUÆSTIO UNICA.

Quam perfecta et utilis Christi iustitia.

7. *Ordo Sectionis.* Acturus David de Christi regno, a iustitia incipit, quæ solis instar omnes imperii fines illuminet.

Ac primo, petit a Patre æterno, ut iudiciariam potestatem filio suo communicet, v. 2. *Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis.*

Secundo, omnes illi subiici postulat, v. eod. 2. *Iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio.*

Tertio denique, fructum illius iustitiæ declarat esse pacem populi et iustitiam: primo quidem pacem, magnatibus annuentibus metu iudicis supremi, v. 3. *Suscipiant montes pacem populo:* secundo, iustitiam, tenuioribus eodem timore compressis, ne tumultuentur: *Et colles iustitiam.*

Pacis quidem illius iucunditatem aperit, cum salvaturus sit pauperes, v. 4. *Iudicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum.* Iustitiæ vero æquitatem deiectis calumniatoribus: *Et humiliabit calumniatorem.*

Tertio, durationem æternam iudicis ostendit, v. 5. *Et permanebit cum sole, et ante lunam, in generatione et generationem.*

ARTICULUS I.

Iudiciaria potestas in omnes homines data est Christo.

8. *Vers. 2.* Deum pelagus misericordiæ vocat Euthymius in Ps. 60. Est etiam iustitiæ abyssus. Christo autem eius administrationem tradit. Id petit David v. 2. Deus iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis (id est, filio tuo). Iudicare (hoc est, ut iudicet) populum tuum in iustitia, et pauperes in iudicio. Hæc convenire possunt Salomoni, cui David natus annos septuaginta dat regnum, cum iam regnasset annos quadraginta. Erat autem tunc Salomon annorum duodecim, si credimus Eupolemo, Eusebio, et aliis: viginti quatuor, si Tornicllo: viginti et unius, si Saliano, cui assentior. *Quoto ætatis suæ anno rex factus est Salomon.* Multa enim absurda sequuntur ex eorum opinione, qui dicunt duodecim fuisse annorum, cum regnare cœpit. Primo enim, quomodo Salomonem tunc vocasset David virum sapientem? Ait autem 3. Reg. 2. 9. monens ut puniat Semei: *Vir sapiens es, ut scias quæ facies ei, deducesque canos eius cum sanguine ad inferos.* Secundo, 3. Reg. 11. 4. dicitur: *Cum iam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur deos alienos,* idola scilicet colens. Si autem anno ætatis duodecimo factus est rex, tunc vix erat quadraginta quinque annorum, cum senex vocatur. Si autem viginti et unius, erat quinquaginta et quatuor circiter annorum. Tertio, Salomon genuisset Roboamum decimo ætatis anno et tertio mense, quod est absurdissimum: quomodo enim David, Bethsabæa, et Nathan propheta eius præceptor et director tam ridiculas nuptias permisissent? Adde quod nec ex Scriptura, nec ex Iosepho constat, 12. ætatis anno illum factum esse regem: nec refert quod 1. Paral. 29. vocetur adhuc puer et tenellus; hoc enim dicitur respectu operis grandis, quod erat ædificaturus, nempe templi Dei, cui omnes collati sunt tamquam non sint.

9. Nota, iudicium et iustitia sæpe simul iunguntur in Scriptura. Primo autem, S. August. putat esse synonyma. Secundo, ut ait Lorin. distingui possunt hæc duo, ut sumendo iustitiam, quod non raro fit, pro misericordia, clementia, æquitate, significetur iudicii rigorem, severitatem, acerbitatem leniendam, moderandam, temperandam: quia honor quidem regis iudicium diligit, Ps. 98. 4. sed misericordiam quoque et iudicium simul, Ps. 82. 5. Spectari præterea *iudicium* potest in veritate absque errore cognoscenda: *iustitia,* in tribuendo cuique quod suum est. 3. Prima virtutis pars est in sontibus damnandis: altera in absolvendis innocentibus. 4. Illa circa causas capitales, hæc circa civiles. 5. Vel iudiciariam potestatem significat iudicium: iustitia virtutem in ea exequenda. 6. Iudicium pertinet ad seipsum, iustitia ad alterum: ita Lorinus. Tertio denique et commodius *iustitia* denotat potestatem iudicandi: *iudicium* vero executionem et actum iustitiæ. Ubi etiam arbitror peti pro Salomone sapientiam, ut recte iudicet, sicut ipse petiit Salomon postea anno regni sui tertio, ut docet Abulensis; sic enim locutus est 3. Reg. 3. v. 9. *Dabis servo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit, et discernere inter bonum et malum: quis enim poterit iudicare populum istum, populum hunc multum?* Exauditus est, eo quod postulasset sapientiam ad discernendum iudicium, et statim id patuit in sagacitate, qua litem diremit inter duas puerperas de filio mortuo contendentes. *Iustitia et iudicium quid significet. 1. 2. 3. Et optime.*

10. Nota secundo, Christus est rex et filius regis. Primo enim, secundum divinitatem est filius Patris æterni. Secundo, secundum humanitatem est filius Davidis. Ei autem data est iudiciaria potestas tum ut Deo, tum ut homini. *Christus est iudex omnium, et quo iure.* Quatenus Deus habet primariam potestatem iudicandi independentem ab omni superiori potestate. 2. Supremam auctoritatem in decernendis præmiis vel pœnis singulorum hominum. 3. Habet potestatem illam ex intrinsecis et essentialibus principiis naturæ suæ. Quatenus homo, habet potestatem iudiciariam secundariam et subordinatam divinæ potestati, et ab illa manantem, itaque ministerialem, sed tamen singularis excellentiæ inter omnes potestates iudiciarias communicatas creaturis. Illa autem iudiciaria potestas homini Christo competit, et propter divinam personam, et propter capitis dignitatem, et propter plenitudinem gratiæ habitualis: et tamen ex merito etiam illam obtinuit, ut scilicet secundum Dei iustitiam iudex esset, qui pro Dei iustitia pugnavit et vicit, et iniuste iudicatus est. Unde ipse dicit Apocal. 3. v. 21. *Ego vici, et sedi in throno Patris mei.* In throno autem intelligitur iudiciaria potestas, secundum illud Ps. 9. v. 5. *Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.* Amplitudo porro illius potestatis iudiciariæ patet, Primo, quia extenditur ad omnes res humanas: unde Daniel 7. v. 14. dicitur, quod *dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ servient ei.* S. Paulus id attribuit merito mortis eius. Rom. 14. 9. *In hoc Christus mortuus est, et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur:* et postea addit, *omnes stabimus ante tribunal Christi.* Secundo, illa iudiciaria potestas Christi extenditur ad angelos, in quos habet potestatem non solum quantum ad divinam naturam, prout est verbum Dei, sed etiam ratione humanæ naturæ. Quod patet ex tribus, ut ait S. Thomas 3. part.

quæst. 59. artic. 6. Primo, ex propinquitate naturæ assumptæ in Deum: quia, ut dicitur Hebr. 2. 16. nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Et ideo anima Christi magis est repleta virtute Dei, quam aliquis angelorum. Unde et angelos illuminat, sicut Dionysius dicit 7. cap. cælestis hierarchiæ, unde de eis habet iudicare. Secundo, per humilitatem passionis humana natura in Christo meruit exaltari super angelos: ita sicut dicitur Philipp. 2. 10. *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum*. Et ideo Christus habet iudiciariam potestatem, etiam super omnes angelos et bonos et malos. In cuius signum dicitur Apocal. 7. 11. quod omnes angeli stabant in circuitu throni. Tertio, ratione eorum quæ circa homines operantur: quorum Christus speciali quodam modo est caput. Unde dicitur Hebr. 1. *Omnes administratorii sunt spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Subsunt autem iudicio Christi, uno quidem modo quantum ad dispensationem eorum, quæ per ipsos aguntur, quæ quidem dispensatio fit per hominem Christum, cui angeli ministrabant, ut dicitur Matth. 4. et a quo dæmones petebant, ut in porcos mitterentur, ut dicitur Matth. 8. Secundo, quantum ad alia accidentalia præmia bonorum angelorum, quæ sunt gaudia, quæ habent de salute hominum, secundum illud Lucæ 15. *Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente:* et etiam quantum ad pœnas accidentales dæmonum, quibus torquentur vel hic, vel eum recluduntur in inferno. Et hoc etiam pertinet ad hominem Christum. Unde Marci 1. 24. dicitur, quod dæmon clamavit: *Quid nobis et tibi Iesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos.* Tertio, quantum ad præmium essentiale bonorum angelorum, quod est beatitudo æterna. Sed hoc factum est per Christum, in quantum est Verbum Dei, a principio mundi. Ita S. Thomas, qui etiam cap. 1. illius quæstionis dicit, proprie iudiciariam potestatem attribui Filio Dei, quia ipsa ratio iudicii, est lex sapientiæ vel veritatis, secundum quam iudicatur. Et quia Filius est sapientia genita, et veritas a Patre procedens, et ipsum perfecte repræsentans: unde S. Augustinus dicit in libro de vera religione, cap. 31. tom. 1. Hæc est incommutabilis illa veritas, quæ lex omnium artium dicitur, et ars omnipotentis artificis. Ut autem nos et omnes animæ rationales, secundum veritatem de inferioribus recte iudicamus, sic de nobis, quando eidem cohæremus, sola ipsa veritas iudicat. De ipsa vero nec Pater: non enim minor est, quam ipse. Et ideo quæ Pater iudicat, per ipsum iudicat. Et postea concludit: Pater ergo non iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio.

11. *Nemo iustus nisi solus Deus.* Moral. Sicut nemo bonus, ita nemo iustus, nisi solus Deus, qui est ipsa iustitia essentialis et substantialis. 2. Mach. 1. Nehemias invento sacro igne in aquam crassam converso, iussit afferri sibi, et sacrificia quæ imposita erant, aspergi ipsa aqua et ligna, et quæ erant superposita. Utque hoc factum est, et tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur. Nehemiæ autem oratio hunc habebat modum, v. 24. *Domine Deus omnium creator, terribilis et fortis, iustus et misericors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus iustus, et omnipotens, et æternus.* Dum sol manet in nubilo, id est, dum occultat peccata hominum, ignis iustitiæ non comburit victimas iræ Dei; sed ubi in extremo iudicio, et aliquando his in terris, illuminat abscondita tenebrarum, tunc sol iustitiæ apparet, et ipsam aquam turbidam consolationum humanarum, præsertim per hypocrisim tractatam specie sanctitatis, vertit in ignem omnia consumentem. Sic apparet Deus, id est, angelus repræsentans Deum hominem, in flamma ignis rubum, id est, peccatorem obvolventis: si instar Israelitarum clamet ad Deum, et opem imploret, eum non comburit, sed illustrat: si Ægyptiis sit similis, illum in cineres redigit. Virga Mosis, id est, potentia regia Christi, vertitur in colubrum, qui devoret colubres Ægyptiorum, id est, servos dæmonum, ut ab Ægypto liberet servos suos. Ierem. 23. 5. *Suscitabo David*, Hebr. *le David*. David, *germen iustum*, id est, Messiam, ait S. Hier. et Rabanus; eum Proclus ex Chaldaicis mysteriis vocat florem mensium, *et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam*, hoc est, ait Cornelius, faciet id quod iustum est: iusto enim iudicio damnabit impios: pios vero tuebitur, et præmiabit sua iustitia. Hesiodus ait, iustitiam esse, διος εγγεγα υιαν, Iovis filiam. Libanius dicit, eam esse Iovis παρεδρον, id est, asseclam, assessorem, consiliarium. Sic enim ait in Progymnasmatis, pag. 91. Iupiter, ait, Ditem iustitiæ patronam assidere sibi fecit, quasi non aliter pulchre regnum cæleste, neque terrarum imperium administraturus esset.

Secundo, iustitiæ divinæ metus populos in officio continet. Athenagoras in Legatione pro Christianis, cum di- 12. *Iustitiæ divinæ metus continet populos.*
xisset a Romanis legibus permitti singulis nationibus deos suos licet ridiculos, ut Iliensibus Hectorem et Helenam: Ægyptiis feles, crocodilos, aspides, canes; rationem subiicit: Atque hæc, inquit, per vos omnibus licent, hæc leges concedunt: ea nimirum ratione, quod numen omnino tollere, scelus et impietas videtur: deorum autem, quos sibi quisque delegerit cultus, res est neccessaria, ut προς το θειον δεος, divinæ iustitiæ metu a malefactis abstineant mortales.

Tertio, reges qui spirans et fulgens sunt imago divinitatis, Deum imitentur iustitiam cuique reddendo. De Davide dicitur 2. Reg. 8. 15. *Faciebat David iudicium et iustitiam omni populo suo.* Et hoc ipse asserit Ps. 118. 122. *Feci iudicium et iustitiam, non calumnientur mihi superbi.* In Psalmo nostro extat dari iudicium et iustitiam filio suo Salomoni, ut iudicet populum *in iustitia*, id est, cum iustitia. S. Thomas 3. p. p. 59. art. 1. tria requirit ad iudicium faciendum: 1. potestatem subditos coercendi; 2. rectitudinis zelum; 3. sapientiam: et hæc tria in Christo fuisse ostendit. Agapetus Diaconus ad eam iustitiæ curam incitat Iustinianum Imper. in capitulis parænecticis: Te revera, inquit, regem asserimus, quippe qui imperare ac dominari voluptatibus vales, et tum corona castitatis revinctus, tum πορφυραν δικαιοσυνης, *purpuram iustitiæ* indutus incedis. Aliis namque potestatibus mors ipsa succedit. Huiusmodi vero regnum immortalem servat perpetuitatem. Item, alia in hoc sæculo solvuntur, hæc autem a perpetuo supplicio liberantur: ita ille. (*Iustitia est regum purpura.*) Basilius Imper. iustitiam facit coronæ regiæ gemmam. (*Et corona.*) Sic enim ait in exhortatione ad Leonem filium: Legitimum, ait, ac verum regem, filii hominis te iudicabunt, cum non solum subditos in manu habebis, sed voluptatibus omnibus etiam imperabis. Sit ergo tibi corona quidem pro signo externo imperii, *sed coronæ semper adiuncta sit comes iustitia.* Purpura bene vestieris, si temperantia omnibus et dictis et factis tuis efflorebit. Calcei rubri decenter pedes tuos exornabunt, si in ipsis superbiæ fastum pedibus calcabis: illa enim momentanea, imperii tui notas et signa: ista vero ab æterno supplicio defendent, atque immortalitatis regno donabunt: hæc Basilius. In iustitia veram nobilitatem constituit S. Isidor. Hispal. Episc. in Gen. cap. 3 pag. 415. *Iustitia est animæ nobilitas unicuique rei propriam tribuens dignitatem.* (*Ac vera nobilitas.*) In hac divinitatis cultus, et humanitatis iura, vera iudicia, et æquitas totius vitæ conservatur: ita ipse. Hinc magni reges sibi nomen iusti assumpserunt, ut Ludovicus noster, qui tam illustrem appellationem, sua virtute est meritus. Philippus Herodis frater, qui 37. annis Trachonitidi, Gaulanitidi, et Batanææ præfuit, iustitia excelluit: de eo Iosephus lib. 18. Antiquit. Iudaic. cap. 6. pag. 625. Vir, inquit, fuit perpetuo modestus, et amator quietis ac otii, degebat enim semper in sua ditione. Quoties domo progrederetur, iter faciebat cum paucis selectis comitibus subsequente sella, in qua sedens solitus erat iura reddere: et si quis ex occursu opem eius imploraret, sine dilatione mox ibi sella posita residens causam cognoscebat, aut sontem damnaturus, aut absoluturus innoxium. Pauci tamen id præstiterunt reges: unde in Sanhedrin cap. 2. dicitur: Rex nec iudicat,

nec iudicatur; non reddit testimonium, nec alii contra illum sunt testes. S. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 147. ait, viros virtutibus ornatos esse ἀρίστους καὶ βασιλικωτάτους, optimos, generosos, et regios viros. Philo iustitiam maxime regiam virtutem esse ait. Sic enim lib. de Abrahamo, pag. 277. Nihil iustitia melius, quæ *principatum inter virtutes tenens*, ἐν ἀρεταῖς ἡγεμονίδος, ornat illarum chorum maxime: ita ille. S. Ambrosius lib. de paradiso, per quatuor eius fluvios quatuor virtutes cardinales intelligit. Per primum fluvium, nempe Phisonem, prudentiam: per Geonem, temperantiam: per Tigrim, fortitudinem: per Euphratem denique, iustitiam, de qua sic ait: Quartus est fluvius Euphrates, qui latine fœcunditas atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam insigne iustitiæ, quæ omnem pascit animam. Nulla enim abundantiores videtur habere fructus virtus, quam æquitas atque iustitia, *quæ magis aliis quam sibi prodest, utilitates suas negligit, communia emolumenta præponens.* Plerique Euphratem ἀπὸ τοῦ εὐφραίνεσθαι, dictum putant, hoc est, a lætando, eo quod hominum genus nullo magis, quam iustitia et æquitate lætetur. Causam autem, cur cæteri qua commeant fluvii, describuntur regiones locorum: qua Euphrates commeat, non describatur, illam accipimus, quia aqua eius vitalis asseritur, et quæ foveat atque augeat. Unde Auxen eum Hebræorum et Assyriorum prudentes dixerunt: contra autem fertur esse aqua aliorum fluminum. Deinde, quia ubi prudentia, ibi et malitia: ubi fortitudo, ibi iracundia: ubi temperantia, ibi intemperantia plerumque est, aut alia vitia sunt. Ubi autem iustitia, ibi concordia virtutum est cæterarum: ideo non ex locis qua fluit, hoc est, non ex parte cognoscitur. Non enim pars est iustitia, *sed quasi mater est omnium.* Hactenus Ambrosius. Eadem de re agens Arnoldus Carnot. Abbas Bonæ Vallis, qui vixit circa annum 1177. S. Bernardi discipulus. Nec dictum est, ait, de hoc fluvio Euphrate, qui iustitiæ adaptatur, contra quid vadat, aut quam terram circumeat. Iustitia enim ad omnes animæ partes pertinet.

Euphrates symbolum iustitiæ.

Timeant et horreant principes iniusti dictum Michææ Prophetæ cap. 3. 1. *Audite principes Iacob*, id est, duarum tribuum, *et duces domus Israel*, id est, decem tribuum: *Numquid non vestrum est scire iudicium*, id est, id quod iustum est, *qui odio habetis bonum, et diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum? etc. Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos, etc.* Themistocles acute et ingeniose elusit poetæ Simonidis petitionem, ab eo postulantis, ut sententiam iniustam ferret. Neque, ait Poeta, bonus esses, si præter numerum caneres: neque ego bonus princeps, si contra leges iudicarem, ut ait Plutarch. in apophteg. pag. 185. Cum quidam Antigono regi diceret: omnia regibus esse honesta, respondit: Omnino barbarorum quidem regibus, sola honesta pro honestis, iusta pro iustis habenda sunt. Agesilaus rex, ne patris quidem sui rogatu a iustitia dimoveri se passus est, ut ait Plutarchus lib. de vitioso pudore, p. 534. Plato in Critone inducit leges Socrati loquentes, ac docentes: neque liberis, neque ipsi vitæ, neque ulli alii rei, quod iustum est, præferendum esse. S. Isidor. Pelus. dicebat, suo tempore iustitiam ad mortem ægrotantem a iudicibus sanandam esse. Sic autem loquitur lib. 1. epist. 36. ad Antiochum: Quoniam, inquit, non modo imperii minister es, sed ipsum etiam arbitratu tuo ac libitu moderaris, in id maturo incumbe, ut iustitiam in morbum prolapsam: imo, ut rectius loquar, πρὸς αὐτὸν ὑπάρχον τὸν θάνατον, iam extremos spiritus agentem confirmes, ut iustum tribunal tibi placidum ac benignum invenias: ita Isidor. Pauperes præsertim a iudicibus iuvandi, eorum enim clamores exaudit Deus. Ps. 11. 6. *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Vide ibi dicta. Ps. 139. 13. *Faciet Dominus iudicium inopis, et vindictam pauperum.* Isa. 11. 4. *Iudicabit in iustitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* De Christo ibi agitur. *Maledictio intentatur oppressoribus pauperum.* Isa. 10. 1. *Væ qui condunt leges iniquas: et scribentes, iniustitiam scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei: ut essent viduæ præda eorum, et pupillos deriperent. Quid facietis in die visitationis*, id est, punitionis, *et calamitatis de longe venientis?* id est, ab Assyria, per Sennacherib. S. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 208. ad Donatum: Ne, inquit, legitimum imperium inconditis atque inconcinnis moribus barbarum reddas: sed rebus ipsi consentaneis exornes, mœstis scilicet lenitatem, minoribusque cum maioribus æquabilitatem impertiens, ac tunc λαμπρὸν ἐξάψεις πυρσὸν εὐνομίας, præclarum ignem iustitiæ accendes: siquidem iustitia præluceutis probi imperii ac præfecturæ igniculus est, φωστὴρ εὐαρχίας. S. Gregorius Nazianz. orat. 16. quæ tota est de amore pauperum, pag. 242. docet, esse debere Christianorum præcipuam curam, ut inopes adiuvent, πρώτην, ait, ἐντολῶν, καὶ μεγίστην: *Præceptorum omnium primum et maximum*, ut legis et Prophetarum caput, charitatem esse censeo: ταύτης τὸ κράτιστον, huius præcipuam partem in eo esse comperio, ut pauperes amore et benevolentia complectamur, atque eorum, qui nobis cognatione coniuncti sunt, calamitatibus moveamur et doleamus. Neque enim ullus omnino cultus Deo perinde gratus est, ut misericordia. Et orat. 28. pag. 481. Divitem vocat, οἰκονόμον τῶν ἀλλοτρίων; dispensatorem bonorum alienorum, eumque ad liberalitatem, velut debitam, hortatur. Postulat itaque David, dari Salomoni iustitiæ donum, ut iudicet populos iuste, ac præsertim pauperes.

Pauperes a regibus et iudicibus iuvandi.

ARTICULUS II.

Iustitiæ suavissimus fructus est pax.

Ab arbore ad fructus delabitur: nempe a iustitia divina et regia, ad pacem et iustitiam humanam, in quas vel- 13.
ut in duos ramos exurgit, ut fructus det suis alumnis, Vers. 3.
v. 3. Suscipiant (libere scilicet: hinc concluде, esse in nostra potestate consentire et cooperari gratiæ) MONTES PACEM POPULO (Psalt. Æthiopicum, populo tuo) ET COLLES IUSTITIAM.

Nota, montes et colles sunt: Primo angeli. Secundo, qui sanctitate et virtutibus excellunt. Tertio, anachoretæ et religiosi in montibus et solitudine viventes. Sed hæc sunt mystica. Quarto, reges ac principes, et magnates, qui dignitate eminent, soliditate præstant, thesauros reconditos habent. Hi pacem debent suscipere, velut pluviam ac rorem cælestem, quam in valles derivent; et tunc valles abundabunt frumento, clamabunt, et hymnum dicent. Hoc fecit Salomon, qui totos triginta septem annos solidos sine bello fuit in florentissima pace, donec anno regni 38. Deus suscitavit reges adversarios. Primo, Adad regem Idumææ. Secundo, Razonem regem Damasci, qui ambo erant tributarii, et iugum excusserunt, atque fines Salomonis incursarunt. Tertio, Ieroboamum, cui ab Ahia Propheta promissum erat regnum decem tribuum, quod mortuo Salomone obtinuit per stultitiam Roboam.

Montes et colles sunt reges et magnates.

Pacem perdit Salomon ob vitia.

Nota secundo, in Scripturis sæpe pax et iustitia iungun- 14.
tur, velut effectus et causa. Isaias clare cap. 32. 17. *Erit opus iustitiæ pax.* Ps. 84. 11. *Iustitia et pax osculatæ sunt.* Vide illum locum. Dionys. Halicarn. lib. 2. fol. 133. Iustitia, inquit, concordiam in civitate conservat. Martinus Episc. Bracarensis, lib. 4. de Virtutibus cardinalibus, cap. 4. eam vocat vinculum societatis humanæ. Hesiod. in Operib. v. 276. ait, proprium esse piscium, ferarum, et volucrum se devorare mutuo: cum nulla sit inter eos iustitia: Deum vero dedisse hominibus iustitiam, ἣ πολλὸν ἀρίστη γίνεται, quæ omnium optima existit. S. Cæsarius Arelat. homil. 19. *Verum gaudium*, inquit, *non possidetur, nisi pax et iustitia teneatur. Prima est enim, et quasi radix iustitia, secunda pax, tertia gaudium: de iustitia nascitur pax, de pace gaudium generatur. Iustitia et pax, quasi bona opera esse videntur: gaudium vero, fructus esse bonorum operum intelligitur.*

Pax et iustitia simul iunctæ.

15. Pacis elogia. Moral. Pax est supremum hominis bonum in terra, et a cælo defluit: *Suscipiant montes pacem*. Angeli a cælo venientes eam nuntiant suscipere volentibus: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, hominibus bonæ voluntatis*. Bona voluntas requiritur, ut pax suscipiatur. Veniunt antem omnia bona cum illa. S. Laur. Iustin. tract. de Ligno vitæ, seu de patientia, pag. 58. *Magnum*, ait, *pacis est bonum. Est namque pax securitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc simulationes tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari.* Tullius lib. 7. ad Atticum, epist. 14. Pax vel iniusta utilior est iustissimo bello. Livius lib. 30. melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria. Illa in tua, hæc in deorum manu est.

16. Pacem subditis procurent reges. Secundo, pax *a montibus*, id est, regibus, principibus et magistratibus decurrat in valles, id est, in populum humilem. Ut enim ait S. Laur. Iustin. tract. de ligno vitæ, sect. de iustitia, cap. 4. pag. 37. *Regis iustitia est pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, fœcunditas terræ, solatium pauperum, hæreditas filiorum, et sibimetipsi spes futuræ hæreditatis.* Sic dicitur Prov. 20. 8. *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo*, sicut sol nebulas radiis. Lege Cornelium ibi fuse ea de re disserentem. Iovinianus Imp. dicebat: Odi omne contentionum genus, concordiam autem unice amplector et amo. Antoninus Pius illam Scipionis sententiam usurpabat: Malo servare unum civem, quam mille hostes occidere. Fridericus III. Saxoniæ dux pacificus nullas arces vel munitiones extruxit: imo ab aliis extructas diruit; nec thesauros acervabat, sed pecuniis in pios usus utebatur; causam rogatus, dixit: Ne ego leviter offensus aliquando, arcibus et pecuniis meis confisus, nimis facile vicinos me inferiores bello lacessam, et pacem cum eis violem.

17. Pax familiæ procuranda. Tertio, pax a collibus, id est, a patribus familias in domos singulas defluere debere, et a filiis ac servis suscipi. Psal. 132. 1. *Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum.* Vide ibi dicta. Antisthenes philosophus asserebat, fratrum inter se concordiam quovis muro firmius esse munimentum. Musonius aiebat, nullas nuptias sine concordia esse honestas, nec ullam societatem utilem. Dio et Xiphilinus in vita Severi Imp. referunt, eum morti proximum advocatis filiis suis Antonino et Getæ dixisse: *Facite, ut conveniat inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite*, q. d. Si fueritis inter vos concordes, facile alios omnes sine ullo periculo contemnetis.

18. Christus dat pacem mundo. Allegor. Christus est verus Salomon, in has terras pacem deferens. Unde ait Apostolis, Ioannis 14. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Abundantem pacem dat Ierusalem, id est, animæ pacificæ. Ierusalem enim est visio pacis. Isaiæ 66. 12. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem gloriam Gentium, quam sugetis.* Per eam datur mare bonorum, ut ait Clemens Alexandr. admonitione ad Gentes, pag. 51. Christus, inquit, fœderis initor et reconciliator, et servator noster, Verbum, πηγὴ ζωοποιὸς εἰρηνικὴ, *fons vivificus et pacificus*, qui per universam terræ faciem diffunditur: per quem, ut semel dicam, effecta sunt omnia, πέλαγος ἀγαθῶν, pelagus bonorum: ita Clemens. Eius mandata servanda sunt, si pacem illam optamus. Isa. 48. 18. *Utinam attendisses mandata mea; facta fuisset sicut flumen pax tua, et iustitia tua sicut gurgites maris, et fuisset quasi arena semen tuum, et stirpes uteri tui ut lapilli eius*, sicut gemmæ in ipso mari, id est, in afflictionibus, fulgentes et pretiosæ. Baruch. 3. 13. *Si in via Dei ambulasses, habitasses in pace sempiterna.* S. Augustinus in sententiis: Non potest, inquit, quisquam fraudari delectationibus suis, cui Christus est gaudium. Cantic. 3. 11. *Egredimini et videte filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis eius.* Dies desponsationis et lætitiæ Christi fuit dies Incarnationis, tunc coronatus est diademate humanitatis; 2. dies desponsationis et lætitiæ eius, fuit dies Passionis, cum coronatus est corona spinea; 3. dies resurrectionis, cum coronatus est stola gloriæ, etiam corporalis; 4. dies, quo collocatus est in throno cælesti ad dexteram Patris, et constitutus rex hominum et angelorum, ut actu dominium in omnes exerceret. S. Bernardus serm. 2. in Epiphania hæc contemplans, ait: *Egredimini filiæ Sion. Egredimini de sensu carnis ad intellectum mentis: de servitute carnalis concupiscentiæ, ad libertatem spiritualis intelligentiæ. Egredimini de terra vestra, et de cognatione vestra, et de domo patris vestri, et videte regem Salomonem, alioqui non erit vobis tutum videre eum Ecclesiastem. Idem enim qui Salomon, id est, pacificus in filio est: Ecclesiastes in exilio mansuetus et amabilis: in iudicio, iustus et terribilis: in regno, gloriosus et admirabilis. Egredimini igitur, et videte regem Salomonem: nam ubique rex est. Licet enim regnum eius non sit de hoc mundo; tamen rex est etiam in hoc mundo. Interrogamus siquidem: ergo rex es tu? Ego, inquit, in hoc natus sum, et in hoc veni in mundum. Hic ergo rector est morum, in iudicio discretor meritorum, in regno distributor præmiorum*: ita Bernardus.

Sequamur ergo præceptum Apostoli datum Colossensibus, cap. 3. 15. *Pax Christi exultet*, Græce βραβευέτω, bravium et palmam ferat, *in cordibus vestris*. S. Ambros. de Institut. Virgin. cap. 16. Eritis, ait, in spiritu, si potueritis comprehendere Salomonis veri illius pacifici charitatem. Bannagasius præfectus exercitus regis Abyssinorum, cum Prætore Lusitano fœdus initurus, apprehensa cruce nixis genibus, ait: *Quam pacem Iesus Christus generis humani redemptor discipulis reliquit, eadem esto inter nos, qui eiusdem profitemur cultum et fidem*, ut refert Ioan. Petrus Maffeius lib. 7. hist. Indicæ.

Nota cum Pineda lib. 6. de rebus Salomonis, cap. 20. 19. Legati pacis e montibus eam proclamabant.
Solebant, inquit, legati pacis et nuncii solemnitatum ad præconium edendum in montes conscendere, ut tradunt apud Ariam Montanum Hebræi in *Misnaioth*, id est, in sexto ordine Thalmud, qui continet deuteroses seu traditiones. Verba eius sunt: Consuevere olim veteres, quæcumque populis omnibus nota publice esse vellent, quæque omnium scire referret, præconis voce ex montibus proclamanda curare. Ea vero res per magistratus curabatur: atque hoc modo festi dies, novilunia, ieiunia, et quæcumque in bello aut pace publice cognosci et observari oporteret, publice indicebantur. Ea vero res præmissis præconibus expediebatur, qui ex cæteris in regione montibus proclamantes annuntiarent: ita ut signo dato adiacentes populi parati attento rem audirent, quam alii ab aliis acceptam, et in proximos montes procurrentes ulterioribus etiam populis tradebant: ita Arias Montanus; sed hæc traditio non est certa. Gentes ad fidem invitans Isaias, et ad Christi laudem, ait cap. 42. 11. *Laudate habitatores Petræ*, id est, urbis sic dictæ in Arabia, quæ inde Petræa est dicta: *de vertice montium clamabunt*, id est, publice, et sine ullo timore Evangelium promulgabunt.

ARTICULUS III.

Christus est rex iustus atque æternus, calumniatores puniens.

David exauditum se videns, incipit regem Christum laudare a iustitia. Primo, iuvante pauperes et afflictos. Secundo, deprimente et atterente divites et iniustos. Sic enim loquitur, v. 4. IUDICABIT PAUPERES POPULI, ET SALVOS FACIET FILIOS PAUPERUM, ET HUMILIABIT CALUMNIATOREM. Nota, cum verbum *iudicandi*, universam tractandæ litis rationem complectatur, ex adiunctis constare debet, quænam iudicii pars significetur: quare si pauperem aut sanctum iudicare dicatur Deus, vindicat illum et absolvit, Gen. 30. 6. Ps. 25. 1. Thren. 3. 58. 2. Reg. 18. 19. 31. Ierem. 50. 24. Iob. 35. 6. et cap. 27. 2. et 34. 5. 20. Vers. 4. Deus pauperes iudicat, id est, iudicio iuvat.

Ps. 95. 17. et 98. 4. Isai. 1. v. 17. Si vero adiungatur verbo *iudicandi* impius, condemnat, Ps. 109. 6. Genes. 15. 14. 1. Reg. 3. 13. Ezechiel 22. 2. Isa. 27. 8. Hic ergo *iudicabit*, defensabit, vindicabit pauperes, populares ex ultima plebe. Non præbebit ex officio iudicis advocatum, cui propter paupertatem advocatus non est, sed ipse iudex et defensor erit. Magnus enim humilia respicit, humilibus prospicit: ita Pineda. Salvos etiam faciet filios pauperum, ne parentum suorum ære depraventur, ne inopia pereant, ne a parentibus vendantur. Iure enim naturæ licitum est parentibus filios suos vendere, et apud Sinas, Iapones et varios populos id positum est in arbitrio parentum, etiam extra gravem necessitatem. Sexies in hoc Psalmo dicit, pauperi Christum auxilium præbiturum. Vide iam dicta v. 2. et dicenda v. 12. ac Ps. 9. 10. et v. 13.

21. Calumniator conteritur. Se advocatum pauperum declarans Deus humiliat illis se opponentem, eosque accusantem fictis criminibus impium: ***Humiliabit calumniatorem.*** Pro *humiliabit*, Hebraice est ידכא *iedacche*, id est, confringet, ut vertit S. Hieronymus; conteret, ut Felix. Humiliabit tum veritate detecta eum confundendo, tum plagis eius malitiam puniendo, eumque terræ illidendo. Pro *calumniatorem*, Hebr. est עושק *oscek*, id est, oppressorem, raptorem, occupatorem bonorum alienorum, per vim scilicet ac fraudem. Calumniator itaque hic sumitur is, qui per mendacia varia ac calumnias nititur in iudicio sibi usurpare bona aliena. Calumnia quid proprie. Calumnia, inquit Spiegelius, est proprie alicuius in litibus per fraudem et frustrationem vexatio. Cicero pro malitiosa et nimis callida iuris interpretatione usurpat in Offic. lib. 1. estque a calvendo, id est, fallendo appellata. Igitur et calumniæ est, cum quis ex certa scientia iniuste agit, vel resistit, ff. ad Turpil. lib. 1. §. Calumniari. Interpretatur quoque calumnia, petitio iniusta, ex certa scientia in iudicio facta, et iustæ petitioni iniusta responsio. In libro 1. §. per calumniam, ff. si vent. nom. mul. in possess. miss. accipitur pro mendacio, fraude, impostura: non quæ alii intendatur in iudicio, sed qua aliud asseritur quam res est Old. interprete. Præterea, falsi criminis est impositio ff. de verb. sig. lib. 1. in princ. et lib. si quis calumnietur. Hinc verbum calumniari, quod est per moras atque frustrationes negotium differre, vel per fraudem litibus alios vexare. Quod et cavillari dicitur: utrumque ab antiquo verbo calvo, hoc est, decipio: quo usi post Plautum Gellius et Caius in lib. si calvitur, de verb. sign. licet vulgo legatur, calumnietur. Tracta est autem a calvis metaphora, qui eos frustrantur, a quibus per capillos prehendi videntur.

22. Calumniator basilisco comparatus. Calumniatorem basilisco comparabant Ægyptii. Tanta enim huic uni vis est, ait Pierius lib. 14. Hieroglyph. cap. 9. ut animalia reliqua solo sibilo fuget, quo audito ferunt omnes avium cantus coerceri, fruticesque et herbas non ullo morsu, sed olfactu aspectuve solo enecari. Archelaus tradit, ut apud Ælianum habetur, veterinum olim iumentum in Africæ solitudine quadam defecisse, ad cuius cadaver serpentes plurimæ ventitarint, ut eius viscera depascerentur: interim basilisci audito sibilo omnes profugisse, aut in sabulum sese abdidisse; progressum vero basiliscum, per otium sine cuiusquam tumultu quantum appetierat, hæsitasse, et cum satur iam abiret, iterum edidisse sibilum, quod indicium fecerat serpentibus aliis ad escam tutum patere aditum, atque ita eas oblatam prædam repetiisse. Non alia ratione calumniatores hominem conficiunt quam basiliscus: clam siquidem illi principum auribus insusurrant, nullo palam morsu infixo, quod diluendi ansa præripiatur: atque ita plerique falso delati, extrema quæque pertulere. Sed ne talem ac tantam basilisco vim inesse quispiam admiretur: *Thebiorum natio pestifera adeo fuit, ut vel solus oris eorum halitus exceptus, interimendi vim habuerit, illorumque præsentia non animalibus tantum, verum etiam saxis noxia fuerit*, ut ait Didymus lib. 2. Symposiorum, penes quem sit fides. Cassiodorus observat, iudices antiquos litteram K. damnatis affigere solitos fuisse: et quoniam crudelis impugnator

A condemnationibus favet alienis, littera K militem calumniatorem appellare voluisse. Petrus Diaconus in libro de notis ad Conradum, et Aldus Manutius in libro suo de eodem argumento, docent, duabus istis litteris K et C, vel KK significari, calumniæ causa. Utebantur enim veteres in plerisque littera K pro C. Aliunde constat calumniatori ex lege Remmia, quam vocant alii Rhemiam, aliqui Memmiam, in fronte impressam litteram, qua indicaretur calumniatum eum esse cui imprimebatur. Cicero pro Roscio Amerino vocat litteram. Plinius in Paneg. puncta et notas, quibus frons convulneraretur: addit Svetonius in Caligula cap. 27. stigmatum notas, quibus os deformaretur: Calumniatores mulcta pecuniaria apud Græcos affecti sunt. Charondas Thuriorum legislator iussit, ut calumniator myrica coronatus per urbem circumduceretur. Exilium sæpe, et aliquando mors illi irrogabatur Romæ. Vide nostrum Abramum in orat. pro M. Cœlio, sect. 47. nota 4.

Calumniatorem humiliavit, id est, contrivit ac deiecit 23. Quid calumniator in hoc psalmo intelligatur.
B Salomon, de quo est hic Psalmus magna saltem ex parte. Primo enim, iussu ipsius Davidis curavit occidi Ioabum in ipso templo, quod interfecisset Abnerem, quem prius calumniatus erat, quasi ad Davidem venisset eum decepturus, 3. Reg. 2. Secundo, occidit Adoniam, qui regem se inungi curaverat, et postea in uxorem sibi petebat Abisag Sunamitidem uxorem Davidis, ut facilius ipsum Salomonem, velut matre adultera natum deiiceret, 3. Reg. 2. 24. Tertio denique, Semei præsertim fuerat calumniatus Davidem, 2. Reg. 15. hunc occidi imperavit Salomon, 3. Reg. 2. 39. et seq.

Tropol. Calumniator est diabolus, ille humiliatus est 24. Diabolus est calumniator.
a Christo nascente, prædicante, moriente et resurgente. Andreas Cæsariens. in Apoc. Dicitur, inquit, diabolus post Christum passum cecidisse, quia pristinæ illius vires post illud tempus sunt diminutæ, et quasi fractæ, ut ipse S. Antonio confiteri non erubuit. Inimici defecerunt frameæ in finem, et civitates eorum destruxisti. Sancti in cælo exultant ob eius deiectionem, Apoc. 12. 10. dicunt enim:
C *Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi eius: quia proiectus est accusator*, κατήγορος, calumniator, *fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte*. Themistius orat. 16. pag. 12. ait: Molestiorem et perniciosiorem esse imperii morbum, si calumniatoribus subiaceant subditi, quam barbaris: sicut corporibus perniciosa sunt magis interiora mala, quam exteriora. S. Pachomius in regula 24. præcipit, detractorem separari extra conventum fratrum septem diebus; et panem tantum cum aqua accipere, donec polliceatur, et confirmet se ab hoc vitio recessurum.

Regni Christi durationem aperit David, cum subdit, 25. Vers. 5.
v. 5. Et permanebit cum sole, et ante lunam, in generatione et generationem, id est, in omnes generationes, usque ad finem mundi, per omnia sæcula atque ætates, quamdiu sol et luna cursus suos peragent, et tempus durabit, Christi regnum in terris manebit.

Nota, pro *permanebit*, nunc in Hebr. est ייראוך *irau-* Christus est sol semper lucens.
D *cha*, id est, timebunt te. Unde Pagn. vertit, *Timebunt te cum sole, et dum fuerit luna in generatione generationum.* Sensus est idem. Si enim rex Christus manet, deiiciens et humilians calumniatores, cum timebunt populi: et si eum timebunt, permanebit. Septuaginta fortasse legerunt ויאריך *viaroch*, id est, *prolongabit*, vitam scilicet, unde vertunt, συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ, *permanebit* cum sole. Solem magnum regem vocat Philo lib. de mundi Opificio, pag. 9. cum ait, universum tempus distributum sit in duas partes, diem et noctem; diei præfecit pater ille, ἥλιον, οἷα μέγαν βασιλέα, *solem tamquam magnum regem.* Christus autem in terras venit, sicut magnus sol, aut sole circumdatus. S. Ambros. serm. 16. de Natali Domini, monet diem nativitatis dictum esse a Iudæis ipsis et Gentilibus solem novum. Verba eius sunt: *Solem igitur* Dies nativitatis eius dictus sol novus.
novum, hanc diem vulgus appellat: et cum dicit novum, utique et veterem esse demonstrat. Veterem autem dixerim mundi solem, qui defectionem patitur, qui parietibus ex-

eluditur, *qui nubibus obscuratur*. Ideo venit Christus eo anni tempore, quo sol ad nos redira incipit, et dies maiores efficere. S. Ioannes natus est, cum dies fiunt minores; ut appareat lucem divinam esse æternam, et non deficere: humanam vero, cito effluere. Clem. Alex. In auro ipsi nascenti a regibus oblato advertit notari æternitatem regni eius. Sic enim dicit lib. 2. Strom. pag. 130. *Reges Iudæorum ex auro et gemmis composita, ac varia utentes corona Christi vocati, Christum in capite symbolice gestantes, imprudentes* κεφαλη κοσμουμενοι κυριου, *capite Domini ornabantur*. Lapis certe pretiosus, vel margarita, vel smaragdus, ipsum Verbum significat. Nam rursus est ipsum verbum ab interitu alienum, quod corruptionis virus minime recipit. Atque ipsi quidem nato aurum obtulerunt Magi, quod est regni symbolum. Manet autem αθανατος ο ςεφανος ουτος, hæc corona immortalis ad imaginem Domini: ουδε γαρ αινεται, ως ανθος, non enim flaccescit, velut flos. Vide Ps. 18. 5. et 88. 37.

26. Christus est ante lunam, et quomodo? Nota secundo, το *ante lunam*, explicat primo S. Aug. antequam esset luna; quasi, permanere ante lunam, sit omnia mortalia immortalitate præcedere. Generationes enim generationum transeunt de cessione et successione mortalium, tamquam de crementis incrementisque lunaribus. Græca illum sensum iuvant, quæ habent, προ σιληνης, id est, ante lunam. Arcades se appellabant προσιληνους, id est antelunares: quod se ante lunam natos esse prædicarent, ut ait Suidas.

Secundo, *ante lunam* significat, in conspectu lunæ, quamdiu luna orbem illustrabit. Hebr. enim est לפני ירח *liphne iareach*, id est coram luna, ut vertit Flamin. et R. Esaias Tranensis, in conspectu lunæ, ut Felix; dum fuerit luna, ut Pagnin. anno 1170. visæ sunt tres lunæ, et in earum medio signum Crucis. Luna Christo famulabitur, etiam crucifixo, quamdiu permanebit.

Symb. Ruffinus: Permanebit, ait, *cum sole*, id est *cum* 27. Symbol.
Deitate: quæ ideo dicitur sol, quia vera cognitione iustitiæ illuminat hominem, humiliato calumniatore: cum sole permanet: quia, victo diabolo, per resurrectionem ad dexteram Patris sedet: ubi iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur. Et hoc *ante lunam*: tamquam primogenitus a mortuis præcedens Ecclesiam, quæ variando deficit et crescit in generationem et generationem: ita Ruffinus. Non dissimilia habet S. Aug. et Petrus Alphonsus titulo 8. de Christo, ac Ludolphus. S. Cyrill. Catech. 12. vocat divinitatem, ατελευτητον και αναρχον, fine et principio carentem, illi iuncta humanitas erit in luce sempiterna.

SECTIO SECUNDA.

28. *Regis nostri misericordiam declaraturus, Propheta quinque explicat. Primo, adventum eius in mundum, vers. 6. Secundo, susceptionem orbis in clientelam, vers. 8. Tertio, redemptionem eius ab hoste, per mortem propriam, vers. 12. Quarto, resurrectionem, ut ab omnibus adoretur, vers. 14. Quinto denique, Eucharistiam, ut Ecclesiam stabiliat, vers. 16.*

PARAPHRASIS.

6. *Descendet sicut pluvia in vellus: et sicut stillicidia stillantia super terram.*

6. Sicut ros cælestis in molle ovium vellus sine strepitu defluit: ita Christus divinus imber sacratos uteri virginei sinus pervadet, e cælo delapsus nullo hominum conscio. Et sicut guttatim ac leniter stillans pluvia benigno allapsu terram irrorat, et recreat: ita divina hæc aqua a Virgine, velut nube, in terram decurrens, eam reficit ac fœcundat.

7. *Orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna.*

7. Succrescet amœnissimus iustitiæ pacisque fructus, qui ab eius exortu enascens in omnium sæculorum consequentium seriem perstabit, donec officio suo fungi luna cessaverit.

8. *Et dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.*

8. Regnumque suum a mari Indico, usque ad Atlanticum proferet, ut ab ortu in occasum late fusas nationes sibi subiiciat: et a flumine Tanai ad extremos usque Africæ populos imperii sui fines extendet, a Septemtrione scilicet ad Meridiem.

9. *Coram illo procident Æthiopes: et inimici eius terram lingent.*

9. Ad eius thronum supplices provolventur ultimi hominum Æthiopes: quique prius eius legibus et nomini adversabantur, summa veneratione terram, quam calcaverit, exosculabuntur.

10. *Reges Tharsis et insulæ munera offerent: reges Arabum et Saba dona adducent.*

10. Reges omnes late fusi maris, et insularum in eo extantium dona illi deferent ac tributa, eius se dominatui subdentes, Asiæque reges ac præsertim Arabiæ felicis, selectissimorum munerum delatione ipsum honorabunt.

11. *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.*

11. Omnes denique orbis totius, quam late patet, principes ipsum adorabunt: et servituti eius, omnes se nationes sponte subiicient.

12. *Quia liberabit pauperem a potente: et pauperem, cui non erat adiutor.*

12. Totum enim genus humanum a dæmone, et pauperes a potentioribus liberabit: præsertim eos, qui omni auxilio destituti iniuriæ potentiorum magis obiacent.

13. *Parcet pauperi et inopi: et animas pauperum salvas faciet.*

13. Et si quid præ humana imbecillitate admissum fuerit, hoc facilis condonabit, præcipue pauperculis et opis indigis: atque animas pauperum, in periculo constitutas, liberabit.

14. *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum: et honorabile nomen eorum coram illo.*

14. Præstabitque, ut innocentiæ studeant: neque usuris et aliis sceleribus captivari se patiantur. Et gratia perfusos magni faciet, ac tandem æterna gloria decorabit.

15. *Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei.*

15. Cumque morte sua ipsos a vitiorum servitute ad libertatem virtutis et filiorum Dei transtulerit, ad vitam immortalem resurget: ac præclaris muneribus et adoratione per totum orbem coletur: omnisque populus Christianus dies noctesque in eius laudibus concinendis absumet.

16. *Et erit firmamentum in*

16. Suoque corpore in Eucharistia dato corroborabit fideles omnes Ecclesiæ, ceu

terra in summis montium: superextolletur super Libanum fructus eius: et florebunt de civitate, sicut fœnum terræ.

terræ frugiferæ: ac præsertim Apostolicos viros, qui excelsitate virtutum, ac doctrinæ montibus futuri sunt non dispares. Eius divini cibi fructus adeo excrescet, ut Libanum ipsum omnesque mundi delicias et honores exuperet: quique eo nutrientur, floreant ac vireant instar pratorum virescentium et floribus illuminatorum.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta regis Christi erga subditos suos benignitas.

29. Ordo Sectionis. Prima in Sectione vidimus Christi regis iustitiam toti orbi frugiferam. In hac secunda, admirabilem illius misericordiam declarat in Nativitate, adoratione regum, passione, resurrectione, et Eucharistiæ donatione.

Ac primo, adventum eius in terras occultum declarat similitudine pluviæ, in vellus ovium cadentis sine strepitu, atque e stillicidio guttatim defluentis, v. 6. *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.* Adventus illius fructum declarat, nempe iustitiam hominum et pacem, v. 7. *Orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis: donec auferatur luna.*

Secundo, benignitatem illius ostendit, quod sub dominium suum orbem universum receperit, v. 8. *Et dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Quatuor eius partes assignat. Primo, ad Meridiem populos Æthiopiæ exterioris, qui Oceano obiacent, v. 9. *Coram illo procident Æthiopes, et inimici eius terram lingent.* Secundo, ab Occidente populos maritimos, et eorum reges, aliasque provincias. Tertio, ab Oriente Arabiam, cæterasque nationes, v. 10. Occidentem et Orientem continet: *Reges Tharsis, et insulæ munera offerent: reges Arabum et Saba dona adducent.* Quarto denique, a Septemtrione, unde innumera se gentium multitudo in reliquum orbem effudit, v. 11. *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.*

Tertio, liberalitatem et benignitatem summam declarat Christus in sua passione, in qua pauperculos homines redemit, eos ab hoste liberando, et scelera diluendo. Primo, homines a dæmone liberabit, v. 12. *Quia liberabit pauperem a potente: et pauperem cui non erat adiutor.* Secundo, pepercit in se rebellibus, v. 13. *Parcet pauperi et inopi: et animas pauperum salvas faciet.* Tertio, redemit ob scelera in captivitate detentos, v. 14. *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum.* Quarto, honore illos afficiet: *Et honorabile nomen eorum coram illo.*

Quarto, resurrectionem Christi aperit, post quam nos etiam, velut subditos suos agnoscet, dona et laudes recipiendo. Primo, quidem fit mentio resurrectionis, v. 15. *Et vivet.* Secundo, dona designantur: *Et dabitur ei de auro Arabiæ.* Tertio, adoratio: *Et adorabunt de ipso semper.* Quarto, laudes: *Tota die benedicent ei.*

Quinto denique, Christi regis admirabilem munificentiam declarat in Eucharistia, qua primo, alumnos suos fulcit, vers. 16. *Et erit firmamentum in terra in summis montium.* Secundo, efficit ut fructificent: *Superextolletur super Libanum fructus eius.* Tertio denique, facit ut floreant: *Et florebunt de civitate, sicut fœnum terræ.*

ARTICULUS I.

Incarnationis, et Nativitatis Christi modus et fructus.

30 Vers. 6. Christi mysteria enarraturus Propheta noster ab Incarnatione, velut omnium radice et fonte, incipit. v. 6. Descendet sicut pluvia (Tertull. 5. contra Marcion. cap. 9. tamquam imber) in vellus: et sicut stillicidia stillantia (S. Hieronym. sicut stillæ irrorantes) super terram. Pro *vellus*, Hebr. est גז *ghez*, quod significat primo, gramen incisum sive demessum: unde Felix vertit: *Descendet sicut pluvia super herbam resecatam.* Chald. super herbam corrosam a locustis. Camp. super

A frumentum recens demessum. Secundo, et frequentius, Vellus.
ghez significat vellus ovis. Rad. est גזז *gazaz*, id est succidere, excidere, tondere. Vellus autem, est lana ex ove dempta et conglobata: ita dicta a vellendo, quod ante inventam tondendi rationem, lana soleret evelli. Varro l. 2. cap. ult. Sole calidiore, inquit, lana tonsa fit mollior, et ponderosior, et calore meliore: quam demptam et conglobatam alii Vellera, alii Vellumina appellant; 2. Vellus sumitur pro ipsa pelle una cum lana ovi detracta.

Nota secundo, pro *stillicidia*. Hebr. est רביבים *rebibim*, id est stillæ, guttæ; 2. imber seu pluvia vehemens; 3. et optime, pluvia lente, ac leniter, et continue cadens. Rad. est. רבב *rabab*, id est multiplicare: quia in ea pluvia sunt multæ guttæ, et plures quam in denso imbre. Noster vocat stillicidia, id est stillas: alioqui stillicidium est proprie locus, in quem e tecto stillæ decidunt. Pro *stillantia*, Hebr. est זרזיף *zarziph*, id est herba detonsa et excisa, ait R. David in lib. radicum. Hinc vertit, super herbam detonsam; 2. *zarziph*, est pluvia aliena mutuata Zarziph.
B terræ, non naturalis ei, ait R. Ioseph Kimhi. Sed quid intelligat non video; omnis enim pluvia mutuo datur terræ, e cælo enim cadit; 3. *zarziph*, significat inebriantem, saturantem, ut censet R. Abraham; 4. et optime, stillationem, seu stillantem humorem roscidum seu irrorationem. Hinc Chald. vertit: *Descendet sicut pluvia spontanea super herbam corrosam a locustis; sicut stillæ pluviæ serotinæ stillantes super terram.* Pluvia spontanea, seu matutina, est ea quæ cadebat Iudæis in autumno post iactam sementem, ut semine putrefacto gramen foras prodiret. Pluvia vespertina, seu serotina, erat ea quæ in vere dabatur paulo ante messem, ut grana fierent maiora et pleniora. S. Hieron. reddit, *ut stillæ irrorantes terram.* Felix, sicut imbres irrorantes terram. Campens. *et sicut rorulentus imber.* Arabs, sicut *ros*, cum descenderit super terram.

Potest itaque hic sumi tantum una comparatio pluviæ cadentis super vellus et super terram: ita ut in secunda parte versus idem dicatur quod in prima. Secundo, sumi
C potest duplex comparatio: prima, pluviæ cadentis in vellus; secunda, roris stillantis super terram. Ubi adverte, alludi hic ad vellus Gedeonis, atque ad duplex miraculum in eo factum. Primo enim, Gedeon angelo sibi apparenti in Ephra urbe sua, et sibi pollicenti quod liberaturus esset Israelitas a Madianitis, dixit: Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: *Si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas*, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel: factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore complevit. Secundo, Gedeon dixit rursus ad Deum, id est ad angelum legatum Dei: Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere: *Oro ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens.* Fecitque Deus nocte illa ut postulaverat, et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra.

Quæres, quid hoc vellere denotetur? Primo, per pluviam Christum, per vellus Iudæam, per terram gentiles 31.
D intelligit Ruffinus in Ps. nostr. *Pluvia Christus*, inquit, *vellus Iudæa; terra vero, gentium multitudo intelligitur. Prius pluvia in vellus, primitus Christus in Iudæam descendit. Erat autem terra sicca, quoniam gentium populus indoctus adhuc, et inbaptizatus erat. Sed numquid semper sicca erit? Non utique semper, vellere excusso in omnes terras Christi nomen diffunditur. De vellere ergo in terram, de Iudæa in gentes, Christi nomen rorisque superni fluxit doctrina:* hæc Ruffinus. Inde est, ait S. Ambros. quod nunc fidei rore totus orbis humescit. S. Aug. notat,

Iudæos deinde in siccitate mansisse propter obstinationem et malitiam. Verba eius sunt lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 5. Non video, quid hic aliud figuratum et prænuntiatum sit, nisi ut aream intelligamus orbem terrarum: locum velleris, populum Israel. Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere, hoc est in velamine, et quasi in nube secreti, quia nondum fuerat revelatum. Nunc autem videmus orbem terrarum iam revelato rore saginari per Evangelium Domini nostri, quod tunc in illo tegmine figurabatur. Illam vero gentem, amisso sacerdotio quod habebat, quia in Scripturis non intelligit Christum, tamquam in sicco vellere remansisse. Hactenus August. qui etiam in Psalmo nostro per vellus intelligit Iudæos; per aream seu terram, gentiles.

Vellus est Deipara ob sex convenientias.

Secundo, et melius, S. Ambros. serm. 9. S. Chrysolog. serm. 3. de Annuntiatione, S. Bern. serm. 2. super Missus est, Ugo Card. et alii in Psal. nostr. per vellus accipiunt B. Virginem, quæ est vellus aureum, in quod decidit Christus imber aureus. Videamus aliquot parallela, tum velleris cum Deipara, tum pluviæ cum Christo.

Primo, de sinu velleris agnus egreditur, et de sinu Virginis Christus, qui est agnus Dei qui tollit peccata mundi, Ioan. 1. 29. Ιησους, Græce litteris transpositis per anagramma idem est quod, *συ η οις*, *tu es ovis.*

Secundo, Deipara est vellus *ovis*, ob candorem morum, et innocentiam vitæ.

Tertio, est vellus, id est lana sine carne, et a carne avulsa per mortificationem et virginitatem. Vellus enim, est lana ab ovibus avulsa et detonsa. S. Isidorus lib. 19. Originum cap. 27. Lana, inquit, a laniendo, id est vellendo dicta. Hinc et vellus dictum, quod prius lanæ vellerentur, non tonderentur. Varro lib. 2. de re rustica, cap. 11. Vellera alii vellumina appellant, ex quorum vocabulo animadverti licet, prius lanæ vulsuram, quam tonsuram inventam. Qui etiam nunc vellunt ante triduo habent ieiunas, quod languidæ minus radices lanæ retinent: ita Varro. Virginitati sic adaptat S. Chrysolog. ser. 143. *Vellus*, inquit, *cum sit de corpore, nescit corporis passiones: sic virginitas cum sit in carne, vitia carnis ignorat. Cælestis ergo imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, et tota divinitatis unda bibulo se nostræ carnis celavit in vellere: donec per patibulum crucis expressum terris omnibus in pluviam salutis effunderet: et sicut stillicidia stillantia super terram, ut vitalibus partita stillicidiis tempora, fidei rigarent germina, non necarent.*

Quarto, Deipara est vellus, quia suis virtutibus vestit, protegit, ac fovet innocentes. Richardus a S. Victore in Psal. nostr. *Quid est vellus*, inquit, *nisi lana a carne recisa, et a carne sublata? O quale vellus illud virgineum pectus, longe remotum, valde alienum a desideriis carnalibus, et sordidis corporum passionibus! O quale vellus, virgineæ mentis mundi cogitatus! O quale vellus, virginei pectoris casti affectus! O quale vellus, virtutum omnium ornatus! Quis non gaudeat se vestiri posse de virtutum vellere B. Virginis Mariæ?*

Quinto, Deipara est vellus Gedeonicum, quod rorem Christum toto sinu excepit et hausit. S. Ambros. serm. 3. de Nativ. *Quid*, ait, *tam silenter et sine strepitu fit, quam cum imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussionis aspergit: sed sine inquietudine ovium, totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit, unius meatus scissuram nesciens, solida mollitie plures præbens meatus: et quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem. Recte ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, ut toto eum hauriret corpore, nec eius discissuram corporis pateretur: sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Recte, inquam, Maria velleri comparatur, de cuius fructu salubria populis vestimenta texuntur. Vellus plane Maria est, siquidem de molli sinu eius agnus egressus est: qui et ipse matris lanicium, hoc est carnem gestans, molli vellere cunctorum operuit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus Christi lana*

A *suffunditur, Christi fovetur sanguine, et, ut sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur.*

Sexto denique, Deipara est vellus Gedeonicum, quod rorem susceptum a se patitur exprimi, ut toti orbi prosit. S. Bernardus homil. 2. super Missus est: *Quid*, ait, *illud Gedeonis vellus significat? quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis, in area ponitur: et nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, et absque detrimento virginitatis. Cui utique distillantibus cælis tota se infundit plenitudo divinitatis, adeo ut ex hac plenitudine omnes accepimus, qui vere sine illa non aliud quam terra arida sumus. Hinc quoque Gedeonico facto propheticum dictum pulchre satis convenire videtur, Ps. 71. ubi legitur: Descendet sicut pluvia in vellus. Nam per hoc quod sequitur: Et sicut stillicidia stillantia super terram, idem datur intelligi, quod per inventam rore madidam aream. Pluvia quippe voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ, placide prius, et absque strepitu operationis humanæ, suo*
B *se quietissimo illapsu virgineum demisit in uterum: postmodum vero, ubique terrarum diffusa est per ora prædicatorum, non iam sicut pluvia in vellus; sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quodam utique strepitu verborum, ac sonitu miraculorum. Siquidem recordatæ sunt nubes illæ, quæ portabant pluviam, præceptum sibi fuisse cum mitterentur: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.*

Christus pluviæ comparatur.

Nota, Christus pluviæ comparatur. Primo, quia e cælo 32.
venit. 1. Cor. 15. 47. *Secundus homo de cælo cælestis.* Secundo, fœcundat sine operatione humana. S. Epiph. hær. 74. vim nostræ similitudinis exponit, quod Verbum in Virginem descendens, adduxit ei sine viri opera fœcunditatem, ut daret illa fructum suum, quem hoc ipso nomine appellavit Elisabeth Luc. 1. 42. Tertio, sicut inquit, pluvia transfertur, ac transubstantiatur quodammodo in plantæ, quam rigat, naturam: ita Verbum, non quidem in hominis transivisse substantiam, sed ex utero eius, in quam descen-
C dit, atque ex materia humanæ naturæ fecisse carnem matri consubstantialem, eamque sibi in unitatem suppositi copulavisse. Quarto, pluvia illa refrigerat, lætificat, sitim extinguit. Quinto in vellus cadit sine strepitu, et sine læsione. Sexto denique, ab eo facile exprimitur.

Christus rori comparatur.

Secundo, rori quoque hic Christus confertur, ut versio 33.
Arabica supra allata ostendit: *Sicut ros, cum descenderit in terram.* Apte autem ortus Christi comparatur rori. Primo, quia roris ortus latens est et occultus: ita arcana fuit generatio Christi. Secundo, ros, qui non est aliud, quam purus et subtilis vapor, resolutus in aquam, symbolum est virginitatis et virginei partus. Tertio, ros noctu oritur: ita Christus noctu natus est, cum quietum silentium continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet. Quarto, ros suavem auram, et halitum vitalem aspirat animantibus, omnibusque viventibus, iisque mitigat æstum; ita Christus halitum vitæ nobis afflat, eoque ardorem concupiscentiæ temperat. Quinto, ros est aereæ et cælestis naturæ: ideoque, si ovum vacuum, puta corticem
D ovi exsucci, rore impleas, et baculo apponas, apteque accommodes, Sole incalescente, ascendet ab baculi culmen; ros enim sursum fertur præsertim si calore excitetur, et ex parte in vaporem vertatur: ita Christus cælestis est naturæ, ac vitæ, et suos asseclas facit cælestes. Sexto, ros pinguis est, pinguemque et quasi oleatum succum germinibus, seminibus, et plantis instillat: itaque eam impinguat, incrassat, et fœcundat: ita Christus rore gratiæ irrorans mundo, eum fœcundavit, ut proferret virtutes. Septimo, ros condensatus, fit manna, quod suave est ad cibum et efficax ad medicinam: ita Christus in Eucharistia se dedit nobis in cibum: estque ipse manna, hoc est panis de cælo descendens, cuius virtute non tantum vivimus, et tentationibus resistimus: sed et resurgemus in vitam æternam, Ioan. 6. 55. Octavo, ros in concham apertam illapsus, cum vi cælesti, præsertim fulminis, afflatur et constringitur, fit unio sive margarita, teste Pli-

nio lib. 9. cap. 33. ita Christi Deitas in concham uteri virginalis illapsa, ex eoque sibi corpus humanum efformans, fecit pulcherrimam margaritam, nempe Deum et hominem. Nono denique, ros est melleus, adeoque mel non est aliud, quam roris medulla, eiusque succus prædulcis et subtilis, qui herbis, flosculis, et terræ solo excipitur, atque ab apibus colligitur. Pari modo, quid est Iesus, nisi roris cæli medulla: hoc est, *mel in ore, melos in aure, iubilus in corde?* ait S. Bernardus: ita noster Cornelius in cap. 45. Isaiæ v. 8. in illud: *Rorate cæli desuper, et nubes pluant iustum.*

34. Descendit Christus in animas, sicut pluvia.

Tropolog. Descendit Christus in vellus: id est, in animas sanctas, et mansuetas, atque innocentes, sicut pluvia. Primo, sapientiæ et doctrinæ. Secundo, iustitiæ et sanctitatis. Tertio, lætitiæ et exultationis. Euripides in dramate, qui inscribitur Pirithus, Deum depingit cinctum imbre, quo orbem foveat et vegetet: *Te*, ait, *qui per te ortus es, qui* εν αιθεριω ομβρω, *in imbre æthereo omnium naturam implicasti, circum quem lux et furva nox variorumque colorum, et quæ discerni non potest astrorum multitudo*, αμφιχορευει, *assidue ducit choreas*. Hebræi clavem pluviæ dant soli Deo. Apud eos clavis vocatur מפתח *maphteach*, ex eius dictionis litteris singulis voces deducuntur, quarum solus Deus claves habere dicitur; מ quidem denotat מטר *mathar*, id est, *pluviam;* פ vero פרנסה *parnasa*, id est victum; ת est תחיה *thechiia*, id est resurrectio mortuorum; ח est חיה *chaia*, hoc est parturitio. Claves has sibi uni reservavit. Pluviam porro suam non demittit nisi ad oves. Unde dicit Christus Matth. 15. 24. *Non sum missus nisi ad oves.* Angeli illo nato apparent primo pastoribus ovium, Luc. 2. 8.

35. Vers. 7. Sol et luna manebunt post diem iudicii.

Pluviæ et roris divini, id est, Christi in terram venientis duplicem fructum aperit Propheta, scilicet iustitiam et pacem, v. 7. ORIETUR IN DIEBUS EIUS IUSTITIA, ET ABUNDANTIA PACIS, DONEC AUFERATUR LUNA. S. Hier. Pagn. Felix, *donec non sit luna*, id est, donec luna desinat officio suo fungi, et per incrementa et decrementa sua vario modo in hæc inferiora influere, ac noctem illuminare; hoc est, usque ad finem mundi. Quæres, an luna sit futura post diem iudicii, et ubi sit locum habitura? Respondeo, lunam, solam, et astra omnia per totam æternitatem esse mansura, at quidem longe maiori lumine micantia. De luna quidem ait Isaias cap. 30. v. 26. *Erit lux lunæ, sicut lux solis.* De sole subiungit: *Et lux solis erit septempliciter*, id est, longe solito maior. Vide Suar. 3. parte, tom. 2. disputat. 58. Corn. 2. Petri 3. 10. et Apoc. 6. in fine, atque a me dicta Ps. 101. 27. Secundo, arbitror lunam fore fixam et stabilem in altero hemisphærio, et solem in nostro, ut totus orbis sit in perpetuo lumine. Nam cælorum motus cessabit, et tempus non erit amplius. Nota, in eclipsi lunæ multi populi timuerunt, ne luna deficeret penitus atque interiret, illique succurrere conabantur: primo, clamoribus; secundo, sonitu cymbalorum et tubarum; tertio, incantationibus, et aliis modis. De clamore agit S. Maxim hom. de lunæ defectu. Cum, ait, ante dies plerosque de vestræ avaritiæ cupiditate pulsaverim, ipsa die circa vesperum tanta vociferatio populi extitit, ut irreligiositas eius penetraret ad cælum. Et cum requireram, quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi: quod laboranti lunæ vestra vociferatio subveniret, et defectum eius suis clamoribus adiuvaret. Risi equidem et miratus sum vanitatem, quod quasi devoti Christiani Deo ferebatis auxilium: clamabatis enim, ne tacentibus vobis perderet elementum: tamquam infirmus enim et imbecillis, nisi vestris adiuvaretur vocibus, non posset luminaria defendere qui creavit. Deinde, ostendit, sæpe de nocte eclypsim pati illis dormientibus, et tamen e cælo non cadere. 2. Nunc etiam hoc sæculo multi populi in India et America in eclipsi lunæ timent, ne pereat; illique succurrere nituntur sonitu cymbalorum, tympanorum, tubarum, aliisque nugamentis. 3. S. Cæsarius mentionem facit incantationum. Sic enim ait Dialog. 3. interrog. 117. Quomodo, ait, dicunt aliqui, επαοιδιαις και γοητειαις, incantamentis et præstigiis lunam cælo detrahi? Maxima certe generis humani pars, huius rei fama perfusa et occupata, ferrum et æs pulsando, tamquam e potestate egressam per strepitum ab errore revocari, ita Cæsarius, frater S. Greg. Naz. et addit, has esse fabulas, γραιων κατανυξιμενων, vetularum dormientum, atque somniantium.

Nota, primus fructus Christi ad nos descendentis est 36. Primus fructus a Christo veniens est iustitia.
iustitia, quæ sumi potest, Primo, ut est virtus specialis reddens unicuique quod suum est. S. Gregor. Nazianzenus orat. 36. pag. 691. notat, Christum vocari iustitiam, quia pro merito præmia et pœnas distribuit, æquumque iudicem se præbet his qui sub lege sunt: et his qui sub gratia: corporiqua item et animæ, ut illud pareat, hæc præsit atque imperet: præstantiorque pars principatum adversus inferiorem teneat: nec id quod deterius est, adversus id quod melius est, insurgat. Secundo, et melius, iustitia hic generaliter sumpta intelligitur: hoc est, omnis virtus. Sic Isaias ait cap. 45. v. 8. *Rorate cæli desuper, et nubes pluant iustum.* Hebr. iustitiam. Arabs Alex. vertit gratiam præsta, o cælum desuper, et nubes spargat iustitiam. Syr. Iucundamini cæli desuper, et nubes rorent iustitiam.

Secundus fructus Christi ad nos descendens est ubertas pacis: *Et abundantia pacis*, id est, pax copiosissima, II. Est pax.
profundissima, tranquillissima, universalissima, et maxima diuturna. Ubi adverte, pacem esse duplicem. Primo, internam cum Deo ac seipso. De illa dicebat Apostolis, Ioannis 14. v. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Hæc est vera pax cordis, ut etiamsi fractus illabatur orbis, impavidum feriant ruinæ. Arabs ibi vertit, pacem meam propriam do vobis. Ad Philipp. 4. v. 7. ait Apostolus, *Pax Dei*, quam habet anima sancta cum Deo, ait S. Ambros. *quæ exuperat omnem sensum, custodiat*, φρουρησει, tuebitur instar custodiæ militaris, *corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Iesu*, id est, per Christum, ut explicat Œcumenius. Ipse enim dicitur ab Isai. cap. 9. v. 6. *Princeps pacis.* Secundo, alia est pax externa, quam habemus cum hominibus. Hanc quoque Christus mundo attulit; ut enim iam dixi v. 3. ortus est, cum pax esset in toto imperio Romano; et, ut arbitror, in toto orbe. Antea ab exordio Romanæ Urbis usque ad Augustum bis tantum fuerat pax in Romanorum ditione. Per annos quidem quadringentos et nonaginta primos singulis annis Romani bellum gesserunt in Italia, cum necdum Padum Italiæ fluvium transivissent: tantum sub Numa secundo rege per totum illud tempus fuit pax: et fortasse aliquantulo tempore ann. 4. regni Tarquinii prisci, urbis conditæ 141. ante Christum 611. Augustus vero Imp. anno urbis conditæ 724. Imperii Romani 20. Regni sui 15. Actiacæ victoriæ 3. ante Christum 28. clausit portas Iani toto imperio pacato. Illius anni mense Sextili tres in urbem triumphos invexit, ideo ab ipso vocatus est mensis Augustus. Nam, primum egit triumphum Augustus templum Iani clausit.
de Pannoniis et Dalmatiis. Secundum de Macedonia, seu victoria ad Actium obtenta. Tertium denique, de Ægypto et Cleopatra. Eodem anno Imperatoris nomen sumpsit. Ægyptii quoque ab hoc anno incipiunt annos Augustorum. Cum enim annos Macedonum sive lagidarum in proxime præcedenti finiant, consequens est, ut hoc anno novam chronologiam inchoent, cuius nomen Augustorum, sive θεων σεβαστων esse voluerunt, gratiam inituri ab Octaviano Cæsare, et C. Iulio eius patre, qui ad deos relatus iam dudum fuerat. Quin et Augustus ipse sacrificiis honorabatur, præsertim Narbone VIII. Cal. Octobris, die eius natali, et VII. Idus Ianuarii, qua die primum imperium orbis terrarum auspicatus est. Hanc Æram statutam fuisse a Senatu Romano auctor est Dio lib. 51. Diem, inquit, quo capta est Alexandria festum esse voluerunt, ab eoque reliquis annis numerandis initium esse sumendum. Annos quoque Augustorum Romani celebrarunt, sed qui biennio tardius inchoarentur, ut testis Censorinus, illi anno 17. Iuliano, hi 19. illi quinto Consulatu Cæsaris, isti

septimo illi ab Augusto mense, hi a Ianuario: ita Salianus anno mundi 4023. qui addit, multa eo anno in honorem Augusti fuisse decreta: 1. ut tribus Iulia ab eo denominaretur; 2. ut corona triumphali ludis omnibus uteretur; 3. ut dies qua in urbem ingrederetur, festa esset, publicisque sacrificiis celebraretur; 4. ut sacerdotes quotquot placeret, constitueret; 5. *ut Iani portæ, quasi bellis omnibus iam confectis, clauderentur,* quod illi acceptissimum fuit: idque adulatorie magis, quam vere factum, ex iis quæ de variis bellis attinguntur lib. 51. a Dione, non obscure ostendi potest. Præsertim ubi de rebus eodem fero tempore, a M. Crasso contra Dacos et Bastarnas gestis, pluribus agitur. Adde, quod anno sequenti, scilicet mundi 4026. sexta ætatis 511. ante Christum 27. ipse Augustus templum Iani iterum aperuit, parum in Hispania per ducentos annos factum intelligens, si Cantabros atque Astures, duas fortissimas gentes Hispanorum, suis uti legibus sineret; in eos itaque cum exercitu profectus est. Post tres annos, nempe anno urbis conditæ 728. ante Christum 24. Augustus iterum Iani portas clausit, victis Cantabris et Asturibus, quos statim rebellasse dicit Florus. Cum vero Christus est natus anno Augusti Imp. 42. urbis conditæ 751. Olympiade 194. pax erat in toto orbe. Tertio enim, Augustus templum Iani clauserat: unde pacatis omnibus provinciis edictum fecit, ut describeretur universus orbis; tum ut sciret numerum subditorum, tum ut tributum ab iis exigeret ad replendum ærarium bellis exhaustum.

37. Ante Christum erant bella atrocissima. Dices, etiam inter Christianos sunt bella. Respond. et numero esse pauciora, et longe minus cruenta, quam ante Christum et inter paganos: Primo enim scribit Velleius Paterculus bello sociali quod inter Romanos et socios Italicos uno anno extitit, occubuisse hominum trecenta millia. Secundo, Sylla et Marius duobus annis inter se pugnarunt, centena hominum millia occisa tradit obsequens. Tertio, Caius Iulius Cæsar intra sexdecim annos cecidisse fertur hostium undecies centena nonaginta duo millia: eiusdem tempore, intra eosdem annos ferro perierunt Romanorum trecenta millia. Quarto, spatio undecim annorum, ex iis quibus Annibal bellum gessit in Italia, ferro cæsa sunt Romanorum centum quinquaginta millia: et quidem una in Cannensi pugna sexaginta millia desiderata sunt. Quinto, Gallorum Cisalpinorum in Romanos bella tam dira extitere, ut Fabius, qui interfuit, tradat anno urbis conditæ 528. octingenta armatorum millia in aciem descendisse: ex his Gallorum quadraginta millia cecidisse, capta decem millia. Sexto denique, Germanorum ante fidem susceptam innumeræ et gravissimæ clades extiterunt: 1. enim Augustus quadringenta eorum millia cœpit, ac per rura ad colendos agros sparsit, ut tradit Eutropius. 2. Claudius Imp. trecenta viginti Germanorum millia trucidavit, ut refert Pollio, aut quadringenta millia, ut Probus. 3. In Antonium Imper. cognomento Philosophum steterunt in acie nongenta septuaginta Germanorum millia, quæ cum vicisset, Marcomannos delevit, et infinitos ex aliis nationibus in Romano solo collocavit, ut Iulius Capitolinus memorat. 4. Maximinus Thrax, eodem Capitolino teste, per trecenta vel quadringenta passuum millia Germaniam ingressus, omnia ferro flammaque vastavit, plurimos interemit, cœpit innumeros: ita ut ipse scripserit ad eos capiendos Romana fora non sufficere. Mitto cæteros, et verbo concludo, intra ducentos annos tot esse in Germania occisos, ut ex quo fidem Christianam, ab octingentis et amplius annis, susceperunt vix decima pars ferro occubuerit. Non decurram nunc alias nationes.

38. Iustitia et pax oriuntur sicut sol et luna. Nota secundo, cum dicitur: *Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis,* potest sumi quod iustitia et pax orientur, sicut sol et luna; sunt enim filiæ lucis, et solis iustitiæ, de quo Malach. 4. v. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum. Sol iustitiæ,* id est, Christus, cuius cum sole quinque analogias affert Cornelius eo in loco. Ps. 84. v. 12. dicitur: *Veritas de terra orta est*, nempe Christus, *et iustitia de cælo prospexit*, tamquam sol, qui est oculus mundi. S. Greg. Nazianz. orat. 38. agens de Christi nativitate: Rursus, ait, tenebræ solvuntur, rursus lux creatur, rursus Ægyptus tenebris vexatur, rursus Israel per columnam illuminatur. S. Chrysost. homil. 31. hinc iure vocat Christi Nativitatem, πασων εορτων σεμνοτατην και φρικωδεστατην, και μητροπολιν πασων εορτων, omnium solemnitatum augustissimam et maxime stupendam, atque metropolim omnium festorum.

Secundo et melius, *orietur* iustitia et pax, velut sacra germina et flores paradisi. Nam primo, eum sensum potit hemistichium præcedens, *Sicut stillicidia stillantia super terram.* Secundo, Hebr. vox יפרח *iphrach*, id est, florebit, ut vertit Pagninus, Flamin. Felix et Arias: germinabit, ut S. Hieron. Ieremias Christum vocat germen iustitiæ. Sic enim cap. 33. v. 15. *Germinare faciam David germen iustitiæ;* id est, ut explicat Chaldæus, Suscitabo David Messiam iustissimum. Et in se, erga Deum et homines: et effective alios faciendo iustos: et, sicut pluvia cælestis, efficiens ut terra nostra det fructum suum; hic est enim fructus iustitiæ, quia eum daro tenetur. Isa. 61. v. 11. *Sicut terra profert germen suum, et sicut hortus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinabit iustitiam.* Sed, quinam flores erunt iustitia et pax? Respondeo, iustitiam esse rosam, tum ob purpureum colorem, tum ob spinas adiacentes. Pacem vero esse lilium florum principem, et supra omnes eminentem. Utrque flos Christi vi oritur. Oseæ 14. v. 6 *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium.* Arab. Alex. et Antioch. vertit, Ero quasi ros Israeli, et germinabit *quasi rosa.* Erit ille ros abundans, ut et pax et iustitia exuberent. Isaiæ ult. v. 12. *Ecce ego declinabo super eam,* Ierusalem, id est, animam videntem et amantem pacem, *iustitia quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam Gentium.* — II. Sicut flores.

Nota tertio, pro *iustitia* Hebr. est *iustus.* Oritur et germinat in diebus Christi vir iustus. Proverb. 11. 28. iam dixerat Salomon: *Iusti quasi virens folium germinabunt.* Quem locum Rabanus Maurus versans dicit: Iusti quasi virens folium germinant: qui spe salvi facti, in fidei ac virtutum gratia proficere non cessant, donec ad fructum desideratæ retributionis attingant.

ARTICULUS II.

Epiphania, et adoratio Christi in toto orbe.

A Nativitate Christi gradum facit Propheta ad Epiphaniam; in qua reges, tamquam primitiæ totius orbis, eum adoraverunt. Est enim rex totius terræ, vers. 8. ET DOMINABITUR A MARI USQUE AD MARE, ET A FLUMINE USQUE AD TERMINOS ORBIS TERRARUM. 39. Vers. 8.

Hoc probat per omnes partes. Primo enim, a meridie veniunt Æthiopes illum adoraturi, vers. 9. CORAM ILLO PROCIDENT ÆTHIOPES, ET INIMICI EIUS TERRAM LINGENT. Vers. 9. Secundo, ab Occidente qui in mari habitant, et Græci, Itali, Galli, Hispani, aliique, vers. 10. REGES THARSIS ET INSULÆ (Græce νησοι, id est, *insulæ*, in nominativo casu) MUNERA OFFERENT. Vers. 10. Tertio, ab Oriente: REGES ARABUM ET SABA DONA ADDUCENT. Quarto denique, a Septemtrione, vers. 11. ET ADORABUNT EUM OMNES REGES TERRÆ, OMNES GENTES SERVIENT EI. Vers. 11.

Quæres, an hæc dici possunt de Salomone? Respondeo posse dici aliquatenus. Primo enim, dominatus est a mari occidentali, usque ad mare orientale: et a flumine magno Euphrate usque ad extremos fines orbis terrarum, totum scilicet orbem semini Abrahæ promissum, sibi subiectum habens: ita Iansenius. Ubi adverte, mare occidentale Iudææ esse mare mediterraneum; mare orientale, esse mare mortuum et mare Tiberiadis. 2. Adverte Salomonem non possedisse totam terram Abrahæ promissam, in ea enim erat Tyrus et Sidon, ubi ille non imperabat. 3. Adverto, si per mare orientale intelligat Iansenius sinum Persicum, eo usque non pervenisse imperium Salo- — De Salomone hæc dici possunt.

monis: si per mare orientale intelligat mare mortuum, aut mare Tiberiadis, non assignari commoda terminos regni eius: erat enim angustum spatium a mari mediterraneo ad illa maria, seu verius lacus ingentes.

Secundo, coram Salomone prociderunt Æthiopes. Nam regina Saba venit illum adoratura, ex Æthiopia Abyssinorum, ut S. Greg. Naz. et Barradius docent: vel ex Æthiopia Arabica, ut S. Hier. et S. Eucherius.

Tertio, reges Tharsis, id est, maris; et reges Arabiæ et Saba dona obtulerunt Salomoni.

Quarto denique, omnes, id est, plerique, reges terræ adoraverunt eum, et desiderabat universa terra audire sapientiam eius, et ad insulas longe vulgatum est nomen eius, ut explicatius dicetur in decursu.

40. Quæres secundo, quomodo hæc Christo conveniant? *Sed longe melius de Christo.* Respondeo, etiam ad litteram longe aptius illi quadrare quam Salomoni. Primo enim, dominatur a mari usque ad mare, id est, a mari Indico usque ad Gaditanum, et totum oceanum Athlanticum; et a flumine Tanai usque ad ultimos terminos orbis terrarum, ultra anni, solisque vias; quo, propter Zonam torridam, diu veteres non putavarunt esse iter pervium: usque ad ultimos fines Asiæ et Africæ versus oceanum australem. Nota, per fluvium intelligo Tanaim, quia est ultimus fluvius septemtrionalis, alicuius notæ, Hebræis et Romanis cognitus: in paludem Mæotidem influit, illa in Pontum Euxinum, hic in Bosphorum Thracium, Propontidem, Hellespontum, Ægæum mare, et Mediterraneum, ut inde initium defluxus aquarum oriri videatur, cum sit in parte mundi altissima, ut alias ostendi. Chaldæus hic vertit, *Dominabitur ab angulo maris magni, usque ad angulum maris oceani, et ab Euphrate usque ad fines terræ,* quod Salomoni possis adaptare aliquo modo; nam mare rubrum est sinus oceani, ad illud autem se extendit Salomon, sicut promissum erat Israelitis, Exodi 23. v. 31. ubi assignantur fines terræ promissæ a mari rubro usque ad mare Palæstinorum; id est, mare mediterraneum; quod accolebant Philisthini; et a deserto Arabiæ, usque ad fluvium, Euphratem scilicet, qui per antonomasiam in Scriptura vocatur fluvius, aut fluvius magnus. De Christo Zacharias Propheta cap. 9. v. 9. agens, ait: *Ecce rex tuus veniet tibi iustus et salvator:* deinde abundantiam pacis declarat vers. 10. cum ait: *Disperdam quadrigam ex Ephraim*, id est, a decem tribubus, et equum de Ierusalem, hoc est, de duabus tribubus, et dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus, tum subdit: *Et potestas eius a mari usque ad mare, et a flumine usque ad fines terræ.*

41. Quæres tertio, quinam Æthiopes hic intelliguntur? *Æthiopes Christum adorant, et qui?* Nota, Æthiops dicitur ab αἴθω, id est, uro, ardeo, et ὤψ, id est, aspectus, facies, q. d. Ardenti et combusta facie. Hinc fingunt Æthiopem, qui dedit nomen Æthiopiæ, fuisse filium Vulcani. Secundo, pro *Æthiopes*, in Hebræo est צִיִּים *tsiim*, id est, nautæ, ait Pagninus in thesauro: unde, inquit, David postea dicit reges Tharsis, etc. Secundo, *tsiim* deserta incolentes: ita idem Pagninus in paraphrasi. Tertio, *tsiim*, id est, *sicci*, quæ vox ab Hebræa deducitur, seu siccati æstu et ardore solis: unde noster, Sept. S. Hieronymus, Felix, Camp. et alii vertunt, *Æthiopes*: tales enim sunt, qui ardore solis siccantur.

Tertio nota, in Scriptura est duplex Æthiopia: Prima orientalis, nempe Arabia, in qua habitabant Ismaelitæ, Amalecitæ, Madianitæ, et alii: inde erat Sephora uxor Mosis, erat enim filia Iethro, seu Raguel sacerdotis et principis Madian, ideoque vocatur Æthiopissa, Numer. 12. v. 1. Licet Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 10. velit illam Æthiopissam uxorem Mosis fuisse Tharbis filiam regis Æthiopiæ ultra Ægyptum. Secundo, alia est Æthiopia Iudææ occidentalis, nempe Æthiopia Africana ultra Ægyptum, eam nunc Abassiam seu Abissiam vocamus. Possumus etiam et debemus Æthiopiam Africanam dividere in Abassiam, seu Æthiopiam interiorem; et in Æthiopiam maritimam, seu exteriorem.

Respondeo itaque primo, per Æthiopes intelligi hic eos, qui sunt in Africa, et per ipsos synecdochice omnes Africæ populos. Probatur primo, quia postea de Æthiopia Asiatica seu Arabica subditur: *Reges Arabum et Saba dona adducent.* Secundo, supplicem fore Christo Æthiopiam Africanam Ægypto contiguam, aut ultra illam longe positam: dicitur Ps. 67. v. 32. *Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus eius Deo:* quem locum consule. Isaias id prædixit cap. 45. v. 14. *Hæc dicit Dominus: labor Ægypti et negotiatio Æthiopiæ, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt: Post te ambulabunt, vincti manicis pergent: et te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator.* Aliqui id ad litteram Cyro tribuunt; hos enim populos vicit, ut Xenophon docet: sed longe melius Christo conveniunt, ut patet, ac S. Hieronymus, S. Cyrillus et alii explicant. Sophonias Propheta cap. 3. vers. 10. ait: *Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus mihi.* Cornelius, Mariana, et a Castro intelligunt ibi Æthiopiam Arabicam. Arias, Vatablus, et Chaldæus, Indiam, quia est ultra Tygrim et Euphratem, qui sunt fluvii secantes mediam Arabiam, quæ Æthiopia vocatur. Adde, quod Æthiopes filios Chus quidam velint olim ad Indum fluvium habitasse, relictisque sedibus suis iuxta Ægyptum consedisse inter Nilum et Oceanum supra Heliopolim, et inde paulatim ad interiora Africæ penetrasse. Alii, per Æthiopiam intelligunt Ægyptum. S. Hier. et Emmanuel Sa, explicant de Æthiopia Abyssinorum. Sed commodissime exponemus de populis remotissimis ad mare Australe sitis ultra Abyssinos, quem tractum vocamus Æthiopiam exteriorem, ubi est regnum Congi, Monomotapæ, et alia, q. d. Ultimi, et maxime a nobis remoti homines te adorabunt.

Secundo, Æthiopes Abyssinos manus dedisse Christo, et coram eo procidisse satis probavi Ps. 67. v. 32. De Æthiopia exteriori in regno Congi hæc accipe ex Nicolao Orlandino lib. 8. hist. Societ. num. 94. In regnum Congi (Manicongum quidam appellant) Georgius Vazius, Riberius, et Soveralius a Societate pervenerunt anno Christi 1548. Societ. 9. vivente adhuc S. Ignatio. Est id regnum Hesperiorum Æthiopum ad extimam Africæ oram, ab ipso prope æquatore exoriens in meridiem porrectum, et late in mediterranea quoque introrsum recedens. Patrum adventu rex cognito, a leucis quinquaginta, tum honoris causa, tum, ne quid discriminis adirent ab hostibus, duos e proceribus obviam misit: quorum uterque iis erat instructus opibus, copiisque, ut ad omnem nutum quindecim virorum millia cogere perhiberetur in prælium. Ab his in urbem regiam ligneis equis de more vecti perducuntur ad regem, cuius vehiculi tale commentum est. Dolatum robur in Cantherii formam palmorum crassitudine ferme trium, bubulo corio pro ephippiis ad insidendum sternitur. Huic imponitur qui vehendus est eques, vehiturque una cum tigno duobus a baiulis altero ab anteriore, altero a posteriore equi parte, succollantibus vicissim aliis, ubi longius est iter. Hisce impositos equis languidos Patres, et adventantes ad urbem *Rex extra muros honoris causa progressus, comiter excepit, festis, maximisque suorum clamoribus, ut eis in acie, præliisque mos est.* Pone pulchra excitata Crux erat, quam illa dextræ complexu tenebat; et hic Patres, cum tribus liberis, multisque proceribus expectabat. Qui, simul eos currentes ad osculum manus animadvertit, protinus antevertit, *eorumque manibus sua leviter ante tactis, suavium dedit:* quem item morem in osculanda regis dextera secuti sunt Patres; quamquam solis ille sacerdotibus manum ad tactum pariter, et osculum præbuit; laico, qui inter eos erat, solum ad tactum. Is alias in sua regia, cum principum legatos admittit, in edito suggestu, ut ex omni parte conspici possit, eburneæ insidet sellæ, mitratus infula e palmæ foliis opere subtili, et eleganti perfecta, a capite ad pubem nudus; cætera ad pedes usque, vestis bombicina contegit. Lævum brachium armilla ex orichalco adornat. 42. *Æthiopes regni Congeusis se Christo subduut.*

equina cauda pendet ex humero. Id solis regibus datum. Quinquaginta hominum millia habere dicitur ad nutum semper intenta, et vectigalia perampla. Patres humaniter ab rege excepti, deductique ad hospitium (cuiusmodi sunt Æthiopum ædificia) culmo paleisque contectum, quamquam valetudinarii, nunquam aut stata sacrificia, aut sacras conciones, cæterasque de more functiones intermiserunt. Quoniam autem præcipuus in ea civitate fructus elici videbatur e scholis, Soveralius publice ludum aperuit, maximisque tum valetudinis, tum egestatis incommodis, laboribusque pueros ferme sexcentos, et primis litteris, et Christianis moribus imbuebat. Sed quo facilius susceptum ferret et sustineret onus, alios sibi Hypodidascalos subrogavit: *quibus omnibus, pariterque discipulis, quotidianam a rege impetravit annonam:* quam si rex denegaret, nemo utique ad eam disciplinam accederet. Mira prorsus ubique morum corruptio. E nostris sacerdotibus unus Riberius quintum intra mensem, vel assiduis fere febribus implicitus, *mille et septingentos* ad Christum Æthiopes, Vazius trecentos, Soveralius etiam inter scholæ curas quadringentos adiunxit. Idemque Vazius proximos pererrans pagos cum interprete, ac sine commeatu, *trium ac viginti dierum spatio duo millia et septingentos*, in iisque septuagenarios aliquos, et octogenarios aquis salutaribus expiavit. Tria templa in regni finibus excitavit, Salvatori unum, Mariæ adiutrici alterum, tertium Ioanni Baptistæ. Duobus autem in templis ad unam aut alteram horam quotidianus catechismus erat, et a catechismo baptismus: ita Orlandinus, ubi vides id esse verum, *Coram illo procident Æthiopes.* Indigenarum mite facileque ingenium est, nec iis ita magno labore Christum probes, totum in deserendis vitiis negotium est, ait idem auctor. Hoc regnum primum in Æthiopia exteriori fidem Christi per Lusitanos suscepit, circa annum 1485. ut docet noster Petrus Iarrius l. 3. hist. Ind. Oriental. ubi multa præsertim de Alphonso filio regis Ioannis primi baptizato, et de eius victoriis miraculose partis habet cap. 3. Sub eo Alphonso rege maxime fides floruit per annos quinquaginta.

43. *Mos adorandi apud orientales.* Nota, in plerisque nationibus, præsertim orientalibus, mos adorandi erat in faciem procidere. Sic de Iacob dicitur in reditu e Mesopotamia cum occurrit Esau fratri suo, Genes. 33. v. 3. *Adoravit pronus in terram septies.* Hic de Æthiopibus habetur, *coram illo procident Æthiopes.* Idem nos Christo in hunc orbem ad nos venienti faciamus. Floriacenses monachi, cum nativitas Christi nuntiabatur, in faciem cadebant. Verba sunt in eorum veteribus consuetudinibus: In vigilia, inquit nativitatis Domini, quando in capitulo nativitas Domini a puero pronunciatur, omnes in faciem cadant, et tunc in silentio dicant ter: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine:* ita ibi. In Ecclesia quoque cum dicitur, *Et Verbum caro factum est*, Christo incarnato omnes venerationem inclinatione corporis testantur. Quantum reverentiæ deferrent olim Hungari ad pronuntiationem nominis Iesu et Mariæ dixi alias. Franco Abbas tom. 4. de gratia Dei: *Nil*, ait, *Christianis oculis præter Christum, pulchrum apparere; nihil debet Christiano cordi præter Christum dulce sapere.* Ipsi Æthiopes non desperent, si ob nigredinem peccatorum illi faciem ostendere non audent, in eam procidant, eam occultent, et adoratio eorum erit Christo acceptissima, qui erectos radiis suis illustrabit, et faciet lacte candidiores, et rubicundiores ebore antiquo.

44. *Victoriæ variæ Christianorum.* Nec remoti tantum populi, sed etiam qui prius erant hostili animo, coram Christo procident, v. 9. Et inimici eius terram (Hebraice עָפָר *aphar*, pulverem) lingent. Hoc in bonam et malam partem varii explicant. Primo quidem, Nicephorus exponit de perfecta subiiciendis dæmonibus et in terram prosternendis. Alii de hominibus Christo se opponentibus, virtute crucis conterendis, ut accidit in multis victoriis reportatis contra infideles et barbaros. In Francia quidem Carolus Martellus bis Saracenos numeroso exercitu terribiles contudit. Primo quidem prælio, ad campos Turonicos, trecenta septuaginta quinque eorum millia occidit: secundo prælio, in Provincia, pene pari numero. Franci quoque in expeditione Ierosolymitana semel Saracenorum trecenta sexaginta millia cecidere: alias vero, equitum centum millia, peditum innumerabiles copias, ut Robertus scribit. In Hispania, Alphonsus rex uno prælio Saracenorum ducenta millia occidit. In Italia, nostri duce Stilicone copias Radagaisi fuderunt, cum in eius exercitu essent trecenta hominum millia, ex quibus cæsa centum millia. Michæas Propheta agens de subiectione Gentium sub victoribus Iudæis, ait cap. 7. v. 17. *Lingent pulverem sicut serpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis.* Haymo, Remigius, et antiqui Libri habent, *proturbabuntur:* quod aliqui sic explicant, q. d. Sicut nonnullæ terræ, ut Melitensis, ex benedictione S. Pauli: Hibernica, ex benedictione S. Patritii: Ebusitana in Balearibus teste Solino Polyhist. cap. 26. et terra sigillata qua vulgo medici utuntur, non patitur venena, nec serpentes: sed eos fugat ac propulsat: ita Iudæi e Babylone redeuntes in Iudæam propulsabunt gentes, quæ eam occupaverant, cogentque eas sibi avitum locum et terram cedere. Sanchez putat, alludi ad cervos, qui halitu suo serpentes e cavernis extrahunt: unde et cervus vocatur ἔλαφος, ἀπὸ τοῦ ἕλκειν ὄφεις, ab extrahendo serpentes. Vide quæ de ea re dixi Psal. 4. v. 1. Plinius lib. 11. cap. 53. sic dicit etiam de Elephantis et cervis. Elephantorum anima serpentes extrahit, cervorum item urit.

Secundo et melius, *Inimici eius terram lingent*, in bonam partem accipiendum est, velut explicatio primi bemistichii, *coram illo procident Æthiopes*, q. d. Non qualicumque modo procident et se incurvabunt, sed id facient usque ad terram, ita ut vultu in eam demisso, et deiecto pulverem lingere ac lambere videantur. Ubi adverte, ut supra attigi, morem fuisse plerisque populis: ut, cum reges suos adirent, terram oscularentur, et toto corpore ante illos procumberent. Hoc præsertim in Asia usurpabatur. Primo, Persarum regibus nemo loqui poterat nisi prostratus in terram, vestigia pedum regiorum oscularetur, ut tradit Xenophon lib. 8. et Plutarch. in Alcibiade. Livius lib. 9. iure vocat Persicam humi iacentium adulationem. Ammian. Marcellin. lib. 18. agens de Antonio ad Saporem Persarum regem transfugiente: Sublata, inquit, tiara dissiluit equo, curvatisque membris humum fere vultu contingens salutavit, Patrem et Dominum appellans, manus post tergum convertens, quod apud Assyrios supplicis indicat formam. Lege Brisson. de Persarum principatu lib. 1. et Heraldum ad Martial. lib. 10. epigr. 72. Secundo, Parthi eodem ritu adorandi reges suos utebantur, eos ridet Martialis lib. 10. epigr. 72. ubi ait illos, pictorum sola basiasse regum. Tertio, de Iudæis idem ritus probatur Genes. 18. v. 2. ubi refertur, quod Abraham visis tribus viris, stantibus prope se, cucurrit in occursum eorum, *et adoravit in terram;* se scilicet prosternens more gentis: erant porro tres angeli, qui ei nuntiarunt nativitatem Isaac, et Sodomæ incendium. Simili modo adoravit filios Heth, Gen. 23. 7. Loth duos ex iis angelis qui apparuerant Abrahamo ingredientes Sodomam, videns, surrexit, et ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram, Gen. 19. v. 1. de Iacobo prosternente se ante Esau dixi supra. Præcipue id fiebat ante victores, ad quod alluditur Psal. 43. v. 25. *Humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.* Locum illum consule. De Iudæis suppiicibus Petronio, Syriæ Præsidi, statuam Caii Caligulæ collocare volenti in templo, sic refert Philo in legatione ad Caium. Ubi ait: Petronius in loco superiore conspectus est. Universi ordines, vel ut ad unum edictum, humi procumbunt supplices cum ululatu quodam flebili. Iussique surgere, et accedere propius, vix tandem surrexerunt, et conspersi multo pulvere, diffluentesque lacrymis, accedebant reductis in tergum more damnatorum ambabus manibus: ita Philo. Quarto, etiamnum mos est Sinarum et Iaponum, et multorum in Asia populorum, ut reges suos salutaturi ac venera-

45. *Adorabant in terram se incurvando.*

turi, fronte humum ferient. Quinto, Tartari Præcopitæ Chamum suum seu regem salutant in terram se toto corpore abiicientes, quod etiam a paucis annis fecerunt legati adeuntes regem Poloniæ Sigismundum. Sexto, Moschi id præstant suo magno Duci, seu Imperatori; se enim Cæsarem vult appellari, et imperium habet amplissimum octingentarum scilicet leucarum longitudinis, et septingentarum latitudinis. De illis sic dicitur in annuis litteris Societatis Iesu anni 1582 in narratione missionis Moscoviticæ. Ubi, ait, in magni Ducis conspectum venerunt, Senatorum primarius surgens usitato genti in recipiendis Legatis more, clara voce inquit: Maxime princeps, Antonius Possevinus comitesque humum tibi fronte feriunt: sic enim loquuntur Moschi, cum summam reverentiam summissionemque significare volunt: idque factitare se paratos profitentur, dum ad singula fere Dominum suum alloquentes adiiciunt, *fronte humum ferio*. Septimo, inter Romanos Imperatores nonnulli exegerunt, ut salutantes sibi pedes oscularentur. Hoc sibi arrogasse Caium Caligulam docet Seneca lib. 2. de benefic. Ottonem Svetonius, Maximinum Capitolinus, Diocletianum Eutropius. Martialis ait, supplices linxisse pulverem pedum Domitiani attritis miserabiles labellis.

Id longe magis faciebant diis suis, se ante idola in templis abiicientes proni. De matronis Romanis lib. 3. decad. 1. Stratæ, inquit, passim matres crinibus templa verrentes, veniam irarum cælestium, finemque pesti exposcunt. Et Silius lib. 3. de viris dicit: Nunc propexis pectora barbis verrere humum. Atque Claudianus de laudibus Senecæ: Votisque vocas, et supplice crine verris humum.

De Magis Christum adorantibus habetur Matthæi 2. v. 11. *Procidentes adoraverunt eum.* Arabs vertit, prociderunt eum adorando. De Sione, id est Ecclesia, hoc est, Ecclesiæ Prælatis, ac præsertim supremo Pontifice prædicit Isaias cap. 49. vers. 23. *Erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ; vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Et quidem ipsi reges et Imperatores osculantur pedem Pontificis, quod Venetiis ipse Fridericus I. Imperator antea hostis Ecclesiæ præstitit, chlamyde posita ante fores ædium S. Marci. Isaias etiam ait cap. 60. 13. *Venient ad te curvi*, id est, humiles, *et venerabundi*, ait S. Prosper, *filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi; et vocabunt te civitatem Domini, Sion sancti Israel.* Vide S. Prosperum de prædict. et promission. pag. 3. cap. 38. et quæ dixi Psal. 44. 17. in illud: *Constitues eos principes super omnem terram.*

46. Symbol. Symbol. inimici Christi, id est Iudæi terram lingunt, id est terrena sapiunt: ita Cassiodorus. 2. S. Gregor. 20. Mor. cap. 15. vel 12. terram lingunt, qui semper ad avaritiam blandimentis utuntur linguæ; 3. S. August. hic de adulatoribus exponit, qui hominibus carnalibus blandiuntur, velut approbantes eorum facta.

47. Insulæ variæ orbis. Quæres tertio, quinam sint reges Tharsis, et quæ insulæ? Nota, ubi Noster habet, *Reges Tharsis et insulæ munera offerent*, Pagnin. Felix et Campens. habent, *et insularum*, sed male. Nam Septuag. vertunt, νῆσοι, in primo casu, id est insulæ, ut etiam vertit S. Hieron. et Flamin. Chald. reddit, insulæ maris magni Oceani. Ptolemæus ait, in mari Indico esse insulas mille octingentas, Cycladas et Sporadas plurimas in Ægæo, triginta fortunatas in Oceano Atlantico, viginti Orcadas seu Albiones in Britannico. Omnes hæ, aliæque pene omnes, Christo servierunt, aut etiamnum serviunt. Hæretici aut schismatici nonnunquam vicinas sibi insulas occuparunt. Ecclesia vero Dei protensa est in omnem mundi oram, et abiunctissimas a se invicem insulas occupat. Primo, in Oriente Iaponiam, in qua variæ sunt insulæ, et plusquam sexaginta regna: inde legati regio clari generi, diversa ad Gregorium XIII. Pontificem munera detulerunt, quæ nunc in supellectili pontificia asservantur. Philippinas, Moluccas, Iavam maiorem et minorem, aliasque in Archipelago Indico, quæ ab Insulis novæ Galiaciæ ac mari Ver-

A mæo adiacentibus ita distant, ut quando his est meridies, in illis sit nox media, et contra. Secundo, a meridie Christo subsunt Insula S. Thomæ, Socotora, Mozambicum, insulæ prope fretum Magellanicum; insula S. Laurentii, promontorium bonæ spei, aut quæ dicitur Tristani Cunei et Gonzali Alvaresii, aliæque. Tertio, ab Occidente sunt insulæ Baleares, Canariæ seu fortunatæ, Insulæ promontorii viridis, et aliæ plurimæ prope Americam, quæ veram fidem profitentur. Quarto denique, Angliam, Scotiam, Hyberniam, cæterasque insulas vera fides olim occupavit: sed inimicus homo superseminavit zizania: multi tamen ardentissimi in illo gelu latent Christiani, hæresis Septemtrionem vastantis malitia neglecta.

Nota secundo, insulæ apud Hebræos, et in ipsa Scriptura dicuntur, non tantum terræ quæ undique aquis clauduntur, sed etiam provinciæ omnes trans mare sitæ, licet sint continentes, ad quas ex Iudæa eundum erat navibus, ut Græcia, Italia, Gallia, Hispania, et aliæ. Sic insulas sumo in psalmo nostro, sicut Isaiæ 50. 5. *Prope* B *est iustus meus, egressus est Salvator meus, et brachia mea populos iudicabunt: me insulæ expectabunt:* id est gentes remotæ. Quid sit Tharsis, dixi satis fuse Ps. 47. 7. — Sensus huius loci.

Quæres quarto, quos reges Arabum et Saba intelligit David, et quæ munera attulerint? Resp. primo, per eos reges synecdochice intelligi omnes reges Orientales, qui fidem Christi susceperunt, et seipsos illi, suos populos et varia dona obtulerunt. Unde postea concludit, *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.* Itaque non loquitur tantum Propheta de adventu Magorum ad Christum. — 48. An reges fuerint Magi illi, qui adoraverunt Christum.

Secundo tamen, speciatim arbitror intelligi Magos qui ad Christum recens natum venerunt, sed in iis cæteros etiam involvi. Ubi adverte primo quæri, an illi Magi fuerint reges? Id negat Calvinus, quia Matthæus eos non reges, sed Magos appellat. Communis tamen Ecclesiæ sensus est, fuisse reges, et in Epiphania illis applicat versum nostrum: *Reges Tharsis et insulæ, munera offerent,* C *reges Arabum et Saba dona adducent.* Prophetæ quoque, eorum adventum prænunciantes vocant reges, Isa. c. 60. Sibyllæ et sancti Patres in ea opinione sunt. S. Cyprian. serm. de baptismo, S. Hieron. in psalmos, S. Aug. lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ. S. Maximus sermon. 1. Regiis, ait, muneribus Christus honoratur. Et par erat ratio, ut Rex regum in primo suo adventu a regibus susciperetur et adoraretur. Tres fuisse docet S. August. S. Leo, et alii. L. Dexter in Chronico anno 70. dicit, nomina eorum fuisse Gaspar, Balthasar, et Melchior. Beda idem tradit. Nihil est in ea re certi. Matthæus porro, vocat illos Magos, non reges; tum quia coram Deo nullus rex vocari debet, tum quia fuit Magorum, non regum ex stella coniicere ortum veri regis Messiæ. Adde, quod in Perside, et apud varios Orientis populos, sæpe reges fuerunt, et vocati sunt Magi. Hanc vocem quidam volunt esse hebraicam, et significare meditantes, aut speculantes: nam a Rad. הגה *haga*, meditari, fit מהגים *maghim*, id est meditantes, sapienter et profunde contemplantes. Hinc D Syri, Chaldæi, Persæ, Arabes, aliique populi Orientales, quorum linguæ ab Hebræa oriuntur, aut illi sunt affines, sapientes suos et astrologos vocant magos, et illam vocem Matth. 2. habet textus Chaldaicus, Syr. Arab. Persicus, Ægypt. Græcus et Latinus. Perperam itaque Origenes dixit, hos Magos fuisse incantatores et maleficos. Beda recte ait: Magi non propter magicam artem sic nominantur, sed propter aliquam Philosophiam. Innocentius tertius serm. de Epiph. Magi, ait, non fuerunt arioli, sed Philosophi, qui a magnitudine scientiæ sic sunt vocati: quia, quos Græci Philosophos, Persæ Magos vocant. Diogenes lib. 1. cap. 1. *Philosophiam*, inquit, *a barbaris initia sumpsisse plerique autumant. Nam Persis magos Babyloniis et Assyriis Chaldæos, Indis Gymnosophistas, Celtis seu Gallis Druidas, et qui Semnochei appellantur, eius rei fuisse auctores ait Aristoteles in Magico, et Sotion, etc.* In eodem loco, de victu et indumento Magorum scribens

dicit: *Magis vestis candida, lectus humus, esca olus, caseus, panisque cibarius est. Magicæ illos divinationis, ignaros Aristoteles ait, in libro quem inscripsit Magicum, et Dinon in quinto libro Historiarum:* ita Laertius. Eubulus refert, apud Persas tria fuisse genera Magorum; quorum primos qui sunt doctissimi et eloquentissimi, excepta farina et olere nihil amplius in cibo sumere. Chalcidius Platonicus suis in Timæum commentariis: *Est*, inquit, *alia sanctior et venerabilior historia, quæ perhibet ortu stellæ cuiusdam, non morbos mortesque denuntiatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conversationis rerumque mortalium gratiam, Chaldæorum profecto sapientes viri et consideratione rerum cælestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei; repertaque illa maiestate puerili, venerati esse, et vota Deo tanto convenientia nuncupasse.* Tropol. qui vult venire ad Iesum, sit sapiens, orietur illi stella, et videbit eum, in quem desiderant angeli prospicere. Sis etiam rex, id est dominator tuarum passionum, si Christum regem habere desideras. De eo dicitur Matth. 2. *Ubi est qui natus est Rex:* eum, ut ait Richardus a S. Laurentio lib. 4. de Laudibus Virginis, mater sua peperit regem coronatum. Tu egredere cum filiabus Sion, id est contemplativis: et vide regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Historia Tripartita insinuat hos tres reges fuisse etiam sacerdotes; id erat frequens, ut iidem essent sacerdotes et reges. L. Apuleius dicit, inter Persas vocari solitos Magos, eos qui essent sacerdotes. Tu teipsum Deo Christo sacrifica, erit hæc victima gratissima super adipem medullatorum pinguium.

49. *Magi cuius fuerint regionis?* Secundo, quæritur, cuius regionis fuerint reges, aut potius reguli et tetrarchæ seu toparchæ? Nota, Matth. 2. 1. dicitur, *Ecce Magi ab Oriente venerunt.* Hinc varii varias regiones orientales assignant. Primo, S. Hieron. censet hos reges venisse de extremo Orientis, sive de principio *An Indiæ.* Indiæ, adiutos dromedariis, quæ sunt animalia velocissima, atque uno die conficiunt iter, quod equus maximæ pernicitatis tribus diebus valet perficere. S. Leo serm. 3. in Epiphan. appellat Magos, remotioris Orientis habitatores, et serm. 6. dicit, a remotissima Orientis parte venisse. Osorius Episcop. Algarbiorum nobilis scriptor Navarro dixit in vetustissimis Calecutii annalibus haberi regem Calecutii fuisse unum e Magis, aut certe primarium socium trium Magorum: ipse Osorius lib. 1. de Gestis rebus Emmanuelis regis Lusitaniæ, tradit, ex Indorum traditione, regem Cranganoris quæ non longe distat a Calecutio, fuisse unum e Magis; hunc enim duobus Magis e Perside et Carmania, stella duce, ad Christum properantibus, tertium se socium adiunxisse: ideoque Cherepermale, id est unum e tribus nominatum. Addit, eumdem fuisse colore subnigro, et quasi Æthiopem. Ioan. Petr. Maffæus lib. 2. Histor. Indicæ, illum nominat Pirimal. ac dicit Culani regem fuisse, ac Sibyllæ Indicæ admonitu, stella duce ad Christum venisse: hæc illi. Sed iudo non potuisset tantum iter confici 13. diebus: deinde illi non fuissent ex Madian et Epha, ut fore prædixit Isaias, sicut dicetur infra. Secundo, S. Basilius hom. de humana Christi generatione, Iuvencus lib. 2. historiæ Evangelicæ, et alii, dicunt Magos venisse ex Perside: quia apud Persas magna erat Magorum auctoritas. Sed nimis distat Persis a Iudæa: nempe trecentis leucis, quod iter vix confici potest tredecim diebus. Neque dicas, stellam prius apparuisse, quam Christus nasceretur: nam non fuisset index nativitatis ipsius, et angeli non apparuerunt pastoribus ante Nativitatem. Rursus non est verum, quod ait S. Epiphanius hær. 51. eos venisse post duos annos ab ortu Christi: nam repugnat hoc virtuti et fervori Magorum: cur enim tamdiu tardassent? Tertio, S. Chrysolog. S. Maxim. serm. de Epiphan. Theodotus Ancyranus in orat. de Nativitate Christi, Chalcidius Platonicus in Timæum Platonis, Abulens. num. 24. Barrad. tom. lib. 9. cap. 8. censent, reges illos fuisse Chaldæos, seu ex Mesopotamia. Babylon enim Chaldæorum metropolis, erat in Mesopotamia. Ratio eorum est, quia Balaam, qui stellam illam prædixerat, erat Mesopotamius, ut patet num. 23. et clarius Deuter. 23. posteri autem eius videntur fuisse hi reges, et in eadem provincia habitasse.

Quarto tamen probabilissime, hi reges seu reguli fuerunt Arabes. Hoc enim aperte dicit noster David, *Reges* 50. *An potius Arabiæ.* *Arabum et Saba dona adducent.* Ubi adverte τὸ *et* esse exegeticum, et sumi pro *id est*, q. d. Reges Arabum, id est reges Saba, dona adducunt. Excludit itaque Arabiam desertam, sic dictam, quod in ea sint multa deserta, et vix habitetur: item Arabiam Petræam, vocatam a Petra urbe primaria in rupibus sita: et Arabes illos dicit ortos ex Arabia Sabæa, id est Felice. Plinius lib. 6. cap. 28. Sabæi, ait, Arabum propter thura clarissimi. S. Hieron. in quæst. Hebr. super cap. 10. Gen. docet, Saba esse Arabiam, atque de illa in Psal. nostro sermonem esse. Probatur hæc opinio, quia Isaias cap. 60. hunc adventum regum prædicens, ait, v. 6. *Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha: omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.* Madian fuit filius Abrahami ex Cetura uxore, quam aliqui putant eamdem esse cum Agar, sed malim esse diversam. Epha est filius ipsius Madian, et consequenter nepos Abrahami, ab iis autem dictæ sunt illæ regiones Arabiæ. Thus, myrrha, et aurum in Arabia Felice abundant. Plinius lib. 12. cap. 14. regionem Saba thuriferam vocat; at ait, solam fere Arabiam esse feracem thuris. Aurum in ea abundasse, et quidem purissimum, patet ex Diodoro lib. 2. Bibliothecæ: *Effoditur, ait, in Arabia aurum, quod* ἄπυρον, *id est ignis expers, nominatur. Non enim ex ramentis per ignem excoquitur, ut alibi: sed inter eruendum statim purum putum invenitur: par nucibus castaneis magnitudine, et colore tam flammeo, ut si pretiosissimi lapilli artificum opera includantur, ornamenta pulcherrima efficiat.* De myrrha denique audi Plinium lib. 12. cap. 15. *Multis in locis Arabiæ myrrha gignitur. Convehitur, et ex insulis laudata, petuntque eam etiam ad Troglodytas Sabæi transitu maris.* Sancti Patres plerique sunt in ea opinione. S. Iustin. martyr. dialog. cum Tryphone, S. Cyprianus sermon. de stella et Magis, Tertull. lib. 3. in Marcion. cap. 13. et alii.

Nota, in Hebr. textu est, *reges* שְׁבָא *sceba, et* סְבָא *seba* 51. *Saba duplex.* seu Saba, *dona adducent?* Ubi advertis primum Seba seu Sceba scribi per scin, secundum vero Seba scribi per samech. S. Hieron. vertit, et Felix, *reges Arabiæ et Saba.* Pagnin. *reges Seba Arabicæ et Seba Æthiopicæ munus offerent.* Saba per שׁ *scin*, vocatur a Saba filio Regma filii Chus: Æthiopia vero appellatur Saba, a Saba filio eiusdem Chus, quam Æthiopiam putat Cornelius in Isaiam, esse Abyssinam, ubi regnat Pretoioannes; ego Arabicam Æthiopiam malim accipere, ex qua fuerit unus e tribus Magis, qui etiam facie nigra pingitur. Beda in collectaneis dicit: *Primus dicitur fuisse Melchior senex et canus, barba prolixa et capillis, aurum obtulit regi Domino. Secundus nomine Gaspar, iuvenis imberbis, rubicundus, thure quasi Deo oblatione digna, Deum honorabat. Tertius fuscus integre barbatus, Balthasar nomine, per myrrham Filium hominis moriturum professus est.*

Quod si totum hunc locum placet magis adaptare, Primo, dic Æthiopes coram Christo procidere, quia unus magus fuit Æthiops eo sensu quo dixi. Reges Tharsis et insulæ munera offerre, quia unus e Magis erat rex Cranganoris aut Calecutii, ad quæ itur per mare. Reges Arabum et Saba dona afferre, quia unus erat ex Arabia Felice. Sed quid sentiam, contrarium huic opinioni dixi supra.

Nota secundo, Orientales non solebant adire regem 52. *Reges non adeuntur sine munere.* vel principem sine munere. Sic Iacob filiis suis ituris ad Iosephum principem Ægypti imperat ut deferant viro munera de optimis terræ fructibus. Hebr. de cantatione terræ: id est, res laudabiles atque pretiosas. Sic 3. Reg. 10. Regina Saba venit ad Salomonem, audita fama eius, fortassa existimans eum esse Messiam, quem prædixerat Balaam, ex Abrahamo quidam illam duxisse originem pu-

tant. Ingressa est autem Ierusalem, multo cum comitatu, et divitiis, camelis portautibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas. Seneca epist. 17. Reges Parthos, inquit, non potest quisquam salutare sine munere: idem erat de Persis, ut patet in eo, qui cum nihil aliud haberet quod offerret, aquam manu haustam obtulit, quod donum regi eius placuit ob affectum, sicut Christo duo minuta viduæ: Artaxerxes dantem sibi malum punicum insolitæ magnitudinis, honoravit regiis muneribus. Hinc David dicit, *Reges Arabum dona adducent.*

53. Nomina Magorum. Arbitratur Beda in Collectaneis, primum e Magis Melchiorem Christo obtulisse aurum: secundum, nempe Gasparem, dedisse thus: tertium, nomine Balthasarem, dedisse myrrham. Probabilius est, a singulis terna munera fuisse donata, ut singuli testarentur se credere illum esse Deum, regem, et hominem. S. Leo serm. de Epiphania: Thus Deo, inquit, myrrham homini, aurum offerunt regi, scienter divinam humanamque naturam in unitate venerantes: quod cordibus credunt, muneribus protestantur. S. Chrysol. serm. 158. *Aurum regi, thus Deo, morituro myrrham, dominicæ devotioni offerunt, scientiæ thesauros maximos in posterum credituris.* Iuvencus presbyter et poeta, qui floruit circa ann. Christi 330. et Constantino imperante scripsit libros quatuor carminum, quibus Evangelicam historiam complexus est, sic cecinit:

Thus, aurum, myrrham, regique hominique Deoque
Dona ferunt.

54. Æthiopes, id est, peccatores coram Deo procidunt. Tropolog. coram Christo procidunt Æthiopes, id est, nigri et obstinati peccatores; et qui prius erant inimici per superbiam, terram lingent per sui notitiam atque contemplationem. 2. Reges Tharsis, quod significat contemplationem gaudii; hoc est qui sunt in via illuminativa aut unitiva, et gaudia æterna contemplantur, dona offerunt. 3. Insulæ, id est, qui se a mundo separaverunt, et deliciis cælestibus atque gratiis lavantur et fœcundantur, etiam sua dant munera. 4. Reges Arabum, id est, eremitæ, qui in deserto versantur (Arabia enim desertum sonat. Vel si Arabiam Felicem accipis, Arabia etiam significat suavitatem) sua dona afferunt, non mittunt per alios, et in ipso deserto cælestes cum angelis suavitates gustant. Sed hoc loco non est vox Hebr. *arab*, quæ desertum et suavitatem significat, sed שְׁבָא *sceba*, quæ significat conversionem, si a *sciub* deducitur: aut sessionem, si a *iasciab*, sedere. Sic reges Arabum erunt qui conversi ad Deum a vita mala, in eo sedent et quiescunt. 5. Reges Saba, quæ significat ebrium, sunt ii qui instar Apostolorum musto pleni sunt, et mente excedunt Deo, quibus aperta cella vinaria dicit, inebriamini charissimi, velut extra se positi nihil in mundo curantes; sed Deo impleti semper exultant, etiam in summis miseriis et tormentis. Ugo Cardinalis aliter explicat reges Tharsis, inquit, quod interpretatur explorans gaudium, vel dissipans speculum, significat contemplativos, qui explorant gaudia æterna. Gen. 32. v. 30. *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* 2. Insulæ sunt activi, qui fluctibus et unda tunduntur, nec tamen moventur. Eccle. 10. 4. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* 3. Arabes interpretantur humiles vel occidentales, vel insidiatores, vel callidos, et significat incipientes, qui humiliter respiciunt ad occasum suum, et insidiari incipiunt cælo. 4. Saba interpretatur captiva, vel conversio, et significat pœnitentes. Isti omnes munera Deo offerunt, et dona adducunt. Primo, contemplativi munus devotionis. Secundo, activi, munus alienæ salutis, quantum ad prædicatores: vel munus eleemosynarum, quantum ad alios. Tertio, incipientes, offerunt seipsos. Quarto, pœnitentes, mactant vitia. Hæc Ugo, qui aliis etiam modis exponit.

55. Reges debent adorare Christum. Ne quid omittat David, subiungit v. 11. ET ADORABUNT EUM OMNES REGES TERRÆ, OMNES GENTES SERVIENT EI. Primo, reges Christo servire debent, cum sit princeps regum terræ, Apoc. 1. v. 5. *Rex regum, et Dominus dominantium*, ibid. cap. 19. v. 16. idque habet scriptum in vestimento et femore, id est, in vestimento femoris, vel in femore vestito, hoc est, in sua humanitate: femur enim est causa et symbolum generationis. Pannonius in eum Apoc. locum: Vestimentum, ait, aforis est, femur a natura: et Christus humanitatem aforis ex tempore habet: divinitatem autem a natura, a qua ab æterno est Deus: et neutrum horum sine dignitatis honore habet: quia ab utroque est rex: hæc ille. Reges et principes adorantes Christum sunt sol, luna et stellæ adorantes Iosephum, Gen. 37. 9. Persæ eum, penes quem summa esset imperii potestas, sole figurabant; quia solem aut unicum aut supremum deum putabant; 2. luna fuit nobilitatis insigne apud Romanos et Arcades: nam Plutarchus ait, Romanis nobilibus gestandi Lunulas morem fuisse: in calceis scilicet: unde Martialis calceum vocat lunatam pellem. Arcades calceos suos nectebant fibula in speciem lunæ cornutæ figurata; 3. denique, stellæ sunt celebritatis symbolum: unde dicit Deus Abrahamo, stellis fore similes eius posteros, Genes. 15. 5. mortuo Iulio Cæsare apparuit crinita stella ingentis magnitudinis, in quam migrasse animam eius fabulabantur ob facta illustria. Horatius dicit, Iulium sidus micare, velut inter ignes luna minores. Reges Christo subiecti apertius figurati sunt in regibus Salomoni subditis, et dona seu tributa offerentibus. 3. Reg. 10. v. 23. et seqq. *Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terræ, divitiis, et sapientia. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea et aurea, vestes et arma bellica, aromata quoque, et equos, et mulos, per annos singulos.* Idem expressius adhuc dicitur 2. Paralip. 9. vers. 23. et seqq. ubi additur, eum exercuisse potestatem super cunctos reges, a flumine Euphrate usque ad terram Philisthinorum, et usque ad terminos Ægypti. De Christo ait Sibylla: Et coram hoc Domino reges sistentur ad unum.

Secundo, gentes omnes serviunt Christo: quia, ut supra dictum est, *Dominatur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Psal. 101. 23. ait David: *Conventuros populos in unum, et reges ut serviant Domino:* Christo scilicet, ut explicat Apollinaris. Sophonias Propheta de tempore Christi agens, ut S. Hier. et alii exponunt, ait cap. 3. 9. *Tunc reddam populis labium electum;* Arab. linguam electam; Symmachus, labium mundum; Chald. clarum, *ut invocent omnes in nomine Domini*, hoc est nomen Domini, seu Dominum, *et serviant ei humero uno*, id est unanimi consensu et voluntate, baiulorum instar onus legis sibi impositæ portantes. Est metaphora a baiulis. Sept. et Syr. iugo uno. Est metaphora a bobus et iumentis idem iugum trahentibus, eique colla sua innectentibus. Figuratum est id alia similitudine manipulorum undecim, se Iosephi manipulo inclinantium, eumque adorantium, Gen. 37. 7. Ubi Rupertus ait, Iosephi manipulum esse Christum, quem omnes legis et Prophetarum lectiones, omnes Sancti et angeli circumstant et adorant. Isaias vaticinatur cap. 60. 12. agens de Christi Ecclesia, cuius est rex et caput: *Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit; et gentes solitudine vastabuntur:* id probat multis exemplis Cornelius. Ac v. 14. addit, *Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi.* De regibus Congi iam dixi supra; adde Alvarum 14. Congensem regem parta illustri de fratre regnum eripere moliente, victoria, templum ædificari curasse in loco ipso victoriæ: nec dedignatum esse regiis humeris ferre lapides, quod etiam regina, et principes viri ac fœminæ fecerunt eius imitatione, ut refert Petr. du Iarric. tom. 2. lib. 3. Hist. Indiar. Orientalium. Quartam orbis partem esse Catholicorum, sextam Mahometanorum; reliquam eorum, qui vel hæretici sint, vel alterius superstitionis, dicit Thomas Bozius lib. 20. de Signis Eccl. cap. 1. Sed hoc non sine difficultate probabit.

56. Gentes omnes Christo serviunt.

Catholici multi sunt in orbe.

ARTICULUS III.

Christus passione sua et morte nos redemit a fœneratore diabolo, qui usuris, id est peccatis, omnes captivaverat.

REGES omnes ac gentes fore Christo supplices dixerat
57. articulo præced. nunc rationem addit, nempe: redem-
Vers. 12. ptionem hominum, v. 12. QUIA LIBERABIT (S. Hier. *eruet*, quæ vox notat et ferociam atque aviditatem detinentis; 2. potentiam liberatoris, qui etiam ab invito prædam eripit) PAUPEREM A POTENTE (Caietan. *mendicum a divite*: velut scilicet ovem a lupo. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 14. a dynasta mendicum) ET PAUPEREM CUI NON ERAT ADIUTOR.

Neque timeat pauper, licet ipsum offenderit: subditur
Vers. 13. enim v. 13. PARCET PAUPERI ET INOPI (Tertull. mox citatus, *mendico et pauperi*) ET ANIMAS PAUPERUM SALVAS FACIET.

Unde salvas pauperum animas sit facturus declarat v.
Vers. 14. 14. EX USURIS ET INIQUITATE REDIMET (Psalt. Gallicanum, liberabit) ANIMAS EORUM: ET HONORABILE NOMEN EORUM (S. Hieron. *Pretiosus erit sanguis eorum*: ita etiam Pagnin. et Felix) CORAM ILLO.

58. Tributa causant seditiones. Nota, hæc non possunt commode dici de Salomone, quia tantis tributis suum populum vexavit, ut septingentas reginas, et trecentas concubinas aleret; lisque idololatris templa erigeret, ac luxui et voluptatibus indulgeret, ut eo mortuo accesserint ad eius filium Roboamum principes decem tribuum ab iis delegati, et a Ieroboamo ducti, ac dixerint, 3. Reg. 12. 4. *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis.* Quod cum Roboam noluisset tollere, rebellarunt, et ab eo tempore nunquam uniti sunt cum regno Iuda; et quod deterius est, nunquam ab idolorum præsertim vitulorum aureorum cultu, destiterunt, donec in captivitatem a Phul, Teglathphalasar et Salmanasar abducerentur, nunquam ab ea revocandi. Nam sola tribus Iuda a Cyro remissa est, cui tamen aliqui ex cæteris tribubus se adiunxerunt. Tantum malum attulit Salomonis in populum severitas, cuius mala nunc vident Sinæ traditi in prædam Tartaris occasione tributi nimis gravis cuidam regione impositi: nec leves motus eamdem ob causam in Europa nostra nunc videmus.

59. Christus liberat pauperem a potente. Soli Christo hæc proprie competunt. Primo, quia liberat pauperem a potente, id est humanum genus bonis gratiæ spoliatum, et in naturæ donis non mediocriter depauperatum, a diabolo, qui est ille fortis armatus, qui custodit atrium suum: est Leo rugiens et circumiens, ut inveniat quem devoret; est ille Leviathan qui reputabit quasi paleas ferrum: et quasi lignum putridum æs. S. Gregor. Nazianz. orat. 10. πτωχοι, ait, απαντες, pauperes sumus omnes. Et orat. 38. pag. 620. ait, eum factum esse pauperem, ut ditesceremus. Carnis meæ, inquit, paupertatem subit, ut ego, εκεινου μεταλαβω πλουσιοτητος, plenitudinis ipsius ac divitiarum particeps efficiar: ita ipse. S. Paulus id clare dicit, 2. Cor. 8. 9. nam, ut ait Ephes. 2. 4. *Deus dives est in misericordia.*

Secundo, Christus liberat pauperem, *cui non erat adiutor*. Nam neque homo, neque angelus poterat condigne satisfacere iustitiæ divinæ læsæ, quæ est infinita: sed requirebatur persona infinitæ dignitatis, quæ infinitatem moralem refunderet in actus humanos et meritorios, ut sic oblatum pretium esset æquale offensæ ac debito pœnæ æternæ. Deinde liberavit pauperem cui non erat adiutor: quia nullus homo potest resistere diabolo, nisi gratia Christi adiuvetur. Iob 41. dicitur de Leviathan, id est balæna figurante diabolum, v. 19. *Non fugabit eum vir sagittarius: in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Quasi stipulam æstimabit malleum: et deridebit vibrantem hastam. Sub ipso erunt radii solis, et sternet sibi aurum, quasi lutum.* Ac tandem concluditur v. 24. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei qui factus est ut nullum timeret.* Solus vero Christus nos perfecte liberare potest. Ioan. 8. 36. *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Lege S. Ambrosium serm. 12. in Ps. 118. Solus enim Christus est omnibus omnia, et instar omnium. Beda hom. tom. 7. hom. de Nativit. Deiparæ, pag. 132. *Liber*, inquit, *generationis Iesu Christi filii David*, etc. Sciendum est, quia horum omnium nomina allegorici et moralis sensus plene in se contineant intellectus. Abraham pater multarum gentium: Isaac, gaudium: Iacob, supplantator: Iudas, confessio interpretatur: Phares, divisio: Zara, oriens: Esron, sagittam videns: Thamar, palma dicitur: Aram, electus: Aminadab, populus spontaneus: Naasson, augur fortis: Salmon, sensibilis accipitur: Booz, in ipso fortitudo: Raab, lata: Obed, serviens: Ruth, festinans, subauditur: Iesse, incendium: David, manus fortis vel desiderabilis: Salomon, pacificus: Urias, lux mea Deus: Bethsabee, filia iuramenti intelligitur: Roboam, latitudo populi: Abia, pater Dominus: Asa, tollens: Iosaphat, Dominus iudicavit, exprimitur: Ioram, excelsus: Ozias, robustus Domini dicitur: Ioathan, perfectus: Achaz, apprehendens dicitur: Ezechias, fortitudo Domini: Manasses, obliviosus: Amon, fidelis: Iosias, salus Domini interpretatur: Iechonias, præparatio Domini: Salathiel, petitio mea Deus: Zorobabel, ipse magister: Abiud, pater meus iste interpretatur: Eliachim, Dei resurrectio: Azor, adiutus: Sadoch, iustus: Ioachim, frater meus subintelligitur: Eliud, Deus meus: Eleazar, Deus adiutor: Mathan, donum: Iacob, supplantator exprimitur: Ioseph, appositus, sive auctus: Maria, illuminatrix, sive stella maris: Iesus, Salvator, sive salutaris: Christus, unctus interpretatur: Ita Beda. Hæc deinde singula Christo adaptat, his verbis: *Igitur per hos Patriarchas Christus Dominus noster veniens in mundum, horum omnium in seipso allegorice gessit officium; et in eorum interpretatione nominum nostram salutem designavit. In Abraham, pater est omnium credentium, in quo, iuxta Apostolum, omnes clamamus, Abba pater. In Isaac, gaudium est omnium fidelium, de quo angelus dixit: Ecce annuntio vobis gaudium, quod erit omni populo. In Iacob, supplantator est, quia ipse subnervavit, et contrivit diabolum, vastatorem humani generis, et vasa eius diripuit. In Iuda, confessio, quia ipse dixit: Confiteor tibi Pater cæli et terræ. In Phares, divisio: quia segregat oves ab hædis, id est bonos a malis, electos a reprobis. In Zara, oriens est, sicut scriptum est: Visitavit nos Oriens ex alto. In Thamar, palmæ victoriæ, sicut ipse dixit: Confidite, quia ego vici mundum. In Aram, electus, de quo pater loquitur: Ecce puer meus, quem elegi*, etc. ita ipse. Qui itaque adiutorem habet Christum, speret liberationem, etiamsi non sit ei alius adiutor.

Nota secundo, Christus veniens pepercit humano gene- 60.
ri, remittens pœnas debitas ob peccata: unde post Incar- Clades
nationem non est afflictus orbis tantis cladibus, quantis ante Incarnationem.
ante ipsam. Nam primo ab aquis passi sunt homines ge-
nerale diluvium anno mundi 1656. Diluvium sub Ogyge I.
Thebanorum rege, qui Thebas Bœotiæ ædificavit, circiter Ab aqua.
mille et quingentos annos ante urbem Romam conditam. Sub hoc rege fuit diluvium magnum, ut ait S. August. libris de civitate Dei, non illud quidem maximum, quod Noe temporibus sacræ litteræ contigisse testantur: sed tamen maius eo, quod Deucalionis sæculo bonam terræ partem inundavit. Deucalion porro fuit rex Thessaliæ, qui in eo diluvio servatus est in Parnasso monte.

Secundo, ante Christi ortum varii et gravissimi fuerunt II.
terræ motus, qui totas provincias perdidere. Illis terræ A terra
motibus et maris impetu abruptæ a se invicem terræ. Plin. et aqua.
lib. 2. cap. 88. *Mare*, inquit, *avellit Siciliam Italiæ. Cyprum Syriæ, Eubœam Bœotiæ, Eubœæ Atalantem et Macrin, Besbycum Bithyniæ; Leucosiam, Sirenum promontorio.* Et cap. 90. videmus hodie mersam Acarnaniam Ambracio sinu, Achaiam Corinthio, Europam Asiamque Propontide et Ponto. Ad hoc perrupit mare Leucada, Antirrhium, Hellespontum, Bosphoros duos: ita Plinius. Plato autem dicit, Atlantidem insulam Hispaniæ coniunctam, Asia et Europa maiorem, mari absorptam esse: sicque

tempestate sua dicit mare illud non fuisse navigationibus pervium, ob limum et vada, quod necdum tellus satis subsedisset. Per Atlantidem illam insulam arbitror eum intelligere Americam, quæ fortasse olim iuncta erat Hispaniæ.

III. Ab aere. Tertio, aere pestifero angelus Gabriel aut Michael una nocte occidit in castris Sennacherib regis Assyriorum 185. millia hominum anno mundi 3324. ante Christum 729. regis Erectriæ 16. ut habetur Isai. 37. v. 36. Herodotus lib. 2. fabulatur, in castris eius tot mures in eius exercitum fuisse immissos a diis Ægyptiorum et Æthiopum, ut eorum arcus et reliqua arma corroderent, ideoque eum in patriam recessisse. In aere etiam, atque ab aere et ventis, multa contigere Ægyptiis, cum Moses plagis Pharaonem conterebat, ac deinde in mari rubro mergebat, Exod. 7. et seqq.

IV. Ab igni. Quarto, igni et sulphure Sodoma, Gomorrha, Adama et Seboim, ac tota Pentapolis præter Segor conflagravit, anno mundi 2138. ante Christum 1915. post diluvium 482. Thucydides lib. 2. belli Peloponnesiaci ait, Ætnam montem intra trecentos annos ter solitas clades irruptionibus suis intulisse. A Constantini vero Imperat. tempore, per annos mille trecentos, incendia tantum quinquies vomuit, et quidem S. Agathæ velo reprimitur a Catanensibus, ut docet Thomas Fazellus in histor. Siciliæ. Lipara Æoliarum insularum maxima, quæ olim ob fumi erumpentis nigredinem Melingunis dicebatur a Græcis, dudum ardere desiit, et ferax est, ac fructuum suavitate celebris: balnea habet ad valetudinem laudatissima, mare cuiusvis generis piscibus abundat.

V. Ab animalibus. Quinto, ante Christi ortum clades ex animalibus, etiam minimis, fuerunt maximæ, ut patuit in Ægypto vastata per ranas, culices, sciniphes et muscas omnis generis, Exod. 8. et seq. Varias urbes et regiones a cuniculis, talpis, locustis, aliisque gravia damna passas memorat Plin. libr. 8. cap. 29. *Marcus Varro auctor est*, inquit, *a cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia, a ranis civitatem in Gallia pulsam, a locustis in Africa, ex Gyaro Cycladum insula incolas a muribus fugatos, in Italia Amyclas a serpentibus deletas. Citra Cynamolgos Æthiopas late deserta regio est, a scorpionibus et solpugis gente deleta, et a scolopendris abactos Otrerietes auctor est Theophrastus.* Solpuga genus est venenatæ formicæ, quod etiam a fugiendo sole appellatur solifuga. Scolopendra est animal e vermibus terræ, pilosum et mille pedibus: unde nominatur multipeda, centipeda, millepeda, *une chenille.* Nunc inter Christianos nihil tale auditur.

VI. A serpentibus. Sexto denique, olim a serpentibus maximis variæ infestatæ sunt provinciæ: stygio dracone sibi in serpentibus illis applaudente, et de hominibus triumphante. Megastones quidem scribit, in India serpentes in tantam magnitudinem excrescere, ut solidos hauriant cervos, taurosque. Metrodorus vero ait, circa Rhyndacum amnem in Ponto tam magnos esse, ut supervolantes quamvis alte perniciterque alites haustu rapta absorbeant. Nota est in Punicis bellis ad flumen Bagradam a Regulo Imp. balistis tormentisque, ut oppidum aliquod, expugnata serpens, *centum viginti pedum longitudinis.* Pellis eius, maxillæque usque ad bellum Numantinum duravere Romæ in templo. Faciunt his fidem in Italia appellatæ Boæ, in tantam magnitudinem exeuntes, ut divo Claudio principe, *occisa in Vaticano solidus in alvo spectatus sit infans.* Aluntur primo bubuli lactis succo, unde nomen traxere: ita Plinius lib. 8. cap. 14. Vixit autem sub Claudio, nec veritati affingere eum credibile est: cum tot haberet testes, qui eum coarguere mendacii potuissent. De draconibus et similibus serpentibus in Christianorum terris nihil simile nunc videtur.

61. Christus animas præsertim curat. Nota tertio, animas præsertim salvas cupit Christus, unde dicitur: *Et animas pauperum salvas faciet.* R. Salomon vocat Deum, *animam animæ*: Stoici vero dicebant, animam hominis esse *Dei particulam*, ut refert S. Epiph. lib. 1. adversus hæreses, p. 12. Deus solis instar omnes animas illustrare cupit, est enim sol animarum; sicut sol iste visibilis, est corporum. S. Chrysost. cap. 31. Ieremiæ, in Catena Græca: *Sicut*, inquit, *sol non magnis tantum, sed et parvulis splendet: sic et iustitiæ sol, parvorum, grandium, servorum, liberorum, principum, subditorum, regum, privatorum, infantium, senum, omnium animos lumine cognitionis illustravit.* Et in epist. ad Rom. hom. 18. pag. 219. ait, Deum non esse ita admirabilem in cælo, atque est in pura conscientia: et cælo esse longe præstantiorem hominem, ac posse habere animam splendidiorem atque ornatiorem omni luce et pulchritudine cælorum: ita ipse. Negligant itaque pauperes omnem ornatum equorum, curruum, domorum, vestium, in sola anima sua a Christo purpurata, et eius sanguine decorata, gloriam suam ponant, cum Davide nostro, qui ait Psal. 29. 13. *Ut cantet tibi gloria mea*, id est anima, ait Agellius, *et non compungar*, in spinis paupertatis. Achantis vivit in spinis, unde et nomen habet, et ibi suavissime canit: vernacule vocamus, *un chardonneret.* Latini Carduelem vocant, quia spinis et carduis pascitur: talis est pauper, qui tamen cantat, quia Deo dives est. S. Gregor. Nazianz. orat. 28. pag. 481. *Pauper est?* inquit, *πλουτήσει Θεὸν, pro divitiis Deum habebit: divites irridebit, ut qui licet facultates suas quotidie augeant, semper tamen pauperes sint, quia pluribus indigent, bibuntque ut maiore siti inflammentur.* Videant principes et reges, ut pauperibus subsidio sint. Theodoricus rex Italiæ, apud Cassiodorum lib. 3. variar. Epist. 20. *Inter gloriosas*, inquit, *Reipubl. curas*, quas perpeti cogitatione, Deo auxiliante revolvimus, cordi nostro est levamen humilium, ut contra potentiam superborum nostræ pietatis erigamus obstaculum: nec liceat quidquam apud nos audaciæ, cuius est propositi superba calcare: ita ille. Hoc faciant principes imitatione et amore Christi. Hinc in hebdomada sancta Imperatores liberabant captivos, etiam ob sua scelera. S. Leo serm. 2. de Quadragesima: Romani orbis, inquit, piissimi Imperatores, sancta antiquitus observatione custodiunt, qui *in honorem Dominicæ Passionis*, altitudinem suæ potestatis inclinant, et constitutionum suarum severitate mollita, multarum culparum reos præcipiunt relaxari: ut in diebus, quibus mundus salvatur miseratione divina, etiam ipsorum supernæ bonitatis imitatrix sit æmulanda clementia. Imitentur igitur Christiani populi principes suos: hæc Leo.

Quæres, quomodo Christus ab usuris et iniquitate liberat et redemit animas pauperum? Resp. primo, vetando usuram per edicta Pontificum, regum, et sua, Luc. 6. 35. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, ab hominibus scilicet, ut addit Syrus. Ut enim ait S. Gregor. Nyssen. oratione contra usurarios: *In eo*, inquit, *qui dat mutuo sub conditione usuræ, cauponarius quæstus condemnatus est.* Mutuum, ait Nonius Marcellus, vocatur, quod sub amico affectu fiat meum tuum, usu temporis necessarium: ita ille. Dicitur autem anima redimi ab usuris, quia usura animam laqueat, ut ait S. Ambros. lib. de Tobia, cap. 14. fœnus pecuniæ, funis est animæ, ut S. Leo serm. 6. de Ieiunio septimi mensis. Hoc autem fecit Christus ad nos veniens, qui venit, sicut ait S. Chrysologus serm. 28. ut avaritiæ curaret vulnera. Quatuor ab usura retrahere debent, ait hoc loco Aiguanus. Primum, timor divinæ Maiestatis. Lev. 25. 36. *Dominum Deum tuum time: ut possit vivere frater tuus apud te; pecuniam tuam non dabis ei ad usuram.* Secundum est, amor divinæ bonitatis. Deuter. 23. 20. *Fratri tuo id quo indiget, sine usura commodabis: ut benedicat tibi Deus.* Tertium, odium dolosæ iniquitatis. Ps. 54. 12. *Non deficit de plateis eius usura et dolus.* Quartum denique, desiderium supernæ felicitatis, ad quam ascendit usuras non exercens. Ps. 14. cum petitum esset, *Quis ascendet in montem Domini*, respondet: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Vide ibi dicta.

Secundo, et facillime, ex usuris et iniquitate redimet Deus animas pauperum sibi servientium, quia efficiet, ut habeant sibi ad victum et vestitum necessaria: ita ut non cogantur pecuniam sumere ad usuram, vel acceptam pos-

sint persolvere: neque fraudibus et iniquitate occulta impiorum capiantur.

63. [Tropol. Peccatum est usura.] Tropolog. Usura est peccatum, fœnerator est diabolus. Primo, quia peccatum semel admissum, multiplicatur semper et augetur, sicut pecunia ad usuram data: unde a Græcis dicitur τόκος, q. d. partus. Statim enim ut nata est usura, fœtificat. Secundo, peccatum est usura, quia pœnam secum trahit: sed peccatum est usura peius: quia magna summa pecuniæ gignit annis singulis parvam pecuniolam, quæ crescit supra sortem: in peccato autem, pro parva voluptate acquiritur æternitas pœnæ. Ita Ruffinus, cuius verba sunt: *Diabolus pessimus fœnerator, aliis luxuriam, aliis avaritiam, aliis vero superbiam commodat: in quibus postquam peccatores exercitati fuerunt, animam pro usura diabolo reddunt. Pecunia diaboli est iniquitas, quam nos ab ipso suscipimus. Super hanc pecuniam exigit a nobis usuras, id est pœnas, quas nos suscepimus et solvimus.* S. Hieron. Usuræ, inquit, peccata sunt, cum malitia a satana accepta multiplicatur. S. Ambrosius lib. de Tobia docet, primam usuram contractam fuisse in peccato primorum parentum, quod ad nos transfusum est, et postea ingenti fœnore per totum orbem multiplicatum, ut videmus et lugemus.

Christus autem sanguinem suum pro pretio dedit, et solutis debitis nostris chirographum fregit, et nobis reddidit comburendum. Col. 2. 14. *Et ipsum chirographum,* seu syngrapham, *tulit de medio,* hoc est, abstulit, *affigens illud Cruci.* S. Chrysol. serm. 69. *Christus,* inquit, *est plenum Deitatis numisma, Christus est drachma nostræ redemptionis et pretii: Christus est, qui erat in legis decalogo, et latebat.* [Factum mirabile Adriani remittentis debita.] Adrianus Imperator ad colligendam populi gratiam, infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur remisit privatis debitoribus, eorumque syngraphas in foro Traiani combussit: erant viginti septem milliones aureorum: ita Spartianus in Adriano. Sed longe plura, et pluribus in toto orbe et omnibus sæculis debita, dimisit Christus debitoribus suis. Orandum itaque est, ut ipse docet, Matth. 6. 12. *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Arabs vertit, Dimitte nobis *peccata nostra,* sicut et nos dimittimus his, qui peccaverunt in nos. Lucas etiam cap. 11. 4. ait: *Dimitte nobis peccata nostra.*

64. [Christiani nomen est honorabile.] Quæres secundo, quale nomen pauperum est honorabile coram Christo? Primo, quod eos voluit suo nomine vocari, et esse Christianos. Hoc nomen primo datum est fidelibus Antiochiæ, cum S. Paulus, S. Barnabas ibi multos convertissent, ut patet Act. 11. 26. Baronius censet id factum anno Christi 43. qui est a morte eius decimus, quo circiter tempore S. Petrus Antiochia abiit Romam versus. Isaias id prædixit cap. 62. 2. ubi alloquens Sionem, id est Ecclesiam, ait: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit:* hoc est, vocaberis Ecclesia Christi, ait S. Hieron. et S. Chrysost. seu Christiani, et cœtus Christianorum, ait idem S. Hieron. et Eusebius. Eo nomine gloriabantur Martyres. S. Polycarpus instanti Præsidi, ut per fortunam Cæsaris iuraret, id unum respondit, Christianus sum. Et alius nomine Sanctus, ad singulas petitiones id unum dicebat, *Christianus sum.* Hoc ille, ait Eusebius lib. 5. cap. 1. et nominis sui, et civitatis, et generis, et omnium aliorum loco frequenter confitebatur, nec aliam vocem ab illo audiebant Gentiles: *Nihil enim terribile, ubi Patris dilectio: neque triste, ubi Christus est gloria.* Sed videndum, ut nomen illud impleamus, sicut S. Hieronymus monet Epist. 10. ad Furiam: etenim, ut ipse ait epistola ad Paulinum: *Esse Christianum grande est, non videri:* unde monet, ut non respiciat ad phaleras et nomina vana Catonum. Salvianus nomen Christiani vocat decus aureum, sed videndum esse, ne gemmam pretiosam in vitiorum lutum abiiciamus. Verba eius sunt lib. 4. de Providentia: *Qui Christiani nominis opus non agit, Christianus esse non videtur. Nomen enim sine actu atque officio suo, nihil est. Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus, sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto: Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua, Prov. 11. Et in nobis itaque Christianum vocabulum quasi aureum decus est: quo si indigne utimur, fit, ut sues cum ornamento esse videamur.* Verissima et sæpe animo versanda est S. Chrysost. sententia: *Nemo profecto Gentilis esset, si ipsi ut oportet Christiani esse curaremus: nemo ita esset fera bellua, ut non statim ad cultum veræ Religionis accurreret, si quod nomine Christiano præferimus, reipsa et vita præstaremus.* Hoc de hæreticis etiam, et schismaticis dici potest: nulli enim essent ab Ecclesia transfugæ, si Christiani congruentem nomini suo vitam degerent. Nomen illud honoremus, sicut nos decorat.

65. [Nomen servi Dei est honorabile.] Secundo, nomen illud honoratum et pretiosum (Græce enim est ἔντιμον) est, ut servi Dei nominemur. Eo titulo gaudet atque gloriatur S. Paulus ad Rom. 1. v. 1. sic incipiens suam epistolam: *Paulus servus Iesu Christi, vocatus Apostolus.* S. Ambros. Dignitas est, ait, servum esse potentis. Philo lib. de Cherubim: *Servire Deo,* inquit, *maxima est gloriatio: non modo libertate maior, sed et divitiis, et principatu, et omnibus rebus quas mortales miramur, pretiosior.* S. Agatha dicebat tyranno eam arguenti quod, cum esset nobilis, se ad abiectam Christianorum vitam abiecisset: *Multo pretiosior est Christiana humilitas et servitus, regum opibus et superbia.*

66. [Nomen amici Dei est honorabile.] Tertio, nomen honorabile, seu honoratum et pretiosum, quod dat Christus servis suis, et alumnis, est, ut sint amici Dei. Ita Ruffinus, qui postquam dixit nomen illud honorabile esse nomen Christiani, subdit: *Audi et aliud honorabile nomen, atque omni iucunditate plenum, quod ipse pius Dominus discipulis suis imponere dignatus est, dicens: Iam non dicam vos servos, sed amicos meos,* Ioan. 15. 14. et 15. Hæc de amicitia habet axiomata Aristoteles: Amicus est alter ego, una anima, communia omnia amicorum, æqualitas, amicitia, amicus debet se tenere ad amicum, sicut genu ad tibiam. Igitur qui amicus est Christi, est alter Christus; una anima cum illo, habet omnia cum eo communia, habet quamdam cum ipso æqualitatem; amicitia enim, aut pares invenit, aut facit; ei uni adhæret, et in eo vivit, ubi amat, magis quam ubi animat. S. Ambros. lib. 7. in Lucam, cap. 11. *Quis,* ait, *amicior nobis, quam qui pro nobis corpus suum tradidit?* Proverbium est Hebræorum: *Aut societas, aut mors,* q. d. Vita sine amico non est vita, sed mors. Cicero lib. de Amicitia: Quæ, inquit, potest esse vita vitalis, quæ non in amici mutua benevolentia conquiescit? Tu cum Paulo vive, in amico tuo Christo. Sic aiebat Gal. 2. 20. *Vivo ego, iam non ego: vivit vero in me Christus.*

67. [Nomen filiorum Dei est honorabile.] Quarto, nomen honorabile, seu honoratum et pretiosum, quod dat servis suis et alumnis Christus, est, ut filii Dei nominentur, et sint. Ioann. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius;* id est in eum. Oseæ 1. 11. *Et erit in loco ubi dicetur* (Septuag. ubi dictum est) *eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filii Dei viventis.* Hinc vere S. Leo ait sermon. 6. de Nativ. *Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, et homo Deum nominet Patrem.* Hæc cogitans ad magna cælestia, et divina erigere, cum sis divinæ consors naturæ, filius enim producitur in similitudinem generantis: eam ob rem noster Balthasar Alvarez sæpe sibi ipsi dicebat: Noli degenerare a præcelsis cogitationibus filiorum Dei, ut refert Ludov. de Ponte in eius vita. S. Leo serm. 1. de Nativit. monet, hominem oportere imitari Deum Patrem, et vitam vivere divinam non terrenam aut animalem: *Agnosce,* ait, o *Christiane dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.* S. Cyprianus lib. de spectaculis: Nunquam, ait, humana opera mirabitur, quisquis se cognoverit Filium Dei: deiicit se de culmine generositatis, qui admirari aliquid post Deum potest. S. August. lib. 3. de civit. Dei, cap. 4. Varro, inquit, utile esse civitatibus dicit, ut se

viri fortes, etiamsi falsum sit, ex diis genitos esse credant: ut eo modo animus humanus velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audacius, agat vehementius, et ob hoc impleat ipsa securitate felicius: ita August. In iustis non est hæc fallax opinio. Nam per intrinsecam, et inhærentem sibi gratiam habitualem, sunt vere filii Dei. Vide dicta Ps. 81. 6. Admiratur iure charitatem Dei, ob eum illustrem titulum S. Ioannes 1. epist. 3. 3.

68. A Deo pauperes honorantur. Nota, nomen in Scriptura sæpe sumitur pro re nominata: est metonymia. Itaque nomen pauperum est honorabile coram Deo et Christo, hoc est, a Deo et Christo pauperes honorantur et amantur. Sunt refugium pauperum, Ps. 9. v. 10. Beatos pauperes esse dicit, et eorum esse regnum cælorum, Matth. 5. vers. 3. *Beati pauperes spiritu*, Ægyptius interpres, in spiritu, *quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Pauperes sibi eligit Christus. S. Cyprianus tract. de Nativit. Christi: *Pauperes*, ait, *electi: superbi, neglecti: nec fastus, nec altus circa Christi discipulatum, aliquem obtinent locum. Christus pauper discipulos pauperes non aspernatur. Pauper mater, pauper filius, inops hospitium iis, qui in forma scholæ huius in Ecclesia militant, præbent efficax documentum. Hunc in cunabulis adoravere et parvulum, confitentes Deum*. Honorata est paupertas a Christo in stabulo, in officina fabri, in cruce: itaque nascens vivens, et moriens eam sibi velut in sponsam atque individuam comitem sociavit.

69. Deus homines honoravit variis modis. Si per *pauperes* intelligis homines, honorabile nomen eorum fuit coram Deo: id est, eos honorabiles censuit, atque illos honoravit. Primo, eos creando ad imaginem et similitudinem suam, hoc est, ad imaginem sibi similem, Gen. 1. v. 26. Secundo, per incarnationem similem nobis filium suum hominem faciendo, non angelum. Hebr. 2. v. 16. *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: unde debuit per omnia fratribus assimilari*. Magna dignitas hominis est, quod incarnati Filii Dei sit frater. Vide dicta Ps. 21. v. 23. Tertio, homines a Deo honorantur et ornantur per gratiam, quæ, ut ait S. Augustinus, est anima animæ. Hinc Apostolum audiamus monentem, Ephes. 4. v. 23. *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem*, id est, Christum, ait S. Hieronymus, *qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis*, id est, in sanctitate vera, non fictitia et mentita. Lege ibi S. Hieron. et adverte in Psalmo nostr. ubi nunc legimus: *Honorabile nomen eorum coram ipso*, S. August. legere: *Honorabile nomen eius coram ipsis*. Dant enim, inquit, honorem nomini eius pro tantis beneficiis, qui respondent dignum et iustum esse gratias agere Domino Deo suo: ita Augustinus. S. Paulus 1. Corinth. 6. v. 20. *Empti estis pretio magno*, sanguine scilicet Filii Dei, quo ex usuris et iniquitate redempti sumus, *glorificate et portate Deum in corpore vestro*. Sic ipse gloriabatur, quod stigmata eius in corpore suo portaret, Galat. 6. v. 17. In Hebræo nunc est, in Syr. Chald. S. Hieronym. *Pretiosus erit sanguis eorum coram oculis eius*. Sit quoque sanguis Christi pretiosus coram oculis nostris, cum eius vel unica guttula sit infiniti valoris, eaque possint condigno et superabundante pretio redimi mille milliones mundorum, et longe amplius. Infinito enim nihil est æquale. Eo se illinebant et decorabant, armabantque et animabant Martyres ad pugnam prodeuntes. S. Cyprianus epist. 56. ad Thibaritanos: *Gravior nunc*, ait, *et ferocior pugna imminet, ad quam virtute incorrupta et fide robusta parare se debent milites Christi, considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere*. Si nihil pretiosum habemus, quod illi offeramus, nosipsos et sanguinem nostrum donemus: nihil erit illi acceptius. Seneca lib. 1. de Beneficiis, cap. 7. ait: Cum multi multa pro suis facultatibus Socrati offerrent, Æschinem pauperem eius discipulum dixisse: Nihil dignum te, quod dare tibi possim, invenio, et hoc modo pauperem me esse sentio. *Itaque dono tibi quod unum habeo, meipsum*. Hoc munus rogo, qualecumque est, boni consulas: cogitesque alios, cum tibi multum darent, plus sibi reliquisse. Socratem vero respondisse: Quidni tu *magnum munus* dederis? nisi forte parvo te æstimes. Curabo ergo, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi: ita Seneca. Longe id faciet cumulatius Christus, si te in eius sinum abieceris. Angolanis ita sunt despicabiles servi eorum, ut pro uno molosso seu cane magno dent aliquando viginti duos servos, ut ait Petrus du Iarric lib. 3. de historia Indiæ Orient. Christus vero animam unam servi sui præfert toti mundo; cum pro ea sit mortuus, et sit capax æternæ felicitatis. Pro uno scypho fracto Romanus ille servum abiecit in piscinam devorandum a murenis. Et Filius Dei e cælo in terram descendit, ut homines viles, ingratos et perfidos servos ab unguibus serpentis velut vellus aureum, et a dente ceti velut Ionam aut Andromedam, eriperet. Nonne pretiosus sanguis eorum coram ipso?

(Angolani pro uno cane dant viginti duos homines.)

ARTICULUS IV.

Christus resurgens in Ecclesia adoratur, et benedicitur; ipse per Eucharistiam fideles alit ac roborat.

POST mentionem implicitam mortis Christi qua redemit ex usuris et iniquitate, id est, ex usuris iniquitatis seu peccati, animas pauperum mentionem resurrectionis facit Propheta, v. 15. ET VIVET, ET DABITUR EI DE AURO ARABIÆ, ET ADORABUNT DE IPSO SEMPER, TOTA DIE (Camp. omni tempore) BENEDICENT EI. Quæres, de quo est hic sermo, et quis huius loci sensus? Primo, R. Isaias Tranensis, Crucius, et plerique Rabbini id intelligunt de paupere, de quo prius dictum erat: ita ut sensus sit, q. d. Vivet pauper ille redemptus, et dabit ei rex de auro Sabæorum per eleemosynas copiosas illum iuvando, et orabit rex pro ipso; et tota die benedicet, id est, benefaciet ei munera largiendo. Iuvare hunc sensum videntur Hebræa, quæ habent, *dabit*, *adorabit*, *benedicet*, non vero dabitur, adorabunt, benedicent. 70. Vers. 15.

Secundo tamen, et melius, hæc de rege Christo dicuntur, de quo proxime dictum erat, *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum, et honorabile nomen eorum coram illo*. Quomodo rex dabit pauperi de auro Arabiæ, et adorabit de ipso paupere, id est, populo suo?

Sensus itaque est, q. d. Christus qui mortuus fuerat in cruce, ut pauperes, id est, homines per peccatum suum bonis spoliatos rediremet, postea vivet per resurrectionem vita immortali, florente et felice. Ubi adverte, quod τὸ *vivere*, in Scriptura significat aliquando effugere miseriam, calamitatem et pœnam. Secundo, *vivere* etiam absolute sumptum aliquando dicit vitam florentem, prosperam et diuturnam, ut Levit. 18. v. 5. *Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo, vivet in eis*, hoc est, vita longa et felice donabitur per ea, et in eorum observatione, ut Oleaster, Vatablus, et Abulensis exponunt. Hinc regibus suis pene omnes nationes acclamant post electionem, unctionem, et variis occasionibus, *Vivat rex*, q. d. Deus det tibi florentem, felicem atque diuturnam vitam. Sic acclamatum est Sauli, cum Samuel in Maspha coram toto populo illum per sortem regem a Deo electum designasset, 1. Regum 10. 24. Sic cum iussu Davidis nostri imposuerunt Salomonem super mulam ipsius, et adduxerunt eum in Gibon, et sumpsit Sadoch sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem, cecinerunt buccina, et dixit omnis populus: *Vivat rex Salomon*. Idem fecerunt Christo resurgenti omnes Sancti e limbo per eum liberati, et omnes angeli gloriam eius admirantes, et de ea lætabundi. Unus Deus est proprie vivens, et vita ipsa: unde a S. Paulo et Barnaba oblatos sibi Lystræ honores divinos fugientibus vocatur Deus vivus. Sic enim dicunt Actor. 14. v. 14. *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt*. Veteres censebant, quod

(Regi creato acclamatur: Vivat rex.)

Iupiter dictus sit ζευς a Græcis, quasi ζων, id est, vivens, et alios vivificans; sed recte hoc impugnat Lactantius lib. 1. de falsa Religione, cap. 11. Verba eius sunt: *Iupiter mortalis fuit, imbecillis et nihili: quippe qui potuit, et tunc cum nasceretur, extingui: sicut frater eius ante genitus extinctus est, qui si vivere potuisset, nunquam minori concessisset imperium: ipse autem furto servatus, furtimque nutritus, ζευς sive ζην appellatus est, non ut isti putant, a fervore ignis cælestis, vel quod vitæ sit dator, vel quod animantibus inspiret animas; quam enim possit inspirare animam, quam ipse accepit aliunde? sed quod primus ex liberis Saturni maribus vixerit, latitans in specu.* S. Greg. homil. 37. in Evangelia, iure dicit, temporalem vitam æternæ vitæ comparatam mortem esse potius dicendam quam vitam, et addit: *Ipse quotidianus defectus corruptionis, quid aliud est, quam quædam prolixitas mortis?* Sed detur esse vitam, certe parum durat, et mors veniens sceptra ligonibus æquat. Alphonsus Aragonum rex peteuti: Quæ res reges et privatos, divites et pauperes, claros et obscuros, denique omnes prorsus exæquaret? Respondit: Cinis. Alexander Magnus in morte agnovit, se esse hominem infirmum et imbecillem: En morior, ait, quem falso Deum esse dicebatis. At Christus Deum se esse probavit, cum ipsa sua morte mortem superavit, et, ut sic loquar, occidit. Unde dicit Osee 13. 14. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, o mors.* Quod intellige, non cum Ruffino de liberatione urbis Ierosolymæ ab exercitu Sennacherib, non cum Theodor. et a Castro de liberatione captivitatis Babylonicæ; sed cum S. Hieronymo, S. Augustino, S. Gregorio et aliis, etiam ad litteram sume de Christo, qui sua resurrectione Patres in limbo detentos a morte liberavit, et secum resurgere fecit. Iob Christi figura dicebat cap. 29. v. 18. *In nidulo meo moriar, et sicut palma,* R. Salomon, sicut phœnix, *multiplicabo dies:* phœnix autem avis solaris in lignis aromaticis combussa, ex suis cineribus reviviscere ferebatur. Sed est fabula, ut alias dixi: de hydro crocodilum occidente, et eius comparatione cum Christo mortem occidente, vide S. Petrum Damianum lib. 2. epist. 18. ad Cardinal. Resurrectionis Christi efficaciam declarat S. Chrys. t. 6. serm. de Resurrectione, fol. 443. Per resurrectionem Christi, ait, gehenna ignis extinguitur, vermis pervigil et irrequietus moritur, infernus perturbatur, luget diabolus, peccatum interficitur, spiritus mali effugantur. S. Epiphanius tom. 2. serm. in sepulcrum Christi, ostendit esse alteram eius nativitatem. Angelus, inquit, Mariæ Deiparæ annuntiavit generationem Christi ex matre. Angelus etiam admirabilem e sepulcro resurrectionem eius Mariæ Magdalenæ patefecit. Nocte Christus in Bethlehem natus est: nocte quoque in Sione resurrexit: fascias in nativitate suscepit: fasciis in sepulcro obvolutus est: myrrham natus in spelunca suscepit: myrrha et aloe sepultus est, inunctus, etc. Vide dicta Ps. 2. *Ego hodie genui te:* ubi ostendi illius loci esse triplicem sensum litteralem, 1. de generatione interna; 2. de generatione in tempore; 3. de resurrectione. Sic genitus non morietur. Ut enim ait Paulus Rom. 6. v. 9. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato,* id est, propter peccatum, abolendum scilicet, ut explicat S. Chrysostomus. *Mortuus est semel. Quod autem vivit, vivit Deo:* id est, ad Dei gloriam; 2. vivit Deo, id est, ait Cornelius, apud Deum, et similem Deo vivit vitam cælestem, divinam, beatam et immortalem.

71. Quomodo datur Christo de auro Arabiæ. Quæres secundo, quodnam aurum Arabiæ dabitur Christo resurgenti, et in cælos ascendenti? Nota, in Arabia Felice erat aurum purissimum, ut supra dixi v. 10. ex Diodoro Siculo: idem dicit hoc loco Cassiodorus. Plinius lib. 6. cap. 28. Arabiæ Felicis incolas, ditissimos appellat. Per aurum Arabiæ itaque intelligitur aurum præstantissimum. Per illud autem non incommode Cassiodorus accipit omnia dona Christo offerenda. Est synecdoche. Arbitror præsertim significari, eum a toto orbe colendum, ut regem, q. d. Tibi offeretur corona aurea, velut regi hominum et angelorum. Unde a Magis, oblatum aurum dicunt Ss. Patres, ut eum regem esse testarentur, et hic sequitur, *Et adorabunt de ipso semper,* quod fieri solet regibus a subditis reverentiam ac venerationem exhibentibus. Ubi adverte τὸ *de ipso*, vario a variis explicari. Primo, *pro ipso:* unde Psalterium Gallicanum, sive Ambrosianum habet, *orabunt pro ipso,* Christo scilicet, hoc est pro corpore eius Ecclesia, cuius est caput. Sed hic sensus non admodum placet. Secundo, *de ipso*, id est, ex eius ritu, doctrina et institutione: ita Bellarminus. Quod autem, ait, in Hebraico et Græco sit verbum *orabunt,* in Latino *adorabunt*, non variat sensum. Nam qui orat, adorat: et qui adorant, id plurimum faciunt ut orent: ergo adorabunt, exponendum est, adorantes orabunt, vel orantes adorabunt. Tertio, alii *de ipso,* id est, per ipsum. Quarto, alii *de ipso,* id est, propter ipsum: ita Arabs, qui vertit, *propter ipsum orabitur omni tempore.* Quinto, *de ipso,* hoc est, ipsum: ita Wilhelmus Damasus Lindanus Episcopus Ruræmundensis, q. d. Adorabunt ipsum Christum. Camp. reddit, adorabitur sine fine. Christus enim resurgens statim adoratus est ab angelis, ut docet Apostolus Hebr. 1. v. 6. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorabunt eum omnes angeli Dei.* Primo, est introductus in nativitate: secundo, in resurrectione: tertio, in extremo iudicio. Adoratus est etiam, et semper adorabitur ab hominibus sanctis, Philipp. 2. 10. Per ipsum etiam adoratur Pater: nam semper vivit ad interpellandum pro nobis, Hebr. 7. 25. et illum habemus advocatum apud Patrem, 1. Ioan. 2. 1. Atque in fine orationum attexit Ecclesia, Per Dominum nostrum Iesum Christum. Sexto, et optime, *de ipso*, non refertur ad Christum, sed ad aurum Arabiæ, q. d. Dabitur ei *de auro* Arabiæ, id est, de omnibus pretiosis donis omnium provinciarum, etiam ditissimarum, et adorabunt *de ipso* illo auro semper offerentes, q. d. Non semel tantum, et in primo fervore, semel illud aurum ac cætera dona offerent, sicut fecerunt Magi in eius Nativitate, sed hæ oblationes pretiosæ durabunt usque ad finem mundi.

Quid significet τὸ de ipso.
1.
2.
3.
4.
5.
6.

72. Tropol. Tropolog. Aurum Arabiæ, cum quo adoratur Christus, est Primo, mentis puritas: ita S. Hieronymus: *Offerent ei,* inquit, *mentis puritatem, tamquam aurum Arabicum splendore pulcherrimo rutilans.* Secundo, aurum Arabiæ est sapientia: ita S. Augustinus: Per Arabiam, ait, Gentes intelligimus; per aurum, sapientiam, quæ ita excellit inter omnes doctrinas, ut aurum inter metalla: ita Augustinus. Salomon dicit Prov. 8. 10. *Accipite disciplinam meam, et non pecuniam: doctrinam magis quam aurum eligite.* Septuag. scientiam super aurum probatum. Chald. plusquam aurum conflatum. Syr. purissimum. Ac v. 11. rationem reddit: *Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis,* Hebr. præ margaritis, *et omne desiderabile ei non potest comparari.* Syr. vertit, *Sapientia enim præstantior est auro purissimo, melior gemmis, et nihil est illi æquale.* Tertio, aurum Arabiæ est humilitas iuncta sapientiæ: ita Ruffinus: Dabit ei, inquit, de auro Arabiæ. Multi enim ex sapientium gentibus convertentur ad ipsum. Vel, aurum Arabiæ significat sapientiam in humilitate. Arabiam enim interpretari diximus, humilitatem. Hoc thesauro nihil charius, nihil pretiosius aut haberi aut offerri Deo potest. Et adorabunt de ipso semper, id est, summa et singulari veneratione colent eum. Et hoc quod eum adorabunt, procedet de ipso, id est, de munere ipsius. Nos enim quomodo oremus, nescimus: sed Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. De ipso habent, si qui bene orant: ab ipso trahunt, quidquid boni possident: ita Ruffinus. Sed Arabia non significat humilitatem, nisi symbolice, quia significat vesperam. Quarto itaque, et commode, aurum Arabiæ est oblatio religiosa, per tria vota religiosa. Triplex est enim Arabia: 1. deserta, quæ est symbolum paupertatis, quæ fugere debet omnes mundi divitias; 2. Petræa, qua bene designabitur castitas, quæ duris et asperis se tuetur, et in monti-

bus contemplationis ponit nidum suum; 3. Felix, Arabia est commodum symbolum obedientiæ, quæ in eo felix est, quod tollit omnem sollicitudinem, sciens se regi a Deo, quod duplex habet meritum, quod sine ullo labore bonis omnibus abundat. Sed quia Arabia deserta et Petræa auro carent, ideo dicamus per solam Arabiam Felicem designari familiam et animam religiosam, quæ primo offert aurum per paupertatem, se omnibus mundi opibus spolians. Secundo, myrrham per castitatem, se omnibus eius deliciis et voluptatibus privans. Tertio denique, thus obedientiam, odorem bonæ famæ, et omnes honores illi sacrificans, et se totum pro eo consumens. Quod autem Arabia sumatur pro vita religiosa, ostendit significatio; nam significat desertum, seu solitudinem.

73. Vers. 16. Christus laudibus sibi datis tota die non ita delectatur, ut nostri obliviscatur: sed quo attentius homines eius laudibus invigilant, eo studiosius eorum utilitati inservit, vers. 16. ET ERIT FIRMAMENTUM IN TERRA, IN SUMMIS MONTIUM: SUPEREXTOLLETUR SUPER LIBANUM FRUCTUS EIUS: ET FLOREBUNT DE CIVITATE, SICUT FOENUM TERRÆ.

Nota, pro *firmamentum*, Hebr. est פסת בר *pissath bar*, id est, 1. particula frumenti: ita Arias; 2. pugillus frumenti: ita Pagninus; 3. placentulæ frumenti: ita R. Salomon; 4. multiplicatio frumenti: ita Felix; 5. memorabile triticum: ita S. Hieron. 6. firmamentum, tritici scilicet: ita Septuag. et Noster. Ubi adverte, *bar*, ab omnibus verti frumentum seu triticum; variatas ergo sola est in expositione vocis *pissath*, cuius sex sunt significationes, nempe: 1. particula; 2. pugillus, seu vola et palma; 3. placentula; 4. multiplicatio, seu copia et abundantia; 5. memorabile; 6. firmamentum seu robur.

Nota secundo, pro *superextolletur*, Hebr. est ירעש *irhas*, hoc est, tremet, concutietur: ita R. Abraham, et R. David; perstrepet: ita Arias; contremiscet: ita Pagn. Secundo, *irhas*, id est, crescet, ait R. Ionas; germinare faciet, ait Syrus; elevabitur, ait S. Hieronym. et Arabs; superextollatur, ut Noster vertit, ac Septuag.

Sensus autem est, q. d. Summa erit frugum abundantia sub illo rege. Nam in ipsis montium cacuminibus, quæ sterilia esse solent, erit maxima frumenti copia; in monte præsertim Libano altissimo erit illa ubertas, et in civitatibus abundabunt viri, sicut in prato herbæ.

74. Quæres, de quo rege hæc intelligantur? Primo, Rabbini ac Trevetus, Flaminius, Pineda, et aliqui alii, de Salomonis tempore id explicant. Ex pace enim ubertas. R. Salomon ait, regem Salomonem plantasse intra templum omnia genera fructuum ex auro, et solitos inde produci veros ac naturales fructus suo tempore: cum autem flaret ventus in eos, defluxisse: et hoc sibi velle verba Psalmi nostri: *Contremiscet ut Libanus fructus eius:* quando gentiles intraverunt, siccatas esse arbores aureas, idque dictum a Nahum cap. 1. 4. *Flos Libani elanguit.* Hæc sunt illius solita commenta. Symbolice applica, si lubet, et in templis aurum per liberalitatem sere, tibi dabit fructus vivos æternæ vitæ.

Secundo, Rabbini etiam exponunt de rege Messia, et fertilitate temporali, quamdiu regnabit. Dicunt enim tunc fore, ut frumenta crescant sicut cedri Libani, faciantque spicas magnas et latas, ex quibus vento flante decidat simila, unde Iudæi pro voluntate valeant satiari. Verum hæ sunt solitæ illorum fabulæ.

Tertio et optime, de rege Messia et felicitate spirituali, dum regnabit, hæc sumenda sunt. Duplex autem ubertas futura hic significatur.

Primo quidem tempore Messiæ seu Christi erit firmamentum, robur et abundantia doctrinæ et prædicationis verbi Dei, quod est panis animæ. Nam ut ait Christus Matth. 4. 5. *Non in solo pane vivit homo, sed in* (id est, ex) *omni verbo, quod procedit de ore Dei:* ita S. August. Ianssonius, Iansenius et alii.

Eucharistia est firmamentum animæ. Secundo, tempore Messiæ erit Eucharistia, quæ est firmamentum, id est, firmus et solidus animæ cibus: ita Agathius Guidacerius, Iansenius, Variculus, Franciscus de Puteo, Petrus de Herental. Faber et alii. Si malum inveteravit, ait Celsus lib. 4. cap. 6. athletico victu corpus firmandum est: ita ipse. Coliphium vocabatur panis athletarum, a κῶλον, id est, membrum, et ἶφι, id est, robur, q. d. A robore membrorum. In Scriptura dicitur *firmamentum panis*, Psal. 104. 16. *robur panis,* Isai. 3. 1. *baculus panis*, Levit. 26. 26. *panis cor hominis confirmat,* Psal. 103. 15. Panis Eucharistiæ firmat montes, id est, excelsos sanctitate viros. Vide dicta Psal. 21. 17. et Ps. 22. 5. item Ps. 77. 25. ubi vocatur panis angelorum, Hebr. panis fortium. Gonzales Ovetensis cap. 10. refert, in Indiis Occidentalibus, ubi prius sævissimæ erant tempestates, et horrendi terræmotus, postea extructis templis, et Eucharistia ibi asservata, illa incommoda cessavisse. S. Augustin. tract. 11. in Ioan. dicit: Reficieris si accesseris; deficies si recesseris. Agit de Eucharistia.

In Salomonica frumenti ubertate, ait Pineda lib. 6. de rebus Salomonis, cap. 20. panem nostrum supersubstantialem subodorati sunt ipsi etiam Hebræi. R. Ioseph in paraphrasi Chaldaica Psalmi nostri vertit, *Erit substantificus panis in terra, in capite montium*. R. Salomon apud Nebiensem: *pissath bar*, inquit, id est, *placentula frumenti*, loquela est abundantiæ et multiplicationis: atque magistri nostri exposuerunt, sermonem esse placentularum in diebus Messiæ. Et in *Midras Thehillim*, id est, in expositione Psalmorum sic scribunt: *Erit placentula frumenti*, quoniam frumenta producent in die Messiæ placentas: sicut est plenitudo volæ, seu palmæ istius. Sequitur: Turgescet sicut Libani fructus eius: quia frumenta confricabunt se invicem, et deiicient similam suam in terra, et tu veniens accipies inde plenitudinem volæ, seu palmæ istius secundum refectionem tuam: ita ibi. R. Kimhi apud Raymundum et Triumphum in lib. Sarasim: Sicut, inquit, manus viri dicitur in Ps. 71. erit pissath frumenti in terra, q. d. Fructum frumenti. R. Hisa apud eumdem: Futura est, ait, terra Israel, ut producat placentas et ornatum purpuræ, sicut dictum est Ps. 71. Pissath, id est, fructum frumenti. Dixerunt magistri, futurum est ut triticum palmescat, et ascendat sicut palma, et hoc in diebus Messiæ. Vide R. Barachiam apud Galatin. lib. 8. c. 7. ex hoc loco probantem, futurum esse Messiam, sicut Redemptorem primum Mosem, qui pluit panem de cælo: quod idem refert Triumphus ex *Midras Coheleth*, id est, ex expositione Ecclesiastæ, super id primi capitis: Quid est quod fuit? ipsum quod erit. Ex R. Barachia, et R. Isaac, et lib. 10. c. 5. ex R. Mose Hadarsan, componente hunc locum de Messia, cum illo loco Melchisedechi, offerentis panem et vinum. Tum præterea ex R. Ioahi ex hoc loco colligente, *Sacrificium panis, tempore Messiæ, iugiter duraturum.* R. Ioseph, apud Pagninum in voce *Pax*, de Messia sic exponit: In diebus regis huius erit benedictio in mundo, ad hoc quod seminabit homo plenam volam frugum etiam in vertice montium, et erunt spicæ bonæ ac plenæ, adeo quod trement vento in eas flante, sicut arbores Libani. Burgensis hoc Psalmo addit: pissath, inquit, non significat abundantiam, sed potius placentam, aut placentulam frumenti, et cum eo concordat translatio Chaldaica, in qua, ubi dicitur, in summis montium, expresse dicit, in capitibus sacerdotum. Sed operæ pretium est adscribere, quæ hoc loco Nebiensis habet. Multi, ait, a nostris, qui Hebraicis litteris navaverunt operam, scripserunt in textu Chaldaico sic haberi: *Erit sacrificium frumenti in terra: in capite montium Ecclesiæ.* Ipse vero, qui plures textus, et quidem antiquos perscrutatus sum, nequaquam reperi, sicut illi scripserunt: ita Nebiensis. Atque adeo, neque apud alium, quam apud Burgensem reperitur illa translatio: *In capitibus sacerdotum*, etsi illud, *Erit placenta tritici*, frequenter usurpetur tum ab Hebræis, quos produximus, tum ab iis, qui res Hebraicas tractarunt adversus Iudæos, nimirum Nicolao in peculiari quodam libello adversus Hebræum quamdam, artic. 4. Raymund. contra Iudæos lib. 11. cap. 2. Galatin. superius adducto, Triumpho Christi Tit. 12. Probat. 5. Quam-

75. Rabbinorum auctoritates de Eucharistia.

vis sane montes vocari in Scriptura sacerdotes, Apostolos, sapientes, frequentissimum est apud Patres, et S. Hieron. Ezech. 36. Futuram autem *placentulam in capite montium*, ut habetur in Hebræo, id est, *super capita sacerdotum*, nimirum cum hostiam sacram in sublime attollunt populo adorandam, fuisse Hebræorum traditionem refert Triumphus loco indicato. Atque adeo cum hoc consonat, quod Bartholomæus Spina in suo bello contra Iudæos lib. 3. consid. 4. argum. 14. fol. 227. ad locum illum 1. Reg. 2. 32. ubi repulso sacerdotio Heli pollicetur Deus aliud sacerdotium, et sacerdotem instituturum. Videbis, ait, æmulum tuum in templo, ut deficiant oculi tui, et *suscitabo mihi sacerdotem fidelem*, etc. Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat, ut oretur pro eo, et offerat *nummum argenteum, et tortam panis, dicatque: Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis*. Pro *nummo*, inquam, *argenteo*, haberi in Hebræo, *calicem argenteum*, ex ipsa Hebræorum traditione; quem si cum placentula panis coniungas, sacrificium utique sanguinis in calice, corporis in placentula prædictum esse non obscure colliges. Atque illud tandem non sine utilitate et mysterii pretio est premendum, vocem illam secundam, quæ hoc loco frumentum aut triticum significat: id est, *bar*, ita significare frumentum electum, purum, mundum, ut simul significet filium: sicut eleganter docet S. Hieronymus in Apolog. contra Ruffinum lib. 1. post medium: ita Pineda. Vide a me dicta Ps. 2. 12. in illud: *Apprehendite disciplinam*, ubi alii vertunt, *adorate filium*: alii, *adorate pure*: alii, osculamini filium. Quære etiam Rabbinorum testimonia apud Iodocum Coccium tom. 2. Thesauri Catholici lib. 6. artic. 1. Claudium de Saintes repet. 9. de Eucharistia, c. 4. Ioannem Roffensem do Sacerd. defens. Ioannem Eckium lib. 1. de sacrific. Missæ, cap. 6. Ioan. Stephanum Durantum lib. 2. de ritib. Eccles. c. 2. Ioannem de la Fuente in cap. 14. Marci, Blasium Viegam in cap. 2. Apocal. comment. 3. sect. 5. Leonem Castro, Apolog. lib. 3. p. 320. Ioan. Garezium, de Euchar. class. 9. Iacobum Pamelium, tom. 1. Liturg. pag. 8. et 17. Guilielmum Alanum, lib. 1. de Euchar. cap. 7. Thomam Bozium, lib. 13. de Signis Eccles. cap. 6. lib. 41. cap. 1. Auctorem libri, cui nomen, Triumphus Crucis, tit. 12. probation. 5. Bartholomæus Spinam, 3. contra Iudæos, consider. 4. argum. 14. Galatin. lib. 10. cap. 4. et 5. atque alios. S. Dionysius de Eccles. hierarch. cap. 1. Eucharistiam vocat, ἑστιασι τρεφουσαν νοητως, και θεωσαν, convivium, quod mentem alit, et Deum efficit.

76. *Libanus est variarum rerum symbolum.* Quæres secundo, quomodo super Libanum extollctur fructus Christi? Nota, per Libanum intelligi potest Primo, idololatria: est enim Syriæ mons, ubi viguit idolorum cultus: ita Euthymius et Nicephorus. Secundo, Libanus significat Ierosolymam et templum. Zachar. 11. 1. *Aperi Libane portas tuas, et comedat ignis cedros tuos*: ita S. Hieron. S. Cyrillus et Ribera, quia et urbs et templum erant ex cedris Libani: quatuor alias rationes affert Cornelius apud Zachariam. Tertio, Libanus est symbolum gentium, baptismo candicantium et dealbatarum: nam a rad. *laban*, id est, albus, candidus, Libanus deducitur. Sic sumitur Isaiæ 29. 17. *Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur?* Gentes enim gratia Christi abundarunt; Iudæi vero, per Charmel figurati, ea sunt spoliati. Quarto denique, Libanus est, quisquis virtute et eruditione eminet. Libanus enim est mons, 1. altissimus; 2. amœnissimus; 3. fragrantissimus; 4. fertilissimus; 5. Iudææ murus et antemurale: his positis:

77. *Christi fructus extollitur super Libanum, et quomodo.* Dico fructum Christi superextolli super Libanum, Primo, quia idola deiecit. Primo, ingrediens Ægyptum adhuc puer, ut S. Hieron. dicit, ac prædixit Isaias cap. 19. 1. deinde moriens, et in cælo regnans. Secundo, Christi fructus extollitur super Libanum, id est, Ecclesia super synagogam. Tertio, extollitur super Libanum, id est, gentes ab eo sanctificatas, quia sine ipso nihil possunt, et est
A earum rex, pater et iudex. Quarto denique, fructus eius superextollitur super Libanum, id est, super sanctos: quia, ut ait Ruffinus: *Si alii montes extolluntur sanctitate, Dominus noster superextollitur divinitate*. Ubi adverte, quod sancti sunt arbores sacræ ferentes fructum in tempore suo. Isaiæ 61. 3. ubi habetur: *Vocabuntur in ea fortes iustitiæ*, Hebr. est, *Et vocabunt eas arbores iustitiæ*. S. Petrus Damiani lib. 2. epist. 5. *Illa*, inquit, *anima, quæ Creatoris sui luce perfruitur, quæ vernantibus virtutum spiritualium germinibus decoratur, quam denique fons sapientiæ perfluentibus ex se quatuor gurgitibus irrigat, atque ad proferendos bonorum operum fructus cælestis gratiæ madore fœcundat; hæc procul dubio paradisus, hæc est hortus deliciarum, de qua Dominus per Isaiam dicit cap. 44. Effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam, et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Tunc illi, quod per Osee prophetam promittitur, efficaci-*
B *ter adimpletur: Ero quasi flos, Israel germinabit quasi lilium, et erumpet radix eius, ut Libani: ibunt rami eius, et erit quasi oliva gloria eius, et odor eius ut Libani. Convertentur sedentes in umbra eius, vivent tritico, et germinabunt quasi vinea: memoriale eius sicut vinum Libani.*

Quæres tertio, quomodo florebunt de civitate, sicut fœnum terræ? 78.
Nota, *de civitate*, id est, ii qui sunt de civitate, q. d. Cives Ecclesiæ divina charitate inter se uniti. Non floret, nisi qui est in civitate, id est, civium unitate; herba solitaria cito exsiccatur, aut conteritur. Secundo, adverte pro *fœnum*, Hebr. est עשב *esceb*, id est, herba, ut vertit Pagn. Flam. et Camp. proprie est herba mollior, tenerius gramen, lætum, virens. Potest sumi primo, pro herba agrorum, et segetum frugiferarum; secundo, pro herba pratorum infrugifera, sed amœna.

Sancti sunt herba frumenti. Ac primo, S. Augustinus de herba frumenti interpretatur. De civitate Dei, inquit, hoc est, de Ecclesia, floreant sicut fœnum, sed fœnum fructiferum sicuti est frumentum. Nam et hoc fœnum appellatur in S. Scriptura, sicut in Genesi iustum est producere terram omne li-
C gnum, et omne fœnum; nec adiunctum est, omne frumentum: ita Augustinus. Sancti autem sunt herba frumenti. Primo, quia spe fructus virent. Philippus Presbyter lib. 1. in Iob cap. 5. *Cordis*, inquit, *tui virtutibus et sanctis cogitationibus, velut seminibus, abundabis: de quibus opera bona, tamquam sanctitatis filios, poteris procreare: ita ut progenies operum tuorum multitudini herbarum virentium comparetur: quarum radices, id est, spei vires, si intus habeas corde fixas, terra tua flores cum fructibus germinabit*. Secundo, sancti sunt herba frumenti, quia non cito arescunt, nec prius demetuntur falce mortis, quam fructus vitæ æternæ in cælesti thesauro servandos protulerint. S. Isidorus Pelus. lib. 5. epist. 563. ἡμεροκαλλές ἐστι, *hemerocallis est huius mundi gloria, hoc est flos uno die dumtaxat florens: at virtutis decus*, ἀμάραντος τε καὶ ἀτελεύτητος, *est immarcescibile et fine carens*. Monet deinde, non esse mirum, gloriam mundanam huic
D anteponi, cum ægroti cibos salubres reiiciant, ut noxiis delectentur, et concubinam uxori malesani anteponant. Tertio, si fructum vis in segete, spinæ sunt avellendæ, ne bonam sementem suffocent. S. Petrus Damiani op. 15. de suæ congregat. institut. Sic, ait, ager animæ tuæ virtutum segetibus floreat, ut nequaquam veprium aculei per iniuriam inhorrescant.

Secundo, sancti et eorum opera comparari possunt fœ- 79.
Sancti sunt fœnum prati, et quomodo. no prati non quatenus vile est, ac cito arescit, sed primo, ob multitudinem. Eliphaz Themanites dicit Iob cap. 5. 25. *Scies quoque, quoniam multiplex erit semen tuum, et progenies tua* (Hebr. germina) *sicut herba terræ*. Progenies viri iusti sunt bonæ cogitationes, affectiones, sensationes et operationes. Secundo, ob varietatem florum: alii enim sunt albi per innocentiam et simplicitatem, alii rubri per charitatem, alii cærulei per spem cælestium. Tertio, ob pulchritudinem. Cant. 2. ait de se Christus: *Ego flos campi*. Chald. vertit: Opera mea *pulchra sunt* sicut rosa, quæ

in campo horti voluptatis. Hæc sanctis appropriari possunt, sicut illud Isaiæ 4. 2. *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis.* Quarto, ob fragrantiam. 2. Corinth. 2. 15. *Christi bonus odor sumus.* S. Bernardus serm. 71. in Cantic. *Habent mores colores suos, habent et odores: odorem in fama, colorem in conscientia. Colorem operi tuo dat eius bonitas et cordis intentio: odorem, modestiæ et virtutis exemplum. Iustus lilium est in se candidum, sed proximo odoratum: proximo enim famam, nobis debemus et providemus conscientiam.* Quinto, ob succum salubrem et medicinalem. Sexto denique, ob irrigationem continuam divinæ gratiæ: ab ea enim oritur omnis florum et herbarum in prato vigor et pulchritudo. S. Chrysost. homil. 1. de laudibus S. Pauli: *Nihil, ait, prorsus erraverit, qui pratum insigne quoddam virtutum, et paradisum spiritualem, Pauli animum nuncupaverit: tam mira enim gratia floruit, tamquam huic gratiæ congruente vitæ perfectione resplenduit.*

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

80. *Duo exequitur. Primo, Deum laudat, vers. 17. Secundo, causas illius laudationis profert, vers. 18.*

PARAPHRASIS.

17. *Sit nomen eius benedictum in sæcula: ante solem permanet nomen eius.*	17. Cum tantis me Ecclesiamque suam donis amantissimus Salvator cumularit, in totam æternitatem ab omnibus prædicetur. Dum sol oculus mundi effulgebit, nominis eius celebritas efflorescet apud omnes orbis nationes.
Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.	Omnesque gentes per ipsum et in ipso benedictione cælesti complebuntur: ideoque illum laudibus in cælum vehent, eiusque cultum amplectentur.
18. *Benedictus Dominus Deus Israel: qui facit mirabilia solus.*	18. Benedicatur itaque Deus noster, qui Ecclesiæ suæ speciali cura præsidet: camque virtutibus ut illustret, miracula nullius ope suffultus efficit.
19. *Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum: et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.*	19. Maiestatis eius gloria omnia sæcula pervadet, omnesque terræ regiones complebit; quod ut quam ocyssime fiat, summis votis exopto ac flagito.

QUÆSTIO UNICA.

Cur Christus ab hominibus est glorificandus.

81. Ordo Sectionis. PRIMA Sectione David iustitiam Christi declaravit. In secunda, eius misericordiam et benignitatem. In hac tertia, ostendit eius gloriam.

Ac primo, ait illam gloriam fore, Primo, æternam, v. 17. *Sit nomen eius benedictum in sæcula.* Secundo, illustrem: *Ante solem*, id est coram sole, *permanet nomen eius.* Tertio, aliis utilem et gloriosam, v. eod. *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ.* Quarto denique, amplissimam et late fusam: *Omnes gentes magnificabunt eum.*

Secundo, causam duplicam assignat illius laudis. Primo, opera eius ad utilitatem hominum facta, v. 18. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.* Secundo, maiestatem eius et dignitatem, etiam siue respectu ad opera externa, vers. 19. *Et benedictum nomen maiestatis eius: et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.*

ARTICULUS UNICUS.

Christus laudandus est, ob benignitatem suam in homines.

82. Vers. 17. 1. Pars. ILLIS expositis, quæ fecit Christus hominum gratia, in Nativitate, Epiphania, Passione, Resurrectione, Eucharistia, aperit quid sit homini faciendum: nempe Deum esse ab iis laudandum, v. 17. SIT NOMEN EIUS BENEDICTUM IN SÆCULA: ANTE SOLEM PERMANET NOMEN EIUS, id est, nomen Iesu, de cuius splendore vide Psal. 8. v. 1. Aliqua Psalteria addunt: *Et ante lunam sedes eius*, ut S. Chrysost. in cap. 2. Isaiæ, et Ps. 109. legisse videtur.

Nota, nomen eius potest sumi pro ipso Christo. Est metonymia, qua nomen pro re nominata ponitur. Item, Hebr. per שם *scem*, id est, nomen, Deum aliquando intelligunt: unde sæpe iurant השם חי *hascem chai*, id est, *nomen vivit*, hoc est Deus. Intelligunt enim nomen tetragrammaton quod vocant nomen separatum, quia significat substantiam creatoris significatione pura. Sensus itaque erit, Sit Christus benedictus in sæcula. Secundo tamen, ut dixi, melius per *nomen* eius intellige nomen Iesu, id est, Salvatoris, propter quod ipsum laudare et benedicere debemus. Primo enim, laudandus est in Nativitate, quia tunc ad nos salvandos venit. S. Gregorius Nazianz. orat. 38. *Christus*, inquit, *gignitur, glorificate: Christus e cælis, obviam prodite: Christus in terra, subvehimini: Cantate Domino omnis terra.* Et postea pag. 620. graviter eos reprehendit, qui ob nativitatem minora de eo sentiant, eosque vocat σκοτεινοὺς περὶ φῶς, circa lucem tenebrosos, circa sapientiam imperitos, ingratas creaturas, diaboli figmenta. Secundo, in Epiphania laudandus est Christus, quia se nobis manifestat per summam bonitatem, stella mirabili eum nobis ostendente. S. Bernardus serm. 1. in Epiph. *Quanto, ait, minorem se fecit in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate: et quanto pro me vilior, tanto mihi charior est:* ita ipsa. Magi dicebant Matth. 2. v. 2. *Vidimus stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum.* Tu etiam dic, *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum.* Tertio, Christus laudandus est ob Passionem, qua propria atque complete nos redemit. Si enim, ut ait Clemens Alex. lib. 4. Strom. gloria est laboris filia, quanta illi danda est gloria, *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta?* Hebr. 12. 2. *Et semetipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis,* Philip. 2. 7. Quarto, in resurrectione omnes eum Sancti e limbo extracti laudant, et angeli adorant, ut dixi supra. Quinto, Eucharistia, nomen est ac res laudis et gratiarum actionis. Sexto denique, totus Christus laudes a nobis exposcit. S. Ambros. in Ps. 118. *Et tu*, inquit, *Christiane dormis, cui magister est Christus? Quamdiu te somnus, quamdiu sæcularia tenent? Divide saltem Deo et sæculo tempora tua. Mane festina ad Ecclesias, defer primitias voti tui, et postea si vocat sæcularis necessitas, non excluderis dicere: Prævenerunt oculi mei mane meditari verba tua.* 83. Christus est ante solem, et coram sole. *Sic securus procedes ad actus tuos. Quam iucundum inchoare ab hymnis et canticis!* ita Ambrosius.

Nota secundo, pro *ante solem*, Hebr. est לפני שמש *liphne scemes,* quod primo Campensis vertit: *Priusquam*

esset sol, ab æterno filius erat nomen illi. In Hebr. enim est ינון *innon*, quod quidam vertunt, filiabitur, id est, filius appellabitur: vel propagabitur: Noster vertit: *Ante solem permanet nomen eius*. Chaldæus: *Antequam creatus esset sol, præparatum erat nomen eius*. Fortasse legerat *iccon*, id est, præparabitur, firmabitur, manebit.

Secundo, S. Hieronymus vertit, *ultra solem*, indicans tota æternitate duraturum nomen eius. Sic enim habet: *Erit nomen eius in æternum ultra solem*. Sed *liphne* non significat *ultra*, sed coram, in conspectu, ante faciem.

Tertio itaque, et clarissime, Flamin. vertit, *coram sole*. Sic enim habet: *Coram sole propagabitur nomen eius*. Caietanus reddit, faciebus solis filiabitur nomen eius, hoc est, ante faciem solis, aut instar solis. Ubi adverte, quod nomen Iesu luminosum manet *coram sole*. Primo, ratione extensionis: quia ubicumque sol radios spargit, ibi Iesu nomen fulget. Ps. 109. v. 1. *Ab ortu solis usque ad occasum laudabile nomen Domini*. Secundo, ratione intensionis: quia Iesu nomen est splendidius luce solis; alioqui coram ipso non appareret, sed absconderetur nobis, sicut luna et stellæ: nominis illius splendor nunquam excedit. Zachar. 6. 12 *Ecce vir oriens nomen eius;* semper oritur, et non vergit ad vesperam. Sol hic visibilis noctem impedire non potest, sed quotidie nobis occidit

84. Lux nominis Iesu totum orbem illustrat et beatificat. Unde sequitur vers. eodem 17. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt (S. Hieron. Pagninus et Felix, beatificabunt) eum. Tertullianus lib. 5. contra Marcion. cap. 9. beatum eum dicent. In Hebræo est, benedicentur in ipso omnes gentes, et beatificabunt eum. Itaque Sept. addiderunt, *omnes tribus terræ*, id est, provinciæ atque regiones et familiæ. Sic Iudæa distributa fuit in duodecim tribus, ob 12. filios Iacob, quibus data est in possessionem: nam loco tribus Levi, quæ partem non accepit, Manasses et Ephraim filii Ioseph fecerunt duas tribus, adoptati a Iacob velut proprii filii. Sic urbs Roma distributa est a Romulo primum in tres tribus seu partes, unde Varro vult venisse nomen tribus. Plinius vero et Livius volunt Romæ statim fuisse partes quatuor, et dictas esse tribus a solvendo tributo: vel certe dictæ sunt tribus a verbo tribuo, id est, distribuo, divido.

Vers. 17 2. Pars.

85. Nota, in Christo, id est, per Christum benedicentur omnes tribus terræ: quia ab ipso, et per ipsum datur omnibus omnis gratia et gloria, tum quia moraliter illam omnibus meritus est: tum quia illam physice in omnibus producit et conservat: benedictio enim Dei est efficax, et idem est in eo benedicere et benefacere. Hoc autem facit per Christum. Deus, id est, angelus legatus Dei, dixit Abrahamo, Gen. 22. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ*, volendo immolare Isaacum. Hoc autem de Christo esse explicandum docet Apostolus, cum non dicatur in seminibus, sed in semine, quasi in uno. Clemens Alex. probat, homines omnia bona possidere, quia sunt amici Dei. Sic autem ait in admonitione ad gentes, fol. 57. Si sunt communia ea quæ sunt amicorum, est autem homo religiosus et Dei amicus, Verbo intercedente, γινεται παντα ανθρωπου, *fiunt omnia hominis*, quia sunt Dei omnia: et sunt omnia amborum amicorum communia, Dei et hominis: ita Clemens. Amicitia autem illa et fraternitas cum Christo præsertim, et per Christum est. Eum vocat David Ps. 3. 4. gloriam suam. Isaias cap. 62. 3. coronam gloriæ et sertum exultationis populi sui: ubi Chald. vertit, coronam gaudii, et diadema laudis. Par etiam ratio est, ut eum omnes gentes glorificent. S. Greg. Naz. orat. 38. pag. 68. ad hoc natum esse hominem docet, ut Deum laudet. Verba eius sunt: *Deus hominem, veluti* κοσμον δευτερον, εν μικρω μεγαν, *mundum alterum, in parvo magnum, in terra collocat:* αγγελον αλλον, προσκυνητην μικτον, *angelum alterum, mistum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intellectualis mysten: eorum quidem quæ in terra sunt, regem: superis autem subditum, terrenum et cælestem, caducum et immortalem,*

Homo est magnus mundus.

visibilem et intelligibilem, medium inter magnitudinem et humilitatem, eumdem spiritum et carnem: spiritum, propter gratiam: carnem, ob superbiam: illud, ut maneat, et benefactoris gloriam prædicet: hoc, ut vexetur, et per vexationes admoneatur, et ob magnitudinem glorians erudiatur atque castigetur: ita Gregorius.

Sicut benedicentur in Christo omnes gentes, ita benedici illum exoptat ipse David, cum videat illum incarnatum, passum, resurgentem, et in throno suo sedentem mira facere, v. 18. Benedictus Dominus Deus Israel (id est, Israelis, ut legit Tertull. 5. contra Marcion. c. 9.) qui facit mirabilia solus. Nota, Chaldæi hac loquendi formula utuntur, *Benedictus misericors*, id est Deus. Misericordia enim eius maxime movet homines ad eum benedicendum. Hebræi sic Deum circumscribendo efferunt: *Benedictus ipse*, q. d. Nullus alius est benedictus, aut benedicendus, nisi Deus. 86.

Vers. 18.

Nota, magnum motivum benedicendi Deum et Christum, est miraculorum patratio. Menalippides poeta Lyricus Deum vocat miraculum. Verba eius sunt: *Audi me, o pater* θαυμα βροτων, *miraculum mortalium, qui regis animam semper viventem*. Secundo, maius motivum benedicendi est, quia miracula illa facit solus: miraculum enim est opus excedens omnem vim naturæ creatæ, sive humanæ, sive angelicæ, ut docet S. Thom. 1. p. q. 110. art. 4. ad 2. De ratione miraculi tria esse docet ibidem q. 105. art. 7. ad 2. nempe ut sit arduum, hoc est supra vires naturæ creatæ; 2. ut sit præter spem naturæ, id est, quod non habeat ad illud naturalem ordinem, sed ordinem obedientialem; 3. quod sit insolitum, hoc est, præter modum eius consuetum. Hæc omnia involvuntur in verbis Davidis nostri: *Qui facit mirabilia solus*. Ratio est quia Primo solus est sapiens, ut sciat quomodo miracula illa sint facienda. Rom. 16. 27. *Soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui* (το *cui*, redundat per hebraismum) *honor et gloria in sæcula sæculorum*. Secundo, solus est bonus, ut velit illa miracula facere. 2. Mach. 1. 24. Nehemias invento sacro igne in aquam crassam mutato, sic orat: *Domine Deus omnium creator, terribilis et fortis, iustus et misericors, qui solus es bonus rex*. Tertio, Deus solus est potens, qui possit illa miracula patrare. Idem Nehemias v. 25. pergit: *Solus præstans, solus iustus et omnipotens*, etc. orationem autem illam faciebat Deum benedicendo, quod sol radiis suis aquam crassam coniectam in hostias magno miraculo inflammasset, adeo ut illas consumeret.

Deus est miraculum.

Nota, ut Christus ostenderet se solum facere mirabilia, venit in hunc mundum sine exercitu, sine divitiis et honoribus, in stabulo nasci voluit, in officina fabri vivere, in cruce mori. S. Hilarius lib. 3. de Trinit. fol. 38. *Dei filius*, ait, *homo nascitur, sed Dei in partu Virginis virtus est Dei filius: homo cernitur, sed Deus in operibus hominis existit. Dei filius crucifigitur, sed in cruce hominis mortem Deus vincit. Christus Dei filius moritur, sed omnis caro vivificatur in Christo. Dei filius in inferis est, sed homo refertur ad cælum. In quantum hæc laudabuntur in Christo, tanto plus laudis, ex quo Christus Deus est, consequetur*. S. Bernardus mirabilia Incarnati Verbi acervat homil. 2. super Missus est: *Ibi*, ait, *agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactantem, sed angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem*. 87.

Christus solus facit miracula.

Denique concludit, Deum esse benedicendum ob suam maiestatem, v. 19. Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum, et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat. De illa formula loquendi, *fiat, fiat*, sive, *Amen, Amen*, iam dixi Ps. 40. v. 14. et ult. 88.

Vers. 19.

Quæres, quodnam sit nomen maiestatis Dei? Nota, pro *maiestatis*, Hebr. est *gloriæ*, ut etiam S. Hieron. Flamin. Pagnin. et Arias vertunt, et S. August. legit. Respond.

Nomen maiestatis in Deo quodnam?

I. Iehova. itaque, quod nomen maiestatis seu gloriæ Dei est Primo nomen Iehova: quia, ut ait S. Thomas 1. p. quæst. 13. artic. 11. maxime proprium nomen Dei est tetragrammaton, quod est impositum ad significandam Dei substantiam incommunicabilem, et, ut sic liceat luqui, singularem. S. Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 12. dicit, quod principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur, nominibus est, *Qui est.* Totum enim in seipso comprehendit, velut quoddam pelagus substantiæ infinitum et indeterminatum. Quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus substantiæ rei: sed hoc nomen, *Qui est*, nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes: et ideo nominat ipsum pelagus substantiæ infinitum. Alludit Damasc. ad dictum S. Gregor. Naz. orat. 38. pag. 613. qui Deum vocat πελαγος ουσιας απειρον και αοριστον, *pelagus essentiæ immensum et interminatum.* Auctor libri de fundamentis, lib. 2. cap. 28. Nomen, inquit, quod scribitur per Iod, He, Vau, He vocatur *Sem hemmephuras*, hoc est, nomen distinctum. Ideo autem vocatur distinctum, quia est peculiare et proprium Deo benedicto præ cæteris nominibus. Alia enim nomina dicuntur de Deo, et de aliis præter Deum: quia illa nimirum imposita sunt Deo benedicto, sive habita ratione creaturarum, sive propter aliam rationem: non autem habita ratione ipsius esse necessarii. Sic Elohim significat potestatem: ideoque tribuitur Deo, et aliis præter Deum. Tribuitur enim hæc vox Elohim etiam angelis et iudicibus. Sic etiam Adonai significat dominium: ideoque Deo, aliisque præter Deum tribuitur. Sic est de aliis nominibus, quæ similiter possunt Deo tribui, et aliis præter Deum, vel perfecte ομωνυμως, vel secundum prius et posterius. At nomen tetragrammaton nullo modo dici potest de alio, quam de Deo: quia hoc nomen Deo convenit, quatenus est ens necessarium: ita illo Hebræus. Hoc ipsum dicit R. Eliezer in libro Pirke, sive Capitulorum. Si, ait, consideretur Deus in se, seorsim et simpliciter absque ulla operatione, nullum habebit omnino nomen derivatum, sed solum nomen proprium, quod designet ipsius substantiam. Nullum autem habemus nomen, quod non sit derivatum, præter nomen Iod, He, Vau, He, quod est nomen distinctum, sive explicatum. Hæc Eliezer. Nomen, porro Iod, He, Vau, He, est nomen יהוה *Iehova*, in eo enim sunt litteræ illæ quatuor, seu potius tres, sed He bis ponitur. Vide dicta Ps. 8. v. 1.

89. II. Christus. Secundo, *nomen maiestatis* sive gloriæ est nomen *Christus*, sive *Messias;* hæc enim duo nomina idem omnino significant, nempe unctum, et sunt maxime propria huic individuæ naturæ et personæ inter se substantialiter unitis. Adeo autem illud nomen *Christus* amavit et suspexit, atque benedixit S. Paulus, ut illud repetierit quadringenties et semel in suis quatuordecim epistolis non longis. Guidacerius per *benedictum nomen maiestatis*, sive gloriæ, intelligit Filium Dei, hoc est, Christum ipsum, qui ab eodem Paulo Hebr. 1. 3. vocatur, *Splendor paternæ gloriæ.*

III. Iesus. Tertio, et melius, *nomen maiestatis*, sive gloriæ, est nomen Iesu, quod Paulus in suis epistolis repetit ducenties decies novies. Nonne nomen est maiestatis et gloriæ, nomen quod est super omne nomen, et coram quo curvatur omne genu? Dicitur autem ad Philippenses 2. v. 9. *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum,* id est, animarum in purgatorio existentium: imo dæmonum et hominum damnatorum. Hi enim etiam timent et reverentur nomen Iesu: *Et omnis lingua confiteatur, quia,* quod, *Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Consule Ps. 8. v. 1. in illud: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* In Psal. nostr. additur: *Et replebitur maiestate eius omnis terra.* Chald. vertit, replebitur splendore gloriæ eius omnis terra. De Seraphim a se in templo visis ait Isai. cap. 6. 3. Clamabant alter ad alterum, et dicebant: *Sanctus, San-*

A

ctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius; per creationem et gubernationem, ac nominatim per continuam productionem herbarum, florum, arborum, animalium et hominum, quæ assiduam et copiosam suppeditat materiam divinæ potentiæ, bonitatis et maiestatis collaudandæ, ut ait Cornel. qui subdit, magis divine ac prophetice cum S. Cyrillo, Hieron. et Haym. per gloriam accipe Christi vitam et miracula, ac prædicationem per Apostolos eorumque successores, per quos mysterium SS. Trinitatis et incarnationis toto mundo celebratur, q. d. Fastidit iam Dominus templi et Hierosolymæ angustias, laxiores ædes suæ destinat habitationi: universa terra erit deinceps templum cultorumque eius et gloriæ sanctuarium, ubique concinent *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Ludolphus in Psal. nostrum ait, quod replebitur maiestate Dei omnis terra, id est, tota Ecclesia in missione Spiritus sancti, qui tunc implebit orbem terrarum: et in miraculis per Sanctos factis, quæ sunt declarativa divinæ maiestatis.

B

Tropol. replebitur maiestate et gloria Christi corpus nostrum in resurrectione, quando conformabitur claritati corporis eius: et anima, cum repletur scientia, iustitia, lætitia, et presertim lumine gloriæ, quo Deum videbit. Licet sis adhuc terra, id est, terrenus, ne desperes ad Deum convertere, repleberis maiestate eius, maior est te Deus, imo terra tota et cælo te implebit: terrena omnia non implent, exilia sunt et tenuia, vacuum et ieiunum hominem relinquunt. Euphorion et Æschilus dicebant: *Æther, terra et cælum sunt Iupiter,* Ζευς τοι τα παντα, *imo omnia est Iupiter, et si quid supra.* Dicebat Virgilius Iovis omnia plena. Deus ipse dicit Ier. 18. 24. *Cælum et terram ego impleo.*

Nota, quodlibet Dei nomen benedicendum est, amandum atque reverendum. S. Franciscus maxime afficiebatur, cum pronuntiabat nomen *Dominus*, et multo magis, cum nomen *Iesus*, ut alias dixi. S. Ephrem de S. Iuliano monacho refert in eius vita, quod, cum ab eo inquisisset, quis libros corrupisset (nam ubi erat nomen *Deus*, aut 90. Nomine Dei lecto lacrymas fundens.

C

Dominus, aut *Iesus Christus*, aut *Salvator*, litterarum elementa deleta reperiebantur) beatus ille vir respondit: Nihil a te penitus abscondam. Fornicatrix mulier ad Salvatorem accedens, lacrymis pedes ipsius irrigavit, et capillis capitis sui abstersit: et *ubicumque nomen Dei mei scriptum comperio*, lacrymis meis rigo, ut remissionem ab eo peccatorum accipiam. Ego vero gratiose ad eum dixi: Deus qui benignus est et misericors, bonum illud tuum suscipiat propositum, verumtamen libris parcas. At ille dixit: Non irrigatur cor meum, nisi plorem coram Domino Deo meo: ita Ephrem.

Post finem Psalmi additur v. 20. DEFECERUNT LAUDES 91. (S. Hieron. completæ sunt orationes. Felix, finitæ sunt Vers. 20. orationes) DAVID FILII IESSE, sive Isai: utroque enim modo effertur nomen patris Davidis. Hebraice tamen semper legitur ישי *isciai*, quæ vox significat abundantem, sufficientem; 2. munus; 3. ens, existens; 4. debitor. Chaldaice etiam semper ponitur Isai, Græce ιεσσαι, Latine nunc Isai, nunc Iesse habetur.

D

Nota, hæc verba non sunt Davidis, sed Esdræ, aut illius qui in ordinem psalmos digessit. Secundo, sunt Scriptura canonica, cum in Vulgata habeantur, nec ulla sit ratio de illis verbis dubitandi. Tertio, non sunt de contextu psalmi, sed ei addita sunt, non sunt etiam de titulo sequentis, licet S. Augustin. et aliqui alii id dicant. Quarto denique, illis verbis declaratur hunc psalmum esse ultimum, quem David composuerit et cecinerit, cum Salomon filius eius est unctus in regem: qua de re plura dixi in titulo huius Psalmi. Tu vide, ut deficiant, id est, finiantur laudes tuæ, orationes et Psalmi in veri Salomonis, id est, Christi tui coronatione et glorificatione, eius unius gloriam et laudem amans et spectans, ac postea nihil: in iis laudibus deficias, ut in æternum te reficiat et perficiat. Amen, Amen.

PSALMUS SEPTUAGESIMUS SECUNDUS.

PSALMUS ASAPH.

1. QUAM bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.
2. Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.
3. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.
4. Quia non est respectus morti eorum: et firmamentum in plaga eorum.
5. In labore hominum non sunt: et cum hominibus non flagellabuntur.
6. Ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate et impietate sua.
7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.
8. Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.
9. Posuerunt in cælum os suum: et lingua eorum transivit in terra.
10. Ideo convertetur populus meus hic: et dies pleni invenientur in eis.
11. Et dixerunt: Quomodo scit Deus: et si est scientia in excelso?
12. Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.
13. Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas.
14. Et fui flagellatus tota die: et castigatio mea in matutinis.
15. Si dicebam, narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.
16. Existimabam ut cognoscerem hoc: labor est ante me.
17. Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.
18. Verumtamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos, dum allevarentur.
19. Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.
20. Velut somnium surgentium, Domine: in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.
21. Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.
22. Ut iumentum factus sum apud te: et ego semper tecum.
23. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me:
24. Quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram?
25. Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.
26. Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.
27. Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.
28. Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.

PSALMI SEPTUAGESIMI SECUNDI ANALYSIS.

David desiderata primum, deinde spreta felicitate impiorum, uni Deo adhærere cupiens, describit:

- Primo, Dei bonitatem ergo homines, 1.
  - Iustos
    - In vera fide manentes. 1.
    - Et qui sunt recto corde. 1.
  - Peccatores
    - Tantam
      - Ut iusti ipsi ad eius aspectum fluctuent. 2.
      - Et ob eam indignentur. 2.
    - Tam suavem
      - Ut pace perpetua gaudeant. 3.
      - Mortem non videant. 4.
      - Morbos non sentiant. 4.
      - Labore non fatigentur. 5.
      - Flagellis non concidantur. 5.
- Et hominum recessum a Deo:
  - Peccatorum
    - Per superbiam. 6.
    - Per iniquitatem. 6.
    - Per impietatem. 6.
    - Per arrogantiam. 7.
    - Per cupiditatem. 7.
    - Per cogitationem iniquam. 8.
    - Per locutionem
      - Impudentem in omnes. 8.
      - Blasphemam in Deum. 9.
      - Detractoriam in homines. 9.
  - Iustorum imperfectorum
    - Admirantium impii felicitatem
      - Quam curiose aspiciunt. 10.
      - Et nimis magnam putant. 10.
    - Dubitantium de scientia Dei
      - In terra. 11.
      - Et in cælo. 11.
    - Queritantium ob divitias impii
      - Aperte peccantis. 12.
      - Et iam locupletis. 12.
    - Exprobrantium opera sua iusta
      - Cordis. 13.
      - Et manuum. 13.
    - Moleste ferentium clades suas
      - Diuturnas. 14.
      - Et cito immissas. 14.
- Secundo, se veritatem erga homines, quam
  - Iusti
    - Perfecti evitent, in filios electi. 15.
    - Imperfecti vix agnoscant. 16.
    - Sancti in cælo intueantur. 17.
  - Peccatores
    - Sentiant spe sua elusi. 18.
    - Ipsa in exaltatione deiecti. 18.
    - Funditus deleti. 19.
    - Morte subita extincti. 19.
    - Ob scelera puniti. 19.
    - Felicitate, somnii instar evolante, privati. 19.
- Et hominum accessum ad Deum,
  - In vitæ unitivæ initio,
    - Corde, desiderio perfectionis ardente. 21.
    - Cupiditatibus compressis. 21.
    - Cognitione habita
      - Vilitatis suæ. 21.
      - Et ignorantiæ. 21.
  - In progressu
    - Traditione sui in obsequium Dei. 22.
    - Iugi cum ipso mansione. 22.
    - Operatione bona cum eius auxilio. 23.
    - Ambulatione in via mandatorum eius. 23.
    - Admissione ad eius splendorem. 23.
  - In fine
    - Omnia pro Deo spernendo
      - Cælestia. 24.
      - Terrestria. 24.
    - Deficiendo in ipso
      - Corpore. 25.
      - Et animo. 25.
    - Eum unum optando
      - In cordis sui amorem. 25.
      - Et æternam hæreditatem. 25.
    - Illi uni adhærendo
      - Cognita ruina peccatorum. 26.
      - Et utilitate unionis cum ipso. 27.
    - Spem omnem in eo ponendo
      - Ut Domino. 27.
      - Et Deo suo. 27.
    - Eum solum laudando
      - In Ecclesia militante. 28.
      - Et triumphante. 28.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

PSALMUS ASAPH.

Hunc Psalmum scripsit David ad consolationem piorum, quos nonnunquam offendit, et urit impiorum felicitas. Præmittit enim, Deum bonum esse rectis corde, deinde describit illam sceleratorum prosperitatem, et piorum afflictionem: sed se in arcana Dei adyta penetrantem cognovisse, tandem impiorum felicitate nihil esse infelicius, nihil vero felicius infelicitate piorum. De titulo psalmi actum est Ps. 49.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

1. TRIA PRÆSTAT. PRIMO, INDIGNATIONEM SUAM ET IUSTORUM ADHUC IMPERFECTORUM DESCRIBIT, VERS. 1. SECUNDO, SEIPSUM REPREHENDIT, ET AGNOSCIT FELICITATEM ILLORUM ESSE BREVEM, MISERIAM VERO SEMPITERNAM, V. 15. TERTIO DENIQUE, AMORE DEI INCALESCENS, EUM UNUM SIBI, CÆTERIS CONTEMPTIS, ELEGIT, VERS. 21.

SECTIO PRIMA.

2. *Quatuor exprimit. Primo, bonitatem Dei erga iustos, qui recto sunt corde, vers. 1. Secundo, fluctuationem suam ob terrenam felicitatem sceleratorum, vers. 2. Tertio, illam felicitatem amplificat, et inde orta eorum scelera, vers. 3. Quarto denique, iustorum imperfectorum et suam fluctuationem, vers. 4.*

PARAPHRASIS.

1. *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.*

1. Vere infinita est Dei erga fideles benignitas, quando sincera mente affectuque, cultui se illius virtutisque studio mancipant.

2. *Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.*

2. Quod cum minus attenderem, in lubrica cœnosi mundi via, animi mei motus titubare, et prope humi affligi, persensi.

3. *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.*

3. Quoniam ridentibus in pratis quietam pacem et otia agentes impios aspexi, et moleste tuli.

4. *Quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum.*

4. Velut immortales ludo se iocisque perpetuis securi dedunt: neque gravioribus afflicti vulneribus, morbisve, aut calamitatibus languescunt: sed si quid inciderit, statim ad levem flatum evolat.

5. *In labore hominum non sunt: et cum hominibus non flagellabuntur.*

5. Otiosi reliquos mortales laboribus confectos, fame, frigore, calore, innumerisque incommodis enectos vident: neque in partem ullam humanarum calamitatum veniunt.

6. *Ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate et impietate sua.*

6. Ob tantam felicitatem intolerando fastu et arrogantia turgescunt, et oculis, manibus, pedibus, totoque corpore impietatem, omniaque scelera spirant.

7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.*

7. Hæc eorum impietas ex opum ubertate, velut ex adipe, ipsis pene non cogitantibus erumpit: suisque se cupiditatibus abripi in omnem partem sinunt: eoque transeunt, quo ira, cupiditas, aliaque præcipites abstulerint.

8. *Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.*

8. Cum omnia sibi licita credant, non continent conceptam mente nequitiam: sed eam statim gloriabundi effundunt, ac publicis celeberrimisque in locis propalant.

9. *Posuerunt in cælum os suum: et lingua eorum transivit in terra.*

9. Venenata verborum spicula eiaculantur in cælum, et lingua sua obvios quosque lacerant, neque superis, neque inferis parcentes: sed quidquid in buccam venerit, effundentes.

10. *Ideo convertetur populus meus hic: et dies pleni invenientur in eis.*

10. His verbis, factisque impiorum excitantur pietati dediti, ut a cœpta via desistant, et felicitatem hanc floream impiorum contempleutur: quod cum faciunt, dies in eis bonorum omnium plenos, ad multam senectutem beatos lætosque comperiunt.

11. *Et dixerunt: Quomodo scit Deus: et si est scientia in excelso?*

11. Eoque aspectu perculsi tacitis apud se cogitationibus dixerunt: Qui fieri potest, ut Deus e summo cælorum palatio res has terrenas despiciat, et scelera nefariorum ac prosperitatem videat ac permittat?

12. *Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.*

12. Nam intuemur a peccatoribus supplicio omni dignissimis rerum terrenarum abundantiam ac divitias obtineri: iustos vero paupertate ac miseriis dirissime affligi.

13. *Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas.*

13. Ego quoque vocem meam querelis impiorum adiunxi, et apud me dixi: Si divitiæ atque felicitas ad sceleratos transeunt, probos deserunt frustra cogitatus, affectusque, et opera ab omni labe expurgata servavi.

14. *Et fui flagellatus tota die: et castigatio mea in matutinis.*

14. Novæ enim diebus singulis calamitates succrescunt, ac totum tempus a prima aurora ad multam noctem infestum molestumque mihi efficiunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quam exitialis felicitas peccatorum.

3. Ordo Sectionis. David noster hoc in Psalmo intendit probare, Deum unum spretis terrenis omnibus quærendum et amandum esse: quod ut eleganter præstet, describit primo felicitatem ridentem improbis, tum illam contemnens in unum se Deum abiicit.

Primo itaque, Dei bonitatem admiratur erga eos qui pura rectaque intentione in eum tendunt, neque creaturarum amore se in avia ferri patiuntur, v. 1. *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.*

Secundo, infirmitatem suam declarat, qui non recto, sed titubanti corde extiterit, v. 2. *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.* Causam attexit fluctuationis, v. 3. *Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.*

Tertio, pacem illam quietissimam et perfectissimam delineat, quam nihil interturbet. Primo, non ipsa mors, quæ ne luridam quidem faciem suam illis ostendit, v. 4. *Quia non est respectus morti eorum.* Secundo, non morbi: *Et non est firmamentum in plaga eorum.* Tertio, non curæ interiores, v. 5. *In labore hominum non sunt.* Quarto, non flagella exteriora: *Et cum hominibus non flagellabuntur.*

Quarto, impiorum scelera ex felicitate illa terrena exorta declarat. Primo, superbiam, v. 6. *Ideo tenuit eos superbia.* Secundo, impietatem: *Operti sunt iniquitate et impietate sua.* Tertio, arrogantiam, v. 7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Quarto, effrænem licentiam: *Transierunt in affectum cordis.* Quinto, malitiam, v. 8. *Cogitaverunt.* Nono, temeritatem: *Et locuti sunt nequitiam.* Decimo, impudentiam: *Iniquitatem in excelso locuti sunt.* Undecimo, blasphemiam in Deum, v. 9. *Posuerunt in cælum os suum.* Duodecimo, detractionem in homines: *Et lingua eorum transivit in terra.*

Quinto, indignationem iustorum needum perfectorum, qui nimis curioso oculo hæc intueantur, v. 10. *Ideo convertetur populus meus hic*, ut scilicet illa contempletur. Secundo, admirentur impiorum felicitatem. *Et dies pleni invenientur in eis.* Tertio, verbis titubationem mentis suæ indicent, vers. 11. *Et dixerunt: Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso?* Quarto, dolorem aperiant, v. 12. *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.*

Sexto denique, se illis imperfectis adiungit David, et fatetur se animo quoque vacillasse, et apud se murmurasse, quasi frustra virtutem sequeretur, v. 13. *Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas.* Cum diuturnas calamitates patiatur, v. 14. *Et fui flagellatus tota die: et castigatio mea in matutinis.*

ARTICULUS I.

Quanta Dei bonitas erga iustos.

4. Vers. 1. Ne David noster de amantissimi parentis erga liberos charissimos pietate dubitasse prorsus videretur, præmittit suam de eius bonitate opinionem, v. 1. Quam bonus Israel (Græce, το Ισραηλ) Deus, his qui recto sunt corde? Hebraice, mundis corde. Syr. synceris corde. Quinam sint recti corde Ps. 7. 11. dictum est.

Nota, David explicaturus tentationem, et scandalum pusillorum, quorum personam in hoc psalmo induerat, primo iacit fundamenta rectæ fidei, ut intelligamus, neque ipsum, neque illos, quorum personam induerat, circa fidem divinæ providentiæ naufragasse; quod idem fecit Propheta Ieremias cap. 12. primum enim ait, *Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum:* deinde hoc fundamento posito, subiungit: *Verumtamen iusta loquar ad te: quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui prævaricantur,* etc. Sic igitur hoc loco David primum affirmat, Deum bonum esse, ac per hoc iustum: sed bonum ut est, videri bonis, qui sano iudicio præditi sunt, quamvis perversis perversus videatur. Ait igitur, non interrogando, sed affirmando: *Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde.* In Hebræo sic legitur ad verbum, Certe bonus est Deus Israeli: Israelitis, inquam, qui puro sunt corde. Itaque Deus, qui in se semper est bonus, rectus et iustus, est etiam talis Israelis iudicio, non tamen omnis Israeliis, sed iis ex Israele, qui purum cor habent: id est, liberum a fumo passionum, ut recte possint iudicare; sive iis qui recto sunt corde, ut conforme sit rectitudini Dei: distortis enim, quod rectum est, distortum esse videtur: ita Bellarminus. Ubi adverte, verbum reale, nempe το *est*, poni pro verbo mentali, nempe, cognoscit, cogitat, fatetur, credit: quæ loquendi ratio frequens est Hebræis in aliis etiam verbis. Sic Ieremiæ 11. 10. dicitur: *Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes.* Id est, ut annunties has gentes et regna evellenda, etc. Contra vero, verba mentalia vel vocalia aliquando sumuntur pro realibus. Sic de Christo Isa. 9. 6. dicitur: *Vocabitur admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi.* Vocabitur, id est, erit. Olei fontem in Æsculapii gymnasio fluxisse docet Heraclides: Deus vero noster fons est bonitatis, benignitatis, pietatis, mansuetudinis, et misericordiæ. Est Deus Sciaddai, id est, mammens, et sibi materna ubera attribuit. De ipso Apuleius dicit l. 11. Metamorph. *Deus dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuit: nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue, eius transcurrit beneficiis otiosum.* Sed præsertim cum bono bonus est, Ps. 17. v. 27. S. Ambrosius lib. 3. de interpellatione Iob et David, cap. 2. Nemo, ait, potest Deum bonum fateri, nisi hic qui non ex successionibus commodorum suorum, sed ex cælestium mysteriorum profundo, et divinæ dispositionis altitudine, bonitatem eius cognoscit, quæ non specie præsentium, sed futurorum utilitate pensanda est. *Iusto itaque semper bonus est Deus*, et cum torquetur doloribus corporis, et cum affligitur acerbitate pœnarum, semper dicit Iobi 2. *Si bona accepimus de manu Domini, quæ mala sunt, cur non sustineamus?* Gratulatur hic se conteri, ut in futurum consolationem invenire possit; sciens, quoniam qui bona receperit in hac vita, habet mercedem suam: futura præmia sperare non poterit, qui non luctatus, non exercitatus sit diversorum certamine præliorum. Qui vero sive iuste sive iniuste afficitur in hoc sæculo, gratulatur vel quod hic solvat pretia delictorum suorum, vel quia novit eam esse apud Deum uberiorem gratiam, si iniuste pro eius nomine, aut pro bono aliquo opere acerba aliqua patiatur, secundum quod scriptum est 1. Petri 2. *Quia nulla est gloria, si peccantes punimini et suffertis: sed si benefacientes et patientes: hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia Christus pro nobis mortuus est, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia eius; qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledixit: cum pateretur, non comminabatur.* Ergo iustus etiamsi in equuleo sit, semper iustus est, quia iustificat Deum, et minora se peccatis suis dicit sustinere. Semper sapiens est, etc. Hæc Ambrosius.

Nota, το *quam bonus*, potest dicere et intensionem, et extensionem. Primo enim, Deus est intensissime bonus, quia est per se et substantialiter atque essentialiter infinita bonitas, a nullo quidquam accipiens, et omnibus omnia tribuens. Non est bonus, quod habeat bonitatem, sed quia ipsa bonitas est. Clemens Alexand. lib. 1. Pæd. cap. 8. Deus ait, non dicitur bonus, eo quod virtutem habeat: sicut iustitia bonum esse dicitur, non eo quod virtutem habet: αρετη γαρ εϛιν αυτη; est enim virtus ipsamet: sed quod ipsa secundum se, ac propter se est bona. Secundo, Deus bonus est extensive. 1. Fuit bonus in creatione producendo bona, Genes. 1. 31. *Vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* 2. In redemptione. Ioan. 10. 11. *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* 3. In iustificatione. Rom. 11. 22.

Verba realia pro mentalibus Hebræi sumunt.

Olei fons.

Deus est fons bonitatis.

5. Deus bonus est intensive et extensive.

Vide bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem, bonitatem, Græc. χρηστότητα, benignitatem, *Dei, si permanseris in bonitate,* id est in fide, ait Clemens Alexand. lib. 1. pædag. cap. 8. vel, in gratia et bonis operibus, ait Cornelius, illam laudando, illi gratias agendo, illi serviendo et obediendo. 4. Bonus est Deus patientia, qua peccatores expectat, ut convertantur. Rom. 2. 4. *An divitias bonitatis,* id est exuberantem bonitatem, *et patientiæ, et longanimitatis contemnis?* 1. Timoth. 16. ait Apostolus Deum in sui conversione ostendisse omnem patientiam. 5. Bonus est Deus, cum punit in hac vita. In nummis Antonini Pii efformatum erat fulmen, atque in lecto collocatum. In aliquot numismatis Caroli V. et Maximiliani II. Aquila fulmini insidebat, cui olivæ ramus erat adiectus, ut in ipso fulmine, id est punitione, lenitatem se adhibere indicarent. Ludit Deus in orbe terrarum cum filiis hominum: et iuvat, cum maxime terrorem iniicit. Cum Mithridates Asiæ rex et Ponti, in cunis adhuc vagiret, collapsum fulmen fascias, quibus erat involutus exussit, neque ipsum læsit; vestigium tamen quoddam ignis in fronte eius relictum est, quod facile coma occultaret. Ad hæc, cum iam vir esset, ita propinquum ei dormienti decidit, ut tela in pharetra, quæ haud procul a lecto pendebat, condita conflagrarint, ipse tamen intactus permanserit. Dei etiam bonitatem ex hoc ipsi ethnici cognovisse se denotarunt: quod, ut ait Seneca lib. 2. natur. qu. cap. 63. dicerent, fulmen a solo Iove missum, esse placabile: quod vero aliis diis auctoribus mitteret, esse perniciosum. Natura Dei est bonitas. 6. Bonus est Deus etiam cum punit in alia vita, quia punit citra condignum. 7. Denique, maxime bonitatem suam declarat in glorificatione Sanctorum. Eph. 2. 6. *Nos consedere fecit in cælestibus, in Christo,* id est cum Christo, *Iesu, ut ostenderet in sæculis supervenientibus,* id est temporibus sequentibus, *abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* id est per Christum Iesum.

Etiam cum punit. — *Fulmen in lecto.* — *Aquila insidens fulmini et olivæ.* — *Mithridatis fascias fulmen dissolvit ipso illæso.*

6\. Nota secundo, hæc bonitas Dei cogitanda est atque imitanda. Primo enim hæc cogitatio est utilissima. Ptolomæus Ægypti rex apud Aristeam cum interrogaret unum e Septuag. Interpretibus, qu. 18. petit, Quomodo posset habere optimas cogitationes et deliberationes? ille respondit: Si proposueris tibi iusta, et statuas iniustitiam esse vitæ privationem et perniciem. Iustis vero, ἀγαθὰ προσταμένειν μέγιστα, semper adornare bona maxima. Secundo, imitanda est Dei bonitas: 1. Erga Deum ipsum te exhibendo bonum et pro eo tua bona effundendo: non potes enim par illi rependere, quantumcumque dones. Agapetus in Capitulis Paræneticis cap. 43. egregio simili hoc declarat, umbræ scilicet ambulantem semper præeuntis, ἰσάριθμα ἄστροις, æqualia numero sideribus etsi edideris bona opera, non tamen ob id superabis Dei bonitatem: *quæcumque enim quispiam obtulerit Deo, sua ipsi offeret: et sicuti transilire vel anteire nulli datur suam in sole umbram, prævenientem semper et nimis properantem: ita nulli homines bonis operibus excedent,* ἀνυπέρβλητον Θεοῦ χρηστότητα, *insuperabilem Dei bonitatem.* 2. Erga homines boni et benigni esse debemus. Agapetus in cap. Paræn. cap. 20. σεπτὴ βασιλεία, inquit, venerandum iure est vestrum imperium: quia hostibus quidem suæ demonstrat pietatis aculeos, subditis vero exhibet humanitatem: et cum illos vincat armorum vi, ἀόπλῳ ἀγάπῃ οἰκείων ἡττᾶται, inermi charitate a suis vincitur: quantum enim feræ et ovis interstitium est, tantum esse inter eos discrimen arbitratur: ita ille. Sic Deum imitaberis. S. Ioann. Climac. grad. 24. p. 303. Mansuetudo, ait, est adiutrix obedientiæ, dux religiosæ societatis, furentium frænum, iracundorum expultrix, magistra gaudii, Χριστοῦ μίμημα, ἀγγέλων ἰδίωμα, δαιμόνων δεσμός, *Christi imitatrix,* angelorum proprietas et idioma, vinculum et nodus dæmonum, scutum adversus amaritudinem, seu animi acerbitatem, In cordibus mansuetorum requiescet Dominus, anima autem turbulenta, διαβόλου καθέδρα, diaboli est sedes: ita Climacus. Moses fuit Deus Pharaonis, qui erat vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra, Numer. 12. 3. ubi lege Cornel. multa de mansuetudine acervantem. Moses leges multas tulit de misericordia, et benignitate erga miseros, pauperes et infirmos, unam tantum symbolicam affero. Exod. 23. 19. *Non coques hædos in lacte matris,* hoc est, adhuc teneros, et lactantes, ut iis utaris ad cibum, et tuas delicias. Iudæi hanc legem aliter interpretantes ita superstitiosi sunt, ut in eadem olla carnes et lac non coquant: imo nec eodem cultro carnes et caseum scindant: tu pauperes, velut agnellos et hædos, ne iugules, illis paucula quæ habent per vim eripiendo; ne suo balatu et gemitu in te divinum gladium vertant, et cito ipse pereas, sicut contigit multis tyrannis: contra vero, pii et mansueti reges ac principes sibi vitam et felicitatem diuturnam fecerunt. Aristeas in lib. de Sept. Interpretibus ait, Ptolemæum Ægypti regem unum ex illis interrogasse: Quomodo regnum usque ad finem retineret extra lapsum et offensionem? illum vero respondisse: Si in tota tua gubernatione imitatus fueris, Θεοῦ ἐπιεικές, Dei mansuetudinem et æquitatem.

Bonitas Dei imitanda. — *1. Erga Deum.* — *2. Erga proximum.* — *Non est coquendus hædus in lacte matris.*

ARTICULUS II.

Dei benignitas erga impios divites.

Fons divinæ bonitatis omnibus patet, et obviis quibusque uberes aquas fundit: Iustos locupletat Deus, velut filios: sceleratos allicit beneficiis, veluti feras cicurandas. Hoc autem imperfecti, et in virtute novitii non intelligentes murmurant et titubant, v. 2. MEI AUTEM PENE MOTI SUNT PEDES, PENE EFFUSI SUNT GRESSUS MEI. Rationem illam addit, v. 3. QUIA ZELAVI SUPER INIQUOS PACEM PECCATORUM VIDENS. 7. Vers. 2. Vers. 3.

Nota, motio pedum dicit Primo, dubitationem. Secundo, timorem. Tertio, inconstantiam, in variis Scripturæ locis, ut Ps. 37. 17. et 93. 18. et 120. 3. Ier. 14. 10. Quarto, hoc loco præsertim denotat fluctuationem mentis incitatæ ad murmurandum de providentia Dei, ac de illa dubitandum. Ubi adverte, alludi tum ad claudicantes, qui distortis tibiis inter ambulandum fluctuant, et modo in hanc, modo in illam partem vacillant, tum ad eos qui in lubrico loco ambulant, et vix pedibus consistunt: tum denique, ad insanos et ebrios qui in via cespitant et nutant lapsui proximi. Ubi adverte, ab invidia seu zelo malo moveri pedes, hoc est intellectum et voluntatem, quibus ambulamus ad Deum; et effundi gressus, id est cogitationes et affectiones bonas. Apte ad rem præsentem S. Augustin. Epist. 3. ad Iulianum invidiam comparat navi fluctuanti. Sic autem ait: *Invidus vir similis est navi, quæ iactatur in fluctibus maris: in perturbatione semper est.* Perturbationem illam alia comparatione declarabat Socrates, qui invidiam vocabat, animæ ulcus et serram. Plutarchus ait, esse æruginem, quæ ferrum consumat, id est etiam fortissimum virum. S. Basilius homil. de Invidia, dicit eam esse viperam: qui animam quæ illam concipit, corrodere simul ac labefacere apta est.

1. Invidia est fluctus maris. — *2. Animæ ulcus et serra.* — *3. Ærugo consumens.*

Nota secundo, etiam viri boni tanguntur zelo malo, seu invidia, ob felicitatem impiorum. Hoc de se David dicit: *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Hebræi per pacem intelligunt omne bonum et felicitatem, quia ex pace ubertas et omne bonum temporale. Isto stimulo Iob pungebatur cap. 21. Ierem. cap. 12. Habacuc 1. Sed motus illos primo charitate proximi, et veneratione iudiciorum Dei reprimebant. Socrates rogatus, Quid bonis viris molestum esset, respondit: Maiorum felicitas. Quid malis? Bonorum prosperitas. Hippias dicebat, duplicem invidiam esse: Iustam quidem, cum quis invidet improbis honoratis. Iniustam vero, cum bonis. Et invidos duplo magis, quam cæteros esse calamitosos. Non enim solum propriis malis gravantur; sed alienis etiam bonis: ita ille. Adverte tamen, ordinarie invidiam esse improborum contra probos aut doctos, quorum gloriæ et virtuti allatrant, sicut canes lunæ. Asinius Pollio ita fuit infensus nomini Ciceronis, ut eius laudes audire nequiverit. Bavius et Mævius 8.

Boni moleste ferunt impiorum felicitatem. — *Mali invidia rumpuntur ob piorum prosperitatem.*

ineptissimi Poetæ, Virgilio suam gloriam invidere. Hyarbita Maurus, dum Timagenem Philosophum inter pocula declamantem imitari vellet, nec posset, medius crepuit.
Exempla. Solem semper umbra comitatur, et virtutem atque gloriam invidia. Periclem oppugnavit Simmias, Alcmæon Themistoclem, Ciceronem Clodius, Epaminondam Meneclides Orator. Alexander Magnus Perdiccam oderat, eo quod esset bellicosus: Lysimachum, quod militandi peritus: Seleucum, quod magni animi: Attalum, quod imperatoria dignitate polleret: Ptolemæum, quod ei prospere omnia succederent, ut refert Ælianus lib. 12. variar. historiæ: ita figulus figulo invidet, et faber fabro. Item, inimicus et invidus vicinorum oculus. Virtus hæc omnia debet corrigere, et esse collyrium oculorum. Vide Ps. 93. 3.

9. *Peccator est stultus et ebrius.* Nota tertio, pro *iniquos*, Hebr. est עוללים *holelim*, id est 1. insanos: ita Arias; insipientes: ita Felix; 2. ebrios: ita Campensis, qui vertit, *In causa fuit, quod scandescere cœperim in eos, qui ebrietate fortunæ ad insaniam usque sibi placent;* 3. iniquos: ita Noster et S. Hieronymus: iniqui sunt stulti et ebrii; 4. verti potest, laudantes, gloriabundos: scelerati, superbi sunt, atque omnis sceleris radix et finis, ut plurimum est superbia; 5. Chald. reddit, irrisores. Rad. est *halal*, quod in Kal id est in prima coniugatione significat laudare, lætari; insanire: in Piel vero, id est in tertia coniugatione significat gloriari. Sed cave, ne dum per invidiam oculos figis super stultos et superbos, iis fias similis; sicut Polypus et Chamæleon mutantur in colores earum rerum quas aspiciunt. Invidia dicitur a videndo, seu videndo in, considerat enim intima et minutissima in bonis proximi; ideo oculis dolet. S. Augustin. serm. de verbis Domini eam vocat filiam superbiæ; et Epist. 3. ad Iulianum: *Invidus*, inquit, *ut lupus rapax insanit inaniter: in miseria detinetur, et tabescens ad nihilum redigitur: semper furore plenus, particeps dæmoniorum efficitur*. S. Chrysost. hom. 41. Sicut furentes, ait, sæpe gladium in seipsos convertunt; itidem et invidi, solam invisi perniciem intuentes, propriam negligunt salutem: hi quoque feris peiores. Nam illæ quidem escis indigentes, vel priusquam a nobis irritentur, adversum nos armantur: hi vero, beneficiis frequenter allecti, benemeritos maleficiis proseculi sunt. Hi quidem peiores feris, dæmonibus autem pares, forte vero peiores isti. Hi namque contra nos bellum exercent impacatum, consortibus autem generis non insidiantur: hi vero, neque naturæ communionem reveriti sunt, neque sibi pepercerunt: nam invisas animas suas pœnis afficiunt. Hæc Chrysostomus: qua re quid potest esse insanius? S. Greg. lib. 5. Mor. 31. Invidi color, ait, pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor. Lege S. Cypr. serm. de zelo et livore, S. Basil. hom. 11. S. Gregor. Nyssen. in vita Mosis.

Invidi sunt lupi rapaces et rabidi.

10. *Pax peccatoris est spernenda, et cur?* Nota quarto, si invidia tangeris *pacem peccatorum videns*, Primo, oculos claude, illam ne aspice, oculi invidentes rem magnam putant quam aspiciunt. Actius Sincerus rari vir ingenii, magnæque nobilitatis, cum in conspectu Friderici regis esset quæstio inter physicos, quid præcipue utile esset ad oculorum perspicuitatem? aliique fœniculi afflatum dicerent, alii vitri usum, aliique aliud. At ego, inquit, invidiam, aio. Obstupuerunt adeo medici ad eam vocem, ut ab auditoribus riderentur. Tum ipse: An non invidia maiora et pleniora omnia videre facit? Quid autem oculis magis præsentaneum, quam ut vis ipsa aspiciendi maior reddatur atque vegetior: ita ille. Oculos igitur occlude. Secundo, considera *pacem peccatorum*, non esse veram pacem; ut enim Isaias docet, cap. 48. 22. *Non est pax impiis*. Tertio, contemplare pacem iustorum internam, solidam, florigeram, fructuosam, amœnam etiam in hac vita. Isaiæ 32. 17. *Erit opus iustitiæ pax*. Angeli pacem annuntiant hominibus bonæ voluntatis. Quarto, oculos a pace peccatorum avertens, eos in cælum erige, et ibi vide pacem Sanctorum æternam, incommutabilem et imperturbabilem. Christus vocatur et est *pater futuri sæculi, princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis*, Isai. 9. 6. et 7. Quinto denique, vide bellum internum atque externum peccatorum, atque eorum ab hoste tartareo subactorum æternos cruciatus. Amos 1. 14. *Succendam ignem in muro Rabba: et devorabit ædes eius in ululatu, in die belli, et in turbine in die commotionis*, id est, in die iudicii et æternæ damnationis: urbs Rabba est anima divitiis et honoribus multiplicata et glorificata. Rabba sive Rabbath erat metropolis regni Ammonitarum: significat autem primo, multam et grandem: secundo, iurgium. Ubi est multitudo divitiarum, et gloria dignitatum, ibi est iurgium, dissensio, et funestum bellum.

Oculi ab illa avertendi.

Pacem peccatorum in quatuor rebus David constituit: 11.
Primo, quod mortem non sentiant. Secundo, quod non affligantur morbis. Tertio, quod labores non toleret. Quarto, quod flagellis non crucientur. *Pax impii in quatuor rebus.*

Ac primo, scelerati tamdiu vivunt, ut se morituros non credant, et de morte non cogitent, v. 4. Quia non est respectus morti eorum, et non est firmamentum in plaga eorum. *Vers. 4.* Pergit David in explicanda felicitate iniquorum; ac dicit, eos frui pace et prosperitate, quoniam tanta sanitate utuntur, ut de morte non cogitent, quasi semper essent victuri: et si forte plaga aliqua, sive morbus illis contingat, ea plaga non habet firmamentum; sed continuo evanescit. Illud, *non est respectus morti eorum*, hunc sensum habere videtur, q. d. Non respiciunt iniqui in mortem suam: neque alii, qui eos vident, in mortem ipsorum: id est, non videntur unquam morituri, propter diuturnam et stabilem sanitatem, qua fruuntur. In textu Græco legitur, *non est abnutio mortis eorum:* vel, ut legit S. Augustinus, *non est declinatio mortis eorum:* quæ verba eumdem sensum facere possunt, videlicet: Iniqui non declinant, neque abnuunt mortem, quia de ea non cogitant, confidentes in optima constitutione corporis sui. Ex Hebræo S. Hieronymus vertit: *Non cogitant mortem suam:* quæ lectio nihil differt a nostra. Alii ex Hebræo vertunt: *Non sunt vincula in morte ipsorum*: et potest esse sensus, q. d. Non trahuntur iniqui ad mortem vinculis variorum morborum, ut sæpe accidit iustis. Hæc nobis videtur explicatio loci obscurissimi: quia cohæret cum verbis sequentibus: quod enim sequitur, *Et firmamentum in plaga eorum*, sine dubio requirit repetionem negantis particulæ initio positæ, ut sit sensus, q. d. *Et non est firmamentum*, id est, firmitas et stabilitas in plaga eorum; quia, si qua plaga illis accidit, facillime curatur. Ita Bellarminus, et bene Dionysius Carthus. sic explicat, q. d. Non videntur cito mori, sed interdum vivunt diutius quam iusti: quemadmodum scriptum est, Eccl. 7. *Iustus perit in iustitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua*. Remigius vero sic, q. d. Mors illos non respicit, sed ad alios transit. Ruffin. q. d. Non respicit eos Deus, ut liberet a morte æterna. Iansen. q. d. Non est videre frequentes et acerbas eorum mortes, sicut iustorum. Tirinus, q. d. Non anxie respiciunt, non cogitant, non curant mortem suam, ut Hieronymus et Chald. insinuant. Quia nempe mors impiis obvenire fere solet facilis, commoda, honorata, sera, et subita. Et hæc est εὐθανασία, quam Iulius Cæsar sibi optabat et obtinuit: ita Tirinus. Cum enim inter cœnandum ortus esset sermo, quod genus mortis esset optimum? incunctanter respondit, inopinatum. Ipse autem in Senatu ex improviso occisus est a coniuratis, ut refert Plutarch. in Apophtegmatis.

Non est respectus mortis eorum quid significet.

Nota, pro *respectus* Hebr. est חרצבות *chartsubboth*, id est Primo colligationes, vincula. Secundo, ægritudines, castigationes. Aquila vertit, οὐκ εἰσὶν δυσπάθεια, τῷ θανάτῳ αὐτῶν, non sunt difficiles, seu acerbi dolores morti eorum. Flaminius vero, non sunt ligamina in morte eorum: ita et vertit Felix; ligamenta, Pagnin. et Arias. Id est, non constringuntur et torquentur doloribus. Sept. reddunt, οὐκ ἔστιν ἀνάνευσις ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν, id est, non est abnutus in morte eorum, q. d. Mors illis est facilis, non est renuenda et relicienda eorum mors, est omnibus amabilis. 12.

Moral. Omnes scelerati timent mortis aspectum, sed

*

13. *Stultum est timere mortem.* iure Seneca id stultum esse dicit, Epist. 30. Bassus senex, quod incommodi aut metus in morte est, morientis vitium esse dicebat, non mortis: tam *stultum esse*, qui mortem timeat, quam qui senectutem. Nam quemadmodum senectus adolescentiam sequitur, ita mors senectutem. Si timenda mors est, semper timenda est: quod enim tempus morti exemptum? tu tamen mortem, ut nunquam timeas, semper cogita: hæc ibi. In libro autem de Morib. Stultum est, inquit, mortem timere; somno delectari, mortem horrere: cum somnus assiduus sit mortis imitatio: ita Seneca. Fratrem mortis vocabant somnum Diogenes et Gorgias. Sed a Seneca non recedamus, dementiam timidorum incusante Epist. 24. Inquietam, ait, nobis vitam facimus metu mortis, et tanta est hominum dementia, ut quidam timore mortis cogantur ad mortem. Firmandi sumus, ne nimis amemus vitam, et non nimis oderimus mortem: et cum ratio suadet, finire, sed non timere. Vir fortis et strenuus non fugere debet de vita, sed exire. Vide illum Epist. 78. Secundo, non solum mors timenda non est, sed irretorto vultu, et fixis oculis aspicienda per crebram et seriam meditationem. Sapientes id faciunt, ut ait S. Hieronymus in Epist. ad Heliodorum.

14. *Mors sæpe est meditanda.* Verba eius sunt: *Platonis sententia est, omnem sapientum vitam meditationem esse mortis:* debemus et nos igitur præmeditari quod aliquando futuri sumus: et quod velimus, nolimus, abesse longius non potest: ita Hieronymus. Utilitatem illius meditationis nervose et breviter docet S. Augustinus: *Nihil,* ait, *sic revocat a peccato, quam frequens mortis meditatio.* Olim in divitum epulis apud Ægyptios, ait Herodot. lib. 3. unus cadaver ligneum, sed quam proxime ad vivum effictum ostendebat convivis singulis, dicens: In hunc intuens pota, et oblecta te, talis post mortem futurus. Cum rogaretur Musonius Philosophus, quis optime extremum diem posset claudere? Qui, ait, semper postremum vitæ diem sibi instare proposuerit.

15. *Mors est alacriter acceptanda. E vita discede velut e domo. 2. Velut ex convivio. 3. Ut a tragœdia. 4. Eam desere, ut pallium. 5. Ab ea recede ut a conventu. 6. Eam redde, ut pecuniam.* Tertio, mors est alacriter acceptanda, cum a Deo offertur, neque caput aut corpus retro flectendum, ne te invadentem aspicias. Thales dicebat, nihil distare inter vitam et mortem. Zaleucus legislator Locrensium dictitabat: e vita migrare esse optimum, velut e convivio, non sitibundum, nec temulentum. Bion Philosophus quadruplici similitudine rem exponebat. 1. Exitus e domo conducta. 2. Exitus e convivio. 3. E comœdia. 4. Abiectionis pallii detriti. Non aliter, inquiebat, ex vita pellimur quam *e domo* si locator non accepto pretio locationis fores revellat, regulam adimat, puteum obstruat: ita etiam hoc corpusculo relegor, quando quæ locavit natura oculos ademerit, aures, manus, pedes, non moror amplius. Sed sicut *e convivio* discedo, nihil indignans itidem e vita. Sicut *bonus histrio* bene prologum, bene medium fabulæ, nec non bene etiam catastrophen agit: ita bonus vir quoque primordia vitæ recte, et media probe, finemque congruentem his administrat. *Et ut pallium* ubi detritum fuerit depono, ita non procrastino, nec vitæ tuendæ desiderio flagro; sed et cum liceret adhuc feliciter agere, morior. Musonius aliud affert simile. Virtute præditi homines, ait, si conducat, cum paupertate manent in vivis. Sin minus, facile migrant, *tamquam ex solemni conventu et celebri*: ita etiam e vita. Plutarchus in moralibus, aliam affert comparationem. Sicut, inquit, *mutuata pecunia* æquo animo reddenda est: sic vitæ munus, quod mutuo accepimus a diis, citra querimoniam est reponendum.

16. *Mors est optanda. Meditatio mortis est quotidie utilis.* Quarto, mors est avide optanda, et identidem respectandum an veniat. Cum ab Aristide quæreretur, quatenus deceat hominem vivere? Tantisper, ait, dum deprehendat emori præstare, quam in tot calamitatibus vivere. Qui supra modum vino dediti sunt, fœcem quoque exsorbent: sic admodum vitæ avidus, qui senectutis fœcem exsorbere appetit. Quinto denique, mors quotidie cum surgis, et cum lectum petis, in memoria revocanda, et omnibus momentis expectanda. Guido Bituricensis refert, Messodanum iam senem, cum ab amico in crastinum vocaretur convivium, dixisse: *Cur me vocas in crastinum, qui a multis annis crastinum non habui, sed mortis adventum in singulos dies expectavi: quæ nobis nunquam non insidiatur, donec nos incautos etiam interdum opprimat.* Quotidie cupiditates renascuntur, quotidie mors illis obiectanda. Petrus Abbas Cellensis libro de panibus, cap. 11. *Meditatio mortis, velut novacula acuta, radit renascentia quotidie desideria carnis.* S. Zeno sermone de præcepto, *Attende tibi: Divitiis,* inquit, *flores et polles, et illustrium avorum consulatibus intumescis, patriæ parentumque nobilitate te iactas, pulchritudine corporis erigeris et decore, honoribus extolleris, et asseclarum fulciris officiis, tum maxime attende tibi ipsi: et memento, quia mortalis es, et quia terra es, et in terram ibis: et quia potest et ad te dici: Stulte, hac nocte auferent abs te animam tuam, et quæ præparasti cuius erunt? Intuere eos, qui ante te similis potentiæ dignitatibus effulserunt. Ubi sunt? Quid agunt? Ubi fasces eorum? Ubi magistratus? Ubi diversarum infulæ dignitatum? Ubi denique eloquentissimi rhetores, et vehementissimi oratores? Ubi hi, qui crebros conventus orationum tuarum favoribus celebrabant? Ubi popularis, ubi largitio muneralis? Ubi exquisita equorum præparata certamina? Ubi denique satrapæ? Ubi reges? ubi tyranni? Nonne omnia pulvis et cinis est? Nonne omnia antiquæ fabulæ, superfluaque narratio est? Nonne perexiguis ossibus angustæ vasculo urnæ conclusis omnis eorum memoria continetur? Denique intuere et inspice eorum sepulcra, si potueris discernere, quis ibi servus, quisve sit dominus, quis pauper, quisve sit dives. Discerne ibi si potes, plebeium a rege, virum fortem ab imbecilli, decorum ab informi. Si ergo horum omnium memor fueris, nulla tibi orietur elationis occasio.*

Secundo, David felices dicit impios, quod eos non modo mors, sed ne morbus quidem gravis attingat, vers. 4. 17. *Vers. 4. 2. Pars.*
Et non est firmamentum in plaga eorum. Si negatio ex priore membro, ut debet, repetatur, sensus erit, q. d. Plaga eorum non est gravis, nec diuturna; sed sana perstat vis ac fortitudo. Si non repetatur illa negatio, sensus erit, q. d. Quo valent corporis robore, et nervo divitiarum, incidentem plagam facile depellunt, malique vim superant: et sicut qui porticus aut palatia bene munita et plena hominibus habent, non timent hostes: ita illi nullum verentur mortis periculum, si quod forte creetur. Secundo, sunt qui active interpretantur, quod plaga qua alios afficiunt, est fortis et vehemens, et sunt in nocendo potentes. Melior est prior expositio: ita Lorinus, cui assentior. Adverte autem pro *firmamentum in plaga eorum,* Hebraice tantum est בריא אלם *bari ullam*, id est, Primo, sana fortitudo eorum: ita Pagnin. et Arias. Vividum est robur eorum: ita Flaminius. Sic *ullam* deducetur ab *el*, id est, fortis, et *mem* erit affixum. Secundo, *ullam* significat palatium, basilicam, vestibulum. Hinc S. Hieronymus vertit, Firma sunt vestibula eorum. Camp. sic exponit paraphrastice: In morte illis accidere solet, ut ætate defecti, sine longo cruciatu extinguantur, et palatia relinquant regia hæredibus suis.

Nota, sanitas est magnum firmamentum hominis et domus. Possidonius Apamensis, teste S. Epiphanio lib. 3. adversus hæreses dicebat, μέγιστον ἐν ἀνθρώποις ἀγαθόν, maximum in hominibus bonum esse divitias et sanitatem. Plutarchus in salubribus præceptis dicebat, sanitatem maxime divinum, suavissimumque esse condimentum. Thales interrogatus, quisnam esset felix? Respondit, qui corpore sanus est, et animo eruditus. Pythagoras dictitabat: tria a diis præcipue petenda: Formam, divitias, et bonam valetudinem. Si sanitatem amas, eam tibi compara laudabili corporis exercitio, ut Persæ: vitæ frugalitate, exercitio, et perfrictionibus, ut Indi: inedia unius saltem diei per singulos menses, ut Vespasianus Imperator. Diogenes iure irridebat eos, qui pro bona valetudine sacrificarent, et in ipso sacro epulis immodicis se ingurgitarent, sicque facerent bonæ valetudinis iacturam. Idem plerisque dici potest, qui se vino obruunt, sanitatem aliis apprecantes, et præbibentes ad sanitatem, ut loquuntur, amici sui, aut alicuius magnatis. Dicebat idem Diogenes, 18. *Sanitas est maximum Dei donum.*

earum domorum, in quibus reperitur alimenti copia, multos esse mures et feles: sic etiam corpora, quæ multum cibi caperent, multos quoque morbos adsciscere.

19. *Morbus est sæpe utilior sanitate.* Nota secundo, morbus tamen aliquando est ipsa sanitate utilior: quia ut ait S. Gregorius Nazianz. oratione ad cives suos Nazianzenos, *Anima morbo affecta, Deo propinqua est.* S. Ambrosius lib. 1. Hexaemeron cap. 8. *Infirmitas corporis, sobrietas mentis est.* Salvianus denique, ad Catturam sororem suam, *Imbecillitas carnis,* inquit, *mentis vigorem exacuit, et affectis artubus vires corporum in virtutes transferuntur animorum; ut mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum.* Hinc Plato Academiam suam insalubri loco sitam alio transferri noluit. S. Bernardus eam ob causam pleraque sua monasteria in locis palustribus collocavit. S. Ignatius Societatis Iesu fundator dicebat, morbum non minus esse donum Dei quam sanitatem, eam ipse corruperat ieiuniis et aliis corporis afflictationibus; idem fecit Beatus Borgias tertius Societatis Generalis Præpositus, Beatus Aloysius Gonzaga, et plerique alii Sancti: timebant scilicet, ne hostem suum delicatius tractando, redderent fortiorem.

Tropol. Firmamentum est in plaga divitum impiorum, quia avaritia eorum est inexplebilis. S. Isidorus Pelusiot. lib. 2. Epist. 126. ad Casium, vocat desiderium opum, ἀκόρεστον νόσημα, incurabilem morbum. Idem pene dicendum de aliis eorum vitiis: sunt enim obstinati, et vix est qui se in medicum illis offerre audeat: unde Ieremias ait cap. 30. 12. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua, pessima plaga tua.*

20. *Vers. 5. In labore hominum quinam sint?* Tertio, David conqueritur, quod tota vita sua impii sint sine labore, v. 5. In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. *In labore hominum sunt,* Primo, qui laborantibus et afflictis compatiuntur. Misericordia enim dicitur quasi miserum cor: quia transfert in cor suum alienam miseriam. Chald. vertit: *Labori virorum legi operam navantium non compatiuntur, et cum hominibus iustis, qui patiuntur martyria, non vulnerantur.*

Secundo, et melius, *in labore hominum sunt,* qui cum hominibus laborant. Hebr. est, in labore *Adam* non sunt. Adam ibi sumi potest vel appellative, id est pro quolibet homine: vel proprie, id est pro Adamo, primo homine et cæterorum parente. Illi post peccatum dictum est a Deo Gen. 3. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es.* Et v. 17. *Maledicta terra in opere tuo:* in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Hoc est iugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium, ut ait auctor Eccles. cap. 40. 1. S. Franciscus dicebat Deo: *Quis tu Domine, quis ego?* Tu abyssus sapientiæ, bonitatis, potentiæ; ego malitiæ, infirmitatis, et malorum omnium. S. Greg. lib. 11. Epist. 26. ad Rusticiam: *Ego,* ait, *in tanto gemitu et occupationibus vivo, ut ad dies quos ago, me pervenisse pæniteat, solaque mihi consolatio sit mortis expectatio. Unde peto ut pro me debeatis orare, quatenus de hoc carnis carcere citius educar, ne tantis laboribus diutius torquear.* S. Paulus 2. Timoth. 3. 12. generatim dicit: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* S. Leo serm. 9. de Quadrages. Numquam, ait, deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis. Sicut ergo totius est corporis pie vivere, ita totius est temporis crucem ferre: ita S. Leo. Homines labore et constantia perficiunt omnia, ut ille suo circino mobili figurabat. Pauci sunt, quibus aurum pluat, quod Himerius apud Rhodios aliquando contigisse dicit, χρυσῆν ἐπ' αὐτοὺς Διὸς νεφέλην ῥήξαντος, *Iove auream in eos nubem rumpente.* Omnibus pene ferrum pluit, ut accidisse olim ferunt apud Lucanos: aut sanguis, ut apud Aquitanos: aut lapidum acervus, ut apud varios populos.

Pluvia aurea et ferrea.

21. *Sancti amant laborem.* Nota secundo, Sancti laborem amant, et eum avide quærunt atque amplectuntur; et diem perditum putant,

A quem transierint non modo sine linea, sed etiam sine cruce. Considerant illud Psal. 127. 2. *Labores manuum tuarum quia manducabis* (ille labor cibus est viri fortis, ut medulla leonum Achillis, et mel leonis in ore Samsonis) *beatus es, et bene tibi erit.* Vide illum locum. Latinus Pacatus in Theodosii Panegyr. *Gaudent,* inquit, *divina perpetuo motu, et iugi agitatione se vegetat æternitas, et quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est: ut indefessa vertigo cælum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, et stare sol nescit: Ita tu, Imperator, continuatis negotiis, et in se quodam orbe redeuntibus, exercitus es.* Cor humanum in continuo motu est, ut nos indefessi laboris admoneat: si cor cursum suum sisteret, moreretur. Ægyptii, ut cæli perpetuum motum depingerent, cor figurabant cui ardens foculus subderetur. Charitas non fatigatur in labore, nec ii quos Christi charitas urget; ut in S. Paulo, S. Xaverio, et aliis viris Apostolicis patet, quibus finis unius laboris gradus est alterius; et dicunt semper, plus ultra: amplius, amplius Domine.

B 22. *Divites avari et voluptuosi sunt in labore bestiarum.* Nota tertio, divites, qui non sunt in labore hominum, sunt in labore bestiarum, dum vivunt; et in labore dæmonum, postquam mortui sunt.

Ac primo, cum bestiis laborant, et labore bestiarum, qui gulæ et ventri serviunt. Isaiæ 30. 6. *Onus iumentorum Austri. In terra tribulationis et angustiæ leæna, et leo ex eis, vipera et regulus volans portantes super humeros iumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos ad populum, qui eis prodesse non poterit.* Agit de Ægyptiis. Vide dicta Ps. 48. 13.

Et dæmonum. Secundo, qui in labore hominum non sunt, in labore dæmonum sunt, curis et anxietatibus se torquendo, et laboribus cruciando, ut aliis noceant: et in labore dæmonum erunt, in flammis eorum ardendo. S. Bernard. zelo domus Dei ardens, id eleganter transfert ad Clericos otiosos et voluptuosos: malim ad eos deducere, qui nec coniugati sunt, nec clerici; sed in id tantum sunt intenti, ut ludis et compotationibus vacent. Sed S. Bernard. audiamus, allato enim versiculo nostro, ait: *Hoc ad nullos potius*

C *arbitror, quam ad nostri temporis clericos referendum. Habent enim singula hominum officia aliquid laboris, et aliquid quod delectet. Sed adverte prudentiam istorum, qui novo inter hæc artificio discurrentes solum quod delectat eligunt, et amplectuntur: quod molestum est, fugiunt et declinant. Cum militibus quidem fastus superbiæ, amplam familiam, phaleras equorum, accipitres, et aleas, et huiusmodi frequentant; a mulieribus dependentes a collo murium pelles, ornatos thalamos, balnea et omnem mollitiem mutuantur. Cavent omnino loricæ pondus, insomnes castrorum noctes, incerta bellorum discrimina, atque muliebrem verecundiam et disciplinam, et si quid laboris sexus ille videtur habere declinantes. Cum ergo resurgere cœperint homines in ordine suo, ubi putas generatio ista collocabitur? Si divertere voluerint ad milites, exsufflabunt eos, eo quod secum minime labores et pericula tolerarunt. Sic agricolæ, sic vinitores, et singuli ordines hominum a suis eos similiter arcebunt finibus: utpote qui in*

D *labore hominum non fuerunt. Restat ergo, ut quos omnis ordo expellit pariter et accusat, illorum locum sortiantur, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Sint enim necesse est in labore dæmonum, qui in labore hominum non fuerunt.*

23. *Sancti in hac vita laborant sed fructuose.* Contra vero, Sancti in labore hominum sunt, dum vivunt: sed post mortem erunt in gaudio angelorum. Cum Alexander Magnus castra ad Oxum flumen intraret, atque in Sogdianos moveret, non longe ab eius tabernaculo gemini fontes exorti, alter aqua, alter oleo fluxit. Cum vates consulerentur, Aristander respondit: olei fontem labores quidem, sed et victoriam polliceri. Athletæ enim pugnaturi in certaminibus Græciæ ungebantur oleo, victores vero coronabantur. Alcuin. Epist. 1. de Christianis dicit: *Tempus huius vitæ velociter currit, fugit, et non revertitur: ineffabilis vero pietas humano providebat generi, breviter laborare, et æternaliter coronari. Ideo pre-*

Olei fons.

tiosa debent esse nobis tempora, ne perdamus per negligentiam, quod per bonæ vitæ exercitium habere poterimus æternum. Sex diebus nobis cum Deo laborandum est, ut postea cum ipso quiescamus. Eiiss Thesbites, in Lexico, in voce Sambation sic ait: Sambation nomen est fluvii, de quo dicunt, quod per singulos dies hebdomadis tanto impetu currat dempto Sabbato, ut lapides magnos moveat, nec uiio modo pertransiri possit, ex quo sapientes vocarunt eum Sabbaton, ab eo quod cesset, sive quiescat in Sabbato. Plinius lib. 31. cap. 2. In Iudæa, inquit, rivus Sabbatis omnibus siccatur. Omnia fluvios imitantur in hac vita, fluunt enim, et in salsum mare decurrunt; post hanc vitam, est quies atque stabiiitas.

ARTICULUS III.

Sceleratorum divitum flagitia in Deum et homines.

24. Sex præcipua vitia impiorum. POST declaratam felicitatem impiorum, aperit sex ipsorum vitia, nempe 1. superbiam. 2. impietatem. 3. Alacritatem et securitatem in peccando. 4. Appetitum effrænem satiandi suam concupiscentiam. 5. Malitiam meditatam. 6. Linguam in Deum blasphemam, et in homines contumeliosam.

AC PRIMO, vitium proprium divitis fortunati est super-
Vers. 6. bia, vers. 6. IDEO (quia scilicet, non est respectus morti eorum, etc.) TENUIT EOS SUPERBIA, OPERTI SUNT INI-
Superbia amat ornatum corporis. QUITATE ET IMPIETATE SUA. Pro *tenuit*, Hebr. est ענק *anak*, id est primo, torque circumdedit. Secundo, oneravit. Ubi adverte quod superbia divites ornat et onerat. Arias vertit, torque iigavit eos. Pagn. *Instar torquis coronavit eos superbia.* Chald. עטר *atar*, id est veluti diademate coronavit. De superbo rege Tyri ait Ezech. c. 28. 13. *In deliciis paradisi fuisti*, en felicitatem, q. d. Fuisti in in Tyro, quæ erat velut paradisus terrestris, audi inde sequentem ornatum superbiæ? *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, et iaspis, chrysolitus, et onyx, et beryllus, sapphirus et carbunculus, et smaragdus: aurum opus decoris tui: et foramina tua,* id est gemmæ in auri foraminibus positæ, *in die, qua conditus es, præparata sunt.* Superbia se reginam putat, ideo vult ornari. Si ornatum corporis amas, scito intus latere superbiam.

25. Superbia onerat. Secundo, superbia onerat. Feiix vertit, *propterea oneravit eos superbia.* Apoliinar. Superbia cordis καταβεβριθασι, depressi sunt. De rege iiio Tyri sub specie Luciferi descripti Ezech. 28. 17. dicitur: *Elevatum est cor tuum in decore tuo* (vides superbiam; audi pondus degravans) *perdidisti sapientiam tuam in decore tuo* (stuiti sunt, qui corpus vas stercoris et escam vermium plus æquo adornant) *in terram proieci te,* id est, regno te deieci, ait S. Hier. et excellentia tua privavi, ait Polychronius. Dignitates et magistratus vocantur onera. Vernacule, *charges.*

26. Superbia tenet superbos: 1. Ut amicus fallax. Tertio, superbia *tenet* superbos, Primo, veiut amicus fallax amplexans ut occidat. Phiio lib. de Charitate, pag. 551. Arrogantiam, inquit, et superbiam, αργαλεωτατα και επαχθεστατα κακα, *vitia gravissima et maxime omnia habenda multi amplectuntur pro virtutibus*, præsertim quotquot opibus extolluntur atque honoribus. Nam arrogantia sæpe nascitur etiam in contemptis et obscuris hominibus, sicut cæteræ perturbationes et ægritudines: sed non potest in his crescere: quia sicut ignis absque fomento deficit, et ad magnates demigrat, quibus large opes honoresque suppetunt: μεθυουσι και εμπαροινουσι δουλοις ομου και ελευθεροις, *dulci enim fortuna ebrii* debacchantur in servos et ingenuos, interdum etiam in integras civitates: ita
2. Ut dominus servos. Philo. Secundo, superbia *tenet* superbos, velut dominus servos. Campensis vertit: Hinc fit, ut superbia possideat
3. Ut tyrannus captivos. eos totos. Tertio, *tenet* illos, sicut tyrannus captivos. S. Chrys. hom. 13. in Epist. 1. ad Corinth. *Vinculum grave,* inquit, *sævus tyrannus et inhumanus.* Quarto, super-
4. Ut laqueus reos. bia *tenet* superbos, sicut laqueus reos. Idem S. Chrysost. superbiam vocat catenam in commentario Ps. 48. Clare et expresse Salvianus lib. 2. ad Ecclesiam Cathoiicam nuncupat iliam, diaboii catenam. S. Ambros. in Ps. 118. laqueum diaboli. Huc pertinere potest versio Ariæ, Ideo torque ligavit eos superbia. Non enim minus ligat, stringit et suffocat torquis aureus, quam ferreus. Ugo Cardinalis ingeniose: Laqueus, ait, est superbia. Unde Isaiæ 24. 17. *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Scilicet formido avaritiæ, quæ semper fur-midat, ne possessa amittat, et fovea luxuriæ, et laqueus superbiæ. Laqueus autem quandoque tenet avem per pedem, id est virum spiritualem, tenet superbia per affectum: quandoque per collum, id est per iactantiam: quandoque per alas, id est per opera, vel per familiam et parentes. Oseæ 4. 19. *Ligavit eum spiritus in alis suis,* scilicet spiritus superbiæ in familia, vel parentela: hæc Ugo.
Quinto, *tenet* superbos superbia, sicut morbus ægrotos. 5. Ut morbus ægrotos.
S. August. sermon. 212. de tempore: *Nihil*, inquit, *tam timendum est in divitiis, quam superbia. Denique Apostolus hoc admonet Timotheum: Præcipe, inquit, divitibus huius mundi superbe non sapere. Non enim divitias expavit; sed morbum divitiarum: morbus autem divitiarum est superbia magna:* ita ibi. Sed quis et quaiis est morbus superbiæ? 1. vertigo capitis; 2. inflatio corporis; 3. vermium pruritus et morsus in intestinis. Idem sanctus Pater serm. 5. de Verbis Domini, cap. 9. Omne granum, ait, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum: alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici. Vermis divitiarum superbia: ita August.

Remedium contra superbiam est respectus, id est aspectus, mortis. Supra dixerat David, *Non est respectus morti eorum*, hoc est non aspiciunt mortem, et subiunxerat, *ideo tenuit eos superbia.* Consequens hinc est a contrario, ut qui mortem respicit, a superbia non teneatur. Agapetus in cap. Parænet. ad Iustinianum Cæsarem, cap. 14. Si quis purum, ait, habet cogitatum humanæ deceptionis, perspicitque naturæ suæ vilitatem, brevitatemque vitæ præsentis veloci fato obnoxiæ, tum carni coniunctas insitasque sordes, εις υπερηφανιας ουκ εμπεσειται κρημνον, *ad superbiæ præcipitium nunquam delabetur, licet in excelso dignitatis fastigio consistat:* ita ille. Olympiæ Iunonis, ut ait Pausanias in Eliacis, lib. 1. pag. 162. erat βωμος πεποιημενος τεφρας, ara ex cineribus confecta: ut scilicet sacrificans memor conditionis suæ maiori cum mentis demissione preces ac thura funderet. 27. Superbiam tollit mortis memoria.

SECUNDUM vitium divitum fortunatorum est obstinatio 28.
in impietate, v. 6. OPERTI SUNT INIQUITATE ET IMPIETATE Vers. 6. 2. Pars.
SUA. Hebr. est, involvet, seu operiet, iniquitas et violentia ipsos. Hebr. porro שית *sith,* quod Noster vertit *iniquitatem,* Arias vertit *ornamentum.* Divitum vestes pretiosæ et ornatæ sæpe sunt tectæ iniquitate, et sunt ipsa iniquitas, ex furto enim sunt, et sanguine pauperum purpuratæ.

Nota, iniquitas et impietas divites operiunt, at tegunt. Divites impietate obvolvuntur:
Primo, sicut vestes. Syr. reddit, *Induti sunt iniquitate sua.* S. August. legit, *Circumamicti sunt* iniquitate et impietate sua. Et quidem non aliis quam a seipsis, liberi enim I.
sunt. S. Hieronymus vertit, *Circumdederunt iniquitatem* Velut vestis.
sibi. Quo denotatur Primo, universalitas iniquitatis, q. d. In facie, oculis, ore, auribus, manibus, pedibus, ac toto corpore ponunt iniquitatem suam, sicut gemmas. Secundo, impudentia in peccando palam, et in omnium oculis: pauper vero in corde suo occultat peccata, et mala desideria ne puniatur. Tertio, gloriatio de sceleribus, quæ sibi ornamento esse ducunt, ut apparet nunc in nobilibus iurantibus et blasphemantibus, ac præsertim in militibus. Sic luxuriosi ganeones iactitant suas sordes. Campens. Quemadmodum, ait, vestis totum hominem tegere solet, ita iniquitas habet totos involutos. S. Ambrosius legit, *cooperti sunt* iniquitate sua; et addit lib. 3. de Interpellatione cap. 5. *Malum vestimentum iniquitas.* Si quis tunicam nostram quam accepimus spiritualem, auferre conetur, remitte *pallium iniquitatis*, sume operimentum fidei atque patientiæ, quo se David operiebat in ieiunio, ne amitteret tegumenta virtutis: *Ipsum ieiunium operimentum est.* Denique nisi S. Ioseph texisset sobrietas ieiunii, adulteræ protervitas exuisset. Quo ieiunio se tegere

si voluisset Adam, nudus non fuisset effectus. Sed quia de ligno scientiæ boni et mali contra interdictum cæleste gustavit, et imperatum ieiunium prævaricatus est incontinentiæ cibo, nondum se esse cognovit. Quod si ieiunasset, fidei servasset exuvias, nec se aspexisset intectum. Non ergo nos induamus iniquitate et impietate, ne de aliquo nostrum dicatur: Et induit se maledictionem. Male se induit et Adam, qui dum quærit integumenta foliorum, maledictionis excepit sententiam: hactenus Ambrosius.

II. Velut velo lucem tollente. Secundo, iniquitas et impietas operiunt divites tamquam vela duplicata, quæ lumen omne tollunt. Aiguan. Non dicit, inquit, amicti sunt, sed operti. Nam qui vestitus est, saltem caput habet liberum: qui autem opertus est, nihil liberum habet: ita ipse. Iniquitatem etiam et impietatem sibi tamquam vela obtendunt scelerati, ut non videantur. S. Augustinus: *Circumamicti*, ait, *sunt iniquitate et impietate sua. Non dixit tecti, sed circumamicti, undique cooperti impietate sua. Merito miseri nec vident, nec videntur, quia circumamicti sunt, nec videntur interiora eorum. Nam quisquis malorum hominum quasi felicium secundum tempus, interiora conspiceret, quisquis eorum videret truces conscientias, quisquis animas eorum posset inspicere, diverberari tantis perturbationibus cupiditatum et timorum; videret eos miseros, et quando felices vocantur. Sed quia circumamicti sunt iniquitate et impietate sua, non vident, sed nec videntur:* ita Augustinus. Peccatum, ait Ugo Cardinalis, est quasi tela, quam orditus est primus homo, et omnes peccatores eam texunt. Isai. 25. 7. *Telam quam orditus est super universas nationes præcipitabit*. Et cap. 59. 5. *Telas aranearum texuerunt.* Hæc est mala tela, quæ licet operiat ne videatur lumen, tamen non tuetur a frigore, nec ab æstu: ita ipse.

III. Velut cute. Tertio, iniquitas et impietas operiunt divites felices, tamquam cutis: unde fit, ut sine dolore avelli non possint, et a capite usque ad pedes pertingant. Quasi cute quadam sic induti sunt aliqui prava consuetudine, ut illam dediscere, et desuescere non tam expoliari sit quam excoriari: ita Gilbertus. Iacob pelliculas hædorum circumdedit manibus, et colli nuda protexit. Illas facile abiecit, quia erant adiectitiæ, non innatæ. Esau vero, homo pilosus, nec poterat facile et sine dolore illos pilos avellere: quia hærebant cuti. Sancti bona temporalia sine tristitia reiiciunt, mali vero cum eiulatu, quia illis adhærent.

IV. Velut aquarum vortice. Quarto denique, iniquitas et impietas operiunt divites felices, sicut vortex aquarum submersos: ita Bruno Herbipolensis, et Ruffin. qui ait: O infelices illi, quos tamquam vinctos superbia tenet, tamquam submersos iniquitas operit.

29. Vitia oriuntur a divitiis. Nota secundo, a divitiis vitia oriuntur. Plutus divitiarum Deus id prædicat apud Lucianum: Statim, ait, qui me nactus est, apertis foribus exceperit clanculum, una mecum ingreditur elatio, vecordia, iactantia, mollities, contumelia, dolus, και αλλ'αττα μυρια, atque alia item innumera. S. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 322. ad Martinianum: Ne divitias expetas vir optime, quæ superbiam et arrogantiam pariunt, voluptates subministrant, πασης κακιας δημιουργον, *vitii omnis architectæ sunt,* atque homini amicitiam ad Deum eripiunt.

Nominum ipsorum convenientia id declarat S. Eucherius in Epistola parænet. ad Valerianum: Quædam, ait, societas est, pene etiam nominis, duabus his rebus, *vitiis et divitiis.* Wilhelmus Malmesburiensis lib. 1. cap. 3. Res, ait, non pertrita, sed *corvo rarior albo:* homines abundare divitiis, et nolle lascivire vitiis.

In floridis et herbosis pratis, facilius latet serpens ac pungit, quam in nuda planitie, et trita via; inter spinas quoque implexas serpentes sæpe reperiuntur; spinas autem vocat divitias Christus ipse, unde S. Chrys. hom. 23. in Ioannem: Quemadmodum inter spinas, inquit, feræ, viperæ, scorpii, delitescunt: ita in fraudibus divitiarum. S. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 146. πλουτος, inquit, κακιας μαλλον η καλοκαγαθιας υπηρετης εστιν; Divitiæ vitii potius quam pietatis ministræ sunt: ut quæ licentiam quidem inertiæ

A afferant, iuvenes autem ad voluptatem cohortentur.

Terrificum est dictum S. Chrysost. hom. 13. in Matth. Nihil, inquit, sic diabolo subiici homines facit, ut inhiare opibus, atque habendi amore superari. S. Petr. Damiani Opusc. 60. cap. 22. fumanti clibano avaritiam comparat. Sicut, inquit, fumus ex igne clibani vaporantis egreditur; ita vitiorum omnium flagitiorumque caligo de camino æstuantis avaritiæ generatur, sicut dicit Apostolus: quia radix omnium malorum avaritia est. *Fumans* ergo *clibanus* tenebrosam caliginem generat: quia caminus avaritiæ, qui in pectoribus pravorum hominum æstuat, multis tenebris mundum pestilenter obscurat. Annon mentes infidelium cæcat, quæ scilicet et finem tollit, et omnium virtutum in eorum cordibus lumen extinguit: ita ipse. Avari gryphes sunt et dracones, aut furiæ, thesauris incubantes. S. Chrysost. hom. 23. in Matth. avarum comparat inferno: Avarus, ait, in omnes, *ut mors,* insiliens, omnes, *ut infernus*, deglutiens: communis generis humani hostis: quippe qui nullum hominem esse vellet, ut

B omnia possideret.

Concludamus itaque cum Epicteto, non esse amandas divitias, licet luceant. Sic autem ait homines ab illusione revocare cupiens: *Quemadmodum viperam, aut aspidem, in eburneo aureoque scrinio inspiciens, non propter materiæ pretium ipsa diligis, aut magni facis, tamquam felicia alia: sed potius propter naturæ ipsorum exitialem vim abhorres ac detestaris. Sic etiam in divitiis et fastu fortunæ malitiam inesse videns, non ad materiæ splendorem obstupesce, sed morum pravitatem contemne.*

Tertium vitium divitum fortunatorum est alacritas et libertas, atque securitas in peccando, vers. 7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Nota, adeps seu pinguedo corporis pro abundantia ponitur divitiarum. Suidas quoque tradit divites more solito vocari pingues. Ps. 21. 30. ubi legimus: *Adoraverunt omnes pingues terræ.* S. August. legit, *Omnes divites terræ.* Amos Propheta cap. 4. 1. alloquens princi- 30. Vers. 7. Superbia oritur ex adipe, id est abundantia.

C pes Samariæ, id est decem tribuum, ait: *Audite verbum hoc vaccæ pingues quæ estis in monte Samariæ.* Cur autem vaccæ vocentur, vide apud Ruffinum, qui tres causas affert. In Hebræo ibi est *vaccæ Basan*, id est confusionis. S. Gregor. ex adipe, id est ex abundantia enasci superbiam docet. Sic enim ait lib. 15. Mor. cap. 25. illud Iobi 21. 24. explanans: *Viscera eius plena sunt adipe. Sicut*, inquit, *ex abundanti cibo adeps, ita ex abundantia rerum superbia nascitur, quæ impinguat mentem divitis, dum elevatur animus superbientis. Superbia quippe cordis quasi quædam pinguedo est crassitudinis. Unde quia plerique ex abundantia peccata perpetrant, per Prophetam dicitur, Ps. 72. 7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Inter vitia Sodomæ ponitur saturitas et abundantia. Sic enim dicitur Ezech. 16. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, et saturitas panis, et abundantia.* Copia fastum gignit, ut ait Homerus. Philo lib. de charitate pag. 551. τικτει κορος υβριν, ait, *saturitas parit ferociam*, ut est in veteri proverbio. Ideo optime docet Moses in sa-

D cris suis præceptis abstinendum esse a peccato omni, sed maxime a superbia; moxque memorat unde accendi soleat hoc vitium, nimirum e saturitate, et prædiorum pecudumque copia. Tunc enim possessores impotentes sui, fiunt elati inflatique, proculdubio perituri, nisi Deum semper habuerint in memoria. S. Ioann. Climaci scholiastes ad grad. 1. απηρυθριασμεναι εισιν νεανιδες, inquit, effrontes et impudentes adolescentuli sunt, ventris ingluvies, ebrietas, luxuria, inanis gloria. Deut. 32. 15. Moses dicit de populo Israel: *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum et recessit a Deo salutari suo.* Lege 2. Esdr. 9. et librum Iudicum. S. August. in Ps. nostr. recte monet, pauperum vitia oriri ex macie: vitia divitum ex abundantia. Pauper, inquit, mendicus furtum facit, ex macie processit iniquitas. Dives abundans rebus tantis, quare diripit res alienas? Illius iniquitas ex macie, huius ex

adipe processit: ita Augustinus. Medium tenuere Beati: hinc Salomon orabat Prov. 30. 8. *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi.*

31. Nimis pinguem odio habuerunt: 1. Spartani. Nota secundo, pinguedo corporis proprie est causa desidiæ et luxuriæ. Hinc primo nationes bellicosæ oderunt et puniverunt nimis pingues. 1. Spartani decimo quoque die nudos ephebos seu adolescentes inspiciebant, et si quod membrum Ephori delicatius molliusque ob suppositam aut succrescentem pinguedinem, reperissent, verberabant: et exilii pœnam intentabant, nisi vivendi mutaret rationem. 2 Thebani. 2. Thebanorum dux Epaminondas cum vehementer infensus esset obesis, dicere solebat: militum quibus arma gerenda sunt, corpus exercitatum esse oportere non solum athletice, verum etiam militariter: unde cum pinguem militem vidisset in suo exercitu, expulit e castris, dicens: Quod vix clypei tres aut quatuor tegerent ipsius ventrem. 3. Athenienses. 3. Athenis cum Polyeuctus Sphettius longam haberet orationem de suscipiendo in Philippum bello, atque præ pinguedine et æstatis æstu sæpius aquam biberet, urbane Phocion dixit: Dignam rem, viri Athenienses, ut huic de gerando bello credatur. Quantum enim illum in medio marte sua galea et thorace facturum putatis, quem ipse loquendi labor in animæ exhalandæ discrimen impulerit. 4. Romani. 4. Romæ, nimis pinguem, deformem aut manaum, desidem aut vecordem, tamquam minus utilem militiæ non ascribebant: Cato Censorius pinguem militem velut Reipubl. incommodum, iure abiecit: cuius inter guttur et inguen cuncta sub ventris dominio forent. Aul. Gellius l. 7. noctium Atticar. cap. 22. ait Censores Romanos Equum pinguiori militi ademisse cum ignominia, quod etiam fecisse dicitur rex Spartæ. 5. Galli et Iberi. 5. Galli et Iberi zonam habebant certa mensura, quam si mulier quæ gravida non esset, aut pinguior puer, capere non posset, magno probro afficiebatur, ut ait Ioann. Boemus Aubanus lib. 3. de mor. Gentium, et Scipio du Pleix in comment. Gallicis. Sancius primus rex Asturum pinguedinem nimiam abstulit herbæ cuiusdam vi; S. Borgia ieiunio severissimo.

32. Pinguedo nimia est causa luxuriæ. Secundo, pinguedo nimia est causa luxuriæ. S. Ioan. Climac. gr. 14. pag. 202. Satietas ciborum, ait, πορνειας πατηρ, parens est libidinis. Ventris afflictio, est castitatis conciliatrix. Leonem mansuetarius permulcendo sæpe cicuravit: qui blanditus est corpori, επι πλειω αγριωσε, illud magis efferat: ita ipse. Venter pinguis et plenus despumat in libidinem. S. Isidor. lib. 13. Origen. cap. 13. ait, lacum esse in Bithynia, de quo qui biberit, facibus libidinis exardescit. Hoc de vino ait S. Paulus Eph. 8. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Sine Cerere et Baccho friget Venus. S. Hieron. in cap. 1. ad Titum v. 7. *Ubicumque, ait, saturitas et ebrietas, ibi libido dominatur. Scio mihi abstinentiam et nocuisse intermissam, et profuisse repetitam.*

33. Nota tertio, pro *iniquitas*, Hebraice nunc est עין *ain*, id est, oculus. Unde S. Hieronymus vertit, processerunt a pinguedine oculi eorum. Pagnin. egressi sunt præ adipe oculi eorum. Sub hac metaphora, ait Lorinus, significatur affluentia rerum tanta, ut multum supersit ac redundet. Ita quoque vulgo dicimus, crepant oculi huic præ bono tempore, erit ei ex oculis tempus bonum, etc. Incrassati sunt eidem oculi: nimirum cum elatus felicitate, nec aspectu alium dignatur, prodit ex oculis malitia. Videlicet cum cavari soleant aliquantulum oculi ad cernendum acutius et commodius, pinguedo adeo excrescere potest, ut exæquari videantur genis, ac supra etiam extare, protrudique extra orbes suos, et vix appareant, et egressi, aut decidisse videantur: *aut etiam dissiliisse ad res, quas vident concupiscendas, ac veluti hauriendas:* aut sese prodere plenos avaritia luxuriaque, invidia, ira, etc. aut, quod tritus habet etiam sermo, impinguari videantur oculi, totaque improborum facies, inique agendo. Ita ipsa, quo referri potest S. Ambros. lib. 3. de interpellatione, cap. 5. Iniquitas, ait, quæ quasi ex adipe procedit, non tenuis et exilis significatur, sed plena vitiorum.

34. Quartum vitium divitum fortunatorum est carnalitas, et appetitus effrænis satiandi suam concupiscentiam, v. 7. Vers. 7. 2. Pars. Dives transit in affectum cordis, et quomodo.

Transierunt in affectum cordis. *Transierunt* Primo, per motum localem, currendo post suas affectiones et vana desideria. Psal. 80. v. 13. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* S. Hieronymus, in consiliis suis. S. Augustin. in affectionibus suis. Psalt. illyricum, in desideriis suis. S. Fulgentius lib. 1. de remissione peccatorum cap. 13. in voluptatibus suis. Apollinar. in stultitiis suis. Vere stultus est, qui relicta luce tenebras sectatur, et relicta veritate ac soliditate umbras captat.

Secundo, *transierunt* per mutationem moralem et physicam: intellectus enim et voluntas mutantur quodammodo in ea quæ cogitant et amant. Figuratum id est in Nabuchodonosore mutato in bovem, et in Teridate rege Armeniæ, mutato in porcum. Ovidii variæ metamorphoses hoc tantum indicant. Hinc orta est sententia Pythagoræ de animarum transitu in bestias, quam μετεμψυχωσιν appellavit. Vide dicta Ps. 48. v. 13. In Caria Salmacis fons bibentes effœminat, ut ait Pompeius Festus: idem fit quotidie in ubertate divitiarum et voluptatum. In affectum cordis transit, qui totus fit carnalis et animalis.

Remedium est, non cedere suis affectionibus et passionibus; non eas sequi, sed præire ac regere, ut ad nos vocatæ veniant, iussæ exeant, non vero nos ad illas. Eccli. 18. 30. *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua*, Græc. απο των ορεξεων σου, ab appetitibus tuis, *avertere.* S. Basil. in constitut. monast. cap. 3. spem facit victoriæ. Affectiones corporis, ait, tunc sunt violentæ, cum ratio cessat: easdem illa moderante et imperium suum exercente facillime obtemperant. Philo periculum declarat, nisi fortes simus. Sic enim ait lib. 3. legis alleg. p. 856. Pugna et tu, inquit, adversus omnem affectum, et præcipua adversus voluptatem. Etenim callidissimus est serpens omnium animalium, quæ super terram, quæ fecit Dominus Deus: παντων πανουργεστατον η ηδονη, vaferrimum autem omnium est voluptas. 35. Remedium contra passiones.

Nota, το *transierunt*, denotat Primo impetum et ardorem currendi ad suas cupiditates. Secundo, difficultatem reditus ad virtutem: facilius est hominem in bestiam transformari, quod aliquando contigit: quam ex bestia fieri hominem, quod nusquam visum est: facile est vestem cœno aut sanguine oblini, difficile purgari. Anno Christi 1017. in Aquitania, ante solemnitatem S. Ioannis Baptistæ, tribus diebus de cælo pluit sanguis, qui cadens supra carnem hominis, aut supra lapidem, non poterat lavari; si vero supra lignum caderet, lavabatur. S. Fulbertus Episcopus Carnot. ea de re consultus respondit epist. 79. *Per lapidem impii, per carnem fornicarii significantur: per lignum medii: qui neque molles, ut caro: neque ut lapis, duri: impios et fornicarios indelebili nota in sanguine suo morituros: medios, per mortis angustiam salvandos.* 36. Vitia difficile emendantur præcipue libido.

Nota secundo, pro *affectum*, Hebr. est משכיות *maschiioth*, id est, Primo, cogitationes: unde S. Hieronymus: Transierunt cogitationes cordis, q. d. Operati sunt pro cogitatione cordis, ut vertit Syrus: etiam per enses medios et mille pericula mortis transirent, ut desideria sua explerent. Secundo, *maschiioth*, id est desideria affectus. Verti possit, transierunt desideria cordis, q. d. Etiam sua desideria fecerunt præ ardoris impetu. Lindanus explicat, q. d. Quidquid audent cogitare, audent et patrare. Tertio, *maschiioth*, id est, imaginationes: ita Arias reddit, *Transierunt imaginationes cordis.* Quarto, *maschiioth*, picturas, a rad. *sacha*, aspicere, pingere. Picturas illas nefarii cordis ostendit Deus Ezechieli Prophetæ, qui iussus fodere parietem in atrio templi, cap. 8. v. 10. *Vidit omnem similitudinem reptilium et animalium, abominationem, et universa idola domus Israel depicta in pariete in circuitu per totum.* Vide S. Gregor. 2. parte past. cap. 10. Idem pingit peccator in corde suo. Græce est διαθεσις καρδιας, id est, cordis dispositio. S. Augustinus et Cassiodorus legerunt, Transierunt in dispositionem cordis; 2. pictura; 3. affectio. Arabs totum versum sic reddit: *Exivit ut cera* 37. Picturæ cordis.

iniquitas eorum, et fecerunt secundum consilium cordium suorum.

38. Vers. 8. 1. Pars. QUINTUM vitium divitum fortunatorum est malitia meditata, v. 8. COGITAVERUNT, ET LOCUTI SUNT NEQUITIAM: INIQUITATEM IN EXCELSO LOCUTI SUNT. Pro *cogitaverunt*, Hebraice est יָמִיקוּ *iamiku*, id est, Primo *irriserunt*: ita S. Hieron. Sed quid? bonas cogitationes, quæ ob affectibus pravis retrahebant; 2. pia monita; 3. viros probos; 4. Deum ipsum. Hæc est cathedra pestilentiæ, seu, ut est in Hebr. irrisorum, de qua dixi Ps. 1. Petavius in psal. nostr. vertit, *Perniciosis animis*, ὀλοφρονα μητιωντο, *pestifera moliebantur*. Secundo, *iamiku*, dissolverunt: ita Pagninus. Sed quos? 1. alios. Felix, *contabescere facient*. Arios, reddent se dissolutos; 2. seipsos: Chaldæus vertit, *Liquefient præ humore*. Vel, iuxta versionem Nebiensis, *Liquefient propter pinguedinem*, id est, abundantiam divitiorum. Ubi adverte, divites curis torqueri. Hillel Hebræorum doctor dicebat, ut est in eorum apophthegmatis: *Qui accumulat opes, accumulat curas*. Hinc Olymp. in Ecclesiasten sapienter vocat avaritiam, πονηραν ψυχης αρρωστιαν, infelicis animæ morbum. S. Chrys. serm. 22. *Auri custos*, ait, *servator argenti, securitatem non habet*. Si avaritiæ in divite fortunato addas superbiam, habebis fontem et scaturiginem cogitationum pessimarum. S. Ioan. Clim. grad. 23. pag. 299. Sicut, inquit, ebrietas est causa cur offendas: ita superbia est causa impiarum cogitationum.

39. Vers. 8. 2. Pars. In excelso loqui quatuor modis exponitur. SEXTUM vitium divitum fortunatorum est lingua effrænis, tum in Deum, tum in homines, vers. 8. ET LOCUTI SUNT NEQUITIAM (S. Gregorius 34. mor. cap. 18. vel 22. nequitias. S. Hieronym. in malitia; Pagninus, malitiose) INIQUITATEM (Hebr. עֹשֶׁק *oscek*, calumniam: ita Felix et S. Hieron. contumeliam: ita Apollinar. et Petavius) IN EXCELSO LOCUTI SUNT; loqui *in excelso* exponi potest quatuor modis. Primo *in excelso*, id est, in excelsum seu altissimum, nempe in Deum: ita Apollinar. Flamin. Lindan. Raynerius, Arabs, et Syr. qui vertit, contumeliam in Altissimum locuti sunt. S. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 7. legit etiam, in excelsum. S. Hieron. exponit de Iudæis Deum in carne positum blasphemantibus. Secundo, *in excelso*, supple corde, locuti sunt divites superbientes. Chaldæus vertit, Ad violentiam de celsitudine cordis sui loquentur. Haimo, loquentur in superbia suo. Superbia est loquax, humilitas amat silentium. Tertio, *in excelso*, supple sermone, q. d. Alta voce et palam. Ruffin. in audaci, claro, et aperto sermone. Isaiæ 3. v. 9. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, et non absconderunt*. Quarto denique, et optime, *in excelso*, supple loco, loquuntur divites, q. d. Ait Remigius, in publico gloriati sunt de nequitia sua, et in cathedra pestilentiæ præsidentes, aliis nequitiæ dederunt auctoritates. Unde Paulus ait Ephes. 4. Auferatur clamor de medio vestrum: ita ille. S. Hieronymus et Felix vertunt: Calumniam de excelso loquentes. Ubi adverte: 1. eorum fastum; 2. impudentiam; 3. audaciam; 4. impunitatem.

40. Vers. 9. 1. Pars. Ponere in cælum os suum. PRIMO, in Deum blasphemi sunt, v. 9. POSUERUNT IN CÆLUM (Felix in cælo. Bellarminus, supra cælum. Petavius, et quidem melius, *contra cælum*) OS SUUM, ET LINGUA EORUM TRANSIVIT IN TERRA. *Ponere porro in cælum*, seu contra cælum, *os suum*, est, in sanctos iam in cælo regnantes blasphemare: ita Chaldæus, qui vertit: *Posuerunt in sanctos cælorum os suum, et lingua eorum ardet in iustos terræ*. S. Ioannis Climaci Scholiastes ad grad. 23. num. 16. Qui, ait, in dedecus vanæ gloriæ incidit exsors est pacis, et cor obdurat erga sanctos.

Secundo, et melius, *ponit in cælum os suum*, qui Deum blasphemat: 1. eius potentiam negando; 2. providentiam in hæc inferiora; 3. denique, ipsam eius essentiam. Tales blasphemiæ fuerunt Pharaonis Exodi 5. v. 15. Secundo, Sennacheribi regis Assyriorum, 4. Reg. 8. v. 13. Tertio, Nabuchodonosoris regis Babyloniorum, Danielis 3. v. 19. Quarto, Antiochi regis Syriæ, 1. Machab. 6. v. 16. Quinto denique, Herodis, Act. 12. v. 21. Sed in eorum vultum, os, oculos et totum corpus, verba eorum et sputa, ac divina verba reciderunt, ut ibi dicitur. Ratio est, quia ut monet Iob cap. 15. v. 25. contra Omnipotentem pugnant. Ibi enim Eliphaz Themanites post recensitas frequentes impii neces, terrores, clades, ait: *Tetendit adversus Deum manum suam, et contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus eum erecto collo, et pingui cervice armatus est. Operuit faciem eius crassitudo, et de lateribus eius arvina dependet*. Locus ille non est absimilis nostro. Arist. lib. 2. Meteor. cap. 31. dicit: Divitias nihil aliud esse, quam *felicem amentiam*. Sed id præsertim verum est, cum divitiæ cor ita inflant, ut in Deum excitent. Prov. 19. 1. *Melior est pauper qui ambulat in simplicitate*, Hebr. in innocentia, *sua, quam dives torquens*, Hebr. depravans, *labia sua, et insipiens*. Superbiam a divitiis oriri vidimus supra, blasphemia vero oritur a superbia. S. Ioan. Clim. grad. 22. pag. 298. dicit, execrandæ superbiæ, αρρητον αποyονον, infandam prolem esse blasphemiam. Eius Scholiastes num. 15. ait: Qui superbia tumet, permittitur in blasphemias cadere: qui virtutis exercitatione tollitur, in luxuriam: qui sapientia suo tumet, in ignorantiæ tenebras et laqueos incidit. Superbia est mater blasphemiæ.

41. Vers. 9. 2. Pars. SECUNDO, divites fortunati facile in pauperes, aliosque sunt contumeliosi, et de eorum factis libere detrahunt, v. 9. ET LINGUA EORUM TRANSIVIT IN TERRA. *In terra*, id est, in iis qui sunt in stabilitate positi, quos transivit contemnendo eos in affectione cordis sui, dum sibi bona temporalia attribuerentur, et aliis auferrentur: ita Remigius; 2. *in terra*, id est, in terrenis hominibus; præceptum enim eorum non transit in iustis, sed solum in terra, id est, in terrenis hominibus, qui terrenis principibus complacere volentes, ipsorum præcepta recipiunt, et Dei mandata contemnunt: ita Aiguanus; 3. *in terra*, id est, in terrenis rebus, q. d. Lingua eorum terrenis rebus inhæsit: ita Dionysius. Sed hæc sunt tropologica, et terra hic debet sumi in propria significatione.

Lingua impii transit in terra sex modis: I. Primo itaque sensus est, q. d. Lingua impiorum, qui pollent opibus et potentia, *transit in terra*, quia sermones eorum impii, blasphemi, superbi, inhonesti, iniusti et iniuriosi, abeunt in proverbium, et frequentantur passim a vulgo, qui talia facile imbibit, sive suamet pronitate ad malum, sive studio quodam gratificandi potentioribus: ita Ionssonius. Verba divitum sunt pestis late serpens.

II. Secundo sensus est, q. d. ait Ruffinus, contempto cælesti domino seipsos in hac vita laudant, et magnificant, sicut dixerunt Ps. 11. v. 5. *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt*. Quis noster dominus est? Et vere in hoc lingua eorum transit in terra: quia loquacitas eorum metas humanitatis et modum excessit in natura, cum se in tantum extollerent, ut Deum esse supra se contemnerent: ita ille.

III. Tertio, *transit lingua eorum in terra*: quia omnia mala, quæ præcipiunt, adimplentur per satellites eorum: ita Valentia.

IV. Quarto, lingua eorum transit in terra: quia transit longa tempora sine punitione: ita idem Valentia.

V. Quinto, lingua eorum in terra transit, id est, deficit: ita Glossa, et S. Hieron. qui sic ait: Per superbiam scientiæ locuti sunt contra habitatorem cæli: sed humiliatum est usque in terram iniquum eloquium eorum, et pertransiit: quia firmam non habuit stationem.

VI. Et optime. Sexto denique et optime, *lingua eorum transit in terra*, id est, ubique libere et impune grassatur, in omnes sæviit, nemo est qui illis et eorum dicteriis et contumeliis audeat resistere: ita Iansenius, Lindanus, Tirinus et alii. Felix vertit, lingua eorum ambulabit in terra. Chald. *Lingua eorum ardet in iustos terræ*. Est ignis omnia devastans. Petavius reddit, suis patulis linguis universam terram pervaserunt. S. Chrysog. serm. 1. dicit facultates violant charitatem. S. Nilus, Avaritiæ, inquit, cum charitate nullum fœdus esse potest.

42. Vers. 10. et seqq. Ad extremum ponit David querelas piorum adhuc in fide infirmorum. Primo enim dicit, quod *convertentur*, ut illam felicitatem improborum considerent. Secundo, eos

invenisse, vere impios esse felices, et vivere vitam longam, diesque suos implere pervenientes ad ultimam senectutem. Tertio, verba illorum infirmorum ponit, dubitantium de providentia Dei, eo quod impii abundent divitiis, ipsi vero cum innocentia viventes toto vitæ tempore a prima pueritia, et statim ut singuli dies incipiunt, a prima luce usque ad vesperam nihil habeant quietis.

Deus omnia cognoscit. Nota, Deus scit omnia. Anna in suo cantico præclare de Deo concinit, 1. Reg. 2. v. 3. *Deus scientiarum*, id est, scientissimus; est hebraismus: *Dominus est, et ipsi præparantur cogitationes.* Cantic. 2. v. 9. *Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* S. Bernard. hæc considerans serm. 35. in Cant. Ut hinnulus, ait, apparuit parvulus, qui natus est nobis. Verum tu qui adventum desideras salvatoris, time scrutinium iudicis: time oculos capreæ, time illum, qui per prophetam dicit: Et erit in die illa, et ego scrutabor Ierusalem in lucernis. Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus eius. Scrutabitur renes et corda, ipsaque cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, si Ierusalem manet scrutinium? Hæc Bernardus. Est oculus mundi et sol. Ægyptii dicebant, Deum esse mundi oculum. Eusebius lib. 3. de præparatione Evang. cap. 3. ex Porphyrio docet, ab eisdem Ægyptiis Deum orbis rectorem delineari per solem in navi, quæ adverso flumine raperetur, et cui Crocodilus subiiceretur. Severus Episcopus Antioch. λαθοι αν ουδεν παντα ειδοτα νουν; Nihil latere potest mentem omnia scientem. Aristeus monet eam considerationem esse utilissimam regibus et principibus. Nam in libro de septuaginta interpretibus quæstione 7. inducit Ptolemæum regem ab uno ex illis petentem: Quid sibi ad vitam degendam possit esse optimum? illum vero respondentem: Hoc cognitum habere et statuere, Deum universorum dominari: et nos etiam in illis quæ nobis maxime gloriosæ sunt actiones,
43. Ubique Deus est timendus. non dirigere consilia nostra, sed Deum, qui τελειοι τα παντων, και καθηγειται δυναστευων, omnia perficit, et gubernat pro sua potentia: ita ibi. Cum S. August. conclude, Deum ubique videntem te, ubique timendum esse a te. Verba eius sunt serm. 46. de verbis Domini: *Ipse*, inquit, *timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis, videris. Intras, videris. Lucerna ardet, videt te. Lucerna extincta est, videt te. In cubiculum intras, videt te. In corde versaris, videt te. Ipsum time, illum cui cura est, ut videat te: et vel timendo castus esto: aut si peccare vis, quære ubi te non videat, et fac quod vis.*

Nota secundo, Deus præsertim aspicit servos suos in mediis flagellis, eosque iuvat. Hoc patuit Primo in S. Stephano, qui oculos in cælum erigens cum lapidaretur, Actor. 7. v. 56. ait: *Video cælos apertos, et Iesum stantem a dextris virtutis Dei.* Stabat, ut se paratum ad iuvandum probaret. Secundo, cum S. Acacius Centurio Martyr a decem tortoribus vexaretur, dicebat: Domine Iesu Christe adiuva servum tuum Acacium. Hæc cum dixisset, statim vox de cælo audita est: Ne timeas Acaci, sed esto bono animo: decet enim te cum patribus tuis esse, et cælo versantem oblectari, eo quod nunc nominis mei confessionem profitearis. Audita hac voce tortores muti effecti sunt, eisque manus obtorpuere, ut habetur in eius Actis. Tertio, cum S. Hermylus Martyr virgis cæderetur, dicebat: Domine Deus meus, qui propter me sub Pontio Pilato flagella et plagas tolerasti, ipse me rursus propter te patientem confirma, ut possim cursum præsentem perficere, ut cum socius fuero perpessionis, dignus quoque sim qui splendoris efficiar socius. Tum vocem percepit cælestem, Amen, Amen, Hermyle, post tres dies liberaberis a præsentibus molestiis: Præclaras autem et magnificas accipies præsentium laborum remunerationes. Tum lictores in terram trementes concidere, ut ait Metaphr. 13. Ianuarii. Quarto, cum S. Trypbon Martyr flagellaretur, divinus splendor eum illustrans et circumfulgens, divinamque et omni ex parte pulchram *coronam florentem gemmis* præbens apparuit. Tortoribus præ stupore in terram cadentibus ait Martyr: Domine, ago tibi gratias, quod non reliquisti me in manibus inimicorum: sed obumbrasti super caput meum in die belli, et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, et dextera tua suscepit me, ut habent eius Acta die 1. mens. Februarii. 44. Deus aspicit et iuvat servos suos afflictos. Id patuit in S. Stephano. 2. In S. Acacio. 3. In S. Hermylo. 4. In S. Tryphone.

SECTIO SECUNDA.

45. *Duo asserit. Primo, sanctis viris cognitam fuisse, et in cælo manifestiorem adhuc fore providentiam Dei erga iustos et peccatores, vers. 15. Secundo, punitionem impiorum fore celerem atque æternam, v. 8.*

PARAPHRASIS.

15. *Si dicebam, narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.*

15. Si has apud me cogitationes versabam, iisque assentiens de tua providentia apud alios querelas agebam: omnes servos tuos ac filios reprobavi, qui et affliguntur, et in flagellis paternam et amicam manum agnoscunt.

16. *Existimabam ut cognoscerem hoc: labor est ante me.*

16. Penetraturum me infinitam hanc sapientiæ tuæ abyssum existimabam: sed tantum mihi terrenæ offusum est caliginis, ut despicere arcana tua non possim.

17. *Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.*

17. Cum vero in cælorum adyta penetravero, tum subducto velo, providentiæ tuæ admirabilem ductum, et sceleratorum luctuosissimum finem advertam.

18. *Verumtamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos, dum allevarentur.*

18. Nam propter eorum dolos et vafra consilia, finem illis præstituisti doloris plenissimum: neque diu eorum pœnam distulisti; statim enim cum erigerentur, eos attrivisti.

19. *Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.*

19. Quis unquam credidisset ex tantis opibus et satellitum famulitio eos in tantam calamitatem venturos, et tamen subito concussu deiecti sunt, et momento ob scelera sua evanuerunt, et in nihilum reciderunt.

20. *Velut somnium surgentium: Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

20. Tu Domine, imaginem ipsorum inanemque fulgorem in nihilum rediges, perinde atque breve somnium eorum, qui mox surrecturi sunt, quos vana delectatio inanes et mœrentes statim ut expergefacti sunt, deserit.

QUÆSTIO UNICA.

Quam velox et severa impiorum in hac vita felicium punitio.

46. Ordo Sectionis. Sectione præcedenti variis cogitationum fluctibus agitatos pios, et ipsum Davidem advertimus, ob felicitatem impiorum. In hac vero, naufragium eorum luctuosum considerat.

Ac primo, seipsum David reprehendit, quod questus sit se flagellari, et impios abundare divitiis, vers. 15. *Si dicebam, narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.* Secundo, fatetur illam cognitionem divinæ providentiæ, faventis impio, esse difficilem, v. 16. *Existima-*

bam ut cognoscerem hoc: labor est ante me. Tertio, dicit eam habendam cognitionem in cælo, v. 17. *Donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.*

Secundo, finem impiorum funestissimum declarat, et felicitatem infelicem. Nam felicitas eorum est primo fallax, v. 18. *Verumtamen propter dolos posuisti eis.* Secundo, brevi peritura: *Deiecisti eos, dum allevarentur.* Tertio, luctuoso fine terminata, v. 19. *Quomodo facti sunt in desolationem?* Quarto, et repentino: *Subito defecerunt.* Quinto, res omnes longo tempore et multis sceleribus partas perdens: *Perierunt propter iniquitatem suam.* Sexto, illusoria, v. 20. *Velut somnium surgentium Domine.* Septimo denique, in nihilum recidens: *In civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

ARTICULUS I.

Sancti in afflictionibus delectantur.

Cum in contemplatione felicitatis impiorum oculos suos
47. iactare cerneret David, et mentem concuti, ad sancto-
Vers. 15 rum cœtum eos reflectit, v. 15. SI DICEBAM, NARRABO SIC: ECCE NATIONEM (Hebr. דור *dor*, generationem. Græce, γενεαν) FILIORUM TUORUM REPROBAVI, id est, improbavi, sprevi, contempsi, pro nihilo duxi. Primo, quasi mendacium quod dicerent in Deo esse providentiam, quæ iustis operibus mercedem, iniustis pœnam redderet; hoc enim docuit filiorum Dei natio, id est, societas et genus hominum Deo servientium: nempe Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moses, Iosue, David, et similes, omnisque populus Israel, qui profitetur se credere remunerationem bonorum et malorum operum, pro cuiusque meritis. Secundo, *reprobavi* illos quasi stultos, qui serviant domino locupletanti et beanti hostes suos, affligenti et deiicienti amicos ac filios. Tertio denique, *reprobavi* illos quasi suppliciis destinatos, et a Deo derelictos.

Nota, pro *reprobavi*, Hebraice est בגדתי *bagadti*, id est, Primo decepi, fefelli, prævaricatus sum, perfide egi. Hinc Felix vertit, *ecce generationem filiorum tuorum prævaricatus sum*, q. d. Hactenus professus sum me accusare sceleratos, tueri probos: si nunc dico illos felices ob ridentem hic fortunam, hos vero miseros ob afflictiones, sum prævaricator. Nam prævaricator, est accusator qui colludit cum reo, item qui ab officii sui præscripto deflectit atque aberrat. Chaldæus vertit, ecce super generatione filiorum tuorum impie egi. S. Hieronymus, ecce generationem filiorum tuorum reliqui, id est, ab eo defeci. Secundo, *bagadti*, id est, sprevi, contempsi: ita Raynerius; filios tuos pios offendi, verbisque inconsultis ac temerariis eorum pietatem violavi: ita Lindanus.

48. Felicitas emenda est afflictione. Nota, æterna felicitas emenda est præsenti calamitate. S. Paulus et S. Barnabas Lystræ, Iconii et Antiochiæ confirmabant animas discipulorum, exhortantes, ut permanerent in fide: et *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, Actor. 14. v. 21. S. Hier. epist. 1. ad Heliodorum: *Delicatus es*, inquit, *si et hic vis gaudere cum sæculo, et postea regnare cum Christo.* Duobus discipulis euntibus in Emmaus, nempe Cleopha et Luca, ut ait S. Gregorius Papa, non satis capientibus passionis suæ vim et mysterium, dicit Christus ipse, Luc. 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* id est, sibi iam debitam, ob unionem hypostaticam, tamquam filio Dei. Tertullianus lib. de corona militis cap. 14. *Christus*, inquit, *favos post fella gustavit.* Tres primæ litteræ huius vocabuli *felicitas*, sunt fel: non potest itaque venire quis ad felicitatem, quin fel pertranseat; hinc ille cecinit:

Dic mihi quæ in cælis extat vox integra, cuius
In terris tantum syllaba prima manet.

In terris est fel. Illud exhausit tota natio, et generatio, ac societas filiorum Dei, ut plurimis exemplis docet S. Chrysost. tom. 4. in libris de providentia. Ex hac terra exeundum est, si pati recusas. Menander dicebat, necesse est mortalem multa perpeti mala. Solon monuit Crœsum, neminem hic beatum esse. O Crœse, ait, homo est quædam gravis calamitas. Seneca egregie lib. de vita beata, cap. 15. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his quæ vitare nostræ potestatis non est. In regno nati sumus: Deo parere libertas est: ita ille. Nationem totam sequamur, quæ intravit in cælum per angustam portam, Hebr. 11. 17. ac seqq. multi recensentur, qui gravissima tolerarunt. Ioannes Abbas dicebat, Portam cæli esse iniuriarum perpessionem. Verba eius referuntur in vitis Patrum lib. 3. num. 84. *Hæc est*, inquiebat, *porta Dei, per quam patres nostri per multas tribulationes et iniurias, gaudentes ingressi sunt civitatem Dei.* Hebræi dicunt in vulgari parœmia, non omnis homo dignus est duabus mensis: ut scilicet hic et in cælo bibat nectar, et ambrosiam comedat. Lacedæmonii et veteres Persæ filios suos severe educarunt, ut eos ad militiæ labores et victorias aptos redderent: idem facit Deus; unde Paulus dicit Hebræis afflictis, atque post S. Stephani lapidationem spoliatis, et ad paupertatem redactis, Hebr. 12. 8. *Si extra disciplinam*, χωρις παιδειας, sine castigatione, *estis, cuius participes facti sunt omnes*, scilicet veri et genuini ac legitimi filii Dei; *ergo adulteri*, id est, adulterini, Græce enim est νοθοι, *et non filii estis.*

Porta cæli est afflictio. — Hebræorum proverbium.

Hæc et alia considerantes sancti viri, in tribulationibus gaudent ac triumphant. Apostolus ait Roman. 5. 3. 49. Gaudent sancti afflicti.
Gloriamur in tribulationibus, quas pro Christo et pietate toleramus. Cum S. Urbanum Papam in carcere visitarent Fortunatus et Iustinus Presbyteri, flentesque dicerent: Ora pro nobis sanctissime Pater, quia tempus persecutionis imminet, respondit: *Nolite ex hoc flere, sed magis gaudete: per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei:* paulo post productus ad tribunal, gloriosum martyrium obiit anno Christi 233. ut habent eius Acta. S. Chrysost. in oratione de S. Babyla dicit, cum cum catenis ferreis, quibus vinctus fuerat, sepeliri voluisse, quo planum faciebat, quæ ignominiosa videntur, ea quoties propter Christum fiunt, honorifica esse ac splendida; cumque qui ea patitur, non solum non dissimulare, sed inde sibi placere oportere. S. Macarius dolores a Deo immissos omni auro pretiosiores esse declaravit. Cum enim Alexandrinam quamdam virginem nimium accervandis divitiis intentam videret, ab ea petit, an gemmas emere vellet pro solidis quingentis? Accepta hac pecunia pauperes domum deducit, et in eorum alimenta aurum erogat. Cum hæc omnia expleta essent, eamque ad gemmas videndas duceret, postulavit an smaragdos prius, an hyacinthos videre vellet? cum illa perinde sibi utrumque esse diceret, eam ducit in partem superiorem, et ostendit ei mulieres mancas ac mutilatas, et orbatas oculis, et dicit ei: ἰδου οἱ ὑακινθοι, *ecce hyacinthi.* Deinde deducit eam in partem inferiorem, et ostendit ei viros, dicens: ἰδου οἱ σμαραγδοι, *ecce smaragdi:* et existimo, τουτων τιμιωτερους μη εὑρεθηναι, *his pretiosiores non inveniri*, ut refert Pallad. histor. Laus. cap. 5. Ipsi philosophi ethnici incommoda huius vitæ læto animo pertulerunt. Æneas Gazæus in suo Theophrasto hæc refert de Socrate: *Ipse Socrates*, ἐπι πενια μεγα φρονει, και πλουτον αὐτον ὀνομαζει, και φιλοσοφιας γελων, *in paupertate quasi superbiebat, eamque divitiarum nomine dignam ducebat, et philosophiæ sociam et amicam appellabat.* Plato cum vegeto esset corpore, locum minime salubrem, in quo ingenium exerceret, elegit.

Pauperes sunt gemmæ cæli, ut ait S. Macarius.

Vera hæc sunt, sed a paucis videntur; lumine Dei ege- 50.
mus, v. 16. EXISTIMABAM UT COGNOSCEREM HOC, LABOR Vers. 16.
EST ANTE ME. Hebraice, in oculis meis, q. d. Sperabam fore ut possem dignoscere, cur sic impii felices essent, et pii infelices; sed hoc mihi fuit difficile, imo impossibile. Meis viribus id facere non potui. Itaque ad Deum mihi
recurrendum fuit, v. 17. DONEC INTREM IN SANCTUARIUM Vers. 17.
DEI, ET INTELLIGAM IN NOVISSIMIS EORUM; id est, eorum novissima: est hebraismus. Hebræi enim verba contactus, tum spiritualis, tum corporalis, ponunt in ablativo cum præpositione. In novissimis porro, seu clare in

morte impiorum, apparet larvatam fuisse et mentitam A impiorum felicitatem.

Sanctuarium Dei est multiplex. Quæres, quodnam sanctuarium intrandum est, ut lux illa nobis oriatur? Resp. primo, Ugo Card. sanctuarium illud Christum esse, in quo, ut dicitur Coloss. 2. 3. *Sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi;* unde ibidem præmittit Apostolus: *Instructi in charitate, et in omnes*
I. Christus. *divitias plenitudinis intellectus in agnitione misterii Dei Patris Christi Iesu, in quo sunt,* etc. In hoc sanctuario bene invenitur solutio præmissæ hæsitationis. Cum enim ipse esset summe sapiens, omnes sæculi divitias et prosperitates contempsit, et omnia mala sæculi sustinuit: ita Ugo.

II. Scriptura. Secundo, sanctuarium Dei, quod intrandum est, Scripturam esse vult Lyranus: eo quod, ait, Deus in illa loquitur, sicut in sanctuario divinitus responsa dabantur. Valentia dicit, Scripturam esse sanctuarium, quia in ea recondantur omnia sacra gesta sanctorum Patrum, in quibus latent sacramenta Christi et Ecclesiæ. Aiguan. ait, in eo sanctuario doceri, cur Deus bonis in præsenti B dat mala, et bona malis: et profert exemplum Lazari et divitis epulonis, Luc. 16.

III. Templum. Tertio, sanctuarium Dei est templum: ita S. Basilius, Euthym. S. Ambros. et alii. Ubi adverte, quod tabernaculum a Mose in deserto excitatum, et tabernaculum ab ipso Davide in Sione extructum aliquando vocatur templum. In locis autem sacris Deus lucem maiorem dat et gratiam, ut alias ostensum est.

IV. Arcana divinæ providentiæ. Quarto, et melius, lux non oritur, donec intremus *in sanctuarium Dei*, id est, in occulta Dei providentiæ secreta, in intima eius adyta per contemplationem. Ita Ludolphus, Iansen. Dionys. et Remig. Clemens Alexandr. dicit lib. 6. Stromat, θεόθεν ἡ σύνεσις, a Deo est intelligentia. Et lib. 1. Pædag. Intelligentia, inquit, est ὄψις ψυχῆς, animæ oculus: et ideo Israel est, qui Deum videt: hoc est, qui Deum intelligit: ita ipse. Monasteria olim vocabantur sanctuaria, ob iugem orationem et contemplationem.

V. Et optime. Cælum hic vocatur Dei sanctuarium. Quinto denique, et optime, lux perfecta non oritur, donec intremus *in sanctuarium Dei,* hoc est, in cælum. Ita C Genebrardus et Chald. qui vertit, usque ad tempus redemptionis, quo veniam ad domum sanctuarii Dei, et intelligam finem eorum. De captivitate Babylonica ad litteram Chald. intelligit, sed anagogice de liberatione ab hac vita, et ingressu in templum cæleste. Sanctuarium est cælum, quia ibi est omnis et essentialis sanctitas. Templum fuit Isidis, in quo erat hæc inscriptio: Ego sum omne quod fuit, est, et erit, et meum peplum nullus adhuc mortalium evolvit, ait Plutarchus in Isid. et Osir. Dei arcana hic non cognoscimus.

ARTICULUS II.

Miserabilis impiorum interitus.

51. Vers. 18. 1. Pars. Primo, fallaciis suis capientur, vers. 18. Verumtamen (Hebr. אך *ach*, id est, profecto, ut ait Arias: quippe, ait Felix: verumtamen, ut etiam vertit Hieronymus) propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dum allevarentur. Quæres, quid posuit Deus impiis? Resp. primo, S. Ambrosius, bona. Legit enim, Propter eorum tergiversationes posuisti eis bona. Ruffinus et Ludolphus aiunt, illa bona esse divitias, quas Deus dat impiis, velut laqueum quo capiantur, et quo illos decipiendos et irretiendos prævidet. Quod, ut recte Ruffinus monet, non sic accipiendum est, ut omnipotens Deus, qui iustus est et bonus, hæc temporalia bona malis propter dolos ponat, ut ponendo hæc sic eos decipere intendat: sed in his bonis, quæ bene ipso, qui bonus est, malis ponendo tribuit, ipsa eorum voluntas prona, et perversus usus seipsos corrumpunt. Nam acceptis a bono Deo terrenis bonis, unde meliores bene dispensando, et misericorditer largiendo esse debuerunt, inde proprio vitio suæ cupiditatis et superbiæ corrupti, fallacias, dolos, invidias, et cætera mala exercuerunt: ita Ruffinus.

Secundo, et melius, *posuisti eis*, supple mala, ut Cassiodorus, Psalterium Romanum et Gallicanum exprimunt. Petavius vertit: Nam ob eorum consilia prava, dolosque, machinatus es acerbam mortem. Apollinaris, laborem parem operibus. S. Augustinus videtur subintelligere dolos.

Moral. Divitiæ sunt dolus, quia amatores suos decipiunt. Primo, in earum acquisitione, quia efficiunt ut bona caduca et vilia præferantur æternis atque divinis: ita S. August. hic: Propter dolositatem, ait, posuisti eis: quia dolosi sunt, dolos patiuntur. Fraudem volunt facere generi humano in omnibus nequitiis suis, fraudem et ipsi patiuntur, ut terrena bona eligant, et relinquant æterna. Ergo fratres in eo quod fraudem faciunt, fraudem patiuntur. *Quale cor habet quis ut lucretur vestem, et perdat fidem? Ille cui tulit vestem, passus est fraudem, an iste qui tanto damno percutitur? Si pretiosior est vestis quam fides, maiore damno ille afficitur. Si autem incomparabiliter fides excedit totum mundum, ille videbitur damnum vestis perpeti: huic autem dicitur, quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ damnum patiatur?* Hæc Augustinus. 52. Divitiæ sunt dolus tripliciter. I. In acquisitione.

Secundo, divitiæ etiam dum possidentur, sunt dolus, quia promittunt quietem, et dant laborem: promittunt securitatem, dant inquietudinem. S. Bernard. serm. 11. in Psal. 90. *Eo ipso*, ait, *infelicior es, quo vehementius ipsam pro felicitate amplectitur infelicitatem, aut magis immergitur ei, et absorbetur ab ea.* Infelicitatem ibi vocat terrenarum affluentiam rerum. Arnob. lib. 2. adversus gentes, inquietos et miseros divitum animos esse ostendit. Exercent, ait, avidum atque iniustissimum fœnus, et e miserorum sanguine suppurandi se augent insania: millibus possessionum semper producunt fines, et quamvis provincias totas rus faciant unum, pro arbore una, pro sulco forum litibus terunt: cum amicis et fratribus inexpiabiles suscipiunt simultates. Hinc Petrus Bles. epist. 60. recte dicit: *Beatior in sua miseria reputandus est pauper, quam dives in opibus sophisticis, et gloria seductrice.* II. In possessione.

Tertio denique, divitiæ dolum suum ostendunt, cum avolant, quæ stabilitatem atque æternitatem pollicebantur. Pro *propter dolos*, Hebraice est, *in lubrico*, ut vertit S. Hieronymus et Flaminius; *in locis lubricis*, ut Pagninus. Chaldæus reddit, *in tenebris*. Hebraica vox בחלקות *bachalakot*, significat Primo, res lenes, politas, blandas, quales sunt lapides valde politi, specula, et similia. Secundo, blanditias, adulationes, dolos, fraudes. Tertio, lubricitates, seu loca lubrica, et in quibus facilis est lapsus. Hæc tria habent divitiæ, itaque in iis pene omnes decipiuntur. Phocilydes dicebat, χρυσὸς αἰεὶ δόλος ἐστὶ, καὶ ἄργυρος ἀνθρώποις, *aurum semper dolus est, et argentum hominibus.* III. In perditione.

Secundo, impii divites deiiciuntur a Deo, et gloriam suam atque divitias amittunt: Deiecisti eos dum allevarentur. Pro, dum allevarentur, Hebr. est למשואות *lemasciuoth*, id est, in desolationes, ut vertit Pagninus: in ruinas, ut Felix: *in extremas miserias*, ut Campensis: in interitum, ut S. Hieron. in foveas, ut Chaldæus. Ubi D adverte, quod *masciuoth* legerunt Septuaginta cum puncto in dextro cornu, et sic significat elevationes, exaltationes; alii vero nunc legunt cum puncto in sinistro cornu, et sic significat desolationes, ruinas. Itaque facilis mutatio terrenarum divitiarum et honorum in paupertatem et ignominiam denotatur. Iob ait cap. 24. v. 24. *Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur: et sicut summitates spicarum, conterentur.* Abdias Propheta loquentem Deum inducit Idumææ superbæ, et in locis altis positæ: *Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum. etc. Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Primo, si terram spectas, puta honores mundi esse florem fœni, Isa. 40. v. 6. Secundo, si aquam respicis, honores mundi sunt torrens Ægypti, Iosue 13. v. 47. cito arescunt, aut vapor ad modicum parens, Iacobi 4. 53. Vers. 18. 2. Pars. Uno temporis momento divitiæ quandoque avolant. In terra, aqua, igne et aere comparationes.

v. 15. Tertio, si in igne oculos sistis, honores et divitiæ mundi sunt stupa lucens et ardens, Isa. 1. v. 31. *Erit fortitudo vestra, ut favilla stupæ, et opus vestrum quasi scintilla: et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat.* S. Chrysostomus tom. 5. homil. contra desperat. et superb. confert superbum cum stupa flammescente, quæ post incendium inflatur, surgitque, postea leviori manus tactu solvitur in cineres tenuissimos, et in terram cadit. Quarto denique, si aerem petis, est turbo huc illuc raptus, et parum durans. Isaias alloquens Syroluet Samaritarum populum Deo rebellem, ait cap. 17. v. 13. *Rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate.* Vatablus vertit, sicut globus ante turbinem. Septuaginta, sicut pulvis rotæ tempestatis impellentis. Seneca lib. de vita beata cap. 28. vitam nostram, et appetitus honorum et opum æquiparat turbini: *Quid? ait, Nonne nunc quoque, etiamsi parum sentitis, turbo quidam animos vestros rotat, et involvit fugientes, petentesque eadem: et nunc in sublime elevatos, nunc in infima allisos rapit.* Philo

Regna ipsa mutantur. nubibus volantibus potentiam mundi comparat. Sic enim loquitur libro, Quod Deus sit immutabilis, pag. 248. Floruit quondam Græcia, inquit, sed Macedones abstulerunt ei potentiam: postea Macedonia viguit opibus, sed divisa in plures portiones debilitata est, donec omnino interiit. Ante res Macedonum, inclyta fuerat Persarum felicitas: sed una dies tam ingenti regno finem attulit: et nunc Persæ, penes quos paulo ante fuerat imperium, sunt Parthorum provincia. Fuit et olim Ægypti perampla et magnifica potentia: sed ως νεφος, *nubis in morem*, præteriit eius potentia. Quid Æthiopes? quid Carthago in Africa? quid Pontici reges? quid Europa Asiaque? et, ut compendio dicam, totus orbis habitabilis? Nonne ωσπερ ναυς θαλαττευουσα, *more navis susdeque iactatæ marinis fluctibus;* nunc secundis, nunc adversis utitur. Nam verbum divinum, χορευει εν κυκλω, *choreas in orbem ducit*, quod vulgus hominum, Fortunam nominat: ita Philo. Isaiæ 14. v. 14. dicit Lucifer, seu potius Balthasar in typo Luciferi: *Ascendam super altitudinem nubium;* sed in infernum brevi detrahitur, in profundum laci.

54. Elevatio superbi est eius deiectio. Nota secundo, non dicit David, deiecisti eos, postquam elevati sunt; sed, *dum allevarentur*. Nam ut ait S. Augustinus hic: *Efferri, iam cadere est.* Superbia est morbus caducus. Ps. 36. v. 20. *Deficientes, quemadmodum fumus deficient.* Fumus autem ascendendo deficit, et se dilatando evanescit. Vide ibi dicta. Sic Nabuchodonosor sibi vane in sua Babylone applaudens, in bovem versus est, et ab hominibus ad feras amandatus, Daniel. 4. Sic Holophernes dux regis Assyriorum contra Deum seso efferens, manu Iudith fœminæ corruit, Iudith 13. Sic Antiochus Epiphanes seu illustris, rex Syriæ, contra Deum se superbo elevans, de curru suo cecidit, et abominabilis omnibus factus est, 2. Machab. 9.

55. Vers. 19. Terrena bona cito transeunt: TERTIO, divites impii cito ex alto præcipitantur, v. 19. QUOMODO FACTI SUNT IN DESOLATIONEM? SUBITO DEFECERUNT: PERIERUNT PROPTER INIQUITATEM SUAM. Pro *defecerunt*, Hebr. est ספו *saphu*, id est, finem acceperunt, defecerunt, consumpti sunt. Primo itaque, ipsi damnati

I. Velut umbra. gloriam suam comparant umbræ evanescenti. Sap. 5. 8. *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra.* Alias comparationes ibi lege.

II. Velut aqua currens. Secundo, Agapetus terrenas opes comparat aquis currentibus, et in salsum mare defluentibus. Terrenarum opum, inquit, instabiles divitiæ, ποταμιων ρευματων μιμειται δρομον, *fluviatilium undarum imitantur cursum:* modicum enim affluunt his, qui habere se eas arbitrantur, mox vero refluentes accedunt ad alios, solus autem ευποιιας θησαυρος, μονιμος εστι, *beneficentiæ thesaurus stabilis est possidentibus eum:* bonarum enim actionum meritum ad auctores retorquetur.

III. Ut aquæ spuma. Tertio, spumæ aquæ comparatur delectatio peccati. Petrus Cellensis lib. de Panibus cap. 4. Ad punctum, ait, et in modico, *tamquam spuma aquæ,* defluxit: vel sicut fumus de fumario evanuit peccati delectatio: sed interna-liter extenditur prolixitate et anxietate atrocium pœnarum excruciatio: ita ille.

IV. Ut flos decidens. Quarto, flori decidenti comparantur deliciæ mundi. Isaiæ 28. v. 1. *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes a vino.* Tullius in orat. pro Cælio, ait: Amores et deliciæ mature et celeriter deflorescunt, et in omnibus rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est.

V. Ut ventus. Quinto, divitiæ comparantur vento. Oseas Propheta arguens decem tribus Israel, dicit cap. 12. v. 1. *Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum.* Ephraim sunt ii, qui divitias suas et honores augere contendunt. Deducitur enim a radice פרה *para*, id est, fructificare. Suidas vocat επανεμιον πλουτον, ventosas divitias. S. Gregorius Nazianzenus oratione ad cives suos Nazianzenos ait, potius ventis fidendum esse, quam divitiis. Seneca vocat divitias, fugacissima bona. Sic enim loquitur epist. 74. Quisquis illa sine ratione possedit, non diu tenuit: ipsa enim felicitas se, nisi temperat, premit: si *fugacissimis bonis* credit, cito deseritur: et, ut non deseratur, affligitur: ita Seneca.

VI. Ut mola versatilis. Sexto, felicitas mundana comparatur molæ trusatili et versatili, quæ nullo in loco consistit. S. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 283. illud S. Matthæi: *Erunt duo in mola, unus assumetur, et alter relinquetur,* considerans, sic loquitur: Hoc loco per molam ac pistrinum, huius vitæ iactationem ac vertiginem intellige, quæ nos inconstanter volvit, ac celerrimæ rotæ instar res nostras immutat: ita ipse. Saul unctus est in Galgala, quod revolutionem seu volubilitatem significat, quo denotatur regnorum terrenorum volubilitas, quam et ipse Saul sensit occisus cum tribus suis filiis, et regno in adversarium suum translato.

VII. Ut pueri se rotantes. Septimo, impii negotiis se et lucris mundanis implicantes, comparantur pueris inani rotatu se versantibus, et cadentibus. Ugo Cardinalis illud Ps. 11. v. 9. *In circuitu impii ambulant,* considerans, ait: Isti volvuntur ad modum puerorum, qui rotant se, et circumeundo turbant se, *et cadunt subito:* ita isti rotantes se, ut turbantes circa temporalia, subito ruunt in peccatum, hæc Ugo, atque a peccato ruunt in præcipitia calamitatum.

VIII. Ut fastidiosa meretrix. Octavo, mundus est similis fastidiosæ meretrici, quæ amasios sæpe vult mutare. Isaac presbyter cap. 2. de mundi contemptu: Mundus, inquit, est meretrix, quæ desiderio pulchritudinis suæ ad concupiscendum trahit videntes eam: qui autem particulariter eius amore deceptus ipsam fuerit amplexatus, a manibus eius non potest evadere, donec spoliet eum vita sua: et cum expoliaverit eum omnibus, eiiciet eum de domo sua, et in die obitus sui homo cognoscet eam: ita Isaac.

Concludamus itaque cum Seneca lib. 6. de Beneficiis, cap. 3. Omnia ista, quæ vos tumidos, et supra humana elatos, oblivisci cogunt vestræ fragilitatis, quæ ferreis claustris custoditis armati: quæ ex alieno sanguine rapta, vestra defenditis: propter quæ classes cruentaturas maria deducitis: propter quæ quassatis urbes, ignari quantum telorum in adversos fortuna comparet: propter quæ ruptis toties affinitatis, amicitiæ, collegii fœderibus, inter contendentes duos terrarum orbis elisus est: non sunt vestra, in depositi causa sunt, iamiamque ad alium dominum spectantia, aut hostis illa, aut hostilis animi successor, invadet: hæc Seneca.

QUARTO, impii funditus pereunt, v. 19. PERIERUNT (S. Ambros. exterminati sunt) PROPTER INIQUITATEM SUAM. 56. Peccatum omnia turbat et confundit.
S. Hieronymus, totalem perditionem denotat, cum vertit, Consumpti sunt, quasi non sint.

Nota, pro *iniquitatem*, Hebraice est בלהות *ballahot*, id est, Primo, terrores, horrores, turbationes, turbines, commotiones. Hinc Arias vertit, Consumpti sunt a terroribus. Camp. Subitis terroribus exterriti in nihilum redacti sunt. Felix, Consumpti sunt a repentinis horroribus. Secundo, *ballahot* significat confusiones, a rad. *balal*, confundere, permiscere. Tertio denique, iniquitates, scelera:

ita Noster, Septuaginta, Petavius, et alii. Ubi adverto, proprium est peccati omnia turbare, confundere et perdere. Apostolus 1. ad Timotheum 6. v. 9. ait: *Eos qui volunt divites fieri, incidere in tentationem, et in laqueum diaboli: in desideria inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* S. Ambrosius de Bono mortis, cap. 5. *Laqueus*, ait, *in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus in amore. Deum aurum quærimus, strangulamur: dum argentum quærimus, in visco eius hæremus: dum prædium invadimus, alligamur.* Significatur in Psalmo nostro, ait Lorinus, interitus repentinus, ut solet vi procellæ dispersa res levis: v. g. pulvis, palea, gluma, evanescere: vel significantur insolita fulmina, insolitive perdendi ac fulminandi modi. S. Bernardinus Senensis serm. 23. in Feriam V. post 2. Dominicam Quadragesimæ, art. 3. cap. 3. *Sicut*, inquit, *fulgur tonitrua portat: ita prosperitas sæculi supplicia sempiterna prænuntiat.* Stephanus Cantuar. lib. Alleg. in Gen. c. 1. *Ludus ceti*, ait, *signum est tempestatis; ita gaudium divitum, signum est tempestatis æternæ.*

Si te divitum fulgor perstringit, dum vivunt, cineres eorum considera, et intelliges omnia in nihilum recidere. Theophylactus Simocatta epist. 85. *Si dolorem*, ait, *et mœrorem vis vincere, circui sepulcra, et passionis habebis remedium, et maximas hominum fortunas περαιτέρω κόνεως, ulterius cinerem, videbis esse nihil:* hæc ipse.

57. Vers. 20 Omnia terrena sunt tantum imago et umbra. QUINTO, impiorum felicitas omnis in nihilum redigitur instar somnii, v. 20. VELUT SOMNIUM SURGENTIUM: DOMINE IN CIVITATE TUA IMAGINEM IPSORUM AD NIHILUM REDIGES. Ubi duo dicuntur. Primo, quod omnis felicitas terrena, est imago tantum, et imaginaria atque umbratica. Secundo, quod illa ipsa adumbratio, apparentia et imago, sicut somnium avolat.

Ac primo, quidquid dives improbus hac in terra possidet, non est res vera, sed rei imago et umbra, ac pictura. Hinc S. Paulus dicit Corinthiis, 1. epist. cap. 7. v. 3. *Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* Syr. præter æquum usum non utantur. *Præterit enim figura*, σχῆμα, habitus, species ac status fallax, ait S. Ambrosius et S. Anselmus, *huius mundi.* Lipsius suo sepulcro inscribi hos versus voluit:

Humana cuncta, fumus, umbra, vanitas,
Et scenæ imago, et verbo ut absolvam, nihil.

S. Gregor. Nazianzenus libro de vitæ itineribus: *Omnia*, inquit, *mortalibus laboriosa sunt humana omnia, metus, risus, lanugo, umbra, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium, fluctus, navis vestigium, aura, pulvis, orbis quidam perpetua conversione similia omnia volvens, nunc stabilis, nunc rotans, nunc labilis, nunc fixus, anni temporibus, diebus, noctibus, laboribus, morte, mœroribus, voluptatibus, morbis, calamitatibus, secundisque rerum successibus.* S. Chrysostomus homil. 20. in Ioannem, divitias huius mundi vocat imaginarias divitias. Alcuinus epist. 66. Quid in auro, inquit, nisi species vana? Philo, libro Quod Deus sit immutabilis, pag. 248. σκιά τις ἢ αὔρα, umbra quædam vel aura, antequam subsistat, prætercurrens. Accedit et recedit, ὥσπερ ἐν παλιρροίαις, *euripis et æstibus maris similis.* Plotinus comparat res terrenas imaginibus in aqua apparentibus, quæ nusquam consistunt, sed semper mutantur, aqua continuo fluente et alia adveniente, in qua imagines illæ semper de novo formantur. Aquæ sunt populi, qui sibi mutuo succedentes fluidam illam mundi imaginem suscipiunt, atque aliis advenientibus relinquunt. Sic in imagine pertransit homo, ut dixi fuse Ps. 38. v. 7. Verba Plotini sunt Enneade 1. lib. 6. cap. 8. *Si quis ad hæc proruat, quasi vera capessens, quæ tamen velut formosæ imagines apparent in aqua: idem procul dubio patietur, quod (ut fabula tradit) ille perpessus est, qui umbram capture contendens, in aquam se mersit, atque disperiit:* ita ille Philosophus Platonicus. Ferunt in Lapis colorem mutans. Pactolo flumine lapidem reperiri pumici similem, qui quater quotidie colorem mutet. Vestes et imagines videmus, quæ colorem mutare videantur, pro diversitate situs et aspectus: *qui sont de couleur changeante.* S. Chrysost. hom. 20. ad Rom. personatam et larvatam vocat felicitatem: *Persona quædam scenica*, inquit, *non consistens rerum substantia.* Et hom. *Quod nemo læditur nisi a seipso*, comparat illam faciei meretricis pictæ minio vel cerussa: Sicut, inquit, plerumque meretricis vultus, cum fœdus et turpis est per naturam, fucis et coloribus prostituitur, ad decipiendos eos qui ignorant quanta fœditas sub velamine fuci illius contegitur: ita et divitiæ faciunt: hæc ipse. S. Gregorius Nazianzenus orat. 38. pag. 615. vocat divitias τίμιον κόπρον, pretiosum stercus. Id de pulchritudine aliisque iure etiam dixeris.

Nota, hanc imaginem, picturam et larvam Deus ad nihilum redigit. S. Isidorus Pelusiota lib. 2. cap. 237. Paupertatem, quæ non modo nihil habet, quod metuendum sit: verum etiam ἀσφαλείας ἁπάσης, καὶ μετριοφροσύνης ὑπόθεσις, securitatis omnis ac modestiæ materia est, pertimescunt: iniquas autem divitias plurimi ducant, quæ tamen πυρὸς ἐστι φοβερώτερος, quovis igne magis timendæ sunt. 58. Deus in nihilum redigit divites impios. Siquidem dominorum suorum et animos et spes exurunt, atque in cinerem redignut: ita Isidorus. Deus itaque Primo, divites in nihilum redigit per ipsas divitias. Secundo, id facit per superbiam inde enascentem. S. Augustinus serm. 204. de Tempore: Primus, inquit, vermis divitiarum superbia, mala tinea totum rodit, et ad cinerem usque perducit. Tertio denique, id facit per seipsum, eos excludendo a regno suo. Idem sanctus Pater in Psalmum nostrum: *Iuste*, ait, *Deus in civitate sua cælesti imaginem iniquorum ad nihilum rediget, qui in civitate sua terrena imaginem Dei ad nihilum redigere sategerunt.* S. Ambr. lib. 1. Offic. cap. 49. *Tu*, inquit, *deponis imaginem æterni Imperatoris, et erigis in te imaginem mortis. Eiice magis de civitate animæ tuæ imaginem diaboli, et attolle imaginem Christi: hæc in te fulgeat in tua civitate, hoc est in anima resplendeat, quæ obliterat vitiorum imagines, de quibus ait David: Domine in civitate tua ad nihilum deduces imagines eorum. Cum enim depinxerit Ierusalem Dominus ad imaginem suam, tunc adversariorum omnis imago delebitur.* Statuæ et imagines eversæ, confractæ sunt, ac luto conspurcatæ, quæ positæ fuerant Caligulæ, Heliogabalo, Neroni, variisque: Deus quidquid est illustre et honorificum hostibus suis, deiicit ac deturbat.

Nota secundo, res terrenæ atque mundanæ sunt somnium. 59. Somnium sunt res terrenæ, ob quatuor causas. Primo, quia sunt res non vera, sed apparens. Ps. 89. 5. *Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt.* S. Hier. vertit, Percutiente te eos, *ut somnium erunt.* Lucianus finxit esse quandam insulam somniorum, ex qua ad nos veniunt, eorum urbem depingit, et somnum regem, lib. 2. I. veræ, id est, fictæ historiæ, pag. 769.

Secundo, res terrenæ et mundanæ sunt somnium: quia II. sopitis sensibus, et ligato intellectu magnæ apparent, Eccl. 34. 1. *Vana spes, et mendacium viro insensato, et somnia extollunt*, ἀναπτεροῦσιν, volare faciunt *imprudentes.* Philo ex Platone dicit, Spes mortalium sunt somnia vigilantium.

Tertio, res terrenæ et mundanæ sunt somnium, quia III. cito avolant. Sophar Naamathites, amicus Iobi, agens de hypocrita, dicit Iob 20. 8. *Velut somnium avolans non invenietur: transiet sicut visio nocturna.* In luce nunquam est, nec in stabilitate.

Quarto denique, ac præcipue, res terrenæ ac mundanæ IV. sunt somnium, quia cum avolaverint, nihil emolumenti et fructus relinquunt. Ps. 75. 6. *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Iob amicis suis dicit cap. 27. 19. *Dives cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, et nihil inveniet.* Eccli. 34. 2. *Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa* ἐνυπνίοις, ad somnia, *mendacia.* Isaiæ 29. 7. *Erit sicut somnium visionis nocturnæ, multitudo omnium gentium, quæ dimicarunt contra Ariel*, id est, contra Ierusalem et templum, quod habebat formam leonis, et erat leo Dei, *et omnes qui militaverunt, et obsederunt, et prævaluerunt adversus eam; et sicut so-*

mniat esuriens, et comedit: cum autem fuerit expergefactus, lassatus adhuc sitit, et anima eius vacua est. Sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion. Hoc patuit præsertim in Sennacherib et Assyriis: in Nabuchodonosore et Babyloniis: in Antiocho Epiphane et Græcis: in Crasso templi expilatore, et Romanis a Parthico exercitu cæsis. Philo lib. de Ioseph ait, vitam hominum esse somnium: nam sicut in somniorum visionibus, videntes non videmus, audientes non audimus, mente inaniter sine ullis veris obiectis pingente sibi simulacra rerum non existentium: eodem modo etiam vigilantium imaginationes somniis sunt simillimæ: veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt: priusquam comprehendantur, avolant. Petronius Arbiter vana et inutilia gaudia somniantium se thesauros aureos invenisse, egregie describit his versibus:

Nocte soporifera veluti cum somnia ludunt,
Errantes oculos: effossaque protulit aurum,
In lucem tellus: versat manus improba furtum,
Thesaurosque rapit: sudor quoque proluit ora,
Candidiorque dies secreto fovit amori:
Et mentem timor altus habet, ne forte gravatum,
Excutiat gremium secreti conscius auri.
Mox ubi fugerunt elusam gaudia mentem,
Veraque forma redit: animus quod perdidit, optat,
Atque in præterita se totus imagine versat.

Concludendum itaque est cum S. Isidoro Pelusiota lib. 5. epist. 36. Non attendamus opum phantasmatis.

A Nota tertio, opes, honores, divitiæ non sunt qualecumque somnium, sed *somnium surgentium*, quo denotatur summa brevitas fugacissimæ felicitatis. Qui enim lectum petens statim obdormit, per multas horas lætatur si faustа somniet; qui vero somniat mox e lecto surrecturus, minima fruitur voluptate. Secundo, proprie *somnium surgentium* est, cum quis adhuc semisopitus evigilat, et necdum penitus somnium præteritum excussit, sed illud regustat, et imaginatione versat, sed iam dolens effluxisse, et se inanem advertens. Chald. commode vertit: *Sicut somnium ab homine ebrio, qui expergefit a somno suo.* Theodoretus itaque hoc loco ait, vitam nostram esse in somnium, id est, somnium vigilantium. *Scena*, inquit, *præsentis vitæ ab insomnio nihil differt.* Æschylus dicebat, vitam nostram esse umbram fumi. Pindarus vocabat hominem, umbræ somnium. S. Chrysostomus nobis optimum dat remedium ut illis vanis phantasmatis non illudamur: nempe, cogitationem humanæ miseriæ. Sic autem ait epist. ad Eutropium: *Hunc versiculum: Vanitas* B *vanitatum et omnia vanitas, si saperent qui in potentia versantur, in parietibus omnibus, et in vestibus suis scriberent, in foro, domo, in ingressibus. Quoniam quidem multæ sunt rerum facies, multæ imagines falsæ, quæ decipiunt incautos: istud oportet salutare carmen et in prandiis, et in cœnis, et in omni conventu, unumquemque proximo suo canere, et a proximo suo libenter audire: quia, Vanitas vanitatum, et omnia vanitas:* ita Chrysostomus. Divitiæ sunt somnium surgentium.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

60. *Tria asserit. Primo, mutatum se in virum alterum voluptates et terrena bona neglexisse, vers. 21. Secundo, Dei servitio totum se mancipasse, vers. 22. Tertio denique, unum se Deum, spretis omnibus, desiderare, eique adhærere velle, vers. 24.*

PARAPHRASIS.

21. *Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt: et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.*	21. Ex hac terrenarum rerum mutabilitatis contemplatione, tuaque summa potestate in redigendis ad nihilum summis hominum divitiis et honoribus, in tui unius amorem exarsi, et delicias omnes ac voluptates contempsi. Tumoreque compresso, quo prius inquirebam, cur impios Deus meus extolleres, quoque frustra me virtuti studuisse conquerebar, ad perfectam mei notitiam deveni, et arcana me providentiæ tuæ ignorare confiteor.
22. *Ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.*	22. Vilis instar iumenti, quod omnem in partem agitur, omnique onere premitur, tecum esse statui, tibique ad omnes usus inservire.
23. *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.*	23. Totum me tuas in manus abieci: tu vero, pro tua in immeritum bonitate dexteram manum meam tenuisti, et per mandatorum tuorum viam duxisti, tandem in æternam aulam suscipiendum.
24. *Quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram?*	24. Adeoque meam in te animam a terrenis aliisque omnibus abstraxisti, ut unum te concupiscam, cæteraque pro nihilo pendam, sive in cælo luceant, sive in terra blandiantur.
25. *Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.*	25. Præ amoris ardore corpus animusque languescunt, et ad te suspirant. Tu unicum cordis mei es desiderium. Unum te in hæreditatem meam selegi, pereant cætera, tu unus thesaurus meus es, ac summa felicitas.
26. *Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.*	26. Qui vero a te mentem suam removerint, interibunt: omnes qui vitiis te suis verum animarum sponsum reliquerint, et ad viles se creaturas corrumpendos abiecerint, iustus vindex abiicies.
27. *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.*	27. Itaque Deo adhærere, ab eoque nulla cupiditate abiungi, utile mihi atque expectandum est, omnemque spem meam in eius sinu deponere.
28. *Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.*	28. Ut omnibus bonis ab eo cumulatus, cum ad cælestis Sionis felices portas pervenero, securus ibi lætusque æternas Deo laudes propter omnia in me aliosque beneficia concinam.

QUÆSTIO UNICA.

Quanto studio Deum unum amare et desiderare debemus.

61. Ordo Sectionis. In prima Sectione, felicitatem impiorum, et obmurmurationem iustorum imperfectorum, viam purgativam C ingressorum describit. In secunda, illuminatorum iustorum cognitionem de Dei providentia, et infelice fine sceleratorum. In hac tertia, iustorum perfectissimorum, et in vita iam unitiva constitutorum, amorem Dei unius, et cum ipso perfectissimam unionem delineat.

Ac primo, amore se Dei inflammatum asserit, vers. 21.

Quia inflammatum est cor meum. 2. Voluptatibus omnibus mortuum: *Et renes mei commutati sunt.* 3. Perfectissimam notitiam tenuitatis suæ nactum esse: *Ad nihilum redactus sum, et nescivi.*

Secundo, ex his dicit enatum sibi fuisse desiderium Dei se cultui totum addicendi sine contradictione, v. 22. *Ut iumentum factus sum apud te.* Et cum finali perseverantia: *Et ego semper tecum.*

Tertio, huius unionis cum Deo sponsalia declarat, traditione sui in manus Dei, et illius acceptatione, vers. 23. *Tenuisti manum dexteram meam.* 2. Adhæsione ad eius voluntatem: *Et in voluntate tua deduxisti me.* 3. Admissione ad eius splendorem: *Et cum gloria suscepisti me.*

Quarto, contemptum aperit rerum omnium. Sive sint in cælo, v. 24. *Quid enim mihi est in cælo?* Sive in terra: *Et a te quid volui super terram?* Sive in corpore, v. 25. *Defecit caro mea.* Sive in animo et desiderio: *Et cor meum.* Deinde aperit consecrationem perfectam sui, et electionem Dei unius in hæreditatem suam et possessionem: *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.*

Quinto, electionem suam esse prudentem ostendit. Cum a Deo recedentes sua sponte pereant, vers. 26. *Quia ecce qui elongant se a te, peribunt.* Et a Deo etiam ante tempus naturæ destinatum puniantur: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Iustis vero ex illa cum Deo unione maximæ utilitates profluant, vers. 27. *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.*

Sexto denique, laudaturum se Deum in æternum pollicetur, v. 28. *Ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.*

ARTICULUS I.

Vitæ unitivæ initium, ac virtutes in eo necessariæ.

David noster cognita finali sceleratorum calamitate, cor suum antea præ timore et dolore afflictionum suarum congelascens, in Deum erigit, et divinis ignibus inflammatum omni virtute exornat.

62. Ac primo, ardorem illum suum declarat, v. 21. Quia
Vers. 21 INFLAMMATUM EST COR MEUM, ET RENES MEI COMMUTATI SUNT. To *quia* ad sequentia refertur, nempe ad *Tenuisti manum dexteram meam*, q. d. Ideo mihi tenuisti dexteram meam, quia cor meum inflammatum est, etc.

Quæres, de qua inflammatione loquitur? Nota, Sept. legerant יתהלם *ithalem*. Id est, accensum et inflammatum, seu inflammavit seipsum. Est enim in coniugatione Hithpael, quæ denotat actionem eiusdem in seipsum. Nunc vero legunt יתחמץ *itchammets*, id est, Primo, fermentatum est cor meum: ita Campens. qui etiam reddit, veluti acore quodam maccrabit se cor meum. Arias, acescet cor meum. Secundo, S. Hier. contractum est cor meum. Tertio, Pagn. dolore fuerat affectum cor meum. Syr. conturbatum. Chald. compunctum est cor meum.

Primo itaque, inflammationem cordis in malam partem sumit Lindanus, qui sic explicat, q. d. Graviter æstuabam illa in impios indignatione. 2. Ugo et Haimo exponunt de ardore invidiæ. Hanc flammam vetat auctor Eccli. cap. 8. 13. *Non incendas carbones peccatorum arguens eos: et ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.* De ira aptius id dixeris, ad invidiam traduci potest. 3. Beda vult agi de desiderio seu cupiditate bonorum temporalium. 4. Valentia ait, esse voluntatem vehementiorem sciendi propositam quæstionem, nempe cur peccatores pacem habeant in his terris.

Secundo, et melius, alii inflammationem illam cordis in bonam partem accipiunt: eius enim præmium ponitur. *Quia inflammatum est cor meum, tenuisti manum dexteram meam*, etc. Primo itaque, Ruffinus ait, cor hoc loco dici succensum igne Spiritus sancti, quo nihil nisi spiritualia desideremus. Hinc Apostolus dicit Roman. 12. 11. *Spiritu ferventes, Domino servientes.* Remig. Inflammatum est cor meum desiderio Dei. Secundo, Bruno, Carthusianus, de flamma sapientiæ spiritualis interpretatur. Tertio,

A Dionysius Carthusian. de zelo bonæ iustitiæ, ex igne Spiritus sancti. Quarto denique, et aptissime, Ugo Card. Bellarminus, et alii, de igne charitatis: hoc est Urim, id est, Inflammatio, imponendum pectori sacerdotis, in quo Deo unitus, ab eoque illustratus et inflammatus reddet oracula, nihil nisi divinum cogitans, amans, loquens et agens. Ps. 38. 4. *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.* Ieremias de se dicebat cap. 20. 9. *Factus est sermo Domini in corde meo, quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis: et defeci, ferre non sustinens.* Ac discipuli Cleophas et Lucas post resurrectionem ambulantes cum Christo ardebant, Luc. 24. 32. dicunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?*

Nota, charitas nos unit Deo (amoris enim est ex duobus unum facere) et ita unit, ut nulla re ab eo separari 63. Charitas
permittat. Hine Paulus dicebat Rom. 8. 38. *Certus sum,* Deo unit
quia neque mors, neque vita, etc. poterit nos separare a insepara-
B *charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* S. bitiler.
Augustinus locum illum amplificans lib. 11. de moribus Ecclesiæ, cap. 11. tom. 1. ait: *Nemo nos separat a charitate Domini, minando mortem: idipsum enim quod diligimus Deum, mori non potest, cum mors ipsa sit, non diligere Deum. Nemo ab ea separat pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam.* Lege cætera. Et de laude charitatis: *Hæc*, inquit, *in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hilaris est, in temporalibus ditissima, in hospitalitate lætissima, inter bonos fratres lætissima, inter falsos sapientissima. In Abel per sacrificium læta, in Noe per diluvium secura, in Abrahæ peregrinatione fidelissima, in Mose inter iniurias lenissima, in David tribulationibus mitissima, in tribus pueris blandos ignes fortiter tolerat, casta in Susanna super virum, in Anna post virum, in Maria præter virum. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad*
C *ignoscendum. Ipsa est fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium:* ita Augustinus, ubi vides, charitatem esse vitæ Deo unitæ radicem et fructum, initium et finem. S. Laurentius Iustin. tract. de Ligno vitæ, cap. 4. Charitas, ait, est impenetrabilis lorica, respuit gladium, iacula excutit, periculum insultat, mortem irridet, *postremo vincit omnia.*

Nota secundo, contemplatio vanitatis in amore terrenorum, est occasio et impulsio ad amorem Dei et perfectam charitatem. 64.
S. Basilius in Orat. de S. Gordio Martyre: Secum, ait, meditans, quam sit fallax et inanis vita humana, ac *somnii phantasmatis æquiparanda*, in supernæ illius vocationis ardorem exarsit, ac veluti fortis athleta sese vigiliis, ieiuniis, orationibus, studiis demum divinæ eruditionis probe exercitatum, et ad certamen instructum animadvertens, etc. Recitat deinde eius ardorem in fide Christi profitenda, cum minime quæreretur. Ignis ille divinæ charitatis cum cor succendit, latere non
D potest, sed erumpit foras. S. Gregorius lib. 16. Moral. cap. 30. illud explanans: Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, ait, frigus esse iniquitatem, quæ mentem peccantis torpore constringit: charitatem vero, calorem esse, quia mentem accendit, quam replet. Sed plenitudo illa sæpe tanta est, ut exterius emicet. Vide tu ut ignem illum foveas in altari cordis tui. Curtius Burghesius, ut in susceptis constantiam, et veræ gloriæ amorem denotaret, Asbestum lapidem, qui nunquam extinguitur semel accensus, figurari curavit addita hac epigraphe: *Semper ardet.* Deus præcipit Lev. 6. 12. *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna mane, per singulos dies.*

Secunda virtus nos uniens Deo, et revellens ab amore 65.
profano, est castitas de corde puro, vers. 21. Renes mei Vers. 21.
COMMUTATI SUNT. Hebr. אשתונן *estonan*, quod deduci 2. Pars. Estonan.
potest primo ab אש *es*, id est, ignis. Hinc S. Hieron. vertit, Lumbi mei veluti ignis fumigans. Chald. renes mei ar-

debant, sicut ignis. Secundo, *estonan* deduci potest a radice שנן *scianan*, id est, acuere, pungere. Hinc Pagn. reddit, Lumbi mei acuti fuerant. Felix, Renibus meis compungar. Tertio denique, *estonan* derivari potest a שנה *sciana*, id est, mutare, commutare. Non sic erit paragogicum, et positum loco He quiescentis. Hinc Septuag. et Noster vertunt, commutati sunt. Psalter. Gall. Renes mei immutati sunt.

Nota, renes sunt symbolum cogitationum, et affectionum intus latentium. Primo itaque, in malam partem aliqui hæc interpretantur. 1. Campens. q. d. Torquebo me cogitationibus meis. 2. Cassiodor. qui legit, Renes mei resoluti sunt, hoc explicat de mala resolutione, atque instabilitate mentis et inconstantia, dum commotus prosperitate iniquorum, incauta præcipitique voluntate in eamdem feretur. Id Lorinus putat magis accedere ad sensum litteralem, atque editionem nostram, et indicat magnam agitationem mentis in investigatione quæstionis, cur mali sint felices: aut quod evaserit voluntas quodammodo, et mens carnalis: ita Lorinus.

Secundo, et melius, in bonam partem hæc sumenda sunt. Ruffinus exponit, q. d. Carnales delectationes commutatæ sunt et ablatæ; Bellarmin. Affectio mea carnalis mutata est in spiritualem. S. August. potest sic intelligi: q. d. *Delectatum est cor meum in Deum, et renes mei mutati sunt: id est, libidines meæ mutatæ sunt, et castus totus factus sum.*

66. Castitas est iungenda charitati. Nota secundo, castitas charitatem sequitur, et ab ea procedit, eique semper est iungenda. Richardus a S. Laurentio lib. 12. de Laudib. Virginis: *Maria lilium*, inquit, *croceus color in medio floris, charitas ardens in corde, aliter non est castitas meritoria. Vel melius: Candor floris, castitas: aureus color signat charitatem. Aurum vero metallorum pretiosissimum: quia castitas procedens ex charitate, scilicet quando quis continet propter amorem Dei, et exemplum proximi, pretiosissima est ante Deum:* ita ille. Castitas etiam vicissim conservat charitatem, et illam perdit carnalis affectus. S. Greg. lib. 5. in 1. Reg. cap. 4. Per concupiscentiam, ait, fervor charitatis extinguitur.

67. Castitas unit Deo. Nota tertio, castitas unit Deo. Sap. 6. 20. *Incorruptio facit esse proximum Deo.* Arabs vertit, privatio tentationis ponit hominem proximum Deo. Per tentationis privationem intellige tam optabilem ἀπάθειαν quæ hominem in eo statu collocat, ut sit in portu extra magnas tempestates, non tamen sine omni prorsus agitatione. S. Laurent. Iustinian. de continentia dicit: Continentia soror angelorum, victoria libidinum, schola virtutum. Philo lib. Quod Deus sit immutabilis, recte ostendit, ne corpore quidem ad Deum esse accedendum sine puritate, cum sit purissimus. Sic autem ait p. 230. συνήθες, id est, stultitia est, cum templa non subeas, nisi λουσάμενος το σῶμα, corpore a balneis nitido, vota sacraque facere mente impura et contaminata: et cum nefas sit corpus suapte natura inanima tangere, ferendum non videtur, ut ad Deum purissimum accedat quis impuram habens animam, nisi sequatur pœnitentia: ita Philo. Zona aurea ad mamillas ponenda tibi est, ut Deo placeas: sic apparet Christus Apocal. 1. zona aurea ad mamillas præcinctus; quod contemplans et admirans S. Gregor. 21. Mor. 2. ait: *Quia testamenti novi munditia etiam cordis luxuriam frænat, angelus qui in eo apparuit, in pectore cinctus venit.* (c. 1. Apoc. apparet ipse Christus) *Zonam in lumbis tantum habet, non ad mamillas, qui corpore quidem castus est, sed immundis cogitationibus fœdus est:* ita ipse. Quantum autem placeat Christo et Deiparæ virginitas mentis et corporis, vide in vita S. Iuliani et S. Basilissæ coniugum, qui Deo virginitatem voverant. Metaphr. vitam illam habet 9. Ian. et Surius ex ipso.

68. Vers. 21. 3. Pars. Tertia virtus, quæ nos unit Deo, est humilitas. Hanc habuit David, qui addit v. 21. ET EGO AD NIHILUM REDACTUS SUM, ET NESCIVI. Qui in malam partem accipiunt, sic explicant, q. d. Primo, propemodum consumptus sum, et virtute deserta in peccatum prolapsus, quasi enim iusipiens iudiciorum tuorum rationem non intellexi: ita Iansen. Ugo, et Dionysius. Secundo, Lorinus sic exponit, q. d. David, se corde inflammatum, renibus defectum, toto corpore exesum et consumptum, et pene etiam ad insaniam redactum, et in bestiam translatum, dum seipsum vexat inaniter ac sine fructu meditatione molestissimæ quæstionis de providentia Dei, et iniquorum secundis rebus: ita ipse.

Secundo, et melius, Remig. et Bellarm. explicant de humiliatione voluntaria, q. d. Humiliatus sum, et ignorantiam meam confessus sum. Ubi adverte, pro *ad nihilum redactus sum*, esse unicam vocem Hebr. בער *baar*, quæ significat bestialem, stultum, insipientem, imprudentem. Chald. vertit, *Ego stultus qui nesciam.* Felix, ego insipiens, et non cognovi.

Nota, humilitas hominem Deo coniungit et unit. Exaltat enim humilem ad Deum: nam, qui se humiliat, exaltabitur, Matth. 23. 12. et demittit Deum ad hominem. Isaiæ 66. 2. dicit Deus: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu?* S. Bernardus homil. 1. super Missus est, legit: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum?* Hebr. עני *ani*, quo Isaias est usus, et pauperem et humilem significat: quia humilis se pauperem esse declarat et cognoscit, imo certo scit se ex seipso esse nihil: unde hic dicit: *Et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.* Iob de Deo agens cap. 26. 7. ait: *Qui appendit terram super nihilum.* Id est, humilem super cognitionem sui nihili. Richardus a S. Laurentio lib. 8. de Laudibus Virginis: *Vera humilitas*, ait, *quæ soli Deo innititur, infra se non videt nisi nihilum, id est, defectus proprios, et mundi vanitatem. Unde dicitur Thren. 3. 2. Ego vir videns paupertatem meam: id est, ideo virilis, quia noscens meos defectus: sicut terra, quæ ideo firma, quia super nihilum appensa. Ierem. 4. 23. Aspexi terram, et ecce vacua erat, et nihil.* B. Albertus serm. in Dominicam III. Adventus, ait, humilitatem esse *oculum animæ*. Sed ille oculus proprias virtutes non videt, sed tantum vilitatem naturæ suæ et imperfectiones: decora autem sua nescit. Guarricus Abbas sermone de parabola prodigi: Humilitas, ait, omnium virtutum est maxima, cum tamen virtutem se esse nesciat: ipsa vero omnium radix, et seminarium, et fomes, et incentivum, et ipsa cumulus et fastigium, custodia et disciplina. Ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa consummantur, per ipsam conservantur: cumque omnibus, ut virtutes sint, tribuat: si qua earum defuerit, vel minus perfecta fuerit, ipsa alterius defectu proficiens, dispendium illius de se compensat: ita ipse. Quod autem hæc virtus faciat amicum, intimum et proximum Deo, docet S. Chrysostomus homil. 3. in Matth. ubi illud Petri considerans: *Exi a me Domine, quia peccator sum*, sic loquitur: *Propterea factus est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim sic est amicum Deo, quam si quis se minimis annumeret, hoc est enim caput totius philosophiæ, atque fastigium.* — 69. Humilitas Deo unit.

Quarta virtus, quæ nos unit Deo, est patientia, v. 22. UT IUMENTUM FACTUS SUM APUD TE (Hebr. tecum. Arab. coram te) ET EGO SEMPER TECUM. Pro *iumentum*, Hebraice est בהמות *behemoth*, id est, iumenta, q. d. Ego fui apud te instar omnium iumentorum, q. d. Quodlibet onus mihi impositum suscepi, nullum iugum, nullum stimulum, nullum calcar, aut agendi ducendive modum reieci, me totum tuæ divinæ voluntati permisi, perinde atque essem brutum aliquod animal domesticum, cicuratum, et oneribus ferendis assuetum. Sic Deo se univit, eum sessorem admittens, Matth. 21. 7. *Adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.* Prius asina usus est, ut ait Franciscus Lucas, deinde pullo, cum civitatem intravit. S. Bernardus serm. 7. in Cant. ad hoc alludens, ait: *Homo cum sub onere Dei esset, non recalcitravit, ut iumentum factus est apud eum. Quis non illi iumento plurimum invideret, cuius in humili tergo ad commendationem ineffabilis suæ mansuetudinis dignatus est sedere Salvator: sic cum illius tam pretiosi oneris gestatione intelligentiam quoque tam singularis habuisset honoris? Ut iumentum igitur esto, mi-* — 70. Vers. 22. Patientia unit Deo.

nime tamen iumentum, patienter quidem sustinens onus; sed honorem intelligens: sapienter et delectabiliter cogitans, tam ipsius oneris qualitatem, quam propriam utilitatem. Gestare hunc non onerari est, sed ornari. Et serm. 1. in ramis palmarum, distincte Religiosis applicat in hunc modum: Iumentum, ait, cui insidet Christus, nonne vos estis, iuxta præceptum Apostoli glorificantes, et portantes Deum in corporibus vestris? Expendunt enim sæculares homines in obsequium Domini, non quidem corpora, sed quæ adiacent et necessaria sunt corporibus, cum de terrena substantia eleemosynas largiuntur. Prælati quoque ramos cædunt de arboribus: verbi causa, cum de fide et obedientia Abrahæ, de castitate Ioseph, de mansuetudine Mosis, cæterorumque Sanctorum virtutibus evangelizant. Verumtamen et illi de promptuariis plenis arguuntur: et tui qui acceperunt gratis, gratis nihilominus dare iubentur. Omnes tamen si fideliter suo quisque intentus fuerit ministerio, in processione Salvatoris sunt, et cum eo ingrediuntur in sanctam civitatem: quoniam tres prævidit Propheta salvandos: Noe cædentem ramos in arcæ fabricam: Danielem in vili edulio, et labore abstinentiæ factum tamquam iumentum, Salvatoremque portantem: tertium quoque Iob bene dispensantem substantiam huius mundi, et de velleribus ovium suarum, pauperum latera calefacientem. Qui tamen in processione illa Iesus propinquior, cui de tribus ordinibus salus vicinior, facile credo potestis advertere: ita Bernardus.

Dices, si homo agitur a Deo, velut iumentum, perit libertas arbitrii. Resp. in comparatione non omnia debere esse æqualia; alioqui non esset comparatio, sed identitas. S. Augustinus sermon. 13. de Verbis Apostoli, diserte declarat, quo pacto salva libertate agamur, ut Apostolus Roman. 8. 14. *Loquitur spiritu Dei:* docens, quod nisi Deus regat, cadimus: nisi ille regat, iacemus; agimus autem, et agimur: ac tunc bene agimus, si a bono agamur: adiuvamur, quia et ipsi aliquid agimus. Idem in epistola Ioan. præterea monet: Ergo humilis porta Dominum tuum, esto iumentum sessoris tui. Bonum namque tibi est ut ipse regat, ipse ducat. Nam si ipsum sessorem non habueris, cervicem erigere potes, calces potes mittere: sed væ tibi sine rectore: quia libertas ista in bestias te mittet comedendum.

71. Vers. 22. 2. Pars. Quinta virtus, quæ nos unitos Deo retinet, et ab eo separationem impedit, est constantia. Hanc se habuisse David profitetur, v. 22. Et ego semper tecum, supple, fui, q. d. Licet iactatus fuerim variis cogitationibus, de providentia tua dubitantibus, firmus tamen in eius fide et professione permansi, et illam a memoria mea excidere non permisi. Postea adhuc dicit v. 27. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, quo in loco aliqua in eam rem dicam. Deus quoque fortibus et constantibus se præsentem exhibet, etiam in summis doloribus. Ps. 90. 10. *Cum ipso sum in tribulatione.* Hoc patuit in Martyribus. Unum refero. Cum S. Menæ Martyri pedes carne nudati essent, lingua execta, oculi effossi, Christus luce coruscans in carcerem noctu descendit, et cum linguam et oculos restituisset, ac pedes sanasset, ait: Attende tibi ipsi, o Mena: Ego enim sum Iesus Christus, propter quem es passus, qui neque prius a te aberam, neque longe eram a tuis certaminibus; sed expectabam, ut tuus in me amor cognosceretur a magistratibus et potestatibus. Quoniam autem est cognitus, de cætero *ero tecum*, aperte te defendens. Hermogenem vero Præfectum, qui meo est infestus nomini, eras quidem habebis supplicem, paulo post etiam socium certaminis, ut ait Metaphr. 10. Decembris. Eos vero, qui sunt inconstantes, reiicit Deus. Ierem. 14. 10. *Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit.* Quod considerans S. Cyrillus Alexandrinus homil. 2. de Festis paschalibus, ait: Proinde hoc monet Paulus, dicens, 1. Corinth. 15. 58. *Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper.* Dum enim stabiles esse nos iubet, eos qui nondum compositam firmatamque mentem habent, laudis omnino expertes esse demonstrat. Quos et ipse Dominus omnium accusat per Prophetam, his versibus: Dilexerunt movere pedes suos, ac non cessaverunt, ac Domino non placuerunt. Pedes autem hoc loco, transeuntem quamdam significant motionem, et mentis impetum in utramque partem: tum ad ea quæ mala sunt, tum ad ea quæ admirabilia omnium opinione iudicantur, ut omnino veluti constrictos ac defixos humi esse oporteat pedes, qui constantiam tenaci habitu servent, viamque improbitatis ac vitiorum ingredi vereantur: talem se beatus Psaltes monstrat, dicens Psal. 39. v. 3. *Statuit super petram pedes meos:* ita Cyrillus.

Constanti adest Deus in afflictione.

ARTICULUS II.

Vitæ unitivæ progressus, Deo iuvante et ducante.

Post descriptionem amoris sui erga Deum, et cæterarum virtutum, aperit David amorem Dei erga se, et paternam curam ac libertatem, quibus ad cursum incitatiorem et alacriorem commoveretur, v. 23. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. Ubi tria dici advertis: Primo, teneri manum; secundo, deduci corpus et animum; tertio, coronari caput. 72. Vers. 23.

Ac primo, tenet dexteram amicorum et filiorum suorum Deus, *Tenuisti manum dexteram meam.* Vicissim illi tenent manum Dei, ut sit mutua illigatio. Arabs vertit, *Tenui manum dexteram tuam.*

Nota, tenet Deus manum nostram dexteram. Primo, ut educat nos ab hoste et captivitate. Isaiæ 42. 6. ait Deus Christo et animæ sanctæ: *Ego Dominus vocavi te in iustitia*, id est, in iustitiam, ad iustitiam, *et apprehendi manum tuam, et servavi te.* Secundo, tenet Deus dexteram, ut amorem suum testetur. S. Ephrem serm. 1. de non suscipiendis rebus hisce momentaneis, agnoscit hic comparationem pii ac boni Patris, filium sibi charum habentis. Tertio, Deus tenet dexteram, ut det atque accipiat fidem, et pacem sanciat. Quarto, ut iuvet operantem. Nicetas in orat. 1. S. Gregor. Nazianz. docet, Dei susceptionem atque auxilium esse quoque mentis ad res dexteras, et cum laude coniunctas impetum, et ad virtutem præitionem, et in tranquillo portu requiem. Quinto, ut sanet ægrotum. S. Ambrosius lib. de Viduis: *Tu*, ait, *quæ variis mundi æstuas cupiditatibus vel forma viri alicuius capta, vel pecunia: roga Christum, adhibe medicum, porrige ei dexteram tuam, tangat interiora tua Dei manus, verbique cælestis gratia interiorum venas scrutetur animorum.* Sexto, Deus tenet dexteram, ut deducat ambulantem. Arnobius ait, nos ad voluntatem suam deducat, et assumat in gloriam. Septimo denique, tenet dexteram, ut firmet in virtute, et a peccato cohibeat. S. Bernardus serm. 79. in Cantica, illud cap. 3. 4. *Tenui eum, nec dimittam*, considerans, ait: *Tenet sponsa, fidei firmitate, tenet devotionis affectu: at nequaquam diu teneret, si non teneretur: tenetur autem potentia et misericordia Domini.* Abbas Bessarion oravit per quatuordecim dies continuos, manibus in cælum extensis. Quis hoc posset, nisi a Deo teneretur et raperetur?

Deus tenet dexteram amicorum suorum, et cur? 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Symbolice, dextera nostra est anima nostra. S. Laurentius Novariensis Episcopus homil. de Eleemos. illud Matthæi: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*, exponens, sic ait: *Sinistra facit malum, non illi consentit dextera. Et quid est in homine dextera? Nonne pars animæ? Quid est sinistra? Nonne pars corporis est? Tale est quod dicit: Quando bonum aliquod conatur facere dextera, id est, anima, non illam impediat sinistra, quæ est caro: sed tamquam dormiente sinistra, festinet dextera, furtivo modo operari bonum est. Sinistra tua, id est, caro, erravit: dextera, quod est anima, emendet errorem:* ita Laurentius.

Secundo, Deus pro sua voluntate et beneplacito deducit servos suos, et amicos, ac filios per viam rectam mandatorum suorum: Et in voluntate tua deduxisti me. S. Ephrem tom. 1. serm. de non suscipiend. rebus hisce 73. Vers. 23. 2. Pars.

momentan. dicit, hic denotari, quod exutam carne voluntatem, et ad susceptionem atque observationem mandatorum innixam, in voluntate sua Deus deduxerit. Hebr. *In consilio tuo duces me.* Consilium et voluntas aliquando sunt synonyma. Syrus vertit, *consilio tuo consolare me.* Magna est hæc viri pii consolatio, quod nihil fit temere ac fortuito, sed quod omnia a Deo prævisa et ordinata sunt ad eius bonum. Arab. *Voluntas tua diriget me.* Erit scilicet stella prævia, quæ ducet ad Christum. S. Hieron. *In consilium tuum deduces me*, q. d. Manifestam mihi facies tuam voluntatem, et secundum illam me duces. Noster clare, *Et in voluntate tua deduxisti me.* Hoc petebat a Deo David, Ps. 118. 35. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui*, id est, amavi et expetivi.

In ea via ac semita ambulabat S. Menas Martyr, qui iubente Hermogene plantas pedum ei excoriari, nudatis ossibus stans canebat: *Pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te Domine.* Cumque Hermogenes linguæ evulsionem minaretur, ait: *Etiamsi extinxeris pupillam oculorum meorum, ne sic quidem ego offendam. Est enim lucerna pedibus meis lex Christi*, ut ait Metaphrast. 10. Decembr. Hac patientia, et factis postea miraculis, conversus est Respicius et Hermogenes, aliique. Ioannes Baptista Brembatius, ut indicaret se aquilæ, id est, Imperatoris, beneficio, ad magna esse provehendum, trochilum seu regulum figuravit, qui super alas aquilarum sublimis ferretur, hocque adiecit lemma: *Non usitata, nec tenui ferar*, supple penna. Ad altissima provehitur, qui Christo se deducendum permittit.

Nota, non dicitur, in voluntate tua *rapies me*, sed, *deduces me*, ut ostendatur libertas arbitrii et cooperatio: qui enim abripitur, invitus rapitur, et nihil agit; qui vero deducitur, iuvatur quidem, sed voluntariam adhibet cooperationem: agitur, et agit, ut recte ait S. Augustinus serm. 13. de Verbis Apostoli: *Quotquot*, inquit, *spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei: non qui secundum carnem vivunt suam, non qui secundum spiritum suum vivunt, non qui carnis voluptate ducuntur, non qui spiritu suo aguntur: sed quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Dicet mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respondeo: Imo et agis, et ageris. Et tunc bene agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor est, ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, quia et tu ipse aliquid agis.*

Tertio denique, post longos viarum flexus, gloria e cælis magno comitatu descendens, suscipit generosum pugilem, atque ex his miseriis eductum secum assumit: ET CUM GLORIA SUSCEPISTI ME. Psalt. alia, assumpsisti me. Vers. 23. 3. Pars.

Nota, hoc potest dici, Primo de gloria, quæ virtutem in terra comitatur. Secundo, et præcipue, de gloria quæ habetur in alia vita.

74. Gloria sequitur virtutem.

Ac primo, virtutis comes individua et inseparabilis est gloria. Eccli. 23. 38. *Gloria magna est sequi Dominum*, veluti magnum regem et Imperatorem gemmis coruscantem, quorum fulgor in comites resilit. Deus est rex virtutum et gloriæ. Ps. 23. 10. *Dominus virtutum ipse*, et non alius, *est Rex gloriæ.* In toto eius regno gloria est, eam ad libitum omnibus largitur. S. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 374. Θεου δ᾽ εστιν δοσις η δοξα, *Dei munus est gloria.* Frustra itaque alibi eam quæres. Dices, Sancti graves contumelias patiuntur, et Paulus ait 1. Corinth. 4. 13. *Facti sumus omnium peripsema usque adhuc.* Resp. hanc ignominiam pro Christo perpessam esse summam gloriam. Hinc ipse Apostolus dicebat Rom. 5. 3. *Gloriamur in tribulationibus;* et 2. Corinth. 12. 9. *Gloriabor in infirmitatibus meis.* Gal. 6. 14. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* S. Celsus et Marionilla eius mater Martyres, dixerunt Martiano Præsidi: *Nota facies nostras, quas in hoc sæculo gratia Christi sic vides immutatas. Tua enim perfidia conabatur fœditatem nobis imponere: gratia vero et pietas Domini nostri Iesu Christi induit nos magna gloria et decore: ut in illa die cognoscas nos in gloria, cum tu fueris in pœna*, ut habetur in eorum Actis.

Secundo, de gloria in cælo præsertim hic locus intelli-

A gitur. Hebr. est, Postea ad gloriam me accipies. Chald. Postquam completa fuerit gloria, quam dixisti te adducturum esse super me, accipies me. *Nunc gloriamur in spe gloriæ*, Roman. 5. 2. Tunc gloriabimur in ipsa gloria, illa succincti sicut sole; lunam, id est, mutabilitatem, tenentes sub pedibus. Isaiæ 58. *Anteibit ante faciem tuam iustitia tua, et gloria Domini colliget te.* Hac se expectatione gloriæ sustentabant, et in ea exultabant Martyres, ad eam anhelantes, sicut cervus ad fontes aquarum, et sicut carcere conclusus ad lumen solis. S. Basilius in Orat. de S. Gordio Centurione Martyre sic eum loquentem inducit: Quid tardatis? quid statis? Corripite corpus, membra frustratim cædantur. Denique, quodcumque de me supplicium volueritis, sumite. Nolite mihi beatam spem invidere. Quanto enim mibi plus tormentorum accesserit, tanto plus referam præmiorum. Res enim adversæ nobis apud Deum perpetuam pariunt voluptatem. Si vulnera mille ac cicatrices patimur, in resurrectione splendido

B induemur amictu. Pro contumelia atque ignominia palmas coronasque assequemur. Pro vinculis et carcere, per ampla paradisi spatia vagabimur. Pro accusatione demum atque iniqua condemnatione, gloriam ex Deo et angelis referemus. Minæ vestræ semina mihi sunt divina, unde immortalitatem et perpetua gaudia metam: ita Basilius. Tu ad eam gloriam suspirans, eamque admirans, symbolum tibi assume Felicis Ursinæ principis matronæ, illa pingi curaverat Ursam maiorem cum hac epigraphe: *Inoccidua sequor*, id est, nunquam cadentia: quia illa ursa, quæ et Cynosura dicitur, semper in nostro hemisphærio apparet, unde eam spectant navigantes, quasi directricem suam. Gloria illa sperata incitat ad cursum in cælum. S. Gregor. Nyssenus tract. 2. in Psalmos, vocat illam οχημα και πτερον, id est, vehiculum et alam: *Gloria*, inquit, *est quasi vehiculum et ala ei, qui a divina manu assumitur et ducitur.*

ARTICULUS III.

C *Vitæ unitivæ consummatio consistit in perfecta charitate.*

Vitæ unitivæ initium est charitas, ut vidimus articulo primo, sed charitas inchoata et imperfecta. Consummatio autem et perfectio unionis cum Deo est perfecta et consummata charitas, quæ nihil amat nisi Deum, et in eo amato et possesso conquiescit, v. 24. QUID ENIM (Hebr. τὸ enim deest: Chald. vertit, *quis*) MIHI EST IN CÆLO? ET A TE QUID VOLUI SUPER TERRAM? Vers. 24.

Et v. 25. DEFECIT (S. Hier. consumpta est) CARO MEA, ET COR MEUM: DEUS CORDIS MEI, ET PARS MEA DEUS IN ÆTERNUM. 75. Vers. 25.

Nota primo, nihil præter Deum appetendum. Hoc enim significat τὸ *a te*, id est, præter te, extra te, sine te, quid volui super terram. Prima ratio movens, ut nihil præter Deum ametur, est magnitudo et excellentia Dei, quod est obiectum infinitum, et ob infinitas perfectiones summe amabile, explens totam capacitatem subiecti. S. Greg. l. 2. Nihil est appetendum præter Deum.

D Moral. 12. illam Dei amplitudinem pulcherrime explicat: *Ipse*, inquit, *manet intra omnia, ipse extra omnia, ipse supra omnia, ipse infra omnia, et superior est per potentiam, et inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, interius penetrans, nec alia ex parte superior, alia inferior, aut alia ex parte exterior, atque alia manet interior; sed unus idemque totus ubique præsidendo sustinens, sustinendo præsidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans. Unde superius præsidens, inde inferius sustinens; et unde exterius ambiens, inde interius replens: sine inquietudine superius regens, sine labore inferius sustinens; interius sine extenuatione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior et superior sine loco: est amplior sine latitudine: est subtilior sine extenuatione:* ita Gregorius. S. Hieron. ad verbum reddit versum nostrum: *Quid mihi est in cælo, et tecum nolui in terra:* quidquam scilicet. I. Quis Deus est summe et infinite amabilis.

II. Quia anima nostra Deo tota repletur. Secunda ratio, cur nihil sit appetendum præter Deum, est angustia animæ nostræ, quæ est domicilium eius. Isa. 28. 20. *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat: et pallium breve utrumque operire non potest.* Lyranus in Matth. cap. 6. 24. illud expendens: *Non potestis servire Deo et mammonæ*, sic ait: Cor humanum non potest simul capere Deum et diabolum: sed suscepto diabolo per peccatum, exit Deus; suscepto Deo per charitatem, exit diabolus. S. Petrus Damianus Opusculo 12. cap. 4. *Magnus hospes*, ait, *in diversorii tui quærit angusta descendere, atque idcirco solus vult, et sine consortibus habitare. Quem enim cæli terræque non valet vastitas capere, quo pacto in exiguo tui domatis angulo niteris illi peregrinos ad cohabitandum socios adhibere?* Darius Codomanus Persarum rex ultimus rogabat Alexandrum, ut secum imperium divideret, cui ille: Sicut mundus noster non fert duos soles, ita nec terra duos reges.

III. Quia cætera omnia sunt vilissima. Tertia ratio, cur nihil sit appetendum præter Deum, petitur a vilitate rerum appetendarum, si cum Deo comparentur. S. Augustin. generatim loquitur lib. 13. Conf. cap. 2. et 8. Hoc tantum scio, inquit, quia male mihi est præter te, non solum extra me, sed et in meipso: et omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est. S. Gregorius Naz. in sententiis, terrenas divitias spernendas docet: *Curabis*, inquit, *ut solas divinitatis opes tibi compares, mundumque universum, aranearum telis similem semper arbitreris.* S. Hieron. epist. ad Exuperantium: Nudus, inquit, et levis ad cælum evola: alas virtutum tuarum auri deprimunt pondera. S. Gregorius Nyss. tract. 2. in Psalmos, cap. 6. ait, oculos in cælum esse elevandos, ut terrena contemnantur. Verba eius sunt: Illud quod cæleste est, mirabiliter et magnifice extollit: et quod ab insipientium oculis tanti penditur, quasi per despectum et ludibrium extenuat, et in odium adducit. Sicut si quis in carcere natus, tenebras illas quibus inutritus est et educatus, eximii boni loco reputaret: qui deinceps luminis aerii particeps factus, condemnat prius illud suum iudicium, narratque qualibus spectaculis solis et stellarum, omnisque pulchritudinis, quæ in cælo conspicitur, præposuerit caliginem, cui assuetus erat, quod meliora ignoraret: ideireo improbat et repudiat suum de bono imperitum iudicium, κτηνώδη λέγων ἑαυτὸν εἶναι, seque bestiæ instar vixisse profitetur: quamdiu in illis bonum sibi videre videbatur: ita Gregorius. Itaque expende τὸ *quid*, cum dicitur: *Et a te quid volui super terram.*

IV. Id exigit Dei gloria. Quarta ratio, cur nihil appetendum sit præter Deum, petitur a Dei ipsius gloria, quem corona gloriæ ornamus, cum ipsum solum in corde nostro ponimus. Petrus Cellensis Abbas in Expositione morali Tabernaculi: *Coronam auream*, inquit, *super aream gestamus, cum finem et intentionem omnium nostrorum tam operum quam desideriorum Deum proponimus.*

V. Et nostra perfectio. Quinta ratio, cur nihil appetendum sit præter Deum, petitur a nostra perfectione. S. Bernardus sermon. de diversis affectibus animæ: *Gradus*, ait, *sublimior et affectus dignior est, cum penitus castigato corde nihil aliud desiderat anima, nihil aliud a Deo quærit, quam Deum ipsum, neque suum aliquid. non felicitatem. non gloriam, non aliud quidquam, tanquam privato suiipsius amore, desiderat anima, sed tota pergit in Deum.* S. Iulianus Martyr eum perfectionis gradum attigerat, qui fidenter Deo sibi apparenti dicebat: Novisti, tu Domine, quemadmodum ex eo die, quo genitus sum, usque ad hanc horam, qua me vocare dignatus es, nihil mihi optandum, nisi teipsum proposui. Talis etiam erat Sponsa, quæ in Cantico dicebat, c. 2. 16. *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Deus quoque ait Ierusalem, id est animæ sanctæ, Ezech. 16. *Calceavi te ianthino.* id est, calceis coloris ianthini, seu hyacinthini, hoc est cælestis, q. d. Effeci ut haberes affectus cælestes. Cave id tibi exprobret Deus, ut ibi facit illi urbi in scelera deinde prolapsæ.

76. Nota secundo, amor magnus inducit languorem corporis. Primo quidem, amor carnalis, ut patuit in Amnone filio Davidis languente ob incestum amorem sororis suæ Thamar, quam invitam constupravit, ideoque occisus est per Absalonem, 2. Reg. 13. Patuit in Seleuco, qui deperibat novercam, quam insanus pater voluntati eius permisit, ut refert Plutarch. in Demetrio, et Galenus 7. prognost. Hippocratis c. 7. et 10. ac lib. suorum prognost. cap. 6. Patuit in Perdicca, qui deficiebat præ amore pellicis Alexandri patris sui, ut habet Soranus Cons. Patuit in Phædra, quæ deperibat privignum suum Hippolytum, quem sceleri suo reluctantem occidi curavit, ut legis apud Euripidem in Hippolyto. De hoc malo amore Psalmum nostrum exponit Remigius, qui ait: Deficere carnem et cor, ob originale peccatum, et pravas tum appetitiones, tum cogitationes. Bellarmin. Deficit, inquit, caro mea, et cor meum, et si quando per amorem ea collocavi in creatis rebus, putruerunt atque corrupta sunt. — Amor vehemens inducit languorem corporis. I. Amor carnalis.

II. Amor spiritualis. Secundo, et melius, *defecit caro mea et cor meum*, intelligenda sunt de languore, quem inducit amor spiritualis, et vehemens charitas erga Deum. Ita Ruffinus: *Totum*, inquit, *se spiritualem, sanctique Spiritus igne flagrantem insinuat, dum carnis concupiscentias et pristinas cogitationes in se defecisse pronuntiat. Caro nostra deficit, quando sic per rigorem disciplinæ constringitur, ut iam spiritu reluctari non possit. Cor etiam nostrum defectum patitur, cum voluntas propria omnisque præsumptio interius resecatur.* Animam suam defecisse dicit Propheta noster Ps. 83. 3. *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Ps. 118. 81. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Vide illum locum. Sponsa dicit se præ amore elanguisse, Cant. 2. 5. ubi sic loquitur: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Languor hic amoris, ait Cornelius, oritur ex liquefactione. Est autem liquefactio amoris effectus, quo anima ipsa mulcetur ac emollitur, ut res quam ardentissime cupit, sibi per amplexum et penetrationem quamdam imprimatur. Quod ut fiat, tota dehiscit et patet illa, ut quasi poris apertis hauriat rem amatam, tamquam recens panis aquam haurire solet. Hanc autem liquefactionem, qua in sponsum hiat anima, consequitur effectus amoris alter, molestissimus sane, qui languor appellatur, quem diserte notat illa, dicens: *Quia amore langueo.* Languor ergo hic in anima fideli oritur, quando ipsa sic tota in sponsi amorem fertur, et quasi liquefacta resolvitur, ut sui prorsus oblita quid de se agatur nesciat: et ad omnia, quæ hic inferne aguntur, quasi stupida et insensibilis iaceat, ut nec videre aliud possit aut velit, nec audire, nec gustare, nisi suum dilectum: ita ut dicat cum Apostolo, Galat. 2. *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Qui etiam languor amoris in sequentibus per liquefactionem animæ videtur significari, dicente eadem Sponsa: *Anima mea liquefacta est, statim ut dilectus locutus est*, Cant. 5. 6. Quia et Plato ita amorem definit: Amor est ardor animi in proprio corpore mortui, in alieno viventis. Hunc languorem charitatis Sponsa hauserat ex cella vinaria Eucharistiæ et Spiritus sancti: sicut eumdem post sacram Synaxim sentiebat S. Catharina Senensis, et similes virgines sanctæ. Quocirca S. Felicula collactanea S. Petronillæ, dicentibus tortoribus: Nega te Christianam, et dimitteris; respondit: Non negabo, nunc cœpi videre amatorem meum, in quo amor meus fixus est. Præclare Boetius: O felix hominum genus, si vestros animos amor, quo cælum regitur, regat. B. Philippus Nerius, charitate Dei vulneratus, ait auctor vitæ eius, languebat iugiter: tantoque cor eius æstuabat ardore, ut cum intra fines suos contineri non posset, illius sinum, contractis atque elatis duabus costulis mirabiliter Dominus ampliaverit. S. Gregor. lib. 2. in Ezech. serm. 15. Quid sunt, ait, in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda, in quibus anima per amorem Sponso invisibili iungitur, ut eius desiderio ardeat, nulla iam quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, et amoris amplexu in cælestis Sponsi visione requiescere? Mens itaque, quæ iam talis est, nullam præsentis vitæ consolationem recipit, sed ad illum quem di-

ligit, medullitus suspirat, fervet, anhelat, anxiatur. Vilis ei fit ipsa salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris. Unde et in Cantic. dicit: *Vulnerata charitate ego sum.* Mala autem salus est cordis, quæ dolorem huius vulneris nescit: cum vero anhelare iam in cæleste desiderium, et sentire vulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute: ita Gregorius.

77. *Deus cordis, id est primo, quem possidet cor nostrum.* Quæres, quomodo David Deum vocat *Deum cordis sui?* Respondeo primo, sensus esse potest, q. d. Deus quem tenet ac possidet cor meum, id est, quem amo, quem in corde meo verso et amplexor. Hic sensus maxime placet: quia eodem modo dicitur *Deus cordis*, quo modo dicitur *pars in æternum;* dicitur autem pars, quia est possidendus ab amante et amato. Est porro Deus in corde, velut thesaurus in vase aureo vel gemmeo, aut in sacculo pretiosissimo. S. Greg. 12. Mor. 11. *Quid est,* ait, *cor hominis, nisi sacculus Dei?* Qui illum habet, dives est. S. Aug. serm. 212. *Quid,* ait, *quæris divitias, quæ oculis humanis et carneis blandiuntur? lucet aurum, sed plus lucet fides. Elige quid habere in corde debeas. Intus plenus esto, ubi divitias tuas Deus videt, homo non videt.* S. Chrysost. homil. 2. ad populum: Vis ditari? inquit, amicum habeas Deum, et ditissimus eris: ita ipse. Quidquid in corde tuo præter Deum posueris, illud non replebit. Primasius in Epistola ad Romanos: Ideo, inquit, insatiabilis est avaritia, quia post Dei divitias, quantumvis quis habeat, parum est, aut etiam nihil. S. Valerianus hom. 17. Cupiditas, inquit, corda hominum divitiarum stimulis inquietat. Petrus Blesensis Epis. 143. divitiarum nimiam cupiditatem vocat tineam cordium. S. Augustinus eos, qui auro et gemmis effulgent, atque aurum habent, esse pauperrimos docet. Verba eius sunt serm. 212. de tempore: In carne crepat, inquit, et in corde mendicat.

Ignem e cælo lapsum apud se sempiternis farculis Persæ asservant, cuius portiunem exiguam quondam Asiaticis regibus prælatam ferunt, ut tradit Ammianus Marcellinus lib. 23. Ignem cælestem divini amoris in corde suo servabat S. Ignatius, coque exæstuans dicebat in Epistola ad Romanos: *Meus amor crucifixus est, et non est in me ignis amans mundanæ materiæ: aqua potius viva, et in me loquens, quæ intus mihi dicit: Veni ad Patrem. Non delector nutrimento corruptionis, neque voluptatibus huius vitæ. Panem Dei volo, panem vitæ, qui est caro Iesu Christi Filii Dei.* Nadab et Abias perierunt, quod ignem alienum, hoc est, non sacrum sed profanum, imposuissent thuribulo, ut thurificarent coram Domino, hoc est, coram Altari holocaustorum, et coram ostio tabernaculi, aut potius ante Altare thymiamatis, quod erat proximum Sancto sanctorum, et arcæ ac propitiatorio, in quo se præsentem exhibebat Deus, Levit. 10. Iulianus Apostata militibus Christianis munus dedit, eosque invitavit ut thuris grana quædam, honoris gratia, in focum coniicerent, coram se et suis, qui cæremoniam hanc ut idolis factam, et Christianismi abiurationem tacitam interpretabantur. Milites hi mente Imperatoris et fraude post factum comperta, frementes Iulianum adierunt, exclamantes: Non dona accepimus, Imperator, sed morte damnati sumus; non honoris causa vocati, sed ignominia notati sumus. Da hoc beneficium militibus tuis: Christo nos macta atque obtrunca, cuius unius imperio subiicimur. Ignem igne repende: pro illo in cinerem nos redige. Manus amputa, quas scelerate porreximus: pedes, quibus male occurrimus. Alios auro dona, quos accepisse postea non pœniteat: *Nobis satis superque est Christus, quem instar omnium habemus.* Iulianus ira accensus, invidensque eis Martyrii gloriam, eos exilio mulctavit, ut fuse refert S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. contra Iulianum. Erat Deus, Cordis ipsorum Deus, id est, ut Dionysius Carthusianus exponit in Psalmum nostrum, amor animæ eorum, summum bonum, et Deus totius beatitudinis eorum. S. Ambrosius lib. 3. de Interpellatione Iob et David, cap. ult. ait, id contingere mundis corde, qui Deum videre mereantur.

78. Secundo, et valde etiam apposite, *Deus cordis* vocatur, quia tenet ac possidet cor nostrum, a quo amatur, et quod se totum illi tradidit. *Deus cordis, id est, qui cor nostrum possidet.* *Deus cordis mei possessor,* ait Ruffinus. Deus cordis mei exemplum, socius, medicus, merces, pater, auctor, ustor, doctor, amor, spes, laus, patientia, virtus, ait Ugo. Primo enim, Christus est exemplum nostrum, secundum illud 1. Petri 2. v. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Secundo, socius. Isaiæ 41. v. 10. *Ne timeas, quia ego tecum sum.* Tertio, medicus. Iobi 5. v. 18. *Ipse vulnerat et medetur.* Quarto, merces. Gen. 15. v. 1. *Ego protector tuus, et merces tua magna nimis.* Quinto, pater. Hebr. 12. v. 7. *Quis enim filius, quem non corripiat pater?* Sexto, auctor, et ideo amator. Sap. 10. v. 25. *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Septimo, ustor. Psal. 25. v. 2. *Ure renes meos et cor meum.* Octavo, doctor. Ps. 70. v. 17. *Deus docuisti me a iuventute mea.* Oseæ 2. v. 4. *Loquar ad cor eius.* Nono, amor. 1. Ioan. 4. v. 8. *Deus charitas est.* Decimo, spes mea a iuventute mea. Undecimo, laus. Ps. 117. v. 14. *Fortitudo mea et laus mea Dominus.* Duodecimo, patientia. Ps. 70. 5. *Quoniam tu es patientia mea.* Decimotertio, virtus. Psal. 45. v. 2. *Deus refugium nostrum et virtus:* ita Ugo. Hebræa hunc sensum iuvant. Nam pro *Deus*, habent צור *tsur*, id est, rupes, petra, robur, fortitudo, arx. Hinc Arias vertit, rupes cordis mei. S. Hieron. et Pagnin. robur cordis mei. Felix, fortitudo cordis mei. Sensus itaque est, q. d. Plurimum roboris addis animo meo: ita Campens. Deus solus est petra, in qua quiescit secure cor meum, ut neque cadere, neque deficere possit, ipse est centrum omnium desideriorum meorum: ita Bellarm. Deus cordis mei beatificator: ita Raynerius. Primus tamen sensus magis placet. Neque obstat, quod *tsur* et Deum et petram seu robur significet; nam etiam cum a corde possidetur Deus, illi robur affundit.

79. *In Deum coniicere cor debemus.* Ex his patet, debere nos cor nostrum in Deum coniicere. Svetonius in Domitiano tradit, ipsum Iovi custodi templum ingens dedicasse, quod ipsum in obsidione Vitelliana ab hostium furore servasset; seque in Dei sinu sacravisse. Omnia etiam quæ a corde procedunt ei in te considenti, et in tuo corde regnanti offer et immola; sint licet tuus Isaac id est, risus ac delectatio. Philo libro, Quod Deus est immutabilis, pag. 229. Quod, ait, proprie Deo gignitur, virtutes sunt integræ, sicut depravata vitia ad cognationem malorum pertinent. Proinde disce, si vis, o mens non tibi ipsi gignere, exemplo Abrahami perfectissimi: qui dilectum unigenitum, animæ germanum filium, effigiem a seipsa doctæ sapientiæ nomine Isaac offert Deo, et reddit magna cum alacritate, quasi necessariam debitamque gratiam, vinctum pedibus, ut ait lex, et, καινουργηθὲν ἱερεῖον, novi generis victimam: sive, quia iam nihil mortale, Deo destinatus calcare dignabatur: sive quia vidit creaturam instabilem, postquam cognovit ἀκλινεστάτην βεβαιότητα, firmitatem eius, qui est, certissimam, cui credidisse dicitur: hactenus Philo. Cætera vero, quæ in cor tuum intrare vellent, aut quæ se in cor tuum effundi optarent, procul reiice. Ut enim ait S. Gregorius lib. 22. Moral. 14. *Magna est securitas cordis, nil concupiscentiæ habere sæcularis.*

80. *Deus est pars, id est, portio et hæreditas Sanctorum.* Nota, si Deum facias Deum cordis tui, ipse erit pars et portio tua in æternum: da te illi, et dabit se tibi: nonne hæc satis magna compensatio est? Hinc addit David: *Et pars mea Deus in æternum.* Sic dicebat Ps. 15. v. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei.* Vide illum locum. Deus est pars, portio seu hæreditas æterna Sanctorum, ad eam unam anhelant, de cæteris participare non curant. Ruffinus: *Deus,* inquit, *cordis mei possessor dum temporaliter vivo. Erit postmodum et pars mea Deus in æternum. Homines in hoc sæculo eligunt sibi partes: alii divitias, alii honores, alii militiam, alii negotiationem: diversi diversa sibi eligunt. Inter hos clamat populus Dei: Pars mea Deus, non ad tempus, sed in æternum. Talis hæreditas bona est et vera, quæ in æternum permanere potest.* Honorius Papa IV. hæc sibi verba in symbolum

sumpsit: *Pars mea Deus in æternum,* ut habet Ciacon in vita. Lucæ 10. v. 42. de Maria Magdalena ait Christus: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Franciscus Gonzaga Præfectus supremus copiarum Caroli V. Imperatoris, ut indicaret eam se gloriam omnibus suis ornamentis privatis anteferre, in symbolum sibi sumpsit aquilæ plumam inter diversarum avium plumas mediam; ea enim cæteras ad tabem reducere dicitur. Gloria, quæ a Christo oritur, cæteros mundi splendores obscurat. S. Catharina cum a tyranno Maximino ad idolorum cultum adigeretur, ait: Veni ut essem sponsa Christi, et eum habeo solum sponsum, et consiliarium, et ornamentum virginitatis, stolamque Martyrii longe præfero cuivis purpuræ regiæ.

81. Vers. 26. Peccatum mortale a Deo elongat.

Sicut virtus Deo unit, ita peccatum a Deo separat: et, sicut uniti Deo vivificantur ab eo; ita qui ab ipso separantur, pereunt, v. 26. QUIA ECCE, QUI ELONGANT SE A TE, PERIBUNT: PERDIDISTI (Hebraice succidisti, excidisti) OMNES QUI FORNICANTUR ABS TE. *To quia,* reddit rationem, cur nihil voluerit in cælo et in terra præter Deum, ne scilicet ab eo elongatus periret. *To ecce* denotat subitam, magnam et terribilem punitionem, quam omnes admirentur, et ad cuius aspectum horreant.

Nota, peccatum mortale quodlibet a Deo nos elongat. Isaiæ 59. v. 2. ait Iudæis: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Sicut firmamentum, ait Cornelius, est interstitium dividens aquas superas ab inferis, Gen. 1. v. 6. ita peccata vestra sunt interstitium firmiter dividens et separans vos a cælo, angelis et Deo. Illa est sartago, quam Ezechiel Deum repræsentans iubetur ponere inter se atque urbem Ierusalem. Sic enim illi dicitur: *Sume tibi sartaginem ferream, et pones eam in murum ferreum inter te et inter civitatem.* Illud est chaos interiectum inter divitem Epulonem, et Abrahamum in Dei sinu positum, Luc. 16. 26.

82. I. Enim peccator a Deo recedit.

Nec mirum est, si peccator est a Deo elongatus. Primo, quia peccator ab ipso recedit. Lucæ 15. 13. de filio prodigo dicitur: *Profectus est in regionem longinquam.* Non loci segregatione, sed virtutis, ait Euthymius. Regio longinqua est oblivio Dei, ut dicit S. Augustinus lib. 2. quæst. Evangel. cap. 33. Sciendum, non locorum spatiis, sed affectu nos esse cum Deo, aut ab eo recedere, ut ait S. Hieron. Epist. 116. *Nihil est longius ire,* ait S. Ambros. in Lucam, *quam a se recedere: nec regionibus, sed moribus separari: studiis discretum esse, non terris: et quasi interfuso luxuriæ sæcularis æstu, divortia habere factorum.*

II. Et Deus a peccatore.

Secundo, Deus a peccatore se elongat. Prov. 15. 29. *Longe est Dominus ab impiis,* per favorem et opem, licet illis intime præsens per essentiam. Sic Ps. 137. 6. dicitur: *Alta a longe cognoscit.* Matth. 25. 41. ait: *Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Lege S. Hippolytum tract. de consummatione sæculi, sub finem.

83. Omne peccatum mortale est fornicatio.

Nota secundo, fornicantur a Deo idololatræ, qui a vera fide et cultu Dei recedentes, ad idola velut ad amasios transeunt. S. Augustinus tract. 42. in Ioannem, ait, Scripturæ consuetudinem esse fornicationem vocare, cum diis multis et falsis anima prostituta subiicitur. Id patet Ierem. 3. Ezech. 6. Oseæ 1. Apocal. 17. et 18. Secundo, omne peccatum mortale est fornicatio, imo adulterium: quia per illud anima, Dei sponsa, fœdus maritale dirimit, et fidem datam frangit. Ruffinus in Psalmum nostrum: *Si homo rebus temporalibus illicito amore coniungitur, iam utique fornicatur. Proprium enim virum, id est, Factorem suum anima deseruit, et ei qui non erat suus, se lascivo amore copulavit. Propter hoc iure incurrit perditionis pœnam, quia sponte deseruit salutem suam.* S. Iacobus cap. 4. v. 4. increpat fideles peccantes: *Adulteri, nescitis, quia amicitia huius mundi, inimica est Dei.* S. Gregor. Nazianz. in Iambicis carm. 3. divitias vocat meretricem: quia mox illi, mox alteri amasio blanditur meretrix: ita etiam divitiæ. Matthæi 12. v. 39. Christus ipse dicit Iudæis: *Generatio mala et adultera signum quærit,* ubi Theophylactus: Adulteram, ait, generationem vocat, quia desciscebant a Deo, et adhærebant dæmoni. Origenes homil. 12. in Leviticum cap. 2. multa vitia percurrit, cum quibus homo fornicatur: *Si,* ait, *susceperis,* o *homo, in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, meretricata est anima tua cum diabolo. Si spiritus iræ, si invidiæ, si superbiæ, si impudicitiæ, ingressus fuerit ad animam tuam, et receperis eum, et consenseris ei loquenti, et in corde tuo delectatus fueris his, quæ tibi secundum suam mentem suggerit, meretricatus es cum eo.* Contra vero, qui ab his omnibus abhorret, virgo est. 2. Cor. 11. 2. *Despondi,* S. Aug. aptavi; S. Ambros. paravi; Theophylactus, agglutinavi; *vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Cornel. tibi multa ibi suppeditabit.

84. Vers. 27.

Oculo mentis in omnes cæli ac terræ creaturas coniecto, visisque impiorum a Deo recedentium et reiectorum malis elegit David Deo sese unire, v. 27. MIHI AUTEM ADHÆRERE DEO BONUM EST: ET PONERE IN DOMINO DEO SPEM MEAM.

Vers. 28. Adhærendum est Deo.

Vers. 28. UT ANNUNTIEM OMNES PRÆDICATIONES TUAS (id est, res prædicatione et laudatione dignas) IN PORTIS FILIÆ SION, hoc est, in Sione, id est, in Ecclesia tam militante qua triumphante. *To in portis filiæ Sion,* non est in textu Hebræo, sed positum est explicationis gratia.

Nota, adhærendum est Deo: 1. Intellectu. 2. Affectu. 3. tota anima. 4. Omnibus corporis affectionibus et sensibus, atque operibus.

I. Per intellectum.

Primo, adhærendum est Deo per intellectum, in eius contemplatione mentem figendo, in eius lucem nos immittendo, illum admirando, ei credendo. In ea adhæsione consistit formalis et essentialis beatitudo, tum huius vitæ, tum futuræ. De illa locum hunc exponit S. August. tom. 4. lib. unico 83. quæst. in 54. *Deus,* inquit, *est ipsa veritas, cui quia intelligendo anima rationalis iungitur, et hoc bonum est animæ, recte accipitur id esse quod dictum est: Mihi autem adhærere Deo bonum est:* ita Augustinus. S. Petrus in Christi transfigurati lumine exultans dicebat, Matth. 17. v. 4. *Domine, bonum est nos hic esse.* Bonum, id est, iucundum, delectabile et beatum. Arabs vertit, bonum est, ut maneamus hic. S. Dionysius Areopagita tractatu de divinis nominibus: *Lumen,* inquit, *ex ipso bono est, et bonitatis imago. Ideo ipsum bonum, luminis cognomento laudatur, tamquam imagine quadam exemplari expressum.* Qui adhærent lumini, fiunt luminosi, sicut Moses, cui cum S. Michael, qui præerat columnæ ignis et nubis in deserto, dixisset, Exod. 33. v. 19. *Ego ostendam omne bonum tibi,* et ostendisset non faciem suam, sed posteriora, id est, tergum gloriosum ac fulgidum, remansit tanta luce effulgens, ut cornuta ob radios facies eius videretur, Exod. 34. v. 29. Sic facies S. Antonii in oratione totas noctes extrahentis assidue fulgebat, adeo ut ex sola vultus luce et lætitia, inter tot millia monachorum agnosceretur. Indorum reges sibi curabant præferri faces in ara mithræ, hoc est, solis, accensas. Lucem Dei sequuntur Sancti.

II. Per voluntatem.

Secundo, adhærendum est Deo per voluntatem et affectum. Cant. 2. v. 16. ait Sponsa: *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Gellius tradit, nefas fuisse, ignem ex Flaminis Dialis domo nisi in sacrum efferre. Christiano nefas est amorem suum, nisi in Deum effundere; nefas amores ab aliis effusos recipere. S. Augustinus serm. 13. de verbis Apostoli, cap. 7. id monet. Verba eius sunt: *Dicebat Epicureus, mihi frui carne bonum est: dicebat Stoicus, mihi frui mea mente bonum est: dicebat Apostolus: Mihi autem adhærere Deo bonum est.*

III. Tota anima.

Tertio, tota anima adhærendum est Deo. Ps. 62. v. 9. *Adhæsit anima mea post te.* S. Augustinus quodam loco: *Ad imaginem Dei,* ait, *creata rationalis anima, cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest; capacem Dei quidquid Deo minus est, non replebit.* Itaque bonum illi est Deo adhærere. Vide quæ in eam rem dicit lib. 10. de Civit. cap. 18.

IV. Totius viribus et operibus.

Quarto denique, adhærendum est Deo totis corporis et animæ viribus et operibus. Deuteron. 6. v. 5. *Diliges Do-*

minum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. S. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 28. *Cum,* ait, *inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor et labor: et viva erit vita mea tota plena te.* Et lib. 13. cap. 2. et 8. *Hoc tantum scio,* inquit, *quia male mihi est præter te, non solum extra me, sed et in meipso: et omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.* Plutarchus in Iside et Osiride refert, paupertatem desiderio prolis ardentem. Porro divitiarum Deo accubuisse, atque ex eo gravidam factam peperisse amorem: Deo te iunge, amorem inde concipies et paries, amor autem ille te ditabit, et omnia amati bona tibi faciet esse communia, teque in eum transformabit melius quam duos amicos illos, qui in Vulcani fornacem coniecti in unum coaluerunt. Sic Deo adhæserat Paulus, qui exultans clamat, Galat 2. v. 20. *Vivo ego, iam non ego: vivit vero in me Christus.* Et S. Arcadius Martyr, qui tyranno dicebat: *Quid vanissime omnium iudicum? Putasne aut de lucis istius incongruis usuris, aut de properæ mortis subitis damnis familiam Dei posse terreri, cum sciamus Apostolica fide esse præscriptum: Mihi vivere Christus est, et mori lucrum? Excogita quibus potes suppliciis tormenta graviora: maioribus te furoris stimulis accende, cuiusvis cruciatus exerce molem: nos a Deo non poteris separare,* ut refert S. Zeno Veronensis Episcopus in eius Actis. Cum Licinius S. Hermylum ad sacrificia idolorum cogeret, respondit sanctus Martyr: *Est mihi Deus in cælis, cui soli vivo: et cui mox meipsum hostiam offerre propero: et a quo spero maximum venturum auxilium,* ut ait Metaphr. 13. Ianuar. Vide dicta Psal. 17. 1. Ps. 118. 57. Sic Deo adhærens, et in eo vivens, fructus vitæ æternæ proferes, et non aliter. Ioan. 15. 4. Christus dicit Apostolis amicis suis et fratribus: *Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic et vos nisi in me manseritis.* Lege Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. ubi docet ab interna Christi gratia partim actuali, partim habituali, oriri vim producendi bona opera. Bonum itaque est adhærere Deo. Primo, quia illuminat intellectum. Secundo, quia purificat, et lætificat affectum. Tertio, quia vivificat, et ditat animam. Quarto denique, quia omnia opera perfecit et conservat.

85. *Adhæsio notat constantiam amoris.* Nota, *adhæsio* dicit in contemplatione, amore, possessione et operatione constantiam. S. Paulus constantiam illam habebat, qui dicebat Rom. 8. v. 38. *Certus sum,* per revelationem mihi factam, *quia,* quod, *neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia,* præsentia bona vel mala, ait S. Anselmus, *neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* S. Chrysost. hom. 2. de laudibus Pauli: Hac charitate, ait, Paulus ornatus tyrannos ipsumque Neronem, *velut quosdam culices,* æstimabat: hac mortem, cruciatus, et mille supplicia, *ludum putabat esse puerorum:* *Charitas Pauli mirabilis.* hac Paulus vinctus Iesu Christi, magis quam diademate coronatus gloriatur. Nam coarctatus carcere cælum habitabat: hac libentius verbera excipiebat et vulnera, quam alii bravia diripiunt: hac labores non minus quam requiem, dolores non minus quam præmia, quam triumphales pompas et trophæa diligebat: ita Chrysostom. De charitatis divinæ perfectione atque potentia lege S. Bernardum serm. 79. in Cantica. S. Basilius tract. de vera virginitate docet, eum qui Deo adhærere velit, omnia debere contemnere, et Christi imitatione qui cælos amore nostri reliquit, patrem, matrem, omnia propter Deum deserere. Constantiam amoris sui, et fidelitatis erga principem suum declaravit Comes Bernardinus de la Guarda: cum enim iam emeritus inter nobiles cataphractos magni ducis Ferdinandi esse desiisset, pro symbolo hederam, quæ quercum complecteretur, eique tota adhæreret elegit, hoc adiecto lemmate, *Nec recisa recedet.* Ita tu tempore ariditatis, desolationis, paupertatis, ignominiæ, et cuiuslibet afflictionis Deo adhære, nec patere te ab eo separari.

Nota secundo, pro *adhærere,* Græce est προσκολλᾶσθαι, id est, agglutinari. Sic Ps. 62. v. 9. *Adhæsit anima mea post te,* Græce ἐκολλήθη, agglutinata est. Quo maxima, perfectissima, suavissima et constantissima adhæsio declaratur. S. Bern. serm. de triplici cohærentia, coniunctionem triplicem cum Deo notat. 1. Funibus. 2. Clavis. 3. Glutino: eam perfectissimam et suavissimam esse declarat. 86. *Tribus modis Deo adhæremus, funibus, clavis, glutino.* Sic autem loquitur: *Mihi autem,* ait Sanctus, *adhærere Deo bonum est: immediate ei coniungi non possumus, sed per medium aliquod poterit fieri fortassis ista coniunctio. Et ne diutius vos protraham, tria sunt vincula, quibus ei astringimur, et sic tria, ut sola, cum solis istis vel istorum similibus omne quod ligatur, ligetur. Et primum accipite funes. Secundum, clavos ligneos vel ferreos. Tertium gluten. Primum astringit fortiter et dure: secundum fortius et durius: tertium suaviter et secure. Fune quodammodo alligatus est Redemptori, si quis forte dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum, memoriam promissionis, et hoc interim se fune retinet, ne propositum penitus abrumpatur. Durum profecto vinculum et molestum, sed et periculosum nimis, et quod diu tenere non possit. Siquidem putrescunt funes, et pudoris vinculum aut obliviscimur, aut abrumpimus cito. Est autem qui clavis configitur Domino maiestatis, quem timor Dei ligat, qui non expavescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum. Et hic quidem peccare non metuit, sed ardere. Durius tamen et fortius primo imprimitur: quia cum ille vacillet in proposito, iste propositum non amittit. Tertius vero glutine ei conglutinatur, id est, charitate, qui tam suaviter quam secure ligatus adhærens Deo, unus spiritus est cum eo. Iste est, qui quæcumque, undecumque, sive quæ facit, sive quæ ei fiunt, ad suum commodum revocat et retorquet. Beatus huiusmodi homo, et abundanti spiritus influens maiestate, qui suavis et unctus portat omnes, et neminem onerat ipse: qui terribilius et horribilius ipsa gehenna iudicat, in re levissima vultum omnipotentis scienter offendere. Hic est fratrum amator, et populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, et pro civitate sancta Ierusalem:* ita Bernardus, qui paulo post tria illa vincula in Christo fuisse ostendit: Christus, inquit, prius ligatur, secundo crucifigitur, tertio glutinosa aromatum inunctione linitur.

Nota tertio, præcipue adhæremus Deo per fidem, spem 87. *Adhæremus Deo per fidem, spem, et charitatem.* et charitatem, quæ Deum ipsum immediate habent pro suo obiecto. Primo, obiectum formale fidei est Deus ut prima et infallibilis veritas, ut docet S. Thomas in 3. distinct. 24. art. 1. quæst. 1. et 1. 2. quæst. 67. artic. 3. ac 2. 2. quæst. 1. art. 1. Secundo, obiectum formale spei est Deus ut tota æternitate possidendus, in 3. distinct. 26. et 2. 2. quæst. 17. art. 2. Tertio, obiectum formale charitatis est Deus ut summe amabilis. Harum trium virtutum mentionem hic facit David: 1. charitatis: *Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum;* 2. fidei: *Ecce qui elongant se a te, peribunt,* etc. *Mihi autem adhærere Deo bonum est;* 3. mentionem expressam spei facit: *Ponere in Domino Deo spem meam.*

Nota quarto, Ps. 54. v. 23. dicit David: *Iacta cogitatum tuum in Domino;* et S. Petrus 1. Epist. cap. 5. v. 7. ait: 88. *Spem in Deo ponere et iacere.* *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quia ipsi cura est de vobis.* Iactatio seu proiectio dicit: 1. fervorem et ardorem; 2. totalem derelictionem et abnegationem sui et suarum rerum. Hic vero dicit, ponendam esse in Deo spem. Sic et Ps. 77. v. 7. ait: *Ut ponant in Deo spem suam.* Positio notat, 1. considerationem et attentionem; 2. reverentiam; 3. ordinem et conciunitatem; 4. securitatem. Ibi divitias suas sancti collocant; et animas suas in Dei manu, sinu, pectore et corde ponunt, ea re se felices existimant, si Deus donum acceptet. Titus Bostrensis Episcopus in cap. 12. Lucæ: Τρὶς μακάριος, inquit, *ter felix fortunatusque est ille, et spe citra ullam controversiam præclara nititur,* ὁ κατὰ Θεὸν πλουτῶν, *qui secundum Deum dives est. Sicut contra, vere miser et in-*

felix haberi potest, qui in alteram partem abductus est: imo vero πας αφρων, τα δικαιως δε ματαιος, *omnis eiusmodi amens et stultus est: quemadmodum regius Psaltes minime obscure alicubi id profitetur, Psal.* 38. *Verumtamen frustra conturbatur omnis homo: thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea.* Hebr. 6. v. 19. Apostolus spem vocat, *anchoram animæ tutam ac firmam.* Anima nostra firmanda est, et in tuto ponenda est, illa est navis nostra plena divitiis cælestibus, illa est totus noster thesaurus. Cum Secundianus a Ss. Hippolyto, Eusebio, Marcello, Maximo, Adria, Paulina, Neone et Maria Martyribus pecuniam eorum postularet: Quod, dixerunt, habuimus, in pauperes expendimus; *thesauri nostri, animæ nostræ sunt*, quas perdere nullatenus volumus. Eas non perdunt, qui in Deo ponunt spem suam. Cum S. Hermylus Martyr post varia tormenta in carcerem retruderetur, dicebat, quod est in Ps. 26. *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Antisthenes dicebat, virtutem esse armaturam genuinam, quæ auferri nequeat, ut ait Hesychius de claris viris. Philo ait, pietatem esse murum inexpugnabilem. Verba eius sunt libro de charitate, pag. 554. Sicut, inquit, gubernator æquivalet omnibus vectoribus: et dux exercitus omnibus militibus: ita vir sapiens toti genti conferendus est: quia, τειχος πεπραγμενον ακαθαιρετον θεοσεβεια, pietas est murus inexpugnabilis.

39. Nota quarto, suavissimus et maxime Deo gratus charitatis fructus est laus Dei. Hinc Propheta noster Psalmum concludit: *Ut annuntiem laudationes tuas in portis filiæ Sion.* Syrus vertit, cuncta mirabilia tua. In Hebræo est, omnia opera tua. Septuaginta, πασας σας αινεσεις, id est, omnes laudes tuas. Est metonymia. Actus enim ponitur pro obiecto. Quod autem illa laus Deo grata sit, docet Clemens Alexandr. lib. 3. Pædag. cap. 12. *Odor suavitatis*, ait, *Deo est cor quod glorificat eum: hæ sunt coronæ, et sacrificia, et aromata, et flores Dei.* Noe liberatus a diluvio ædificavit altare, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit holocausta super altare in gratiarum actionem: *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis*, Genes. 8. 21. Chald. vertit, Suscepit Dominus cum beneplacito oblationem eius. S. Chrysost. Iusti Noe virtus, ait, fumum et nidorem victimæ, Deo fecit odorem fragrantiæ: ita ille. Tu sanctos imitare, Deum laudantes et glorificantes, vel in mediis tormentis. S. Acacius Martyr ad mortem damnatus clamat: Quam multis linguis te laudare vellem Christe dux vitæ, quoniam ita misericors et benignus es in me peccatis obnoxium, qui et tali sorte me dignatus fuisti. Ad locum vero martyrii cum pervenisset, has fudit preces: Gloria tibi Deus, et immensæ magnificentiæ convenit laudatio, qui sic gloriosum in nobis peccatorum onere gravatis te ostendis. Quo enim maiora beneficia nobis largiris, et quo magis iniquitates nostras remittis, eo abundantius benignitatis tuæ gloria relucet. Benedictum sit nomen gloriæ tuæ, quod ita faciendum probasti, ut in Filio tuo unigenito, et Spiritu sancto hominem ipsum honorares, et nunc me tantis beneficiis indignum propter bonitatem tuam ad talem gloriam invitasti, non propter mea opera. Benedico igitur tibi, Domine Deus sanctus Israel, cum unigenito Filio tuo, et Spiritu sancto: quoniam tua est gloria, tuus honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen: ita S. Acacius. De Sanctis omnibus dicitur Ps. 83. 5. *In sæcula sæculorum laudabunt te.*

Charitatis fructus est laus Dei.

PSALMUS SEPTUAGESIMUS TERTIUS.

Intellectus Asaph.

1. Ut quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?
2. Memor esto congregationis tuæ: quam possedisti ab initio.
Redemisti virgam hæreditatis tuæ: mons Sion in quo habitasti in eo.
3. Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto.
4. Et gloriati sunt qui oderunt te: in medio solemnitatis tuæ.
5. Posuerunt signa sua signa: et non cognoverunt sicut in exitu super summum.
6. Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum: in securi et ascia deiecerunt eam.
7. Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra: polluerunt tabernaculum nominis tui.
8. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.
9. Signa nostra non vidimus, iam non est propheta: et nos non cognoscet amplius.
10. Usquequo Deus improperabit inimicus: irritat adversarius nomen tuum in finem?
11. Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam: de medio sinu tuo in finem?
12. Deus autem rex noster ante sæcula: operatus est salutem in medio terræ.
13. Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis.
14. Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum.
15. Tu dirupisti fontes et torrentes: tu siccasti fluvios Æthan.
16. Tuus est dies, et tua est nox: tu fabricatus es auroram et solem.
17. Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem et ver tu plasmasti ea.
18. Memor esto huius, inimicus improperavit Domino: et populus insipiens incitavit nomen tuum.
19. Ne tradas bestiis animam confitentem tibi: et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.
20. Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.
21. Ne avertatur humilis factus confusus: pauper et inops laudabunt nomen tuum.
22. Exurge Deus, iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.
23. Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.

PSALMI SEPTUAGESIMI TERTII ANALYSIS.

Propheta noster templi profanationem, et urbis expilationem per Antiochum, ob oculos ponens, inducit populum a Deo opem implorantem :

- Primo, ob Dei bonitatem, qui
  - Populum illum sibi in gregem peculiarem elegit. 1.
  - Congregavit in unum, prius hac illac dispersum in Ægypto. 2.
  - Redemit perditum et afflictum in Babylone, etc.
  - Præsentia sua firmavit vigentem in Sione. 2.
- Et hostium perversitatem, qui
  - Superbi in Deum. 3.
  - Maligni in sancta. 3.
  - Vani in verbis. 4.
  - Impii in opere. 4. eum
    - In templi summitate vexilla collocent. 5.
    - Ianuas eius securi excidant. 6.
    - Loca sacratissima disiiciant. 6.
    - Sanctuarium incendant. 7.
    - Altaria profanent. 7.
    - Festa tollant
      - Deo miraculis non obstante. 8.
      - Prophetas non mittente. 9.
      - Populum non curante. 9.
- Secundo, ob Dei potestatem, qui
  - Hostes iustorum obterat,
    - Improperantes iustis. 10.
    - Et blasphemantes Deum. 10.
  - Iustos foveat
    - Sinistra in adversis. 11.
    - Dextera in prosperis. 11.
  - Populum servet,
    - Cuius Rex ab æterno. 12.
    - Et Salvator in tempore. 12.
  - Mare frænet
    - Alveo siccato. 13.
    - Ægyptiis demersis. 13.
    - Pharaone obruto. 14.
    - Cadaveribus in littus eiectis. 14.
  - Petras scindat
    - Fontibus eductis. 15.
    - Et torrentibus. 15.
  - Fluvios exsiccet
    - Variis temporibus. 15.
    - Et rapidissimos. 15.
  - Aerem illuminet.
    - Die. 16.
    - Et nocte. 16.
  - Cælum illustret.
    - Auroræ radiis. 16.
    - Et solis. 16.
  - Terram fœcundet
    - Æstatis ardore. 17.
    - Veris temperie. 17.
  - Homines puniat,
    - Blasphemiis impios. 18.
    - Sceleribus insanos. 18.
- Et civium suorum virtutem :
  - Charitate, Deo consistentium. 19.
  - Spe, neglectis terrenis æterna quærentium. 19.
  - Fide, pactis divinis fidentium contra divites impios. 20.
  - Humilitate, a Deo bona omnia expectantium. 21.
  - Gratitudine, Deum laudantium. 21.
  - Zelo, sceleratos in ius vocantium, quod
    - Ore, Deum blasphement. 22.
    - Animo oderint. 23.
    - Opere, semper peiora in eum agant. 23.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Intellectus Asaph.

1. *Agitur hic de clade illata Iudæis.* Hic deploratur Ierosolymæ desolatio, sed incertum est, de qua agatur. Primo, Caietanus, Lyranus, Placidus, Trevetus, et alii exponunt de clade illata a Chaldæis duce Nabuchodonosore, anno mundi 3446. ab ingressu terræ promissæ duce Iosue anno a templo fundato 424. Sedeciæ regis 11. ante Christum 607. Sed huic sententiæ adversatur, quod dicitur vers. 9. *Iam non est Propheta.* Tempore enim obsidionis illius et vastationis Ierosolymæ erant in Iudæa Ieremias et Baruch Prophetæ, et Olda prophetissa: in Babylone autem Ezechiel et Daniel: in reditu ex captivitate Zacharias et Aggæus. *Non de ea quæ fuit a Chaldæis.*

Aut Romanis. Secundo, S. August. Euthym. ac Theodoret. et vetustiores, tam græci quam latini exponunt de vastatione Ierosolymæ per Tytum et Vespasianum. Nam, 1. tunc Deus Iudæos repulit in finem, illa enim desolatio durabit usque ad finem mundi. 2. Templum incensum est. 3. Non erant Prophetæ apud Iudæos. Sed huic sententiæ obstat, quod tunc Iudæi non erant oves pascuæ Dei, et tamen dicitur: *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ,* vers. 1. Nec tunc erant animæ confitentes Deo, et tamen dicitur v.19. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.*

Tertio denique, et aptius, Clarius, Iansenius, Bellarm. Arias, et alii exponunt de persecutione excitata ab Antiocho Epiphane, id est, illustri rege Syriæ. Nam crudelissime exagitare cœpit Iudæos anno mundi 3887. Imperii Græcorum 145. regni sui 9. Urbis Romæ conditæ 586. ante Christum 166. Huic persecutioni omnia, quæ in Psal- 2. *Sed de ea quæ ab Antiocho.*

mo sunt, conveniunt, ut patebit in explicationis decursu. Non negaverim tamen Prophetæ nostro hæc concinenti obiectas fuisse alias duas clades a Chaldæis et Romanis illatas.

Quæres, cur in titulo non fit mentio Psalmi, hymni, aut cantici? Resp. Eusebius, rationem esse, quia agit de rebus tristibus. Sed cur vocatur intellectus? Quia proponitur hic Psalmus Iudæis attente cogitandus, ut mentis A robur sibi comparent ad tantam calamitatem perferendam, et se humilient cognoscentes quantum egeant ope Dei in illo discrimine. Allegor. ad Christianos variis persecutionibus, præsertim in primitiva Ecclesia agitatos, traduci potest. Tropol. ad captivitatem spiritualem applicari. De voce intellectus vide titulum Ps. 31. loquitur in hoc Psalmo ipse Propheta, aut potius inducit loquentem populum afflictum. Lamentationis Psalm. vocat Cassiod.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3. Tria præstat. Primo, Iudæi orant sibi a Deo auxilium dari, ob barbariem hostium suorum, vers. 1. Secundo, ob Dei ipsius potestatem, v. 10. Tertio denique, ob suam fidem et virtutem, vers. 19.

SECTIO PRIMA.

Quatuor exequitur. Primo, conqueritur populus fidelis Deum sibi irasci, vers. 1. Secundo, in memoriam revocat præcedentia beneficia, vers. 2. Tertio, hostium superbiam et impietatem depingit, vers. 3. Quarto denique, se in tanta afflictione nihil opis a Deo sentire dolet, vers. 9.

PARAPHRASIS.

1. *Ut quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?*

1. Quid causæ extitit, amantissime Deus, cur nos in perpetuum abieceris? Quid est, cur furor tuus in eos desæviat, quos in peculiarem tibi populum secrevisti, et in amœnissimis pascuis collocasti?

2. *Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.*

2. Redeat in memoriam, dura servitute Ægyptiorum oppressum hunc te populum libertate donasse, atque in unum congregasse, illi ut specialius quam cæteris gentibus præsideres.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ mons Sion, in quo habitasti in eo.

Sceptrum et potestatem totius nostræ nationis, quæ est hæreditas tua, a variis tyrannis liberasti. Et in Sione monte, posito tibi tabernaculo, sedem figere voluisti, eumque præsentia tua recreare atque stabilire.

3. *Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto?*

3. Cur iustitiæ tuæ ultricem manum in hostium nostrorum superbiam non exeris, eosque clade perpetua non conteris, qui tuo nixum præsidio populum ausi sunt aggredi, et verbis arrogantibus tibi insultare?

4. *Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solemnitatis tuæ.*

4. Velut obtenta victoria, odium quod in te conceptum pectore premebant, cum petulanti virium suarum iactatione, tuæque potestatis depressione, aperuerunt in ipsis festis tuis, in quibus laudes tibi debitas canebamus.

5. *Posuerunt signa sua, signa: et non cognoverunt, sicut in exitu super summum.*

5. Super summum templi pinnaculum vexilla sua ad ostentationem posuerunt, sicut fieri solet in portis civitatis; neque cognoverunt quantum in ea re scelus admiserint.

6. *Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum: in securi et ascia deiecerunt eam.*

6. Perinde ac si mediam in sylvam incidissent, unanimi consensu ianuas domus tuo cultui consecratæ, sine ulla reverentia aut timore perfregerunt. Sumpta in manus securi et dolabra, aliisque instrumentis, hac illac obvia quæque disiecerunt.

7. *Incenderunt igni sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.*

7. Iniectoque in templum igne, omnia in cineres redigere moliti sunt: et fuso sanguine, ac sceleribus suis, unicum, ubique in terra acceptissimum tabernaculum polluerunt.

8. *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.*

8. Neque id temerario quodam impetu fecerunt, sed ex meditata in corde malitia statuerunt omnes illi barbari, conniti, ut templo et civitate tua eversis, nullus tibi sacros et dedicatos in honorem tuum dies celebret.

9. *Signa nostra non vidimus, iam non est propheta: et nos non cognoscet amplius.*

9. Tot ergo malis oppressos cur nos non respicis, et ostensione signorum aliqua ut semper fecisti non confortaris? nullum miraculum videmus; nullus propheta se ostendit; ergo ad nostram afflictionem non amplius te convertes?

QUÆSTIO UNICA.

Quam lugenda Ierosolymæ, et animæ peccatricis desolatio.

4. Ordo Sectionis. Hoc in Psalmo cum alias Iudæorum calamitates, tum eam præsertim, quam ab Antiocho Epiphane passi sunt, delineat Propheta, et populum ipsum per elegantem Ethopeiam loquentem inducit, atque a Deo auxilium postulantem Machabæi præsertim hic loquuntur.

Ac primo, reiectum se conqueritur populus, v. 1. *Ut quid Deus repulisti in finem.* Et ira divina cladi acerbissimæ obiectum: *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?*

B Secundo, Dei ipsius rem agi ostendit, cum populus patiatur, quem Deus ipse Primo, congregavit, v. 2. *Memor esto congregationis tuæ.* Secundo, velut peculium aliquod a cæteris gentibus secretum possedit: *Quam possedisti ab initio.* Tertio, ab hostibus sæpe captum et oppressum in libertatem vindicavit, vers. eod. 2. *Redemisti virgam hæreditatis tuæ.* Quarto, præsentia sua cohonestavit: *Mons Sion, in quo habitasti in eo.*

Tertio, idem populus aperit scelera hostium suorum. Primo, superbiam, vers. 3. *Leva manus tuas in superbias eorum.* Secundo, malignitatem seu malevolentiam: *Quanta malignatus est inimicus in sancto.* Tertio, iactantiam, v. 4. *Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio sole-*

mnitatis tuæ. Quarto, impietatem quam ostendunt: 1. Vexillorum suorum positione in templo, velut in loco profano, vers. 5. *Posuerunt signa sua, signa (et non cognoverunt) sicut in exitu super summum.* 2. Deiectione portarum templi, ut omnibus contra fas pateret, v. 6. *Quasi in sylva lignorum, securibus exciderunt ianuas eius in idipsum.* 3. Effractione rerum sacratissimarum: *In securi et ascia deiecerunt eam.* 4. Iniectione ignis in sanctuarium, v. 7. *Incenderunt igni sanctuarium tuum.* 5. Profanatione vasorum sacrorum et altarium: *In terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* 6. Festorum Deo dicatorum ablatione, v. 8. *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.*

Quarto denique, idem populus se nihil opis a Deo se sentire dolet, quia Primo, nullum miraculum videant, vers. 9. *Signa nostra non vidimus.* Secundo, quia nullus propheta ad eorum auxilium veniat: *Iam non est propheta: et nos non cognoscet amplius.*

ARTICULUS I.

Ierosolymitanæ civitatis reprobatio et afflictio.

5. Vers. 1. In finem, id est, diutissime.

Ex vehementi affectu populus afflictus statim exclamat, v. 1. UT QUID DEUS REPULISTI (Psalterium vetus et Romanum, ac S. Aug. addunt, *nos*) IN FINEM: IRATUS EST FUROR TUUS SUPER OVES PASCUÆ TUÆ? Nota, το *in finem*, sumi potest dupliciter. Primo, q. d. Usque in finem mundi, semper, et per omnia sæcula: ita videtur intellexisse Chaldæus qui vertit, *in sæcula.* Secundo, *in finem*, id est, diu, q. d. Cur nos repellis tam longo tempore, ut nunquam finem inventura videatur hæc afflictio? Longum afflictis videtur tempus, et timent ne finem afflictionis ipsi non videant, sed in ea pereant.

Duratio transmigrationis et desolationis Babylonicæ.

Primo itaque, hæc explicari possunt de captivitate et desolatione Babylonica. Tempus enim transmigrationis a Ierosolyma in Babylonem fuit 81. annorum: nempe ab anno mundi 3436. fundati templi 414. ante Christum 617. quo Iechonias rex cum matre, principibus, et magnatibus, aliisque plurimis abductus est a Nabuchodonosore, usque ad annum mundi 3516. Salathielis 41. ante Christum 537. Tempus vero desolationis templi et urbis, ac tempus captivitatis totius populi duravit annos 70. nempe ab anno mundi 3447. Iechoniæ et transmigrationis 12. ante Christum 606. usque ad annum mundi 3516. quo completa fuit calamitas. Nam anno sequenti Cyrus rex Persarum capta Babylone, libertate Iudæos donavit.

6. Desolatio Ierosolymæ per Romanos semper durabit.

Secundo, hæc repulsio in finem commodissime posset exponi de calamitate a Romanis accepta per Titum et Vespasianum: hæc enim durabit *in finem*, id est, usque ad mundi finem, nunquam enim templum Ierosolymitanum, et regnum Iudæorum restituetur; sed ipsi semper erunt vagi et captivi sine rege, sine templo, sine sacerdote. Hoc prædictum ab Osea cap. 3. 4. putant S. Hier. S. Cyrill. S. Aug. et alii. Verba Prophetæ sunt: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacrificio, et sine altari, et sine Ephod, et sine theraphim.* Per Ephod intelliguntur oracula, quæ reddebantur a sacerdote habente Ephod, id est, superhumerale et vestes pontificias. Per theraphim vero intelligit Cornelius a Lapide idola et simulacra, quæ idololatræ domi habebant, et in dubiis consulebant: sed malim cum S. Hieronymo accipere Cherubim et Seraphim, sive alia, quæ in templi ornamenta iussa sunt fieri. Non enim esset punitio carere idolis. Adde quod Chaldæi mutantes *s* in *t*, pro Seraphim dicunt theraphim. Ieremias agens de eversione templi per Chaldæos, dicit Thren. 2. v. 7. *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ*, id est, sanctuario seu templo suo. Hoc longe verius de templo a Romanis everso, et nunquam restituendo dici potest, a quo etiam angelos eius custodes et præsides demigrasse dicit Iosephus lib. 7. de Bello Iudaico cap. 12. *Festo autem die*, inquit, *quem Pentecostem vocant, nocte sacerdotes intimum templum more* A *suo ad divinas res celebrandas ingressi, primo quidem motum strepitumque senserunt, postea vero subitam vocem audiere, quæ diceret: Migremus hinc.* De maledictione autem divina terribile est, quod deinde refert idem Auctor. Quod autem, ait τουτων φοβερωτερον, his horribilius fuit: Iesus quidam, filius Anani, plebeius et rusticus quadriennio prius quam bellum gereretur, in summa civitatis pace atque opulentia, cum ad festum diem venisset, quo tabernacula in honorem Dei componi in templo ab hominibus mos est, repente exclamare cœpit: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis. Vox in Ierosolymam et templum, vox in maritos novos novasque nuptas. Vox in omnem hunc populum. Atque hæc interdiu noctuque clamitans omnes civitatis vicos circuibat. Nonnulli autem virorum insignium, adversum omen indigne ferentes, corripiunt hominem, multisque verberibus afficiunt. Ille autem neque pro se, neque ad eos qui se mulctabant, secreto quidquam locutus, eadem quæ prius vociferans, perseverabat: Magistratus autem rati, quod erat verum, δαιμονιωτερον ειναι το κινημα, divinum esse hominis motum, ducunt eum ad Romanorum præfectum: ubi plagis usque ad ossa laceratus, neque supplex cuiquam fuit, neque lacrymavit: sed ut poterat inclinans maxime flebiliter vocem ad singulos ictus respondebat: *Væ, væ Ierosolymis.* Albino autem interroganti (is erat iudex) quis esset, vel unde ortus, aut cur ista diceret, nihil retulit. Non prius autem cessavit a luctu miseræ civitatis, quam eum Albinus furere iudicatum dimisit. Ille autem ad belli usque tempus neque adibat quemquam civium, neque loqui visus est; sed quotidie velut orationem quamdam meditatus, *Væ, væ Ierosolymis querebatur.* Sed neque imprecatus est cuiquam, cum in dies singulos mulctaretur, neque victum offerentibus benedicebat; sola autem eius responsio ad omnes erat, triste præsagium. Maxime autem diebus festis vociferabatur, idque *per annos septem et quinque menses continuos faciens*, neque voce raucior fuit, neque lassatus est, donec obsidionis tempore ipsa re perspectis auguriis ipse quievit. Supra murum enim circumiens iterum, *Væ, væ civitati, ac templo, et populo, voce maxima clamitabat. Cum autem ad extremum addidit, væ etiam mihi, lapis tormento missus eum statim peremit, animamque adhuc illa omnia lugentem dimisit:* ita Iosephus. Notabile etiam est, quod contigit eo anno, quo capta est Ierosolyma a Saladino Ægypti Sultano, id est principe ac rege. Nam Guidonis Lusigniani regis cubicularius visus est sibi per quietem videre prægrandem aquilam, septem iacula unguibus uncis gestantem, copias Latinorum circumvolitare, ac vocem huiusmodi humanam emittere: *Væ Ierosolymis.*

Triste illius præsagium.

7. Antiochi persecutio diuturna et barbara.

Tertio, et optime, το *in finem* intellige de persecutione diuturna Antiochi Illustris seu Epiphanis, qui crudelissime Iudæos exagitavit totis annis tredecim, quibus vixit. Primo enim sui regni anno, qui fuit annus mundi 3879. Imperii Græcorum 137. ante Christum 174. Oniam tertium Pontificem, cognomento sanctum, filium Simonis secundi, a Pontificatu deiecit, substituto ei Iasone impio et simoniaco, qui ob id promiserat argenti talenta trecenta sexaginta, et ex reditibus aliis talenta octoginta. Magna hæc inflicta Reip. Iudaicæ plaga. 1. Enim statim Iason ad gentilem ritum contribules suos transferre cœpit; per gentilium ritum intellige adductionem præputii. 2. Ædificari curavit gymnasium Ierosolymis, secundum leges nationum, id est, officinas exoletorum, et fornices scortorum. 3. Sacerdotes elegit, qui cum palæstritis et athletis publice certarent, et eorum instituta æmularentur. 4. Mille viris succinctus Antiochi anno 6. Ierosolymam invasit, et multas civium cædes perpetravit.

Hoc probatur per singulos annos regni eius.

Secundo, Antiochus anno regni sui quarto Menelaum Iasone adhuc tetriorem pseudo-Pontificem creat deiecto Iasone: is autem Menelaus. 2. Mach. 4. 45. dicitur nihil habuisse dignum Sacerdotio, animos vero crudelis tyranni, et feræ belluæ iram gessisse, is primo aurea vasa e templo furatus est. Secundo, Oniam Pontificem per Andronicum occidit. Tertio, ab Antiocho suspensus a Pon-

tificatu ob promissam pecuniam non numeratam, Lysimachum fratrem suum fecit suum vicarium, qui varia sacrilegia in templo et civitate admisit, ut aurum corraderet, sed brevi in seditione peremptus est. Quarto, accusatus apud Antiochum propter scelera, corrupit auro Ptolemæum, qui persuasit Antiocho, ut accusatores illos innocentes morte damnaret.

Tertio, maxime luctuosa clades illata est Ierosolymæ ab Antiocho, anno regni eius septimo, cum post irritam et inutilem in Ægyptum secundam profectionem efferatis animis urbem cepit, et toto triduo octoginta hominum millia interfecit, quadraginta millia vinxit, et quadraginta millia vendidit: ductante Menelao pseudo-Pontifice templum ingressus est ac profanavit, sacra vasa diripuit, pecuniam in templo depositam accepit, et fortasse arcam et tabulas legis.

Quarto, Antiochus anno regni sui octavo in Iudæa reliquit præpositos ad affligendam gentem, Ierosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, a quo constitutus est. In Garizim autem Andronicum et Menelaum, qui gravius quam cæteri imminebant civibus.

Quinto, Antiochus anno regni sui nono, per Apollonium cædibus in Iudæos grassatus est. 2. Spoliavit et incendit Ierosolymam. 3. Eius domos et muros destruxit. 4. Captivos multos cepit. 5. Ingentes pecorum prædas egit. 6. Occidi multos curavit. 7. Templum contaminavit. 8. In fugam compulit multos cives. 9. Mandavit ut a fide deficerent. 10. Edicto vetuit sacrificia. 11. Sustulit dies festos et sabbata. 12. Iussit ædificari delubra. 13. Sustulit delectum ciborum. 14. Prohibuit circumcisionem. 15. Templum Iovi Olympio consecravit, et in eo posuit idolum eius. 16. Libros sacros exussit. 17. Populum ad impias choreas et scelerata Bacchi sacrificia coegit. 18. Mulieres, quod liberos circumcidissent, de muris præcipitavit, infantibus ad ubera suspensis. 19. Philippus fugientes ad speluncas, et die sabbati se non tutantes exussit. 20. Eleazarus ad tympanum seu eculeum distentus verberibus usque ad mortem contunditur, cum esset nonaginta annorum. 21. Septem fratres Machabæi, cum sua matre, dirissimis tormentis cruciantur.

Sexto, anno Antiochi regis decimo Mathathias ad sacrificandum idolis invitatur, sed fortiter resistit: Iudæum sacrificare volentem in civitate Modin, et præfectum ad id cogentem, occidit, et fit dux belli sacri. 2. Perempti sunt ab Antiochi militibus, qui in latebras deserti secesserant, cum die sabbati arma non sumerent, ut vim repellerent, mille in ea clade perierunt.

Septimo, anno Antiochi regis undecimo Iudam Machabæum, qui in pontificatu et ducatu populi successerat, mortuo patri suo Mathathiæ, aggressi sunt cum validis exercitibus; primo, Apollonius dux Cœlesyriæ et Phœnicis; secundo, Seron princeps exercitus Syriæ; tertio, Ptolemæus filius Dorymini, Nicanor et Gorgias, sed hi omnes a Iuda contriti sunt.

Octavo, anno Antiochi regis duodecimo Lysias adducit contra Iudam exercitum virorum electorum sexaginta millium, et equitum quinque millium, sed vincitur.

Nono denique, Antiochus anno regni sui decimo tertio et ultimo, auditis tot cladibus, elatus ira, superbe locutus est; se venturum Ierosolymam, et congeriem sepulcri Iudæorum eam facturum; sed ab ultore Deo percussus occubuit. Ex his vides, quam vere dicatur in Psalmo nostro: *Ut quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?* Præsertim autem hic Psalmus quadrat in annum nonum regni Antiochi, in quo graviora passi sunt Iudæi.

8. Iudæi sub variis imperiis afflicti. Nota. Iudæi passi sunt Primo, ab Assyriis: nempe a Phul, Theglathphalasar, et Salmanasar, qui decem tribus vastaverunt, et in captivitatem abduxerunt: et duæ tribus a Sennacherib multa pertulerunt. Secundo, Chaldæi Ierusalem et templum everterunt, et duas tribus per 70. annos in captivitate detinuerunt. Tertio, Persæ in

A eos quidem mitiores extiterunt, non pauca tamen ab iis Iudæi passi sunt. Quarto, præsertim gravia tolerarunt durante Imperio Græcorum, maxime ab Antiocho et eius posteris. Itaque dicunt: *Ut quid Deus repulisti in finem?* q. d. Semper nos repellis et affligis.

Nota secundo, ab irato Deo hæ clades Iudæis sunt illatæ, istam iram ostendit variis signis. Anno enim Antiochi regis septimo cum secundam profectionem parasset in Ægyptum, contigit per universam Ierosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes, et hastis, quasi cohortes, armatos. Et cursus equorum per ordines, digestos, et congressiones fieri cominus, et scutorum motus, et galeatorum multitudinem gladiis districtis, et telorum iactus, et aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum, ut refertur lib. 2. Machab. 5. v. 1. et seq. Cometæ illi sunt voces Dei suam iram hominibus testantis, ut experti sumus in terrifico cometa virgato, apparente initio Germanicorum bellorum anno 1618. quæ adhuc durant

B hoc anno 1648. hoc est, iam per triginta annos. Sic in ultima Ierosolymorum clade, ut ait Ioseph. l. 7. de Bello Iudaico, cap. 9. supra ipsam urbem αςρον εςη ρομφαια παραπλησιον, *sidus stetit simile gladio, et per annum perseveravit.* Ac paulo post: Ante solis occasum, inquit, visi sunt per inane ferri currus totis regionibus, et armatæ acies tranantes nubila, et civitati circumfusæ. Mitto cætera prodigia. Ad Dei voluntatem et iram, cladem illam referebat Titus, asserens se velut invitum ad eam compelli. Eleazarus Massadæ subsistens, post cladem Ierosolymorum suos ad mortem hortabatur his verbis: Tempus nos adhortatur mortem bono animo, et facile tolerare, *Dei voluntate* et necessario morituros. Olim enim quantum apparet, contra omne Iudæorum genus hoc decretum posuit Deus, ut vita careremus, qui ea non eramus, quemadmodum oportebat, usuri. Non ausim enim nobismetipsis ascribere, neque Romanis gratificari, quod nos omnes eorum bellum absumpserit. Non enim illorum viribus hæc

9. Iudæi variis locis occisi.

C accidere αλλα κρειττων αιτια, sed causa fortior interveniens, illis præstitit, ut vincere viderentur. Ostendit deinde ab omnibus ubique cæsos Iudæos eo tempore. A Cæsariensibus quidem, cum sabbatum celebrarent, omnes cum coniugibus et liberis mactatos esse. A Damascenis in sua civitate octodecim millia cum coniugibus et familiis occisa. In Ægypto perempta sexsginta millia. A Romanis innumeri igne ac verberibus perierunt, alii semesi a bestiis ad secundum earum cibum vivi servati sunt, alii venditi obviis quibusque ad luctuosam diuturnamque servitutem. Pari modo per Alaricum Deus Romam ob peccata vastavit anno Christi 410. Honorii Imper. 16. Theodosii Iunioris 3. Socrates his verbis rem refert lib. 7. Histor. cap. 10. Fertur Monachum quemdam virum pietate præstantem, Alarico Romam proficiscenti obviam factum admonuisse, ne ex tam atrocibus maleficiis, neve ex cæde et sanguine lætitiam caperet. Cui ille respondit: Ego plane invito animo Romam proficiscor. Sed est quidam, qui quotidie, οχει μοι

D βασανιζων, mihi molestiam exhibet, imo vero vi impellit, et sic me alloquitur: Iter capessito, urbem Romam vastato.

Quæres, quid respondebimus dicentibus, *Ut quid Deus repulisti in finem?* Resp. Deum id fecisse, quia tunc temporis multi erant scelerati: unde 1. Machab. 1. 12. dicitur: *In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, et suaserunt multis, dicentes: Eamus et disponamus testamentum cum Gentibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala.* Et 2. lib. Machab. 5. 17. dicunt etiam pii Iudæi scribentes Iudæis in Ægypto habitantibus: *Non considerabat Antiochus, quod propter peccata habitantium civitatem, modicum Deus fuerat iratus, propter quod et accidit circa locum despectio.* Iobi 6.2. peccatum vocatur ira. Ubi enim habemus: *Utinam appenderentur peccata mea;* in Hebræo textu est: *Utinam appendendo appenderetur* כעשי *caisi, ira mea,* q. d. Causa iræ divinæ contra me.

10. Ob peccata sua Iudæi patiuntur.

ARTICULUS II.

Auxilium Dei imploratur commemoratione beneficiorum Dei.

Ut Iudæi afflicti Deum ad benignitatem incitent, commemorant accepta ab eo beneficia.

11. Vers. 2. 1. Pars. Congregatio Dei est Iudæorum synagoga. Primo quidem, quod se in populum unum ipsi consecratum elegerit, v. 2. MEMOR ESTO CONGREGATIONIS TUÆ QUAM POSSEDISTI (alia Psalteria et Cassiodorus, creasti) AB INITIO. Quæres, de qua congregatione loquitur? Respondeo, loqui de synagoga Iudæorum. Unde in Græco est συναγωγης, id est, synagogæ; eam possedit Deus ab initio, quia primus fuit eius Rex ac Dominus. Nam a tempore eductionis ex Ægypto anno mundi 2544. quo Deus Iudæos congregavit in unum populum ab aliis separatum, dat eis leges et magistratus, usque ad annum mundi 2962. ante Christum 1091. Quo Saul in regem electus est, nullus fuit rex qui populum illum regeret; sed Deus ipse erat rex eius, qui præficiebat ipsi duces ac iudices: unde cum populus a Samuele petiit regem, Samueli dixit Deus, 1. Reg. 8. 7. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Bellarminus monet, quod τo *ab initio*, referri posset ad Abraham, qui fuit pater Hebræorum: vel ad Seth, qui cœpit invocare nomen Domini, et cuius filii dicebantur, filii Dei, ad distinctionem filiorum Cain, qui erant filii huius sæculi. Sed recte addit, quod congregatio sive synagoga proprie initium habuit sub Mose.

12. Assidæi erant milites sacri belli. Secundo, licet de tota synagoga hic locus intelligatur, tamen etiam speciatim orant hic Machabæi, et qui ad eos erant congregati ad propugnandam Dei legem, ut suam congregationem conservet, augeat, et contra impium Antiochum eiusque duces et satellites tueatur. De illa congregatione dicitur, lib. 1. Machab. cap. 2. *Tunc congregata est ad eos synagoga Assydæorum, fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in lege.* Assidæi, ut ait S. Thomas et Lyranus, dicti sunt ab assiduitate, quasi assidui in Dei cultu. Secundo, et melius, Assidæi erant Esseni, aut Essenorum affines, et eiusdem cum Essenis instituti et professionis, ut dicit Torniellus et Salianus. Tertio, et optime, Assidæi fuerunt milites belli sacri, qui scilicet pro lege et synagoga nomen dabant militiæ sacræ, quales postea fuere milites templi, ac nunc sunt ordines militares equitum Melitensium, S. Ioannis, S. Stephani, Teutonicorum et similium, qui pro Ecclesia Dei contra Turcas, Saracenos et hæreticos generose depugnant. Cum enim Antiochus satageret evertere Dei legem, templum et synagogam, Deus excitavit Assidæos, qui se militiæ sacræ devoverent, ac pro templi legisque tutela pugnarent, seque omnibus belli periculis ultro offerrent. Id ita esse patet Primo, ex voce *synagoga*, id est, coitus, collectio, congregatio militum pro synagoga tuenda. Secundo, ex voce *fortis viribus*. Tertio, ex voce *voluntarius in lege*, qui scilicet voluntarie ex zelo legem defenderet et propugnaret. Quare Assidæi iunxerunt se Iudæ Machabæo, quasi duci belli sacri, ac eius præcipui fuere milites, per quos tot tantasque obtinuit victorias. Id patet ex lib. 2. cap. 14. 6. *Ipsi*, inquit, *qui dicuntur Assidæi Iudæorum, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt, et seditiones movent, nec patiuntur regnum esse quietum.* Sunt hæc verba hostium, qui Assidæos quasi seditiosos accusabant apud Demetrium regem. Et ex cap. 7. 12. ubi Assidæi, quasi primi cum congregatione Scribarum tractant de pace communi cum Bacchide et Alcimo ineunda. Unde liquet eos fuisse viros in Israel honoratos et primarios: ita Cornelius in 1. Machab. 2. 42.

13. Iudæi cur dicti congregatio Dei? Nota, populus Iudæorum vocatur congregatio Dei. Primo, quia Deus illum ab Ægypto exeuntem congregaverat. Secundo, quia solus in toto orbe Deum verum publicis ritibus et sacrificiis colebat: hinc vocatur populus sanctus, populus peculiaris Dei. Deut. 14. 1. *Filii estote Domini Dei vestri: quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo: et te elegit, ut sis ei in populum peculiarem, de cunctis gentibus quæ sunt super terram.* Et cap. 26. 17. *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis eius, et custodias cæremonias illius, et mandata atque iudicia, et obedias eius imperio: et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius: et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem, et nomen, et gloriam suam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est.* Synagoga Iudæorum olim inter medias gentilium tenebras, velut luna in nocte, effulgebat a Deo sole suo lucem recipiens. R. Simeon relatus, Zohare in Levit. col. 18. Scribitur, ait, honora patrem tuum et matrem tuam. Et scribitur in opere Geneseos: Fiant luminaria in firmamento cæli. Quid hic videtur, nisi ista luminaria sunt pater tuus et mater tua. Pater tuus, hic est sol. Mater tua, hæc est luna. Et non est sol nisi Deus benedictus in sæcula. Scribitur enim: Quia sol et protectio Dominus Deus est. Et non est luna, nisi synagoga Israelis, de qua scribitur Isaiæ 60. 20. *Et luna tua non tolletur.* Et super hoc, omnia unum sunt: ita ille. Nunc vero obscurati sunt Iudæi et excæcati: atque, ut ait S. Chrysost. tom. 1. fol. 444. ὡς κοινη λυμη, και νοσος οικουμενης απασης, velut communis lues et morbus totius orbis.

14. Vers. 2. 2. Pars. Secundo, non tantum Deus congregavit populum suum, sed etiam illum ab hostibus redemit, vers. eod. 2. REDEMISTI VIRGAM HÆREDITATIS TUÆ, quæ est MONS SION, IN QUO HABITASTI IN EO, id est, in quo habitasti: nam τo *in eo* redundat per Hebraismum. S. Hieron. Pagninus et Felix vertunt, *Redemisti virgam hæreditatis tuæ, montem Sion, in quo habitasti.*

Virga hæreditatis. Nota, pro *virgam*, Hebr. est שבט *scebet*, id est, virgam, sceptrum. 2. Regnum, per metonymiam, qua signum ponitur pro re significata: nempe sceptrum pro regno. 3. Tribum: quia Numer. 17. 1. nomina duodecim tribuum inscripta sunt virgis amygdalinis, ut appareret cuinam tribui Deus vellet dare sacerdotium: virga autem Aaronis fronduit, ac flores et fructus protulit: sive, quia sicut ex arbore exoritur virga, ita ex Iacob ortæ sunt duodecim tribus.

Virga igitur *hæreditatis* est sceptrum seu regnum hæditarium. Regnum autem hæreditatis Dei erant Israelitæ et terra promissionis. Hæc enim sibi Deus secreverat in peculium et hæreditatem in toto orbe.

Quæres, de qua redemptione Israelis hic agitur? Resp. primo, Chald. interpretatur de Ægyptiaca. Secundo, et melius, interpretari possis de redemptione per Iudices; hic enim fit mentio montis Sion, qui tunc liberatus est ab hoste, non vero in liberatione ab Ægypto. Tertio, et convenientius, explica de liberatione a captivitate Babylonica: nam tempore Iudicum tenebatur mons Sion a Iebusæis, et illum occupavit David primo anno regni sui super omnes tribus Israel; qui erat annus mundi 2987. ab ingressu Iosue in terram promissam 401. ante Christum 1066. Quarto, adhuc commodius, de illis omnibus liberationibus accipies, ac de aliis multis sub imperio Græcorum: 1. enim Ptolemæus Lagi filius primus rex Ægypti ex Ducibus Alexandri Magni cepit Ierosolymam, et ex Iudæa innumeros captivos in Ægyptum deduxit, quos Ptolemæus Philadelphus reddidit, centum scilicet ac viginti millia. 2. Seleucus frater Antiochi Epiphanis, et qui ante ipsum rex fuerat, miserat Heliodorum, ut spoliaret templum, sed a duobus angelis cæsus Heliodorus desistere ab incœpto coactus est. Mitto cætera Dei erga Iudæos beneficia illorum, aut mox antecedentium temporum.

Nota, Deus habitabat in Siono, id est, in monte Moria, qui erat unus ex verticibus montis Sion. Nam in monte Moria erat templum, in quo erat arca et propitiatorium, ubi erat Deus, id est, angelus Vicarius Dei reddens oracula. Eleazarus cum obsideretur Massadæ, deplorabat eversionem Ierusalem, quæ ait, Deum incolam habere credebatur, ut refert Iosephus lib. 7. de Bello Iudaico c. 24. 15. In Sione Deus habitabat.

Tropolog. In iustis habitat Deus, eosque iuvat et reges facit. Iudæi quamdiu pietatem coluerunt, tamdiu feli- 16 In iustis habitat Deus.

ces fuerunt; cum virtute secessit et felicitas. Primum meditatur Minutius Felix in Octavio: Iudæi, ait, Deum nostrum (idem enim omnium Deus est) quamdiu caste, innoxie religioseque coluerunt, quamdiu præceptis salubribus obtemperaverunt, de paucis innumeri facti, de egentibus divites, de servientibus reges: modici, multos; inermi, armatos; dum fugiunt, insequentes; Dei iussu et elementis adnitentibus, obruerunt: ita ille. In illis scilicet habitans Deus, eos victoriis et gloria illustrabat. Nunc vero in misera et nunquam finienda servitute despecti iacent, quia dæmonum sunt habitaculum. S. Ioannes Chrysostomus tom. 4. homil. 34. Dæmones, ait, ibi habitant, nec in illo tantum loco, sed etiam εν αυταις ψυχαις, in ipsis animis Iudæorum. Eos deinde nominat, ανθρωπους δαιμονωντας, homines dæmoniacos.

Ad Christianos devenit virga seu sceptrum hæreditatis, et quod Deus in illis habitet. S. Augustinus serm. 7. de Verbis Domini: *Filii regni*, ait, Iudæi scilicet. Unde filii regni? Quia legem acceperunt, ad quos Prophetæ missi sunt, apud quos templum et sacerdotium fuit, qui celebrabant figuras omnium futurorum. Quarum enim rerum figuras celebraverunt, præsentiam non agnoverunt. Filii ergo regni ibunt in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. Videmus Iudæos reprobatos, videmus Christianos ab Oriente et Occidente vocatos ad quoddam convivium cæleste, ut recumbant cum Abraham, Isaac et Iacob, ubi panis, iustitia; ubi potus, sapientia. In Ps. 32. ostendit modum quo efficere possimus, ut Deus in nobis habitet: Esto humilis, inquit, et quietus, ut et in te habitet Deus. Clemens Alexandrinus id eventurum ait Iudæis, spiritualibus filiis Abrahæ, id est Christianis. Sic enim lib. 7. Stromat. dicit, pag. 538. *Templum*, unum quidem est magnum, ut Ecclesia: alterum vero parvum, ut homo, qui servat semen Abrahæ. Non concupiscet ergo aliquid aliud, ο εχων αναπαυομενον τον Θεον, qui habet Deum in se requiescentem.

17. Antiochus arcem fecerat in Sione.

Nota, mons Sion seu civitas David occupabatur ab Apollonio duce Antiochi Epiphanis, eamque curaverat ædificari muro magno et firmo, et turribus firmis, et facta est illi in arcem: et posuit illic gentem peccatricem viros iniquos, et convaluerunt in ea, et posuerunt arma et escas, et congregaverunt spolia Ierusalem, et reposuerunt illic, et facti sunt in laqueum magnum, et factum est hoc ad insidias sanctificationi seu templo, et in diabolum magnum in Israel, ut habetur lib. 1. 38. Hoc autem contigit anno Imperii Græcorum 145. ante Christum 166. Antiochi anno 9. qui fuit luctuosissimus Iudæis. Eam arcem frustra obsedit Iudas Machabæus, et alii, usque ad annum Imperii Græcorum 171. Demetrii Nicanoris 5. id est, post annos 27. licet Cornelius ponat tantum annos 23. Eam recuperavit Simon, frater Iudæ et Ionathæ Machabæorum, anno secundo sui Pontificatus seu Ducatus. Successit enim Ionathæ, sicut Ionathas Iudæ.

ARTICULUS III.

Superbos Iudæorum hostes ac sacrilegos punit Deus.

18. Vers. 3.

Filios suos sæpe punit Deus, ut eos ad se redire compellat: sed ubi pulverem terrenum, qui illis adhæserat, excussit, ardentem in rogum virgas proiicit, v. 3. id petunt Machabæi ab Antiocho Epiphane et eius satellitibus afflicti. Dicunt enim: LEVA MANUS TUAS IN SUPERBIAS EORUM: QUANTA MALIGNATUS EST INIMICUS IN SANCTO!

Levamus manus ob multas rationes.

Nota, levamus manus propter multa. Primo, ad gratulandum. Secundo, ad laudandum. Tertio, ad iurandum. Quarto, ad orandum. Quinto, ad prompte et libenter agendum. Sexto, ad vocandum. Septimo, ad protegendum. Octavo, ad opem ferendam. Nono denique, ad feriendum, ut hoc loco; dicitur enim: *Leva manus in superbias eorum.* Levare autem manum in aliquem, est eum percutere, aut saltem percussionem minari et intentari. Dicitur autem, *leva manus*, non manum: ut denotetur: 1. Iræ vehementia. 2. Irruentis impetus. 3. Plaga impiis ex omni parte adveniens, quam vitare non possint in quamcumque partem se vertant. Tropol. ut notetur punitio in hac et in futura vita. Sed id non petunt viri pii, licet prædicant. Tales autem erant Machabæi, quibus hic Psalmus aptissime convenit.

Nota secundo, *superbiæ* sunt Primo, et convenientissime, actus externi ab interna superbia prodeuntes. Secundo, varii gradus superbiæ. S. Gregor. 33. Moral. 7. assignat quatuor gradus, et S. Thom. 2. 2. q. 162. art. 4. dictum eius explicat et approbat. S. Bernard. tract. de grad. humilit. assignat duodecim. Adverte autem Machabæos petere, ut Deus levet manus *in superbias*, non vero in superbos: quia viri iusti postulant et optant peccata destrui, non ipsos peccatores; vel certe, hostes eorum ita erant superbi, ut superbia esse viderentur. Sic metonymice sumetur abstractum pro concreto. Antiochi Epiphanis superbia, patet 1. in cogitatione. Nam ut habetur 2. Mach. 5. 21. existimabat se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem; 2. superbia eius patuit in locutione, 1. Mach. 1. 25. *Locutus est in superbia magna;* 3. denique, in actione, intrando in templum, in quod nullus præter Sacerdotes intrabat, illud spoliando et polluendo, Deum se prædicando, atque ut Deum adorari curando. 1. Mach. 1. 23. *Intravit in sanctificationem cum superbia.* Levavit autem Deus manum in superbiam eius, id est, in eum qui erat superbus, ut docet auctor lib. 2. Machabæorum (qui fuit alter ab auctore libri primi) ait enim cap. 9. 8. *Is qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus: et montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans, ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius et fœtore exercitus gravaretur. Et qui paulo ante sidera cæli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* Primo autem Deus percussit ac deiecit superbiam cogitationis. Sequitur v. 11. *Cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga.* Secundo, Deus deiecit superbiam locutionis, ait enim v. 12. *Iustum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire.* Tertio, Deus deiecit superbiam actionis. Mira enim se facturum pro Iudæis pollicetur, v. 14. et seq. De Mathathia, qui significat donum Dei, et filiis eius Machabæis dicitur 1. Mach. 2. 48. *Non dederunt cornu peccatori*, id est, Antiocho, cuius cornu, id est, superbiam contriverunt. Daniel in bestia quarta terribili dicit enatum cornu modicum in medio decem aliorum cornuum; de Antiocho Epiphane id explicat Porphyrius; de Turca, Vatablus; de Antichristo, S. Hier. et melius. Generatim de omnibus dicitur, Ps. 74. 14. *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua iusti.* S. Zeno serm. 1. Ps. 130. Animæ depressio, ait, cor elatum est. Albertus serm. de Conversione S. Pauli vocat superbiam morbum caducum. Herodes Agrippa, filius Aristobuli, filii Herodis Ascalonitæ, regis nomen a Caio Caligula consecutus, qui S. Iacobum decollaverat, et ut placeret Iudæis, S. Petrum in carcerem coniecerat, vestitus veste regia, sedit pro tribunali in urbe Cæsarea: concionanti ad populum, acclamabant omnes: *Dei voces, et non hominis! Confestim autem eas voces non reprimentem, sed in iis sibi applaudentem percussit angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo: et consumptus a vermibus, expiravit*, Actor. 12. Colomannus rex Hungariæ ira et superbia elatus, Iadram Dalmatiæ caput, incendio perdere decreverat: sed a S. Nicolao graviter cæsus a proposito abstitit vel invitus. Bonfinius id narrat lib. 5. Histor. Ungar. decad. 2. fol. 244. Dum, ait, hæc animo volveret, ecce divus Nicolaus Iadrensis quondam Episcopus in somnis apparet, truci hunc vultu crinibus corripit, correptumque huc et illuc distrahit, *aureis quoque virgis cædit*, terga miserabiliter inscribit, et

19. Superbia Antiochi repressa.

Et Herodis.

Et Colomanni.

atrociter interminatur, ne quid mali in Iadrenses, qui sub nominis sui tutela vivunt, hoc tempore moliatur. Rex exacto somnio, adhuc metu perculsus, et admodum pulsatus, membra circumspicit, an vera hæc forent insomnia, inspecturus: cuncta veluti vibicibus inscripta, ac livida intuetur, itaque a proposito desistit. In Psal. nostro pro *superbias*, Hebr. est משׁאות *masciuoth*, id est desolationes, ut

20. Superbia omnia vastat. vertit Pagnin. ruinas, ut Felix: vastationes, ut Campensis, elevationes, ut alii. Elevatio terrena et superba, est desolatio, vastatio et ruina, tam activa, quam passive: quia et vastat ac deiicit; et vicissim vastatur et corruit. Hebraica vox רהב *rahab*, qua utitur Isai. cap. 30. v. 7. significat, 1. superbiam; 2. tumorem. Maris, Iob. 26. 12. 13. Ægyptum, Isaiæ 51. 8. 9. Nilus comparat superbum Bullæ, id est tumori enascenti in aqua cum bulliit, aut cum pluit. Verba eius sunt, orat. 8 de Superbia: *Bulla*, inquit, *fracta, evanescit, et superbi memoria deperit.* Ægyptus quoque, id est, mundi splendor et ornatus cito concidit. Isaias præmonet Iudæos futuros post 150. annos tempore Ieremiæ, ne in Ægyptum fugiant timentes Chaldæos post excisam Ierosolymam præfectos Iudææ. Sic autem loquitur cap. 30. v. 7. *Ægyptus frustra et vane auxiliabitur: ideo clamavit super hoc superbia*, (Hebr. rahab) *tantum est, quiesce;* id est, noli eo fugere, sed mane in domo tua et patria.

21. Qualis porro sit hæc hostium Dei superbia declaratur: nam in templum eius et sacra omnia insurrexerunt.

Primo enim generatim cum admiratione, dolore et indignatione Machabæi, dicunt vers. eod. 3. *Quanta malignatus est inimicus in Sancto?* id est in sanctuario, seu templo. Inimicus ille præsertim est Antiochus Epiphanes, de quo dicitur lib. 1. Machab. 1. 22. et seq. *Ascendit Antiochus Ierosolymam in multitudine gravi,* id est cum valido exercitu, *et intravit in sanctificationem, id est, in templum cum superbia, et accepit altare aureum, et candelabrum luminis, et universa vasa eius, et mensam propositionis, et libatoria, et phialas, et mortariola aurea, et velum, et coronas, et ornamentum aureum, quod in facie templi erat: et comminuit omnia: et accepit argentum, et aurum, et vasa concupiscibilia: et accepit thesauros occultos quos invenit, et sublatis omnibus abiit in terram suam:* cap. 2. 8. dicitur: *Templum eius, sicut homo ignobilis.*

22. Secundo, sigillatim hostium Dei persequentes scelera

Vers. 4. Machabæi qui hic loquuntur dicunt v. 4. ET GLORIATI SUNT (Hebr. rugierunt. Superbi enim eunt leonibus similes) QUI ODERUNT TE, IN MEDIO SOLEMNITATIS TUÆ, id est in medio templi, dum sacra solemnia fierent. Hebr. מועד *moed*, significat primo, tempus conventus, congregationis et solemnitatis; secundo, locum eius: tertio, ipsam solemnitatem. Chaldæus explicat de solo paschatis die. Ex hoc loco, ait Bellarminus, deducunt aliqui psalmum hunc esse intelligendum de Tito et Vespasiano, quoniam obsidere cœperunt Ierusalem in solemnitate paschali. Sicut enim Iudæi Christum occiderant in Paschate, sic et ipsi occisi sunt in Paschate. Sed hæc ratio non convincit: tum quia non constat de qua solemnitate loquatur hoc loco David: nam multæ erant solemnitates Iudæorum: tum quia Titus et Vespasianus non oderant Deum Iudæorum, quem non noverant; sed oderant Iudæos factiosos et rebelles: et sine dubio non everterunt Ierusalem propter odium Dei, sed propter odium Iudæorum: quod idem dici potest de rege Babylonis. Antiochus autem Deum Iudæorum oderat, et cæremonias legis, et conabatur omnes Iudæos pervertere, et inducere ad cultum idolorum, ut patet 1. Machab. 1. Itaque de Antiocho, et militibus eius, proprie hic locus intelligitur: ita ipse. Ubi nota, diebus celebrioribus eniti dæmonem, ut graviora scelera perpetrentur, sicut patet in vesperis Siculis, in quibus anno 1282. Christi, Rudolphi Imper. 9. Martini Papæ Quarti 2. proditione Prochytæ omnes omnino Galli, viri, fœminæ, pueri, omnis ætatis, sexus ac conditionis, Sacerdotes, Religiosi omnium Ordinum occisi sunt, uno excepto Guilielmo Porcelleto nobili Provinciali, qui communi prohibitatis

A opinione incolumis in patriam dimissus est. Exenteratæ quoque Siculæ mulieres, quæ a Francis in uxores acceptæ fuerant, ne quid Francici nominis superesset: octo hominum millia perierunt duarum horarum spatio. Spondan. vide tom. 1.

Tertio, arrogantiam impiam hostium Dei et suorum declarant, v. 5. POSUERUNT SIGNA SUA, SIGNA ET NON COGNOVERUNT, SICUT IN EXITU SUPER SUMMUM, id est, in suprema parte portarum vel turrium civitatis, ait Bellarm. Secundo, et melius, super summum, id est in suprema templi parte ac pinnaculo. Quæres, quæ signa ibi posuerint? Resp. primo, Agellius per signa intelligi auguria, auspicia, omnia portenta. Sed id non arridet. Secundo, probabilius alii signa illa putant esse statuas et idola in templo posita. Nam Theophylactus et Euthym. in cap. 24. Matth. dicunt, Titi Imp. imaginem in templo fuisse positam. Antiochus Epiphanes posuit idolum Iovis Olympii super altare holocaustorum, ut dicetur infra. Tertio, et optime, *signa* sunt vexilla, quæ victores solent inferre in locum devictum. Quan- 23. Vers. 5. Vexilla paganorum horrebant Iudæi.

B to autem odio Iudæi prosequerentur illa vexilla paganorum, ob idola ibi depicta, semper patuit. Lege Iosephum lib. 2. de Bello Iudaico, cap. 8. ubi refert, quid fecerint Iudæi, cum Pilatus in Ierusalem intulisset imaginem Tiberii Cæsaris. Missus, inquit, a Tiberio in Iudæam Pilatus, cum curandam accepisset regionem, nocte intempeata opertas in Ierusalem intulit imagines Cæsaris, quæ res post triduum ingentem inter Iudæos excitavit tumultum. Nam qui aderant stupore moti sunt, quasi πεπατημενων αυτοις νομων, iam profanatas leges suas viderent. Nullum enim fas erat collocari in urbe simulacrum. Ad querelam autem eorum qui in civitate erant, subito etiam ex agris multitudo confluxit. Euntes autem illico ad Pilatum, intentissime deprecabantur ut ad Ierosolymis auferrentur imagines, et eis iura patria servarentur. Pilato autem supplicantibus abnuente, circa domum eius proni corruerunt, et immobiles quinque diebus continuis noctibusque mansere. Post autem, Pilatus tribunal ascendens, studio ma- Et statuas ipsorum imperat.

C gno convocat multitudinem Iudæorum, quasi eis veliet dare responsum: cum subito milites accepto signo (sic enim iam fuerat præparatum) armati circumsteterunt Iudæos; circumdederuntque triplici acie. Iudæi quidem stuporis erant pleni, videntes insperatam rerum faciem. Tunc Pilatus denuntians trucidaturum se omnes, nisi imagines Cæsaris susciperent, annuit militibus ut educerent gladios. Iudæi autem quasi uno consilio omnes subito corruerunt, et cervices nudatas excipiendis ictibus pararunt, vociferantes universos se interfici magis velle, quam legem profanari. Tunc Pilatus circa Religionem studium populi demiratus, confestim ab Ierosolymis statuas iussit auferri. Idem auctor lib. 17. Antiquitat. cap. 8. et lib. 1. belli sacri, cap. 21. refert, audax et præclarum iuvenum facinus aquilam auream ab Herode supra maiorem templi portam collocatam claro meridie deiicientium. In psalmo nostro repetitio illa, *Posuerunt signa sua, signa*, denotat vehementiam doloris, et indignationis.

Quarto, contemptum rerum sacrarum in hostibus Dei 24.

D aperiunt vers. 6. QUASI IN SYLVA LIGNORUM SECURIBUS EXCIDERUNT IANUAS EIUS IN IDIPSUM (hoc est, simul, unanimi consensu, et impetu) IN SECURI ET ASCIA DEIECERUNT EAM, Ierusalem, ait Bellarminus. Secundo, et melius, eam, id est congregationem, de qua locuti sunt supra: hoc est, locum congregationis, nempe templum, in quo populus ad sacrificia et preces congregabatur. Vers. 6.

Nota, pro *exciderunt*, Hebr. nunc est ועת *vehat*, cum puncto chetib, id est scriptionis, quod denotat esse aliquem errorem, et aliter scribi, aliter legi. S. Hieron. vertit, *et nunc:* ita etiam Pagn. Felix, Arias, qui legerant *veattah*. Bellarminus censet legi posse עות *avath*, transponendo solum primam litteram in secundum locum. Significat enim *avath* invertere sive evertere, et pervertere, et sensus erit, q. d. Quasi in sylva lignorum evertit, hostis scilicet, ianuas eius in idipsum: id est simul et coniunctim: ita ipse. Malim tamen legere vel חתו *chattu*, id est contri-

verunt, a Rad. חתח *chathath*, convertere: vel פתו *patu*, id est frustatim conciderunt, a Rad. פתח *pathath*, id est frustatim concidere, diffringere.

25. Portæ templi Ierosol. erant ornatæ.

Nota secundo, Bruno Carthusianus advertit, Davidem meminisse portarum, quia magis ornatæ partes templi erant. Claudus a S. Petro sanatus ponebatur quotidie ad portam templi, quæ dicebatur Speciosa, a specie et pulchritudine. Hæc enim, ait Cornelius, a Iosepho lib. 15. Antiquitat. cap. 14. describitur inter decem atrii portas pulcherrima, quam proinde Baronius anno Christi 34. censet esse illam, quæ ab eodem Iosepho Corinthia nuncupatur: eo quod ex ære Corinthio, quod apud veteres præstantissimum et laudatissimum erat, fabricata esset: quæ multum, ait Iosephus, cæteras portas argento inclusas, et inauratas decore et honore superabat, quia crassiori argento et auro vestiebatur: quod quidem novem portis infuderat Tiberii pater Alexander. Zozimus tradit, fores Capitolii Romæ auratas fuisse, et crassis auri laminis obductas, usque ad tempus Honorii Imperatoris. Cicero orat. 4. in Verrem dicit, Syracusani templi valvas magnificentissimas fuisse ex auro et ebore. Virgilius l. 6. Æneid. ait, cælatas eleganter fuisse a Dædalo fores templi Chalcidici. Quid autem fecerit Antiochus Epiphanes portis templi Ierosolymitani, et cubiculorum ibi constructorum in atrio pro habitatione Sacerdotum, et pro vasis et supellectili templi, habes lib. 1. Machab. cap. 4. v. 38. ubi de Iuda Machabæo, et eius sociis purgantibus, templum post victoriam de Lysia reportatam, dicitur: *Viderunt sanctificationem desertam* (id est, templum) *et altare profanatum, et portas exustas, et in atriis virgulta nata, sicut in saltu in montibus, et pastophoria diruta.* Pastophoria erant cubicula Sacerdotum, in quibus ipsi habitabant, et omnia quæ ad usum templi erant necessaria reponebant. Hinc gazophylacia etiam vocabantur, et thalami, et exedræ, quod in illis essent sedes ad sessionem et quietem; παςος significat thalamum.

26. Tropol. Ianuæ templi sunt Prælati, quos dæmones aggrediuntur et excidunt securibus, id est gravibus tentationibus: et ascia, id est minoribus tentationibus: ita Hugo. Item, portæ templi, id est, mentis nostræ sunt sensus externi et interni. S. Chrysost. hom. 30. in Ep. 2.

Ianuæ sunt sensus nostri.

ad Corinthios: *Templum Christi sumus,* ait, *igitur vestibula templi et ingressum osculemur: illi quidem genu flectentes, alii autem manum contingentes, et ori manum admoventes. Per has etiam ianuas ac portas, et ingressus est, et ingreditur ad nos Christus, quando communicamus; scitis qui mysteriorum participes estis, quid dicatur: etenim non vulgarem honorem consecutum est os nostrum, accipiens corpus Domini, cum propter hoc maxime id*

Os diligenter servandum.

osculamur. Audiant qui fœda loquuntur; qui convicia proferunt, et horrescant quod tale os polluunt. Audiant, qui fœde osculantur: ita ipse. Vir fortis templum illud Dei generose custodit. Clemens Alex. lib. 7. Strom. pag. 529. Terrestris, ait, divinæ virtutis imago, est anima cognitione prædita, perfecta virtute exornata, ex his omnibus simul, natura, exercitatione, et quæ simul cum eo crevit ratione. Τουτο καλλος ψυχης, νεως γινεται αγιου πνευματος, hac pulchritudine anima fit templum Spiritus sancti, quando dispositionem Evangelio consentientem per totam vitam habuerit. Qui est eiusmodi, insurgit adversus omnem metum, omne periculum, et quidquid est formidabile, non solum mortem, sed etiam paupertatem, et morbum, et ignominiam, et quæcumque sunt huius generis, ut qui a voluptate vinci nequeat, ac rationis expertibus dominetur cupiditatibus: ita Clemens.

27. Vers. 7. Quinto, rabiem et amentiam hostium Dei declarat, v. 7. INCENDERUNT IGNI SANCTUARIUM TUUM, IN TERRA POLLUERUNT TABERNACULUM NOMINIS TUI, id est tuum. Nomen enim metonymice ponitur pro re nominata. 2. Tabernaculum nominis tui, id est in quo invocatum est nomen tuum, ut vertit Chaldæus.

Templi portæ incensæ ab Antiocho.

Nota, Antiochus Epiphanes Sanctuarium, seu templum incendit, non totum, sed portas eius, sicut habetur 1. Machab. 4. 38. probabile etiam est quod alia etiam cremavit, puta sacras vestes, tabulas legis, aliaque. Hebr. id indicant, quæ habent: Miserunt in ignem sanctuaria tua. Potest esse hypallage frequens Hebræis. Multi hunc locum exponunt de templo incenso a Chaldæis, vel Romanis: ubi illud notabile accidit, et Iosephus refert lib. 7. de bello Iudaico, quod templum a Romanis incensum est 10. die mensis Augusti, qua die prius a Chaldæis fuerat concrematum. Hoc autem contigit anno a Nativitate Christi 72. ab eius Passione 38.

Et templum pollutum.

Secundo, Antiochus Epiphanes polluit templum, 1. In eo collocando idolum Iovis Olimpii. 2. Luxuria. 3. Comessationibus gentilium. 4. Sacra loca et adita aperiendo ipsis mulierculis. 5. Victimas illicitas offerendo. Sic Adrianus Imperator anno Christi 137. Imperii sui 18. Sixti Papæ 6. polluit speluncam Bethlehemiticam, in qua natus erat Salvator, ponendo ibi idolum et templum Adonidis pueri, quem ob formæ excellentiam Venus in deliciis habuit. Polluit etiam locum Passionis simulacrum Iovis ibi consecrando. Sic Ieroboam posuit vitulum aureum in Bethel, loco celebri et sacro ob visionem Dei, in scala exhibitam Iacobo Patriarchæ: unde locus ille nuncupatus est *Bethel*, id est *domus Dei:* sed de Bethel fecit Bethaven, hoc est domum iniquitatis et idoli. Sic alii posuerunt idola in Galgalis, in Bersabee, et aliis sacris locis. Tropolog. ut iam dictum est, templum Dei est anima nostra. Origenes hom. 5. in Numer. Alii, ait, sunt mensa sacra: quinque habent panes Dei, et reficiunt pascuntque animas esurientes iustitiam. Alii sunt altare incensi, quicumque orationibus ac ieiuniis die ac nocte vacant in templo Dei, orantes non solum pro semetipsis, sed pro universo populo, etc. ita Origenes. Polluitur illud templum primo, iniquis et fœdis cogitationibus; secundo, malis affectionibus; tertio denique, depravatis actionibus. Inceuditur autem ardore luxuriæ, et iræ, aut cuiuslibet cupiditatis. S. Chrysost. hom. 10. Peccatum, ait, pyra quædam est. Iob 31. 12. *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Xanthios horremus, qui bis parentes suos, liberos et uxores præ ira et desperatione occiderunt, urbemque suam concremarunt; et parum de nobis solliciti ignem quotidie in sanctuaria nostra conificimus, hoc est in animas nostras.

Sexto denique, impietatem hostium Dei ostendit, qui festa eius omnia impediant et tollant, v. 8. DIXERUNT IN CORDE SUO COGNATIO EORUM SIMUL: QUIESCERE FACIAMUS OMNES DIES FESTOS DEI A TERRA. Nota, pro *quiescere faciamus,* Hebr. est שרפו *sarephu*, id est *incendamus*, unde aliqui codices Græci habent, κατακαυσωμεν, comburamus. Sed Septuag. sensum non verba reddentes verterunt, καταπαυσωμεν, hoc est quiescere faciamus. Festa enim non incenduntur, sed cessant et tolluntur. 28. Vers. 8.

Festa varia Iudæorum.

Nota secundo, Iudæorum festa erant varia. Primo, singulis hebdomadis erat sabbatum. Secundo, singulis mensibus erat Neomenia, clangore tubarum et sacrificiis solemnis: non erat tamen proprie festum, quia non cessabatur ab opere servili. Tertio, singulis annis erat, 1. Pascha. 2. Pentecoste. 3. Festum tubarum. 4. Dies expiationis sive propitiationis. 5. Festum tabernaculorum. 6. Festum cœtus sive collectæ, quod erat octava festi tabernaculorum, in qua populus iterum colligebatur, id est congregabatur ad agendum Deo gratias, quod eum per quadraginta annos in tabernaculis commorantem aluisset. Hoc festum erat solemne, ideoque vocatur a S. Ioan. c. 7. 37. *Dies magnus festivitatis.* Hæc omnia festa erant instituta a Deo; Iudæi alia quatuor addiderant. Primo, festum sortium, die 15. Adar, id est Februarii, in memoriam liberationis Iudæorum a furore Aman, Esth. 9. 17. et sequ. Secundo, festum encæniorum sive purgationis templi, quæ facta est a Iuda Machabæo anno Pontificatus et Ducatus sui 2. Antiochi regis 12. Tertio, festum recepti ignis e cælo, Nehemia sacrificante, 2. Mach. 1. 18. Quarto denique, festum ob cæsum Nicanorem, 1. Mach. 7. 49. Hæc omnia festa aboleri iusserat Antiochus, ut Re-

ligionem omnem tolleret, et Iudæos ad idola colenda traduceret. 1. Enim misit Apollonium cum viginti duobus militum millibus, qui omnes procedentes ad spectaculum, id est, ad spectanda sacrificia die sabbati fieri solita, trucidavit. 2. Misit senem, id est, Senatorem Antiochenum, qui impediret sabbati celebrationem, et dierum solemnium. 3. In Liberi seu Bacchi sacris cogebantur hedera coronati Libero circuire, hoc est circa altaria saltare. 4. Qui sabbati diem celebrarunt a Philippo flammis sunt succensi, ut patet 2. Machab. 5. et 6.

29. Dæmon tollit sabbatum ab anima. Tropol. Dæmon ab anima peccatrice omnia festum tollit, sicut Antiochus a Iudæis. S. Macarius hom. 28. Sicut, inquit, Deus olim infensus Iudæis tradidit Ierusalem in spectaculum hostibus, et dominati sunt in eos qui oderant illos: nec erat amplius ibi festum, neque oblatio. Sic etiam iratus animæ propter transgressionem mandati tradidit eam hostibus, dæmonibus, et affectionibus: qui cum seduxissent eam, penitus deleverunt, και ουκετι ην εκει ουτε εορτη, ουτε θυμιαμα, neque amplius illic erat festum, neque oblatio per eam Deo offerebatur, repletis in viis insignibus eius diris feris, ac reptilibus, spiritibus in eadem diversantibus. S. Aug. in Ps. 91. *Intus est*, ait, *in corde est sabbatum nostrum: multi vacant membris, et tumultuantur conscientia. Omnis homo malus sabbatum habere non potest. Nusquam enim conquiescit illius conscientia, et necesse est ut in perturbationibus vivat. Cui autem bona est conscientia, tranquillus est, et ipsa tranquillitas sabbatum est cordis:* ita ipse. Sabbatum Hebr. significat quietem. S. Chrysost. festum bonæ conscientiæ, et miseriam malæ, egregio simili declarat homil. de his qui ad festa

30. Conscientia bona est festum. concurrunt: *Maximum*, ait, *festum est conscientia bona: sicut in externis festivitatibus is, qui nec vestem habet, qua induatur, splendidam: nec mensam qua fruatur lautam: sed vivit in paupertate, fame, et extrema miseria, non afficitur festo die, etiamsi universum orbem choreas agitare videat, sed hac ipsa de causa magis angitur et dolet. Dives vero delicatus, mutatoriis vestibus abundans, et in summa prosperitate vivens, etiam extra festiva tempora festum agere sibi videtur: ita et spiritualibus usuvenit: qui enim vivit in iustitia, et operibus bonis, vel absque festo festum agit, synceram voluntatem ex bona conscientia percipiens: qui vero in peccato et malitiosam vitam degit, multorum malorum sibimet conscius, etiam cum maxime festum est, festo caret quam maxime:* ita Chrysost.

ARTICULUS IV.

Iudæos et peccatores Deus derelinquit.

31. Vers. 9. Aspicit Deus cum favet. Cum trepidi Iudæi ab Antiocho Epiphane afflicti malis undique obruerentur, cælum suspiciebant, et ex omni parte in terra viros sanctos ac Prophetas quærebant, si forte aliquid spei alluceret, sed surda erant omnia, donec Machabæi vexillum pietatis erexerunt, qui etiam gravia passi sunt et dicunt, vers. 9. SIGNA NOSTRA NON VIDIMUS, IAM NON EST PROPHETA (S. Hieron. non est ultra Propheta) ET NOS NON COGNOSCET AMPLIUS, Propheta scilicet: ita Iansonius; et melius, nos non cognoscet amplius Deus. Non cognoscit porro Deus, quando negligit, quando non favet, ac punire non desinit. Cognoscere vero et aspicere dicitur, cum iuvat et favet, beneficiisque afficit. Sic Psal. 31. 19. ait David: *Oculi Domini super metuentes eum, ut eripiat a morte animas eorum, et alat eos in fame.* Quæ Salvianus considerans lib. 2. de Providentia Dei: Ecce, ait, cur aspicere iustos homines Deus dicitur, utique, ut conservet et protegat. Aspectus enim divinitatis propitiæ, munus est conservationis humanæ: ita ille. Vidit Iesus Nathanaelem sub ficu, et ad se vocavit innocentem, Ioan. 1. 48. vidit Matthæum in telonio, et traxit ad se peccatorem, Matth. 9. 9. Iudæos vero Deus non respicit, nec sol iustitiæ eos radiis suis illustrat. Tertullian. lib. adversus Iudæos, cap. 1. Exinde, ait, destitit

apud Iudæos Dei gratia: et mandatum est nubibus, ne pluerent imbrem super vineam Sorech: id est, cælestibus beneficiis, ne provenirent domui Israel. Fecerat enim spinas, ex quibus Christum coronaverat: et non iustitiam, sed clamorem, quo in Cruce eum extorserat: et ita subtractis charismatis prioribus, Lex et Prophetæ usque ad Ioannem fuerunt: et piscina Bethsaida usque ad adventum Christi curando invaletudines ab Israel, desiit a beneficiis, deinde ex perseverantia furoris sui: hæc Tertullianus. Nunc, ut ait S. Gregor. Naz. Orat. 12. μια στηλη ιουδαιοις συμφορας η οικουμενη πασα, una Iudæis calamitatis columna totus terrarum orbis est, per quem varie sparsi fusique sunt, divinusque cultus compressus et extinctus, ipsumque adeo Ierosolymitanæ urbis solum, quod vix iam agnoscitur, et hactenus dumtaxat illis patet, idque solum fructum ex vetere sua gloria et amplitudine capiunt, ut per diem conspicui facti solitudinem lugeant: ita Gregor. alludens ad id, quod Adrianus Imper. fecit anno Imperii sui 18. Nam Aristo Pellæus narrat, Iudæis universis ex illo tempore prorsus interdictum, ne pedem in agrum Ierosolymitanum inferrent, et ne ex edito loco paternum solum aspicerent. Semel in anno id postea est permissum.

Nota, populus Iudaicus, sive Machabæi, vocant *signa sua,* miracula quibus Deus significabat se habere curam populi sui, et velle eum liberare a tyrannide at oppressione hostili. Sic Moses petiit et impetravit signum: nam virga pastoritia quam manu tenebat, in terram proiecta in colubrum versa est, ab eo resumpta iterum pristinam formam resumpsit: manus eius leprosa extitit, et statim sanata est, Exod. 4. Gedeon ab angelo monitus fore ut liberaret Israelitas a Madianitis, quibus servierant iam septem annis, signum victoriæ a Deo petens accipit rorem in solo vellere, et mox siccitatem in eodem solo vellere, Iudic. 6. Tempore autem Machabæorum, saltem ante annum decimum regni Antiochi signa et miracula non contigerunt, postea astiterunt angeli Iudæ Machabæo, et gladium ei dedit dudum vita functus Ieremias. 32. Signa liberationis data populo.

Nota secundo, in captivitate Babylonica fuerunt Prophetæ Daniel et Ezechiel in Babylone, anno 5. transmigrationis Ioachin sive Iechoniæ, cum quo captivus abductus fuerat: prophetavit autem annis 22. nempe usque ad annum 27. Ioachin, ante Christum 610. quo cœpit prophetare Daniel, ut aliqui volunt, prius tamen spiritu afflatus prophetico liberavit Susannam, ut etiam ipsi fatentur. Ieremias, et ante excidium Ierosolymæ, et aliquot annis post illud prophetavit Ierosolymis et in Ægypto. Quando Romani everterunt Ierosolymam, erant varii Iudæi fidem Christianam amplexi qui prophetabant. Sed cum Antiochus persecutionem excitavit, nulli leguntur Prophetas extitisse. Itaque de eo tempore optime dicitur: *Iam non est Propheta.* Gloriabantur plurimum suis Prophetis Iudæi, et in Chronologia maiori, cap. 21. iactant, quod *nulla urbs erat in Israel, quæ non haberet Prophetas.* Oculi erant populi, et oratores Dei: itaque eorum ductu regebatur populus, et Deus oracula sua reddebat, illis ablatis, cæci instar et informis cadaveris, iacebat sine oculis Respublica, quæ videntem non haberet, a quo duceretur. Philo lib. de præmiis et pœnis Prophetas vocabat interpretes Dei, et lib. de Gigantibus, homines Dei. Verba eius sunt, pag. 227. ubi illud Gen. 6. 4. versans, *Gigantes erant in terra illis diebus,* sic ait: *Edocet te alios esse terræ, alios cæli, alios Dei homines. Terræ quidem, eos qui venantur voluptates corporis, et harum usumfructum, quærendo undecumque singulorum materiam. Cæli autem, eos qui tenent artes et scientias, aut eas sectantur. Quod enim nostri cæleste est, mens est: quæ et motus cæli considerat, et in reliquis exercet se artibus liberalibus, acumen intelligendis huiusmodi rebus sibi comparans. Dei vero homines, Sacerdotes et Prophetæ sunt, quorum maior est dignitas, quam ut se misceant humanæ Reipublicæ, et mundi cives sint: sed sublimiores omnibus rebus sensibilibus* εις νοητον κοσμον μετανιστανται, *migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, ascripti* 33. Prophetæ apud Iudæos magno in honore.

Reipubl. idearum incorporearum et incorruptibilium: ita Philo. Ex Prophetiæ ablatione a Iudæis, adventum Christi probat S. Iustinus dialogo in Triphonem.

34. Crux est signum, quod nobis imprimamus. Tropol. Signum nostrum, quod in nobis imprimere, et aspicere debemus, est crux Christi, et ipse Christus. Ezech. 9. v. 4. *Signa*. Syr. et Arab. signa, signaculum, *super frontes virorum gementium, et adolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt*. De crucis desiderio vide ibi multa apud Cornelium: signum illud multis imprimit Deus, sed ipsi non aspiciunt, et oculos indignabundi avertunt: tu illud vide, adora, ama, amplexare, exosculare, exuge. Signum tuum sit Iesus crucifixus, in eo gloriare, sicut Paulus Galat. 6. 14. Hunc solum scire se dicebat, 1. Corinth. 2. v. 2. Vult poni signaculum super cor, et super brachium; id est, in affectione et operatione, Cant. 8. 6. Hoc S. Petrus Damiani sic explicat Opusculo 50. cap. 3. *Quisquis*, inquit, *Christum quasi amat, sed operari bona* A *dissimulat, iam quodammodo sponsum super cor signaculum posuit, sed super brachium omnino non posuit: Quisquis vero bonis operibus videtur intentus, sed a divini amoris torpet incendio frigidus: iam iste sanctitatis imaginem super brachium posuit, sed adhuc in corde Christi signaculum non expressit. Ut ergo sancta anima Christi charactere utrobique signetur, eum in corde suo signaculum ponat, ut amoris eius facibus medullitus inardescat. Ponat etiam consequenter in brachio, ut piis operibus violenter insistat. Signaculum Paulus in corpore suo, velut in brachio Iesum posuerat, cum dicebat, ad Galat. 6. v. 17. Ego stigmata Iesu in corpore meo porto. Signaculum super cor Iesum posuerat, cum alibi ad Gal. 6. gratulabundus aiebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo; cuius sane stigmata expressa gerebat in corpore, cuius se signaculum habere gloriatur in mente.*

SECTIO SECUNDA.

35. *Tria complectitur. Primo, exponit querelam populi de dilata vindicta impiorum, cum Deum ipsum blasphement, vers. 10. Secundo, describit Dei supremam in omnia potestatem, vers. 12. Tertio denique, orat ut potentiam illam in impios exerat, vers. 18.*

PARAPHRASIS.

10. *Usquequo Deus improperabit inimicus: irritat adversarius nomen tuum in finem?*	10. Quamdiu Domine Deus patieris templo, altari, sacerdotibus et Prophetis spoliatos, hostium ludibrio et opprobriis obiici? Quousque patieris eo audaciæ hostes prorumpere, ut subacto populo tuo imbellem te et victum iactitent, qui suppetias ferre afflicto non possis?
11. *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam: de medio sinu tuo in finem?*	11. Quid causæ est, cur, cum prius velut amantissimos liberos paterno sinu foveres, læva dexteraque pectori tuo appressos, nunc subducta utraque manu in hostiles gladios tamdiu incidere patiaris?
12. *Deus autem rex noster ante sæcula: operatus est salutem in medio terræ.*	12. Tibi succurrendi facultas non deest. Tu enim ab omni retro æternitate Deus es, rerum omnium Dominus, qui regem te nostrum profiteri dignatus es, ex quo ereptos a captivitate Ægyptiaca in terram promissionis, quæ in medio orbis sita est, collocasti.
13. *Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis.*	13. Tu summa potentia tua mare rubrum divisisti, et solidasti, ut esset pervius populo tuo transitus. Tu sequaces Ægyptios, draconibus ferocitate pares, undis ultricibus hausisti.
14. *Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum.*	14. Tu obdurati Pharaonis, velut draconis multicipitis, contumaciam contudisti: et post varias plagas vorticibus maris rubri cum exercitu suo implicitum in Arabiæ et Æthiopiæ littus abiecisti, ab hostibus suis spoliandum.
15. *Tu dirupisti fontes et torrentes: tu siccasti fluvios Æthan.*	15. Tu, cum populus tuus præ siti deficeret, petram abrupisti, ex qua fontes torrentesque defluerent: tu, cum in terram optatam transeundum fuit, fluvium Iordanem exsiccasti, maximum et rapidissimum.
16. *Tuus est dies, et tua est nox: tu fabricatus es auroram et solem.*	16. Tu et prospera et adversa pro voluntate inducere potes, cum rerum omnium sis Dominus, et diei lux, noctisque tenebræ a te pendeant: crepusculum lucis primum, lucemque perfectam atque ipsum solem produxisti.
17. *Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem et ver tu plasmasti ea.*	17. Tu terram omnesque eius vel semotissimas partes creasti: atque ut flores, herbas, fructusque funderet, verum temperiem caloresque æstivos dedisti.
18. *Memor esto huius, inimicus improperavit Domino: et populus insipiens incitavit nomen tuum.*	18. Cum omnia et facias et noveris, hoc tibi non excidat, quod hostes nostri tibi orbis ac rerum omnium Domino impotentiam salvandi populi tui exprobraverunt, et te amentia sua atque blasphemiis ad iram concitaverunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta in cælo terraque potestas Dei.

36. Ordo Sectionis. Prima Sectione populus Dei, seu Machabæorum cœtus, sub Antiocho Epiphane dirissima perpessus hostium suorum impietatem omni supplicio dignissimum exposuit: nunc Deum nullo negotio eos posse obterere declarat, cum in eius manu sint omnia.

Ac primo, dolet tamdiu impunitos esse sceleratos, qui populo Dei superbe insultent, v. 10. *Usquequo Deus improperabit inimicus: irritat adversarius nomen tuum in finem?*

Secundo, queritur modeste a Deo se abiici, v. 11. *Ut quid avertis manum tuam et dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem?*

Tertio, potestatem Dei ostendit in homines et cætera o- B mnia. Primo quidem in homines, quorum est rex et dominus supremus, v. 12. *Deus autem rex noster ante sæcula*. Et salvator Israelitarum: *Operatus est salutem in medio terræ*. Secundo, potestatem habet Deus in mare, quod ostendit cum mare rubrum divisit, ac velut murum stabilivit, ut populum suum ex Ægypto liberaret, v. 13. *Tu confirmasti in virtute tua mare*. Cum in eo Ægyptios obruit: *Contribulasti capita draconum in aquis*. Et regem ipsum Pharaonem perdidit, v. 14. *Tu confregisti capita draconis*. Quem ad littus eiectum cum universo exercitu prædam Arabum et Æthiopum obiecit: *Dedisti eum escam populis Æthiopum*. Tertio, potestatem habet Deus in fontes, v. 15. *Tu dirupisti fontes et torrentes*. Quarto, in flumina: *Tu siccasti fluvios Ethan*. Quinto, in aerem, quem ad nutum illuminat, aut obscurat, v. 16. *Tuus est dies, et tua est nox*. Sexto, in cælum, in quo sol oritur, et univer-

so orbi lumen infundit: *Tu fabricatus es auroram et solem*. Septimo, in terram, quam creavit, v. 17. *Tu fecisti omnes terminos terræ*. Octavo, in anni varias tempestates: *Æstatem et ver tu plasmasti ea*.

Quarto denique, vindictam exposcit in Antiochum et satellites eius, qui Deum dominum orbis ac suum audeant blasphemare, v. 18. *Memor esto huius, inimicus improperavit Domino: et populus insipiens incitavit nomen tuum*.

ARTICULUS UNICUS.

Dei regis et Salvatoris potestas in toto orbe, et in salute data elucet.

37. Vers. 10. Piis viris molestissimum est videre impiorum scelera et audire blasphemias, v. 10. USQUEQUO DEUS IMPROPERABIT (S. Hieron. et S. Augustinus, exprobrabit. Arias, probris afficiet) INIMICUS, IRRITAT (Hebraice, blasphemabit) ADVERSARIUS NOMEN TUUM IN FINEM? Inimicus ille et adversarius est Antiochus, qui Deo se opponebat, et eius cultum omnem abolere moliebatur, ut supra dictum est, et eius furor diu duravit. Nam regnavit annis tredecim, et toto illo tempore in Deum et eius populum insaniit. Id oriebatur ex eius superbia, de qua 1. Machab. 1. et 2. Machab. 5. Ut enim ait S. Climacus grad. 23. *Superbia est*, Θεου αρνησις, *negatio Dei, inventum diaboli, despectus hominum, fons furoris, Dei hostis*, βλασφημιας ριζα, *blasphemiæ radix*.

38. Vers. 11. Vindictam de impiis petit populus, v. 11. UT QUID AVERTIS MANUM TUAM, ET (id est) DEXTERAM TUAM DE MEDIO SINU TUO IN FINEM? Pro *in finem*, Hebraice est כלה *calle*, id est, consumens, ut vertit S. Hieronymus; consumendo, ut Pagninus; funditus, ut Campensis; perfecte, ut Bellarminus; in finem, ut Septuaginta.

Sensus porro est Primo: Ut quid avertis manum tuam, sinistram videlicet, et dextram tuam, de medio sinu tuo, ut videlicet sinas nos cadere a sinu tuo, vel non complectaris in sinu tuo, in finem, id est, in perpetuum: qui enim complectitur aliquem, admovet utramque manum ad sinum; qui reiicit, vel non vult complecti, manus a sinu removet: ita Bellarm. et mea paraphrasis.

Secundo, et melius, sensus est, q. d. Ut quid avertis manum tuam, id est, dexteram tuam a sinu tuo, ut ibi pendentem gladium extrahas, eoque impios illos contrucides. Ad quod nota, sæpe veteres habuisse gladium ex humero pendentem, ut alias ostendi. Qui autem gladium sic pendentem vult extrahere, ad pectus seu sinum dexteram applicat, ut illum extrahat, sicut facile est experientia videre. Vel etiam, sensus est, q. d. Quare avertis manum tuam a sinu tuo, ut ibi contentam iram in sceleratos excutias? Hic sensus est facilis.

39. Vers. 12. Deus est Rex mundi. Deum ut magis excitet populus ad contritionem Antiochi, et ad sui auxilium, ipsum laudat a potestate et bonitate, v. 12. DEUS AUTEM REX NOSTER ANTE SÆCULA, OPERATUS EST SALUTEM IN MEDIO TERRÆ. Primo, Deum regem vocat. Ps. 21. v. 29. *Domini est regnum*. Secundo, regem ante sæcula, id est, ab omni retro æternitate. Daniel. 7. v. 27. *Altissimi regnum, regnum sempiternum est*: tam a parte ante, quam a parte post. Hinc Deo creatori dabant sceptrum Ægyptii, ut refert Eusebius lib. 3. de præparat. Evangel. cap. 11. fol. 115. mundi opificem rationem, ait, quæ ab ipsis Kneph appellari solet, humana specie configurant, colore cæruleo, coque nigrante, κατεχοντα ζωνην και σκηπτρον, cingulum ac sceptrum manu tenentem. Huic in capite regius ex penna galericulus est, quod eiusmodi ratio abdita fere obscuraque lateat, summoque inveniri labore vix possit, και οτι ζωοποιος, και οτι βασιλευς, eademque vitæ fons et regina cum sit, tum vero intelligente quodam ac spiritali motu cieatur, quem maxime penna illa in capite sita referat. Hunc porro Deum ex ore ovum effudisse narrant, ex eoque satum alium esse Deum, qui ab iis Phtha, Vulcanus a Græcis nominetur. Ovum autem illud mundum interpretantur, cique numini ovem consecrarunt, quod veteres ad potum lacte uterentur. Tertio, Deum vocat regem suum: *Rex noster*. Deut. 32. 9. *Pars Domini, populus eius*. Et quidem ab exitu Ægypti usque ad electionem Saulis in regem, per annos quadringentos novemdecim nullus fuit rex in Israel, sed soli Iudices populum regebant. Hinc post victoriam de Madianitis reportatam cum populus diceret Gedeoni, Iudic. 8. 22. *Dominare nostri tu et filius tuus, et filius filii tui, quia liberasti nos de manu Madian;* sapienter respondit: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus*. Hinc etiam Deus ægre tulit a Iudæis petitum regem, qui eis præesset, sicut in aliis gentibus fiebat. 1. Reg. 8. 7. ait Deus Samueli tunc iudici: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Saulem tamen dari præcepit populo regem. Christus propriissime rex noster est: nobis enim natus et nobis datus est, et eius regnum toto orbe dilatatur. Tertullian. lib. adversus Iudæos, cap. 7. Christi regnum ait, et nomen ubique porrigitur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter: non regis apud illum minor gratia, non barbari alicuius, discreta merita, omnibus æqualis, *omnibus rex, omnibus iudex, omnibus Deus et Dominus est:* ita Tertullianus.

Quarto, ait Deum esse suum salvatorem: *Operatus est salutem in medio terræ*, id est, publice, palam, in omnium oculis. Hic sensus mihi maxime placet: agit enim de liberatione ex Ægypto, ut patet in sequentibus. Secundo, *in medio terræ*, id est, in Ægypto quæ est in medio terræ habitabilis, et tunc cognitæ. Est enim in confinio Africæ, Asiæ, et Europæ. Tertio, *in medio terræ*, id est, in Iudæa, quæ pari modo est in finibus Asiæ, Africæ et Europæ. Est enim Iudæa in extremitate Asiæ, habet Africam a meridie, et Europam ab occidente: tunc autem illæ tres orbis partes tantum innotuerant. America vero detecta est a Christophoro Columbo, anno Christi 1492. Friderici III. Imperatoris 53. plusquam bis mille quingentis annis post Davidem, et plus mille sexcentis post Machabæos in Antiochum Epiphanem pugnantes. Ubi adverte, Deum elegisse Iudæam, in qua notus esset, ac legem daret, ut inde ad totum orbem circumfusum, velut a centro ad lineas adiacentes funderetur. 40. Iudæa est in medio terræ.

Symbolice, Christus operatus est salutem in medio terræ, id est, in utero Virginis, ut explicat S. Hieronymus et Ruffinus; 2. *in medio terræ*, id est in assumpta carne, ait idem Ruffinus.

Allegorice, Christus operatus salutem in medio terræ, id est, in Ierusalem, quæ est sita in medio terræ, id est, Iudææ quæ erat terra promissionis. Ezechiel Propheta cap. 38. v. 12. eam vocat, umbilicum terræ. Sic Delos, ait Lorinus, in medio Cycladum posita, terræ umbilicus vocata est, ac si in orbis terrarum meditullio constituta esset. Varro idem dixit de Delphis: fabulantur veteres a Iove deprehensam fuisse, Delphos esse medium terræ, quia duæ aquilæ ab ortu et occasu dimissæ, æquali volatu Delphos convenerant: ibi erat in delubro locus, thesauri specie dictus ομφαλος, id est, umbilicus. Cicero oratione 6. in Verrem nemus Ennense in Sicilia vocat Siciliæ umbilicum. Varro etiam Reate vocat umbilicum Italiæ. Livius lib. 45. Ætolos ait, incolere umbilicum Græciæ. Homerus Odyss. 1. dicit, insulam ubi Calypso degebat, esse maris umbilicum, quoniam est in medio mari Atlantico. Eustathius ob similes causas, id dixit de Parnasso monte. S. Germanus Constantinop. in contempl. rerum Eccles. ait: *Omnes confiteri, in Ierusalem* περιγεγραφθαι τ' το μεσονατον, *circumscriptum esse ipsissimum medium terræ*. S. Athanasius, si tamen est auctor quæstion. ad Antiochum quæst. 136. dicit: γης μεσονατον ο γολγοθας, *medium terræ est hic Golgothas. Non meus est sermo, Propheta dicit Ps. 73. Operatus est salutem in medio terræ:* ita Athanasius. Iosephus lib. 3. belli Iudaici cap. 3. Ierusalem ait esse, ομφαλον του χωρας, id est, umbilicum terræ Iudææ. Præcise tamen geometrice loquendo, Ierusalem non est in 41. Christus operatus est salutem in medio terræ. Ierusalem erat in medio terræ.

*

medio Iudææ, nec in medio totius terræ. Si enim esset in medio universæ terræ, esset intra zonam torridam, aut cancri subiecta tropico: et longitudinis gradus nonaginta illi assignandi essent, cum terræ dicatur dimidius globus constare gradibus 180. atque ambitus terræ et aquæ 160. Ierusalem autem longitudinis obtinet gradus 66. latitudinis 31. ut ait Ptolomæus 5. Geograph. cap. 16. *Ista est Ierusalem*, ait Deus Ezechielis 5. v. 5. *in medio Gentium posui eam, et in circuitu eius terras.* Ierusalem est in quarto climate ex septem, in quæ dividitur terra habitabilis, ut ait Valentia et Lyranus. Ierusalem et templum, ait Cornelius in Ezechielem, erant quasi centrum terræ, imo quasi eius caput, fundamentum, fons et cor: utpote ex qua tamquam ex centro lucis splendor in omnem terram, tamquam ex corde spiritus vitalis, tamquam ex capite aliarum provinciarum et gentium sensus, motio et concitatio ad ambulandum in via Domini: denique tamquam ex centro linearum deductio, omnis boni et precum ac votorum perfectio expectanda erat: ac tamquam ex fonte rivulorum derivatio in alias regiones: et tamquam ex fundamento stabilitas aliarum provinciarum, ut non immerito dictum fuerit Ps. 47. v. 3. *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, Latera Aquilonis, civitas regis magni. Deus in domibus eius cognoscetur*: ita ille ex Pineda lib. 5. de rebus Salomonis cap. 5. num. 31. Locum Psalmi nostri Petrus Vidnerus tractatu de cruce, refert ad crucem, in qua fixus Christus operatus est salutem in medio terræ. Ad cuius omnibus sanguinem fundentem ex omni parte terræ curri potest. S. Augustinus in Psalmum nostrum pie ait: *Deus operatus est salutem in medio terræ, et ego adhuc clamo quasi desertus? Ille operatur salutem in medio terræ, et ego remansi terra.* S. Bern. ser. 75. in Cant. monet, in terra quærendam salutem, in cuius medio facta est, non e medio gehennæ expectandam, vel inter ardores sempiternos: nunc esse tempus, in quo Deus recordetur nostri, Iobi 14. v. 13. nunc salutis dies esse, et tempus acceptabile, 2. Corint. 6. 2.

42. *Medio gaudet Deus et Christus.* Moral. medio gaudet Deus et Christus. Medio in Trinitate persona incarnata est: medio silentio natus est Christus, Sapient. 18. 14. in medio duorum animalium, Habac. 3. 2. medius stabat sæpe, Ioan. 1. 26. et 19. 18. medio circiter die mortuus est, nimirum infra sextam nonamque horam, in aere inter cælum et terram: visus est a Ioanne in medio septem candelabrorum, Apocal. 1. 13. promisit se medium futurum inter congregatos in nomine ipsius, Matth. 18. 20. in medio erat sicut minister, Luc. 22. 27. medius inter duos transfiguratus, Matthæi 17. 3. et crucifixus est, Ioan. 19. 18. Trismegistus in Pimandro appellat Deum, sphæram intellectualem, cuius ubique centrum, circumferentia nusquam esset. Quam comparationem attingit etiam S. Ambros. aut alius, explanans epistolam ad Ephesios, cap. 3. 8. Dionysius tract. de divinis nominibus Deum vocat, sphæræ universi centrum: ita Lorinus. Operatus est Deus salutem in medio terræ, ut crux esset instar fontis illius mirabilis, qui erat in medio paradisi, Gen. 2. 10. et omnes ex eo possent haurire aquas salutis de fontibus Salvatoris. Dignus est Ugo Card. qui legatur in versu quem explicamus.

43. *Christus est medium in cælo et in terra.* Secundo, Christus est medium, uti SS. Trinitatis, ita et totius universi et sæculorum omnium, æque ac redemptionis et felicitatis nostræ mediator. Nam in SS. Trinitate ipse, utpote Filius, est medius inter Patrem et Spiritum sanctum, quia a Patre procedit et generatur, ac genitus cum eo spirat et producit Spiritum sanctum. Secundo, quia ipse est Verbum, quod est idea, per quam creavit omnia; ipse ergo ut Verbum est nodus, nexus, vinculum, medium et centrum rerum omnium. Tertio, in ipso pariter ut Verbo, creata et ordinata sunt omnia sæcula et tempora. Fide enim intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ait Apost. Hebr. 11. 3. Quarto, hinc congrue assumpsit naturam humanam, ut esset mediator Dei et hominum. Dicebat enim, ut persona media in SS. Trinitate humanam naturam assumeret, in eaque fieret mediator: quia et ipsa media est inter cælum et terram, media inter Deum et creaturas ceteras, utriusque naturam participans, ut per ipsam naturam mediam utraque uniret extrema. Natura enim humana meditullium, et quasi vinculum omnium existit, et cum omnibus partem habens, cum omnibus deliciatur: omnibus enim creaturis ceteris homo vel vescitur, vel oculis, aliove sensu pascitur et fruitur: terra nos sustentat, aqua potat, aer dat respiraculum, ignis calefacit: vescimur plantis, piscibus, animalibus. Sole et cælo illuminamur. Ab angelis erudimur, purgamur, perficimur. Pari modo Christus factus homo deliciatur cum omnibus, et omnes cum eo. Hinc eius typus fuit arbor vitæ in medio Paradisi a Deo collocata Genes. 2. Quocirca Christus nascens, vivens, moriens, semper capessivit medium. Natus est enim in media nocte, dum quietum silentium continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, Sap. 18. 14. Natus quoque positus est in medio duorum animalium: asinus infirmior denotat misericordiam: bos fortior, et in arando æquus et fidus hero, denotat iustitiam. Hæc enim duo obviare sibi fecit Christus, ideoque nascens in eorum medio stetit. Puer inventus est in templo, in medio doctorum. Domi fuit medius inter patrem et matrem, puta Ioseph et Mariam. Sicut enim medius est in Trinitate increata, sic medius est et in Trinitate creata: quæ est Ioseph, Iesus, Maria. Vir in medio fuit Apostolorum: *Ego,* inquit, *sum in medio vestrum tamquam qui ministrat;* ut omnibus videlicet æqua distributione, saltem geometrica, suscepta munera distribueret. Rursum concionando operatus est salutem in medio terræ, Ps. 73. 12. Moriens pependit in medio latronum, ut iam eorum constitutus iudex, redderet utrique debitas vices, iuxta utriusque merita, præsagio quodam magni et extremi iudicii, in quo medius ad dexteram habebit sanctos, quos vita æterna præmiabit, ad sinistram reprobos, quos morte æterna mulctabit. In cælo medium tenet locum; est enim medius inter patrem et nos utpote advocatus noster: ita eum vidit S. Ioannes Apocal. 5. 6. quasi agnum in medio throni, in medio quatuor animalium, et in medio seniorum. Hinc eum repræsentavit Isaac immolandus a patre et risus atque gaudium orbis; Isaac enim medius fuit inter Abraham ac Iacob: fuit enim Abrahæ filius, Iacobi pater. Rursum ipse palam profitetur: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* Matthæi 18. 20. Quocirca ipse ab æterno decretus, et in tempore factus est verus et optimus mediator inter Deum et hominem, iuxta illud Apostoli: *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*, 1. ad Timoth. 2. v. 5. Ipse enim factus homo, effectus est vinculum et glutinum, ligans, connectens et uniens hominem cum Deo. Ipse est velut canalis medius, per quem a fonte vivo, puta a Deo fluunt ad nos aquæ vivæ, et fluenta gratiarum. Ipse est scala Iacob, per quam quasi medium, ab extremo ad extremum, puta e terra in cælum ad Deum ascendimus. Præclare S. Bern. serm. 1. de S. Michaele: *Amat,* inquit, *semper media Iesus, diverticula semper et reclinatoria reprobat filius hominis, Dei et hominum mediator. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.* Nimirum hisce omnibus significare voluit et commendare auream mediocritatem, quæ nos Deo et hominibus gratos efficit: virtus enim consistit in medio. Item, pacem et concordiam: medium enim est nexus, et quasi pax et concordia extremorum. Hoc est quod ait Matth. 5. v. 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur:* quia ego qui sum filius Dei naturalis, sum pax universi, pacificans omnia quæ in cælis, et quæ in terris sunt, ad Coloss. 1. v. 20. Iure ergo nomen filii Dei sortiuntur, qui mediandi pacemque conciliandi officium ipsi proprium intimumque usurpant: ita Cornelius in locum citatum Habacuc. Operatus est Christus salutem in medio terræ, id est, in assumpta carne, ut supra dixi ex Ruffino.

Modum quo Deus operatus salutem populo suo Israel, 44. *Vers. 13.*
liberando eum ab Ægypto declarat ipse populus, v. 13.
TU CONFIRMASTI IN VIRTUTE TUA MARE: CONTRIBULASTI

CAPITA DRACONUM IN AQUIS. Pro *confirmasti*, Hebr. est פוררת *porartha*, id est, contrivisti: ita Pagninus; dissipasti: ita S. Hieron. et Felix. Sensum potius quam verbum exprimentes Septuaginta verterunt, *confirmasti*, q. d. Ita mare rubrum divisisti, ut firmum et immobile staret, donec populus tuus transiret, quod deinde retorsisti in capita Ægyptiorum, qui instar draconum insequebantur eumdem populum, illum devoraturi.

Pharao præsertim periit in mari rubro: unde sequitur
Vers. 14. v. 14. TU CONFREGISTI CAPITA DRACONIS (Hebraice, *Leviathan*) DEDISTI EUM ESCAM POPULIS ÆTHIOPUM. S. Augustinus et S. Hieronymus in cap. 3. Habacuc, Dedisti eum in escam populis Æthiopibus. Qui scilicet erant in Arabia, ut Madianitæ et alii.

Ægyptii comparati draconibus: I. Quod dracones adorent.

Quæres, cur Ægyptii et ipse rex Pharao draconibus comparantur? Resp. Primo, quia Ægyptii serpentes et dracones adorabant. Inde Horus Apollo Hierogl. 1. ait, Ægyptii basiliscum ex auro conflatum diis circumponunt. Lampridius dicit, quod Heliogabalus Ægyptios dracunculos Romæ habuit, quos illi Agathodæmonas appellant. Philo Biblius et Sanchoniathon tradunt, quod Traautus Ægyptiorum Deus draconum et serpentum divinam naturam esse crediderit, quod spiritualissimum sit animal, et maxime igneum, longævum præterea, et senectam cum pelle deponens reviresсat, atque vix naturali nece conficiatur.

II. Quod reges figura draconis se ornarent.

Secundo, Ægyptii reges anteriorem partem draconis, tauri, et leonis, in capite gestabant, velut insignia principatus. Inter omina principatus Alexandri Severi refert Lampridius, quod mater eius pridie quam pareret, somniavit se purpureum dracunculum parere. Similia tradit Vopiscus de Aureliano. Persis pro vexillo erat aquila aurea, Atheniensibus noctua, Thebanis sphynx, Cimbris taurus, Cyro gallus, Osiridi canis, Romanis aquilæ et dracones, Ægyptiis varia animalia, quæ colebant, ut ibides, crocodili, dracones, feles, etc.

III. Ob scelera.

Tertio, Ægyptii draconibus comparantur ob scelera sua. Primo, ob superbiam. Sic Pharaonem superbum Ezechiel vocat draconem magnum; nempe marinum, hoc est, cetum seu balæuam: aut fluviatilem potius, scilicet crocodilum. Ait enim cap. 29. v. 3. *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, et dicis: Meus est fluvius, et ego feci memetipsum.* Conterendum est caput serpentis, et in aquis baptismi, pœnitentiæ et gratiæ mergendum. Urbanus Papa IV. in Ps. 50. dicit, a Davide postulari, ut Deus cor contritum non despiciens dignetur contribulare venenatæ superbiæ caput in diluvio lacrymarum, ut sacrificet ei spiritum cum patientia tribulatum. Secundo, draco typus est avari: nam thesauros servat, vellus aureum, aurea poma Hesperidum. Hinc Cicero ait in 13. Philippica: *Domini patrimonium circumplexus, quasi thesaurum draco.* Nonnus Dionys. V. serpentem describens ait: Linguam habens prominentem biantibus faucibus terribilis serpens, dirum hominibus monstrum dictu non effabile, χρυσαις γαρ φολιδεσσιν εθειρεται, *aureis enim crinitur squamis*. Tertio, luxuria in serpente humi repente ac terræ applicito, eique toto corpore incubante figuratur: imo luxuria peior est omni serpente. S. Ephrem tractatu in improbas mulieres: Dracones, ait, et aspides, ac bestiæ cornutæ Ioannem in eremo timuerunt; Herodias vero in convivio ipsum decollavit. S. Chrysost. hom. 15. Ego, inquit, censeo hoc in mundo nullam bestiam esse malæ mulieri parem. Quid inter quadrupedia leone sævius: sed nihil ad hanc. Aut in serpentibus, quid dracone atrocius? sed ne hoc quidem cum muliere mala conferri potest: ita ipse. Quarto, ira dirior est omni dracone, et hominem in dirissimas formas transmutat. In templo Pythio erat simulacrum Apollinis, hominis specie: in Delo, specie draconis: in Lycia, specie lupi: quia ira fervet, est απολλυων, id est, perdens et vastans omnia. Photius refert, Cretensem puerum a latronibus captum servatum fuisse a dracone, cui innutritus fuerat; ira vero amicos, affines, cognatos, ac domesticos omnes perdit, nemini parcit, neminem reveretur. Quinto, invidia tota venenum Stygii draconis est. Ælianus docet, dracones ut hominibus noceant, mala gramina comedere ac radices pestiferas. Invidus id unum cogitat, ut noceat ac veneno suffundat, in visceribus dracones habet. Plinius lib. 11. cap. 37. dicit: Cæciuæ Volaterrano dracones emicuisse de extis: cum scilicet sacrificia offerret. Vide ut victima tua Deo oblata sit sine veneno. Sexto, gulam non male delineabis per draconem Babylonium, quem Evilmerodacho Babylonis rege permittente, occidit Daniel absque gladio, anno captivitatis 27. Imperii Babylonici 140. Tulit enim Daniel picem, et adipem, et pilos, et coxit pariter: fecitque massas, et dedit in os draconis, et diruptus est draco. Massa enim illa picea obturavit angustum os draconis, et impedito anhelitu et respiratione, cibo illo oppletus crepuit medius. Megasthenes scribit, in India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant cervos taurosque. Metrodorus, circa Rhyndacum amnem in Ponto, ut supervolantes quamvis alte perniciterque alites haustu raptas absorbeant. Nota est in Punicis bellis ad flumen Bagradam a Regulo Imperatore balistis tormentisque, ut oppidum aliquod, expugnata serpens 120. pedum longitudinis. Pellis eius maxillæque ad bellum Numantinum duravere Romæ in templo. Faciunt his fidem in Italia appellatæ boæ, in tantam amplitudinem exeuntes, ut Divo Claudio principe, occisæ in Vaticano solidus in alvo spectatus sit infans. Aluntur primo bubuli lactis succo, unde nomen traxere: ita Plinius lib. 8. c. 14. Gulosus pingui aqualiculo distentus obvia quæque devorat. Septimo denique, pigritiæ symbolum est serpens, seu draco, quinque iugerum longitudine, vix se ingenti mole versans, de quo agit Maximus Tyrius serm. 38. et quem tradit esse cultum pro Deo. Sibi maxime placuit in serpentis et draconis forma dæmon, quia ea sub specie primos parentes decepit. Strabo lib. 14. ait, templa deorum dicta esse draconia, et Persis templa non censeri consecrata sine serpentum effigie. Draco dicitur diabolus, ob inveteratam malitiam et calliditatem. Draco enim est serpens annosus, qui multa ætate in insolitam magnitudinem excrevit. S. Leo serm. 8. de Nativitate dicit, diabolum esse vafrum serpentem: quia, inquit, *novit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit quem mœrore conturbet, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat, omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus: et ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit, studiosius occupari*: ita Leo. Draco dicitur απο του δερκειν, id est, a videndo, eo quod sit acutissimi visus. Tu etiam vigila, ne te hostis incautum intercipiat.

45. Draco est typus omnium vitiorum. 1. superbiæ. 2. avaritiæ. 3. luxuriæ. 4. iræ. 5. invidiæ. 6. gulæ. 7. pigritiæ.

Nota, de dracone marino, id est, balæna seu carcharia, aliove ingenti ceto præsertim hic agitur, ut patet ex Hebræo Leviathan. De illis dicenda vide Ps. 103. v. 28.

A mari transit populus hic loquens ad fluvios et fontes, 46.
in quibus mirabilem se Deus exhibuit ad populi sui salu- Vers. 15.
tem, v. 15. TU DIRUPISTI FONTES ET TORRENTES (id est, dirupta per Mosis virgam petra dedisti populo tuo fontes et rivos aquarum magnos, et celeri cursu fluentes) TU SICCASTI FLUVIOS ÆTHAN, id est, fortes atque vehementes. S. Hieron. vertit, flumina fortia. Pagninus, fluvios fortes. Sic censuerunt Æthan non esse nomen proprium loci. Ubi adverte, Septuag. aliquando reliquisse Hebræa vocabula non explicata, ut Leviathan, Behemoth, Amen. In Vulgata habemus Alleluia, Maranata, Hosanna, Abba, Raca, et similia.

Fluvii Æthan siccati.

Quæres, qui sunt fluvii Æthan? Respond. primo, Antonium Guevaram in cap. 3. Habacuc, hoc explicare de mari rubro, quod alluebat desertum Æthan, et siccatum est ad præbendum transitum populo Israel. Sed cum iam de mari David egerit, non videtur de illo iterum facere mentionem. Secundo, Euthymius et Nicephorus id exponunt de antiquis Sodomæ et Gomorrhæ fluviis ac fontibus, ob incolarum peccata exsiccatis. Sed neque id legitur, et hic agitur de beneficiis populo Israel factis. Tertio, et pro-

babilius, fluvii illi fortes siccati, sunt Iordanis, torrens Arnon, et Ieboc. De duobus ultimis dicitur Numer. 21. v. 14. *Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon.* Ieboc fuisse prope Arnon patet ibidem vers. 24. Potest autem locus ille explicari de siccatione torrentium seu fluviorum Araon sicut mare rubrum siccatum est. Sed hæc explicatio aon est certa.

Iordanis siccatus tempore messis.

Quarto itaque, et optime, fluvii Ethan hic sunt fluvius Iordanis. In plurali autem fluvios ponit. Primo, ob magnitudinem Iordanis. Secundo, quia plures fluvii in eum influunt. Tertio poetice: sic etiam dicimus, Catones, Cæsares, Cicerones aliquid fecisse, licet unicus Cato, Cæsar, aut Cicero id fecerit: idque etiam usurpatur in soluta oratione. Hoc præsertim de Iordane dici potuit, cum eum transiverunt filii Israel: nam *tunc ripas alvei sui tempore messis impleverat*, Iudic. 3. v. 15. Septuag. ibi habent, *Iordanis implebatur secundum totam ripam suam.* Id contigit die decima mensis Nisan, qui primus erat anni sacri, et respondebat partim mensi Martio, partim Aprili: in Palæstina autem tunc aliquæ messes maturescunt, præsertim hordeaceæ: unde offerebantur Deo secunda die azymorum, id est, die sequente pascha manipuli hordei.

47\.
Bis ex petra datæ sunt aquæ.

Nota, dicit diruptos *fontes et torrentes*, Hebraice est, *fontem et torrentem*, in plurali posuit Noster ac Septuag. Primo, quia aqua quæ fluxit de petra divisa fuit in multos rivos, ut totum exercitum Hebræorum, quæ erat trium millinum hominum reficeret. Secundo, quia bis hoc contigit: nempe primo, in petra Horeb seu Sinai, quæ petra adhuc perdurat et fundit aquas, ut multi docent: hoc factum aano exitus ab Ægypto secundo, mundi 2515. ante Christum 1508. Secundo, fluxit aqua de petra in Cades, anno exitus ab Ægypto et principatus Mosis 40. Cum enim Moses percussisset virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.

48\.
Deus est mirabilis in fontibus et fluviis.

Nota secuado, mirabilem se Deus exhibet in fontibus et fluviis. S. Isidorus lib. 13. origin. ait, in Bœotia lacum esse, ex quo qui biberit, luxuria inflammatur: contra vero, Selemaus amnis utilis est viris et mulieribus, ες ερωτος ιαμα, in amoris remedium, ut ait Pausanias in Achaicis. In Side stagno apud Indos nihil innatat, merguntur omnia, ut tradit Ctesias: contra autem, in Apuscidamo lacu Africæ omnia extant, nihil mergitur, ut dicit Plinius. Iuxta Orchomenon in Bœotia duo fontes sunt, quorum alter memoriam, alter oblivionem inducit, teste Plinio lib. 31. cap. 2. apud quem vide plura aquarum miracula. In fortunatis insulis duo fontes visuntur: ex altero qui gustaverit, ridens moritur: ex altero qui biberit, illo morbo liberatur, ait Mela. In Hetiæotidi Ceren et Melan fontes fluunt; ex Cerena bibentes oves, albæ fiunt: ex Melane, nigræ: ex utroque, variæ, ait Eudicus.

Post recensita beneficia facta populo Israel, fit transitus
Vers. 16. ad communia omnibus creaturis, v. 16. TUUS EST DIES, ET TUA EST NOX: TU FABRICATUS ES AURORAM ET SOLEM.
Vers. 17. Et v. 17. TU FECISTI OMNES TERMINOS TERRÆ: ÆSTATEM ET VER TU PLASMASTI EA; το *ea* redundat per pleonasmum hebraicum.

49\.
Dies donum est Dei.

Nota primo, potestas et sapientia Dei elucent in die et noctis dispensatione, ut ostendi Ps. 18. vers. 2. Vide ibi dicta. Æthiopum Vophalensium regi in more est positum, ut quotannis ex suis domesticum aliquem deleget, qui subiectis sibi principibus et regibus novum ignem mittat, et inde reliquis hominibus impertiatur: tum quisque ignem illum novum in domum suam infert: qui id non fecerit, proditor et maiestatis reus censetur, extremoque supplicio afficitur, aut toto exercitu impetitur. Deus quotidie novam lucem et ignem cælestem nobis offert, ab eo hæc acceptanda sunt cum meatis dimissione et gratiarum actione. Diem vocat Pindarus, ηλιου παιδα, solis lilium. Euripides in Troad. λευκοτερον, albis decorum alis. Et in Iphigenia, λαμπαδουχον, faces lucidas inferentem. Sophocles in Antigon. vocat, aureæ diei ocellum. Nox quoque Deum admirabilem ostendit. S. Chrysost. hom. 9. ad populum: *Nox*, inquit, *non minorem quam dies usum affert*, αναπαυσις πονων, και φαρμακον νοσματον, *cum sit laborum requies, et morborum medicina. Sæpe enim medici multa operati, et infinita medicamina moliti, ab ægritudine liberare non potuerunt: somnus autem sponte adveniens, omnem solvit ægritudinem, et infinitis illis laboribus liberavit: nec morbis tantum corporis, sed etiam* ψυχικων νοσηματων εστι φαρμακον η νυξ, *mentis morborum nox est medicina, dolentes animas sedans.*

Nox Deum esse admirabilem declarat.

Noctem Orpheus in hymnis Deam vocat, et plurimis exornat encomiis. Δια μακαιρα θεα, beata dea, inquit, cærulea, astris lucens, somni largitrix, φιλη παντων, omnibus amica. Ægyptii dicebant, tenebras esse rerum omnium principium; idem docet Damascius Platonicus. Gen. 1. dicitur: *Factum est vespere et mane dies unus*, q.d. Decurso iam diei curriculo (quod fuit duodecim horarum) per succedentem vesperam; et peracto quoque noctis spatio (quod pariter fuit duodecim horarum) per succedens illi mane, completus est dies primus viginti quatuor horarum, ut explicat Ægidius Romanus prima parte hexaemor. cap. 6. Aliqui putant primam fuisse noctem duodecim horarum, deinde lucem in medio abyssi creatam esse in Oriente, ab eaque cœpisse primum diem. Alii censent, mundum creatum esse primo quasi mane, et tenebras durasse per sex horas, lucem autem productam esse sub meridiem respectu nostri hemisphærii, ac post motum sex horarum ei successisse noctem horarum duodecim.

Allegorice, dies sine nocte est Christus. S. Ambrosius serm. 52. *Quis est dies cæli, nisi Christus Dominus: de quo dicitur per Prophetam Ps. 18. Dies diei eructat verbum. Ipse enim dies filius, cui pater dies, divinitatis suæ eructat arcanum.*

Symbolice, dies et nox sunt viri spirituales et animales. S. August. in Psalm. nostr. *Ad te*, inquit, *pertinent spiritales, ad te pertinent carnales. Illos illustras incommutabili sapientia et veritate: illos consolaris carnis manifestatione, tamquam luna consolans noctem.* Tropolog. dies et nox sunt prosperitas et adversitas: etiam hæc sunt a Deo, qui illuminat tenebras nostras.

Nota secundo, pro *auroram* Hebraice est מאור *maor*, 50.
id est, lucem. Hinc Aquila vertit, φωστηρα, id est, luminare; Theodotio autem, φως, id est, lucem. Psalterium Gallicum et Arabicum, S. Augustinus, Cassiodorus, Psalterium Romanum, et Procopius in cap. 45. Isaiæ legunt, *lunam.* Eam scilicet voluerunt soli iungere, velut luminare minus maiori. Septuag. et Noster melius reddunt, *auroram*, quæ est prima diei lux, qua sub solis adventum aer illustratur: ei roseos digitos dant poetæ. Homerus enim et Nonnus vocant auroram ροδοδακτυλον, roseos digitos habentem. Theocritus ait esse, ροδοπηχυν, roseis lacertis. Valerius lib. 2. Argonaut. dat illi roseas bigas. Virgilius lib. 6. Æneidos, roseas quadrigas. Nonnus in Ioannem assignat ei, δροσερας βολας, roseas iaculationes. Orpheus in hymno eam vocat, εργων ηγητειραν, ducem operum, et βιου προπολον, vitæ administram. Apollonius lib. 1. Argonaut. illi dat divina lumina, atque ad eius adventum ait ridere littora insularum, et roscidas procul semitas agrorum. Calaber. lib. 7. nominat divinam.

Auroræ elogia.

Nota tertio, Deus per solem omnia illuminat, regit ac 51.
vegetat. Cicero in somnio Scipionis: *Sol*, ait, *dux et princeps, et moderator luminum cæterorum, mens mundi, et temperatio.* Macrobius eum locum illustrans cap. 20. dicit: Sol dux est, quia omnes luminis maiestate præcedit. Princeps, quia ita eminet, ut propterea quod talis solus appareat, sol vocetur. Moderator reliquorum dicitur, quia ipse cursus eorum recursusque certa definitione spatii moderatur. Mens mundi ita appellatur, ut physici eum *cor cæli* vocaverint: inde nimirum, quod omnia quæ statuta ratione per cælum fieri videmus, diem noctemque, et migrantes inter utrumque prolixitatis brevitatisque vices, et certis temporibus æquam utriusque mensuram, dein veris clementem teporem, torridum cancri et leonis æstum, mollitiem autumnalis horæ, vim frigoris inter utramque temperiem, omnia hæc solis cursus et ratio dispensat. Iure

Solis elogia.

ergo cor cæli dicitur, per quem fiunt omnia, quæ divina ratione fieri videmus. Est et hæc causa, propter quam iure cor cæli vocetur: quod natura ignis semper in motu perpetuoque agitatu est. Solem autem ignis ætherei fontem dictum esse retulimus. Hoc est ergo sol in æthere, quod in animali cor: cuius ista natura est, ne unquam cesset a motu: aut brevis eius quocumque casu ab agitatione cessatio mox animal interimat: ita Macrobius, qui lib. 1. Saturnal. cap. 21. regiam solis dignitatem ab Ægyptiis cognitam sic declarat. Osirim, ait, Ægyptii ut solem esse asserant, quoties hieroglyphicis litteris suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum: inque eo speciem oculi exprimunt, et hoc signo Osirim monstrant, significantes hunc Deum solem esse, regalique potestate sublimem cuncta despicere: quia solem Iovis oculum appellavit antiquitas: hæc ipse. Homerus in Odyss. n. vocat ipsum, μεγαν ανακτα, id est, magnum regem. Orpheus in hymno eum nominat, δεσποτην κοσμου, hoc est, mundi dominum. Verba eius sunt: Demonstrator iustitiæ, amator fontium, domine mundi, fidei custos, semper præstantissime, omnibus auxiliator, oculus iustitiæ, vitæ lux. Macrob. lib. 1. in somnio Scipionis cap. 2. ait, solem esse perfectissimam Dei imaginem. Sic autem loquitur Plato cum Deo τ'αγαθω, qui esset animatus, dicere quid sit non est ausus: hoc solum de eo sciens, quod sciri quale sit ab homine non posset: solum vero ei simillimum de visibilibus solem reperit, et per eius similitudinis viam sermone suo attollens se ad non comprehendenda patefecit, lib. 1. Saturnal. cap. 17. ac seqq. idem Macrobius probat, soli omnia deorum nomina convenire. Synes. in hymno 4. eum vocat secundi luminis parentem, imaginem sensibilem, et filium intellectualis solis, nempe Dei.

Nota quarto, *æstatem et ver* synecdochice sumi pro omnibus anni tempestatibus, quia cæteris præstant: æstas, ob calorem et fructus: ver, ob flores et temperiem aeris.

52. *De anni tempestatibus variæ opiniones.* Quæres, quot sint anni tempestates? Primo, Genes. 8. v. 22. videntur sex assignari. Deus enim ibi dicit: *Cunctis diebus terræ, sementis et messis frigus et æstus, æstas et hyems, nox et dies, non requiescent*: id est, semper erunt, quamdiu erit generatio in terra. Hebræi ex hoc loco annum dividunt, primo, in floritionem; secundo, in maturationem; tertio, in calorem; quarto, in seminationem; quinto, in frigus; sexto, in æstatem. Hebræi itaque sic anni tempestates dividunt, ut prima incipiat a medio Septembris usque ad medium Novembrem: secunda usque ad medium Ianuarium: tertia, videlicet hyems, usque ad medium Martii: quarta, nempe messis, usque ad medium Maii: quinta, id est, æstas, usque ad medium Iulii: sexta, nimirum æstus, usque ad medium Septembrem, ut refert R. Salomon ex Baba Metsiba in Thalmud. Verum longe verius est, ait Cornelius in Genesim, ibi describi Primo, vicissitudines laboris, unam seminandi, alteram metendi. Sementis enim significat tempus seminandi: messis tempus metendi; secundo, vicissitudines anni, æstatem et hyemem; tertio, vicissitudines qualitatum et tempestatum, frigus et æstum.

I.

II. Secundo, latini veteres numerabant quinque anni tempestates: scilicet ver, æstatem, autumnum, hyemem, brumam, ut tradit Eusebius.

III. Tertio, prisci Ægyptii in tres distribuebant: nempe in ver, æstatem, atque autumnum, ut ait Osorius.

IV. Quarto, Afri et Dani duo tantum ponebant anni tempora: hyemem videlicet atque æstatem, ut docet Leo tract. de Africa.

V. Quinto, aliqui opinati sunt septem esse anni partes, autumnum et ver integra et indivisa esse, hyemis partes esse tres, duas æstatis, ut refert Galenus in lib. 1. Hippocrat. de morb. vulgar. comment. 1.

VI. *Et optima.* Sexto et optime, atque communissime dividitur annus in quatuor partes: in ver, æstatem, autumnum et hyemem, eam ob rem veteres pinxerunt Ianum quadrifrontem. Stephanus Pighius in Mytholog. de his anni partibus Venerem, Pana, Bacchum, et Liberam Deam declarat. Alias etiam affert expressiones, nempe hinnuli, cervi, pantheræ, ibicis seu capræ sylvestris: item bovis, gryphi, pantheræ, et equi. S. Chrysost. tom. 1. hom. 9. 53. *Mirabilis Deus in anni tempestatibus.*
cap. 126. admiratur varietatem anni tempestatum: *Quis, ait, anni partium ordinem possit dicere. Quomodo,* καθαπερ παρθενοι τινες χορευουσαι εν κυκλω, *tamquam virgines quædam in gyro saltantes, cum multa ratione sese subsequuntur, et paulatim sine strepitu ad contrarias mediæ transire non cessant. Propterea nec ab hyeme nos excipit æstas, nec ab ipsa statim hyems, sed medium ver interpositum est, ita ut sensim et paulatim succedentibus densata corpora nostra æstati sine tristitia adducat. Quoniam enim subitaneæ in contrarium mutationes nocumentum et morbum pariunt extremum, dispensavit Deus ab hyeme quidem ver nos accipere, a vere porro æstatem, ab æstate vero autumnum, et sic hyemi transmittere:* ita ipse. Nonnus vocat æstatem αγλαοκαρπον, pulchris splendidam fructibus. *Veris elogia.* Ovidius lib. 4. Fastor. vocat ver, formosum tempus. Oppian. lib. 1. Cynegeticon, χρυσεον, aureum. Herodotus lib. 7. δοκιμωτατον, id est, partem anni acceptissimam. Anacreon in od. Charites, inquit, tunc rosas fundunt, etc. S. Gregorius Nazianz. ait, esse regem omnium anni tempestatum. Illum audiamus orat. 43. pag. 703. elegantissima descriptione ver nobis depingentem: βασιλισσα των ωρων, *princeps anni pars principi dierum,* id est, diei paschatis, *pompam peragit, et quidquid pulcherrimum et suavissimum habet, dono dat. Nunc cælum splendidius, nunc sol sublimior, magisque aureus, nunc lunæ orbis clarior, et siderum chorus purior. Nunc et fluctus cum littoribus, et nubes cum sole, et venti cum aere, et terra cum stirpibus, et stirpes cum oculis in gratiam redeunt. Nunc fontes limpidius fluunt, nunc flumina uberius nimirum hibernis vinculis soluta. Nunc et pratum suaviter olet, et planta viret, et herba detondetur, et in virentibus arvis agni saltitant. Nunc navis cum celeusmatis, iisque ut plurimum religiosis et pietatis plenis e portu solvit, veloque tamquam pennis cingitur, ac per gyrum assultat delphinus, iucundissimum quiddam insufflans, et se in altum evehens ac vectores lætos et hilares prosequitur. Nunc aratrum agricola compingit, oculos in altum tollens, et frugum datorem invocans, ac bovi aratori iugum innectit, dulcemque sulcum proscindit, ac spes lætas fovet. Nunc pastor et bubulcus fistulas aptant, ac pastorale carmen inspirant, atque in arboribus et petris veris amœnitate fruuntur. Nunc plantarum cultor plantam curat, et auceps calamos construit, ac ramos suspectat, et pennam avium studiose explorat. Nunc piscator profundum aquæ perspicit, ac rete suum repurgat, et petris insidet. Nunc sedulæ apes solutis pennis et relictis alvearibus, sapientiæ suæ documentum præbent,* etc. Ita Gregor. qui tandem concludit: Omnia Deum laudant, et vocibus mutis celebrant. Propter omnia enim gratiæ Deo per me habentur: atque ita illorum laudatio, mea efficitur. S. Hieron. in Psalm. nostrum vertit, æstatem et hyemem tu plasmasti. Hebraica vox חרף *choreph*, et ver et hyemem significat. Pro hyeme etiam sumunt Pagninus et Felix: hyemi suæ commoditates et laudes non desunt, sed non est de hac nunc dicendi locus. In omnibus creaturis quocumque tempore existentibus cognoscitur Deus, sicut ex linea Apelles, de qua vide Plinium lib. 35. cap. 10.

Symbolice, ver et æstas sunt vita contemplativa, in qua flores et boni odores: et activa, in qua fructus; 2. sunt in fide novelli et spiritu ferventes; 3. iuvenes ac viri. Demades orator adolescentes vocabat ver civitatis.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

54. *Duo exponit. Primo, orat Deum, ut servos suos e tantis malis eripiat, vers. 19. Secundo, ut hostes in se blasphemos atterat, vers. 22.*

PARAPHRASIS.

19. *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi: et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.*

19. Cum cæli terræque sis creator et moderator, omniaque a tua unius voluntate pendeant, ne patiaris eos qui laudes tibi concinunt, teque Deum orbis profitentur, ab idololatris proculcari: et cum animæ nostræ periculo favorem tuum ne subtrahas.

20. *Respice in testamentum: quia repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.*

20. Pactum cum populo tuo initum aspice, in quo opem afflictis in hostes iniquos polliceris. Nunc viles et abiecti satellites, et in terra obscuri, repleti sunt rapinis per vim ac nefas ereptis, quibus domos suas amplas scelere partas repleverunt.

21. *Ne avertatur humilis factus confusus: pauper et inops laudabunt nomen tuum.*

21. Ne patiaris supplices tibi pios omnes, cultuique tuo consecratos, a te recedere repulsam passos. Non enim hostes nostri superbientes, sed nos populus tuus divitiis, omnique præsidio nudati, nomen tuum, et gloriam, potestatemque prædicamus.

22. *Exurge Deus, iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.*

22. Nobis itaque prostratis vindex exurge, tua res agitur et causa, cum impii templum tuum profanent, tu illos iudica atque condemna. Ostende quam memori teneas animo blasphemias omnes, quas in te velut imbellem et enervem, sacrilegi coniecerunt, atque intoleranda amentia dies totos effutire pergunt.

23. *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

23. Ne obiecta in te hostium tuorum probra sine merita vindicta excidant. Omni sunt supplicio dignissimi, cum eorum superbia in dies singulos fiat auctior, tibique omnes magis ac magis insultent.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta cura servos suos tuetur Deus, et impios punit.

55. *Ordo Sectionis.* In prima Sectione succurri sibi petit populus Dei, ob hostium suorum impietatem et scelera. In secunda, ob Dei potestatem. In hac tertia, idem postulat, ob suam virtutem et hostium superbiam Deo ipsi insultantem.

Ac primo, sex motiva profert, quibus Deus moveatur ad auxilium ferendum. Primo, quia Deum unum verum profitetur spretis Antiochi idolis, v. 19. *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.* Secundo, quia est ad paupertatem redactus, ob illam confessionem: *Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.* Tertio, quia Deus promisit opem, v. 20. *Respice in testamentum tuum.* Quarto, quia de bonis piorum scelera sua nutriunt impii: *Quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ, domibus iniquitatum.* Quinto, quia populus Dei se humiliat, vers. 21. *Ne avertatur humilis factus confusus.* Sexto denique, quia liberatus, Deum laudabit: *Pauper et inops laudabunt nomen tuum.*

Secundo, hostes atteri petit. Primo enim, Deum hortatur, ut suum tribunal ascendat, v. 22. *Exurge Deus.* Secundo, sententiam ferre: *Iudica causam tuam.* Tertio, blasphemiam punire: *Memor esto improperiorum tuorum.* 1. Quod ea blasphemia sit continua: *Eorum quæ ab insipiente sunt tota die.* 2. Ab odio profecta, v. 23. *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum.* 3. Quod singulis diebus augeatur: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

ARTICULUS I.

A feris, et aliis incommodis, servos suos custodit Deus.

56. *Vers. 19.* In medio satellitum ac tyrannorum, velut in medio leonum, et ursorum positi, Machabæi ad Deum clamant, v. 19. NE TRADAS BESTIIS ANIMAS CONFITENTES TIBI: ET ANIMAS PAUPERUM TUORUM NE OBLIVISCARIS IN FINEM, id est semper. Nota, anima ponitur synecdochice pro toto homine; 2. pro vita, et quidem hic secundo loco ponitur חיה *chaia*, id est vita; 3. tamen etiam respectum habent præcipuum ad animas proprie dictas, quibus timebant confitentibus Deo, id est profitentibus veram Dei fidem: nam Antiochus Epiphanes seu potius Epimanes, id est fu-

A riosus et efferatus, instar feræ discerpebat omnes qui a Dei veri cultu non recedebant: verius illi dederis *cor feræ*, quam Nabuchodonosori, Dan. 4. 13. Menelaus creatus ab ipso Pseudopontifex nihil habebat dignum Sacerdotio: animos vero crudelis tyranni, et *feræ belluæ* iram gerens, 2. Machab. 4. 25.

57. *Sancti varii a feris servati sunt.* Nota, Sancti Deum confitentes, ac præsertim Martyres, a feris servati sunt. Primo a leonibus S. Pontianus Martyr, Ss. Faustinus et Iovita, Ss. Eleutherius et Evanthia, atque alii. Secundo, ursus obedit S. Columbano, et cervum occisum non devorat. Ursi quatuor et leones duo in Ss. Abdonem et Sennem immissi in amphitheatro ad eorum pedes se abiecerunt, spectante atque frendente Valeriano, ut refertur in vita S. Laurentii apud Surium die 10. Aug. Tertio, pardus et sævus ursus contra S. Mammetem martyrem missi sunt, sed ei non nocuerunt. Pardus autem lenis et mansuetus, in eius humeros citra ullam insiliebat molestiam, lingua abstergebat eius sudorem, et eum demulcebat, perinde ac eum deliniens, et ægre ferens ea

B quæ patiebatur. Leo autem e monte descendens multos gentilium occidit, ut ait Metaphr. in eius vita 17. Aug. Eum prius variæ feræ lacte suo nutriebant in monte, in quo Deum colebat: sicut cervæ et aliæ feræ S. Florentium, postea Episcopum Argentinensem, ut tradit Surius die 7. Novemb. Quarto, omne ferarum genus producitur, sed Sanctis non nocent. Metaphr. in Actis S. Pantaleonis, seu Panteleemonis sic ait: *Feræ quidem propemodum ne feræ quidem videbantur, sed tamquam animalia prudentia, et ex numero eorum, quæ sunt ratione prædita, cum magna reverentia accedebant ad Martyrem, suaviter blandientes, benignaque et medicante lingua pedes tangentes: et alioqui inter se contendebant, quænam prima ad eum accederet, et non prius recederet, quam Martyr ei manum imposuisset, et ei benedixisset. Licebat ergo videre rem maxime novam, et longe iucundissimam, homines quidem mutatos in ferarum sævitiam; rursus autem videri feras, tamquam ratione præditas, et credi humanam habere mansuetudinem. Ii certe, qui aderant admirati id quod*

C *factum fuerat, clamabant: Magnus est Deus Christianorum, qui quidem solus est et verus: et dimittatur iustus. Quid igitur. Qui vere erat ferus et crudelissimus, Imperator iram infert in bestias, et omnes statim tollit de medio, perinde ac eis invidens prudentiam, et non potens ferre earum reprehensionem.* Quinto denique, nec vipera S. Paulo, nec scorpius nocuit S. Demetrio martyri; de quo

sic habetur apud Metaphr. oct. 8. In carcerem coniectus dicebat: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina.* Quoniam tu es patientia mea, Domine spes mea a iuventute mea. In te confisus sum ab utero. A ventre matris meæ tu es protector meus, in te laudatio mea semper. Psallam Deo meo quamdiu fuero. Propterea exultabunt labia mea, quando psallam tibi, et lingua mea meditabitur iustitiam tuam. Peractis precibus, videt scorpium e terra proserpentem, qui et stimulum erexerat, et eius pedem erat puncturus. Ille autem cruce munitus, cum eum invocasset, qui dedit suo figmento calcare posse serpentes et scorpios, illum reddit mortuum, vel potius eum qui intelligentia percipitur, scorpium, qui in eo latebat. Statim autem divinus ei apparuit angelus, eius capiti coronam imponit, dicens: Pax tibi, Christi athleta: esto fortis, et te virum præbe: ita in eius actis.

58. A tyrannorum feritate liberat Deus. Nota secundo, tyranni, et eorum satellites sunt immanissimæ feræ: hinc S. Ignatius dicebat, se traditum esse decem Leopardis, id est militibus barbaris, custodiendum et ducendum Romam. S. Paulus 2. ad Timoth. 4. 17. dicit: *Liberatum se fuisse ab ore leonis*, id est Festi Præsidis Iudææ, ut explicat Primasius: seu potius ex ore Neronis crudelissimi, ut ait Œcumenius et S. Thomas. In homines enim instar feræ grassabatur. Vide Tacitum lib. 15. Ab his feris servat Deus servos suos. Attilam quidem a Parisinis avertit S. Genovefa, a Trecensibus S. Lupus eorum Episcopus, ab Aurelianensibus S. Aianus item Episcopus, a Romanis S. Leo. Saporem regem Persarum amovit a Nisibenis S. Iacobus eorum Episcopus. Assisiates servavit a Saracenis S. Clara.

Nota tertio, oblivisci dicitur Deus, cum non iuvat sensibiliter, sed in afflictione ac tormentis relinquit. Securus esto, Deus scit labores tuos, Rex tuus et pater est, tibi tuisque rebus providebit. Plinius in Traiani Imp. panegyrico ait: *Tam velox, Cæsar, potentia tua est, tamque in omnia intenta bonitas, et accincta, ut tristius aliquid sæculo tuo passis, ad remedium salutemque sufficiat, ut scias.*

59. Pauperes amat et iuvat Deus. Nota quarto, Deus amat et iuvat pauperes suos, id est, qui eius amore sunt pauperes, vel paupertatem tolerant. Iacobi 2. 5. *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* S. Ambrosius serm. 89. Est sanctis viris semper dives ipsa paupertas. S. Hilar. canon. 13. in Matth. Cælestes divitiæ nonnisi damno sæculi possidentur. S. Ambr. lib. 6. Hexaemer. cap. 8. divites exterret, ac pauperes consolatur. Sic autem loquitur: Attende tibi dives, quia et tu carnem portas, sicut pauper. Attende tibi pauper, quia anima tua pretiosa est: et si caro mortalis, diuturna anima: et si tibi deest pecunia, non deest gratia: et si non est domus ampla non diffusa possessio, cælum patet, terra libera est. Omnibus in commune elementa donata sunt. S. Chrysost. hom. 13. in Acta Apostolorum: Dives, ait, nihil aliud esse videtur, quam civitas absque muris in agro sita, et undique insidiantibus exposita: paupertas vero, securum præsidium æreis muris et expugnatu difficile: ita ipse. Vide dicta in illud Psalm. 9. 28. *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Apte illi versui et nostro adaptabis emblema positum in Collegio Anglorum Soc. Iesu Leodii: ut enim illius alumni ostenderent, omnia se Maximiliano Bavaro Sac. Rom. Imperii Electori, et fundatori suo debere, hortum pinxerant variis distinctum areolis, et floribus respersum, quem sol radiis suis collustraret, cum hac inscriptione, *Aspice, ut aspiciar.* Nisi enim sol flores et herbas lumine et calore suo foveat ac vegetet, omnia intereunt.

60. A Dei promisso, et ab hostium malitia, petit populus
Vers. 20 hic loquens argumentum, ut auxilium postulet, vers. 20. RESPICE IN TESTAMENTUM (Hebr. בְּרִית *berith*, id est pactum, fœdus) TUUM: QUIA REPLETI SUNT QUI OBSCURATI SUNT TERRÆ DOMIBUS INIQUITATUM. Sensus est, q. d. Si non vis nos respicere, saltem respice pactum, sive testamentum, quod fecisti cum patribus nostris, ut esses
Obscurati terræ. nobis in Deum, nosque protegeres ac defenderes in terra quam nobis dedisti. Quoniam, qui obscurati sunt terræ, id est, qui obscuri sunt in terra, viles et barbari homines. Repleti sunt domibus iniquitatum: id est, abundant iam domibus, sive palatiis, inique nobis ereptis. Illud *obscurati terræ*, obscurum est: et ideo variis modis exponitur, sed res non est magni momenti: et facile est, ut Latinus interpres dixerit, *obscurati*, pro obscuri. Obscuri autem terræ ii dicuntur, qui non sunt ullius nominis in terra. Illud autem, *domibus*, in Hebræo non est domibus, sed habitationibus desiderabilibus et pulchris, qualia sunt egregia palatia: ita Bellarminus.

Nota, Christus est sol animarum nostrarum: divitiæ 61.
sunt terra, quæ se interponens inter cælestem illum solem Avaritia parit caliginem.
et animas nostras obscuritatem facit. *Obscurati terræ*, sunt divites avari, qui in terra, a terra, e per terram, in tenebras incidunt. Aurum amat umbram et caliginem. Isaiæ 45. 3. ubi habemus in Vulgata, *thesauros absconditos*, in Hebræo est, *thesauros caliginis*. Erigenda est anima ad lucem cæli, cum cælestis sit: fugiendus est Plutus, qui Deus est auri atque inferorum. Id monet S. Chrysologus, serm. 22. *Aurum de profundo terræ, anima de excelsis cæli. Melius proinde est, ad sedem animæ deferri aurum, quam in sepulcro auri anima demergatur.* S. Gregorius Nyssen. Orat. 3. de Oratione Dominica, pag. 735. ait, pios terram tantum tangere, ἄκρῳ τῷ ποδί, summo pede. Clemens Alexand. docet, Christianos veteres in extrema oratione pedes attollere consuevisse, cum scilicet diceretur, Amen. Secundo, non anima tantum ad lucem est traducenda, sed etiam ipsa pecunia, eam e thesauris extrahendo, et dando Christo per manus pauperis. S. Chrysol. sermon. 8. pauperis manum nominat gazophylacium Christi: quia, ut ait, *quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, ut accipias cælum: da nummum, ut accipias regnum: da micam, ut accipias totum.* S. Chrysost. sermon. 48. in Genesim: Facilis hæc transvectio, ait, secure illuc transferimus, et in thesauro indeprædabili reponimus, quæcumque per pauperum manus præmittimus. S. Cyprian. de Opere et eleemosyna: *Patrimonium*, inquit, *Deo creditum, nec Resp. eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit, in tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur.*

Nota secundo, sæpe domus divitum sunt domus iniqui- 62.
tatum. Nam ibi Dominus est iniquus, uxor, liberi, servi: Avaritia est causa scelerum.
parietes ipsi sanguine pauperum coaluerunt, supellex iniquitate et rapinis parta est. Bias Philosophus nimium divitiarum appetitum, seu avaritiam, vocabat κακίας μητρόπολιν, malitiæ metropolim. Philo lib. de Iudice, pag. 556. Qui, ait, assuefacit se ad avaritiam, quæ est ὁρμητήριον παθημάτων, arx omnium iniquitatum, etc. S. Paulus 1. Timoth. 6. 20. eam vocat radicem omnium malorum. Divitias absconditas, et non in pauperes erogatas, vocat Christus iniquas. Ait enim Luc. 16. 9. *Facite vobis amicos de* Mammona cur
mammona iniquitatis, id est, iniquo iniquitates et scelera vocentur divitiæ.
causante. Ubi adverte, quod S. Hieron. deducit mammona a voce מוֹנָה *mona*, id est violentia: et divitias putat vocari mammona, quia de iniquitate collectæ sunt. 2. Angelus Caninius deducit mammona ab אמן *aman*, id est, firmare, stabilire: quia, ut ait Salomon Prov. 10. 15. *Substantia divitis, urbs fortitudinis eius.* 3. S. Irenæus deducere videtur mammona ex מום *mum*, hoc est macula: et הון *hon*, id est divitiæ, opes, q. d. Macula divitiarum. Avaritia enim mentem inquinat. 4. Et optime, mammona dicitur a verbo טמן *taman*, id est abscondit; hinc Hebr. divitiæ et thesauri vocantur *matmon*, Chaldaice ob euphoniam *mammon*, Syriace *mammona*, q. d. Absconditum. Ne abscondas tuas divitias, et non erunt mammona iniquitatis, neque mentem tuam obscurabunt terra sua.

Divitibus terra oppletis opponit pauperem extenuatum, 63.
v. 21. NE AVERTATUR HUMILIS (Hebr. דך *dach*, id est Vers. 21.
pauper: ita Pagninus; confractus: ita S. Hieron. contritus: ita Campensis) FACTUS CONFUSUS: PAUPER ET INOPS LAUDABUNT NOMEN TUUM.

Nota, humilitas Primo nos convertit ad Deum. S. Aug. Humilitas nos convertit ad Deum.
lib. 16. de Civit. cap. 4. *Tutam*, ait, *veramque in cælum*

viam molitur humilitas, sursum levans cor ad Dominum. B. Umbertus cap. 37. de Utilit. humil. *Humilitas,* inquit, *est fundamentum spirituale ædificium, ne cadat, sustentans, et scala ad cælestia nos sublimans.* Secundo, humilitas Deum convertit ad nos. Luc. 1. 48. ait Deipara: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* De virtute humilitatis id exponunt S. Aug. S. Bernard. S. Ildephonsus, et alii. S. Augustinus serm. 2. de Assumptione sic ait: *O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, et hominum animas liberavit. facta est Mariæ humilitas scala cælestis, per quam Deus descendit ad terras. Quid enim est dicere, respexit, nisi approbavit? Multi enim videntur in conspectu hominum humiles esse, sed eorum humilitas a Deo non respicitur. Si enim veraciter humiles essent, deinde ab hominibus non se laudari vellent, non in hoc mundo, sed in Deo spiritus eorum exultaret:* ita Augustinus. S. Bern. adhuc ad psalmum nostrum accommodatius homil. 1. super Missus est: *Potes,* inquit, *sine virginitate salvari, sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas quæ virginitatem deplorat amissam: sine humilitate, audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset. Super quem, inquit, requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum? super humilem dixit, non super virginem. Si igitur Maria humilis non fuisset, super eam Spiritus sanctus non requievisset.* Tertio itaque, non avertitur humilis factus confusus, sed a Deo obtinet quod requirit: nam humilitas in tempestate dat portum. Manuel. Imp. Orat. 7. Humilitas, ait, virtutum terminus, et requies et portus salutaris. 2. Humilitas in prælio tuetur. S. Ephrem de Imitat. Proverb. Quemadmodum, ait, scutum militi, sic etiam monacho est humilitas. 3. In obsidione servat. S. Chrysost. hom. 21. in Epist. ad Rom. Nihil, ait, humilitate potentius, petra est fortior et adamante solidior, et in maiore nos securitate collocat, quam queant vel turres, vel urbes, vel muri. Ut igitur in solida simus petra fundati, relicta arrogantia, humilitatem sectemur: hæc Chrysostomus.

Et Deum ad nos.

64. Nota secundo, in paupertate et afflictione Deus est laudandus. Hoc fecerunt Martyres. Cum post varia tormenta iuberet Maximus Præses capiti S. Taraci prunas imponi, dixit S. Martyr: *Et si totum corpus meum excoriari iubeas, non tacebo a Deo meo, qui me fortem facit, ut sustineam arma malitiæ tuæ.* Sirenes in mediis undis cantant. Hieronymus Columna dux Paliani, ac Præfectus copiarum regis Ferdinandi, ut se etiam in rebus perturbatis securum fore ostenderet, Sirenem pingi curavit, vetus familiæ ad galeæ apicem ornamentum, eique hanc inscriptionem addidit: *Contemnit tuta procellas.*

In paupertate et afflictione laudandus Deus.

65. Nota tertio, paupertas efficit, ut Deum laudemus. Primo, quia tollit ab animo spinas anxietatum, quas divitiæ pariunt. Lactantius lib. 6. cap. 12. vocat paupertatem, sollicitudinum portum. Secundo, pauper nihil habens nec obstans in terra, oculos erigit in cælum, et Christum unum respicit, amat, sequitur, laudat. S. Hilar. Canon. 16. in Matthæum: Contemptu universorum, ait, Christus sequendus est, et æternitas spiritualium terrenorum est damno comparanda. Cæsar dux Mutinæ, ut denotaret invidos se atque æmulos superaturum, solem pinxit inter nubila, cum hac epigraphe, *Obstantia solvet;* idem faciet Deus pauperi se unum aspicienti ac laudanti. Tertio, pauper laudat Deum quia est cæli civis, et ipsius est regnum cælorum. *Opus autem angelorum,* ut ait S. Basilius hom. 1. in Ps. 28. *laudare Deum;* hom. 2. ibid. docet, virum pium esse templum Dei; et S. Chrysost. pauperem vocat aram Christi. Sic enim loquitur hom. 20. in 2. ad Corinth. *Cum vides pauperem, corpus Christi, aram Christi videre te existima, et reverere, ac eleemosynæ sacrificium offer: unde gloria, et gratiarum actio, quasi fumus ascendat ad Deum:* ita ipse. Paupertas est ara Christi divitibus, ut dona et victimas offerant: est etiam ara Christi pauperibus, ut vota et preces fundant.

Paupertas facit, ut Deum laudemus.

66. Tandem populus afflictus, seu Machabæorum cœtus petit Antiochum aliosque hostes suos puniri, v. 22. EXURGE DEUS, IUDICA CAUSAM TUAM (S. Augustinus, meam. Apollin. nostram) MEMOR ESTO IMPROPERIORUM TUORUM (S. Hieron. opprobrii tui, id est, tibi facti) EORUM QUÆ AB INSIPIENTE (Chald. *a rege stulto:* ab Antiocho Epiphana, seu potius Epimane, id est furioso) SUNT TOTA DIE. Antiochus enim toto regni sui tempore, id est per annos tredecim afflixit Iudæos fideles, et in Deum blasphemus fuit, sed præsertim anno regni nono insaniit. Vers. 22.

Et v. 23. NE OBLIVISCARIS VOCES INIMICORUM TUORUM: SUPERBIA EORUM, QUI TE ODERUNT, ASCENDIT SEMPER. Vers. 23.

Nota, sancti viri ab impiis oppressi ad Dei iudicium recurrunt. Primo, David Ps. 42. 1. *Iudica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta.* Vide illum locum. Secundo, cum Maximus ignitos obeliscos sub S. Taraci axillas, figi iuberet, sanctus Martyr oculis in cælum intentis exclamavit: Respiciat Dominus de cælo, et iudicet. Tertio, cum S. Probo Martyri post ignitos obeliscos dorso infixos vinum et carnes in ara pollutæ in os per vim infunderentur, dicebat: Videat Dominus, et aspiciat de altissimis sedibus suis vim, et iudicet iudicium meum. Quarto, ultionem a Deo petunt Martyres Apoc. 6. clamant enim: *Usquequo Domine, sanctus et verus, non iudicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?* Illæ animæ Martyrum dicuntur fuisse sub altare, quia ibi eorum corpora condi solebant. Quinto, cum Dunaan tyrannus Nagranum oppidum dolo cepisset, atque insigni perfidia S. Aretham et socios ad negandam fidem compellere niteretur, morti proximi has preces ad Deum fuderunt: Domine, Domine, virtus salutis nostræ, obumbrasti super caput nostrum in die belli. Nunc quoque deduc nos in vitam æternam: quoniam nihil ex omnibus nobis pluris fuit, quam tui dilectio, non patria, non genus, non divitiæ; sed omnia propter te prodidimus, etiam ipsam vitam, et tamquam occisionis oves sumus reputati. Et nunc te supplices rogamus, fiat ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est. Extolle manus tuas in superbias eorum. Suscipe ac defende filios eorum, qui pro te moriuntur. Corrobora civitatem, quæ gloriatur tuo pretioso sanguine, et cruce, et perpessionibus. Vides, quemadmodum eam affecerunt tui inimici: attonderunt eius ornamentum, profanarunt sanctuarium tuum, templum sanctum tuum exusserunt, etc. pene similia sunt in psalmo nostro. Surrexit Deus, et Antiochum et eius varios duces sæpe graviterque punivit, ut dictum est supra. Tu time sanctos viros lacessere, qui tacentes petunt vindictam atque exaudiuntur, sicut sanguis Abel. 67.

Sancti afflicti ad Dei iudicium provocant.

Et vindictam petunt.

Nota secundo, divitiæ et honores sæpe hominem impotentem sui faciunt, et Dei oblivionem contemptumque inducunt. S. Hilar. in Ps. 51. *Insolentes præstat opulentia, et maxime timorem Dei divitiarum fiducia inanis avertit.* Id patuit in Pharaona, Nabuchodonosore, Antiocho et aliis. Hunc fastum generosi heroes terra maiores, quorum iam conversatio in cæiis est, stultitiam reputant. S. Andronicus Martyr, iubente præside, ignitos obeliscos intra eius digitos poni, ait: Insensate Dei contemptor, omni cogitatione Satanæ plenus es totus: et quia vides corpus meum consumptum a pœnis tuis, putas quod timeam artes tuas? Habeo Christum Dei Filium in me, et contemno te. Vide septem Machabæorum robur in Antiocho et eius divitiis atque honoribus spernendis generosum animum, lib. 2. Machab. 7. 68.

Divitiæ tollunt timorem Dei.

Nota tertio, iudicat Deus causam suam puniens improperantes sibi, et templa sacrilege profanantes, ut supra fecisse Antiochum dicitur, vers. 5. et seqq. Orbem decurramus, ubique cernemus impressa Dei vindicis in sacrilegos supplicia. 69.

Sacrilegi puniti.

Primo in Asia, Heliodorus a Seleuco rege fratre natu maiore Antiochi Epiphanis, missus ad expilandum Ierosolymæ templum ab angelis conteritur et flagellatur. 2. Machab. 3. 5. *Apparuit illis quidam eques terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit: qui autem ei sede-* I.

In Asia.

bat, videbatur arma habere aurea. Alii etiam apparuerunt duo iuvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu; qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Antiochiæ quoque Syriæ metropoli Iulianus avunculus Imperatoris ob sacra templi vasa direpta et profanata misere periit. Sozomen. lib. 5. cap. 7. rem sic narrat: Cum id temporis Iulianus hic serio moliretur pretiosissima monimenta Ecclesiæ Antiochenæ in Syria positæ, quæ plurima erant, in æraria Imperatoris transferre, et Ecclesias quoque occludere, omnes illius clericos fugæ se mandasse uno excepto Theodorato; quem, quod thesauros nollet ostendere, securi feriri præcepit. Ubi vero vasa sacra abripuerat, proiectis illis in terram, cœpit petulanter Christo illudere, blasphemias pro sua libidine iacere, ad extremum super vasa sedere, sicque factam iam contumeliam adaugere. Sed illico post, membrum genitale et meatus illi, quos natura ad necessitatem circa illud locavit, ei contabescunt: et carnes illis corporis partibus circumdatæ, καταπεπτωκυίας εἰς σχώληκας μετέβαλον, putrescentes in vermes convertuntur: morbus denique ita crevit, ut artem medicorum longe superaret. Nihilominus tamen medici partim reverentia erga Imperatorem, partim metu adacti, nullum non medicamenti genus in eo experti sunt. Et quamquam complures aves magno pretio comparatas mactantes, pinguedinem earum ad partes putredine exesas applicabant, et vermes ad cutis evocabant extremitatem, nihil tamen profecerunt. Nam in intimis partibus abditi, ad carnes vivas integrasque serpsere, et nunquam a rodendo destitere, donec hominem enecassent. Itaque hanc cladem, ut videtur, ira divina ei inflixit. Quod etiam accidit tum thesauri regii custodi, tum aliis nonnullis ad amplos dignitatis gradus in aula Imperatoris elatis, qui contra Ecclesiam iuveniliter insultantes, velut ab ira divina condemnati, exitum vitæ, ut mirandum, ita plane miserabilem consecuti sunt.

II. In Africa. Secundo, in Africa puniti sunt templorum violatores, et præmio affecti templorum honori consulentes. Evagrius utrumque declarat lib. 4. hist. cap. 15. Cabaonem, inquit, narrat Procopius Maurusiis circa Tripolim habitantibus præfuisse. Iste Cabaones simul atque accepit Vandalos contra se arma tulisse, ista egit. Primum edicit omnibus, qui eius ditioni parebant, ut tum ab omni iniustitia, tum a cibariis quæ ad luxum facerent, tum maxime omnium a consuetudine mulierum se abstinerent. Deinde duo valla construxit, in quorum altero ipse una cum viris omnibus castra locavit: in alterum mulieres conclusit; minatusque est, si quis forte ad vallum mulierum iret, eum mulctatum iri morte. Postea missis Carthaginem exploratoribus imperat, ut simul atque Vandali in expeditione constituti templum aliquod a Christianis cultu et veneratione dignatum turpiter violare aggrederentur, ipsi quæ facta essent diligenter considerarent: et cum Vandali ex eo loco abiissent, contra quam fecissent Vandali, purgare, cohonestareque conarentur, eumque dixisse fertur, se Deum quem colebant Christiani ignorare quidem: esse tamen verisimile, si tam potens sit quam prædicatur, et ulturum eos qui ipsum afficiunt ignominia, et qui honore et observantia prosequuntur, eos defensurum. Speculatores igitur cum venissent Carthaginem, dedere operam, ut bellicum Vandalorum apparatum penitus cognoscerent. Ac simul ut Vandali, Tripolim versus, iter susceperunt, speculatores habitu vili et abiecto induti sequuntur. Vandali autem templa Christianorum, sicut primo die, spoliare aggrediuntur, equos aliaque animalia in ea inducere: nihil denique turpitudinis prætermittunt aut contumeliæ, sed suam ipsorum libidinem cœperunt et intemperantiam explere: Sacerdotes quos prehenderunt verberibus cædere, lacerare eorum terga, ex illisque complures sibi servire mandarunt. Ut primum vero inde discessere, speculatores Cabaonis faciunt, quod illis fuit imperatum. Nam statim aggrediuntur templa purgare, fimum et si quid aliud per impietatem ingestum fuit, diligenter educere, omnes accendere cereos, prosequi magna reverentia sacerdotes, et cæteris humanitatis officiis complecti: pauperibus denique, qui circa templa illa considebant, pecuniam erogare. His rebus gestis Vandalos sequi, et ex eo tempore per iter universum ut Vandali similia consciscere scelera, sic speculatores pietatis officiis perfungi non destiterunt. Ubi propius ad Tripolim ventum est, speculatores antevertunt: nuntiant Cabaoni, quæ tum Vandali, tum ipsi in Christianorum templa præstitissent, et quod hostes essent in proximo. Quibus auditis, Cabaones parat se ad prælium, in quo magna pars Vandalorum interiit: multi ab hostibus capti, perpauci autem, ex eo exercitu domum reverterunt: Ita Evagrius ex Procopio. Adde, Proculum a Genserico Vandalorum rege in Eugitaniam provinciam missum, et in templa impium, sibi frustulatim linguam dentibus præcidisse, et interiisse.

Tertio, in Europa sacrilegi puniti sunt: Primo, Italia vidit Arriani Episcopi punitionem, quam narrat S. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 29. Cum, ait, ad Spoletanam urbem Longobardorum Episcopus Arrianus venisset, et locum illum ubi solemnia sua ageret, non haberet, cœpit ab eius civitatis Episcopo Ecclesiam petere, quam suo errori dedicaret. Quod dum valde Episcopus negaret, idem qui venerat Arrianus beati Pauli Apostoli Ecclesiam illic cominus sitam se die altero violenter intraturum esse professus est. Quod eiusdem Ecclesiæ custos audiens, festinus cucurrit, Ecclesiam clausit, seris munivit. Facto autem vespere lampades omnes extinxit, seque in interioribus abscondit. In ipso autem subsequentis lucis crepusculo Arrianus Episcopus collecta multitudine advenit, clausas Ecclesiæ ianuas effringere paratus. Sed repente cunctæ simul portæ apertæ sunt, atque cum magno sonitu omnia Ecclesiæ claustra patuerunt. Effuso desuper lumine omnes quæ extinctæ fuerant lampades accensæ sunt. Arrianus vero Episcopus, qui vim facturus advenerat, subita cæcitate percussus est, atque alienis iam manibus ad suum habitaculum reductus. Quod cum Longobardi in eadem regione positi omnes agnoscerent, nequaquam ulterius præsumpserunt Catholica loca temerare. III. In Europa.

Secundo, in Gallia, Theodorici regis milites sacrilegi puniti sunt. S. Gregor. Turonen. lib. 3. Hist. Franc. cap. 12. rem narrat. Nonnulli, ait, ad Basilicam S. Iuliani perveniunt, confringunt ostia, seras removent: resque pauperum, quæ ibidem fuerant aggregatæ, diripiunt, et multa in hoc loco perpetrant mala. Verumtamen auctores scelerum a spiritu immundo correpti, infestis dentibus propriis se morsibus lacerant, clamantes atque dicentes: Cur nos Martyr sancte sic crucias? Idem S. Pater lib. 7. cap. 35. Guntranni regis milites basilicam S. Vincentii martyris, quæ est iuxta terminum Agennensis urbis deprædantes graviter mulctatos fuisse docet. Multos, inquit, ibi ultio divina conteruit. Nam plerisque manus divinitus urebantur, emittentes fumum magnum, sicut ex incendio surgere solet. Nonnulli arrepti a dæmone per energiam debacchantes Martyrem declamabant. Plurimi vero semoti a seditione propriis se iaculis sauciabant. Reliquum vero vulgus inane non sine grandi metu progressum est.

Tertio, in Hispania, Gundericus Crosci successor in regno Vandalorum, cum capta Hispali in Ecclesiam Dei impias manus extenderet, a dæmone correptus interiit, ut eorum annales referunt. Veremundus II. quoque Hispanorum rex aggressus Gallæciæ provinciam Compostellanam diripuit Ecclesiam: a corpore tamen S. Iacobi abstinuit perterritus obviis, ut aiunt, fulminibus: ex eoque metu soluta alvo eum incidisset in morbum dysenteriæ, ægre convaluit, multique eius milites internecino mortis genere absumpti sunt, ut narrat Ritius lib. 2. de regibus Hispanorum.

Quarto, in Anglia, Henricus V. Angliæ rex, cum S. Fiacrii templum in Gallia spoliasset, morbo Fiacrii correptus est, quo omnia eius viscera prius computruere. Cum inexpugnabilem morbum esse intelligeret, interrogavit quisnam esset, fuissetve is Fiacrius? Responsum est, filium Scotiæ olim regis. Tum Henricus: ergo hæc gens in

nostrum excidium nata videtur, quæ domi, foris, vivens, mortua, etiam in divos relata, exitium nobis parit, ut ait Cardanus lib. 15. de Rerum Variet. cap. 81.

Quinto, in Flandria, Henrico II. Gandavum oppugnante, sacellum D. Levini Holtanense spoliare conantes, oculis privantur. Quo facto Imperator ad aram sancti supplex pro se et suis Deum invocavit, ædiculamque donis amplissimis locupletavit, ut ait Iacobus Meier in Chronico Flandriæ.

Sexto, in Germania, Saxones cum in Hassos tempore Caroli Magni irrumperent, et Buriaburgi templum a D. Bonifacio consecratum exurere niterentur, cælitus subito terrore perculsi terga vertunt, domumque pavidi revertuntur: ita Aventinus, lib. 4. Annalium Boiorum.

Septimo, in Polonia, Prædislaus Bohemorum dux Poloniam infestis armis ingressus anno 1038. Gnesnam Metropolim cepit, cumque iussu ipsius, milites ad basilicæ spoliationem se accingerent, iamque irrumpere conarentur, subito cæcitate et lethargo divinitus corripiuntur, ait Cromerus lib. 4.

Octavo, in Hungaria, Colomannus Hungariæ rex fratrem Almum excæcatum regnandi libidine in cænobium detruserat. Moriens, ne Stephanum filium suum regno privaret, eius trucidandi negotium Benedicto cuidam dedit. Is Almum ab ara, ad quam fugerat, tanta vi abstraxit, ut digitorum extremo cutis abraderetur. E sacerdotum accurrentium manibus vix elapsus impius Benedictus, equo inter fugiendum statim excussus est, et illiso mox capite interemptus, atque a canibus ut diris ultricibus, ita frustillatim dilaniatus est, ut ne minima quidem particula superfuerit, ut refert Bonfinius in hist. Hungarica.

70. Blasphemi a Deo puniuntur. Nota quarto, Iudicat Deus causam suam puniens blasphemas voces inimicorum suorum. Exempla protuli Psal. 11. 4. Pœnas illis furiis interminantur sancti Patres. S. Ephrem in Parænesi 43. sic ait: Audes aperire os tuum audacter, et in cælum verba emittere, iuramenta atque blasphemias? et non times ne forte *falx ignea*, quam Propheta Ioel vidit cap. 3. 13. demoretur in domo tua, donec ex ea quæ sub cælo est, te excidat, dum sic audes os aperire adversus Deum Omnipotentem? in quem Angeli, Archangeli, Cherubim et Seraphim non audent oculos coniicere? S. Chrysost. homil. 3. contra Anomæos: Qui, ait, Deum blasphemant, et pro nihilo putant, ipsi lædunt salutem, et perimunt. Verissima namque illius sententia est, quam blasphemis intentat hominibus. Eccl. 27. 28. *Lapidem qui sursum iaciunt, in ipsorum caput iaciunt.* Ut enim qui lapidem illum iaculatur, corpus cæleste non attingere, nedum lacerare potest, plagam autem suo capite excipit, cum lapis eodem unde iaculatus est, redeat: ita qui beatam illam blasphemat substantiam, sicut nunquam offendere eam potest, sic ferrum adversus animam suam acuit et parat, cum se ingratum Domino bene merenti exhibet: ita ipse. Alio simili S. Cyprian. utitur ad Iubaianum de Baptiz. hæret. *Si*, ait, *cuius Patri aliquis convicium fecerit, si contumeliosus et procax pudorem eius et honorem maledico ore laceraverit, indignatur filius et irascitur, et læsi patris iniuriam quibuslibet modis vindicare conatur. Tu Christum putas impiis, et sacrilegis, et in Patrem suum blasphemis, impunitatem dare?*

Causam improperiorum, et blasphemarum vocum, subdit idem populus, seu Machabæorum cœtus, esse superbiam, quæ ascendit, id est crescit semper, donec gigantum bellum Deo indicat, et velit esse similis Altissimo. Unde dicit: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

71. Superbus vult omnibus eminere. Nota itaque quinto, superbus cupit ascendere, ac cæteris eminere. S. Ambrosius lib. de Noe et Arca, cap. 16. *Superbia se extollit in hac terrena fragilique substantia, et immemor divinorum humana despiciens ipsum arrogantis viri habitum incessumque deformat: quales describit Isaias cap. 3. Iudææ filias oculorum micantes nutibus, et alta se cervice iactantes. Sunt enim huiusmodi erigentes supercilia, inflato corde: elato pectore, cervice resupina: qui solum quidem vestigiis pedum perstringant, toto autem se librent corpore; et inani suspendant examine: in priora gressu procedant, ad posteriora verticem reclinantes: cælum spectent, terram autem fastidiant, tamquam cervicis dolore suffixi, ut eam inclinare non possint.* Superbia, ut est speciale peccatum, et est unum de septem capitalibus, est inordinatus appetitus excellentiæ cui debetur honor et reverentia, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 84. art. 2. ad 8. Item superbia proprie respicit defectum subiectionis ad Deum, secundum quod aliquis se extollit supra id quod est sibi præfixum secundum divinam regulam vel mensuram, ut ibidem habetur, et 1. 2. quæst. 77. art. 5. et q. 132. art. 4.

Secundo, superbia semper ascendit, id est crescit. S. Bernard. tract. de 12. Gradibus humilitatis, assignat etiam 12. gradus superbiæ: nempe 1. curiositatem. 2. Mentis levitatem. 3. Ineptam lætitiam. 4. Iactantiam. 5. Singularitatem. 6. Arrogantiam. 7. Præsumptionem. 8. Defensionem peccatorum. 9. Simulatam confessionem. 10. Rebellionem. 11. Libertatem. 12. Denique, peccandi consuetudinem. Hos gradus S. Thomas 2. 2. q. 162. art. 4. ad 4. opponit duodecim gradibus humilitatis, illum consule. Appetentiam honoris semper maiorem declarat S. Basil. in Admonitione ad filium suum spiritalem: Superbus, inquit, non se patitur cuiquam esse subiectum, sed semper primatum cupit, et ad maiorem gradum emergere: et quod meritis non potest, ambiendo festinat obtinere. Ambulat semper tumens *velut uter inflatus, et velut navis gubernatore destituta a fluctibus iactatur huc et illuc.* S. Chrysostomus superbum avaro confert, semper maiores divitias sitienti, eumque dæmonem vocat. Verba eius sunt homil. 43. *Nullum malum*, ait, *est par superbiæ. Hominem enim reddit dæmonem, blasphemum, contumeliosum, periurum, cupidum cædium et homicidiorum. Elatus semper in doloribus vivit, semper indignatur, semper mœret, nihil est quod eius possit explere libidinem. Sicut enim avari, quanto plura acceperint, tanto pluribus egent: sic superbi quanto maiori funguntur honore, tanto plus concupiscunt.* Homil. vero 59. superbum stultis annumerat, quod se supra vires suas et naturam conetur attollere, et rem comparatione eleganti explanat: *Si quis*, inquit, *cum statura cubitum non superet, instar montium imo altiorem se putet, atque ideo se quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum eius insaniæ quæremus. Sic cum inflatum videris hominem, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnique opinetur si cæteris hominibus conferatur, nullum iam aliud signum vecordiæ hominis exquiras.*

72. Superbiæ gradus duodecim.

Superbus est miserrimus.

Ex his conclude, citissime eradicandam esse de corde superbiam, ne in dies truncum firmiorem producat, ramos altiores ac latiores, fructusque magis pestiferos. Id consilii dat S. Greg. lib. 24. Moral. cap. 28. *Vitium superbiæ*, inquit, *ab ipsa radice secandum est, ut cum latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne provectu vigeat, ne usu roboretur. Difficile enim in se quisque inveteratam superbiam deprehendit. Quia nimirum hoc vitium, quanto magis patimur, tanto minus videmus. Sic quippe in mente superbia, sicut in oculis caligo generatur. Quo se hæc latius dilatat, eo vehementius lumen angustat. Paulisper ergo elatio in præcordiis crescit, et cum se vastius extenderit, oppressæ mentis oculum funditus claudit, ut captivus animus typhum elationis et pati possit; et tamen, id quod patitur, videre non possit*: ita Gregorius.

PSALMUS SEPTUAGESIMUS QUARTUS.

1. In finem, ne corrumpas. Psalmus cantici Asaph.

2. Confitebimur tibi Deus: confitebimur, et invocabimus nomen tuum.
3. Narrabimus mirabilia tua: cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.
4. Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas eius.
5. Dixi iniquis, Nolite inique agere: et delinquentibus, Nolite exaltare cornu.
6. Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui adversus Deum iniquitatem.
7. Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus: quoniam Deus Iudex est.
8. Hunc humiliat, et hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.
9. Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.
10. Ego autem annuntiabo in sæculum: cantabo Deo Iacob.
11. Et omnia cornua peccatorum confringam: et exaltabuntur cornua iusti.

PSALMI SEPTUAGESIMI QUARTI ANALYSIS.

Propheta noster superborum tumorem et blasphemias advertens, inducit loquentem Christum, qui velut caput Ecclesiæ:

- Deum laudet, 2.
  - Mente, eum confitendo ad eius gloriam. 2.
  - Corde, invocando ad suam utilitatem. 2.
  - Ore, cæteris narrando eius mirabilia 3.
- Superbos admoneat, 3.
  - Iudicium fore de omnibus hominum actionibus, 3. unde,
    - Imperfecti liquescant pavore. 4.
    - Perfecti roborentur. 4.
  - Superbiam cavendam esse
    - In opere. 5.
    - In omissione. 5.
    - In cogitatione. 6.
    - In locutione. 6.
  - A Deo Iudice ipsis non fore effugium, 7.
    - Sive ad Orientem pergant. 7.
    - Sive ad Occidentem. 7.
    - Sive ad Meridiem, aut Septemtr. 7.
  - Superbiam eorum puniendam, 8.
    - Deiectione a sua gloria. 8.
    - Calicis iræ Dei potatione. 8.
    - A pœna in pœnam transitione. 9.
    - Nunquam finiendis suppliciis. 9.
    - Nulla re terrena opem ferente. 9.
- Humilibus applaudat, 10.
  - Auxilium a Deo datum laudando. 10.
  - Superborum contritionem prædicendo. 11.
  - Humilibus exaltationem pollicendo. 11.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, ne corrumpas. Psalmus cantici Asaph.

1. Argum. Psalmi. Hunc Psalmum explicat R. Kimhi de captivitate Iudæorum sub Romanis, quæ nunc adhuc durat, et de futura Christianorum ultione propter illam: sed hoc recte confutat Valentia. Secundo, Lorinus attribuit captivis in Babylone detentis. Tertio, et optime de extremo iudicio sermo est, in quo superbi humiliabuntur. Hæc itaque deiectio illis proponitur, ut caput et cornu demittant, et elatos animos ponant. Arbitror autem præsertim prædici depressionem superborum occasione Antiochi Epiphanis, de quo fuit Psalmus præcedens. Ab eo itaque et pœnis eius temporalibus altius assurgens Propheta prævidet et prædicit ruinam superborum in die extremi iudicii.

A Quæres, quis loquatur in hoc psalmo? Primo, Bellarminus et Lorinus putant compositum esse per modum dialogismi: quamvis non indicetur mutatio personarum nisi per ipsa verba, quæ nunc populi iustorum, nunc Prophetæ, nunc Dei esse ipsa se produnt. Secundo, et probabilius dixeris, Christum hic loqui tamquam caput Ecclesiæ, huic enim totus Psalmi contextus, velut orbis iudici, aptissime quadrat. Prima tamen sententia non est improbabilis: David enim nonnunquam curabat psalmos concini a diversis choris. Sic poterant variæ personæ loquentes induci, ut nunc fit apud nos, cum Passio Christi cantatur. 2. Christus in toto psalmo loquitur.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3. Tria complectitur. Primo, dicit Christus se cum alumnis suis laudaturum Deum, v. 2. Secundo, in iudicio deiecturum peccatores superbos, v. 3. Tertio denique, in cælo exaltaturum iustos humiles, v. 10.

PARAPHRASIS.

2. *Confitebimur tibi Deus: confitebimur; et invocabimus nomen tuum.*	2. Cum te in omnibus actionibus iustissimum videamus, tibi uni laudem et gloriam deferemus: et de viribus nostris nihil præsumentes, te, ut auxilio sis, invocabimus.

3. *Narrabimus mirabilia tua: cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

3. Admirabilia opera tua, sive ad compensationem bonorum, sive ad punitionem malorum, enarrabimus. A te iudex vivorum atque mortuorum constitutus, actiones omnes hominum etiam iustissimas expendam, ut pro meritis præmia pœnasve dispensem.

4. *Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas eius.*

4. Huius terrore iudicii orbis universus omnesque homines intremunt et dissolvuntur. Ego tamen et terræ fundamenta, et iustos Ecclesiæ meæ bases stabilivi, ne prorsus subruantur.

5. *Dixi iniquis, Nolite inique agere: et delinquentibus, Nolite exaltare cornu.*

5. Quare ne a te ad æternam salutem creati homines pereant, dixi impiis: Videte, ne sceleribus vos ullis implicetis: neve inani vos superbia efferri patiamini.

6. *Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui adversus Deum iniquitatem.*

6. Ne de vestra potentia, scientia, et virtute inaniter gloriemini: neve in Deum, tamquam iniustum aut imbellem, blasphemias temere iactetis.

7. *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus: quoniam Deus iudex est.*

7. Neque enim ulla in regione, sive Orientali, sive Occidentali, sive Meridionali, licet in semotissimos et desertissimos montes secedatis, ullus adversus Deum iratum præsidio erit. Omnium enim etiam potentissimorum hominum Deus iudex est, cuius sententiæ refragari nemo potest.

8. *Hunc humiliat, et hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.*

8. Hunc pro sua voluntate deiicit, illum vero ob mentis demissionem exaltat. Calicem enim iræ et furoris tenet Deus, eumque non dilutum, sed meraco severitatis vino plenum, et quidem non unius solum, sed multarum punitionum liquore permistum.

9. *Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.*

9. Atque ex una pœna ad aliam pœnam exhauriendam impios cogit, et ab uno scelerato in alium eam declinat. Licet iam multi ex eo calice potaverint, fæx eius tamen et amarissimum extremumque damnationis æternæ supplicium non est exhaustum: in eo calice iræ divinæ potare cogentur omnes peccatores.

10. *Ego autem annuntiabo in sæculum: cantabo Deo Iacob.*

10. Dum scelerati in debitis suppliciis ingemiscent, Dei iustitiam in æternum prædicabo: et Deo iustorum Salvatori, eiusque benignitati laudes concinam.

11. *Et omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua iusti.*

11. Atque ab eo iudex constitutus, superbiam et potentiam malorum elidam et conteram: atque humilium iustorum gloriam et dignitatem exaltabo.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta mentis demissione Deo serviendum est.

4. Ordo totius psalmi. Hoc in Psalmo Christus supremi Iudicis Dei potestatem et iustitiam demirans homines hortatur, tumidos ut animos premant: ipseque velut caput Ecclesiæ, se suosque Deo Patri in obsequium perpetuum sistit.

Ac primo, pollicetur se ingenua confessione omnia bona Deo tributurum, v. 2. *Confitebimur tibi Deus, confitebimur.* Prece supplici omnia ab illo expectaturum: *Et invocabimus nomen tuum.* Narratione grata omnibus manifestaturum præclara eius opera, vers. 3. *Narrabimus mirabilia tua.*

Secundo, Iudicem se a Patre constitutum, pollicetur fore erga omnes iustissimum, et in superbos severissimum.

Primo quidem, in omnes iustum, vers. eod. 3. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Unde oriatur terror imperfectis, v. 4. *Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea.* Virtus maior perfectis: *Ego confirmavi columnas eius.*

B Secundo, in superbos minas intentat, monetque ne peccent, v. 5. *Dixi iniquis: Nolite inique agere.* Ac ne superbiant: *Et delinquentibus: Nolite exaltare cornu.* Præsertim in Deum, vers. 6. *Nolite extollere in altum cornu vestrum.* Qui ne verbo quidem lædendus est: *Nolite loqui adversus Deum iniquitatem.*

Tertio, rationem affert illius admonitionis, severam impiorum punitionem, quibus nullus possit succurrere, v. 7. *Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus:* supple ullus est, qui servare possit, cum Deus sit qui puniat: *Quoniam Deus Iudex est.* Qui humiles exaltat, superbos deiicit, pro sua voluntate, vers. 8. *Hunc humiliat, et hunc exaltat.* Felicitas enim et infelicitas in eius manu et potestate sunt: *Quia calix in manu Domini, vini meri plenus misto.* Variis hominibus pro arbitrio illas sine difficultate effundit, v. 9. *Et inclinavit ex hoc in hoc.* Sed pœna gravissima restat exhaurienda: *Verumtamen fæx eius non est exinanita.* Quam in æternitate persolvent: *Bibent omnes peccatores terræ.*

C Tertio denique, ait se hæc omnia semper hominibus

A prædicaturum, v. 10. *Ego autem annuntiabo in sæculum.* Deumque ob illam iustitiam laudaturum: *Cantabo Deo Iacob.* Iustos denique depressis impiis exaltaturum, v. 11. *Et omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua iusti.*

ARTICULUS I.

Humilitas erga Deum ut benefactorem.

Christus qui in hoc toto Psalmo solus loquitur, velut Ecclesiæ caput, Deum Patrem admirans præmia iustis distribuentem, et debitis pœnis sceleratos punientem; 5.
ait, v. 2. Confitebimur tibi Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum. Vers. 2.

Et vers. 3. Narrabimus mirabilia tua: cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Vers. 3.

Nota, tria facit humilitas. Primo, laudat Deum. Secundo, eum invocat. Tertio, eius opera prædicat. Hæc tria se cum populo suo facturum Christus clamat. Humilitas tria efficit.

I. Deum laudat, non se. Ac primo, dicit, *Confitebimur tibi Deus, confitebimur.* Biblia Compluteusia et Regia aliaque Græce bis ponunt *tibi:* item S. August. Cassiodor. et alii, q. d. Non nobis ullo modo, sed semper tibi et in omnibus confitebimur. De confessione peccatorum exponit S. Aug. et fuse docet prius esse confitendum Deo quam ipsum invocemus. De confessione laudis verius hunc locum explicabis. Confessio hæc facienda est primo, mente et ore; secundo, in hac vita et in alia; tertio, pro bonis temporalibus et æternis; quarto, pro nobis atque pro aliis. Ideo bis ponitur *confitebimur.* Hoc autem dicit Christus, ut nos doceat per veram et sinceram humilitatem servire gloriæ Dei non nostræ. Franco Affligeniensis Abbas tom. 10. de gratia Dei illud expendens Christi effatum, Luc. 10. 21. *Confiteor tibi pater Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis,* sic ait: Diligens lector diligenter attende, quomodo Dei unigenitus æterno Patri coæternus, cum quo illi una substantia, eadem est gloria, unum idemque consilium, opusque indivisum, quomodo ad solius Patris gloriam omnia sua referat, ut te purum hominem infirmum et impotentem doceat, quo tua omnia, si tamen Deo digna fuerint, referre

debeas: ita ille. Apoc. 4. 10. seniores, id est, senatores et principes, hoc est, Apostoli et Patriarchæ sanctique excellentiores, procidunt ante Deum patrem in throno sedentem, illum adorant, et deponunt coronas suas aureas ante thronum, et dicunt: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem: quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt.* Si mulieres Syræ Cypriorum regum uxoribus in rhedam ascensuris dorsum suum subiiciebant, teste Athenæo lib. 6. quid ante thronum Dei ac Deum ipsum facere nos convenit? Si Deo confitearis confessione laudis ob eius in te beneficia, tum in creatione, tum in gubernatione, et aliis, ille gloriam quam ipsi tribues in te reiiciet. Aristæas in historia Septuag. interpretum, cap. 30. ait, unum ex illis interrogatum a Ptolemæo Philadelpho Ægypti rege, Quid esset in primis gloriosum? respondisse: Honorare Deum, non muneribus et sacrificiis, sed animi puritate: et cogitare atque meditari, quomodo omnia ab ipso creentur et gubernentur secundum eius voluntatem. Syr. et Arab. vertunt, gratias agemus tibi Domine.

6. II. Humilitas Deum invocat. Secundo, humilitas docet nos invocare Deum: *Et invocabimus nomen tuum*, id est, te: est metonymia, ut sæpe monui. Nunc in Hebr. est וקרוב שמך *vekarob scemecha*, et propinquum nomen tuum, mihi scilicet ac menti meæ, q. d. Nomen eius mihi approximo, et habeo illud in mente et ore, non recedit ab ore meo et animo, illud sæpe pronuntio et invoco. Septuag. itaque secuti sunt sensum non verba: vel legerunt, *vekaro scemecha*, id est, *et invocare in nomine tuo*, hoc est, nomen tuum: sunt enim eædem prorsus litteræ. S. August. ait invocare esse in se vocare, Deum autem non accedere ad superbum, itaque humiliter invocationem esse faciendam. *Noli*, ait, *antequam confitearis, invocare: confitere et invoca. Illum quippe quem invocas, in te vocas. Quid est enim invocare, nisi in te ipsum vocare? Si invocatur a te, id est, si vocatur in te, ad quem accedit? Ad superbum non accedit: certe altus est, non eum attingit elatus. Omnia sublimia ut contingamus, attollimus nos: et si attingere non possumus, machinamenta aliqua vel scalas quærimus, ut sublimati sublimia contingamus. Contra, Deus et altus est, et ab humilibus contingitur. Scriptum est Ps. 33. Prope est Dominus his qui obtriverunt cor. Tritura cordis, pietas, humilitas. Qui se conterit, irascitur sibi. Se habeat iratum, ut illum habeat propitium. Se habeat iudicem, ut illum habeat defensorem. Ergo invocatus Deus venit. Ad quem venit? Ad superbum non venit. Audi aliud testimonium: Excelsus Dominus, et humilia respicit: excelsa autem a longe cognoscit.* Hæc et alia plura in Psal. nostrum habet. De Iobo Deum invocante in afflictione dicitur c. 1. 20. *Tonso capite corruens in terram adoravit;* quod considerans S. Greg. in Moral. dicit: *Ille veram Deo orationem exhibet, qui semetipsum, quia pulvis sit, humiliter videt.* Contra vero superbia fructum orationis perdit, ut patuit in Pharisæo superbo, Luc. 18. 12. Superbia vermis est aut putredo, preces erodens et inficiens. S. Antiochus hom. 44. Sicut, inquit, fructus marcore aut carie vitiatus cultori suo nihil affert commodi: ita et *superbi oratio nihil ex Deo relatura est bonæ frugis.* S. Innoc. ait, superbiam esse nubem quæ impedit orationem, ne ad Deum transeat. Illud enim Ieremiæ Thren. 3. 44. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio*, considerans in præfatione ad Psalmos pœnitentiales, sic loquitur: Nubes, superbia vitæ: id est iactantia, quæ velut nubes sine aqua circumfertur a ventis, orationem ad Deum transire non sinit: hæc ille. Adverte autem, humilitatem in oratione conservari et augeri cogitatione iudiciorum Dei. S. August. in illud Ps. 103. 32. *Qui tangit montes, et fumigant*, sic ait: Montes superbi erant; iactabant se, non eos tetigerat Deus: tangit illos, et fumigabunt. Quid est fumigare montes? Precem Domino reddere. Ecce magni montes, superbi: montes ingentes non rogabunt Dominum: se rogari volebant, et superiorem non rogabant. Quis enim potens, et tumidus, et superbus in terra, qui dignetur humiliter rogare Deum?

A de impiis loquor, non de cedris Libani, quas plantavit Dominus. Impius quilibet et infelix anima rogare Deum nescit, et vult se rogari ab omnibus. Mons est, opus est ut tangat illum Deus et fumiget: quando cœperit fumigare, dabit Deo precem, tamquam sacrificium cordis: Fumigat ad Deum, deinde tundit pectus. Incipit et flere, quia et fumus excutit lacrymas: ita Augustinus.

Tertio denique, humilitas docet prædicare opera Dei. 7. III. Humilitas prædicat opera Dei.
Hæc est musica Dei auribus accepta, et propter quam hominem creavit: ideo prius orbem et omnia quæ in eo sunt fecit, quam hominem produceret, ut statim haberet, unde velut sacrum psalterium Dei laudes celebraret. Philo lib. de mundi opificio, pag. 13. Sicut, inquit, convivatores non prius ad cœnam vocant, quam instructo bene convivio: et qui edunt ludos, aut athletarum spectacula, priusquam spectatores vocati conveniant in theatra vel stadia, parant copiam concertatorum, earumque rerum quæ ad oculos auresve oblectandas pertinent: ita etiam totius B mundi Imperator, tamquam convivator, ludorumque præfectus, vocaturus hominem ad convivium simul et spectaculum, quidquid ad utrumque pertinebat, præparavit: ut ille in mundum ingressus mox inveniret et convivium et theatrum sacratissimum: alterum refertum copiis, quas terra, fluvii, mare, aer suppeditant, ad usum simul et voluptatem: alterum spectaculis, quorum tum essentia, tum qualitates stupendæ sint, necnon motus, choreæque admiratione dignissimæ, propter ordinem convenientissimum, numerum proportione aptissimum, cursus recursusque mire concinnos: in quibus omnibus, τον αρχετυπον, και αληθη, και παραδειγματικην μουσικην, veram illam et exemplarem musicam inesse non falso quis dixerit: quam postea homines animis suis impressam prodiderunt, artem utilissimam vitæ, summeque necessariam: ita Philo.

ARTICULUS II.

Humilitas erga Deum, ut iudicem.

C Ex amore Dei beneficia eius laudanda sunt; eiusque maiestas admiranda et adoranda, ut facturum se Christus professus est initio Psalmi: sed quia sciebat plerosque terrore magis quam amore commoveri, ideo iudicii mentionem infert, v. eod. 3. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo, id est, cum tempus ad iudicandum accepero, hoc est, statuero, determinavero, mihi præfixero, iustissime iudicabo. Est hebraismus. Eadem vox מישרים *mesciarim*, quam interpres hoc loco reddit *iustitias*, Ps. 57. v. 2. vertitur *recta*. Ibi enim habetur: *Si vere utique iustitiam loquimini, recta iudicate filii hominum.* Et in Psalmo nostro, S. Hieron. et Felix vertunt: *Ego recta iudicabo.* Pagnin. *Ego recte iudicabo.* Hic est sensus litteralis. 8. Vers. 3. 2. Pars. Sensus litteralis.

Accommodatie, Primo, *iustitias iudicabo*, id est, sceleratos et tyrannos quos permittit Deus tamquam flagella et virgas furoris sui punire peccata populi sui, ut contigit Nabuchodonosori, Antiocho et aliis. 9. Deus iudicat iustitias, id est: I. Tyrannos superbos.

D Secundo, *iustitias iudicabo*, id est, Iudæos qui confidunt in iustificationibus legis Mosaicæ: sed iure dicunt Isa. 64. v. 6. *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ, universæ iustitiæ nostræ*, id est iustificationes legis veteris, ut S. Hier. Forerius, et Sanchez exponunt. Hinc S. Paulus in epistola ad Romanos in iustitiis legis confidentes deprimit, præsertim cap. 2. et 3. II. Iudæos cæremoniis suis fidentes.

Tertio, ad mores nostros aptius, Deus *iustitias iudicat*, id est, iusta et bona opera nostra. Primo, ut illa meritis præmiis afficiat. Secundo, ut nævos illis admistos puniat. Oculos enim habet capreæ acutissimos et qui vel atomos indivisibiles perspiciunt. Capreæ vocantur a Græcis δορκαδες, a verbo δερκειν, id est, videre. De Christo iudice S. Bernardus serm. 55. in Cantic. illud considerans, cap. 2. *Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum*, sic ait: *Ut hinnulus apparuit parvulus qui natus est nobis. Verum tu qui adventum desideras Salvatoris time scrutinium iudicis, time oculos capreæ, time illum qui per* III. Iusta opera imperfecta.

Prophetam dicit, Sophoniæ 12. Et erit in die illa, scrutabor Ierusalem in lucernis. Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus eius. Scrutabitur renes et corda, ipsaque cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone si Ierusalem manet scrutinium? Puto enim hoc loco Prophetam Ierusalem nomine designasse illos, qui in hoc sæculo vitam degunt religiosam, mores supernæ illius Ierusalem conversatione honesta et ordinata pro viribus imitantes, et non veluti hi, qui de Babylone sunt, vitam in perturbatione vitiorum, scelerumque confusione vastantes. Denique illorum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, et non egent scrutinio, sed supplicio. Mea autem (qui videor monachus, et Ierosolymita) peccata certe occulta sunt, nomine et habitu monachi adumbrata: et idcirco necesse erit subtili ea investigari discussione, et quasi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi. Possumus afferre aliquid et de Psalmo ad confirmandum id, quod dicitur de scrutanda Ierusalem; ait namque sub persona Domini: Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Timorem deinde suum declarat, et remedium quod adhibiturus est ad Dei iudicium evitandum, nempe iudicare seipsum: *Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis. Volo tuæ iræ iudicatus præsentari, non iudicandus. Spiritualis homo omnia diiudicat, et ipse a nemine iudicatur. Iudicabo proinde mala mea, iudicabo et bona. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire ieiuniis, cæterisque sanctæ laboribus disciplinæ. In bonis de me humiliter sentiam, et iuxta præceptum Domini servum me inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantum feci. Dabo operam ne folia pro granis, ne paleas cum granis offeram. Scrutabor ergo vias meas et studia mea: quo is, qui scrutaturus est Ierusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, sive indiscussum inveniat. Neque enim iudicaturus est bis in idipsum*: haetenus Bernardus. Lucernæ autem illæ quibus Deus scrutabitur Ierusalem, sunt Dei ipsa mens, intellectus, perspicacia, scientia, qua omnia penetrat et pervidet clarissime; 2. angeli et dæmones; 3. ratio et conscientia cuiusque; 4. lex et verbum Dei, de quibus et aliis lege Cornelium in Sophoniam cap. 1. v. 12. *Deus etiam in angelis suis reperit pravitatem*, Iobi 4. v. 18. et ipso sole, id est, anima iustorum, nonnullas maculas. Non ita dealbant stolas suas sancti in sanguine Agni, quin restet aliquid coinquinatum. Bredembachius lib. 8. Collect. sacr. cap. 26. ex lib. 4. Insinuation. divinæ pietatis, apud Blosium in monil. spir. cap. 14. in tunica S. Gertrudis apparuisse aliquid luteum, quod eluendum fuit. Sancta, inquit, et devotissima Virgo Gertrudis, dum in quadam feria secunda Paschæ communicatura rogaret Dominum, ut per illud dignissimum Sacramentum supplere dignaretur omne, quod ipsa unquam neglexerat in ordine religionis, suscipiens eam filius Dei præsentavit Deo Patri indutam tunica religionis, quæ tunica videbatur ex tot partibus distinctim composita, quot annos vixerat in Religione: ita quod inferior pars tunicæ reputabatur pro primo anno, secunda pro secundo anno, et sic deinceps usque ad annum, in quo tunc erat. Videbaturque tunica illa ita expansa et extensa, quod nullius omnino plicæ umbra quidquam in ea contegere poterat, sed in quolibet anno distinctim apparebant annotati omnes dies et horæ, et insuper singulæ cogitationes, verba, et opera tam bona quam mala, quæ in illo anno peregerat de die in diem, de hora in horam, de cogitatione in cogitationem, de verbo ad verbum, de opere ad opus: et quid singulis verbis et factis suis intenderat, utrum scilicet Dei laudem, et animæ suæ profectum, aut humanum favorem, vel alicuius damnum: quid etiam in quolibet commodo vel abstinentia, vel quocumque opere ex pura obedientia, quidve ex propria deliberatione perfecerat. Ubi autem in aliquo opere sibi blandita fuerat, quasi ex obedientia illud fecisset, quod magis ex propria deliberatione sibi a magistratu obtinuerat permitti, aut per aliquam callidam occasionem extorserat sibi mandari: talia nimirum opera obedientiæ apparebant in tunica illa, *velut quædam gemmulæ luto fragili infixæ, quæ nutantes et quasi casuræ vix poterant hærere.* Orante autem pro ea filio Dei, et suam innocentissimam et perfectissimam conversationem Deo Patri offerente, videbatur unica illa veluti quadam aurea lamina splendidissima et perfectissima obtecta: per quam tum omnia prædicta cogitationum, verborum, et operum, necnon intentionum, necessitatum vel simulationum (quæ vel scienter vel negligenter, sponte vel coacte quolibet tempore vel hora peregerat) merita adeo clare permicabant et distincte, quemadmodum per purum crystallum quilibet color suppositus potest decerni. Nec aliquis saltem minimus pulvis aut punctus latere poterat, qui in luce cognitionis infallibilis veritatis, tam Deo quam etiam omnibus cælicolis, evidentissime non appareret. Unde divinitus intellexit, quod cuiuslibet hominis status similiter patet Deo et omnibus sanctis per æterna sæcula.

Id timet S. Bernardus.

S. Gertrudis tunica non caret maculis.

Eadem S. Gertrudis vidit animam sororis suæ defunctæ Christo assistere, sed subtristem, et demisso vultu, oransque pro ea audivit a Christo causam: scilicet maculam, quæ ab ea expianda foret ita exigente Dei iustitia, et Christus addidit: In hoc sponsa mea libentissime consentit iustitiæ meæ, quæ cum plene purgata fuerit, gloria divinitatis meæ iucundissime perfruetur. Ad quæ verba Domini benigno vultu annuit. Alio tempore vidit animam religiosæ cuiusdam subducentem sese reverenter a Christo, licet eam invitante. Cumque Gertrudis ab ea quæreret, Cur te subducis amplexibus sponsi tam amabilis? Respondit: Quia nondum purgata sum, sed adhuc maculæ aliquæ me incompositam reddunt. Etiamsi omnino liber ad cælum accessus mihi pateret: ego tamen dictante iustitia memetipsam sponte subtraherem, cum etiam me tam glorioso sponso nondum convenire viderem, ut refert Blosius in eodem monili spirit. cap. 13.

Hinc sanctissimi viri iudicium Dei adeo timuerunt, ut ad eius vocem aut cogitationem intremerent. Iob quidem dicit cap. 9. 28. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Et cap. 31. v. 23. *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus eius ferre non potui.* Et v. 14. *Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? et cum quæsierit, quid respondebo illi?* Et tamen de illo dixerat Deus diabolo cap. 1. 8. *Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra: homo simplex et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo.* Eius pulcherrimum elogium vide apud Suidam. David vir secundum cor Dei tremens dicebat Psal. 142. 2. *Non intres in iudicium cum servo tuo Domine.* Ubi de timore S. Gregorii Papæ, S. Augustini Episcopi, S. Hieronymi doctoris, S. Arsenii Abbatis, et aliorum, ac de causis illius iusti timoris fuse dixi. Adde S. Hubertum Episcopum Leodiensem, qui ad extrema vitæ deductus, post varias salutis monitiones, quas ad domesticos habuit, adiecit: *Mihi non mediocris insistit angor reminiscenti ministerii mihi iniuncti quanta debeat esse perfectio: et e contra, quam sit contemptibilis vitæ meæ inofficiosa correctio. Ecce iudicis mei iam iamque considero a nuptiis reditum, cum tamen mihi desint lampades repletæ bonorum operum perfectione, charitatisque luce irradiatæ, quibus eius terribili atque splendifluo digne valeam occurrere adventui. En rationem positurus de talentis redit: mihique timeo dici, quod servus negligens audivit: Redde rationem villicationis tuæ. Itemque: Serve male et piger, oportuit te pecuniam meam committere nummulariis, vel ad mensam, et ego veniens recepissem utique, quod meum est, cum usuris. Gregis mei te posui pastorem, exercitusque Ecclesiastici ducem: lactis eorum ubertate famem, lanarumque tegmine frigoris repellere consuevisti algorem. Præsentes ergo necesse est eorum salvationem, quorum te præposui Præsulem*: ita Surius in eius vita tom. 6. die 3. Novembris. Quidam iuvenis somniando fuit interrogatus a Christo in iudicio, atque ex timore totus subito factus est canus, ut refert S. Vincentius conc. 3. in 60. De quodam a morte resurgente et pœnitentiam miram agente, ob timorem iudicii Dei, vide apud S. Climacum grad. 6. Ad no-

10. Sancti timent iudicium Dei. 1. Iob.

2. David.

3. Alii, præsertim S. Hubertus.

strum vero Psalmum aptissime convenit, quod refert grad. 7. de quodam interrogato in extremo vitæ agone. Verba eius sunt : Stephanus quidam hoc in loco habitans, solitariam et quietam vitam amaverat. Hic cum annos plurimos in monastico certamine egisset, ieiuniisque maxime et lacrymis esset ornatus, aliisque præterea virtutum privilegiis floreret, cellulam ad radicem montis, in quo sacram illam divinamque visionem speculatus olim fuerat Elias, sibi construxerat. Hic igitur tam venerandus moribus, intentione maioris laboriosiorisque pœnitentiæ profectus est ad Anachoretarum locum, cui Fides nomen erat. Quo in loco cum annos aliquot arctissimo vitæ instituto peregisset (erat enim is locus ab omni consolatione mortali penitus remotus, omnibusque fere hominibus invius : septuaginta enim fere millibus passuum ab omni humana habitatione disiunctus erat) rursus extremo vitæ tempore rediit, cupiens in cellula sua priore sancti illius montis habitare. Erant autem ibi duo ex Palæstina discipuli admodum religiosi, qui etiam pridie observabant cellulam senis. In qua cum paucos egisset dies, languorem incurrit, ex quo mortuus est. *Igitur ante unum exitus sui diem repente animo obstupuit, apertisque oculis ad dexteram atque ad sinistram parietem lectuli circumspiciebat, et quasi rationem quidam a se exigerent, cunctis qui adstabant audientibus, aiebat aliquando quidem: Ita sane sic revera est, sed pro hoc tot annis ieiunavi. Aliquando vero, non certe, sed mentimini; hoc non feci. Deinde rursus: Ita vere est, hoc ita est: sed flevi, sed ministravi. Ac rursus: Vere me accusatis. In quibusdam etiam aliquando aiebat. Ita sane, et quidem ad hoc quid dicam non habeo: ideo misericordia est. Et erat profecto spectaculum horrendum ac terrificum, invisibile illud sævissimumque iudicium, in quo etiam (quod terribilius est) et quod non fecerat, illi obiiciebant (me miserum!) quietis ac solitudinis sectatori, in nonnullis vero peccatorum suorum quid ad hoc respondere posset se non habere dicebat, qui iam fere quadraginta annos monachus fuerat, et lacrymarum gratiam habebat. Væ, væ, ubinam erat Ezechielis vox, cap. 18. quam illis obiiceret. In quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit. Et illud : Quia in quo te inveniam, in eo te iudicabo, dicit Dominus. Vere nihil huiusmodi respondere potuit. Cuius rei gratia illi gloria, qui solus agnovit. Quidam vero mihi veraciter affirmaverunt, quod hic dum esset in eremo, leopardum quoque ex manu sua nutriebat. Hic ipse tamen cum adeo infeste ratio a se exigeretur, carne solutus est, quod iudicium, quis terminus, quæ sententia, quis rationis eius finis fuerit, incertum penitus relinquens:* ita Climac. Itaque concludo cum S. Petro 1. Ep. 4. v. 18. *Si iustus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?* id est, apparebunt aut apparere audebunt. Lege S. Gregorium 24. Moral. cap. 16. et Granatensem in parvo duce peccatorum cap. de morte et de iudicio.

Exemplum terrificum.

11. Præsertim Deus iudicat iustitias, id est, eos qui opera sua faciunt ut videantur et æstimentur iusti ab hominibus, qui dilatant phylacteria et fimbrias suas, et sibi applaudunt in benefactis, atque ab hominibus laudantur. Ut enim ait Petrus Blesensis epist. 3. *Superbia est ærugo et tinea, quæ omnem mentis ornatum depravando consumit.* S. Hieronymus ad Fabiolam de 42. mansionibus: *Nihil tam periculosum est, quam gloriæ cupiditas, et iactantia, et animus conscientia virtutum tumens.* Titus Bostrorum Episcopus in cap. 17. Lucæ vocat inanem gloriam παγχάλεπον, id est, malum periculosissimum, et Deo maximo invisum. S. Basilius Seleuciæ Episcopus oratione 33 ait, superbiam esse virtutum omnium exitium. Superbia, inquit, ars ægritudinum, quæ Deum bello petit, quæ ad naturam pertinentia ignorat, quæ diaboli morbo iactatur, qua virtutis cursus inutilis efficitur: et si universas in medium virtutes repræsentes, extinguit earum faces ingruens fastus: ieiunii cum superbia copulati emolumentum nullum : supervacua virginitas superbiæ sorde inquinata : iustitiam Deus aversatur superbiæ servientem : beneficentiam odit tumore animi æstuantem. Hesychius centur. 1. num. 83. Sicut, inquit, absente lumine caliginosa et tenebrosa sunt omnia : ita si desit humilitas, omnia studia nostra, quæ in Deo colendo impendimus, vana sunt et frivola : ita ille. Quin etiam, nisi oculos mentis advertamus, maius est periculum operibus veneno inanis gloriæ, præsumptionis, iactantiæ et superbiæ infectis, quam in peccatis. S. Aug. id docet in Publicano, pectus post peccata tundente, et in Pharisæo ob virtutes gloriante. Sic enim ait in Ps. 93. *Videte fratres, magis placuit Deo humilitas in malis factis, quam superbia in bonis factis.* S. Chrysost. hoc eleganter ob oculos ponit homil. 30. pag. 390. Ut planius intelligas, quam sit bonum nihil magnum de se opinari, fingo tibi animo currus duos : in altero virtutem iunge cum superbia, in altero peccatum cum humilitate. Videbis currum illum peccati, virtuti facile anteire, palmamque decursionis celerioris obtinere, non peccati pernicitate, sed coniugatæ humilitatis pernicitate. Contra, currum alterum virtutis retardari et vinci, non imbecillitate virtutis, sed superbiæ mole et pondere. Ut enim humilitas præ summa sua excellentia peccati superat pondus, atque in cælum pervenit : sic superbia præ nimio suo pondere, atque intolerabili onere suæ molis prævalet, adeo ut etiam levissimam illam et supernam virtutem vincat, deorsumque versus facile detrahat : ita Chrysostomus.

Sibi applaudentes et superbientes iudicat Deus.

12. Vers. 4. Postquam dixit Christus, ego iustitias iudicabo, declarat quid ex eo iudicio secuturum sit, v. 4. LIQUEFACTA EST (S. Aug. definit. S. Hier. dissolvetur. Arabs, labetur. Syrus humiliabitur) TERRA, ET OMNES QUI HABITANT IN EA; EGO CONFIRMAVI COLUMNAS EIUS. Bellarminus censet hic loqui populum iustorum dicentem: Si iuste iudicabis Domine, quis sustinebit? nam liquefacta est terra, id est, defluxit, corrupta est, dissipata est propter iniquitates habitantium in ea : et omnes habitantes in ea defluxerunt et corrupti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Respondet Dominus: *Ego confirmavi columnas eius*, q. d. Non omnis terra omnino corrupta est : nam ego confirmavi columnas eius, viros perfectos, ob quos terra subsistit. Semper enim Deus habuit servos suos electos et perfectos. Nam Gen. 6. ubi dicitur terra corrupta ob iniquitates inhabitantium, ibi dicitur: Noe vir iustus atque perfectus: ita Bellarminus. Si defluxit terra, ait S. August. unde defluxit, nisi de peccatis? Ideo et delicta dicuntur. Delinquere est, tamquam de liquido quodam delluere a stabilitate firmamenti virtutis atque iustitiæ. Cupiditate enim inferiorum quisque peccat : sicut roboratur charitate superiorum, sic deficit et quasi liquescit cupiditate inferiorum : hæc ipse. Ruffinus eleganter ac pie : *Liquefacta est terra. Et quid dicis terram? Omnes, inquit, qui habitant in ea, id est, qui studio et voluntate in terris perseverant: hoc est enim unusquisque, quod amat. Si terram amas, terra es : si Deum amas, ex illis es de quibus ipse Dominus ait : Ego dixi dii estis. Terra est liquefacta, quando vitiis et concupiscentiis defluunt terrena corda.*

Secundo, et melius, Christus solus in toto Psalmo loquens, hic ait : Liquefacta est terra, per ignem omnia quæ in ea sunt absumentem ante adventum meum in iudicium, et omnes eius habitatores liquefacti sunt arescentes præ timore et expectatione eorum quæ superventura sunt. Terræ tamen bases et fundamenta stabilivi, ne funditus in nihilum vel in cineres recideret : ac viros iustos qui sunt columnæ orbis roboravi, ut levarent capita sua, quoniam appropinquat redemptio ipsorum. Ubi adverto præterita poni pro futuris ob certitudinem prædictionis. Terrorem illum declarat Ioel Propheta cap. 3. v. 16. *Dominus de Sion rugiet, et de Ierusalem dabit vocem suam : et movebuntur cæli et terra, et Dominus spes populi sui, et fortitudo filiorum Israel.* Eccli. 16. vers. 18. *Ecce cælum et cæli cælorum, abyssus et universa terra, et quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur. Montes simul et colles, et fundamenta terræ cum conspexerit illa Deus tremore concutientur.* David noster Psal. 96. vers. 5. ult-

tur liquefactionis metaphora. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra.* Michæas 1.4. *Consumentur montes subtus eum, et valles scindentur sicut cera a facie ignis, et sicut aquæ quæ decurrunt in præceps.*

13. Nota, peccator est terra, ac præsertim superbus, vilis et abiectus. S. Isidorus Pelus. lib. 3. epistol. 188. Equidem ipse, ait, humilitatem, ἀπὸ μεγαλοψύχου καὶ οὐρανομήκους ψυχῆς, ab animo magno, et excelso, cælestique: superbiam autem, ἀπὸ εὐτελοῦς καὶ φαυλοτάτης, a vili et abiecto proficisci existimo: ita ille. Itaque humilis cælum est; superbus vero terra. Defluit autem et liquefit illa terra ob iudicium Dei, ut patuit in Chilperico rege pessimo, de quo S. Greg. Turon. lib. 8. hist. Franc. cap. 5. refert visionem Guntramni regis, sic dicentis: Vidi ego visionem, quæ Chilperici interitum nunciavit. Adducebatur enim in conspectu meo a tribus Episcopis vinctus catenis, quorum unus Tetricus, alius Agricola, tertius vero Nicetius Lugdunensis erat: e quibus dicebant duo: Solvite eum, quæso, et castigatum abire permittite. Quibus e contrario cum amaritudine Tetricus Episcopus respondebat: Non fiet ita, sed igne concremabitur pro sceleribus suis. Et cum diu multumque altercantes, quasi hæc inter se verba conferrent, conspicio eminus ahenum super ignem positum fervere vehementer. Tunc me flente apprehensum infelicem Chilpericum confractis membris, proiiciunt in ahenum: *Nec mora, inter undarum vapores ita dissolutus et liquefactus est, ut nullum ex eo penitus iudicium remaneret.* Hæc apud Gregorium Guntramnus rex piissimus.

Chilperici mira punitio.

14. Nota secundo, columnæ orbis sunt viri pii, ac præsertim humilitate firmati. Christus apparens S. Ioanni in medio septem candelabrorum aureorum, id est, Ecclesiarum, iubet scribi angelo, hoc est, Episcopo Philadelphiæ civitatis in Mysia, regione Asiæ, Apocal. 3. v. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Columnam, id est, Prælatum, ait Abbas Ioachim: prædicatorem, ait S. Ambrosius: ad omnes iustos et eorum in gratia, virtute et gloria constantiam verius referes: ita Richardus a S. Victore, qui sic explicat, q. d. Efficiam ut qui vicerit persecutiones et tentationes, sit columna, hoc est, sit in se firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem, sustentans alios verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis: ita ille ad Galat. 2. 9. S. Iacobus, Cephas, id est, Petrus, ac Ioannes vocantur columnæ. S. Gregor. Nazianz. orat. 21. vocat S. Basilium, στῦλον καὶ ἑδραίωμα ἐκκλησίας, columnam et firmamentum Ecclesiæ. S. Hieronymus ait Epist. 61. S. Epiphanium esse columnam veritatis ac fidei. S. Gregorius Nyssenus homil. 1. in Cant. Christum ipsum nuncupat, στῦλον ἀσφαλῆ καὶ ἀσειστον, firmam et stabilem columnam. Salomon statuit duas columnas in porticu templi: cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Iachin: similiter erexit columnam secundam, et vocavit nomen eius Booz. Septuaginta reddunt Booz ἰσχὺν, id est, fortitudinem, robur, firmitatem; Iachin vero κατόρθωσιν, id est, rectitudinem: potest etiam Iachin significare stabilitatem, a rad. כּוּן *cun*, id est, firmare, stabilire. Duplex celebrior templi columna Booz et Iachin, ait Lorinus, fortitudinem, seu virtutem ac præparationem seu firmitatem significant, tum in bene agendo, tum in mala patiendo: eorumdem longitudo, longanimitas est: gracilitas, paupertas: planities, amotio scrupulorum: rotunditas, æternorum contemplatio: retiacula, prædicatio et doctrina: malo granata, operatio. Materia ex ære indicat firmitatem in bonis operibus: rectitudo, intentionem: altitudo contemplationem: quod erant strictæ seu excavatæ, mortificationem atque humilitatem: duo capitella, totidem testamenta, quorum meditationi et observationi subdamur secundum corpus et animam: species catenarum, reti suæ similitudo: in capitellis varietatem virtutum, variumque ordinem sanctorum: malogranata, custodiam internarum virtutum, et concordiam Charitatis: desinentia in lilii florem capitella, beatitudinis amœnitatem: ita Ipse.

Viri sancti sunt columnæ orbis.

15. Nota tertio, Dei est atque Christi dare columnis firmitatem: unde ait: *Ego confirmavi columnas eius.* Ieremiæ Prophetæ dicit Deus, Ieremiæ 1. v. 18. *Ego dedi,* id est, constitui, *te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, et sacerdotibus, et populo terræ. Et bellabunt adversum te, et non prævalebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.* Humilitate igitur illa columna fulcienda est. Primo, non in suis viribus, sed in Dei ope sperando. Ut enim ait Anna 1. Reg. 29. v. 9. *Non in fortitudine sua roborabitur vir.* Et v. 8. dixerat obscurius: *Domini sunt cardines* (Vatablus, columnæ) *terræ, et posuit super eos orbem.* Hæc verba explicans Rupertus lib. 3. de gloria filii hominis: Quanto, ait, plura sancti dona Dei percepturi erant, tanto maioris conscientia paupertatis indiguerunt, ut eadem dona portarent stabiles et firmi, *fundati in spiritu humilitatis. Nam Domini sunt cardines terræ, pro quo in Hebræo scriptum est, ut ait B. Hieronymus, afflicti terræ: et posuit super eos orbem. Afflictio hæc humilitas est, quæ ad portandum orbem constantes eos facit et fortes.* Richardus a S. Laurentio lib. 8. de laudibus Virginis: Qui fundasti, ait, terram, id est, Mariam, super stabilitatem suam, quæ fuit humilitas eius, non inclinabitur ad peccandum in sæculum sæculi.

Dei est dare in virtute constantiam.

16. Secundo, humilitas firmat omnes actiones bonas iustorum. S. Ioannes Climacus grad. 25. pagin. 314. *Omnia,* inquit, *quæ cernuntur, sol illuminat: omnia quæ ratione fiunt,* κρατύνει ταπείνωσις, *humilitas confirmat.* S. Cyprianus eam vocat fundamentum sanctitatis. Verba eius sunt de nativitate Christi: *Fundamentum sanctitatis,* ait, *fuit semper humilitas: nec in cælo stare potuit superba sublimitas.* Cassianus Collat. 15. cap. 7. Humilitas, inquit, est omnium magistra virtutum: ipsa est cælestis ædificii firmissimum fundamentum. S. Bernardus serm. 36. in Cantica: Nisi, ait, super humilitatis stabili fundamento spirituale ædificium stare minime potest. S. Chrysostomus hom. 35. in Genesin: Qui, ait, humilitatis fundamentum recte iecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem, structuram excitare. Hæc est inexpugnabilis turris, hæc omne continet ædificium, non sinens ipsum vel a ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel a spirituum vi deiici, sed omnibus insidiis inaccessum facit et invictum, quasi ex adamante constructum esset. Et hom. 21. in Epistola ad Roman. *Nihil,* ait, *humilitate potentius, petra est fortior, et adamante solidior, et in maiore nos securitate collocat, quam queant vel turres, vel urbes, vel muri. Ut igitur in solida simus petra fundati, relicta arrogantia humilitatem sectemur.* S. Ambrosius epist. 84. *Humilitas,* inquit, *omnium virtutum inexpugnabilis fortitudo.*

Humilitas stabilit actiones iustorum.

ARTICULUS III.

Superbos iudicat, et punit Deus.

17. Post declarationem futuri iudicii, et quanti terroris et horroris sit, declarat Christus qua ratione eius condemnatio evitari possit. Ait enim, v. 5. Dixi iniquis: Nolite inique agere: et delinquentibus: Nolite exaltare cornu.

Vers. 5.

Et vers. 6. Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui adversus Deum iniquitatem. Ubi duo dici vides, Primo, fugiendam esse omnem iniquitatem actionis et locutionis. Secundo, præsertim vitandam superbiam, quæ cornu suum in Deum extollit.

Vers. 6.

Nota primo, Deus vetat peccata, dæmon vero ad illa inducit. Notabile est quod Strabo refert lib. 8. pag. 402. Tradit enim, Bœotos, cum in Pelasgos pugnarent, oraculum consuluisse. Antistitam vero respondisse, ἀσεβήσαντας εὖ πράξειν, rebus secundis usuros, si impie agerent. Qui vero missi erant sciscitatum, suspicatos vatem in gratiam Pelasgorum, qui eius gentiles essent, sic respondisse, correptam in rogum coniecisse: quod sic ratiocinarentur: sive iure id facinus, sive iniuria perpetrasse ipsos iudica-

Deus odit peccata, illa amat dæmon.

Ingeniosum supplicium impiæ vatis.

tum esset, utroque rem modo bene habituram: nimirum ea, siquidem oraculum mala fide edidisset, supplicio affecta: sin vero nihil fraudis commisisset, a se id factum fore, quod iussi erant: ita ibi. Idola vocabant Hebr. גלולים *ghillulim*, id est, sordes, immunditas, volutabra, 4. Regum 17. v. 12. Ezechielis 8. v. 10. et 22. 3. et 30. 13. quia sceleribus ipsis celebrantur, aut ad peccata invitabant, ut patet in adoratione vituli aurei, in sacris Bacchi, Veneris, Priapi, et aliorum deorum. Mundi vero sunt oculi Dei nostri, ad iniquitatem respicere non potest. Vide dicta Ps. 5. v. 4. Hic vero ait: *Dixi iniquis: Nolite inique agere.* Aristeas in hist. Sept. interpretum, inducit quærentem Ptolemæum: Quomodo quis posset sine metu esse? eique unum ex iis respondisse: Si habuerit mentem nullius malæ actionis sibi consciam, per beneficium Dei, dirigentis animum ad consultationes de omnibus rebus bonas. Et cap. 50. Idem Ptolemæus petit: Quis sit fructus sapientiæ? Unus ex illis interpretibus respondet: Non esse sibi conscium malarum actionum, et in tota vita degenda veritatem colere. Nam ex hoc maximum gaudium atque tranquillitas animi maxima continget. Spes etiam in Deo præclara accidet tibi rex, pia administranti regnum.

18. Superbus est stultus. Nota secundo, pro *iniquis*, Hebraice est הוללים *holelim*, id est, stultis, insipientibus. Hinc Pagninus vertit, *Dixi insanis, ne insaniatis.* Felix, Dixi insipientibus, nolite insanire. Ubi adverte Primo, omnem peccatorem esse stultum. Tullius Tusculan. 3. loquens ex opinione Stoicorum ait: Insanit, ac stultescit omnis improbus. Et vero quid stultius quam Deo creaturas, æternis caduca, cælestibus terrena et lutea anteferre?

Secundo, præsertim superbus est insanus. S. Chrysostomus in Matthæum: Nihil, inquit, arrogantia et superbia peius est, quæ mentis quoque vires natura hominibus concessas ita deiiciat, ut amentes ex prudentibus et animo stolidos efficere videatur: ita ipse. Volve animo superbi cogitationes, affectus et actiones, tunc intelliges quam stultus sit. 1. Stultitiæ est sibi data, tamquam propria arrogare. S. Ioannes Climacus grad. 23. pag. 291. ανοια εσχατη, inquit, *extremæ dementiæ est, ob cælestia dona extolli, eaque sibi arrogare.* 2. Stultitia est sibi non debita arrogare. S. Chrysostomus mox citatus in Matthæum: Magnum, ait, elationis malum est, stultum esse melius est, quam insolentem. Illic enim stultitia tantum est, mentisque tarditas: hic autem stultitia peior est, et fatuitas cum furore. Stultus, sibimetipsi malum est: elatus, etiam aliis pestis. *Ex amentia hoc vitium nascitur. Non potest esse superbus, qui fatuus non sit. Stultitia vero plenus est* superbus. 3. Superbia est summa stultitia, quia, ut dicitur Eccl. 10. *Initium omnis peccati est superbia.* S. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 31. Ipsa, inquit, vitiorum regina superbia, cum devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus, devastandum tradit. Et lib. 3. cap. 17. illud Iobi cap. 2. *Venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, et Baldad Suites, et Sophar Naamathites*, considerans, sic ait: *Malorum locus est superbia: sicut est e contra humilitas locus bonorum.* Eliphas significat Dei contemptum: Baldad, vetustatem solam: Sophar, speculum dissipans, ut quidam volunt. Hæc superbis arrogantibus, pigris, et sibi in sua pulchritudine, honore et auro complacentibus applica. S. Climacus grad. 23. pag. 289. superbiam vocat δαιμονων στερεμα αμαρτηματων φυλακα, dæmonum propugnaculum, peccatorem custodem.

Nota, superbi præsertim stulti sunt, quod in Deum et in cælum extollant cornu et linguam.

19. Superbus cornu erigit in Deum. Primo itaque illis dicit Christus: *Nolite extollere in altum cornu vestrum*, id est, gloriam vestram: ita Chaldæus: robur, honores, divitias, omnia quæ firmitatem aliquam habent. In tabella propone tibi pseudoprophetam Sedeciam coram Achab rege Israel et Iosaphat rege Iuda cornibus ventilantem. De eo insani instar furente ac Michææ insultante, et Achab decipiente dicitur 3. Reg. 22. v. 11. *Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornua*

A *ferrea, et ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Michææ illa mendacia refellenti alapam infregit. Sedecias iustitiam Domini, sive iustum Domini significat. Talis est arrogans, et propria scientia ac virtuta falso elatus. 2. Qui in vitiis mentem obfirmat. S. Gregorius 3. parte pastoral. admonition. 31. *Cornu*, ait, *delinquentes exaltant, si nequaquam se ad pœnitentiam ex cognitione suæ iniquitatis humiliant. Hinc rursum dicitur Psal. 50. Cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Quisquis enim peccata plangit, nec tamen deserit, cor quidem conterit, sed humiliare contemnit. Qui vero peccata iam deserit, nec tamen plangit: iam quidem humiliat, sed tamen cor conterere recusat. Hinc Paulus 1. Corinthiorum 6. Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis.* 3. Superbus cornibus illis ferreis alios impetit. Est bos cornupeta, de quo Exodi 21. vers. 29. Hoc vidit Agapetus in cap. Paræn. ad Iustinianum Imperatorem cap. 71. Fastuosus, ait, et superciliosus homo, ne ut ταυροι υψικερως, *taurus alticornis* elevetur, sed

B animadvertens carnis subsistentiam sedare debet cordis tumorem: nam etsi factus est princeps in terra, ne tamen ignoret sese ortum ex terra, cum in pulvere ad solium conscendere, atque in pulverem tandem possit descendere. Et cap. 21. humanæ imbecillitatis eum magis admonet, et quomodo regia dignitate uti debeat. Essentia corporis, ait, æqualis est cuilibet homini, imperator: potestate autem dignitatis, ομοιος εστι Θεω, similis est cunctorum præsidi Deo: non enim habet in terris altiorem se. Oportet igitur ipsum, ως Θεον, μη οργιζεσθαι, και ως θνητον, μη επαιρεσθαι: *ut Deum, non irasci: ut mortalem, non efferri. Nam etsi effigie humana honoratus est: at pulvere tamen terreno connexus est: quo edocetur, ut erga omnes servet æqualitatem.* S. Paulus iubet Timotheo Ephesi Episc. 1. epist. 6. ad eum, ut præcipiat divitibus non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum. Ubi adverte cum S. Valeriano hom. 14. superbiam esse vilitatis vitium, et indicium ignobilitatis. Sic ipse nominat,

C et addit: *Nescit extolli nobilitas mentis, semper accrescit apud indignos mores, cum potestate supercilium.*

Secundo, lingua frænanda est, ne in cælum se extendat. Hinc additur: *Nolite loqui adversus Deum iniquitatem.* Hebraice est: Ne loquamini cum cervice elata, ut vertit Felix; 2. et melius, nolite loqui cervice dura, ut Flaminius. Ne loquamini collo erecto, ut Syrus: collo pingui, ut Pagninus: collo præfracto, ut Arias. Ubi adverte, qui superba loquitur, erigit caput et collum: et præcipue qui ponit os suum in cælum et cornua erigit in Deum. Alludit David ad locum Iobi 15. v. 26. ubi Eliphaz Themanites de superbo ait: *Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est*, ob pinguedinam, id est, abundantiam divitiarum et aliorum bonorum. Septuag. Itaque in Psalmo nostro vertentes, Nolite loqui adversus Deum iniquitatem, secuti sunt sensum non verba. Vel pro צואר *tsavar*, id est collum, legerant צור *tsur*, id est, petra, Deus est petra, robur et firmamentum nostrum. Pro *betsavar*, id est, in collo, *betsur* legentes var- 20. Superbus in cælum et Deum exerit linguam.

D terunt, adversus Deum. Monebat sapienter Anna mater Samuelis in suo Cantico, 1. Reg. 2. v. 3. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.* S. Ioannes Climacus grad. 23. docet, e superbia oriri verba in Deum blasphema. Superbia, inquit, Θεου αντιπαλος, βλασφημιους ριζα. *Dei hostis, radix blasphemiæ.* In corda superborum nascuntur blasphema verba, in corde humilium, ουρανια θεωρηματα, cælestes illustrationes: ita Climacus. Manichæos blasphemos increpans S. Cyrillus Ierosolymitanus catech. 6. dicit, Tonat Deus, et nos omnes tremimus. Manichæi autem blasphemant. Fulgurat Deus, et omnes ad terram inclinamur: illi vero nefandas in cælum movent linguas: ita ille. Ponebant scilicet duo principia: bonum ac malum: et dicebant a malo principio corpus; a bono animam creatam esse. Iulianus Apostata Christum blasphemans iaciebat in cælum suum sanguinem. Thraces dum tonabat, in altum proiiciebant suas sagittas, velut in ipsum Iovem præ-

*

liaturi. Idem facit superbus blasphemans cum affligitur. S. Vincentius Ferrerius serm. 5. in Dominicam Adventus: *Sagittæ toxicatæ*, inquit, *sunt blasphemiæ*. Rabbi Iochanan superbos æquiparat idololatris: *Omnis homo*, inquit, *qui elatus et superbus est, idem est ac si idola coleret. Nam scriptum est, Abominatio est Domini, cor elatum. Et de idololatria dicitur: Non deferes abominationem in domum tuam. Et addit: Qui elatus est, idem est, ac si Deum negaret.*

21. Vers. 7. Ratio, cur non debeamus loqui adversus Deum iniquitatem, subditur, quia Deus iudex est, a quo non possis effugere. Christus itaque dicit vers. 7. QUIA NEQUE AB ORIENTE, NEQUE AB OCCIDENTE, NEQUE A DESERTIS MONTIBUS (supple, est ullus evadendi modus, nullus est locus ubi tuti esse possitis. Est aposiopesis seu reticentia) QUONIAM DEUS IUDEX EST, Deus autem ubique est, et ubique potens est. Chald. vertit, quia Deus iudex iustus est.

Deus iudex ubique præsens est. Sensus itaque est, q. d. A Dei iudicio nusquam erit effugium: non enim ab oriente iudicabit, ut possis fugere in occidentem: neque ab occidente, ut possis latere in oriente: neque a desertis montibus, ut abscondas te in aliqua valle inter arborum ramos. Iste enim iudex Deus est, qui ubique est, et nullo excluditur loco, cum nullum occupet locum: ita ex S. Augustino Bellarminus. Verba S. Augustini sunt: *Iniquitatum tuarum iudex Deus est. Et si Deus est, ubique præsens est. Quo te auferes ab oculis Dei, ut in parte aliqua loquaris quod ille non audiat? Si ab oriente iudicat Deus, secede in occidentem, et dic quidquid vis adversus Deum. Si ab occidente, vade in orientem, et ibi loquere. Si a desertis montium iudicat Deus, vade in medium populorum, ubi tibi submurmures. De nullo loco iudicat, qui ubique secretus est, ubique publicus: quem nulli licet ut est cognoscere, et quem nemo permittitur ignorare. Vide quid agas. Loqueris adversus Deum iniquitatem. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Alia scriptura dicit: Et hoc quod continet scientiam habet vocis. Propter hoc, qui loquitur iniquitatem, latere non potest.* Hæc Augustinus, qui id explicat etiam de locutione interna, et de verbo mentis et cordis. Subdit enim paulo post: *Habes iudicem in secreto tuo. Volens facere aliquid mali, de publico recipis te in domum tuam, ubi nemo inimicorum videat: de locis domus tuæ promptis et in faciem constitutis, removes te in cubiculum: times et in cubiculo aliunde conscium, secedis in cor tuum, ibi meditaris: ille in corde tuo interior est. Quocumque ergo fugeris, ibi est. Teipsum quo fugies? Nonne quocumque fugeris, te sequeris? Quando autem et teipso interior est, non est quo fugias a Deo irato, nisi ad Deum placatum. Prorsus non est quo fugias. Vis fugere ab ipso? fuge ad ipsum.* Cimmerii populi solem in mundo esse, et aliis lucere negant, ut ait Plutarchus de superstitione. Quis eos insanire non putet? Stultior est peccator, qui Dei oculos lucidiores super solem, non advertit se ubique contemplantes, et manus gladium vindicem intentantes. S. Nilus in Parænesi: Luge, inquit, peccatorem felicem: gladius enim iustitiæ ipsi imminet: ita ille. Christus in Apocal. cap. 1. apparet oculis flammantibus et gladium ore gerens, ut illum exerat ubi oculi scelus adverterint. Neque est effugio locus. S. Gregorius id explicat circulo posito in naribus Leviathan, hoc est, ceti seu balænæ. Sic enim illud Iob cap. 40. v. 21. *Numquid pones circulum in naribus eius?* explicans lib. 33. moralium, cap. 14. ubi etiam exponit quid designetur falce acuta, qua Christus messem terræ demetit, ait: *Quod hoc loco circulum, hoc Scriptura sacra per Ioannem in Apocalypsi falcem vocat. Ait enim: Vidi, et ecce nubes candida: et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam. Potestas enim divini iudicii, quia undique stringit, circulus dicitur: et quia intra se omnia incidendo amplectitur, falcis appellatione signatur. In falce enim quidquid inciditur, quaquaversum flectitur intus cadit. Et quia potestas superni iudicii nullatenus evitatur: intra ipsum quippe sumus, quolibet fugere conamur: recte cum venturus iudex ostenditur, falcem tenere perhibetur: quia cum potenter ad omnia obviat, et incidendo circumdat. Esse se intra falcem iudicii Propheta vidit, cum diceret: Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Intra quamdam falcem se vidit, cum ex nullo sibi loco patere fugæ aditum posse cognovit, dicens: Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus: subaudit, patet via fugiendi: atque mox ipsam supernæ potentiæ omnimodam comprehensionem subdens, ait: Quoniam Deus iudex est. Ac si diceret: Fugiendi via undique deest: quia ille iudicat, qui ubique est. Divina itaque iudicia sicut signantur falce, quia circumvallantia incidunt; ita exprimuntur circulo, quia undique stringunt. In Leviathan itaque naribus a Domino circulus ponitur: quia iudicii eius potentia in insidiis suis ne quantum vult prævaleat, coarctatur. Dicatur ergo, Numquid ponis circulum in naribus eius? etc.* hactenus Gregorius. Hinc exclamat Isaias, intentans exitium duabus tribubus cap. 10. v. 3. *Quid facietis in die visitationis* (id est, punitionis) *et calamitatis de longe venientis?* id est, ab Assyria per Sennacherib: et e cælo, a Christo ad iudicium veniente.

Deserti porro montes sunt ii, qui sub utroque polo meridionali scilicet ac Septemtrionali latent ob tenebras et frigus inhabitati. Sic habes quatuor partes orbis.

Cum Deus sit iudex, superbos contra iniquitatem loquentes et facientes humiliat, supplices vero sibi humiles exaltat, v. 8. HUNC (superbum, ait Bellarminus) HUMILIAT, ET HUNC (humilem) EXALTAT: QUIA CALIX IN MANU DOMINI, VINI MERI PLENUS MISTO. Vers. 8.

Ac v. 9. ET INCLINAVIT EX HOC IN HOC: VERUMTAMEN FÆX EIUS NON EST EXINANITA: BIBENT OMNES PECCATORES TERRÆ. Vers. 9.

Nota, Deus superbum humiliat, humilem exaltat. Christi enim generalis sententia est, Luc. 14. v. 11. *Qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.* Deipara id vidit Luc. 1. v. 52. *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Salomon Prov. 15. v. 25. *Domum superborum demolietur Dominus, et firmos faciet terminos viduæ.* Auctor Eccl. 10. 18. *Radices gentium superbarum arefecit Deus, et plantavit humiles et ipsis gentibus.* Anna ait 1. Reg. 2. *Dominus mortificat et vivificat: deducit ad inferos et reducit. Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat.* Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. Repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt. Donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est. S. Basilius Seleuciæ Episcopus: Mutata est, inquit, rerum natura. In altum fastu elatus deiicitur: ad ima vergens, per sententiam erigitur. O Publicanum clementiæ mercatorem. O publicanum qui de portu felicitatis vectigal petit, O peccatorem, qui ad libertatem peccatoribus viam aperit. S. Ioan. Clim. grad. 25. pag. 324. Si, ait, ex angelis dæmones quosdam fecit superbia: omnino humilitas, καὶ ἐκ δαιμόνων ἀγγέλους ποιῆσαι δύναται, *et ex dæmonibus angelos facere potest.* S. Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 69. Ingens est, ait, humilitatis fastigium: et contra ingens arrogantiæ ruina. S. Gregor. 25. Moral. 17. lumen intelligentiæ, ait, humilitas aperit, superbia abscondit. Nam secretum quoddam pietatis est, ut tanto minus ad illud animus perveniat, quanto magis intumescit: quia eo ipso foras repellitur, quo insanius inflatur: ita Gregorius.

22. Deus superbos humiliat. Et humiles exaltat.

Exaltatio humilium explicari potest Corinthiorum memorabili cæremonia, habitu rustico indutum principem sibi præficiendo. Rem sic narrat Sabellicus lib. 5. Ennead. 10. Corinthii, ait, Archiducem sibi notatu dignissima cæremonia constituunt. Est late fusa vallis ad Vitum oppidum, nec procul hinc est marmoreus lapis in patentibus pratis erectus: hunc cum dux creandus est, rusticus hæreditario iure occupat, ad dexteram bovem habens fœtam nigri coloris, ad lævam equa illi sistitur strigosa macieque insigni: frequens circa populus, agrestiumque turba

Corinthii ducis electio notabilis.

ingeas, dux inde futurus ex adverso movot purpuratorum multitudino septus, præcedunt principatus signa, omnesque in toto comitatu egregis culti præter futurum ducem. *Is agresti habitu, pileo tectus, calceos et pastoralem baculum gerens, pastorem agil magis quam principem*: hunc venientem intuitus qui lapidem obtinet, illyrica voce (quæ illis vernacula est) Quis hic est, exclamat, qui tam superbe incedit? Respondet multitudo, principem regionis adventare. Tum ille: Iustus no iudex salutem patriæ quæreus? liberæ conditionis, dignusque honoro est? Christianæ fidei cultor et auctor? Reclamatur. Est, est quidem, et erit. Rursum idem: Quæro quo me iure hac a sede dimovebit: ait Comes Goritiæ, ducalis aulæ magister, sexagiata denarlis hic abs te locus emitur: iumenta hæc tua erunt (ad bovem et equam manum iateadens) vestimeata quæ dux exuet, habebis, eris tu cum tota domo liber. Quibus dictis rusticus malam percutit alapa leniter incussa, iubetque simul æquum iudicem esse, præmioque inde abducto, loco cedit, tum lapidem dux occupat, nudum gladium vibrans, populum affatur, pollicceturquo se æquum iudicem fore: ferual et aquam agresti pileo delatam potare in futuræ sobrietatis argumentum: inde operari sacris iu sacello Divæ Mariæ viciao: quibus peractis, humili veste deposita, paludamentum induit, convivatur cum proceribus, postremo in apertum egressus pro tribunali sedens, ius dicit populo. Hæc Sabellicus, qui etiam aliud recitat, quo depressio superborum, et exaltatio humilium declaretur. Anno, inquit, reparatæ salutis 790. Dux gentis Ingo nomine, ingens convivium provincialibus præparavit, et agrestibus ad conspectum suum intromissis in vasis aureis et argenteis: nobilibus vero ac magistratibus procul ab oculis collocatis, fictilibus ministrari iussit. Interrogatus cur ita faceret, respondit: Non tam mundos esse qui urbes et alta palatia, quam qui agros humilesque casas colerent. Rusticis, qui Christi evangelium accepissent, candidas esse animas, nobilibus qui spurcitias idolorum sequerentur, sordidas ac nigerrimas: se ergo *pro animarum qualitate* instruxisse convivium. Brevi tempore castigati ea re nobiles, Christi fidem acceperunt: hinc honos investicadi principis rusticis datus: hæc ibi. Non erit acceptio personarum apud iudicem Christum, sed apertis conscientiarum libris cogitationes, affectiones et actiones apparobunt, velut in fideli speculo, quales sunt: neque ulla ratio nobilitatis, divitiarum, dignitatum habebitur. Agapetus Diaconus in capit. Paræn. ad Iustinian. cap. 24. Sicut, inquit, exquisita specula tales monstrant vultuum apparentias, qualia ipsa sunt archetypa, nitidas videlicet niteatium, tristes autem tristantium: eodem pacto iustum Dei iudicium nostris actionibus assimilatur: qualia enim sint quæ a nobis præstantur, talia ipse nobis par pari referens exhibet: ita Agapetus.

23. Calix vini meri est iræ divinæ symbolum.

Nota secundo, calix est symbolum iræ Domini; 2. calix vini; 3. calix vini meri; 4. calix plenus misto; 5. calix qui inclinatur ex hoc in hoc; 6. calix in quo est fæx; 7. calix ex quo bibunt omnes peccatores terræ. Primo, calix pro ira Dei sumitur Habac. 2. v. 16. *Circumdabit te calix dexteræ Domini*. Te scilicet Chaldæum Persæ et Medi circumdabunt, et tibi tot calices iræ Dei offerent, ut eos potaas inebrieris, ac turpiter denuderis. Ubi adverte, calicem sumi metonymice pro liquore contento in calice, vel synecdochice pro ipso vase et liquore in eo posito, partem scilicet pro toto. Potest porro esse calix fellis, absinthii, vini, vel alterius liquoris.

Secundo, *calix vini* in manu Dei, est eius ira, furor, indignatio et vindicta. Ierem. 25. v. 16. vocatur calix vini furoris Domini vindicta, quam per Nabuchodonosor erat sumpturus de variis gentibus. Apoc. 16. 19. vocatur vinum indignationis. Sic enim habetur: *Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare*, id est, ut det *illi calicem vini indignationis iræ eius*.

Tertio, *calix vini meri* in manu Dei, potiori iure significat iram Dei et vindictam, quam cogit impios ebibere. Apoc. 14. v. 10. angelus minatur adoranti bestiam et imaginem eius: *Hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius.*

Quarto itaque, *calix vini meri plenus misto*, significat iram Dei et vindictam. Ubi adverte, Hebr. est plenus mistione. Sed qua? Resp. primo, aliqui, mistione aquæ: quia Deus temperat misericordia et benignitate suam institiam et severitatem. Secundo, et melius, alii dicunt calicem esse plenum misto, alio scilicet vino mero admisto. Sic enim vinum merum alteri vino mero permistum fit potentius, et magis citiusque inebriat, quia calor naturalis non potest tam facile agere in varias illas diversorum vinorum qualitates, nec cerebrum illis potest tanta facilitate resistere. Tertio denique, mistio potest esse vini cum fæcibus. In inferis erit mistio pœnarum, sed omnes erunt meracæ, et plenæ amaritudine. Ps. 10. 7. *Ignis, et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum*. Terribilis est hæc in calice iræ Dei permistio.

Quinto, *calix qui inclinatur ex hoc in hoc*, designat iram et vindictam ex hoc homine et populo, in hunc hominem et populum, suos liquores effundentem. Insignis locus est Ieremiæ cap. 25. ubi ait, sibi ostensum et oblatum calicem vini a Deo, ut propinaret illum cunctis gentibus, quod ab eo realiter factum putat Sanchez, profectioae ad eas gentes, vel calicis oblatione, cum in Paschate, Pentecoste, aut festo tabernaculorum veniebant ad templum: probabilius tamen S. Thomas id tantum in visione accidisse censet. Verba porro Dei sunt, cap. 25. 15. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea: et propinabis de illo cunctis gentibus ad quas ego mittam te. Et bibent, et turbabuntur, et insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos. Et accepi calicem de manu Domini, et propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus, Ierusalem, et civitatibus Iuda, et regibus eius, et principibus eius: ut darel eos in solitudinem, et in stuporem, et in sibilum, et in maledictionem, sicut est dies ista. Pharaoni regi Ægypti, et servis eius et principibus eius, et omni populo eius, et universis generaliter cunctis regibus terræ Ausitidis, et cunctis regibus terræ Philisthiim, et Ascaloni, et Gazæ, et Accaron, et reliquiis Azoti, et Idumææ, et Moab, et filiis Ammon.* Varios deinde percenset, qui vastandi erant a Nabuchodonosore rege Chaldæorum, ac subdit v. 27. *Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Bibite et inebriamini, et vomite, et cadite, neque surgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos. Cumque noluerint accipere calicem de manu tua ut bibant, dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Bibentes bibetis. Quia ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipiam affligere, et vos quasi innocentes et immunes eritis? Non eritis immunes: gladium enim ego voco super omnes habitatores terræ, dicit Dominus exercituum.*

Sexto, calix in quo sunt fæces, est symbolum iræ et vindictæ Dei. Isaiæ 51. 17. dicitur Ierusalem captivæ in Babylone: *Elevare, elevare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius, usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad fæces.* Ezechiel Propheta dicit Oolibæ, id est Ierusalem, fore ut bibat calicem sororis suæ Oollæ, id est Samariæ et decem Tribuum; hoc est, fore ut vastetur a Chaldæis, sicut illa ab Assyriis. Verba eius sunt cap. 23. 32. *Hæc dicit Dominus Deus: Calicem sororis tuæ bibes profundum et latum: eris in derisum, et in subsannationem, quæ est capacissima. Ebrietate et dolore repleberis, calice mœroris et tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ. Et bibes illum, et epotabis usque ad fæces, et fragmenta eius devorabis, et ubera tua lacerabis.* Ooliba significat Hebr. Tabernaculum meum in ea. Nam in Ierusalem erat templum Dei. Licet sis templum Dei per gratiam et sanctitatem, no sis securus do vindicta Dei, nisi tibi a sceleribus caveas. Quin etiam Deus aliquando gravius punit eos, qui a pietate sunt lapsi. Isaias loco mox citato dicit, Ierusalem bibisse usque ad fundum calicem soporis. R. Salomon vertit, calicem stuporis. Rabbi Emmanuel, fletus et contritionis. Arias, turbationis et nauseæ. R. Ionas, confusionis atque contritionis.

24. Calix in quo sunt fæces est symbolum iræ Dei.

Vatabl. tremoris. Septuag. furoris. Symmachus, lacerationis. Chald. maledietionis.

Septimo denique, *calix ex quo bibunt omnes peccatores terræ,* est symbolum iræ et vindictæ Dei. Ad hoc illustrandum sufficit locus allatus ex cap. 25. Ieremiæ. Tropol. vinum suave deliciarum et voluptatum vertitur, in vinum merum, aut in acetum iræ Dei. S. Antonius Paduanus serm. in Dominicam III. post Pascha: *In hoc mundo,* inquit, *bibunt vinum lætitiæ; sed in alio bibunt acetum gehennæ.* S. Gregorius lib. 15. cap. 7. In illud Iobi cap. 20. 14. *Panis eius in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus,* sic loquitur: *Panis iste aliud in ore sapit, et aliud in utero: quia transitoriæ delectationis lætitia dulcis est, dum hic quasi mandendo agitur: sed amarescit in utero, quia peracta lætitia deglutitur ad pœnam:* ita ipse. Si vinum et panis illis amarescunt, quæ erit in cæteris delectatio? Petrus Cellens. lib. de Panibus, cap. 4. Ad punctum, ait, et in modico, tamquam spuma aquæ defluxit: vel, sicut fumus de fumario evanuit peccati delectatio; sed æternaliter extenditur prolixitate et atrocitate atrocium pœnarum exeruciatio: ita ille. Vinorum genera centum nonagiota quinque, species autem pene duplici numero esse dicit Plinius lib. 15. cap. 22 qui mira de variis vinis refert cap. 18. eiusdem libri: *Sunt,* ait, *et in vino prodigia. Dicitur in Arcadia fieri, quod fœcunditatem fœminis importet, viris rabiem. At in Achaia maxime circa Caryniam abigi partum vino, atque etiam si uvam edant gravidæ, cum differentia in gustatu non sit: Trœzenium vinum qui bibunt, negantur generare. Thasios duo genera vini diversa facere proditur: unum, quo somnus concilietur; alterum vero, quo fugetur:* ita ille. Vinum voluptatis inducit rabiem, virtutis partum abigit, impedit fœcunditatem bonarum actionum, somnum inducit sed brevem, et longo mœrore terminatum. Notabile est, quod Paulus Venetus habet lib. 1. Oriental. hist cap. 28. de Aladino quodam tyranno, qui in Perside Muletam regionem invasit, et medicata potione sicarios, quos Assassinos vocavere, sibi adiunxit in hunc modum: in valle, ait, amœnissima, et præruptis cincta montibus, paradisum omni deliciarum genere, qualem suis Mahometes pollicebatur, instruxit. In faucibus, per quas solus patebat aditus, arcem extruxit munitissimam, ne cui accedendi potestas esset præterquam conscils. Affirmat interim se claves Mahometici paradisi habere, et *potione soporifera* clam oblata, dormientes in eum locum deferendos curabat. Experrecti cum omnibus deliciis affatim fruereotur, revera se in paradiso esse credebant. At præstigiator ille capta opportunitate, *medicato poculo* sopitos rursus extra paradisum efferebat, eos ad omnia, quæ imperaret patranda paratissimos postea habebat; quippe de paradiso, si principi obedirent, securissimos. Hac arte non paucos Christianorum principum insidiis circumventos oppressit. Tandem anno salutis 1262. Allaus rex Tartarorum senem hunc, in paradisi triennali obsidione ad deditionem fame compulit, locum aboleri, et asseclas omnes interimi iussit. His in terris divites, velut medicato poculo ebibito, se in deliciis paradisi esse credunt, sed ubi alium iræ Dei calicem exhauserint, atque eo sumpto evigilaverint, se procul ab ea spe deiectos esse in summa miseria, inopia, et dolore intelligent.

25. Quæres, an fiat hic mentio duorum calicum, qui sint in manu Dei? Resp. primo, Euthymius et Nicephorus duos hic calices ponunt. Euthymii verba sunt: Totus, inquit, sermo, metaphoricus est. Et per manum quidem Domini, illius potentiam intelligit: per calicem autem vini, mensuras ac modos pœnarum. Per vinum enim hoc in loco supplicia intelliguntur, atque calamitates, quæ æque ac vinum, et vires hominum tollunt, et mentis harmoniam dissolvunt, et aberrare nos faciunt a via. Merum vero esse dicitur hoc vinum, quasi austerum atque efficax vi sua, et nulla mistum misericordia. Et hic quidem calix est vini meri; sed in manu Domini alius etiam est calix, plenus mistione: hoc est misericordia. Mistio enim vini, aqua; et mistio austeritatis, misericordia. Debemus autem ea verba, plenus mistione, non sequenti versiculo coniungere, sed per se soluta legere, subintelligendo coniunctionem, et sumendo a communi sensu verba: *calix in manu Domini;* ut sit sensus, quod in manu Domini est calix vini meri: et in eadem manu est calix plenus mistione. Nam alioqui quomodo unus et idem calix potest merum et mistum continere? et quod duo sint calices, patet etiam clarius ex sequentibus: *Et inclinavit ex hoc in hoc,* id est, de mensura meri supplicii, effudit in mensuram misericordiæ, ut misturam faceret, utque eam in potum illis præberet, qui et levius deliquisseot, et adhuc essent medicabiles: ita Euthym. Eam mistionem iræ cum misericordia sic declarat S. Gregorius Nazianz. Orat. 15. pag. 226. Deus, ait, iræ meracum benignitate temperat: ita tamen, ut ex severitate ad lenitatem et gratiam iis inclinet, qui metu erudiuntur: et ex parva calamitate concipiunt, ac morum correctionem parturiunt. Fæcem autem, hoc est, το οργης εσχατον, id quod in ira extremum est, asservet, ut eam totam in illos effundat, qui benignitate et clementia minime sanantur, imo etiam obdurantur, quemadmodum ille cordis duritia laborans Pharao, et in operibus indicendis acerbus, ad divinæ contra impios potentiæ specimen edendum reservatus. Hæc Nazianzenus. Calicem virtutum in dextera Dei ponit Origenes hom. 9. in Ieremiam; calicem vitiorum, in eius sinistra, id est pœnam debitam vitiis: inclinare ex hoc in hoc: quia homines partim bona, partim mala agunt: itaque et præmio et pœna digni sunt. Petrus Valderama in exercitio spirit. Sabb. post Domin. Quadrag. putat unum esse calicem vini meri et misti, alium deinde in quem fæces iaciantur.

Secundo tamen, et melius, unus tantum hoc loco poni- 26.
tur calix in manu Dei, qui calix sit vini meri plenus mi- Verius
sto, seu mistione aliorum vinorum purorum, et qui etiam est unum
fæcem habeat. Primo, quia in manu Dei non est duplex ca- tantum a
lix, nec apte in una et eadem manu poneretur. Secundo, Davide
dicitur, *fæx eius non est exinanita:* si autem esset duplex poni.
calix, diceretur: fæx eorum non est exinanita. Quod vero additur, *inclinavit ex hoc in hoc:* aut ut habet S. August. *ex hoc in hunc:* non est sensus, q. d. Inclinavit ex hoc calice in hunc calicem: sed ex homine in hunc hominem, seu populum. Cum itaque vides poniri vicinum tuum, time. Vidimus exortum in Germania bellum anno 1618. ab eo tempore pervasisse Italiam, Lusitaniam, Hispaniam, Franciam, Angliam, Sveciam, Scotiam, Hiberniam, Daniam, Poloniam, Hungariam, et alias provincias, atque ex una in aliam, velut ignem calamos siccos corripientem, transvolasse, neque adhuc desiisse.

Simbol. calix vini meri plenus misto est lex, quæ data est Iudæis, et omnis Scriptura illa veteris quod dicitur testamenti, ubi sunt pondera omnium sententiarum. Nam ibi novum absconditum latet Testamentum, tamquam in fæce corporalium Sacramentorum. Circumcisio carnis, magni Sacramenti res est, et intelligitur ex eo circumcisio cordis. Templum Ierusalem illud magni Sacramenti res est, et intelligitur ex eo corpus Domini. Terra promissionis intelligitur regnum cælorum. Sacrificium victimarum et pecorum magnum habet Sacramentum. Sed in omnibus illis generibus sacrificiorum intelligitur unum illud sacrificium, et unica victima in cruce Domini: ita Aug. Secundo, alii calicem vini meri plenum misto dicunt esse calicem sanguinis Christi in Eucharistia, aqua enim vino infunditur: ita S. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 172. Tertio, alii Christi passionem, quam ipse calicem sibi datum a Patre vocat. Quarto, alii Sanctorum passionem. Quinto, alii de effusione Spiritus sancti, et donatione gratiarum, atque meritorum, explicant.

Christus tandem concludit, se punitis impiis in iudicio 27.
per totam æternitatem Deum laudaturum, contriturum Vers. 10.
sceleratos, exaltaturum pios, v. 10. EGO AUTEM ANNUNTIABO IN SÆCULUM (S. Hier. in sempiternum. Ps. Roman. et Gallican. Ego autem in sæcula gaudebo. Sept. αγαλλιασομαι, gaudebo) CANTABO DEO IACOB, id est Iacobitarum

Duos calices Dei ponit hoc loco Euthymius.

seu populi Israel: hoc est, populi fidelis vitia supplantantis et Deum videntis. 2. *Deo Iacob*, id est quem coluit Iacob, qui fuit pater omnium Iudæorum, apud quos viguit cultus Dei.

Nota, simpliciter dicit, *annuntiabo*, et non determinat quid sit annuntiaturus. Primo Chald. vertit: *Ego narrabo in æternum miracula illa;* nempe, quibus deiicit impios, exaltat pios. Secundo, *annuntiabo*, supple laudes tuas, et illas annuntiabo exultans et cantans Deo, non mihi. Ubi adverte, gratitudinem ob accepta beneficia Deo maxime placere. Hebræi dicunt, super tribus mundum consistere: 1. Super lege. 2. Super cultu sacro. 3. Super retributione beneficiorum. Philo lib. de victimas offerentibus, gratitudinem sacrificio anteponit: *Quantum*, inquit, *aurum præstat lapidibus, tantum acceptior est suffitus gratiarum actionis, quam mactata victima.* Libanius autem præfert gratitudinem auro, et aliis omnibus donis Deo oblatis. Verba eius sunt orat. 32. *Lex est*, ait, *ut is qui affectus est beneficio ab aliquo e superis, hunc ipsum honore prosequatur, qui beneficium contulit. Is vero honore afficit, tum qui crateras appendit, tum qui pateras aureas, tum qui aliud quoddam vas: tum qui coronam, Pastor item, cum tubam: et venator, feræ caput: et Poeta hymnum modulatum: et dicendi peritus, elogium soluta offert oratione. Porro mihi videtur apud Deum hymnus præferri auri muneribus:* ita Libanius.

28. Quid autem facturus sit Christus adversus superbos,
Vers. 11. et pro humilibus, ait vers. ult. ET OMNIA CORNUA PECCATORUM CONFRINGAM (Aquila vertit, κατακόψω, concidam) ET EXALTABUNTUR CORNUA IUSTI. Id est humilis, qui reddit unicuique quod suum est: Deo scilicet gloriam, tibi pœnam, proximo benevolentiam. 2. Iusti, id est pii et sancti.

Decem cornua superbi.

Nota, superbus est bestia terribilis a Daniele conspecta, quæ dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans, quæ habebat cornua decem, Dan. 7. v. 7. Primum cornu superbi est anima scientiis ornata, vel excellenti ingenio prædita: sive primum cornu, est scientia turgida. Secundum, prudentia mundana. Tertium, inanis gloria. Quartum, præsumptio. Quintum, arrogantia. Sextum, superbia. Septimum, pulchritudo corporis. Octavum, voluptatis amor. Nonum, divitiæ terrenæ. Decimum, honores, dignitates, et favores mundani. Parvum vero cornu quod oritur de medio illorum, habens oculos hominis, et os loquens grandia est hypocrisis. Lege caput reliquum Danielis, ubi inducitur antiquus dierum, hoc est Christus, ait S. Hieron. aut potius Deus Pater ad necem illam bestiam condemnans propter vocem sermonum grandium. Filius etiam hominis, id est Christus apparet in nubibus, eique datur potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum quod non corrumpetur: eiusque potentia conteritur, et disperit bestia usque in finem. Vide etiam quid dicatur de bestia, quæ de mari ascendit, habens capita septem, et cornua decem, et super cornua eius decem diademata; super capita eius nomina blasphemiæ, Apoc. 13. 1. Hæc facile aptabis superbiæ. Item, quæ habentur cap. 17. 3. de muliere sedente super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem et cornua decem.

29. Hæc superbi cornua confringit Deus. Eccli. 6. 2. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus: ne forte elidatur virtus tua per stultitiam.* Græce habetur: Ne efferaris ob consilium animæ tuæ, ne quasi taurus anima tua discerpat te. Salomon sine ulla dubitatione confractionem prædicit superbo, cap. 16. 18. *Contritionem præcedit superbia* (alii stultitia) *et ante ruinam exaltatur spiritus.* Lege S. Augustinum lib. 14. de Civit. cap. 13. Et Isaiam cap. 28. 1. et seqq. ubi ruinam superbiæ declarat. S. Ambros. lib. 10. epist. 84. ad Demetriadem: *Inter omnes*, ait, *lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium, nulla est gravior, quam superborum ruina, maxime cum ipsa elatio in Dei tendit iniuriam.* S. Ioann. Clim. grad. 23. Superbia, inquit, πτωμάτων προξένος, lapsuum est procuratrix: S. Nilus eam comparat scalæ fragili. Sic enim hom. de superbia: Sicut inquit, imbecillis scala eum qui ascendit, deiicit: sic superbiæ scala eum qui ascendit. Rabbi Natan dicebat: non oportere domi enutrire canem domini mortem quærentem, nec parieti applicare scalam quæ minatur ruinam. 2. Petr. Blesensis serm. 26. superbiam turri cadenti æquiparat. Superbia, inquit, est turris in Siloa, quæ cecidit super decem et octo viros, qui eam ædificabant. 3. Superbia est bulla aquæ, cito frangenda. S. Chrys. hom. 20. in epist. ad Rom. Oportet, ait, omnino ut infirmus sit, qui arrogans est: altitudo siquidem non est: sed quemadmodum *aquaticæ ampullæ* facile rumpuntur, ita et illi facile pereunt. S. Aug. in Ps. 92. omnis fortitudo in humilitate, quia fragilis est omnis superbia. 4. Superbi splendor vitrum est quod facile frangitur. S. Petrus Damiani lib. 6. epist. 9. Humanam mentem, inquit, superbia vitream facit: ita ipse. Murus est vitreus, de quo loquitur R. Beniamin in suo itinerario: Est illic, ait, *murus vitreus*, magorum opere constructus foraminibus distinctus, diebus solis numero paribus: ita ut singulis diebus sol singula foramina subiens, gradus duodecim horis diei aptatos perambulet, atque ita tempus indicet annuum ac diurnum: hæc Beniamin. Singulis diebus erigit se superbus, sed omnia sunt vitrea, et cito franguntur. Comparari quoque possit altitudo superbiæ, muris ex glacie seu aqua congelata factis in regionibus Septemtrionalibus, de quibus alias ex Olao Magno dixi. 5. Ut a simili in Psalmo nostro posito, non recedam, superbia est cornu deciduum. Ælianus lib. 8. de Animal. cap. 15. ait, tractum quemdam esse camporum apud Indos, cui nomen Phalacra; Latine, Calvus: hoc autem appellari nomine, quod qui herbam in eo nascentem gustarit, et pilos et cornua amittat. Itaque elephantos ad eum locum non ire nisi coactos: atque cum eo pervenerint, ab omni gramine illius loci abstinentes pedem referre. Superbi sua cornua retinere optant, sed Deus illa extundit nonnunquam gula ad paupertatem eos redigit, sicque cornua excidunt. Solinus refert apud Garamantes tam magna nonnullis armentis cornua esse, adeo deflexa et declivia, ut ore carpere nequeant herbam, sed obliquo capite pasci debeant, vel frangi cornua. Nulla vera et cælestis suavitas superbo esse potest, nisi cornua deponat.

Superbi cornua confringit Deus. — *Superbia est scala fragilis.* — *Turris cadens.* — *Bulla aquæ.* — *Murus vitreus.* — *Cornu cadens.*

Nota secundo, humili sua non desunt cornua, et quidem oculata. Vir humilis, est agnus ille stans tamquam occisus habens cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, Apoc. 5. 6. Agnus ille est Christus a S. Ioanne visus cum cicatricibus gloriosus, cuius septem cornua, et septem oculi sunt septem angeli primarii, præsides Ecclesiarum et totius mundi, ait Pererius: aut septem dona Spiritus sancti, ait Beda atque Ansbertus. Super quem porro requiescit spiritus Dei, nisi super humilem? Super Christum se humiliantem in baptismo descendit Spiritus sanctus in specie columbæ, et eum exaltavit Pater, Filium suum declarans et cælos aperiens. Iob. 5. 11. ait Eliphaz Themanites amicus eius: *Deus ponit humiles in sublime.* Et cap. 22. 28. dicit idem Eliphaz: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.* Et Salomon Prov. 15. 33. *Gloriam præcedit humilitas.* S. Bernard. serm. 2. de Ascensione Domini: Sola, inquit, est humilitas quæ exaltat, quæ ducit ad vitam. S. Gregor. Nazianz. orat. 28. p. 621. dicit, humilitatem ἀρίστην ὁδὸν ὑψώσεως, esse optimum iter ad sublimitatem. S. Gregorius Papa lib. 16. Moral. 11. Qui, ait, falsum superbiæ verticem deserit, veritatis altitudinem ascendit. S. Ephrem de recta vivendi ratione: Humilitatem dilige, inquit, et nunquam diaboli laqueis capieris. Velocissimis enim humilitatis alis semper sublevatus sublimior eris, quam ut inimici retibus capi possis. S. Valerianus hom. 14. Humilitas, ait, semper illæsa est: nescit enim vinci, cui non est causa pugnandi. Superbia vero non solum odiis, sed etiam periculis subiacet. S. Ioan. Climac. grad. 25. pag. 317. Humilitas est βασιλείας πύλη, ianua regni cælestis; et pag. 325. Humilitas, ait, est σίφων οὐράνιος, canalis cælestis, qui ex ima peccatorum voragine

30. *Humilis habet cornua, et quæ?*

31. *Humilitas exaltat.*

animam in cælum evehere potest. S. Basilius Seleuciæ Episcopus, optimum dat consilium orat. 28. Humilitatis, inquit, plantam deligamus, cuius fructus cælum.

Vis humilitatis nos erigentis patuit in Christo, qui per suam humilitatem homines erexit et sublimavit. S. Ioan. Chrysost. hom. 33. p. 431. Antequam, inquit, carnem assumpsisset Christus, ac seipsum deiecisset, perierant omnia, et de omnibus actum erat; postquam vero seipsum deiecit, παντας εις υψος απηγαγε, omnes in altum evexit, maledictum delevit, mortem extinxit, paradisum aperuit, peccatum mortuum reddidit, cælorum ianuas reseravit, primitias nostras in cælum sustulit, orbem terrarum pietate complevit, errorem abegit, veritatem reduxit, primitias nostras εις θρονον ανεβιβασε βασιλικον, in thronum regium subvexit, innumera bona præstitit: hæc Chrysost.

32. Humilitas est omnis iustitia. Nota tertio, humilis est iustus: *Exaltabuntur cornua iusti*. Matth. 3. 15. Christus ipse humilitatem vocat omnem iustitiam. Omnis iustitia, ait Glossa ibi, est humilitas, quæ se omnibus, id est superioribus et æqualibus, æque ac inferioribus subiicit. 2. Humilitas est omnis iustitia, id est omnis virtus causaliter: quia est causa et origo virtutum omnium. S. Basil. I. Seleuc. orat. 28. *Alius, ait, mansuetudinem amat, et in sacris litteris in admiratione est: alius zelo cælesti obarmatur, et Deum laudatorem sibi comparat. Verum etsi plures isti saluti congruant modi, tamen omnibus humilitatis ornamentum convenit, ea comite continentia in admiratione est, et fides fit amabilior, et iustitia purgatior, et verior misericordiæ fructus:* ita Basilius. S. Bern. epist. 87. ad Ogerium Canonicum regularem: Humilitas, ait, ad quam utique ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fundamentum. Et lib. 2. de Consideratione ad Eugenium: Bonus, ait, fundus humilitas est, in qua omne ædificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino: ita Bernardus. Cornua porro iusti humilis sunt: 1. ipse Deus. 2. Christus. 3. Deipara. 4. Angeli. 5. Sancti. 6. Sacramenta. 7. Virtutes omnes. 8. Gloria æterna. Atque hæc cornua in modum coronæ illos decorabunt. Rabbini aiunt, viris esse a Deo data præcepta affirmativa 248. negativa 365. quot sunt dies in anno. Fœminis vero 64. negativa, et 36. affirmativa. Eos qui hæc observaverint, Deum coronare, et ab eo coronandos esse, atque in paradisi ædes introducendos, et ab inferis liberandos.

PSALMUS SEPTUAGESIMUS QUINTUS.

1. In finem, in laudibus, Psalmus Asaph.

2. Notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius.
3. Et factus est in pace locus eius: et habitatio eius in Sion.
4. Ibi confregit potentias: arcum, scutum, et gladium, et bellum.
5. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.
6. Dormierunt somnum suum: et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.
7. Ab increpatione tua Deus Iacob: dormitaverunt qui ascenderunt equos.
8. Tu terribilis es, et quis resistet tibi? ex tunc ira tua.
9. De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit et quievit.
10. Cum exurgeret in iudicio Deus: ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.
11. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.
12. Vovete, et reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu eius affertis munera;
13. Terribili, et ei qui aufert spiritum principum: terribili apud reges terræ.

PSALMI SEPTUAGESIMI QUINTI ANALYSIS.

Propheta noster prævidens cladem Sennacherib regis Assyriorum, declarat:

- Dei victoriam, 2. cuius
  - Maiestas innotescit
    - In Iudæa. 2.
    - Et toto Israele. 2.
  - Et benignitas
    - Ierusalem sede sua, pacata. 3.
    - Bello, in tota provincia extincto. 4.
    - Luce, e cælo data. 5.
- Hostium cædem, 5. qui
  - Turbati, ob insipientiam. 5.
  - Spoliati, ob avaritiam. 6.
  - Deiecti, ob superbiam, 7. a Deo
    - Terribili. 8.
    - Potente. 8.
    - Irato. 8.
  - Territi ob iudicem Deum, 9.
    - E cælo tonantem. 9.
    - Terram concutientem. 9.
    - Impios comprimentem. 9.
    - Omnes iudicantem. 10.
    - Iustos salvantem. 10.
- Populi gratitudinem 11.
  - Animo, Deum laudantis. 11.
  - Opere, festum illi agentis. 11.
  - Ore, vota concipientis. 12.
  - Manu, munera offerentis. 12.
    - Deo terribili. 13.
    - Iusto. 13.
    - Potenti. 13.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, in laudibus, Psalmus Asaph; canticum ad Assyrios.

1. Argum. Psalmi. PROPHETA noster uno mentis intuitu varias Israelitici populi victorias considerans, ac præsertim celeberrimam illam, quæ tempore Ezechiæ regis contigit de Sennacherib rege Assyriorum, gaudio subsilit, ac tantum beneficium prædicat. Omnia autem excelsiore sensu, ac præcipue intento de Ecclesia Christi, eiusque victoriis intelligenda sunt: Deus enim tyrannos, hæreticos, schismaticos, aliosque ipsius hostes contrivit.

Symbol. Iudæa est status Religiosus, ut dicitur v. 2. Psalmi huius, ibi enim laudatur Deus. Ut sit aliqua varietas et ubertas in hoc nostro commentario, de Religio- A sis hic præsertim agam, cum de Ecclesia sæpe sermo inciderit.

Nota, τὸ *canticum ad Assyrios*, non habetur in Hebraico textu, nec in Syriaco. S. Hieronymus et S. August. id non exponunt. S. Ambros. lib. de Nabuthe cap. 14. legit, Canticum ad Assyrium; et sic legitur nunc in Græcis exemplaribus Septuag. Interpretum. S. Basilius sive Theodoretus advertunt, non contineri in hexaplo, sed in quibusdam exemplaribus dumtaxat. Explicationis gratia titulus est additus, sive a Septuag. Interpretibus, sive ab alio quopiam.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

2. Tria complectitur. Primo, in Iudæa bellum periculosissimum divino auxilio fuisse terminatum, vers. 2. Secundo, Assyrios ibi interfectos, v. 6. Tertio, gratias Deo ob illam victoriam esse reddendas, v. 11.

SECTIO PRIMA.

Duo asserit. Primo, a Iudæis Deum coli, v. 2. Secundo, Deum dedisse Iudæis celeberrimam victoriam, v. 4.

PARAPHRASIS.

2. *Notus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius.*	2. Per veram fidem in sola Iudæa cognitio tua Deus innotuit, et nunc fuso hostium exercitu magis magisque inclaruit: et omnibus populi Dei tribubus fama nominis tui disseminata est.
3. *Et factus est in pace locus eius: et habitatio eius in Sion.*	3. Locum tibi stabilem immotumque posuisti in Ierusalem, et in Sion eius arce thronum fixisti, quem nulla vis hostium convellat.
4. *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.*	4. Sennacherib regis Assyriorum innumeras copias dissipasti, cæsisque centum octoginta millitum millibus, arcus hostiles, scuta, gladiosque contrivisti, atque in fugam ipso rege compulso, et in patria sua occiso, bellum cum gloria terminasti.
5. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.*	5. Tenebras enim fatalis illius noctis lumine e cælis demisso sustulisti, et angelo ultore hostes contrivisti, lætitiam servis tuis infundens.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta Dei cognitio et veneratio est in monasteriis Religiosorum.

3. Ordo Sectionis. QUOD de Iudæa et Ecclesia tota dicit David, hoc præsertim de domibus, et hominibus Deo specialiter consecratis dici potest, ut supra monui.

Ac primo, in Iudæa, Ecclesia, et Religione homines peculiariter cultum Dei et notitiam habent, v. 2. *Notus in Iudæa Deus.* Ac Deum ipsum laudibus atque operibus exaltant: *In Israel magnum nomen eius.*

Secundo, Deus in eadem Iudæa, Ecclesia, et Religione locum sibi specialem deligit: 1. ob pacem ibi per virtutes regnantem, v. 3. *Factus est in pace locus eius;* 2. ob vigilantiam in vitandis peccatis: *Et habitatio eius in Sion.*

Tertio denique, non otiosus ibi manet Deus, sed hostes conterit, vers. 4. *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum.* Et fideles luce cælesti illustrat, v. 4. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Sensum litteralem vide in Paraphrasi, in toto decursu Psalmi.

ARTICULUS I.

Dei maior notitia est Religiosis hominibus, quam aliis.

4. DAVID animo prævidens clades inferendas exercitui Sennacherib, et per illas ab obsidione liberandam Ierusalem, exultantem regem et populum, famam longe late-

B que propagatam, exultans canit, v. 2. Notus (S. Hier cognoscitur) in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius. Vers. 2.

Per Iudæam primo intellige simpliciter, et ad litteram, regionem illam, in qua Iudæi, posteri Iacob Patriarchæ habitabant. Notus ibi fuit Deus, Primo, ob legem datam illi populo, quod aliis nationibus factum non est. Secundo, ob Prophetas, quibus sæpe fiebant revelationes a Deo et angelis. Tertio, ob Pontificem, qui vestitus Ephod, hoc est, vestes pontificias, reddebat oracula, et legem ac voluntatem Dei populo explicabat. Quarto, notus erat practice Deus apud Iudæos, quia ibi colebatur sacrificiis publicis, orationibus, et alio cultu sacro, quod in nulla alia gente fiebat publice: licet enim nemo præter Iudæos ad circumcisionem et alios ritus Iudæorum teneretur, et aliqui sine illis salvarentur, ac Deum colerent, non constat tamen fuisse ullum populum post legem Mosi datam, qui id communi consensu et publico decreto faceret. Quinto denique, notus dicitur Deus in Iudæa, per effecta suæ po- In Iudæa notus Deus quinque modis.
C tentiæ, atque iustitiæ et misericordiæ; quod iam imminentem urbi suæ Ierusalem ac templo hostem Sennacherib sine exercitu, sine armis, sine pugna, una nocte prostraverit per unicum angelum, nullo ei resistere valente, rege ipso cum paucis superstite, ut magis doleret: et fugiente, ut præ Deo suam imbecillitatem fateretur: atque a propriis filiis brevi post occiso, ut ultricem manum ipse sentiret. Iudæi hoc Psalmi nostri versu plurimum gloriantur: unde quotidie Deum benedicunt in סדר תפילות *seder thephiloth*, id est, in libro et serie precum, ubi hæc Iudæi Deo gratias agunt quod sint Iudæi.

dicunt: *Laudatus sis Domine Deus noster, Rex mundi, qui me Iudæum fecisti*. Hinc ad Iudæam et Ierusalem suam semper suspirant. Olim fenestram unam habebant, quæ Ierosolymam versus aperiretur, ut etiam remoti Deum ibi adorarent, ut ait Oleaster in cap. 38. Isaiæ: Quilibet Israelita, inquit, curabit in domo sua fenestram habere, quæ respiciat versus Ierusalem, ut per eam dirigat orationem suam, et versus plagam illam vertat corpus suum: ita ille. De Daniele dicitur, Daniel 6. 10. *Fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo.* S. Hieron. ait, fuisse Dei præceptum, Deuter. 12. 11. Et Salomonis consilium, 3. Reg. 8. 44. Velut orbis centrum erat Iudæa, Ierusalem et templum in medio terræ, ut ex omni parte lineæ eo tenderent, atque in uno Deo unirentur.

Fenestram habebant e regione Ierusalem.

5. Allegor. et sensu primario intento, Iudæa hic intelligitur Ecclesia Christi, in qua est lux fidei et cognitio clara Dei unius et trini, cultusque eius longe perfectior, quam in synagoga. Nam filius Dei, qui est lux vera, quæ illuminat hominem, in terris visus est, et cum hominibus conversatus est: olim aperiebat ora Prophetarum, nunc aperiens os suum docuit Apostolos et turbas populi. S. Ioannes 1. Epist. 1. v. 1. hinc sibi fidem facit sic incipiens: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis, vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis.* Apud Paganos fuit nox illunis, apud Iudæos aurora, nunc Ecclesiæ sol iustitiæ lucet in pleno et ardente meridie. In ea sunt veri Iudæi et Israelitæ, ut docet S. Paulus Rom. 9. 6.

Allegor. In Ecclesia Deus notus est.

6. Tropolog. Iudæi sunt qui confitentur peccata sua. Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. pag. 430. ait, Xenocratem Carthaginiensem censuisse in animantibus rationis expertibus esse Dei notitiam: et Democritum, licet id confiteri nolit, hoc dicere per dogmatum consequentiam; fecit enim easdem imagines in homines incurrentes, et in animantes, rationis expertes, ex divina essentia: ita Clemens. Peccator comparatur iumentis insipientibus, et per scelera sua similis fit illis: non tamen perdit prorsus Dei notitiam. Iudæus autem verus est, cum Deo peccata sua confitetur.

Peccator sua peccata confitens est verus Iudæus.

7. Symbol. Iudæa est domus quælibet Religiosa, ubi viget regula et disciplina. Illa est terra promissionis, ad quam itur ex Ægypto mundi, et in qua iugis Dei laus et confessio. Quid enim aliud est Religiosus, quam perpetuus Dei laudator? In multis S. Benedicti monasteriis, in quibus aliquando nongenti aut milleni erant monachi, erat laus perennis sine ulla interruptione die ac nocte, succedentibus sibi in Ecclesia variis servorum Dei choris. Iudæa porro derivatur a ידה *iada*, id est, confiteri, laudare, gratias agere. Laudes virorum Deo consecratorum tam suaves censet S. Epiphanius, ut eas melli comparet. Sic enim ait Hæresi 80. *In singulis monasteriis, tum in Ægyptiorum regione, tum in aliis omnibus sic laborant ad iustitiam*, ὡς ἡ μέλιττα, *velut apes, in manibus quidem habentes ceram opificii; in ore autem guttas mellis, cum propria hymnifera voce universorum Dominum iuxta proprium sensum laudant.* S. Richardus Episcopus Cicestrensis, cum viros Religiosos inviseret, vel ad ipsum venientes cum osculo sancto susciperet, dicere solitus erat: Bonum est ea deosculari labia, quæ thymiema sanctarum orationum, Deo cum devotione oblatarum, suaviter redolent.

Religiosa domus est Iudæa. Religiosi sunt apes.

8. Nota, Religiosis magis quam sæcularibus notus est Deus. Primo, quia oculos habent perspicaciores, et magis illuminatos. S. Ioannes Climacus in definitione Religiosi, lumen includit. Sic enim ait grad. 23. pag. 293. μοναχός ἐστιν ἄσβεστον φῶς ἐν ὀφθαλμῷ καρδίας; *Monachus est inextinctum in oculo cordis lumen.* Et grad. 1. pag. 4. *Monachus est sanctum corpus, lingua pura, et* πεφωτισμένος νοῦς, *mens illuminata.* Palladius Episcop. in hist. Lausiaca cap. 113. post descriptum vestitum, victum, pietatemque solitariorum, ait: Hinc iam νοητοῖς ὀφθαλμοῖς, *intelligentibus oculis* aspiciunt æterna bona, quæ parata sunt a Dei gloria.

Religiosi maiorem Dei notitiam habent, quam sæculares, ob tres rationes. I.

Secundo, Religiosis magis quam sæcularibus notus est Deus, quia obiectum est magis illis præsens. Nam in eorum domo est Christus in Eucharistia, tota domus, et eius ambulacra, aulæ, cubicula plena sunt imaginibus Christi, et Sanctorum, perpetua pene ibi est meditatio, locutio, lectio de Deo ac rebus divinis. S. Gregor. Naz. orat. 21. vocat Ægypti monasteria, ἱερὰ καὶ θεῖα φροντιστήρια, id est, sacra et divina mentis exercendæ loca. Vox hæc a φρεν, hoc est mens, deducitur. Religiosi, sunt toti mens, hinc ad Deum evolant, et fiunt illi propiores. S. Ioannes Climac. gr. 23. pag. 293. μοναχός, ait, ἐστιν ἀδιάστατος ἔκστασις; *Monachus est perpetuus mentis excessus.* S. Petrus Damiani Religiosos viros iam in atrio et vestibulo paradisi collocat, serm. 70. *Hi sunt*, ait, *qui a forensium causarum tumultibus elongati ludificatorias incantationes dæmonum potenter eludunt, in scripturis assidui, in obedientia præcipui, fervidi charitate, beatæ urbis gaudia e vestibulo contemplantur.* II.

Tertio, Religiosis magis quam sæcularibus notus est Deus, quia medium magis est illuminatum: nulla enim nubes aut pulvis terrenarum divitiarum aut honorum interponitur inter eos ac Deum. Omnia enim procul a se reiecerunt, et cum S. Petro dicunt, Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*, non tua. Sed in Deo uno inveniunt omnia. Innocentius Papa serm. 2. in festo omnium Sanctorum, ad Monachos Subiacenses Ord. S. Benedicti ait: *Quidquid boni desideras, si Deum vides, habes in eo. Qui cum sit summum bonum, in ipso est omnium plenitudo bonorum: quem si vides et comprehendis; si comprehendis et habes. Propter hoc summum bonum adipiscendum et obtinendum deseruistis sæculum, et eremum elegistis.* S. Macarius hom. 17. Qui, ait, ducuntur secundum interiorem hominem, ii sunt sapientes, mites, fortes, et *philosophi Dei*: ita ipse. Religiosi autem, interiorem hominem spectant; sæculares vero externa bona: ideo ab illis intercurrentibus obcæcantur. S. Ambros. serm. 59. Avaritia, ait, cæcitas est, errorem Religionis inducit. S. Chrys. homil. 21. in Matth. Avarus cæcus est, inquit, amor namque pecuniarum pupillam mentis, quasi quidam malignus humor influxit, densamque iam nebulam prorsus operatus est. Plutarchus tract. de Iside testatur, Ægyptios in solis solemnibus Deum veneraturis præcipere, ut aurum corpore non gestent, neve pabulum asino præbeant. S. Antonius, S. Hilarion, S. Franciscus, aliique aurum sibi oblatum tamquam pestem aversati sunt, et velut obstaculum, ne Deus perfecte cognosceretur et possideretur. Ipsi sæculares, qui virtuti et perfectioni student, minus vident in medio pulvere negotiorum et curarum undique volitantium, et oculos ferientium. Illustre huius rei exemplum recitat Palladius in histor. Lausiaca, id est, ad Lausum conscripta, cap. 64. Cum, ait, S. Paphnutius virtutes Protocomitis viri sanctissimi audivisset: castitatem scilicet, hospitalitatem, eleemosynas, iustitiam, charitatem, aliasque, eius caput osculatus est, eum enim sibi in virtute parem esse a Deo didicerat. Deinde subiecit: *Benedicat te Dominus ex Sion: et videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. In iis te recte gessisti. Unum tibi restat, quod est* ἀρετῶν κεφάλαιον, *caput virtutum: nempe, Dei ex omni parte cognitio, quam non poteris sine labore consequi, nisi cum teipsum a mundo abnegaris, crucem accipias, et sequaris Salvatorem.* Quid autem pius ille vir fecerit, subdit idem Auctor. Is, inquit, ubi hæc audiit, statim nec suis valere iussis, virum secutus est in montem. Nec multo autem interiecto tempore vidit S. Paphnutius animam eius assumi ab angelis Deum laudantibus, et dicentibus Ps. 64. *Beatus quem elegisti, et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.* Et rursum iustis respondentibus, atque dicentibus, Ps. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*: ita Palladius. Ordinarie verum est, quod ait Apollonius in epist. ad Hestiæum: Virtus et opes contraria invicem censentur. Nam altero deficiente crescit alterum: advenientibus opibus virtus abit, abeunte virtute intrant vitia. III.

Religiosus stat longe cæteris perfectior.

Nota tamen secundo, aliquando sæculares homines re-

9. Sæculares aliqui sunt magnæ virtutis. periri, qui magnam Dei notitiam habent, ut patuit in S. Elzeario comite, S. Ludovico rege, et aliis. Baptismus a Græcis Patribus vocatur φωτισμός, id est, illuminatio. Si Christianus lucem baptismalem foveat, semper augetur, et fit eius semita sicut lux splendens, donec veniat ad perfectum diem. Nicetas in Saracenicis suis tradit, quod, cum quis a Saracenismo ad fidem convertitur, post completum anathematismum primum, Diaconus dicit: *Dominum oremus.* Populus autem respondet: *Amen;* eoque qui ad Christum convertitur caput inclinante, sacerdos pro ipso ita precatur: *Deus magne, magnique nominis, qui oris tui verbo priores tenebras illuminasti, qui unigenitum Filium tuum in mundum misisti, ut esset propitiatio pro peccatis nostris: qui sedes super Cherubim, quem glorificant Seraphim: cui omne genuflectitur, cælestium, terrestrium, et infernorum: quem omnis terra regem sæculorum confitetur: qui ovem errantem in Salvatoris nostri Iesu Christi ovile reduxisti: qui convertis peccatores a via ipsorum, ipse hunc servum a tenebris adversariis ad lumen æternum converte*: ita Nicetas. Ubi adverte, intranti in Ecclesiam per baptismum proponi Deum magnum et magni nominis: *In Israel magnum nomen eius.* Ibi est, et vocatur Dominus Dominorum, Deus Deorum, Deus magnus, fortis, immortalis, etc. Huic uni omnem suam gloriam, vires, felicitatem tum pace, tum bello acceptam fert verus Christianus. In nummo Constantini Magni Imper. effictum erat labarum, cum hac inscriptione circumposita: *Gloria exercitus*: in illius labari suprema parte legebatur hic character)(id est, χριστός, q. d. Vexillum meum et gloria Christus est, ei uni debeo victorias omnes ab hoste reportatas.

10. Nomen Iesu est nomen magnum. Nota tertio, proprie magnum nomen in Israel, hoc est, in Ecclesia, est nomen Iesu, quod est magnum, Primo, efficacia: significat enim Salvatorem. Non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri. Secundo, magnum est dignitate. Est enim nomen super omne nomen, sicut ostendi Ps. 8. Tertio, magnum est extensione. Ps. 8. 1. *Admirabile est nomen tuum in universa terra.* Ubi etiam lege dicta de Iehova, quod ita admirabantur Iudæi atque reverebantur.

Nota quarto, si vis esse Iudæus et Israel, Deum cognosce, et sit magnum nomen eius in animo tuo. Eccli. 3. 1. *Filii sapientiæ, Ecclesia iustorum.* Quidam veterum apud Hebræos dicebant: Quisnam est ille versiculus, qui totam legem continet? Subiicit ac respondet: hic est. In omnibus viis tuis Deum cognosce, et ipse diriget vias tuas. Arabica parœmia est: *Non est orphanus, cuius obiit pater; sed orphanus est, qui scientiam non habet, nec eruditionem.*

ARTICULUS II.

In Religiosorum mentibus moratur Deus, ob pacem et vigilantiam ipsorum.

11. Vers. 3. Septuaginta voces Hebraicas aliquando explicant. Versu præcedenti dixit David, Deum esse notum in Iudæa, nunc causam subiungit, quia Deus sibi templum, in quo habitaret, elegit in Ierusalem, v. 3. Et factus est in pace locus eius, et habitatio eius in Sion. Nota, pro *in pace*, Hebr. est, in Salem, id est, in Ierusalem, quæ deducitur a יראה *ire*, id est, videbit. et שלם *sciatam*, pacificavit, q. d. Visio pacis. Vel, a Iebus et Salem, q. d. Salem seu pax Iebusæorum. Ubi adverte, Septuag. Interpretes nonnunquam loco nominum propriorum ponere eorum explicationem, quod in ea scirent latere mysterium, vel utilitatem ad mores Ecclesiæ formandos. Exempla sunt Primo in nominibus urbium. Michææ 1. 10. *In domo pulveris,* Hebr. *in Aphra*, quæ erat urbs Samariæ subiecta. Vers. 11. *Transite vobis habitatio pulchra.* Hebr. quæ habitas in Saffir. *Non est egressa quæ habitat in exitu*, Hebr. in Sanaan. *Planctum domus vicinæ,* Hebr. Bethaetsael, *accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet.* Vers. 12. *Infirmata est in bonum quæ habitat in amaritudinibus,* Hebr. in Maroth quæ erat urbs in Iudæa. Vers. 14. *Domus mendacii,* Hebr. Aczib, quæ erat urbs in tribu Iuda, *in deceptionem regibus Israel.* Secundo, in nominibus aliorum locorum. Ezech. 3. 15. Venisse se dicit Ezechiel ad transmigrationem, id est, ad Iudæos, qui e Ierusalem migraverant captivi in Chaldæam; et eos convenisse *ad acervum frugum.* Hebr. est, ad *tel abib*, quas voces velut nomen loci inexplicatas reliquit Chald. Symmach. et Theodotio. Tertio, in nominibus hominum. Oseæ præcipit Deus, ut filiam suam vocet, *lo rahuma;* Interpres explicat, *Voca nomen eius, Absque misericordia*, Oseæ 1. 6. Item Deus iubet, ut filium postea natum vocet, *lo ammi;* Interpres exponit, v. 9. *Voca nomen eius, Non populus meus: quia vos non populus meus, et ego non ero vester.*

Tropolog. Deus locum sibi et thronum in pace collocat. Primo, in cælis, in quibus nullum est bellum. S. Gregorius Naz. orat. 12. pag. 198. *Quæcumque,* ait, *ex Deo prima, et circa Deum, hoc est, cælestes virtutes, quæ primæ primum lumen haurientes, ae veritatis verbo illustratæ, lumen quoque ipsæ sunt, ac perfecti illius luminis radii. His porro nihil adeo proprium est,* ὡς ἄμαχόν τε καὶ ἀστασίαστον, *quam pugnas et dissidia nescire. Nam nec in Deitate dissidium est, quemadmodum nec solutio (dissidii quippe filia est solutio) verum adeo et secum ipsa, et cum inferioribus rebus concors et pacata est, ut præter alia, imo ante alia nomina, quibus Deus appellari gaudet, hac quoque prærogativa nuncupetur. Pax enim et charitas, atque id genus nominibus appellatur; quod videlicet per ipsa quoque vocabula nos admoneat, ut has virtutes* ὡς Θεῷ, *tamquam Deum consequi studeamus:* hæc Gregorius. 12. Deus thronum sibi collocat in pace. I. In cælis.

Secundo, Deus pacem amavit in terra. Primo, nascens. Hinc angeli canunt Luc. 2. 14. *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et sic habetur in codice Syr. Arab. Ægypt. Æthiop. et Persico. Secundo, vivens et conversans cum hominibus. Hinc præcipit Apostolis et septuaginta duobus discipulis, Luc. 10. 5. *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui.* Tertio, moriens. Unde in ultima cœna Apostolos relicturus, veluti legatum excellens pacem illis testamento reliquit, Ioan. 14. 27. *Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis.* Arab. vertit, pacem meam propriam do vobis, q. d. Ita pax vera et solida mihi propria est, ut eam nemo alius dare possit. Quarto, resurgens? Hinc apparens decem Apostolis in cœnaculo, ipso die resurrectionis, stetit in medio eorum, et dixit eis: *Pax vobis*, Ioan. 20. 19. Idque repetit v. 21. et post octo dies apparens eis, et Thomæ, v. 26. Quinto, gubernans Ecclesiam. Est enim *Princeps pacis*, ut ait Isaias 9. 6. Non est dissensionis Deus, sed pacis, 1. Corinth. 14. 33. Vult itaque filios et subditos pacem amantes et quærentes: 1. in anima, quæ subiiciat se Deo, atque cum illo pacem habeat; 2. in corpore, sedatis passionum et perturbationum bellis; 3. in actionibus externis cum proximo: unde reiicit ad se accedentes, nisi prius sint reconciliati fratri suo, Matth. 5. Est enim Deus pacis et dilectionis, 2. Corinth. 13. Rex Salem, hoc est, Rex pacis, Hebræor. 7. 2. Θεὸς ἡμερώτατος πηγή, Deus suavitatis et lenitatis fons, ut ait S. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist 231. Hinc S. Iacobus curavit in sua liturgia, seu Missa a Diacono inclamari populo: *In pace Dominum oremus.* Scit Christus regnum in se divisum desolari, unitum augeri et roborari. Arabes dicunt in vulgari parœmia: *Duo infirmi sunt fortiores saxo;* si videlicet inter se uniantur. Græci dicebant: Nec Hercules contra duos, scilicet bene coniunctos. Præclarum ab Orpheo elogium paci datur, cum vocatur in hymn. ὀλβιοδῶτις, id est, prosperitatis donatrix: præclarum ab Euripide, cum dicitur, optima dearum; ab Aristophane, cum nominatur, θεῶν πασῶν μεγίστη, dearum omnium maxima: sed longe præstantius est, quod illi nunc David tribuit, cum illam ait esse *locum Dei.* Qui enim Deum habet, omnia habet, et nihil timet, atque hostes occurrentes domat, et veram solidamque pacem obtinet. Arabs vertit, *erit pax in umbra eius.* Est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, iungens corpus animæ, animam sibi. S. Augustinus in Psalm. nostr. *Incipit tibi esse bellum adversus te, sed ex qua parte* II. In terra.

tibi displices, iungeris Deo: et ex qua parte iam iungeris Deo, idoneus eris ad vincendum te, quia ille tecum est qui omnia superat. Vide dicta Ps. 84. 9. et 10.

13. Pax perfecta est in viris Religiosis.

Nota, pax vera, suavis et secura est in viris Religiosis propter tria vota: castitatis, paupertatis, et obedientiæ. Castitas enim dat illis pacem cum seipsis, paupertas cum proximis sæcularibus, obedientia cum Deo et domesticis.

I. Ob castitatem.

Primo enim, castitas dat pacem corporis cum animo. Impedit enim motus repugnantes rationi, et eos domat. Hildebertus epistola 36. *Virginitas*, inquit, *curarum silentium, pax carnis, vitiorum redemptio, virtutum principatus.* Eam ob rem sibi Deus in animo virginum complacet, et in eo sedem sibi ponit. S. Zeno Veronensis Episcopus serm. de pudicitia: *Tu*, ait, *legitimum Dei templum.* Scholiastes S. Climaci ad grad. 4. num. 14. Mens continentis, inquit, ναος αγιου πνευματος, templum est Spiritus sancti. Christus est flos campi, et lilium convallium, ipse pascitur inter lilia. Petrasancta noster lib. 1. de Symbolis Heroicis, Adriano, inquit, Florentino, S. Lamberti Leodii Canonico, et viro cui est commendatio magna ab ingenii laude, et ab omni honestate, dum celebraret sacras primitias, obtuli ego florem intra hortuli areolam cum hac epigraphe: *Non alibi melius.* Canonicus in ara, est flos in area: alibi neuter melius floreat, aut melius vigeat: ita ille. Christus est flos virgineus, qui in Eucharistia pectus virgineum amat, nasci voluit e virgine, apud virgines commorari optat, ibique sine rivali regnare. 1. Cor. 7. 32. et seq. ait Apostolus: *Volo vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta et virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Ibi non est tranquilla pax, ubi est divisio, sed ubi est unio. Œcumenius in eo loco ait, virginitatem esse locum Spiritus sancti. Virgo, inquit, corpore sancta est, propter castitatem: spiritu autem sancta est, propter familiaritatem cum Deo, et Spiritus sancti inhabitationem. Vide Cornel. in 2. Cor. 11. 2. ibi multa de virginitate reperies.

II. Ob paupertatem.

Secundo, paupertas religiosa dat pacem cum sæcularibus. Tollit enim cupiditatem opum terrenarum, quæ est radix et fons omnium pene bellorum, rixarum, contentionum, tum in regnis ac provinciis, tum in urbibus ac familiis. S. Nilus oration. de avarit. sic ait: *Avaritiæ cum charitate nullum fœdus esse potest.* S. Ambros. lib. 2. de Abraham cap. 8. pacem quoque interiorem a divitiis tolli docet: *Divitiæ*, inquit, *dictæ sunt, quod mentem dividant, atque in diversum scindant.* Christus ait esse spinas Luc. 8. 14. quia mentem pungunt, perfodiunt et cruentant. Qui vero a se spinas illas abiecit, aculeos non sentit. S. Chrysost. lib. 1. contra vituperatores vitæ monasticæ vocat solitudinem ησυχιας λιμενα, quietis ac tranquillitatis portum. Et lib. 2. docet nulla re perturbari posse verum Religiosum, sed esse ipsis divitibus ditiorem. Verba eius sunt: *Cui cibus, et potus, et domus, et requies ubique suppetit, nec modo in eiusmodi non ingemiscit aut mœret, sed etiam quam vos in vestris iucundius degit: liquet prorsus,* παντων υμων το πλουτουντων εστιν ευπορωτερος, *quod omnibus vobis divitibus est ditior, qui ista in ædibus vestris tantum invenire potestis:* hæc ipse. De illis possis dicere cum Paulo 2. Cor. 6. 10. *Nihil habentes, et omnia possidentes.* S. Greg. Naz. agens de Religiosis orat. 1. de pace: *Vita eorum*, inquit, *sunt opes in egestate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, patientia in infirmitate, proles egregia in cœlibatu: qui delicias aspernari pro deliciis habent, qui regni cælestis causa humilitatem amplectuntur, qui in mundo nihil habent et mundo superiores sunt; qui, cum in carne sint, extra carnem tamen vivunt, qui pro portione Deum habent, qui propter regni spem inopia laborant, et propter inopiam regnant:* ita Gregorius.

III. Propter obedientiam.

Tertio denique, obedientia perfectam pacem dat Religiosis, cum eorum animam unit superiori, et consequenter Deo, cuius vicarius est superior, cui non obeditur nisi veluti vices et locum Dei tenente. Ugo in Ps. 21. ait, Religiosos esse cor Christi: viceversa possis dicere, Christum esse cor Religiosi: ob amoris cum illo, et affectuum omnium unionem: unde quis æstimet, quam copiosus pacis torrens in eius animam, per sacros vulnerum canales influat. Una fit voluntas Religiosi cum voluntate Dei, propriam enim voluntatem penitus abnegavit. Hinc Petr. Blesensis ep. 13. ait: *Si paradisus in hac vita præsenti est; vel in claustro est, vel in scholis. Quidquid enim extra hæc duo est, plenum est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, sollicitudine et dolore:* ita Blesensis. Quadruplicem pacem in Religiosis viris ponit Hugo a S. Victore, sive auctor Miscellaneorum in 2. lib. 3. tit. 40. *Quatuor*, ait, *differentiæ pacis multum necessariæ Religiosis.* Pax quadruplex in religione. *Est enim pax extra, pax inter, pax intra, pax supra. Pax extra, ad sæculum. Pax inter, inter fratres. Pax intra, ad seipsum. Pax supra, ad Deum. Prima bona, secunda melior, tertia optima, quarta excellentissima. Qui has adipisci desiderat, quatuor sibi claustra constituat, et ostia singulorum diligenter claudat. Primum est claustrum materiale, secundum disciplinæ, tertium spirituale, id est virtutis, quartum contemplationis et dilectionis divinæ. Claustrum materiale si custodiatur et claudatur, requiritur frequenter pax ad sæculum. Claustrum disciplinæ si circumferatur, pax inter fratres conservatur.*

Nota tertio, Sion mons est, in quo Ierusalem urbs condita est, quæ postquam capta est a David, appellata est civitas David: ita Hieronym. Significat autem speculam, et denotat vigilantiam in oratione et actione: Si eam habueris, poteris dicere tenens Deum intra te: *Factus est in pace locus eius, et habitatio eius in Sion.* 14. Contemplatio est causa pacis.

Primo enim, contemplatio dat pacem. S. Aug. lib. 1. de serm. Domini, cap. 3. *Sapientia*, inquit, *est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, et suscipiens similitudinem Dei;* 2. contemplatio facit animam templum Dei, eam in montis et cæli verticem erigens, atque a terrenis sordibus expurgans. Philo lib. de his verbis, Resipuit Noe, sic ait: *Quæ domus in omni creatura invenitur dignior, quam Deus inhabitet, præter animam perfecte purgatam, quæ solum honestum bonum existimat, cætera censet rationi subdita, et huic debere obsequium. Dicitur autem in domo habitare, non ut in loco: continet enim omnia, ipse a nulla re continetur, sed tamquam illius loci curam gerens præcipuam. Quisquis enim domum possidet, necesse habet ut ei provideat. Proinde in quemcumque bonum illud Deo charum impluit, petat ut omnipotens in eo habitare dignetur, ut parvum ædificium, mentem scilicet, in altum sublatum a terra extremo cælo inserat.* S. Paulinus epist. ad Desiderium: Quanto, inquit, mundior corde, tanto capacior Christi est.

Secundo, vigilantia in actione pacem et quietem facit animæ, sicut bonis vigilibus in porta urbis positis urbs secura et quieta est, ac singuli cives in domibus suis pacati degunt. Deus pacem amat, sed non eam, in qua mens spongiarum more (ut dicebat de Lucullo Plutarchus) in tranquillo obtorpescat atque emarcescat: sed eam, quæ semper sit in excubiis, et ad bellum necessaria præparet, sicut Emmanuel Philibertus Sabaudiæ dux faciebat: qui, ut indicaret pace etiam sancita se non intermittere belli præsidia, arma plurima in armamentarium inferri curavit, quibus hoc lemma adscripsit, *Conduntur non contunduntur.* S. Ambr. lib. de Nabuthe, cap. 14. explicat qualis sit illa pax speculantis: *Factus est*, ait, *in pace locus eius, et habitatio eius in Sion. Ubi quietus affectus nullis diversarum cupiditatum exagitatur fluctibus, nullis avaritiæ turbatur procellis, nullis quærendarum divitiarum ignescit incendiis. Ipse est, qui speculatur æterna et habitat in Sion:* ita Ambr. Cum vigilas, vigila ex Sion, id est ex templo, vel ex arce et civitate David, cætera terrena velut infra te posita despice, æterna cogita et ama. Idem sanctus Doctor lib. 2. Offic. cap. 14. *Quid*, ait, *præcelsius illo viro, qui auro moveri nesciat, contemptum habeat pe-* 15. Vigilantia est causa pacis.

cuniarum, et velut ex arce quadam despiciat hominum cupiditates.

Si vigilaveris in te sibi complacebit, qui est purus et semper vigilans spiritus, et te ad suî cultum consecrabit. S. Hieron. epist. 36. *Si locus Domino esse volumus, et tabernaculum eius,ac templum cupimus habere. in quantum possumus exemplo sanctorum vigilias intendamus.* Deus vero in te habitans, et tecum in sacra vigilia familiariter agens, te donis suis cumulabit. S. Chrysost. hom. 1. in Acta Apostol. *Non datur gratia dormientibus, sed vigilantibus. Qui supera Dei dona quærit, alto sopore se non sinat corripi.* Ubi porro vigiliæ crebriores, longiores, et sacratiores, quam in domibus et templis Religiosorum, ubi semper Dei laudes resonant? hi enim hora octava serotina Deum laudant, illi decima hora, alii media nocte, alii hora secunda post mediam noctem, alii quarta, et sic de cæteris, ut iure inter veteres ακοιμητους censeri possint. S. Ignatius Societ. nostræ Fundator, prima die post suam electionem in Generalem Præpositum, summo mane exurgens socios omnes a somno excitavit, ut intelligerent sibi vigiliam esse commendatam. S. Petr. Damiani opusc. 52. cap. 2. vocat claustrum, *vivarium animarum;* ibi est vita, ubi est vigilia: ibi mors, ubi somnus.

16. Vers. 4. Quo tempore accidit clades Sennacherib.

Quam sit perfecta et durabilis pax sanctorum, declarat Propheta, cum subdit, v. 4. IBI CONFREGIT POTENTIAS ARCUUM, SCUTUM, GLADIUM, ET BELLUM, id est, bellicum omnem apparatum confregit, et omne bellum depulit a Ierusalem cæso exercitu Sennacherib, quod contigit anno mundi 3324. ante Christum 729. a fundatione templi per Salomonem 302. Sennacherib ipsius 7. et ultimo. Ezechiæ regis Iuda 16. Cum enim Ezechias reparasset muros civitatis Ierusalem, et extruxisset turres desuper, ac forinsecus alterum murum fecisset, atque instaurasset Mello in civitate David, id est murum qui cingebat montem Sion ex parte aquilonari civitatis, defecit ab Assyriis tributum illis negando, quod iniuste imposuerat Theglath Phalasar rex ipsorum, atque regem Ægypti in societatem belli sibi adiunxit anno regni sui decimo tertio. Anno sequenti Sennacherib in Iudæam venit cum ingenti exercitu, multas urbes capit, secessionem promittens accipit ab Ezechia trecenta talenta argenti, id est aureorum coronatorum quadringenta et duodecim millia atque quingentos. Item, triginta talenta auri, id est trecenta septuaginta quinque millia coronatorum: singula enim talenta æstimabantur duodecim millibus aureorum coronatorum, et quingentis. Tota summa erat aureorum septingenta octoginta septem millia, et quingenti aurei. His tamen acceptis e Iudæa non recessit, sed Rabsacem misit Ierosolymam qui deditionem eius peteret. Non tamen eam obsedit, nam adventum Tharacæ regis Æthiopum audiens Sennacherib in eum duxit exercitum, eumque vicit anno 15. regis Ezechiæ, atque Ægyptiorum copias fudit, ut magis Dei potentia, et erga servos suos providentia, qui tam potentem regem, tot spoliis ditatum exercitum, uno pene momento deleret atque funditus profligaret. Nam anno consequenti, Ezechiæ scilicet 16. victor Sennacherib in Iudæam redit, cum triumphante et securo exercitu Ierosolymam adit, ad cuius conspectum ubi ventum est, angelus eadem nocte occidit centum octoginta quinque millia tam ducum quam militum. R. Salomon ait, regem Sennacherib fugisse cum decem tantum comitibus superstitibus tantæ cladi, sed hoc non est certum. S. Hier. dicit, eum fuisse servatum, ut sciret potentiam Dei, et blasphemantia ora comprimeret, fieretque testis illius maiestatis, quam paulo ante contempserat. Fugit autem in Niniven, ubi iratus multos occidit ex filiis Israel, quorum corpora sepeliebat Tobias senior; sed post quadraginta quinque dies impius a duobus filiis suis Hadramelech et Sarasar occisus est, quod illis præferret Asar Addonem natu minorem.

Ex his vides *ibi*, id est in Ierusalem confractas esse potentias arcuum, scutum, gladium, et bellum ipsum. Nam fuso illo exercitu et rege cæso, gloria imperii Assyriorum prorsus concidit. Tunc enim ab eo defecerunt Babylonii et Medi. Babylonii quidem, duce Merodach Baladam, qui hactenus fuerat prorex provinciæ Babylonis pro Sennacheribo. Unde ad Ezechiam legatos misit cum muneribus ad iungendam simul amicitiam. Itaque eodem anno cladis cepit imperium seu regnum Babylonicum, quod postea sub Nabuchodonosore Ierosolymæ eversore ipsos Assyrios sibi subiecit, et Niniven funditus evertit.

17. Potentiæ arcuum, sunt: 1. Eorum cornua. 2. Sagittæ.

Nota, *potentiæ arcuum*, sunt Primo cornua illorum. In Vaticano codice, scripto vetustiori charactere, legitur κερατα των τοξων, *cornua arcuum*. Sic etiam habent Arnobius et Cassiodorus. S. Greg. lib. 33. Mor. cap. 26. legit, *Ibi confregit cornua arcum*. Secundo, *potentiæ arcuum* sunt sagittæ, quæ per illos emittuntur: sine sagittis enim sunt impotentes arcus et inutiles. S. Hier. vertit, *Ibi confregit volatilia arcus.* Pagnin. sagittas arcus. Campensis, volucres sagittas arcus. Sed non bene dividit per interpunctionem, arcus a sagittis: nam *risphe* est in regimine, itaque est iungendum cum *keseth*, id est arcus. Arias reddit, ignita iacula. Vox Hebr. רשפים *resciaphim,* ex qua fit *risphe* in regimine, significat: 1. ignes, flammas, prunas, carbones ignitos, scintillas volitantes; 2. sagittas volantes ad modum scintillarum, ferrum sagittarum volantium; 3. et plenius, potentiæ arcuum, sunt tam ipsæ sagittæ, quam cornua, et totum lignum, seu ferrum, et chordæ arcuum: hæc enim omnia fracta sunt, aut certe inutilia Assyriis fuere quasi essent fracta: non arbitror multos arcus, scuta, gladios fregisse angelum, satius erat ea omnia spolia relinquere Ierosolymitis et aliis Iudæis. Sed hac phrasi denotatur potentes et validos arcus, clypeos, gladios, nihil profuisse Assyriis, nec amplius usui illis fuisse contra Iudæos. Ubi adverte, quod validis arcubus gloriabantur, et ex iis probabant veteres suum robur et solertiam eos intendendo. Narratur de quodam rege Æthiopum, quod, cum audivisset Cambysem statuisse exercitum in Æthiopiam deportare, arcum rigoris magni nudis brachiis ad aurem tractum ostendit eius exploratoribus, certoque ictu excussit, et ut dono deferrent regi suo imperavit. Is cum vix duobus digitis magno quidem conatu traxisset, nec alius ultra potuisset, admiratus regis Æthiopum vires, mutato proposito, cum sibi suisque Persis benevolentia conciliavit. Sagittandi enim artem magni faciebant Persæ: unde usque ad annum 16. vel 17. eo exercitio pueros suos occupabant, ut ait Zonaras: idque Parthi suos docebant ab infantia et prima pueritia: sicut apud Baleares insulas funda apte et solerter uti: unde matres cibum non dabant filiis parvis, nisi quem funda deiecissent. Herodotus in Euterpe depravat historiam de Sennacherib, ait enim eum Ægyptum invasisse, sed a sacerdote Vulcani fugatum per mures, qui arcus et arma eroserunt.

3. Totus arcus validus.

Regis Æthiopum robur.

18. Militia idem est quod malitia.

Nota secundo, *bellum* a belluis dicitur, et iure a Sibylla vocatur κοσμομανης, id est, in mundo insaniens. Isai. 40. 2. iubet Deus consolationem dari Ierusalem, *quoniam completa est malitia eius.* Hebr. est צבא *tsaba,* id est, *militia* eius: id est bellum contra eam excitatum, extinctum est. Perinde, quasi idem sit malitia et militia, malus et miles; quod nimis sæpe experimur his calamitosis temporibus.

19. Tropol. Quid arcus, scutum, gladius?

Tropol. Primo, Euthymius, arcus et sagittas ait esse dæmonum artificiosas machinas: scutum, permissionem Dei: gladium, passiones et affectus immoderatos, quibus nos dividunt ac disiungunt a Deo: bellum, pugnam luctamque ipsam qua nobiscum certant, vel ipsos dæmones: sicut ex opposito Deus, Christusque appellatur pax. Et quidam cum belli finis pax sit, recte Paulus Rom. 16. 20. orabat: *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter:* sive diabolum proprie intelligat, sive quemlibet adversarium; non quod esse desinant, sed quod vires eorum sic atterantur, ut longe quam antea minus valeant, audeantque. Secundo, Ruffinus in hæreticis, arcus deceptionis: scutum duritiæ, in incredulis: gladium, in tyrannis; bellum ait esse in vitiis. Tertio, Remigius, Haimo, Beda, Bruno explicant occultas insidias, protectionem, vanæ præsumptionis, apertas impugnationes, peccati de-

fensionem, vel communi vocabulo belli, genus omne impugnationis. Tertio, Cassiodorus legens cornua arcuum, exponit de vulneribus, nefandisque superborum discriminibus: de concertationibus iniquissimis diabolica fraude præsumptis: de periculosis atque manifestis vulneribus: de omni ea re, quæ paci adversatur. Quarto, Ugo et Richelius de subita delectatione: de consensu malæ voluntatis, qui opponitur scuto bonæ voluntatis, de quo Ps. 5. actum est: de actu peccati: quia quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas de consuetudine peccandi, qua Deus velut bello continuo impugnatur, iuxta illud Michææ 2. 1. *Væ his, quoniam contra Deum est manus eorum.* Quinto, Richelius iterum de fallacibus diaboli suggestionibus, occultisque insidiis humani doli, de excusatione propriæ culpæ, de manifesta resistentia repugnantis Deo, veritatem impugnantis, resistentis superiori: de inobedientia seu rebellione concupiscentiæ ac luctantis carnis adversus spiritum, Galat. 5. 17. Sexto, idem fere dicit Richardus Pampolitanus, distinguens dolum maiorum spirituum, præsumptionem artificiosarum disputationum, manifestam malorum impugnationem, bellum carnis adversus spiritum. Septimo, Valentia refert confractas potentias arcuum a Christo, ad eiaculatas, et quas eiaculari solet diabolus tentationes: scutum ad chirographum, quo sumus omnes venumdati sub peccato, gladium ad peccatum originale: bellum, ad capitalia vitia septem. Octavo, S. Ambr. lib. de Nabuth cap. 14. arcus conteri docet, quibus ignita dirigens iacula diabolus graves pectoribus hominum solet inurere passiones. Nono denique, S. Greg. lib. 33. Mor. 29. legens cornua, in cornibus notat elationem superborum; in arcu, insidias longe ferientium: in scuto, obstinatam duritiam defensionum: in gladio vicinam percussionem: in bello contra Dominum, mentis motionem: et hoc totum in Ecclesia confringi, dum mentes Deo resistentium superposito iugo humilitatis edomantur: ita Lorinus. Verba S. Gregorii sunt: *Ibi confregit cornua: arcum, scutum, gladium, et bellum. In cornibus quippe elatio superborum: in arcu enim insidiæ longe ferientium: in scuto autem, obstinata duritia defensionum: in gladio autem, vicina percussio: in bello vero, ipsa per Dominum mentis motio designatur. Quod nimirum totum in sancta Ecclesia confringitur, dum mentes Deo resistentium supposito iugo humilitatis edomantur. Hinc rursum per eumdem Psalmistam dicitur, Psalm. 45. Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igne. Arcum enim Dominus conterit, cum occulta insidiantium machinamenta dissolvit. Arma confringit, cum ea quæ contra se erecta fuerant patrocinia humana comminuit. Scuta igne comburit, cum peccantium mentes obstinata se duritia defendentes ad pœnitentiæ et confessionis ardorem sancti Spiritus calore succendit:* hactenus Gregorius. Apud Iudæos, ut ait R. Moses in *Halacha Melachim,* erat in bello sacerdos, qui sub tempus prælii exercitum alloqueretur: is ungebatur oleo sacro, et vocabatur משוח מלחמה *masciuach milchama*, id est, prælii causa unctus. Noster Messias, seu Christus, unctus est non ad bellum, sed ad pacem. Attilæ fractum arcum vidit Marcianus Imp. cum is mortuus est. Christus frangit arcum dæmonis, cum vincitur.

20. Deus servos suos a tentationes servat. Secundo nota, quod aliquando Christus prorsus confringit arma omnia diaboli tollendo omnes tentationes, ob actum aliquem heroicum, qualis fuit singularis fiducia quam habuit rex Ezechias in Deo contra Sennacherib regem pene totius Orientis, et debellatorem Æthiopum atque Ægyptiorum. Aristides lib. 9. Italic. refert, quod, cum Valeria Luperca ad pestem depellendam, ex oraculo Iunoni mactanda esset, aquila devolans victimarium cultrum rapuit, atque buculæ iuxta templum pascenti infixit. Idem sæpe Deus facit dæmoni, et in corpus et in animam insilienti. Secundo, Deus aliquando gladium non tollit a dæmone, sed illum ad tempus continet. Pompeius in Sicilia, ut milites, quos præmiserat, a rapinis et cædibus impediret, gladiis eorum annuli signum impressit, ne illum possent educere. Tertio, Deus nonnunquam ipsis armis et gladiis suos servat. Cum Constantinus Magnus vicisset Veronenses addictos Maxentio Tyranno, illis pepercit, ne tamen timore conscientiæ diffugerent, eos in vincula tradi præcepit. Cum autem Præfecti et milites ambigerent, quomodo tot vincula reperirent, Constantinus iussit, ex gladiis eorum gemina claustra aptare. Hostilis terror sæpe nos in officio continet. In hac vita vix est a bello quies. Martinus Episcop. Duniensis lib. de moribus propterea, dicit, pacem cum hominibus habebis, cum vitiis bellum.

Anagog. S. August. hæc exponit de cælesti Ierusalem, 21. Anagog. Pax perfecta est in cælo.
ubi est pax æterna et perfecta. R. Simeon Gamalielis filius dicit in Pirka avoth, id est in sententiis Patrum: *Super tria firmatur mundus, super iustitiam, super veritatem, et super pacem.* Scholiastes S. Ioan. Climaci ad grad. 4. numer. 11. ait, virum perfectum, victoriæ certum, *ἀμερίμνως σαββατίζειν*, velut festa et sabbata sine cura peragere. In cælo tantum perfectum est sabbatum et quies. In tota huius vitæ septimana laborandum et pugnandum est, nisi perire velimus cum illis mille Iudæis, qui passi sunt se occidi a satellitibus Antiochi Epiphanis, quod nollent pugnare die sabbati, 1. Machab. 3. 27. Sed iure Machabæi id consilium improbarunt. Tota vita nostra militia est super terram.

Nota, Religiosi sunt excellentes in bello spirituali, sicut 22. Religiosi excellunt in bello spirituali.
Machabæi et illis iuncti Assidæi in corporali. S. Chrysostomus tractat. de comparatione regis et monachi docet, hunc illo esse in bellis præstantiorem, cum pro pietate dimicet, et contra hostes fortiores. Et homil. 17. agens de tumultu Antiocheno post eversas statuas Theodosii Imp. cum pœna iure timeretur, ait Religiosos fuisse imperterritos instar leonum. S. Benedictus, quem S. Petr. Damiani iure vocat, factum a Spiritu sancto propriæ vocis organum, opusc. 13. cap. 6. vocat obedientiæ arma fortissima. Verba eius sunt cap. 1. regulæ: *Ad te nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluptatibus Domino Christo, vero regi militaturus, obedientiæ fortissima atque præclara arma assumis.* Religiosi ut facilius et expeditius pugnent, a se removent divitiarum et honorum, ac voluptatum impedimenta. Salvian. lib. 4. ad Eccles. Cathol. Divitias, ait, onerum atque impedimentorum loco esse ducentes, expeditos se non putant ad sequendum Deum, nisi omnia prius carnalium sarciuarum impedimenta proiecerint: simul ut more hominum commigrantium, prius ad locum habitaculi destinati res suas transferant, quam seipsos: ita Salvianus. Hinc fit, ut ex bello pax illis oriatur. Contra vero, sæculares suis divitiis et voluptatibus implicati in perpetuo bello et captivitate vivunt. Idem auctor lib. 2. In divitiis, ait, diaboli catena. S. Nilus orat. 3. de avaritia: Dives, inquit, ærumnis et molestiis impeditus, et canis instar catenis devinctus est. Seneca lib. 3. de ira cap. 43. Inter se concertantes ob divitias et honores confert tauro et urso inter se in pugna colligatis.

ARTICULUS III.

Lux divina Religiosos illuminat, velut sacros montes.

Cæso exercitu Sennacherib dixit confractos fuisse arcus, clypeos, gladios et ipsum bellum; nunc modum 23. Vers. 5.
quo id accidit, declarat v. 5. ILLUMINANS TU (Deus scilicet, quem in toto Psalmo allocutus est, licet in tertia persona, ut sæpe fit ab Hebræis, qui deinde transeunt ad secundam personam) MIRABILITER A MONTIBUS ÆTERNIS, Montes æterni quinam.
id est, a montibus Ierosolymitanis et Chananææ regionis, in quibus erat exercitus Sennacherib, a quo eos protexit Deus. Sic Habacuc 3. 6. dicuntur montes sæculi contriti, 1. Montes Iudææ.
Græce *ὄρη αἰώνια*, id est, montes æterni, montes illi, quos ab antiquis possessoribus, veteribusque colonis Chananæis Hebræi ope divina abstulerunt: ita Lorinus. Secundo, et melius, *montes æterni* hic vocantur cæli, a quibus 2. Et melius, cæli.
lux orta est, id est favor divinus, cum Sennacheribi exer-

citus ab angelo deletus est. Ubi adverte, valde probabile est, adventante angelo e cælis, ut occideret Assyrios, lumen cæleste emicuisse et fulgetras, quæ recrearent Hebræos, terrerent hostes: unde sequitur, *Turbati sunt omnes insipientes corde,* id est Assyrii, qui stulte existimabant se posse capere et vastare Ierosolymam Deo ipso invito. Sic cum angelus, qui columnam nubis et ignis ducebat, Pharaonem et exercitum eius mersit in mari rubro, per lumen coruscum solito maius ostendit se eos aspicere et ulcisci velle, Exod. 14. 24. Sic cum redeuntibus exploratoribus e terra Chanaan, et terrentibus populum, murmur exortum est, apparuit gloria Domini, id est lux splendidior in nube illa mirabilis itineris comite, et inde angelus pœnas intentavit populo, et exploratores decem occidit, Numer. 14. 10. et sequ. Sic cum Dathan et Abiron, eorumque asseclæ rebellarunt in Mosem et Aaronem, eadem gloria Domini apparuit, et Dathan atque Abiron absorpti sunt a terra, ignis egressus a Domino, id est ab altari holocaustorum, ducentos quinquaginta viros primarios qui offerebant incensum interfecit, Num. 16. 19. et seq.

24. *Cæli cur dicti sunt montes æterni.* Quæres, cur cæli vocantur montes æterni? Resp. Primo, vocari montes, ob situm eorum excelsum. Secundo, æternos dici propter immutabilitatem; 2. quia per totam æternitatem durabunt a parte post; 3. et melius, æterni sunt cæli, id est antiqui, quia ab initio mundi sunt conditi. Ubi nota, pro *æternis*, nunc in Hebr. esse טרף *tereph*, id est venationes seu prædæ, et captivitatis. Hinc Primo, S. Hieron. vertit, *Lumen tu es magnifice a montibus captivitatis.* Secundo, Felix, illustris factus es, tu terribilis a montibus prædæ. Tertio, Symmach. Illustris es, immensus a montibus venationis, id est a montibus venantibus, prædantibus, captivantibus: hoc est e cælis, in quibus habitans percussisti Assyrios, et eos velut feram cepisti et spoliasti. Pagn. reddit, a montibus rapacibus. Hæc enim sumenda sunt activo, non passiva. Sed cur Septuaginta vertunt, *a montibus æternis?* Resp. eos legisse non *tereph*, sed טרם *terem*, id est ante, antequam: sicut *kedem* significat ante et antiquum. Montes autem æterni hic dicuntur cæli, quia sunt antiqui, et primo facti a Deo in prima mundi creatione, ut iam dixi. Theodotio vertit, Terribilis et admirabilis es a montibus fructuosis. In cælo sunt omnes fructus, sed præsertim fructus vitæ, et quidem æternæ.

25. *Deus est lux vera.* Nota, Deus est lux, quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum. Ps. 26. 1. ait David: *Dominus illuminatio mea.* Vide ibi dicta. S. Iacobus in sua liturgia dicit: *Tu es sanctificatio et illuminatio nostra Deus, atque Unigenitus filius tuus, et Spiritus tuus sanctissimus.* S. Greg. Naz. orat. 43. pag. 698. φῶς ἐν, ait, ἀπρόσιτον καὶ ἀδιάδοχον ὁ Θεός, *Deus est lumen inaccessibile et successioni minime obnoxium. Nec principium habens nec finem habiturum, nec in dimensionem cadens, perpetuo fulgore rutilans, trino splendore micans, atque eiusmodi, ut paucis, imo ne paucis quidem, perspicua sit ipsius magnitudo.* Illuminat autem Primo, per fidem. S. August. tract. 34. in Ioan. Ego sum lumen mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, quia Dominus illuminat cæcos. Illuminamur ergo modo, fratres, habentes collyrium fidei. Secundo, illuminamur per scientiam. S. Bern. serm. 8. in Cantica: *Est,* inquit, *spiritus sapientiæ et intellectus, qui instar apis ceram portantis, et mel habet omnino, et unde accendat ad lumen scientiæ, et unde infundat saporem gratiæ.* Tertio, illuminabit per seipsum in gloria sine specie impressa se manifestando. Philo lib. de præmiis et pœnis pag. 710. *Solem,* inquit, *hunc visibilem, non alia re* A *quam sole ipso adiuti cernimus: Quid stellas, an non stellarum sola ope conspicimus? Lucis aspectum nonne luci debemus? Ad eumdem sane modum, Deus per seipsum illustrat sui notitiam cooperante nemine, quod ea res excedit vires omnium.* An id fiat per aliquam speciem, aut per lumen gloriæ, vide apud Theologos. Tu tantum cave, ne lumen infinitum adorans vivas in tenebris, similis Persis, qui solem colebant in obscuris cavernis. Iulius Firmicus lib. 5. de errore profanæ religionis: Persæ, ait, solem Mithram vocant, sacra vero eius in speluncis abditis tradunt, ut semper obscuro tenebrarum squallore demersi gratiam splendidi ac serenissimi luminis non videant. Ioan. 1. 5. *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.*

Nota secundo, montes æterni sunt Angeli, Apostoli ac Doctores, viri perfecti et Religiosi.

Ac primo, angeli sunt montes æterni, illuminati et illuminantes: 1. sunt montes, quia sublimes et cælestes, atque ad vitium flecti non possunt: ita Nicetas; 2. æterni montes sunt, quia sunt immortali conditione; 3. montes B illuminati sunt. S. Gregor. Nazianz. orat. 40. pag. 639. Deus, ait, est summum et inaccessibile lumen, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione præditam illuminans; hoc in intelligibilibus est, quod sol in sensibilibus, δεύτερον φῶς ἄγγελος, *secundum lumen angelus, primi illius luminis velut rivulus quidam, aut participatio,* per propensionem ad illud, ac ministerium illuminationem habens: ita Gregor. 4. angeli sunt montes illuminantes, et se invicem, et homines. Qua de re vide D. Thomam p. q. 26. *Symbol. Montes æterni sunt angeli.*

Secundo, Apostoli sunt montes, ob excelsitatem doctrinæ et stabilitatem fidei; 2. montes æterni ob doctrinæ et vitæ immutabilitatem, et quod ad vitam æternam ducant. Ps. 64. 7. *Præparans* (Symm. et Arias, firmans) *montes in virtute tua.* Chald. in virtute fortitudinis tuæ; 3. Apostoli sunt montes illuminati, et qui primos Solis iustitiæ radios exceperunt, eos aliis tradituri. Matth. 5. ait illis Christus: *Vos estis lux mundi.* *Apostoli.*

Tertio denique, Religiosi sunt *montes*, ob excelsitatem C status, et excelsum perfectionis desiderium atque amorem cælestium, quo in alta exurgunt atque in cælo conversantur; 2. *æterni*, quia status eorum per vota fit stabilis et immobilis; 3. illuminati in meditationibus, collocutionibus et lectionibus. S. Nilus orat. de superbia: *Monachus,* ait, *perpetuum lumen in cordis oculo est.* S. Petr. Damian. opusc. 28. ait, monachos esse Cherubinos sex alarum, idque ab eorum vestibus probat. Pleni sunt cælesti sapientia. Eo magis lucent interius, quo minus se effundunt exterius. Arabes in proverbio dicunt: *Obstrue quinque fenestras, ut luceat domus, et habites eam:* id est, quinque corporis sensus moderare, ut mentis domus splendeat radiis virtutum. Deus se occultat hominibus terrenis, quia ipsi terram inter se et ipsum interponunt. Ugo in cap. 28. Proverb. Avarus, inquit, terram interponit sibi et vero soli: unde continuam patitur eclipsin. ita ille. Se vero aperit Deus cælestibus et excelsis viris, ut Mosi in monte. Georgius Codinus tract. de rebus Constantinop. Veteres, ait, fingebant statuam Iovis sedentem superne nudam, inferne tectam: tenebat autem læva manu sceptrum, dexD tra vero aquilam porrigebat. Quod autem sederet, stabilitatem potentiæ indicabat: quod superne esset nuda, prudentibus et cælestibus mundi partibus esse conspicuam declarabat: cætera tegebantur, quod Deus humi repentibus sit ignotus. Quod sinistra sceptrum teneret, potestatem: quod altera aquilam extenderet, eum spiritibus aereis imperare, ut avibus aquilam denotabat. *Et Religiosi.*

SECTIO SECUNDA.

27. *Duo exequitur. Primo, prædicit Assyriorum interitum, vers. 6. Secundo, populi Dei liberationem, vers. 9.*

PARAPHRASIS.

Vers. eod. 5. *Turbati sunt omnes insipientes corde.*

Vers. eod. 5. Cælesti luce oborta, et angelo in Assyriorum exercitum irruente, rex Sennacherib, duces ac milites tremore concussi sunt, prius insana vecordia Deo ipsi velut imbelli insultabant.

6. *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

6. Lethali somno obruti perierunt, qui totius Iudææ templique ipsius divitias spe devorarent: et in morte omnibus se spoliatos opibus repererunt, quibus se tuerentur, et iudici sisterent.

7. *Ab increpatione tua Deus Iacob dormitaverunt, qui ascenderunt equos.*

7. Propter scelera sua et blasphemias, te Domine increpante et ulciscente conciderunt, qui fastu turgidi equitatuque suo elati certam sibi victoriam promittebant.

8. *Tu terribilis es, et quis resistet tibi? ex tunc ira tua.*

8. Te unum vereri ac formidare mortales debent, cum nullus sit, innumero licet cinctus exercitu, qui voluntati tuæ possit obsistere, ex quo ira tua excandescere cœperit.

9. *De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, et quievit.*

9. Edito cælesti tonitruo minas hostibus intentasti, teque ad eos feriendos paratum declarasti: tum terreni homuli, qui prius in cælum linguas exerebant, tremore concussi siluerunt, atque a blasphemiis quieverunt.

10. *Cum exurgeret in iudicium Deus: ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.*

10. Cum ad iudicium exercendum descendere te decernerent, ut nos nulli iniurios, et finibus nos nostris continentes, temereque lacessitos, in perfectam libertatem vindicares.

QUÆSTIO UNICA.

Quam misera sæcularium hominum conditio.

28. Ordo Sectionis. Prima sectione felicitatem Iudæorum et Ecclesiæ, ob Deum in illis inhabitantem, vidimus. Nunc hostium ipsis infestorum, ac præsertim Assyriorum, excidium consideremus, ob Deum in eos iratum. Sicut primam Sectionem Religiosis adaptavimus, ita hanc secundam sæcularibus aptemus.

Ac primo, Assyriorum turbationem et stultitiam declarat Propheta, v. eod. 5. *Turbati sunt omnes insipientes corde.*

Secundo, sigillatim declarat, eos turbatos esse ob avaritiam, superbiam, et timorem pœnarum corpori infligendarum. Primo enim, avarus turbatur amissione divitiarum, vers. 6. *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Secundo, superbus turbatur amissione bonorum, v. 7. *Ab increpatione tua Deus Iacob dormitaverunt, qui ascenderunt equos.* Tertio denique, voluptuarii timent pœnam *a Iudice* infligendam, vers. 9. *De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, et quievit.* Statim ad primum aspectum Iudicis timor ille oritur, v. 10. *Cum exurgeret in iudicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.*

ARTICULUS I.

Omnis peccator turbatur, et insanit.

29. Vers. 5. 2. Pars. Lucem cælestem timent vespertiliones; Deo seu angelo e cælis descendente, et fulgurante, trepidat Sennacherib cum suis Assyriis, v. eod. 5. Turbati sunt (S. Hier. et Pagn. spoliati sunt. Felix, in prædam dati sunt) omnes insipientes corde. S. Hieron. superbi corde. Arias, fortes corde, id est, duro et obstinato corde. Tales sunt, qui se vernacule nuncupant, *les esprits forts*, qui ad aniculas amandant varia fidei mysteria, et athei sunt, aut ad atheismum tendunt. Tales erant Assyrii, qui Deum ipsum pervicaciter negabant, eiusque potentiam blasphemabant, ut patuit in blasphemiis Rabsacis missi ad cives Ierosolymæ impellendos ad deditionem, anno Ezechiæ regis 14. duobus annis ante cladem ipsis illatam; patuit etiam ex epistolis Sennacherib ad Ezechiam missis. Vide lib. 2. Paralip. cap. 32. et præsertim Isaiæ cap. 36. 37. Nulla autem maior est insania, quam Deum negare et blasphemare. Hinc Deus Sennacheribum vocat insanum. Isaiæ 37. 24. per ipsum Isaiam dicit: *Habitationem tuam, et egressum tuum, et introitum tuum cognovi, et insaniam tuam contra me. Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus meis, et frænum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti.* Agit cum illo, velut cum bubalo, aut mulo.

30. Peccatum omne est causa perturbationis. Tropol. nota, τὸ *omnes*, cum dicitur, *turbati sunt omnes insipientes corde.* Vox græca κακια, significat malitiam et afflictionem, ut coniunctio inseparabilis utriusque appareat. S. Chrysost. lib. 1. adversus vituperatores vitæ monasticæ, urbium scelera vocat ζαλον και ταραχλον, procellam et turbinem. Domos vero sceleribus refertas confert ædibus igni ardentibus: atque urbes nefarias civitati flammis hostilibus succensæ, a qua in montes sit fugiendum. Præcipua vitiorum capita, et eorum tumultum videamus et borreamus.

Primo, superbus semper turbatur: Primo, quia in præcipitio et loco lubrico ambulat, et semper proximus est ruinæ. Hæc declarat S. Bern. epistol. 137. ad Eugenium Papam: *Considero gradum,* inquit, *et casum vereor. Considero fastigium dignitatis, et intueor faciem abyssi iacentis deorsum. Attendo celsitudines honoris, et e vicino periculum reformido.* Seneca etiam ait verissime: *Nulli fortunæ minus, quam optimæ creditur.* Quo altior es, eo facilius vertigine laborabis, et lapsu graviore corrues. Secundo, superbus turbatur, ob varietatem curarum. S. Chrysost. hom. 66. Non ita, inquit, corona caput circumdat, sicut animam sollicitudo. Nec in satellitum catervam, sed in molestiarum multitudinem species: ita ipse. Curas illas multiplices et inquietas comparat S. Gregorius vermibus vellicantibus. Illud enim de scelerato dictum Iobi 24. 20. *Dulcedo illius, vermis,* exponens lib. 16. Mor. 29. *Qui, ait, in hoc appetit mundo prosperari, cæteros excedere rebus, et honoribus tumere: huic nimirum cura sæcularis in delectatione est, et quies in labore. Valde enim fatigatur, si desit cura sæculi, qua fatigetur. Quia autem natura est vermium momentis singulis incessanter moveri, non immerito signatur nomine vermium, inquietudo cogitationum. Perversæ itaque mentis dulcedo, vermis est: quia inde delectabiliter pascitur, unde per inquietudinem incessanter agitatur.* I. Superbia.

Secundo, voluptas quoque servos suos perturbat: Primo, quia in fine est amara. Richard. a S. Vict. tract. 1. de statu interioris hominis, cap. 10. *Omnia,* inquit, *flumina in mare feruntur, et omnis aqua dulcis in amaram mutatur: quia oblectamentum in fastidium vertitur. et omnis delectatio carnis in amaritudine terminatur.* Secundo, voluptas in ipso usu timorem et perturbationem interiorem habet. S. Ephrem de vita spirit. Quid, ait, profuerunt laquearia inaurata, quid nitentes parietes, quid splendida tecta? cum ipse interim *suis excruciatur cupiditatibus, et a dracone convellitur interius, devoraturque corpus?* Hæc ille. Vere dicebat Pythagoras: Satius esse humi cubantem vivere, et bono animo esse, quam perturbatum in aureo tecto. S. Chrysost. homil. 20. in Matth. Certe, ait, si posses animam hominis deliciis dediti cernere, non dubitares multo melius esse in sepulcro iacere, quam his irretitum teneri, et gravi insensibilitatis operculo, tamquam saxo, premi. 31. II. Voluptas.

Tertio denique, divitiarum tumultus in animo est maximus. Variis nominibus anxietas ab illis orta appellatur. Primo quidem, curas illis attribuit R. Hillel: *Qui, ait, accumulat opes, accumulat curas.* Secundo, S. Chrysologus inquietudinem illis dat. Sic enim serm. 22. *Auri custos,* ait, *servator argenti, securitatem non habet, nescit quietem: et cui deest securitas, quies perit, pœna dives est ille,* 32. III. Avaritia. Divitiæ enim sunt: 1. Fons curarum. 2. Perturbationis.

3. Sunt spinæ. *non censu.* Tertio, in divitiis sunt spinæ. S. Chrysost. homil. 23. in Ioan. Sicut, ait, spinæ steriles sunt, ita divitiæ. Sicut facile igni comprehenduntur, et odio habentur agricolis: ita huius sæculi negotia: postremo, ut inter spinas feræ, viperæ, scorpii delitescunt: ita in fraudibus 4. Aculei. divitiarum. Quarto, in divitiis sunt aculei, sicut in hericio. S. Hieron. lib. 7. in cap. 14. Isaiæ: Quando, ait, viderimus aliquem divitiarum immersum luto, non dubitemus eum appellare hericium habitatorem desertæ Babylonis. 5. Stimuli. Quinto, in divitiis sunt stimuli fodicantes avaros, instar boum in sulcanda terra vultu deiecto occupatorum. S. Valerian. hom. 17. *Cupiditas, ait, corda hominum divitiarum stimulis inquietat.* 6. Tumultus. Sexto, Hebræi divitias et tumultum eodem nomine vocant המון *hamon*. Et Proverb. 15. 16. ubi in Vulgata habetur, *Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles,* Hebr. quam thesauri מהומה *mehuma*, id est tumultus; Chald. quam thesauri multiplicationis, in quibus est turbatio. Syr. quam thesauri iniquorum. Ubi adverte, tumultum 7. Tyrannus. oriri ab insatiabilitate et iniquitate. Septimo, in divitiis est tyrannis molesta. S. Chrysost. homil. 13. in epist. 1. ad Corinth. Divitiæ, ait, sunt sævus et inhumanus tyrannus. Et in Ps. 84. ait, esse tortore acerbiores. S. Isidor. Pelus. lib. 2. epist. 146. Divitiæ, inquit, sunt hostis importunus: sicut τυραννος απλως και αλαστωρ, crudelis quidam 8. Morbus. et immanis tyrannus. Octavo, divitiæ sunt morbus lethalis. Salvian. lib. 1. ad Eccl. Catholicam: Pessimum, inquit, ac feralissimum morbi genus, divitiæ conservatæ in malum domini sui. S. Basilius in hom. in Laciris habita: Ουδαμου ιϛαται, nunquam quiescit avaritiæ morbus. Nono denique, divitiæ terrenæ sunt paupertas inquieta. Idiota lib. 1. contemplat. de amore divino, cap. 33. *Qui, ait, divitias invenit, requiem perdit; et cum vigilat, augmentum cogitat: cum dormit, fures somniat: in die afflictus, in nocte pavidus, semper autem mendicus.*

33. Infelices sunt homines sæculares. Ex his sequitur, infelices esse eos qui congregandis divitiis et honoribus invigilant, nec a deliciis separare se possunt. Tales sunt sæculares uxoribus et liberis consulere coacti. S. Gregor. Naz. solitus erat vocare delicias terrenas, τιμιαν κοπρον, pretiosum stercus. Quis autem in stercore non nauseet? Avari divites sunt similes Caino, qui significat possessionem, vel possidentem, semper tremunt. Cain deducitur a rad. קנה *kana*, id est possedit. S. Nilus in Asceticis divitias pulveri comparat impedienti luctatorem: *Luctatores, ait, pulverem adversariis conantur aspergere, ut olei lenitatem iniectu pulveris exasperent, atque ita facilius eos apprehendere valeant. Iam quod illic est pulvis, id in nostro certamine est in rebus terrenis occupatio: et quod illic est oleum, hic est quietis studium ab omni sollicitudine vacuum.* Religiosi itaque felices sunt qui impinguaverunt caput et corpus in oleo, et a tumultu sæculari sunt quieti. Dionys. Carthus. in præfation. serm. de sanctis ad religiosos: Sancti patres, ait, qui Ordines instituerunt, ipsos Religiosos, vita, habitu, mansione a sæcularibus voluerunt esse distinctos, et habitationem eorum claustrum appellare sanxerunt. Cur? nisi qui habitatores eius *debent ab omni sæculari tumultu esse quieti, et passionum ac vitiorum inquietudine liberi, ab omni carnalitate, et sæculari proprietate abstracti*: ita Dionysius. Hæc separatio multas tollit peccandi occasiones; contra vero, sæculares, quantumvis pii, in medio laqueorum, gladiorum et hostium ac periculorum ambulant. R. Hillel in Pirke avoth, id est in sententiis Patrum, cap. 2. dicit: *Qui multiplicat carnes, multiplicat vermes. Qui multiplicat opes, multiplicat curas. Qui multiplicat servos, multiplicat rapinas. Qui multiplicat fœminas, multiplicat sortilegia. Qui multiplicat ancillas, multiplicat fornicationem.* S. Cyprian. lib. de singularitate clericorum, in quo prohibetur clericis cohabitatio fœminarum (si tamen Cyprianus est illius libri auctor, et non potius alius ex antiquis patribus) dicit eleganter: *De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens, Eccli. 42. 13. De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri:* ita ibi. Hoc expertus erat ipse Salomon, David, Samson, S. Iacobus Eremita, aliique innumeri. Mirabile est, quod refert S. Petr. Damiani lib. 2. epist. 18. ad Desiderium Cardinalem: In quodam, ait, monte Orientis lapides sunt igniferi, qui masculus et fœmina nuncupantur, et dicuntur Pyriboli: qui nimirum cum a se invicem procul sunt, non accenduntur: si vero fœmina appropinquaverit masculo, protinus ex eis ignis egreditur, ita ut omnia, quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, ut, si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectus speciem declinemus: hæc ipse.

Nota secundo, omnis peccator est insipiens corde, id est mente et affectu. S. Chrysost. hom. 28. in epist. ad Rom. Αμαρτια, inquit, δαιμων ετιν εκουσιος, και μανια αυθαιρετος: *Voluntarius est dæmon peccatum, et voluntaria insania.* Et tom. 4. lib. 1. adversus vituperatores vitæ monasticæ, dæmonis potestatem in anima peccatoris fuse depingit. Tria illa iam dicta vitiorum capita decurramus. 34. Omnis peccator est insipiens corde.

Primo, superbus est insipiens corde. S. Hieron. *Spoliati sunt,* non divitiis aut honoribus, sed iudicio, *superbi corde.* Flamin. in prædam dati sunt superbi corde. Campens. in prædam dati sunt animo feroces. Vel, in prædam abeunt audaces corde. S. Ioan. Clim. grad. 23. pag. 293. *Superbia est,* ait, εσχατη πτωχεια ψυχης, *extrema animi inopia.* Philosophos veteres ad insaniam redegit superbia, ut docet S. Paulus Rom. 1. 21. *Evanuerunt,* Gr. εματαιωθησαν, vani, inanesque facti sunt, *in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Evanuerunt,* S. August. et S. Anselmus explicant, q. d. Superbierunt: ubi vides ex superbia sequi insipientiam. S. Hieron. ostendit esse idem cum ea, eum, ut dixi, pro *insipientes corde,* vertit, *superbi corde.* I. Superbus.

Secundo, voluptuarii sunt insipientes corde. Oseæ 7. 11. *Factus est Ephraim, quasi columba seducta,* Leo Hebræus, stolida. Septuag. ανους, hoc est insipiens, *non habens cor,* id est, mentem, sensum, prudentiam. S. Bernard. lib. de natura et dignitate amoris, ingeniose ostendit, sceleratos et carnales homines non habere cor hominis, sed totum defluxisse in ventrem eorum, et conversum esse in brutum. S. Gregor. hom. 14. in Evangelia optimum dat præceptum: *Nulla,* inquit, *nos prosperitas blandiens seducat, quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens obliviscitur ire, quo tendebat.* Stulti sunt voluptuarii, qui putant se deliciis posse refici et satiari. Richard. in Ps. 8. Quid est, ait, os interioris hominis, nisi desiderium cordis? Sed hoc os omnes Ægypti deliciæ implere non possunt. S. Basilius sapienter, censebat solas voluptates et delicias esse, a voluptatibus et deliciis abhorrere, ut ait S. Gregor. Naz. hom. de ipso: *Nihil enim Christianis oculis, præter Christum, pulchrum apparere: nihil debet Christiano cordi, præter Christum, dulce sapere,* ut recte monet Franco Affligeniensis Abbas, tom. 4. de gratia Dei. II. Voluptuarii.

ARTICULUS II.

Avarorum vita est somnus; mors eorum, extrema inopia.

Postquam prædixit David Assyrios tempore Ezechiæ turbandos, ait eos etiam perituros et bonis suis spoliandos, v. 6. Dormierunt (id est dormient. Prophetice ponitur præteritum pro futuro ob certitudinem prophetiæ) SOMNUM SUUM, ET NIHIL INVENERUNT OMNES VIRI DIVITIARUM IN MANIBUS SUIS. Quæres, quinam sunt illi viri divitiarum? Nota, *viri divitiarum,* id est viri divites. Est hebraismus frequens, quo ponuntur duo substantiva pro substantivo et adiectivo. Sic Christus Isai. 53. 3. vocatur *vir dolorum,* id est dolens, afflictus, imo afflictissimus: sic enim sæpe Hebræi exprimunt gradum superlativum: itaque *viri divitiarum* dicentur viri ditissimi. 35. Vers. 6. 2. Pars. Viri divitiarum.

Resp. ad litteram, *viros divitiarum* seu ditissimos hic intellige Assyrios. Primo, erant monarchæ pene totius

Orientis, iisque plurimi reges et provinciæ tributa pendebant. Secundo, monarchia illa erat antiquissima. Nam anno 16. Ezechiæ regis, quo contigit clades Sennacherib, iam duraverat per 1392. annos, quibus spolia ex omnibus subactis regnis corraserant. Incœperat enim illa monarchia anno mundi 1932. quo Nemrod, sive Belus, primo anno a divisione linguarum et gentium in Babylone regnare cœpit, post diluvium anno 276. ante Christum 2121. Annus autem 16. regni Ezechiæ incidit in annum mundi 3324. ante Christum 729. Sardanapalus quidem imperator Assyriorum victus est ab Arbace Medo et Beleso Babylonio anno mundi 3235. eodemque Ninivem suam captam videns voluntario incendio periit. Phul tamen, statim post ipsum, in Ninive regnavit, et regnum Babyloniorum recuperasse existimatur, cum per annos circiter septuaginta nulla fiat mentio regni Babyloniorum usque ad Merodach Baladan, qui ibi dicitur imperasse tempore Ezechiæ. Secutus est Phulem in imperio Theglath Phalasar, qui ab Achar rege Iudæ in auxilium evocatus contra Rasin regem Syriæ et Phacee regem Israel illum ipsum reddit tributarium, et expilat, atque spoliis Syrorum, Israelitarum et Iudæorum in patriam redit. Dudum varias urbes eripuerat Phacee regi Israel, et plurimos captivos transtulerat in Assyriam. Illi successerat Salmanasar, qui decem tribus Israel domitas captivaverat: eius filius erat Sennacherib, de quo hic agitur, quique alias patrum suorum victorias recenset Isaiæ 37. 12. Tertio, ille ipse Sennacherib, principes, duces, et milites eius dici possunt, *viri divitiarum*, quia multas provincias expilaverant, præsertim Iudæam, cuius pene omnes urbes ceperant, et Ægyptum victo Tharaca rege Æthiopum et ipsis Ægyptiis. Etymon iuvat, nam *Assyrii* idem est ac *beati*. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.

36. Somnus est morte deterior. Quæres secundo, quomodo Assyrii dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt in manibus suis? Resp. primo, et facillime, somnum hic vocari mortem eorum, quia de nocte contigit; somnus enim est imago mortis et mors quædam brevis: imo Eusebius somnum facit morte ipsa deteriorem, quod illa corpore tantum privet; hic vero, anima et corpore. Hinc Ss. Ignatius, Xaverius, et alii, paucissimas somno horas tribuebant. Clem. Alex. lib. 2. pædagogi, cap. 9. ait, somnum, ὥσπερ τελώνης, veluti publicanum quemdam, dimidium vitæ tempus nobiscum dividere. Assyrii autem illi mortui nihil invenerunt in manibus suis, q. d. Non obtinuerunt a me tributum, quod illis Ezechias negavit, quia iniuste illud extorserant a patre eius Achaz; non invenerunt in manibus suis divitias Ierusalem civitatis regiæ, nec vasa et aliam supellectilem ac thesauros templi. Nota, in Hebreo pro *viri divitiarum* habetur viri חיל *chail*, id est exercitus, roboris, potentiæ, fortitudinis, divitiarum: pro *nihil invenerunt in manibus suis*, Hebr. est, non invenerunt manus suas, q. d. Non potuerunt resistere unico angelo, elanguerunt; non assumpserunt arma ut obsisterent angelo, qui una nocte occidit centum octoginta quinque millia ex ipsis. Unde S. Hier. vertit: *Et non invenerunt omnes viri exercitus manus suas.* Emoriuntur quodammodo et conciduut manus trepidis, recedentibus spiritibus vitalibus ad cor. Vulgari etiam sermone pigris servis dicitur: *Ie te ferai bien trouver les bras*, id est efficiam, ut labores diligentius et ferventius. Pagn. reddit, Non invenerunt omnes viri fortes vires in manibus suis. Chald. non voluerunt omnes fortes robore arma apprehendere manibus suis. Alludit ad blasphemiam Rabsacis, quam David prævidebat. Refertur autem ab Isaiæ cap. 36. 18. *Ne conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum? Ubi est Deus Emath, et Arphad? ubi est Deus Sepharvaim? numquid liberaverunt Samariam de manu mea?* Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui evertit terram suam *de manu mea*, ut eruat Dominus Ierusalem *de manu mea?* Vides, quanti faciat manum suam, quæ tamen concidit in die cladis per angelum illatæ.

A Tropol. nota, vitæ sceleratorum est somnus, et insomnium. Primo enim, sicut somnus ligat rationem, ita et peccatum; quo duce quidquid agitur, fit contra rationem. Si computum ineas, cum in anno sint octies mille septingentæ sexaginta horæ, vix circa paschale tempus peccatorem sex septemve horas vigilasse reperies: reliquo tempore in nugis operam navant, et mera somnia mente versant. Somnus non impedit omnes actiones; multi enim somniantes multa faciunt, quæ vigilantes facere non possent, tecta enim scandunt et percurrunt, aquas tranant, aliaque præstant, sed hæc sine ratione: idem accidit nefariis. 37. Tropol. Vita impii est somnus, et cur? I.

Secundo, in somnis imaginatio mira et ineptissima format phantasmata, quæ nulla veritate subsistunt. S. Chrys. hom. 8. in Ioannem, divitias terrenas vocat, imaginarias divitias. Petrus Blesensis epist. 60. nominat opes sophisticas. Bellarminus in Psal. nostr. Bona huius vitæ non vera bona, sed ludibria somniantium. II.

Tertio, qui se divitem, honoratum, deliciis affluentem, somniat, non ideo desinit esse pauper, abiectus, et afflictus. Philo lib. de somniis, pag. 453. Non decet, ait, virtutis sectatorem vita delicata, nec imitatio beatorum istorum, ut vocantur, revera miserorum, quantumlibet sint in honore ac pretio: οἷς πᾶς ὁ βίος ὕπνος, καὶ ἐνύπνιόν ἐστι, *quorum tota vita somnus est, et somnium, si sacrarum legum latori credimus.* III.

Quarto, in hoc somno multa insomnia mentem perturbant. Albertus Magnus serm. in Domin. 4 Quadragesimæ: Per iuniperum, quæ spinas habet pro foliis, et tamen proiicit umbram, intelligitur pungitiva sæculi delectatio. Ille igitur dormit sub umbra iuniperi, qui putat quietem et delectationem invenire in spinosis gaudiis huius sæculi. Huic ergo necesse est, ut excitatus gratia Dei, inveniat panem subcinericium, et vas aquæ ad caput, in quo est memoria, id est, ut recogitet se cito in cinerem reversurum. IV.

Quinto denique, quantacumque delectatio in somnis habeatur, brevis est ac fugax. S. Augustinus serm. 32. ex quadraginta qui nuper excusi sunt: *Vita ista*, inquit, *somnus vester est: divitiæ istæ velut in somnis fluunt.* Itaque sine satietate est, qui comedere se somniabat; sine dignitate, qui honores sibi fingebat; sine alis, qui volare se autumabat. Petrus Blesensis cuidam sæculi dulcedinem somnianti, ut loquitur, et desideranti, ait epist. 13. *Si forte per insipientiam apprehenderis, avolabit ut somnium, et inter nugatorias beatitudines, quas suspiras, invenies te delusum.* Plato hanc vitam non somnium modo, sed etiam mortem vocat. Somnus peccatoris, sæpe est lethargicus. *Dormiunt somnum suum*, id est, lethiferum; non vero somnum iustorum, id est, quietum et tranquillum. Clemens Alexand. lib. 6. Strom. pag. 438. id de Platone sic refert; Plato in septimo de Republica, eum qui hic est, diem nocturnum appellat, propter mundi rectores, ut sentio, tenebrarum harum. Somnum autem et mortem, animæ descensum in corpus, eo modo quo posuit Heraclitus: ita Clemens. V.

38. Avari sunt viri divitiarum, id est, earum servi, et cur? Nota secundo, non dicitur, *divitiæ virorum*, sed *viri divitiarum*, ut indicetur avaros esse mancipia earum. Primo enim, ab illis possidentur, velut servi a dominis. S. Ambrosius lib. de Nabuthe, cap. 14. *Bene*, ait, *viros divitiarum appellavit, non divitias virorum: ut ostenderet eos non possessores divitiarum esse, sed a suis divitiis possideri. Possessio enim possessoris esse debet, non possessor possessionis. Quicumque igitur patrimonio suo tamquam possessione non utitur, qui largiri pauperi et dispensare non novit, is suarum servulus est, non dominus facultatum: quia aliena custodit ut famulus, non tamquam Dominus suis utitur. In huiusmodi ergo affectu dicimus, quod vir divitiarum sit, non divitiæ viri*: ita S. Ambrosius. I.

Secundo, avari sunt *viri divitiarum*, id est, adoratores earum, velut creaturæ deorum, a quibus dependeant atque conserventur. Ephes. 5. v. 5. *Avarus, est idolorum servitus.* Legerat interpres, εἰδωλολατρεία: nunc legitur εἰδωλολάτρης, id est, idololatra. S. Chrysost. in Matth. *Sicut*, inquit, *idolum lapidem templis, sic aurum avari claustris* II.

et vectibus sepiunt, pro templo arcam præparantes: deinde adorant ipsi quod concluserunt, oculosque et animam malunt, quam thesaurum perire. Philostratus ait, Herodem Sophistam eos qui pecuniis reconditis sacrificant, vocasse Aloadas, θυοντας Αρει μετα το δησαι αυτον: qui postquam Martem in vincula coniecissent, ipsi sacrificabant. Phœnices deos suos pingebant tenentes crumenam. Georgius Codinus in Parabolis: Phœnices, inquit, deos suos fingunt, επιφεροντας βαλαντια, ferentes crumenas et marsupia, quod nullum censerent maius divinitatis symbolum, quam pecuniam. Nicetas in Saracenicis, refert anathematismum, quem tenebantur proferre, qui a secta Mahometis ad veram fidem convertebantur. Erat autem huiusmodi: *In primis Mahometis Deum anathematizo, quem* ολοσφυρον *auro solido constantem* (hic vertit Interpres) *esse ait, qui nec genuerit, nec genitus sit, nec sibi similem quempiam habeat.*

39. Militesunt viri divitiarum, et quomodo? Nota tertio, milites præsertim sunt *viri divitiarum*, id est, appetentes divitiarum, et in eas involantes. Unde aliqui reddunt, ut dixi, *viri exercitus*. S. Greg. Naz. orat. 3. in Iulianum Imp. Milites, ait, vecordiam et avaritiam magna ex parte vitæ comites habent. Mahometes docebat *et sanguisuga* hominem factum esse, ut ait Euthym. Zigabenus in dogmatica panoplia part. 2. tit. 24. quod iure reprehendit: Quomodo enim, ait, ex abiectissimo pretiosissimum? ex bruto, ratione præditum? ex eo quod fugiendum et adversandum est, id quod expetitur? ita Euthym. Hoc tamen de plerisque militibus dici potest, qui toti sanguisuga esse videntur. Nicetas in Saracenicis docet, Mahometem putavisse hominem factum esse ex terra, aqua, et hirundinibus inter se invicem permistis. Sic enim refert anathematismum pronuntiatum ab iis qui convertebantur ad fidem: *Anathematizo Mahometi doctrinam de Adami seu hominis formatione: in qua quidem homo ex terræ mole, gutta, hirundinibus, et subactione formatus est.*

40. Viri divitiarum in morte nihil habent in manu, et cur? Nota quarto, in morte viri divitiarum nihil inveniunt in manibus suis. Primo, quia etsi omnes divitias, honores et voluptates invenirent, nihil invenirent, quia nihil sunt. S. Basilius in Ps. 9. *Omnia humana risus, pulvis, nihil.* Ptolemæo regi Ægypti unus e septuaginta Interpretibus ait, ut refert Aristeas, παντας οι παρεστιν, ως ουδεν; *Omnia tua tibi adsunt, tamquam nihil.*
I. Alcuinus epist. 66. Quid in auro, nisi species vana? Nicetas Choniata lib. 1. Annal. vocat auri præstigias. Primas. in epist. ad Romanos: Ideo, ait, insatiabilis est avaritia, quia post Dei divitias, quantumvis quis habeat, parum est, aut etiam nihil. S. Valerianus Episcopus Cemeliensis (quæ civitas est provinciæ Alpium maritimarum in finibus Italiæ et Galliæ) vixit circa ann. 450. et sapienter dixit: *Nolo illas divitias, quæ quotidie augmento suo famem faciunt, et in posterum dignitatis flore nudatæ amatores suos esurire patiuntur.* Cresolius noster tract. de select. prior. virtutib. pag. 511. Homo, ait, ex nihilo subito emicuit, obstetricante manu Dei; in nihilo prosapia eius, in nihilo, ut proprio, insidet, in eodem vis illius omnis atque potentia: et si breviter desinere lubet, *homo est nihil, imbecillitate vestitum:* ita ille.

II. Secundo, si divitiæ, et alia terrena bona aliquid essent, tamen in morte, viri divitiarum nihil invenirent in manibus suis; quia ab illis ea auferuntur. Ps. 48. 17. *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cum interierit, non sumet omnia,* id est, nihil sumet. Vide ibi dicta. Iob cap. 27. 19. idem iam dixerat: *Dives cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculus suos, et nihil inveniet. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.* Isaias cap. 28. 17. *Subvertet grando spem mendacii:* id est, subita et vehemens Dei punitio. Et cap. 59. 5. *Telas araneæ texuerunt: telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis.* Opera eorum opera inutilia, *et opus iniquitatis in manibus eorum.* Heliogabalus Imp. sceleratissimus quotidie toto anno digitorum annulos mutavit, et quem semel tulerat, cum insano luxu respuebat. Sed nihil moriens invenit in manibus suis: nam occisus a militibus per urbem Romam ad ignominiam tractus est, et luto conspurcatus in Tiberim proiectus est: unde Tractitius et Tiberius dictus est: Nonius Senator divitias habuit in manibus, qui pro unius digiti ornatu gemmam emit viginti millium sestertium. Sed brevi nihil invenit in manibus suis: nam ab Antonio proscriptus est, ac morti adiudicatus.

Tertio, *viri divitiarum*, id est, hærentes divitiis, illas cum dolore amittunt. Sylvester Petrasancta lib. 3. de symbol. heroic. cap. 3. rem miram refert: Nostro ævo, inquit, *veros adamantes*, pretioso ac divite humani corporis vitio calculosus quidam, in Italia emisit. Nescio, ait, naturam in eo ægram, an indigoantem vocaverim, miscentemque sordibus præcipuas opes suas, in pœnam æstimationis pravæ. Non in Italia tantum, sed in omnibus etiam orbis provinciis et doloribus cruciati divites reperiuntur, qui tamen aurum intus continere moliantur, et illud cum cruciatu a se reiiciant. III.

Ex his duo conclude. Primo, efficiendum ut non sis *vir divitiarum,* id est, earum servus: sed illæ te sentiant virum et dominum, antequam eripiantur. Ennodius Episcop. Ticinensis, qui floruit tempore Symmachi et Hormisdæ Pontificum, circa ann. 509. sic ait lib. 4. *Avara,* inquit, *est dispensatio Sanctorum, qui nihil reservando, universa proprium reducit ad meritum. Nulla sunt potiora, quam quæ vobis eveniunt de largitate compendia.* Tertullianus in Apologetico, cap. 39. Lucrum est pietatis nomine facere sumptum. S. Cyprianus de opere et eleemosyna: Patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. Agapetus in cap. paræn. ad Iustinianum Imp. c. 7. *Terrenarum opum*, ait, αστατος πλουτος, *instabiles divitiæ*, ποταμιων ρευματων μιμειται δρομον, *fluviatilium undarum imitantur cursum: modicum enim affluunt his, qui habere se eas arbitrantur: mox vero, refluentes ad alios accedunt:* μονης ευποιιας θησαυρος μονιμος εστι, *solus beneficentiæ thesaurus stabilis est possidentibus eum: bonarum actionum enim meritum ad auctores retorquetur.* 41. Utendum divitiis utscivis.

Secundo conclude, quærendas esse divitias cælestes et divinas, nempe virtutes, quæ nos vere divites faciant, et in morte non deserant. S. Paulus 1. Timoth. 6. v. 6. *Est quæstus magnus, pietas cum sufficientia.* S. Chrysostomus homil. 2. ad popul. *Vis ditari?* inquit, *amicum habeas Deum, et omnium eris ditissimus.* S. Gregorius Nazianz. orat. 12. pag. 198. Θεος ημας πλουτει, και πλουτιζει; Deus nos pro divitiis habet, divites facit. S. Hieron. epist. 1. ad Heliodor. *Affatim dives est, qui cum Christo pauper est.* Hoc habent Religiosi per votum paupertatis; eos ditissimos esse docet S. Chrysost. tom. 4. lib. 2. adversus vituperatores vitæ Monasticæ, pag. 433. Prius dixerat generatim pag. 432. Tantæ sunt virtutis opes atque copiæ, adeoque quam vestræ dulciores atque amœniores: ut qui eas habuerint, nunquam eas velle possint, *cum universa terra commutare, ne si illa quidem aurum fiat, cum mari, et fluminibus, et montibus.* Iulianus Imp. virtutis hunc thesaurum agnovit, orat. 2. Qui, ait, virtute præditus est, hunc nos sine ulla cunctatione divitem appellemus. Addam etiam, si sic videtur, et nobilem, et præ omnibus regem: hæc ille. S. Basilius serm. 1. de Monachi et Religiosi Institutione, asserit, eum, qui sæculo nuncium remisit, hoc in primis cogitare, semperque animo versare debere, se iam ultra humanæ naturæ fines processisse, seque ei instituto tradidisse, quod sit maxime a corpore seiunctum: ac propterea angelorum conversationem imitandam suscepisse: siquidem hoc angelicæ naturæ proprium est, liberum esse a vinculis terrenis, nec omnino distrahi ad aliam pulchritudinem contemplandam, sed oculos in Dei vultum assidue defixos habere. S. Bernard. serm. 21. in Cantica docet, per virtutem acquiri quamdam æternitatis imaginem atque immutabilitatem: illum consule. 42. Divitiæ cælestes sunt quærendæ.

ARTICULUS III.

Honores et dignitates superborum cito pereunt.

43. Vers. 7. Ab avaritia Assyriorum occisorum per angelum, gradum facit Propheta ad eorum superbiam, v. 7. Ab increpatione tua Deus Iacob dormitaverunt qui ascenderunt equos, id est, Assyrii, qui maxime valebant equitatu, et in eo gloriabantur, ut postea Chaldæi, Persæ, Medi, Parthi, ac pene omnes orientales, qui molliores et effœminati malebant equites, quam pedites pugnare: id etiam faciebant ad pompam. Deus vero, qui laboribus Iudæos servos suos indurare optabat, et in humilitate continere, vetuit illis ne multiplicarent equos: ideo in bello illis non utebantur. Vide dicta Ps. 19. 8. in illud: *Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur.* Et Ps. 32. 17. *Fallax equus ad salutem.*

Tonitru est auditum in clade Sennacherib. Nota, tonitru vehemens ac terrificum auditum esse, cum ab angelo exercitus Sennacheribi cæsus est, patet ex hoc loco, et versibus sequentibus, præsertim v. 9. *De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, et quievit.* Neque dicas, id non haberi apud Isaiam, nec in libris Regum, et Paralipom. Resp. enim Scripturam non omnia ubique exprimere. Sic vidimus in Psalmis aliqua contigisse Ægyptiis, cum a Deo puniti sunt, quæ non habentur in Exodo.

Sensus porro est, q. d. *Ab increpatione tua,* id est, per tonitru tuum terribile, quo increpasti blasphemos, *dormitaverunt,* hoc est, ut vertit S. Hieron. consopiti sunt: ut Pagn. soporati sunt: ut Felix, consternati sunt: ut Camp. sopore obruti: ut Petavius, dissoluti membris omnibus, *qui ascenderunt equos,* id est, Assyrii omnes, ut dixi; 2. q. d. Non gregarii tantum milites, vel lixæ, sed ipsi nobiles, duces, principes, et reges, qui multi semper erant in exercitu Monarcharum tantorum. Græce est, ἐκάρωθη, sopore cum gravedine est obrutus. Caros autem, id est, sopor cum gravedine, marcor, veternus: cataphora, id est, magna et gravis somnolentia: coma, et varii sopores oriuntur ex percussione, ictu, casu, collisione capitis vehementi, sono vehementiore et lædente organa.

44. Symbol. Equus est symbolum superbiæ, et cur? Symbolice, equus est symbolum superbiæ et superbi. Primo, quia est animal φιλόδοξον, ut ostendi alias, Ps. 31. 5. id est, gloriæ et laudis amans: unde gaudet poppysmo, id est, crebra manus tractatione, cum quadam vocis adulatione. Secundo, equus innatam superbiam declarat gressu pompatico, hinnitu elato, erectione capitis; ungula terram fodiens, iram etiam admistam notat, etiam pugnans
1.
2. subsultat: hinc Prudentius in Psychomachia inducit superbiam ex equo pugnantem: Homines autem vani eam equi superbiam et suam augent ornatu equorum. S. Basilius hom. ad divites conqueritur, tapetis purpureis ornari equos velut sponsos. S. Chrysost. in epist. 1. ad Corint. hom. 21. id sibi molestissimum esse proclamat: *Valde erubesco,* inquit, *quando video multos ex divitibus gestari equis, qui fræna habent aurea, et trahunt servos aurum ferentes, et lectos habentes argenteos, et eiusmodi extrinsecus apparentem plurimam habent speciem: quando autem pauperibus dare oportuerit, etiam pauperrimo esse mendiciores.* Dicebant Arabes in proverbio, Ne sis equus amico tuo, id est, ne illi turpiter aduleris: nunc dicamus superbo, ne sit equus sibi ipsi, et in equum transformetur hinnientem, subsultantem, perstrepentem. De Iudæis dicebat S. Cyrillus Alexand. in cap. 1. Habacuc, Iudæorum animus expugnatu facilis, et *cor velut equo incitato perstrepens,* seu instar rotæ volubile: ita ipse. Superbiæ currum, equos, aurigam, rotas assignat Ugo a S. Victore, tract. de claustro animæ, cap. 6. *Quatuor,* ait, *sunt equi, qui trahunt currum elationis: id est, amor dominandi, amor propriæ laudis, contemptus, et inobedientia. Rotæ sunt: iactantia mentis, et arrogantia, verbositas, et levitas. Auriga in hoc curru potest esse spiritus superbiæ. Amatores mundi sunt, qui feruntur in hoc curru. Infrænes sunt equi, volubiles rotæ, auriga perversus, et qui portatur, infirmus. In utroque periculum, quia semper casum et ruinam minatur superbia. Rotæ sequuntur equos. Præcedit enim amor dominandi iactantiam. Amor propriæ laudis, arrogantiam: contemptus, levitatem: inobedientia, verbositatem.* Philo de agricultura, pag. 156. illud expendens Deuter. 17. 16. *Non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum,* sic ad mores traducit: Facit verba de equitatu, qui animæ inest, bruto, immoderato, atque inobediente impetu, quem refrænare utilius fuerit: nequando populum suum in Ægyptum, corporis regionem, avertat: et voluptatum affectuumque magis quam virtutum, Deique amatorem reddat: quandoquidem necesse est, ut qui equitatu pollet, cumque auget, viam quæ in Ægyptum fert, ut Vates ait, ingrediatur. Cum enim animum, tamquam navem, ab utroque latere, intellectus sensusque, violentæ procellæ affectuum iniquitatumque reluctantem inundant elatæ altius: tunc credibile est, fore, ut intellectus obrutus subsidat mergaturque; profundum autem, in quod mergitur, corpus est, quod cum Ægypto confertur: ita Philo. Deus ipse Isai. 31. 1. *Maledicit iis, qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis.*

Nota, *dormitatio* eorum qui ascendunt equos, denotat gravem eorum lapsum ex alto cadentium, sicut accidit dormientibus: in quo Tobias senior dicebat filio suo Tobiæ iuniori, Tob. 4. 14. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Gillebertus serm. 29. in Cantica: Festinamus, ait, ingredi in labores prælationis, in sollicitudinum molestias, et materiam lapsus. Petrus Blesens. epist. 60. gloriam sæculi vocat gloriam seductricem. Exod. 15. 4. superbos Ægyptios et Pharaonem excussit in fluctus, ibique prædam dedit hostibus et piscibus. Equum, ait Moses, et ascensorem deiecit in mare. Agapet. c. 67. Dignitatum splendores, inquit, mors non reformidat. Omnibus enim voraces suos dentes infigit. 45. Dormitatio equitum notat gravem lapsum.

Ex his conclude. Si vis a Deo non increpari, ne ascendas equos per superbiam, sed ex iis descende per humilitatem. Laudabile est Ruthenorum et Moscovitarum institutum, qui nullum monasterium, aut templum, crucemve in via positam reperiunt, quin ab equo desiliant, et in genua procumbentes facto crucis signo dicant vernacula lingua: Miloy, Hospodii, Miloy, Hospodii: *Miserere nostri Domine, miserere nostri Domine.* Eos imitemur, gloriamque omnem ad Christi cruci affixi pedes abiiciamus, et illam in cruce et abiectione mentis terræ hærentes collocemus. Omnes enim ex Adamo, id est, terreno, formati et ficti sumus terra et limus. Agapetus eam cogitationem dat Iust. Imp. c. 4. *Maiorum nobilitate,* inquit, *ne quis delicietur: limum enim omnes habent generis auctorem, et qui purpura byssoque turgent, et qui paupertate et adversa valetudine utuntur: tam qui diademate redimiti sunt, quam qui per cubicula excubant. Ne ergo* πηλίνου ἐγκαυχώμεθα γένος, *lutulentum iactemus genus, sed morum integritate gloriemur.* 46. Humilitas Christiana Ruthenorum.

Secundo, hinc sequitur felices esse viros Religiosos, quibus omnia ad humilitatem utilia sunt, nempe domus, vestis, occupatio, cibus, et alia, ut docet S. Chrysost. de iis agens, hom. 58. Illic, ait, *humilitatis altitudinem* intuemur. Nam ipsa domus, etc. Sed hæc humilitate dicit esse regibus ipsis sublimiores. Sic autem loquitur tom. 4. lib. 2. adversus vituperatores vitæ monasticæ, pag. 437. *Non eis modo,* inquit, *qui in Regia versantur, sed ipso quoque qui diademate ornatus est, erit illustrior, idque assequetur ob indumenta illa vilissima atque conscissa.* S. Gregorius Nazianz. orat. 12. pag. 191. eleganter gloriam Religiosorum ex demissione mentis et ipsius status procedentem delaudat: *Sunt his maiora et sublimiora: opes in paupertate, gloria in contemptu, patientia in infirmitate, fœcunditas in cælibatu (siquidem præstantiores fœtus sunt, qui secundum Deum existunt, quam qui a carne ortum ducunt) qui deliciis minime studere pro deliciis habent: qui regni cælestis causa humiles sunt: qui in mundo nihil habent, et supra mundum existunt: qui etiam in carne extra carnem vivunt, qui pro sua portione Dominum habent: qui propter regnum inopia laborant,* καὶ διὰ πτωχείαν βασιλεύοντι, *et propter inopiam regnant.* 47. Humilitas est Religiosorum propria.

ARTICULUS IV.

Voluptati dediti in iudicio puniuntur.

48. Vers. 8. DEUS impios punit, tamquam supremam habens potestatem: hoc declarat Propheta, v. 8. TU TERRIBILIS ES, ET QUIS RESISTET TIBI? EX TUNC IRA TUA, id est, ex quo tempore incipit ira tua: et coniungendum est cum præcedentibus, ut coniungit etiam S. Augustinus. Sed in textu Latino ponitur distinctio et interpunctio sæpe ob commoditatem canentium: ita Bellarminus et Lorinus.

Secundo et simplicius, ac facilius. Sensus est, q. d. Tu es terribilis, et nemo tibi resistit, nec Assyrii tibi restiterunt increpanti, sed ab increpatione tua, per tonitru, dormitaverunt, et obstupuerunt. *Ex tunc*, id est, ex eo tempore quo illos increpasti, et quo dormitaverunt, ira tua apparuit: et ex tunc de cælo auditum fecisti iudicium, ut sequitur, et terra tremuit.

49. Resistere Deo possumus: 1. Per preces. Nota, in hac vita resistere possumus iræ Dei. Primo, per orationem vel pro nobis, ut David 2. Reg. 24. orans pro se et pro populo pestilentia afflicto: vel orando pro aliis, ut Moses orans pro iis qui adoraverant vitulum aureum, Exod. 32. 11. Aaron pro murmurantibus contra se et Mosem, cum iam quatuordecim millia et quingenti periissent, Num. 16. 46. Elias pluviam impetrans post tres annos siccitatis in terra Israel, 3. Reg. 18. 42. Secundo, 2. Per opus heroicum. resistitur iræ Dei per aliquam actionem heroicam: hoc fecit Phinees occidens Zambri peccantem cum Madianitide, Num. 25. 6. Tertio, per pœnitentiam: ut fecit Achab humiliatus coram Deo, 3. Reg. 21. 29. In alia autem vita, aut in extremo iudicio nullus resistet divinæ iræ. Tunc verum erit, quod dicitur Ps. 20. 10. *Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.* Tunc eveniet, quod ait Ioannes Apocal. 6. 16. *Dicunt montibus et petris: cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?* In Psalmo nostro S. Hier. vertit, quis stabit adversum te? Pagn. quis stabit coram te? Felix, quis stabit in conspectu tuo? quæ adhuc vim habent maiorem. Hebr. לְפָנֶיךָ *lephanecha*, proprie est, ante faciem tuam. Ier. 49. 19. ait Deus: *Quis similis mei? et quis sustinebit me: et quis est iste pastor*, id est, Rex in Idumæa, *qui resistat vultui meo?* Iob cap. 9. 13. ait: *Deus, cuius iræ nemo resistere potest: et sub quo curvantur qui portant orbem*: id est, angeli res inferiores administrantes, ut vult S. Gregorius, aut Sancti, qui sunt orbis columnæ, ut explicant Philippus et Beda: aut melius, reges et principes, qui pondus Reipub. sustinent, unde ferunt capite coronam, veluti muris cinctam et turribus, et videantur esse Atlantes urbium et orbis.

50. In alia vita nemo resistet Deo

Licet Deus vitæ et necis omnimodam haberet potestatem, nec ulli facturus esset iniuriam, licet sine ulla causa eum morte afficeret aut affligeret: tamen cum punit, id cum iudicio facit, et sæpe publico, v. 9. DE CÆLO AUDITUM FECISTI IUDICIUM: TERRA TREMUIT, ET QUIEVIT, id est, tacuit, siluit; non enim hic denotatur quis a labore, sed taciturnitas ob trepidationem, quæ accidit in exercitu Sennacherib ob tonitru quod Deus e cælo audiri fecit, tamquam indicium venientis iudicis et ultoris. S. Hieronym. vertit, terra timens tacebit. Felix, terra timuit, et siluit. Sed quæ terra? Primo, omnis quæ audivit tantam cladem Assyriorum, ac præsertim ipsa Assyria. Secundo, et melius Iudæa, ac præcipue totus terrarum tractus prope Ierosolymam: ibi enim erat Sennacherib cum exercitu, cum nox illa fatalis ei abstulit 185. millia ducum et militum. Id ita esse patet ex sequentibus: *Cum exurgeret in iudicium Deus*: terror igitur, et quies seu stupor et silentium fuerunt illo tempore, quo plaga divina in impios sæviebat.

51. Vers. 9.

52. Exercitus Assyriorum deletus est. Non a muribus. Quæres, quo mortis genere perierunt illi Assyrii? Primo, Herodotus ait, Sennacherib Ægyptum invasisse, sed a sacerdote Vulcani fugatum, per inductos mures, qui arma et arcus Assyriorum corrodebant. Sed hoc est evidens mendacium, cum eius clades prope Ierosolymam contigerit.

A Secundo, Iosephus lib. 10. antiq. Iudaic. cap. 3. asserit, peste deletum esse illum exercitum. Sed sic spolia fuissent inutilia Hebræis, et peste totam Iudæam infecissent. Non peste.

Tertio, Abulensis, et ex eo Salianus, opinantur angelicam hanc percussionem factam intrinsecus per aliquem specialem motum, per quem homo sine ullo sensu moriatur, apposito aliquo ad cor hominis, quod momento illum interimat. Et omnino facile est angelo subintrare interiora hominis, partesque vitales pestifero aliquo motu elidere aut suffocare, spiritu repente intercluso: ita illi. Sed operosum erat occidere 185. millia hominum una nocte, sigillatim unumquemque percutiendo. Non applicatione alicuius rei ad cor.

Quarto, Rabbini, et S. Augustin. serm. 25. ad fratres in eremo, aut potius alius auctor, censent, Assyriorum corpora in cineres redacta, ne aerem fœtore corrumperent, armis ac vestibus illæsis, ut populus Ierusalem spolia colligeret. Sed hoc est divinare. Nec hoc dicit Isaias cap. 10. 16. Non igne omnes redigendo in cinerem.

Quinto, alii volunt hæc omnia missa fulminibus ab an-
B gelo immissis combusta. Sed sic omnia spolia periissent, quibus Deus volebat Iudæos ditari. Non fulmine.

Sexto denique, opinor prope omnes subito et insolito pavore fuisse exanimatos audito tonitru, quod indicat το *Ab increpatione tua dormitaverunt, qui ascenderunt equos.* Item illum: *De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit, et quievit.* Aliquos tamen duces aut milites insolentiores, ut Rabsacem, fulmine deflagrasse. Facile autem fuit uni angelo id præstare per tonitru terrificum omnes percellendo, et fulmen in paucos deiiciendo. Dices, Isai. 37. 36. dicitur: *Surrexerunt mane*, Rex scilicet, ac decem aut duodecim residui ex tanto exercitu: *ecce omnes, cadavera mortuorum.* Ergo non erat factus strepitus, alioqui non dormivissent illa nocte. Resp. primo, regem et superstites eodem tonitru fuisse stupefactos, et præ stupore dormitasse, ut dixit David supra. Secundo, etiamsi vigilassent, dici tamen surrexisse, e loco scilicet suo ac tentorio. Tertio, præ timore ac tenebris non erant ausi
C egredi e loco suo ante ortum solis; nec scire poterant, quid accidisset aliis in ea tempestate, cum terra tremuisset, et quievisset, nec ullus strepitus oriretur. Sed subito terrore, ob tonitru, paucis fortasse exceptis.

Finem illius cladis addit Propheta, v. 10. CUM EXURGERET IN IUDICIUM DEUS, UT SALVOS FACERET OMNES MANSUETOS TERRÆ, id est, Ezechiam regem, et Ierosolymitas, ac Iudæos omnes, qui nihil aliud quam pacem et quietem optabant. S. Hieron. omnes mites terræ. Psalt. Æthiop. omnes mites corde. Pagn. et Arabs, omnes humiles terræ. Syr. pauperes. Alii, afflictos. Bellarm. negat hæc posse dici de Iudæis afflictis a Sennacherib, sed de piis et iustis in extremo mundi iudicio. Sed hoc mysticum; quæ diximus sunt litteralia. De laude mansuetudinis vide Psal. 131. 1. 53. Vers. 10.

Tropolog. nota, Deus iuste iudicat, et sententiam suam exequitur efficaciter. De primo, ait S. Basilius in Liturgia: Vere Sanctus es, et ex omni parte Sanctus, et non est modus magnificentiæ sanctitatis tuæ, et Sanctus es in omnibus operibus tuis. Quia in iustitia, et vero iudicio
D omnia nobis induxisti: ita ipse. Unde obiter adverte sequi, Deum non esse auctorem peccati, alioqnin iniuste peccatorem puniret ob id, quod ipse fecisset. Euthym. Zigabenus in dogmatica panoplia part. 2. tit. 21. reprehendit Mahometem, qui Deum inducit peccati auctorem, quod non Deo salutis humanæ amanti: sed μισανθρώπῳ δαίμονι, homines odio prosequenti dæmoni convenit. De secundo, nempe quod Deus efficaciter puniat, affer versionem seu lectionem S. Augustini et Arnob. qui pro *de cælo auditum fecisti iudicium*, legerunt, *de cælo iaculatus es iudicium*: videlicet veluti fulmen certo ictu feriens. Qua lectione confirmatur opinio aliquos fulmine periisse. Deus iuste iudicat.

Secundo, cum punire vis, de cælo auditum fac iudicium. Primo, illud prius annuntiando, quam punias, ut sit locus pœnitentiæ. Secundo, iustitiam exercendo, quæ cælo placeat, et cælestia motiva habeat, atque ta iudicem, velut in cælo Deum alterum constituat. Psal. 81. 1. *Deus* 54. Iuste quoque iudica.

stetit in synagoga deorum, id est, iudicum : unde Chald. vertit: Deus, cuius maiestas commoratur in congregatione iustorum, qui potentes sunt in lege. Iudex sit in solio et tribunali suo, tamquam in cælo. Primo, moribus excelsus præ populo. Secundo, qui sit luce circumdatus ad bene rem perspiciendam. Agapet. in cap. paræn. ad Iustinianum Imp. cap. 2. *Sicut gubernator, vigilat Imperatoris, πολυομματος νους, oculatissimus intellectus, continens tuto æquitatis clavos, atque expellens fortiter iniquitatis fluctus: ut ne cymba mundanæ Reip. illidatur fluctibus iniquitatis.* Tertio, iudex se æqualiter omnibus communicet. Arabes in proverbio dicunt: Esto unicuique libra, id est, ius æqualiter divide.

55. Superbi sunt terra tremens. Tertio, superbi licet potentissimi, omnesque improbi, coram Deo sunt tantum terra tremens: *Terra tremuit et quievit.* S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 65. improbos vocat αχυρωδεις, palearcs homines: palea illa vilis est, et facile vento difflatur. Primo autem, impii sunt terra, transformantur enim in id quod amant, et sæpe aspiciunt, sicut polypus et chamæleon. Peccator autem terram et stercus semper mente vorsat. S. August. epist. 44. iure ridet paganos adorantes Deum Sterculium, et Deam Cloacinam. Verba eius sunt: *Habemus apud nos magnam materiam facetiarum Deum Sterculium, Deam Cloacinam, Venerem calvam.* Eos deos adorant voluptatis mancipia. Nonne Sterculium, et Cloacinam, et Venerem adorabat Mahometes, qui teste Euthym. in panopl. part. 2. tit. 24. legem tulit, ut quisque quatuor uxores posset ducere: παλλακας και χιλιας, pellices vero mille: sed uxoribus subiectas voluit esse pellices, permisitque repudiare quam maritus velit, et pro ea aliam ducere: ita ibi. Secundo, impii sunt terra tremens et fluctuans, sicut insulæ fluitantes prope Audomaropolim. Ægyptum nunquam terræ motu concussam esse, quod ex limo terra eius concreverit, nonnulli dixere, ut ait Seneca natur. q. lib. 6. cap. 26. At vero, peccator tremit, quia limus est et lutum: Ægyptumque tremuisse cum Pharao mersus est, et punitus, videtur valde probabile. In eam quoque intrante Christo ita contremuit, ut idola sint eversa omnia, sicut alias dixi. Venerem armatam in annulo sculptam gestabat Cæsar, eaque tessera in rebus humanis plerumque utebatur, ut refert Dio lib. 43. Venus, id est, libido, sæpe imperia evertit, ut alias ostendi, Ps. 3. v. 1.

Quarto denique, viri pii ac præsertim Religiosi, trementibus terrenis peccatoribus exultant, et sunt immutabiles: quia cælum sunt. S. Ioannes Chrysost. lib. 3. adversus vituperat. vitæ Monasticæ, pag. 477. tom. 4. post descripta innumera sæcularium hominum scelera, ait vitam Religiosorum esse cælestem, ideoque securam et tranquillam: *Quamquam, ait, procella tanta, tantique fluctus desæviunt, soli in tranquillo portu et securitate summa residentes, vel, εξ ουρανου αλλων επισκοπους ναυαγια, ex cælo naufragia aliorum spectant. Nam conversationem plane cælestem elegerunt, nihilque deterius angelis effecti sunt. Ut enim illis nulla inest inæqualitas, nec alii successibus secundisque rebus elati gloriantur: alii extremis malis et incommodis oppressi gemunt: sed omnes pariter in gaudio et quiete, summaque illa, et cælesti gloria exultant: ita fieri quoque perspicimus in Monasteriis, nullus ibi paupertatem exprobrat, nullus divitiis gloriatur:* lege cætera. Cælum movetur quidem, sed motu ordinato et tranquillo: terra non movetur sine periculo et tumultu. 56. Viri pii et Religiosi sunt immobiles.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

57. *Duo præstat. Primo, asserit David Deo gratos fore fideles omnes, ob quietem datam, et hostes victos, vers. 11. Secundo, omnes hortatur, ut id faciant, vers. 12.*

PARAPHRASIS.

11. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*

11. Ideo autem exurges in iudicium, ut salves mansuetos terræ tuæ sanctæ: quia scis fore, ut Ezechias et omnis populus fidelis te laudet atque veneretur, ob tam admirabilem liberationem: eamque diu mente versantes perpetuum festum agant, tui unius honori servientes.

12. *Vovete, et reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera.*

12. Ab hostium exercitu liberati Israelitæ, qui in circuitu Ierusalem, et in tota Iudæa habitatis, eique munera in celebrioribus festis afferre soletis, nunc nova vota concipite et persolvite ob tam inopinatam et stabilem salutem.

13. *Terribili, et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.*

13. Deus enim non vobis tantum est amabilis, sed hostibus vestris terribilis, qui fastum regum contundit: eisque cum lubet, vitam eripit: ideoque summo ipsis est terrori, licet maximam terræ partem sceptro premant.

QUÆSTIO UNICA.

Quanto studio grati ob accepta beneficia esse debemus.

58. Ordo Sectionis. **P**rima Sectio continet felicitatem et quietem populi Dei, ob Deum in eo habitantem. Secunda declarat exercitus Sennacherib cædem. Tertia hæc, et ultima, gratitudinem populi liberati pollicetur.

Ac primo, Propheta ad Deum convertitur, et promittit fore, ut animo memori, et cogitatione, hæc dona eius recolantur, v. 11. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi.* Secundo, opere ipsi propterea serviatur: *Et reliquiæ cogitationis festum agent tibi.*

Secundo, hortatur omnes, ut grati sint erga Deum. Primo, nova vota concipiendo, v. 12. *Vovete.* Secundo, vota sua explendo: *Et reddite Domino Deo nostro.* Tertio, donaria offerendo in templum: *Omnes qui in circuitu eius affertis munera.*

Tertio denique, causam profert illius venerationis. Primo, summam eius maiestatem, coram qua omnes tremant, v. 13. *Terribili.* Secundo, summam eius iustitiam, qua ipsos principes interficit: *Et ei qui aufert spiritum principum.* Tertio, summam ipsius potestatem, qua reges ipsos terrore contudit: *Terribili apud reges terræ.*

ARTICULUS I.

De beneficiis Dei ita cogitandum est, ut eam ob rem virtuti ardentius studeatur.

Donis omnibus cumulat Deus servos suos: id unum optat, ut non sint ingrati, v. 11. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Nota primo, το *quoniam*, Titelm. Bellarmin. et Lorin. non sumunt causaliter, sed assertive, q. d. Propter quod cogitatio hominis liberati confitebitur tibi laudes. Simplicius tamen et commodius sumetur causaliter, ita ut sensus sit, ut dixi in paraphrasi, q. d. Ideo autem exurgis ad iudicium, ut salves omnes mansuetos terræ, id est, Iudæos servos tuos pacis amantes, quia ipsi te laudabunt, cogitantes sibi a te iusto iudice salutem datam: et ipsa eorum cogitatio, erit perpetua tui laudatio. 59. Vers. 11.

Secundo, pro *cogitatio*, Hebr. est חימה *chema*, id est, Primo, ardor, fervor. Secundo, ira, excandescentia. Hinc S. Hier. Pagn. et Felix vertunt: *Ira hominis confitebitur tibi.* Sed cuius hominis? 1. pœnitentis Sennacherib, post cæsum divinitus exercitum suum, et aliorum superstitum a clade: ita Agellius. Sed contra est, quia 45. diebus, quibus supervixit Sennacherib in Ninive, iussit interfici Zelus et ira sunt laus Dei.

Iudæos Dei servos; 2. cogitatio, et impia machinatio, sed habita ante cladem, et iam frustrata, erit occasio laudandi Deum; 3. ira Ezech. et aliorum in Assyrios laudabit te, quod eos occideris. Hic sensus est melior prioribus. Septuaginta vero, qui vertunt *cogitatio*, intelligunt de cogitatione servorum Dei, ac præcipue civium Ierosolymæ liberatorum. Sub cogitatione autem intellige affectionem etiam; frustra enim esset cogitatio, nisi inde sequeretur reverentia, pietas, adoratio, amor, et alii pii affectus. Bellarmin. vocem *chema*, seu *chama* deducit a *nacham*. Sciendum est, ait, vocem *chama* posse deduci a verbo נחם *nacham*, quod pœnitere et consolari, ac, secundum Septuaginta, etiam cogitare significat. Nam Genes. 6. v. 6. ubi nos habemus: *Pœnituit Deum, quod hominem fecisset in terra:* Sept. Interpr. vertunt, cogitavit Deus, quod hominem fecisset in terra. Quare illud *chama* non solum significat iram, sed etiam cogitationem, ex sententia Sept. interpretum, quibus maior fides habenda est, quam omnibus dictionariis: ita Bellarminus, non improbabiliter. Rectius tamen *chema*, seu *chama* deduces a יחם *iacham*, id est, caluit, calefecit, iratus est. Sept. itaque fervorem et ardorem cogitationis sumpserunt, sive ardentem et ferventem cogitationem. Non vult enim Deus laudari a frigido et tepido corde: sed ab ardenti. Apocal. 1. 13. *Christus est in medio candelabrorum aureorum.* Ut scilicet in media luce et ardore se delectari ostendat. Cap. 4. 5. *De throno Dei procedebant fulgura, et voces, et tonitrua*, id est, voces tonantes, seu tonitrua vocalia: *et septem lampades ardentes ante thronum.* Thronus Dei est cor nostrum: fulgura, sunt eius illustrationes: tonitrua, voces ad Deum missæ, et a Deo acceptæ: lampades, sunt cogitationes et affectiones ardentes et inflammatæ; et sunt spiritus Dei, id est, angeli ad eum emissi, qui desideria cordis nostri perferant: fac ut illi ministri Dei sint flamma ignis, ut cito ad Deum evolent.

Laudari vult Deus cum fervore.

Tertio, pro *festum agent*, Hebr. nunc habetur תחגור *tachgor*, id est, cinges. Unde Pagnin. reddit, residuum irarum accinget. Sed sensus inde fieret incommodus, ut patet ex contextu. Retinenda est itaque explicatio Septuaginta, *Reliquiæ cogitationis festum agent tibi.* Legerant autem sine dubio תחוג *tachogh*, id est, festum ages: a חגג *chagag*, id est, festum celebrare.

60. Reliquiæ cogitationis quid?

Quæres, quænam reliquiæ cogitationis festum agent Deo? Resp. Primo, reliquias cogitationis esse reliquam malignam hostium cogitationem contra Iudæos, quæ conspecta Dei potentia in clade exercitus Sennacherib immutabitur, ac in solemnem eius venerationem convertetur: ita Iansenius. Et quidem Merodach Baladam, qui eodem anno Babyloniorum regnum occupavit, misit legatos ad Ezechiam ei gratulaturus, ob tantam victoriam obtentam, et sanitatem recuperatam.

I.

II. Secundo, ac melius, *reliquiæ cogitationis* sunt verba et opera, ait Ugo, quia ex abundantia cordis os loquitur: et quod cor incipit, manus operatur. Idem est ergo ac si dicat: Non tantum corde cogitando et credendo confitebitur tibi, sed et ore confitebitur, et opere obsequetur tibi. Rom. 10. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sed hæc duo etiam non sufficiunt, nisi etiam sequatur operatio. Iacobi 2. 14. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* Et Iacobi 2. 20. *Fides sine operibus mortua est.* Hæ autem reliquiæ cogitationis diem festum agunt Domino, cum verba, et cogitationes, et opera ab omni opere servili, scilicet a peccato cessant, et Deo vacant: ita Ugo.

III. Et genuine.

Tertio, et optime, reliquiæ cogitationis sunt memoria beneficii accepti, cogitationis habitæ eo tempore quo illud contigit: v. g. memoria cæsi exercitus Assyriorum, et liberationis Ierosolymæ, ac totius Iudææ: hæc memoria diem festum agit Deo; quia quoties recurrit, lætitia mentem complet, et eam excitat ad laudandum Deum liberatorem. Ezechias tamen festum nullum instituisse legitur ob eam tam mirabilem victoriam: sicut Esther et Mardochæus institui iusserunt in memoriam liberationis Iudæo-

A rum, Aman cum filiis suspenso, et occisis hostibus eorum in Susan et toto imperio Assueri, id est, Artaxerxis Longimani regis Persarum, Esth. 9. Iudas Machabæus instituit etiam festum ob cæsum Nicanorem ducem regis Antiochi Epiphanis, 1. Machab. 7. 49. et 2. Machab. ult. 37. Ubi adverte, memoriam recte dici reliquias cogitationis: memoria enim est thesaurus animæ, in quo reconduntur species cogitationum et affectionum præteritarum.

Tropolog. Iacobus a Valentia. Prima, inquit, cogitatio hominis, est fides interna, quæ præcedit omnem bonam operationem, et per quam movemur ad colendum Christum: sed reliquiæ cogitationis sunt effectus fidei: scilicet cultus divinus. S. Aug. *Cum credimus*, inquit, *tunc nobis fuit cogitatio: modo autem reliquiæ cogitationis sunt, qua meminimus quis ad nos venerit, et quid nobis donaverit: ex ipsis reliquiis cogitationis, id est, ex ipsa memoria, quotidie nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innovet, qui prima gratia sua nos innovavit.* 61. Tropol.

B Secundo, Ugo Card. de confessione laudis peccatorum sic exponit: Cogitatio hominis, id est, utentis ratione, confitebitur tibi laudando te in corde intus, q. d. Non cogitabit de luxuria, sicut equus: aut de gula, sicut porcus: aut de crudelitate, sicut leo. Sap. 1. 3. *Perversæ cogitationes separant hominem a Deo.* Et ibidem, v. 5. *Aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Ideo dicit, *cogitatio hominis*. Isa. 32. 8. *Princeps vero ea, quæ digna sunt principe, cogitabit.* Secundo, de confessione peccatorum legitur. Et notatur hic, quod confessio debet esse præmeditata, cum dicit: *Cogitatio hominis confitebitur tibi.* Ps. 37. 19. *Iniquitatem meam annuntiabo:* ecce confessio. Et ut bene annuntiem, *Cogitabo pro peccato meo:* ecce præmeditatio. Notandum ergo, quia multa sunt cogitanda homini, qui bene vult confiteri et satisfacere. Debet enim homo circa peccatum suum cogitare quid fecit, scilicet genus peccati. Isa. 38. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ierem. 2. 19. *Scito et vide, quoniam malum et amarum est dereliquisse te Do-*

C *minum Deum tuum.* Tertio, periculum peccati. Gen. 3. 9. *Adam ubi es?* Quarto, defectum peccati. Luc. 15. 14. *Facta est fames valida in regione illa.* Oseæ 4. 10. *Fornicati sunt, et non cessaverunt.* Ibi dicit Hieron. Voluptas habita famem non satietatem parit. Quinto, vilitatem peccati. Ierem. 2. 36. *Quia vilis facta es nimis iterans vias tuas.* Sexto, oppressionem, quam facit diabolus. Deuter. 25. 17. *Memento quid fecerit tibi Amalech, id est diabolus.* Septimo, quadruplex damnum, quod incurrit homo ex peccato: scilicet bonorum operum mortificationem, naturalium bonorum diminutionem, a communione Sanctorum eiectionem, æternæ hæreditatis exhæredationem. De duobus primis dicitur Luc. 10. 30. *Homo quidam descendebat de Ierusalem in Iericho, et incidit in latrones*, id est, in dæmones, *qui despoliaverunt eum*, omni bono gratuito, *et plagis impositis*, id est, naturalibus vulneratis, *abierunt semivivo relicto.* De tertio, dicitur Dan. 4. 22. *Eiicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua.* De quarto, dicitur Luc. 15. 17. *Quanti mercena-*

D *rii in domo patris mei abundant panibus, ego autem, etc.* Octavo, debet cogitare vitam bonorum, ut de sua confundatur magis. Iob 33. 27. *Respiciam homines, et dicam: peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus, non recepi.* Nono, debet cogitare quod Deus videt peccata sua. Luc. 15. 18. *Pater, peccavi in cœlum, et coram te.* Decimo, districtum iudicium. Ps. 118. 30. *Iudicia tua non sum oblitus.* Undecimo, misericordiam Dei, ne cadat in desperationem timore iudicii. Psal. 25. 3. *Misericordia tua ante oculos meos est.* Unde in quodam responsorio cantamus: *Tribularer, si nescirem misericordias tuas Domine.* Si ergo homo hæc omnia cogitaret, tunc cogitatio hominis confiteretur Deo, et nihil abscondere vellet ab eo. Et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Reliquiæ, quæ relinquuntur ex hac confessione, sunt contritio vel compunctio cordis, et confessio oris, et satisfactio operis, quæ melius exprimuntur per aliam litteram, quæ habet sic:

Mœror hominis confitebitur, et reliquiis mœroris accingeris. Hæc faciunt Domino diem festum: quia ut dicit Dominus Luc. 15. 7. *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Et Origen. super illud Numer. 29. 7. *Affligetis animas vestras,* sic ait: O mira festivitas, dies festus vocatur animæ afflictio: hactenus Ugo. Prima etiam cogitatio, quæ initio diei habetur, confiteatur Deo, et reliquiæ cogitationis quæ tota die habebuntur, diem festum agent. Et experientia docet: si primam cogitationem prompte et ferventer mane dederis Deo, totam diem maiori cum devotione procedere.

62. Cogitationem præfert Deus operi mere externo, et cur?

Nota, Deus amat confessionem sibi factam interna cogitatione, et præfert cogitationem operi externo: 1. quia cogitatio est fœtus primogenitus noster; 2. est fœtus præstantissimus: est enim fœtus rationis et hominis ut homo est; 3. quia constat eum fieri propter Deum solum, cum ab eo solo cognoscatur; 4. durabilior est quo minus patet, ab hoste enim fructus ille eripi non potest; 5. quia quod in mente est, proprie est nostrum, cætera donaria sunt bona aliena. Sacrilculi veteres pœnam incurrebant capitis, si diis victimam immolassent, quam annulo prius non signassent. Erat annuli nota, homo in genua provolutus, manibus revinctus, cum gladio ad iugulum: ut, aut oves hominum loco immolari denotarent, aut seipsos ad necem usque Dei cultui addictos indicarent. Ritum illum refert Herodotus lib. 2. Sapienti cogitatione mentem nostram sigillemus, ne dona nostra effluant. Psalm. 44. 14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* Græce habetur, ἐξ ἐννοιῶν, *ex cogitationibus.* Ornat scilicet animam in penetrali intimo, ut eam cælesti sponso in oratione et contemplatione sistat. In commentario trium Patrum in Cantica, sponsa confertur palmæ quod ἄκροις λογισμοῖς ἅπτεται οὐρανῶν, excelsis meditationibus cælum attingit. S. Laurentius Iustinian. cap. 3. de oratione: Electi, ait, eo se districtius in seipsos colligunt, quo ferventius assistere ante Deum per orationis studium disponunt. S. Chrysost. homil. 79. ad popul. Orans, ait, in Dei conspectu totam colligens animam suam, et nihil habens cum terra commune, omnemque ex animo pellens humanam cogitationem: sic enim deprecantem oportet orare, ut totam cogitationem suam colligens, cum animi dolore contendens, Deum vocet. Nicolaus Cabasilas in liturgiæ expositione, cap. 21. id multis inculcat. Post hymnum, ait, sacerdos iubet omnes non socorditer et negligenter stare, sed ea quæ fiunt et canuntur, attendere: προσχῶμεν enim, quo vocabulo utuntur, idem est quod, mentem adhibeamus. Deinde, precatur pacem omnibus et sapientiam in memoriam revocat, cum qua oportet ad mysteria accedere et mentem adhibere. Quænam est autem sapientia? Cogitationes mysterio convenientes, cum quibus oportet audire, et videre ea quæ fiunt, et dicuntur, eos qui fide pleni sunt, qui nihil habent humani. Hoc est enim Christianorum sapientia, et hoc sibi vult sapientia, quæ in multis locis sacrificii, fidelibus acclamatur a sacerdote, harum scilicet cogitationum recordatio: ita Cabasilas. Ubi vides non qualescumque cogitationes requiri in appropinquantibus Deo, sed *chemoth*. id est ardores et fervores, ut ignitum cor ad cælum evolet. Hinc acclamatur in liturgia S. Petri, qua utimur: Sursum corda. Pythagoras dicebat, teste Clemente Alexand. lib. 5. Strom. pag. 403. mentem, θείᾳ μοίρᾳ, *divina sorte venire ad homines*, sicut fatentur Plato et Aristoteles: nos mentem totam Deo reddamus, a quo procedit, eam ipsi per iugem meditationem uniendo. Agapetus dicebat Iustiniano Imp. in cap. parænet. cap. 1. *Oportet te, potentissime Imperator, in hac rerum versatili mutatione,* ἀμετάβλητον ἔχειν εὐσεβῆ λογισμόν, *immutabilem habere pietatis cogitationem:* ita ipse: sic oculo semper vigili excubabunt ad Reip. utilitatem. Dæmon vero nititur eos qui in Rep. Christiana eminent, excæcare, ut sicut S. Cæsarius homil. 35. alios in exitium trahant: sicut solent aucupes per columbas cæcas et surdas columbis aliis insidiari. Isa. 32. 8. recte dicitur: *Princeps ea quæ digna sunt principe, cogitabit.* Vatabl. vertit, *liberalis, liberalia consultat.* Deus cogitat tibi dare liberaliter sua, et seipsum, sint etiam cogitationes tuæ erga Deum liberales.

63. Cogitationi opus bonum est iungendum.

Nota secundo, cogitationi bonum opus est iungendum, ut homo festum agat. Hinc dicitur: *Reliquiæ cogitationis festum agent tibi.* Lactantius lib. 3. cap. 8. definit, Sapientiam esse *virtutem cum scientia coniunctam.* S. Chrysolog. serm. 167. Doctrina, inquit, in dictis scientia est, in factis virtus. Scientia ergo illa vera est, quæ mista virtute: illa divina est, non humana, Evangelista probante, cum dixit, Actor. 1. v. 1. *Cœpit Iesus facere et docere.* S. Isidorus Pelus. lib. 2. Epist. 175. ad Hieracem: Si, ait, sermo et vita in unum concurrant, efficiunt φιλοσοφίας ἁπάσης ἄγαλμα, *omnis philosophiæ simulacrum.* Et lib. 3. Epist. 251. Alterum alterius nervus ac robur erat: nimirum sermo qui fide dignus erat, et vita sermonem confirmans. S. Gregorius duplici similitudine, solis scilicet ac fontis, opus meditationi annectendum ostendit, lib. 5. Moral. cap. 30. *Nunquam*, ait, *commotioni contemplatio iungitur, nec prævalet mens perturbata conspicere, ad quod vis tranquilla valet inhiare. Quia nec solis radius cernitur, cum commotæ nubes cæli faciem obducunt: nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam tranquillus proprie ostendit: quia quo eius unda palpitat, eo in se speciem sollicitudinis obscurat.* Hinc sapiens unus Ptolemæo regi apud Aristeam petenti: Quomodo posset optimas habere cogitationes, respondit: Si semper proposueris tibi iusta, et statuas iniustitiam, esse τοῦ ζῆν στέρησιν, *vitæ privationem* et perniciem: iustis vero Deum semper adornare bona. Christus sponsus ait sponsæ, id est, animæ perfectæ, Cantic. 8. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum*, ecce cogitationes Christi annulo signatas; *Signaculum super brachium tuum*, ecce actiones eodem expressas. In Pyrrhi regis Epirotarum annulo erat achates gemma talis naturæ, ut Apollinem cum cythara, et Musas cum insignibus propriis contineret. Tu stigmata Iesu Christi crucifixi in mente, sicut S. Clara a monte Falcone insignia passionis in corde, et in corpore velut S. Paulus, et S. Franciscus, circumfer: manu vero crucem tene, sicut Iosephus eam gerebat in annulo sibi dato a Pharaone, ut illi esset insigne summæ potestatis, et signum gratæ recordationis. Alexander Magnus voluit vultum suum in gemma formari a solo Pyrgotele, et a solo Apelle pingi. Peccatori dicit Deus: *Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum*, Psalm. 49. 18. Vide ibi dicta. Tiberius Imp. vetuit, metu proposito, extremi supplicii, ne quis annulos ac nummos signatos icone non vulgaris argumenti, in lupanaria, latrinas, aut alia obscœna loca deferret. Tu mentem imagine Christi, scientiis etiam sacris ornatam in corpus lutulentum demergere, et in actiones brutis dignas non vereris? Effice, ut actio cogitationem excitet, et cogitatio actionem, ambæque negotiis publicis et divinis deserviant. Annulum habuit Carolus V. Imperator, quem digito ferebat: in eius pala horologium erat, quod horas omnes indiculo demonstraret, et intus secretiore obsequio rotis digitum perstringeret, quoties ad unamquamlibet horam perstrepunt ictu malleoli cætera horologia. Ad horas singulas reges se ac principes regia et heroica cogitationa erigant, digna tot populis sibi subditis, digna principe, digna Deo cogitantes. Singuli etiam Christiani, qui Christi regnum sunt et sacerdotes, non patiantur se ad vilia et abiecta deiici, tunc in festivitate perenni exultabunt. S. Chrysost. homil. de his qui ad festa concurrunt: *Maximum*, inquit, *festum est bona conscientia.* S. Basilius Seleuc. Episc. orat. 1. Universa, ait, hominum vita virtutis palæstra est: ut vivere non videatur, qui se in virtutum palæstra non exercet.

Nota tertio, felicitatem Religiosorum, qui perpetuum festum agunt, aut cum Deo in oratione, aut cum proximis in charitatis operatione occupati. S. Chrysost. lib. 1. adversus vituperatores vitæ monasticæ: *Solitudo*, inquit, *philosophiæ fructus uberrimos progerminat.* Contra vero, sæcularibus in terrenis rebus occupatis difficile est orationi et contemplationi vacare, ut illis se ad bonas actio- 64.

nes alacriores reddant. S. Hieron. Epist. 35. Nudus, ait, et levis ad cælum evola: alas virtutum tuarum auri deprimunt pondera. Hebr. In שלחן ערוך *sciulchan aruch* tract. de oratione dicitur: *Non debent stare, dum dicitur tephila, cum sacculo pecuniarum.* Tephila est certum genus orationis: id da omni oratione dici potest: hominem quærendo lucro inhiantem, vix eam quiatam et decentem habere posse docet experientia.

ARTICULUS II.

Vota gratuita offerenda et reddenda sunt Deo Regi regum.

65. Vers. 12. Cæsis Assyriis de exercitu Sennacherib spolia plurima et ditissima fuerunt relicta populo Dei. Hinc monet, ut ex iis dona offerant Deo, v. 12. VOVETE (S. Ambros. lib. de Nabuthe, cap. 16. Apollinaris, et Psalt. Illyricum vertunt, *orate*) ET REDDITE DOMINO DEO VESTRO: OMNES QUI IN CIRCUITU EIUS AFFERTIS MUNERA.

Causam reddit huius adhortationis aut gratulationis, quod Deus habeat potestatem vitæ et necis super omnes Vers. 13. homines, ipsosque reges, v. 13. TERRIBILI, ET EI QUI AUFERT SPIRITUM PRINCIPUM (id est, vitam illis tollit pro sua voluntate) TERRIBILI APUD REGES TERRÆ.

In circuitu Dei quinam sint. Quæres, quinam sint illi, qui in circuitu Dei fuisse dicuntur? Resp. primo, id accipi posse de populis circa Iudæam habitantibus, quos invitat Propheta, ut visa Dei potestate ab idolis convertantur, et Deo vero tam potenti et terribili serviant. Per vota enim et munera oblata reliquus cultus synecdochice intelligi potest. Secundo, et specialius, hoc accipiendum de Iudæis, qui in variis Provinciis prope Iudæam habitabant. Tertio, et melius, de iis qui in Iudæa erant circa Ierusalem, quæ erat veluti centrum et umbilicus terræ, id est Iudææ. Quarto, in circuitu Dei erant, qui in atriis mundorum circumstabant atrium Levitarum, Sanctum, et Sanctum sanctorum. Quinto denique, in circuitu Dei erant Levitæ et Sacerdotes in atrio Levitarum circumdantes altare holocaustorum, et populi oblationes, sacrificia et vota altari imponentes. De his omnibus locus hic commode exponitur. Prophetæ enim, velut in tabella, ostensus est exercitus Assyriorum cæsus ab angelo ultore, spolia per campos iacentia, populus illa avide diripiens, rex Ezechias, duces et alii pii viri seponentes Deo donaria, et illa in templo dantes Levitis et Sacerdotibus, Levitas et Sacerdotes illa Deo ipsi summa reverentia, alacritate et gratitudine consecrantes. Quare, partim hortatur ut id faciant, partim congaudet et gratulatur facientibus. Nam oblata Deo munera post illam celeberrimam victoriam habetur 2. Parol. 32. 22. *Salvavit Dominus Ezechiam et habitatores Ierusalem de manu Sennacherib regis Assyriorum et de manu omnium, et præstitit eis quietem per circuitum.* Itaque, qui erant in circuitu, poterant afferre munera. Unde additur v. 23. *Multi etiam deferebant hostias et sacrificia Domino in Ierusalem, et munera Ezechiæ regi Iuda, qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus.* Vis quoque est in voce, *reddite*, q. d. Deus dedit vobis aurum, argentum, gemmas, vestes, equos, currus, aliaque innumera in castris Assyriorum, occisis 185. millibus eorum, qui erant ditati spoliis Donaria Deo oblata post victorias. Æthiopum, Ægyptiorum, et aliorum populorum: ex illis a Deo vobis datis sine ullo vestro labore et sanguine, reddite Deo vestro munera et vota. Sic anno mundi 2583. exitus ab Ægypto 40. Mosis 120. ante Christum 1470. Madianitis devictis non duce Phinees, ut putavit Iosephus, sed duce Iosue, ut docet Abulensis, et Fonseca, duces ac milites varia dona obtulerunt. Hic dicunt Numer. 31. 50. *Ob hanc causam*, quod nemo prorsus in eo bello occisus esset, *offerimus in donariis Domini singuli, quod in præda auri potuimus invenire, periscelides et armillas, annulos, et dextralia ac murenulas, ut depreceris pro nobis Dominum. Susceperuntque Moses et Eleazar sacerdos omne aurum in diversis speciebus, pondo sexdecim millia septingentos quinquaginta siclos,* id est, ait Salianus, quinque auri talenta, cum tribus fere talenti partibus: talentum autem est centum viginti quinque librarum ex Epiphanio, valetque in gallica pecunia, aureos duodecim millequingentos: itaque tota summa fuerit aureorum septuaginta et unius millium, octingentorum septuaginta quinque, assignatis cuique sexaginta solidis: quilibet autem auri siclus erit quatuor aureorum, et decem solidorum: ita Salianus. Romani initio bellorum, partem prædæ Numinibus suis vovebant: adeo ut Romæ templum unum fuerit Iovis prædatoris: non quod prædæ præesset, sed quod aliquid ex præda illi deberetur. Finito bello triumphantes vecti curru ascendebant capitolium, et in sinu Iovis Capitolini coronam suam deponebant ei acceptam victoriam ferentes, et dona aliqua offerebant. Græci etiam re bene gesta aliquid dabant Diis suis. Pausanias refert lib. 1. Theocritum Atheniensem Piræo oppido expugnato clypeum suum Iovi Liberatori dedicasse. Phocas Imper. Tarso et Mopsuestia urbibus Saracenorum captis, earum portas in templo S. Sophiæ, id est sapientiæ æternæ seu Filii Dei, dedicavit Constantinopoli. David noster devicto et truncato Goliatho gigante, gladium suum suspendit in Dei tabernaculo, quod tunc erat in Nobe civitate, 1. Reg. 21. Philisthini postea cæso Saule cum tribus filiis in monte Gelboe, arma eius in æde Astaroth suspenderunt, 1. Reg. 31. 10. id est, in templo Astartes seu Dianæ, hoc est lunæ: alii Astartem putant fuisse Iunonem. Sed ut ut sit, par est ratio, ut a bello periculoso liberati, et spoliis hostium ditati, partem Deo offerant, ut fecit Abraham victis quinque regibus Gen. 9. 8. Iuda docet, quinam ad gratiarum actionem præcipue teneantur: *Quatuor sunt*, ait, *qui agere gratias Deo debent, post discriminis evasionem. Primo, qui mare navigant, et ad portum securi perveniunt. Secundo, qui per loca deserta et invia iter instituunt. Tertio, qui ab infirmitate liberantur. Quarto, qui carcere clausi, a carcere eximuntur:* hæc ipse. Quod illa gratitudo placeat Deo, disce ex S. Chrys. hom. 38. in acta. Gratitudo, inquit, plurimum valet ad nos conciliandum Deo.

Talenti valor.

66. Vota rerum alias non debitarum sunt persolvenda. Nota, vota etiam rerum Deo aliter non debitarum, sunt persolvenda. Num. 30. 3. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum: sed omne quod promisit, implebit.* Celeritas in reddendo voto præcipitur, Eccles. 5. 3. *Peccatum esse secus agere*, docetur, Deut. 23. 21. et exitium denuntiatur fallacibus, qui vota non solvunt. Proverb. 20. 25. *Ruina*, Hebr. laqueus vel muscipula, *est homini devorare sanctos, et post vota retractare.* Aliqui legunt devorare sanctos, id est sanctis crebra vota facere, ut explicat Lyranus. Sed vera lectio est, *devorare sanctos*, id est temere ac præcipitanter illis vota facere sine matura deliberatione et iudicio. Adverte autem, omnia vota quæ habentur Lev. 27. Num. 6. et 30. Deut. 12. et 23. esse de rebus non præceptis, et tamen severe imperari eorum redditionem. Vide dicta Psal. 65. 13. in illud: *Reddam vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Vota religiosa esse servanda probat S. Petrus Damiani exemplo militum sacramentum duci factum sub pœna capitis servantium: *Terrenæ militiæ duces*, ait, *eos sibi qui militiam professi sunt ut indicant: nos in divini procinctus arma iuramus: characterem nobis militiæ cælestis imprimimus, et notam nobis inurere transfugii non timemus. Dedisti Deo non aurum, non equum, non denique alienum, quod extra te: sed temetipsum, et nunc subtrahere niteris.*

67. Dona Dei per votum Deo reddimus. Nota, non dicit David, vovere et dare: sed *vovete, et reddite*: quia Primo, omnia spolia Assyriorum occisorum dederat Deus Iudæis, de illis autem primario agit. Secundo, nihil possumus offerre Deo quod ipse non dederit nobis. Agapetus cap. 43. ait Iustiniano Imp. *Æqualia numero sideribus etsi edideris bona opera, non tamen ob id superabis Dei bonitatem: quæcumque enim quispiam obtulerit Deo, sua ipsi offeret, et sicut transilire vel anteire nulli datur suam in sole umbram, prævenientem semper vel maxime properantem: ita* ἀνυπέρβλητον Θεοῦ χρηστότητα,

insuperabilem Dei bonitatem nullis bonis operibus homines excedent. Iustinianus id præceptum retinuit, qui perfecto S. Sophiæ templo, altari inscribi curavit: Tua de tuis tibi offerimus servi tui, Christe, Iustinianus et Theodora, ea tu propitius accipe Fili Dei Verbum, qui nostri causa carnem assumpsisti et cruci affixus fuisti, ac nos in tua recta fide conserva, et quam nobis commisisti Remp. etc. S. Germanus Archiepisc. Constantinop. in mystagogia, illud explicans, Tua de tuis tibi offerentes, ait: Nimirum, quod ex imagine Dei habemus iustitiam, sanctitatem, potestatem. Iustitiam, ut neque patiamur, neque faciamus iniuriam: sanctitatem, ut iniuriam inferentes perpetiamur, et iniuriis cedamus, vel potius iis benefaciamus. Omnibus autem in rebus is hymnus celebrandus est, ut Deus et Dominus huius universitatis laudetur: ita ipse.

68. *Omnes sumus in Dei circuitu.* Nota tertio, omnes sumus in circuitu Dei, ipse est centrum nostrum, ei uni nostra munera offerre debemus. Mahometes dicebat, Deum esse sphæricum et rotundum, et iubebat alumnos suos orantes converti ad Meridiem, ut ait Euthym. in Maomethicis: prisci Christiani inter orandum convertebant se ad Orientem, Iudæi vero obvertebant vultum ad templum Ierosolymitanum, ut patet in Daniele captivo apud Babylonios. Non est necesse a nobis recedere, circa ipsum sumus, et ipse nos circumdat et penetrat. Ut enim ait Paulus Athenis in Areopago dicit c. 17. 27. *Non longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, movemur et sumus.* S. August. serm. 18. de verbis Apostoli: *Vita corporis anima est, vita animæ Deus est.* Unde concludit Cornel. in Acta, magis pendemus a Deo, quam radii a sole, lumen a luce, calor ab igne, vita ab anima, respiratio ab halitu. S. August. lib. 7. Confess. cap. 10. inde probat, quomodo ab anima nostra ad Deum ascendere possimus. S. Bonav. in Ps. 11. *Deus humanatus*, ait, *dicitur esse circulus, et circumferentia humanitas, centrum autem dicitur divinitas. Circumferentiam facit pes circuli mobilis; in centro, est pes immobilis; non humanitas mobilis, sed divinitas est immobilis.* Idem proportione servata de iustis dici potest: Deus in eorum corde sedet, et imperat, velut rex: omnes potentiæ, facultates, sensus et membra sunt in circuitu throni, et clamant Deo uni regnum, honorem, gloriam, et alia deberi, et in sinum eius omnia bona sua proiiciunt ob accepta tot et tanta beneficia. *Ciconiæ gratitudo.* Ælian. lib. 8. cap. 22. ait, ciconiam, cum in tenera ætate ex casu sibi crus fregisset, et ab Heracleide sanata ac dimissa esset, ad solem apricanti illi humili volatu adfuisse, atque in sinum lapidem evomuisse, qui in tenebris lucere visus est. Nonnulli contra, se tantum et suas laudes quærunt. *Attagen avis se laudat.* Attagen avis Asiatica inter nobilissimas habita, proprium nomen, quo potest voce proloquitur et decantat, ut ait Ælian. lib. 4. c. 42. Multi canunt sibi, sed non musis. Nos voceamus, et reddamus, sed Domino, eique afferamus munera geminea, ciconiam imitantes.

69. *Deus terrore multos continet.* Nota quarto, Deus terrore multos in officio continet, ideo David eum vocat terribilem. Ps. 46. 2. *Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.* Eccl. 43. 31. *Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius.* Hebr. 10. 27. *Terribilis est quædam expectatio iudicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Iobi 25. 2. ait Baldad Suhites: *Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis,* id est primo, in angelis; secundo, in cælis; tertio in regibus et principibus, qui aliis dominantur, quos pro voluntate sua continet atque moderatur. Deus dicitur a δέος, id est timor, terror, ut quidam volunt. Chaldæi sæpe Deum vocant pavorem. Multi homines similes sunt croco, qui teste Plinio lib. 21. cap. 6. gaudet calcari et atteri, pereundoque melius provenit; ideo iuxta semitas et fontes lætissimum: hæc Plinius. Itaque, Deus Israelitas suos peccantes statim puniebat, ut conversi ad eum melius fructificarent. Ptolomæus rex Ægypti apud Aristeam interrogation. 38. petit, Quomodo quis possit in promptu habere rectam rationem? Unus ex illis sapientibus respondet: Si

A semper respexerit ad hominum infortunia, et inde hoc disceret, Deum adimere aliis secundam fortunam: alios vero evehere ad dignitatis decus. Memorant ex Lydia in eamdem Ægyptum deportatas Attagenes aves vocales, et in sylvam demissas, primo coturnicis vocem emisisse: postea vero, cum Nili alluvione pestilens aer provinciam inficeret, ac multos mortalium occideret, illas aves non intermisisse maiori oris expressione, quam quemvis puerum loqui, et dicere, τρὶς τοῖς κακοῖς τὰ κακά: *Ter mala malis,* ut tradit Ælian. lib. 25 de animal. cap. 28. Hinc recte *Notabile de ave Attagene.* concludes, terribili Deo cum tremore esse serviendum. Rabbini in libro præceptorum, præcepto 29. inter affirmativa, docent, orandum esse demissis ad terram oculis, compositis pedibus, manibus super cor locatis, in timore et tremore. S. Chrysost. serm. de Euchar. docet, adstandum Deo, sicut regi potenti: *Sic*, ait, *assistite Deo, quasi terrenum regem accessuri: multo magis cælesti regi cum timore adstare oportet.* Carolus Magnus gladii sui capulo leges signabat, atque edicta, ut ait Gorrox in dictis mirabilibus, B ut non obtemperantes pœnam in proximo esse intelligerent. Deus dans leges in Sinai dedit voces et tonitrua, ut populus adverteret, a parente leges dari; a iudice, pœnas expectandas esse rebellibus.

Nota quinto, Deus præsertim principibus et regibus terribilis est: *Aufert spiritum principum, terribilis apud reges terræ.* Pro *apud* Chald. vertit *super*. Sicut enim reges sunt super capita populorum, quibus præsunt: sic Deus est super capita et sceptra regum, et longo excellentius et eminentius. Agapet. in cap. paræn. ad Iustinian. *Quemadmodum*, ait, *Imperator est omnium Dominus, ita cum omnibus Dei servus existit. Tunc igitur demum vocabitur Dominus, cum ipse sibi dominari, nec illicitis voluptatibus famulari patietur: tum adiutricem piam rationem assumens, invictam scilicet imperatricem animi perturbationum rationis expertium indomitas cupiditates*, πανόπλια σωφροσύνης, *armatura castimoniæ debellabit.* Philo lib. de Cherubim: Est, ait, non solum verum, sed etiam ad consolationem utilissimum, credere mundum hunc, et quæcumque continet esse Creatoris: quia herus unus omnium et Dominus est, qui rectissime dicit, Mea est universa terra; ac si diceret: Omnis creatura mea est, vos autem advenæ et inquilini coram me. Collati enim mortales omnes alii ad alios, indigenæ vocantur et patricii, æquo iure utentes et paribus muniis. Quod si ad Deum conferantur, ἐπήλυτων καὶ παροίκων, pro inquilinis erunt et advenis. Nam unusquisque nostrum tamquam in novam civitatem, venit in mundum hunc, cuius ante nativitatem ius non habuerat. Postquam autem venit, inquilinus est, donec assignatum vitæ tempus exantlaverit. Simulque introducitur, δόγμα πάνσοφον, dogma sapientissimum, quod solus Dominus Deus civis est: omnis autem creatura inquilina et advena. Donum autem gratuitum sufficit sapientibus viris: ita Philo. 70. *Deus terribilis est regibus.*

C

Quam vere sit Deus super reges terræ, et quam terribili modo fulmen iræ suæ in eos deiiciat, sensit Sennacherib, de cuius clade est hic Psalmus. Primo, quia una nocte amisit *Sennacherib severe punitus.*
D de exercitu suo 185. millia principum, ducum et militum. Secundo, quia turpiter fugere coactus est cum decem aut duodecim superstitibus. Tertio, quia redux Ninivem venit, ubi per dies tantum quadraginta quinque supervixit, occisus in templo Dei sui Nesroth a propriis filiis suis Adramelech et Sarasar. Causam cædis fuisse putat. R. Salomon, quod regni optimates commoti ob mortem parentum, amicorum, cognatorum, eius culpa extinctorum, coniuravissent in eum: quo comperto fugerat in templum Dei sui, et voverat si hoc periculum evaderet, se in eius honorem prædictos filios suos sacrificaturum. Quod illi intelligentes, paternum facinus proprio parricidio anteverterunt. Abulensis putat occisum fuisse illum a duobus filiis senioribus, quia pater eis postpositis Assarh Addonem minorem natu successorem regni esse vellet. Quarto, Babylonii et Medi ab Assyriis defecerunt, visa tanta clade Sennacherib, et debilitatione Assyriorum. Et quidem illo ipso

anno incœpit regnum Babyloniorum sub Merodach Baladan: defectio Medorum erupit in morte Assarb Addonis post decennium. Quinto, Assarh Addon per aliquot annos tributa dedit subdito prius suo Merodacho, cum quo tandem acie decertans victus est, et regno ac vita privatus, cum annos decem imperasset: per eam victoriam Ninive venit in potestatem victoris, ac prope universum Assyriorum imperium. Itaque tunc incœpit imperium Babyloniorum, et imperium Assyriorum desiit, cum durasset annos 401. Familia autem Sennacheribi, aut prorsus extincta est, aut saltem in perpetuum regno exclusa, nihil enim amplius legitur de eius filiis aut nepotibus. Theodoretus in 4. Regum: *Quoniam*, ait, *adversus Deum qui ipsum fecerat, rabie fuerat percitus, ab iis qui ex ipso procreati fuerant, fuit interfectus.* Eodem modo, quia civitatem et templum exscindere voluerat, et servos eius perdere, cum tota sua familia excisus est. Idem timeant reliqui potentes sæculi. Sap. 6. 7. *Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Deus dixit Mosi num. 25. 4. *Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis.* Ibi Glossa habet: Hoc homines si attenderent, prælationes non ambirent. Ad Psalmum nostrum apte dixit Daniel Balthasari trementi ad aspectum manus scribentis in pariete hæc verba: Mane, Tecel, Phares, Dan. 5. 23. *Deum qui habet sta-*A *tum tuum in manu sua, et omnes vias tuas non glorificasti.* Compages renum eius solvebantur, et genua eius ad invicem collidebantur, ut verum appareat Davidis dictum Ps. 81. 5. *Movebuntur omnia fundamenta terræ*, id est reges, qui sunt βασιλεῖς, id est bases populi. S. Bern. dicit Eugenio Papæ Epist. 137. *Altiorem locum sortitus es, sed non tutiorem. Sublimiorem, non securiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste.* S. Petr. Damiani lib. 4. Epist. 15. postquam per reges quinque Madianitarum, intelligi ait quinque corporis sensus, quia omne vitium, quod regnat in corpore, ab istis quinque sensibus pendet, eosque gladio obtruncandos docuit, subdit: *Madian interpretatur de iudicio. Quicumque enim reges spiritu non reguntur, sed sensibus carnis obediunt: non ad misericordiam, sed ad iudicium se pertinere testantur:* ita ipse. Neque illis suæ divitiæ proderunt aut potestas, ut docetur Ezech. 7. 19. Prov. 11. 4. Ps. 48. 7. Amos 7. 1.

Ex his conclude cum rege nostro, Psal. 2. 10. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Servite* B *Domino in timore, et exultate et cum tremore.* Vide ibi dicta. Audi etiam S. Chrysost. tract. de compar. regis et monachi: Βασιλεὺς ὡς ἀληθῶς: *Vere rex est, qui iram, qui invidiam, qui voluptatem cohibens, omnia sub Dei lege agit, mentem liberam servans, neque patiens voluptatum dominationem animo suo imperare:* lege totum tractatum.

PSALMUS SEPTUAGESIMUS SEXTUS.

1. In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph.

2. Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum, et intendit mihi.
3. In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum: et non sum deceptus.
4. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei et delectatus sum, et exercitatus sum: et defecit spiritus meus.
5. Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum, et non sum locutus.
6. Cogitavi dies antiquos: et annos æternos in mente habui.
7. Et meditatus sum nocte cum corde meo: et exercitabar, et scopebam spiritum meum.
8. Numquid in æternum proiiciet Deus: et non apponet ut complacitior sit adhuc?
9. Aut in finem misericordiam suam abscindet: a generatione in generationem?
10. Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?
11. Et dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi.
12. Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.
13. Et meditabor in omnibus operibus tuis: et in adinventionibus tuis exercebor.
14. Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.
15. Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob et Ioseph.
16. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ et timuerunt: et turbatæ sunt abyssi.
17. Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.
18. Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.
19. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est et contremuit terra.
20. In mari via tua: et semitæ tuæ in aquis multis: et vestigia tua non cognoscentur.
21. Deduxisti sicut oves populum tuum: in manu Mosi et Aaron.

PSALMI SEPTUAGESIMI SEXTI ANALYSIS.

David deplorans stragem subditorum suorum in peste ob numeratum populum immissa, proponit Deo:

- Orationem suam, qua
  - Corpus totum ei offert,
    - Voce ad illum clamando. 2.
    - Pedibus, eum exquirendo. 3.
    - Manibus, cum eo luctando. 3.
  - Et animam
    - Ea tota, solatium terrenum respuendo. 4.
    - Memoria, Deum recolendo. 4.
    - Voluntate, in eo lætando. 4.
    - Intellectu, illum contemplando. 4.
- Efficaciam orationis, in qua
  - Extasim passus est. 4.
  - Vigilantior effectus. 5.
  - Timidior. 5.
  - Humilior. 5.
- Materiam illius
  - Mentalis,
    - Dies antiquos cogitando. 6.
    - Annos æternos. 6.
    - Propria peccata. 6.
  - Vocalis,
    - Misericordiam Dei implorando. 8. 9.
    - Et iustitiam timendo. 10.
- Et motiva
  - A seipso petita,
    - Promittente renovationem fervoris. 11.
    - Et mutationem vitæ. 11.
  - A Deo, cuius
    - Potestatem recolit. 12.
    - Sapientiam meditatur. 13.
    - Sanctitatem profitetur. 14.
    - Maiestatem adorat. 14.
  - A subditis suis
    - Filiis Iacob et Ioseph. 15.
    - Eductis ex Ægypto, 5.
      - Mari admiranti. 16.
      - Nimbis in hostes cadentibus. 17.
      - Nubibus sonantibus. 17.
      - Fulminibus immissis. 18.
      - Tonitru perstrepente. 18.
      - Fulgetris coruscantibus. 19.
      - Terra fremente. 19.
      - Via mirabili aperta. 20.
      - Mose et Aarone ducibus. 21.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph.

1. Argum. Psalmi. De captivitate Babylonica explicant hunc Psalmum Euthym. Theodoretus, Arias, Aiguanus, et alii. Itaque populum in Babylone captivum putant hic loqui. Secundo, Caietan. et Placidus Parmensis dubitant, num agatur de persecutione Machabæorum et totius populi Israel sub Antiocho Epiphane. Tertio, de Davide ipso afflicto exponit Trevetus, qui vult eum informare tribulatos ad exemplum sui, ut consolentur spem suam ex consideratione antiquorum miraculorum Dei. De variis porro afflictionibus Davidis possis exponere, sive corporalibus, tempore persecutionis Saulis, aut Absalonis et Sebæ; sive mentalibus, ob tentationes dæmonis; sive immissi in populum, ut cum pestis septuaginta hominum millia ei abstulit. Tirinus et Iansenius volunt esse orationem, ut liberetur a malis, præsertim molestiis, anxiis, et nocturnis cogitationibus, quibus plurimis premebatur. Arbitror ego, psalmum hunc esse compositum occasione pestis illatæ a Deo ob numeratum populum a Davide. Nam primo, tunc temporis voce sua intentissime clamavit ad Dominum. Secundo, intendit illi Deus, dicens angelo percutienti: Sufficit: et ignem cælitus demittens in altare excitatum in area Areuna, ac victimas oblatas consumens eo igne. Tertio, renuit consolari, petens se affligi et familiam pro suo peccato, non vero populum, ferens etiam cilicium, ut placaret angelum stricto gladio minas intentantem Ierosolymæ. Quarto, anticipaverunt vigilias oculi eius: nam de nocte agnoscens peccatum David, quod numerasset populum, percussit cor suum, et surrexit mane, etiam antequam Gad Propheta cladis nuntius ad eum venisset: quid fecisse eum putandum est, cum pestis grassabatur? Quinto, audiens et videns tot millia interfectorum dicere commode poterat: *Numquid in æternum proiiciet Deus*, etc. Reliqua in decursu Psalmi attingemus.

(Margin: 1. 2. 3. — Scriptus est cum grassaretur pestis tempore Davidis.)

2. Allegor. Tropol. Anagog. Allegor. Iacobus de Valentia vult in Psalmo tractari, exponique veterum patrum desideria de adventu Christi. Ludolphus inter cætera putat agi de Christi incarnatione. Tropolog. Psalmus est de iustorum qualibet tribulatione.

Anagog. S. August. Remig. Bruno. Ludolph. Dionys. Ugo vim facientes in voce *Idithun*, quæ significat transilientem, ut exponunt, censent agi de contemptu terrenorum, et desiderio transeundi ad æterna bona, et ipsius Christi Deique fruitionem. Verba S. Augustini sunt: *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Idithun interpretatur transiliens eos. Asaph interpretatur congregatio. Loquitur hic ergo congregatio transiliens, ut perveniat ad finem qui est Christus Iesus.* Quæ sint itaque transilienda, ut ad illum finem pervenire possimus, ubi iam quod transiliamus non habemus, in huius Psalmi contextu demonstrari ait: *Tamdiu*, inquit, *transilire debemus quidquid nos impedit, quidquid irretit, quidquid visco quodam illigat, et onere aggravat volatum nostrum, donec perveniamus ad id quod sufficit, ultra quod nihil est, infra quem sunt omnia, et ex quo sunt omnia. Patrem quippe ipsum volebat Philippus intueri, et dicebat Domino Iesu Christo: Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis: tamquam tamdiu transiliendum esset quidquid aliud esset, donec perveniret ad Patrem, ubi iam securus assisteret, et quid ei ultra requirendum esset, non haberet. Hoc est enim, Sufficit.* Ve-

(Margin: Ad Deum est transiliendum.)

rum ille, qui verissime dixerat Ioan. 10. 30. *Ego et Pater unum sumus, admonuit Philippum, docuitque omnem hominem qui Christum intelligeret, etiam in eo habere finem, quia ipse et Pater unum sunt. Tanto enim, inquit, tempore vobiscum sum, et non vidistis me? Philippe, qui me videt, videt et Patrem. Quisquis ergo Psalmi huius animum sentire, imitari, tenere vult, omnia desideria carnalia transiliat, sæculique huius pompam et illecebram calcet, nihilque sibi aliud proponat ubi consistat, nisi ex quo sunt omnia. In quibus omnibus etiam ipse laborat, donec ad finem perveniat:* ita S. Augustinus. Transcendens omnia Deum quærit et invenit, ait breviter Cassiodorus.

Nota, titulus integer retinendus est, licet S. Hieron. et Trevetus dicant, in voris ac veteribus exemplaribus Hebraicis non fuisse aliud, quam *pro Idithun;* ut scilicet, inquiunt, ab eo caneretur: illud non videtur verum, quia titulus integer est in Chaldæo codice, apud Septuag. in Psalter. vetere, in S. August. et aliis antiquis Patribus.

3. Quæres, quid hic per Idithun intelligatur? Resp. Primo, R. Salomon: *Idithun* significat lingua Chaldaica leges, id est, hoc loco sententias, quibus decrevit Deus affligi populum. Lyranus vult intelligi sententias virorum bonorum, ut Danielis, Ezechielis, et similium, qui prædixerunt finem captivitatis Babylonicæ. Fateor דת *dath*, unde Idithun addito iod heemantico deduci potest, significare apud Chaldæos edictum, ius, decretum, sententiam, ut patet Dan. 2. 13. et 6. 8. et 7. 25. Sed hæc explicatio non convenit Psalmo, sicut attendenti clarum est.

Secundo, R. Aben Ezra arbitratur Idithun esse nomen cantici seu modulationis, ad cuius formam hic Psalmus caneretur.

Tertio, Caietanus vult *Idithun* esse nomen instrumenti musici, ad cuius pulsum cantari hic Psalmus deberet a præfecto cantorum Asaph. Bellarminus hanc expositionem et secundam approbare videtur, cum Hebraica verti possint, *Psalmus Asaph super Idithun.* Sed cum Idithun in aliis titulis Psalmorum sumatur pro homine, non videtur hic pro re alia sumi. Clare hoc dicit Chaldæus: *Ad laudandum per manum Idithun ipsi Asaph hymnus.* Idithun fuit unus e tribus cantorum præfectis.

Quarto, alii putant, Psalmum hunc esse scriptum ab Asaph, et datum ipsi Idithun ad canendum. Sed hoc non est probabile, cum ipse Idithun esset unus de principibus cantorum, non minus quam Asaph, ut patet lib. 1. Paral. 16. Deinde nec Asaph, nec Idithun ullum ex Psalmis ab Ecclesia propositis fecit, sed solus David: unde totus liber vocatur Psalterium Davidis.

Quinto, Euthymius ait, Psalmum hunc inscribi, *pro Idithun Psalmus ipsi Asaph;* quia, cum Idithun huic negotio vacare non potuisset, decantatus fuit ab Asaph pro eo, hoc est loco eius. Sed hæc ratio unde petitur? deinde non est sufficiens ratio, ut ideo id in titulo ponatur: potuit enim postea Idithun illum cantare, aut curare cantari, cum esset princeps cantorum, id est, unus e tribus primariis cantoribus a Davide, aut potius a Pontifice tempore Davidis ordinatis, ut præessent viginti quatuor sortibus seu vicibus cantorum, quæ respondebant totidem sortibus seu vicibus sacerdotalibus, quarum singulis singuli præerant de filiis Asaph, Heman et Idithun, qui tres commode habuerunt filios viginti quatuor.

Sexto denique, et optime, Agellius et Iacobus de Valentia censent hunc Psalmum simul cantatum fuisse ab Asaph et Idithun diversis in choris. Hoc enim aliquando faciebat David, ut consonantior et iucundior esset musica, et in ea plures occuparentur, maioresque fierent animorum motus, ipsaque æmulatio studium et ardorem cantorum accenderet. 4. Hic Psalmus cantatus fuit in duobus choris.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

5. DUO COMPLECTITUR. PRIMO, ORATIONEM DAVIDIS ARDENTISSIMAM IN TRIBULATIONE, VERS. 2.
SECUNDO, MOTIVA, QUIBUS DEUM INCITAT AD LIBERATIONEM, VERS. 11.

SECTIO PRIMA.

Quatuor proponit. Primo, orationem suam vocalem, vers. 2. Secundo, orationem suam mentalem, vers. 4. Tertio, materiam orationis mentalis, vers. 6. Quarto denique, verba ipsa orationis vocalis, vers. 8.

PARAPHRASIS.

2. *Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum, et intendit mihi.*

2. Gravissima populi mei calamitate commotus ex intimo mentis affectu dolorem meum voce testatus sum, et tibi Deo meo supplex fui, teque iteratis precibus maxima vocis contentione constanter in opem advocavi; mihique aures benignas et faciles præbuisti.

3. *In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus.*

3. Ubi primum clades incidit, ad tabernaculum tuum omni contempto humano subsidio accurri, te Deum unum imploraturus, ad te totas noctes orando extraxi, expansis præ animi impetu in cælum manibus coram te adstiti, neque me spe concepta destituisti, neque vota frustratus es.

4. *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus.*

4. Cum tantæ me causam stragis agnoscerem ob numeratum populum, tanto eram mœrore consternatus, nullam ut consolationem admitterem a creaturis omnibus. Eapropter erectis in cælum oculis ac mente, tuam mihi paternam bonitatem, et in iuvando potentiam proposui. Qua ex cogitatione mœror abiit, meque ad diuturniorem tui contemplationem accendit, unde in extasim raptus sum.

5. *Anticipaverunt vigilias oculi mei: turbatus sum, et non sum locutus.*

5. Iterum recurrente sceleris mei memoria, a somno excitatus sum, et orationi me dedi priusquam excubiæ militares vigilare inciperent: tantaque se in hac peste seges malorum obtulit, ut præ stupore ne vocem quidem in verba formare possem.

6. *Cogitavi dies antiquos: et annos æternos in mente habui.*

6. Priora sæcula mente versavi, in quibus et te sceleratorum vindicem, et iustorum columen præstitisti: et utriusque aut pœnas aut coronas in æternitate repositas expendi.

7. *Et meditatus sum nocte cum corde meo: et exercitabar, et scopebam spiritum meum.*

7. Cordisque mei penitissimas cogitationes scrutatus sum et peccata, ob quæ tam dira ultio in regnum meum desæviret: et anxius mentem meam in omnem partem versavi, ut tum scelera agnoscerem, tum ea lacrymis eluerem.

8. *Numquid in æternum*

8. Hæc autem verba voce protuli: Fierine potest, ut tu Deus, cuius natura boni-

proiiciet Deus; aut non apponet ut complacitior sit adhuc?

tas, nos in populum tibi selectos in perpetuum abiicias, et nunquam nostris precibus placari te patiaris?

9. *Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?*

9. Fierine potest, ut quam non meritis adiunxisti paterna pietate misericordiam, eam in omnia consecutura sæcula a nobis posterisque nostris auferas?

10. *Aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?*

10. Etiamne miseria nostra et imbecillitas, tuaque in omnes solita pietas mente irata excidet? aut volentem afflictis succurrere misericordiam, a iustitia tua reprimi, et cælo concludi sines?

QUÆSTIO UNICA.

Quanta vis orationis in afflictione.

6. Ordo Sectionis. Cum rex David populum universum ob crimen admissum in numeratione populi gravem pati pestilentiam cerneret, eaque multos interire, ad Deum supplex accurrit toto corpore et mente in eum abreptus.

Ac primo, corpus totum Dei cultui impendit. Primo, vocem, v. 2. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum.* Efficaciam illius clamoris aperit: *Et intendit mihi.* Secundo, pedibus ad eum velut ad parentem accurrit, v. 3. *In die tribulationis meæ Deum exquisivi.* Tertio, manibus cum eo instar alterius Iacobi luctatus est: *Manibus meis contra eum.* Efficaciam ardoris illius declarat: *Et non sum deceptus.*

Secundo, exhaustis corporis viribus mentem totam in unum Deum abiicit. Et quidem primo, tota anima contemnit terrena omnia solatia, v. 4. *Renuit consolari anima mea.* Secundo, memoria Deum comprehendit: *Memor fui Dei.* Tertio, voluntate in eo uno lætatur: *Et delectatus sum.* Quarto, intellectu attributa eius meditatur: *Et exercitatus sum.* Efficaciam illius contemplationis quadruplicem affert: 1. extasim suam: *Et defecit spiritus meus.* 2. Vigilantiam maiorem, cognita Dei maiestate, v. 5. *Anticipaverunt vigilias oculi mei.* 3. Trepidationem: *Turbatus sum.* 4. Humilitatem: *Et non sum locutus.*

Tertio, materiam orationis suæ mentalis exponit. Primo, pro tempore præterito beneficia Dei erga iustos, et supplicia erga impios, v. 6. *Cogitavi dies antiquos.* Secundo, pro tempore futuro, Dei maiestatem in tota æternitate: *Et annos æternos in mente habui.* Tertio, pro tempore præsenti, propria peccata, v. 7. *Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.*

Quarto denique, orationis vocalis ipsa verba refert, quibus miseriam suam deplorat, quasi sit a Deo abiectus cum populo suo, vers. 8. *Numquid in æternum proiiciet Deus? aut non apponet ut complacitior sit adhuc?* Secundo, Dei misericordiam implorat, v. 9. *Aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem?* Tertio denique, iustitiam pertimescit, v. 10. *Aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?*

ARTICULUS I.

Conditiones seu proprietates orationis, ut Deo grata sit.

7. Vers. 2 Hic a Propheta quinque assignantur. Primo, ut sit rationabilis. Secundo, ut sit humilis. Tertio, fervens. Quarto perseverans. Quinto denique, efficax, v. 2. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi. S. Hieron. exaudivit me. Dices, quomodo ait se esse exauditum, cum v. 8. ostendat se necdum auditum esse; nam ait, *Numquid in æternum proiiciet Deus,* etc. Resp. Primo, seipsum in præsenti calamitate animare, quod sæpe antea fuisset exauditus in variis periculis et necessitatibus. Secundo, loqui de exauditione in ea ipsa afflictione, sed per anticipationem ac prolepsim seu anteoccupationem, atque ob spem in Dei bonitate sibi toties propitia. Tertio et optime, hic Psalmus est carmen gratulatorium factum post liberationem a peste, angelo iam gladium recondente in vaginam, et altari excitato in area Areuna, eo in loco, ubi postea Salomon templum extru-

A xit: in hoc tamen Psalmo refert quid dixerit, cum pestem adeo grassantem videret, ut iam septuaginta millia hominum periissent.

Tropol. Primo, oratio debet esse rationabilis: ideo dicit, *Voce mea,* id est, humana, non bellnina, *clamavi.* Ubi adverte, peccatorem voce ferarum loqui. Primo enim superbus, velut leo irrugit, Ps. 21. 14. *Sicut leo rapiens et rugiens.* Proverb. 28. 15. *Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* Secundo, avarus instar milvi crocitat. Isa. 34. 15. *Illuc congregati sunt milvi alter ad alterum.* Tertio, luxuriosi, velut porci grunniunt. 2. Pet. 2. 21. *Sus lota in volutabro luti.* Possis etiam conferre mari spumanti et frendenti. Ierem. 6. 23. *Vox eius quasi mare sonabit.* Quarto, irati, velut serpens sibilant. Ps. 139. 4. *Acuerunt linguas suas, sicut serpentis.* S. Chrysost. 141. 1. Eadem verba considerans: *Voce mea ad Dominum clamavi,* sic loquitur: *Qui clamat adversus inimicos non edit vocem hominis, sed feræ, sed serpentis.* Quinto, invidi, velut draco venenum afflant sua lo- 8. Peccator omnis habet vocem feræ. I. Oratio nostra debet esse rationabilis.

B cutione et halitu. Apocal. 13. 11. ubi agitur de pseudopropheta præcursore Antichristi, dicitur: *Loquebatur sicut draco.* Eum in forma bestiæ depingit, sicut ipsum Antichristum. Sexto, gulosi velut lupus irruunt in prædam ululantes. Ezech. 22. 27. de primoribus Ierusalem habetur: *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam.* Possis eos etiam comparare Pythonibus, seu hominibus ventriloquis. Isai. 29. 4. *Erit quasi vox Pythonis de terra vox tua.* Septimo denique pigri, velut onager in liberis et apertis campis voces lætitiæ edunt. Iob ait cap. 6. 5. *Numquid rugiet onager, cum habuerit herbam?* Digni plerique sunt, quibus id fiat, quod accidit Paulo Chuphoro, qui, ut refert Fulgosius lib. 9. cap. 10. cum Sigismundi Imp. præfectus esset, Euroiam Spaletli ducem, nunquam aliter quam *expresso bovis mugitu* salutabat, eum ut rusticum cachinnans. Hinc effectum est, ut cum Euroia a Sigismundo defecisset, multosque ex eius ducibus et præfectis cepisset, omnesque sine pretio liberos abire permisisset, unum Chuphorum detinuerit, atque nudo sta- Notabilis e iusta pœna Chuphori.

C tim pellem bovis assui iusserit, adieceritque: *Velle se ut voci illi, personæ quoque imago responderet.* Multi terrena tantum amant, optant, loquuntur, et quærunt, digni qui cum Chuphoro coriis bubulis insuantur, aut cum Nabuchodonosore in boves transformentur, et iugum ferre docti ad aratrum compellantur, ut Turcarum captivi. In quadam Italiæ academia symbolum est: *Ad rastra, vel ad astra,* q. d. Aut rerum cælestium contemplationi vacandum est, aut cum equis et bobus ad aratra descendendum. Ἀνθρωπος dicitur ab ανω τρεπειν, id est, quod cælum respiciat, et ad Deum se convertat, non vero ad terram, ut belluæ. S. Chrysost. homil. 23. in Gen. illud cap. 6. 9. *Noe vir iustus,* expendens, ait: *Noe homo, commune nomen pro laude iusti usurpat. Nam cæteri ob carnales voluptates, quibus immersi erant, amiserant esse homines: iste, inquit, in tanto populo hominis imaginem servavit. Tunc enim homo est, quando virtutem colit.* Origenes hom. 1. in Iob illud expendens: *Vir erat terra Hus, nomine Iob,* id adhuc fusius declarat. Beda ait, eum voce sua clamare,

D qui corporis vocem iungit menti: *Ille,* inquit, *voce sua clamat ad Dominum, cuius vox consona cordi est: scilicet si et quod desiderandum est, desiderat, et voce rogat. Sic Paulus ait,* 1. *Cor.* 14. *et* 15. *Orabo spiritu,* id est, habitu et voce, *orabo et mente.* 9. II.

Secundo, oratio debet esse humilis, velut servi aut mancipii ad Dominum. Voce mea *ad Dominum* clamavi. Deus Oratio nostra sit humilis,

est Dominus, Primo, ipsius orantis. Itaque ad eum clamare debet, non ad Baal, ut plerique faciunt, de quibus dicitur 3. Reg. 18. 26. *Invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos.* Baal significat Dominum: quærentes divitias et honores a mane, id est, a prima iuventute, usque ad meridiem, id est, perfectam ætatem, adorant Baal, id est, dominos seditiores aut potentiores; sed sæpe reperiunt esse idola, sibi quidem ipsis aurea et gemmea, sed aliis cæca, surda, et corde carentia. Secundo, Deus est Dominus aliorum omnium, et cæteris eminens: qui ad eum ascendit, infra se omnia relinquit. Beda in Psal. nostr. *Tamdiu,* inquit, *transilire debemus quidquid impedit, quidquid irretit, quidquid ligat, animum onere aggravat, donec ad id perveniatur quod sufficit, et ultra quod nihil sit, infra quod omnia sunt, et ex quo omnia sunt.* Tertio, Deus est Dominus securos et lætos faciens servos, quos suscipit. In ipsa tempestate cantare possunt, sicut luscinia dorso delphini insidens in mari, de qua Philippus lib. 1. Antholog. cap. 40. sic loquitur: πιστοτάτῳ δ' ἐρέτῃ πορθευομένα, fidelissimo remige traiecta, sine remo nautam ego demulcebam oris cithara. Arion quoque in mediis undis citharam pulsabat, delphine vectus. Misit quoque Deus aliquando delphines, qui sanctos viros ad littus veherent, ut alias dixi.

10. III. Tertio, oratio sit fervens. *Voce mea ad Dominum clamavi.* Clamor est index fervoris interni: Sic dicitur Ps. 5. 2. *Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.* Vide ibi dicta, ubi ostendi satis fuse octo proprietates bonæ orationis. Clamor porro duplex est Deo placens. Primo, clamor internus mentis. S. Basilius in Ps. 33. ait, piorum clamorem spiritualem in occulto et penitiore cordis recessu, μεγαλοφωνίαν ἔχειν, vim obtinere exertæ atque altiloquæ vocis. Secundo, est clamor oris, qui utilis præsertim tempore tentationis, ut occupet imaginationem, et eam alio torqueat, atque cordi oppresso det viam ad dolorem effundendum coram Deo suo. Deut. 22. 23. iubet puniri puellam, quæ non clamavit appetita. Verba legis sunt: *Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur; puella, quia non clamavit, cum esset in civitate,* etc.

Oratio sit fervens.

11. IV. Quarto, oratio sit perseverans. Hoc indicat repetitio; additur enim, *Voce mea ad Deum.* In Hebræo, et hic, et supra, est eadem vox אלהים *elohim*, quæ significat Deum, ut gubernatorem et iudicem: unde utroque in loco S. Hier. Pagn. et Felix vertunt, *ad Deum*, q. d. Nullius creaturæ opem imploro, nulla mihi dare potest quod opto, in uno Deo meo præsidium et opem spero. Perseverantiam in oratione commendat S. Paulus 1. Thess. 5. 17. *Sine intermissione orate.* Hoc discendum a lusciniis sine intermissione Deo laudes suo cantu eximio dicentibus. Mirabile est quod de illis testatur Plinius lib. 10. cap. 29. *Lusciniis,* ait, *diebus ac noctibus continuis quindecim garrulus sine intermissu cantus, densante se frondium germine, non in novissimum digna miratu ave. Primum tanta vox tam parvo in corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in una perfecta musicæ scientia modulatus editur sonus: et nunc continuo spiritu ducitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato: interdum et secum ipse murmurat: plenus, gravis, acutus, creber, extentus, ubi visum est, vibrans, summus, medius, imus. Breviterque omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit: ut non sit dubium hanc suavitatem præmonstratam efficaci auspicio, cum in ore Stesichori cecinit infantis:* hæc ipse. Idem nos præstemus, et toti vox simus, ut quidam dixit de luscinia, et ad Dei gloriam in omnes formas vocem commutemus: idque nobis eveniat, quod de iisdem lusciniis inter se cantu certantibus ait Plinius, *spiritu prius deficiente quam cantu.* S. Bern. fratrem suum Gerardum laudat, et miratur, inter moriendum laudes Deo cantantem.

Oratio sit perseverans.

Luscinia in cantu est mirabilis.

12. Quinto denique, oratio sit efficax, nec ante desistat, quam Deus ei benedixerit, eamque exaudiverit: *Et intendit.* S. Augustin. attendit, *mihi.* Nota, aures Dei ipsi faciles fuisse declarat Hebr. textus האזין *haazin*, id est, aurem præbuit, inclinavit aurem suam. Magna est distantia inter nos et Deum, ipse est Altissimus, nos vero abiectissimi: ut nos audiat, necesse est ut ad eum clamemus, et ipso ad nos caput et aures acclinet, sicut Pater ad filios balbutientes. Secundo, oculi quoque Dei benigni sunt orantibus. Arabs, Elevavi ad ipsum supplicationem meam, et respexit in me. Tertio, vocem suam iis non denegat. Syr. Extuli vocem meam, et respondit mihi. Quarto, manus offert. Psalt. Illyricum S. Hieronymi habet, Eripuit me. Ubi obiter adverte nonnullos opinari S. Hieron. Scripturas divinas transtulisse lingua Dalmatica, seu Illyrica, seu Sclavona, et dicunt eum ortum esse ex Illyrico: alii volunt eum ortum habuisse Stridone in Istria, quæ est regio Italiæ; itaque maternam eius linguam qua Scripturas transtulisse dicitur, esse linguam Latinam. Quinto denique, oratio totum Deum movet, et sibi conciliat: unde Interpres noster vertit: *Et intendit mihi.* Vide dicta Ps. 32. 18. et 33. 16. et 144. 18. Deus autem tunc maxime intendit oranti, et ad eum accurrit, cum maxime indiget. Seleucidæ aves nunquam conspiciuntur a Casii montis incolis, nisi cum illarum opus est præsidio adversus locustas, fruges devastantes: nec unde veniant, aut quo vadant, rescitur. Cum Deus videt afflictionem nostram, advolat. Salvianus lib. 2. de gubernatione seu providentia Dei: *Ecce,* ait, *cur aspicere iustos homines Deus dicitur: utique ut conservet, ut protegat; aspectus enim divinitatis propitiæ munus est conservationis humanæ.* Sic respexit angelus ad Mosem clamantem, et ad Israelitas in summo periculo prope mare rubrum existentes, ob Pharaonem insequentem; iis mare aperuit, et exercitum Ægyptiorum sequentem interfecit, Exod. 14. 24.

V. *Oratio sit efficax.*

Psalterium Illyricum a S. Hieronymo versum.

Seleucidæ aves.

ARTICULUS II.

Deus unus in afflictione studiose quærendus est.

Non segnes in oratione vult Deus, sed pedibus manibusque, id est, affectibus et operibus se conquirentes, v. 3. IN DIE TRIBULATIONIS MEÆ DEUM EXQUISIVI, MANIBUS MEIS NOCTE CONTRA EUM, ET NON SUM DECEPTUS. Nota primo, dies tribulationis est tota hæc vita, ut explicat Beda: *In hac vita,* inquit, *quæ est tribulatio: quia nihil est nisi tentatio: et est dies quantum ad vitam bonorum, quæ dies vocatur: respectu vitæ malorum, quæ sola nox est: et tamen quia hæc eadem vita bonorum, quæ dies dicenda est propter bona opera, quæ ipsi faciunt: nox, quantum ad vitam futuram, in qua angelis æquales erimus.* Secundo, et melius, agit hic David de quadam speciali tribulatione, nempe de peste illata ob temere numeratum populum, ut dixi in explicatione tituli. 13. Vers. 3.

Vita hæc est dies tribulationis.

Nota secundo, in die tribulationis studiose Deus exquirendus est: *In die tribulationis Deum exquisivi,* id est, sollicite et attente quæsivi. Græce ἐξεζήτησα, hoc est, quæsivi ἀκριβῶς, hoc est, accurate, ut S. Basilius ac Theodoretus loquuntur. Psalt. Illyricum S. Hier. *Circumquæsivi.* Arabs modum quo quæsivit, declarat, nempe orationem; vertit enim: In die tribulationis deprecatus sum Deum. Ubi adverte, quærendum Deum, non alia. S. August. in Ps. nostrum: *In die tribulationis tuæ vide quid exquiras. Si carcer facit tribulationem, exire de carcere exquiris. Si febris facit tribulationem, sanitatem exquiris. Si fames facit tribulationem, saturitatem exquiris. Si peregrinatio facit tribulationem, civitatem tuæ carnis exquiris. Et quid cuncta commemorem, aut quando cuncta commemorem? Vis esse transiliens? In die tribulationis tuæ Deum exquire, non per Deum aliud, sed ex tribulatione Deum: ut ad hoc Deus removeat tribulationem, ut securus inhæreas Deo.* Et in Ps. 33. illud expendens, v. 5. *Exquisivi Dominum, et exaudivit me,* sic loquitur: Noli aliquid a Domino extra illum quærere, sed ipsum Dominum quære, et exaudiet te, et adhuc te loquente dicent: Ecce adsum. Quid est, 14.

Deus quærendus est in tribulatione.

ecce adsum? ecce præsens sum, quid vis? quid a me quæris? quidquid tibi dedoro, vilius est quam ego, meipsum habe, me fruere, me amplectere, nondum potes totum, ex fide continge me, et inhærebis mihi: hæc Augustinus. In eumdem Ps. 33. pag. 23. S. Basilius comparat virum iustum athletæ cum adversario luctanti: Qui, ait, dixerit, quod virum plane iustum tribulatio non deceat, nihil aliud dicit, quam athletæ non convenire adversarium.

15. *Tribulatio est calcar ad Deum nos urgens.*

Nota tertio, tribulatio iuvat ut Deum quæramus, in nullo enim alio præsidium nobis speramus. Sic Ezechias timens Sennacheribum regem Assyriorum, templum adiit, et minaces eius litteras coram Deo expandit, atque illum precatur, 4. Reg. 19. 4. David in peste populi supplex fit Deo, 2. Reg. B. Thomas Valentinus Archiep. *Tribulationes*, inquit, *calcaria sunt, quæ faciunt nos currere ad Deum, sicut Gregorius ait: Mala quæ hic nos premunt, nos ad Deum ire compellunt.* S. Chrysost. lib. 1. de Providentia, facili similitudine rem ob oculos ponit: *Matrum*, ait, *plurimæ, cum nihil obsecrando obtinere se viderint, larvas quasdam horrorisque figmenta parant, atque pueros demum ad reditum compellunt, persuadentque ad se recurrere. Hoc autem non in solis pueris contingit, sed etiam in nobis. Nam quando malignus ille perterret nos atque perturbat, tunc frugi efficimur, tunc nosipsos agnoscimus, tunc ad Deum omni studio recurrimus.*

16. *Manus elevandæ in oratione.*

Nota quarto, non pedibus tantum Deus quærendus est, sed manus etiam ad ipsum elevandæ: *Manibus meis nocte contra eum*, id est, coram eo, e regione eius, sicut habetur Hebraice; versio Arabica clara est: Extendi manus meas in nocte coram ipso. Ad hanc elevationem manuum ad Deum nos hortatur Ieremias, Thren .3. 41. *Levemus corda nostra cum manibus.* Et David Ps. 133. 2. *Extollite manus vestras in Sancta.* Vide illum locum, ac præsertim Ps. 140. 2. S. Chrysost. orat. de Providentia, ait, manus nobis datas esse, ut eas in oratione extendamus. Valet illa elevatio manuum in pugna contra hostes invisibiles, cuius rei symbolum fuit Moses vincens Amalecitas extollens manus in altum, Exod. 17. 8. Et Iosue elevans manum et clypeum, cum pugnaretur contra cives Hai, qui deleti sunt ad internecionem, Iosue 8. 18. S. Isaac lib. 1. de mundi contemptu: *Oratio*, inquit, *est clypeus liberationis in prælio.* Hinc Tertullianus in Apologetico cap. 30. ait: *Sic nos ad Deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant, paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christum.* David Ps. 17. 35. dicit, manus suas a Deo doceri ad prælium. S. Augustinus epist. 121. 11. ait, manibus Deum exquiri, cum operibus exquiritur. Et in Ps. 62. docet ad Deum manus elevari, cum levantur opera: Levemus, ait, et nos manus nostras ad Deum in preco, et non confundentur manus nostræ levatæ ad Deum, si exerceantur in bonis operibus. Quid enim facit, qui levat manus? Apostolus enim dicit 1. Timoth 2. *Levantes puras manus*, ut cum levas manus tuas ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua. Ipsas manus cogita in bonis operibus exercere, ne erubescant levari ad Deum: ita Augustinus. De oratione nocturna dixi Ps. 1. Psalterium Illyricum habet: *In die tribulationis Deum circumquæsivi manibus*, quo significatur, Primo, difficultas reperiendi. Secundo, ardor quærentis. Tertio, eius cæcitas: palpant enim cæci. Quarto, lætitia reperientis; ut S. Thomæ, cum manus misit in latus Christi, Ioan. 20. 27. Quinto denique, securitas amantis et amati, qui ex omni parte velut scutum bonæ voluntatis et murum habeat Deum. In Hebræo est נגרה *nighera*, id est, extenta est. Septuag. legerant נגדה *negda*, id est, coram eo.

17. *Oratio in tribulatione auditur.*

Nota quinto, oratio tribulati non decipitur: *Et non sum deceptus.* Hebr. *Et non quievit*, supple, manus mea extenta non habuit requiem, donec Deum invenirel; 2. *non quievit*, Deus scilicet, donec mihi succurreret: sicut enim ad ipsum accurri, et manus extendi, ita ipse ad me properavit, et auxiliatricem manum porrexit. Septuag. sensum, non verba reddiderunt. Arabs vertit: Et præteriit timor meus. Psalt. Illyr. *Non sum captus ab aucupe.* Manus enim hominis sunt velut alæ eius, ad Deum elevatæ sunt in loco securo. Nunquam afflictos servos suos descrit Deus. Ps. 33. 20. *Multæ tribulationes iustorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* In densissima nocte dat illis lucem, id est, favorem, gratiam, et opem. Ps. 138. 12. *Nox sicut dies illuminabitur.* Ab ipsa tribulatione robur petitur, Ps. 59. 13. *Da nobis auxilium de tribulatione*, non tantum in tribulatione, velut de thesauro gratiarum. Locum illum expendens S. Basilius, ait: Non in exuperantia pecuniarum collocanda tibi spes est, non in mole robusti corporis, aut in sublimitate gloriæ sita est victoriæ obtinendæ spes: sed per immodicam tribulationem Dominus ipsum exquirentibus gratuitum largitur auxilium. S. Chrysost. illud Ps. 119. 1. *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me*, contemplans, ad rem præsentem facit: Vidisti, ait, lucrum afflictionis, quod eos ad puras preces fundendas adduxerit. Et tu ergo dilecte, quando es in afflictione, ne desperes, nec labores indigentia: sed tunc temporis maximo excitare; sunt enim tunc καθαρώτεραι εὐχαί, *puriores preces*, et maior est Dei in te benevolentia. Ne ergo vitam mollem et delicatam dilexeris, ideo dixit Propheta: *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me;* ut discas paulatim conscendere: levesque, et ut ita dicam, ἐπτερωμένας εὐχάς, *alatas preces* facere: ne angaris, nec affligeris in afflictionibus, sed utilitatem ex eis percipias: hæc ipse.

Huius rei notitiam dat Deus Sanctis suis. Ludovicus 18.
Blosius in Monili spirituali, c. 9. Sancta, inquit, Gertrudis divinitus intellexit, quod, quemadmodum annulus est signum desponsationis, ita adversitas tam corporalis, quam spiritualis humiliter propter Deum tolerata, *est verissimum signum divinæ electionis, et quasi desponsatio animæ cum Deo:* in tantum, ut gravatus quisque confidenter dicere possit hæc verba: Annulo suo subarrhavit me Dominus Deus meus Iesus Christus. Quod si inter ipsa adversa potest dono Dei etiam laudare Deum, et ei ex animo gratias agere, iam *tamquam sponsa amabilis coronam obtinet a Domino*: quia gratitudo animi in adversis est ornatissima atque pretiosissima corona animæ: hæc ibi. Adde S. Bernardum serm. 2. in Ps. 90. qui id meditans: *Dicet Domino, susceptor meus es tu, et refugium meum, Deus meus sperabo in eum*, sic loquitur: *In creatione, in redemptione, cæterisque omnibus beneficiis est Deus omnium; sed in tentationibus suis tamquam proprium eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, et eripere fugientem, ut videri possit relictis omnibus aliis ei soli operam dare.* Paucis omnia complexus est S. Laurentius Iustin. lib. de casto connubio Verbi et animæ, cap. 6. Proculdubio, inquit, tentatio via est, quæ non solum hominem perficit, verum etiam divinæ providentiæ thesauros aperit.

Tribulatio est annulus desponsationis cum Christo.

ARTICULUS III.

Dei memoria in ipsa tribulatione delectationem parit.

Ab oratione vocali ad mentalem gradum facit David, 19.
in qua dicit se a Deo consolationem accepisse, v. 4. RENUIT CONSOLARI (S. Hieron. *Noluit se consolari.* Renutus maiorem denotat contemptum consolationum) ANIMA MEA: MEMOR FUI DEI, ET (hoc est, ideo) DELECTATUS SUM, ET EXERCITATUS SUM, ET DEFECIT SPIRITUS MEUS. Nota, duo requiruntur ad delectationem cælestem et divinam. Primo, reiectio et contemptus delectationum et voluptatum terrenarum. Secundo, memoria Dei. Ex delectatione vero inde exorta sequitur exercitatio et defectus spiritus.

Vers. 4.

Primo ad litteram, David videns pestem per triduum sævientem, et subditorum suorum gravissimam stragem, reiecit a se omnem consolationem amicorum, uxorum, liberorum, aulicorum, ciborum regiorum, vestium insignium, venationis, musicæ, et aliorum. Si enim dum per

David renuit consolationem ut Deum flectat.

dies septem ægrotaret filius ei natus ex Bethsabæa adultera, anno regni sui 20. tantum doluit, quantus dolor fuit ob necem septuaginta millium e suis subditis, et ob periculum cæterorum, suique ipsius ac liberorum atque uxorum, totiusque familiæ. Do luctu ob filii morbum dicitur 2. Reg. 12. 16. *Deprecatus est David Dominum pro parvulo, et ieiunavit David ieiunio, et ingressus seorsum iacuit super terram. Venerunt autem seniores domus eius cogentes eum, ut surgeret de terra, qui noluit, nec comedit cum eis cibum.* Ubi vides primo, eius orationem; secundo, ieiunium austerum; tertio, humi cubationem; quarto, assumptionem lugubrium vestimentorum. Sept. enim in aliquibus libris habent: dormivit in sacco super terram; quinto denique, sordidatus reorum in morem perduravit, lotione et unctione intermissa. Eadem, imo maiora existima a Davido facta in generali clade totius populi, cuius verus rex pater est. Et vero tunc David dicebat, ut habetur 1. Paralip. 21. 17. *Nonne ego sum, qui iussi ut numeraretur populus? ego qui peccavi; ego qui malum feci: iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur obsecro manus tua in me, et in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur.* Theodoret. q. ult. in 2. Reg. notat, eum uti verbis boni pastoris, et imitari filium suum et Dominum, qui animam suam posuit pro ovibus suis.

20. Consolatio terrena spernenda, ut cælestis habeatur. Tropolog. Renue consolari in hac vita, si vis consolationem habere in altera. Matth. 7. 13. ait Christus: *Intrate per angustam portam: quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem.* S. Perpetua vidit scalam auream; sed undique circumseptam cultris et gladiis, per quam scandendum erat in cælum. Non prius Christus dat vinum in nuptiis, quam, quod præparatum erat, defecerit, Ioan. 2. 3. Non prius Deus effundit manna cælestc, quam farina Ægypti absumpta sit, Exod. 16. Non prius Annæ, id est, gratiæ, datur Samuel, quam a vino, et omni quod inebriare potest, abstinuerit, 1. Reg. 1. 15. S. Guillelmus ex duce Aquitaniæ factus eremita, dicebat, teste Theobaldo Episc. in eius vita, cap. 23. Quanti fratres in Ægypto, quam multis annis Domino sine piscibus servierunt? *Quantis tyrannis in inferno positis abunde sufficeret extra infernum saccus Hieronymi, tunica Benedicti, matula Eulalii, lacryma Arsenii, nuditas Apostoli, olla*
20. *Elisæi?* Sed væ nobis miseris, qui fortitudine mentis enervati, et fragilitate corporis prægravati, superfluitatem convertimus in necessitatem. Iam non est quo se immisceat charitas, ubi totum occupavit vanitas. Dicebat insuper, servum Dei omni hora cogitata, dicta, gesta debere circumspicere, ne in ipsis contingeret oculos Creatoris offendere. Servum Dei semper aut orare, aut laborare, aut cælestia cogitare debere: hæc ibi. S. Greg. Naz. orat. 28. utilitatem mortificationis aperit similitudine arboris cuiusdam: *Est,* inquit, *quædam in fabulis arbor, quæ cum cæditur, viret, et adversus ferrum certat, morte vivit, et sectione pullulat, atque cum absumitur, crescit. Talis plane esse vir philosophus videtur. Floret enim inter cruciatus, ac vitæ molestias virtutis segetem existimat, atque in adversis gestit et gloriatur.* Sic nimirum se comparans, ut nec ob dextera iustitiæ arma efferatur, nec ob sinistra inflectatur; sed in diversis rebus idem semper suique similis permaneat: atque adeo probatior, tamquam aurum in fornace reperiatur: hæc Greg. qui postea subdit: Duo superari nequeunt, Deus et angelus, tertium est Philosophus, in materia expers materiæ, in corpore circumscriptus, in terra cælestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus vinci se facile ferens, præterquam animi magnitudine; eo ipso quod vinci se patitur, eos, qui superiores sibi esse videntur, devincens: hæc ipse. S. Basilius tom. 1. ait, eum a tribulatione auxilium suscipere, qui despecto humano auxilio, eius tantum qui nos salvos facere potest, spe firma munitur. S. Petrus Damiani lib. 1. epist. 15. e contra docet, mentem terrenis obtenebratam negotiis frustra se in contemplationis culmen attollere eniti, dum actionum sæcularium merito quasi congestis lapidum ruderibus aggravatur.

Secundo, memoria Dei parit delectationem: ***Memor fui Dei, et,*** **hoc est, ideo,** ***delectatus sum.*** **Hebr. אהמיה** ***ehemaia,*** **id est, Primo, sonabo, sonum et strepitum edam.** Hinc Felix vertit: Memor ero Dei, et vociferabor. Secundo, inquietus ero, ut alii vertunt. Tertio, et loco hoc melius, delectabor, seu præ lætitia resonabo. **21. Memoria Dei delectat ob tres rationes:**

I. Quia Deus est ipsa suavitas. Nota, memoria Dei delectat. Primo, quia Deus est suavissimus, imo suavitas ipsa et omne bonum; intellectus autem per recordationem Deum unit sibi, cum ad se vocat, et in sinu suo recipit, et eo velut omnis boni fonte potatur. Eccli. 24. 27. *Spiritus meus super mel dulcis,* Græce, memoriale meum super mel dulce, *et hæreditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes sæculorum.* Ibi loquitur Sapientia increata et incarnata, id est, Iesus Dei Filius, de quo S. Bern. serm. 15. in Cant. *Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Tristatur aliquis vestrum? Veniat in cor Iesus, et inde saliat in os, et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum.* Lege eumdem in sententiis, ubi sic loquitur: Quid tam cordium vita, quam Deus meus Iesus. Is vere est amans et amabilis, etc. Vide eumdem tract. de dilig. Deo, post initium. Eius typus erat rex Iosias piissimus, de quo Eccl. 49. 1. dicitur: *Memoria Iosiæ in compositionem odoris* (Syr. sicut thuribulum incensi) *facta opus pigmentarii,* id est, aromatarii, unguentarii. Iosias idem est quod abrenuntiavit Dominus: idola scilicet, quæ Iosias fregit et evertit; 2. salus Domini; 3. ignis Dei, vel urens Dominus; 4. munus Dei; 5. est Dominus; 6. requies Domini. Hæc omnia est Iesus mundi Salvator, et per hæc omnia delectat. De populo Israel habetur Oseæ 14. 8. *Memoriale eius sicut vinum Libani.* Arab. Alex. reddit, Et erit sicut incensum. Vinum Libani erat optimum et odoratum, ob afflatum arborum odoriferarum. Cant. 1. 2. ait sponsa Christo sponso suo: *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Hæc ubera et non alia sugenda sunt, si in hoc mundo delectationem habere volumus. 2. Cor. 1. 3. illud Deus totius consolationis, considerans, ait: Ergo quæ aliunde comparatur, etiamsi videatur, non est consolatio, S. Bern. epist. 114. *Verum et solum est gaudium quod non de creatura, sed de creatore concipitur: et quod cum possederis, nemo tollet a te. Cui comparata omnis aliunde iucunditas, mæror est; omnis suavitas, dolor est: omne dulce, amarum; omne decorum, fætidum; omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum.* Guilhelmus illud Cantic. 1. 3. *Exultabimus, et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum, recti diligunt te,* explanans, monet: Ut a desiderio delectationum nobis caveamus, sed Deum unum sitiamus: notat enim dictum non esse: qui diligunt ubera tua, sed qui diligunt te. Eos, inquit, qui diligunt lac tuum, non te, quantumlibet adulentur tibi, repelles eos ab uberibus consolationis tuæ: ita ipse. Quid ergo dicemus de delectationibus terrenis, si de cælestibus id dicitur?

II. Quia illuminat animam præsens. Secundo, memoria Dei delectat: quia illum in memoria, velut in throno suo, videns anima adorat, salutat, cum eo colloquitur, ab eo lumen accipit, velut a vero sole, illi laudes canit. Solinus tradit, elephantos postquam abluti sunt, solem orientem quibusdam nutibus salutare. Sol iustitiæ in te oritur per memoriam, quæ eum tibi repræsentat; te ablue, et eum cum lætitia salutabis, et cum eo festum ages. Ægyptii festum quoddam Sairei, sive *festum lætitiæ* celebrabant in honorem Serapidis, id est solis, ut ipse interpretatur, institutum. S. Gregor. lib. 12. Mor. cap. 14. *Vera lætitia mentis,* inquit, *creator est.* Philo lib. de Cherubim: Nihil, ait, purificatam mentem maiori afficit lætitia, quam quod Dominum habet, quem cognoscit Regem rerum omnium. Thraces ferunt, luscinias, quæ iuxta Orphei sepulcrum nidificant, suavius et mollius canere. Cum Deum tibi præsentem facies, tuæ omnes potentiæ, facultates, sensus et membra suaviorem musicam efficient. Festum lætitiæ. Lusciniæ prope sepulcrum Orphei.

III. Quia hostes fugat. Tertio, memoria Dei delectat, quia Deus in memoria existens inde fugat omnem hostem; solus enim vult illam

occupare, et possidere: et fortior est ipso forti armato. S. Isaac lib. de contemptu mundi: Sicut, inquit, propinqua tibi est superbia, ita sunt et hominibus tentationes propinquæ. Hoc autem disposuit Dei sapientia pro utilitate tua, ut assidue ostium eius pulses: et timore tribulantium in mente tua eius memoria inseratur: ita ipse. Non tantum mala avertit Deus ab anima renuente terrenas consolationes, et sui memore; sed etiam illam cumulat bonis. Abraham noluit ditari a rege Sodomorum, neque vel filum subtegminis, aut corrigiam caligæ accipere, Genes. 14. ideo ait illi Deus: *Ego protector tuus, et merces tua magna nimis*, cap. 15. 1. Quæ accipies a rege Sodomorum, id est, diabolo, mundo, vel carne, sunt filum subtegminis, et corrigia caligæ: quis te sapientem putet, si propter tam vilia, Deum, cælum et omnem suavitatem perdas?

22. Memoria Dei in tribulatione delectat. Nota secundo, memoria Dei delectat in ipsa tribulatione, licet tanta sit ut omnem humanam consolationem respuat: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum*. S. Nilus in parænesi: In omnibus quando a Deo corriperis, ne murmura, παιδεύει ὡς πατὴρ, castigat enim *ut pater:* ideoque ὡς εὐεργέτης, *ut benefactor*, dignus est gratiarum actione. Alcinous apud Athenæum lib. 12. refert, Thuscos ad delicias fuisse pronos, qui ad tibiæ cantum sontes flagris cædunt, pugilatu certant, et farinam subigunt. (Hetruscorum mos.) Deus gaudia sincera admiscet, vel cum dirissimis tormentis luctanti: et ipsi Sancti, velut acanthis, in mediis dolorum spinis cantant. Qui mundi cupiditatibus ardent, canunt quidem aliquando, sed sicut Iroquii et Hurones in mediis ignibus ab hoste ustulati: cantus in ore est, luctus et rabies, atque contra hostes furor in corde.

Ex his conclude, in nostra potestate sitam esse lætitiam, cum Dei continuo recordari possimus. S. Gregor. Naz. orat. 17. pag. 267. Ex eis, ait, ἔχεις ἐν σεαυτῷ συμμαχίαν, auxiliares copias in te habes, quæ et tibi, et mihi, et cuius in promptu sunt. Velle tantum oportet, atque animi impetum afferre. In propinquo est consolatio, in ore tuo, et in corde tuo. *Memor fui Dei*, ait David, *et delectatus sum*. Quid memoria paratius? Memor ergo esto tu quoque, et delectaberis, ὢ εὐπορίστου τῆς ἰατρείας! o *facilem et parabilem medicinam!* o celerem curandi rationem! o ingentem beneficii magnitudinem! Non modo animi imbecillitatem et mœstitiam sedat Dei recordatio, sed etiam delectationem parit: ita Gregorius.

23. Vers. 4. 2. Pars. Tertio, memoria Deum nobis proponente, voluntate ex tanti boni aspectu recreata, intellectus in eo contemplando suavissime et fructuosissimo exercetur, vers. eod. 4. ET EXERCITATUS SUM, in oratione scilicet, meditatione, et contemplatione. Hebr. אשיחה *asicha*, id est; 1. loqui corde, vel ore; 2. meditari; 3. orare; 4. narrare afflictiones et labores suos. Hinc Camp. et Flaminius vertunt, loquebar: et Arias, meditabor: Chald. orabo: aut, ut est in textu Nebiensis, rugiam. Verti hoc loco commode post, narrabo afflictiones et labores meos. Radix est *suach*, loqui, meditari, exerceri mente, orare, narrare suas calamitates. Sic Gen. 24. 63. ubi habetur: *Isaac egressus fuerat ad meditandum in agro*, Chald. R. Salomon, et R. David vertunt; R. Abraham vero, ad deambulandum inter arbusta, exercitii scilicet causa. Sumpsit velut deductum a *siach*, quod significat fruticem, virgultum, arbustum, arbor. Ubi obiter adverte, meditationem et orationem esse arbores, quæ ramos suos extendunt usque ad cælum, quæ ferunt fructus vitæ æternæ, et in quibus habitant aves cæli, id est, angeli, et piæ meditationes, in quibus nidum sibi ponit Spiritus sanctus.

24. Oratio et meditatio sunt mentis exercitia. Nota secundo, exercitia mentis sunt oratio et meditatio. Simon de Cassia lib. 10. cap. 26. *Oratio est in corpore incorporea operatio*. Quapropter S. Ignatius Societatis nostræ Fundator, meditationes illas suas tantorum bonorum causas exercitia spiritualia nominavit. Sicut enim, inquit, ambulatio, cursus, saltatio sunt exercitia corporis: ita conscientiæ discussio, meditatio, contemplatio, oratio mentis et oris, sunt quædam animæ exercitationes. Hinc qui orationi addicti erant, et mentis exercitationi, dicti sunt a Græcis ἀσκηταί, ascetæ, q. d. Exercitatores: et monasterium eorum ἀσκητήριον, id est, exercitationis locus, palæstra, gymnasium. A prima aurora vult nos vacare huic exercitio auctor epistolæ ad Demetriadem, cap. 20. Optimum est, ait, huic operi matutinum deputare tempus, id est, meliorem diei partem, et usque ad horam diei tertiam quotidie *in cælesti agone certantem, hoc velut spiritualis quoque palæstræ exerceri gymnasio:* hæc ipse. Talis fuit exercitatio Iacobi luctantis cum angelo, Genes. 32. 24. S. Hilar. et S. Cyrill. dicunt fuisse Filium Dei, quia ille angelus vocatur Deus. Origenes ait fuisse dæmonem; verius est fuisse angelum ipsius Iacobi tutelarem et adiutorem. Qui orat, cum dæmone luctatur, ut eum expellat, sicut S. Antonius, S. Hilario, et alii sæpe fecerunt; 2. cum angelo qui assistit orantibus, ut S. Cæciliæ; 3. cum Deo ipso, ut Moses, qui ita tenebat Deum orans, ut diceret Exod. 32. 10 *Dimitte me*, Chald. intermitte precationem, *ut irascatur furor meus contra eos*. Non petit dimitti, nisi qui fortiter tenetur. S. Petrus Damiani indicat exercitationes externas pro rebus terrenis esse primo, steriles; secundo, curæ plenas; tertio, superfluas; quarto, infructuosas; quinto, extra nos vagari. Verba eius sunt opusc. 12. cap. 30. *Cedat, cedat sterilis cura negotii. Superfluum indicetur infructuoso indulgere labori. In semetipsa mens totis collecta viribus redeat.*

Nota tertio, pro *exercitatus sum*, Græce est ἠδολέσχησα, quæ vox denotat Primo, longam orationem et meditationem. Nam ἀδολεσχέω derivatur ab ἄδην, id est, abunde, largiter, copiose: et λέσχη, sermocino, confabulatio, garrulitas. Unde ἀδολέσχης est is, qui ad satietatem usque loquitur, loquax, garrulus, ut ait Aristoteles. In Psalmo nostro S. Aug. legit *garrivi*. S. Ambr. Ps. 118. Octon. 4. illa explicans: Exercebor in mirabilibus tuis, sic loquitur: Ἀδολεσχία videtur longa quædam esse meditatio, et morosa quædam mentis intentio, a quo non longe abest exercitium vel animi, vel corporis. Nam, ut ille qui exercet membra sua, palæstra diutius exercet, ut roboret: ita qui exercet mentem suam in Scripturis divinis, vel in conciliis, diutius exercere debet: hæc Ambros. 25. Exercenda est mens longa oratione.

Secundo, ἀδολεσχεῖν notat mentis ardorem iuvenilem et vegetum, qualis est in adolescentibus. Hoc docet idem S. Ambrosius in eumdem Ps. 118. Octonar. 6. *Qui*, ait, *meditatur, et diligit, et actus suos levat, ut faciat quæ placent Deo, is debet non negligere, nec transcurrere mandata divina, sed exercere se in his, immorari plurimum, iustificationes Dei crebro revolvens sollicito mentis affectu.* II. Ferventi.

Tertio denique, ἀδολεσχεῖν est cum lætitia et complacentia loqui ac sermocinari: potest enim deduci ab ἁδέω, placeo, gaudium pario, gratificor: vel ab ἅδος, lætitia, gaudium, non minus quam ab ἄδω, satio, expleo, et ἄδος, satietas, defatigatio: vel ἄδην affatim, abunde. Ab oratione et collocutione cum Deo oritur lætitia. Titulus Psal. 101. hinc est: *Oratio pauperis cum anxius fuerit, et coram Domino effuderit precem suam*. Græce habetur παράκλησιν, hoc est, consolationem. S. Laurent. Iustin. serm. de S. Stephano: *Spiritualibus exercitiis*, ait, *et occupationibus piis assiduus esto. Maximis namque exuberabis deliciis, si devotioni reverentiam et humilitatem adhibeas pietati.* Quod accuratius faciendum est cum affligimur, ut Deum in tubis ductilibus laudemus. Eritis, ait S. Augustinus, tubæ ductiles ad laudem Dei productæ, si cum tribulamini, proficiatis: tribulatio, tunsio; profectus, productio est: ita ipse. Lutum si moveatur, tetram mephitim inhalat: unguentum si agitaveris, suavem fragrantiam percipies maiorem et gratiorem. Exercitiis spiritus quam addicta fuerit Deipara, eleganter exponit Ioannes Taulerus in Nativitate Mariæ: *Cælestis huius*, ait, *ac beatissimæ Virginis Mariæ cella fuit cælum, in quo cum universis desideriis suis tota inclusa fuit. Schola illius fuit æternitas: enimvero a rebus temporalibus prorsus remota et libera erat. Pædagogus eius divina veritas fuit: cuncta namque* III. Læta.

ipsius vita iuxta hunc solum dirigebatur. Libri eius, conscientiæ ipsius fuit puritas, in qua nunquam non inveniebat, unde delectaretur in Domino. Speculum illius, divinitas fuit: nullas namque imagines, nisi in Deum transformatas et Deum indutas in se recepit. Ornatus eius, devotio illius fuit: soli quippe interiori vacabat homini. Quies eius, unitas ipsius cum Deo fuit: quandoquidem cordis illius locus et thesaurus, solus Deus erat. Itaque per exercitationem mentalem, sicut per corporalem, quatuor obtinentur. Primo, noxii humores digeruntur. Secundo, robur acquiritur. Tertio, facilitas in agendo. Quarto, delectatio oritur.

A contemptu delectationum terrenarum oritur memoria Dei, ab illa memoria oritur delectatio, a delectatione exercitatio in oratione et contemplatione longiori, ab exercitatione denique defectus animi. Unde cum dixisset David: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum,* addit, v. eod. 4. ET DEFECIT SPIRITUS MEUS,

26. Vers. 4. 4. Pars. Deficit spiritus tripliciter.

præ anxietate, sollicitudine, timore ob afflictiones: ita Arabs, qui vertit: In sollicitudine mea pusilla facta est anima mea. Felix, anxietate involvetur. Lindanus, pusillo et anxio fui animo. Secundo, *defecit,* ob magnum et vehemens desiderium rei optatæ in mea exercitatione seu oratione. Tertio denique, *defecit* spiritus meus, id est, animo concidi, et deliquium passus sum præ stupore et admiratione divinæ maiestatis. Græc. ὠλιγοψύχησε, id est, parvulam se reputavit: pusillam se vidit ac sensit. Ubi nota, hoc Dei proprium esse, ut accedentes ad se corporeis viribus minuat, internis vero corroboret. Hoc primo patuit in Iacobo, qui luctans cum angelo factus est claudus, Gen. 32. Secundo in Daniele, de quo habetur Dan. 10. 8. *Ego relictus solus vidi visionem grandem hanc: et non remansit in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, nec habui quidquam virium.* Tertio, sponsa, Cant. 5. 6. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Quarto Apostoli audita voce Patris in Christi transfiguratione, ceciderunt in faciem suam, Matth. 17. 6.

27. Defectus animi oritur ex amore Dei.

Nota, defectus ille animi et extasis oritur ex amore Dei. S. Nilus cap. de oratione: *Si vis orare*, inquit, *repudia omnia, ut totum possideas.* Sponsa se ex amore Dei hanc extasim pati dicit, Cant. 2. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* S. Anselmus lib. 11. cap. 8. Gustate, inquit, dilectissimi, quam suavis est Dominus, quod nequaquam scire potestis, quamdiu dulcis est vobis mundus. Scitis dilectissimi mei, quia mundus transilit, et omnis gloria eius. Qui ergo diligit mundum, sectatur vanitatem, et consequetur miseram indigentiam: qui autem contempto mundo eligit Deum, sequitur veritatem, et inveniet beatam sufficientiam: hæc Anselmus.

28. Vers. 5. Versiones variæ.

Modum exercitationis suæ declarat David, unde apparet, non esse mirum, si defecerit spiritus eius, ob diuturnitatem, v. 5. ANTICIPAVERUNT VIGILIAS OCULI MEI, TURBATUS SUM (alii, contritus sum) ET NON SUM LOCUTUS. In Hebr. pro *anticipaverunt vigilias oculi mei,* habetur, tenuisti custodias oculorum meorum. S. Hieronymus autem vertit: Prohibebam suspectum oculorum meorum. S. Augustinus denique legit, Anticipaverunt vigilias inimici mei; sed illud inimici mei non habetur in Hebræo, neque in Græco, neque in latina editione vulgata, proinde facile contemni potest. Vox Hebræa אחזת *achazta*, quæ significat, tenuisti, non fuit in codice S. Hieronymi, nec Sept. interpretum. Manifestum enim est verbum præteriti temporis secundæ personæ a rad. *achaz*, quæ significat tenere, apprehendere, possidere, et similia: quare S. Hieronymus, qui vertit, prohibebam; et Septuaginta qui verterunt, anticipaverunt, sine dubio aliquid aliud legerunt. In re autem tam obscura nihil est tutius, quam antiquissimæ versioni Septuag. interpretum adhærere, quam nobis fideliter Latinus interpres expressit: verum est tamen, Hebraicam lectionem, qualis nunc est, in sententia non discrepare a lectione editionis vulgatæ. Illud enim, Tenuisti custodias oculorum meorum, ita exponi potest, q. d. Tu Deus tenuisti palpebras oculorum meorum, ne clauderentur in somnum: ac per hoc fecisti, ut tota nocte vigilarem, et sic vigilias omnium excubiarum anticiparem: ita Bellarminus. Theodoretus explicat, vigilias ait esse noctis divisiones, secundum quas custodes sibi invicem excubias tradunt. Romani noctem in quatuor vigilias partiebantur, quarum singulæ ternas continerent horas, ut noster Valtrinus docet lib. 4. de re militari Romanorum, cap. 6. et habet Suidas verbo προφυλακή, ita ut quarta vigilia in auroram terminaretur, ut patet apud Livium lib. 36. Iudæi pari ratione noctem vigiliis quatuor constare volebant, ut Matth. 14. 25. clarum est, ubi habetur: *Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare.* Romani autem et Iudæi ternis horis singulis mutabant excubias, hoc est, vigiles et custodes urbis aut exercitus, et hæ vocabantur vigiliæ, vel custodiæ.

Quæres, quid igitur est anticipare vigilias? Resp. est prius evigilare ad orandum et meditandum, quam excitentur a somno vigiles et custodes, qui debent per ternas horas suo tempore vigilare et excubare: seu, est sæpius in nocte excitari a somno, et sollicitius, quam excitentur varii vigiles et excubitores: est noctem insomnem totam, aut pene totam traducere, atque in ea Deum vigilantius orare, quam stationem suam teneant custodes. Ubi adverte, buccina solitos Romanos singulas vigilias distinguere, ne somnus diuturnior et profundior periculum crearet. Hoc tradit Valtrinus noster lib. 4. de re militari: Vigiliarum signa, inquit, ac distinctiones primi ordinis, Triariorum centuriones buccina dabant, uti ex Polybio diximus. Hinc dicit Tacitus lib. 15. Initia vigiliarum per centurionem nunciari. Et Livius lib. 17. Decius tesseram dari iussit, ubi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se venirent. Et lib. 36. Fulvius Tribunis militum ac præfectis sociorum imperavit, ut duobus millibus equitum delectis denunciarent, ut ad tertiam buccinam præsto essent. Quamquam Vegetius tubam dicit adhibitam ad distinctionem vigiliarum. 29. Vigilias anticipare.

30. Vigilandum est, quia Deus nunquam dormit. I.

Tropol. vigilandum est, quantum naturæ imbecillitas patitur. Primo, quia Deus semper vigil est, ut nos audiat, et nobiscum colloquatur sine ullo interturbatore. Unde Ieremias monet Sionem, id est, animam contemplativam: *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum*, hoc est, per singulas quatuor noctis vigilias: *effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* S. Gregor. Naz. et ex illo S. Ioan. Damasc. lib. 2. Parallel. cap. 39. hoc monitum dat: Præstantissimus hic est ordo, inquit, ut qui orationem aliquam aut negotium aggreditur, et a Deo incipiat, et in Deo finem faciat. S. Hieron. epist. ad Eustochium: *Esto*, inquit, *cicada noctium*, lava per singulas noctes lectum tuum, lacrymis tuis stratum tuum riga. Vigila, et fias sicut passer solitarius in solitudine: hæc ipse. Isaias propheta post recitatum canticum Sanctorum in cælo, ait cap. 26. 9. *Anima mea desideravit te in nocte: sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te,* q. d. Laudabo te noctu et interdiu. S. Hier. epist. 36. Si ipsi, ait, locus Domino esse volumus, et tabernaculum eius ac templum cupimus habere, in quantum possumus, exemplo Sanctorum vigilias diligamus. Ælian. lib. 1. de animal. cap. 43. ait: Carnes lusciniæ fovere vigiliam. Oratio et laus Dei fovebit et animabit vigilias, easque dulces faciet: et vicissim vigiliæ orationem.

II. Ut plus meriti habeamus.

Secundo, vigilandum est, ut plus meriti nobis in bonis actionibus comparemus. Arnoldus Carnot. de septem verbis Domini; illud explicans aut exponens, *Consummatum est*, sic loquitur: Necesse est, ut semper sollicitudo et intus, et extra invigilet, ut actionum et meditationum in finem gloria illibata perseveret. Ut enim ait Philo lib. de sacrificio Abelis et Caini: Animæ oculus nullam virtutis actionem potest attrectare, nisi a labore seu luce adiutus: hæc Philo. Somnus est imago mortis, et vera mors actionum ac meritorum. Clemens Alex. ait, eum esse publicanum, qui dimidium vitæ tempus nobiscum dividat. Itaque, fere media vitæ parte multi in lecto, velut in sepulcro, quod vitiis suis fœtidum reddunt, sine ratione et sine meritis iacent.

III. Hostis noster semper vigilat ut noceat.

Tertio, vigilandum est, quia hostis vigilat rete suum expandens, ut illo nos illaqueet. Hinc Christus dixit tribus Apostolis, Petro, Iacobo, et Ioanni, in monte Oliveti, Matth. 26. 41. *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.* Hoc est, ait S. Hier. ne tentatio vos superet, et vincat, et peccato irretitos intra casses suos teneat. Ut enim ait Origenes: Qui spiritualior est, sollicitior debet esse, ne magnum bonum ipsius gravem habeat lapsum: ita ipse. Grues erecto pede lapillum tenent, ne somno pressæ hostium præda fiant. Pes symbolum est affectuum, constantes sint tui affectus, et in Deo fixi Iesum solidam et vivam petram teneant, et hostes non timebis.

IV. Nescis qua hora iudex sit venturus.

Quarto denique, vigilandum est, quia nescis qua hora iudex venturus sit. Marci 13. 35. Christus post recitatam parabolam hominis peregre proficiscentis, et opera dividentis inter servos, ac præcipientis ianitori ut vigilet, subdit: *Vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane) ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.*

Nota, pro *anticipaverunt vigilias oculi mei*, in Græcis emendatis est, ut ait Lorinus, πάντες οἱ ἐχθροί μου, omnes inimici mei. Idem habetur in Psalterio vetere Latino, et nunc in Æthiopico et Arabico. S. Augustinus eodem modo legit, et illos hostes ait esse dæmones. Dixeris non immerito, inimicos Davidis esse oculos: hi in causa fuerant, cur Bethsabæam concupisceret et corrumperet. Hi sibi complacuerant in numerosa plebis multitudine, ideo illam numerari voluit; et inde pestis orta erat, quam hoc in Psalmo deplorat. Ieremias populum loquentem inducens oculos vocat prædones animæ. Thren. 3. 49. *Oculus meus deprædatus est animam meam, in cunctis filiabus urbis meæ.* Rabanus et S. Thomas putant esse vocem populi, aut cuiuslibet Iudæi. Origenes et Rupertus, esse vocem ipsius Ieremiæ. S. Greg. lib. 21. Moral. 2. ad mores hoc trahens: Oculus meus, inquit, deprædatus est animam meam: concupiscendo enim visibilia invisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum perdidit, per oculum corporis pertulit prædam cordis. Unde nobis ad cordis munditiem sensuum disciplina servanda est. Nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt, et nisi interioris gravitatis pondere, et quasi iuvenili quodam vigore refrænentur, ad fluxa quæque et levia mentem enervem trahunt: unde Iob ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis:* ita Gregorius. In Psalmo nostro Syr. vertit: Occupaverunt me vertigines in oculis meis. Cum oculus ad peccatum inducit fixus in aliquo obiecto periculoso, tunc vertiginem in animam inducit, unde sequitur lapsus.

ARTICULUS IV.

Motiva ad fortiter ferendam tribulationem.

Tria hic reperio. Primum petit a patribus afflictis. Secundum, a mercede æterna. Tertium, a suis peccatis,
Vers. 6. quibus Deum offenderat. Sic autem ait v.6. Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui.

Vers. 7. Et vers. 7. Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.

31. Dies antiqui. Primo itaque dicit, se cogitasse *dies antiquos*. Sed quinam illi sunt? Resp. primo Ugo Card. dies antiquos esse eos, qui semper durabunt: sic annos antiquos et æternos
1. confundit. Sed Hebr. habetur, *dies qui fuerunt ab initio.*
2. Secundo, alii annos antiquos volunt esse annos æternos a parte ante; sicut Prov. 8. 23. ait sapientia: *Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis.* Tertio, Ugo dicit etiam *dies*
3. *antiquos* posse intelligi statum Adæ ante peccatum. Quar-
4. to, *dies antiqui* sunt dies huius vitæ qui antiquantur et pereunt. Ita Bellarminus et Turrecremata, qui sic ait: cogitavi dies antiquos, quibus humanum genus peccatis tenebatur obnoxium, quia caduci sunt, et labili varietate fugitivi: et admiratus sum, cur, labentes dies, et quos tenere nemo potest, tantopere desideret et quærat humanitas: hæc ille. Quinto, alii *dies antiquos* esse volunt dies 5.
seu annos præteritos vitæ Davidis, in quibus donis variis cumulatus erat a Deo, licet illum offendisset. Sic Ezechias rex dicebat se cogitasse annos suos in amaritudine animæ suæ: sed de hoc dicetur versu sequenti. Sexto denique, 6.
et optime, *dies antiqui* sunt dies seu anni, qui præterierunt a constitutione mundi, in quibus sancti Patres variis afflictionibus sunt exercitati, et illustres de triumphata natura coronas reportarunt. Et optime.

S. Greg. Naz. orat. 32. pag. 513. id miratur in Iosepho, et in eo Dei providentiam suspicit. Quod, ait, admirabilius et illustrius θεοῦ μεγαλοποιίας τεκμήριον, *divinæ magnificentiæ argumentum,* cum ex rebus perditis ac deploratis iter prosperis aperire voluerit? S. Chrys. tom. 4. lib. 2. de providentia, pag. 199. et lib. 3. pag. 230. fusissime probat, Sanctos omnes fuisse calamitatibus exercitatos: Noemum, Abrahamum, Iacobum, Isaacum, Mosem, Davidem, aliosque; et utilitatem afflictionis ostendit. Ubi adverte, utile esse cogitare, quid Sanctis contigerit. S. Bern. in vita S. Malachiæ Episc. Hiberniæ ait, descriptas Sanctorum vitas illustres operæ pretium semper fuisse scribi, ut sint in speculum et exemplum, et quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram: atque hoc pacto vivant illi quodammodo apud nos, multosque ex iis qui viventes mortui sunt, ad veram provocent et revocent vitam. Hoc accidit S. Ignatio Fundatori Societ. nostræ, qui legendo vitas Sanctorum ad Deum est conversus. Moses dicebat Hebræo populo Deut. 32. 7. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas.*

Secundo, ad patienter ferendas tribulationes iuvat cogitatio æternæ mercedis. Hinc addit David afflictus, vers. eod. 6. Et annos æternos in mente habui, et annos multorum sæculorum superiorum rememorabar, in quibus cum tuis afflictis semper bene egisti: ita Iansenius.

32. Anni æterni cogitandi.

Secundo et melius, Dionys. Carth. *annos æternos in mente habui*, hoc est, statum futuri sæculi, et diem quo vivunt electi cum Deo, reprobique in inferno, corde revolvi, quatenus ex consideratione æternarum lætitiarum in patria, perpetuorumque tormentorum in gehenna contemnerem universa quæ modo delectant, patienterque ferrem quæcumque temporaliter gravant: hæc ipse. Subdit deinde, cordialiter et præcordialissime considerandam esse præsentis vitæ brevitatem, gaudiorum mundi fallaciam, huiusque status infinita pericula. Primo, Salomon hortatur nos ad memoriam inferni, Eccl. 11. 8. *Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* S. Remaclus Episc. Traiectensis moriturus, hoc ultimum suis dedit monitum: Tota sapientis vita quædam debet esse commentatio mortis, ut ait Notgerus ipsius successor, in eius vita. Adde, et eorum quæ sunt post mortem: Descendant in infernum viventes, ut non descendant morientes. Secundo, Paradisi memoria, et præmiorum ibi repositorum, sæpe habenda est: 1. ut desiderentur; 2. ut hoc aspectu tribulatio dulcescat; 3. ut Dei amor crescat. S. Paulus dicebat Philipp. 3. 20. *Nostra conversatio in cælis est.* Monocodiata avis, ut ait Maximilianus, nunquam ullo loco considet, semper in aere subsistens, neque unquam videtur, nisi mortua: ideo vocatur avis paradisi. Kiranides narrat heliodromum avem esse Indicam, quæ mox nata orientem versus solem evolat: cum vero sol se in occidentem converterit, rursus eumdem sequitur, annum autem vitæ non excedere. In tenebris hæc terrena moles est, ad æternam lucem vultus est convertendus. Solis radii, qui hic intermicant, sunt μεγάλου φωτὸς ἀντίτυποι, magni luminis typi et symbola, ut ait S. Greg. Naz. orat. in S. Pascha.

Monocodiata avis. Heliodromus avis ad solem se obvertens.

33. Tribulatio dulcescit ad meditationem æternæ vitæ.

Nota, hæc cogitatio æternæ mercedis, et Dei semper videndi, efficit, ut omnis tribulatio dulcescat. S. Petr. Damiani. lib. 8. cap. 6. *Magna, inquit, electis Dei est consolatio, ipsa divina percussio, quia per momentanea flagella, quæ perferunt, ad nanciscendam supernæ beatitudinis*

gloriam firmæ spei gressibus convalescunt. Richard. a S. Vict. tract. 3. de eruditione interioris hominis, cap. 6. *Si,* ait, *in tribulatione deficis, nimiove labore fatigaris, habes gloriæ unctionem, unde defatigationis tuæ dolorem lenire possis, cum ab illo pretioso unguentario accipis, quod audis: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* De tribu Issachar dicit Iacob patriarcha morti proximus, et filios benedicens, Genes. 49. 14. *Issachar asinus fortis,* Hebr. osseus; Chald. Issachar pulchrum concupivit; *accubans inter terminos,* id est, inter limites et confinia aliarum tribuum, *vidit requiem quod esset bona: et terram, quod optima, et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.* Issachar significat virum mercedis, id est, qui magna mercede dignus est: aut, qui amat, spectat, et sperat mercedem. David ipse incitabatur ad faciendas Dei iustificationes, id est, legem, cuius executio facit iustos, propter retributionem, Psal. 118. 112. S. Nilus in parænesi mouet: Fortiter perfer afflictiones: coronæ enim horum sunt, qui in eis certamen sustinent. S. Lucius martyr dicebat tyranno: Gratias ago, quod me nequissimis dominis absolutum ad cæli terræque regem remittis, ut refert Euseb. lib. 4. hist. cap. 17.

34. *Tribulatio ad cælum elevat.* Nota secundo, tribulatio multum prodest, ut animum ad paradisi gaudia meditanda erigamus, et nos ad Deum cæli convertamus. Psal. 24. 17. ubi in vulgata habemus: *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt.* Hebr. est, *sursum ascendere fecerunt?* Psal. 41. 8. ubi legimus: *Omnia excelsa tua, et fluctus tui, super me transierunt;* pro *excelsa tua,* Hebr. est, illisiones seu inundationes tuæ. Vel, ipsæ aquæ diluvii arcam Noemi, id est, animæ quietæ et pacatæ, non mergunt, sed tollunt in sublime.

35. Tertio denique, ad patienter ferendas tribulationes iuvat cogitatio propriorum peccatorum. Hinc David addit vers. 7. *Meditatus sum nocte cum corde meo,* illud scilicet versans et excutiens, *et exercitabar, et scopebam spiritum meum,* id est, *scrutabar* spiritum meum. Et hoc, ut notat Bellarm. proprie significat vox Hebraica יחפש *iechafes,* quæ hoc loco habetur: tamen S. Hieronymus novo et inusitato vocabulo vertere maluit, *scopebam* spiritum meum. Intelligimus autem ex utraque lectione illud, scopebam, non significare, scopis mundabam, aut purgabam; sed scopis verrebam et agitabam. Ut enim mulier illa de Evangelio domum verrebat, ut drachmam perditam inveniret: sic iste spiritum suum scrutabatur, et quasi scopis verrebat, ut veritatem absconditam inveniret. Idem S. Hieron. in commentario dicit, scopebam, id est fodiebam: et in epist. ad Suniam et Fretellam dicit, scopebam idem esse, quod sarculo sarriebam. Quare perspicuum est, scopebam, non esse mundabam, sed versabam. In Hebræo habetur, scopebat et scrutabatur spiritus meus; tamen S. Hieron. vertit in prima persona, scopebam: et in epistola ad Suniam et Fretellam dicit, Septuaginta vertisse in prima persona, non in tertia ἔσκαλλον, non ἔσκαλλε, sic etiam legit S. Augustinus. Proinde videtur error librariorum esse, tum in Hebraico, tum in Græco codice, quoad mutationem personæ: ita Bellarminus. *Variæ lectiones huius loci.* Varii varias afferunt lectiones a vulgata discrepantes. Primo, Titelman. legit *scopabam,* q. d. Scopis mundabam. Secundo, Beda etiam legit, *scopebam* spiritum meum, q. d. Abradebam a spiritu meo scobem; scobs autem est id, quod ab aliqua materia minutissimum decidit, dum vel per serram secatur, vel per terebram perforatur, vel per limam politur. Tertio, Bruno Herbipolensis Episcop. et Remig. Episcop. Altisiodorensis legunt *scrobebam,* q. d. ait Bruno, Fodiebam quasi agrum, ut ibi mitterem semen doctrinæ Dei: aut, ut loquitur Remigius, rationabilitatem evacuando a terrenis. Quarto, Psalt. Romanum et Cassiodor. habent, *ventilabam,* hoc est, ventilabro in altum eiaculabar, ut ventorum flatu a paleis repurgaretur. *Vera et germana lectio est, scopebam.* Vera lectio est, *scopebam spiritum meum.*

Quæres, quid sit proprie *scopere?* Primo, Bellarminus, ut vidimus, sumit pro scopis verrere. Sed sic dicendum esset, scopabam. Secundo, Ugo vult scopere proprie esse carnem de extalibus animalium separare, et abradere. Sed dicti sui nullam affert rationem. *Scopere quid sit.* Tertio, probabilius Lorinus ait, *scopere* esse idem atque considerare et investigare, et deducit a Græco σκοπεῖν, hoc est, speculari, contemplari, considerare. Sed hic in Græco non est illud verbum σκοπεῖν, sed σκάλλω, quod tria significat: primo, fodio; secundo, sarrio, id est, sarculis fodio et purgo: quod fit, cum segetes leviter scalpendo rastris a noxiis herbis purgamus et mundamus; tertio, findo, disrumpo. Quarto itaque censeo *scopere* esse intima quæque scrutari et rimari.

Nota ex his, quale debeat fieri examen conscientiæ. 36. *Examen conscientiæ:* Primo, cor ipsum et eius cogitationes, atque affectiones considerandæ sunt. Ps. 4. 5. *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini.* I. Ibi fuse egi de examine conscientiæ. Plinius lib. 2. cap. 7. eos ridet, qui digitis deos gestant in annulis et gemmis: *Cor penetrel.* ponendum est nobis signaculum super cor, ut illi dominetur, atque statim ad ipsum pertinere ex ipso sigillo cognoscatur, et intra ipsum cor ponendus est, ut ibi quiescat, illud illuminet, et ab omni hoste liberet. Isidi gratissimus fuit Persæ arboris fructus, quod cordis speciem referret, folium vero esset linguæ forma, ut ait Plutarchus tract. de Iside et Osiride. *Persæ arbor.* David Psalm. 72. 26. vocat Deum, cordis sui Deum. Et in hoc Psalmo dicit: *Meditatus sum nocte cum corde meo,* cor sibi sumpsit velut adiutorem, in cor suum intravit, ut eo lustrato Deum perfectius honoraret. Kiranides tradit, si quis cor lusciniæ ea adhuc palpitante cum melle glutierit, et aliud cor eiusdem avis cum lingua portaverit, suavem fore in loquendo, et sonoræ vocis, foreque ut libenter audiatur. *Cor lusciniæ iuvat eloq.* Si cor tuum tecum tuleris, ac linguæ semper in oratione iunxeris, suavem Deo melodiam efficies. Quod si in examine sordes in eo reperias, inclama: *Cor mundum crea in me Deus.* Crebra meditatio et perscrutatio illud expurgabit, si vel sit Augiæ stabulum.

Secundo, examen conscientiæ commode fit sub noctem, 37. aut in ipsa nocte. Unde dicitur: *Meditabar nocte.* Ieremias II. propheta monet Sionem Thren. 2. 19. *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* *Examen conscientiæ sub noctem faciendum.* Et Ps. 41. 9. dicit David: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum eius.* Vide dicta Ps. 1. 2. S. Hieron. in Psalmo nostro aliter interpungens, quam Noster interpres, vertit: Recordabar Psalmorum meorum, in nocte cum corde meo loquebar. Sed versio Septuag. Interpretum quos Noster secutus est, clarior, et nervosior, ac significantior est; legerant והגיתי *vehaghithi,* ideo verterunt, et meditatus sum: alii legerant נגינתי *neghinathi;* propterea verterunt, Psalmum meum, canticum, modulum, aut quid simile.

III. *Sollicitum sit.* Tertio, examen sit sollicitum, et laboriosum, ac dolorem afferens. Id indicat, *Et exercitabar.* Ezechias dicebat Isai. 38. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

IV. *Solers.* Quarto, sit solers et cum magna consideratione fiat: *Et scopebam* spiritum meum, deducendo a σκοπεῖν, ut supra Ierem. 31. 21. *Statue tibi speculum,* S. Hieron. speculatores, *pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti.*

V. *Exactum.* Quinto, examen sit exactum, minutissima quæque excutiens, ad paleas a granis ventilando separandas, et scobem ex anima eiiciendam; *scopebam,* vel *ventilabam* spiritum meum.

VI. *Profundum.* Sexto, examen sit profundum, et penetrans abditissima quæque; *scopebam* spiritum meum, ne sis contentus superficie; munda fundum calicis, fode parietem, et radices imas, ac fibras arboris malæ eradica.

VII. *Severum.* Septimo denique, examen sit severum; *scopebam* spiritum meum, q. d. Scopis mundabam, vel scopis et virgis puniebam me. Isaiæ 14. 23. ait Deus de Babylone a Persis vastata, direpta, et eversa: *Scopabo eam in scopa terens.* Vatabl. vertit, scopa vastatrice verram eam, q. d. Everram ita illam, ut nihil in ea relinquatur. Alii volunt

ibi alludi ad supplicium virgarum. De disciplinis, ut vocant voluntariis, vide dicta Ps. 37. 18. Deus servos suos flagellat, ut vel levissimas sordes in se recognoscant, oderint, et excutiant. S. Bernardinus serm. 8. sabbati post cineres: *Solent*, inquit, *homines mente alienati ligari, atque in plantis pedum contundi, ut per dolorem corporis redeat sensus mentis. Sic utique qui a sui cognitione alienati sunt, a Deo per flagella ad seipsos recognoscendum misericorditer coarctantur.* S. Laurentius Iustin. tract. de casto connubio Verbi et animæ, cap. 6. ad acquisitionem virtutum, utilitatem tribulationis aperit, non tantum ad expulsionem peccati. Virtus languet, inquit, *nisi exerceatur*, lacessita autem crescit: ignis autem quo plus agitatur, plus serpit: hæc ipse. David ipse se exercebat; dicit enim: *Et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Hic mihi pretiosior esse debet omni alio. Hinc Robertus de Sorbona lib. de conscientia: *Dementissimus est*, ait, *qui posthabito libro conscientiæ studet diligenter in aliis, vel qui in aliis quibuscumque libris studet, quam in libro conscientiæ, in quo erit districte examinatus.*

ARTICULUS V.

Tribulatorum tandem miseretur Deus.

38. Vers. 8. POST expositam orationis suæ mentalis materiam, nunc verba ipsa vocalis orationis explicat David, v. 8. NUMQUID (S. Hieron. ergone) IN ÆTERNUM PROIICIET DEUS: AUT NON APPONET UT COMPLACITIOR SIT ADHUC? S. Hieronymus, et non propitiabitur ultra?

Vers. 9. Et vers. 9. AUT IN FINEM MISERICORDIAM SUAM ABSCINDET, A GENERATIONE IN GENERATIONEM? hoc est, per omnes generationes.

Vers. 10. Ac vers. 10. AUT OBLIVISCETUR MISERERI DEUS? AUT CONTINEBIT IN IRA SUA MISERICORDIAS SUAS? Hæc multiplex interrogatio duo denotat. Primo, sollicitudinem, timorem, et anxietatem Davidis. Secundo, spem magnam dudum conceptam de misericordia Dei, quam tantam existimet, ut servorum suorum et filiorum oblivisci non possit.

Deus est charitas. Nota, τὸ *continebit in ira sua misericordias suas*, duo indicat. Primo, desiderium, et ardorem, ac potestatem misericordiæ, ut erumpat foras, et bona sua largiatur. Prius enim sol impedietur radios fundere, ignis calorem, et fons ac fluvius aquas, quam Deus misericordiam suam. Secundo, ira una in Deo ponitur, misericordiæ plures, ut declaretur eius propensio esse potius ad miserendum, quam ad puniendum. 2. Corinth. 1. 4. dicitur Deus, *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.* S. Gregorius Nazianz. orat. 14. pag. 215. Si quis, inquit, roget, quid sit quod colamus et adoremus, promptum est respondere, *quod sit charitas.* Etenim ut a Spiritu sancto pronunciatum est, 1. Ioan. 4. 8. *Deus noster charitas est:* eoque nomine magis, quam ullo alio delectatur. Et orat. 15. p. 234. Ego, ait, divinæ misericordiæ sponsor. Nam certe missa ira, quæ ipsius naturæ repugnat, ad misericordiam, quæ ipsius naturæ consentanea est, se conferet. Tantum nosmetipsos commiseremur, iusti patris visceribus viam aperientibus lacrymis: In lacrymis seminemus, ut in exultatione metamus. Ninivitas imitemur, non Sodomitas. Tertullian. lib. 2. in Marcion. cap. 11. *Prior*, ait, *bonitas Dei secundum naturam, severitas posterior secundum causam. Illa ingenita hæc accidens: illa propria, hæc accommodata: illa edita, hæc adhibita. Nec natura enim inoperatam debuit continuisse bonitatem, nec causa dissimulatam emisisse severitatem. Alteram sibi, alteram reis Deus præstitit.* Iustitiam tamen Deus nunnunquam exerit. Tertull. ibid. *Iustitia*, inquit, *plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, et patrem, et dominum. Patrem, clementia: Dominum, disciplina. Patrem potestate blanda: Dominum severa. Patrem, diligendum pie: Dominum, timendum necessarie. Diligendum, quia malit misericordiam, quam sacrificium: et timendum, quia nolit peccatum. Diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris, quam mortem: et timendum, quia nolit peccatores sui iam non pœnitentes:* ita ipse. Eminet tamen misericordia, et superexaltat iudicium. Idem auctor lib. de testimonio animæ: Deus ubique, ait, et bonitas Dei ubique. Richard. a S. Victor. eam hinnulis discurrentibus comparat. Illud enim Cant. 2. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum*, contemplans, sic ait: *Merito misericordia eius cursui hinnulorum comparatur. Per mundum currit, mundum irrigat, et infundit. Hinnulorum velocitati comparatur, quia velocius occurrit eius pietas, quam invocetur, et causas miserorum anticipat.* Hæc Richardus. In ipsa ira est Dei misericordia. Habacuc 3. 1. *Cum iratus fueris*, Hebr. et Græce, in ipsa ira, *misericordiæ recordaberis.*

Nota secundo, pro *continebit*, S. Hieron. vertit, *complebit*, id est, finiet, ut non ultra pergat. Sic Dan. 5. 26. dicitur Balthasari: *Numeravit Deus regnum tuum, et complebit illud*, id est finiet. Itaque non est contrarius sensus utriusque versionis. Alleg. per misericordiam intelligitur Christus, quem Pater æternus non continuit in ira sua, sed effudit in terra: aut misericordiæ Dei Patris sunt Filius eius et Spiritus sanctus, quæ sunt duo eius ubera: et velut pia mater uno ubere dilacerato dentibus malignis filii et unguibus, alterum tamen protulit, ex quo adhuc copiosius lac doctrinæ et gratiæ fudit. Eligamus has misericordias magnas iram fugientes. S. Bern. serm. 16. in Cant. *O sapientia*, inquit, *quanta arte medendi in vino et oleo, animæ meæ sanitatem restauras? fortiter suavis, et suaviter fortis: fortis pro me, et suavis mihi! Oleum effusum nomen tuum, non vinum effusum: nolo enim ut intres in iudicium cum servo tuo; sed oleum, quia coronas me in misericordia et miserationibus. Oleum plane quod dum supernatat cunctis, quibus immiscetur liquoribus, liquido illud designat nomen, quod est super omne nomen.* 39. Christus est misericordia patris.

Moral. reges et principes Deum imitentur, plus habeant misericordiarum et mansuetudinis, quam iræ et furoris. Vopiscus in Aureliano, primam dotem regum et imperatorum ait esse benignitatem et mansuetudinem. S. Ambrosius ait, esse apicem regiorum operum. Theodosio enim seniori Imp. scribens post cædem Thessalonicensium eius iussu factam ob interfectum Bothericum Illyrii Præfectum, in qua cæde perierant hominum promiscui sexus atque ætatis septem millia, dicit: *Etsi in præliis felicissime egeris, etsi in aliis quoque laudabilis, tamen apex operum tuorum pietas semper fuit. Id tibi invidit diabolus, quod habebas præstantissimum.* Seneca lib. 1. de clementia cap. 1. Neronem initio regni benignissimum principem sic loquentem inducit: Severitatem abditam, clementiam in procinctu habeo. Et cap. 5. Clementia in quamcumque domum pervenerit, eam felicem tranquilliamque præstabit: sed in regia quo rarior, eo mirabilior. Quid enim est mirabilius, quam eum cuius iræ nihil obstat, cuius graviori sententiæ ipsi qui pereunt assentiuntur: quem nemo interrogaturus est, imo si vehementius exarsuit, nec deprecaturus quidem: ipsum sibi manum inIicere, et potestate sua in melius placidiusque uti? hoc ipsum cogitantem. Occidere contra legem nemo non potest: servare nemo, præter me: *magni animi est proprium, placidum esse tranquillumque, et iniurias atque offensiones superne despicere:* hæc Seneca. Laudabile est inventum Caroli Quinti, quo severum Albani ducis ingenium ad moderationem revocavit. Famianus Strada noster lib. 7. decad. 1. de bello Belgico, pag. 417. rem sic narrat: Ferebatur, quum Carolus Quintus Imp. rebellionem Gandavensium ulturus petiisset ab Albano, qua illos animadversione dignos existimaret? respondisse: Meritam esse contumacem patriam, ut funditus everteretur, offensumque immiti responso Cæsarem, iussisse illum in turrim ascendere, urbemque inde totam æstimare: tum interrogasse, quot pellibus Hispanicis ad conficiendam æque grandem chirotecam (hoc enim sonat gallicum Gandavi nomen) opus esset? neque Albanum, quippe Imper. offensionem ex vultu cognoverat, quidquam addidisse. Quæres, quo- 40. Mansuetudo decet principes. Caroli V. ingeniosa benignitas.

niam cum principis et urbis laude pariter coniuncta erat: seu vera, seu ficta: facile a Gandavensibus credita ab iisque in reliquum Belgium cum Albani odio propagata: ita Strada. Ne ob cædem Thessalonicensium supra allatam severior appareat Theodosius, et ut ipsi mansueti iram sibi in misericordiis sedulo esse continendam sciant, ne instar subiti torrentis eo erumpat, quo progressam postea nollent, afferam quod de eo refert S. Ambr. in eius oratione funebri: *Beneficium*, inquit, *se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cum rogaretur ignoscere: et tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio maior iracundiæ. Prærogativa ignoscendi erat, indignatum fuisse: et optabatur in eo quod in aliis timebatur, ut irasceretur. Hoc erat remedium reorum: quoniam cum haberet super omnes potestatem, quasi parens expostulare malebat, quam quasi iudex punire. Sæpe trementes vidimus quos obiurgabat, et convictos sceleris cum desperassent, solutos crimine. Vincere enim volebat, non plectere æquitatis iudex, non pœnæ arbiter, qui nunquam veniam confitenti negaret:* hæc Ambrosius.

Theodosii Imp. lenitas.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

41. *Tria profert David, quibus Deum ad misericordiam flectat. Primo, ipse vitam novam et meliorem pollicetur, vers. 11. Secundo, Dei potestatem et maiestatem extollit, vers. 12. Tertio denique, populi liberationem ab Ægypto exponit, vers. 15.*

PARAPHRASIS.

11. *Et dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi.*

11. Accurate apud me expensa iustitia tua et misericordia, statui acriori studio virtutem sequi, et renovatis viribus velut de novo stadium ingressus ad cælestia anhelare: hoc in animo meo medias inter aulæ delicias languescente, potens dextera tua præstitit.

12. *Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.*

12. Hæc autem mutatio tanta effecta est, quia memoria revolvi opera tua cum summa bonitate et potentia perfecta, atque decurri omnia quæ admiranda in cælis terraque ab orbis exortu potestas tua effecit.

13. *Et meditabor in omnibus operibus tuis: et in adinventionibus tuis exercebor.*

13. Neque levi tantum oculorum coniectu illa contemplabor, sed singula meditabundus expendam: et miras sapientiæ tuæ in hominibus iuvandis regendisque artes perscrutabor.

14. *Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.*

14. Sanctitas in omnibus operibus tuis elucet, eaque est supremo in omnes dominatu ac maiestate eminens: neque dii gentium tecum sunt ulla ratione conferendi: idola enim sunt imbecilla, tu vero pro nutu et voluntate res miras operaris.

15. *Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum filios Iacob et Ioseph.*

15. Ipsi gentium populi summam in variis rebus potentiam tuam agnoverunt: ac præsertim cum gravi Ægyptiorum servitute pressum populum tuum, ex Iacobi et Iosephi posteris conflatum in manu potenti et brachio extento per medios maris vortices eduxisti.

16. *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ et timuerunt: et turbatæ sunt abyssi.*

16. Præsentiam tuam senserunt aquæ, et velut timore exterritæ refugerunt: et ipsæ abyssi, in quibus maior vis aquarum latebat, miratæ sunt se exsiccari, et liberum transitum dederunt fugientibus.

17. *Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.*

17. Mirabilis fragor undarum et pluviarum extitit, quum Ægyptiis alveum patentem ingressis divisi fluctus inter se conflixerunt, et nimbi deciderunt. Nubes quoque horrendo murmure infremuerunt ruptis cæli cataractis.

18. *Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.*

18. Nam fulmina inde decidua, hac illac per aerem in scelerata deciderunt capita: dirumque tonitru immugiens in orbem ferebatur omnes exterrens, et nullum securum esse permittens.

19. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est, et contremuit terra.*

19. Ægyptus universa, et adiacentes regiones, in dira illa tempestate fulgetras horruere, et terræ motum sensere, animoque sunt exterritæ.

20. *In mari via tua et semitæ tuæ in aquis multis: et vestigia tua non cognoscentur.*

20. Dum vero turbantur omnia ac trepidant, tu cum populo tuo securus mare dividis, et facili tramite viam antea ignotam emetiris: neque est qui divisionis illius vestigia possit advertere, aut te præeuntem sequi.

21. *Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Mosi et Aaron.*

21. Velut pastor gregem suum, ita tu populum tuum in deserto duxisti, atque ab hoste tutatus es, Mose et Aarone ducibus illi præpositis.

QUÆSTIO UNICA.

QUAS RATIONES AFFERT DAVID, UT DEUM FLECTAT AD MISERICORDIAM.

42. Ordo Sectionis. TRES hic reperio. Primam petit a seipso. Secundam a Deo. Tertiam a populo.

Ac primo, cum ob numeratum populum, et vanitatem in ea re suam, clades immitti sentiret, pollicetur vitæ emendationem, vers. 11. *Et dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi.*

Secundo, varia Dei prædicat attributa. Primo, potentiam, v. 12. *Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.* Secundo, sapientiam, v. 13. *Et meditabor in omnibus operibus tuis: et in adinventionibus tuis exercebor.* Tertio, sanctitatem, v. 14. *Deus in sancto via tua.* Quarto, maiestatem: *Quis Deus magnus, sicut Deus noster: tu es Deus qui facis mirabilia.*

Tertio, ostendit quam mirabilis fuerit Deus in adunatione huius populi, et in eductione ex Ægypto, ac deductione in terram promissam. Nam primo, id omnes nationes admiratæ sunt, v. 15. *Notam fecisti in populis virtutem tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob et Ioseph.* Secundo, ipsæ creaturæ inanimatæ Deo suo ad eam liberationem servierunt, et ob eam exultarunt: 1. mare, vers. 16. *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.* 2. Pluviæ, vers. 17. *Multitudo sonitus aquarum.* 3. Nubes: *Vocem dederunt nubes.* 4. Fulmina, vers. 18. *Etenim sagittæ tuæ transeunt.* 5. tonitrua: *Vox tonitrui tui in ro-*

ta. 6. Fulgetra, vers. 19. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ*. 7. Terra: *Commota est, et contremuit terra*. Tertio, Deus ipse populo suo dux præit, et mirabilo ignotumque sæculis omnibus iter aperuit, v. 20. *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur*. Quarto denique, Mosem et Aaronem iiii præfecit, qui sacra et profana negotia administrarent, v. 21. *Deduxisti sicut oves, populum tuum in manu Mosi et Aaron.*

ARTICULUS I.

Renovatio mentis necessaria est etiam perfectis.

43. Vers. 11. Quo sensu dicit David, se incipere? MIRUM est Davidem natum annos 68. dicere se incipere. Verba eius sunt, v. 11. ET DIXI (id est, statui in animo meo) NUNC COEPI (Psalt. Illyricum, nunc incipiam): HÆC MUTATIO DEXTERÆ EXCELSI. Quæres, quid tunc cœpit David? Resp. Primo, Bellarm. et Lorinus, cœpit respirare, atque in spem magnam erigi, ut sibimet diceret: Nunc videor mihi revixisse, totusque innovatus et sperans in Domino mutavisse fortitudinem, atque alacer et sine defectu volare, omni exuta pusillanimitate ac desperatione.

II. Secundo, *nunc cœpi*, intelligere quod semper fuerat occultum: scilicet quod homo perveniat ad æternitatem: ita Ugo.

III. Tertio, *nunc cœpi*, id est, quidquid modo habeo non est nisi principium, sed tandem in futuro erit perfecta consummatio: ita idem Ugo.

IV. Quarto, *nunc cœpi*, pati quæ peccata mea merita sunt: ita Euthymius. Nunc ait, initium mihi est condigni supplicii. Nam quæ hactenus sustinui, præludium quoddam pœnarum tantummodo fuere: ita ille.

V. Quinto, *nunc cœpi*, intelligere quonam modo vincenda tristitia. Nam solius divini erit auxilii hæc incommoda et pericula evadere, et peccatorum conscientiam mordicantem vera evangelica pœnitentia vincere: ita Lindanus.

VI. Sexto, *nunc cœpi*, scrobendo spiritum meum investigare: ita Remigius.

VII. Septimo, *nunc cœpi*, sapere vel intelligere, quod sanctam commutationem dextera Domini, id est Christus, consuevit in nobis operari, ut de conditione sæculi commutati, mereamur eius filii nuncupari: ita Bruno Herpib. Episcopus.

VIII. Et optime. Octavo denique, et optime, *nunc cœpi*, Deo vivere, a peccatis perfecte resipiscere, Deo me totum consecrare, eius misericordiam et iustitiam admirari, timere et venerari, vitam perfectam sequi. Petavius, *nunc cœpi, laborare*. Dionys. Carthus. clarius: *Nunc cœpi*, ait, id est, iam primitus spiritualiter vivere, sapienter intelligere et vere cognoscere orsus sum, intelligendo præsentis sæculi vanitatem, et futuri sæculi felicitatem, vel totam pristinam meam conversationem, profectum, et perfectionem pro nihilo arbitrando: atque cum recenti proposito, cum novo fervore, cum studio vehementi melioris vitæ semitas apprehendendo, spiritualis profectus itinera ingrediendo, imo quotidie quasi de novo incipiendo: hæc Dionysius. *Nunc cœpi*, id est, nunc incipiam, nunc statui incipere vitam novam, et Deo meo placentem.

44. Debemus semper incipere, cum semper simus infirmi. Nota, cum David populum suum numeravit, annum agebat regni sui 38. ætatis 68. Nam annis tantum duobus supervixit. Et tamen tantus vir secundum cor Dei, prophetiæ dono clarus dicit se incipere. Et notatu dignum est, quod pro *nunc cœpi*, in Hebr. nunc est חלותי *challothi*, id est infirmitas mea, ut explicat R. Moses, R. Emmanuel, et R. Aben Ezra; imbecillitas mea, ut S. Hieronymus ægrotatio mea, ut Pagninus. Deducitur a *chala*, id est ægrotare, infirmari. Rectius tamen adhærebis Septuag. interpretibus, qui vertunt, *nunc cœpi*. Nam *challothi*, potest deduci a radice *chalal* quæ ordinarie significat occidere, vulnerare: unde R. David vertit, mors mea: sed potest etiam sumi pro incipere; et vero in Hiphil, id est in coniugatione quinta pene semper sumitur pro incipere: sic *challothi* erit secunda persona præteriti primæ coniugationis, aut si placet ponetur poetice pro *challothi*, in coniugatione quinta, quæ omnibus consentientibus ordinarie significat incipere, ut patet Genes. 6. 1. Deut. 3. 24. Esth. 6. 13. Iudic. 20. 40. Ierem. 25. 29. Itaque, mirum est, cur non potius assentiantur interpretes Septuaginta viris doctissimis et suæ linguæ peritissimis, quam novas et ab iis alienas versiones cudant, cum præsertim hic versio Sept. sit longe clarior et utilior.

Hinc tamen recte inferes, cum infirmitas in nobis sit, et periculum mortis, incipiendam esse novam vitam, ut alacres ac vegeti ad Deum tendomus. S. Paulus 2. Cor. 4. 16. *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpitur: tamen is qui intus est, renovatur de die in diem*. S. Aug. huius infirmitatis et renovationis meminit tom. 7. lib. 2. de peccatorum meritis et remissione cap. 7. *Non advertunt*, ait, *eo usque fieri filios Dei, quo esse incipiunt in novitate spiritus, et renovare interiorem hominem, secundum imaginem eius qui creavit eos. Non enim ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus eius infirmitas absumitur, sed renovatio incipit a remissione omnium peccatorum. Et in quantum quisque spiritualia sapit, qui iam sapit, in tantum renovatur. Cætera vero in spe facta sunt, donec etiam in re fiant usque ad ipsius corporis renovationem in meliorem statum immortalitatis et incorruptionis, qua induemur in resurrectione mortuorum*. S. Basilius quidem in exhortat. ad baptismum cap. 481. vocat baptismum παλιγγενεσίαν ψυχῆς, regenerationem, et renovationem spiritus: remanet tamen aliquid veteris hominis ex peccato originis, et quotidie per innatam concupiscentiam augetur, nisi quotidie incipiamus. S. Gregor. hoc monet lib. 19. Mor. 16. *A fervore mentis*, inquit, *vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipso aliquo modo vivendi usu veterascimus, et assumptæ novitatis speciem fuscamus. A qua tamen vetustate, si studio perfectionis invigilemus, orando, legendo, bene vivendo renovamur: quia vita nostra dum lacrymis lavatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur, ad novitatem suam sine cessatione reparatur*: ita Gregorius. Flores sumus, sed extra paradisum positi cito marcescimus: virtutes novæ subinde in animam sunt inferendæ, si Deo suavem odorem inhalare cupimus. S. Bern. serm. 47. in Cant. *Et in campo quidem, et in horto oritur flos, in thalamo autem minime, redolet et lucet in eo, non tamen erectus et stans ut in horto, vel campo, sed plane iacens tamquam qui illatus sit, non innatus: proinde necesse est sane reparare frequenter, et semper recentiores apponere flores, quod diu odorem suum minime retineant, nec decorem. Hoc in thalamo, in horto autem non ita, sed neque in campo similiter: ex se enim productis floribus assidue subministrant unde diu in ipsis decus ingenitum perseveret.*

Eam ob rem sancti viri tantopere in se, et in aliis, renovationem mentis æstimarunt. Primo David, qui natus, 45. Sancti renovationi mentis studuerunt.
ut dixi, annos 68. dicit, *Nunc cœpi*. Et Ps. 102. 5. *Renovabitur ut aquilæ iuventus mea:* ubi plura dixi de ea re. Ut enim ait auctor Eccl. 18. 6. *Cum consummaverit homo, tunc incipiet*. Logici se eruditos, physici incipiunt dubitare, metaphysici cognoscunt, se nihil aut parum admodum scire. Secundo, S. Paulus Ephesios monet cap. 4. 23. *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis*. S. Hieron. ibi ostendit quomodo Christus sit novus homo, et quomodo eum inducre debeamus imitando eius virtutes. Ipsum consule. Rom. 12. 2. reformationem a nobis petit Apostolus: *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini*, μεταμορφοῦσθε, transformamini, *in novitate sensus vestri*. Hinc tot reformationes contingunt in religiosis Ordinibus. Et quidem ut ab hac urbe Virodunensi non recedam, Desiderius de la Cour religiosus Ord. S. Benedicti, insigni virtute præstans ope patrum huius collegii, reformavit monasterium S. Vitoni eiusdem Ordinis in eadem hac urbe, ex quo monasterio, velut e fonte, reformatio in totam Lotharingiam, Franciam et a-

lias provincias dimanavit. Reformationem illam stabilivit auctoritas Errici a Lotharingia Episcopi, et Abbatis S. Vitoni. Tertio, S. Antonius morti proximus hoc unicum dedit præceptum discipulis suis: *Hoc sit primum in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed,* ὡς ἀρξάμενοι καθ' ἡμέραν, *quasi incipientem augere semper debere, quod cœperit.* Id cum sæpius inculcasset, tum denique extremo in spiritu, velut testamento legavit, his verbis: *Ego quidem filioli, secundum eloquia scripturarum, patrum gradior viam. Iam enim Dominus me invitat, iam cupio videre cælestia. Sed vos, o viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis: hodie vos religiosum studium arripuisse arbitremini, et cœptæ voluntatis fortitudo succrescat.* Quarto, S. Barlaam moriturus dicebat S. Iosaphato prius regi, tunc religioso et discipulo suo: *Ad laborum duritiem, ac temporis diuturnitatem, animo ita comparatus esto, tamquam quotidie discessum e vita expectans, atque eumdem diem tibi vitæ monasticæ, tum initium, tum finem esse existimans. Sic semper ea quæ a tergo sunt, obliviscens, atque ad ea quæ a fronte sunt, ostendens, atque ad ea quæ a fronte sunt teipsum extendens, ad destinatum persequere, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu.* Ita refert S. Ioann. Damascen. in eorum historia, cap. 39. de S. Antonio id asserit S. Athanasius. Quinto, S. Franciscus sub vitæ finem dicebat fratribus suis: *Incipiamus, fratres, servire Domino Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus,* ut ait S. Bonav. in ipsius vita cap. 14. ubi addit: Flagrabat S. Franciscus desiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leprosis sicut a principio ministraret, corpusque iam præ labore collapsum revocaret ad pristinam servitutem. Proponebat Christo duce se facturum ingentia, et fatiscentibus membris, spiritu fortis et fervidus, *novo sperabat certamine* de hoste triumphum: neque enim languor, vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad maiora perurget: ita Bonaventura. Sexto, S. Bern. epist. 253. scribens ad Guarinum Abbatem, sic ait initio: *Revera nunc in te pater experior, quod in sacris litteris legisse me memini. Cum consummatus fuerit homo, tunc incipit. Iam seni requies, iam corona debebatur emerito, et ecce tamquam novus in Christo miles, nova iterum tibi excitas bella, provocas adversarium, et rem fortium præsumis fessus senex, dum ad iterandum certamen antiquum hostem etiam quodammodo invitum compellis:* lege totam epistolam.

46. *Causæ variæ renovationis.* Primo itaque, per renovationem quotidianam mentis semper inchoandum est, quia alioqui veterascimus per innatam concupiscentiam. Secundo, quia sancti id fecerunt. Has duas rationes iam expendimus. Tertio, quia lex gratiæ est lex novitatis. Hoc dilatat S. Augustinus, locum afferam infra. Quarto denique, quia ad cælum tendimus, cui quanto magis propinquamus, eo magis admiranda et nova in eo videmus, ideoque ad novum cursum excitari debemus. Philipp. 3. 13. *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequar bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Lege eo loco Cornelium nostrum. Ælianus lib. 1. de animal. cap. 49. dicit, Meropem avem retro versus caudam volare, contrario aliis avibus modo, sed tamen cursum suum quo intendit, promovet: deteriores sunt homines, qui terrena spectantes a scopo suo recedunt, et cancros imitantur cursu retrogrado euntes. Plin. vere dixit: *Est natura hominum novitatis avida:* sed in aliis rebus, in se autem vetustatem amat, et cum difficultate veterem pellem exuit. Qui tamen ad Deum veloci cursu feruntur, instar cervorum, se identidem renovant. Vide dicta Ps. 41. 1. ubi egi de triplici cervi renovatione.

47. *Renovatio mentis non fit nostris viribus.* Nota secundo, hæc mentis renovatio non fit nostris viribus, sed divinis. Hinc addit David, *Hæc mutatio dexteræ excelsi.* Primo, quia non tantum prima gratia, sed etiam augmentum gratiæ a Deo est. Secundo, quia sæpe difficilius est ex vetustate in novum hominem redire, quam ex infidelitate ad fidem, a peccatis mortalibus ad gratiam, A a vita sæculari ad religiosam transire: sicut difficilius est iam grandem natu in matris ventrem iterato introire, quam primo concipi. S. Paulus vere dixit 2. Cor. 3. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* S. August. expressius de renovatione et reformatione mentis, tom. 3. lib. 14. de Trinit. cap. 16. ait: Audientes Apostolum dicentem, *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate mentis,* ut incipiat illa imago ab illo reformari, a quo formata est. Non enim reformare seipsam potest, sicut potuit deformare: ita ipse. Colores sine pictore deteruntur et pereunt, sine pictore nec renovantur, nec florent. Aquila sine solis radio pennas suas non renovat. Albertus lib. 23. de animal. refert a Sedaia tradi, aquilam cum renovari cupit, sublimi volatu solis se radiis ita exponere, ut eius plumæ calore accendantur, atque ita nudatam in præfrigidum fontem delabi, cuius frigore calor medullarum augeatur, ac per antiperistasim aliquamdiu illa quiescente plumæ succrescere incipiant, et in novam prorsus avem exeat. Ut ut res de aquila se habeat, si B vis renovari, ad solem iustitiæ accede, eius amore incalesce et contritionis te fonte ablue, sic novus homo fies. S. Gregor. lib. 22. Mor. cap. 4. *Animus noster dum igne amoris excoquitur, semper in se servat claritatem pulchritudinis, quotidiana innovatione fervoris. Nescit enim mens per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur: Renovamini spiritu mentis vestræ. Hinc Psalmista, qui ad perfectionis iam culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat: Dixi, nunc cœpi, quia si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necesse est, ut inchoare nos quotidie credamus.*

Nota tertio, hæc renovatio non est opus cuiuslibet manus Dei, sed dexteræ eius. Læva dat temporalia et terrena: dextera dat æterna et cælestia. S. Ambr. serm. 14. in Ps. 118. *Habent,* inquit, *propria sua singulæ manus, bonis quidem utraque dotata est dotibus; sed læva præsentium remuneratrix est, dextera futurorum. Possumus hoc etiam* C *de prophetia Sancti Patriarchæ Israel cognoscere. Nam cum dexteram suam posuisset super Ephraim, sinistram autem super Manassem, et convertere eas Ioseph ætatum consideratione voluisset, Scio, inquit, fili mi, scio: et hic erit in populos, et multiplicabitur: sed frater minor maior erit illo. In quo maior? Quia semen Ephraim est multitudo gentium, quæ in hoc sæculo laborem eligit credens in Dominum Iesum, et consolationem habeat futurorum. Manasses autem semen, est populus oblivionis, qui proprium oblitus auctorem, exaltatus ad tempus in hoc sæculo, daturus est in reliquum pœnas graves, quia Deum suum et Dominum denegavit:* ita Ambrosius. Mutatio præsertim quæ fit a vita sæculari ad religiosam est mutatio dexteræ excelsi. Illis ponitur titulus Ps. 44. *In finem, pro iis qui commutabuntur.* Hebr. *Victori pro liliis.* Hæc mutatio fit per victoriam mundi, carnis, et diaboli ad florem virginitatis et innocentiæ conservandum. *Quoniam,* ait S. Basil. ibi, *non omnibus eloquia Dei scripta sunt, sed habentibus aurem secundum interiorem hominem, inscriptionem huic* D *edidit Psalmo: Pro iis qui immutabuntur, iis videlicet qui suiipsorum sedulo curam gerunt: quique per exercitia religionis maiore semper incremento promovent.* Αὕτη ἐστιν ἡ καλλίστη ἀλλοίωσις: *hæc est perfectissima mutatio, et propria interioris hominis, qui de die in diem renovatur.* S. August. tom. 9. tract. 2. de Cantico novo, dicit ad veram fidem accedentes reliquisse regionem vetustatis, et accedere ad civitatem novitatis. Eius dicta ad Religiosos facile traducere possumus: *Transiit,* inquit, *vetustas mentium, accessit novitas credentium: transiit vita carnalis, successit spiritualis. An parva est hæc novitas, ita demonstrata per hominem Deum: ut moriendo susciperet vetustatem tuam, resurgendo ostenderet novitatem tuam, ascendendo firmaret claritatem tuam. Vetera transierunt. Quæ vetera transierunt? quod eratis filii Adam, filii carnales. Nova accesserunt. Quæ nova? quod efficimini filii Dei, filii spirituales. Vetera transierunt, terra eratis: ecce facta sunt nova:* 48. *Renovatio est opus dexteræ Dei.*

cæli iam pene effecti estis. Cæli enim enarrant gloriam Dei. Non vobis impossibile videatur, quod, cum sitis terrestres, efficiamini cælestes. De terra non facit cælum, qui de nihilo fecit cælum et terram. Vetera transierunt, lapides colebatis: nova accesserunt, Deum verum adoratis. Vetera transierunt, transiit mortalitas: nova accesserunt, promissa est immortalitas. Vetera transierunt, perierat omnis caro per mulierem simul cum viro peccantem: nova accesserunt, reputata est caro sine viro, virgine pariente. Vetera transierunt, transiit regio vetustatis: nova accesserunt, succedit Ierusalem civitas cælestis novitatis. Ad hanc civitatem novam pervenire cupitis, qui nomina vestra conscribenda dedistis: ita Augustinus. Civitas cælestis novitatis est paradisus, et domus religiosa, et Ecclesia.

Paradisus est civitas cælestis novitatis.

49\. Nota quarto denique, pro, *hæc mutatio dexteræ Excelsi*, Hebraica verti possunt: *Et dixi, infirmitas mea: anni dexteræ Excelsi.* Ubi adverte, cum sanitatem habemus, annos nostros vivimus ac dies, in quibus libere vagamur et ludimus, atque ad libitum nos gerimus: cum vero ægrotamus, sunt dies et anni Dei, in quibus nihil nostræ voluntati propriæ restat, ut mundanis curis tribuatur: sed totum Deo damus, quo vidente et nos amante patimur. Syrus vertit: *Dixi, infirmitas mea est, et repetita plaga sunt hæc dexteræ Excelsi.* Cum percutimur, paternam percutientis Dei manum cernamus, sicut David noster in Semei maledictis. Felix reddit: *Et dixi, expectatio mea est, mutationes dexteræ Excelsi*, supple, sunt, q. d. Non semper imbres aut fulmina iaculatur Deus: prospera effluere sibi patitur, est enim fons bonitatis. Vox *scenoth* significat primo mutare seu mutationem: secundo, annos, quando est in regimine. Annus enim *sciana* vocatur, q d. Mutatio, ob varias eius tempestates. Itaque nihil est cur a nostro Interprete recedamus. Arabs vertit: *Dixi, nunc cœpi: corroborabitur dextera Excelsi*, q. d. Nulla nos exterreat difficultas, aderit Deus, et licet vitiis decrepito spiritualem iuventutem reddet.

Dies morbi sunt dies Dei.

Rationes deinde addit David, cur dixerit, *nunc cœpi*, et

Vers. 12. in se mutationem dexteræ Excelsi senserit, v. 12. MEMOR FUI (subaudi, *quia*, q. d. Quia memor fui) OPERUM (S. Hieronymus, cogitationum. Symmach. providentiæ) DOMINI: QUIA MEMOR ERO AB INITIO MIRABILIUM TUORUM.

Vers. 13. Et vers. 13. ET MEDITABOR IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS: ET IN ADINVENTIONIBUS TUIS EXERCEBOR.

Prima itaque ratio petitur a Dei potentia sæpius cogitata. Quis enim mente nova et perfecta nolit ei servire, qui cogitat opera eius omnia esse valde bona. Suos alumnos docebat Pythagoras *ἐν δακτυλίῳ Θεοῦ εἰκόνα μὴ περιφέρειν*, *in annulo imaginem Dei non circumferre;* hoc est, non passim de Deo loqui: at vero Deus noster vult semper esse in corde, ore et opere nostro. Si cum semper ante oculos mentis habeamus per memoriam, atque ante oculos corporis in eius operibus ipsum introspiciamus, dies nobis erit continuus cognitionis in dies maioris. S. Augustinus lib. 11. de civit. cap. 7. creationis dies distinguit per varias cognitiones, quæ lucem et diem in anima efficiant:

50\. *Scriptura*, inquit, *cum illos dies dinumeraret ex ordine, nusquam interposuit vocabulum noctis. Non enim alicubi facta est nox, sed facta est vespera, et factum est mane dies unus: ita dies secundus, et cæteri. Cognitio quippe creaturæ in seipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte in qua facta est. Ideo vespera congruentius quam nox dici potest, quæ tamen, ut dixi, cum ad laudandum et amandum refertur creatorem, recurrit in mane. Et hoc cum fit in cognitionem suiipsius, dies unus. Cum in cognitionem firmamenti, quod inter aquas inferiores et superiores, cælum appellatum est, fit dies secundus. Cum in cognitionem terræ ac maris, omniumque gignentium, quæ radicibus continuata sunt terræ, dies tertius. Cum in cognitionem luminarium maioris et minoris, omniumque siderum, dies quartus. Cum in cognitionem omnium ex aquis animalium, natatilium, atque volatilium, dies quintus. Cum in cognitionem omnium animalium terrenorum, atque ipsius hominis, dies sextus:* hæc Augustinus. Hæc sunt mirabilia, quæ fecit Deus ab initio.

Cognitio Dei facit diem et lucem.

Secunda ratio, cur semper incipiendum, et cum fervore 51.
serviendum sit Deo, est eius sapientia, v. 13. ET MEDITABOR IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS: ET IN ADINVENTIONIBUS TUIS EXERCEBOR. Adinventiones Dei sunt ea, quæ studiose, et magna consideratione atque affectione excogitavit sua sapientia ad sustentationem, profectum, solatium, auxilium et recreationem hominis, sive sint naturalia, sive supernaturalia. Primo enim, quam solers adinventio est huius mundi propter hominem fabricatio et ornatus, tanta varietas, pulchritudo, splendor stellarum, florum, herbarum, arborum, animalium, et cæterarum creaturarum? Secundo, adinventio amantis Patris fuit donatio legis in Sinai, post eductionem mirabilem ex Ægypto, deductio tam numerosi populi, pane cælesti sustentati in terram promissionis. Tertio, adinventio prorsus divina fuit incarnatio Verbi in utero puellæ, nativitas in spelunca deserta, vita in officina fabri, mors in cruce, missio Spiritus sancti, institutio Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ. Quis enim hominum hæc cogitare, aut a Deo petere potuisset? Nota, Hebr. עלילות *aliloth*, significat primo, actiones. Hinc, Pagnin. et Felix vertunt: Recordabor operum Domini. Psalterium Illyricum non satis exprimit vim illius vocis; habet enim: In inchoationibus tuis me exerceo. Sed hinc adverte, Dei esse ipsum initium fidei et operum nostrorum. Secundo, *aliloth* significat studia, affectiones. Arias reddit: Recordabor studiorum *Iah*, id est, Dei: est enim velut abbreviatio vocis Iehova. S. Augustinus et Psalterium vetus, In affectionibus tuis garriam. Cor enim dilatatur, et os aperitur mensque tota exultat, cum amorem Dei erga nos cernimus. Tertio, *aliloth* significat cogitationes, molitiones, conatus, inventiones. Cassiod. et Psalterium Romanum, In observationibus tuis exercebor. Symmachus vocat *μηχανήματα*, machinamenta. Quarto denique, *aliloth* sunt actiones cum studio, affectione, cogitatione, industria et sapientia factæ. Septuag. vertunt *ἐπιτηδεύματα*, id est, opera studiose et accurate de industria et consulto facta, et commode, apte, decenter et opportune. Chald. vertit, *De causis miraculorum tuorum loquar.* S. Paulus Ephesiis scribens ait, missum se evangelizare gentibus investigabiles, id est, inscrutabiles divitias Christi; et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti, id est, mysterii absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit: *Ut innotescat Principatibus et potestatibus* (id est illis angelorum ordinibus) *multiformis sapientia Dei*, Ephes. 3. 10. agit de mysterio redemptionis dispensato, hoc est, erogato et distributo gentibus. S. Petrus 1. epist. 4. 10. hortatur fideles Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ minoris et Bithyniæ, ad quos scribit, et consequenter omnes, ut sint boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Vir iustus ea ornatus, est Ioseph accrescens veste polymita et variegata decoratus, Genes. 37. 3. Anima eius, est regina circumdata varietate, Ps. 44. 10. Vide S. Basil. regul. 2. ex fusius disputatis. S. August. lib. 9. Confess. cap. 6. et 1. de doctrina Christ. c. 14. et lib. de vera religione, cap. 16. *Exerceri* porro in adinventionibus sapientiæ Dei, est eas mente, ore et opere meditari, loqui et venerari. S. Hier. vertit, adinventiones tuas loquar. Ad id nos hortatur David noster, 1. Par. 16. *Confitemini Domino, et invocate nomen eius, notas facite in populis adinventiones eius.*

Inventiones Dei pro nobis mirabiles.

Tertia ratio, cur semper incipiendum sit, et cum fer- 52.
vore Deo serviendum, est eius sanctitas. Hinc additur, Vers. 14.
v. 14. DEUS IN SANCTO VIA TUA.

Quarta ratio, est eius maiestas. QUIS DEUS MAGNUS, SICUT DEUS NOSTER? TU ES DEUS QUI FACIS MIRABILIA. Primo itaque, via Dei et agendi ratio est *in sancto*, id est, in sanctitate. Hebr. enim est *kodes*, id est, sanctitas, q. d. Tu Deus agis sancte, quæcumque præstas sancta sunt, et omnis labis expertia. Secundo, via Dei ad nos, et nostra ad Deum, est *in sancto*, id est, in Christo, et per Christum: ita Augustinus. Sed prima explicatio est litteralis.

Tertio, mirabilia sunt opera Dei, tum propter substan-

tiam operis; tum propter accidentia, tum propter modum illa faciendi, vel ex nihilo, vel ex materia non proportionata, vel subito et sine auxilio, ac sine ulla difficultate, licet omnibus contra nitentibus. S. Augustin. Cassiodor. et alia Psalteria Latina addunt *solus*. S. Augustin. id de

Deus facit mirabilia solus. Christo explicans ait: *Tu vere magnus Deus, faciens mirabilia, in corpore, in anima, solus faciens. Tu es Deus qui facis mirabilia magna solus. Fecit et Moses, sed non solus. Fecit et Elias, fecit et Elisæus, fecerunt et Apostoli, sed nullus eorum solus. Illi cum facerent, tu cum eis: tu quando fecisti, illi non tecum. Non enim tecum fuerunt cum fecisti, quando et ipsos tu fecisti. Tu es Deus, qui facis mirabilia solus.* Habebat scilicet potestatem excellentiæ, per quam omnia eius voluntati subdebantur. Data erat ei omnis potestas in cælo et in terra. Obiicit deinde sibi Augustinus: *Numquid forte Pater et non Filius, aut Filius et non Pater? imo Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Tu es Deus, qui facis mirabilia solus. Non enim tres Dii, sed unus Deus facis mirabilia solus:* ita ipse. Vide dicta Ps. 71. 18.

Deus est mare essentiæ. Quarto denique, Deus noster est magnus Dominus. S. Augustin. lib. 11. de civitate Dei, cap. 4. *Visibilium omnium,* inquit, *maximus est mundus, invisibilium omnium maximus est Deus.* Tertullianus in Apologet. adversus gentes cap. 11. Necesse est concedatis esse aliquem sublimiorem Deum et mancipem quemdam divinitatis, qui ex hominibus deos fecerit. S. Gregorius Nazianz. orat. 38. pag. 615. præclare Deum vocat, πελαγος ουσιας απειρον και αοριστον, pelagus quoddam essentiæ immensum et interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem superans, mente sola adumbratus is, et quidem perexigue et perobscure, non ex his quæ in ipsa sunt, sed quæ circa ipsam: alia ex alio collecta specie, ad unum quoddam veritatis simulacrum, priusquam teneatur effugiens, et priusquam intellectu percipiatur, seipsum fuga proripiens: tantum principem nostri partem, eamque a vitiorum labe purgatam collustrans, quantum oculorum aciem fulguris celeritas minime consistentis: ita Gregorius. Hinc collige, euitendum esse, ut spretis rebus parvis et terrenis ad magnas et divinas te extendas, ut sis magnus coram Domino, et ad magnum Dominum pervenias. S. Augustinus lib. 11. de civit. cap. 2. *Magnum est,* inquit, *et admodum rarum, universam creaturam corpoream et incorpoream consideratam compertamque mutabilem, intentione mentis excedere, atque ad incommutabilem Dei substantiam pervenire; et illic discere ex ipso, quod cunctam naturam, quæ non est quod ipse, non fecit nisi ipse.* Secundo collige, Deum tam potentem, sapientem, sanctum et magnum tibi sufficere debere, eum unum quærendum, colendum et amandum esse, reliqua pro nihilo ducenda. S. Augustinus illud Ps. 34. 9. *Anima mea exultabit in Domino,* considerans, ait: *Ipsum pete qui fecit: et in illo et ab illo habebis omnia quæ fecit. Omnia chara sunt, quia omnia pulchra sunt. Sed quid illo pulchrius est? Fortia sunt, sed quid illo fortius? Et nihil magis vult dare, quam se. Si aliquid inveneris melius, pete:* ita August. Si sis sanctus, ad te veniet: quia via eius est in sancto, id est, in iusto, ut explicat Arabs, qui vertit, Deus in iustis habitatio tua.

ARTICULUS II.

Deus servos suos ex afflictione liberat, attritis impiis, sicut olim Israelitas mersis Ægyptiis.

53. Vers. 15 DEI potestas, sapientia, sanctitas et maiestas se præsertim declarant in protectione iustorum; id explicat in typo populi Hebræi educti ex Ægypto, v. 15. NOTAM FECISTI IN POPULIS VIRTUTEM (potentiam) TUAM: REDEMISTI IN BRACHIO TUO (id est, brachio tuo) POPULUM TUUM, FILIOS IACOB ET IOSEPH, id est, Israelitas, qui vocantur filii Iacob et Ioseph, quia ex illis Patriarchis erant oriundi. Dices, ipse Ioseph erat filius Iacob, ergo frustra nominatur: satis enim erat dicere, *filios Iacob;* sub eo enim continetur et Ioseph et filii eius. Resp. id quidem verum esse, melius tamen addi etiam ipsum Ioseph; quia filii eius fecerunt duas tribus, cum Ioseph deberet tantum unam constituere, sicut Ruben, Iudas, et alii: sed Iacob tum propter specialem eius amorem erga Ioseph, tum quia ipsum aluerat et totam familiam in Ægypto, tum ut post eius mortem fratres suos protegeret, duos filios illius, nempe Ephraim et Manasse in filios suos adoptavit; itaque fuit una tribus Ephraim, quæ habuit diu sub se novem alias tribus, et fuit altera tribus Manasse. Sic fuerunt tredecim tribus populi Israel, licet Iacob habuerit tantum duodecim filios: numerantur tamen ordinarie tantum duodecim tribus, quia tribus Levi sparsa erat per alias omnes, nec ullam sibi particularem provinciam habebat. Israelitæ cur vocantur filii Iacob et Ioseph.

Modum, quo Deus populum traduxit per mare rubrum, Vers 16. et seqq. declarat. Primo enim ait, aquas loco suo esse motas, et in ipsa abysso et profunditate turbatas esse. Secundo, pluviam vehementem cum sonitu in Ægyptios cecidisse; ubi enim est *multitudo sonitus aquarum*. S. Hier. ex Hebræo vertit, excusserunt aquas nubila. Tertio, tonantes voces auditas in nubibus. Quarto, fulmina velut sagittas in impios missa. Quinto, iterata esse tonitrua huc illuc in gyrum, et ex omni parte rotata. Sexto, fulgetras longe lateque variis orbis provinciis innotuisse et coruscasse, præsertim Ægypto. Septimo, terrestre iter in medio mari factum esse populo integro, ubi et antea et postea tantum reperta est aqua. Octavo denique, duces itineris fuisse Mosem et Aaronem.

54. Quæres, quid sit vox tonitrui in rota? Primo, Theodoret. Euth. Iansen. Lindan. Bellarm. Lorinus et alii, sensum esse volunt, q. d. Sonus tonitrui in ipsis curruum rotis impetum fecit, subvertens eas, et in profundum demergeus. Vox tonitrui in rota quid? I.

II. Secundo, et melius, Palavius rotam interpretatur cæli fornicem. Sic enim vertit: Terribilis in fornice cælesti perstrepebat sonus. Origenes, vocem tonitrui in rota, explicat, in aeris sphæra. Hebr. גלגל *galgal*, significat Primo, volubilitatem, revolutionem, circuitionem. Secundo, turbinem venti, hoc est, ventum validissimum et vorticosum. Tertio, turbinem, id est, genus instrumenti lusorii, quod a pueris scutica in gyrum agitur. Quarto, rotam, eo quod circumvolvatur. Quinto, sphæram, cælum, quod semper moveatur in circulum. Hinc Felix, Flamin. Camp. et alii vertunt, *Vox tonitrui in sphæra.*

III. Et optime. Tertio denique, et optime, *Vox tonitrui in rota*, est tonitru vehementer resonans, et in orbem ac circulum se rotans et circumagens, ut ex omni parte terrorem inferat sinuoso et volubili suo strepitu ac boatu. Hinc ille ferratos agitans currus imitabatur tonitru, sed a Deo fulmine percussus interiit.

55. Allegor. et tropol. Primo, filii Iacob et Ioseph sunt Iudæi et Gentiles. Iacob enim fuit pater omnium Iudæorum, ideo typus est ipsorum: Ioseph vero est typus Gentilium. Primo, quia significat augmentum, seu augescentem et accrescentem; longe autem erant plures Gentiles, quam Iudæi in terræ exigua lacinia habitantes, quæ vix sexaginta leucas haberet in longitudine, et viginti aut viginti quinque in latitudine. Secundo, Ioseph diu vixit in Ægypto, in eam enim intravit anno 2306. post diluvium 650. ætatis suæ 18. inchoato, ante Christum 1747. ut ait Salianus: tunc enim venditus est a fratribus pro viginti argenteis siclis, id est, pro viginti septem francis cum dimidio. Toto autem reliquo vitæ tempore in Ægypto fuit. Cum itaque vixerit annos centum et decem, per nonaginta et duos annos ibi permansit. Tertio denique, Ioseph est typus Gentilium, quia eius filii a cultu veri Dei ad idola deflexerunt. Nam Ieroboam, qui erat de tribu Ephraim filii Ioseph, regnum sibi vindicavit decem tribuum, et ne populus in templum Ierosolymitanum pergens ad Deum colendum, ab se deficeret, idola posuit in Dan et Bethel, nempe vitulos aureos: atque ab illo tempore omnes prorsus reges Israel fuerunt idololatræ: fuerunt autem illi reges de tribu Ephraim. Ioseph fuit typus gentilium ob tria.

*

56. *Aquæ et peccatoris octo analogiæ.* Secundo, aquæ videntes Deum et timentes, id est, revertentes et colentes eum, sunt populi vel peccatores ad ipsum conversi. Chald. vertit: *Homines viderunt maiestatem Dei de medio maris, et virtutem illius super mare, et contremuerunt.* Ugo Card. octo analogias aquæ et peccatoris affert. Prima est, inquit, quia aqua de facili impressionem recipit, sed statim deletur: sic multi licet de facili audiant verba doctrinæ, statim obliviscuntur. Iac. 2. 23. Consideravit se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Secunda est, quia omni impellenti cedit: sic peccator omni tentationi. Iacobi 1. *Similis fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.* Tertia est, quia nisi moveatur, corrumpitur: sic peccator in quiete et otio. Ier. 48. 11. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, requievit in fæcibus suis, non est transfusus de vase in vas.* Ioel. 1. 17. *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Poeta dicit: *Et vitium capiunt ni moveantur aquæ.* Quarta, quia sicut aqua saporem trahit a terra, per quam fluit: sic peccatores a convictu trahunt malos mores. Eccl. 13. 1. *Qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Quinto, quia omnes aquæ currunt ad mare, Eccl. 1. 7. Ita omnes peccatores ad amaritudinem inferni. Luc. 16. 22. *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno.* Sexta, quia aqua admista terræ facit lutum: sic peccator admistus divitiis lutum luxuriæ. Ierem 5. 7. *Saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur.* Ps. 17. 43. *Ut lutum platearum delebo eos.* Septima, quia ubi declivem locum invenit aqua, semper fluit: sic peccator, inventa occasione peccandi, statim cadit. 2. Reg. 14. 14. *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur super terram.* Octava, quia statum non habet, nisi congelata: sic nec peccator stare potest, nisi in malo. Iob. 14. 2. *Nunquam in eodem statu permanet.* Eccl. 43. 22. *Frigidus ventus aquilo flavit, et congelavit crystallus ab aqua, super omnem congregationem aquarum requiescit.* Hæc Ugo.

57. *Abyssi turbatæ sunt dæmones.* Tertio, abyssi sunt dæmones in fundo inferni positi sine luce, et cum multo tumultu: ita S. Ambros. in Ps. 45. De malis ac virtutibus dicit David: *Conturbatæ sunt abyssi, multitudo sonitus aquarum.* Abyssi Deum non vident, et ideo turbationibus semper obnoxiæ sunt. Et expusuit, quid essent abyssi: *Multitudo,* inquit, *sonitus aquarum:* nam et bestia illa Antichristus ex abysso ascendit, ut adversus Eliam atque Enoch, qui propter testimonium Domini Iesu terris sunt redditi, præliaretur, ut legimus in Ioannis Apocalypsi: cui datum est os loquendi magna, ut adversus Deum plena furoris convicia et sacrilegii personaret. Sonuerunt ergo aquæ, id est, immundi spiritus cum turbarentur, videntes opera Dei, in Domini salutaris adventu appropinquare sibi iudicium pertimescentes. Sonuerunt et turbatæ sunt in Domini passione. Unde et dictum est Ps. 2. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* Et alibi Scriptura dicit, Ps. 9. *Periit memoria eorum cum strepitu. Diabolus sonum quærit,* *Christus amat silentium.* *Christus silentium. Denique sicut agnus coram tondente, sic non aperuit os suum.* Et alibi, Isaiæ 42. 1. *Non clamabit, neque contendet, nec quisquam audiet in platea vocem eius, donec eiiciat in victoria iudicium.* Ita Ambrosius, qui per aquas videntes Deum intellexerat bonas virtutes (id est, bonos angelos) quæ verbi cælestis cognitiones sunt placidæ, non sonitu et fragore terribiles. Illæ sunt aquæ super cælos: dæmones sunt aquæ stygis infra terram sulphureæ et fœtentes, atque bullientes. Secundo,

58. *Abyssus est cor hominis.* abyssi sunt corda hominum quorumlibet. Abyssus enim est aqua sine fundo, et consequenter sine luce. Ieremias de corde hominis dicit cap. 17. 9. *Pravum est cor hominis, et inscrutabile.* Gen. 1. 2. *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Quid erat in imo fundo? nulla lux a nobis est, sed a solo Deo. Turbatur abyssus cordis humani per agitationem tribulationis, inspirationis, prædicationis. Ps. 54. 5. *Cor meum conturbatum est in me.*

59. *Pluvia est Dei gratia.* Quarto, *multitudo sonitus aquarum,* id est, pluvia resonans, est gratia copiosa e cælo in animas peccatorum cadens, et eos sonitu suo concutiens, et humiditate refrigerans et fœcundans. De analogia aquæ cum gratia dixi Ps. 1. v. 3. Huic adhuc aptius conveniet pluvialis aqua, quia de cælo venit.

60. *Nubes sunt Apostoli.* Quinto, nubes sunt Apostoli, et omnes verbi Dei præcones. Isa. 60. 8 *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Debent esse pluvia gravidæ ut prosint. S. Greg. in illud Iob 37. 15. *Numquid scis, quando præceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium eius?* sic loquitur lib. 27. Mor. 21. *Si nubes, ait, sancti prædicatores sunt, pluviæ nubium sunt verba prædicationum. Sed nubes cum per aerem transvolant, nisi pluviæ deorsum veniant, nescietur quantam aquarum immensitatem portant. Nisi coruscus sol inter pluvias erumpat, intelligi non valet, quid in eis etiam claritatis lateat: quia nimirum prædicatores sancti si taceant, et nequaquam loquentes ostendant quanta sit spei claritas, quam in cordibus gestant, aut reliquis hominibus similes, aut longe his despectiores videntur.*

61. *Sagittæ Dei sunt verba concionatoris.* Sexto, sagittæ Dei, seu fulmina transeuntia et penetrantia, sunt verba sanctæ Scripturæ, aut concionatorum. S. Basil. in Ps. 44. dicit, sagittas esse νευτοχους λογος, solerter excogitatos sermones, qui audientium corda pertingunt, animasque probe sensatas feriunt et sauciant. Vide Ps. 119. 4. in illud: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* Fulmen vocatur a Pindaro ode 4. Olympiorum v. 2. ακαμαντοπους, id est, infatigabile: tales sint concionatores, instent opportune, importune, increpent in omni patientia et doctrina, scientes quod verbum Dei non revertetur vacuum. Nemesius Episc. Emissen. de natura hominis, cap. 3. dicit, omne fulmen ferri cum lapide: constantia et robur mentis requiritur in docente, et severitas cum res et tempus poscunt. Ieremias positus erat a Deo ut evelleret, et destrueret, et dissiparet.

62. *Tonitru est comminatio divina. 2 Est vox Apostolorum.* Septimo, *vox tonitrui Dei in rota,* est increpatio divina contra sceleratos in mare tormentorum mersos per totam æternitatem infelicem, quæ est rota: tum quia finem non habet, et ubi terminatur, ibi incipit: tum quia illos perpetua sua circumvolutione torquet atque conterit. Secundo, *vox tonitrui in rota,* est vox Apostolorum in mundo hoc circulari. Ita Cassiodorus: Prædicatores Christi, ait, circulum totius orbis verbis tonantibus impleverunt. Et Dionysius: Vox, ait, tonitrui tui in rota, id est, voces tonitruorum tuorum, videlicet sermones Apostolorum, processerunt in omnem mundi circuitum, et in fines orbis terrarum. Dicuntur enim Apostoli tonitrua propter eminentissimam altitudinem prædicationum suarum. Unde et Christus in Evangelio Ioannem et Iacobum filios tonitrui legitur appellasse. S. Basilius in Ps. 28. *Quod,* ait, *βροντη το ευαγγελιον, tonitru sit evangelium, ostendunt discipuli a Domino mutato nomine filii tonitrui appellati: quamobrem non cuilibet vox tonitrui talis competit, sed si quis fuerit dignus rota nominari. Ait enim: Vox tonitrui tui in rota.* Tertio itaque S. Basil. ait vocem tonitrui Dei esse

63. *Rota est iustus in puncto terram tangens.* in rota, id est, in viro perfecto, qui tantum in puncto tangit terram, cum sit perfectus circulus ad Dei nutum mobilis. Sic autem loquitur: *Si quis fuerit ad interiora contendens veluti rota, modica sui parte terram attingens, et omnino talis qualis erat ea rota, de qua dixit Ezechiel: Vidi, et ecce rota una super terram iuxta animalia,* etc. S. Hieron. lib. 5. in Ezechielem: *Vox,* inquit, *tonitrui in rota: In his enim qui terrena pertranseunt, et vix modicis vestigiis contingunt terram, de quibus scriptum est: Lapides sancti volvuntur super terram, vox tonitrui Domini, et excelsorum dogmatum personat:* ita ipse. De illis rotis iure dixeris cum Ezechiele cap. 1. 20. *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu et rotæ pariter elevabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Rotæ enim illæ currus Dei, erant angeli in forma rotarum apparentes, et Deum portantes, atque oculis repletæ: hæc et alia ibi posita facile est applicare viris perfectis et angelicis.

64. *Rota est etiam rerum terrenarum volubilitas.* Quarto denique, *vox tonitrui in rota,* est vox et inspiratio vehemens Dei in huius vitæ volubilitate, quæ huc illuc instar rotæ nusquam consistentis circumagitur. Eccl. 12. 6. *Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta*

aurea, et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam. Ibi Olympiodorus, per rotam super cisternam intelligit vitæ huius rotam. S. Gregor. Neocæsar. per hydriam super fontem, et per rotam super cisternam, accipit tempus in hac vita nobis datum ad abluenda peccata, tum baptismo, tum lacrymis et pœnitentiæ sacramento. Vide varias et pulchras explicationes illius loci apud Cornelium. Maxime litteralis est: Rota est caput, cisterna est cor, a quo caput haurit omnes spiritus vitales per sensus, qui in capite resident: corde enim deficiente in senibus, deficit quoque cerebrum et caput, atque eodem moriente pariter emoritur, ut Lyran. et Vatabl. exponunt. Itaque vox tonitrui est in rota, id est, in capite, cum graves curæ huius vitæ nos torquent. S. Greg. Naz. tom. 1. pag. 761. scribens Sophronio Præsidi epist. 62. huius vitæ volubilitatem deplorat. Vides, inquit, quales res nostræ sint, et quomodo res humanæ velut in orbem volvantur et revolvantur: ac nunc floreant, nunc marcescant: eamque rationem habeant, ut nec infelicitas nec felicitas, ut dici solet, fixa stabilisque nobis permaneat, sed celerrime utraque commutetur ac delabatur: adeo ut ventis potius fidere quispiam possit, aut litteris in aqua scriptis, quam hominum felicitati. Et orat. 17. pag. 268. κύκλος τις ἐστιν ἀνθρωπίνων πραγμάτων, *res humanæ velut orbe quodam volvuntur.* Movetur enim, ut sic dicam, ac fluctuat universitas rerum circa immobilem: Ita Gregorius. Eam cognitionem principibus salutarem dat Agapetus Iustiniano Imp. in cap. parænet. num. 11. Circulus quidam, ait, humanarum revolvitur rerum, qui modo sic, modo aliter agitat ipsas: hæc ille. Id veteres figurabant, tum fortunam rotæ insidentem pingentes, tum rotas in templis ipsis deorum affigentes. Eam sibi præ oculis semper esse meditationem volebat Villegisus primus Vangionum Archiepiscopus, qui cum esset fabri plaustrarii filius, per omnia conclavia rotas pingi affigique imperavit, illudque identidem in ore habuit: *Villegise, quis sis, quid fueris, memento*, ut refert Bruschius de Episcopatibus. Poterat addere, quis futurus sis. A pulvere volvi rota incipit, in pulvere semper volutatur, et in pulvere desinit. Hinc recte inferes, terrena omnia pro nihilo esse ducenda, cum semper rotentur sine ulla quiete, et ex imo in altum, atque ex alto in imum volvantur. S. Nilus hanc deducit conclusionem in parænesi: *Umbræ et rotæ, tristia et læta huius vitæ æquipara. Nam sicut umbræ non manent, et ut rota vertuntur.* Secundo, hinc recte etiam inferes: Si vita hæc est rota singulis hominibus, quid erit impiis, qui velut Ægyptii se in mare inferunt, et populum Dei persequuntur? Isa. 17. 13. de exercitu Syrorum et Samaritarum dicitur: *Rapietur sicut pulvis montium*, Septuag. sicut gluma paleæ, *ante faciem venti; et sicut turbo*, Hebr. *galgal*, id est globus, rota, turbo, quæ vox est in nostro Psalmo, *coram tempestate.* Septuag. et tamquam pulverem rotæ tempestas impellens. Sic Saul Davidem persequens rotatus est velut in circulo fundæ. Hoc præsignificatum erat, cum in Galgalis, post victoriam de Ammonitis reportatam tertio iunctus est, et regnum eius innovatum: fuerat enim primo iunctus a Samuele oleo communi, et clandestine in Ramatha: secundo, ad eodem oleo sacro in Masphat publice coram omni populo. De tertia unctione habetur 1. Reg. 11. 14. *Dixit autem Samuel ad populum: venite et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino Galgala.* Ubi adverte, quod Ramatha significat altitudinem, sublimitatem: Masphat, iudicium: Galgala, rotam, revolutionem, acervi revolutionem. In principio regnorum et dignitatum est altitudo: in decursu est iudicium, id est, instar Dei iudicium examinantis et expendentis omnes actiones, easque severe punituri: in fine est revolutio, et quidem citissime veniens. Unde ille ridebat captivus rotam aspiciens in curru victoris, quod sciret cito ea quæ summa essent in rota, deorsum revolvenda esse. Heliogabalus, teste Lampridio, parasitos suos ad rotam aquariam ligabat, et cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum revolvebat, eosque *Ixionios amicos* vocabat. *Impii in circuitu ambulant*, ut dicitur Ps. 11. quem consule. Deus quoque illos invitos rotat. Cassiodorus ait, olim quosdam illigatos rotæ feris esse obiectos, et illis comparat mundanos cum mundo rotatos. Sic autem loquitur lib. 5. variar. epist. 42. *Alter labente rota feris offertur: eadem alter erigitur, ut periculis auferatur. Sic hæc machina ad infelicis mundi formata qualitatem, istos spe refovet, illos timore discruciat: omnibus tamen, ut decipere possit, arridet.* Seneca de beata vita, cap. 28. Nonne nunc turbo quidam animos vestros rotat, et involvit fugientes petentesque eadem, et nunc in sublime alligatos, nunc in infima allisos rapit. S. Petrus Damiani epist. 15. vocat, mundanæ vertiginis impulsum. Et epist. 56. Scenicæ vertiginis rotalem vertiginem. S. Aug. comparat molendini rotationi, in Ps. 36. Molendinum, ait, puto dictum mundum istum, quia rota quædam temporum volvitur, et amatores suos conterit. Samsoni molam asinariam volventi divitias consectantem, et pro iis acquirendis huc illuc se versantem iure contuleris. Ex hic conclude, ridenda esse fluxa hæc et volubilia fortunæ bona. S. Nilus in parænesi: *Ride, inquit, rotam vitæ sine ordine rotatam; cave vero foveam, in quam devolvit dormientes in ipsa vita.* Sultani Agarenorum risus ad rotæ conspectum est memorabilis. Cedrenus tradit, quod ille a Gallorum rege captus nunquam ridebat: ideo rex præmium pollicitus est ei, qui ridentem vidisset. Post biennium visa currus rota subrisit, causam rogatus a rege, dixit: animadvertisse se partes easdem nunc superne, nunc inferne rapi; sperareque sibi idem posse obtingere, ut qui nunc iaceat, postea liberatus erigatur, quod accidit. Idem propo narratur de uno e regibus, qui Sesostris regis Ægypti currum trahebant, ut supra strictim attigi. Cum enim oculos in rotam reflectens eo aspectu lætari videretur, et Sesostri rationem petenti dixisset, intueri se continuam rotæ vertiginem, quæ modo sursum, modo deorsum verteretur, idque se fortunæ suæ applicare. Tunc Sesostris humanæ memor infirmitatis illum tresque alios reges a iugo liberavit. Sed quid fiet impio, si vox Dei cum tonitruo accedat in illa rota versatili? Iob. 26. 14. *Cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum illius magnitudinis intueri?*

Villegisus laudabilis humilitas. — Saul cur unctus in Galgala? — Ixionii amici. — Rota est versatilis huius vitæ felicitas. — Sultanus rotam adspiciens ridet. — Et rex tranous currum Sesostris.

Octavo, *coruscationes* sive fulgetræ Christi et Apostolorum illucescentes toti orbi, sunt comminationes factæ peccatoribus: ita Ugo. Secundo, et melius, sunt eorum miracula. S. Gregor. illud Iobi 38. 35. *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus*, sic ait lib. 30. Moral. 2. *Fulgura ex nubibus exeunt, cum mira opera ex sanctis prædicatoribus ostenduntur. Qui idcirco nubes vocari solent: quia et coruscant miraculis, et verbis pluunt. Et quia humana corda postquam per prædicationem mota non fuerint, istis miraculorum fulgoribus conturbantur, ut Propheta attestante didicimus, qui ait Ps. 17. Fulgura multiplicabis, et conturbabis eos, ac si diceret: Dum verba prædicationis lux non audiunt, per prædicantium miracula perturbantur: unde alias dictum est. Habacuc 3. In lumine iacula tua ibunt, in splendore fulgoris armorum tuorum. Fulgor quippe armorum, est claritas miraculorum.* 65.

Fulgetræ sunt miracula.

Nono, *terra commota* et tremens, est peccator se ob timorem iudiciorum Dei convertens, per mare rubrum, id est, per baptismum ambulans, et pergens ad terram promissam; seu potius, est peccator contritus, et sua peccata cum tremore aperiens, et ima cordis secreta revelans. Terram motam in maris transitu patet ex hoc loco. 66.

Terra mota est peccator contritus.

Decimo, *mare* sunt tribulationes, per quas iusti mirabiliter transeunt, Deo ipsos deducente: *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur.* Via Dei, est observatio præceptorum: semita, est observatio consiliorum, utrobique est mare et aquæ multæ, quæ transvadari non possunt humanis viribus; sed Deus præit, et mare dividit tam suaviter et solerter, ut vestigia eius non cognoscantur, atque sit inscrutabilis eius 67.

Mare sunt tribulationes.

providentia. De primo, nempe de multitudine tribulationum, ait S. Paulus Act. 14. 21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* De secundo, nempe de vestigiis Dei, in illis tribulationibus piorum, ait S. Gregorius 8. Mor. 5. illud Iob cap. 9. 8. *Graditur super fluctus maris*, considerans: Quid maris nomine, nisi in bonorum nece sæviens mundi huius amaritudo signatur: de quo at per Psalmistam dicitur, Ps. 32. *Congregans sicut in utre aquas maris.* Aquas etenim maris, quasi in utrem Dominus congregat, cum miro moderamine cuncta disponens, in suis clausas cordibus carnalium minas frænat. Super fluctus ergo maris Dominus graditur: quia cum se procellæ persecutionis erigunt, miraculorum eius obstupefactione franguntur. Qui enim tumores humanæ vesaniæ mitigat, quasi erectas in cumulo undas calcat. Ita S. Gregorius, qui paulo post subdit: Tot ergo in his fluctibus Dominus gressus posuit, quot superbis persecutoribus miracula ostendit. Unde bene rursum per Prophetam dicitur, Psal. 92. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus:* quia contra Electorum vitam ad persecutionis undas mundus se mirabiliter extulit: sed has supernorum conditor, sub elevata virtute prædicantium mirabiliter stravit: ministros enim suos plus ostendit posse per miracula, quam potestates terrenas, quæ tumuerant per iram. Quod bene etiam per Ieremiam Dominus exteriora narrans, interiora denuntians, dicit cap. 5. *Posuit arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit, et commovebuntur, et non poterunt, et intumescent fluctus eius, et non transibunt illum.* Arenam quippe Dominus mari terminum posuit, quia ad frangendam mundi gloriam abiectos et pauperes elegit: hæc ipse. Illustre est quod refert noster Famianus Strada, puellulum in cunis existentem servatum esse in maris dirissima exundatione. Sic autem ait, de bello Belgico, dec. 1. lib. 7.

Puer mirabiliter servatus in maris exundatione.

pag. 486. anno 1570. maxima alluvione aliquot Zelandiæ insulas mare contexit, strage non modo fortunarum plane incomparabili, sed hominum vel in sola Frisia viginti millium, quos mare hausit, accessu recessuque iuxta sævum. Invenio in Frisiorum Annalibus, a cimbis per insecutos dies a Magistratu immissis ad colligendas naufragii reliquias, mortalium permultos collibus atque arboribus superstantes, extremumque pene spiritum trahentes, in tempore exceptos fuisse, interque eos Succensi in colle *repertum infantem, illuc cum fele cunis advectum, blandissime dormientem, naufragiique unice securum:* hæc Strada. Idem accidit iustis viris, ne cogitantibus quidem, inter varias tentationum et afflictionum tempestates.

68. Vestigium Dei est eius providentia, charitas, etc.

Undecimo, *vestigia Dei* hominibus incognita, sunt eius providentia, cura, charitas, benignitas, potestas, efficacia, quibus se præsentem facit servis suis afflictis, licet id sæpe non sentiant, ut patuit in S. Antonio et S. Catharina Senensi, quibus suam invisibilem præsentiam et opem Christus ipse aperuit. S. Gregor. lib. 10. Moral. 6. illud Iobi 11. 7. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum omnipotentem reperies*, expendens sic ait: Quid Dei vestigia, nisi benignitatem illius visitationis vocat? quibus nimirum progredi ad superna provocamur, cum eius spiritus afflatu tangimur, et extra carnis angustias sublevati, per amorem agnoscimus contemplandam auctoris nostri speciem, quam sequamur. Nam cum mentem nostram spiritualis patriæ amor inflammat, quasi sequentibus iter insinuat, et subiecto cordi velut quoddam vestigium Dei gradientis imprimitur, ut ab eo reatis cogitationum gressibus via vitæ teneatur. Quem enim necdum cernimus, restat necesse est, ut per vestigia sui amoris indagemus: quatenus usque ad contemplationis speciem quandoque mens veniat, quam nunc quasi a tergo subsequens per sancta desideria explorat. Hæc Psalmista auctoris nostri vestigia bene sequi novarat, cum dicebat Ps. 62. *Adhæsit anima mea post te:* ita S. Gregor.

69. Principes politici

Duodecimo denique, Moses et Aaron duces populi, sunt Pontifices et Principes. Moses enim fuit legislator, ac populum rexit in rebus civilibus, licet esset sacerdos, ut patet Ps. 98. 6. Aaron vero frater eius primogenitus, qui eo senior erat tribus annis, rexit populum in rebus sacris. Erat enim summus Pontifex ab ipso Mose, tamquam Propheta, consecratus anno secundo exitus ab Ægypto prope montem Sinai. In ipsa tamen Ægypto Mosen adiuvit ac populum. Primo, eloquentia sua exponendo Pharaoni voluntatem Dei, cum Moses esset impeditioris linguæ. Secundo, patrando aliquot miracula in punitionem Ægypti. Tertio, mitigando sua facundia iratos Hebræos, cum gravius urgerentur et flagellarentur post adventum Mosis petentis libertatem educendi populum ad sacrificandum Deo. Quarto, animando ad iter per mare rubrum, et per desertum, usque ad montem Sinai. S. Gregorius Naz. Mosis et Aaronis populum Dei ad terram promissionis ducentium pulcherrima habet elogia, orat. 6. pag. 137. *Quis*, ait, *Legislatorum illustrissimus? Moses. Quis sacerdotum sanctissimus? Aaron, non minus pietate, quam corporibus fratres, vel potius ille quidem Pharaonis Deus, et Israelitarum antistes, et legislator, et nubem ingrediens, et divinorum mysteriorum, et præsul, et tabernaculi illius fabricator, quod a Deo, non ab homine constructum est. Ambo autem æque sacerdotes. Moses ait David Ps. 98. et Aaron in sacerdotibus eius*, ὁ μὲν ἄρχων ἀρχόντων, καὶ ἱερεὺς ἱερέων, *ille principum princeps, et sacerdotum sacerdos, Aarone pro lingua utens, ipsique vicissim in iis rebus operam navans, quæ ad Deum pertinebant: hic illi statim secundus, alios autem dignitate et propinquitate ad Deum longe antecedens. Ambo Ægyptum vexantes, mare scindentes, Israelem traiicientes, hostem demergentes, panem superne trahentes, aquam hominum fidem superantem in deserto partim profundentes, partim edulcantes. Ambo per sanctam manuum extensionem, sublimisque mysterii figuram, Amalecitas opprimentes. Ambo ad promissam terram duces viæ se præbentes, atque properantes:* hactenus S. Gregor. Michææ 6. 4. Deus inter duces illi populo datos ponit etiam Mariam, sororem Mosis et Aaronis: illa enim iuvit plurimum ad ducendas, dirigendas, educendas, at animandas ad Dei cultum, et opera alia ardua, fœminas Hebræas.

et Prælati imitentur Mosem et Aaronem.

Mosis et Aaronis elogia.

70. Moses fuit typus Christi.

Allegor. Moses et Aaron fuerunt typus Christi, fideles ex Ægypto educentis, et per desertum huius vitæ in cælum ducentis. De utroque pauca dicamus.

Primo, Christus natus in præsepio collocatus est: Mo- 1.
ses in fiscella, seu arcula scirpea seu iuncea, expositus
est ad ripam Nili. 2. Uterque fugit persecutorem: Christus 2.
e Iudæa in Ægyptum, Moses ex Ægypto in terram Ma-
dian. 3. Maiestas divinitatis occultæ in Christi humana 3.
facie relucebat, ut ait Hieronymus, et in monte Thabor
facies eius fulsit instar solis: Mosis facies ita radiabat, ut
velo ad eam tegendam opus esset. 4. Christus hanc unam 4.
lectionem dat Apostolis, Matth. 11. 29. *Discite a me, quia*
mitis sum et humilis corde: de Mose Num. 12. dicitur:
Moses vir mitissimus super omnes homines qui moraban-
tur in terra. 5. Uterque gravia maledicta, calumnias, 5.
murmurationes, lapidationes, iniurias ab ingrato populo
pertulit, pro quo tamen oravit. 6. Uterque fuit mediator 6.
Dei et hominum. 7. Uterque Sacerdos, Propheta, Legis- 7.
lator. 8. Christus non assumpsit naturam angelicam, sed 8.
humanam; Moses non duxit uxorem Hebræam, sed alie-
nigenam Æthiopissam, id est, Madianitidem. 9. Uterque 9.
spoliavit Ægyptum et Pharaonem. 10. Uterque ieiuna- 10.
vit sine cibo et potu per dies quadraginta. 11. Uterque 11.
in miraculis patrandis fuit admirabilis. 12. Moses con- 12.
stituit duodecim principes ad regendas duodecim tribus,
et septuaginta viros, qui etiam in gravioribus causis po-
pulum iudicarent: Christus habuit duodecim Apostolos, et
septuaginta duos discipulos. 13. Moses non intravit in hæ- 13.
reditatem sibi et populo promissam: Christus non adiit
hæreditatem suam, nempe terram gentium in se creditu-
ram. 14. Uterque mortuus in monte: Moses quidem in 14.
monte Abarim, Christus vero in monte Calvariæ. De Aa-
rone erit commodior dicendi locus Ps. 132. 2. ubi agitur
de eius unctione: Christus autem unctum significat.

Nota, in manu Prælatorum Deus ipse populum deducit.

71. Deus ipse per Prælatos ducit populum suum. Hinc dicitur *deduxisti;* ut id ostenderet Deus, columnam nubis et ignis præmittebat euntibus Hebræis. Exod. 15. 13. ait Moses: *Dux fuisti in misericordia populo quem redemisti, et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.* Stoici dicebant, Iovem esse πυρ τεχνικον, id est, ignem artificiosum: Deus noster lucem dat et ardorem. Plato apud Athenagoram in oratione pro Christianis: *Magnus*, inquit, *ille dux in cælo Iupiter, volucrem regens currum primus incedit, exornans, ordinans, et curans omnia. Hunc autem consequitur exercitus deorum et dæmonum:* hæc Plato. Quæ Athenagoras vult dici non de Saturni filio, sed de Deo optimo maximo. Christus se viam ipsam esse clamat; de eo S. August. lib. 11. de civit. Dei, cap. 2. sic loquitur: *Hic est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. Christus per id quod est mediator, est homo, et via perveniendi ad Deum. Per hoc enim mediator, per quod et homo, per hoc et via. Quia si inter eum qui tendit, et illud quo tendit, via media est, spes est perveniendi. Si autem desit aut ignoretur qua eundum sit, quid prodest nosse quo eundum sit? Sola est autem adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse sit Deus et homo: quo itur, Deus: qua itur, homo.*

72. Bonus pastor deducit subditos velut oves. Nota, bonus pastor deducat subditos suos *velut oves*, id est, Primo, cum magna sollicitudine et cura, ut eos tutetur a lupis. Secundo, cum benignitate et charitate, quia oves sunt animal innocens. Tertio, cum prudenti severitate; nam facile aberrant oves, et sunt animal stupidum. Vide dicta Ps. 22. fuse. Hoc præstabit Prælatus, si Mosem et Aaronem imitetur. In uno Mose nunc hæreamus. S. Gregorius Nazianz. orat. de laudib. S. Basilii, eum vocat sui ævi Mosem.

Sit alter Moses: I. In eruditione. Primo, Moses fuit eruditus omni sapientia Ægyptiorum, ut ait S. Stephanus Act. 7. 22. hoc est, in philosophia, mathematica, musica, symbolorum peritia, et aliis. Scientia decet Prælatum, etiam profana. S. Gregorius Nyssen. in vita Mosis, hoc incumbere Christianis monet, atque hoc studium esse omnium oportere, ut paganos spolient dialectica, astronomia, geometria, cæterisque doctrinis, quibus abutuntur, ut iis veluti manubiis tabernaculum Dei exornent. S. August. lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 40. artes liberales comparat auro et argento Ægypti in usum sacrum expenso. Nonne aspicimus, inquit, quanto auro et argento, et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus, Doctor suavissimus? quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Vide nostrum Cresol. lib. 2. Mystag. cap. 15.

II. In contemptu honorum. Secundo, contempsit honores aulæ Pharaonis, et ab ea recessit, cum posset haberi filius Pharaonis, id est, nepos ex filia Thermutide, a qua fuerat adoptatus. Aulam autem reliquit in ætate vegeta, et honoribus apta, natus scilicet annos quadraginta. Dio Prusæus orat. 65. coronas, præconia, aliosque laudis et honoris titulos vocat δελεατα των ανοητων, vecordium hominum illecebram. S. Gregorius Nyssenus in orat. catech. cap. 23. ambitionem vocat cæterorum vitiorum matrem. S. Isidorus Ægyptius, id est, Pelusiota, lib. 1. epist. 402. Qui, ait, e medio communium rerum strepitu non recedit, et otium non agit, Dei cognitionem assequi minime potest.

III. In recollectione. Tertio, Moses priusquam populi curam susciperet, per quadraginta annos fuit in terra Madian, agens privatam vitam, et orationi humilibusque pastoris ovium officiis vacans. S. Paulinus epist. 1. ad Severum: *Confugisti*, ait, *ad pietatis silentium*, ut evaderes iniquitatis tumultum: mutescere voluisti mortalibus, ut ore puro divina loquereris. S. Ambrosius de fuga sæculi, cap. 2. *Hæc est vera sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, et quædam alienatio charissimorum, ut suis etiam se abneget, qui servire Deo gestit.* Abdat se ad exercitia spiritualia quotannis pie obeunda, qui efficaciter vult gregi suo præesse, et sibi non nocere. Ab eremo venerunt S. Basilius, S. Gregor. Naz. S. Chrysost. et alii excellentes Prælati.

IV. In vocatione. Quarto, Moses invitus et coactus Deo ipso iubente, vix suscepit onus gubernationis et prælationis, Exod. 4. licet natus esset annos octoginta. Nam per 40. fuerat in aula Pharaonis, et per 40. apud socerum suum Iethro sive Raguel pascens eius et suas oves in deserto. S. Basilius, S. Ambrosius, S. Augustinus et alii Sancti fugerunt Episcopatus, ut alias probavi inductione: qui illos ambiunt, sibi nocent, aliis non prosunt. S. Laurentius Iustinianus de contemplat. Pass. *Mens cupida*, inquit, *honoris avida, dominandi cupiditate accensa, nec Dei gloria, nec proximorum valet utilitatibus insistere.* Vocatio Dei necessaria est. Act. 13. *Dixit spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* S. Leo serm. 2. de ordin. sui, ait: In lege gratiæ, dignatio cælestis gratiæ gignit Antistitem. S. Gregor. Naz. orat. 3. dicit, imperium non esse fortunæ prædam, sed virtutis præmium. Core, Dathon, Abiron, et 250. principes illis adiuncti ideo perierunt, quia prælationem et sacerdotium non vocati a Deo ambiverunt.

Quinto, Moses in omnibus dubiis consulebat Deum, recipiens se in eius tabernaculum, et legem recepturus a Deo in monte Sinai diu oravit: atque in pugnis victoriam oratione obtinebat. Iustinianus Imper. ait, ob id potissimum ordinari sacerdotes, ut suis precibus benignitatem humanissimi Dei rebus acquirant communibus. In iure Canonico dicitur, Pontifices et sacerdotes debere imitari Deum in tribus: 1. ut a Deo discant; 2. populum doceant; 3. precentur. V. In familiaritate cum Deo.

Sexto, Mosis facies lucebat ex consortio cum Deo, et cum angelo lucis legato ipsius, a quo legem et alia præcepta accepit. Apostolis dicit Christus Matth. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Solinus cap. 23. docet, luce certarum avium dirigi quosdam Germaniæ populos. Saltus, inquit Hercynius, aves gignit, *quarum pennæ per obscurum emicant, et interlucent, quamvis densa nox obtegat et denset tenebras. Unde homines loci illius plerumque nocturnos excursus sic destinant, ut illis utantur ad præsidium itineris dirigendi, præiactisque per opaca callium, rationem viæ moderentur, indicio plumarum refulgentium.* Sacerdotes et Prælati sunt aves Paradisi, quæ terram tangere non debent, sed iugi volatu ad Deum tendere, et iter aliis sua luce monstrare. S. Benedictus in cælum ascendens viam luminosam aliis ostendit. Columnæ nubis et ignis conferri possent boni Prælati. VI. In luce.

Septimo, Moses excelluit sobrietate: unde sine ullo cibo et potu bis permansit in monte Sinai, sola oratione vivens. Cum enim primo, ibi mansisset quadraginta sex diebus, ut vult Serarius et Torniellus, aut potius quadraginta tantum, ut docent Hebræi, et alii, legem a Deo, id est, ab angelo Dei vicario et legato accepit; sed cum e monte descenderet, cognovit idololatriam populi adorantis vitulum aureum, itaque tabulas legis fregit. Et, post cædem reorum, iterum alios 40. dies ieiunus exegit in monte, ut tabulas legis iterum obtineret. S. Leo serm. 1. de ieiunio Pentec. Doctores, ait, qui exemplis et traditionibus suis omnes Ecclesiæ filios imbuerunt, tyrocinium militiæ Christianæ sanctis ieiuniis inchoarunt; ut contra spirituales nequitias pugnaturi abstinentiæ arma raperent, quibus incentiva vitiorum truncarent. S. Gregorius Naz. in orat. de S. Basilii laudibus, sic de eo dicit: Illi erat tunica una, et pallium unum, et humi cubatio, et balnei contemptus, et vigiliæ: *Et cœna suavissima, atque pulmentum, illi erat panis et sal, et potio sobria, quam nobis nihil laborantibus fontes profecunt.* Erat tamen Archiepiscop. Cæsariensis. S. Ignatius scribens S. Polycarpo Episc. Smyrnensi, ait: Sobrius esto, ὡς Θεου αθλητης, ut athleta Dei. VII. In sobrietate.

Octavo, Moses fuit vir mitissimus, qui per totos quadraginta annos populum duræ cervicis toties murmurantem, et in se insurgentem patienter tulit, legem Dei docuit, Deo reconciliavit pro eo deleri volens de libro vitæ. De mansuetudine vide dicenda Ps. 131. 1. VIII. In mansuetudine.

Nono, Moses tamen severitatem opportunam adhibuit, ut in cæde adorantium vitulum aureum, in punitione Core, Dathan et Abiron. S. Leo epist. 76. Abiicienda, iu- IX. In severitate.

quit, prorsus pestifera hæc sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit. S. August. de verbis Domini, serm. 15. *Quid tam pium,* ait, *quam medicus ferens ferramentum? sævit in vulnus, ut homo sanetur: quia si vulnus palpetur, homo perditur.*

X. In labore. Decimo denique, Moses in labore erat continuo, solus audiens lites et querimonias trium aut saltem duorum millionum hominum: licet postea in auxilium sibi socios sumpserit, tamen multa sibi reservabat, de omnibus sollicitus. Itaque populum deducebat *in manu,* id est, bonis operibus eis prælucens; 2. *in manu,* velut omnes portans, ante oculos habens et protegens. 1. Tim. 3. 1. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Quod ingeniose expendens S. Hieronymus epist. 89. ait: *Opus, non dignitatem: opus, per quod humilitate decrescant, non intumescant fastigio.* Dum tonitru reboabat, et fulgetræ micabant, S. Hedwigis Ducissa Poloniæ curabat, ut sacerdos sibi sacratas manus imponeret, *pro divinæ protectionis scuto.* Idem faciant omnes subditi in suis afflictionibus, et in Prælati manu teneri se et regi patiantur, ac protegi. Prælati etiam superiores et inferiores unam tantum habeant manum, et concordes sint in sua potestate, sic quantumlibet multitudinem ducent *in manu* Mosi et Aaron, qui per suam concordiam fraternam tamdiu populum duræ cervicis per aspera et inculta Arabiæ deserta duxerunt. Caveant præterea Prælati, ne habeant manum aridam et contractam, sed liberalem et extentam, qua panem de cælo pluere faciant, et manna dent pauperibus, atque e silicibus ipsis potum procurent. Nota etiam, sub manu intelligi brachium. Hippocrates enim χεῖρα, id est, manum, a scapulis ad digitos protendit.

PSALMUS SEPTUAGESIMUS SEPTIMUS.

Intellectus Asaph.

1. Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.
2. Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio:
3. Quanta audivimus et cognovimus ea: et patres nostri narraverunt nobis?
4. Non sunt occultata a filiis eorum: in generatione altera.
Narrantes laudes Domini et virtutes eius: et mirabilia eius quæ fecit.
5. Et suscitavit testimonium in Iacob: et legem posuit in Israel.
6. Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis: ut cognoscat generatio altera.
Filii qui nascentur, et exurgent: et narrabunt filiis suis.
7. Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei: et mandata eius exquirant.
8. Ne fiant sicut patres eorum: generatio prava et exasperans.
Generatio quæ non direxit cor suum: et non est creditus cum Deo spiritus eius.
9. Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum: conversi sunt in die belli.
10. Non custodierunt testamentum Dei: et in lege eius noluerunt ambulare.
11. Et obliti sunt benefactorum eius: et mirabilium eius quæ ostendit eis.
12. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti: in campo Taneos.
13. Interrupit mare et perduxit eos: et statuit aquas quasi in utre.
14. Et deduxit eos in nube diei: et tota nocte in illuminatione ignis.
15. Interrupit petram in eremo: et adaquavit eos velut in abysso multa.
16. Et eduxit aquam de petra: et eduxit tamquam flumina aquas.
17. Et apposuerunt adhuc peccare ei: in ira concitaverunt excelsum in inaquoso.
18. Et tentaverunt eum in cordibus suis: ut peterent escas animabus suis.
19. Et male locuti sunt de Deo: dixerunt, numquid poterit Deus parare mensam in deserto?
20. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ: et torrentes inundaverunt.
Numquid et panem poterit dare: aut parare mensam populo suo?
21. Ideo audivit Dominus, et distulit: et ignis accensus est in Iacob, et ira ascendit in Israel.
22. Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari eius.
23. Et mandavit nubibus desuper, et ianuas cæli aperuit.
24. Et pluit illis manna ad manducandum: et panem cæli dedit eis.
25. Panem angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantia.
26. Transtulit austrum de cælo: et induxit in virtute sua africum.
27. Et pluit super eos sicut pulverem carnes: et sicut arenam maris volatilia pennata.
28. Et ceciderunt in medio castrorum eorum: circa tabernacula eorum.
29. Et manducaverunt, et saturati sunt nimis, desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati a desiderio suo.
30. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: et ira Dei ascendit super eos.
31. Et occidit pingues eorum: et electos Israel impedivit.
32. In omnibus his peccaverunt adhuc: et non crediderunt in mirabilibus eius.
33. Et defecerunt in vanitate dies eorum: et anni eorum cum festinatione.
34. Cum occideret eos quærebant eum: et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.
35. Et rememorati sunt quia Deus adiutor est eorum: et Deus excelsus redemptor eorum est.
36. Et dilexerunt eum in ore suo: et lingua sua mentiti sunt ei.
37. Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento eius.
38. Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum: et non disperdet eos.
Et abundavit ut averteret iram suam: et non accendit omnem iram suam.
39. Et recordatus est quia caro sunt: spiritus vadens et non rediens.
40. Quoties exacerbaverunt eum in deserto: in ira concitaverunt eum in inaquoso.

41. Et conversi sunt, et tentaverunt Deum: et sanctum Israel exacerbaverunt.
42. Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.
43. Sicut posuit in Ægypto signa sua: et prodigia sua in campo Taneos.
44. Et convertit in sanguinem flumina eorum: et imbres eorum ne biberent.
45. Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos: et ranam, et disperdidit eos.
46. Et dedit ærugini fructus eorum: et labores eorum locustæ.
47. Et occidit in grandine vineas eorum: et moros eorum in pruina.
48. Et tradidit grandini iumenta eorum: et possessionem eorum igni.
49. Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, et iram, et tribulationem: immissionem per angelos malos.
50. Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum: et iumenta eorum in morte conclusit.
51. Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.
52. Et abstulit sicut oves populum suum: et perduxit eos tamquam gregem in deserto.
53. Et deduxit eos in spe, et non timuerunt: et inimicos eorum operuit mare.
54. Et induxit eos in montem sanctificationis suæ: montem quem acquisivit dextera eius.
Et eiecit a facie eorum gentes: et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.
55. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.
56. Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum: et testimonia eius non custodierunt.
57. Et averterunt se, et non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum.
58. In iram concitaverunt eum in collibus suis: et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.
59. Audivit Deus et sprevit: et ad nihilum redegit valde Israel.
60. Et repulit tabernaculum Silo: tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus.
61. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum: et pulchritudinem eorum in manus inimici.
62. Et conclusit in gladio populum suum: et hæreditatem suam sprevit.
63. Iuvenes eorum comedit ignis: et virgines eorum non sunt lamentatæ.
64. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: et viduæ eorum non plorabantur.
65. Et excitatus est tamquam dormiens Dominus: tamquam potens crapulatus a vino.
66. Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.
67. Et repulit tabernaculum Ioseph: et tribum Ephraim non elegit.
68. Sed elegit tribum Iuda: montem Sion quem dilexit.
69. Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum: in terra quam fundavit in sæcula.
70. Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum.
71. Pascere Iacob servum suum: et Israel hæreditatem suam.
72. Et pavit eos in innocentia cordis sui: et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

PSALMI SEPTUAGESIMI SEPTIMI ANALYSIS GENERALIS.

Reprobationem synagogæ Iudaicæ, et electionem Eccles. Cathol. declaraturus Propheta, seu Christus hic loquens,
- Excitat auditorum attentionem et benevolentiam. 1.
- Tempus legis gratiæ declarat. 6.
- Tempus ante ingressum in terram promissionis. 12.
- Tempus in terra promissionis exactum. 54.
- Reprobationem Iudæorum. 59.
- Et electionem Christianorum. 68.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Intellectus Asaph.

1. Psalmus hic est obscurus et ænigmaticus.

Hic Psalmus in prima superficie facilis apparet, sed ubi eius adyta et penetralia intraveris, multum in eo mysterii et obscuritatis reperitur. Est enim parabolicus et ænigmaticus, sicut tertio versu declaratur: titulus monet opus esse intelligentiæ, intelligere autem est intus legere. Medulla et succus in interioribus est. S. Hier. ait, Psalmum hunc esse mysticum, et sacramentis plurimis involutum: quamcumque aspexeris litteram, flores esse: non modo dies, sed etiam totum mensem ad intelligentiam istius Psalmi non posse sufficere: in singulis verbis sensus esse. Fructus itaque et iucunditas in eius decursu sperari potest.

2. Ecclesiam in hoc Psalmo loquentem inducit Haymo et Bruno Carthusianus. Davidem ipsum, Bellarminus et Lorinus. Deum Patrem S. Augustinus et Cassiodorus. Christum denique, S. Athanas. Euseb. Remig. Beda, S. Hier. in cap. 11. Matth. et in epist. de Mansionibus, quæ extat tom. 3. His postremis assentior. Christus in eo loquitur. Argum. Psalmi.

Christus itaque hic omnes hortatur, ut legem Evangelicam a se sancitam et promulgatam suscipiant, seque regem suum, et verum Messiam Davidis filium agnoscant. Varia autem mysteria sub typo omnium, quæ Iudæis ab Ægypto exeuntibus, in deserto, et in terra promissionis commorantibus, contigerunt, in explicatione Psalmi exponemus. De titulo vide dicta Ps. 31. et variis locis.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3. Quatuor complectitur. Primo, omnes hortatur ad legem Evangelicam audiendam et acceptandam, v. 1. Secundo, ostendit Dei erga Iudæos beneficia in exitu ab Ægypto, et in deserto, atque eorum ingratitudinem et scelera in Deum, vers. 12. Tertio, Dei erga ipsos benignitatem in terra promissionis, et eorum scelera ibi admissa ac reprobationem, vers. 23. Quarto denique, electionem Christianorum, et subrogationem in locum Iudæorum per Christum in Davide figuratum, vers. 59.

SECTIO PRIMA.

Tria continet. Primo, attentionem excitat a dicendorum admirabilitate, v. 1. Secundo, legem Evangelicam docet a Deo esse traditam, vers. 5. Tertio, finem legis statuit divinorum mandatorum executionem, vers. 7.

1. *Attendite popule meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.*

2. *Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.*

3. *Quanta audivimus, et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis.*

4. *Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera.*

Narrantes laudes Domini, et virtutes eius, et mirabilia eius quæ fecit.

5. *Et suscitavit testimonium in Iacob: et legem posuit in Israel.*

6. *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera.*

Filii qui nascentur et exurgent, et narrabunt filiis suis.

7. *Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei: et mandata eius exquirant.*

8. *Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava et exasperans.*

Generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus eius.

9. *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum: conversi sunt in die belli.*

10. *Non custodierunt testamentum Dei: et in lege eius noluerunt ambulare.*

11. *Et obliti sunt benefactorum eius, et mirabilium eius quæ ostendit eis.*

PARAPHRASIS.

1. Non Mosis, aut alterius Prophetæ, sed meo ore promulgatam et latam legem attendite, quicumque populo meo aggregati estis: et ad mea præcepta faciles mentes advertite, eaque cum debita demissione mentis percipite.

2. Attentione et pio ad credendum affectu opus est. Magnis enim obvoluta mysteriis eloquar, texamque parabolas et ænigmata, quæ superioribus sæculis contigerunt, et rerum admirabilium in lege gratiæ futurarum umbræ erant ac figuræ.

3. Quam sublimia et innumera sunt ea, quæ ego et corpus meum Ecclesia, audivimus, perfecteque dignovimus, atque certa esse et indubitata Prophetarum et Patriarcharum narratione scriptisque vidimus.

4. Eorum oracula, et legis Evangelicæ arcana, priscis obtecta velis revelata sunt populo Christiano, qui ab illis, velut parentibus, doctrinam veram percepit.

Quare populus hic parentum suorum monitis excitatus Dei laudes celebrabit, ac potentiam, et opera mirifica: quæ tum in lege Mosaica, tum præsertim in sua, præstitit.

5. Nam pactum cum Iudaico populo sancivit, eique legem posuit, legis Evangelicæ prænuntiam figuram.

6. Quare magna sunt ea et multa, quæ post statutam legem in gratiam illius populi effecit, iussitque ea posteris prædicari, ut Christiani illa cognoscant, et Dei sui potentiam admireutur.

Sicque per omnes consequentes ætates ea ad nepotes ac minores meditanda traduci voluit, ad sæculorum usque consummationem.

7. Ut hac iugi meditatione excitati spem suam omnem in Deum unum coniiciant, neque patiantur e memoria excidere mirabilia eius opera, omnique mentis et corporis contentione mandata ipsius intelligere, et ad praxim revocare studeant.

8. Ne per incuriam suam et socordiam in malorum suorum scelera præcipites agantur, qui pravitate sua et cordis duritie ad iracundiam me Patremque meum incitarunt.

Quique ad delicias voluptatesque terrenas et idola incurvati, sincero rectoque corde cælestia non quæsierunt: neque se mentemque suam, et affectus perfecte Deo crediderunt, sed ad levissimam cladem animo fluctuarunt.

9. Decem præsertim Israelis tribus duce Ieroboamo, qui ab Ephraim ducebat genus, cum cultus mei se ad brevissimum tempus studiosas ostendissent, a me, meoque templo et sacrificiis aversæ sunt ad minimum dæmonis assultum, neque a fuga sua unquam penitus redierunt.

10. Neque legem meam Mosi traditam, cuius sectatoribus perennem felicitatem pactus eram, servarunt: neque ex eius præceptis vitam suam et actiones moderari voluerunt.

11. Ac tandem vilissimorum idolorum addicti cultui, collata sibi maioribusque a Deo beneficia effluere a memoria passi sunt: neque miracula in Ægypto, deserto, ipsaque promissionis terra, patrata sibi ob oculos posuerunt, ne in virtutis viam ea memoria revocarentur.

PRIMÆ SECTIONIS ANALYSIS.

Christus magna mysteria prolaturus, primo,

- Auditores excitat, ad
  - Attentionem, 1. quod
    - Parabolas prolaturus sit, 2.
    - Et ænigmata, 2.
  - Et benevolentiam, quod
    - A patribus accepta sint. 3.
    - Et posteris tradenda. 4.
  - Ac desiderium laudandi Deum
    - Narrando virtutes eius. 4.
    - Et mirabilia eius. 4.
- Tempus legis gratiæ declarat, 5. quæ
  - Omnibus populis dabitur,
    - Iudæis. 5.
    - Christianis. 5.
  - Omnibus sæculis declarabitur,
    - Parentum diligentia. 6.
    - Filiorum charitate. 6.
  - Singulis hominibus erit utilis. 6.
    - Voluntatem, eorum spe in Deum complendo. 7.
    - Memoriæ, obiiciendo Dei beneficia. 7.
    - Intellectum, præceptis illustrando. 7.
  - Peccata omnia avertit, in quæ lapsi Iudæi, 8.
    - Ore, in Deum murmurando. 8.
    - Voluntate, ad terrena se incurvando. 8.
    - Intellectu, Deo se non subiiciendo. 8.
    - Manu, sagittas operum male iaciendo. 9.
    - Pectore, non se muniendo divini pacti clypeo. 10.
    - Pedibus, a divinis semitis declinando. 10.
    - Memoria, ab ea delendo beneficia accepta. 11.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta commoda exauditione et observatione legis Evangelicæ nascantur.

4. Ordo Sectionis. Cum Psalmus hic reprobationem Iudæorum, et electionem Christianorum contineat, statim ab initio Christus hic loquens hortatur alumnos suos, ut legem Evangelicam assumant et servent.

Ac primo, attentionem postulat, v. 1. *Attendite popule meus legem meam.* Secundo, benevolentiam: *Inclinate aurem vestram in verba oris mei.* Causam affert attentionis, quod scilicet dicturus sit mysteria, v. 2. *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio;* et causam benevolentiæ, quod dicturus sit accepta a patribus, v. 3. *Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis.* Tertio, docilitatem quoque conciliat, cum ait, illa quæ dicturus est, cognoscenda esse a Christianis, qui sunt filii patriarcharum, vers. 4. *Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera.*

Ex cognitione autem sequitur voluntatis affectus, et oris iubilatio, vers. eod. 4. *Narrantes laudes Domini et virtutes eius, et mirabilia eius quæ fecit.*

Secundo, legem illam docet toti orbi esse dandam, v. 5. *Et suscitavit testimonium in Iacob, et legem posuit in Israel.* Figuratam esse eam legem in variis figuris legis antiquæ dicit, v. 6. *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera:* hoc est, Christiana, ut dicetur infra suo loco. Legem porro Evangelicam duraturam usque ad finem mundi, vers. eod. 6. *Filii qui nascentur, et exurgent: et narrabunt filiis suis.*

Tertio denique, legis Evangelicæ finem aperit. Primo, ut se totos homines Deo tradant. Secundo, ut peccata sedulo fugiant.

Primo enim, totos se Deo tradant oportet: Primo, voluntate, in ipso sperando, vers. 7. *Ut ponant in Deo spem suam.* Secundo, memoria, retinendo accepta beneficia: *Et non obliviscantur operum Dei.* Tertio, intellectu, cognitionem præceptorum quærendo, ut opere deinde illa prosequantur: *Et mandata eius exquirant.*

Secundo, finis legis Evangelicæ est, ut fugiantur omnia peccata, quæ Iudæi admiserant, et ob quæ fuerant reprobati, v. 8. *Ne fiant sicut patres eorum.* Peccata Iudæorum exponit. Primo enim, os a Deo averterant, per murmurationem, vers. eod. 8. *Generatio prava et exasperans.* Secundo, ab eo voluntatem averterant, eam ad terrena incurvando: *Generatio quæ non direxit cor suum.* Tertio, intellectum, Deo illum non subiiciendo: *Et non est creditus cum Deo spiritus eius.* Quarto, manus, in bonis operibus non perseverando, v. 9. *Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Quinto, pectus, nudum hosti præbendo, non servata lege, ut clypeo, v. 10. *Non custodierunt testamentum Dei.* Sexto, pedes, seu affectus, illos ab eius semitis avertendo: *Et in lege eius noluerunt ambulare.* Septimo denique, memoriam, ab ea delendo beneficia a Deo accepta, v. 11. *Et obliti sunt benefactorum eius, et mirabilium eius quæ ostendit eis.*

ARTICULUS I.

Magna attentione et humilitate lex Christi audienda est.

5. Vers. 1. Christus hic excitat ad audiendam legem Evangelicam. Christus initio huius Psalmi longissimi auditorem suum excitat, v. 1. ATTENDITE POPULE MEUS (Psalt. Illyr. homines mei) LEGEM MEAM, INCLINATE AUREM VESTRAM IN VERBA ORIS MEI. *Legis* nomine intelligit totam Scripturam Clemens Alexand. lib. 5. Stromat. cap. 2. Secundo, Bellarminus, qui Davidem vult loqui in hoc Psalmo, non vult hic accipi legem stricte sumptam; sed præceptiones quæ dirigere possunt ad veram felicitatem, instar legum optimarum et sapientissimarum. Tertio, Ugo Card. qui Deum Patrem ait loqui: per legem intelligit vetus testamentum, quod antiquum populum quasi insanum ligavit: A per verba oris, id est, Filii, per quem locutus est in novo testamento, accipit legem Evangelicam. Ut enim dicitur Hebr. 1. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Quarto denique, et optime, per legem, et verba oris idem intelligitur, nempe lex Evangelica, quam Christus ore suo sanctissimo sancivit et promulgavit. Fuit enim verus legislator, non tantum legum promulgator et præco. Nam Christus homo fuit Primo, Filius Dei naturalis. Secundo, fuit Rex totius orbis. Tertio, supremus omnium iudex. Quarto, summus Pontifex. Ob eos titulos leges ferre potuit. Consule ea de re fuse dicta Ps. 2. 6. in illud: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Præsertim vide artic. 2. sect. 2.

Nota, ad quatuor excitat Christus suos alumnos: 1. Ad attentionem. 2. Ad benevolentiam. 3. Docilitatem. 4. Humilitatem. 6. Lex Dei attente est audienda.

Ac primo, attentionem clare postulat, et quidem sedu- B lam et prudentem. Hebr. enim est האזינה *haazina*, id est, attendendo pondera. Non vult Christus auditores qui sint auribus ita perforatis, ut quod in unam aurem intraverit, per aliam effluat, vult *aures audiendi*, quæ sint ad formam vasis in lance, quæque accepta retineant, volvant, examinent, librent ac ponderent. Post parabolam seminis, quod est verbum Dei, habet Christus Matth. 13. 9. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Et v. 15. ait: *Incrassatum esse cor populi Iudaici, et auribus graviter audivisse.* Arab. dicitur, gravatæ sunt aures eorum. Christus loquens Ps. 48. 1. petit, *auribus percipi verba sua.* Ubi Aug. auribus percipite, hoc est, nolite transeunter audire. Chald. ibi vertit, aures arrigite. Vide eum locum. Moses legem promulgans secunda vice anno ætatis suæ 120. peregrinationis in deserto et exitus ab Ægypto anno 40. ait: *Ponite hæc verba mea in cordibus et animis vestris, et suspendite ea pro signo in manibus, et inter oculos vestros collocate.* Christus petit aures cordis, ut monet S. Aug. in Ps. 48. Adverte etiam C *attentionem* denotare cum labore et applicatione ferventi et generosa mentis verbum Dei esse audiendum. Vis tibi facienda est ne dormias, ne distraharis, ne tussias, aut ad alia advertas, sed instar contenti arcus ad Deum te erigas. Secundo, *attentio* ad verbum Dei, dicit studium et æstimationem verbi Dei tamquam rei pretiosæ, sicut aurum aut gemmas in statera ponderans attendit sollicite ne quid sit adulterinum, ne quid excidat aut pereat. Iota unum in lege Dei non est inane et vacuum, itaque nullum sine iactura omittitur, gemma est orientalis cum gratiarum actione suscipienda, et cum amore retinenda. S. Chrys. hom. 35 in Ioan. *Sicut, inquit, in auri metallis, ne minimam quidem venam quispiam, qui rem intelligat, omittere patitur, utpote quæ ad augendas divitias plurimum faciat: ita et in divinis Scripturis, ne unum quidem iota aut unus apex sine damno prætermitti potest, sed ne dimidium quidem prætermittendum est.* Iudæi summo studio legem et totam Scripturam audiunt in suis synagogis. Nam, ut est in שלחן ערוך *sciulchan aruch* tract. de regulis legendi sacram Scriptu- D ram, Iudæis non licet loqui in synagoga, ne quidem de sacris Scripturis, cum legis liber legitur. Et tract. de lege: Nefas Hebræis, inquit, cum lex in synagoga legitur, exire, legisque volumen apertum relinquere, ne videantur legem Dei contemnere, donec lectio sit absoluta, liber obvolutus, atque loco sit restitutus. Tertio, *attentio* dicit admirationem rei novæ, in qua oculos et animum defigas. Evangelium est lux, splendor et sol totius orbis. Hinc in medio consessu Conciliorum sacrorum ponebatur, ut omnes illuminaret: quod in Concilio Nicæno primo aliisque factum esse tradit Baronius. Morem notabilem refert Gregorius Codinus de officiis aulæ Constantinopol. cap. 9. n. 5. ait enim in die Palmarum solitum fuisse deferri Evangelium in processione, et moneri populum ad honorem illi deferendum. Prior, ait, in ambulacrum venit lampadarius lampadem ferens, totumque festi proprium canticum decantans: *Egredimini gentes, egredimini populi,* Evangelium in Conciliorum medio positum. Evangelium in supplicatione delatum.

*

contemplamini hodie regem cælorum: Christi enim figura, Evangelium progreditur.

7. Secundo, Christus benevolentiam sibi conciliat, cum dicit *Popule meus*. Psalt. Illyr. *homines mei*, id est meo Sanguine redempti, servi et domestici mei. S. Petrus alloquens Christianos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ minoris et Bithyniæ ait 1. epist. 2. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei. Ut virtutes eius annuntietis, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Ubi adverte, *populus* complectitur tam plebeios quam magnates, tam Ecclesiasticos quam politicos, omnes enim legi Dei studere debent, et Scripturæ divinæ verbis attendere. Primo, S. Ambr. lib. 3. de fide cap. 7. Scripturam vocat sacerdotalem librum. S. Carolus Borromæus cum moneretur, ut ad levandas nonnunquam curas viridarium prope Archiepiscopale palatium curaret, auream hanc vocem protulit: *Episcopi hortus atque pomarium sacra Scriptura est*, ut refert Ioan. Petrus Iussanus in eius vita lib. 8. cap. 27. Secundo, etiam laici attendere debent legi Dei. Origen. hom. 1. in Lucam. *Putat*, inquit, *aliquis, quod Lucas ad Theophilum quempiam Evangelium scripserit: omnes qui nos auditis loquentes, si tales fueritis, ut diligamini a Deo, et vos Theophili estis, et ad vos Evangelium scribitur.* Et hom. 20. Unusquisque nostrum, ait, si bonus fuerit atque perfectus, possessio Dei patris est, et habet in medio sui Iesum: ita ille: Habet autem illum velut in medio principum consessu, regem, aut in medio sapientum, doctorem, qui facultates animæ omnes illustret atque moderetur.

Omnes debent attendere legi Dei.

Tam sacerdotes quam laici.

S. Borromæi eximium acroama.

8. Tertio, Christus humilitatem a suis auditoribus, et discendi aviditatem postulat: *Inclinate aurem vestram in verba oris mei.*

Inclinatio auris denotat:

1. Discendi aviditatem.

Primo enim, *inclinatio auris* denotat magnum desiderium audiendi. Hinc Sapientia increata et incarnata ad eam hortatur Prov. 2. 1. *Fili mi, si susceperis sermones meos, et mandata mea absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ: si quæsiveris eam quasi pecuniam et quasi thesauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies.* Christus Matth. 13. ut declaret naturam, vim et efficaciam verbi Dei et prædicationis Evangelicæ, illam comparat semini, grano sinapi et fermento: ut vero declaret eius pretium, comparat thesauro abscondito in agro et pretiosæ margaritæ. Prov. 8. 11. Salomon dicit: *Sapientiam esse meliorem cunctis pretiosissimis, et omne desiderabile ei non posse comparari.* S. Bernard. sermon. 2. in festo Ss. Petri et Pauli vocat verba Dei, fructus vitæ: sicut itaque vitam amamus, ita et verba Dei amanda sunt. S. Asterius sermon. de œconomo iniquitatis, dicit, aures esse inclinandas ad sanos sanctosque sermones, iisque esse patefaciendas, ut per istos quasi tubos ad animam bona dicta transmittantur: vitiorum vero asseclam, et pestilentem ac perniciosum hominem propius accedentem, ut peccati cœnum per aures infundat, vitandum et fugiendum esse non aliter quam genus illud ferarum, quæ toxicum eiaculantur. Xenocrates docebat, pueris potius quam athletis, aurium munimenta esse applicanda: ne scilicet impiorum sermonibus vulnerentur. Clemens Alex. lib. 2. Strom. cap. 6. pag. 168. Divinus, inquit, pædagogus pueris luctantibus, ne aures eorum offendantur, pudicos et modestos sermones, veluti quædam aurium munimenta adhibet, ne possit ad frangendam animam pervadere pulsatio fornicationis: ita Clemens. In psalmo nostro Arabs vertit, *Approximate aures vestras ad sermonem oris mei.* Surdastri sumus, et mundus ex omni parte obstrepit; vocem Dei loquentis non percipimus, nisi propius accesserimus: vox enim eius est in sibilo auræ tenuis, 3. Reg. 19. 12.

9. Secundo, et præcipue, *inclinatio auris* denotat humilitatem. S. Aug. in Ps. nostr. *Ille pie attendit legem Dei, et verba oris eius, cuius aurem inclinat humilitas, non cuius erigit cervicem superbia. Quod enim infunditur, concavo humilitatis excipitur, eminentia tumoris expellitur:* hæc ipse. Iungenda est doctoris eruditioni humilitas discipuli, sicut carbunculo aureus annulus excavatus, ut gemmam radiantem contineat. S. Ephrem tr. de amore pauperum: *Gloria Christianorum*, inquit, *Apostolorum et Prophetarum doctrina: gloria Christianorum, humilitas animi est.* Eccl. 5. 13. dicitur: *Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas.* S. Iacob. 1. 21. *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Concil. Viennense ait esse Christum incarnatum. Alii, Christum in Eucharistia. Beda, Gagneius et Catharinus insitum verbum esse dicunt verbum Dei, id est verba Scripturæ, et præsertim Evangelii. Corn. a Lapide undecim analogias insitionis et prædicationis ibi affert.

II. Humilitatem.

Verba Christi recte audit, qui est parvulus et se discipulum rudem æstimat. S. Greg. 33. Mor. 17. *Salomon*, ait, *ad sapientiam parvulos vocat, dicens: Si quis est parvulus, veniat ad me. Qui enim necdum semetipsum despicit, humilem Dei sapientiam non apprehendit.* S. Bonav. tom. 1. serm. 19. Studere, inquit, debet Christi discipulus in sacra Scriptura, sicut pueri primo addiscunt A. B. C. D. Cassianus humilitatem vocat, magistram omnium virtutum: itaque præses est totius Academiæ Christi humiliati usque ad mortem crucis. Verba eius sunt collation. 12. Humilitas *est omnium magistra virtutum*, ipsa est cælestis ædificii firmissimum fundamentum, ipsa est donum proprium atque magnificum Salvatoris. S. Laur. Iustin. dicit, humilibus dari intelligendi gratiam. Sic autem ait lib. de contemptu mundi cap. 4. Ex divinis Scripturis, eo uberius, disponente Domino, veritatis erumpunt stillicidia, quo eredendo percipiuntur humilius, quoniam elatum fugiunt, et ab eo qui se procaciter iactat, elongari noscuntur. Nam sicut Deus superbis se occultando resistit: *ita humilibus dat intelligentiæ gratiam.* Christus gratias agit Deo Patri, quod mysteria sua absconderit a sapientibus et prudentibus, et revelaverit ea parvulis, Matth. 11. 25.

Exteriori etiam corporis cultu testatam illam mentis in audiendo verbo Dei demissionem voluit Anastasius Papa, qui constituit, cum evangelium legeretur, sacerdotes curvos stare. Olim evangelium in processionibus ferebant, ut sub illo omnes caput demittere probarentur. Alcuin. lib. de divin. officiis cap. 24. *Suscipiunt*, ait, *diaconi portatorium cum evangelio, baiulantes cum ingenti exultatione iugum Christi suave, et onus eius leve.* Apud varios populos in more est sacros libros capiti imponere in venerationis signum. S. Petr. Damiani in pontificis consecratione ritum illum notat: Ponitur, ait, et evangelica pagina *super caput ipsius recumbentis*, ut et verba vitæ suam sentiat excedere rationem, et oculi deficiant in eloquium Domini: hæc ipse. Contra vero, aliquid pedibus premere, aut illi insidere, signum est contemptus. Angerius Busbequius epist. 1. Immane, inquit, apud Turcas piaculum est, si quis eorum vel imprudens Alcorano (qui divinæ legis habetur liber) insideat; homini vero Christiano, capitale. Sigismundus refert, quanta veneratione Moscovitæ libros evangeliorum suscipiant. Libros evangelii, ait, nonnisi in locis honestis, tamquam rem sacram, reponunt: neque manibus tangunt, nisi prius cruce se munierint, et *capite operto inclinatoque* honorem exhibuerint: post, summa veneratione *in manus sumunt*. Hebræi ad pedes magistrorum suorum sedentes, ediscebant legis cæremonias et præcepta, ut situs ipse humilitatem eos doceret. In Pirke avoth, id est in sententiis patrum, Iose Ioazari filius ait: In pulvere pedum magistrorum sedeto, et verba eorum cum siti bibito. Sic S. Paulus edoctus est ad pedes Gamalielis, Act. 22. 3. Et S. Maria Magdalena sedens secus pedes Domini excipiebat verbum illius, Luc. 10. 39. Ad cum ritum allusum videtur Deut. 33. 3. ubi sic Moses loquitur: *Dominus de Sinai venit, et de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, et cum eo sanctorum millia: in dextera eius*

Ritus notabiles ad Evangelii venerationem.

ignea lex: dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt: et qui appropinquant pedibus eius, accipient doctrinam illius. Concludamus itaque cum S. Laur. Iustin. requiri humilitatem, ut verba Dei recipiamus. Sic enim ait agens de humil. cap. 3. *Sicut qui thesauros effodit, terram reiicit, foveam in altum facit, et sedulus insistit, donec inveniat quod quærit: ita si quis thesauros sapientiæ reperire desiderat, omne pondus terrenum a se abiiciat, in se foveam humilitatis agat, nec quiescat, donec ad id pertingat quod cupit.* Optima itaque dispositio est euntis ad conciones, ut se humiliet, et ab ore concionatoris verba excipiat, velut verba Dei. Victor in catena græca in c. 15. Ierem. *Os Dei fit,* ait, *quicumque sermones eius pronuntiat.* Claudian. Mamercus presbyter Viennensis, qui floruit circa ann. 440. æqualis S. Eucherii, lib. 1. de statu animæ, vehementer increpat eos, qui Dei verbis superbe et obstinate contradicunt; et ait, esse multo maximum, et longe periculosius crimen.

ARTICULUS II.

In Scriptura sunt parabolæ et ænigmata, ideoque est obscura, et attentum atque humilem lectorem requirit.

10. Vers. 2. Affert Christus rationem, cur petierit attentionem et inclinationem auris a populo suo: quia scilicet parabolas et ænigmata erat locuturus, v. 2. APERIAM IN PARABOLIS OS MEUM, LOQUAR PROPOSITIONES AB INITIO, id est antiquas propositiones seu ænigmata. Hebr. חידות *chidoth,* id est ænigmata, ut S. Hieron. Aquila, Apollinaris, Felix, Flamin. Camp. Arias, et alii vertunt. Septuag. habent προβλήματα, id est problemata seu ænigmata: sic enim ænigma a Samsone propositum Iudic. 14. 14. *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo,* vocant problema. Proprie, problema est id quod obiicitur pro munimine et propugnaculo: deducitur a προβάλλω, id est præiacio, ante iacio. Hinc problema dicitur quæstio, seu propositio quæ explicanda et enucleanda offertur. S. Hier. reddit, *loquar ænigmata antiqua.* Sed qua antiquitate? Primo, ab exitu populi Israel ex Ægypto, multa enim de eo habet psalmus: is autem contigit anno mundi 2544. post diluvium 888. ante Christum 1509. Secundo, ænigmata antiqua ab ipsa constitutione mundi. Sicut enim habet Matth. 13. 34. *Sine parabolis non loquebatur eis; ut impleretur,* τὸ *ut* non denotat finem, sed consecutionem q. d. Sic impletum est, *quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.* Ubi adverte, aperire os phrasi hebraica idem est quod loqui; sed, cum gratia, venustate, prudentia, auctoritate, maiestate. Salmeron Noster tom. 5. tract. 3. decem profert rationes, cur dicatur Christus aperuisse os suum edocturus beatitudines, et præcepta sanciturus.

11. Parabola quid sit. Quæres primo, quid sit parabola, et quomodo differat a similitudine, exemplo, allegoria, metaphora, etc. Resp. primo, me septem parabolæ significationes assignasse Ps. 48. sect. 1. Sufficiat nunc S. Chrysost. qui sic illam definit in Ps. illum: Parabola, inquit, est αἰνιγματώδης λόγος; ænigmatica oratio, quam multi dicunt quæstionem, quæ aliquid quidem significat, sed id non est apertum statim ex ipsis verbis, sed habet sensum latentem. Sic Ezech. 20. 49. habetur: *A, a, a, Domine Deus: ipsi dicunt de me. Numquid non per parabolas loquitur iste?* Adverte autem parabolam differre a similitudine, exemplo, apologo, allegoria, metaphora, symbolo, et emblemate.

Parabola differt a similitudine. Primo quidem, parabola et similitudo sæpe confunduntur. Unde cum Marci 13. 28. dicatur: *A ficu discite parabolam.* Lucas cap. 13. 6. habet *similitudinem.* Item Luc. 6. 39. ubi est, *Dicebat illis similitudinem,* Græce est, παραβολήν. Cicero lib. 1. de inventione vocat, collationem, ut monet Quintilian. lib. 5. c. 9. Et vox græca παραβάλλειν conferre et comparare significat. Arist. lib. 3. Rhetoricorum: Parabola, inquit, est similitudo ducta a forma ad formam. S. Hier. in Marcum: Parabola, ait, est natura discrepantium rerum sub aliqua similitudine facta comparatio. Clem. Alex. lib. 6. Strom. pag. 677. Parabola est oratio ab aliquo, non proprio quidem, sed quod est simile proprio, ad id quod est verum et proprium deducens eum qui intelligit: aut, ut dicunt aliqui, dictio quæ per alia, ea quæ proprie dicuntur, ostendit cum efficacia: hæc ille. Differt tamen parabola a similitudine, quod similitudo sit veluti genus et latius pateat: parabola vero sit certa species similitudinis. Origen. tom. 2. serm. de thesauro abscondito in agro. Videtur, inquit, similitudo esse generalis, parabola vero specialis. Eam Hebræi vocant *mascial,* q. d. Dominantem, quod sit similitudo quædam augustior, et sub suo cortice aliquid eximium continens.

Secundo, parabola differt ab exemplo: quod exemplum sit historiæ pars, cum rem gestam aut improbamus, aut confirmamus, alterius rei gestæ comparatione. Exemplo.

Tertio, parabola differt ab apologo seu fabula: quod fabula sit rerum neque verarum, neque verisimilium ad significandum narratio. Apologo.

Quarto, parabola differt ab allegoria: quod allegoria in re aliqua vera et historia nititur, atque ab illa ad alia significanda sensus allegoricus deducitur. Itaque sensum litteralem et historicum, veluti certam firmamque basim, semper præsupponit. Allegor.

Quinto, parabola differt a metaphora: quia in verbis tantum posita est metaphora ob similitudinem nonnullam, unum pro altero vocabulum, cum gratia et venustate usurpando. Metaphora.

Sexto, parabola differt a symbolo, quod est occultæ rei signum: quia symbolum latius patet; et emblemata, parabolas, apologos, ænigmata, et id genus alia comprehendit. Symbolo.

Septimo denique, parabola differt ab emblemate: quia emblema est symbolum aliquod ingeniosum, suave, et morale, ex pictura et lemmate constans, quo aliqua gravior sententia indicari solet. Lemma porro est epigraphe emblematis. Emblemate.

Quæres secundo, cur Christus usus sit parabolis? Resp. id fecisse Primo, ob maiestatem Scripturæ, ne eius mysteria contemptui eruditorum paterent. Eam docendi viam secuti sunt Pythagorici, Platonici, Peripatetici, Academici, Athenienses, Romani, Ægyptii, ut ostendi Ps. 50. 7. ubi fusius egi de obscuritate Scripturæ. Addo de Ægyptiis Clementem Alex. lib. 5. Strom. pag. 566. Ægyptii, ait, non quibuslibet ea quæ apud ipsos erant, committebant mysteria: neque rerum divinarum cognitionem deferebant ad profanos; sed ad eos solos, qui erant ad regnum perventuri, et ex sacerdotibus ii qui erant iudicati probatissimi, et educatione, et doctrina, et genere. Ergo quod attinet ad occultationem *sunt Hebraicis similia Ægyptiorum ænigmata.* Deinde aliquot profert, ut Diospoli puellum, symbolum generationis: senem vero, interitus: accipitrem, Dei: odii, piscem: crocodilum, impudentiæ. Quibus omnibus significaretur: O qui nascimini et interitis, Deus odio habet impudentiam. Alia vide apud ipsum. Et pag. 557. subdit: Quin etiam poetæ, προφητῶν θεολογίαν δεδιδαγμένοι, *qui a Prophetis didicere Theologiam,* per arcana sensa multa philosophantur. Orpheus, inquam, Linus, Musæus, Homerus, et Hesiodus, et qui ea sunt ratione sapientes. Velum autem eis apud vulgus est poetica delectatio, somniaque, et symbola quæ sunt hominibus obscuriora, non propter invidiam: Nefas enim est Deum intelligere patibilem. Sed ut ænigmatum notionem subiens inquisitio ad inveniendam recurrat veritatem: hæc Clemens. Apud Syros in usu frequenti fuit parabolicus sermo. S. Hier. in Matth. Familiare est Syris, inquit, et maxime Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas iungere, ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur: hæc ipse. Parabolas et similitudines frequentes habet Isaias: nempe cap. 1. v. 3. 6. 7. 8. 9. 10. 18. 21. 29. 31. et cap. 5. 28. et cap. 9. 3. 18. cap. 10. 14. 15. 16. cap. 14. 4. 8. cap. 16. 2. 8. cap. 17. 6. cap. 18. 4. 5. et sic de cæ- 12. Christus est usus parabolis, et cur? I.

teris. Ieremias cap. 1. 18. cap. 2. 12. 20. 22. 26. 30. 32. cap. 4. 11. 13. 31. etc. Ezechiel cap. 7. 16. cap. 11. 11. cap. 13. 4. 8. 10. 18. cap. 34. 2. 10. 23. Vide alios prophetas. De Christo dicitur Matth. 13. *Sine parabolis non loquebatur eis.*

II. Secundo, rudiores maxime delectantur parabola et similitudine; res enim spirituales veluti ob oculos ponuntur per res corporeas, ac facilius memoriæ mandantur.

III. Tertio, eruditi etiam illa obscuritate recreantur, et varios sensus subtiliter inde deducunt. S. Greg. hom. 5. in Ezech. *O quam mira,* inquit, *est profunditas eloquiorum Dei: libet huic intendere, libet eius intima, gratia duce, penetrare. Hanc quoties intelligendo, discutimus, quid aliud quam sylvarum opacitatem ingredimur, ut in eius refrigerio ad huius sæculi actibus abscondamur.* R. Ismael alio simili rem explicat. Sicut, ait, malleus qui ictu uno lapidem percutit, et in plures diducit partes: sic unus sacræ Scripturæ textus, tot explicationes parturit et sensus.

IV. Quarto, obstinati in peccatis suis etiam reges et principes ad sanam mentem parabolis revocantur, ut patuit in Davide, qui per decem circiter menses in peccato iacuerat, parabola ovis unius raptæ, sibi est redditus ac Deo, 2. Reg. 12. Pharisæi convicti sunt a Christo per parabolam vinitorum, qui servos et filium patrisfamilias occiderant, Matth. 21.

V. Quinto, parabolæ sunt velum iniectum oculis superborum et impiorum, ut videntes non videant, et audientes non intelligant, ne sanentur, ut dicitur Matth. 13. Obscuritas etiam parabolæ impedit blasphemias sceleratorum, cum ad varios sensus trahi possint, ut advertit Clem. Alex. lib. 6. Strom. pag. 677. Superbiam etiam eorum retundit illa obscuritas, cum debeant ab aliis petere explicationem, et suam fateri ignorantiam. Græci consecrabant Mercurio fructum mali Punici, propter interpretationem. Habet enim multas latebras oratio, et cortex eius operiendus est, ut decor appareat.

13. *Cur ænigmata sunt in Scriptura.* Quæres tertio, cur ænigmata ponuntur in Scriptura? Resp. ob easdem rationes, ob quas in ea ponuntur parabolæ, de quibus mox dixi. Nam, ut ait S. Aug. in Ps. 48. *Ænigma est obscura parabola, quæ difficile intelligitur.* Aut commodius: Ænigma est rei alicuius obscura et figurata descriptio. S. Hier. in vers. 12. Psalmi nostri ait, in eo contineri thesaurum occultum et magna mysteria: *O quanta mysteria*, inquit, *o quanti flores? non dico dies, sed et totus mensis ad intelligentiam istius psalmi non potest sufficere. In singulis verbis sensus sunt. Habemus et thesaurum in vasis fictilibus: hoc est, in verbis mysticis Scripturarum:* hæc Hier. Quidam Græcus Poeta iure hunc psalmum præfert hymnis Orphei, Mercurii facundiæ, et Apollinis oraculis: nam, ut Baptista Cicala vertit, Æterni nobis pandit opera Dei. Salomon filius Davidis nostri excelluit in faciendis ænigmatis, Eccli. 47. 17. et in solvendis, ut patuit in iis quæ illi proposuit regina Saba 3. Reg. 10. 1. et seqq. atque in iis quæ proposuit Hyram rex Tyri amicus eius. Iosephus enim lib. 8. Antiquit. cap. 2. sic ait: Quæstiones ænigmaticas et implicatas Tyrius rex ad Salomonem transmisit: at ille callens eiusmodi rem, prudentissimus nihil inexplicatum relinquebat: sed omnia ratione pervincens apertissime declarabat. Iudæi peritum legis vocant עוקרי הרים *hokere arim*, id est *ruptorem montium*, quod difficultates penetret, atque inde thesauros eruat. Habebant enim griphorum, parabolarum, et ænigmatum scientes ut sacras litteras explanarent. Euseb. lib. 11. de præparat. evang. cap. 5. Hebræi, ait, ut eorum animos, quos disciplinis suis imbuendos suscipiebant ad sapientiam capessendam acuerent, sacras iis sententias, plenasque gravitatis et honestatis historias, eum modulatis alternisque carminibus, certa numerorum lege comprehensis, et problemata insuper atque ænigmata, nonnullasque eruditas et allegoriis involutas quæstiones cum verborum elegantia a teneris unguiculis ingerebant: hæc

14. *Ænigmata apud Isaiam, Ieremiam, Ezech.* Eusebius. Prophetæ varia ænigmata scriptis suis inseruerunt. Isaias cap. 11. 1. B. Virginem proponit, ut virgam:

A Christum, ut florem; v. 6. comparat gentes barbaras lupis, pardis, leonibus; fideles vitulo et ovi; cap. 13. 1. Babylonem vocat montem caliginosum; cap. 14. 1. Balthasaris regis Babylonici casum depingit sub typo luciferi; v. 29. Ezechiam vocat regulum orientem ex colubro, nempe Ozia et Davide; cap. 18. 1. Æthiopiam comparat cymbalo alarum; Ierem. cap. 2. pingit Israelitas euntes ad idola, specie onagri vagantis in solitudine, et ibi libidine insanientis; cap 4. 7. Nabuchodonosorem nominat leonem; cap. 5. 6. eumdem appellat leonem de sylva, lupum ad vesperam, pardum vigilantem; cap. 17. 11. divites delineat in forma perdicis ova non sua foventis; cap. 46. 20. Ægyptum pingit, ut vitulam elegantem et formosam; Ezech. cap. 17. 2. volens describere Nabuchodonosorem potentem exercitu et late imperantem, atque trasferentem in Babylonem Iudæos multos cum suo rege Iechonia, sic ait: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis et varietate venit ad Libanum, et tulit medullam cedri;* v. 7. Pharaonem regem Ægypti B et Iudæam describens ait: *Et facta est aquila altera grandis, magnis alis, multisque plumis. Et ecce vinea ista quasi mittens radices suas ad eam, palmites suos extendit ad illam, ut irrigaret eam de areolis germinis sui.* Vide alia ænigmata in his et aliis Prophetis.

Ugo Card. ingeniose illud expendit: *Loquar propositiones ab initio.* Sic autem loquitur: In die iudicii Deus non loquetur *propositiones*, sed *conclusiones*, secundum quod nos sumpserimus *assumptiones*. Deut. 11. 26. *propono* in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem: benedictionem si obedieritis mandatis Dei vestri: maledictionem, si non audieritis mandata Domini Dei vestri: Vestrum est ergo eligere assumendo bonum, ut ex bona propositione et bona assumptione sequatur bona conclusio. Deut. 30. 19. *Testes invoco hodie cælum et terram, quod proposuerim vobis vitam et bonum: benedictionem, et maledictionem: Elige ergo vitam, ut et tu vivas.* Tandem enim concludet Deus. Unde Ezech. 7. 23. ait: *Fac conclusio-* C *nem, quoniam terra plena est iudicio sanguinum, et civitas plena iniquitate.*

ARTICULUS III.

Scripturæ et mysteriorum intelligentia Christianis per patres aperitur.

Christus, qui in propria persona dixerat populo suo: *Attendite popule meus legem meam*, etc. pergens eidem 15.
populo loqui, ait v. 3. QUANTA AUDIVIMUS (ego scilicet ad Vers. 3.
vos omnes) ET COGNOVIMUS EA (in testamento vetere) ET PATRES NOSTRI (Prophetæ et Patriarchæ) NARRAVERUNT NOBIS, tam scripto, quam verbo. Pro *quanta*, Hebr. est אשר *ascer*, id est Primo, *quæ*, ut vertit S. Hier. Flamin. et Felix. Secundo, quæcumque, quantacumque. Tertio, quam multa, et quam magna: potest enim τὸ *quanta* sumi θαυμαστικῶς, id est cum admiratione, ut ait Euthym.

Deinde addit, ea fuisse cognita populo quem alloqui- D tur, et sibi, quia sunt filii eorum patrum, nempe Patriarchæ Abrahæ et aliorum, v. 4. NON SUNT OCCULTATA A FI- Vers. 4.
LIIS EORUM (id est, a me et vobis) IN GENERATIONE ALTERA, id est in hac in qua sumus, in hac nostra ætate, et in lege gratiæ.

Refert motivum Patrum narrantium filiis illa mirabilia, scilicet ut Dei gloriam amplificarent, et ad eam augendam 16
posteros hortarentur, v. 5. NARRANTES (patres scilicet) Vers. 5.
LAUDES DOMINI, ET VIRTUTES (Hebr. potestatem, robur, fortitudinem) EIUS, ET MIRABILIA EIUS QUÆ FECIT. Ubi adverte τὸ, *Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera.* esse includendum parenthesi: ita ut sit sensus, q. d. *Quanta audivimus et cognovimus.* Nam τὸ *ea* est redundans more Hebræo, *et*, id est quia *patres nostri narraverunt nobis, narrantes laudes Domini, etc.* Secundo, adverte, perfectam cognitionem declarari, eum per offirmationem dicatur, *cognovimus ea*, et per negationem ad-

datur: *Non sunt occultata*. Est hebraismus, quo idem dicitur per affirmationem et negationem ut firmior sit asseveratio. Ut de S. Ioanne dicitur, Ioan. 1. 20. *Et non negavit, et confessus est, et non negavit, quia non sum ego Christus.* Id frequens est in psalmis.

17. Patres nostri sunt: I. Patriarchæ et Prophetæ. Nota primo, patres sunt Prophetæ, Patriarchæ, Apostoli, Prælati, Doctores. Ps. 44. 17. ait David Ecclesiæ: *Pro patribus nati sunt tibi filii.* Illorum monitis tam scriptis, quam traditione acceptis, obediendum est. S. Petr. Damiani id monet Opusc. 16. *Non mihi,* inquit, *Dialectica syllogismorum suorum circulos offerat: non Rhetorica lepidos delinificæ suadelæ colores infundat, non aliqua sæcularis sapientia phalerata mihi suæ urbanitatis lenocinia suggerat: sola se et nuda proferat auctoritas Patrum, in quorum pectore omnipotens Deus, velut in tribunali solio præsidens, sanctitatis suæ voluit promulgare decretum.* Absalon Abbas serm. 48. ex Rationali, quod Pontifex Iudæorum gestabant in pectore inscriptum nominibus Patriarcharum, colligit eorum doctrinæ esse assentiendum. Verba eius sunt: *In rationali, quod Pontifex legalis gestabat in pectore, duodecim nomina filiorum Israel inscripta erant, cum his duobus nominibus, Doctrina et Veritas, ut eo ipso significaretur doctrinam Prælati, et cuiuscumque Doctoris, sanctorum Patrum vestigiis debere inniti:* hæc ille. Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, aliique Patres sunt excelsi et solidi montes, quibus innititur Ecclesia, de qua dicit David Ps. 86. 1. *Fundamenta eius in montibus sanctis;* Chald. Cuius fundamentum super ore Patrum, qui fuerunt a principio. Et Gen. 49. 26. ait Iacob moriturus filio suo Iosepho: *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius.* Sept. vertunt: *Benedictiones patris tui superaverunt benedictionem montium stabilium.*

18. II. Patres sunt præceptores. Tropolog. Patres nostri, sunt præceptores, a quibus vitam spiritualem et cælestem suscipimus. S. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 26. *Disciputi, ait, magistros et ut patres amare, et ut principes timere debent: ac neque propter amorem, metum discutere: neque ob metum, benevolentiam iurare.* Et in שלחן ערוך *sciulchan aruch,* habetur: Tenetur quilibet honorare suum præceptorem, ac timere amplius quam patrem. Theodosius senior Imp. sic honorari voluit ab Arcadio et Honorio filiis suis Arsenium eorum præceptorem, qui postea relicta aula magnam sanctitatem est adeptus. S. Simeon Metaphr. in eius vita sic ait: Theodosius Imp. Arsenium primum esse decrevit ex ordine senatorio, *et patrem non solum liberorum suorum, sed suum quoque esse et nominari.*

III. Senes. Secundo, senes civibus omnibus patrum instar esse debent, quorum prudentia et gravitate resp. tota fulciatur. S. Ambrosius lib. 1. de Abel et Cain cap. 3. Dum, ait, aliquis huiusmodi decidit, quamvis longa senectute depositus, afficior, quia *destituitur grex iuvenum muro senili.* Denique perituræ urbis, aut malorum imminentium, vel futuræ cladis hoc primum indicium est, si decedant viri consultiores, vel etiam graviores fœminæ. Hinc primum ingruentium porta aperitur malorum. Sicut ergo urbs tota solidatur atque augetur cœtu sapientum, vel obitu labefactatur: ita sermo gravis et quidem senilis, plenus prudentiæ stabiliro uniuscuiusque animum et confirmare mentem solet. Iam si accedat multarum lectionum usus, et consiliorum quidam senatus, velut perpetuum urbis eius, quæ in singulorum est præcordiis, statum efficit: hæc Ambrosius. Senibus faciles aures præbendas esse docetur Eccli. 8. 9. *Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientium, et in proverbiis eorum conversare: ab ipsis enim disces sapientiam, et doctrinam intellectus, et servire magnatibus sine querela. Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt a patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.*

19. Generatio altera sunt Christiani. Nota, *generatio altera,* sunt Christiani, qui alii et novi ex aquis Baptismi exurgunt, et regenerati per Christi sanguinem exuunt veterem hominem, et induunt novum. Illis non occultantur mysteria: templi enim velum scissum **est in morte Christi, antequam nemini aditus patebat in Sanctum sanctorum, quod etiam erat sine ullis fenestris et lumine, ut denotaretur legem Mosis in arca conclusam** esse obscuram. S. Hieron. in cap. 44. Ezech. *Priusquam,* ait, *Salvator corpus humanum assumeret, et humiliaret se, formam servi accipiens, clausa erat lex, et Prophetæ, et omnis scientia Scripturarum. Clausus erat paradisus: postquam ille pependit in cruce, et locutus est ad latronem, Hodie mecum eris in paradiso, statim velum templi scissum est, et aperta sunt omnia:* hæc ipse. Christus est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cum nascitur, pastores circumfulget lux de cælo, Luc. 2. 9. Cum vocat Magos, stellam in Oriente fulgentem eis ostendit. Cum baptizatur, cælos aperit: in monte Thabor facies eius fulget ut sol. Cum moritur, templi velum scindit: cum in cælum venit, inde Spiritum sanctum emisit in specie ignis lucentis et ardentis. Baptismus eius vocatur, φωτισμος, hoc est, illuminatio, tu sis eius φως, id est, vir et lumen, ei scilicet et per eum lucens et fulgens. Bruno lib. Allegor. in Exod. comparat Christum candelabro, quod erat in Sancto, hoc est in prima parte tabernaculi Mosaici, et templi Salomonis, *in* parte Meridionali altaris aurei: Ponitur, ait, contra mensam *candelabrum,* ut fercula imposita videantur: quoniam nisi Christo illustrante, divina Scriptura intelligi non valet: ipse enim est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ita Bruno.

Alio simili cibi utitur Origenes illud Levit. 26. 10. *Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus proiicietis,* explicans in cap. 13. Matth. sic loquitur: Comedimus in benedictione vetera, nimirum propheticos sermones, ot horum veterum vetera, videlicet legis verba, mox ubi nova eroverint et evangelica, viventes secundum Evangelium vetera litteræ ex facie novorum educimus, et ponit Deus tabernaculum suum in nobis, implens quam dixit repromissionem, inhabitabo et inambulabo in illis. Sic Origenes.

Denique lex Evangelica non tantum est lux, ut nos dirigat et recreet: non tantum cibus, ut nutriat: sed etiam thesaurus, ut potentes faciat ac nobiles, detque non modo necessaria, sed etiam superflua. Clemens Alexan. lib. 5. Stromat. pag. 556. citat illud Isaiæ 45. 3. *Dabo tibi thesauros absconditos et arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus;* et addit explicans, θησαυροι Θεου, και πλουτος ανελλιπης, η δυσθηρατος εστι σοφια; *Dei autem thesauri, et quæ non deficiunt divitiæ, est quæ venatu est difficilis sapientia.* Christus apertius comparat doctrinam Evangelicam thesauro abscondito in agro, quem quis emit ac fodit, venditis suis in eam rem omnibus, Matth. 13. 44.

Nota secundo, ob lucem Evangelicam nobis datam, *narrandæ* sunt, aut ut in Hebr. est, sigillatim recensendæ sunt 20. Laudandus Deus ob lucem Evangelii.
laudes Dei. Isaias cap. 24. 15. *In doctrinis,* Hebr. in luce, *glorificate Dominum.* S. Hieronymus exponit de eruditis in sacra Scriptura, *a finibus terræ laudes.* Sept. miracula, *audivimus gloriam iusti,* id est, Christi. Eccl. 15. 10. *Sapientiæ Dei adstabit laus,* velut excellens musicus regi suo, *et in ore fideli abundabit, et dominator dabit eam illi.* Illustris est in eam rem locus S. Ambrosii in Ps. 118. *Tu Christiane dormis, cui magister est Christus? et non vereris, ne de te dicatur: Populus iste labiis me honorat. Iudæus labiis: tu vero nec labiis. Si illius, qui vel labiis honorat, cor longe est a Deo: quomodo potest cor tuum prope esse, qui etiam labiis non honoras? Quamdiu te somnus, quamdiu te sæcularia tenent? Divide saltem Deo et sæculo tempora tua. Mane festina ad Ecclesias, defer primitias pii voti: et postea si vocat sæcularis necessitas, non excluderis dicere: Prævenerunt oculi mei meditari verba tua. Sic securus procedes ad tuos actus. Quam iucundum inchoare ab hymnis et canticis!* Ita Ambros. Aves orto sole hymnos suos Deo persolvunt, tu victimam illi gratissimam offer in holocaustum matutinum. Libanius ethnicus tom. 2. Hæc est lex, inquit, ut is, qui affectus sit beneficio, ab aliquo e superis, hunc ipsum honore prosequatur, qui benefi-

eium contulit. Is vero honore afficit, tum qui crateras appendit, tum qui pateras aureas, tum qui aliud quoddam vas, tum qui coronam. Pastor item, cum iubam: et venator, feræ caput: et Poeta, hymnum modulatum: et dicendi peritus, elogium immodulata solutaque oratione profert. *Porro mihi videtur apud Deos hymnus præferri auri muneribus:* hæc Libanius.

ARTICULUS IV.

Legem Dei edoceant parentes, et eam liberi studiose discant.

Cælum novum cælesti soli quærendum erat, Ecclesiam
21. concinnavit Deus veluti cælum, in cuius sinu lex in-
Vers. 5. star solis effulgeret, v. 5. Et suscitavit testimonium in Iacob, et legem posuit in Israel. *Iacob* proprie duas tribus Iudæorum significat, in quibus manserat fides Iacob. *Israel*, sunt decem aliæ tribus, quæ se Israeliticas tribus ad distinctionem vocabant. Vel Iacob et Israel pro iisdem 12. tribubus populi Dei sumitur. Itaque per illas vel sumuntur Iudæi et Gentiles, vel solus populus Christianus: *Testimonium* et lex idem sunt. Lex enim vocatur testimonium. Primo, quia testatur nobis Dei voluntatem. Secundo, quia de Christo credenda testificatur. Tertio denique, quia testis exurgit pro bonis, et contra impios. S. Augustinus in Psal. nostr. *Testimonium est, in quantum aliquid probat: Lex autem in quantum iubet, cum sit una eademque res. Quocirca sicut lapis Christus, sed credentibus in caput anguli, non credentibus autem lapis offensionis, et petra scandali: ita testimonium legis eis qui lege non legitime utuntur, testimonium est quo convincantur puniendi peccatores: his vero qui ea legitime utuntur, testimonium est, quo demonstratur ad quem liberandi confugere debeant peccatores.* (Lex dicitur testimonium, et cur?)

Vers. 6. et 7. Eam legem dicit a Patriarchis et Prophetis magna ex parte deductam ad Christianos devenisse, v. 6. Quanta mandavit patribus nostris, nota facere ea (τὸ *ea* redundat per pleonasmum Hebraicum) filiis suis. Ut cognoscat generatio altera (id est, Christiana) filii qui nascentur, etc.

Finem legis ostendit, v. 7. Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata eius exquirant.

22. Nota, parentes debent filiis suis nota facere opera Dei. Deut. 11. 9. *Docete filios vestros ut verba mea meditentur, quando sederis in domo tua, et ambulaveris in via, et accubueris, atque surrexeris.* Scribes ea super postes et ianuas domus tuæ, etc. Ianuæ domus ac propylæum sunt liberi, ex quorum pulchritudine atque ornatu de paterna virtute fertur iudicium. Hoc noverat Salomonis mater Bethsabæa, quæ post nuptias cum Davide et eius pœnitentiam ad Deum conversa, etiam dono prophetiæ claruit, quum illi virtutis dabat præcepta, Prov. 4. v. 4. Tobias senior, quum Tobiæ iuniori filio suo, Tob. 1. 10. Parentes pii, Susannæ, Dan. 13. 3. Mardochæus, Estheri suæ nepti, Esth. 2. 7. Iob, filiis suis, cap. 1. 5. Ezechias id se facturum pollicetur, Isa. 38. 19. Ratio est, quia nihil potest maius dari liberis, quam virtus, et ad illam incitamenta. Salvianus lib. 1. ad Eccl. Cath. *Quid*, ait, *æstuas paterna pietas? quid ad conquirenda terrena et peritura distenderis? Nihil maius præstare filiis potes, quam si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non necesse est ergo, ut filio tuo terrenos thesauros recondas, nulla re eum facies ditiorem, quam si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris:* hæc ille. Cætera sine virtute non prosunt. S. August. tom. 10. serm. 149. Quid, ait, prodest homini filium habere, nutrire, amare, si æternis eum nutriat tormentis? Hæc Augustinus. Orationes Gorgiæ, cui ob admirabilem eloquentiam aurea statua erecta est, dicebantur λαμπάδες, id est, faces et lampades, teste Pausania. Cælum erit domus, si paterfamilias luceat velut sol, mater ut luna, liberi velut astra. S. Ioannes Chrysol. serm. 1. *Sepiat nos*, ait, *paterna reverentia, ma-* (Parentes doceant legem Dei.)

A *tris componat affectio, cognatorum custodiamur affectibus; inter propinquorum lumina non valent delicta versari: Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies est aspectus matris, sol patris rutilat in vultu. Unde viventi inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non possunt: sed mensa patris nos alit virtutum cibo, salutis epulo, deliciis honestatis, et gloriæ sermone.*

Dices, tibi scientiæ lumen non adesse, ut liberis luceas. 23.
Resp. primo: Luceas illis bono vitæ exemplo, ut videant opera tua bona, et glorificent Patrem tuum, qui in cælis est. Philo lib. de Abrahamo, dicit, viros probos esse ἀρχετύπους νόμους, id est, exemplares leges, imo animatas et rationales; addit enim: *Fuerunt illi* ἔμψυχοι καὶ λογικοὶ νόμοι, *animatæ ac rationales leges* duabus de causis venerabiles. Altera, quoniam ostendunt quod præcepta legis a natura non discrepant. Altera, quod hinc liquet non esse opus magno labore ad exigendam vitam iuxta legum regulam, 1.
quando illi prisci ante leges sigillatim proditas non scripto iure usi, pari facilitate atque felicitate vixerunt, ut
B merito quis possit dicere: Nihil aliud esse leges scriptas, quam vitarum Patrum commentarios: hæc Philo. S. Chrysologi locus allatus ad hoc valet. (Vir probus est lex viva. — Parentes non docti quomodo liberos docere possint.)

Secundo, parentes secum in templa deducant ad sacras II.
conciones et catecheses, ut ibi illuminentur et crescant. S. Chrys. t. 1. hom. 6. in Anomæos, pag. 794. Si gratum est, ait, videre *novam plantam arbori adnascentem*, illique proximam, multo magis iucundum est, videre hominem omni olea amœniorem, a radice sua filium habere adstantem, quasi novam plantam.

Tertio denique, parentes emittant ad scholam liberos III.
suos, ut ibi ea addiscant, quæ parentibus ipsis et toti Reip. prosunt. R. Resch. Lakis: *Non sunt*, inquit, *parvuli a gymnasio avocandi, licet ædificanda domus sancta esset. Accepi a meis antiquis: Omnis urbs, quæ puerulos non habeat, qui ad præceptorem se conferant, legis discendæ causa, destruenda est.* R. Iudas dicebat: Omnis qui lectionem discipulo negat, idem facit, ac si patris illius hæ-
C reditatem auferret. Solon legem Atheniensibus tulit, ut filii eorum, qui in bellis occubuissent, ex publico alerentur et erudirentur.

Nota secundo, liberi studiose attendant parentum suo- 24.
rum doctrinæ, ut ipsi postea possint eam narrare filiis suis; et sic fiat catena aurea, qua innexa tota familia cælos petat: dum pater filium, filius nepotem, nepos minores ad Christum, velut omnium magnetem pertrahet, ut illi omnes uniantur. Monemur in שלחן ערוך *sciulchan aruch*, eos, qui legem sciunt, non debere esse mutos sicut pisces: silentium illud lethale iis accideret, dum deliciis, otio et voluptatibus mersi, in fluxis huius vitæ rebus iugi tempestate iactarentur, et os oculosque ad cælum nunquam tollerent. Narratio mandatorum Dei præcipitur Isai. 59. 21. *Spiritus meus qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.* Christo id dici putat S. Cyrillus: Isaiæ S. Hieron. alii, et melius Ecclesiæ. (Filii attendant præceptis parentum.)

D Aures quoque præbendæ sunt sacra præcepta dantibus. Proverb. 1. 8. *Audi, filii mi, disciplinam*, Syr. legem; Chald. eruditionem, *patris tui: et ne demittas legem* (Vatabl. directionem) *matris tuæ. Ut addatur gratia*, Chald. decor gratiæ, *capiti tuo, et torques collo tuo.* Quanto potius lex Dei audienda est? Iob 5. 8. ait: *Ego deprecabor Dominum.* Chald. vertit: *Ego quæram doctrinam a fortissimo.* Ut discas veram pietatem esse a Deo cognitionem quærere. Lactant. lib. 5. Divin. Institut. cap. 14. *Pietas nihil aliud est, quam Dei notitia, sicut Trismegistus verissime definivit.* Theophylactus Simocatta, qu. 1. physica ait, instar auri se quærere scientiam. Venas scientiæ ut inveniam, scrutor, inquit, sicut metallarii, quando pretiosissimæ materiæ venas viderint. Ioachimus Curcus, sicut est in Silesiæ Annalibus, Ioanni Capnio Hebræo doctori, Romæ dans operam linguæ Hebr. cognitioni, pro singulis horis aureum unum persolvebat. R. Iosue filius (Linguæ Hebreæ amor magnus legis discendæ stimulo.)

Lisne, ut est in Pirke avoth, cap. 6. *Si omne*, ait, *quod in mundo est, argentum aurumque dares: alibi tamen quam in legis loco non habitarem.* Et alio loco ibi dicitur: Panis frustulo cum sale contentus esto: aquam etiam in mensura bibe: humi cuba, et vitam vive arctam, ut legi operam possis dare. Hoc si facis, beatus es tu, et bene tibi erit. Beatus es in hoc præsenti sæculo, et bene tibi erit in futuro. Ne tibi magnificentiam quærito, neque gloriam eruditione tua præstantiorem concupiscito: hæc ibi. S. Chrysost. dicit, lectione Scripturæ sanctificari animam. Sic enim homil. 31. in Ioan. *Si linguæ obscœnitas animam inquinat, si δαίμονας καλεῖ, dæmones evocat: perspicuum est spirituali lectione eam sanctificari, et gratiam Spiritus sancti affatim infundi, θεῖαι εἰσὶν ἐπῳδαὶ τὰ γράμματα, divini cantus sunt Scripturæ: hinc nobis et animæ nostræ affectibus remedium petamus, cuius utilitati si inhæreremus, incredibili eis attentione vacaremus:* ita Chrys.

25. Finis triplex legis Dei. Nota, triplicem legis Dei discendæ finem ponit Christus, qui toto Psalmo loquitur. 1. Ut in Deo speretur. 2. Ut sit memoria beneficiorum eius. 3. Ut præcepta eius serventur.

Lex Dei auget spem. Ac primo, spes in Deo ponenda est, v. 7. *Ut ponant in Deo spem suam.* S. Paulus Hebr. 6. 19. ait: *Eam esse anchoram animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis.* S. Thimotheo Episcopo Ephesino 1. Epist. 6. 17. ait: Divitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, *sed in Deo vivo*, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum. In eo uno est spes. Eccl. 24. 25. dicit divina Sapientia: *In me omnis spes vitæ et virtutis.* Quantæ autem sit efficaciæ spes in Deum, docet S. Ioannes 1. Epist. 3. v. 3. *Qui habet hanc spem in eo sanctificat se*, Gr. ἁγνίζει ἑαυτὸν, castificat seipsum. Tigur. purificat seipsum, *sicut et ille sanctus est.* Abbas Bonæ Spei, ait esse ducem et aurigam, qui virtutum curru in se sperantes, et sibi servientes ducat. Verba eius sunt Epist. 18. ad Richerum: *Lege*, inquit, *et relege sanctos codices, qui componunt et proponunt tibi virtutum vehiculum vel quadrigam, cuius non Eliam typum, sed Christum ducem statuunt, et aurigam: quo evectus, si claudas vesperum et diem ultimum senectutis, ad optatum bravium, ad metam vitæ venies et salutis.* Hinc iure Salvianus demiratur hominum socordiam Deo non fidentium. Sic autem ait lib. 2. ad Eccles. Cathol. O miseria! o perversitas! homini ab homine creditur, et non creditur Deo. Humanis promissionibus spes commodatur, Deo negatur. Omnia denique, in rebus humanis spes futurorum agunt. Vita quoque ipsa hæc temporaria nonnisi spe alitur ac sustinetur. Ideo enim terris frumenta credimus, etc. Ideo in vineis, etc. lege illum locum. Scripturæ autem verba vel lecta, vel audita spem in Deo fovent. R. Iosue: Cui, ait, caput dolet, in legis laboret studio: si guttur dolet, in lege se exerceat: si doleant intestina, in lege laboret: hæc ipse.

Contra vero, spes in caducis et terrenis rebus non est ponenda, statim enim exarescit et deficit. Hoc sciebat Baldad Iobi amicus, qui Ioh 8. 9. ait: *Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua? Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit. Sic viæ omnium qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit: non ei placebit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia eius. Innitetur super domum suam, et non stabit: fulciet eam, et non consurget.* S. Bonavent. tom. 1. serm. 11. in Hexaem. pag. 39. hoc explicat similitudine puncti, quod additum puncto non facit maius: *Sicut*, inquit, *punctum ad lineam nihil addit, non etiam mille millia punctorum: sic bonitas creaturæ bonitati creatoris nihil addit, quia finitum infinito nihil addit:* ita ipse. Gaudium hypocritæ adinstar puncti, et in puncto ad inferna descendit.

26. Memoria volvenda lex Dei. Secundo, memoria sunt volvenda opera Dei, legendo et meditando Scripturam. Hinc additur: *Et non obliviscantur operum Dei*, id est, sæpe illa recolant memoria. S. Chrysostom. in Acta Apost. ait, in memoria nostra, velut in libro esse recondenda Dei beneficia. S. Nilus cogitationes de Deo stellis similes facit: ait enim in Parænesi: *Semper recordare Dei, et cælum sit cogitatio tua.* S. Chrysostom. animam scripturarum sæpe memorem vult esse securam. Censet enim in eam non esse ullum aditum diabolo. Verba eius sunt hom. 19. ad popul. *Hæc omnia*, inquit, *congregans inscribe cordi tuo. Non cernis, ut mulieres et parvi pueri pro magna custodia collo evangelia suspendunt, et ubique circumferunt, quocumque abierint? Tu evangelii mandata et leges mente describas. Non auro et argento hic opus est, et pecuniis, nec librum emere. Voluntate sola opus est.* Et apertius hom. 31. in Ioan. Si, ait, in quacumque domo evangelium est, illam diabolus ingredi non audet: quanto minus animum ei assiduis lectionibus familiarem neque dæmon, neque peccatum attinget? Sanctifica igitur animum, sanctifica corpus. Hoc continget, si evangelium semper et in animo habueris, et lingua. Sic ille. Hinc tanto ardore sancti viri libros sacros volvunt, in quibus Dei opera continentur. S. Hieron. de Nepotiano loquens in Epist. ad Heliodorum: Lectione, inquit, assidua, et meditatione diuturna *pectus suum bibliothecam fecerat Christi.* S. Antonius Paduanus dictus est a Pontifice, *Arca testamenti*, quod ob perfectam Scripturæ notitiam, legem omnem Dei in suo pectore ferre videretur, eaque ad libitum uti. Deiparam Richardus a S. Laurentio lib. 9. de eius laudib. vocat, Armarium Scripturarum. Leo Imp. hom. 6. illam dicit esse Scripturæ divini verbi volumen. S. Bernardus serm. 1. super Salve Regina, illam nominat scientiarum omnium Scientiam.

Tertio denique, qui legi Dei student, eam debent opere explere: *Et mandata eius exquirant*, id est, studiose quærant, veluti coronam suam. S. Ephrem tr. de Amor. pauperum: Gloria Christianorum, inquit, Dei præceptum est. 2. Velut gemmas et thesaurum. S. Aug. tract. 1. de doctrina Christiana: Thesaurus, inquit, est magnus divinarum Scripturarum, habens in se mirabilia præcepta et multa, tamquam multas gemmas, et pretiosa monilia, et vasa ingentia, et magni metalli. R. Salomon in cap. 31. Prov. Lex, ait, longe pretiosior est margaritis. Christus Matt. 13. quærentem doctrinam Evangelicam comparat quærenti pretiosam margaritam. Hebræi vocant scholam, domum inquisitionis. Sed ita quærenda est legis notitia, ut etiam illius ad praxim revocatio inquiratur. UgoCard. in cap. 31. Prov. Doctrina, inquit, vestis est intellectus: Disciplina vero affectus: qua veste duplici vestitur anima contra frigus infidelitatis et perversitatis: hæc ipse. Hebræi cultorem legis vocant *filium legis*. Ille parenti suo, nempe Deo, acceptus est. Isai. 4. 2. ubi legimus in Vulgata? *In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis.* Chald. habet: in tempore illo erit Christus Domini in gaudium et gloriam, et *factores legis* in magnificentiam et laudem. Atque cap. 42. 21. *Dominus voluit ut sanctificaret eum, et magnificaret legem.* Chald. vertit: Et magnificaret factores legis. 27. Lex Dei est opere implenda.

Doctrinam virtuti adiunctam plurimum Deo placere docet Cæsarius lib. 12. cap. 46. asseritque in civitate Bonnensi B. Virginem Mariam cuidam inclusæ apparuisse, eique dixisse: Revera scholares, si innocenter vivunt, et libenter discunt, Martyres sunt. Quod si postea artes doctas in charitate, maxime in Dei servitio exercuerint, magnam ex hoc mercedem consequentur. Addit idem Auct. ab illa: Inclusa visam esse columbam niveam supra sepulcrum cuiusdam scholastici, qui ex virtute vitam transegerat. Contra vero, Hebræi imprecantur viris eruditis, qui scelerato vivunt, ut habetur in Iomah. Væ, inquiunt, illis viris doctis, qui in libro legis student, nec in illis Dei timor est. R. Ravah alloquens sapientes ait: *Obsecro vos duplicem gehennam nolite hæreditare.* Laborem scilicet studiorum, et pœnam æternam. 28. Virtus iungenda est doctrinæ.

Nota tertio, tres virtutes Theologicæ hoc loco nobis commendantur. Nam Primo, spes clare ponitur, *Ut ponant in Deo spem suam*, in nullo melius poni potest. Secundo, fides revocat in memoriam Dei beneficia; ideo ponitur: *Et non obliviscantur operum Dei.* Tertio, charitas quærit a- 29. Amor Dei non est otiosus.

matum, et eius voluntatem exequitur. Unde additur, *Et mandata eius exquirant.* Amor enim ignis est, qui semper agit, et quiescere non potest. S. Bernard. lib. de modo bene vivendi, ad sororem, serm. 51. *Amor Dei,* ait, *nunquam est otiosus: si vere Deum diligis, nulla hora otiosus eris:* ita ille. Amor hic non inventum amatum in lectulo, quærit cum sponsa per plateas civitatis, Cant. 7. 2. quod si ibi eum non reperiat, in desertum fugit cum fœmina, sole, luna et stellis circumdata, Apoc. 12. 14. S. Ambr. lib. 6. in Luc. Gratiæ cælestis alimentum, inquit, impartitur non otiosis, non in civitate quasi in synagoga vel sæculari dignitate residentibus, sed inter deserta quærentibus Christum: hæc Ambrosius. Quære illum in templo cum B. Virgine, eum reperies inter Doctores, Luc. 2. 46. eos audiebat et interrogabat: tu eos audi, et Iesum interroga, ac tuam conscientiam, et laureolam Doctoris obtinebis.

ARTICULUS V.

Peccator a Deo cor suum avertit, et cœptum virtutis iter facile deserit.

Cum Deo ita certare visi sunt Iudæi, ut Deus cælesti rore illos iugiter fœcundaret atque recrearet, ipsi ve-
30. ro verbis factisque eum exasperarent: hoc de suis alu-
Vers. 8. mnis Christus timens, ait v. 8. NE FIANT SICUT PATRES EORUM (prius per patres intellexi etiam Prophetas et Patriarchas: sed hic locum id non habet), GENERATIO PRAVA ET EXASPERANS: GENERATIO QUÆ NON DIREXIT COR SUUM, ET NON EST CREDITUS CUM DEO (id est, Deo) SPIRITUS EIUS.

Vers. 9. Eorum inconstantiam in Dei cultu declarat, v. 9. FILII EPHREM (S. Hieron. et Psalt. Gall. *filii Ephraim,* id est omnes Israelitæ: ita Bellarmin. 2. et melius, decem tribus, quibus tribus Ephraim imperabat) INTENDENTES ET MITTENTES ARCUM, CONVERSI SUNT IN DIE BELLI.

Quomodo conversi sint, ac fugerint Deo deserto, et eius
Vers. 10 lege, declarat v. 10. NON CUSTODIERUNT TESTAMENTUM DEI (id est, pactum cum Deo initum, quo se astrinxerant in deserto, et alias sæpe, ad illi serviendum) ET IN LEGE EIUS NOLUERUNT AMBULARE.

Vers. 11. Et vers. 11. ET OBLITI SUNT BENEFACTORUM EIUS, ET MIRABILIUM EIUS, QUÆ OSTENDIT EIS, tum in deserto tempore Mosis, tum in terra promissionis tempore Iosue, Iudicum et Regum. Ubi adverte, quod generatim hic reprehendit omnes Iudæos ob ingratitudinem suam et rebellionem contra Deum, præsertim tamen arguit decem tribus, quæ a Deo prorsus et ab eius fide et cultu erant recessuræ sub Ieroboamo. Nominat autem tribum Ephraim filii Ioseph. Primo, hæc tribus erat numerosissima et pugnacissima illarum decem, sola tribus Iuda illam superabat numero et robore. Secundo, tribus Ephraim ob suas vires erat superba et rebellis: unde Ephraimitæ questi sunt apud Iosue de sorte sibi data in terra promissionis, cum Gedeone iurgati sunt, quod ipsis non vocatis aggressus esset Madianitas, sed eius prudenti responso mitigati sunt: iurgati sunt contra Iephte, qui ex eis occidit quadraginta duo millia. Tertio, tribus Ephraim fuit tribus regia, quia Ieroboam, qui primus regnavit super decem tribus separatas a tribu Iuda et Beniamin, erat de tribu Ephraim, et alii reges ipsi succedentes, qui omnes perstiterunt in scelere Ieroboami, qui peccare fecit Israel ponendo vitulos aureos in Dan et in Bethel, idque duravit per annos 255. Adverte porro, omnes Israelitas posse dici Ephraimitas, quia Iosue, qui omnes introduxit in terram Chanaan iis a Deo promissam, erat de tribu Ephraim, et iliis singulis sortem suam attribuit, eosque per annos 17. rexit.

Tribus Ephraim erat numerosa, et aliis novem imperabat.

31. Nota primo, pro *generatio prava et exasperans,* Hebraice est, generatio declinans et rebellis. Syrus, prava et exacerbans. S. Aug. prava et amaricans. Psalter. Gallicum, genus pravum et peramarum. Ubi adverto, quod Deus odoratur bona opera in odorem suavitatis, et illa gustat et potat, a peccatoribus dolet sibi obtrudi uvam fellis, et botros amarissimos, fel draconum pro vino, et venenum aspidum insanabile: queritur se felle et aceto potari et ali, Ps. 68. v. 22. Isa. 5. v. 2. Deus comparat synagogam Iudæorum vineæ, et ait: *Expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas,* id est, fructus amaros labruscæ vitis agrestis, cuius flos vocatur œnanthe, hoc est, vini seu vitis flos. Septuaginta vertunt, fecit spinas. Hebr. fecit fœtentes, supple uvas et fructus. Casius Dionysius: Sunt, inquit, quædam vites, quæ fructum recens productum putrefaciunt, priusquam racemi connutriantur et maturescant. Philippus Abbas Bonæ spei, Epist. 18. *Scientia,* ait, *sine sanctitudine, vitiorum scatet vermibus, et sordescit.* Ugo Cardinalis in Matth. cap. 5. *Doctrina sine vita, lucerna est sine oleo: uva delumescens in acino,* id est, in grano intra uvam contento, q. d. Est uva sicca et sine succo. Si vertas, *fecit spinas,* apte afferas id quod refert Zonaras tom. 3. nempe Nicephorum Patriarcham cum coronaret Leonem Armenum, sensisse manum suam spinis compungi. Horricii sunt omnes peccatores, sed præsertim Iudæi exasperantes, qui Christum asperis spinis compunxerunt. Eos vocat Ezechiel cap. 2. domum exasperantem, scorpiones et irritatores. Christus Scribas et Pharisæos vocat generationem malam et adulteram, Matthæi 12. 39. infidelem et perversam, Luc. 9. 41. Habebant pro dentibus gladios, et eum commandebant molaribus suis. S. Hieronymus in Psalm. nostrum causam affert, cur Iudæi dicantur generatio prava: *Quare,* ait, *dixit prava? Quia facti sunt in arcum perversum. Arcus enim nunquam extenditur in eum qui se mittit, sed contra adversarios. Ista autem generatio cum esset recta a Deo condita, et haberetur in manu Dei quasi arcus, ut mitteret per eam sagittas, versa est quasi arcus perversus, blasphemans in creatorem suum.*

Peccator dat Deo amaros fructus.

Coronans Nicephorus Imp. sensit manum suam spinis lædi.

Nota secundo, in recta cæli via nos posuit Deus, sed cor nostrum huc illuc volitans ad flores fœneos pratorum circumpositorum cursitat, in iis se oblectat, et a via deficit. Mens vituperanda est, nisi recta ratione dirigat cor suum. Motiva sunt Primo, quia si cor sit rectum, opera erunt recta. S. Augustinus in Ps. nostrum: *Generatio quæ non direxit cor suum. Non dictum est opera, sed cor. Recto enim corde, recta sunt opera. Cum autem cor rectum non est, opera recta non sunt, etiamsi recta videantur. Et unde cor non direxit prava generatio? satis aperuit, cum ait: Et non est creditus cum Deo spiritus eius. Rectus est enim Deus; et ideo recto adhærens, tamquam incommutabili regulæ, potest fieri rectum, quod in se pravum fuit cor hominis. Ut autem cor cum illo sit, et per hoc rectum esse possit, acceditur ad eum non pede, sed fide. Quæ fides præveniente et vocante misericordia Dei per obedientiam suscitatur, et applicare incipit ad Deum cor ut dirigatur, et quanto magis magisque dirigitur, tanto magis videt quod non videbat, et valet quod non valebat:* ita Augustinus. Cor est auriga et nauclerus, si iter flexuosum sequatur, currus totus et navis periclitatur. 32.

Cor ad Deum est dirigendum.

I. Quia sic recta erunt opera.

Secundo, si cor ad Deum dirigatur, cito ad eum pervenit, illi per charitatem unitur, et in eum transformatur. S. Ambrosius lib. 3. Hexaem. pag. 38. Nostra, inquit, conversatio in cælis est. Unde ne aliquibus procellis sæculi posset reflecti, et tempestate deduci, claviculis et circulis, quasi amplexibus charitatis, proximos quosque complectitur, et in eorum coniunctione requiescit. Charitas est igitur, quæ nos superioribus nectit, cæloque inserit. Qui enim manet in charitate Deus, in eo manet: ita Ambrosius. Cor autem ipsi regulæ coniunctum rectissimum est ac purissimum.

II. Quia sic ad eum cito pervenitur.

Tertio, si cor ad Deum non dirigatur, sed in terram incurvetur, ibi sordescit, et cum bestiis vivens fit brutum et stupidum. Dan. 5. v. 20. dicitur de Nabuchodonosore rege Babylonis: *Cor eius cum bestiis positum est, et cum onagris erit habitatio eius,* id est, habuit cor, id est, phantasiam et appetitum non tam humanum, quam bestialem: ideoque fugiebat homines, et appetebat versari cum bestiis: unde facto ad eas exivit, cum iisque versatus est:

III. Quia cor se ad alia incurvans sordescit.

ita Cornelius. Si sanari vis, audi verba Dei, et reddetur tibi cor humanum, ac sanaberis. S. August. tract. 7. in Ioannem : Cum caput, inquit, tibi dolet, laudamus si Evangelium ad caput tibi posueris, et non ad ligaturas cucurreris. Si ergo ad caput ponitur, ut sanetur a peccatis; fiat ergo : quid fiat? Ponatur ad cor, sanetur ut cor. Ita Augustinus, qui Epist. 120. ait, Scripturas divinas esse cor Dei : Profundum, ait, Sacramentum nos intelligere voluit, ut cordis sui nomine intelligeret Scripturas suas, ubi eius utique latebat consilium, quod tunc apertum est, cum ea, quæ de illo prophetata fuerant, passus implevit.

IV. *Cor nisi ad Deum dirigatur, iram Dei excitat.* Quarto denique, si cor ad Deum non dirigatur, iram Dei et maledictionem incurrit. Zach. 7. v. 12. *Cor suum posuerunt ut adamantem*, itaque inflexibile, et non dirigibile, ne audirent legem, *et*, hoc est, ideo, *facta est indignatio magna a Domino exercituum*. Malach. 2. v. 2. *Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, et maledicam benedictionibus vestris, et maledicam illis, quoniam non posuistis super cor.* Quid vero? Timorem Dei, ait Chaldæus, qui vertit: Nisi ponatis timorem mei super cor, ut detis gloriam nomini meo. Hic timor filialis super cor positus eum movebit quo volet, et ut pondus horologii. S. Aug. lib. 11. de civit. cap. 28. *Amor meus, pondus meum; illo feror, quocumque feror.*

33. *Credendus est Deo spiritus noster.* Nota tertio, credendus est Deo spiritus noster, ideo generatio seu natio Iudæorum reprehenditur, quæ non direxit cor suum, *et non est creditus cum Deo*, id est, Deo, *spiritus eius*, q. d. Quæ non credidit Deo spiritum suum. Nota, pro *creditus*, Hebraice est נאמן *neeman*, id est, Primo, fidelis, credens, creditus. Secundo, confidens, innitens. Tertio, stabilis, firmus, certus, constans, perseverans. Quarto denique, verax, constans in dictis et promissis, fidelitatem servans. Hinc varii sensus exurgunt.

Primus itaque sensus est, q. d. *Non est creditus cum Deo spiritus eius*, ut vertit S. Hieron. id est, fidem veram non habuit, sed deflexit cor eius et spiritus ad Baalim et Astaroth. Elias Propheta cor claudicans uolebat esse in Israelitis, sed rectum, ut uni Deo servirent, non

34. *Fides Deo nos unit.* Baal. S. Augustinus in Psalmum nostrum : Non est, ait, creditus cum Deo spiritus eius, quia non habebat fidem, quæ impetrat quod lex imperat. Quando enim cum spiritu Dei operante spiritus hominis cooperatur, tunc quod Deus iussit, impletur : et hoc non fit nisi credendo in eum qui iustificat impium : ita ipse. Porro fides, Primo, nos unit Deo, eique nos credit traditque et ipsum nobis. S. Antioch. hom. 1. de fide: Ἀρχὴ κολλήσεως Θεοῦ: *Fides principium est unionis cum Deo. Quisquis perfecte credit, lapis est templi Dei, lapis est solerti apparatu lævigatus et exæquatus in superstructionem Dei, lapis in sublime evectus, machina quapiam admirabili Iesu Christi, quæ est crux eius, præsidio adiutus Spiritus sancti, ut sacri funis nos sursum trahentis.* Secundo, unio per fidem facta cælestem vitam efficit. S. Gregorius Nyss. tom. 2. oratione catech. cap. 37. pag. 534. Anima, inquit, cum Deo contemperata per fidem, hinc salutis occasionem habet. Nam unio cum vita vitæ habet societatem. Tertio, fides unitos Deo ad cælum ducit. S. Antioch. hom. 1. de fide iam cit. Fides, ait, hominis dux est. Origenes in Levit. hom. 5. ei etiam dat ardorem, ut sursum elevet; semper, inquit, tibi ignis fidei, et lucerna scientiæ accensa sit. Quarto, fides Deo uniens nos ditat, infidelitas vero spoliat ac nudat. S. Gregorius 18. Moral. cap. 11. illud considerans Ps. 118. v. 162. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa*, sic loquitur : Eloquia Dei, spolia idcirco vocata sunt, quia ad fidem Domini gentilitate transeunte, Iudæi sacris eloquiis, quibus induti fuerant, exuuntur. S. Antonius serm. de vanitate mundi, ob infidelitatem nullum bonum perfici sic probat : *In operibus delinquere, infirmitatis indicium est; incredulum vero esse, audaciam temeritatis significat. Vir autem audax et temerarius nullum bonum perficit.* Psalterium Illyr. vertit, neque fide univit cum Deo spiritum suum.

A **Secundo, *non est creditus cum Deo spiritus eius*, q. d. Per spem non confidit in Deo spiritus eius, ei non se credidit, eo innixus non est, non posuit in Deo spem suam :** qua de re dixi supra vers. 7.

Tertio, *non est creditus cum Deo spiritus eius*, id est, per charitatem non adhæsit illi spiritus eius, non mansit in eo firmus et stabilis. S. Antioch. hom. 1. de Fide: *Fides*, ait, *hominis dux est, charitas vero ipsa via est ad Deum usque homini subveniens. Qui eiusmodi est, Theophorus fit, sive Christophorus, templum insuper Dei, et sanctorum sedulus lustrator locorum: nulla non sui parte per observationem mandatorum Iesu Christi perpolitus et adornatus.* *Charitas facit Theophorum.*

Quarto denique, *non est creditus cum Deo spiritus eius*, id est, non fuit fidelis in promissis Deo factis, q. d. Bonis operibus non probavit se veracem et fidelem, cum quo pactum iniit; Iudæi enim, de quibus præsertim hic agitur, iuraverant se Deo servituros. Hi omnes sensus boni sunt. Primus est magis communis.

Quæres, quandonam et quomodo filii, id est, tribus Ephraim, conversi sunt in die belli? *Filii Ephraim.* B Nota, *filii Ephraim* tripliciter sumi possunt. Primo, pro ipsa tribu Ephraim filii Ioseph. Secundo, pro duodecim tribubus: quia Iosue, ut iam dixi, qui eas in terram promissionis introduxerat, erat de tribu Ephraim, et quia tabernaculum Dei et arca diu fuerant in Silo, nempe per annos 350. *Tabernaculum quamdiu fuerit in Silo.* Nam statim post ingressum in terram Chanaan tabernaculum positum est in Galgalis, ibique mansit per annos 7. inde translatum est in Silo anno mundi 2590. Iosue principis 7. egressionis ab Ægypto 7. ante Christum 1463. Mansit autem in eo loco usque ad mortem Heli Pontificis, anno 2939. inde enim translatum est in Nobe: ne sicut arca, caperetur a Philisthæis. Erat autem Silo civitas in tribu Ephraim, eoque duodecim tribus confluebant ad orandum. Poterant itaque omnes dici Ephraimitæ, sicut Iudæi dicti sunt, quod in templum Ierosolymitanum irent oraturi. Postea etiam tribus Ephraim fuit tribus regia, sicut tribus Iuda, imo decem tribus simul iunctæ erant in eius regno, et duæ C tantum in regno Iuda, nisi sub Saule, Davide, et Salomone. Tertio denique, *filii Ephraim*, seu simpliciter *Ephraim* ponuntur pro decem tribubus, quibus imperabat rex de tribu Ephraim. Ea significatio est ordinaria in Scriptura.

Respondent itaque Primo aliqui, filios Ephraim, id est, ipsam tribum, intendisse et misisse arcum, id est, sagittas arcus, et fugisse in die belli, primo, quando pugnaverunt contra Iephte, quem iniuste aggressi erant de Ammonitis victorem. In ea pugna ceciderunt quadraginta duo millia ex tribu Ephraim anno 306. exitus ab Ægypto, Iephte principatus 2. 35. *Filii Ephraim quomodo conversi in die belli?* I.

Secundo, Valentia dicit filios Ephraim intendisse et misisse arcum, atque conversos esse in die belli, cum post centum annos a clade accepta tempore Iephte, victi sunt Israelitæ a Philisthæis anno 40. Heli Iudicis, exitus ab Ægypto 396. cæsis primo prælio quatuor eorum millibus, ut habetur 1. Reg. 4. v. 2. et secundo prælio triginta millibus, ibid. v. 10. Ophni et Phinees filiis Heli exercitus ducibus occisis. Hæc clades communis fuit duodecim D tribubus. II.

Tertio denique, alii hæc explicant de insigni clade regis Ieroboam, qui erat Ephraimita, et iam per 18. annos imperabat decem tribubus, cum quibus rebellaverat contra Roboam filium Salomonis. Cum enim Abia rex Iuda filius Roboami haberet in exercitu quadringenta millia militum, et Ieroboam octingenta millia, ceciderunt ex parte Ieroboami quinquaginta millia, qua strage nullam maiorem reperio in Scriptura inter ipsos Iudæos pugnantes in se invicem. Contigit anno mundi 3077. a diluvio anno 1421. a fundato templo 55. Abiæ regis 1. Ieroboami 18. III.

Sed verius est hanc loquendi formam, *filii Ephraim intendentes et mittentes arcum*, id est, sagittas arcus, *conversi sunt in die belli*, esse metaphoricam et proverbialem, qua denotetur ipsos a veri Dei cultu recessisse, licet sæpo iactitassent se illi ferventer et constanter servituros. Hoc autem prophetice dicitur a Davide in persona Christi. Nam IV. *Sensus genuinus.*

*

id factum est a Ieroboam statim post mortem Salomonis. Cum enim ab eius filio Roboamo durius respondente cum decem tribubus defecisset, veritus, ne si populus frequentaret templum Ierosolymitanum, iterum se regi eius aggregaret, delubra excitavit in urbe Dan ad Septemtrionem, et in urbe Bethel ad Meridiem, ibique posuit vitulos aureos, seu vitulas potius, ut adorarentur. Veniebat scilicet ex Ægypto, quo secesserat timens Salomonem ob Ahiæ vaticinium. Ægyptii autem boves fœminas ex omnibus pecudibus maxime honorabant, ut ait Herodotus. Ieroboamum secuti sunt contribules eius Ephraimitæ, et novem aliæ tribus, neque ab illa idololatria unquam destiterunt per annos 255. quamdiu scilicet illud regnum stetit, quod eversum est a Salmanasar rege Assyrio anno mundi 3314. capta et diruta Samaria, cum Ieroboam cœpisset regnare anno 3060. et anno sequenti delubra illa vitulis excitasset, atque ad ea adoranda populum compulisset.

36. Hæretici convertuntur in die belli. Alleg. Apostatæ a fide, hæretici et schismatici intendunt et mittunt arcum, simulantes pietatem, et convertuntur in die belli, cum tyrannus aliquis illos urget ad infidelitatem. S. Hier. in Psalm. nostr. de hæreticis sic exponit: Legamus Osee Prophetam, et omnem prophetiam eius contra Ephraim reperiemus. Et dicitur ibi: *Ephraim factus est quasi columba insipiens.* Vide quid dicat. Columba enim insipiens relinquit templum, et habitat in sylvis. Columba semper in domibus habitat: Ephraim vero columba mea reliquit templum, reliquit domum, et habitat in sylvis, habitat in desertis. Hoc interim secundum litteram, debemus enim et historiam ponere. Nunc vero post litteram, quasi per quosdam gradus debemus ad maiora conscendere: dicamus ergo, filios Ephraim omnes esse hæreticos. Et isti enim recesserunt de domo Dei, et isti dimiserunt David, et habitabant in desertis. Et dicuntur quidem columbæ: quia legunt ipsi Scripturas, sed insipienter intelligunt. Multi sunt qui dicuntur filii Ephraim, intendentes et mittentes arcum. Vide omnes hæreticos, qui dereliquerunt Ierusalem, qui dereliquerunt templum Dei, qui habitant in Samaria. Ubi fecerunt vitulos aureos? in Bethel et in Dan. Et vide quid dicat: Fecerunt vitulos aureos *in Bethel, in domo Dei*, idololatræ facti sunt. Et fecerunt illud *in Dan*, hoc est, *in iudicium* suum, et in condemnationem. Dereliquerunt domum Domini, et nihil aliud nisi de auro cogitant. Dicat aliquis: Quare fecerunt vitulos aureos? Noster thesaurus repositus est in vasis fictilibus. Ecclesiastici enim rustici sunt et simplices: omnes vero hæretici Aristotelici et Platonici sunt. Denique ut sciatis, quoniam omnis eloquentia sæcularis, aurum dicitur, hoc est, quoniam lingua eorum quasi propter splendorem eloquii aurum dicitur. Calix aureus Babylon in manu Domini. Videte quid dicat: Babylon confusio est. Ergo mundus iste calix aureus est. De hoc calice aureo omnibus gentibus propinatur. Filii Ephraim intendentes et mittentes arcum. Quamcumque videris scripturam hæreticorum, omnes superstitiones habent. *Reversi sunt in die belli.* Nesciunt eum qui dixit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis:* sed ad verba sunt præparati. Habent verba, sed audiant illud quod scriptum est Ps. 67. *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* Hactenus Hieron.

37. Iactabundi sæpe languent in ipsa acie. Tropol. Intendunt arcum, et sagittas mittunt, atque convertuntur: id est, terga vertunt in die belli, qui magna iactant et pollicentur ante afflictionis et tentationis tempus; eo autem exorto fugiunt. S. Aug. in Ps. nostr. Quid est aliud, ait, tendere arcum, et mittere, et converti in die belli, nisi attendere et promittere in die auditionis, et deserere in die tentationis, *armis quasi proludere, et ad horam certaminis nolle pugnare*: hæc ipse. Id accidit S. Petro, qui cum post cœnam iret in montem olivarum, dicebat, Matth. 26. 33. *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Et v. 35. *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Tamen in domo Caiphæ ad vocem ancillulæ, Græce enim est παιδίσκη, statim eum negat coram omnibus ibid. v. 70. Secundo, cum ne-

A gavit cum iuramento interrogatus a secunda ancilla. Tertio, cum execratione et iuramento, cum urgeretur a militibus. Imo Dionys. Carth. putat, a Petro negatum esse sexies: ter scilicet in domo Annæ, et ter in domo Caiphæ. Caiet. vero vult id contigisse septies. Sed ter id accidisse puto cum S. Hieron. et S. Cyrill. aliisque. Aristophanes in Pluto dicit, eos qui domi sunt leones, in publico vulpeculas existere. T. Livius lib. 7. in castris feroces, in acie pavidi. Cornel. Tacit. lib. 1. Fortissimus, ait, in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. Aristotel. lib. 3. Ethic. ad Nicomachum, ait: Temerarios quidem promptos esse et valentes ante pericula, sed in ipsis deficere: fortes vero, in rebus et factis acres esse, ante quietissimos. Æthiopes vincendos a Sennacherib et postea a Nabuchodonosore, vocat Isaias cap. 17. 1. cymbalum alatum, id est, habens alas: quia vane gloriabantur et resonabant ante pugnam, velut de victoria certi: sed ait illos ante messem efflorluisse, immaturam perfectionem germinasse, et præcisos ramusculos B falcibus. Primus ardor martius et impetus laudabilis est; sed verendum est, ne, ut ait Florus de Gallis, cum in primo congressu sint viri fortiores, ubi obstantem hostem viderint eorum corpora animique, ut ad aspectus solis Alpinæ nives solvantur. Archidamas filio suo præcipitanter pugnam inire cupienti dicebat: Aut adde viribus, aut aliquid de animi elatione diminue, ait Plutar. in Apoph. Laconicis. Iudæos vocat gentes apostatrices Ezechiel Propheta cap. 2. 3. quod a Deo suo recessissent, de cuius cultu tantopere gloriabantur. Generatim S. August. in Psalm. nostr. *Qui in se,* inquit, *non in Deo gloriatur, quantumvis iactet pollicitationem virtutis suæ, velut tendens et mittens arcum, convertitur in die belli. Quia enim non est creditus cum Deo spiritus eius, non est cum illo etiam spiritus Dei. Et sicut scriptum est Eccl. 2. 15. Quia non credidit, ideo non protegetur.*

Secundo, intendunt et mittunt arcum, ac fugiunt in die belli, qui alios docent virtutem, et eam non sequuntur a suis passionibus victi. Deuter. 20. 2. præcipitur: *Appropinquante iam prælio stabit sacerdos ante aciem.* Hoc considerans S. Petr. Damiani tom. 2. serm. 3. qui est de S. Anastasio Mart. sic ait: Qui adversus vitiorum tentationes ad conflictum alios provocant, sed confligere ipsi sub ignobili desidiæ languore detrectant, ii nimirum sagittas quidem dirigunt, sed post terga conversi, consummatæ victoriæ titulos non merentur: nec eis prodest quod bene cœperint, quia non usque ad finem magnanimiter perseverant: ita ipse. In acie constitutus, usque ad finem persevera, si de victoria cogitas ac triumpho. S. Cyprian. sic ait: Hortamur vos per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos et simplicem charitatem, ut gloriam vestram forti et perseveranti virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in acie constituti de vita nostra quotidie dimicamus: danda opera est, ut post hæc initia ad incrementa quoque veniatur, et consummetur in vobis, quod iam rudimentis felicibus esse cœpistis: hæc Cypr. Elogia multa perseverantiæ coacervat auctor sermonum ad fratres in eremo: *O fratres mei*, ait, *non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes quod perseverantia format meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit cunctos ad portum. Hæc est tunica talaris S. Ioseph usque ad finem contingens: hæc est tunica sacerdotalis usque ad pedes perveniens: hæc est cauda hostiæ, quam tenemur reddere Deo et offerre: hæc est calcaneum bonæ operationis, quod contra serpentis morsum debemus observare: hæc est virtus, quæ Deum ligat: hæc est, quæ omne bonum informat: hæc est perseverantia, qua laureantur martyres, qua virgines coronantur, qua sacerdotes sublimantur et confessores.* Ac paucis interiectis subdit: Bonum inchoare, et malo fine concludere, quid aliud est, quam monstrosas res conficere? *Illa enim actio quasi chimæra est, quæ initium habet a ratione, sed finem a sensualitate. Cum enim sic agitur, humano capiti cervicem pi-*

Margin notes (right column): 38. Qui alios docent, præcant exemplo. — 39. Perseverantia est necessaria.

ctor equinam iungit, et superinduit infructuosas plumas: hæc ille.

Quæres secundo, quodnam testamentum Dei non custodiunt Iudæi, atque peccatores? Respondeo, esse pactum initum cum Deo de lege eius observanda. In Hebræo enim est ברית *berith*, id est, fœdus, pactum. S. Hier. vertit: *Non custodierunt pactum Dei sui.* Ubi adverte, post data ab angelo præcepta decalogi, anno primo exitus ab Ægypto, Moses mediator inter Deum et populum Israel

Fœderis cum Deo initi ritus. sanxit fœdus, quo pollicitus est Deus se fore tutorem, protectorem, ac Deum populi illius, vicissim populus ille pollicitus est se observaturum Dei legem ac præcepta. Ritus fœderis is fuit. Moses erexit altare cum duodecim titulis, seu cippis et columellis, quibus altare niteretur, ut fœdus initum videretur cum illis omnibus. 2. In eo altari sacrificatum fuit a duodecim iuvenibus, primogenitis singularum tribuum, necdum enim tribus Levi erat assumpta ad sacrificandum. 3. Sanguis a Mose partim effusus est, partim sparsus in populum. Altare enim repræsentabat Deum, cum quo fœdus inibatur. 4. Ipse liber legis sanguine aspersus est. Sanguis porro, ut dicit noster Salianus, ad confirmationem pacti, valet, quod mors ad firmitatem testamenti; sicut enim mors testatoris roborat testamentum, et immutabile reddit atque inviolabile: ita sanguis, qui mortem repræsentat, quia in animalibus vita in sanguine consistit: simul etiam significat pactum, quasi subsecuta iam morte paciscentium non posse commutari, non solum a mortuis, sed ne a vivis quidem, qui eodem fœdere obligati sunt, parentibus in re maximæ gravissimæque utilitatis, pro posteris suis validissime contrahentibus. Secundo, Moses anno 40. exitus ab Ægypto, et ultimo vitæ suæ ac peregrinationis in deserto, fœdus illud renovavit in campestribus Moab. Tertio, Iosue anno principatus sui 17. sub finem vitæ renovat illud fœdus, et ne ex memoria excidat, scribi curat in volumine legis Domini, et ingentem lapidem erigit in testimonium. Alii etiam Iudices aliquando illud fœdus renovarunt post apostasiam, præsertim sub initia Iephte Iudicis et Principis, sicut refertur Iudic. cap. 10. Illud etiam reges renovarunt Salomon, Asa, Ezechias, Iosias.

40. Fœdus init Deus nobiscum in baptismo. Mystice, pactum et fœdus nobiscum init Deus in baptismo. S. Hier. Consurrexerunt, ait, contra eum qui eos regeneravit in baptismate, sic exponit locum huius Psalmi. Nam, ut loquitur S. Cyrill. præfat. ad catecheses, baptismus est υἱοθεσίας χάρισμα, gratia adoptionis in filios Dei. Vel, ut ait S. Dionys. Areopagita tract. de Eccl. Hier. cap. 2. μήτηρ υἱοθεσίας, mater adoptionis. Vide ne fœdus illud infringas. Deut. 27. 26. *Maledictus*, inquit, *qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit: et dicet omnis populus, Amen. Ps.* 118. 21. *Maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Iustinianus Rhinotmetus Imp. Orientis bellum Arabibus intulit contra fœdera. Arabes induciarum tabulas hastæ appenderunt, ac vexilli instar ante suum exercitum tulerunt, in ipsa pugna viginti millia Sclavorum ad eos defecerunt, quæ causa cladis Romanæ extitit, ut tradit Zonaras tom. 3. Annal. in Iustin. Rhinot. Haud absimili modo se gessit Amurates Turcarum Imp. qui videns suum exercitum vinci, fœdus initum cum Uladislao, rege Hungarorum pene victore, affixum hastæ in altum extulit, hæc dicens: Hæc sunt Iesu Christe fœdora, quæ Christiani tui mecum percussere, per nomen tuum sancte iurantes. Nunc si Deus es, tuas measque hic iniurias, te quæso ulciscere. His dictis statim ad eum inclinavit victoria. Tu cum ipso Deo fœdus sancitum te impune violaturum credas?

41. Via sacra est via mandatorum. Nota, in lege Dei ambulandum est, illa est via arcta et sacra, quam nobis proponit Christus. Athenis erat ἱερὰ ὁδὸς, id est, via sacra, qua mystæ pergebant ad Eleusina, ut tradit Harpocratio. Romæ quoque via erat, quæ sacra dicebatur. Nobis via quoque cælestis est Sanctorum vestigiis consecrata, non vult segnes, sed semper ambulantes; qui enim in ea non progreditur, ad ima defluit. Liberi est tui arbitrii vel ibi ambulare, vel ab ea excludi, ut indica-

A tur in Ps. nostro, ubi dicitur: *Et in lege eius noluerunt*, vides libertatis exercitium, *ambulare*. Voluntate tantum opus est, Dei gratia erit vehiculum. Hebr. מאנו *maanu*, id est, renuerunt, contemptum denotat atque impietatem. Ugo Card. legem illam Evangelicam, ad quam multi, id est, omnes, sunt vocati, sed pauci electi.

Ad eam viam te invitat: 1. quod sit lucida. Isa. 2. 5. 42. Via Dei mandatorum est via: 1. Lucida.
dicitur in Vulgata: *Domus Iacob venite, et ambulemus in lumine Domini.* Chald. *Venite, et ambulemus in doctrina legis Domini.* 2. Via illa est iucunda. R. Iosue, filius Levi dicebat, qui iter facit, et comite caret, se circa S. Scripturam occupet, quæ comes grata est. 3. Via illa est honorabilis: est enim via regia. Philo lib. quod Deus sit immortalis: Sine dilatione, ait, ingrediamur βασιλικῇ ὁδῷ, *viam regiam*, quotquot prætereundas res terrenas ducimus. Est autem via regia, cuius potestatem nemo privatus habet: sed solus ille, qui solus est verus rex. Hæc est autem sapientia, per quam solam supplicibus animabus ad illum ingenitum patet refugium. 4. Via illa legis di- (2. Iucunda. 3 Honorabilis. 4 Cælestis.)
B vinæ ad cælum ducit. Doctores Hebræorum dicunt, præceptorem esse præferendum parentibus carnalibus: et si utrique aliquid amiserint, prius esse succurrendum præceptori, quod legem docens in cælum ducat. *Pater*, inquiunt, *in hunc mundum filium duxit: et magister qui doctrinam eum docet, ducit illum in mundum futurum:* hæc ipsi. Mercurii olim in publicis viis ponebantur, qui viam digito et scriptis indicarent. Illi sunt præceptores eloquentes et pii, qui in ore, pectore, manibus leges Dei scriptas habent. Didymus in catena Græcorum super Proverbia Salomonis, notat vocari παροιμίας, q. d. Παρὰ οἴμους, id est, iuxta vias. *Sententiæ*, inquit, *Salomonis dictæ sunt parœmiæ, quod huiusmodi gnomæ et apophthegmata ad publicas vias olim affigebantur.* Etenim cum veritatis rationem non omnes curarent, ad illorum utilitatem vitæquo institutionem, qui iter faciebant, gravem aliquam sententiam publicis viarum indicibus veteres sapientes adscribebant, quo vel obiter prætereuntes sensum illorum investigarent, investigandoque et hauriendo eruditiores et
C sanctiores evaderent: hæc Didymus.

Ex his conclude, ad legem Dei et sacra Evangelia esse currendum, et in iis ambulandum, spretis omnibus terrenis. Hoc fecit S. Hedburga filia Eduardi regis Anglor. quæ tres annos nata oblatum sibi Evangelium arripuit, et armillas aliaque ornamenta sæcularia neglexit. Wilhelmus Malmesburiens lib. 2. de gest. reg. Anglor. cap. 12. rem sic narrat: Hedburga dum trima esset, spectabile futuræ sanctitatis dedit periculum. Explorare volebat pater utrum ad Deum, an ad sæculum declinatura esset pusiola, posueratque in triclinio diversarum possessionum ornamenta: hinc codicem et Evangelia, inde armillas et monilia. Illuc virguncula ulnis nutricis blandientis allata, genibus parentis assedit: rogataque utrum vellet eligere: torvo aspectu sæcularia respuens, *prompteque manibus raptans Evangelia, et codicem, illa puellari adoravit innocentia.* Exclamavit cœtus assidentium, auspicium futuræ sanctitatis in puella: quam exosculans pater ipse, arctioribus
D basiis dignatus sobolem: Vade, inquit, quo te vocat divinitas: sequere fausto pede, quem elegisti sponsum. Profecto et ego et coniux felices, si a filia religione victi fuerimus. Ita sanctimonialium habitu induta, cunctas sodales ad amorem suum in Urbe Wintoriæ sedulitate obsequii invitabat, nec resupinabat eam alta prosapiæ magnitudo, quod generosum putaret in Christi inclinari servitio. Crescebat cum ætate sanctitas, adolescebat cum adulta humilitas, in tantum, ut singularum soccos furtim noctu abriperet, et diligenter lotos et inunctos lectis rursum apponeret. Quapropter, licet Deus multis miraculis viventem insignierit, istud exemplum magis in causa prædico: quod omnia opera eius inchoabat charitas, et consummabat humilitas: hæc ille. Charitas autem et humilitas sunt bonæ duces viæ ambulantibus in lege Dei: Iudæi dicunt in Pirke avoth, Abrahæ patris nostri alii sunt discipuli, alii vero sunt discipuli Balaam impii. Illi sunt, in quibus reperiun- (S. Hedburgæ factum notabile. — Quinam sunt Abrahæ discipuli.)

tur hæc tria: Oculus bonus, spiritus contritus, *animus humilis*. Hi vero, in quibus tria contraria: id est, oculus malus, spiritus elatus, anima curta.

43. Oblivio beneficii est vituperanda. Motivum magnum ad ambulandum in lege Dei est recordatio beneficiorum Dei; et causa desidiæ est oblivio eorum. Unde quæritur: *Et obliti sunt benefactorum eius*, Arab. bonitatis operum eius, *et mirabilium quæ ostendit eis*. S.Greg. Naz. vult nos menti infigere plagas Ægyptiorum, ut ad invictissimum Dei robur contremiscamus, quanto magis amorem aius in tot beneficiis considerare nos decet? Nam ut ait Seneca lib. 3. de benef. cap. 1. A *Non referre beneficiis gratiam, et est turpe, et apud omnes habetur. Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit. Ingratus est, qui dissimulat. Ingratus est, qui non reddit. Ingratissimus omnium, qui oblitus est*. Philo lib. de victimas offerentibus, præfert actionem gratiarum aliis victimis: *Quantum*, inquit, *aurum præstat lapidibus: tantum acceptior est suffitus gratiarum actionis*. Vide S. Bern. serm. 11. in Cant. S. Basil. regul. 2. et 7. ex fusis, et 157. et 67. ex breviorib. S. Chrysost. hom. 26. in Matth. et 38. in Acta, lib. 2. de compunctione, et hom. 72. ad populum.

SECTIO SECUNDA.

44. *Duo comprehendit. Primo, Dei potestatem in iuvando populo Iudaico, vers. 12. Secundo, ingratitudinem illius populi, post accepta beneficia peccantis, vers. 17.*

PARAPHRASIS.

12. *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.*	12. Potestatem suam exeruit Deus, ut Hebræos ab Ægyptiaca servitute eriperet: atque in oculis patrum ipsorum per Mosem plurima et maxima patravit miracula, præsertim in Tani urbe regia Pharaonis, atque in campis illi circumpositis.
13. *Interrupit mare, et perduxit eos: et statuit aquas quasi in utre.*	13. Erythræum mare ad unius virgulæ attactum discidit, factoque et siccato itinere medios inter vortices populum traduxit innoxium; et ex utroque latere assultantes undas, velut in utre clausas compescuit.
14. *Et deduxit eos in nube diei: et tota nocte in illuminatione ignis.*	14. Per desertum dux extitit: de die radiis solis ardentioribus nubem oppandendo, cuius in umbra læti quiescerent: de nocte autem columna ignea et splendenti frigus atque caliginem depellendo.
15. *Interrupit petram in eremo: et adaquavit eos velut in abysso multa.*	15. In aranti loco, siticuloso et deserto, silicem admirantibus, aperuit, ex eoque potum illis perinde suffecit atque si in aquarum immensa profunditate et abysso extitissent.
16. *Et eduxit aquam de petra: et deduxit tamquam flumina aquas.*	16. Atque ex durissima petra fluidos eduxit fontes, adeoque copiosos, ut maximis fluminibus æquandi viderentur.
17. *Et apposuerunt adhuc peccare ei: in ira concitaverunt excelsum in inaquoso.*	17. Neque tamen tot tantisque cumulati donis ad sincerum Dei amorem pertrahi potuerunt, sed peccata peccatis cumularunt: atque ad iram potentissimum numen in vasta solitudine provocarunt, in qua nec cibum nec potum sine singulari eius ope sibi conquirere poterant.
18. *Et tentaverunt eum in cordibus suis: ut peterent escas animabus suis.*	18. Adeoque insanierunt, ut Dei potentiam in dubium revocantes statuerent in animo experimentum illius facere: et spreto angelorum cibo escas ingluviei et voracitati suæ congruas flagitare.
19. *Et male locuti sunt de Deo: dixerunt, numquid poterit Deus parare mensam in deserto?*	19. Ac dicerent, nullam Dei maiestati reverentiam habentes: si Deus vere est potens cur nobis carnes ad escas non parat in hoc deserto.
20. *Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ: et torrentes inundaverunt.*	20. Rupem quidem percussam vidimus, et mirati sumus ex ea exilientes fontes, qui rapido cursu universum exercitum et late patentes valles irrigarent.
Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?	Quid igitur nos laviculo hoc cibo quotidie pascit? Nonne, si nos amat, poterit solidiorem nobis panem concedere, et carnibus onustas mensas sternere populo, qui ad eius vocem domos sues et variam supellectilem in Ægypto regione pinguissima reliquit, illi ut uni serviret?
21. *Ideo audivit Dominus, et distulit: et ignis accensus est in Iacob, et ira Dei ascendit in Israel.*	21. Cum toties nænias illas iterarent, Deus audire se testatus est, eosque a se procul eiecit: et immisso igne plurimos concremavit, magnaque indignatione punivit, licet Iacobi Deo charissimi essent posteri.
22. *Quia non crediderunt in Deo: nec speraverunt in salutari eius.*	22. Quod perspectis tot miraculis adhuc in fide fluctuarent, et tot perceptis a benigno numine beneficiis spem in eo suam non reponerent, a quo uno salutem obtinuerent, et liberationem e manu Pharaonis.

ANALYSIS SECTIONIS SECUNDÆ USQUE AD SEXTAM.

Christus in hoc Psalmo loquens, tempus ante ingressum in terram promissionis narrans, certamen ostendit inter Deum Iudæis benefacientem, et Iudæos in omnia eius attributa peccantes. Nam

- Primo, Deus suam potestatem erexit pro Iudæis, qua
  - Miracula patrat
    - In Ægypto universa. 12.
    - In regione præsertim Taneos. 12.
  - Mare rubrum dividit
    - Siccam arenam pro via dando. 13.
    - Aquas ex utroque latere sistendo. 13.
  - In deserto ducit,
    - De die nubem obtendens. 14.
    - De nocte, columnam illuminans. 14.
  - E rupe ad potum aquam elicit
    - In magna copia. 15.
    - Et fluxu perenni. 16.
- Iudæi ingrati sunt Deo potenti. Nam
  - Obstinatione, in peccata relabuntur. 17.
  - Impatientia, Deum irritanti. 17.
  - Gula, cibos lautiores petunt. 18.
  - Blasphemiis, de Dei potestate dubitare se ostendunt. 19.
  - Miracula eius irrident. 20.
  - Iram divinam verbis et factis acuunt. 21.
  - Fidem et spem amittunt. 22.
- Secundo, liberalitatem Deus illis exhibet,
  - Manna elargiens
    - E cælo demissum. 23.
    - Cibum suavissimum. 24.
    - Ab angelis factum. 25.
    - Ubertim datum. 25.
  - Et coturnices
    - Ventis ad id excitatis
      - Austro. 26.
      - Et Africo. 26.
    - Multitudine innumerabili
      - Instar pulveris. 27.
      - Et arenæ. 27.
    - Mira benignitate
      - In ipsa castra deliciendo. 28.
      - Prope eorum tentoria. 28.
- Ipsi voracitate in Deum liberalem peccant,
  - Coturnicibus datis se ingurgitando. 29.
  - Et Dei liberalitate abutendo. 29.
- Tertio, iustitiam Deus intentat,
  - Cum celeritate irascens 30.
    - In voraces. 30.
    - Pingues. 30.
    - Robustos. 31.
    - Obstinatos. 32.
  - Cum severitate puniens 33.
    - Vitam illis inutilem reddendo. 33.
    - Et mortem celerem accersendo. 33.
- Ipsi mentita conversione Deo iusto illudunt,
  - Oculis, eum quærere se fingunt. 34.
  - Pedibus, a via se mala redire mentiuntur. 34.
  - Corpore toto, illi supplices se sistunt. 34.
  - Memoria, a Deo accepta beneficia versare se simulant. 35.
  - Ore solo, laudes illi dicunt. 36.
  - Lingua mendaci, futuram emendationem pollicentur. 36.
  - Corde curvo, terrena spectant et amant. 37.
  - Opere, promissa facta non complent. 37.
- Quarto, misericordiam Deus aperit; qua
  - Præsenti Iudæorum miseria commovetur. 38.
  - Præterita peccata condonat. 38.
  - Futuras pœnas avertit, 38. ob
    - Corpus imbecillum et carneum. 39.
    - Animam instabilem. 39.
- Ipsi scelerati in Deum misericordem
  - Crebrius et facilius eam ob rem peccando. 40.
  - Ægypti cepe et allia respectando. 41.
  - Absurda postulando cum murmuratione. 41.
  - Blasphemiis Deum exacerbando. 41.
- Quinto denique, ipsorum stuporem aperit
  - Obliviscentium liberationem e captivitate Ægyptiaca. 42.
  - Et quidem potentissima Dei manu factam. 43.
- Dei vero charitatem constantem erga ingratos, 43. dum
  - Hostes eorum miraculis atterit:
    - Fluvio, in sanguinem verso. 44.
    - Aere, muscis oppleto. 45.
    - Terra, ranis scatente. 45.
    - Bruchis, fructus vorantibus. 46.
    - Locustis, agros populantibus. 46.
    - Grandine, vites atterente. 47.
    - Gelu, arbores decoquente. 47.
    - Grandine iterata, armenta conterente. 48.
    - Igni residua et iam collecta absumente. 48.
    - Dæmonibus, urbes et domos spectris implentibus. 49.
    - Morte, in homines et iumenta sæviente. 50.
    - Deo, primogenitos perimente. 51.
  - Ipsos, Pastoris instar, tuetur,
    - Imbelles ab Ægypto educendo, velut oves. 52.
    - In deserto pascendo et ductando, velut gregem. 52.
    - Spem promissæ terræ ostentando. 53.
    - Terrores inanes pellendo. 53.
    - Ab omni hoste liberando. 53.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta Dei potestas in conversione peccatoris, et quanta relabentis in peccatum, gulæ præsertim, ingratitudo.

45. Ordo sectionis. **Prima** Sectione Christus, qui in toto Psalmo loquitur, attentionem excitaverat, ob dicendorum excelsitatem et utilitatem. Nunc incipit explicare quanta et quam magna beneficia Iudæis Deus contulerit, et quanta fuerit eorum ingratitudo et perversitas. Quoniam autem in parabolis et ænigmatis locutorum se esse dixerat, nos in Iudæis peccatores omnes figuratos agnoscemus, qui Dei potestatem, liberalitatem, iustitiam, misericordiam, sapientiam, aliaque attributa spernant, sicut videbitur in sequentibus sectionibus.

Ac primo, Dei potestatem pro illis exertam declarat, sive vitam seu viam purgativam, sive illuminativam, sive unitivam species.

Nam in vita purgativa primum est educi a peccato, et B eius occasionibus, quod factum tradit, v. 12. *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.* Secundo, amaritudo vitæ novæ et spiritualis est tollenda, v. 13. *Interrupit mare.* Tertio, iam in via lapsantes, et viæ ignari ducendi sunt, necdum satis clara luce: *Et perduxit eos.* Quarto denique, perturbationes mentis necdum domitæ compescendæ sunt: *Et statuit aquas quasi in utre.*

In illuminativa vero, primo in umbra Spiritus sancti refrigerium est ab æstu passionum, vers. 14. *Et deduxit eos in nube diei.* Secundo, ardor et lux oritur a Christo: *Et tota nocte in illuminatione ignis.*

In unitiva denique vita, Primo, mentem prorsus a turbis avocat, et illi quietam solitudinem constituit, v. 15. *Interrupit petram in eremo.* Secundo, gratiarum ubertatem infundit: *Et adaquavit eos, velut in abysso multa.* C Tertio, ipsis in difficultatibus et molestis negotiis devotionem conservat, v. 16. *Et eduxit aquam de petra.* Quarto denique, suavissimarum lacrymarum perpetes rivos largitur: *Et deduxit tamquam flumina aquas.*

Secundo, ingratitudinem Iudæorum declarat, atque omnium relabentium in peccata, præsertim ob gulam, quam scelerum omnium fontem statuit.

Nam primo, ventri dediti proni sunt ad relapsum in scelera, v. 17. *Et apposuerunt adhuc peccare ei.* Secundo, impatientes sunt, nec minimam inopiam ferunt: *In iram excitaverunt excelsum in inaquoso.* Tertio, lautissimos cibos appetunt, nec oblatis sunt contenti, v. 18. *Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.* Quarto, blasphemias inter pocula frequentant, vers. 19. *Et male locuti sunt de Deo, et dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Quinto, in popinis rident divina miracula, v. 20. *Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt.* Sexto, de eius potestate dubia omnibus iterum atque iterum inculcant, vers. eod. 20. *Numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Septimo, Deum D ultorem in se provocant, v. 21. *Ideo audivit Dominus, et distulit: et ignis accensus est in Iacob, et ira ascendit in Israel.* Octavo denique, fidem prorsus amittunt, vers. 22. *Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari eius.*

ARTICULUS I.

Potestas Dei se exerit in vita purgativa.

46. Vers. 12. **Vitam** purgativam vocamus, in qua homo purgatur a suis vitiis, et a vehementibus passionibus immunis fit. Ad hoc requiritur maxima Dei gratia, v. 12. **Coram patribus eorum** (Mose, Aarone, et senioribus Hebræorum) **fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo** (S. Hieronymus, in regione. Psalterium Illyricum, in planitie) **Taneos.** Sunt qui per campum Taneos intelligant synecA dochice totam Ægyptum; sed perperam, quia iam dixerat, in terra Ægypti: itaque per Tanim determinatur certus locus, in quo Moses alloquens Pharaonem incipiebat miracula operari, quæ deinde per totam Ægyptum diffundebantur. Quæres, cur a Tani incœpit Moses sua miracula? Respond. Primo, quia licet Memphis, quam nunc Tanis urbs regia. Cairum vocamus, esset Ægypti caput, tamen Pharaones, id est, reges Ægypti frequentabant Tanim, velut ordinariam sedem: erat enim civitas magna, et amœno in loco sita. Strabo lib. 17. Georg. suæ, pag. 929. meminit νομου quem τανιτην vocabant, hoc est, præfecturæ Taniticæ, in qua esset πολις μεγαλη Τανις, magna civitas Tanis. Ab ea unum ex septem Nili ostiis vocatur Tanicum a Pomponio Mela, Taniticum a Ptolemæo et Strabone: sicut alia sex, nempe Canopicum, Balbitinum, Sebenniticum, Mendesicum, Phatniticum, Pelusiacum, a Canopo, Balbis, Sebennis, Phatnis, Mende, Pelusio, Gulielm. Tyrius Archiep. de bello sacro, asserit se quatuor tantum Nili ostia observasse, et mirari quod a veteribus numerentur septem. Sed eius fortasse tempore tria fuerant iam obstructa, sicut tunc Tanis erat instar parvi oppidi, cum prius esset urbs regia.

Nota, qui perfecte vult servire Deo, necesse est ut exeat 47. Ægyptus est figura mundi, et cur? a sæculo perverso, cuius typus est Ægyptus. Primo, quia Ægyptus significat tenebras, ut quidam volunt, Hebraice dicitur Mesraim, id est, angustiæ et coarctatio Secundo, ob lutum, quia erat terra depressa, et ob aquam turbidam Nili. Tertio, ob scelera Pharaonis et totius populi. 1. Quarto, quia Ægyptii persecuti sunt populum Dei. Quinto, 2. ob plagas, quibus afflicti sunt a Deo iusto vindice. S. Au- 3. gustinus: *Terra Ægypti in figura intelligenda est huius* 4. *sæculi.* Thalassius centur. 2. Ægyptus spiritualis est ob- 5. tenebratio passionum, in quam nemo nisi antea fame laboret, descendit. Origenes hom. 16. in Genesim: Servire Ægyptiis, inquit, non aliud est, quam obnoxium fieri carnalibus vitiis, et dæmonibus esse subiectum. Qui libertatis animæ curam gerit, et dignitatem mentis cælesti cogitatione nobilitat, iste ex filiis Israel est: ita Origenes.

Nota secundo, nemo educitur ex Ægypto peccati et 48. Conversio peccatoris est miraculum. sæculi sine miraculo. Primo, Cassianus dicit conversionem peccatoris esse mirum opus Dei et prodigium. Sic enim Collat. 12. cap. 12. Quis, ait, plane non miretur, opera Dei, ac toto proclamet affectu? Quia ego cognovi, quod magnus est Dominus cum vel se, vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirsutumque perspexerit, et egestatem atque angustiam præsentium rerum etiam voluntarie perferentem? Ista sunt profecto mira opera Dei, quæ peculiariter anima Prophetæ, similiumque eius mirificæ contemplationis intuitu stupefacta cognoscit. Ista sunt prodigia, quæ posuit super terram. Aitque a Davide Ps. 45. v. 9. omnes invitari, ut illa contemplentur. *Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram:* ita Cassianus. Super terram, id est, super animam quæ prius terra erat, et per Dei gratiam fit cælum. Secundo, idem auctor. Collat. 15. cap. 8. dicit, conversionem peccatoris esse maius miraculum, quam expulsionem dæmonis e corpore energumeni. Verba eius sunt: *Revera maius miraculum est,* Maius quam expulsio dæmonis e corporibus. *de propria carne fomitem luxuriæ eradicare, quam expellere immundos spiritus de corporibus alienis: et magnificentius signum est virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ cohibere, quam aereis principibus imperare: plusque est exclusisse edacissimos de corde proprio tristitiæ morbos, quam valetudines alterius, febresque corporeas expulisse. Postremo multis modis præclarior virtus sublimiorque profectus est, animæ propriæ curare languores, quam corporis alieni. Quanto enim hæc sublimior carne est, tanto præstantior eius est salus: quantoque pretiosioris excellentiorisque est substantiæ, tanto gravioris et perniciosioris est ruinæ.* Ubi adverte, Mosis miracula fieri in campo Taneos, quæ vox significat primo, motum seu motionem. Non fit enim peccatoris conversio sine motione Spiritus sancti. Secundo, Tanis significat humilitatem, ut

ait S. Augustin. Campus Taneos, ait, planities est mandati humilis. Nam mandatum humile interpretatur Tanis. In hoc ergo sæculo humilitatis mandatum suscipiamus, ut in alio sæculo exaltationem, quam promisit, qui propter nos hic factus est humilis, accipere mereamur: ita Aug.

49. Vers. 13. Cum iam victus videtur Pharao, et relicta mundi Ægyptus, tunc maximæ oriuntur difficultates, sed Deus adest supplicibus, et viam aperit, licet mare totum se opponat, v. 13. INTERRUPIT MARE (non in duodecim locis, ut quidam Hebræi volunt, sed in uno tantum, ut dicetur Psal. 135. v. 13.) ET PERDUXIT EOS (in littus deserti Arabici obiectum Ægypto) ET STATUIT AQUAS QUASI IN UTRE, illas stabiles et immobiles reddens, ac pari facilitate continens, qua aquas in utre aut aliquo vase clausas teneret. Iosephus lib. 2. Antiquit. Iudaic. cap. 14. commemorans Hebræorum accessum ad mare rubrum dicit, Pharaonem eos fuisse insecutum cum sexcentis curribus, et cum exercitu quinquaginta millium equitum, et ducentorum millium armatorum. Mosem vero, cum videret Hebræos trepidantes orationem ad eos habuisse, ut eos ad spem in Deo habendam erigeret, atque inter cætera dixisse, μανίας ἔργον εἶναι, *furoris opus esse*, post tot visa prodigia de Dei providentia desperare: Deo volente, montes instar camporum viam præbituros, et mare in solidam terram convertendam. Mosis deinde orationem ad Deum refert, ac divisionem maris virga percussi. Narrat denique tradi ab omnibus qui res gestas Alexandri Magni scripserunt, eius exercitui Pamphylium mare apertum esse, cum in Persas moveret. Sed probabilius est Alexandrum transivisse cum maris sinum cum maris æstus de more recessisset, sicut Mondragonius mari recedente pervenit pedibus in Zelandicam insulam per æstuaria. Vide dicta Ps. 37. 7. et locum Eccli. 39. 22.

50. Cur unda steterit mari rubro diviso. Nota, Deus noluit prorsus tollere mare ex oculis Hebræorum, sed illud interrumpere ac dividere, ita ut instar muri ab utraque parte itineris staret mare. Primo, ut miraculum esset evidens, hoc enim non fit in illo æstus maritimi recessu aut accessu. Secundo, ut lætitia maior esset populo tantum miraculum videnti. Tertiò, ut toto itinere magis penderet a Dei providentia, qui singulis momentis poterat permittere mari, ut in alveum suum rediret, atque omnes demergeret. Vult Deus nos præsentis periculi aspectu ad se ardentius recurrere. Quarto denique, ut diligentius iter illud populus decurreret, nesciens quamdiu vellet Deus illud miraculum durare. S. Hieronymus in Psalmum nostram ait, nunc illud prodigium fieri cum quis a sæculo ad desertum religionis transit: *Usque hodie, ait, o monache fidelis, quando educeris de Ægypto, interrumpitur mare, et sic educeris.* S. Gregorius Nyssenus tom. 2. tractatu de anima et resurrectione, flumini comparat vitam nostram: Quis, ait, nescit, quod fluento similis est vita hominum et natura? S. Basilius tom. 1. oratione de humilitate, eam comparat viæ: *Vita nostra*, inquit, *continua est via, quæ ætatibus distinguitur*, καθάπερ σταθμοῖς, *tamquam stationibus et mansionibus.* Vere dixeris, esse viam in flumine, aut verius in mari, cuius fundus est lubricus et lutosus, utraque pars lateralis est aqua naufragium minitans: instat Pharao a tergo, id est, mors et diabolus infrendens, audiuntur tonitrua et fragores in aere.

51. Deus usque ad finem viæ ducit. Nota secundo, Deus solus potest secure deducere in tantis periculis: *Et perduxit eos.* Non ducit tantum in viæ principio; sed *perduxit*, id est, usque ad finem ducit per omnia pericula et impedimenta. Isaiæ 43. v. 16. *Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam. Qui eduxit quadrigam et equum, agmen et robustum; simul obdormierunt, nec resurgent: contriti sunt quasi linum, et extincti sunt.* Salvianus lib. 1. de providentia, mirabilem illum Dei ducatum in mari rubro sic admiratur et prædicat: *Patientiæ fuit divinæ, quod Ægyptii rebellantes sæpe percussi sunt: iudicii, quod contumaciæ pertinaces morte damnati. Igitur post hunc rerum*

A *gestarum ordinem ingreditur eremum victrix sine bello gens Hebræorum. Agit iter sine itinere, viatrix sine via, prævio Deo, divino commilitio honorabilis, ductu cælesti potens:* hæc ipse. Mare rubrum sunt tribulationes. 2. Pœnitentiæ Sacramentum. 3. Baptismus, de quo sic Beda in Psalmum nostrum: Aqua baptismatis rubricata, id est, velut mare rubrum facta, sanguine Christi, qui admiscetur ei per signacula crucis, dividitur ab aliis simplicibus aquis: quia iam est aqua non tantum lavandis corporibus, sed mentibus apta. Et per hanc aquam, in qua Satanæ et pompis eius abrenuntiamus, et fidem suscipimus, traducit nos in securitatem cælestis patriæ Dominus; si non re, tamen in spe: hæc Beda. In eum numerum admitti possunt ipsi Ægyptii, sed misti Hebræis, nullus ne Æthiops quidem Eunuchus reginæ Candacis excluditur. Pharaonis filia in Nilo lavatur, id est, Ecclesia gentium in baptismo.

Nota tertio, Deus *continet aquas quasi in utre*, cum carnales concupiscentias domat, ut ait S. Aug. in Psal. nostrum: *Statuit*, ait, *aquas quasi in utre. Ut sic staret unda* B *tamquam fuisset inclusa, potest per suam gratiam cohibere fluida et labentia concupiscentiarum carnalium, cum huic sæculo renuntiatur; ut, tamquam inimicis, peccatis omnibus perdeletis fidelium populus per Sacramentum baptismatis traiiciatur.* Hoc ipse expertus est; cum enim nuntium remisit voluptatibus, quibus carere se posse vix credebat, edomitis motibus innocentissimam vitam egit. S. Ignatius etiam in aula et militia enutritus, cum ad virtutis iter a Deo raperetur, carnem suam verebatur; sed ope Deiparæ hoc obtinuit, nullis ut amplius tota vita corporis commotionibus turbaretur: quod donum quantum sit, ex se quisque æstimare potest. S. Basilius tom. 1. tract. in Isaiam pag. 802. In sæva, inquit, tempestate sumus, cum passiones carnis dominantur in nobis. Eccl. 25. 34. eas frænare admonemur: *Non des aquæ tuæ*, id est carnalibus desideriis, *exitum, nec modicum: nec mulieri nequam*, id est concupiscentiæ, *veniam prodeundi.* Ioannes Moschus in prato spirituali, cap. 109. tradit, Georgium Abbatem C per duodecim annos nunquam visum fuisse turbari. S. Ignatius multis annis ante mortem ne levissimos quidem vanæ gloriæ motus sensit: sed hi iam Deo uniti fervebant, nobis arma semper sint in manibus oportet, cum Pharao semper instet, et mare ex omni parte circumstet atque infremat. S. Chrysost. hom. 7. in 2. ad Corinth. pag. 794. Hiems, ait, et tempestas sunt res humanæ, et tempestate omnique hyeme molestiores. Et tom. 5. libro ad eos qui sunt scandalizati, pag. 914. *Palæstra quædam*, ait, *est hæc vita, gymnasium, certamen, fornax conflatoria, et tinctoria virtutis officina.* Et tom. 1. homil. 6. ad populum, pag. 97. Vita hæc est bellandi occasio, locus certaminis, et stadium habendarum coronarum. S. Isidorus Pelusiot. lib. 1. epist. 4. ad Timotheum lectorem: Ex iis, ait, certaminibus quæ a te obeuntur, vir eximie, hoc persuasum habe, res præsentes velut stadium quoddam, quod in aspectum minime cadat, proponi: in quo nobis non cum sensibilibus feris, sed cum perturbationibus, quæ animo et ratione intelliguntur, certamen est: hæc ipse. Regiones aliquas D sine feris reperies, hominem vero nullum sine passionibus, quod S. Gregorius Nazianz. admonuit, tom. 2. carmine 13. fol. 16. ubi sic concinit de Creta:

52. Deus continet aquas in utre cum passiones nostras domat.

Georgii Abbatis et S. Ignatii quies a passionibus.

Est regio ut quondam Cretæa, ignara ferarum:
Est alia hybernæ nescia terra nivis;
At vacua adversis quod vitæ tempora rebus,
Clauserit, haud quisquam dicere iure queat.

Nec externis tamen, nec internis bellis ita terreri debemus, ut animum abiiciamus, Dux noster Deus incem et vires dabit, suosque athletas unget atque coronabit. S. Cyrillus Alexand. lib. 4. de Festis Paschalibus: *Neque vero, ait, quispiam arbitretur, difficile admodum atque arduum esse, victoriam obtinere; inungat vero potius eiusmodi hominem Paulus clamans: Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis: sic faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

ARTICULUS II.

In vita illuminativa Deus passiones temperat, et mentem illuminat.

Non tantum Deus servos suos educit ex Ægypto, et per
53. mare traductos abluit, sed etiam per desertum ducit;
Vers. 14. v. 14. Et deduxit eos in nube diei (id est diurna, per diem eos obumbrante) et tota nocte in illuminatione (S. Hieron. Pagn. et Arias, in lumine) ignis, id est eiusdem columnæ lucentis per noctem, et igneo fulgore coruscantis.

Columna nubis et ignis fuit unica. Quæres, an eadem fuerit columna nubis et ignis, an vero fuerint duæ columnæ? Resp. primo, columnam nubis et ignis fuisse eamdem columnam, quæ interdiu protegebat castra ab ardore solis, noctu vero lucem præbebat. Ita Philo, Clem. Alex. S. Gregor. Nyssenus, et alii: idque patet Num. 9. 21. *Si fuisset nubes a vespere usque mane, et statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: et si post diem et noctem recessisset, dissipabant tentoria. Si vero biduo, aut uno mense, vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filii Israel in eodem loco, et non proficiscebantur.*

54. Nulla fuit alia nubes præter illam columnam. Quæres secundo, an fuerit aliqua alia columna præter columnam nubis et ignis, quæ tegeret castra Hebræorum? Resp. primo, Salianus, duas fuisse nubes: et duobus officiis inter sese pugnantibus, destinatas. Nam Num. 14. v. 14. dicitur: *Habitatores terræ huius audierunt, quod tu Domine in populo isto sis, et facie videaris ad faciem, et nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna ignis per noctem.* Secundo, censent Iansen. et Genebr. in Ps. nostr. atque Abulensis in cap. 13. Exodi, non fuisse nisi unam nubem, quæ tria officia haberet, nimirum protegendi a solis ardoribus per diem; 2. illuminandi et calefaciendi per noctem; 3. deducendi tam interdiu, quam noctu. Hæc sententia mihi magis videtur probabilis, et magis esse conformis Davidi nostro. Nam hic ponit deductionem et illuminationem: *Deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis.* In psalmo autem 104. v. 38. facit mentionem protectionis et illuminationis; ait enim: *Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem.* Ubi clare dicit, nubem diurnam eos texisse non a Pharaonis exercitu, ne ab eo viderentur, ut vult Bellarminus, sed ab æstu solis. Semper enim Scriptura iungit illius nubis officium diurnum et nocturnum. Arbitror tamen, nubem illam quæ simul tegebat et ducebat, in prima sui parte formatam fuisse in modum columnæ magnæ, ut videri posset a toto exercitu, qui erat circiter trium millionum hominum, deinde fuisse in latum fusam super totam illam multitudinem, ut eam preservaret a calore, qui maximus est in Arabia deserta, propter arenas siccas.

55. Columna illa non fuit verus ignis. Quæres tertio, an illa nubes fuerit ignis noctu? Resp. non fuisse verum ignem, sed fuisse fulgorem rutilantem, qui haberet speciem ignis. Id patet Numer. 9. 15. *A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis, usque mane. Sic fiebat iugiter, per diem operiebat illud nubes, et per noctem quasi species ignis.* Deinde, si fuisset ignis, combussisset tabernaculum, cui de nocte incubabat: deinde fuisset ille ignis extra locum suum in statu violento, et alimento eguisset. Itaque ad vitanda multa miracula, dicendum est non fuisse verum ignem.

56. Officia columnæ nubis et ignis. Quæres quarto, quænam fuerint officia illius columnæ? Resp. primum eius officium fuisse deducere populum, cique viam ostendere, ut hic David docet: *Deduxit eos in nube*, id est, nube (Hebræi enim instrumentum ponunt in ablativo cum præpositione) *diei*. Secundum officium erat, noctis tenebras depellere, ut hic etiam docemur: *Et tota nocte in illuminatione ignis.* Itaque erat illis Israelitis, instar lunæ aut solis: unde appellatur sol, Sap. 18. 3. Tertium officium erat, suo motu et quiete docere Israelitas, quandonam quiescere aut progredi deberent. Ordinarie bis in die nubes quiescebat, nempe tempore prandii, et noctis,

A si post prandium nubes non movebatur, populus etiam ibi manebat. De nocte vero semper quiescebat et nubes et populus, neque unquam iter tunc fecit, post transitum maris rubri: antea vero ob metum Pharaonis etiam nocturnum iter fuit necessarium. Et hoc patet Exod. 13. 21. et 1. Esdræ 9. 12. et seq. Extraordinaria quies nubis erat longior, et tunc populus figebat tentoria, atque vocatur statio seu mansio, quales fuerunt 42. per annos quadraginta profectionis ab Ægypto in terram Chanaan.

Quæres quinto, quis esset motor illius columnæ? Resp. 57. Motor illius fuit S. Michael.
fuisse angelum, ut patet Exod. 14. 19. Et hoc necessarium erat, quia motus illius nubis erat varius, et sæpe interruptus. Probabile est fuisse S. Michaelem, qui erat præses synagogæ, sicut nunc est Ecclesiæ. Illa porro nubes ductrix et protectrix cœpit officio suo fungi, et angelus intra illam, statim in prima die egressus, usque ad terram promissam, in qua disparuit quando manna defecit. Moses enim dicit, nunquam defuisse columnam nubis per diem, neque columnam ignis per noctem. Semper
B autem fuit necessaria, præsertim in ipso exitu, ne statim aberrarent: itaque reiiciendi sunt, qui censent tertia tantum mansione apparuisse. Licet enim tantum illius fiat mentio tunc temporis, non sequitur tamen prius non apparuisse. Nam ibidem dicitur exportata esse Iosephi ossa ex Ægypto, quæ sine dubio ipsa prima die exitus sunt exportata, licet id prius non dicatur. Scriptura enim non semper refert res præcise quando contigerunt, sed prout videtur esse commodius.

Mirabiles aliæ nubes viæ ductrices, et ab æstu prote- 58. Nubes ignea Thrasybulum deducit.
gentes, atque aquam insperatam dantes referuntur. Primo, Clem. Alexand. lib. 1. Stromatum refert: Trasybulum a columna ignea noctu deductum esse: indeque Gentiles urget, ut credant id quoque esse factum in deserto, in gratiam Israelitarum. Thrasybulo, inquit, qui exules ex Phyla reducebat, et latere nolebat, στῦλος ὁδηγὸς γίνεται, *dux fit columna*, et Thrasybulo noctu per loca non trita ingredienti, cum nec luceret luna, hybernumque cælum
C esset et caliginosum, videbatur ignis præcedens, qui cum eos citra ullam deduxisset offensionem, prope Muniehiam defecit, ubi nunc est ara τὸ φωσφόρου, id est *Luciferæ*. Vel ex hoc ergo fiunt nostra Græcis credibilia, nempe quod facere potest, παντοκράτωρ Θεός, Deus omnipotens, ut columna ignis Hebræos noctu præcedat, quæ etiam dux sit eorum itineris. Secundo, credibilius est nobis, quod refert Ioann. Moscus in prato spirituali, cap. 53. pag. 1077. Cyriacus senex, inquit, in monasterio sancti Pa- Et Cyriacum.
tris nostri Sabæ demorans, die quadam descenderat Tuthelam, et paulisper circa mare mortuum remoratus, cellam suam repetebat. Cum ergo æstus esset vehementissimus, ita ut senex pene deficeret, extendens manus suas ad Deum, oravit, dicens: Domine tu scis, quia non possum præ siti ambulare, statimque nubes circa illum facta est, neque recessit ab eo, quamdiu restitueretur cellæ suæ. Distabat autem a cella sua milliaribus ferme duodecim. Tertio, illustre est, quod idem Moscus refert, cap. 174.
D pag. 1131. de navigantibus Bizantio Ierosolymam, qui cum iam tres dies sine aqua dulci versarentur in medio mari, nauclerus qui totos illos dies ieiunio et orationi vacabat, exclamavit: Gloria tibi Christe, Deus noster, ita Pluvia miraculosa.
ut omnes miraremur, et dixit nautis: Submittite membranas. Et cum explicuissent eas, ecce nubes supra navem veniens, tantum pluit aquæ, quantum oportuit ad replenda vasa in usus eorum. Erat autem, θαῦμα μέγα καὶ φοβερόν, grande miraculum et terribile, quod velificante nave nubes illa consequeretur nos, et extra navem non plueret. Quarto, scimus, B. Iosepho Anchieta imperante aves tanta copia advolasse, ut nubis instar, navem in qua eum Brasilis vehebatur, obtegerent, æstumque solis maximum tem- 59.
perarent, ut viso hoc miraculo barbari illi et inculti populi spleudorem fidei adverterent. Tropol. Columna nubis et ignis quid: 1.

Tropolog. Primo, S. Ambrosius censet nubem diurnam esse Spiritum sanctum; et columnam ignis de nocte fulgentem, esse Christum. Verba eius sunt lib. 1. de Sacra-

mentis, cap. ultim. *Lux*, inquit, *quid est nisi veritas, quæ apertum et plenum lumen effundit? Columna lucis quid est, nisi Christus Dominus, qui tenebras infidelitatis depulit, lucem veritatis et gratiæ spiritualis affectibus infudit humanis? At vero columna nubis est Spiritus sanctus. In mari erat populus, et præibat columna lucis: deinde sequebatur columna nubis, quasi umbratio Spiritus sancti.*

II. Secundo, nubes diei, seu columna nubis, est humanitas Christi; columna ignis, est Spiritus sanctus qui apparuit in linguis igneis, et illuminat atque accendit noctem peccatorum. Causæ variæ afferri possunt, cur humanitas Christi comparetur illi nubi. Primo enim, in ea latebat Divinitas, sicut angelus in illa nube. Beda in Psalm. nostr. Caro Christi, ait, dicitur nubes: quia in ea malos divinitas latuit, bonis vero affulsit: et fuit talis nubes, quæ esset diei: quia clara fuit, et sine nebula peccatorum. Secundo, illa nubes mitigabat ardorem solis inter arenas Arabicas, caro Christi mitigat iram Dei. Ugo Cardin. in cap. 9. Lucæ: Per nubem, ait, significatur caro Christi, quia nubes solis ardorem mitigat per sui interpositionem: et caro Christi iram Patris compescuit per suam oppositionem, quia in se sustinuit ictus. Tertio, illa nubes ducebat in terram promissam, per Christum ducuntur Sancti in cælum.

III. Tertio, nubes diei, seu columna nubis et columna ignis de nocte fuit B. Virgo: ita S. Hieron. in Psal. nostr. Nubem levem debemus S. Mariam accipere, nullo semine humano prægravatam. Nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce. Chrysippus Ierosolymitanus, serm. de S. Maria Deipara: Ave, inquit, nubes pluviæ, potum animis Sanctorum exhibentis.

IV. Quarto, nubes illa, est gratia baptismi, ignis est donum Spiritus sancti: ita S. Ambrosius lib. de Filii divinitate, cap. 8. S. Paulus 1. Corinth. 10. 1. ait: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt. Et omnes in Mose*, id est per Mosem, duce Mose, *baptizati sunt in nube, et in mari*, rubro scilicet: ille enim transitus Hebræorum per illud mare fuit typus baptismi. Theodoretus sic exponit singula: *Illa erat nostrorum typus: mare enim imitabatur piscinam seu lavacrum, nubes autem gratiam spiritus, Moses vero Sacerdotem, virga autem crucem: Israel vero significabat eos qui baptizantur: persequentes vero Ægyptii, implebant figuram dæmonum: ipse autem Pharao erat figura diaboli.*

V. Quinto, S. Gregor. vult in nube benignitatem et misericordiam Dei; igne, iustitiam eius adumbrari. Sic enim hom. 21. in Evangelia: Recte, ait, populum per deserta gradientem, columna ignis in nocte, et columna nubis præibat in die. In igne enim terror est: in nube autem, visionis lene blandimentum. Dies enim, vita iusti: et nox, accipitur vita peccatoris. Unde et conversis peccatoribus Paulus dicit Eph. 5. *Fuisti aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* In die ergo per nubem columna monstrata est: et in nocte, per ignem: quia omnipotens Deus et blandus iustis, et terribilis apparebit iniustis. Istos in iudicio veniens per lenitatis mansuetudinem demulcet: illos vero, per iustitiæ districtionem terret.

VI. Sexto, S. Zeno Veronens. Episcopus, serm. 5. de Exodo: Columna, inquit, viam demonstrans, Christus est Dominus. Quod duplicem nubis et ignis imaginem gerit, iudicia duo designat: unum aquæ, quod gestum est: alterum ignis, quod futurum. Mare fontem sacrum debemus accipere, in quo quibus aquis Dei servi liberantur, iisdem qui non fugiunt, sed portant peccata, delentur: ita ille. Nec abludit ab hac explicatione S. August. in Psal. nostr.

VII. Septimo denique, malim per columnam nubis intelligere protectionem Dei, qua suos servos et amicos tuetur ab omni tentationum et afflictionum æstu, in hoc deserto siticuloso et arido. Per columnam vero lucis et ignis, illuminationem et ardorem Spiritus sancti.

60. Peccatum excæcat. Ubi adverte, proprium esse peccati excæcare, virtutis vero, lumen et splendorem menti affundere.

A De primo, nempe de tenebris peccati ait Clem. Alexand. lib. 2. Strom. *Sicut exhalationes, quæ e terra, et ex lacunis ac voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem et umbrosam vertiginem: ita etiam carnalium cupiditatum vapores malam animæ inurunt habitudinem, voluptatis spectra animæ repræsentantes, et ante eam affundentes. Intelligenti itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores, qui oriuntur ex cupiditate et perpetuitate voluptatum condensante vitiorum vertigines.* S. Macarius Ægyptius hom. 28. pag. 168. comparat peccati tenebras Ægyptiacis tenebris, in quibus patrem filius non videbat, nec frater fratrem, nec amicus amicum. Sic ait, ex quo Adam transgressus est mandatum, velamine tenebrarum in eius animam veniente, *non videbat verum patrem, scilicet cælestem: bonam et benignam matrem, gratiam Spiritus sancti: dulcem et desideratum fratrem, Dominum: amicos et germanos, sanctos Angelos, quibus cum* εχαιρε χορευων και εορταζων, *gaudebat choreas agens, et festa celebrans.* S. Anastasius Sinaita Episcopus Antiochen. qui
B vixit tempore Iustiniani, circa annum 544. illud Gen. 1. *Tenebræ erant super faciem abyssi*, de Adamo et Eva peccato contenebratis explicat, lib. 1. Anagog. contempl. fol. 632. Bibl. Græcæ.

De secundo, nempe quod virtus sit fons lucis et columna ignis, habes apud eumdem S. Macarium, homil. 1. 61. Virtus est fons lucis. *Sicut sol sui plane similis est, nullam habens partem posteriorem aut inferiorem: sed totus penitus lumine splendet, et totus lumen est partium similium: aut quemadmodum in igne lumen ipsius ignis totum sibi simile est, nihil habens in se primum aut postremum, maius aut minus. Sic et anima, quæ plene illustrata est ab ineffabili pulchritudine gloriæ luminis Christi, et Spiritus sancti perfecti, particeps facta*, ολη οφθαλμος, ολη φως, ολη προσωπον, ολη δοξα, ολη πνευμα γινεται, *totus oculus, tota lumen, tota facies, tota gloria, et tota spiritus evadit. Nempe sic eam adornante Christo, gestante, agente, baiulante, et ducente illam, et hunc in modum illam instruente, et spiri-*
C *tali decore adornante:* hæc ille. Basilius Imper. virtutem Leoni filio commendans eam soli comparat. Sic autem loquitur in exhortat. ad illum: O mi dilecte fili, qui et pater et regni sum socius, admoneo, ut virtutem tibi imperii ducem asciscas, quæ et regnis ornamento est, *et reges immortalitate donat.* Quemadmodum enim cum *sol* super terram non lucet, obscura sunt omnia atque indiscreta: ita in animo nulla eruditione, nullisque litteris imbuto, confusa et inordinata iacent universa: Capesse igitur ingenii cultum cum virtute coniunctum. Virtus enim sola ex iis quæ ab homine possideri possunt, neque perire, neque amitti potest. S. Gregor. Nyss. tom. 2. pag. 714. tract. de perfecta Christiani forma ad Olympium, ait, Christum esse Solem, virtutes vero esse radios solis. Verba eius sunt: Christum esse lucem veram, et a mendacio remotissimam considerantes, discimus vitam quoque nostram veræ lucis radiis illustrari oportere. Nam *virtus sunt*, ακτινες ηλιου δικαιοσυνης, *radii Solis iustitiæ.* S. Cyrillus ait Spiritum sanctum esse ignem, non urentem, sed
D salutarem: comburentem quidem spinas peccatorum, animam vero illuminantem.

Deiparam diximus supra esse columnam nubis, est etiam columna ignis. Methodius orat. in Hypapante, id est in occursu Simeonis atque Deiparæ et Christi: Fidelium, ait, fax, Maria. Chrysippus Ierosol. sermon. de S. Maria Deipara, fontem lucis et auroram vocat: *Ave*, inquit, *fons lucis omnem hominem illuminantis. Ave solis ortus, qui nullum ferre potest occasum.* S. Bern. serm. 7. de B. Virg. ait, eam esse fœminam sole vestitam, et stellis coronatam: *In capite eius*, inquit, *corona stellarum duodecim. Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans ornet eas potius, quam ornetur ab eis. Quidni coronent sidera, quam sol vestit?* 62. Sancti sunt columna lucis et ignis.

Sancti quoque sunt columna lucis et ignis, qui totam Ecclesiam illuminant. Rupertus lib. 3. in Ioan. Qui, ait, magno feruntur pelago pavidi nautæ placidam sibi auram

imprecati fixa cælo sidera respiciunt: terra amissa tenent A cælum, sedentesque ad clavum sideribus currunt: erratica vero sidera sequi fugiunt. Idem nobis, qui Scripturæ huius Evangelicæ profunditatem ingressi sumus, agendum est: et primo placidus nobis ille Spiritus implorandus est, de quo Psalmista Ps. 142. *Spiritus tuus deducet me in terram rectam.* Deinde Doctores sacri mente et oculis vigilantibus tenendi sunt, *qui tamquam Arcturi nunquam occidentis lucida sidera, stabili fide semper fixi steterunt: et lucem fidei fundentes, erroris occasum nescierunt. Hæreticorum vero lux erratica longe fugienda est. Sunt enim, ut Apostolus Iudas ait, sidera errantia, quibus*
Sancti apparent lucidi. *procella tenebrarum servata est.* Deus lucem visibilem sæpe affudit Sanctorum corporibus, ut innotesceret quanti essent radii mentis ipsorum. Primo, S. Philippus Nerius testatus est vidisse se S. Ignatii Fundatoris Societ. Iesu
1. S. Ignatius. faciem lucentem. Secundo, S. Eulogius lib. 1. memorialis Sanctorum, rem illustrem de B. Isaaco memorat: Cum,
2. B. Isaac. inquit, esset adhuc septennis B. Isaac, qui fuit postea monachus Tabanensis cœnobii et martyr, Virgo quædam vi- B dit *globum luminis e cælo descendere*, atque inter omnium præstolantium turbam solus hic ulnas extendens manibus lumen excepit, totamque eius claritatem ori suo iniectam ebibit. Felicem tunc, et vere beatum, omnibus tali condignum munere nuncupantibus. Tertio, *columna lucis* visa
3. B. Albanus. est e tumulo B. Albani Martyris cælos penetrare, per quam descendentes et ascendentes angeli totam noctem in Dei laudibus posuerunt. Inter cætera frequentius concinebant: Albanus vir egregius, Martyr extat gloriosus. Quo viso mille homines S. Amphibalum quæsierunt, ut fidem docerentur, ab eoque converterentur, ut ait Edovardus Maihew
4. S. Nonnus vidit senem cum stella. in Natal. Sanct. Ordin. S. Benedicti, pag. 819. Quarto, S. Nonnus Abbas vidit de nocte senem orantem in Ecclesia, et Kyrie eleyson quinquagies inclamantem, et *stellam lucidissimam super caput eius*, ut ait Ioann. Moschus in
5. S. Nonni manus lucent. prato spirit. cap. 101. Quinto, ipse S. Nonnus visus est ab alio ante Ecclesiam orans extensis in cælum manibus, *quæ lucebant quasi lampades ignis.* In oratione lucet mens C et manus. Ut enim ait S. Chrysost. tom. 1. sermon. de precatione pag. 840. *Sicut corpori lux est sol: ita menti oratio.*

Dicebat Christus Apostolis, Matth. 5. 14. *Vos estis lux mundi.* S. Ioannes vidit ante thronum Dei septem lampades ardentes, Apoc. 4. 5. *Hi erant septem spiritus*, id est angeli Dei. Si vis ut lampas tua ardeat, et admittaris ad nuptias sponsi, atque ad thronum Dei, sis spiritus, et spiritualis. Moschus in prato spirit. cap. 105. refert de quodam Christophoro maximæ sanctitatis viro, qui hæc ipsi urgenti narravit: Factus in extasi, vidi totum spelun-
6. Candelarum visio notabilis. cæ, ad quam oraturus cum aliis descendebam, *pavimentum candelis plenum,* ex quibus aliæ accensæ erant, aliæ non: Aspicio autem et duos viros chlamyde indutos, candidoque habitu amictos, easdem candelas præparantes. Ego autem dixi illis: Ut quid posuistis hic candelas istas, nec permittitis nos transire et orare? Qui respondentes dixerunt mihi: Patrum candelæ sunt. Dixi ad eos rursum: Cur aliæ ex illis ardent, aliæ non? Responderunt *θέλοντες ἐκείνων κανδήλας ἀνάψαι*, qui volunt, candelas suas accenderunt. Aio ad ipsos iterum: Facite charitatem. Candela mea ardet, an non ardet? Illi autem dixerunt: Ora, et accendimus illam. Tunc dico illis: Etiam nunc oro, et quid usquemodo faciebam? Atque in hoc verbo ad melpsum reversus sum, conversusque ultra iam neminem vidi. Tunc dixi in meipso: Christophore, si velis servari, maiori opus est labore. Tum ait se in montem Sina secessisse, ibique post quinquaginta pœnitentiæ annos iussum ad monasterium redire, ut ibi moreretur. Ante visionem autem illam candelarum iam undecim annis agebat in cœnobio cum ieiuniis multis, et continentia, et nuditate rerum omnium, et obedientia, et labore corporali: ex quo intelligas quanto studio orationi vacandum sit. D

ARTICULUS III.

In vita unitiva Deus se et suas gratias copiose communicat Sanctis suis.

In vita purgativa Deus tollit peccata ad se accedentium; in vita illuminativa virtutes infundit in via progredientibus: in vita unitiva se tradit iam metam tangentibus. Hoc explicari potest symbolice iis, quæ subdit Christus loquens in Psalmo nostro per parabolas et ænigmata. Ait 63.
enim v. 15. INTERRUPIT (Felix et Arias, scidit) PETRAM Vers. 15. et 16.
IN EREMO, ET ADAQUAVIT EOS VELUT IN ABYSSO MULTA. Hebr. et Arabs, in abyssis magnis. S. Hieron. vertit, de abyssis magnis. Abyssus est aqua sine fundo, et consequenter abundans et copiosa. Pro *petram*, Hebr. est, petras, seu rupes.

Ac vers. 16. ET EDUXIT AQUAM DE PETRA: ET DEDUXIT TAMQUAM FLUMINA AQUAS. In hoc secundo versu, censent esse diversum miraculum a priore Placidus Parmensis, Caiet. Agell. Genebr. Rickel. Ystella, Abul. Euth. Niceph. et alii.

Quæres, quoties Moses eduxit aquam de petra seu rupe? Respond. bis id factum esse. Primo quidem, cum populus in Raphidim, undecima mansione, vehementi siti premeretur, et in Mosem murmuraret, Mosi oranti iussit Bis Moses eduxit aquam de petra. 1.
Deus, ut pergeret cum virga qua Nilum percusserat (Aaronis scilicet manu) ad petram Horeb, quæ secundum Hebræos distat quatuor milliaribus a Raphidim, ibique petram illa virga percuteret. Quod cum fecisset, præsentibus senioribus Israel, aquæ copiosissimæ inde fluxerunt versus Raphidim, ubi adhuc erant castra. Id autem contigit anno primo exitus ab Ægypto, antequam populus perveniret ad montem Sinai, ubi fuit duodecima mansio. In Raphidim autem ventum est secunda die mensis 3. ab eo exitu, in Sinai vero die quarta: nam die tertia pugnatum est contra Amalecitas, populo adhuc manente in Raphidim. Secundo, aquæ penuria laboratum est anno 40. 2.
ab exitu ex Ægypto, qui annus fuit 120. Mosis et ultimus. Id accidit in Cades 13. mansione, quæ differt a Cadesbarne. Nam Cades fuit in deserto Sin, et Cadesbarne in extremo deserti Pharan, in aditu Chananitidis. Populus porro laborans siti murmuravit contra Mosem et Aaronem eodem mense, quo mortua erat Maria eorum soror, et quinto ante mortem Aaronis. Deus iussit, ut alloquerentur petram assumpta secum virga. Moses percussit virga bis silicem, et egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet, et iumenta. In quo peccavit inobedientia, quia non est allocutus petram, sicut Deus iusserat, sed eam percussit: peccavit etiam diffidentia, quia dubitavit an daturus esset aquam rebellibus et incredulis, quod tamen Deus se facturum esse promiserat. Eam ob rem nec Moses, nec Aaron introduxerunt populum in terram promissam, sed mortui sunt in deserto. Aaron quidem in monte Hor, et Moses in monte Abarim.

Quæres secundo, cur aquas e petra eductas vocet abys- 64.
sum et flumina? Respond. vocari abyssum, propter alvei Aqua de petra fluens vocatur abyssus et flumen.
profunditatem; et aquæ copiam, vocari flumina. Primo, ob multitudinem rivorum ex fonte inde exiliente in varias castrorum partes procurrentium. Secundo, ob perennitatem fluxus: nam saltem toto anno fluxit aqua de petra Horeb, quamdiu scilicet populus mansit prope montem Sinai. Ad eum autem pervenit quarta die mensis 3. ab exitu Ægypti, ut mox dixi, et inde castra movit anno 2. mense 2. vigesima die mensis, itaque ibi hæsit anno integro, demptis quatuordecim diebus. Deinde, Moses Nahamides opinatur, et ait, maiorum suorum esse opinionem, fontem ex Horeb non modo instar fluvii totis quadraginta annis fluxisse, sed etiam comitatum esse in deserto populum quocumque pergeret: neque id est improbabile. Hinc Doctores Hebræi, vocant Maim Neemanim, hoc est aquas fideles et stabiles: et Pelo Caim, id est miraculum permanens. Necesse tamen est dicere, cum fontem non fluxisse usque ad Cades, ubi fuit mur-

muratio nova ob sitim, et eductio aquæ de petra.

65. *Mutatio substantialis petræ in aquam.* Quæres tertio, unde illa aqua prodierit? Resp. Philo, aquas eo fuisse derivates per occultos cuniculos, ut disrupta petra statim inde prodirent. Secundo, et melius, rupis pars in aquam est conversa, ut canit David noster Psal. 113. 8. *Qui convertit petram in stagna aquarum*, quod S. Maximus Taurinens. Episc. qui floruit sub Honorio circa ann. 420. exponit de conversione et mutatione substantiali, sicut de aqua Nili versa in sanguinem, et de aqua versa in vinum in nuptiis. Ex his obiter adverte, manna non suffecisse etiam ad potum; nam populus non sitivisset, nec his miraculis eguisset.

66. *In deserto varia dona communicat Deus:* Nota, Deus specialius se communicat servis suis in eremo, seu solitudine: ibique eos maioribus donis cumulat, et virtutibus exornat.

I. *Loquitur ibi familiariter.* Primo enim, ibi cum iis loquitur familiarius et diutius. Oseæ 2. 14. agens de Synagoga, Ecclesia, et anima, quam vult in sponsam assumere, dicit Deus: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.* S. Gregor. Naz. orat. 1. in qua causas profert, cur in Pontum fugerit, postquam Presbyter factus fuisset, sic ait: *Nihil mihi tam optandum videtur cuiquam esse, quam ut occlusis sensibus, atque extra carnem mundumque positus, et in seipsum collectus; nec, nisi quantum necessitas exigit, quidquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse et cum Deo colloquens, superiorem iis rebus quæ in aspectum cadunt, vitam agat, divinasque species puras semper, nec terrenis ullis et errantibus formis admistas, in seipso circumferat, Deique ac rerum divinarum sit ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον, speculum purum, ac lucem per lucem assumat clariorem, videlicet per obscuriorem: iamque futuri ævi bonum spe percipiat, et cum angelis versetur; ac licet adhuc in terris sit, terram deserat, atque a Spiritu sursum collocetur.* Lege illam orationem. Hugo a S. Victore lib. 4. de Arca Noe, cap. 4. notat, Deum vix unquam locutum esse in populi multitudine. Scrutemur Scripturas, inquit, et inveniemus vix aut nunquam Deum locutum fuisse in multitudine: sed quotiescumque innotescere voluit aliquid hominibus, non gentibus et populis, sed vel singulis, vel admodum paucis, et a communi hominum frequentia segregatis, vel per nocturna silentia, vel in campis et solitudinibus, et montibus, et vallibus se manifestavit. Sic locutus est cum Noe, cum Abraham, cum Isaac, cum Iacob et Mose, Samuele, Davide, et omnibus Prophetis. Quid est, quod semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos ad secretum vocat? Et quid, quod cum paucis loquitur, nisi ut nos colligat, sive uniat?

67. II. *In deserto viget mortificatio.* Secundo, Deus in eremo *interrupit petram*, id est corpus mortificatione conterit, ut videre est in vitis Patrum, et apud S. Hieron. S. Laurentius Dubliniensis Episcopus, ut ait Surius in eius vita, cap. 17. t. 6. mense Novemb. die 14. In ea inquit, concavitate, quam S. Coenginus suis manibus effecisse dicitur, beatus Laurentius persæpe latitans contemplativis deliciis illic devotus perfruebatur, de corpore suo minime sollicitus; sed tamen in multa necessitate ei deesse nolens, *ter tantum in hebdomada panem et aquam*, interdum etiam olus ei præbebat, *tamquam alter Moses* contemplationis divinæ suavitate refectus. Ibi ergo morans per quadragenas, hominum non admittebat frequentiam, nisi nepotis sui Abbatis, qui ei cibum, qualem diximus, subministrabat, ad eumque causas et negotia populi, et ad populum sancti Sacerdotis responsa, atque consilia referebat. Erat autem accessus ad eum per scalam, cuius ima pars in aqua figebatur, superior tenebatur ad rupem.

68. III. *In deserto dat aquas gratiæ.* Tertio, Deus in eremo dat aquas. Isaias 35. 6. agens de lege gratiæ: *Tunc*, inquit, *saliet, sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine, et quæ erat arida erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum.* Claudus est qui in Dei servitio non ita perfecte ambulat, mutus, qui nec Deo, nec de Deo loquitur, solitudo est domus religiosa vel eremus. Torrens denotat gratias ex alto fluere: stagnum, esse stabiles et immobiles: fontes, eas nunquam arescere, sed iugi fluxu mentem cælestibus hærentem irrigare. Idem promittitur cap. 41. v. 17. egenis et pauperibus: tales autem sunt Religiosi. Secundo, Deus dat in eremo aquas lacrymarum. *Et lacrymarum.* Donum illud habuit S. Franciscus, et illud obtinuit in solitudine. S. Bonavent. in eius vita cap. 10. Vir autem Dei, ait, *solitarius remanens et pacatus, nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat, et quasi occultius secretarium nactus confabulabatur cum Domino suo.* Ibi respondebat Iudici, ibi supplicabat Patri, ibi colloquebatur amico. Ibi quoque fratribus ipsum pie observantibus aliquoties auditus est clamosis gemitibus apud divinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam alta voce, quasi coram se positam Dominicam Passionem. Ibi visus est nocte orans, manibus ad modum crucis protensis, toto corpore sublevatus a terra, et nubecula quadam fulgente circumdatus, ut illustrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perlustratio testis esset. Ibi etiam sicut certis est comprobatum indiciis, incerta sibi et occulta divinæ sapientiæ pandebantur: quamvis illa non vulgaret exterius, nisi quantum Christi urgebat charitas, et proximorum utilitas exigebat. Dicebat enim: Levi mercede rem impretiabilem contingit amitti: et illum qui dedit, ad non dandum iterum facile provocari. S. Ignatius tum in secessu Manresano, tum tota vita insigne lacrymarum donum habuit; adeo ut necesse fuerit precibus fontes obstruere, cum cæcitas inde orietur. S. Nilus in parænesi, λουτρὸν ἀγαθὸν ψυχῆς, optimum, ait, animæ lavacrum est orationis lacrymæ. Ierem. Thren. 2. 18. ait Sioni, id est animæ contemplanti, et bonis terrenis spoliatæ. *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem: non des requiem tibi, nec taceat pupilla oculi tui.* Rupert lib. 1. in Matth. illustrem visionem sibi oblatam refert: Video, ait, quasi cælum modice desuper aperiri, atque inde *quasi talentum lucidum* substantiæ ineffabilis, substantiæ viventis, velociter ac dicto citius demitti, quod meo illapsum pectori, magnitudine vel pondere suo me protinus somno excussit, auro gravius, melle dulcius, etc. Tum vidi *velut flumen per animam labi, etc.*

Quarto, in eremo Deus dat flumina, id est aquas perennes et semper fluentes: anima enim melius et constantius in virtute perseverat in solitudine. 69. IV. *Deus in deserto auget virtutem.* Martinus Episcopus Bracarensis lib. de Moribus: *Solitudinem quærat*, inquit, *qui vult cum innocentibus vivere.* Hinc effectum est, ut etiam maximis distenti negotiis sancti viri in solitudinem se identidem reciperent, ad auras puriores carpendas, et fontes cælestes ore avidiori ebiberent, quos deinde in subiectos sibi populos effunderent. S. Hugo Lincolniensis Episc. singulis annis, ut minimum semel, æstivis vacationibus ad monasterium suum Wictamionse sese conferre solebat. Ibi vero tamquam in messe fertili, menti suæ de spiritualibus providit frugibus, quas ubertim ipse secernerat. Erant tunc illi viri valde spectabiles, in vita strenui, in contemplatione sublimes, iique blandimenta ei nulla, tamquam ultra alios Episcopos aliquid haberet sanctitatis, apponebant: sed potius admonebant, ut videret, quantum adhuc abesset a conversatione Patrum antiquorum. Tanta autem humilitate se illis conformabat, ut præter solum annulum nil gestaret, unde quod esset Episcopus posset agnosci. Lege S. Climac. grad. 27. qui est de vita solitaria, et quæ dixi Ps. 101. 7. in illud: *Similis factus sum pelicano solitudinis: factum sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Lege etiam Cornelium in cap. 2. Oseæ, v. 14. ibi inter multa refert Philippum III. Hispaniæ regem morientem anno 1621. *Utinam nunquam fuissem rex: utinam annos quos in regno egi, exegissem privatus in eremo. Utinam vitam solitariam cum Deo duxissem in Thebaide, quam nunc securius morerer? Quam fidentius ad Dei tribunal pergerem?* Timebat scilicet iudicium Dei, qui rationem erat petiturus regni administrati. Quod eo est admirabilius, quod vitam iuste, innocenter, et pie tradu-

xisset: adeo, ut hoc obfirmatum haberet, malle se omnibus regnis privari, quam scienter Deum vel venialiter offendere.

70. Allegor. Christus est petra ex qua fluunt aquæ. Allegor. Petra est Christus, percussa est in passione, fontes ex ea profluentes sunt gratiæ, Apostoli et Sacramenta. S. Hieron. in Psal. nostr. Sicut, inquit, Moses percussit in eremo petram, et produxit populo aquas: ita et Dominus, quem Paulus percussum ait propter peccata nostra, immensos nobis protulit fontes: Apostolos scilicet, quos petra monstravit, et per quos fluxerunt torrentes. Torrentes autem Doctores accipimus: per quos torrentes, id est subsequentes Ecclesiarum Doctores repleti sunt. Ex quorum nos prædicatione, sitim verbi Dei restinguimus. Sed et fontem baptismi nobis atque martyrii eadem petra ostendit. De latere enim eius cum percussus est, sanguis et aqua processit: quod baptismum et martyrium figuravit: hæc Hieronymus. S. Ambros. ait, ecclesiam esse in medio fluminum. Sic enim lib. 1. de Abrahamo cap. 9. pag. 240. *Ubi*, ait, *invenitur Ecclesia, nisi in Mesopotamia? Inde quæritur, ibi accersitur, ibi duobus stipatur fluminibus, lavacro gratiæ, fletu pœnitentiæ. Etenim nisi peccata propria defleveris, nisi gratiam baptismatis acceperis, non tibi acquiritur Ecclesiæ fides, et quædam coniugalis copula. Muniunt eam Tigris, hoc est prudentia: et Euphrates, hoc est iustitia; et illuminatio fructuosa a barbaris separans gentibus*: hæc ipse. Ad fabulas ablegandum est, quod ethnici quidam asseruerunt, ab onagris repertam esse aquam, Hebræis in deserto sitientibus, ideoque ab ipsis cultos esse onagros, tamquam deos. Id fabulantur Tacitus, Strabo, Plut. Diodorus Siculus, et Democritus. Fabula etiam est, Atalantham a venatione siti laborantem venabulo saxum percussisse, unde aqua fluxerit. Dei veri solius est in deserto, et de petra dura aquas fundere, Christus clamat Ioan. 7. 37. *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Deus ait Isaiæ 43. 19. *Ponam in deserto viam, et in invio flumina.* Vide cap. 44. 3. et seq.

Secundo, Spiritus sanctus est petra, unde aqua, oleum, ignis et mel fluunt. S. Bonav. serm. 4. in Pentec. t. 3. 128. *Considerandum*, ait, *quod de petra aquam, oleum, ignem, mel legimus ministrata: quibus Spiritus sanctus figuratur, qui per effectum gratiæ suæ, aqua est incipientibus, oleum proficientibus, ignis consummantibus, mel regnantibus. Aqua ubique est gratia Spiritus sancti in iustificatione: oleum in devotione: ignis in dilectione: mel in fruitione.*

ARTICULUS IV.

Gula fuit Iudæis in deserto, et nunc multis, causa plurimorum peccatorum.

71. Vers. 17. Post recensita aliquot Dei beneficia erga Hebræos, tum in exitu ab Ægypto, tum in deserto, ostendit Christus eorum ingratitudinem rebellantium contra Deum, v. 17. Et apposuerunt adhuc peccare ei (iam peccaverant in Ægypto plerique adorando idola, murmurando prope mare rubrum, item in Mara ob aquas amaras, in octava mansione ob famem, in Raphidim ob sitim) in iram excitaverunt excelsum (est unum e nominibus Dei) in inaquoso, id est, in loco non aquoso. Psalt. Rom. et Gallicanum seu Ambrosianum habent, *in siccitate*. Psalt. Illyr. in arido. Chald. in deserto arido. Syr. in terra sitibunda. Symm. in siti. Itaque hoc potest dici generaliter de omnibus murmurationibus factis in deserto post tot accepta beneficia; 2. et pressius, de ea quæ contigit in Cades ad aquas contradictionis, ubi iterum sitivit populus, et murmuravit anno 40. exitus ab Ægypto: et valde probabile est sæpius murmurasse totis triginta octo annis in deserto consumptis, de quibus nihil habetur in Scriptura; in qua nihil ferme habetur, præter ea quæ acciderunt primo et ultimo anno peregrinationis.

72. Vers. 18. Non ob sitim tantum, sed etiam ob cibum murmuraverunt. Hinc sequitur v. 18. Et tentaverunt Deum in cordibus suis (itaque infideles et desperabundi) ut peterent escas animabus suis. S. Hier. et Pagn. animæ suæ: id est, suæ cupiditati et desiderio carnali. Anima enim sumitur aliquando pro omnibus desideriis carnis. Hinc invenire animam, est cordis desiderio satisfacere, et frui bonis desideratis. Anima proprie dicitur, quatenus spirat et vegetat. Mens, quatenus meditatur et recordatur, itaque memoriam significare solet. Animus dicitur a voluntate. Ratio, cum discernit et ex uno aliud infert. Spiritus a spiraculo seu respiratione. Sensus a sentiendo atque probando: hæc tamen sæpe confunduntur. Dicebant Hebræi petentes carnem anno ab exitu ex Ægypto secundo, mense 2. die 23. vel 24. mensis, in sepulcris concupiscentiæ, ubi fuit mansio decima tertia: *Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi manna.* Tunc dedit Deus illis coturnices: sicut etiam dederat, quando pluit manna in octava mansione, anno 1. exitus, mense 2. die 16. Christus imperat Matth. 6. 31. *Ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis.*

73. Tentat Deus, homo, diabolus. Nota, Deus, diabolus, et homo tentant, id est experiuntur, periculum faciunt, ad aliquid inducunt, sollicitant. Primo, Deus tentat, ut excitet languentes, ut roboret pugnantes, ut vincentes coronet. Secundo, dæmon tentat, ut in peccatum et in præcipitium inducat. Tertio, homo tentat hominem, vel instar Dei, vel instar diaboli: vir enim probus est aliis hominibus Deus, vir improbus est illis diabolus, et sæpe ipso diabolo peior et perniciosior. Quarto, homo tentat Deum, cum absque necessitate experiri vult divinam eius potentiam, bonitatem, sapientiam, eiusque aliquod signum videre. Sic dicebat Christus discipulis Pharisæorum et Herodianis (id est, hæreticis, qui dicebant Herodem esse Messiam) petentibus an liceret solvere tributum Cæsari, id est Tiberio, Augusti ex Livia uxore privigno et successori: *Quid me tentatis hypocritæ?* Matth. 22. 18.

74. Vers. 19. A corde ad os defluxit murmur. Unde subditur v. 19. Et male locuti sunt de Deo (S. Hieron. et loquentes contra Deum) dixerunt: numquid Deus poterit parare mensam (id est cibum, panem, convivium, prandium) in deserto. Parare etiam mensam diceretur Deus, si terram ipsam variis carnibus sterneret. Sic mensa solis vocabatur apud Æthiopes Macrobios, de qua sic ait Herodotus lib. 3. c. 18. *Solis mensa talis esse memoratur. Est in suburbanis pratum, omnium quadrupedum assa refertum carne, quam per noctem singuli civium magistratus properant ponere: ad eamque, ubi illuxit, cuilibet epulatum licet accedere. Hæc autem ipsa a terra reddi assidue indigenæ aiunt.* Quam præclaram servis suis mensam paret Deus, dixi fuse Ps. 22. v. 5. Solis mensa.

75. Murmurant duodecies in deserto Hebræi. Nota, duodecies murmurarunt contra Mosem Hebræi, et consequenter contra Deum, cuius erat Legatus et Vicarius. Primo quidem, in ipsa Ægypto anno 2513. Mosis 80. cum Mose petente missionem ex Ægypto a Pharaone gravius affligebantur. Secundo, in Phihahiroth, ubi fuit quarta mansio iuxta mare Hebræum, instante Ægyptiorum exercitu: timor et diffidentia hoc murmur expresserunt. Tertio in Mara, quæ fuit quinta mansio, murmurant ob sitim. Hæc duo murmura acciderunt anno 2544. Mosis 81. Quarto, in Sin octava mansione, ad quam venerunt 15. die mensis 2. postquam egressi sunt de terra Ægypti, murmurant quod farina ex Ægypto exportata defecisset, et requirunt ollas et panem Ægypti. Quinto, in Raphidim mansione undecima, cum deesset aqua, murmur exortum est. Sexto, anno 2515. secundo ab exitu, et Mosis 82. murmurant ob fatigationem itineris, cum exeuntes de monte Sinai per triduum pergerent versus desertum Pharan. Septimo, in sepulcris concupiscentiæ, ubi fuit 13. mansio, murmurant quod solum manna haberent et petunt carnes. Octavo, in Cadesbarne murmur est ortum, quod exploratores e terra promissa reduces dicerent eam occupari non posse ob gigantes et urbes munitas. Nono, anno 2547. Mosis 84. et 7. ab exitu ex Ægypto, exorta est seditio Core, Dathan et Abiron, aliorumque principum 250. ambientium Sacerdotium et Pontificatum.

Decimo, sequenti die murmuravit omnis multitudo filiorum Israel, ob necem Core et aliorum. Undecimo, anno 2583. Mosis 120. et exitus 40. in Cades, 33. mansione, murmur est exortum ob sitim. Duodecimo denique, in Salmona 35. mansione, et in Phunon 36. item mansione murmurarunt ob tædium itineris et laboris in circumeunda Idumæa, et quod cogerentur semper manducare manna.

76. Vers. 21. *Murmurantes puniti sæpius.* Deus vero ingratos et murmurantes graviter punivit, v. 21. IDEO AUDIVIT DOMINUS ET DISTULIT (id est, longe tulit, reiecit præ ira, contempsit. Pagn. et Felix vertunt, iratus est. Sic Psal. 88. 39. distulisti Christum tuum, S. Hieron. vertit, iratus es adversus Christum tuum) ET IGNIS ACCENSUS EST IN IACOB, ET IRA ASCENDIT IN ISRAEL. Causa punitionis assignatur eorum infidelitas et diffidentia, v. 22. QUIA NON CREDIDERUNT IN DEO, NEC SPERAVERUNT IN SALUTARI EIUS. Nota, Deus non punivit murmurantes ante legem iis datam, post legem vero datam semper illos punit. Nam primo, cum abeuntes e monte Sinai, ubi acceperant legem, et instituti fuerant in cæremoniis cultus divini, tenderent versus Pharan, murmurantibus ob fatigationem itineris, accensus est ignis Domini, id est a Domino, et devoravit extremam partem castrorum, id est pigros, qui tædio itineris substiterant. Secundo, in sepulcris concupiscentiæ murmuranti populo Deus dedit coturnices, sed multi perierunt, an incendio, an alio modo, infra dicetur. Tertio, in Cadesbarne exploratores, qui fuerant causa murmuris, misere perierunt, et populus omnis damnatus est ad vagationem per desertum per 38. annos, donec omnes morerentur, qui excesserant annos 20. Quarto, Core, Dathan, et Abiron, a terra sunt absorpti, et 250. Principes adolentes incensum perierunt incendio. Quinto, die sequenti e murmuratoribus incendio perierunt quatuordecim millia hominum et septingenti. Sexto, ad aquas contradictionis Moses et Aaron ob percussam petram puniuntur, quod ad terram promissam non essent ducturi populum, quæ pœna ipsi populo gravis fuit. Septimo, in Salmona et Phunon ob fastiditum manna, serpentum ignitorum morsibus multi interfecti sunt. Ubi advertere potes, quanter ignem ultorem in sceleratos esse immissum. Itaque iure dici hoc loco: *Ignis accensus est in Iacob, et ira ascendit in Israel.*

Iacob et Israel, pro toto populo Iudaico Id est, in duodecim tribubus, quæ per Iacob et Israel intelliguntur, quod omnes sint ortæ a Iacob, qui etiam vocabatur Israel. Ordinarie aliis in locis Iacob ponitur pro duabus tribubus, Israel pro decem reliquis.

77. *Gula est causa multorum peccatorum.* Moral. Nota primo. Gula est causa plurimorum peccatorum. Esus pomi nos omnes perdidit, Gen. Israelitæ in deserto ter murmurant ob sitim: et ter ob desiderium carnium, et panis, ut patet ex mox dictis. S. Ioan. Climac. grad. 4. pag. 79. In Religione, ait, gula omnem virtutem profligat, et Religionis contemptum affert. Si hanc δέσποιναν, *vitiorum reginam* devieeris, ubique locorum tranquilla animi pace perfrueris: ob eadem victus, ad mortem usque de salute periclitaberis. Et in anacephalæosi, gr. 26. pag. 396. familiarem offert comparationem: Sicut, inquit, e multo stercore multi existunt vermes; ita copia ciborum copiam gignit peccatorum, turpium cogitationum et somniorum. S. Gregor. 30. Moral. 26. Dum, ait, venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cunctæ virtutes obruuntur. Contra vero, sobrietas virtutes omnes in animam inducit. S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 70. ad Maronem: Dominari ventri, ait, est omnibus animi perturbationibus dominari. Habacuc 1. 14. dicit: *Facies homines sicut pisces maris.* Ibi vide apud Cornelium 19. parallela piscium et hominum. Nunc compara dæmonem pisci, de quo sic ait Plutarch. lib. de solertia animalium pag. 978. Piscis, inquit, qui dicitur Piscator, a collo demittit acetabulum instar funiculi, quo hamus dependet, quod et laxatum longe emitti et facillime retrahi in se potest: id pisciculis, quos prope se videt, mordendum exhibet, ac paulatim retrahens fraude ad se prædam adducit, dum ore possit contingere. Hæc prima est ars hostis nostri, ut nobis illudat, hoc nobis primum ineundum certamen est, ut docet Cassian. lib. 5. de Cœnob. institut. escam hanc obiecit primis parentibus nostris, et per eam ipsos veneno afflavit. S. Aldhelmus id deplorat lib. de Laudib. virginitatis: Importunus, inquit, gastrimargiæ draco, qui pestiferum prævaricationis virus florulentis telluris colonis de venenata fauce lethaliter evomuit: ita ille. Hæc pestis omnes posteros corrupit.

Secundo, gula est peccatum, quod magna difficultate superatur, et est causa frequentis relapsus in scelera. Mercurius Trismegistus, vocat malum insuperabile. Sic enim loquitur cap. 6. Pimandræ Numer. 3. ἀνυπέρβλητον κακόν, *malum insuperabile est ventris cultus, omnium nequitiarum suppeditator, et impostor, et ibi est absentia boni.* S. Basilius tract. de Abdicatione rerum, pag. 241. tom. 2. ait, huic malo nullam esse medicinam: *Multos, ait, ego animadverti sæpe, qui cum alterius cuiusvis generis vitiis laborarent, ad sanitatem tamen redierint postea: qui autem hoc morbo tenerentur, ut aut in occulto esitare eos delectaret, aut ventris ingluvie duci se sinerent, neminem ex omnibus vidi unquam qui convaluerit.* Petr. Abb. Cellens. gulam vocat prostibulum, id est lupanar, in quo scelera semper vigent. Sic autem loquitur lib. 3. epist. 10. Tamquam, inquit, *prostibulum vitiorum* reputatur, qui gulæ et ventris tyrannide subiugatur. Sidon. Apollinar. lib. 3. epist. 13. parasitum comparat cloacæ, ex qua nihil præter fœtorem unquam egreditur. Indolem eius festive depingit ac ridet: *Nec est sane*, inquit, *prædicabilis viri in totum silenda frugalitas: ieiunat, quoties non vocatur: sed sic quoque levitate parasitica, si excusetur, invitans: si vitetur, explorans: si excludatur, exprobrans: si admittatur, exultans: si verberetur, expectans: Cum discubuerit, fertur actutum: si tarde comedat, in rapinas: si cito saturetur, in lacrymas: si sitiat, in querelas: si inebrietur, in vomicas: si fatiget, in contumelias: si fatigetur, in furias. Fæculentiæ omnino par cloacali, quæ quo plus commota, plus fœtida est. Ita vivens, paucis voluptati, nullis amori, omnibus risui est, vesicarum ruptor, fractorque ferularum, bibendi avidus, avidior detrahendi, rabido pariter ore spirans cœnum, spumans vinum, loquens venenum, facit ambigi, putidior, temulentior, an facinorosior existimetur:* ita Sidonius. Itaque recte de gulosis Israelitis hic dicitur: *Et apposuerunt adhuc peccare ei.* Philo de vita Mosis relabentes in scelera comparat athletis interquiescentibus, ut collecto robore validius adversarium aggrediantur. 78. *Gula difficile superatur.*

Tertio, gula iram Dei provocat. Unde additur: *In iram excitaverunt Excelsum in inaquoso:* vinum purum bibunt, aquam anatibus relinquunt ebriosi. Salvianus sæpe reprehendit gulam et luxuriam in Imperio Occidentali, quod ideo ait traditum fuisse barbaris. Nicetas Choniata dicit, ob gulam periisse imperium Orientale. Sic enim ait in Alexio Comneno, pag. 63. Occidentales multo ante norant, Romanum imperium iam nihil esse aliud, nisi crapulam et ebrietatem: nec aliud esse Constantinopolim, quam Sibarim illam luxu celebrem. Hinc a Latinis capta est, et Balduinus imperium occupavit. Eam ob rem Christiani victi sunt in terra sancta a Saladino, et ab eo penitus subacti. Ubi adverte, ventre madente vino animam esse in inaquoso, id est in siccitate et ariditate, cum orat, et actiones suas exercet; unde fit, ut dæmon in ea dominetur. Luc. 11. 24. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem.* Tob. 4. 3. Raphael angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti. Videant Religiosi, qui non ex corde reliquerunt Ægyptum, sed sunt velut in superiore Ægypto, et in deserto arido, et timeant, ne eiectum a pœnitentibus dæmonem ipsi recipiant, ob murmurationes in cibo, potu, et aliis. Euseb. Gallicanus hom. 9. ad Monachos: *Videte*, ait, *vocationem vestram, fratres charissimi. Venire ad eremum summa perfectio est; non perfecte in eremo vivere, summa damnatio est. Quid prodest si in loco quies teneatur, et inquietudo in corde versetur. Si in habitatione silentium sit, et in habitatoribus vi-* 79. *Gulosis Deus irascitur.*

tiorum tumultus, et colluctatio passionum. Si exteriora nostra serenitas teneat, et interiora tempestas: hæc Euseb.

80. *Gulosi sunt insatiabiles.* Quarto, gulosus est insatiabilis, habet enim cor in ventre, et omnia eius desideria de ventre sunt implendo. S. Hier. in Matth. sic ait: *Cor habet in ventre gulosus, lascivus in libidine, cupidus in lucro.* Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 1. pag. 150. Qui, ait, mentem in ventre infoderit, similis est pisci, qui Græce ὄνος, id est asinus, dicitur: quem quidem Aristoteles docet, *solum ex aliis animalibus habere cor in ventre.* Hunc Epicharmus Comicus vocat ἐκτραπελογάστρων, hoc est, qui a communis ventris consuetudine discedit. In eodem capite prius dixerat: Gulosus nihil aliud videtur esse præter buccam. Et præterea, ait intemperantiam in alimento dici gastrimargiem, id est ventris insaniam. Lege totum caput, et seq.

Gulosos iure comparare possis gigantibus illis, qui habebant centum manus, capita quinquaginta, et consequenter totidem ventres, aut certe unum qui æquivaleret quinquaginta. S. Iustin. Martyr. pag. 512. epist. ad Zenam et Serenam, de vita Christiana: Gulosus, ait, ἑκατοντάχειρ, *centimanus est*, quantum in eo est collocatum cum capitibus quinquaginta circuire vult, tricipites cum sex manibus quærens Geryones, manibusque multis per ora complura ingluviem implere satagens. Clemens Alexand. eleganter eosdem vocat ἐγχειρογάστορας, *qui in ventre manus habent.* Uni enim tantum ventri conferciendo desudant. Secundo, gulosos recte compares profundo puteo. S. Greg. Nyssen. orat. de Beneficentia, quæ extat in appendice, pag. 243. Multorum, ait, venantium sudore ventrem unum ne impleas: *Ne sint fauces tuæ veluti vorago, aut gurges, aut vastissimus et profundissimus puteus, ad quem obruendum multorum laborent manus.* Propter hominum luxuriam et delicias, non modo mare profundum turbatur, non aquis solum innatantes pisces; sed alia quæcumque animalia in aquis degunt, inde in terram et cælum hoc extrahuntur. Tertio, gulosus est dolium Danaidum, quod nunquam impletur. S. Ambrosius sermone de ieiunio: Malæ, ait, dominæ servitur gulæ, quæ semper expetit, nunquam expletur. Quid enim insatiabilius ventre? Hodie suscipit, cras exiget: cum impletus fuerit, disputatur de continentia: cum digesserit, vale virtutibus dicitur. Quarto, gulosus est Scylla aut Charybdis, quæ totum mare et terras absorberet, si infunderentur. Seneca epist. 89. Ad vos transeo, inquit, quorum profunda et insatiabilis gula hinc maria scrutatur, hinc terras. Alia hamis, alia laqueis, alia retium variis generibus cum magno labore persequitur. Nullis animalibus, nisi ex fastidio, pax est. Quantulum enim ex istis epulis, quæ per tot comparatæ sunt manus, fesso voluptatibus ore libatis? Quantulum ex ista fera periculose capta dominus crudus ac nauseans gustat? Quantulum ex tot conchyliis, tam longe advectis, per istum stomachum inexplebilem labitur? infelices etiam quod non intelligitis, vos maiorem famem habere, quam ventrem. Et epistola 114. Numquid, mi Lucili, hic furor est, quod nemo nostrum mortalem se cogitat? Quod nemo imbecillum? Imo quod nemo nostrum unum se esse cogitat? Aspice culinas nostras et concursantes inter tot ignes coquos nostros. Unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Aspice veteraria nostra et plena multorum sæculorum vindemiis horrea. Unum putas videri ventrem, cui tot Consulum regionumque vina conduntur? Aspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant. Unum putas videri ventrem, cui et in Sicilia et in Africa seritur? Sani erimus, et modica concupiscemus, si unusquisque se numeret; metiatur simul corpus, sciatque nec multum capere, nec diu posse. Nihil tamen æque tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio brevis ævi et huius incerti. Quidquid facies, respice ad mortem: Ita Seneca. Elephantis innumeris, leonibus, apris, et aliis animalibus una sylva satis est ad pastum: uni homini terra, aer, maria omnia vix sufficiunt: nova in dies conquirit condimenta. Hoc luget Innocentius tractatu de vilitate conditionis humanæ. Initium vitæ hominis, ait, aqua et panis: gulosis autem non sufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non pisces maris, non bestiæ terræ, non aves cæli: sed quæruntur pigmenta, parantur aromata, et nutriuntur altilia; capiuntur obesa, quæ studiose coquuntur: ante coquos, quæ laute parantur officio ministrorum, alius contundit, et colat: confundit, et conficit; substantiam convertit in accidens, naturam mutat in artem: ut saturitas transeat in esuriem, revocet ad appetitum, ad irritandum gulam, non ad sustentandum naturam; non ad necessitatem supplendam, sed ad aviditatem explendam: hæc ille. Alanus de complanctu naturæ: *Dum,* ait, *tot animalium genera uno ventris ergastulantur in carcere, aquatile animal secum, pedestre aereumque genus in eodem sepulcro intumulari mirantur: quibus si detur licentia exeundi, egressui vix portæ sufficit amplitudo.* De illorum gulosorum ventre, et animalibus in eum coniectis dici posset idem quod de Iona et de ventre ceti ait S. Basilius Seleuciæ Episcopus: Ionas, ait, tamquam in viventem tumulum, tamquam in fluctuantem carcerem, in cœmeterium animatum, in hospitium mortuorum intravit. S. Epiphanius in physiologo ait cap. 7. gryphem superare voracitate omnia animalia, et cum se cibis inferserit, posse ad dies quadraginta ieiunare: tum vero, iuventa esca ad libras quadraginta devorare. Sed helluonibus nostris cum totos dies noctesque potaverint in bacchanalibus, non modo non persuadebis ieiunium quadragesimæ, sed ne unius quidem diei. Vere vocabuntur *infundibula*, ut parasitus ille apud Ælianum, aut *fulmen*, ut alter apud Antiphanem, quod omnia statim absorberet et absumeret. In ea classe reponendi sunt hæretici ieiuniorum hostes, sed Lutherus præsertim, ut videbitur infra commodius: Quia non crediderunt in Deo. Nunc unum exemplum sufficiat. Cum tom. 2. operum, capite de ebrietate, vitii illius laudem fusa instituit, et probavit illustres viros illi addictos fuisse, hymnum subiicit, velut mentis suæ speculum. Talis autem est:

Si vino te impleveris,
Statim dormire poteris:
Et post somnum, ventriculum,
Vino implere iterum:
Nam Alexandri regula,
Præscribit hæc remedia.

Ex his vides, quam iure Christus in Psalmo nostro dicat, Hebræos in deserto tentasse, id est, irritasse Deum petendo escas *animabus suis,* id est, prout animalis et inferior pars eorum atque concupiscentia exigebat. 81. *Esca mentis est sapientia et virtus.*

Quinto, esca animæ, id est, mentis, est sapientia et virtus. Plato interrogatus quid faceret, sæpe respondebat, σιτίζω τὰ νοήματα; meis cogitationibus pascor. Proverb. 9. v. 2. de sapientia dicitur: *Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam.* Ubi auctor Catenæ Græcæ: Per victimas, ait, divina mysteria, secretaque eorum sensa, nec non sanam synceramque sacrarum litterarum interpretationem denotat. Cant. 7. v. 2. Christus ait sponsæ suæ Ecclesiæ: *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis;* hoc est, potione: *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Umbilicus et venter animæ Deo consecratæ est mens sanctis inspirationibus et affectionibus se pascens, easque ruminans et in succum suum convertens. S. Ambros. de obitu Valentiniani Imper. Bonus, inquit, umbilicus animæ virtutum omnium capax, sicut crater ab ipso fidei auctore ornatus: sapientia enim in cratere miscuit vinum suum, dicens: *Venite, edite panes meos, et bibite vinum, quod miscui vobis.* Honorius vero sic ait: *Venter animæ est memoria,* in qua recondit cibos sacræ Scripturæ, quæ similis est acervo tritici: quia sicut in acervo grana cumulantur, ita et in memoria multæ sententiæ et imaginationes concervantur, quæ liliis vallantur, quæ mundis cogitationibus stipantur: hæc ille. Eccli. 15. vers. 3. de viro pio, et sapientia eius matre et nutrice dicitur: *Cibabit illum pane vitæ et intellectus,* id est intelligentiæ, *et aqua sapientiæ saluta-*

ris potabit illum. Proverb. 3. 18. Ipsa sapientia vocatur arbor vitæ: *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: et qui tenuerit eam, beatus.* De pane Eucharistiæ dictum est Psal. 21. et Psal. 22. ac dicetur infra, ubi agetur de manna. S. Elig. homil. 3. ait, ieiunium esse refectionem animæ. Quid igitur erunt aliæ virtutes? Hinc concludo cum S. Basilio tom. 2. pag. 574. Comedamus, non ut lurcones, sed ut operarii Dei. Cassianus dicit, hoc esse solidissimum fundamentum vitæ spiritualis. Verba eius sunt lib. 5. de cœnob. institut. cap. 6. Illud est, ait, luctaminum quoddam *solidissimum fundamentum*, ut primitus carnalium desideriorum incentiva perimantur: *Nam nullus carne propria non devicta legitime decertare poterit:* hæc Cassianus.

82. Gula est mater blasphemiæ. Sexto, gula est blasphemiæ mater: *Et male locuti sunt de Deo.* Blasphemia autem est convicium Deo illatum. Nota, blasphemus est ebrius, et ebrius est blasphemus. De primo, nempe quod blasphemus sit ebrius, ait S.Chrysostomus homil. 6. in Iudæos, tom. 1. pag. 527. Ebrius est, inquit, quem tenet concupiscentia: multo magis homo impius, et in Deum blasphemus, illiusque legibus repugnans, quique hanc Iudæorum intempestivam pertinaciam nunquam vult effugere, μέθυει καὶ μέμηνε, *ebrius est et insanit, deterius affectus quam ii qui comessantur, quique mente capti sunt, licet ipse morbum suum non sentire videatur.*

De secundo, nempe quod gulosus et ebriosus sit blasphemus, consulenda est experientia in ganeis et popinis, ubi inter crapulam et pocula, in Deum, et Sanctos, atque historias sacras et cæremonias Ecclesiæ, ioci, scommata, cavillationes atque blasphemiæ iaciuntur. Lutherus fons omnium hæresum et impietatum huius sæculi et præcedentis, scyphum habuit quatuor circiter heminarum capacem, quem vocabat *poculum catechisticum*, quemque uno haustu sine interspiratione, a se solo exhauriri posse prædicabat, ut tradit Rebenstock, qui etiam memorat eumdem Lutherum in suis colloquiis pag. 369. scripsisse. Tollantur e medio omnia Dei præcepta, et cessabunt omnes hæreses. Ebrium dixeris, an insanum, non dico qui hæc scribat, sed qui hæc vel cogitet. Tomo 1. operum, edition. Wittemberg. anno 1550. p.215. idem hæresiarcha sic loquitur: Vide, ut sis prudens, et Mosem cum sua lege, quam longissime amoliri, et in malam rem abire iubeas: neque quidquam illius terrore ac minis movearis: sed suspectum eum habeto, ut pessimum hæreticum, anathematizatum et damnatum hominem, multoque deteriorem Papa et diabolo. Cum hæc eructantem audis, hominem, an belluam, an furiam audire te credis?

Lutherus ebriosus et atheus.

83. Gulosi comparantur: I. Muscis Ægypti. Gulosum sacrorum irrisorem Primo, compara muscis Ægyptiacis, aut Africanis impudentibus et temerariis. Achilles Alex. lib. 2. Clitophontis ait, vidisse se muscas, ita audaces in Africa, ut leones et elephantes aggredi auderent, et fodicando profligarent: unam sic loquentem inducit: Tota sum, ὄργανον πόλεμου, *instrumentum bellicum,* tuba et telum mihi est os unicum: ego et tibicen, et sagittarius existo, arcum et tela in me reperio: hæc ipse. S. Iudas in sua epistola canonica, id est, in canonem librorum scriptorum relata, et quæ canonem seu regulam recte credendi et vivendi præscribit, vocat v. 18. hæreticos, illusores, v. 16. murmuratores querulosos, vers. 12. in epulis suis maculas, id est, maculatos, v. 8. carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant. Agit contra sectatores Simonis Magi, Nicolaitarum et Cerinthi. De omnibus pene hæreticis possis vere dicere, quod timere Tertullian. dixit de Christianis, quos Psychicos, hoc est, animales vocat. Sic autem ait libro de ieiunio: *Apud vos agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet.* Notabile est, quod Exodi 9. vers. 21. ubi noster Interpres habet: *Immittam in te omne genus muscarum.* Chaldæus vertit, misturam noxiarum bestiarum. Pagninus, omne genus ferarum. R. Salomon, turbam serpentium et scorpionum. Aben Ezra, incursionem leonum, pardorum et luporum.

Gulosi hæretici, et alii sunt muscæ sua impudentia, et feræ, serpentes, scorpii, leones, pardi, lupi audacia atque ferocia. Origenes ac S. Augustin. legunt κυνόμυιαν, id est muscam caninam: parasiti muscæ sunt ob importunitatem, impudentiam et fœtorem: canes sunt, ob mordacitatem et rabiem, ac voracitatem.

Secundo itaque, gulosi comparantur canibus famelicis. II. Canibus famelicis.
S. Basilius in constit. Monasticis cap. 6. pag. 691. Gulosi, ait, mensis inhiant *velut canes,* qui post longam famem e vinculis solvuntur: hæc ipse. Cauda blandiuntur ante prandium, per adulationem: in ipsa compotatione scurriles sunt, per dicacitatem: in fine, caninos rictus contorquent, per rabiem et furorem.

Tertio, variis avibus et feris conferri potest parasitus, III. Variis avibus.
ob varios et versipelles eius mores, in omnem enim se faciem vertit, ut omnes intercipiat atque exsugat. Quidam sic lepide inducit loquentem parasitum: *Ego, ego ille Proteus, qui eum ad mensam plenam adsto, rostro deligatus in prandio: si pullos video, me vulpeculam sentias: si decumanum accipenserem, continuo deformatus in milvum, ex condimento illum et iure manu consertum voco: si agnus ingruit, fio simul lupus in tabula: si tenellum aspecto leporem, vertagum et canem induo: si perdicem, recenti re in illam involo mutatus in vulturem: si aper in mensam venit, horresco in ursum vel tigridem.* Vertagus est canis sponte ad venationem exiens, et prædam domum referens. Talis est parasitus, qui nec invitatus se in convivia intrudit.

Quarto, gulosi comparari possunt serpentibus, qui toti IV. Serpentibus.
venter sunt, ac venenum. S. Chrysostom. orat. 6. de fato et de provident. tom. 1. pag. 837. Bestia quædam, ait, difficilis et intractabilis deliciæ sunt. Neque scorpius aut vipera in visceribus nostris inhærens ita undequaque nos vexat, ut hæc deliciarum cupiditas omnia evertit et consumit: hæc ipse. In aulis præsertim regum et principum venena sua per scurrilitates instillant. Nicetas, ait, tempore Michaelis Imperatoris circa ann. 800. fuisse quemdam Theophilum, qui erat homo ridiculus et histrio, et impurorum omnium impurissimus. Ille helluo, ita publice in aula regia suis nefandis omnibus impuritatibus, et scurrilitatibus sacra mysteria imitatione quadam deludendo repræsentabat, ut ne impiissimi gentilium agere ausi sint: ita Nicetas, pœnam afferam infra, notat. 8.

Quinto, gulosos iuste compares crocodilo, cui inter a- V. Crocodilo.
nimalia os maxime hiulcum est: totus os et venter est: homine devorato, flet, quod in carne superstite nihil carnis vorandum reperiat. Hoc tradit S. Asterius Amaseæ Episcopus, qui floruit circa annum 400. Nili, ait, crocodilos dicunt capita hominum, quos vorarunt, deflere, et mortuorum reliquias deplorare; non facti pœnitentia ductos, sed dolentes illa capita carnem non habere quam devorent: ita ille. Parasiti semper avidis et hiantibus faucibus prædam expectant, et ubi desiit, lugent, atque in famam proborum virorum et Sanctorum irruunt, ut rabiem suam exsatient, et divinis rebus non parcunt.

Nota septimo, gulosi stultitiam suam declarant, cum 84. Deus servis suis cibos profundit.
dubitantes de Dei potentia dicunt: *Numquid et panem poterit dare?* De eo enim dicitur Ps. 144. v. 16. *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Vide illum locum. Onatus Philosophus eum vocat, πολυδαίδαλον φύσιν, naturam sapientissimam, et ingenii atque artificii plenissimam. Alii dicunt, eum esse πολύμαστον, id est multarum mammarum. Sibilla cecinit, unus Deus sapiens est, potens, et divitiis affluens. S. Basilius Seleuciæ orat. 4. fol. 19. Cum, ait, illi collibitum fuisset, aridam ab aquis nudatam, vertit in profluentem: et siticulosam terram sitientibus pro medela dedit; ac rupem humoris expertem, fontium dedit esse matrem. Tale est numinis ingenium, virtute cum vincat, hominum amore vincit: ita ipse. Ama itaque Deum, et quære primum regnum Dei, et cætera adiicientur tibi: corvos etiam implumes atque derelictos pascit, tibi non deerit. Heliogabalus Imperator convivium ita aliquando apparavit, ut apud amicos singuli missus seu fercula apparerentur, et aliquando missus sola carne

phasianorum struerentur. Deus se solo suos nutrit, sine sumptu amicorum: sed eos ipse mirabiliter et sine eorum labore nutrit, sicut olim incolas insularum fortunatarum, de quibus sic ait Mamertinus orator in Panegyrico: *Habitari*, inquit, *a iustis viris terras in oceano ferunt, quas fortunatorum insulas vocant, quod per eas non arato solo frumenta nascantur, fortuitis vitibus iuga vestiantur: sponte pomis arbores graventur: ad herbarum vicem olus vulgo sit: sed quantula ista sunt munera, si Deum spectemus auctorem?* Fortunatæ insulæ a terra omnino divisæ, et Dei gratiis circumfusæ, sunt domus Religiosæ, ubi sine labore privatis Religiosis singula proveniunt, sicut avibus cæli et liliis campi. Ioannes Moschus rem miram refert de virgine in solitudinem secedente, ut scelus fugeret. Sic enim ait in prato spirituali cap. 177. pag. 1134. bibl. 92. Virginem quamdam, inquit, deperibat adolescens, illa ut tentationis occasionem submoveret, in eremum se cum cilicio, et modico cibo recepit, ubi per decem et septem annos mansit cibo prorsus non imminuto, et a nullo homine conspecta, ut cuidam sancto viro, post illud tempus fortuito occurrenti, narravit. Ex his aliisque cum Tertulliano de resurrectione carnis, cap. 6. conclude: Accepisti os ad vorandum atque potandum? cur non potius ad eloquendum, ut a cæteris animalibus distes? cur non potius ad prædicandum Deum, ut etiam hominibus antistes? Hæc Tertullianus. Vide dicta Ps. 104. v. 39.

In insulis fortunatis omnia sponte nasci fingunt.

Virgo sine cibo vivens.

85. Nota octavo, gulam sequitur ignis luxuriæ: *Ignis accensus est in Iacob*, et inde oritur ira Dei vero igne illos titiones adurens et consumens: unde additur, *Et ira ascendit in Israel*, ascendit, quasi victrix.

Ex gula sequitur luxuria.

De primo, nempe quod ignis luxuriæ gulam sequatur, habes apud Clementem Alexandrinum, qui recte ait, helluones nihil curare præter γαστέρα καὶ ὑπογάστρια, καὶ ἐπιγάστρια, ventrem, et quæ sub ventre aut ad ventrem sunt. S. Gregorius in pastoral. recte advertit, Nabuzardan principem coquorum incendisse Ierusalem, id est, animam sanctam, quietam et pacificam. Verba eius sunt: *Princeps coquorum muros Ierusalem deiecit: quia dum venter ingluvie tenditur, virtutes animæ luxuria destruuntur.* S. Hieronymus lib. 2. in Iovinian. Esus carnium, inquit, et potus vini, ventrisque saturitas, *seminarium libidinis est.* S. Ambrosius sermon. 40. Fames amica est virginitati, inimica luxuriæ. Saturitas vero castitatem prodigit, nutrit illecebram. S. Ioannes Climacus grad. 4. *Leonem*, inquit, *mansuetarius permulcendo sæpe cicuravit: qui blanditus est corpori, illud sæpe magis efferat.* Gulosus vino et cibo æstuans totus ignescit, et velut zona ignea uritur. Cum arx Melitæ a Turcis obsideretur, Magister Ord. generalis excogitavit circulos quosdam ferreos ignitos, qui bis terve pice, resina aliisque illiti, et stuppis illigati, atque in aerem coniecti, in Turcas recidebant, duos tresve nonnunquam implicabant, et velut cingulo igneo constringebant, ac tanta vi adurebant, ut sæpe ad quærendum subsidium in mare præcipites dare se cogerentur. Paphnutius ab igne adustus fuit, quod necdum satis perfectam castitatem obtinerat, ut ait Cassian. Collat. 15. c. 10. ac subdit: *Maior quippe est virtus, ac sublimior gratia, internam libidinem carnis extinguere, quam nequitias dæmonum extrinsecus irruentes signo Domini, ac virtutis Altissimi potentia subiugare.* Contra vero, S. Chunegundis ob singularem puritatem illæsis plantis prunas ardentes calcavit, ut est apud Baronium tom. 11. anno 1024. Abbas Hellen, ab ineunte ætate tantæ fuit virtutis, ut sæpe ignem in sinu gestaret innoxius, ut tradit Ioan. Moschus in prato spirituali cap. 59. qui addit cap. 60. ab Apelle Abbate fugatum fuisse dæmonem, et ferrea lamina adustum, cum in forma muliebri ei apparuisset, ut eum deciperet: ab eo tempore cælestem virum semper manu tenuisse ferrum ignitum, nec læsum esse. Cassianus lib. 5. de cœnob. institut. cap. 14. docet, lacrymis esse extinguendos illos ignes. Quo studio mentis, inquit, et iugi compunctione detenti, lasciviam carnis, quæ fotu escarum vehementius insolescit, et aculeos eius noxios retundemus: atque ita *fornacem corporis nostri*, quæ rege Babylonis occasiones peccatorum et vitia nobis iugiter ministrante succenditur, quibus naphthæ et picis vice acrius exurimur, ubertate lacrymarum et fletu cordis poterimus extinguere: hæc Cassianus.

Deus vero, gulam et alias voluptates punit igne. Primum igne metaphorico, id est, dolore. Trismegistus et Orpheus voluptates vocant, γλυκύπικρον, hoc est, dulce amarum. Anima enim prævidens æterna incendia, in ipsa voluptatis fruitione trepidat: corpus vero sæpe morbos contrahit. Columella sui sæculi depravatos mores exagitans ait: *Ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, et exuto sudore sitim quærimus. Noctes libidinibus et ebrietatibus: dies luto vel somno consumimus, ac nos metipsos ducimus fortunatos, quod nec orientem solem vidimus, nec occidentem.* Quid inde sit consequens, subdit idem auctor: Itaque istam vitam socordem prosequitur valetudo. Nam sic iuvenum corpora fluxa et resoluta sunt, ut nihil mors mutatura videatur: hæc ipse. Ita scilicet pallor, macies et horror illa deformavit. Pisidas in Hexamero, voluptates, quæ cum Dei offensa sunt, iure nuncupat, τιμὴν ἄτιμον, honorem inhonorum, lapsum sublimem, tumorem abiectum, gloriam ingloriam; et δακρύων γέλωτα, *risum luctuosum.* Rident impii, sed risu Sardonio, et lethali.

86. Gulam Deus punit igne. Id est: I. Dolore.

De secundo, nempe quod igne vero et reali voluptates Deus puniat, non modo in inferis, sed etiam in hac vita, patuit, Primo, in igne Sodomæ. Secundo, in Ægypto deserto, terra promissa tempore Iudicum et regum. Tertio, cum Michaelis Imperatoris Constantinopolitani aulam Theophilus parasitus suis helluationibus et impietatibus pollueret, ignis in templo urbis pulcherrimo excitatus est: nempe in templo S. Sophiæ, id est divinæ sapientiæ seu verbo Dei consecrato, qui damna plurima vicinis intulit, ut ait Nicetas, qui etiam ait in Alexio Duca pag. 65. eamdem Urbem Constantinopolim traditam esse igni Latinorum ob scelera, cum prius ob virtutem esset illæsa. O urbs urbium, inquit, urbium omnium ocule, per orbem terrarum celebris, spectaculum ultramundanum, Ecclesiarum mater, princeps Religionis, rectæ sententiæ dux, eruditionis alumna, omnis pulchritudinis diversorium; Itane ex manu Domini calicem furoris bibisti? *Itane pars extitisti ignis multo vehementioris eo, quo olim Pentapolis divinitus conflagravit?* Quarto, Ægidius in cap. 34. historiæ Harigeri de Leodiensibus Episcopis pag. 62. mirabilem Dei vindictam refert. S. Gundulphus, inquit, Episcopus Traiectensis urbem Tungrensem iterum ædificare nititur, iamque res belle procedebat: sed Deus ob peccata urbis irritatus, lupos in oculis Pontificis immisit, qui colonos devorarent. Quod fuerat constructum, *ultrix flamma consumpsit, cætera fulgur comminuit, terræ motus mœnia diruit.* Tu vero, in eam te mentem abire sinas, ut homulo vindex Deus parcat, qui integras urbes evertit? Messanæ ignem in infamem mulierculam illapsum fuisse ait Nicolaus Orlandinus historiæ Societatis Iesu lib. 12. num. 29. *Mulier*, inquit, *in genere vitæ dissoluta, cum ad ædem collegii venisset, visa est sibi veluti flammam quamdam ore vomere, haud dubium nequitiæ prioris indicium, et semiviva corruit ad Sacerdotis pedes, cui peccata aperiens, libera ab eo et incolumis discessit.*

II. Igne reali.

Nota nono, gula est fidei naufragium: *Quia non crediderunt in Deo.* Psalterium Romanum, in Deum suum. S. Paulus Roman. 16. 18. ait: *Huiuscemodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri.* Valdenses et Turlupini hæretici inepti erant, cum Ioan. 1. ubi legimus: *In propria venit, et sui eum non receperunt*, dicerent legendum esse, *et suis eum non receperunt*, verum tamen dicebant. Nam suilli homines præcepta Dei et mysteria nec recipiebant, nec intelligebant; sed pro Deo ventrem suum habent, ut dicitur ad Philipp. 3. v. 19. *Quorum Deus venter est.* Ugo Cardinalis in cap. 19. Proverbiorum sapienter ait: Altare Domini est fides, super quam omnia bona sanctificantur Domino: ita ille. Ventri autem deditus al- 87.

Gula est fidei naufragium.

tare unum ventrem suum et abdomen novit, in quo thus adoleat. Hugo a S. Vict. lib. de claustro animæ templum, altare, ministros, victimas, thymiama Dei ventris exponit: *Solent*, inquit, *diis templa construi, altaria erigi, ministri ad serviendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari. Deo siquidem ventri, templum est coquina: altare, mensa: ministri, coqui: immolatæ pecudes, coctæ carnes: fumus incensorum, odor saporum.*

88. Hæreseon mater gula. Hæreticos prope omnes gula et luxuria effecerunt: hostem acerrimum sibi pene omnes ieiunium esse crediderunt, et quadragesimam instar mortis et inferni horruerunt. Quid referam Messalianos, Valdenses, Begardos, Lollardos, Piggardos, Calvinianos, et alios? in uno Luthero hæreamus, et eius verbis attendamus. Is tom. 2. operum, capite de Christianis scribit: Ego Martinus Lutherus vix ullam consolationem ex morte et resurrectione Christi capere possum: ex bonis autem corporalibus a Deo acceptis, ut edere bonum panem, et bibere bonum vinum, optime possum. Et in colloquiis Islebiensibus, pag. 23. sic ait: Quod Sacramentarii sacram Scripturam non intelligunt, hæc causa est, quia verum opponentem, nempe diabolum non habent, qui demum bene docere eam solet. Ita diabolus S. Paulum coegit diligenter in sacra Scriptura studere: ita et ego diabolum collo meo affixum habui, qui me coegerit ad biblia recurrere: ita factum est, ut biblia diligenter legerem, et verum eorum sensum tandem assequerer: quando diabolum eiusmodi non habemus, nihil nisi speculativi Theologi sumus: hæc Lutherus: ex quibus agnoscis, aut illud poculo catechistico, de quo supra dixi, sæpius epoto scriptum esse: aut a diabolo possessum Lutherum illi se suaque obtulisse. Adde quod ait Rebenstok, eum dicere solitum: Ego non pluris facio sexcenta loca Scripturæ, quam putridam nucem. In libro de Missa angulari et consecratione Sacerdotum, qui extat tom. 6. Ger. Ienensi fol. 38. et tom. 7. Wittemb. f. 443. asserit, se a diabolo multa argumenta contra Missam didicisse. In colloquiis autem mensalibus Germanice editis f. 275. narrat in dormitorio se cum diabolo nonnunquam deambulare. Et f. 281. Diabolus, inquit, frequentius et propius mihi condormit, quam mea Catharina. En hæreseon omnium fontem in tota pene Europa, quod considerans obstupesco vim gulæ ad labefaciandam fidem; per hanc enim septemtrionales populos decepit, iam in ventrem pronos: illis iure dicas, quod Tertull. in Psychicos: *Agnosco animalem fidem: studio carnis quæ tota constat, tam multivorantiæ, quam multinubentiæ pronam.* Sed, ut iam sæpe monui, Tertullianus tunc Montanista male vocabat Psychicos, id est, animales, veros Catholicos. Tu, ut monet filium suum Leonem Basilius Imperator, amplectere sinceram in Christo fidem, quæ *vitæ totius initium et fundamentum inconcussum est. Hæc est fides bonorum omnium summa, hæc virtutum omnium perfectio.* Hanc habe penes te quasi depositum, quod nulla vi tibi eripi sinas. Ea te ab ipsis incunabulis educavit, aius ego tibi ipse magister extiti. Ne me quæso patrem amantem pudefacias. Debent enim pectores corporum lineamenta, filii autem regum, quasi vivæ imagines, patrum virtutes referre: ita ille in exhortatione ad Leonem filium.

Lutherus se diabolo fuisse familiarem scribit.

Nota denique decimo, gula est mater desperationis: 89. Gula est mater desperationis.
unde additur: *Et non speraverunt in salutari eius.* Quid enim speret a Deo, qui purus est spiritus, homo totus carneus et luteus, ac mortuis carnibus ac fœtentibus oppletus? 2. Quid speret ab angelis, qui sibi similes amant, a carne et carnalibus abstractos. S. Gregorius Nyssenus oratione de ieiunio, quæ est in appendice, pag. 249. Noveris, o homo, eius, qui ieiunat, domus, αγγελους εσται φυλακας, *angelos esse custodes,* και φρουρους παρεδρους, *et velut continuos stipatores.* Eius autem domum, qui in quadragesima deliciis sese tradit, stipatores esse dæmones, proprios nidoris amicos, et sanguinis amatores, et παρεδρους μεθης, *ebrietatis assessores.* 3. Quid speret homo, qui se hominem esse non patitur, et ratione privat? Iacobus Vitriacus Dominica 6. post Epiphaniam gulam vocat, *rationis sepulcrum.* 4. Quid speret, qui virtutes a se expellit omnes? S. Maximus centur. 5. cap. 57. Affectio gulæ, ait, consummata voluptatis cogitatione, *veluti gladio*, liberis complures privavit virtutes. Temperantiæ siquidem semina per intemperantiam enecat, æqualitatem iustitiæ corrumpit avaritia, naturalem humanitatis connexionem amore sui dividit: et ut paucis dicam, *omnes virtutis fructus perimit affectio gulæ.* 5. Quod naturam corrumpit, et in eam vitia omnia invehit. S. Laurent. Iustin. lib. 1. de spirit. animæ interitu: Per gulam, ait, natura corrumpitur, libidinis nutriuntur incendia, subvertitur ratio, scelera panduntur, homicidia fiunt, proferuntur stultiloquia, detractiones et verba scurrilia, hebetatur mens, maturitas relaxatur, comessationes frequentantur et ebrietates, lætitia inepta dissolvit, immunditia polluit, mors oritur culpæ, atque resolutionis corporis memoria tollitur. Porro ex voraci edacitate gulæ, natura finibus non contenta, emergit pestilentia luxuriæ, quæ ex immundis desideriis veniens est lubrica carnis et mentis prostitutio. Hæc S. Iustinianus: unde iure appellat gulam, æternæ mortis filiam: adde etiam, et matrem.

SECTIO TERTIA.

90. *Duo continet. Primo, liberalitatem Dei, dando manna et coturnices, vers. 23. Secundo, scelus populi abutentis dono Dei ad gulam, vers. 26.*

PARAPHRASIS.

23. *Et mandavit nubibus desuper: et ianuas cæli aperuit.*

23. Deus audita populi mussitatione, et importuna murmuratione, de sua potentia et bonitate dubitantis, nubes abrupit, et liberalitati suæ in terras dona effusuræ aditum aperuit.

24. *Et pluit illis manna ad manducandum: et panem cæli dedit eis.*

24. Et ingratis licet, deciduum manna in pluviæ modum concessit, eosque cælesti pane præter naturæ ordinem recreavit.

25. *Panem angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantia.*

25. Panem hunc non humana, sed angelica industria in nubibus fœcundis confecit: tantaque copia demisit, ut numerosissimo exercitui quadraginta totos annos abunde sufficerit.

26. *Transtulit Austrum de cælo, et induxit in virtute sua Africum.*

26. Cum querulis manna non sufficeret, Eurum, qui est Orientalis Auster, tum temporis flantem subito compescuit Deus: illique contrarium ab Africa venientem excitavit, ut coturnices trans mare rubrum abreptas adveheret.

27. *Et pluit super eos sicut pulverem carnes: et sicut arenam maris volatilia pennata.*

27. Qui tanta copia illas in castra populi murmurantis deiecit, ut instar pulveris et arenæ in manus et ora omnium depluerent.

28. *Et eeciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.*

28. Nec fuit, cur in earum venatu tempus et operam contererent: in exercitus medio, et ad ostia tentorii siugulorum pluvia illa cælestis decidit.

29. *Et manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati a desiderio suo.*

29. In prædam actutum precipites involarunt, cibisque se præter modum et rationem ingurgitarunt, optatorumque compotes ad nauseam usque effecti sunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta Dei liberalitas erga homines, et hominum ingratitudo erga liberalem Deum.

91. Ordo Sectionis. Sectio secunda huius Psalmi exhibuit Dei potentiam populo suo faventem: populum vero in Deum murmurantem, eumque blasphemantem. Nunc Dei liberalitatem exhibet conantem cor eius obduratum emollire, sed parum proficit.

Ac primo, Mannæ, cælestis cibi, donatio exponitur et laudatur. Primo, a loco unde mittitur, nempe nubibus et cælo, vers. 23. *Et mandavit nubibus desuper, et ianuas cæli aperuit.* Secundo, a facilitate illud producendi, v. 24. *Et pluit illis.* Tertio, ab admirabilitate: *Manna*, significat enim, quid est hoc? Quarto, ab usu, *ad manducandum.* Quinto, a liberalitate: non enim venditur, sed datur: *Et panem cæli dedit eis.* Sexto, ab opificibus, v. 25. *Panem angelorum.* Septimo, a vilitate illius, cui datur: *Manducavit homo,* qui humi nascentes et repertos cibos debet comedere. Octavo, a copia et ubertate: *Cibaria misit eis in abundantia.* Nono, a facilitate donum illud colligendi: non enim procul petendum erat, sed ad Israelitas devolabat: *Cibaria misit.*

Secundo, coturnicum donationem exponit. Ac primo, modum refert, quo allatæ sunt in castra vento, vers. 26. *Transtulit Austrum de cælo, et induxit in virtute sua Africum.* Secundo, copiam aperit, v. 27. *Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata.* Tertio, facilitatem illas colligendi, vers. 28. *Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.*

Tertio denique, perstringit breviter ingluviem ac voracitatem ingrati populi, v. 29. *Et manducaverunt, et saturati sunt nimis.* Licet Deus illorum optatis omnia concessisset: *Et desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo.*

ARTICULUS I.

Eucharistia est excelsior quam manna.

Summa Dei benignitas et liberalitas fuit, quod manna
Vers. 23. dedit populo Hebræo per annos quadraginta in arido Arabiæ deserto. Hoc prædicat Christus, v. 23. Et mandavit (S. Hieron. præcepit) nubibus desuper (Pagn. cælis desuper) et ianuas cæli (id est, nubes, quæ di-
Vers. 24. visæ videntur portæ cæli) aperuit. Ac v. 24. Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cæli (id est, aeris) dedit eis.

Vers. 25. Doni excellentiam extollit, v. 25. Panem angelorum manducavit homo, cibaria (id est, coturnices, ut aliqui volunt; 2. et melius manna) misit eis in abundantia. Ubi nota, quod 15. die mensis 2. postquam egressi sunt de terra Ægypti, id est, ut ait S. Hieronymus, 31. die post egressionem de Ramesses, defecit farina, quam tulerant Hebræi ex Ægypto; itaque omnes murmuraverunt contra Mosem et Aaronem, et timentes famem ac mortem, dolebant reliquisse se ollas carnium, ac panem, quem comedebant in saturitate. Moses oratione Deum flectit, qui singulari beneficentia vespere eiusdem diei dat coturnices vento Libyco allatas, et die sequenti summo mane dat manna e nubibus depluens. David tamen prius facit mentionem mannæ quam coturnicum, quia fuit beneficium illustrius et diuturnius. Nec servat ordinem temporis in aliis. Nam mannæ donatio præcessit aquæ fluxum de petra percussa, et tamen iam de illa actum est supra. In hymnis enim et psalmis ordo ille non requiritur.

Quæres, quidnam est manna, et quomodo differt a manna usuali, quod etiam nunc reperitur? Resp. primo, Philo in vita Mosis pag. 490. sic describit manna: Diluculo multum roris circum castra decidit, paulatim nivis in morem, dissimilis huic vulgari et pene quotidiano; quippe qui nec aqua erat, nec grando, nec nix, nec glacies: quod genus nubes invehunt hibernis tempestatibus, sed *in milii speciem* minutus candidissimusque, ut acervatim extra tabernacula iaceret mirando spectaculo: ita Philo. Exodi 16. v. 13. sic ait Moses: *Mane ros iacuit per circuitum castrorum. Cumque operuisset superficiem terræ, aperuit in solitudine minutum, et quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram.* Philo, Iosephus, et S. Gregorius Nyssenus recte putant, rorem hunc esse manna; vocari autem rorem, quod rori atque guttæ crystallinæ in formam seminis coriandri rotundæ esset simile. Secundo, manna illud non erat dissimilis naturæ a communi et vulgari manna, ut censet S. Hieronymus in cap. 16. Exodi, Caietanus et Conimbricenses in Meteoris, licet hoc vulgare tenerum sit et flaccidum; Hebræum autem durum, ut etiam mola conteri, et pilo contundi posset. Nam etiam commune manna durescere certum est, at paulatim; Hebræum autem divinitus illico obdurescebat, ut facile colligi posset: quemadmodum eadem virtute fiebat, ut ei pruina substerneretur, ne sordes contraheret: ita Salianus. Verba Conimbric. sunt: Quando una cum tenui vapore, ex quo ros gignitur, elevantur partes terræ subtiles, ita ut humidum aqueum valde excoquatur, maneantque partes terreæ cum exigua humiditate, efficitur liquor quidam candidus melliti saporis, qui in arborum ramis, herbis, lapidibus et terra invenitur. Hic autem Hebræa vel Syriaca lingua manna dicitur: hæc ipsi. Hebraice dicitur man. Syr. terminatione, manna. Cardanus lib. 21. de subtilitate refert, in deserto Targa populorum Libyæ, tantum colligi diebus singulis manna, maxime iuxta Agadez urbem, ut libra viginti octo unciarum duobus assibus veneat: vivere autem illius usu incolas, licet aer sit pestilens. De manna Polonico dicam infra.

92. Manna quid. (margin note at "Quæres")

Tropolog. Manna est cælestis sapientia, et verbum Dei, sive scriptum, sive prædicatum. Ita Beda, qui ait, nubes esse predicatores; ianuas cæli esse corda auditorum. Ieremias Propheta dicebat Deo cap. 15. 16. *Inventi sunt sermones tui, et comedi eos, et factum est mihi verbum tuum in gaudium et lætitiam cordis mei.* Manna illud erat panis cæli et paradisi. S. Ambrosius lib. 1. Epist. 1. Esca, inquit, et delectatio alimenti cælestis sapientia est, qua vescebantur in paradiso locati, qui erat indeficiens animæ cibus, quem vocavit manna divinus sermo. Secundo, Manna illud sapientiæ habet omne delectamentum suavitatis. S. Gregorius 6. Mor. 9. Quidquid voluerit, ex sermone divino nascitur, sicut tradunt Iudæi: quoniam manna, quando comedebant, secundum voluntatem uniuscuiusque sic sapiebat in ore. 93. Tropol. Manna est cælestis sapientia.

Ut illa iucunditate sapientiæ fruaris, oportet Primo, ut cæleste hoc manna diligenti meditatione conteras, sicut manna terebatur in mortario. S. Ambros. lib. 2. de Cain et Abel, cap. 6. Cor hominum, ait, sic illud cæleste manna confirmet, quod non otiose tritum ac politum accipimus: eo quod cælestium Scripturarum alloquia diu terere ac polire debemus, toto animo et corde versantes, ut succus ille spiritalis cibi in omnes se venas animæ diffundat: ita Ambrosius. Secundo, manna illud sapientiæ cælestis

colligendum est extra castra terrena, non amat tumultum sapientia. Rupertus lib. 3. in Exod. cap. 15. De castris illis, inquit, exeundum tibi est, quicumque hoc minutum, quod detulit ros iste, colligere contendis. S. Petrus Damiani opusc. 11. cap. 19. *Solitaria vita cælestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina.* Tertio, manna illud sapientiæ a prima aurora, id est, a prima pueritia colligendum est. Apon. lib. 2. in Cant. Manna, inquit, diluculo statim colligendum, antequam ardor avaritiæ, atque ardor vanæ gloriæ, antequam ardor libidinis exhalet in nobis. Nam ubi hi æstus increverint, mentibus nostris panem illum cælestem, in quo dixit Dominus hominem vivere, ad suam retractum naturam fugant a nobis, nec intra nostra viscera eius virtus manebit: hæc Aponius. Quarto, manna illud sapientiæ divinæ requirit virtutem in nobis, nec otiosum diu servari vult, alioqui vermes generat. Philippus Abbas Bonæ Spei, qui temporibus S. Bernardi floruit: Scientia, inquit, sine sanctitudine, vitiorum scatet vermibus et sordescit. Origenes hom. 7. in Exod. Post susceptum verbum Dei si quis peccat, efficitur ei ipsum verbum vermis, qui eius semper conscientiam fodiat, et arcana pectoris eius rodat.

94. Manna sunt consolationes cælestes. Secundo, manna sunt consolationes omnes cælestes, præsertim quæ habentur in oratione et contemplatione. Mannæ proprietates varias orationi accommodat noster Alvarez de Paz tract. de oratione, part. 1. cap. 6. et seq. Tantæ fuit efficaciæ illud cæleste manna, ut in multos dies sæpe suffecerit sine alio cibo. S. Ioannes, qui Theodosio Imperatori prædixit, victoriam contra tyrannos, de se ait apud Pallad. cap. 46. Novi, ait, ego hominem in solitudine, qui decem annos cibi terreni nihil gustavit, sed et angelus tertio quoque die cælestem cibum ad eum afferebat, et ei in os iniiciebat, isque erat instar cibi et potus. Vide illum cap. 61. de alio Ioanne, et cap. 58. de Abbate Anuph. mira referentem. Gerardus quidam suasu S. Lidwinæ sedens in eremum solo manna in cellam eius depluente vivebat, ut refertur a Ioanne Brugmanno in vita S. Lidwinæ, 3. part. cap. 7.

Anagog. Manna sunt deliciæ cælestes. Anagogice. Manna sunt deliciæ, quas in cælo percipiunt Angeli et Sancti. Christus Apoc. 2. 17. iubet S. Ioanni, ut scribat angelo, id est, Episcopo Pergami clarissimæ urbis in Troade: *Vincenti dabo manna absconditum.* Ibi multa habet Cornelius, de consolationibus Sanctorum etiam in hac vita. S. Gregorius in Psal. 7. pœnit. In cælo, ait, est lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Perfecta viget in omnibus charitas, una omnium lætitia, una iucunditas.

Symbol. Manna fuit Deipara. Symbol. Christus est manna absconditum, non solum in Eucharistia, sed etiam in Incarnatione. Deipara fuit cælum, quod nobis hoc manna profudit. Rupertus lib. 1. in Matth. Illius cæli duas ianuas esse dicit; alteram mentis, quia credidit: alteram ventris, quia sine viro virgo concepit, virgo peperit, et post partum virgo permansit.

Allegor. Manna est Christus in Eucharistia. Allegor. et sensu præcipue intento, in nostro Psalmo parabolico et ænigmatico, manna est Christus in Eucharistia. Ita Ugo Card. Valentia, Bruno Herbipol. et varii Interpretes Psalmi huius; item S. Chrys. S. Cyrill. Theophyl. et alii in cap. 6. Ioannis; S. August. in Psal. 33. S. Ambros. lib. 5. de Sacram. cap. 1. S. Cæsar. Arelat. hom. 5. S. Bonav. in Sapient. cap. 16. Holkot ibidem, Guitmundus lib. 1. de Sacram. corp. et sang. Christi, Lanfrancus de Euch. Algerus lib. 1. de Sacram. cap. 10. Sedulius hymno 1. Gulielmus Paris. Episc. de Eucharistia, cap. 7. et alii plurimi.

Quæres, quid ex hoc Psalmo colligis de Christo in Eucharistia? Respondeo Primo, eum de cælo descendere, et ibi vere et realiter contineri. Secundo, ibi esse cælestem pluviam, seu rorem. Tertio, Christum ibi esse panem. Quarto, panem cæli. Quinto, panem angelorum. Sexto, panem toti orbi sufficientem.

Ac primo, innumeri Patriarchæ et Prophetæ per annos quater mille circiter, emissis sæpe votis vix unum Christi in terras allapsum impetrarunt. Nunc vero quoties in lege gratiæ immolatur, toties amantissimus Salvator e cælo nobis advenit, filios suos nutriturus seipso. *Ianuas cæli aperit*, nempe suam potentiam et sapientiam. Psalt. Illyr. adhuc nervosius habet: *Ianuas cæli abiecit*, quod plus est quam aperuit: denotat enim plenis portis donum illud cæleste, et omnia alia cum ipso esse effundenda, et nunquam illis aditum occludendum. Ante Christi adventum ianuæ cæli nonnunquam a misericordia Dei aperiebantur, nonnunquam a iustitia claudebantur, ut patuit tempore Eliæ: sed post eius adventum, et Eucharistiæ institutionem, disiectis ipsis cardinibus portæ cæli patent, et hominibus eo penetrare volentibus, et liberalitati cornucopiæ plena manu diffundenti. 95. Christus realiter est in Eucharistia.

Genes. 28. 12. Patriarcha Iacob vidit cælum apertum, angelos quoque ascendentes et descendentes per eam, et Dominum iunixum scalæ. Vidit angelos descendentes e cælo, sed Deum ibi manentem procul ab hominum consortio. At vero nunc ad nos descendit Deus, ad eumque principem suum innumeræ angelorum cohortes devolant, non statim subito recursu cælum repetituræ, sed ad altaria sua regi famulaturæ. S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio: Dum, ait, conspicis Dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum etiam turbam circumfusam, et omnes pretioso illo sanguine intingi et rubefieri: etiamne te inter mortales versari, atque in terra consistere putas? annon potius e vestigio εις ουρανους μετανιστασαι, *in cælos transferri?* annon carnis cogitationem omnem abiiciens, nudo animo, mente pura circumspicis, quæ in cælo sunt? O miraculum! o Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac seipse tradit volentibus ipsum excipere et complecti. Et orat. de S. Philogonio comparat præsentiam Christi in Euchar. eius præsentiæ in præsepi: atque ex hoc descensu e cælo in altaria, socordiam deplorat Christianorum, qui non e cælo aut ultimo Oriente, sed e proxima domo sua in Ecclesiam pergere, Dei et sui ipsorum causa non dignentur. Quid, ait, excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si cum ipse nostra causa descenderit e cælis, nos ad illum vel ex ædibus ire gravemur? Cum alienigenæ barbarique ex Perside accurrant, ut illum videant in præsepi iacentem: tu vero ne breve quidem spatium emetiri sustines, ut hoc felici spectaculo perfruaris? Nam si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus illum in præsepi iacentem: siquidem hæc mensa vicem expiet præsepis. Nam et hic ponitur corpus Dominicum: non quidem fasciis involutum, sicut tunc, sed undequaque πνευματι αγιω περιστελλομενον, Spiritu sancto convestitum. Qui mysteriis initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur: hæc ille. Certe non dicent hæretici figuram Christi tantum in præsepi fuisse: quid igitur nobis hic figuram obtrudunt? De præsentia Christi in Eucharistia, eiusque effectis fuse actum est Ps. 21. sect. ult. et Ps. 22. sect. 2. pauca addo. Magnes, qui circa ann. 350. floruit, figuram Christi ab Euchar. prorsus excludit lib. 3. ad Theostenem: *Hoc est corpus meum*, ait: Non enim figura est corporis aut sanguinis, ut quidam stupida mente nugati sunt, sed potius vere corpus et sanguis Christi. Panis communis ex terræ cultura elaboratus, etsi caro quædam terræ est, tamen vitam æternam non promittit, sed breve solatium vescentibus tribuit, cito eo extincto sine divino spiritu: panis vero in beata Christi terra virtute divinitatis unitæ confectus, solo gustu immortalitatem animæ affert. Cyrus Theodorus Prodromus in tetrasticho de S. Basilio refert, eo dante Eucharistiam cuidam Iudæo hæsitanti, carnem et cruorem apparuisse. Sic autem canit non esse figuram, sed Christum ipsum in Eucharistia: In Missis velut in cælo.

O cultor umbrarum, cave rem umbratilem
Nostrum sacrificium putes: panem vides;
Purissimus tamen agnus est: vinum vides;
Illud tamen est calens cruor, propius vide.

Æthiopum fides de Euch. In Æthiopum Liturgia seu Missa, quam a S. Matthæo conscriptam opinantur, illa veritas aperte declaratur his verbis: *O amator hominum, humiliter imploramus, ut faciem tuam super hunc panem et calicem in hoc altari portatili ostendas: benedic et sanctifica, munda et transfer panem in carnem tuam immaculatam, et vinum hoc in sanguinem tuum.* Origenes homil. in diversos, vocat sanctum cibum, incorruptum epulum, vitæ panem et poculum, asseritque ibi esse corpus et sanguinem Domini: nosque eo modo gerere debere, quo se gessit centurio, cum Christus ad eum descendit, servum eius sanaturus. S. Ephrem denique, de natura Dei non scrutanda, cap. 5. *Esto*, ait, *fidelis atque innocens, participa immaculato corpori Domini tui fide plenissima, certus quod agnum ipsum integrum comedis: ignis immortalis sunt mysteria Christi: noli timere ea perscrutari, ne in ipsorum perscrutatione comburaris. Hoc sane excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod fecit nobis unigenitus filius Christus Salvator noster. Ignem et spiritum manducandum et bibendum præstitit nobis carne vestitis, corpus scilicet et sanguinem suum:* hæc Ephrem.

Si modum quæris, quo Christus est in Eucharistia. Respondeo esse cælestem, divinum, et incomprehensibilem. Lanfrancus adversus Berengarium tractat. de corpore et sanguine Domini: Inter sacrandum, ait, incomprehensibiliter et ineffabiliter in substantiam carnis et sanguinis commutatur. Ieremias Patriarcha Const. responso 1. c. 13. de usu Sacramentorum: Panis, inquit, propositionis, vinum et aqua, invocato et superveniente Spiritu sancto, supra omnem naturæ rationem et cogitationem transmutantur in corpus et sanguinem Christi: nec duo iam sunt, sed unum et idem. Non est porro panis et vinum typus corporis et sanguinis Christi: absit; sed ipsum corpus Domini deificatum: non typus sanguinis, sed sanguis. Concludamus itaque cum Zacharia Chrysopolitano, lib. 4. de Evangelica doctrina: Tenet, inquit, Ecclesia, corpus Domini localiter in cælo esse: tenet vero Corpus Domini quod pependit in ligno, super altare esse. Richeomus noster tract. de Missa, cap. 13. docet, omnes articulos symboli destrui ab hæreticis negantibus præsentiam Christi in Eucharistia. Illum consule.

96. Christus in Euch. est ros divinus. Secundo, Christus in Eucharistia est ros cælestis, et pluvia divina: *Et pluit illis manna ad manducandum.* Oseæ 14. v. 6. ait Deus: *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, et erumpet radix eius ut Libani.* Christi incarnationem poscentes Patres dicebant, Isai. 45. vers. 8. *Rorate cæli desuper, et nubes pluant iustum.* Quem locum explicans Cornelius, proprietatem roris adaptat Christo incarnato, easdem tu aptare poteris existenti in Eucharistia. Roris et Christi parallela novem. Primo enim, roris ortus latens est et occultus: ita Christi descensus in Eucharistia non est sensibilis. Secundo, ros est purus et subtilis vapor, resolutus in aquam, et in terram descendens: Christus est ipsa puritas, et sanctitas se humilians, et ad nos descendens. Tertio, ros noctu oritur: Christus in obscuritate fidei. Quarto, ros suavem auram et halitum vitalem aspirat animantibus, omnibusque viventibus, iisque æstum mitigat: Christus æstum concupiscentiæ mitigat et extinguit. Quinto, ros est aereæ cælestisque naturæ: adeoque si ovum vacuum, puta corticem ovi exsucci, rore impleas, et baculo apponas, apteque accommodes, sole incalescente ascendet ad baculi culmen. Ros enim sursum fertur, præsertim si calore excitetur, et ex parte in vaporem vertatur: Christus est secundus homo de cælo cælestis. Sexto, ros pinguis est, pinguemque, et quasi oleatum succum germinibus, seminibus et plantis instillat; itaque terram impinguat, incrassat et fœcundat: sic Christus in Eucharistia rore gratiæ suæ irrorat et impinguat animam. Septimo, ros in concham apertam illapsus, cum vi cælesti, præsertim fulminis, afflatur et constringitur, fit unio sive margarita, teste Plinio lib. 9. cap. 33. Nulla gemma est pretiosior Christo. Octavo, ros est melleus: adeoque mel non est aliud quam roris medulla, eiusque succus prædulcis et subtilis, qui herbis, flosculis et terræ solo excipitur, atque ab apibus colligitur. Ita Aristoteles lib. 5. Hist. anim. cap. 22. docet, apes favos construere e floribus, ceram ex arborum lacryma effingere, mella ex rore aeris colligere. Quod enim apes non faciant mel, ut putat Seneca, sed confectum in aere asportent, probant Aristoteles, Plinius, et nostri Conimbric. tract. 7. in Meteora, cap. 9. tum ex eo, quod uno aut altero die cellas apum melle repletas inveniant apiarii: tam brevi enim tempore tantum mellis conficere non possunt apes: tum ex eo, quod in autumno apes mel sibi detractum non reparant, cum tamen illo etiam tempore flores suppetant. Christus est mel animarum, et omni melle suavior. Nono denique, ros condensatus fit manna, quod suave est ad cibum, et efficax ad medicinam. De Christo in Eucharistia dicta vide Ps. 21. et 22. Hæc summa habetur regis Tongensis potestas, posse pluviam negare agris, vel dare pro arbitratu. Quæ stulta opinio ita rudis populi infixa est animo, ut ad terrorem nullas habeat rex graviores minas, quam si subtracturum se tempestivos imbres denuntiet, ut ait Sacchin. lib. 6. histor. Societatis Iesu, num. 159. Deus solus est pater pluviæ, Iob 38. vers. 28. et præsertim divinæ, in Eucharistia.

97. Mannæ et Christi in Euch. parallela tredecim. Nota, sex in manna adnotat Richeomus noster, et Eucharistiæ adaptat; 1. quod e cælo descenderit; 2. quod ab angelis factum sit; 3. quod in viaticum datum; 4. quod perinde in parva ac magna quantitate nutriret; 5. quod ad potum et cibum sufficeret; 6. quod inter rores duos caderet. Hæc duo ultima sunt valde incerta. Plura mannæ et Euchar. parallela afferri possunt.

I. In nomine. Primo, in nomine. Nam cælesti illo rore decidente iuxta Hebræorum castra in deserto, clamavit populus, *Manhu*, q. d. Quid est hoc? Hinc manna suum habuit nomen ab admiratione. Male enim Olcaster vertit *Man*, q.d. numerosum. Calvinus, paratum. Vatablus, donum. Proprie *man* significat *quid*. Ratio interrogationis illius, *quid est hoc*, statim attexitur: ignorabant enim quid esset. Hoc in Eucharistia verissimum est; eam iure R. Moses Hadarsan nominat, *mirabile magnum*. Vide dicta Ps. 110. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum.*

II. In colore albo. Secundo, color mannæ erat albus. Unde Numer. 11. 7. dicitur: *Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris bdellii.* Hebr. Oculus eius (id est, color, qui est obiectum oculi) sicut oculus bdellii. Bdellium est gummi genus, colore unguis, exudans ab arbore eiusdem nominis. Septuaginta ibi vertunt, simile crystallo, id est, albicans ut crystallus. Iosephus ait, esse speciem aromatis. Priscianus lib. 1. ait esse genus lapidis. R. Sadaias, et R. Abraham vertunt, margaritam: alii, iaspidem: alii, onychem. Exod. 16. 14. clarius declaratur albedo mannæ. Dicitur enim, *Apparuit in solitudine minutum, et quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram.* Pro, quasi pilo tusum, Chald. reddit, quasi decorticatum. Septuag. λευκόν, id est, album: erat album scilicet sicut triticum aut hordeum ablato cortice. In Eucharistia species albæ sunt, quæ accedentes admonent virginitatis et puritatis, tum suæ, tum Christi. Ipse enim est lilium convallium, candidus et rubicundus, electus ex millibus. Candidus in specie panis, et rubicundus in specie vini.

III. In sapore omnis suavitatis. Tertio, sapor mannæ congenitus et naturalis erat quasi similæ cum melle. Erat igitur instar granorum sacchari in colore, sapore, et figura. S. Maxim. Taurin. Episcop. Dominica in ramis palmarum ait, B. Virginem cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxisse, quem qui edere et manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait Ioan. 6. *Nisi quis manducaverit meam carnem, et biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso.* 2. Sapor mannæ miraculosus, erat omnis cibi sapor pro voluntate comedentium tam piorum, quam impiorum: nulla enim inter utrosque differentia affertur. Sap. 16. 20. ubi sic habetur: *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delecta-*

mentum in se habentem, et omnem saporis suavitatem. Angela de Fulgineo virgo piissima, cap. 40. ait: Sacram hostiam in communione nec panis, nec carnis saporem habuisse; sed alium saporem, quem nesciret assimilare alicui rei de mundo: Sunt eius verba. Si gustum fidei, spei, charitatis, modestiæ, et aliarum virtutum optas, ad Eucharistiam convola.

IV. *Ab angelis fiebat manna.* Quarto, manna fiebat in cælo, id est, in aere, ab angelis: hinc vocatur panis angelorum. De ea re fusius mox dicam infra.

V. *In tempore donationis.* Quinto, non prius datum est manna, quam Hebræi 1. exiissent ab Ægypto. 2. Transiissent mare rubrum. 3. Consumpsissent omnem farinam, quam extulerant ex Ægypto. Eucharistia non datur, nisi abiecerit quis idololatriam et hæreses, sit baptizatus, et affectum ad gravia peccata reliquerit, nec velit amplius uti cibis veteris hominis. 1. Cor. 11. 28. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.* Concilium Trident. sess. 13. can. 7. id explicat de probatione per confessionem; si scilicet sit conscientia peccati mortalis. S. Ambros. et S. Chrysostomus volunt, peccata venialia et eorum radices serio proposito, et pia ad Deum oratione evelli.

VI. *In personis quibus datur.* Sexto, manna non est datum nisi populo Dei, in deserto arido, gementi, et famem timenti. Eucharistia non datur infidelibus; ipsi Catechumeni non solum a perceptione, sed etiam ab aspectu sacrorum mysteriorum arcebantur. Non datur nisi in hoc mundo, in terra enim promissa tollentur vela omnia, et Deus videbitur facie ad faciem, sicuti est. Manna cessavit statim atque transito Iordane, id est, fluvio iudicii, populus Hebræus gustavit fruges terræ promissæ.

VII. *In loco, nempe extra castra.* Septimo, manna cadebat in loco mundo extra castra, et prius ros mundissimus cadebat, velut mappa pura et candida, et super eum rorem decidebat manna, ne inquinaretur: sunt etiam, qui super manna velint adhuc alium rorem cecidisse, ut dixi supra: in ea opinione sunt Hebræi, et Oleaster, Caiet. Vatabl. et alii. Sed hic secundus ros fuisset superfluus: nam primo mane colligendum erat manna, statim atque ceciderat. Summa munditics cordis debet esse, cum suscipit regem suum et sponsum. Dic illo tempore: *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Si te luxuria accendit et inquinat, velut arenas Arabicas, ne timeas, ros decidens te refrigerabit, et purgabit, et ad tantum hospitem recipiendum præparabit.

VIII. *In variis aliis rebus.* Octavo, manna erat minutum, sicut semen coriandri. Christus in Euch. se magis humiliat et restringit, quam in Incarnatione. Nam totus in parva hostia continetur, et totus in singulis hostiæ partibus et punctis.

Nono, præceptum erat, ut singuli summo mane manna colligerent; sole enim calente liquescebat. Cum ad te venit Christus, statim te occupa in eo, et gratiis eius colligendis. Speciebus enim calore naturali dissolutis recedit.

Decimo, singuli iubebantur colligere manna quotidie, quantum capere poterat unum gomor seu chœnix, quæ erat mensura continens 65. uncias, id est, 5. libras et 3. uncias, ut vult Iosephus: vel 96. uncias, sive 8. libras, ut alii. Et magno miraculo fiebat, ut sive plus, sive minus collegissent, reperirent unum gomor, angelo vel addente, vel tollente reliquum. Et manna idem pro cuiusque stomacho erat levius ac validius. Hoc ipsum fit in Euch. ubi sive parva, sive magna sit hostia, est idem Christus totus, se communicans pro dispositione et virtute singulorum.

Undecimo, sabbato non colligebatur manna, sed feria 6. duplum depluebat et colligebatur. In cælo non est sacramentum Eucharistiæ, saltem illo non utuntur Beati ad cibum; in senectute crebrius est usurpandum, cum appropinquat illud sabbatum æternum.

Duodecimo, præcepit Deus, ut manna servaretur in urna aurea, prope arcam, intra Sanctum sanctorum, ibi miraculose multa sæcula conservatum est. In omnibus pene Ecclesiis servatur Euchar. in solatium omnium bene valentium, ac subsidium ægrotorum. Variis vero in locis A per multa durant sæcula sacræ hostiæ et miraculosæ, ut Divione, Dolæ, et alibi.

Decimotertio, per annos 40. pluit manna tribus hominum millionibus. Sed in Ecclesia iam Eucharist. quotidie conficitur a sexdecim sæculis et amplius, pro innumeris hominum millionibus.

98. *Eucharistia est præstantior manna, et cur?* Ex his etiam vides, Euchar. esse illo manna præstantiorem. 1. Quia longe maiora miracula contingunt in nostra Eucharistia: itaque est magis admirabilis. 2. Quia manna fiebat ab angelis, Euchar. a Deo ipso. 3. Illud e cælo aereo descendebat, hæc Christum ex cælo empyreo descendentem continet. 4. Manna datum est paucis Hebræis in uno deserto per 40. annos: Euchar. datur omnibus populis per totum orbem usque ad finem mundi. 5. Manna erat cibus corporalis, et illud comedentes moriebantur: Eucharist. est cibus spiritualis, quem qui digne percipit, non morietur in æternum: est enim panis vitæ, ut testatur Christus Ioan. 6. Manna vocatur a S. Cyrillo Alex. lib. 4. Ioan. cap. 16. breve famis remedium. 6. Denique, B manna erat typus et figura atque umbra Eucharistiæ, quæ est res et veritas Deum ipsum continens ac donans. Hoc prædicat Salvianus lib. 2. ad Eccl. Cathol. *Iudæi*, ait, *habebant quondam umbram rerum, nos veritatem: Iudæi fuerunt servi, nos adoptivi: Iudæi manna manducaverunt, nos Christum: Iudæi carnes avium, nos corpus Dei.* Origen. homil. 7. in Num. Antea, inquit, in ænigmate fuit baptismus in nube, et in mari; nunc in specie regeneratio est in aqua et Spiritu sancto. Tunc in ænigmate erat manna cibus: nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut ipse dixit Ioan. 6. *Quia caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* R. Barachias in Ecclesiasten: Redemptor primus Moses, ait, fecit descendere manna, sicut scriptum est Exod. 16. *Ecce ego pluam vobis panem de cælo:* ita quoque Redemptor ultimus, id est, Messias, erit placenta frumenti in terra: hæc ipse.

99. *Ad Eucharist. percipiendam necessaria.* Secundo, ex his collige Primo, vigilantia opus esse ad C colligendum manna divinum in oratione et Eucharist. mane te Deo sistendo, ne ardor occupationum mundanarum illud liquefaciat, sicut sol, manna Hebræum. Hoc monemur Sapient. 16. 28. Curtius refert lib. 6. circa Hircaniam fuisse quendam melleum liquorem, qui arboris querfolia tingeret, sed nisi solis ortum incolæ occuparent, vel modico tempore succum illum extingui solitum. Mannæ Hebræorum, ait Cornel. in Exod. simile est *Manna Polonicum.* manna Polonicum, quod in Polonia (Polonis omnibus attestantibus) mense Iunio et Iulio noctu depluit, herbisque instar roris incumbit. Hoc enim ante solis radios cribro colligunt, excutiunt, tundunt, aqua miscent, pultesque conficiunt, uti pultes fiunt ex farina panici vel tritici. Si enim sol incalescat, folliculum dissolvit, itaque granum mannæ eo inclusum in terram decidit, et deperditur: quod sane novum est et memorabile. Vidi ego grana, suntque instar milii; sed longiora et rubicundiora: pultesque inde confectas gustavi. Sapor est, qualis est pultis ex panico. Verum in eo manna hoc a manna Hebræorum differt, quod D illud non omnino ad solem liquescat, sed tantum solvatur, ut granum vel semen in eo inclusum, quod durum est instar milii, decidat: manna vero Hebræorum totum ad solem liquescebat et evanescebat. Adde, manna Polonicum folliculo includitur, Hebræorum vero erat sine folliculo quasi pilo tusum, ut dicitur Exod. 16. v. 14. ita Cornel. Ne tamen ita putes arctatum esse manna ad tempus matutinum, ut reliquo die inter varias occupationes formari non possit, per breves et iaculatas orationes, quibus animus ad Deum evolat, et quod petit, impetrat, ac cælestes suavitates gustat. Bernardus Saccus lib. 1. Ticinensis historiæ cap. 5. tradit, in Calabriæ superioris val- *Manna in Calabria.* libus, cum sol a Meridie statim altissimorum montium verticem transcendit, rorem depurari, et in manna concrescere. Secundo, ut manna sit utile, debet pilo tundi, hoc est, mortificatio necessaria est, si dona cælestia in oratione accepta volumus nobis prodesse. Apes magno

labora mel suum e floribus colligunt huc illuc circumcursando, et cum fatigatione illud in cellas et alvearia advehendo. Eudoxus Gnidius lib. 7. Circuitionis, ait, in Africa gentem esse, quæ supra syrtes et Carthaginem versus Orientem incolat, Gyzantes appellatam: hancque artem exerceat, quod flores istis in locis colligat, et mel apum instar conficiat: id etiam refert Apollonius de Hist. mirabil. Tertio denique, puritatem amat cælestis hic cibus, neque se ab impuris attingi patitur, solis Hebræis datur supra rorem et extra castra. Plinius lib. 21. cap. 14. ait, in Creta esse mel, quod muscæ non tangunt. Aliud, inquit, in Creta *miraculum mellis*. Mons est Carina novem millia passuum ambitu, intra quod spatium muscæ non reperiuntur, natumque ibi mel nusquam attingunt. Hoc experimento singulare medicamentis eligitur. Alvearia orientem æquinoctialem spectare convenit, aquilonem evitent, nec favonium minus: ita ille. Ad sacras Eucharistiæ epulas filii Beelzebub non admittuntur, id est, muscæ, scurræ, detractores, impii, impudentes: hi ad aquilonem obversi rigent frigore: aut deliciarum favonium spectantes verum Orientem Christum non curant.

100. *Eucharistia est panis vivificus.* Tertio, Christus in Euchar. est panis. Hinc dicitur: *Panem cæli dedit eis*. Manna vocatur panis, Exod. 16. 12. a Christo etiam Ioann. 6. Eucharistia habet enim eosdem effectus in anima, quos habet panis in corpore.

Primo enim, famem tollit, et animam nutrit. Lyranus in cap. 6. Ioan. Sicut, inquit, baptismus est quædam spiritualis regeneratio: ita Eucharistia est quædam spiritualis nutritio. Urbanus IV. in Constitutione de Festo Corporis Christi: *Hic*, inquit, *est cibus, qui plene reficit, vere nutrit, summeque impinguat: non corpus, sed cor: non carnem, sed animam: non ventrem, sed mentem*. Petrus Cluniac. lib. 1. Epist. 2. Panis vivus in æternum victuras animas reficit Christianorum. Guntherus lib. 3. de Gestis Friderici, vocat pabula vitæ. Arator lib. 1. vocat pocula vitæ.

Secundo, Christus in Eucharistia vitam animæ conservat atque adauget, et animam facit virtutibus crescere. Guilielmus Arvernus de Sacramento Eucharistiæ, cap. 1. eam nominat panem vivificum. Cassiodor. in Ps. 109. vivificatricem substantiam atque salutarem. Concilium VI. Constant. Act. 8. carnem vivificatricem. Rupertus Tuitiensis lib. 3. de operibus Spiritus sancti, vitæ ac salutis nostræ testamentum. S. Martial. Epist ad Burdegal. cap. 3. ait, vitam præstare, et mortem effugare. Theophylact. in cap. 6. Ioan. æternæ vitæ subsidium. Rabanus Maurus de universo lib. 5. cap. 11. Vere, ait, caro Christi est cibus, quia vere pascit, et ad vitam æternam hominem nutrit: et sanguis eius vere est potus, quia esurientem animam, et sitientem iustitiam in æternum veraciter satiat. Christus aptissime hoc loco præfert Eucharistiam mannæ, Ioan. 6. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit (hoc est, vel bibit) meum sanguinem, habet vitam æternam*, etc. Ac v. 59. *Hic est panis qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Sex illius cælestis panis effectus refert Hugo Pratensis Dominica Resurrect. Primus est, inquit, comedentis in Christum transformatio. Secundus, vitæ collatio. Tertius, mentis, illuminatio. Quartus, cælestis ductio. Quintus, angelorum assimilatio: quia cum corpus Christi sit panis angelorum, habet homines ipsum digne sumentes angelis assimilare, et filios Dei efficere. Sextus, omnis saporis suavitas et refectio. Habet enim corpus Christi digne sumenti omnis saporis suavitatem conferre: quia qui dat se, omnia sua dare videtur: ita Hugo.

Effectus sex illius panis.

101. *Cur Christus in Euchar. esse voluit sub specie panis.* Quæres, quare Christus dare se voluit sub speciebus panis? Resp. primo, cum S. Eligio Noviomensi Episc. hom. 8. Ne sit cuiquam horror cruoris, sed manet in eis gratia redemptionis. Dicit tamen in Euch. vere esse Christum, sicut fuit in Incarnatione vere homo. Secundo, Christus latere voluit sub specie panis, ut meritum augeatur, ut ait S. Bern. serm. de Cœna. Fides enim augetur per

(margin: 1. 2.)

A actus varios re non visa. Tertio, quia panis est communis hominum cibus, sicut baptisma est institutum in aqua, eo quod homines soleant aqua lavari. S. Ioan. Damasc. lib. 4. Orthod. fidei cap. 14. Quemadmodum, inquit, Christus, quoniam in hominum more positum est, ut aqua laventur, et oleo ungantur, ideo in baptismo gratiam Spiritus cum oleo et aqua copulavit, fecitque illud lavacrum regenerationis: eodem modo, quoniam ita fert hominum usus atque consuetudo, ut panem edant, vinumque et aquam bibant, ideo divinitatem suam cum ipsis coniunxit, eaque corpus et sanguinem suum fecit, ut per usitata naturæque consentanea, ad ea quæ supra naturam sunt, assurgamus. Sane corpus Divinitati vere unitum est illud corpus, quod ex beata Virgine ortum est: non quod assumptum illud corpus e cælo descenderit, sed quod panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei immutantur. Hæc Damascenus, qui deinde ait, modum, quo id fiat, esse ineffabilem. Si, ait, inquiras, quo pacto id fiat, satis tibi sit audire, quod per Spiritum sanctum Dominus B sibiipsi, et in seipso carnem condidit. Nec quidquam amplius nobis perspectum at exploratum est, quam quod verbum Dei verum est, et efficax, atque omnipotens. Nam modus eiusmodi est, ut nulla ratione indagari queat. Ita ipse, similitudine tamen familiari et optima rem illustrat: *Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per cibum, et vinum et aqua per potum in comedentis et bibentis corpus et sanguinem immutantur, corpusque alterum fiunt, atque a priore ipsius corpore diversum: sic propositionis panis, ac vinum et aqua, per sancti Spiritus invocationem et adventum, mirabili modo in Christi corpus et sanguinem vertuntur: nec sunt duo, sed unum et idem. Nec vero panis et vinum corporis Christi figura sunt (absit enim hoc) sed ipsummet Domini corpus divinitate affectum; quippe cum Dominus ipse dixerit: Hoc est, non corporis signum, sed corpus; non sanguinis signum, sed sanguis:* hactenus Damascenus. Ad hæc quid dicere audebunt hæretici? Obiter ex his adverte præcellentiam Eucharistiæ præ manna. Nam in manna fiebat tantum accidentalis mutatio saporis: reiiciendi enim sunt qui dicunt, manna non tantum saporem, sed etiam substantiam ad votum comedentium mutasse: ita ut si quis vellet comedere perdicem, leporem, anserem, aliudve, statim verteretur in perdicem, et alia. Nam si hoc verum esset, nunquam murmurassent Hebræi, quod non haberent nisi manna. 3.

Transubstantiatio.

C

102. *Christus in Euch. est panis cælestis.* Quarto, Eucharistia est panis cælestis et divinus; hic enim dicitur, *Panem cæli dedit eis*. Hebr. שמים *sciamaim*, verti etiam posset *cælorum*. In Christo est lux et influentia cælestium omnium orbium: nihil enim est in Sole, Luna, Mercurio, aliisque planetis et stellis, quod non longe amplius et melius in iustitiæ Sole, licet intra species Euchar. latente, effulgeat. Christus Ioan. 6. 52. de se ait: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*. S. Hieron. in Ps. 145. Eucharistiam vocat panem cælestem. S. Ignat. ad Rom. Non gaudeo, inquit, in corruptibili nutrimento, nec voluptatibus huius vitæ: *Panem Dei volo, panem cælestem,* D *qui est caro Christi Filii Dei*, qui factus est posterioribus temporibus ex semine David et Abrahæ: et potum volo sanguinem illius, qui est charitas incorruptibilis, et vita æterna: ita Ignatius. S. Gaudentius Brixiensis Episcop. tract. 2. Eucharistiam vocat sacrificium cæleste. Pallad. cap. 52. cælestia Sacramenta. Concilium I. Nicænum, divinam mensam. S. Dionysius Areop. cap. 2. Eccles. Hierarch. communionem Deiferam; et cap. 3. divinum augustissimumque Sacramentum, divina munera, sacrosancta et augustissima mysteria. Gelasius de Consecrat. dist. 2. sacratum cruorem. Claudius Marius Victor. lib. 3. in Genes. vivificum panem, cælestem cruorem. Alcimus Avitus lib. 5. de Transitu maris rubri, c. 10. sacrum æterni calicis cruorem, et cæli frugem. Arator l. 2. panem de cælo. 103.

Cur Euchar. dicitur panis cæli? Eucharistia porro panis cæli dicitur, tum quia e cælo venit, tum quia ad cælum ducit, tum quia cælum eos efficit, in quos ingreditur.

I. Quia Christus e cælo venit. Ac primo, e cælo venit Christus in Eucharistiam, Ioan. 6. 50. *Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*. S. Gaudentius tract. in Exod. illius efficaciam describit his verbis: *Idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis et vini reficit immolatus, vivificat creditus, consecrandus sanctificat consecratus. Hæc agni caro, hic sanguis est. Panis est qui de cælo descendit*. Euripides in Bacchis fabulatur mel ex arboribus stillare. Traditur apud Cithæronem montem Bœotiæ, dulces a ramis guttas manare, et in Thracia mel ab arbore suppeti. In Hyrcania regione Asiatica pagi quidam fortunati dicebantur, a quorum arboribus favi mellis defluerent, si narrantibus credimus. Sed qui panem, ambrosiam aut nectar e cælo deduxerit, præter Christum, neminem nacti sumus.

II. Quia ad cælum ducit. Secundo, Eucharistia panis cæli est ac dicitur, quia ad cælum ducit. Ioan. 6. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Hic est panis datus Eliæ ab angelo, cum fugeret Iezabelem: de eo dicitur 3. Reg. 19. 8. *Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus,* B *et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb*. Radbertus lib. de Sanguine et Corp. Domini cap. 10. Algerus Scholastichus Leodiensis, et postea Monachus Cluniacensis lib. 2. de Sacramento Altar. cap. 1. Rupertus lib. 5. cap. 10. R. Samuel Maroch. lib. de Adventu Messiæ cap. 20. hoc explicant de Eucharistia. Illam vocat Paulinus Presbyter in vita S. Ambrosii, bonum viaticum. Hugo a S. Victore in Speculo Eccl. cap. 7. *Viaticum ascendentium de exilio ad patriam*. In Canone Missæ dicitur, panis sanctus vitæ æternæ, et calix salutis perpetuæ. Clem. Rom. Constitut. Apostol. lib. 8. cap. 14. ait, porrigi in salutem, in utilitatem animæ et corporis, in custodiam pietatis, in remissionem peccatorum, in vitam futuri sæculi. Gelasius adversus Nestorium et Eutychetem tradit, per illud nos effici divinæ consortes naturæ. Innocentius III. lib. 4. myster. Missæ cap. 44. ait, per eam nos liberari a malis præteritis, præsentibus et futuris: ita ille. Corpus enim vim et robur accipit ab Euchar. quæ est causa non physica, sed C moralis resurrectionis corporum nostrorum, Ioan. 6. 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, quia, ut ait Dionys. habet meipsum, et habet vitam gratiæ, *et ego resuscitabo eum in novissimo die*. S. Athanas. hoc Sacramentum nominat, conservativum ad resurrectionem vitæ æternæ; sic autem loquitur tract. de Verbis Evangelii: *Quicumque dixerit verbum adversus filium hominis*. Corpora per Christi susceptionem quodammodo consecrantur, sicut panis ipse per verba sacerdotis. Sic rem explicat S. Iren. lib. 4. cap. 34. *Sicut*, inquit, *qui a terra panis percipiens invocationem Dei* (id est, verba sacramentalia) *iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et cælesti. Sic et corpora nostra, percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia*: ita Irenæus.

III. Quia eos qui sumunt, cælos facit. Tertio denique, Eucharistia panis cæli est ac dicitur; quia eos quos intrat, cælos facit. Primo enim, eos a terra et terrenis elevat. Iulius Firmius Maternus de errore pro- D fanarum Religionum cap. 19. *Christi panem*, ait, *Christi poculum quære, ut terrena fragilitate contempta, substantia hominis immortali pabulo saginetur. Salutaris cibi gratiam quærite, et immortale poculum bibite. Christus vos epulis suis revocat ad lucem, et gravi veneno putres artus, et torpescentia membra vivificat. Cælesti cibo renovante hominem perditum, ut quidquid in vobis mortuum est, divinis beneficiis renascatur*. S. Chrys. hom. 24. in 1. ad Cor. pag. 262. hanc mensam vocat nervum salutis, spem salutis, et subdit, γην ουρανον ποιει τουτο μυστηριον, *terram tibi cælum facit hoc mysterium*. Secundo, luce mentem complet. S. Ephrem de extremo iudicio et compunctione, calicem, ait, esse tremendi sanguinis lumine ac vita plenum. Ioannes Taularus serm. 1. de Festo Venerabilis Sacramenti, omnem, ait, cordis cæcitatem eliminat. Tertio, mens Eucharistia accepta fit thronus Dei. Sedulius lib. 4. paschali sic concinit:

A *Sanguine Christi*
Vescimur, atque ideo templum Deitatis habemur.

Quarto, in eo ipso est omnis suavitas. Olympiodorus ad caput 5. Ecclesiastæ, ait, in Eucharistia mentem accipere hic futuræ felicitatis partem aliquam et fruitionem. Quinto denique, mens efficitur quodammodo divina: mutatur enim in cibum illum divinum, non enim illum in se commutat. S. Leo Epist. 23. ad plebem Constantinopol. Ut accipientes, ait, virtutem cælestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.

Quarto, Christus in Eucharistia est panis angelorum. 104.
Hinc dicitur, v. 15. *Panem angelorum manducavit homo*. IV.
Manna dicitur in Psalmo nostro panis angelorum, et a Manna est panis angelorum, et cur?
Sapiente cap. 16. 20. angelorum esca. Primo, quia ipsorum opera fiebat in aere. Secundo, quia tam suave erat ac delectabile, ut si angeli materiali cibo uti solerent, dignum id esse videretur quo illi uterentur. Sicut interdum cibum 1.
regium eum appellamus, qui, etsi rex eo non vescitur, 2.
adeo tamen excellens est, ut merito regum mensis apponi posset, ut notant Genebr. Lorin. Conimbricenses, et alii. Est ergo panis angelorum panis excellentissimus, ut lingua angelorum apud Apostolum, est omnium elegantissima: et mensura angeli, apud Evangelistam, omnium maxima: quo modo Ethnici quondam, cibum potumque Deorum dixerunt nectar et ambrosiam, omnium scilicet deliciosissima. Tertio denique, manna panis angelorum dicebatur, 3.
quod hominum quidem panis cum labore iis contingat: sic enim statuit Dominus, ut in sudore vultus sui vescatur pane suo. Sed angeli spirituali suo cibo sine ullo labore fruuntur, sicut Israelitæ manna. Eoque videtur omnino respexisse Sapiens, cum dixit: angelorum esca nutrivisti populum tuum; eiusque dicti rationem reddens, subdit: Et paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore. Quo scilicet cæteri mortales conficiuntur in quærendo victu: ita Salianus. Sic angeli tulerunt panem S. Paulo Eremitæ, S. Honuphrio, Eliæ, et aliis.

Eucharistia porro dicitur *panis angelorum*. Primo, quia 105.
participatio Christi, quæ συμβολικως nobis in terra traditur, nempe in Sacramento, datur angelis ὑπερκοσμιως, hoc Euchar. est panis angelorum, et cur?
est, super conditionem huius mundi, ac sine symbolis, ut ait S. Dionysius Areopag. cap. 1. cælest. Hierarch.

I. Secundo, Eucharistia est *panis angelorum*, quia est cibus spiritualis, et expers corruptionis. S. Barn. serm. de II.
Cœna Domini: Ipse est, ait, panis angelorum, qui nescit putrescere.

Tertio, Euchar. est *panis* seu cibus *angelorum*, quia ea III.
pascuntur et delectantur, in eam gaudent aspicere, illam Angeli astant altaribus.
contemplari et meditari. Primo enim, astant altaribus cum sacrificatur. Pythagoræi vocabant angelos στρατιωτας Θεου, id est, Dei milites, quod ad illius nutum semper sint parati, eique assistant velut regi milites. Hoc S. Chrysost. ait fieri in Missa. Sic enim lib. 6. de Sacerdotio: Per id tempus, inquit, quo sacerdos sacrificium perficit, *et angeli illi assident, et cælestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur*, ουρανιων δυναμεων πληρουται: *angelorum choris impletur*. Tum narrat visos a sene magnæ sanctitatis angelos candidis indutos vestibus altare circumdantes: denique sic capite inclinatos, ut si quis milites rege præsente stantes videat: id quod facile mihi persuadeo. Item ait, audivisse se ab alio, qui vidisset et audivisset, quod qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura et munda conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, eos δορυφορουντες αγγελοι, angeli satellitum more stipantes, propter assumptum illud sacrum hinc recta in cælum abducunt. S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 58. Quis fidelium, ait, habere dubium possit in ipsa immolationis hora, *ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, unum quid ex visibilibus et invisibilibus fieri*. Secundo, angeli in Missa cantant. R. 2. In Missa cantant.
Nehemias tradit, eos ibi suavissimam melodiam concinere. Verba eius sunt: Si quis mortalium posset audire atque

percipere cantum illum adeo suavem atque mellifluum, quem angeli concinunt, anima eius seiungeretur a potentiis corporis, et cum illa cantus dulcedine coniuncta egrederetur: ita ille. Tertio, angeli in Missa ministrant. Cyrillus eremita in vita S. Euthymii Abbatis: Aiunt, inquit, eum aliquando dixisse quibusdam fratribus, qui cum eo seorsim versabantur, quod sæpe videret *terribilem angelorum visionem, una secum Deo ministrantium et sacra contrectantium:* et quod in Dominici corporis sumptione aliquos quidem ex eis qui accedebant, videret illuminari: aliquos vero, velut obscurari, et morte affici, quicumque scilicet erant indigni ea luce et splendore. Quarto, angeli in Missa ipsam victimam Deo offerunt. Ecclesia in Canone Missæ orat, ut per manus angeli, qui scilicet curam habet altaris, in quo celebratur, perferri eam iubeat in sublimo altare suum. Amalarius Fortunatus Episcop. Trevir. qui floruit circa an. 830 lib. 3. de Offic. Eccl. cap. 25. ait, sacrificium per angelorum manus deferri ante conspectum Domini. Quinto, angeli exultantes nonnunquam viris sanctis sumendam Eucharistiam porrigunt. Pallad. cap. 20. hoc refert de Marco eremita in hunc modum: Macarius, ait, nobis narravit, observasse tempore Communionis Sacramentorum Christi, se Marco exercitatori nunquam dedisse oblationem, sed angelum ex ara accipientem ei dedisse: solum autem se vidisse digitum manus eius qui dabat. Sacchinus de B. Stanislao Kostka refert in eius vita, pag. 35. eum ad mortem ægrotaret in hæretici domo, percepisse ab angelis S. Eucharistiam. Verba eius sunt: Ecce autem nocte intempesta ipsa apparet S. Barbara, duoque angeli in claro lumine, sacrosanctam afferentes hostiam: qui cum ad lectulum accessissent famelici ægri, reverenter ei porrexerunt. Atque ipse summa primo eum animi demissione veneratus, pari deinde cum gaudio, Deum cordis sui, parentem et arbitrum vitæ, salutisque suæ suscepit. Postea deinde, cum Vienna fugiens, ut Societatem Iesu ingredi posset, in qua sancte obiit, eodem divino epulo refectus est, sicut ibidem refertur, pag. 49. Exclama itaque cum S. Chrysostom. serm. admonitorio de Euch. in Encæniis: Pape! mensa mysteriis instructa est, et agnus Dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur, ignis spiritualis ex sacra mensa refluit, Seraphim astant sex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ virtutes pro te cum sacerdote intercedunt, ignis spiritualis e cælo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est: et non erubescis, revereris, et propitium facis: hæc Chrysostomus. Gennadius autem de sacrif. in azimo, sect. 4. sic ait: Invisibili pane verum Christi corpus continetur, quod angeli tantum vident atque venerantur, ideo formidabilissima illa mensa dicitur: sic ipse. Non possent tamen angeli sine lumine gloriæ tantum mysterium intueri, ut docet S. Antonin. 3. p. summæ, tit. 14. cap. 4. Sexto, angeli notant pietatem accedentium ad Euchar. Palladius cap. 20. sic ait: Ammonas offerens Deo sacrificium, vidit angelum stantem a dextris altaris, et notantem fratres accedentes ad gratiam, et scribentem in libro eorum nomina. Cum autem non adfuissent aliqui in synaxi, vidit deleri eorum nomina, qui post tres dies sunt mortui. Septimo denique, angelos ad nos invitat Eucharist. dæmones pellit. S. Chrysost. hom. 45. in Ioann. Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit, angelos et angelorum dominum ad nos allicit. Dæmones enim cum in nobis Dominicum sanguinem vident, in fugam vertuntur; angeli autem concurrunt. Hic sanguis effusus universum abluit orbem terrarum: hic nostrarum animarum salus est: hoc lavatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur: hic igne clariorem mentem nostram reddit, et auro splendidiorem.

3. In illa ministrant.

4. Victimam offerunt.

5. Euch. dant.

6. Notant pietatem Euchar. sumentium.

106. Quarto, Eucharistia est panis seu cibus angelorum, quia de hominibus angelos facit, et ab hominibus angelicis suscipi debet.

Euchar. homines mutat in angelos.

Ac primo, angelos facit, ut patuit in B. Stanislao Kostka, qui bis eam percepit e manu angelum, ut dixi supra: et in beato Aloysio Gonzaga, qui vocatus est angelicus, ob summam puritatem. Franciscus Sacchin. in vita B. Stanislai, de his et similibus dicit, *ut quasi non homines, sed lapsi e beata Ierusalem angeli forent, per cœnum et ignem ingredientes nulla fœdiore inficiantur labe, ac ne odore quidem ignis afflentur. Ex hoc, an hominum cælestium, an angelorum mortalium genere, B. Stanislaus Kostka, ut apparebit ex eius vita, quam scribimus.* S. Laurentius Iustinianus Eucharistiam vocat, angelorum convivium. Sic enim loquitur de disciplina et perfectione monasticæ conversation. cap. 19. Eucharistia est contra diabolum armatio, spei elevatio, amoris excitatio, fidei commendatio, *angelica convivatio*, regni cælestis largitio, intellectus illuminatio, et omnium bonorum participatio. Photius potiores angelis facit eos, qui Christum recipiunt; dicit enim illos in ipsum mutari. Verba eius sunt in c. 11. primæ epistol. ad Corinth. Quid est panis? inquit, corpus Christi. Quid autem efficiuntur hi qui participant? Corpus sane Christi. Nam participantes corpus Christi, nos quoque illud efficimur. Quorum unus panis est Christus: ita ipse. Zaga Zabo Æthiops in confessione fidei Æthiopicæ dicit, infantes in uteris matrum per Eucharistiam consecrari. Infantes, ait, Christianarum mulierum sunt electi, et consecrati ex corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi communicatione. Nam fœminæ gravidæ cum assumunt venerabile corpus Domini nostri Iesu Christi, *infans capiens inde alimentum fit sacratus:* hæc ille. Unde recte inferas, matres gravidas debere sæpe accedere ad Christum, in hoc sacramento existentem.

In utero matrum consecrantur filii per Euchar.

Secundo, angelos esse oportet, aut ad angelorum puritatem eniti, qui ad regem angelorum, et purissimum Iesum accedunt. Hoc maxime necessarium est sacerdotibus. S. Chrysost. lib. 3. de sacerdotio pag. 31. Oportet, ait, sacerdotem, ὥσπερ ἐν αὐτοῖς ἑστῶτα τοῖς οὐρανοῖς, *velut in ipsis stantem cælis*, in angelorum medio, perfectissimam puritatem sectari. Et lib. 6. pag. 90. Ἀκτίνων αὐτῶν καθαρωτέραν ψυχήν, ipsis solaribus radiis puriorem esse oportet sacerdotis animum. Et pag. 94. φωτὸς δίκην οἰκουμένην καταυγάζοντος, luminis instar orbem illustrantis splendescere oportet sacerdotis animam. R. Nehemias in epistola arcanorum: Qualis, inquit, debeat esse sacerdotis vita, hoc sacrificium pertractantis, Dominus ipse insinuat, cum de nostri temporis sacrificio, et consecrantis qualitate, ita dicitur Levit. 21. et sanctificabis eum, quia carnem Dei tui ipse est, (vel erit,) sacrificans. Sic ipse explicat allegorice. Aaronici sacerdotes admonebantur puritatis. Primo, quod eo die quo erant sacrificaturi, iuberentur ab uxoribus abstinere. Smaragdus Abbas Monasterii S. Michaelis ad Mosam, in libro de vitandis vitiis et tenendis virtutibus, quem inscripsit Diadema Monachorum, hoc aptat nostris sacerdotibus cap. 49. In veteri testamento, inquit, eo tempore tantum, quo sacerdotes præsto erant altari, ab uxorum suarum se continebant concubitu. Nunc autem quia quotidie corpus Domini, aut conficiendum nobis est ad altare, aut sumendum, a carnali concubitu quotidie est abstinendum: hæc ipse. Neque id tantum faciendum, sed a verbis et cogitationibus malis sibi temperandum. Secundo, Aaronicis sacerdotibus variæ ablutiones præcipiebantur sub pœna mortis. Exod. 30. 18. in eam rem iubetur Moses facere labrum æneum, id est concham ex ære (Salomon fecit postea mare æneum, id est ingens vas ex ære) ut tam Aaron, id est Pontifex, quam filii eius, id est alii sacerdotes, lavarent manus et pedes, hoc est opera et affectiones. Notabile est quod Exod. 38. 8. præcipitur Mosi, ut faciat illud de speculis mulierum, quæ excubabant ad ostium tabernaculi, ut monerentur sacerdotes illius labri seu pollubri et vasis aspectu lavare vel minimas maculas, quæ ex concupiscentia mulierum atque earum conspectu ortæ essent. Tertio, feminalia linea, et tunicam lineam strictam habebant Aaronici sacerdotes, linum autem est symbolum puritatis. Hugo Folietinus, qui a quingentis et amplius annis floruit, timorem in ea re suum declarat, tractat. de claustro animæ, lib. 2. cap. ult. *Licet*, inquit, *ablutis manibus, tota facie,*

107. Angeli sint oportet, qui Euchar. sumunt.

Aaronici sacerdotes admonentur puritatis.

2.

3.

albis vestibus indutus, accedam ad altare: tamen perversus opere, ore pollutus, immundus corde, Christi corpus meis non perhorresco manibus tractare. Accedo ad humilem elatus, iratus ad mitem, crudelis ad misericordem, etc.

4. Quarto denique, ascensu ad altare Aaronici monebantur se eminere debere virtutibus supra reliquum populum. Quod longe verius est de nostris sacerdotibus. Stephanus Bruleverus tract. de Missarum valore dicit, tantam potestatem a Christo sacerdotibus traditam esse, ut nulla maior seu honorabilior possit alicui creaturæ puræ communicari. Petrus Burrus, qui vixit circa ann. 1490. in libro carminum hexametrorum, de sacerdotii dignitate, sic cecinit, ut eam iure angelis præponat:

Præcipuum hoc et cunctis admirabile munus,
Officiumque hominis, non angelus arroget illud
Ipse sibi, non ipsa Dei sanctissima mater.

108. Euchar. est panis fortium. Nota, pro *panis angelorum*, Hebr. est, *panis fortium*. Hoc enim Sacramentum Primo, requirit fortes, qui doment suas cupiditates. Non datur favus mellis in ore Leonis, nisi Samsoni Leonem occidenti. Secundo, hoc Sacramentum est *panis fortium*, sed quos fortes facit. Itaque infirmi et languentes ad Iesum accedant, ut sanentur et roborentur. Ut enim ait Alexander de Alex. part. 4. q. 10. Datur in robur, medicinam et remedium. Stephanus Eduensis tract. de Sacramento altaris, cap. 17. Hoc, ait, Sacramentum est fortitudo, et salus, et perfecta lætitia corporum et animorum. S. Hieronym. in cap 26. Matth. vocat panem, qui confortat cor hominis. S. Thomas in expositione Missæ, cap. 3. *Tria operatur: peccata purgat, virtutes roborat, vitam æternam resuscitat.*

109. Christus in Euch. est venatio. Quinto denique, Eucharistia est panis toti orbi sufficiens: *Cibaria*, Septuag. ἐπισιτισμόν, id est commeatum, viaticum, viæ auxilium, *dedit eis in abundantia;* Hebr. est צדה *tseda*, id est venationem Eucharistia est venatio. Primo, active, quia Christus ibi latens venatur animas, est sacer hamus et esca, qua homines ad se rapit. Secundo, est venatio, sumendo passive, id est venatione, et sedula inquisitione accipienda.

Abundantia Christi in Euchar. spectari potest ratione loci, vel ratione temporis, vel ratione personarum, vel ratione gratiarum et donorum.

110. Magna abundantia est in Euchar. I. Ratione loci. Ac primo, ratione loci. Nam in omni totius orbis angulo Euchar. consecratur, et datur. Nonullæ terræ reddunt fructum tritici centesimum, ducentesimum, trecentesimum et quadringentesimum. De centesimo ipse Christus loquitur Matth. 13. Et Plin. lib. 5. cap. 4. Libyphœnices vocantur, qui Byzacium incolunt. Ita appellatur regio ducentorum quinquaginta M. passuum circuitu, fertilitatis eximiæ cum centesima fruge agricolis fœnus reddente terra. Hic oppida libera Leptis, Adrumetum, Ruppina, Thapsus. De fructu tritici centeno quinquageno idem Plin. lib. 17. cap 5. In Byzacio Africæ, inquit, centena et quinquagena fruge fertilem campum, nullis, cum siccus est arabilem tauris, post imbres vili asello, et a parte altera iugi anu vomerem trahente vidimus scindi. (Mira tritici fertilitas in Africa.) De quadringentesimo, lib. 18. cap. 10. Tritico, inquit, nihil est fertilius: hoc ei natura tribuit, quoniam eo maxime alat hominem, utpote cum e medio, si sit aptum solum, quale in Byzacio Africæ campo, centeni quinquagenii modii reddantur. Misit ex eo loco Divo Augusto procurator eius ex uno grano (vix credibile dictu) *quadringenta paucis minus germina*, extantque de ea re epistolæ: misit et Neroni similiter *trecentas quadraginta stipulas ex uno grano*. Cum centesimo quidem et Leontini Siciliæ campi fundunt, alique et tota Bœtica, et in primis Ægyptus. Inventus est iam et scapus unus centum fabis onustus: hæc Plinius. Si hæc est fœcunditas tritici terrestris, qualis erit cælestis in Eucharistia? ubi habemus, *panem cæli dedit eis*, Hebr. est דגן *degan*, id est *triticum* cæli dedit eis. Christus unus tot Ecclesias, altaria, domos, homines implet, et semper integer manet. Alcuin. lib. de Divinis Officiis, cap. 39. de celebratione Missæ, comparat hanc extensionem corporis Christi immensitati divinitatis eius: *Sicut*,

A inquit, *divinitas verbi Dei una est, quæ totum implet orbem: ita licet multis locis, et innumerabilibus diebus, illud corpus consecretur, non tamen sunt multa corpora Christi, neque multi calices: sed unum corpus Christi, et unus sanguis cum eo. quod sumpsit in utero Virginis, et quod dedit Apostolis.* Gregorius IX. lib. 1. decret. cap. 1. Eucharist. vocat mysterium unitatis: quod scilicet orbem totum in unam fidem uniat. Est instar sacræ fibulæ, et aureæ, omnes populos unientis.

II. Ratione temporis. Secundo, abundantia, quam dat Christus in Eucharistia, spectari potest ratione temporis. Omni enim tempore se communicat, idque faciet usque ad finem mundi. Petrus Lombardus Episcop. Paris. et magister sententiarum, lib. 4. distinct. 12. ait, dari in medicinam quotidianæ infirmitatis. Paschal. Ratbertus de Corp. et Sanguin. Christi, cap. 9. Quia, inquit, quotidie labimur, quotidie Christus pro nobis mystice immolatur, et passio Christi in mysterio traditur: ut qui semel moriendo mortem vicerat, quotidie recidiva delictorum per hæc Sacramenta B corporis et sanguinis Christi relaxet.

III. Ratione personarum. Tertio, abundantia Christi in Euchar. spectari potest, ratione personarum. Cœna magna est, ad quam omnes invitantur, admittuntur, et coguntur, licet debiles, claudi et cæci, Luc. 14. Singulis autem se dat Christus quodammodo infinitis. S. Catharina Seneus. tract. 32. cap. 110. Quamvis, ait, in mille divideretur particulas hostia, si possibile foret, sub qualibet particula totus Deus, et totus homo contineretur. Odo Cameracensis Episc. qui floruit circa ann. 1110. in canonem Missæ sic ait: *O miraculum*, ait, *frangebatur inter digitos, sedens incolumis inter discipulos: erat integer, et dividebatur in partes: manibus tenebat se ipsum, et de manibus porrigebat discipulis se edendum. Sic nos quotidie Christum in altari consumimus, et permanet: manducamus, et vivit: atterimus dentibus, et integer est. Consumimus, manducamus, et atterimus: non tantum specie, sed et re; non solum forma, sed et substantia: et miro modo consumitur permanens, atteritur incor*C*ruptus, distribuitur indivisus.*

IV. Ratione gratiarum. Quarto, abundantia Christi in Euchar. spectari potest ratione donorum, et gratiarum, quas elargitur. Est enim manna habens omnem saporem suavitatis. Virgilius Tridentinus Episc. aut alius potius, tract. contra Nestor. et Eutychem, ait ibi esse abundantiam frumenti, vini, et olei: *Christianus*, inquit, *populus a Christo, qui est Deus et homo, benedictionis sortitus gratiam, frumenti, vini, et olei est abundantia cumulatus:* hoc est corporis et sanguinis Christi, et chrismatis eius mysterio consecratus: hæc ipse. Itaque sæpe ad Euch. accede, si vis gratiis abundare. S. Gregorius Turon. lib. 1. miraculor. Manna, inquit, in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo, de tumulo S. Andreæ exudat. Per id enim quæ sit fertilitas anni sequentis ostenditur. Ex accessu ad Euchar. frequenti, vel raro, profectus noster indicatur S. Basil. epist. ad Cæsaream Patritiam: *Per singulos dies*, ait, *communicare, et participare de sacro corpore et sanguine Christi, et pulchrum est, et valde utile, ipso manifeste dicente: Qui edit* D *carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Quis enim ambigit, quin frequens vitæ participatio, nihil aliud sit quam plurimis modis vivere?* S. Ambr. ex quotidianis nostris vulneribus probat necessitatem quotidianæ communionis: *Qui vulnus habet*, inquit, *medicinam requirit; vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est cæleste et venerabile Sacramentum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. Si tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit.* Dices, siccitas mentis me terret. Respond. Hebræi erant in arido Arabiæ deserto, cum datum est illis manna. Sitiens quærit fontem, ieiunus panem. Manna hoc eo tibi est magis necessarium, quo magis te sentis esse miserum. Martiani Imper. tempore raritas pluvialis aquæ accidit in Phrygia, Galatia, Cappadocia, et Cilicia, quam secuta est necessariorum penuria: ita ut exitialibus cibis usi sint mortales: unde pestis exorta est. Interea qui

mutatione victus corporibus erant crassis, propter inflammationis vehementiam vultu deiiciebantur, ac tussim patientes tertio die moriebantur. Nec ullum dabatur pestis huius invenire remedium: medelam vero, contra famem, providentia divina omnibus salutiferam his, qui residui erant, præstitit. Alimoniam enim sterili illo anno ex aere, perinde atque olim Israelitis manna depluit: sequenti autem anno sponte sua fructus abunde largos terra protulit. Confide Deo, tibi manna Christus est, atque omnis abundantia.

ARTICULUS II.

Coturnices bis dedit Deus Hebræis, sed ingratis.

Cum Hebræi dolerent se reliquisse in Ægypto ollas carnium, Deus non tantum illis manna loco panis, sed
112. Vers. 26. Africus ventus. etiam carnes dare voluit, ut penitus eorum murmur sedaret, v. 26. TRANSTULIT AUSTRUM DE CÆLO (id est, de aere superiore) ET INDUXIT IN VIRTUTE SUA AFRICUM, id est ventum ab Africa flantem: qui partim est occidentalis deserto Arabiæ, in quo tunc erant Israelitæ: partim septemtrionalis, a partibus Ægypti septemtrionalibus,
Auster. prope mare mediterraneum positis, coturnices advehens. Auster vero Hebr. vocatur hoc loco קָדִים *kadim*, q. d. Orientalis. Austrum Orientalem vocant Latini Vulturnum aut Subsolanum: Græci, Eurum vel Notum. Arist. lib. 2. Metear. 6. et Plin. lib. 2. cap. 49. dicunt, eum flare ab ortu brumali, et austro vicinum esse: ideo parva est differentia inter austrum et eurum.

Duplex autem sensus esse potest, cum dicitur, *Transtulit austrum de cælo.* Primo enim, sensus esse potest, q. d. E cælo, id est ex aere superiore transtulit; et in terras adduxit austrum, ut flans simul cum Africo vel Libyco vento coturnices inferret in castra Israelitarum. Ita Euseb. S. Basil. Euth. Niceph. et alii. Psalt. Roman. iuvat, quod habet, *excitavit austrum de cælo.* Chald. induxit ventum vehementem in cælos. Arias et Pagn. Proficisci fecit Eurum in cælis. Lindanus sic explicat, q. d. Emisit sive concitavit austrum: quo flante coturnices colligerentur: hæc sententia non est improbabilis.

Secundo tamen, et melius, sensus est, q. d. Transtulit, hoc est, abstulit austrum de cælo; non permisit illi, ut tunc flaret; sed eius loco induxit virtute sua et potentia ventum Africum, qui ab Ægypto afferret coturnices. Ita Bellarm, Iansen. Petavius, Tirinus, Raynerius, Apollinaris, Turrecremata et alii.

Vers. 27. Liberalitas Dei declaratur, v. 27. ET PLUIT SUPER EOS SICUT PULVEREM CARNES (est hyperbole) ET SICUT ARENAM MARIS VOLATILIA PENNATA, id est coturnices, quas in priori hemistichio generali nomine vocaverat carnes. Non enim aliæ carnes datæ sunt, quam coturnices.

113. Vers. 28. Benignitas Dei apparet, quod facilitatem dederit illas coturnices capiendi, eas in ipsa castra dimittendo, v. 28. ET CECIDERUNT IN MEDIO CASTRORUM EORUM, CIRCA TABERNACULA EORUM. Manna cecidit extra castra, ne macularetur; illud periculum non erat in coturnicibus. Deinde erat labor licet modicus in capiendis avibus: si itaque egrediendum fuisset e castris, potuissent conqueri de duplici labore: in manna id non erat.

Coturnices bis datæ. Nota, bis datæ sunt coturnices: Primo quidem, anno primo exitus ab Ægypto, mense 2. die 16. id est, triginta diebus post primam profectionem. Tunc erat populus in mansione Sin, quæ fuit octava. Id autem accidit tempore vespertino, sequenti die mane datum est manna. Neque tamen putes, aut cum Ioanne Cantacuzeno coturnices habuisse omnis saporis suavitatem, sicut manna, id enim nusquam legitur: aut cum Philone, quotidianum fuisse aucupium coturnicum, illa enim sola vespera tunc datæ sunt: alioqui quomodo in sepulcris concupiscentiæ questi essent Hebræi, se non videre nisi man: et cur Moses iis dixisset Num. 11. *Sanctificamini: cras comedetis carnes.*

Secundo, datæ sunt coturnices Hebræis, anno 2. exitus ab Ægypto, mense 2. die 23. vel 24. mensis, in mansione decima tertia, id est in sepulcris concupiscentiæ. Ubi adverte, Davidem, præsertim hoc in Psalmo loqui de hac donatione: unde facit mentionem venti eas e regione transmarina advehentis. Secundo, multitudinis earum. Tertio, ingluviei et saturitatis Hebræorum. Quarto, pœnæ ipsorum.

Quæres primo, unde illas coturnices ventus Africus 114. Unde coturnices adductæ.
adduxit? Resp. Primo, eas adductas esse ex partibus septemtrionalibus Africæ et Ægypti. Dicitur enim Numer. 11. 31. *Ventus autem egrediens a Domino arreptas trans mare coturnices detulit, et demisit in castra.* Inter desertum autem Arabiæ, in quo tunc erant Hebræi, et inter Ægyptum atque Africam interiacebat mare rubrum. Narrant nonnulli in Africæ Littus thynnos pisces eiici, cum tempestas est magna: ex his vermes primum nasci, muscarum instar, deinde locustarum magnitudine, donec paulatim in coturnicum magnitudinem excrescant, tum in Pamphiliam, vel Ciliciam evolare. Certius est, quod de Ægypti finibus dicit Diodor. Siculus lib. 1. Biblioth. pag. 38. Actisanes, ait, Æthiopum rex Amenosi Ægyptiorum rege ob crudelitatem facile victo, et a suis deserto, totam provinciam obtinuit, atque erga subditos modeste se gerens singulare in latrones illud designavit. Ex toto enim regno consitam turbam naribus præcisis in exilium egit, iisque in Ægypti et Syriæ confiniis Urbem constituit Rhinocoluram, ab hac narium abscissione dictam, omnibus fere ad humanam vitam sustentandam necessariis indigentem. Circum enim salsugo est, et pauxillum intra mœnia aquæ, et quidem corruptæ, gustatuque parquam amaræ, putei subministrant. Sed necessitate industriam acuente, ex stipula agrorum vicinorum sibi retia confecerunt, quibus tanta copia coturnices capiebant, ut ad victum sufficerent. Mirabile est, quod etiam naturaliter mare mediterraneum coturnices transeunt, cum in volando plurimum laborent. Hoc fieri multi asserunt, sufficiat nobis Bellonius, qui sic id refert: Cum e Rhodo Alexandriam Ægypti navigaremus, plurimæ coturnices a septemtrione meridiem versus volantes in navi nostra captæ sunt. Unde certo persuasus sum coturnices cælum mutare. Nam prius etiam cum e Zacyntho insula in Moream seu Nigropontum navigarem verno tempore, coturnices contraria profectione a meridie ad septemtrionem volantes observaram, ut illic per totam æstatem degerent: quo tempore etiam permultæ in nostra navi captæ sunt, cum diversis aliis migrantium avium generibus: ita Bellonius.

Secundo tamen, arbitror aliquas tunc productas esse 115.
a Deo ex aqua maris, sicut in prima creatione aves factæ Quanta
sunt ex aquis subtilioribus. Probatur primo, quia in Hebr. earum
Gr. Chald. codicibus habetur, coturnices eductas esse e multitudo.
mari, vel devectas a mari. Secundo, id colligitur ex infinita pene earum multitudine, quam David noster exprimit, cum eas comparat pulveri terræ, et arenæ maris. 2. Moses, cum ait Numer. 11. 31. eas demissas fuisse in castra, *itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum.* Nec existimandum est, ait Salianus, totum spatium a coturnicibus occupatum fuisse, quantum quis itineris uno die conficere posset: ut scilicet esset quædam quasi nubes avium operiens castra longitudinis et latitudinis unius diei: sed id spatium extra castra accipiendum est. Unde in Hebr. et Chald. est: *Quantum est iter diei huc, et quantum est iter diei illuc per circuitum castrorum.* 3. Immensa multitudo fuerit, oportet, cum populus toto illo die, et nocte, ac die altero congregaverit coturnicum, qui parum, decem coros: quod de singulis domibus, sive familiis, non de personis intelligendum esse arbitror: non enim singuli seorsim vivebant, aut victum parabant. Corus autem magna mensura erat apud Hebræos, continens decem ephi, ephi autem decem Gomor, Gomor autem tantum mannæ capiebat, quantum quis quantumvis edax uno die comedere posset. Assignemus ergo cuivis Gomori 20. coturnices. Nam R. Salomon ait cœpisse ova 42. decem Gomores, sive unum Ephi contine-

bit ducentas: ergo decem Ephi, sive unus corus capiet duo millia, et decem cori viginti millia coturnicum: hanc summam minimum quævis familia colligit. Erant autem in Hebraico populo facile tricies centena millia personarum: cum aptorum ad bellum, etiam seclusis Levitis, proxime numerata essent sexcenta et tria millia, quingenti et quinquaginta. Quod si familiis, sive domibus, vel œconomiis, quindecim personas circiter attribuas, fient ducenta millia familiarum, quibus singulis si attribuas decem coros in unius mensis cibum, *summa evadet ad quatuor millia millionum*: et singulis personis obvenient 1333. In Hebræo legitur *decem homerim*, quam vocem D. Hier. vertit corum, Pagninus cumulum, alii acervum. Est autem Homer secundum quosdam Hebræos mensura quam asinus ferre potest: unde et eisdem litteris Hamor, id est asinus: et Homer, id est mensura, scribuntur: ita Salianus. Comestor tradit coturnices in sinu Arabico præsertim nutriri, quanta autem copia nonnunquam maria transeant, disce ex Solino in Polyhistore. Cum, ait, maria tranant, impetus differunt, et metu spatii longioris vires suas nutriunt tarditate. Ubi terram persentiscunt, coeunt catervatim: deinde globatæ vehementius properant, quæ festinatio plerumque exitium portat navigantibus. Accidit enim plerumque noctibus, ut vela insidant, et præponderatis sinibus alveos invertant. Idem tradit Plin. lib. 10. cap. 23.

116. Cur potius datæ coturnices quam aliæ aves? Quæres secundo, cur potius Deus dedit coturnices, quam alias aves? Resp. Primo, quia in illo terræ tractu abundabant, ut patet ex dictis. Secundo, quia earum caro est delicata et suavis. Quidam arbitrantur vocari a Theophrasto perdices Nanas. Tertio, pingues sunt aves, unde flante austro non volant, sed aquilone. Solinus hoc tradit: Coturnices, ait, austro nunquam exeunt: nam metuunt vim flatus tumidioris: plurimum se aquilonibus credunt, *ut corpora pinguiuscula*, atque ideo tarda facilius provehat flatus siccior, et vehementior spiritus: ita Solinus.

117. Pluviæ insolitæ et mirabiles. 1. Lactis. 2. Sanguinis. 3. Ferri. Pluviæ carnis meminit etiam Plin. lib. 2. cap. 56. Relatum, inquit, in monumenta est *lacte et sanguine* pluisse M. Acilio, C. Forcio Coss. et sæpe alias *carne*, sicut L. Volumnio et Servio Sulpitio Coss. exque ea non putruisse, quod non diripuissent aves, item *ferro* in Lucanis, anno antequam M. Crassus a Parthis interemptus est, omnesque cum eo Lucani milites, quorum magnus numerus in exercitu erat: effigies, quæ pluerat, spongiarum fere similis fuit: aruspices cavenda præmonuerunt superua vulnera. L. autem Paulo, C. Marcello Coss. *lana* pluit
4. Lanæ. circa castellum Carissanum, iuxta quod post annum T.
5. Laterum. Annius Milo occisus est. Eodem causam dicente, *lateribus coctis* pluisse, in eius anni acta relatum est. Aliquando
6. Piscium. pluit *piscibus* in Chersoneso toto triduo, auctore Phynia
7. Ranarum. et Phylarcho. *Ranis* in Dardania et Pæonia, auctore Eustathio. *Erucis* in Vellauniis, teste Cælio: ita ille. Ne ti-
8. Erucarum meas, Dominus regit te et nihil tibi deerit, si vel ex cælo
S. Columbano Deus providet cibos miraculose. panem et carnes pluere deberet. Hoc in uno S. Columbano videre est, de quo Ionas Abbas in eius vita refert. Primo, cap. 6. cum præter arborum cortices herbasque nihil haberet, monetur Abbas Carantocus, ut ei subveniat; equus ad id missus per ignotos calles ad sancti viri fores onustum vehiculum deducit. Secundo, aquam elicit e silice, ut habetur cap. 8. Tertio, imbrem depellit a segetibus, cap. 16. Quarto, non effunditur cerevisia, cum quidam ex eius Religiosis ita prompte ad ipsius vocem obedisset, ut dolium non obturaret, cap. 18. Quinto, horreum vacuum ad eius orationem impletur, cap. eodem. Sexto, duo panes, et cerevisia eo orante augentur, cap. eodem. Septimo, omnia clargienti pauperibus, vini plurimum et frumenti statim datur, cap. 21. Mitto cætera. Ad rem præsentem, maxime est illud quod habetur cap. 26. de avibus in cibum devolantibus: *Vagante*, ait, *B. Columbano cum suis penes Brigantiæ Urbem, durum egestatis tempus obvenit. Sed quamvis alimoniæ deessent, manebat tamen intemerata atque inconcussa fides, quæ necessaria apud Dominum impetraret. Cumque iam tridui ieiunio fessa corpora ferrent, evenit tanta copia alitum, velut Israelitarum castra coturnix olim operuit, ita ut omnem paginam loci illius alitum multitudo oppleret. Intellexit enim vir ob suam suorumque necessitatem, has dapes terræ diffundi, nec prorsus alibi obvenire, præter eum, quo ipse moraretur, locum. Iubet ergo suos prius grates laudesque rependere conditori, sicque alitum dapes capere. Erat enim mirum, et stupendum miraculum. Capiebantur aves, prout patris imperium urgebat, nec abscedere pennigera fuga nitebantur. Mansit ergo alitum manna per triduum diffusa. Quarto deinde die, quidam Pontifex ex vicinis urbibus, frumenti copiam divinam monitus inspiratione B. Columbano direxit: sed mox Omnipotens, qui penuriam patientibus aligeros præbuerat cibos, ut farris adeps advenit, alituum phalangas imperavit abire*: hæc Ionas Abbas, qui ait se illa didicisse ab Eustathio tunc præsente, et aves illas fuisse omnibus ignotas: tanti vero saporis, ut regias dapes vincerent.

Dei bonitas, et Israelitarum gula exprimitur v. 29. ET 118. Vers. 29.
MANDUCAVERUNT, ET SATURATI SUNT NIMIS (Hebr. מאד *meod*, id est valde. Syr. abunde); ET DESIDERIUM EORUM ATTULIT EIS: NON SUNT FRAUDATI A DESIDERIO SUO. Habuerunt enim κρεατα ηδιστα, id est carnes optimas, ut ait Philo lib. 1. de vita Mosis. Tales petierant, ut habetur Sap. 19. 11. *Postulaverunt escas epulationis*, Gr. τρυφης, id Ortygometra.
est voluptatis, *in allocutione enim desiderii, ascendit illis de mari ortygometra*, id est coturnix, quæ ducit agmen coturnicum, quando terram petunt et maria tranant: unde ab Italis vocatur rex coturnicum. S. Hieron. carnalem Hebræorum ingluviem hoc in Psalmo reprehendit, pœnam videbimus sect. seq. gulæ mala attuli supra sect. 2. art. ult. Exempla gulæ sunt Cantibaris, Sauromatæ, Ariæi, Tarentini, Sybaritæ, Syri. Primo, de Cantibaride Persa ait 113.
Clearchus lib. 5. vitarum: Cum illi maxillæ mandendo fa- Gulæ prodigia: 1. Cantibaris.
tigatæ essent, hianti, καθαπερ ει αψυχον αγγειον, velut in vas quoddam inane, domesticos cibum ingerere solitos. Verum id sit nec ne, viderit Clearchus: illi certe Cautibaridi non absimiles sunt ebriosi nostri, qui edendi laborem cum defugiunt, in ventris sui infundibulum et dolium scyphos catervatim effundunt. Sauromatæ triduo ad saturitatem 2. Sauromatæ.
se ingurgitabant, et uxoribus suis velut Dominis per omnia parebant, ut ait Nicolaus de moribus gentium. Digna certe effœminatorum pœna. Tertio, Ariæi quotidie 3. Ariæi.
erant ebrii. Quamobrem Celtæ, in eos bellum gerentes cœnam sumptuossimam pararunt in teutoriis, ac herbam quamdam imposuerunt venenatam. Castra deserta cum Ariæi invasissent, cibo sese ingurgitantes misere perierunt, ut docet Athenæus lib. 10. Quarto, Tarentinorum 4. Tarentini.
civitas propemodum singulis mensibus boves immolabat, et convivia populo exhibebat, conveniebat vero populus turmatim, et assidue compotabat. Sic autem de cæteris nationibus Tarentini dictitabant, alios quidem homines industria, et circa munera sua laboriosa sedulitate, in posterum sibi vitam comparare: se vero, quia conveniant, et voluptatem inde percipiant, ηδη βιωναι, *iam vivere*: nec expectare dum olim vivant: ita Theopompus lib. 52. historiarum. Quinto, Athenæus lib. 12. p. 518. multa com- 5. Sybaritæ.
memorat de Sybaritarum luxu, ex quibus peccatorum insaniam possis advertere: pag. vero 519. hoc dicit: Felicitatis suæ magnum iis argumentum videbatur esse, quod regioni suæ non fertilissimæ portus nullus esset, omnesque eius fructus absumere cogerentur: eaque ratione ut urbis locus, et oraculum Dei, illos ad delicias και ζωην υπερ μετρον εκλελυμενως, et vitam super modum voluptate dissolutam, hortaretur. Sexto denique, Posidonius in hi- 6. Syri.
storia scribit, Syros omnes, ob regionis ubertatem, necessariis laboribus et molestiis defunctos, plures conventus hominum permisisse, ut frequenter epularentur, lavarent, sese exercerent ludicris certaminibus, oleis pretiosis et unguentis delibuti, et in Grammateis (sic enim publica cœnacula vocabant) non secus ac in ædibus suis degerent, maximam diei partem illic vino et cibis sese ingurgitantes; sic ut reliquiæ multæ superessent, eos interim de-

mulcente testudinis sono, adeo ut in totis illis civitatibus musici cantus exaudirentur.

120. Tropol. Utile est desideria nostra nobis a Deo non dari.

120. ⁓ Tropol. Bonum est, ut Deus non concedat nobis desideria nostra carnalia. Hinc Drogo Hostiensis Card. serm. de passione: *Ne pluas*, inquit, *super nos coturnices, Domine, desideria carnis nostræ, quæ nonnisi duobus cubitis levantur a terra, quia non attingunt dona Spiritus sancti. Ne pluas super nos sicut pulverem carnes. Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, et in secessum emittitur.* Matth. 15. *Talis omnium voluptatum carnalium finis: et sicut arenam maris volatilia pennata: gaudet edacitas, pennulas movet, sed mox in arenam maris convertitur: gaudet luxuria, modicum volitat, sed mox in arenam maris transit: omnis dulcedo carnis in amaritudinem finit: modicum levant infelicem animam, sed mox aggravant in arenam.* Docet deinde appetendum esse manna, id est Eucharistiam: *Tu autem Domine*, inquit, *manna nimirum es, sicut semen coriandri, quod fractum mola candorem producit, et dulcedinem quasi panis oleati: hic est panis angelorum, quem manducavit homo. Dicunt adhuc increduli: Man hu, quid est hoc. Quia minutum et humilem vident, et quasi despectum sermonem tuum, et ideo redeunt et concupiscunt carnes magnas Ægyptias, quia nesciunt, neque gustaverunt absconditum intus mannæ saporem, habentem omne suavitatis delectamentum: redeunt ad carnes, exsiccant eas ad solem in circuitu castrorum. Mira res, uno eodemque sole, et carnes indurantur, et manna liquescit: siccantur carnes, ut amplius durabiles sint: indurantur iniqui, ut suas diutius expleant voluptates: tuum autem manna liquefiebat, cum sol incalesceret: quia anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Incalesce super nos, sol meridiane, ut liqueat manna, et fluant aromata illius, sicut torrens in austro. Colligite filii Israel, colligite manna, et frangite mola, et replebitur sicut adipe et pinguedine anima nostra. Molestus est labor, sed fructuosus: labores manuum tuarum manducabis, etiam beatus es, et bene tibi erit in futuro. Frangite, inquam, mola corpus et animam, et invenietis medullatum corpus ieiuniis, laboribus, vigiliis: animam, divinæ legis studiis. Non excidet tibi lex de ore cordis tui, volve, revolve, versa, et tunc intelliges quid sapiat manna. Sic faciebat ille, qui dicebat: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? Domine super mel et favum ori meo. Esto apis virginea, collige de flosculis manna. Habes hortum voluptatis plenum rosis et liliis, mira varietate depictum: quidquid illic invenies, suave est et odoriferum: conde abundanter alveolo tuo: et quid amplius dicam? unus idemque cibus est api mel, et cervo fons aquæ, et panis qui cor hominis confirmat: hic est panis oleatus, sanat ægrotum, roborat sanatum, faciem exhilarat, omne delectamentum et omnem saporem suavitatis habet. Ubi sunt coturnices? ubi sunt carnes exsiccatæ? certe putruerunt in dentibus edentium. Si in dentibus putruerunt, quanto magis in ventribus? imo etiam computruerunt iumenta in stercore suo; panis autem angelorum quem manducavit homo, putrescere nescit: non vadit in secessum, sed tendit in excelsum: illuc reducit hominem, unde traxit imaginem: dives es Domine, et indeficiens est horreum tuum: ciba hodie pauperem tuum de micis, quæ cadunt de mensa filiorum tuorum: clamat egenus tuus ad fores tuas, quia non habet hodie, quod manducet:* hactenus Drogo.

Manna Euchar. et sapientiæ est optandum, non carnes voluptatis.

Nota, Propheta noster in hoc Psalmo veluti pugnam instituit Deum inter et hominem. Deus certat benefactis, homo peccatis. Deus potentiam suam in usum immeriti licet hominis exerit, vers. 12. *Coram patribus eorum fecit mirabilia*: infidelitatem divinæ potentiæ rependit homo, v. 17. *Et apposuerunt adhuc peccare ei.* Ac postea v. 19. *Numquid poterit parare mensam in deserto?* Secundo, liberalitatem demittit Deus, ut donis obruat ingratos peccatores, v. 23. *Mandavit nubibus desuper*, etc. pluit illis manna. Gulam liberalitati Dei opponunt homunciones, et donis collatis abutuntur, vers. 29. *Et manducaverunt, et saturati sunt nimis.* Tertio, prælium redintegrat iustitia divina, ut saltem flagellis stultitiam excutiat, vers. 30. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos.* Recalcitrant in stimulum obdurati, v. 32. *In omnibus his peccaverunt.* Quarto, misericordia e cælo devolat, ut ad pacem eos invitet, vers. 38. *Ipse autem est misericors.* Homines facti ob misericordiam audaciores in scelera facilius relabuntur, v. 40. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto?* Quinto denique, charitas re desperata succedit, et inaudita miracula perpetrat, ut obduratum tangat, et a periculis, quibus premitur, eripiat, vers. 43. *Sicut posuit in Ægypto signa.* Peccatores oblivionem omnium beneficiorum his amoris telis obtendunt, vers. 42. *Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.* Atque hæc contigerunt ante ingressum terræ promissionis. Quæ vero pugna contigerit inter Deum et Hebræos in ipsa terra promissionis, dicetur sectione septima. Nunc post explicata prælia potentiæ et liberalitatis, veniendum est ad iustitiæ dimicationem. 121.

Certamen Dei beneficentis, et hominis in eum peccantis.

SECTIO QUARTA.

122. *Duo declarat. Primo, iustitiam Dei scelerum vindicem, et Iudæorum etiam punitorum obstinationem, vers. 30. Secundo, eamdem iustitiam proponit tela iterum eiaculantem, et hypocrisim Iudæorum mira in metu pollicentium, sed ei ex corde non servientium, vers. 33.*

PARAPHRASIS.

30. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: et ira Dei ascendit super eos.*	30. Tanta voracitate se in escas abiecerunt, ut, cum in iis absumendis dies noctesque consumerent, iusta in ipsos ira numinis desævierit, cum adhuc os escis oppletum haberent.
31. *Et occidit pingues eorum: et electos Israel impedivit.*	31. Eosque præsertim lethale telum prostravit, qui pinguedine distenti in abdominis curam erant procliviores; neque vel ipsis magnatibus pepercit, sed eos pari clade involvit.
32. *In omnibus his peccaverunt adhuc: et non crediderunt in mirabilibus eius.*	32. Neque tamen tanto supplicio exterriti a sceleribus suis destiterunt, in Deum ipsum ac Mosem murmurantes: et tot prodigiis Deo ad se illos pertrahenti fidem non habuerunt, ut ad terram promissam possent pergere.
33. *Et defecerunt in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione.*	33. Propter quas iteratas mussitationes, et obtemperandi detractationes, sine ullo fructu desertum sterile per quadraginta annos discurrerunt: in quo prope omnes qui ex Ægypto egressi erant, sunt præmatura morte extincti, nec ad speratam terram pertigerunt.
34. *Cum occideret eos, quærebant eum: et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.*	34. Cum districtum in se irati numinis gladium sentiebant, stratosque socios exanimes videbant, ad Deum in tabernaculo vota audientem accurrebant, primoque diluculo in genua provoluti supplices accidebant.

35. *Et rememorati sunt, quia Deus adiutor est eorum: et Deus excelsus redemptor eorum est.*

35. Tum in memoriam revocabant, eius se unius ope cibum e cælo aliaque suscipere: eiusque potenti dextera se Ægyptiacæ servituti per innumera prodigia subductos esse.

36. *Et dilexerunt eum in ore suo: et lingua sua mentiti sunt ei.*

36. Et in divinas laudes effusi charitate se divina succendi simulabant: et inanibus pollicitis vitam meliorem amplexuros spondebant.

37. *Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento eius.*

37. Cor autem eorum ad terrena adhuc incurvatum, ad Deum non erigebatur, neque illi se coniungere cupiebat, statimque calamitatis securi a promissis suis resilierunt, pactumque cum Deo initum fregerunt.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM SEVERA IN VORACES DEI IUSTITIA, QUANTAQUE EORUM AD LAPSUM PROPENSIO.

123. Ordo Sectionis. PRIMA Sectio huius Psalmi ad legis Evangelicæ susceptionem omnes invitat. Secunda, Ingratitudinem Iudæorum in deserto aperit, qui Dei potentiam pro se exertam non susceperunt. Tertia, neglectam ab illis eiusdem numinis liberalitatem ostendit. Hæc vero iustitiam quoque pro nihilo ductam declarat.

Ac primo, iustitiæ illius celeritatem in voraces ostendit v. 30. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum.* Secundo, iustitiæ eiusdem potestatem et maiestatem illos domantis: *Et ira Dei ascendit super eos.* Tertio, conditionem Iudæorum peccantium, qui partim erant ventri addicti, et cibis saginati ad terrena erant depressi ac deiecti, v. 31. *Et occidit pingues eorum.* Partim nobilitate et divitiis erecti superbiebant: *Et electos Israel impedivit.*

Secundo, ostendit populi obstinationem in malis operibus semper patrandis, v. 32. *In omnibus his peccaverunt adhuc.* Et obdurationem in corde Deo non committendo: *Et non crediderunt in mirabilibus eius.*

Tertio, declarat Dei ultoris iteratam vindictam in obstinatos: tum permittendo ut sine utilitate animæ dies vitæ suæ transigant, v. 33. *Et defecerunt in vanitate dies eorum.* Tum minuendo ipsam vitam corporalem: *Et anni eorum cum festinatione.*

Quarto denique, aperit conversionem simulatam trepidantium ad hæc Dei flagella, quibus visis omnia præstant præter cordis conversionem, et operum bonorum constantiam. Primo enim dicit, oculis quodammodo Deum quærere, ut ad eum fugerent, v. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum.* Secundo, pedibus, a via mala se subducere, et ad ipsum pergere: *Et revertebantur.* Tertio, corpore toto illi se supplices sistere: *Et diluculo veniebant ad eum;* in tabernaculum scilicet, ubi Deus peculiariter habitabat, et precibus annuebat. Quarto, memoria, a Deo accepta beneficia versare, v. 35. *Et rememorati sunt, quia Deus adiutor eorum est,* ad bona obtinenda, *et Deus excelsus redemptor eorum est,* ad mala evitanda. Quinto, ore, gratias agere, et laudes illi accinere, v. 36. *Et dilexerunt eum in ore suo.* Sexto, lingua, futuram ei emendationem polliceri: *Et lingua sua mentiti sunt ei.*

Corde autem, quod præsertim a Deo petitur, ad desideria sua et scelera semper incurvatos, terrena desiderare, v. 37. *Cor autem eorum non erat rectum cum eo.* Opere etiam promissa sua Deo ipsi facta non implere: *Nec fideles habiti sunt in testamento eius.*

ARTICULUS I.

Helluones iratus Deus cito et graviter punit.

SECTIONE præcedenti deciduum manna et coturnices vidimus. Voracitatem quoque et ingluviem Iudæorum
124. Vers. 30. advertimus. Restat, ut nunc deiectum in sceleratos vindicis numinis fulmen videamus, v. 30. ADHUC ESCÆ (coturnices) EORUM ERANT IN ORE IPSORUM, ET IRA DEI (quasi victrix, et domitrix) ASCENDIT SUPER EOS. Est prosopopœia. Datur enim persona iræ, quæ veluti gladio districto impios percutiat, deiiciat, ac pedibus proterat.

Subdit enim v. 31. ET OCCIDIT PINGUES (Psalt. Rom. Vers. 31.
et Gallic. plurimos. Ita S. August. et Cassiod. non legerant ἐν πίοσιν, id est in pinguibus: sed, ἐν πλείοσιν, id est pluribus, seu plurimis. Ideo vertunt, in plurimis; 2. Syr. Arabs, Symmach. Aquila, divites; 3. et simplicissime ac optime S. Hieron. voraces) EORUM, ET ELECTOS (id est iuvenes robustos et ad bellum aptissimos) IMPEDIVIT, id est compedivit, ut legit S. Augustinus: implicuit morbo, et detinuit, ne possent ulterius ambulare et pergere ad terram promissam.

Nota, bis datæ fuerant coturnices, ut diximus. Primo, 125.
vespera proxime præcedente donationem mannæ, et antequam populus veniret in Sinai et legem acciperet. Secundo, post acceptum manna et datam legem: Hebræi murmurantes et comedentes coturnices non fuerunt puniti prima vice, sed secunda. Primo, quia secunda illa murmuratio et comestio iniuriam faciebat mannæ, quod habebat omnem saporem suavitatis, et consequenter Deo illud danti. Secundo, quia lex data a Deo et testamentum, id est pactum cum ipso initum, eos magis obligabat ad fidendum ipsi, et accipienda ea quæ ipsi dare placuisset. Tertio, quia prima vice Deus dedit coturnices tantum ad unam cœnam, secunda vice ad unum mensem: ex quo factum est, ut perversi comederint nimia aviditate et intemperantia.

Quæres, an etiam pii comederint coturnices? Resp. comedisse, et quidem sine peccato. Videbant enim esse Dei donum, sicut non peccarunt comedendo manna, licet a murmurante populo obtentum. Idem de malis dicendum est, et ita sentit Abulensis. Neutri enim male egerunt Dei donis utendo.

Quæres secundo, qualis ira Dei ascenderit super eos? 126. Coturnices comedentes quomodo puniti?
Nota, τὸ *ascendit* notat Primo magnitudinem iræ Dei, quæ sit superior quolibet peccante. Secundo, potestatem, cui nemo possit resistere, et quam nemo possit excutere. Tertio, pondus, quo eos imbecilles deiiciat et conterat.

Resp. autem Primo, plurimos videri periisse morbis ex gula contractis: ita S. Greg. Nyss. de vita Mosis, Fonzeca apud Caietanum, Severus Sulpitius lib. 1. histor. et alii. Probatur ex verbis Psalmi nostri: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos.* 2. Quia Numer. 11. 20. Iudæi murmurantes dicuntur comesturi carnes, donec exeant per nares eorum. 3. Ex loco, qui vocatus est sepulcra concupiscentiæ, q. d. Sepulcra gulosorum, pœna sibi condigna punitorum: sicut ager robustorum dictus est, in quo robusti milites fortiter se gerendo perierunt singulari certamine. 4. Ait Ulysses Aldrovandus lib. 13. ornithologiæ, cap. 22. coturnices, quæ nunc inter primas epulas habentur, apud veteres a mensis remotas esse, quod veneno alantur, et comitiali laborent morbo: neque tamen hoc idonea causa factum, quia venenum digerunt, sicut et alia quædam animalia, ut sturni. Quod autem post esum coturnicum mortui sint, causam reiicit in ingurgitationem, ex qua extiterint humores crassi, pituitosi, viscidi, ac proinde materia epilepsiæ, tetani, similiumque morborum. Rasis scribit, se vidisse homines spasmum patientes, propter has aves in cibo sumptas. Alexander Benedictus in pestilenti constitutione coturnices damnat. Amatus Lusitanus ait, ab Avicenna iure usum coturnicum esse prohibitum, quod tetanum et spasmum inducant. Monardus ait, quibusdam in aquilonari ora extremam perniciem attulisse. Psellus coturnicem numerat

Coturnices an sint ad esum salubres?

inter ea quæ boni succi non sunt. Averroes tamen mirifice carnem coturnicum laudat, tamquam bonum habentem succum. Neque est dubium, cibos a Deo datos, sicut vinum in nuptiis Cana, fuisse optimos et saluberrimos, si cum moderatione et temperantia illis usi essent: sed gula fons est, et scaturigo morborum, ut docet Seneca epist. 95.

127. Gula est morborum causa.

Medicina quondam, ait, *paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim; deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minus negotii habuisse, firmis adhuc solidisque corporibus, et facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Qui postquam cœpit, non ad tollendam sed ad irritandam famem quæri, et inventæ sunt mille conditaræ, quibus aviditas excitaretur: quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, et nervorum vino madentium tremor, miserabilior ex cruditatibus quam ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, et semper qualis in ipsa ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admissus, distentusque venter, dum male assuescit plus capere, quam poterat. Inde suffusio luridæ bilis, et decolor vultus, tabesque in se putrescentium, et retorti digiti articulis obrigescentibus, nervorum sine sensu iacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? Quid oculorum auriumque tormenta, et cerebri æstuantis verminationes, et omnia per quæ exoneramur, internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu subeuntium, aliarum tenui peste repentium, aliarum cum horrore, et multa membrorum quassatione venientium? quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis solverant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, aut cursu defatigati, ac venatu, aut tellure versata: excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus placere non poterat. Itaque nihil opus erat tam magna medicorum supellectile, nec tot ferramentis atque pixidibus. Simplex erat ex simplici causa valetudo. Multos morbos multa fercula fecerunt:* ita Seneca. Contra vero, sobrietas est mater sanitatis.

Gorgias sobrius diu vivit.

Clearchus lib. 8. vitarum scribit, quod Gorgias Leontinus ob temperantiam victus ad octogesimum fere annum integra mente vitam produxit: cumque interrogaret aliquis, qua victus ratione sic validus et sensibus illæsis tamdiu vixisset, respondit, οὐδὲν πώποτε ἡδονῆς ἕνεκα πράξας, quod voluptatis causa nihil unquam fecerim. Demetrius Byzantinus lib. de poematibus tradit, eumdem Gorgiam sciscitanti cur vitam ultra centesimum annum produxisset, dixisse: Quod nihil unquam in alterius gratiam fecerim. Audiant id qui compotationibus, aliorum sanitati propinantes, suam perdunt.

Secundo, probabile admodum est præter morbos ob voracitatem exortos, aliquam causam extrinsecam fuisse, per quam puniti sunt, sive fuerit incendium, sive quid aliud. Abulensis censet fuisse incensum ignem, sicut in Superiori plaga quando murmuraverunt ob laborem itineris. Caietanus vere dicit, nesciri qualis fuerit hæc plaga. Nonnulli dicunt tunc periisse tria et viginti millia hominum: sed hoc incertum, et videntur illi confundere cum eorum numero, qui adoraverunt vitulum.

128. Gulosi cito puniuntur.

Nota secundo, Deus cito punit eos qui gula peccant. Vix Adamus pomum dentibus attigerat, cum ultorem sensit Deum, Gen. 3. Noe vix vinum incautius attigerat, cum filius eius Cham maledicitur, Gen. 9. Iacobi filii in convivio apud fratrem suum primogenitum ruina domus obteruntur. Iob 1. Amnon a fratre Absalone in mensa occiditur, 2. Reg. 13. Balthasar rex Babylonis faciebat grande convivium optimatibus suis, cum manum in pariete videt scribentem *Mane, Thecel, Phares*, eademque nocte moritur, Dan. 5. Dives epulo a conviviis ad inferos trahitur, Luc. 16. Aman in convivio reginæ Esther trepidat, æstuat, ab eo abstractus patibulo appenditur, Esth. 7.

Zenonis Imper. mors misera.

Michael III. Imp. Orientis vino obrutus a Basilio occisus est, ut tradit Zonaras in Annalibus. Zeno item Imp. gulæ et ebrietati deditus, errore mentis sic affici solebat, ut prolapsus non differret a mortuo. Sic vino amentem ac veluti mortuum, Ariadna uxor sepeliri curavit, nec passa est ab ullo tam horrendæ neci eripi, ut ait Zonaras. Alexander etiam Imper. vino ebrius et cibis confarcinatus, multo e naribus et pudendis effuso sanguine moritur, ut tradit Ioannes Curopalata. Vennocus Britto, ebrietatis vile mancipium a dæmone correptus est, et per duos annos usque ad mortem cruciatus, ut ait S. Gregor. Turon. lib. 8. histor. Franc. In Comitatu Flandriæ quidam post nimias epulas et venerem, a dæmonibus verui infixus lento igne combustus est, donec in hoc tormento moreretur, ut dicit Martinus Delrio tom. 2. disquisit. magic. lib. 3. p. 1. qu. 7. qui asserit se locum ubi id suo tempore acciderit optime nosse. Iobi 20. v. 20. dicit Sophar Naamathites: *Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, et omnis dolor irruet super eum.* Isaiæ 22. 13. Deus minatur iis qui dicebant: *Comedamus et bibamus: cras enim moriemur. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.* Deut. 21. 20. iubet Deus occidi ganeones et helluones: *Filius vester si comessationibus vacat, et luxuriæ atque conviviis, obruet eum populus.* S. Ambrosius considerans illatam plagam edaci populo in deserto ait lib. de Elia et ieiunio cap. 18. *Omnes illæ tribus patrum, cum de petra biberent aquam, manna manducarent, gentes validissimas vincerent, non in eis ullus infirmus. Ubi vero carnes desiderare cœperunt, et desideriis in Ægyptum convertebantur, nequaquam ex tot millibus hominum præter duos in terram promissionis pervenire potuerunt.*

Has plagas Israelitis illatas in deserto esse per angelos credibile est, sicut ipsi manna parabant quotidie, in quod illi murmurabant. S. Chrysost. tom. 1. p. 839. dicit angelos discedere a mensis delicate viventium. Mensæ, inquit, viventium in deliciis latronum, præstigiatorum, et eorum qui sepulcra suffodiunt, mensæ sunt. Quomodo igitur talem apponis mensam, angelus resilit, exasperatur Deus, gaudet dæmonum princeps. Et oration. 4. de fato et provid. p. 836. Mortiferis venenis, ait, nihil melius hæ mensæ constitutæ sunt.

Eversas Urbes, gentes et regna ob cupediarum desiderium et lautiores mensas loquuntur historiæ. Volsinium erat totius Hetruriæ caput, ubi helluationibus se ac luxuriæ dediderunt, in servorum suorum dominationem inciderunt: qui inter cætera lege sanciverunt, ut stupra sua in viduis pariter atque nuptis impunita essent: et ne qua virgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non ante ex numero ipsorum aliquis delibasset, ut tradit Valerius Maximus lib. 9. cap. 1. Ea propter iure Gnosactus Ægypti rex apud Thebas in templo columnam erexit, in qua execrationes sculptæ continerentur adversus regem Menam, qui mollitiem luxumque invexisset primus. Cyrus Babylonem cœpit, cum cives et rex vacarent epulis. Diluvium oppressit comedentes et bibentes. 129. Gula evertit regna.

Excitandus igitur est animus a poculis et patinis. Ioel 1. 4. id monet: *Expergiscimini ebrii, et flete, et ululate omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.* Iudex et vindex Deus ob oculos ponendus est. S. Ioann. Damasc. in fragmentis sententiarum, Animæ, ait, separatio a corpore, iudicium venturum, et horrenda gehennæ flamma, pariter et regni cælestis desiderium, assidue coram oculis obversentur, sicque ventris opprimetur voluptas: ita Damascenus.

Nota tertio, nimia pinguedo, maxime noxia est. Hippocrates aphorismo 3. lib. 1. Athletarum evexia, id est bona corporis habitudo, quæ ad summum distinctionis evasit periculosa est; natura enim suo in statu manere non potest neque otiosa quiescere: ita ipse. Et postea. Summæ refectiones, ait, periculosæ sunt. Et Aphorismo 4. Plenitudines, inquit, quæ ad summum pervenere σφαλερὰ, id est periculosæ sunt. Galenus quoque sagenam hac gladiatoriam exagitat. Heurnius refert eius incommoda in enarratione in Hippocr. aphor. S. Ambros. lib. de Elia et ieiunio cap. 14. sapienter: *Rogas*, inquit, *ad iucundita-* 130. Pinguedo nimia est noxia corpori.

tem, cogis ad mortem: invitas ad prandium, efferre vis ad sepulcrum: cibos promittis, tormenta irrogas. Zona Gallorum in laude est, cuius orbem iuvenes si excederent, coque contineri non possent, puniebantur. Epaminondas pinguiorem militem e castris suis eiecit, cum diceret: vix tribus aut etiam pluribus clypeis ventrem eius posse obtegi. Danorum rex histrionem quemdam pinguissimum suspendi iussit eo quod singulis diebus decem hominum cibos devorare solcret: ne, inquiebat, utilium operarium cibos quasi publicus depopulator absumeret, ut ait Albertus Crantzius.

Zona Gallorum.

131. Si de animæ salute sermo, quis dubitet a gula pingues occidi? S. Hier. audiat, epist. de vitando suspecto contubernio pag. 77. *Difficile*, ait, *inter epulas servatur pudicitia: nitens cutis sordidum ostendit animum.* Et epist. ad Eustoch. pag. 48. *Illico mens repleta torpescit, et irrigata humus spinas libidinum germinat.* De pinguibus possis dicere cum Davide: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Quid honesti cogitasse putas Dionysium illum Heracleæ tyrannum, Clearchi filium, qui primus tyrannidem invaserat, de quo scribit Nymphis Heracleotes, lib. 2. de Heraclea, cum luxu et quotidiana voracitate sensim in tantam carnis molem extumuisse, ut propter crassitiem et obesitatem, anhelitus difficultate correptus sit, et strangulatus, ideoque medicos præcepisse, ut tenuibus ad id paratis acubus et prælongis, latera et ventrem configerent, quoties in profundiorem somnum laberetur. Carne in callum spissata, et ἐκ τοῦ πιάλου, ob nimiam pinguedinem, aliquamdiu nihil ille sentiebat: cum vero ad puram adacta carnem acus perforasset, tum expergiscebatur. Huiusmodi sues, quo nomine Dionysium iure vocat Menander in Piscatoribus, Deus pungit et cruentat, ut in nostro Psalmo dicitur: *Et occidit pingues eorum.* Ubi adverte, sicut dixi supra, pro *pingues* Aquilam et Symmach. vertere, divites, sagina enim corporis alitur divitiis. De illis divitibus et pinguibus vere dicas illud Aristotelis l. 2. Rhet. cap. 16. ἀνοήτου εὐδαίμονος ἦθους ὁ πλοῦτος ἐστι: *Divitiæ nihil fere aliud sunt, quam felix amentia.* Illos divites graviter punit Deus Zachar. 1. 15. *Ira magna ego irascor super gentes opulentas.* Hoc in uno L. Sylla Dictatore videamus, qui cum se voluptatibus dedisset, et intempestivis conviviis, totum eius corpus in fœdam pediculorum tabem abiit, ut tunicæ, thermæ, balnea, quæ assidue frequentabat, dapes quoque diris polluerentur sordibus: nulla autem cura deerat tetro morbo in horas renascenti.

Pinguedo est noxia animæ.

Dionysii cuiusdam pinguedo portentosa.

Syllæ voluptas punita.

Symbolice, Beda hæc exponit de iis, qui ob scientiam inflantur et pinguescunt. Si nos, ait, reficimur scientiis non ad sobrietatem, sed ad ebrietatem: scilicet si nimis alte volumus ea indagare et sapere plusquam oportet sapere, ut inde superbiamus, et magistri erroris efficiamur. Ecce cum adhuc quasi esca in ore sit, statim ira Dei ascendit super nos, quia mentis cæcitate mulctamur: hæc Beda. Non est tamen reiicienda scientia, quæ moderate impinguat et roborat animam. S. Ambr. serm. 35. de ieiunio Domini in deserto: *Negligit famem corporis*, ait, *qui pabula lectionis intendit; nec ventris etiam habere poterit, qui alimentum verbi cælestis acquirit. Ipsa est enim refectio quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cum de divinis Scripturis cibum eloquii perennis accipimus. Ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit, et insidias a nobis diabolicæ tentationis excludit.*

Allegor. S. Hieronymus (seu accommodatitie potius) id exponit de iis, qui ad Eucharistiam indigne accedunt: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, et electos Israel impedivit. Hæc de his qui Deum post acceptum manna dereliquerunt. Nam et nunc in Ecclesia si quis carne et sanguine Christi reficitur, et declinat ad vitia, noverit sibi iudicium imminere, sicut Paulus Apostolus ait* 1. *Corinth.* 11. *Qui acceperit corpus et sanguinem Domini indigne, iudicium sibi sumit et bibit:* hæc ipse. Per pingues autem et electos intellige Sacerdotes et Religiosos, qui gravius cæteris puniuntur cum indigne Eucharistiam sumunt. In aliis tamen prostant punitionis exempla. Tria nunc affero: Primum in Iudæo, secundum in hæretico, tertium in Catholico.

Euchar. indigne sumentes puniti.

I. Iudæus. Ac primo, cum S. Syrus Ticinensis Episcop. Eucharistiam fidelibus porrigeret, accessit Iudæus, ut eam in sterquilinium proiiceret, itaque ut loquitur Pompeius illius sancti viri discipulus, aut certe Paulus Diaconus in eius vita, ausu nefario immundo ore corpus suscepit Dominicum. Quod ut animo reiiciendi os aperuit, ultione percussus, sine affatu verborum cunctis audientibus et videntibus clamare cœpit. Volebat labia iungere, nec valebat: conabatur verba edere, sed lingua rigida officium loquenti non præbebat, et quasi ignitum iaculum in ora portans immensis torquebatur doloribus. Ecclesia universa lætis acclamationibus laudem Dei resonabat. Advocatum Iudæum S. Episcopus increpat, et Eucharistiam recipit. Pergit enim auctor: Subtilius adspectantibus, mirabili ratione corpus Dominicum in ore videbatur Iudæi dependere, ut nec linguæ subter compagi insideret, nec desuper immundo adhæreret palato. Sed postulantibus fidelibus pro eius miseria, vir Dei B. Syrus manum tetendit, et S. Eucharistiæ Mysterium a sacrilego ore abstraxit, dicens: Ecce nunc liberatus es, de cætero cave huiusmodi simile ne facias, et ne ulterius repetere hoc præsumas. Iudæus conversus et baptizatus est, cum aliis etiam Iudæis plurimis.

II. Hæreticus. Secundo, hæreticæ in ore cibus in lapidem convertitur. Sozomen. lib. 8. hist. cap. 5. rem sic narrat: Vir quidam, ait, e Macedoniana hæresi uxorem eiusdem opinionis habebat. Hic cum Ioan. Chrysostomum quomodo de Deo sentiendum esset, docentem audisset, dogma illius laudabat: et uxorem quoque, ut secum sentiret, hortabatur. Cum vero illa magis nobilium mulierum sermonibus quam illius consuetudini obtemperaret, et post frequentes admonitiones vir illius nihil effecisset: Nisi, ait, in divinis mihi consors fueris, neque in vitæ communione post hac eris. Mulier hoc audito et consensum pollicita, rem eam famulæ cuidam communicat, quam sibi fidam esse iudicabat, illiusque opera ad fallendum virum utitur. Circa tempus autem mysteriorum illa quod accepit continens, quasi oratura procumbit: famula astans clanculum illi dat, quod secum in manu attulerat. Hoc cum dentibus admoveret, λίθος ἐπάγνυτο, *in lapidem congelascit.* Mulier perterrefacta, metuens, ne quid sibi mali propter eam rem, quæ divinitus acciderat, contingeret, ad Episcopum cursu contendit, ac se ipsam prodens lapidem ostendit, adhuc morsus vestigia habentem, et materiam incognitam, coloremque admirabilem ostendentem, ac simul veniam cum lacrymis petens viro suo consensuram se pollicetur. Quod si hoc cuipiam incredibile videtur, lapis testis est, qui etiamnum inter reliquias Ecclesiæ Constantinopolitanæ asservatur.

III. Catholicus. Tertio denique, Catholicos indigne ad Eucharistiam accedentes punit Deus, et quidem gravius, sicut in Lothario peierante, cum esset Eucharistiam sumpturus, alias ostendi. Tilmanus Bredembachius Collat. Sacr. l. 1. c. 53. aliud illustre exemplum refert, quod contigit circa ann. Christi 1384. Quidam, ait, Oswaldus Muiser nobili ortus prosapia in Seveld, et ibidem in castro, vulgo Schlosberg appellato, residens, tempore paschali, quo Christi fideles ex præcepto Ecclesiæ ad communionem Euchar. accedere solent, maiori hostia, et non ut cæteri laici communicare nitebatur. Ex timore itaque huic sacerdos perniciose assentiri volebat, sed dum venerabile Sacramentum supra linguam ante dicti Oswaldi poneretur, ecce miraculose ante altare terra se aperit, perinde ac si ipsum Oswaldum prorsus deglutire vellet, et in illam usque ad genua cecidit: ille vero manibus latus altaris apprehendit; sed altare isthic totum instar ceræ mollescere cœpit, manibusque cessit. Oswaldus præsentem Dei vindictam præsentiens, mox pœnitentia ducitur, veniam a Deo precatur, *cum hostiam deglutire non posset*, Deo id non permittente, sacerdos eam in sacrarium reponit, quæ etiamnum hodie isthic sanguineo colore divinitus tincta, et ex linguæ saliva nonnihil contacta conspicitur. Ubi iam inde ad nostra usque tempora, plurima fiunt miracula. Ego Roma

In Germaniam reversus altare ipsum, et in eo manus Oswaldi vestigia vidi, et contrectavi, ac iuxta illum terræ hiatum, quo absorberi cœperat, modo ferreis cancellis obtectum, denique ipsam hostiam, et castrum in quo vixit, conspexi: hæc Biedembachius.

ARTICULUS II.

Obstinatos in sua malitia cito et graviter punit Deus.

Cælum donis, precibus, minis, verberibus peccantes Hebræos in deserto ad se pertrahere moliebatur: sed
Vers. 32. omnia in irritum cadebant, v. 32. In omnibus his (id est, cum omnibus his, *avec tout cela, non obstant cela*) PECCAVERUNT ADHUC: ET NON CREDIDERUNT IN MIRABILIBUS (id est mirabilibus) EIUS. Putabant scilicet illa omnia casu et fortuito evenire.

Vers. 33. Pœna incredulitatis et peccatorum subtexitur, v. 33. Et (id est, ideo) DEFECERUNT IN VANITATE (id est, cum vanitate) DIES EORUM: ET ANNI EORUM CUM FESTINATIONE. Hebr. הבהלה *habbehala*, id est, in terrore, ut explicat Arias; in horrore, ut Felix; in obstupefactione, ut Chaldæus. Proprie cum sollicita, et anxia, ac tumultuosa festinatione, cum præcipiti tumultu, cum trepida celeritate. Euch. Niceph. Lindan. Petav. et alii exponunt de morte celeriore.

Pœna populi nolentis pergere ad terram promissam. Nota, agitur hic de incredulitate populi nolentis pergere ad terram promissam, sed cupientis sibi constituere ducem, ut rediret in Ægyptum occiso Mose et Aarone, cum reduces exploratores renuntiarent terram Chanaan fluere quidem lacte et melle, sed illius interclusum esse aditum, cum Amalecitæ habitarent ad meridiem, Amorrhæi ad orientem, Chananæi ad occidentem, Iebusæi in media regione campestri, Hethæi in montanis cum gigantibus, quibus comparati, quasi locustæ viderentur. Accidit hoc anno Mosis 82. id est secundo anno exitus ab Ægypto. Soli Iosue et Caleb, qui etiam fuerant inter exploratores, restiterunt aliis exploratoribus et populo, qui eos lapidasset, nisi ad tabernaculum fugisset; ideo Primo, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel, id est fulgor magnus et terrificus in nube, quæ obumbrabat tabernaculum, et in eo latentes Mosem, Aaronem, Iosue et Caleb. Secundo, minas intentat Deus, et totum populum perdere vult pestilentia, sed oratione Mosis impeditur. Tertio, Deus fert mortis sententiam contra omnes viros, qui numerati erant a viginti annis et supra, et murmuraverant contra Deum: ait enim fore, ut omnes moriantur in deserto, et nemo intret terram promissam, præter Iosue et Caleb: in ea tamen sententia non continentur Levitæ, qui sic non erant numerati, sed ab uno mense nec mulieres, nec alienigenæ: probabile tamen est illos pene omnes perlisse in deserto. Quarto, dicit Deus: *Filii vestri erunt vagi in deserto annis 40. et portabunt fornicationem vestram*, id est pœnam vestræ infidelitatis, qua declinastis a Deo sponso vestro, cum quo fœdus inieratis. Præcise ab hoc murmure fluxerunt 38. anni completi, cum anno dimidio circiter, id est 39. anni inchoati, qui more scripturæ vocantur quadraginta. Solet enim perfectos numeros exprimere, licet aliquid in illis desit. Vel fluxerunt ab eo tempore anni 40. si computes tempus secundum annum profanum, qui incipit a Tisri, id est, Septembri, cum annus sacer incipiat a mense Nisan, id est, Martio. Quinto, immediate post latam sententiam decem exploratores repentina morte pericruat. Chald. et Philo putant mortuos esse peste. R. Salomon ait linguas eorum veneno fluxisse, et inflatas subitam mortem illis attulisse. Sexto denique, populus præpostera et importuna audacia pugnat contra Amalecitas et Chananæos, ab iisque vincitur.

An duo tantum Hebræi ingressi sint terram illam, ex iis qui erant numerati.

132. Impœnitentia grave crimen. Nota primo, cum S. Hieron. epistola ad Sabinianum Diaconum: *Nihil ita repugnat Deo, quam cor impœnitens. Solum crimen est, quod veniam consequi non potest.* Tales fuerunt Iudæi in deserto, et pene semper alias. De iis dicit Ezechiel cap. 2. v. 4. *Filii dura facie, et indomabili corde.* Eorum obstinationem miratur Isaias cap. 9. v. 12. Ieremias cap. 2. v. 29. et cap. 5. v. 3. De iis possis dicere id quod canebat Tuccius Rufus Asterius, qui in Consulatu fuit Collega Flavii Præsidii Anastasio imperante; Sic enim dicit in carmine suo:

Perfide corde peris, dum vastant omnia plagæ:
Si cessant plagæ, perfide corde peris.

Obstinatio hæc oritur ut plurimum ab infidelitate. Unde cum dixit David, *In omnibus his peccaverunt*, statim subdit, *Et non crediderunt in mirabilibus eius.* Nam infidelitas excæcat animam et obdurat. S. Anastasius Sinaita lib. 1. anagog. contempl. in Hexaem. ait tenebras super faciem abyssi esse ignorantiam et peccatum super animam Adami. Eusebius Gallicanus hom. 2. de symbolo speciatim dicit, fidem esse lucem, infidelitatem vero esse tenebras: *Fides*, ait, *religionis Catholicæ, lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. Quicumque hac derelicta, velut pessimum ducem, proprium sequitur intellectum: quicumque per sapientiæ suæ sensum, ad mysteriorum cælestium se putat posse pervenire secretum: sic facit, quomodo si absque fundamento ædificet domum: aut si prætermisso ostio velit introire per tectum: vel si nocte sine lumine inferat gressum, totum se clausis oculis urgeat in profundum. Hanc ergo nobis fidem velut magnam lampadem, Christus adveniens, errantibus viam monstraturus exhibuit, per quem possit Deus ignotus requiri, quæsitus credi, creditus inveniri.*

Nota secundo, vita impiorum deficit *in vanitate*, id est 133. Vita impii cito deflorescit.
Primo, in rebus vanis occupata. Secundo, *in vanitate*, id est, sicut fumus, vapor et umbra citissime transiens. Ut enim ait S. Iacobus cap. 4. 15. *Quæ est vita nostra? vapor est ad modicum parens.* Sapientiæ 23. *Transibit vita nostra tamquam vestigium nubis.* Ugo Cardin. in cap. 7. Iob citat hæc verba Senecæ: Quidquid ætatis retro est, mors tenet. S. Gregor. dicit: Quid est vivere, nisi de vita transire? S. August. Homo, ait, simul nascitur et moritur. Pisidas in lib. de vanitate vitæ, hanc vitam iure vocat βιου ρεουσαν εικονα, speciem et imaginem fluentem vitæ. Vide dicta Ps. 38. 7. in illa verba, *Veruntamen in imagine pertransit homo.* Et Psal. 143. 4. in illud: *Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut umbra prætereunt.*

Hæc vitæ brevitas adhuc decurtatur per delicias voluptatum. Pisidas lib. de vanitate eas vocat πομφολυγα σφυζουσαν και φυσωμενον, bullam salientem, et tumore turgidam. S. Nilus dicit, voluptuarios esse rosas cito marcescentes, ac florem fœni arescentem. Sic enim ait in parænesi: ροδα του βιου: *Rosa vitæ sunt hypocritæ, avari, voluptuarii; sed parumper sustine, et gramen videbis conculcatum.* Unde recte concludit, non esse animum oblectandum floridis vitæ. Quis ferret Annazum seu Nazatum Babyloniæ regem, muliebri stola amictum, mero et unguento madentem, centum et quinquaginta psaltriis simul accumbentibus? Quis ferret Smyndiridem Sybaritam, qui, cum vellet ostendere quam feliciter ageret, gloriabatur se neque orientem, neque occidentem solem vidisse, intra spatium viginti annorum. Nonne illis dies transeunt in vanitate? sed etiam transeunt cum festinatione, terrore, horrore, tumultu ac perturbatione; Deus enim sceleratos diu tolerare non potest. Alexander ipse rebus gestis magnus, ubi se ebrietati atque voluptatibus tradidit, in ipso flore ætatis periit. Tenuit enim tantum per annos septem imperium Asiæ, prius iam regnaverat in Macedonia a Philippi patris morte annos sex. Mortuus autem est anno ætatis suæ 32. completo, et 33. inchoato, anno mundi 3730. ante Christum 323. Strabo non sine causa in Ephesios indignabundus dicit, lib. 14. pagina 739. Digni, ait, sunt Ephesii, qui ad puerum usque strangulentur, quod Hermodorum virum inter ipsos frugi eiecerunt, hoc addito: Nemo nostrum frugi esto, aut alibi id esto, et inter alios. Deus volebat totum populum Hebræorum perdere in deserto, quod Mosem et Aaronem non vellent in promissam terram pergere adoraturi eo in loco verum Deum; sed in

Nazati regis et Smyndiridis mollities.

Ephesiorum stupiditas.

Ægyptum redire, ubi iam plerique adoraverant idola, atque inter cætera Apim, id est bovem, quem in ipso deserto coluerant vitulantes, et voluptati vacantes.

ARTICULUS III.

Afflictio vel invitos ad Deum trahit.

Cum punit Deus, punit ut pater: non punit ut perdat, sed ut emendet, et ad se filios revocet. Scit plures frangi flagellis, quam precibus aut donis emolliri. Hoc

Vers. 34. fecit Deus Iudæis, qui castigati veniam orabant, et vitam meliorem pollicebantur, v. 34. CUM OCCIDERET EOS (cum occidere ac punire inciperet; 2. cum aliquos ex illis vere occideret) QUÆREBANT EUM: ET REVERTEBANTUR, ET DILUCULO (id est cito, non enim expectabant diem sequentem) VENIEBANT AD EUM, in tabernaculo oraturi, ubi erat thronus et oraculum Dei; 2. votis et precibus Deum adibant etiam extra tabernaculum.

Vers. 35. Iudæi puniti sapiunt. Ac v. 35. ET REMEMORATI SUNT (id est, recordati sunt) QUIA (quod) DEUS ADIUTOR EST EORUM: ET DEUS EXCELSUS REDEMPTOR (Cassiodorus, liberator; Arnobius, protector) EORUM EST. Hoc fecerunt Iudæi. Primo, in deserto, post immissos a Deo serpentes ignitos, id est, morsu urentes (eos Pliu. vocat presteres) dicunt, Num. 21. 7. *Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, et te: ora ut tollat a nobis serpentes.* Secundo, sub iudicibus, id est principibus, ob peccata sua in servitutem alienigenarum dati clamant ad Deum et salvantur, Iudicum 3. v. 9. datur clamantibus Othoniel, qui liberat eos a Chusan Rasathaim rege Mesopotamiæ, cui servierant octo annis. Ibidem v. 15. clamant ad Dominum, et dat illis Aod, per quem liberantur ab Eglon rege Moab, cui servierant 18.

Et Pharao. annis, et sic alias sæpe factum est. Ipse Pharao afflictus ad mentem redit. Primo, in secunda plaga ranarum dicit Mosi et Aaroni, Exodi 8. v. 8. *Orate Dominum, ut auferat ranas a me et a populo meo: et dimittam populum, ut sacrificet Domino.* Secundo, in quarta plaga, quæ fuit muscarum, ait evocatis Mosi et Aaroni, ibid. 25. *Ite, et sacrificate Deo vestro in terra hac.* Tertio, in septima præsertim plaga grandinis, tonitruorum et fulgurum dicit Exodi 9. v. 27. *Peccavi etiam nunc: Dominus iustus, ego et populus meus impii.* Vide alias plagas. Statim autem afflictione cessante ingravabat et obdurabat cor suum. Ut discas esse verum, quod ait Cato apud Gellium lib. 7. cap. 3. *Adversæ res edomant, et docent quid opus sit facto: secundæ res lætitia transversum trudere solent a recte consulendo et intelligendo.* Salvianus itaque iure dicebat lib. 1. de provid. *Nequaquam nobis dolenda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem esse virtutum.*

134. Afflictio est larva ad matrem nos cogens. Comparationibus variis utilitas afflictionis nos ad Deum ire cogentis potest explicari Primo, matres ut ad sinum suum redire cogant parvulos, curant ab aliquo servo larvam assumi, quam videntes et timentes illi ad brachia et pectus maternum currunt. Sic, ut ait S. Chrysostomus lib. 1. de provid. tom. 4. afflicti ad Deum magno studio

2 Vir armatus in officio continens. currimus. Secundo, afflictio est vir armatus milites fugaces in ordinem stricto gladio aut porrecta et vibrata hasta cogens. Rem memorabilem refert noster Nicol. Orlandinus lib. 2. Hist. Societat. Iesu, numero 19. Cum, inquit, e tribus Ignatii sociis Fabro, Claudio, Simone, unus in arrepto proposito vacillaret, spectro inusitato perterritus, animum confirmavit: licuit posteris, de eo, quem proxime nominavimus, suspicari, ut eidem sit salus per Ignatium reddita, cui fuerat corporis. Ferunt cum quatuor isti ab hospitio Anachoretæ digressi, Bassani consedissent, hæsitantem solitudinis amore pellectum, cœpisse de vocationis suæ magnitudine expavescere, et consilii causa ad Anachoretam voluisse recurrere. Sed vix pedem extulisse domo, cum semel ac iterum *vir occurrit armatus*, qui truci aspectu strictoque gladio minitans exeunti, pedem referre coegerit, nec prius insequendi finem fecerit, quam ille præcipiti cursu in Ignatii cucurrit amplexum. Obstu-

A pescentibus ubique incolis, qui fugientem nemine persequente cernerent: ita ille. Nos in Dei sinum afflictio compellit. Tertio, aqua si naturæ suæ permittatur, ima petit: si vero in arctum intra tubos et canales compellatur, vel summos montes transiliet: hoc ipsum animæ præstat afflictio, quæ ut ait S. Chrysostomus hom. 5. de incomprehens. Dei natura, καθαρας και ευτονους προς το υψος εκπεμπει τας ευχας: *Puras et Dei auribus suavissimas in altum orationes nostras erigit.* Quarto, glandem æneam magna celeritate ad scopum dirigit, cogitque pulvis tormentarius accensus: nihil ita desidem urget atque afflictio, quæ est ignis ille invadens Israelitarum castra, et corripiens murmurantes ob laborem itineris in deserto. S. Chrysostomus in oratione mox citata: Nihil, inquit, tam pigritiam et negligentiam potest expellere, quam dolor et afflictio animi, quæ undique cogitationes vagas colligat, et sua in sede constituat. Quinto, velis naves, rotis currus, pennis aves onerantur, et tamen illis provehuntur et elevantur. Ventus vehemens citius ad portum compellit. B Idem dic de afflictione onerante, et agitante.

3. Canalis in altum erigens.

4 Pulvis tormentarius ad scopum pellens.

5. Ventus in portum ducens.

Experientia docet in morbis et calamitatibus studiosius ad Christum recurri. Cæci, claudi, muti, leprosi, aliique plurimi ægroti ad Christum sanandi accurrerunt, qui alioqui domi suæ consedissent otiosi, neque vel ipsius videndi desiderio exarsissent. Quid obstinatius Iudæis? multos tamen convertit immissa a Deo cæcitas, ut ait Gregentius Archiepiscopus Tephrensis in disputatione, quam habuit cum Herbano Iudæo, quæ extat tomo primo Bibliothec. Græcorum Patrum pag. 168. Cum enim post longum certamen victos se Iudæi cernerent, postularunt, ut Iesum sibi Gregentius ostenderet, quod ille pollicitus ardentem orationem fudit. Tum apertæ sunt cæli portæ, et nubes fulgida repente explicata est a porta cæli, velut planus campus ad eos usque perveniens. Adhuc autem contentis oculis intuebantur. Ecce Dominus Iesus a portis exitus illius venit, et ad ipsos supra nubem deambulans accedebat coram oculis ipsorum. Erat autem speciosus forma C valde. Venit igitur, et in extremis partibus nubes stetit prope Archiepiscopum, et consessum sive concilium, supra ipsos fere ducentis cubitis, ita ut ipse videretur ab omnibus, purpurea nube circumamictus pulcherrima, ex qua divinitatis radii emicabant. In capite eius splendor fulguris, et diadema pulchritudinis inæstimabilis, et radii velut spinea corona, gladiumque tenebat manu sinistra, et dextera se ipsum. Rege et Christianis summo gaudio affectis Iudæi obstupescebant, et trepidi fugam quærebant: cumque ab Archiepiscopo Herbanus cæterorum antesignanus impelleretur, ut Christum veneraretur, adhuc silebat. Tum Christus ad Iudæos ait: Propter magnam Archiepiscopi invocationem, appareo vobis in oculis vestris, ego crucifixus a patribus vestris: *Excæcati omnes in terram proni corruerunt, et quinque millia quingenti baptizati sunt,* et qui cæcitate erant percussi, in ipsis aquis salutaribus sanati: ita ibi. Fulgur terram ferit, cælum illustrat: afflictio corpus percutit, mentis cælum illuminat, Deumque et cælestia ipsi ostendit. 135.

Iudæi cæcitate percussi credunt.

D Gladium quoque salutarem ostendit tardioribus Christianis afflictio, et eos e deliciarum floridis pratis in viam revocat. Orlandin. Hist. Soc. l. 12. n. 116. refert, Goæ in India fuisse quemdam, qui ab aperiendis suis rite peccatis cupienti paratoque Patri Gaspari Barzæo, nimis obstinate refugeret: sed is in suo lectulo nocte vigilans, *cum sibi fauces arcte comprimi, et gulam instringi sentiret,* implorata illico Dei matre, ex eis est ereptus angustiis, relicto aliquo doloris dumtaxat aculeo, ut obstinationis suæ pœnas penderet, quod Sacerdoti Dei cunctaretur advolvi: Verum mox ei per quietem visus est Gaspar sciscitans cur sic angeretur: expressoque manu faucibus crucis signo, reliquias omnes angoris abstersit. Ille somno solutus, et quod gestum erat, animo reputans, magnam vim lacrymarum perfudit, atque e cubili se confestim proripiens, expiandi sui gratia cucurrit ad Gasparem.

Memoria quidem rerum terrenarum ob morbos aliosve 136.

Memoria casu aliquo perdita. casus perit. Plinius lib. 7. cap. 24. *Memoria*, inquit, *necessarium maximae vitae bonum. Nec aliud est aeque fragile in homine, morborum et casus iniurias, atque etiam metus sentiens, alias particulatim, alias universa. Ictus lapide oblitus est litteras tantum. Ex praealto tecto lapsus, matris et affinium, propinquorumque coepit oblivionem. Alius aegrotus servorum etiam: sui vero nominis Messala Corvinus orator.* Apollinaris lib. 2. epigr. Gr. ait, quemdam ex asino suo lapsum, oblitum esse litterarum. Sed afflictio memoriam de Deo auget. Hoc patuit in Ezechia pio rege Iuda ad mortem aegrotante, Isaiae 38. In ipso Antiocho Epiphane rege Asiae pessimo, qui e curru excussus, et dirissimis doloribus cruciatus, mira Deo et Iudaeis eius ser-
Afflictio dat memoriam. vis pollicetur, 2. Machabaeorum 9. vers. 13. In Balaam pseudo propheta, qui recalcitrante asino ad maceriam allisus, et videns strictum angeli gladium, offert se angelo ad exequendam Dei voluntatem, nec cedit Balac regi Moabitarum extorquere ab eo molienti, ut malediceret exercitui Israelitarum, Numeror. 22. et 23. Etiam Deus, minitans et puniens iuvat, ut enim ait Trismegistus in Pimandra: *Sicut absque vita homo vivere non potest: ita nec Deus esse potest, quin bonum efficiat. Hoc enim*, ὥσπερ ζωὴ ὥσπερ κίνησίς ἐστι τοῦ Θεοῦ, *vitae instar et motus Deo inest.*

ARTICULUS IV.

Displicet Deo conversio quae ex corde non fit, et omnis hypocrisis.

Amat Deus conversionem peccatoris, sed veram, et ex intimo corde emanantem. Iudaei solo metu non amore incitati labia et linguam dabant Deo, cor vero negabant,
Vers. 36. v. 36. ET DILEXERUNT EUM IN ORE SUO: ET LINGUA SUA MENTITI SUNT EI. Pro *dilexerunt*, Hebr. est יפתוה *iefatu*, id est Primo, blanditi sunt ei, ut Pagnin. Flamin. Camp. vertunt. Secundo, persuaserunt illi, ut Felix, id est, persuadere moliti sunt. Tertio, lactaverunt, ut S. Hieronymus; allexerunt, ut Arias, eum. Agellius suspicatur Septuag. non posuisse ἠγάπησαν, id est dilexerunt: sed ἠπάτησαν, id est, deceperunt. Sed melior est antithesis, si ponamus cum nostro interprete, *dilexerunt*, id est, se diligere finxerunt ore, sed cor eorum non erat rectum. Psalt. Illyricum habet, *Osculati sunt eum in labiis suis*, id est labiis. Sic Iudas osculo finxit amorem erga Christum, Ioab erga Abnerem et Amasam principes, quos tamen corde oderat, unde eos statim sua manu occidit. In plerisque nationibus osculo amorem testantur in salutationibus, quod apud Iudaeos fiebat etiam viris, apud varios populos tantum fit foeminis, ut in nostra Gallia. Vide dicta Psalm. 2.

Vers. 37. Os et vultus persaepe mentiuntur. Hinc additur v. 37. COR AUTEM EORUM NON ERAT RECTUM (S. Hieronymus, firmum) CUM EO, NEC FIDELES HABITI SUNT IN TESTAMENTO (S. Hieron. in pacto) EIUS. Placet illis Deus, cum eos escis, non cum cor gratiis replet, ideo illi os, non cor rependunt. Toti sunt os et lingua; Deus vero totus cor, et mamma: verba illi dant, lac Deus et perfectum amorem. Hominibus plurimis charitas ad interna non permeat, haeret in vestibulo. Trismegistus in Pimandro c. 15. *Omnia*, inquit, *quae in terra sunt, non equidem veritas sunt, sed* ἀληθείας μιμήματα, *veritatis simulacra: ac non omnia, quinimo pauca haec: caetera vero*, ψεῦδος καὶ πλάνος, *mendacium et dolus, atque imaginationis opiniones, effigierum instar composita.*

Nota, hypocrisis Deo displicet. Primo, quia Deus est 137
ipsa veritas. Secundo, quia hypocrisis est vile et abiectum Hypocrisis Deo displicet.
vitium. Hypocrita enim est histrio et comoedus. S. Basil.
hom. 1. de ieiunio: Hypocrita, inquit, dicitur histrio, qui 1.
in theatro personam sustinet alienam: saepe Domini, cum 2.
sit servus: aut regis, cum sit privatus. Itidem in hac vita plerique vitam suam, velut e proscenio, ad ostentationem componunt, aliud in corde gerentes, aliud in specie, hominum oculis prae se ferentes: haec Basilius. Hypocrisim in Ecclesiasticis S. Bernard. serm. 43. in Cant. ait esse putidam labem. Vilis est animi, id quod corde premas,
non audere eloqui. Tertio, Deus odit hypocritas, quia ad 3.
omne bonum sunt inutiles. Sunt vites, quae vim omnem suam in folia effundunt. Ennodius Ticinensis in Panegyrico dicto Theodorico regi, pag. 245. *Nihil*, ait, *fortius adversariis tuis ante aciem: sed cum belli cecinerunt classica, nihil infirmius: maxima in certaminis promissione virtus: et si sufficeret lingua pro dexteris, copia summa verborum*: ita ille. Multi sunt in ore leones, in corde le-
pores. Quarto, Deo displicent hypocritae, quia grave fa- 4.
ciunt peccatum. S. Basil. in prooemio libri de Spiritu sancto: *Rerum omnium*, ait, *potentissima est veritas: et extrema malitiae linea mendacium.* S. Hier. lib. 7. in Isaiam: In comparatione duorum malorum, levius malum est aperte peccare, quam simulare, et fingere sanctitatem.
Quinto, hypocrisis duplex scelus est. S. Aug. in Ps. 63. 5.
Simulata aequitas, inquit, *non aequitas est, sed duplex ini-
quitas: quia iniquitas est et simulatio*: ita August. Sexto, 6.
Deo displicet hypocrita, quia Deo facit iniuriam, velut quid in corde geratur ignoranti: cum tamen scrutetur corda et renes, et cordis puritate praesertim delectetur. Hinc S. Iacobus in epistol. cap. 4. 8. *Emundate manus, peccatores, et purificate corda, duplices animo.* S. Cyrill. catech. 1. Cave, ait, simulatam mentem habere, o homo, propter illum qui scrutatur corda et renes. Quemadmodum qui milites conscripturi sunt, et aetatem et corpora deligendorum ad pugnam diligenter excutiunt. Sic et Do- Cygni cur non admissi ad sacrificia.
minus delectum faciens animarum, voluntates illarum scrutatur, ac si quam hypocrisim deprehenderit occultatam, reiicit hominem, tamquam ad veram illius militiam non idoneum. Si vero dignum invenerit, huic libenter confert gratiam: haec ille. Deus nolebat cygnos sibi offerri in sacrificium, Lev. 11. 18. multi causam esse arbitrantur, quod caro eorum sit nigra, cum pennae sint albae, in quo hypocritae denotantur: omnia quoque Deo ex victimis oblata, erant interna: ut ostenderetur, cor praesertim illi placere. Origenes hom. 5. in Levit. *Notandum*, ait, *quod quae offeruntur in holocaustum, interiora sunt: quod vero exterius est, Domino non offertur. Pellis Domino non offertur, nec cedit in holocaustomata. Talis et ille fuit filius Iuda, qui dicebatur Her, quod interpretatur pellis. Propterea et Her pessimus erat, et occidit eum Deus, quia isti tales Domino non offeruntur.* Pulcherrimam Ansalonii conversionem ad illa verba, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*, rite amplificata, et proposita Crucifixi Christi imagine, vide apud Orlandin. lib. 12. num. 27. De hypocrisi iam egi Psal. 5. v. 7. Psal. 31. 2. Psal. praesertim 139. 1. agam, ubi ostendam, hypocritam esse monstrum habens sex facies ferarum.

SECTIO QUINTA.

138. *Duo exponit. Primo, misericordiam divinam populi sui peccata condonantem, v. 38. Secundo, populum ingratum, ob illam Dei erga se facilitatem, et benignitatem, facilius et crebrius peccantem, v. 40.*

PARAPHRASIS.

38. *Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum: et non disperdet eos.*

38. Toties in Deum rebelles, digni erant qui funditus delerentur: Deus tamen, cum sit ipsa misericordia, et uberrimus pietatis fons, scelera eorum condonavit, nec pro meritis universam gentem exscindet.

Et abundavit ut averteret iram suam: et non accendit omnem iram suam.

Sed continuo iteratis provocatus iniuriis offerentem se, gladioque stricto involantem iustitiam, sæpius continuit: neque indignationem suam, sicut peccata merebantur, totam succendit.

39. *Et recordatus est quia caro sunt: spiritus vadens et non rediens.*

39. Consideravit enim hominem carnea mole degravari, et ad terrena pertrahi: continuoque ac præcipiti cursu ad mortem pergere, nec posse tempus exactum revocare, ut in eo admissum nefas eluat.

40. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto: in ira concitaverunt eum in inaquoso.*

40. Hac freti benigni numinis misericordia scelerati, tam sæpe murmurationibus suis et querelis Deum irritaverunt in deserto, ut vix ad certum numerum possis deducere: et in sicca solitudine, ubi ab eo uno pendebant, ipsum ad iram excitarunt.

41. *Et conversi sunt, et tentaverunt Deum: et Sanctum Israel exacerbaverunt.*

41. Atque a via ad terram promissam, et ad virtutem suscepta, in Ægyptum vitiaque conversi sunt: et imbecillitatis Deum accusantes, potestatem eius aquæ carniumque postulatione experiri voluerunt: eumque omnis sanctitatis parentem blasphemiis suis ad iram provocarunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta misericordis Dei in peccatores benignitas, et peccatoris relabentis ingratitudo.

139. Potentia Dei, liberalitate, iustitia, earumque agminibus exhaustis in homine debellando, ut tandem arma
Ordo Sectionis. ponat, et pacem cum Deo ineat, succedit misericordia, quæ efferatum animum verbis emolliat, et maternum sinum expandens, manibusque panaceam ad sananda vulnera prætendens, spem augeat gressumque acceleret. Sed insani ad maiorem peccandi licentiam hac facilitate incitantur. David, aut potius Christo, loquenti insistamus.

Primo, Christus ait Deum Primo, præsenti Iudæorum miseria commoveri, v. 38. *Ipse autem est misericors.* Secundo, præterita iis peccata condonare: *Et propitius fiet peccatis eorum.* Tertio, futuras pœnas et meritas avertere: *Et non disperdet eos.* Quarto, misericordiæ illius et paternæ pietatis teneritudinem, ac vehementiam, ubertatemque ob oculos ponit, vers. eod. 38. *Et abundavit ut averteret iram sua, et non accendit omnem iram suam.* Quinto, motivum illius misericordiæ patefacit, nempe miseriam humanam, v. 39. *Et recordatus est, quia caro sunt: spiritus vadens et non rediens.*

Secundo, scelera Iudæorum iterata Deum tam misericordem facilius et crebrius irritantium declarat, v. 40. *Quoties exacerbaverunt eum in deserto: in ira concitaverunt eum in inaquoso.* Exacerbationis causam triplicem ponit. Primo, reversionem meditatam in Ægyptum, v. 41. *Et conversi sunt.* Secundo, murmur ipsorum frequens: *Et tentaverunt Deum.* Tertio, blasphemias in eum: *Et sanctum Israel exacerbaverunt.*

ARTICULUS UNICUS.

Deus considerans hominis imbecillitatem, in eum totam iram non effundit, punit tamen sæpe relabentes in scelera.

Filii rebelles erant Iudæi, Deus autem pater misericors,
Vers. 38. v. 38. Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum: et non disperdet eos. Et abundavit ut averteret (id est, multus in eo fuit, ut averteret) iram suam: et non accendit omnem iram suam.

140. Nota, ira Dei est fulmen, quod in capita scelerata de-
Iram Dei continet misericordia: volare ardet, vel mons flammivomus ignitos fluvios parturiens: suis undis illam abundans misericordia extinguit.
1. Ut fulmen. Secundo, ira Dei est eques armatus, aut leo frendens, mox in hostem vel prædam ruiturus, sed illam revocat misericordia: vel, ira Dei est tormentum bellicum glo-
2. Ut Leonem frementem. bo æneo plenum, quem, ne emittatur, impedit misericordia. Syr. vertit: Sæpe revocat iram suam, et non excitat
3. Ut fornacem succensam. totum furorem suum. Tertio, ira Dei est fornax succensa, quæ scintillas aliquas delabi patitur, sed os fornacis obturat misericordia, ne tota flamma erumpat. Arabs, Et avertet multitudinem iræ suæ, et non mittet totum furo-
4. Ut torrentem. rem suum. Quarto, ira Dei torrens est, ex alto se præcipitans, et obvia quæque disperdens, illum avertit miseri-
5. Ut exercitum furentem. cordia. Symm. Et multum avertit iram suam. Ut quo fuerit remotior, eo minus subito incursu incautos possit obterere. Quinto, ira Dei est instar totius exercitus, cursu

A præcipiti in oppositos cuneos irrumpentis, et longe lateque stragem edentis. Misericordia vero sistit ac reprimit irruentium gradum et gladios, ac velites tantum et fundibularios præmittit, qui periculi magis admoneant quam damnum inferant. Chald. reddit, Et non accelerat in eos omnem furorem suum.

Sed quid est non accendi omnem iram? Resp. est peccatores non puniri pro meritis; ita S. August. hic factum ait in Iudæis, qui non a Deo omnes relicti, sed reliquiæ salvæ factæ sunt, id est Apostoli et alii ad fidem Christi conversi. Et in deserto Moses oratione sua Deum impedivit, ne totum populum perderet, sicut facere volebat, cum murmuraverunt in Cades redeuntibus exploratoribus ex terra promissa. Iobi 33. 15 ait Eliu unus ex amicis eius: *Nunc non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde,* id efficit eius misericordia, quæ superexaltat iudicium. Nam in cælo est, et terram replet. Ps. 35. 6. *In cælo misericordia tua.* Et Ps. 32. 5. *Misericordia Domini plena est terra.* Trismeg. in Pimandra agnovit hanc Dei boni-
B tatem ei esse essentialem. Sic enim dicit: *Neque reliquorum, qui dii dicuntur, neque hominum, neque dæmonum quis potest, licet iuxta minimam partem, bonus esse præter unicum Deum: qui quidem hoc unum est, et nihil aliud: reliqua enim divulsa sunt a boni natura. Deus bonum est, non ad honorem, sed iuxta naturam:* μια γαρ η φυσις Θεου το αγαθον: *Una enim est Dei natura, nempe bonum:* hæc ille. De illa bonitate dicetur fusius Ps. 105. 1. Misericordiam illius extollit Scriptura Ps. 102. 8. Deut. 8. 16. Sap. 11. 24. Isaiæ 43. 25. Zachar. 1. 16. Paulus 2. 4. In ipsa Dei ira contra Ægyptios miscetur misericordia. Philo lib. de vita Deus punivit Æ-
Mosis, pag. 480. Quæret, inquit, fortasse aliquis, cur gyptios per mi-
Deus tam vilibus animalibus ad vindictam uti maluerit, nuta ani-
quam ursis, pardis, leonibus, cæterisque feris carnivoris: malia, et cur.
aut si hæ non placebant, saltem familiaribus Ægypto aspidibus, quarum morsus sine mora enecat. Is si nescit, discat voluisse Deum, νουθετησαι μαλλον η διαφθειραι, castigare magis, quam tollere. In lege gratiæ longe magis apparet Dei misericordia. S. Paulin. epist. 4. ad Severum: Mater, inquit, omnium viventium, Christi Corpus Ecclesia, succo
C pietatis exuberat, et bona ubera eius super vinum. In quo opinor significari, *quod dulcior sit libertas gratiæ in lacte misericordiæ, quam in vino iustitiæ legis austeritas.*

Nota secundo, inter cætera motiva divinæ misericordiæ erga nos est nostra infirmitas, v. 39. Et recordatus Vers. 39.
est quia caro sunt, spiritus vadens, et non rediens, q. d. Sive corpus hominis, sive animum spectent, sunt imbecilles homines et mutabiles.

Primo enim, caro est mollis, tenera, delicata: acris in- 141.
temperiem, morborum dolorem aliaque cum difficultate Caro mollis
perferens. Iob ipse dicebat cap. 6. 12. *Nec fortitudo lapi-* est, et
dum fortitudo mea: nec caro mea ænea est. Secundo, caro trahit ad
deprimit sensum multa cogitantem, et eum trahit in vitia vitia.
suo pondere. Id considerans Deus post diluvium, statuit iræ suæ modum ponere. Gen. 8. 21. *Nequaquam,* ait, *ultra maledicam terræ propter homines: sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua; non igitur ultra percutiam omnem animam viventem, sicut feci.* S. Eucherius in parænesi ad Valerianum, pondus illud carnis deplorat: Caro, inquit, procli-

vis in vitia, ad terram nos tamquam ad originem suam revocat. Anima vero veniens a patre luminum sicut fieri ignibus mos est, in superiora nititur. Philo hanc propensionem, hominis in lapsum ut expendat, ait: si Deus ex rigore iudicaret, nullum superfuturum in terra. Sic autem loquitur lib. quod Deus sit immutabilis, pag. 237. Si, ait, Deus iudicaret sine misericordia, atrum semper ferret calculum, cum nemo a nativitate ad obitum usque sine lapsu percurrat vitæ spatium: sed aliquando sponte cadat, aliquando fallente vestigio. Ut igitur genus maneat incolume, etiamsi multæ pessum eant species, admiscet misericordiam, quam interdum etiam indignis exhibet, nunc prævenientem iudicium, nunc sequentem. Antiquior enim apud eum est misericordia quam iustitia: quippe qui pœna dignum non noscit iudicatum, sed ante iudicium. Ideo alicubi dicitur, Calix in manu Domini, vini meri plenus temperamento: ita Philo.

142. Quæres, cur homo dicitur, Spiritus vadens et non rediens? Resp. Primo, aliqui Rabbini in Midras thehillim, id est in expositione psalmorum sic explicant, q.d. Homo est spiritus vadens ad mortem, non rediens ad resurrectionem: id est nulla est resurrectio corporum. Sed hæc est hæresis Sadducæorum.

Homo dicitur spiritus vadens et non rediens, ob quatuor rationes.

Secundo, homo est *Spiritus vadens, et non rediens*. Va-
I. dens, ait Ugo, in mortem inferni: et non rediens, quia in inferno nulla est redemptio. Sap. 2. *Non est qui sit agni-*
II. *tus reversus ab inferis.*

III. Tertio, homo est *Spiritus vadens, et non rediens*. Vadens ex hoc mundo et ad eum non rediens per apparitiones in propria persona, sed per angelos vel per dæmones. Sed hæc sententia est saltem temeraria. Communis enim opinio est ipsas animas per se, et immediate aliquando ad nos redire et apparere.

IV. Quarto denique, homo est *Spiritus vadens et non rediens.* Vadens ad mortem et non rediens, ut iterum virtute naturali et ordinaria, anima uniatur suo corpori ante resurrectionem generalem. Sap. 16. 14. *Cum exierit spiritus, non revertetur.* Eccl. 12. 5. *Ibit homo in domum æternitatis suæ.*

Imbecillitas hominis movet Deum ad misericordiam

Quod autem Deus ex infirmitate hominis sumat occasionem miserandi, docet etiam David Ps. 102. 13. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* 1. *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* 2. *Recordatus est quoniam pulvis sumus.* 3. *Homo sicut fœnum dies eius.* 4. *Tamquam flos agri, sic efflorebit.* 5. *Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum.* Iob illud motivum affert, ut Deum flectat, cap. 7. v. 7. *Memento quia ventus est vita mea, et non revertetur oculus meus, ut videat bona.* Et v. 9. *Sicut consumitur nubes, et pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non descendet, nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus eius.* Et cap. 16. 23. *Ecce breves anni transeunt, et semitam, per quam non revertor, ambulo.* Quod verum est, etiam dum his in terris vivimus. Homo enim a pueritia in adolescentiam transit, ab adolescentia in iuventutem, a iuventute in virilem ætatem, ab hac in senectutem, quæ denique transit in mortem: neque cursus illi evitari possunt: sed dies noctesque, sive in vigilia, sive in somno currimus, nec stadium emensum licet remetiri. Sol horologii lineas et umbras, Propheta Isaia iubente, revocat, sed hominis ne punctulum quidem elapsum redit. Sunamitis illa sapiens aiebat Davidi 2. Reg. 14. v. 14. *Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* S. Chrysost. varias similitudines acervat, quibus hominis imbecillitatem delineat, id se unica facere posse desperans. Sic enim hom. 2. de incomprehens. Dei natura, pag. 344. tom. 1. Homo, inquit, est terra et cinis, caro et sanguis, fœnum et herbæ flosculus, umbra, et fumus, et vanitas: et si quid illis exilius, vilius, atque abiectius. S. Gregor. Nyss. de beatitudinibus: *Quid est homo, ait, si cum Dei natura comparetur? Quid referam varias Sanctorum voces, per quas humana parvi fiunt? Secundum Abrahamum, homo terra est et cinis: secundum Isaiam, fœnum: secundum*

Nysseni de homine sententia.

A *Davidem, ne fœnum quidem, sed tamquam fœnum: secundum Ecclesiasten, vanitas; secundum Paulum, miseria:* hæc Nyssenus.

Tropolog. Homo est *Spiritus vadens et non rediens.* Primo, propter instabilitatem mentis, quia nunquam in eodem statu permanet. Secundo, quia, ut ait Beda, pronus ad peccandum, et non rediens, per se scilicet, sed per Dei tantum misericordiam. Ugo Cardin. brevius: Vadens, inquit, per se in peccatum: et non rediens per se, a peccato. S. Bernard. serm. 81. in Cantic. Quærit, ait, anima Verbum: sed quæ a Verbo prius quæsita sit: alioqui semel a facie verbi egressa vel eiecta, non revertetur oculus eius, ut videat bona, si non requiratur a Verbo. Quasi vero aliud anima nostra sit, quam spiritus vadens, et non rediens: hæc Bernardus. 143.

Cavendum est relabi in peccata.

Nota tertio, cavenda est recidiva in peccatum: *Quoties exacerbaverunt.* Attuli supra v. 19. duodecim murmurationes Iudæorum in deserto, eam ob rem graviter puniti
B sunt. Primo quidem, quia per se sola murmuratio est peccatum grave. S. Chrysost. homil. 8. in epist. ad Philipp. tom. 6. *Gravis res, gravis est murmuratio,* ἐγγὺς βλασφημίας ἐστί, *ac prope ad blasphemiam accedit. alioqui cur tantum de Iudæis sumptum fuisset: Qui murmurat, ingratus est erga Deum: qui vero ingratus est, postremo etiam blasphemus est:* hæc ille. R. Chrisdas dicebat, Deum quatuor præcipue a conspectu suo et gloria amovere: nempe societatem derisorum. 2. Societatem mendacium. 3. Societatem adulatorum. 4. Societatem linguæ maledictæ. Secundo, iterata murmuratio, et in eam frequens relapsus, sicut in alia etiam peccata, Deo displicet, quod sit veluti derisio Dei, cum ad eum pœnitentia acceditur, ut deinde contra eum arma ferantur. Tertio, est singularis ingratitudo. Quarto, est abusus divinæ bonitatis et eius donorum. Quinto, qui in peccatum relabitur peior est brutis. S. Hieron. epist. 10. Bruta, inquit, animalia, et vagæ aves in easdem pedicas retiaque non incidunt.

Sibi nocet, qui relabitur.

Sibi etiam plurimum nocet, qui in murmurationes alia- 144.
C ve peccata relabitur. Primo, quia perdit fructum pœnitentiæ. S. Greg. 3. part. pastoral. admonition. 31. Hinc quoque, inquit, per quemdam sapientem dicitur: Quid prodest, si baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio eius? Baptizatur quippe a mortuo, qui mundatur fletibus a peccato: sed post baptisma mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit. Secundo, gravius peccat, qui iterum relabitur. 2. Petr. 2. 21. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Tertio, tardius sanatur, qui relabitur. Petr. Blesensis de confession. sacrament. Propositum pœnitentiæ, inquit, perseverantia comitetur. Quid enim omnia prædicta proderunt pœnitenti, si ad vomitum revertatur? Verbum sapientis est: Unus ædificans, et unus destruens, quid est nisi labor? Ita et qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid profuit ei lavatio? Verbum Augustini est: Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat: *Vulnus iteratum sanatur tardius,*
D sic lugens et peccans veniam non meretur: nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata: nec valet de malis veniam poscere, et mala denuo iterare: Gregorius. Qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, se inaniter mundant, et nequiter inquinant, idcirco lacrymis se lavant, ut mundi ad sordes redeant: hæc Blesensis. Quarto denique, gravius punitur, qui relabitur. S. Chrysost. hom. 44. in Matthæum: Si, ait, divina luce illuminati, et a prima delictorum miseria erepti, rursus ad eamdem malignitatem revertimur, gravior punitio nos profecto expectabit: ideo Christus paralyticum quoque admonebat, dicens, Ioann. 5. 14. *Sanus iam factus es, noli amplius peccare, ne quid peius tibi eveniat.* Sed quid peius, inquies, illi accidere poterat, qui triginta octo annos iacuit? Multa profecto peiora et graviora diuturno illo morbo possent excogitari: hæc Chrysostomus. Dæmon eiectus, et rediens, adducit septem alios spiritus nequiores se.

SECTIO SEXTA.

145. *Duo proponit. Primo, ingrati populi oblivionem de omnibus beneficiis Dei, vers. 42. Secundo, charitatem Dei erga eumdem populum, miraculis maximis eum ab Ægypto educentis, et per desertum summa benevolentia ductantis, vers. 43. et seqq.*

PARAPHRASIS.

42. *Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.*

42. Eo tandem stuporis et amentiæ devenit populus Israel, ut e memoria sua excidere passus sit liberationem e durissima Pharaonis servitute, Dei unius potenti dextera factam.

43. *Sicut posuit in Ægypto signa sua: et prodigia sua in campo Taneos.*

43. Neque sibi ob oculos posuerit insignia miracula, quæ in Ægypto perpetravit, ac præsertim in planitie urbis regiæ, nempe Tani proxima, in qua tum temporis Pharao morabatur.

44. *Et convertit in sanguinem flumina eorum: et imbres eorum ne biberent.*

44. Oblitus est quanto prodigio Nilum eiusque rivos, alios fluvios Ægypti, paludes, stagna, et lacus in sanguinem converterit: ne quid esset unde sitim levarent hostes eius.

45. *Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos: et ranam, et disperdidit eos.*

45. Omnis generis molestissimas muscas, qua ratione in eos immiserit, a quibus ad necem usque fodicarentur: et quomodo rubetas, calamitas, bufones, omnisque generis ranas in eorum domos, mensas, lectosque effuderit, a quibus terrerentur et morderentur.

46. *Et dedit ærugini fructus eorum: et labores eorum locustæ.*

46. Segetes eorum aerugine ac pulverulenta corruptione perdiderit: frugesque omnes locustis grandioribus devorandas obiecerit.

47. *Et occidit in grandine vineas eorum: et moros eorum in pruina.*

47. Immissaque grandine vineas eorum afflixerit et contriverit, frugesque omnes locustis grandioribus devorandas obiecerit.

48. *Et tradidit grandini iumenta eorum: et possessionem eorum igni.*

48. Tantusque grandinis nimbus ruerit, ut pecora eorum et armenta mediis in agris palantia obtereret: decussoque fulmine iam in horreis conditæ fruges conflagrarent.

49. *Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, et iram, et tribulationem: immissionem per angelos malos.*

49. Atque in eos ira exæstuans severissimam ultionem immiserit, quæ tot scelerum pœnas exposceret: dæmonesque veluti tortores, qui calamitates plurimas inveherent, irato id numine permittente.

50. *Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum: et iumenta eorum in morte conclusit.*

50. Tandemque rupto aggere latissimam iræ suæ viam aperuerit, ut nullo rerum, animalium, aut hominum discrimine sæviret: parique clade et iumenta et viros obvolveret.

51. *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.*

51. Omnesque primogenitos pecorum, armentorum, hominum, a regis filio ad filium usque mulionis, una nocte extinxerit: et primitias illas peculiari amore et studio servari solitas, atque laboris omnis et diligentiæ in rebus agendis causas peremerit, in Ægypto Chami parentis sui impietatem imitante.

52. *Et abstulit sicut oves populum suum: et perduxit eos tamquam gregem in deserto.*

52. Stratisque hostibus, parentis instar amantissimi, populum suum, velut oves, e terra sceleribus perdita dimoverit, et maxima cura ac benevolentia per desertum duxerit, illi, velut gregi suo, omnia affatim suppeditando.

53. *Et deduxit eos in spe, et non timuerunt: et inimicos eorum operuit mare.*

53. Et fiduciæ plenum, per apertum mare traduxerit, ab eoqua trepidationem omnem amoverit, licet unde subsultantes latera pene tunderent, et hostis a tergo instaret, qui fluctibus ultoribus haustus est.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta charitate Iudæos ex Ægypto eduxit Deus.

146. Ordo Sectionis. In sectionibus præcedentibus vidimus Iudæos in Dei potentiam, liberalitatem, iustitiam et misericordiam rebelles atque ingratos. Nunc cumulum adiiciunt, nempe oblivionem divinæ charitatis, qua eos amantissimum numen, velut pastor oves, per mare ac desertum deduxit, ab Ægypto admirandis plagis afflicta et attrita abstractos, ut in terram lacte et melle manantem induceret.

Ac primo, Christus qui in toto psalmo loquens inducitur, exitialem illam et pestiferam oblivionem memorat, v. 42. *Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.*

Secundo, charitatem illam divinam erga ipsos amplificat, qua illos erepturus miris prodigiis hostem exterret atque profligat, v. 43. *Sicut posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos.*

Sigillatim pleraque percenset in aquis, aere, terra, et A igne facta. Ac primo, fluvius Nilus, eiusque rivi, et pluviæ in sanguinem versæ sunt, ut non esset aqua ad potum, v. 44. *Et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum ne biberent.* Secundo, muscæ aerem opplebant, et Ægyptios importunissime pungebant, vers. 45. *Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos.* Tertio, ranæ et bufones terram incestabant, et ubique reptantes horrori erant: *Et ranam, et disperdidit eos.* Quarto, bruchi fructus devorabant, v. 46. *Et dedit ærugini fructus eorum.* Hebr. bruchi ponuntur, ut multis placet, sed de hoc infra statuetur suo loco. Quinto, locustæ agros populabantur: *Et labores eorum locustæ.* Sexto, grando vites alterabat, v. 47. *Et occidit in grandine vineas eorum.* Septimo, gelu arbores etiam decoquebat: *Et moros eorum in pruina.* Octavo, grando iterata, armenta conterebat, v. 48. *Et tradidit grandini iumenta eorum.* Nono, ignis, residua et iam collecta absumebat: *Et possessionem eorum igni.* Decimo, dæmones, terriculamentis et spectris domos urbesque complebant, v. 49. *Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, et iram, et tribulationem: immissionem per an-*

gelos malos. Undecimo, mors homines et animalia perdebat, v. 50. *Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum, et iumenta eorum in morte conclusit*. Ac præsertim sæviit in primogenitos tam hominum quam animalium, v. 51. *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham*.

Tertio denique, charitatem Dei erga servos suos apertius declarat, non tantum hostes eorum affligendo: sed eos, pastoris instar, ducendo et iuvando. Primo enim, ipsos imbelles invito et reluctante Pharaone ex Ægypto eduxit, v. 52. *Et abstulit sicut oves populum suum: et perduxit eos tamquam gregem in deserto*. Secundo, illos in deserto pavit, et ab imminentibus populis servatos deduxit: *Et perduxit eos tamquam gregem in deserto*. Tertio, spe promissæ terræ labores eorum et molestiam itineris levavit, v. 53. *Et deduxit eos in spe*. Quarto, terrores inanes dispulit: *Et non timuerunt*. Quinto denique, hostes eorum ita prostravit, ut insequi amplius non possent: *Et inimicos eorum operuit mare*.

ARTICULUS I.

Oblivio beneficiorum Dei mors est animæ.

Deus donis nostris non indiget, sed dona sua a nobis
147. servari vult, præsertim in memoria. Unde Christus in-
Vers. 42. dignans taxat Iudæos in ea re peccantes, v. 42. NON SUNT RECORDATI MANUS EIUS, DIE (id est, in die) QUA REDEMIT EOS DE MANU TRIBULANTIS, Pharaonis scilicet, qui manus habebat longas, et graves: unde et in Ægypto eos afflixit oneribus, et fugientes prope mare rubrum comprehendit: sed manus Dei fuit potentior, quæ illos penitus a captivitate liberavit. Ugo Card. varias et beneficas nobis Dei manus notat. Primo eam, qua creavit omnia. Iob 10. *Manus tuæ fecerunt me*, etc. Secundo, quam extendit ad percutiendum diabolum. Isaiæ 51. 9. *Numquid percussisti superbum, vulnerasti draconem*. Tertio, qua nos protexit, et ictum imminentem nobis suscepit. Quarto, quam extendit in cruce ad amplexandum nos, et ut ipsum amplectamur in amore, sicut mater extendit brachia sua, ut puer ad eam amplectendam veniat. Isaiæ 65. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, et contradicentem mihi*. Quinto, quæ perforata est, ne aliquid contra nos posset retinere. Ps. 103. 28. *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*. Sexto, quam extendit nobis ad extrahendum nos de lacu miseriæ, et de luto fæcis. Iob 14. 15. *Operi manum tuarum porriges dexteram*. Septimo, qua eduxit de cordibus nostris serpentem tortuosum, id est diabolum. Iob 26. 13. *Obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus*. Octavo, quam ipse extendit ad percutiendum malos. Isaiæ 9. 12. *Adhuc manus eius extenta*. Nono denique, quam extendit nobis ad deducendum nos, quasi ad choreas, scilicet de virtute in virtutem. Ps. 72. 23. *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me*: hæc Ugo.

Manus Dei variæ.

148. Nota, *dies* hic potest sumi præcise et proprie, pro die illa, in qua erat populus iuxta mare rubrum fugiens ex Ægypto, et timens Pharaonem: in ea enim absolute liberatus est et redemptus diviso mari rubro: in ea autem die non recordabatur manus ac potentiæ Dei, quam exhibuerat in tot signis et miraculis, quæ Deus fecerat in campo urbis Taneos in ipsa Ægypto, ut dictum est vers. 12. Nam ea die murmuravit contra Mosem, dolens se pedem extulisse ex Ægypto. Secundo, et melius, *dies* hic sumitur pro tempore, ut sæpe fit in Scriptura. Sic dies afflictionis Ps. 17. 19. est tempus afflictionis. Christus ait Ioan. 9. 4. *Operamini donec dies est, hoc est tempus datum ad ope-*
149. *randum*. Paulus Hebr. 3. 13. *Donec hodie cognominatur*, id est dum hoc præsens tempus durat.

Dies pro tempore.

Moral. Deus odit oblivionem beneficiorum suorum. Primo, quia iussit, ut illa non obliviscamur. Deut. 4. 9. et 8. 14. Secundo, quia oblivio est signum contemptus. Tertio, est insignis socordiæ. Quarto, oritur ab infidelitate.

Oblivionem beneficii odit Deus, ob octo rationes.

A Marcus Eremita in disputatione cum causidico: *Oblivio*, ait, *filia est pigritiæ: utraque autem* ἀπιστίας ἔκγονα, *infidelitatis progenies*. Quinto, est maximum signum ingratitudinis. S. Chrysostomus autem ingratos, inter blasphemos computat, hom. 8. epist. ad Philipp. *Qui*, ait, *erga Deum est ingratus, blasphemus est*. Et hom. 1. ad popul. opponit blasphemiæ gratitudinem. Nullum, inquit, gratiarum actioni par bonum, sicut blasphemia peius nihil est. Sexto, oblivio est signum ægrotantis animi. Philo lib. de congressu - quærendæ - eruditionis gratia: Oblivio, inquit, est morbus memoriæ. Septimo, oblivio ingrata beneficiorum Dei est mors totius animæ et virtutum amissio. S. Bernard. serm. 52. in Cant. Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Et Hesych. centuria 2. Oblivio, inquit, solet extinguere sedulam et ardentem mentis custodiam, ut aqua ignem. Octavo denique, oblivio ingrata, radix est omnium vitiorum. S. August. in soliloquiis, cap. 18. *Scio*, inquit, *quod ingratitudo multum tibi displiceat, quæ est radix*
B *totius mali spiritualis, et ventus quidam desiccans et urens omne bonum, obstruens fontem misericordiæ tuæ super hominem, qua et mala iam mortua oriuntur, et viva iam opera moriuntur*.

Alleg. oblivio Christi crucifixi est perniciosa, sicut me- 150.
moria est utilis. Primo, memoria utilis est, ut nos confun-
damus, cum omnis, qui peccavit mortaliter, Christi mor-
tis causa fuerit. Versu præcedente dictum est: *Et sanctum*
Israel exacerbaverunt, Hebr. הִתְווּ *hithvu*. id est signave-
runt: ita Pagninus; circumscripserunt: ita Felix; limi- I.
taverunt: ita Arias. Commode verti posset, veluti Tau constituerunt. Littera autem Tau, sive Thau, est crucis symbolum, cuius etiam figuram habet. Ioan. Goropius opinatur S. Antonium pingi cum T, sive cruce in modum T, formata: quia gente Ægyptius erat, apud quos T, salutis ac venturæ vitæ hieroglyphicum habebatur: Credit etiam, hoc eodem exemplo, et ob viciniam cum Ægypto Æthiopes Abassinos in manibus aut collo cruces gestare. Hoc po-
C test eos ad crucis memoriam revocare. Deuteron. 6. 8. de præceptis Dei dicitur: *Ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur ante oculos tuos*, id est, eorum semper recordaberis in operatione et meditatione. Genebrardus porro, et alii multi dicunt litteram Tau olim perfectam crucis formam expressisse, Iudæos vero illam in odium Christi alia forma scripsisse, ת scilicet: Lorinus id negat, sed mihi hoc videtur probabile. Æthiopes enim Abassini Tau exprimunt instar perfectissimæ crucis in hunc modum ✝.

Crucis memoria est utilis, et cur.

Secundo, memoria passionis Christi nos ad pietatem in- II.
citat. Emmanuel rex Lusitaniæ, qui ditionem suam plurimum extendit in India, a templo minime discedebat tribus diebus, quibus Eucharistiæ sanctissimum Sacramentum erat in sepulcri quadam similitudine conditum, ut nobis memoriam nostræ salutis repræsentaret, neque vestes exuebat, nec ab eo loco, nisi ad aliquod breve tempus abscedebat: et cum somnus illum complectebatur, ibi
D sine ullo vitæ delicatioris instrumento, parumper accubabat, refert Hieron. Osorius lib. 12. de rebus Emmanuelis, fol. 412. Quam mirabilem conversionem Ansalonii fecerit memoria passionis Christi in concione nostri Palmii vide apud Orlandinum in histor. Societatis Iesu.

Emmanuelis reg. pietas.

Tertio denique, memoria Christi crucifixi auget eius III.
amorem. Omni enim velo ablato ob oculos ponitur manus, quæ nos redemit de manu tribulantis. Reges aliqui ad terrorem se occultant. De rege Sinarum id omnes norunt. De rege seu Imper. Abassinorum sic ait Hieron. Osorius lib. 9. pag. 309. *Rex Abassinorum*, inquit, *se ut numen cœleste coli faciebat: vultum ne principibus quidem apertum, nisi statis diebus ostendebat. Illis qui eum convenire volebant, aliquando pedem tantum, aliquando vero manum demonstrabat: reliquam speciem regis intueri, nefas existimabatur. Cum vero respondere volebat, internuntiis utebatur, et e cortinis quasi ex adyto oraculum edebat, responsa per interpretes transmittebat. Sed post adventum*

Lusitanorum hæc derisa; nunc nec se rex ut Deum coli curat, et facile videtur: hæc ille. Deus noster omnibus se videndum exhibet, qui mundo corde et purgatis oculis accesserint, manum præsertim auxiliatricem offert: sed sunt, qui eam non modo osculari contemnant, sed ne sibi quidem opitulantem ament. Isa. 65. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.*

ARTICULUS II.

Animæ peccatricis plagæ collatæ cum plagis Ægyptiorum.

MAGNUM fuisset Dei beneficium liberare Hebræos a servitute Pharaonis, sed longe maius fuit eos liberare
151. Vers. 44. cum tantis miraculis, quæ hic enarrat, v. 44. ET CONVERTIT IN SANGUINEM FLUMINA EORUM, ET IMBRES EORUM NE BIBERENT. Nota, non omnes hic plagæ referuntur, nec eo ordine quo acciderunt. Nam decem fuerunt plagæ Ægypto inflictæ. *Decem plagæ Ægypti.* Prima fuit, conversio aquarum in sanguinem, Exod. 7. 20. Secunda plaga fuit ranarum ubique ebullientium, cap. 8. 3. Tertia, cyniphum, hæc in psalmo nostro omittitur, nisi contineri vis sub cœnomyia. Quarta, muscarum, cap. 8. 24. Quinta, pestis et interitus animalium, cap. 9. 3. Sexta, vesicarum ac pustularum, et ulcerum in hominibus et iumentis, cap. 9. 10. Hæc etiam plaga hic omittitur. Septima, tonitruorum, grandinis et fulminum, cap. 9. 13. Octava, locustarum omnia devorantium, cap. 10. 13. Nona, tenebrarum horrificarum per triduum, cap. 10. 12. Et hæc plaga nunc omittitur. Decima denique, plaga fuit occisio primogenitorum, c. 11. 5. Undecima assignari posset submersio in mari rubro, sed extra Ægyptum contigit, ideo in plagis Ægypti non numeratur. Nota secundo, David in hoc Psalmo non servat ordinem temporis. *Ordo historiæ hic non servatur.* Ut enim ait S. Hier. in cap. 2. Amos: *Ubi de laudibus dicitur Dei, historiæ ordo servandus non est, sed frequenter evenit, ut quæ prima facta sunt, extrema dicantur; et quæ novissima, referantur ad prima.*

152. *Nilus et omnes aquæ Ægypti versæ in sanguinem, et quomodo?* Nota deinde, in prima plaga Aarone percutiente aquam Nili, statim totus fluvius per universam Ægyptum mutatus est in sanguinem; non tamen assentior Philoni dicenti lib. de vita Mosis, pag. 479. Mosis fratre iussu Dei percutiente fluvium virga, in sanguinem statim vertitur, quam longus est ab Æthiopia usque ad mare: hæc ille. Sed nulla erat causa affligendi Æthiopes, et evidentius erat miraculum, cum aquæ Nili fluerent suo more per Æthiopiam, deinde ubi attigissent fines Ægypti, verterentur in sanguinem, quod per totum septiduum continuo miraculo contigit. Secundo, omnes alii fluvii, rivi, torrentes, lacus, stagna, fontes, putei et aliæ aquæ versæ sunt in sanguinem, etiam in ipsa terra Gessen, quia ibi erant Ægyptii misti Hebræis, et ne eo pergerent alii aquam reperturi. Caietani scholiastes ipsum mare rubrum putat conversum fuisse in sanguinem, et inde nomen sumpsisse, sed id gratis dicitur: nihil enim de ea re habetur in Scriptura, et mare rubrum non erat intra Ægyptum, nec erat aqua potabilis, sed nomen habet ab arena rubra, sive coraliis quæ in eius fundo sunt. *Mare rubrum unde dictum.* Tertio, aqua omnis quæ iam hausta erat et continebatur in vasis ligneis, saxeis, testaceis, ferreis, aliisve conversa quoque est in sanguinem. Quarto, hinc consequens fuit, ut Ægyptii toto septiduo aqua potabili carentes siti maxima cruciarentur, et plerique morerentur: licet enim effossis canalibus sanguis e flumine defluens minus esset crassus, et in transitu per terram aliquid amitteret coloris, tamen erat verus sanguis: sicut cum nautæ vasa cerea in mare demittunt, ut per poros in ea penetrans aqua maris salsedinem amittat ex parte, tamen non est ita potabilis, sicut aliæ aquæ. Quinto, omnes pisces fluminis sunt mortui. Ut enim notat Abulensis, sanguis natura crassior et calidior, piscium temperamento adversatur. Hoc autem partim damnosum Ægyptiis, qui, ut ait Herodotus, victitant piscibus aut crudis ad solem arefactis, aut salsugine conditis: vel avi-

A bus, etc. partim ignominiosum, varia enim piscium genera adorabant ut deos, ipsumque crocodilum. Sexto, computrescentibus aquis et mortuis piscibus orta est pestis tanta, sicut dicit Philo, ut domestici non sufficerent ad mortuos sepeliendos. Sap. 11. 7. dicitur: *Pro fonte sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti iniustis.* Id est sanguinem humano similem, Græce αιματι λυθρωδει, hoc est sanguine cruento et sanioso, eos scilicet potasti. Quod Philo dixit ab Æthiopia fluxisse sanguinem, posset exponi, ita ut Æthiopia non comprehendatur.

Quæres, cur Nilus versus est in sanguinem? 153. *Nilus cur versus in sanguinem?* Resp. Primo, quia in eum proiecerant parvulos filios Hebræorum: ita Origenes. Secundo, quia Nilo pene divinos honores tribuebant, ut ait Plin. lib. 8. cap. 46. quod in Ægypto vix pluat, et Nilus sit causa omnis fertilitatis Ægypti. Philo lib. 1. de vita Mosis pag. 478. Quoniam, ait, Ægyptii aquam præ cæteris honorant, existimantes illam esse, αρχην ολων, *rerum omnium principium.* Tertio, quia erat hæc plaga terrifera et universalissima, atque prorsus insolita. B Martinus a Baumgarten tradit, vidisse se lacum ingentem Nilo contiguum, quem ferrent singulis annis cruoris in morem rubescere; *Lacus quotannis rubescens.* fortassis in memoriam huius plagæ Ægyptiæ. Vides sit penes auctores.

Quæres secundo, an pluviæ sanguineæ tunc ceciderint, 154. *Pluvia sanguinis an ceciderit in Ægypto.* cum dicatur, *Et imbres eorum ne biberent?* Resp. primo, id esse probabile, cum id clare hic dicatur. Iam enim alias notavi aliqua omissa a Mose recenseri a Davide, licet raro pluat in Ægypto, hæc tamen contigerunt: quia erant extraordinariæ illæ plagæ. Pluisse autem sæpe sanguine multi auctores referunt, sed est tantum aqua rubea extracta vi solis e terra eiusdem coloris, ac postea e nube recidens. Si vero pluit tunc sanguine Ægyptiis, arbitror fuisse verum sanguinem, id est aquam in nube versam esse in sanguinem, ut esset maior horror. Secundo, probabile etiam est per *imbres* intelligi rivos Nili et canales, quibus Ægyptii deducebant aquas Nili in suos agros et prata, ut illis eos rigarent. Nam in Hebr. est יאוריהם *ieorchem*, id est, C rivos eorum, sicut S. Hier. Felix et Arias vertunt.

Symbol. flumina sunt libri Scripturæ. 155. *Symbol. Scriptura quibus vertatur in sanguinem.* Ut enim ait S. Epiphan. in festo Palmarum pag. 253. tom. 2. In Ecclesia fons perennis est. In Ecclesia non Physon, Geon, Tigris, Euphrates: sed Matthæus, Marcus, Lucas, et Ioannes, qui Christi Ecclesiæ irrigant paradisum: ita ille. Mutantur sacra hæc divini fontis flucnta in sanguinem, cum carnaliter spiritualia intelliguntur: ita Beda in Psal. nostr. His, ait, qui sequuntur populum illum, et in Ægypto, id est in tenebris esse volunt, convertit Dominus flumina in sanguinem, hoc est doctrinam sacræ Scripturæ facit eis insipidam et impotabilem: scilicet ut de causis rerum non spiritualiter sed carnaliter sentiant: et quod spiritualiter factum est, carnaliter intelligant. Et hoc est converti, quod sapidum erat, in insipiditatem, sicut e contra aqua, quæ sine sapore est, in vinum, id est in saporem mutatur, cum littera legis spiritualiter intelligitur: hæc Beda. Paulo aliter Dionys. Carth. Convertuntur, inquit, flumina D eorum in sanguinem, dum sapientia eorum carnalis efficitur, et spiritualia ab eis carnaliter sentiuntur. S. Aug. serm. 8. de tempore: Sanguinem interpretatur doctrinas Philosophorum, quæ parvulos sensu decipiunt. S. Hier. Vana, inquit, Philosophorum verba, quæ in doctrinis Platonicis, Ecclesiæ parvulos interimebant, in ultionem divinam illis conversa sunt in cruorem, ut qui sanguinem fundebant, id est animas iugulaverant seducendo, sanguine deinceps potarentur: hæc Hieronymus.

Tropol. Ugo Card. flumina Ægypti quatuor constituit. 156. *Tropol. Flumina quatuor Ægypti versa in sanguinem.* Primo sapientiam. Secundo, opulentiam. Tertio, vanitatem. Quarto, voluptatem. Ista, ait, Deus convertit in sanguinem, id est in abominationem, in exitu de Ægypto, quando convertit hominem ad se: ita ille. Sed prius necesse est ut Aaron, id est Sacerdos a Deo missus, tangat aquas. Iuvabit sanctissima Deipara, quæ ut ait Richardus a S. Laurentio lib. 12. de laudib. Virginis, est virga Mosis, et precibus suis, meritis et exemplis, conver-

sis peccatoribus, et maxime dilectoribus suis, mundanas et carnales delectationes, quæ cito prætcrfluunt ut aqua, convertit in abominationem et amaritudinem: hæc ipse. Sed hæc tropologia non ita est conveniens: nam aquæ non sunt versæ in sanguinem Hebræis, sed Ægyptiis, hoc est, peccatoribus. Tunc autem fit, cum ex sapientia carnali, opulentia, vanitate, et voluptate oritur illis dolor et damnum.

157. Vers. 45. Secundo loco David, seu Christus hic loquens, refert quartam plagam Ægypti, nempe plagam muscarum omnis generis, v. 45. **Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos: et ranam, et disperdidit eos.** Pro *cœnomyiam*, Hebr. est ערוב *arob*, id est mistionem: quod Primo Rabbini Hispani, et Aben Ezra explicant de mistione multarum ferarum: v. g. leonum, leopardorum, tygridum. Sed Deus minutis animalibus Ægyptios domare voluit. Secundo, R. Salomon explicat de mistione serpentum, scorpionum, aspidum, et id genus animalium. Sed Moses fecisset illorum mentionem. Tertio, Vatab. et Fagius dicunt mistionem fuisse insectorum varii generis. Quarto, et optime, S. Hier. interpretatur omne genus muscarum. Aquila vertit, παμμυιαν, id est omnimodam muscam. Arias, apem, vespam et muscas reddit. Sept. nunc habent κυνομυιαν per υ, id est muscam caninam. Sic etiam habet S. Aug. hic, et Serm.

158. Muscæ caninæ. 2. in feria 4. post Dom. 4. quadragesimæ, Concil. Toletan. Syrus et Arabs, qui solent sequi Sept. musca porro canina non dicitur, quod canes infestet, ut vult Beda: sed quod sit molestissima, importunissima et impudentissima. Sic esset synecdoche, per unam enim speciem totum genus intelligitur. Sed S. Hieron. epist. 134. ad Suniam et Fretellam docet non esse scribendum *Cynomyiam*, per y, sed Cœnomyiam per œ, id est muscam communem, sive omne genus muscarum. Gravitas illius plagæ exponitur Exod. 8. 24. et Sap. 16. 9. ubi dicitur, occisos fuisse muscarum morsibus. In aures, nares, os, faciem omnesque partes corporis se ingerebant, summa cum importunitate et dolore. In equos etiam aliaque armenta sæviisse non est dubium. Explicare id possis variis cladibus illatis per muscas. Cardanus de subtilitate, lib. de animalibus, tradit, Myusclos olim Achaiæ populos cum iuxta mara habitarent,

159. Muscæ fugant Myuscios e sua regione. eorumque regio illius assiduo æstu repurgaretur, copia culicum ex arenis ex Menandro aggestis exurgente, coactos esse oppidum deserere. Me legisse memini blasphemum quemdam ab unico culice fuisse prostratum. Muscis immissis oratione S. Iacobi Episc. Nisibis, in exercitum Saporis regis Persarum, qui eam urbem obsidebat, soluta est obsidio, cum hæc animalcula nares equorum intrarent, et ad fugam eos impellerent. In Mesopotamia Leones ita infestantur a culicibus in oculos involantibus, ut aut se in fluvios perituri immergant, aut excæcentur. Ægyptii conati sunt has muscas flammis exurere, sed insigni miraculo durabant in mediis ignibus, ut habetur Sap. 16. 18. et 19. 20.

160. Muscæ quid denotent tropologice. Moral. Primo, S. Petr. Damiani ait, has muscas esse in rebus terrenis inquietos. Sic enim epist. 5. lib. 2. Ægyptiaca, inquit, muscarum ingruentium infestatione percellitur, dum terrenorum actuum inquietudine delectatur. S. Isidorus Episc. Hispal. in Exod. cap. 14. pag. 452. Ægyptus, ait, muscis percutitur, quia eorum corda, qui hoc sæculum diligunt, desideriorum suorum inquietudinibus feriuntur. Secundo, S. August. qui legit Cynomyiam, id est muscam caninam, caninos mores explicat, eorum qui nec parentes, cum nascuntur, vident: id est, clarius Beda exponit, qui nec parentibus suis aliquem exhibent honorem. Tertio, S. Hier. intelligit Cynicorum sectam, qui libidinem atque luxuriam summum prædicaut bonum. Quarto, muscæ sunt indociles et hebeti ingenio huc illuc sine profectu vagantes. Ut enim ait Plin. lib. 29. cap. 6. Nullum animal musca minus docile existimatur, minorisve intellectus: ita ille. Muscæ sunt scioli ignari, qui se ingerunt, et temere de fidei mysteriis loquuntur sine intellectu, in altaria involant nihil in iis præter fœtorem relinquentes. Quinto, Ugo Card. tria esse genera ait muscarum: nempe cyniphes, qui sunt muscæ subtiles et tumultuantes, muscam equinam, quæ dicitur vespa, ut muscam caninam. 1. Cyniphes qui e pulvere nascuntur, sunt subtiles terreni sensus, cogitationes et argutiæ. Exod. 8. *Sint cyniphes in universa terra Ægypti.* 2. Vespa est petulantia, quæ recalcitrare facit equum. Sap. 12. *Misit antecessores exercitus sui vespas.* 3. Canina musca est detractio. Isaiæ 7. *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti.* Sexto, Dion. Carth. hic exponit mores caninos, hoc est rabiem iræ, furorem impatientiæ, irreverentiam circa parentes atque prælatos. Septimo denique, Clem. Alex. lib. 2. pædag. cap. 1. pag. 143. Muscæ, ait, aptissime vocantur adulatores, gladiatores, et omne genus parasitorum. Ventris voluptate hi quidem rationem; illi vero amicitiam; alii autem vitam ipsam vendentes, super ventrem serpentes, belluæ hominibus similes, ad imaginem patris sui, edacis voracisque belluæ: hæc Clemens, qui addit eos iure dici ἀσώτους, hoc est prodigos, quasi ἀσώστους, id est sine saluta, vel a salute alienos.

Remedium duplex habemus contra has muscas. Primum est oratio. In templo Ierosolymitano, ut dicitur in Pirke avoth, neque fœtuit unquam caro sacrificata, nec conspecta fuit unquam musca in domo mactationis. Ferunt Romæ in ædem Herculis in foro boario nec canes, nec muscas intrasse. Mirum est, si verum, quod narrat Pausanias in Arcadicis, Eleos scilicet Myagro Deo sacrificare solitos, et sacro peracto nihil molestiæ intulisse muscas. Hoc paulo aliter memorat Plin. lib. 10. cap. 28. Invocant, inquit, Elei Myagron Deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente: quæ protinus intereunt, qua litatum est illi die. Et lib. 29. cap. 6. Mirabile est, Olympiæ sacro certamine, nubes muscarum, immolato tauro, Deo, quem Myodem vocant, extra territorium abire. Et lib. 21. cap. 14. ait, in monte Cretæ, Carina qui est ambitu novem mille passuum, muscas non reperiri, et natum ibi mel nusquam attingere, hoc experimento singulare medicamentis eligi: hæc Plinius. Quamdiu devotionis mel in oratione fluit, muscæ terrenorum desideriorum non sunt timendæ. 161. I. Oratio est remedium contra muscas.

Secundum remedium contra muscas est mortificatio. Si Abrahamo sacrificanti adhuc obstrepunt muscæ, manus adhibenda est. In domo mactationis apud Iudæos non repericbantur muscæ: ubi scilicet victimæ Deo offerendæ iugulabantur. Muscæ fugiunt asperos et amaros succos. Olaus lib. 22. cap. 1. Est, inquit, versus extremas Septemtrionis terras et aquas, maxima molestia grandiorum culicum, præsertim in punctura, et fastidiosissimo sono, quando in continua dierum ac noctium luce dormiendum est. Verum ad evitandam horum molestiam, Aquilonares *absynthio* utuntur, *aceto* perunclo ac tosto, et fumigato, ut eo gravi odore percepto aufugiant. Simili modo recedunt, *quando caput, cæteraque membra, decoctione absynthii asperguntur, vel rutæ, vel nigellæ, cum haberi queunt: vel atramento sutorio, permisto cum iunipero usto et fumigato*: hæc Olaus. 162. II. Est mortificatio.

Tertio loco David ponit secundam Ægypti plagam, nempe ranarum, v. eod. 45. **Et ranam, et disperdidit eos.** Plaga illa describitur Exod. 8. 2. ubi ait Moses Pharaoni: *Si nolueris dimittere populum, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis. ebulliet fluvius ranas, quæ ascendent et ingredientur domum tuam, et cubiculum lectuli tui, et super stratum tuum, et in domos servorum tuorum, et in populum tuum, et in furnos tuos, et in reliquias ciborum tuorum: et ad te, et ad populum tuum, et ad omnes servos tuos intrabunt ranæ.* Ubi nota primo locum, unde oriebantur, nempe Nilum: existimo etiam ex aliis rivis, lacubus, et stagnis prodiisse. Secundo, multitudinem. Philo lib. 1. de vita Mosis pag. 479. Ranarum, ait, tanta vis prorepsit, ut non tantum fora compleret, ac loca subdivalia: sed etiam domos villasque, et cuncta ædificia tam sacra quam profana, tam privata quam publica: haud secus ac si hoc genus aquatilium missum esset in diversi elementi coloniam, natura mutante rerum vicissitudines. Nam terra est aquæ contraria. Itaque cum nec foras progredi possent homines viis oppletis: 163. Vers. 45. 2. Pars. Ranæ Ægypti quales.

nec intus manere, refertis etiam intimis penetralibus, et ad summas quoque contignationes ranis obrepentibus, ad extremam calamitatem et salutis desperationem redacti sunt. Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 5. ait fuisse, πληθος απειρον, id est innumerabilem multitudinem. Tertio, variæ fuerunt species, nempe aquatiles ranæ, rubetæ a rubis, in quibus versantur, dictæ, quæ venenatæ sunt, bufones, et aliæ. Abulensis putat a Deo creatas magis tumentes, colore, membrorum mole et figura deformiores. Quarto, gravitas plagæ patet, quod Pharao, qui in sanguinis plaga penitus obduruerat, evocat Mosem et Aaronem, et petit tolli illas ranas. Et vero omnibus sensibus molestiam inferebant: 1. visui, deformitate; 2. auditui, molesta coaxatione; 3. gustui, se in cibos, ollas, discos, mensas inferentes; 4. odoratui, fœtore; 5. tactui, cum corpora hominum sedentium aut iacentium invaderant, ubique in lectis, intimisque penetralibus occurrerent, aut Deo eas ibi creante, aut angelis propellentibus, aut etiam portantibus. R. Iacob dicit, non esse veritas custodum enses ac vulnera. Non timebant etiam ignem, cum in furnos insilirent, ut mox dixi ex cap. 8. Exodi.

164. A ranis ex patria pulsi. Si quis hæc non credit, discat Primo, ab Eustathio Iliad. α. in Pæonia et Dardania olim ranis ita pluisse, ut præ multitudine illarum et fœtore novas sedes quærere incolæ sint coacti. Secundo, discat a Diodoro Sicul. lib. 3. pag. 161. Autariatas, a ranis in nube productis, et pro usitatis guttis, decidentibus, coactos esse patriam relinquere; et in locum, ubi nunc sedes habent, profugere. Idque accuratus hic auctor ex veris esse sumptum historiis asserit. Tertio, discat ab Orosio lib. 3. cap. ultimo, Abderitas a ranis patria sua esse pulsos. Quarto denique, discat a Plinio hoc etiam iu Gallia nostra accidisse. Sic enim lib. 8. cap. 29. *Nec minus clara*, inquit, *exitii documenta sunt etiam ex contemnendis animalibus. Marcus Varro auctor est a cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a Talpis in Thessalia: ab ranis civitatem in Gallia. pulsam a locustis in Africa: ex Gyaro Cycladum insula incolas a muribus fugatos, in Italia Amyclas a serpentibus deletas. Cytra Cynamologos Æthiopas late deserta regio est. a scorpionibus et solpugis (est formicæ venenatæ genus) gente sublata, et a scolopendris abactos Trerienses auctor est Theophrastus.* Scolopendra est animal e vermibus terræ, pilosum, multis pedibus. Vernacule vocamus *chenille*.

165. Symbol. Symbolice. Primo, ranæ sunt loquacissima vanitas: ita S. August. Secundo, ranæ sunt carmina poetarum, quæ per inflationem verbositatis, exterminationum fabulas intulerunt: ita S. Hieronym. Tertio, ranæ sunt luxuriosi in aquis lutosis coaxantes. In eam rem commode afferetur illud Plinii lib. 9. cap. 51. Mirum, ait, semestri vita *ranæ resolvuntur in limum*, nullo cernente, et rursus vernis aquis renascuntur, quæ fuere natæ, perinde occulta ratione, cum omnibus annis id eveniat: hæc Plinius. Quarto, Ugo Card. varii generis ranas refert. 1. Fluvius, ait, scientiæ naturalis ebullit ranas gymnosophistarum et curioso disputantium. 2. Fluvius sacræ Scripturæ, ranas hæreticorum. 3 Fluvius opulentiæ, ranas advocatorum. 4. Fluvius mundanæ sapientiæ, ranas poetarum. 5. Fluvius mundanæ voluptatis, ranas histrionum: hæc Ugo. Hæ omnes ranæ ex inferis oriuntur. Apocal. 16. 13. *Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore Pseudoprophetæ, spiritus tres immundos in modum ranarum.* Cave bonos advocatos et poetas in eo numero ponas, de rabulis et poetis perversis loquor.

Remedium contra has ranas est solus Deus, quem Philo lib. de sacrificiis Abelis et Cain fol. 109. agens de istis ranis vocat, μονον ιατρον ψυχης αρρωστηματων, solum medicum morborum animæ. Sed videndum est, ut simus Pharaone sapientiores, qui petens a ranis liberari, et Mose tempus liberationis liberum ei offerente, dixit *Cras*. Statim a te expelle loquaces et turpes.

166. Vers. 46. Quarto loco David ponit octavam Ægyptiorum plagam, nempe locustarum, v. 46. ET DEDIT ÆRUGINI FRUCTUS EORUM, ET LABORES EORUM LOCUSTÆ. Pro *ærugini*, Hebr. est חסיל *chasil*, id est bruchus, ut vertit S. Hier. Pagn. Felix: et explicat Bellarminus, qui dicit æruginem accipi hic metaphorice. Secundo et melius, sume æruginem in propria significatione, id est pro æris vitio, quod Plinius lib. 18. cap. 17. vocat cæleste frugum vinearumque malum. Est enim ærugo insidentis segetibus humoris putrefactio, quo vitio spicæ marcidæ fiunt, et in pulverem fœtidum confriatiles. Nec unquam reperi ερυσιβην, qua voce usi sunt Septuaginta, aut æruginem significare bruchum, licet Hebr. *chasil*, illum etiam significet. Immissioni autem locustarum mistam fuisse æruginem proprie dictam, quæ etiam uredo nominatur, quia segetes adurit, patet ex cap. 10. Exod. v. 13. ubi dicitur: *Mane facto ventus urens levavit locustas:* e mari rubro scilicet; ventus autem urens fuit Eurus ventus ab Orienta flans. Vento urenti iungitur aurugo sive ærugo Amos 4. 9. Aggæi 2. 18.

Quod ad locustas spectat, plaga illa refertur Exod. 10. 14. *Locustæ ascenderunt super universam terram Ægypti, et sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt. Operueruntque universam superficiem terræ, vastantes omnia: devorata est igitur herba terræ, in cuncta Ægypto.* Ubi notanda est, Primo, multitudo innumerabilis. Secundo, clades segetibus illata. Tertio, pernicies ipsis hominibus fuerunt. Nam Sap. 16. 9. dicitur: *Locustarum morsibus homines esse occisos.* Plin. lib. 11. cap. 29. locustas vocat Deorum pestem: Grandiores, inquit, cernuntur, et tanto volant pennarum stridore, ut aliæ alites credantur, solemque inumbrant, sollicite spectantibus populis, ne suas operiant terras, longinqua maria transeunt, continuata plurium dierum fame, ut externa pabula petant, dira messes contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia vero morsu erodentes: hæc illo. Hæc locustarum plaga etiamnum sæpe accidit in Æthiopia Abassinorum, ut refert noster Petrus du Iarric, eam semel precibus avertit Oviedo Patriarcha sanctissimus. In Europa dictam cladem a locustis illatam refert Aventinus lib. 4. annalium Boiorum anno 852. Grandiores, ait, solito locustæ, pollicem viri æquantes, ab oriente externa pabula quæsituræ occiduum solem versus, tanto stridore pennarum pervolarunt, ut aliæ alites crederentur, solemque per quinque millia passuum obumbrarent: dira messes contegebant nube, multa contactu adurentes, omniaque morsu erodentes, cortices quoque arborum atque fores tectorum: *centum quinquaginta iugera uno die depasta fuisse proditur, viginti millibus passuum uno die aera, instructa acie, compositisque ordinibus ferebantur*, terræ incumbentes castra faciebant. Duces cum paucis itinere unius diei præcedebant agmen, quasi loca opportuna castris capturi. Eadem hora, qua antecursores pridie venerant, universæ copiæ postridie aderant. Ante ortum solis, a loco, cui insederant, non movebantur: orto sole demum per cohortes suas proficiscebantur: Germani inopiæ metu ad divina remedia confugere coacti. Tandem illæ a vento sublatæ in Oceanum Belgicum sublatæ sunt, reiectæque æstu ad continentem, fœtore corruperunt aerem, unde dira pestilentia consecuta est. Haud absimilis calamitas Galliæ contigit, quam refert Scipio du Pleix in histor. Franciæ, Sigebertus, Regino, atque Otho Frisingensis. Anno enim Christi 874. sicut memorant, immensa locustarum multitudo, quæ aliis maiores erant, senis alarum remigiis volitabat ab Oriente, cum senis pedibus, ac duobus dentibus durissimis totam pene devastavit Galliam Augusto mense. Et quod mirum est dictu, tanto ordine volitavit, præmissis ducibus, qui pridie castra metarentur, ut militaris disciplina in iis animalibus cerneretur. Ita segetes depascendo detondebat, ut nihil reliquum esset. Volitabat diurno itinere, quatuor aut quinque millia passuum. Delata ad mare Britannicum, cum totam pene terræ superficiem obrueret, violento ventorum flatu in profundum delata est universa locustarum copia, et submersa. Sed refusione oceani in littora reiecta congeries, putredinem aeris ex fœtore peperit. Unde fin{}itimis magna nata est fames, quam

167. Locustæ Ægypt. quales.

Locustarum agmina.

comitata est ingens pestilentia, qua tertia pars hominum fertur absumpta.

168. Symbol. Ærugo quid? Symbol. ærugo est occulta superbia: ita S. August. hic: Rubigo, ait, occulte nocet, quam etiam æruginem nonnulli interpretati sunt, alii caniculam: quod malum, cui vitiorum aptius comparatur, nisi quod difficillime apparet, sicut est multum de se fidere? Aura enim est noxia, quæ hoc in fructibus latenter operatur, sicut in moribus occulta superbia, quando se quisquam putat aliquid esse, cum nihil sit. In eadem opinione est Dionys. Carthus. qui ait, per hanc latentem arrogantiam cordis omnium operum bonorum fructus dissipari. Secundo, S. Hieron. per æruginem intelligit luxuriam: in æruginе, inquit, sive canicula, fornicationis forma monstratur. Nam sicut hæc lento repens conamine crudelissime arborum fructibus insidiatur: ita et hæc blande alliciens homines, iniquis eos atque occultis morsibus suavissime vorat.

169. Ac locustæ. Locustæ vero, symbolum sunt Primo, inconstantis animæ: locusta enim huc illuc saltitat. Ita S. Isidor. in Exod.

I. cap. 14. pag. 452. Locustæ, ait, pro mobilitate levitatis accipiendæ sunt, tamquam vagæ et salientes animæ in sæculi voluptates: ita Isidorus. In proverbio, dicitur habere cerebrum locustæ, qui sibi parum constat, sed ab una re ad aliam transilit. Hinc Lucian. in dialogo, qui dicitur Iupiter Tragœdus, sic loquitur: Neque tantum habeamus mentis, aut cerebri, quantum habent locustæ.

II. Secundo, locustæ mordent, at Ægyptiacæ morsu necabant homines, ut iam dixi. S. August. per eas sumit falso testimonio mordentes. Locusta, inquit, est malitia ore mordens, infideli scilicet testimonio. Et serm. 2. feria 4. post Domin. 3. quadrag. Superbia, inquit, hominum malignorum, qui se invicem falsis testimoniis et proditionibus persequuntur. Beda pro more S. August. adhæret. Dionys. Carth. ait locustas esse detractores. De illis dicit Nahum cap. ult. 17. *Custodes tui, quasi locustæ; et parvuli tui, quasi locustæ locustarum.* De hac plaga possis dicere quod Pisidas in Hexaem. pag. 415. dicit de locustis Ægyptiis, quas nominat μυριος ομον ξιφος, id est gladium habentem mille ora.

III. Tertio, in locustis considerat S. Hier. quod carent rege, et per eas intelligit discordes. In locusta, inquit, humani generis discordia confutatur: quæ cum sine rege ducat exercitum, humanum genus semper dissidet ac discordat.

IV. Quarto, locustæ teneras plantas depascuntur; tales sunt adulatores. S. Greg. 3. Mor. 20. Quid, ait, locustæ portendunt, quæ frugibus nocent, nisi linguas adulantium; quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc immoderatius laudando corrumpunt? ita ipse. Sed tunc præsertim sunt noxii, cum alios carpunt, ut potentioribus blandiantur: nam omnes fugant, et loco excedere compellunt. Cedrenus tradit, quosdam occidentales populos ob locustarum multitudinem coactos esse e patria sua exire, ob inopiam liberos vendere, et in Thraciam migrare anno 6. Romani Argyropoli Imperatoris: quibus Imperator singulis tria dedit numismata, et domum redire compulit. Interim ventus locustas in Hellespontum abiecit, ubi submersæ sunt. Idem faciendum esset his aulicis locustis, quæ optimos quosque adulatione et detractione perdunt.

V. Quinto, locustæ non volant, nisi in exitium populorum, ideo iis hæreticos comparat Rupertus. Volare, inquit, se putant pennis scientiæ, sed procul dubio per inane tolluntur vanto diabolicæ superbiæ ad subversionem audientium. Barradius noster in itinerario plura cum illis parallela ostendit: 1. locustæ ventrosæ sunt; 2. locustæ vi sua non volant, sed saltant; 3. agros corrodunt; 4. regem non habent. Ventri student hæretici: scioli sunt, sed tamen cælestia non attingunt, animas perdunt, ducem unum et caput non habent: hæc ille. Adde, eos regum ut plurimum osores esse, et ad omnimodam libertatem aspirare, ut nunc patet in Anglia ubi captivum regem tenent. De illis dicetur vere, quod Ioannes habet in Apocalypsi cap. 9. 2. *Ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, et obscuratus est sol, et aer de fumo putei, et de fumo putei exierunt locustæ in terram.* Cromarus lib. 12. anno 1335. ait, tantam locustarum multitudinem pervagatam esse Poloniam, *ut volantes solis aspectum hominibus adimerent:* humi vero stratas equorum ungulas crassitudine superasse: indeque angustiorem annonam factam esse. Et lib. 28. tradit anno 1475. Siradiensem et Leuciensem oram, atque Masoviam locustarum vim ingentem ex Hungaria, Moravia et Silesia advenientem, pervagatam esse, et non modo segetes atque prata, verum etiam arborum frontes depastam, continuatis ad sesquimilliarium in latitudinem, et alterum tantum in longitudinem examinibus, concurrentibus inter se nonnunquam, et solis aspectum densitate sua terræ adimentibus.

Sexto denique, locustæ virorem herbarum depascunt, VI. sed radices non tollunt, ideo symbolum sunt peccatorum venialium. Remedium est Primo, occurrere malo nascenti. Plin. lib. 11. cap. 29. *In Cyrenaica*, inquit, *regione lex est, ter in anno debellandi locustas, primo ova obterendo, deinde fœtum, postea adultas, desertoris pœna in eum qui cessaverit.* Et in Lemno insula certa mensura præfinita est, quam singuli enecatarum ad magistratus referant. Gracculos quoque ob id colunt, adversu volatu occurrentes earum exitio. Necare et in Syria militari imperio coguntur. Secundo, mortificatione opus est. Acridophagi locustas negant fœni multi fumo, ut ait Diodor. Siculus lib. 3. pag. 113. et iis vescuntur, unde illis est nomen inditum. Tertio denique, cum malum increbuit, et vinci non potest resistendo, lacrymis et compunctione opus est. Baronius anno 885. tradit ex Anastasio Bibliothecario, tunc tanta copia locustas grassatas esse in Italia, ut totam patriam pena consumi omnes dolerent. Stephanus Papa divulgavit, ut si quis de locustis unum sextarium caperet, et sibi attulisset, quinque vel sex denarios ab eo acciperet. Sed cum id tanto malo non satis mederetur, aquam benedixit, quæ ubicumque aspersa est, nulla penitus locusta remansit. Aqua benedicta est lacryma pœnitentis, in animas omnem benedictionem effundens, et omnem ab ea pestem eliminans.

Quinto loco statuit David septimam plagam grandinis, v. 47. Et occidit in grandine (id est grandine) vineas eorum, et moros eorum in pruina, id est pruina. Hebræi enim nomen instrumenti ponunt in ablativo cum præpositione, ut sæpe moneo. Vers. 47.

Et vers. 48. Et tradidit grandini iumenta eorum, et possessionem eorum igni. Cum iam linum et hordeum in Ægypto ita se extulissent, ut in calamos assurgerent, qui grandine dissecarentur, ac dissilirent, dixit Deus Mosi, Exod. 9. 22. *Mitte manum tuam in cælum, ut fiat grando in universa terra Ægypti super homines, et super iumenta, et super omnem herbam agri in terra Ægypti. Extenditque Moses virgam in cælum, et Dominus dedit tonitrua et grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti, et grando et ignis mista pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in universa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est.* Id est, ex quo terra Ægypti cœpit habitari post diluvium, et ex quo posteri Noe ad eam terram profecti illam incoluerunt: et gentis Ægyptiacæ, duce Mesraimo filio Cham, nepote Noe, auctores et parentes fuere. Fuit autem hic ann. 612. a divisione gentium, quam diximus contigisse anno 275. a diluvio. Sed pergit Moses: *Et percussit grando in omni terra Ægypti, cuncta quæ fuerant in agris, ab homine usque ad iumentum, cunctamque herbam agri percussit grando, et omne lignum regionis confregit.* Hæc Moses, quibus similia in Psalmis et sapientia Salomonis recitantur, aut etiam supplentur. Ita Salianus anno mundi 2544. Mosis 81. ubi addit, septimum hoc Dei flagellum septem finibus seu ioris in Ægyptum sæviisse. Primo, tonitribus immensis. Secundo, fulguribus. Tertio, grandine, pro qua sapiens nivem usurpavit glaciem: quia grando cum nive albedinem, cum glacie duritiem communicat; vel

Vers. 48. 170. Grando maxima in Ægypto.

quia grando sicut nix, in magnos cumulabatur acervos.
Quarto, igne, sive fulmine. Quinto, pluvia. Sexto, vento-
rum procellis. Septimo, terræ motibus et hiatibus. Effe-
cta illius grandinis fuerunt quatuor. Primum, cædes ho-
minum et iumentorum repertorum in agris. Secundum,
clades segetum, præsertim hordei et lini. Tertium, con-
fractio omnium arborum in tota Ægypto. Quartum, do-
morum et plurimorum templorum ruina per terræmotus,
ut ait Artabanus.

171. Quanta fuerit hæc clades, colligi potest ex fertilitate et
Ægyptus pulchritudine Ægypti, cuius segetes et arbores grando
est imago vastaverat. Hermes Trismegistus dicebat eam esse imagi-
cæli. nem cæli. Sic enim apud S. August. lib. 8. de civ. c. 23.
loquitur: *An ignoras, o Asclepi, quod Ægyptus imago sit
cæli: aut, quod est verius translatio aut descensio omnium
quæ gubernantur aut exercentur in cælo: ac si dicendum
est verius, terra nostra mundi totius est templum.* Tunc
autem illud cælum in inferos mutatum fuit, ubi horror et
tetra rerum facies, ignesque ac tormenta. David porro di-
cit, vineas esse occisas, animam enim habent, non sen-
sitivam obtusiorem ut voluit Anaxagoras, et Empedocles,
ac Plato ipse: nec rationalem, ut volebant Manichæi.
Quod de omnibus plantis asserebant, S. August. lib. de
quantitate animæ cap. 33. vocat rusticanam impietatem,
opinionem eorum qui dant sensum arboribus, et ait esse
magis ligneam, quam sint ipsæ arbores quibus patroci-
nium præbet; et quæ credit dolere vitem, quando uva de-
cerpitur. Noster Ludovicus de la Cerda illud 4. Georgicon,
interfice messes, illustrans docet exemplis verba necandi,
enecandi, moriendi, demoriendi, intereundi, occidendi,
expirandi, et interficiendi usurpare de herbis, fruticibus,
arboribus.

172. Nota, pro *moros*, Hebr. est שקמות *scikmoth*, id est
sycomoros, ut vertunt S. Hieron. Flamin. Felix, et alii.
Componitur συκομορος ex συκη, id est ficus: et μορεα, id
Morus est morus: vocaturque aliter inverse *morosicus:* necnon
Ægyptia. *Ægyptia ficus,* vel etiam *morus Ægyptia*, utpote non val-
de moro nostrati dissimilis. Qui fatuam ficum vocant, quo
pacto et Syra editio Luc. 19. 4. insipidam, deducunt e
Sycomo- μωρος, id est stultus. Plin. lib. 16. cap. 25. vocat ficum
rus. sapientissimam arborem, quod nonnisi exacto frigore ger-
minet. Sic dicetur per antiphrasim, q. d. Non stulta. Sept.
Sycami- hic, συκαμινους: sed Sycaminus est eadem arbor cum sy-
nus. comoro, et in Ægypto provenire docet Theophrastus l. 4.
hist. plant. cap. 2. eadem illi quæ συκομωρῳ, tribuit Dio-
scorides lib. 1. cap. 182. et Phænias apud Athenæum,
lib. 2. Ficus Ægyptia est admodum procera arbor; tan-
tæque fœcunditatis, ut uno anno septies fructum ferat,
sicut tradit Ruellius; et si unum decerpseris, alter con-
tinuo pullulet. Provenit maxime in aggeribus Nili, quos
colligat radicibus, et adversus inundationes munit; ita
ut, quod scribit Ruellius ex Ulpiano, graviter in eos ani-
madverteretur, qui in Nili ripis exscinderent Sycomoros.
Quare, iure merito de hac arbore tam celebri in Ægypto
hic fit mentio. Synecdochice tamen in hac et in vinea re-
liquæ arbores intelliguntur: omnes enim confregit gran-
do, ut patet ex loco Exodi a me citato.

173. Nota secundo, pro *pruina*, Hebr. est חנמל *chanamal,*
quæ vox semel tantum in Scriptura reperitur, nempe hoc
loco: unde mirum est Hebraizantes aliter vertere, quam
Septuag. eruditissimos viros, quos secuti sunt S. Hieron.
et Aquila: nam S. Hieron. vertit, in frigore. Aquila, ἐν
κρύει, id est in gelu. Syr. et Arabs, in glacie seu gelu.
Enthymius, πάχνην, qua voce usi sunt Septuag. confici
docet, et concrescere ex grandine. Auctor libri de mundo
existimatus Aristoteles definit, δρόσον πεπηγυῖαν, rorem
concretum. Hesychius, παχεῖαν, id est densum, vel πεπηγυ-
μένον ὕδωρ, hoc est, concretam aquam. Plin. lib. 2. c. 60.
Pruina. rorem gelidum. R. Sadaias *chanamal* hic vertit, glaciem
fortem. R. David, grandinem. R. Abraham, lapidem gran-
dinis. Noster, *pruinam.* Est autem pruina dicta a peruren-
do: quod fruges et virgulta perurat. Ex rore gelido nasci-
tur, nec fit, nisi immoto aere et sereno. Vernacule voca-

A mus *pruine.* Virgil. 2. Georg. vocat, gelidam. Mirum por-
ro erat in Ægypto regione calidissima gelu et pruinam
reperiri, quæ fruges vastaret atque ipsas moros tardissi-
mas arbores. Reiiciendus est R. Chasen qui *chanamal* ver-
tit *locusta;* et Pagn. qui vertit, *locusta et bruchus.*

Quod vero spectat ad grandinem, Baronius anno 882. 174.
num. 19. refert miræ magnitudinis cecidisse, et quidem Grando
tantæ, ut pollice et digito medio non posset circumdari. magna quando
Aimoin lib. 5. cap. 61. rem narrat his verbis: *Mira res,* cecidit.
ait, et stupenda obsidentibus Francis, obsessis a Carolo
Nortmannis quadam die occurrit. Nam 12. Calend. Au-
gusti post medium diem tenebrosa subito caligo tota ca-
stra operuit, fulgure et tonitru concrepante, et talis gran-
do ut nullus ante mortalium se tale quid vidisse profite-
retur: non ut solitum est, lapides descendere plena et æ-
quali superficie, sed cornuta, et inæquali, et aspera fa-
cie, omnibus cernentibus insolitum et magnum præbuit
spectaculum, mirabile et incredibile dictu, *ut vix grossi-
tudo eorum potuerit pollice et digito medio circumdari.*
B Nam et ita equi stupefacti fuerunt, ut effractis sudibus et
habenis, partim extra castra, partim in castris, errore et
stupore verterentur. Civitatis quoque quam obsederant,
propter impetum aeris, magna pars corruit, ita ut una
cohors coacervatim posset equitando ingredi, nisi vallo
quod circum erat, suspensa constaret: ita ille. Salutaris
hæc fuit grando. Francorum enim Annales referunt, hanc
fuisse maximam iucundæ pacis occasionem. Hæc est Dei
voluntas, ut ex afflictionibus profectum capiamus. Illu-
stre est, quod de grandine refertur crucis signo notata et
visum monacho reddente. Chronicon Cluniacense habet,
quod Hugonis tempore anno eius quarto, apud Cremonam
facta est tempestas maxima, *cecidit que lapis grandinis,* Grando
in quo erat crux et imago Servatoris expressa. Desuper prorsus
quoque litteris aureis scriptum, Iesus Nazarenus, Rex Iu- mirabilis.
dæorum. Et cecidit in Monasterio S. Gabrielis. Et de aqua
de qua liquefactus est lapis, inunxerunt monachi oculos
cuiusdam fratris semicæci, qui statim clare vidit: ita ibi.
C Quoties aliqua calamitate, velut grandine, percuteris, ibi
crucem esse Domini, ipsumque Iesum existima: manum
paternam et pectus osculare, et crucem Iesumque oculis
opprime, ut videas; et cordi, ut eius amore incalescas.

Symbol. Primo, ut ait S. Augustinus: Grando, est ini- 175.
quitas res alienas auferens: unde furta, rapinæ, præda- Symbol.
tionesque nascuntur: plus autem vitio suo vastatur ipse
vastator: ita ipse. Secundo, commode sumetur pro puni-
tione peccatorum, cum bona furtis et rapinis parta Deus
repentina clade aufert. Tertio, iumenta quæ grandine occi-
duntur, sunt, 1. corpora quæ luxuria corrumpit: ita Augu-
stinus; 2. uxores, cum vilescunt viris: ita Beda; 3. sub-
diti, quos opprimunt Prælati: ita Ugo.

Pruina est frigidus quidam ros nocturnus, et designat
latens odium, quando tenebris stultitiæ, veluti nocturno
frigore dilectio proximi congelascit in nobis. Per quos
morus, id est fructus dilectionis proximi, quicumque esse
deberet, in nobis perit. Recte ergo per morum, cuius fru-
ctus rubicundus est, dilectio proximi designatur: quæ in
D tantum valere debet in nobis, ut animam pro fratribus
ponamus, et sanguinem effundamus. Hæc Beda, dilatans
explicationem S. Augustini. Dionysius Carthus. *Odium,*
inquit, *est frigus, et congelatio spiritus, sicut dilectio est
ignis, et liquefactio mentis.*

Ignis in Ægypto denotat immanitatem iræ, ut explicat
Augustinus: avaritiæ æstum, ut Dionysius Carthusianus.
Ignis hic cælestis erat, nempe fulmen, et iram Dei signi-
ficat. Notabile est, quod ait Sigebertus in Chronico, anno
823. Refert enim in Friehsaxio Saxoniæ pago, *tres et
viginti vicos fulmine afflatos conflagrasse,* fulgura cælo
delapsa præter solitum, damos de cælo tactas, homines
et pecora extincta esse, grandinem, calamos frugum com-
minuisse, lapidibus pluisse. Plin. lib. 2. cap. 52. ait, Vol- Mira cru-
sinii oppidum Thuscorum opulentissimum, totum concre- delitas in
matum esse fulmine. Catecu-
Per ignem deiectum in Ægyptios potest denotari ignis no.

inferni exurens corpora peccatorum. Petrus de Iarrie. lib. 2. histor. Ind. cap. 14. pag. 459. ait, in regno Calecutii solere quotannis in novilunio mensis Octobris festum solemne celebrari, in memoriam victoriarum, quas Pagodes suos reportasse credunt. Tunc rex obligatur curare ignem immitti in ædes alicuius ex subditis, quem Brachmanes elegerint, qui hostes suos ad id designant. Domus et omnis supellex aliaque, et homines ac pueri concremantur, neque est qui præsidio esse possit, aut quidquam subducere: hoc enim est anathema, illudque incendium nominant sacrificium ignis et sanguinis: ita Iarrius. In eo est crudelitas quod innocentes cum reis nullo discrimine puniunt. Deus vero quemque plectit pro suo scelere et domum eius, id est corpus, exurit cum tota membrorum et sensuum familia, sed pariter scelerata.

Sexto denique loco refert David gravissimam Ægypti
Vers. 49. plagam, nempe mortem primogenitorum, v. 49. MISIT IN EOS IRAM INDIGNATIONIS SUÆ (S. Hier. iram furoris sui, id est iram furentem. Est prosopopœia, qua inducitur ira Dei vel ut dux gladio stricto obvia quæque demetens) INDIGNATIONEM, ET IRAM, ET TRIBULATIONEM, IMMISSIONEM PER ANGELOS MALOS.

Vers. 50. Vers. 50. VIAM FECIT SEMITÆ IRÆ SUÆ (S. Hieronym. munivit semitam furori suo. Felix, direxit semitam iræ suæ) ET NON PEPERCIT A MORTE ANIMABUS EORUM (Pagn. non prohibuit a morte animam eorum: id est eorum vitam) ET IUMENTA EORUM IN MORTE CONCLUSIT. S. Hier. pesti tradidit.

Vers. 51. Vers. 51. ET PERCUSSIT OMNE PRIMOGENITUM IN TERRA ÆGYPTI, PRIMITIAS OMNIS LABORIS EORUM (S. Hieron. principium partus. Pagn. principium fortitudinum) IN TABERNACULIS CHAM, id est in Ægypto, in qua probabile est habitasse aliquamdiu Chamum filium Noemi, illique præfecisse Mesraim filium suum, unde Hebraice Ægyptus vocatur Mesraim. Hic autem vocatur tabernaculum Cham, ut ostendatur perversitas Ægyptiorum, imitantium avum suum sceleratissimum; quia, sicut ille patrem suum derisit, ita Ægyptii Deum suum; 2. sicut ille fratrum monita contempsit, ita Ægyptus præces et monita Mosis et Israelitarum; 3. sicut ille fuit idololatra, ita Ægypti idolis addictissimi; 4 sicut ille magnus extitit, ut ait Berosus Annii, qui ideo vult dictum esse Zoroastrem: ita Ægyptii plerique erant incantatores, et eos Pharao opposuit Mosi et Aaroni. Videtur, ait Corn. in Gen. c. 10. quod Cham filius Noe, et pater Mesraim, primus incoluerit Ægyptum, regnumque Ægypti administraverit: qua de causa Saturnus Ægyptius est appellatus, ut docet Berosus l. 4. et 5. et Diodor. l. 1. Patri Cham successit filius Mesraim, quem Berosus et ex eo Annius Viterbiensis, putant fuisse eumdem cum Osiri, qui fuit celeberrimus Ægyptiorum rex et Deus, uxoremque habuit Isidem. Favet huic opinioni cognatio vocum Mesraim et Osiris, si ad Hebræam originem deducantur: abiectis litteris servilibus, in priore *mem*, in secunda *aleph* cum *scholem*, tunc enim Mesraim est Osiris: ita ille.

Cham primus rex Ægypti. Deinde Mesraim.

176. Nota, Euthym. Caietan. Trevetus putant hic agi tam de quinta plaga pestis animalium, quam de plaga decima mortis primogenitorum. Secundo, Genebrardus vult agi de quinta et decima plaga, ac præterea de sexta ulcerum, vesicarum turgentium in hominibus et iumentis. Tertio denique, probabilius est, agi solum de plaga ultima, quæ fuit clades primogenitorum tam in iumentis quam in hominibus: sed illam cladem amplificat: 1. quod facta sit a Deo maxime irato; 2. per angelos malos; 3. nulli parcendo; 4. iumenta ipsa occidendo; 5. primogenitos, qui sunt parentum primitiæ, perimendo.

Primogenitorum cædes.

Quæres primo, quinam sint illi angeli mali? Resp. primo, S. Hier. cap. 24. Isaiæ, Rupert. lib. 2. S. August. in Ps. nostrum, Abulensis in Exod. et alii, angelos illos malos, percussores Ægyptiorum fuisse dæmones. Rabbini consentiunt. Quæ in tenebris, inquiunt, immittuntur ma-
1. lo, recte demandantur malis spiritibus, quoniam ipsi sunt
2. spiritus tenebrarum. Hinc in Ps. 130. scriptum est: In ea nocte reptat omnis bestia sylvestris: ita illi. Secundo, Cornelius a Lapide, Lorinus, Iansen. Pererius, Caietan. Liponradus, aliique censent angelos percussores Ægyptiorum fuisse angelos bonos et sanctos: dici vero malos ab effectu, q. d. Malum inferentes. Nec novum est, ait Salianus, aut insolens in Scripturis, per bonos angelos vexari improbos, aut puniri. Angelus erat, qui prævaricatorem Adamum paradiso exclusit, cum gladio flammeo atque versatili. Angeli Dei erant, qui Sodomitas, et Gomorrhæos demisso cælitus incendio perdidere. Angelus erat, qui Davidis curiositatem et Assyriorum superbiam, Deique contemptum, tanta cæde castigavit. Angelus erat, qui Herodem sibi divinum aliquid arrogantem viventem, vermibus excarnificandum dedit. Angelus est, atque angelorum princeps, qui omnium mortalium scelestissimum Antichristum aliquando profligabit ac perdet. Quid ergo mirum Ægyptios, cruentissimos populi Dei, sanctis angelis peculiariter commissi, vexatores, ab iisdem angelis hac ipsa plaga, et superioribus omnibus contrucidatos? Hæc Salianus probabiliter.

An a bonis an a malis angelis puniti Ægyptii.

Tertio tamen, et commodius, dicetur huic plagæ præpositum fuisse unum bonum angelum, v. g. Michaelem præsidem synagogæ Iudæorum, qui ideo singulari nomine vocatur percussor Exod. 12. 23. Eum vero angelum bonum imperasse dæmonibus, ut strages primogenitorum ederent: sicut alias visum est, cum angelus bonus dæmonem ducens per vicos Constantinopolis, imperabat, ut fores domorum præfinitis ictibus perculeret, et pro ratione ictuum totidem peste mortui reperiebantur die sequenti in illis domibus. Hic modus videtur bonis angelis honorabilior, et divinæ providentiæ convenientior: dæmones enim, ut ait S. August. in Psal. nostro, sunt militiæ cælestis carnifices. Chald. hic vertit, dæmones malos. Psalt. Illyricum, quod S. Hieronymi esse creditur, angelos rabidos. Arabs, angelos malitiæ. Ubi adverte, multos fuisse, ut indicat psalmus, et hoc suadet distantia locorum: nam nulla fuit domus in Ægypto, in qua non iaceret mortuus: et temporis brevitas: nam omnes percussi sunt circa mediam noctem, cum medium silentium tenerent omnia, Sap. 18. 14.

III. Et optime.

Quæres, quænam fuerunt illæ *immissiones* per angelos malos? Resp. Cornelius in primam ad Cor. 10. v. 10. esse plagas a Mose inflictas. Sed non agitur in eo versu nisi de plaga decima. Secundo itaque, per illas *immissiones* intellige visiones et spectra terrifica illis Ægyptiis oblata per dæmones, eum dormirent paulo ante cædem primogenitorum. Ut enim dicitur Sap. 18. 17. *Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos, et timores superaverunt insperati. Visiones enim quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant: ne inscii, quare mala patiebantur, perirent. Et alius alibi proiectus semivivus, causam mortis, propter quam moriebatur, demonstrabat.* Itaque et parentibus et ipsis liberis illa visa obiecta sunt. Quam terrifica autem fuerint, collige ex eo, quod refert Zonaras tom. 3. Annal. in Isaacio Comneno, qui ex Thracesio ait: Isaacio illi circa Neapolim venanti visum esse, συν την θεαν φρικτον, aprum horrendum aspectu, quem dum laxatis ex equo habenis persequeretur, in mare demersum evanuisse, et a plerisque non aprum, sed φαντασμα τι δαιμονιον, *spectrum quoddam diabolicum*. extitisse: atque interim, fulgore quodam, instar fulguris, perstrictum Imperatorem, equo præ terrore excussum, et spumam ore reiicientem, humi attonitum iacuisse, atque inde navi piscatoria in Regiam revectum, cum paulisper ægrotasset, iam desperatum, raso capillo, et purpuræ loco aspera lacerna sumpta, atque Constantino Duca Imper. designato, in Studiense monasterium se contulisse, ubi recuperata etiam valetudine, vitæ reliquum exegit: ita ibi. Dæmonis proprium est nocere, Dei vero ex illatis malis salutem animæ parere. Cromerus lib. 9. histor. Polonicæ refert: in Cracoviensi tractu ad lacum quemdam peramplum, infestatione dæmonum piscationibus et usibus hominum exemptum, et hyberna glacie concretum, vicinos cum sacerdotibus vexilla, cruces, et reliquias sacras, quibus vis dæmonum propul-

177. Immissiones per angelos malos quæ.

Visio terrifica Isaaci Imper.

Horrenda monstri piscatio. saretur, ferentibus, piscandi gratia convenisse anno 1278. Immisso autem reti primo quidem tractu, contendentibus piscatoribus, tres pisciculos: altero, nihil nisi rete convolutum; tertio denique, monstrum horrendum caprino capite, et in speciem ignis ardentibus oculis extractum esse. Territis autem ac diffugientibus cunctis, spectrum illud sub glaciem sese immersisse: ac toto lacu discursans, terribilem strepitum ac sonitum edidisse: afflatosque ab eo nonnullos homines, fœda ulcera retulisse.

178. Primogeniti qui nam occisi. Quæres secundo, quinam inter primogenitos in hac plaga occisos censeantur? Resp. Primo, certum est intelligi omnes mares, qui erant primogeniti adhuc sub tutela parentum positi, tam in domo ipsius Pharaonis, quam ancillæ pistrinariæ, ut loquitur Philo. Secundo, certum mihi videtur non intelligi fœminas primogenitas: nam ubique in Scriptura fit tantum mentio masculorum, sicut Hebræorum masculi fuerant occisi ab Ægyptiis. Tertio, certum etiam videtur eos non esse occisos, qui non erant vere primogeniti, sed in iura primogenitorum succedebant, licet aliter censeat Caietanus. Quarto, probabile est omnes omnino primogenitos esse peremptos, sive essent sub tutela parentum, sive ab ea iam exempti essent. Nam Exod. 12. 30. dicitur: *Neque erat domus, in qua non iaceret mortuus*, quod verum esse non potest, si per primogenitos intelligantur tantum ii, qui erant adhuc in domo parentum, et sub eorum cura. Abulensis itaque in Exod. recte dicit: *Sciendum, quod non solum vocantur hic primogeniti filii familias, qui sunt sub custodia patrum suorum, et primo nati sunt: sed omnes homines in Ægypto, sive senes, sive iuvenes, sive habentes tunc patres, sive non habentes, qui apud patres suos primogeniti fuerunt, et sic multi senes centum, aut plurium annorum mortui sunt in Ægypto, quia primogeniti erant: etiam contingebat ut in eadem domo moreretur pater et filius, quia uterque erat primogenitus. Nam filius erat primogenitus patri suo, et pater eius alteri patri suo primogenitus extitit*: hæc Abulensis. Fortasse etiam primogeniti sunt occisi, sive essent primogeniti respectu utriusque parentis, sive unius tantum. Ex his, patet, Pharaonem non fuisse primogenitum, cum non sit tunc interemptus.

179. Symbol. Symbol. primogenita nostra sunt Primo, fides: ita Beda. Secundo, inferiores sanctæ charitatis fervores, ex quibus omnis labor Deo placens meritoriusque procedit: ita Dionys. Carthus. Tertio, recta intentio. Quarto, iuventus seu adolescentia. Quinto, primæ cogitationes et actiones diei. Sexto denique, principium cuiuslibet actionis. Hæc omnia occiduntur in tabernaculis Cham, id est in ardore concupiscentiæ, et in furore malorum sociorum. Cham enim calidum et ardentem significat.

180. Quando plagæ contigerint in Ægypto. Quæres, ubi hæ plagæ contigerint? Resp. in campo Taneos urbis regiæ, de qua dixi v. 12.

Quæres secundo, quandonam acciderint, et quanto tempore durarint hæ plagæ? Primo, Cornelius in cap. 7. Exod. ait, contigisse has plagas anno 81. Mosis. id est anno mundi 2454. post diluvium vero 797. ante bellum Troianum, quod incidit in tempora Samsonis et Heli, annis 350. ante Romam conditam annis 745. Omnes autem has plagas arbitratur durasse tantum per dies 27. id est fere, per mensem unum lunarem. In ea opinione est Pererius, qui sic ait, post primam plagam usque ad secundam transierunt dies 7. ut patet ex cap. 7. Exodi. Iam ergo habemus dies 8. Die 9. ablatæ sunt ranæ. Die 10. immissi sunt Cyniphes. 11. Moses minatus est muscas, quas 12. suscitavit, 13. sustulit. Die 14. minatus est quintam plagam, et die 15. inflixit eam. Die 16. infligitur sexta plaga. Die 17. minatus est plagam septimam, quæ imposita est die 18. et sublata est die 19. Die 20. minatus est octavam plagam, quam 21. inflixit, et 22. removit. Sequentibus tribus diebus 23. 24. et 25. duravit plaga tenebrarum. Die 26. Pharao a se expulit Mosen, et media nocte huius diei inflicta est plaga decima cædis primogenitorum, sub initium diei 28. Sic Pererius.

An durarint tantum per dies 27.

An potius per annum unum.

Secundo tamen et probabilius Salianus opinatur, plagas illas incepisse anno mundi 2513. Mosis 80. ante Christum 1510. et continuatas fuisse anno sequenti usque ad 15. diem mensis Nisan, qui respondet nostro Martio: ita ut decem illæ plagæ pene annum tenuerint: ita sentiunt Hebræi in maiori Chronologia, ubi aiunt totis septem diebus Deum locutum cum Mose in rubo, septimum autem incidisse in decimum quintum Nisan, sive Martii, quo tempore aiunt, anno proxime sequenti egressi sunt Israelitæ de Ægypto. Et cap. 3. Percussi sunt vicissim Ægyptii decem plagis per 12. menses: idem censent Genebr. Caiet. Dionys. Carth. Serarius, Comestor, et alii. S. Prosper. 1. p. cap. 36. dicit, tertiam plagam Cyniphum media æstate Ægyptios morsu infestasse, quod verum esse non potest, si tantum 27. diebus duravit illa Ægypti afflictio. Et revera, ait Salianus, difficile est intelligere, qui omnes equi, asini, cameli et boves, qui erant in agris Ægypti, peste consumpti essent, ut Exodi 9. scriptum est. Et tamen post paucos dies sexcenti iungerentur currus, et tanta equitum copia armaretur, quæ formidabilis esset sexcentis millibus armatorum. Quin etiam affligantur ulceribus, et vesicis turgentibus postero die homines et iumenta: et rursum sequenti die magna ex parte grandine pereunt, nonne necesse est inter hæc multos non solum dies, sed hebdomadas etiam mensesque intercessisse, ut curari vulnera, et aliunde comparari iumenta possent? Unde constat, unico die ranas Ægyptiis fuisse molestas, unico die congregatas in immensos aggeres, et inde terram computruisse? Unico die locustas ita devorasse omnia, ut nihil omnino virens in universa Ægypto relinqueretur? Præsertim cum diuturnitas plagæ valde pertineat, vel ad gravius affligendum, vel ad pertinaciam edomandam: et de prima et nona constet eas pluribus diebus durasse. Deinde sublatis plagis, et data requie quamdiu dissimulasse; quamdiu tergiversatum fuisse putemus Pharaonem, metu alterius plagæ, quam sæpe causas morandi texuisse, ut solent qui aliquid nec audent negare, nec volunt concedere, donec Moses et Aaron facile intelligerent, et experientia ipsa cunctis manifesto proderet, dilationes illas esse negationes. Quid si tempore harum plagarum Moses et Aaron in civitate regia non erant, aut alia urbe Ægypti, sed in terra Gessen, unde a rege diversis temporibus cum fide publica accerserentur, ne durante plaga lapidibus obruerentur ab Ægyptiis, ira et dolore frementibus. Denique, si quis hasce plagas accurate consideret, prout a Mose in Exodo, et a Davide referuntur, inveniet, quæ veri, quæ æstati, quæ omnibus anni temporibus convenire videantur, ut significatur lib. 1. de mirabil. sacræ Scripturæ. Grandinem certe vere adulto decidisse Iosephus ait, num ver adultum usquam gentium in Februarium mensem cadit? Hæc Salianus.

Nota denique. Primo, Ægyptii per omnes fere creaturas puniti sunt: scilicet per terram, aquam, aerem et ignem: per mista grandinem et sanguinem: per animalia, ranas, muscas, cyniphes, locustas: per solem et astra, cum se subducendo tenebras induxerunt: per homines Mosen et Aaron, per angelos, et Deum ipsum. Secundo, in omnibus pene bonis puniti sunt: scilicet in fructibus agri, in animalibus, in filiis suis primogenitis, in auro et argento, in corporibus per ulcera. Tertio, in omnibus sensibus puniti sunt. In visu, per tenebras et spectra: in auditu, per tonitrua: in gustu, per sitim et potum sanguinis: in odoratu, per fœtorem ranarum: in tactu, per dolorem ulcerum, et morsum cyniphum. Denique, in phantasia et mente per continuum mœrorem ac multiplices terrores. Ita Cornelius: quæ cogitans time, ne si aliquibus creaturis abutaris, pugnent omnes in te insensatum; et vana bona quærens, et illa et alia longe maiora ac te ipsum perdas, etiam in hac vita. 181. Ægyptii per omnes creaturas puniti.

ARTICULUS III.

Servos suos educit ex Ægypto, et per desertum deducit in terram promissam.

Deus severitate sua in Ægyptios te exterruit, sed vide, finem severitatis illius esse benignitatem et amorem

182. erga populum suum. Lupos perdit, ut oves servet, v. 52. A
Vers. 52. ET ABSTULIT SICUT OVES POPULUM SUUM, ET PERDUXIT EOS (Hebræos scilicet: Suppositum verbi sæpe non exprimitur, sed ex sensu intelligitur) TAMQUAM GREGEM IN DESERTO, id est, in desertum.

Vers. 53. ET DEDUXIT EOS IN SPE (S. Hieron. cum fiducia) ET NON TIMUERUNT (S. Hieron. et absque timore. Arab. et non frustrati sunt) ET INIMICOS EORUM OPERUIT MARE. Nota quinque hic dicuntur. Primo, quod Deus abstulerit populum suum ex Ægypto. Secundo, quod illum perduxerit in desertum. Tertio, quod deduxerit in deserto. Quarto, quod ibi populus non timuerit. Quinto denique, quod eius hostes Ægyptios merserit.

Hebræorum exitus ab Ægypto. Ac primo, τὸ *abstulit* denotat, Primo, imperium et potestatem Dei servos suos a fornace ferrea Ægypti, e vinculis et tormentis abstrahentis vi et summo iure per tot plagas. Secundo, *abstulit* notat iniustam detentionem Pharaonis, et imbecillitatem. Tertio, celeritatem exitus populi. Cum enim media nocte cæsi essent primogeniti Ægyptiorum, et Moses atque Hebræi omnes essent in Ramesse in extremis Ægypti finibus, Pharao et alii coegerunt eos ut citissime exirent, mortem enim omnes verebantur. Fuit itaque Ramesse una de urbibus, quas Hebræi tempore servitutis, aut de novo extruxerant, aut reparaverant. S. Hieronym. recte docet, fuisse ibi primam mansionem exeuntium ex Ægypto: ibi enim celebrarunt pascha, et iam ab aliquo tempore erant ibi omnes Hebræi ex tota Ægypto collecti, et se ad exitum comparantes. Cur dicantur ablati, sicut oves, dixi iam alias. Vide Ps. 22.

Secundo, perduxit eos Deus *tamquam gregem* in desertum, quod statim occurrit egressis de Ramesse, et pergentibus in Socoth secundam mansionem, quæ significat tabernacula. Numerosus erat ille grex. Moses enim ait Exod. 12. 37. *Profecti sunt de Ramesse in Socoth sexcenta fere millia peditum virorum absque parvulis, sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis.* Iosephus ait, multitudinem migrantium una cum liberis et uxoribus vix fuisse numerabilem, qui vero militarem ætatem C haberent, sexcentorum millium numerum explevisse. Militaris ætas erat a vigesimo anno ad quinquagesimum. Ubi adverte, desertum in quo ambulaverunt filii Israel, fuisse partim cis mare rubrum, partim trans mare respectu Ægypti erat Ramesse, inde penetrantes in desertum dio secunda veniunt in Socoth, die tertia in Etham, ibique toto biduo morantur, die sexta castra metantur ad Phihahirath prope mare, ibi die septima sub mediam noctem transeunt mare, et veniunt ad desertum Etham, vel Sur. Cum itaque die 15. mensis Nisan incœpissent exire de Ramesse, et consequenter de Ægypto, transiverunt mare die 21. eiusdem mensis.

Tertio, deductionis modus declaratur: *Deduxit eos in spe*, id est, cum spe; S. Hieron. cum fiducia: hoc est, in Deo suo sperantes et confidentes.

Quarto, declaratur quanta fuerit eorum spes et fiducia: *Et non timuerunt.* Primo, in egressu ex Ægypto videntes cæsos Ægyptios, apud se vero ne canem quidem latrasse; 2. se omnes firma esse valetudine; 3. se esse ditatos D opibus Ægyptiorum; 4. se magna multitudine exire; 5. sibi arma suppetere. Secundo, *non timuerunt*, ingredi mare rubrum; timor enim ortus ab adventu Pharaonis cito excussus est. Tertio, *non timuerunt* errare in deserto per 40. annos, Deo sibi in columna præeunte. Quarto, *non timuerunt*, hostes irruentes.

Quinto denique, maxima securitas Hebræorum fuit submersio Pharaonis et exercitus eius in mari rubro: *Et inimicos eorum operuit mare.* Exod. 14. 28. dicitur: *Reversæ sunt aquæ, et operuerunt currus, et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec unus quidem superfuit ex eis.* Vide illustre exemplum naufragi impii apud S. Gregor. Tur. lib. 5. hist. cap. 49.

183. Christo pastore egemus. Moral. egemus Christo Pastore, qui nos velut ovem perditam ab ore lupi eripiat, et a peccato abstrahat. Oseæ 13. 14. ipse ait: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Isaiæ 49. 25. ait fore, *Ut captivitas a forti tollatur, et quod ablatum fuerit a robusto, salvetur.* Neminem dimittit rex Ægypti, id est diabolus, nisi per manum validam. Exod. 3. 19. S. August. *Tamquam donum gratis datur*, inquit, *ut iustificetur impius, et redeat ovis perdita; non tamen in viribus suis, sed in humeris reportata pastoris: quæ se perdere potuit, dum sponte vagaretur: se autem invenire non potuit. Nec omnino inveniretur, nisi pastoris misericordia quæreretur:* ita Augustinus. Isaiæ 43. 11. Deus dicit: *Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator.* Orig. hom. 12. in Lucam: Pastores Ecclesiarum, inquit, nisi ille pastor venerit, per se bene gregem servare non poterunt. Infirma est eorum custodia, nisi Christus cum eis paverit atque servaverit: hæc ipse.

Secundo, egemus Christo duce in huius mundi deserto: ibi enim est serpens flatu adurens, et scorpio, et dipsas, et nullæ omnino aquæ. Deut. 8. 14. *Eo duce semper victores erimus.* S. Macarius hom. 1. Si, ait, Dominus ipse insederit et ducat animam, semper ille vincit, B ducens et dirigens per omnia currum animæ ἅρμα ψυχῆς, ad sapientiam cælestem atque divinam: ita Macarius. Mosem aliquem ab eo pete, qui tibi sit dux visibilis. S. Dorotheus doctrina 5. *Opus nobis est auxilio præter Deum, opus coadiutoribus. Nihil est miserabilius*, οὐδὲν εὐαλωτερον, *nihil quod citius expugnari queat. his qui nullos duces, nullos auctores habent ad viam Dei? qui carent aliquo qui eos ducat*, πίπτουσιν ὥσπερ φύλλα, *cadunt ut folia. Initio folium viret, tum siccatur: talis homo est, qui a nemine regitur. A principio ferventissimus ad ieiunia, ad vigilias, ad quietem, ad obedientiam, et ad quacumque bona. Paulo post, extincto eo fervore, si nullum habuerit sui gubernatorem aut altorem, qui extinctum ignem suscitet et accendat, desiccatur sensim et sine sensu, cadit ac demum destitutus ab hostibus suis captivus trahitur, qui ut voluerint, in ipsum grassantur.*

Tertio, spes minuit labores viæ. S. Aug. in Ps. nostr. 184. Spes minuit laborem viæ.
Deducimur in spe, ait, quoniam spe salvi facti sumus, nec timere debemus. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? S. Basil. in Ps. 1. affert exemplum nautæ, se mari committentis: et agricolæ semen iacientis, ob spem utilitatis: item viatoris, quietem post laborem sperantis. 1. Iter, inquit, facientibus per asperrima quæque et molestissima loca, tædium relevat laboris spes certa hospitii commodioris. 2. Ut maris periculo ausint se committere mercatores, facit cupiditas parandarum mercium. 3. Agricolis imminuit, ac suffuratur labores, spes secuturæ fertilitatis. Eam ob rem, qui nostram omnium vitam in commune dispensat ac moderatur eximius Doctor, spiritus ille veritatis solerti sapientia et artifici consilio, ab initio statim mercedem proposuit, ut oculis ultra labores, qui in manibus sunt transmissis, mente ad ea quæ reposita nobis sunt in cælis bona, properemus. S. Macarius Ægyptius, S. Antonii discipulis, hom. 26. proponit exemplum vinitoris, agricolæ, et eius qui ædificat domum. Qui, ait, plantat vineam, priusquam aggrediatur laborem, gaudio ac spe ducitur apud se, describitque in animo vindemias, ac redditum supputat, nondum nato vino, et hac ratione laborem suscipit. Spes enim atque expectatio, ποιεῖ αὐτὸν προθύμως κάμνειν, *reddunt illum alacrem ad laborem*: et tamdiu e re familiari sumptus non mediocres facit. Itidem qui domum ædificat, aut terram excolit, de suo primum erogat, spe futuri reditus. Non aliter hic fit, nisi quis præ oculis habeat gaudium et spem: nempe consecuturus sum redemptionem ad vitam, perferre nequit tribulationes, neque pondus, nec angustam viam suscipere. Spes enim et gaudium si adsint, efficiunt, ut ipse laboret, ac toleret afflictiones, pondusque, et angustam viam suscipiat: ita Macarius.

Quarto, Deo duce iter vitæ emetientibus timor pellendus est. Primo, quia nihil nocere potest Deum habenti. 185. Deo duce timor pellendus est.
Isaiæ 43. 1. Deus dicit: *Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo, meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris*

in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. Et v. 5. unico verbo omnia complectitur: *Noli timere, quia ego tecum sum.* Secundo, timor pellendus est, quia Deus non vult facere miracula pro timidis, sed pro iis, qui fiducia certa in se confidunt. Cum Israelitæ prope mare timerent, ob Pharaonem instantem, ait Moses Exod. 14.13. *Nolite timere, state, et videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie,* q. d. Nisi timorem pellatis, et constantes stetis, illa non videbitis. Quod quidam dicunt, in primo illo tumultu eum ad eos accessit Pharao prope mare, quatuor tribus voluisse se tradere Pharaoni, quatuor voluisse se in mare abiicere: tribum vero Iuda, Levi, Ioseph et Beniamin statuisse usque ad mortem repugnare, nescio quid olet Rabbinicum. Tertio, timor indicium est non perfecte amari Deum, vera enim charitas foras pellit timorem. S. Chrysol. serm. 147. *Amare non potest, qui satis timet.* Quarto, timor est signum depravati animi. Sap. 17. 10. *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæva perturbata conscientia.* Levit. 26. 36. de impiis dicitur: *Terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium.* Quinto denique, timor impedit fervorem in operibus virtutis. Ennodius Ticinensis Episc. Dictione prima in natali S.Laurentii Episc. Mediolan. Facessat, inquit, formido venerando inimica proposito. Fugitiva est gloriæ, mens subiecta terrori: ita ipse.

Quinto denique, Pharao stygius, cum toto vitiorum exercitu, mergitur in aquis baptismi, et pœnitentiæ, Christi sanguine rubricatis. Portum securum tenebis, si voluptates fugeris. S. Ephrem tract. de recta vivendi ratione cap. 30. Vis, ait, portum securum tenere, firma tibi præsidia compara, ne voluptatum libidinumque procellis ac fluctibus facile obruaris, et pro portu ipso tibi scopulus atque naufragium fias. Basilius Imperat. etiam victorias pollicetur contra hostes visibiles, si quis vitia domuerit. Sic enim in exhort. ad Leonem filium: Concedet, inquit, tibi Deus victorias et triumphos adversus hostes, cum ipse adversus perturbatos animi motus trophæa et titulos erexeris: qui enim invisibiles hostes devicit, eum visibiles etiam posse vincere necessario est consequens.

SECTIO SEPTIMA.

186. *Duo continet. Primo, introductionem Iudæorum in terram promissam, vers. 54. Secundo, eorum ingratitudinem in Deum peccantium, vers. 56.*

PARAPHRASIS.

54. *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ: montem quem acquisivit dextera eius.*

54. Tandemque post longos in deserto circuitus, Hebræos illos introduxit Deus in terram Chanaan, variis amœnam collibus, quam sibi in singulare domicilium consecrarat. In eam autem illos immisit potenti sua dextera fluvios siccando, urbes muris nudando, hostes prosternendo.

Et eiecit a facie eorum gentes: et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.

Atque ut pacati facilius pietatem colerent, gentes impias et idololatras ab eorum consortio et convictu removit: iisque sortito terram divisit, singulis partem suam mensorio fune capientibus.

55. *Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.*

55. Victoribusque urbes eorum iam muris ædificiisque spectabiles et munitas, sine labore tradidit, ut omnes tribus Israel eas secure incolerent.

56. *Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum: et testimonia eius non custodierunt.*

56. His tamen non emolliti donis ad insanam mentem redierunt, Deumque de eius potestate dubitantes rursus tentaverunt, et blasphemiis, excelsiorem licet omnibus creaturis, irritarunt: et legem eius, qua suam illis voluntatem testabatur, non observarunt.

57. *Et averterunt se, et non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum.*

57. Atque a iustitiæ sole oculos retorserunt, et pactum cum Deo initum in eius præceptis ambulandi non custodierunt: sed instar arcus pravi et obliqui alio omnes actiones suas direxerunt, quam erant polliciti.

58. *In iram concitaverunt eum in collibus suis: et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.*

58. Variisque in collibus altaria lucosque turpissimis idolis posuerunt, quibus Deum suum ad indignationem commoverunt: et per hunc abominandum cultum ad furorem, instar zelotypi, concitarunt.

ANALYSIS SECTIONIS SEPTIMÆ ET OCTAVÆ.

Christus denique ænigma suum proponit, nempe reprobatos esse Iudæos et electos Christianos: ad hoc declarandum aperit tempus a Iudæis exactum in terra promissionis, in qua

- Dei bonitas eluxit, qui
  - Charitate, ingressum in terram sanctam aperuit. 54.
  - Potentia, hostes obsistentes stravit. 54.
  - Iustitia, Chananæos eiecit. 54.
  - Sapientia, terram populo suo distribuit. 54.
  - Liberalitate, possessionem tam optimæ regionis largitus est. 55.
- Et Iudæorum ingratitudo, qui
  - Corde, de Dei potestate dubitabant. 56.
  - Ore, blasphemias iactabant. 56.
  - Omissione, legem non servabant. 57.
    - Avertendo se a Deo. 57.
    - Et fœdus initum frangendo. 57.
  - Opere idololatriam sectabantur,
    - Altaribus erectis, in collibus. 58.
    - Et idolis ibi positis. 58.
- Iudæi ideo reprobati sunt,
  - In omnibus a Deo contempti, et ad nihilum redacti. 59.
  - Tabernaculo, ablato ab urbe Silo. 60.
  - Arca hostibus tradita. 61.
  - Populo hostium gladiis obiecto. 62.
  - Iuvenibus prostratis. 63.
  - Virginibus spretis. 63.
  - Sacerdotibus occisis. 64.
  - Viduis sine consolatione desertis. 64.
  - Plagis in omnes sævientibus.
    - Inopinatis. 65.
    - Fœdis. 66.
    - Æternis. 66.
    - Inevitabilibus. 67.
- Et Christiani eorum loco electi:
  - Figurati in Tribu Iuda electa. 68.
  - In Sione, quam amavit Deus. 68.
  - In templo ibi extructo. 69.
  - In rego Davide, Christi patre et typo:
    - A caulis abstracto. 70.
    - In regem uncto. 71.
    - Virtute et sapientia illustri. 72.

QUÆSTIO UNICA.

Quantum sit Dei donum, quod Deus nos in Ecclesia sua constituit, et quanta a nobis ob illud gratitudo requiratur.

187. *Ordo Sectionis.* Prima Sectione huius Psalmi attentionem Propheta excitavit, cum esset res dicturus maximas, et ænigmata, ac parabolas maxime necessarias et sublimes. In aliis vero sectionibus usque ad hunc locum exposuit omnia Dei beneficia, facta Iudæis in egressu ab Ægypto, et in deserto, atque ingratum ipsorum animum. In hac denique Sectione, exponit Dei providentiam erga Iudæos singularem in donatione et distributione terræ promissæ, ubi charitas eius, potentia, iustitia, sapientia, liberalitas elucent; Iudæorum vero, in tam beneficum parentem rebellantium, ingratitudo.

Ac primo, charitatem Dei exponit in populi sui introductione in terram, quam sibi sanctificare præ cæteris volebat, v. 54. *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ.* Secundo, potentiam aperit in patrandis miraculis, ut victoriam obtinerent: *Montem quem acquisivit dextera eius.* Tertio, iustitiam, in puniendis iis, qui cultui idolorum fuerant addicti: *Et eiecit a facie eorum gentes.* Quarto, sapientiam, in distributione illius terræ: *Et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* Quinto, liberalitatem, qua illis tam opimam terram dedit possidendam, v. 55. *Et habitare fecit in tabernaculis eorum Tribus Israel.*

Secundo, obstinatam Iudæorum pervicaciam declarat in tam liberalem Dominum insanientium corde, ore, omissione, et opere. Primo, corde, de potentia et bonitate eius dubitando, v. 56. *Et tentaverunt.* Secundo, ore blasphemias eum irritantes usurpando: *Et exacerbaverunt Deum excelsum.* Tertio, omissione, legem eius non servando: *Et testimonia eius non custodierunt.* Quarto denique, opere, terrena tantum sectando, et ad ea se incurvando, v. 57. *Et averterunt se, et non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum;* 2. idola adorando. v. 58. *In iram concitaverunt eum in collibus suis: et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.*

ARTICULUS I.

Terræ promissionis, et Catholicæ Ecclesiæ excellentia.

Post liberationem populi sui de Ægypto in manu valida, et deductionem mirabilem per desertum, introdu-
188. *Vers. 54.* cit illum Deus in terram lacte et melle manantem, atque cultui suo dedicatam, v. 54. **Et induxit eos** (Hebræos) **in montem sanctificationis suæ** (id est, a se sanctificatum. Solent enim Hebræi ponere duo nomina substantiva pro substantivo et adiectivo) **montem quem acquisivit dextera eius. Et eiecit a facie eorum** (q. d. Palam, et facile, ac procul) **gentes, et sorte divisit eis** (in partes duodecim) **terram in funiculo distributionis**, id est, distribuente.

Vers. 55. Terræ promissionis varia nomina. Ac vers. 55. **Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.** Nota, terra promissa vocatur Primo, mons. Secundo, mons sanctus. Tertio, mons acquisitus dextera Dei. Quarto, purgatus a gentibus idololatris eiectis. Quinto, distributus populo Dei. Sexto, ab illo inhabitatus.

Ac primo, dicitur *mons*, quia tota terra Chanaan erat terra montosa in radicibus Libani montis Syriæ excelsi, qui a Sydone Phœnices oppido, usque Symiram urbem Syriæ cælos, id est cavæ, extensus, centum quinquaginta stadiorum longitudinem habet. Hinc Deut. 3. 25. Moses desiderio ardens videndæ illius terræ, dicebat Deo: *Transibo igitur, et videbo terram hanc optimam trans Iordanem, et montem istum egregium, et Libanum.* Per montem egregium possis intelligere montem Moria, in quo Abraham obtulerat filium suum, ubi extruenda erat Sion et templum: in Psalmo etiam nostro eumdem montem volunt esse montem sanctificationis Lyran. et Cassiodorus.

Secundo, terra promissa dicitur *mons sanctificationis*, id est, sanctificatus, sicut nunc appellatur terra sancta: 1. quia eam sua habitatione consecrarunt Abraham, Isaac, Iacob, et alii Patriarchæ ac Prophetæ; 2. quia ibi fuit templum, in quo Deo vero sacrificaretur; 3. quia in ea sola cognitus erat Deus; 4. quia ibi vixit et mortuus est Christus, Deipara, et alii sancti in lege gratiæ, quæ inde sumpsit originem.

Tertio, terra promissa acquisita est dextera Dei, non virtute ac fortitudine Israelitarum: 1. enim Deus immisit pavorem in cor Chananæorum, ita ut instar aquæ difflueret; 2. Iordanem siccavit; 3. muros Iericho diruit nullo eos concutiente; 4. solem stare fecit, ut Iosue hostes profligaret prope Gabaon; 5. lapides in eos e cælo deiecit; 6. reges eorum captivavit et interfecit; 7. pene omnes delevit.

Quarto, ex terra promissa Deus eiecit gentes septem: nempe Chananæos, Amorrhæos, Hethæos, Pherezæos, Hevæos, Iebusæos, Gergezæos. Adverte autem Gen. 15. promitti Abrahamo decem gentes, quibus si addas Hevæos alibi expressos, erunt undecim. Ordinarie tamen tantum numerantur septem, quia Iosue, qui populum induxit in eam terram, debellavit solum septem, alias sibi subiugarunt David et Salomon, ac tributarias fecerunt, et S. Hier. atque Andreas Masius in Iosue dicunt, Deum non dedisse Hebræis totam terram eis promissam Genes. 15. quia ipsi conditiones promissionis et pacti non impleverunt, legem scilicet Dei observando.

Quinto, terra promissa divisa est a Iosue in funiculo 189. *Quando divisa terra Chanaan?*
distributionis, id est funibus, quibus agros metiebantur cum terram dividebant. Hoc primo, fecit Dei iussu princeps Iosue anno principatus sui et ingressus in eam terram sexto, et consequenter exitus ab Ægypto 46. mundi 2589. ante Christum 1464. cum natus esset Iosue annos nonaginta novem. Atque hæc fuit prima divisio facta a Iosue, anno sequenti cum videret septem tribus, nempe tribum Aser, Dan, Simeon, Zabulon, Issachar, Nephtalim et Beniamin ea sortitione et distributione non contentas pigritari, et possessionem sibi datam non adire, misit de novo metatores agrorum ex singulis tribubus, qui exactius omnia partirentur, eisque ait Ios. 18. *Circuite terram, et describite eam, ac revertimini ad me, ut hic coram Domino in Silo mittam vobis sortem.* Prima divisio facta erat, cum tabernaculum et arca ac populus essent adhuc in Galgalis. Eo enim tantum anno facta erat migratio in Silo, de qua urbe dicetur infra. Sortitionis autem ordo refertur Ios. 18. et 19. Moses porro iam distribuerat provincias trans Iordanem tribui Ruben, tribui Gad et dimidiæ tribui Manasse, anno ætatis suæ 120. et ultimo, paulo ante mortem, devictis Sehon rege Amorrhæorum, et Og rege Basan, quorum regna illis dederat.

Sexto denique, terra promissa fuit hæreditas diuturna 190. *Quamdiu fuere Hebræi in terra promissa.*
Israelitarum. Ibi enim habitarunt ab anno mundi 2584. quo in eam duce Iosue ingressi sunt, usque ad ann. 4124. quo capta est Ierusalem et eversa a Tito, hoc est per annos 1540. Nam sub Iosue et Iudicibus usque ad Saulem primum Hebræorum regem fuerunt ann. 378. A Saule usque ad Sedeciæ ultimi regis captivitatem et eversionem templi atque urbis Ierusalem per Nabuchodonosor fluxerunt anni 484. Ab illo tempore usque ad totalem desolationem per Titum fuerunt partim duces, partim reges per ann. 678.

Alleg. Quæ hic de Sione monte et terra promissa dicuntur longe augustius et amplius ad Ecclesiam pertinent. *Allegor. 1. Ecclesia est mons.*
Primo enim Ecclesia mons est: 1. sublimis; hoc docet Michæas Propheta, cap. 4. 1. *Erit in novissimo dierum*, id est ultimis temporibus, *erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles, et fluent ad eam omnes populi.* S. Chrys. hom. 4. in illud quod scripsit Isaias, *Factum est anno, quo mortuus est Ozias*, sic ait: Ἐκκλησία ἐν οὐρανῷ πολιτεύεται; Ecclesia in cælo versatur. 2. Ecclesia est mons stabilis. Exod. 15. 17. *2. Mons stabilis.*
Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine. Euseb. lib. 1. de præparat. Evang. cap. 3. p. 7. Ecclesiam vocat, ἀήττητον καὶ ἀκαταμάχητον, invictam et inexpugnabilem, ac ne ab ipsa quidem morte superandam. Penitus inconcus-

sum illius robur mansurum esse Christus prædixit Matth. 16. 18. cum ait, *Portæ*, id est tota civitas, *inferi non prævalebunt adversus eam.* S. Martialis epist. ad suos Burdegalenses, cap. 11. Ecclesia inquit, nec cadere nec dirumpi poterit unquam. S. Chrysost. docet ideo vocari montem, quia stabilis est atque inconcussa. Sic enim loquitur in Ps. 44. pag. 775. tom. 3. *Nihil Ecclesia fortius: Ecclesia spes tua sit, Ecclesia salus tua, perfugium tuum Ecclesia: cælo est sublimior et latior terra. Nunquam sentit senectutem, adolescit semper ac viget. Quare Scriptura ostendens eius,* το στερρον και ασαλευτον, *inconcussam stabilitatem, illam appellat montem.* Et hom. 4. in Isaiam, pag. 867. in eodem tomo: Ecclesia, inquit, ουρανου μαλλον ερριζωται, firmioribus quam cælum ipsum radicibus defixa hæret; ac paulo post asserit: *Facilius esse solem extingui, quam Ecclesiam deleri.* Quis ista prædicat? is qui eam fundavit. *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Honoratior enim cælo est Ecclesia. Quare conditum est cælum? propter Ecclesiam, Ecclesia non est condita propter cælum. Cælum conditum est propter hominem, non homo propter cælum: ita Chrysostomus. S. Isidor. lib. 3. epist. 5. ad Eutonium Diaconum: Oppugnata est Ecclesia, inquit, sed iis ipsis, qui eam extinguere tentaverunt, λαμπροτερα απεφανθη, splendidior emicuit: hæc ille. Quis nisi fatuus speret, posse se loco movere Alpes, aut Pyrenæos montes, vel Caucasum et Atlantem? firmius his omnibus stat Ecclesia Dei, velut rupes inconcussa.

191. *3. Mons sanctificatus.* Secundo, Ecclesia est mons sanctificationis Dei, id est sanctificatus a Deo, et alios Dei gratia sanctificans. Arabs vertit, induxit eos in montem sanctitatis suæ. Ecclesia est sponsa Christi, illi astans in vestitu deaurato. Vide Ps. 44. 10. Addo unum Pacianum, Epist. 3. Ecclesia, inquit, est virgo sancta, castissimis sensibus sponsa Christi: ita ipse. Amat verus Salomon reclinatorium aureum, Cant. 3. 10. Vult in sponsa, veluti muro, addit, ædificari propugnacula argentea. Hoc loco dicemus Ecclesiam esse montem auri et argenti feracem, id est virtutis et scientiæ: vel charitatis et fidei. *Auri puri fodinæ.* Diodorus Sicul. lib. 3. ait, Pyrenæos montes ob incendium fluxisse argento. Bodinus in meth. histor dicit, aurum in regno Damuri non igne, sed solis et siderum ardore excoctum et purgatum reperiri. In Ecclesia Christus sol purissimus, doctrinæ et sanctitatis aurum et argentum purissimum donat. Ps. 45. 5. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius.* Quo sol ille ei est propior, eo mineras locupletiores et puriores facit. Lactant. lib. 4. Instit. cap. 30. puritatem fidei in Ecclesia declarat his verbis: *Sola Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet: hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei, quod si quis non intraverit, vel a quo si quis exiverit, a spe vitæ et salutis æternæ alienus est.* Diodor. Sicul. lib. 2. p. 132. ait, in Arabia Felice cum terra foditur, reperiri φλεβας ευωδας, *suaveolentes venas:* effodi vero ibi aurum, quod απυρον, id est, ignis expers, vocant. Non enim ex ramentis per ignem excoquitur, ut alibi, sed inter eruendum purum putum invenitur, par nucibus castaneis magnitudine, et colore tam flammeo, ut si pretiosissimi lapilli artificum opera includantur, ornamenta pulcherrima efficiat. Strabo refert, *Gallia auro abundabat.* auro etiam purissimo Gallias nostras olim abundasse. Sic enim lib. 3. cap. 154. Asserunt Galli, ait, sua metalla esse præstantiora in Cemmeno monte, et sub ipsum Pyrenen. Cæterum inter auri ramenta aiunt inventas aliquando ημιλιτριαιας βωλους, selibres, id est dimidiæ libræ glebas, quas ipsi palas nominant, exigua purgatione indigentes. Ferunt etiam lapidibus fissis inveniri, βωλαρια θηλαις ομοια. glebulas mammis similes: porro auro cocto et purgato aluminosa quadam terra, electum esse id, quod purgando reiicitur: hæc ipse. In Gallia vix aurum nunc effoditur, videamus ne etiam charitas et pietas evanescant. Rem notabilem de maioribus nostris refert Diod. Siculus lib. 5. pag. 304. In Gallia, inquit, nihil omnino argenti, auri multum effoditur: quod natura loci illius hominibus absque metallici operis molestia suppeditat.

A Cum enim fluviorum decursus obliquis brachiorum flexibus, in montium adiectorum radices impingat, fit, ut magnos ramentorum auri tumulos abrumpant. Tum elutam aquis faciem terrestrem fornacum eliquationi committunt. Hinc armillas circa manuum iuncturas et brachia gestant: et crassos ex puro putoque auro torques circa collum annulosque insignes, et aureos insuper thoraces conficiunt. Ιδιον δε και παραδοξον, singulare vero hoc est, ac mirum, quod in fanis deorum a Gallis superioribus observatur. *In sacellis enim delubrisque huius terræ consecratis, multum auri in honorem deorum passim iacet: quod nemo in illa regione versans contingit,* δια την δεισιδαιμονιαν, *propter summam eorum religionem:* hæc Diodorus. Timendum, ne nunc ætas decolor mores mutet: argentum in Gallia effoditur nunc, non aurum. Saltem tibi sit argentum igne examinatum, et purgatum septuplum. S. Servatius clavem argenteam divinæ fabricationis in manu gestandam a S. Petro Apostolo accepit, in signum potestatis cælum claudendi et aperiendi, ut apud Harigerum de Leodien. Episc. B ait Ægidius in cap. 26. pag. 39. qui addit pag. 46. clavem illam servari in monasterio, ubi corpus eius quiescit. Erat S. Servatius Episc. Tungrensis. Nulla est arx tam firma in terris, quam argentea clavis non aperiat; fides pura et casta cælum reserat.

Tertio, magna Ecclesiæ dignitas est, quod sit mons acquisitus dextera Christi, in cruce extensa, et telum iaculante: *Montem quem acquisivit dextera eius.* Hebr. quem possedit: ita acquirit, ut non perdat. Christus semper vincit, ait Traianus Dux Imp. Valenti: elicit fortem armatum e suo domicilio. Pyrrhus multa acquirebat, sed facile illa perdebat. Alphonsus rex Hispan. vicies et novies hostem vicit, semper victor exceptis duobus ultimis præliis. Franciscus Mennenius in symbolis et originibus equestrium Ordin. pag. 86. sic ait: Alphonsus Imperator Hispaniarum dictus, in urbe montis regalis post captam Calataiubam hostibus fidei finitimam, Sodalitium equestre S. Salvatoris, quod virtutibus præmium foret, constituit. Et C ad imitationem militum templariorum censu optimo et præmiis ditavit, quod ita feliciter illi cessit, ut illis iuvantibus anno 1120. omnes Mauri a toto regno Aragoniæ sint pulsi, ipseque rex *nomen Pugnacis seu Præliatoris* adiuvenerit, quod *vicies et novies collatis signis manus eum hoste conseruisse feratur,* felici semper sucessu, et triumpho semper ducto, exceptis duobus præliis posterioribus. Christus in fine præsertim hostem cruce, velut hasta confodit. David canit Ps. 117. 16. *Dextera Domini fecit virtutem.* Isaia 53. 1. *Brachium Domini cui revelatum est?* Caleb sibi in possessionem petiit, et obtinuit montem Hebron, qui significat societatem: hic mons est Ecclesia. Caleb significat quasi cor. Christus totus est cor ob charitatem et generositatem. Calebo dixerat Iosue Ios. 14. 9. *Terra quam calcaverit pes tuus, erit possessio tua, et filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum Deum meum.* Christo dicit Pater æternus Ps. 2. v. 8. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Illa est Ecclesia Catholica seu D universalis. Christus est lapis ille, qui deiicit statuam auream Nabuchodonosoris, et fit mons magnus implens totam terram, Danielis 2. ut explicat S. Augustinus libro de unit. Ecclesiæ cap. 16.

192. *4. Ecclesia est mons dextera Dei acquisitus.*

Dices, quomodo mons est Ecclesia, cum semper iactetur fluctibus persecutionum? Resp. esse scopulum in medio mari qui tunditur, lavatur, et roboratur undis maris. Quod si placet eam navi comparare, audi S. Paulinum Aquileiensem, qui agens in Felicem Orgelitanum, sic loquitur: Sancta et universalis Ecclesia super firmam immobiliter fundata est petram, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Verumtamen quia in mari huius sæculi constituta persistit, adversis hæreticorum flatibus, violentis perfidorum procellis, spumantibusque maledicorum undis collisa concutitur: licet quassari non possit et mergi nequeat, Christi firmata dextera, et Apostolico gubernaculo moderata. S. Ambrosius ait, totum cælum ad 193. *Iactatur tamen fluctibus.*

*

Ecclesiæ tutelam sponte devolare. Sic enim loquitur libro de Salomone cap. 4. *Ecclesia etsi undarum fluctibus aut procellis sæpe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium: quia in arbore eius, id est, in cruce Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator: proram Paraclitus servat Spiritus. Hanc per angusta huius mundi freta duodeni in portum remiges ducunt: id est duodecim Apostoli, et similis numerus Prophetarum, etc.*

194. Cum Christo est pugnandum.

Christo pugnante non decet nos segnes desidere. Franciscus Mennenins in symbolis equestr. Ordin. pag. 89. memorat Ordinem Gladiferorum seu Militum Christi in Livonia ab Alberto erectum esse, ensis rubri signum *cum cruce* pallio insuta præferebant, teste Cromero, et Arnoldo Abbate Lubecensi, aut verius binos gladios *forma crucis* decussatim positæ rubescentes. Postea ille ordo unitus est cum Teutonico, anno deinde 1561. a Sigismundo Imperatore est extinctus: multi Christiani se Christi milites profitentur, sed paulatim fervore extincto, ab eius militia aut desciscunt, aut reiiciuntur. Idem de Religiosis præsertim Soc. Iesu dici potest, si ab ea resiliant: Præmia manent victores. Anag. Mons aureus acquisitus Christi dextera est cælum, ubi illa civitas aurea a S. Ioanne conspecta, in qua dantur coronæ aureæ et aureolæ. In Chronico Misnensi legitur, Henricum Landgravium Thuringiæ hastiludia instituisse Northusiæ, arboremque aureis et argenteis foliis erexisse: singulis concurrentibus, et hastas frangentibus, sed in sessione permanentibus, argenteum folium: si quis autem aliquem, ut caderet, deiecisset, aureum folium datum est. Ibi non folia, sed tota arbor aurea est cum foliis et fructibus, et uno ablato non deficit alter aureus, et simili frondescit virga metallo.

Ordo Gladiferorum.

Aurea et argentea folia in præmium data.

195. Ecclesiæ hostes debellat Christus.

Quarto, Ecclesiæ hostes debellat Christus: *Eiecit a facie eorum gentes.* Bonfinius lib. 1. decad. 1. hist. Hung. tradit, ultra Riphæos montes regionem esse ditissimam, sed inhabitabilem, quod gryphes sævum et pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egestum mira sollicitudine custodiant, neque ullum id attingere patiantur. Terram Chanaan lacte et melle manantem tenebant gentes impiæ, et ab eo populum Dei arcebant: sed Deus eiecit illas. Act. 13. 19. ait S. Paulus: *Destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum.* S. Augustinus in Psalmum nostrum sic ait: Quodammodo gentes sunt gentilium errorum maligni spiritus. Simon Machabæus Gazam expugnans ab ea eiecit gentiles, mundavit ædes, in quibus fuerant simulacra, et tunc intravit in eam cum hymnis benedicens Dominum. Iacobus primus Aragoniæ rex dictus *Expugnator,* quod eripuerit tria regna, nempe Balearicum, Valentinum et Murciense, de manibus Saracenorum. Christus omnia regna mundi eripuit diabolo, et dedit Ecclesiæ suæ Catholicæ, eiiciens a facie eius gentes, et eam bellatricem et invictam reddens. Cant. 6. 3. dicitur: *Terribilis ut castrorum acies ordinata;* cap. 7. 1. in ea dicuntur esse chori castrorum, quod exponens Iustus Orgelitanus, ait: *Habet sancta Ecclesia castrorum aciem ordinatam imminente Christo, nec Martyres persecutio, nec virgines carnalis delectatio, nec misericordes cupiditas, nec humiles temporalis gloriæ devicit ambitio.* S. Athanasius in oratione, qua docet unum esse Christum, dicit, Ecclesiam esse rem invictam. S. Cyrill. Ieros. catech. 18. Ecclesia, inquit, omne genus hominum pie subiugat. Alexander Alex. Episc. qui vixit circa ann. 330. Epist. ad Alexandrum Episcopum Constantinopol. sic loquitur: Ecclesiam unam, solam, catholicam et Apostolicam agnoscimus, quæ sicut nunquam expugnari potest, etiamsi totus mundus eam oppugnare instituat: sic omnem impiam hæreticorum incursionem evincit ac profligat: quandoquidem eius Dominus nos efficit satis animosos, dum clamat Ioan. 16. 33. *Confidite, ego vici mundum.* Theophil. etiam Alex. Episc. Epistola ad Epiphanium, Ecclesia Christi, ait, quæ non habet maculam, neque rugam, aut aliquid eiusmodi, egredientes de cavernis suis Origenis colubros Evangelico ense truncavit.

196. Fides vera etiam corporales et terrenas dat victorias. Petrus du Iarric. tom. 1. histor. Indic. lib 2. cap. 13. pag. 434. rem prorsus mirabilem refert de victoriis a rege ad fidem converso, et Ecclesiæ aggregato, obtentis. Regina, inquit, regni Pimentensis tribus aliis iuncta regibus bellum movebat in regem Porcoosem anno 1590. Cum rex iste de se regnoque suo actum videret, Iacobum quemdam Sacerdotem subditum suum et regni sui Thaumaturgum advocavit, petiitque, num quæ essent Lusitanis vexilla, per quæ tam illustres reportarent victorias. Cum ita se rem habere dixisset, sibi tamen non satis comperta esse, Rectorem Collegii Cocinensis Soc. Iesu adiit, ac Superiorem residentiæ Vaipicotensis. Tum ad regem lætus revertitur, docetque unico crucis vexillo Lusitanos niti: sed si proficuum sibi esse vellet, cum primis necessarium esse, omnes et idolorum superstitiones abiiceret, atque in Deum unum crederet, eique in ipso prælio supplex fieret. Constantini totam narravit historiam, cum ei crux apparuit. Rex mirum in modum præceptis a Iacobo recreatus cum ipso natalis Domini pervigilio anni 1590. ad palatium suum evocat, ibi in cubiculo semoti a cæteris cum æditio templi Christianorum, qui sartor erat, iubent tres pulcherrimas cruces aptari, quas postea vexillis regiis assuit: addiditque verba quædam Evangelii, quæ Iacobus chartæ papyraceæ inscripserat, quod vim in illis maximam esse inaudisset. Cum autem metueret, ne hostes invaderent certos calles, et in regnum suum aditus, duas alias cruces similes prioribus illi defodi iussit, ut loca illa tutarentur. Neque illo die, neque sequenti, qui erat nativitati Christi sacer, cibum ullum sumpsit rex, crucemque a Iacobo acceptam tulit, ac deinde cilicio se armavit, imperavitque, ut cum prælium exarsisset, vexilla hæc expanderent. Deo ita hæc fides placuit, ut sacrorum vexillorum fulgorem hostes non ferrent, sed statim trepidi in fugam se darent. Postea fassi sunt, luce de crucibus emicante ita se fuisse perstrictos, ut spem omnem victoriæ abiicerent. Aditus vero periculosi ab hostibus occupati non sunt. Rex victor cruces duas erigi iussit, velut trophæa sacra, duasque exædificari Ecclesias: circa unam multas domos in urbis modum extrui curavit, quam sanctæ crucis urbem dici voluit: cumque soleant Indi certa signa et characteres fronti adscribere cinere albo, cum sint ipsi colore nigro, memor accepti beneficii rex ad bellum iturus solum sibi crucis signum imprimit. Hactenus Iarricus. Sic a facie eius cruce signata eiecti sunt hostes. Ecclesia Christi per crucem et in cruce, cum maxime impetitur, vincit ac triumphat. S. Hilarius lib. de Trinitate 7. *Hoc,* ait, *Ecclesiæ proprium est, ut tum vincat, cum læditur: tum intelligatur, cum arguitur: tum obtineat, cum deseritur:* ita Hilarius. Emissa ab hostibus tela in eos resiliunt. S. Ioannes Damascen. orat. de transfigur. Domini. Hæc est, inquit, firma illa et immota fides, super quam tamquam super Petram Ecclesia fundata est. Adversus hanc inferorum portæ, hæreticorum ora, dæmonum organa, impetum quidem facient; sed non prævalebunt: arma quidem induent, sed non expugnabunt: sagittæ parvulorum factæ plagæ eorum fuerunt, et erunt. In suam enim perniciem mala fabricatur, qui veritati obsistit: ita Damascenus. Hostes fugantur, et pereunt. Philo Carpathius in Cant. Hanc lunam, ait, purissimam Ecclesiam, et immaculatam Christi sponsam, suo sanguine fundatam et ablutam obscurare nituntur hæretici, et omnes male viventes: sed sol ipse, ineffabilis bonitatis suæ radiis, nunquam hanc humilem et fidelem lunam illuminare cessat, suoque ardore fovere, ad plurimos quotidie vitales partus edendos: ut his omnibus armata sponsa atque munita, terrorem malignis hostibus incutiat, stuporem et mortem: hæc Philo.

Victoria mira regis Porcensis, per crucem obtenta.

Quinto, per totam terram Christus suam dilatat Ecclesiam: *Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* Apostolos enim in omnem terram misit, et singulis provincias suas divisit. Unde Paulus ait 2. Corinth. 10. 13. *Nos non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi ad vos,* q. d. Ego me vera mensura et regula me- 197.

Toto orbe dilatata est Ecclesia.

tior, donorum videlicet ac provinciarum, quam mihi sua designatione, quasi mensoria regula admensus est; et attribuit Deus, ut scilicet a Iudæa per interiacentes omnes provincias evangelizarem, Corinthum usque, q. d. Non me iugero temere, ut vobis evangelizem; sed a Deo missus sum ad vos, Ps. 18. ostendi in omnem terram exivisse sonum Apostolorum. Ibi pro *sonus*, Hebr. est קו *kau*, id est, regula, norma, amussis, funiculus mensorius. S. Augustinus exagitat Donatistas, quod se solos Ecclesiam possidere dicerent, cum in exigua Africæ parte essent. Christi vero Ecclesia totum orbem sit complexa. Aurelius etiam Cartag. Episcop. Epistola ad Marcellinum: Non debemus, inquit, audire contra Christi Ecclesiam eos, qui dicunt, non eam esse nisi in solis Afris, et Afrorum paucissimis sociis. S. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ: Episcopatus, inquit, unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius, incremento fœcunditatis extenditur: *Quomodo solis multi radii, sed lumen unum: et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: et cum de fonte uno plurimi rivi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine.* Illis Africæ luminibus unum Europæum adiungo. Leo secundus Epistola prima ad Constantinum Augustum: In omnem, ait, orbem terrarum generaliter atque perenniter imperium Ecclesiæ dilatatur: hæc ille. Itaque Tertull. iure hæreticos zizania inferentes, et in alienam ditionem se ingerentes reiecit his: de præscriptionib. cap. 37. ad eos ait, merito dicendum est: *Qui estis? quando, et unde venistis? Quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion iure sylvam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transvertis? Qua potestate Apelles limites meos commoves? mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res; ego sum hæres Apostolorum*: hæc ipse. Si autem hæc licuit dicere Tertulliano, qui florebat circa annum 197. quam præscriptionem obtendere iure possumus contra Lutherum, Calvinum et alios novatores, cum a Christo fluxerint usque ad hunc diem anni 1619. Cardan. de subtilitate, lib. de mistis tradit, olim in Britannia terram candidam effodi solitam non minus centum passibus profundis; ex qua postquam argentum detraxisses, inspersi agri adeo fœcundi reddebantur, ut semel in vita inspersisse sufficeret. Christi sanguine rigata Ecclesiæ terra fœcunda erit usque ad finem mundi, et quidem in toto orbe.

Sexto denique, in Christi umbra habitat Ecclesia cum securitate: *Habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.* Isaiæ 32. v. 18. dicit Deus: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.* S. Eucherius lib. 3. in Genesin cap. 49. Ecclesiam vocat habitaculum fortitudinis. Alcuin. ait, eam in littore positam non timere naufragium. Verba eius sunt in Genesim: *Ecclesia in littore maris habitat, et credentibus refugium, et periclitantibus demonstrat fidei portum. Hæc contra omnes turbines sæculi inconcussa firmitate solida expectat naufragium Iudæorum, et hæreticorum procellas, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, quorum etsi tunditur fluctibus, non tamen frangitur.* Impii in Ægypto habitant in tabernaculis Cham, id est, calidi et ardentis: iusti vero habitant in tabernaculis Christi, ab æstu passionum ac tentationum eius umbra protecti. S. Servatius dormiens in campo, per aquilam unam tegitur a solis radiis; altera aquila, alis suis, velut flabello, auram excitante. Beda, vim faciens in voce *Israel*, id est, videntis Deum, locum Psalmi nostri exponit, de omnibus, qui ad hoc tendunt, ut Deum, quem non vident, fide videant. *S. Servatius ab aquila protegitur.*

ARTICULUS II.

Peccantium Christianorum ingratitudo est abominabilis Deo.

Prius exposuerat Christus ingratitudinem Israelitarum in deserto, nunc aperit etiam, quanta fuerit in ipsa terra promissionis, v. 56. Et (hoc est, attamen) tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia eius non custodierunt. *Vers. 56.*

A

Vers. 57. Et averterunt se (a Deo, et eius lege) et non servaverunt pactum (cum eo initum) quemadmodum patres eorum (in deserto) conversi sunt in arcum pravum, id est, facti sunt sicut arcus pravus, et tortuosus, atque inversus. *Vers. 57.*

Vers. 58. In iram concitaverunt eum in collibus suis: et in sculptilibus suis ad æmulationem (ad iram et zelotypiam) eum provocaverunt. Ubi adverte Primo, legem dici testimonium, quia per illam Deus testatur voluntatem. Est autem rebellium non custodire voluntatem supremi sui Domini: eo autem gravius peccabat ille populus, quod non tantum in Sinai legem illam per angelum promulgasset eius maioribus anno primo exitus ab Ægypto. (Nam quarto tertii mensis die 48. ab exitu ex Raphidim venit populus ad montem Sinai, et ibi castrametatus est, die 6. eiusdem mensis lex data est, quinquagesimo scilicet ab exitu.) Sed etiam eamdem legem illis declarasset per Mosem in campestribus Moab, anno 40. et ultimo peregrinationis per desertum, cum iam essent terræ promissæ proximi. Hoc enim fecit Moses anni illius ultimi 11. mense, prima die mensis, post occisos Sehon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, atque occupatas illorum provincias. Abulensis, Dionysius et Cornelius opinantur Mosem, licet iam annorum 120. senem, auditum fuisse a toto populo, Deo illi vires per miraculum addente (et in ea sum sententia) ut maior esset legis veneratio. Salianus putat, Mosem per seipsum eam explicuisse primariis viris, ipsos vero cæteris: sed hoc non dicit Scriptura. Legem tamen illam non custodivit ille populus. 198. *Vers. 58. Lex Dei cur testimonium dicatur?*

B

Nota secundo, Moses in campestribus Moab post legem iterato promulgatam, et præceptum de ea scribenda in duobus ingentibus lapidibus, post transitum Iordanis, fœdus renovavit cum Deo, et populo novo terram promissam intraturo, ut refertur Deuter. 29. Prius inierat Deus fœdus cum Israelitis ad montem Sina morantibus, Exodi 19. v. 4. anno exitus ab Ægypto primo, post datum illis decalogum et alias leges. Hoc secundum fœdus sancitum anno ultimo peregrinationis, id est post 39. annos a primo fœdere. Cæremonias easdem fuisse probabile est: nempe erectum fuisse altare, victimas cæsas; et sanguinem a Mose fusum partim in altare, partim in populum. Sed posteri eorum, et aliqui ex ipsis non servaverunt illud pactum seu fœdus: Ex parte Dei promissum erat fore, ut eos tutaretur et bearet: ex parte eorum promissa erat legis divinæ observatio, sed in peccata atque in idololatriam prolapsi sunt. 199. *Fœdera populi Hebræi cum Deo.*

C

Nota tertio, Idola coluerunt Israelitæ in terra promissa super colles et montes, ut testarentur idolorum divinitatem, velut super omnes eminentem; 2. ut essent remotiores a tumultu urbano; 3. ut ibi liberius et iucundius epularentur, et luxuriæ vacarent; 4. ut maiorem honorem idolis deferrent, et plures ad loca illa conspicua evocarent. Ubi adverte, hic pro *collibus*, Hebr. est במות *bamoth*, id est, *excelsis*, ut vertit S. Hieronymus, Arias et Felix. Excelsa porro erant, ait Cornel. in 3. Reg. 3. luci sive sylvæ et nemora in excelsis montibus, collibus, et umbrosis recessibus consita, in quibus gentes pleræque solebant sacella et altaria erigere, teste Homero, Virgilio, et aliis: qui docent veteres in nemoribus sepulcra suis defunctis extruxisse, in quibus primo parentalia celebrabant, sive parentabant heroibus populi, ac mox iisdem quasi diis sacrificare cœperunt. Id fecerunt, quia loca excelsa cæteris altiora sunt et viciniora cælo, ideoque plus venerationis apud rudem populum obtinent. Unde altare dictum est ab altitudine, quasi alta area, in qua altissimo Deo sacrificatur: et Græcum βωμὸς, id est altare, dictum est ab Hebræo במה *bama*, id est, excelsum: quamquam altare proprie non erat excelsum. Nam Scriptura 4. Reg. 23. v. 15. distinguit inter altare et excelsum, sed potius altare erat in excelso, scilicet colle aut monte. Rursum nemora, quia condensa et silentia, sacrum quemdam hor- 200. *Cur in collibus et excelsis idola colebantur.*

D

rorem gentilibus iniiciebant, qui superstitiose censebant ibi habitare deos, quos Satyros et Faunos quasi sylvarum deos nuncupabant. Unde templa dicta sunt fana a Faunis: nisi malis a fando, id est oracula reddendo, nomen sortita. Tertio, sylvæ copiosam suppeditant lignorum materiam ad fabricandum sacella, altaria, et strues pyrarum, quibus victimæ comburantur, idcirco in iis excelsa erigebant. Denique sylvæ, quia frondosæ et amœnæ, excitabant Gentiles, ut in iis sacra sua carnalia, quibus Baccho per symposia et crapulam, Veneri et Priapo per luxuriam serviebant, exercerent. Sic Cyrus ac Persæ, teste Xenophonte lib. 8. sacrificabant in locis excelsis. Idem de aliis docet Apollonius lib. 2. De Romanis, idipsum constat ex Capitolio, in quo colebant Iovem Capitolinum. Chananæos pariter in suis lucis, sylvisque suos deos coluisse patet, ex eo quod Deus crebro iubeat Hebræis, ut illas succendant et extirpent, ut habetur Exod. 34. 13. Deut. 7. 5. et 12. 2. ac 16. 21. Excelsa Hebræorum erant duplicis generis. Una, in quibus instar Gentium colebant earum deos et idola. Hæc manifeste erant illicita. Hinc Salomon gravissime peccavit, quod in gratiam uxorum suarum gentilium, earum diis et idolis fecerit lucos et excelsa, ibique eos adorarit: quæ proinde Ezechias rex dissipavit, Manasses eius filius impius restituit, Iosias funditus abolevit. Altera excelsa erant, in quibus Hebræi non idolis, sed Deo vero sacrificabant. Sic Gedeon in excelsa petra sacrificium Deo obtulit, Iudic. 6. 26. Idem fecit Samuel in excelso, 1. Reg. 9. 19. et Salomon sacrificavit in excelso Gabaon, id est in tabernaculo Mosis, quod tunc situm erat in excelso et frondoso colle Gabaon. Porro Deus hæc secunda excelsa non amabat, ob periculum gentilismi et idololatriæ, tolerabat tamen, donec ædificaretur fixum et stabile templum a Salomone in Ierusalem. Nam ante, illud tabernaculum Mosis erat mobile, et ab uno loco transportabatur in alium, imo separatum erat ab altari. Unde multis incommodum erat, et difficile in eo sacrificare, ideoque alio loco excelso suas hostias immolabant. Hinc pii reges, ut Asa et Iosaphat, permiserunt excelsa Deo vero erecta, vel si ita erant idolis statuta, permiserunt quia ob inveteratam populi idololatrantis consuetudinem metuentes eius seditionem et rebellionem, illa impedire et tollere non potuerunt. Verius tamen est, quod censet Abulens. in lib. Reg. hos reges tantum permisisse excelsa, in quibus Deo vero sacrificabatur, non idolis: quæ tamen non permiserunt reges pientiores, sed everterunt: scilicet David, Ezechias, Iosias, qui proinde soli e cæteris regibus Iuda dicuntur non peccasse. Eccl. 49. 5. Porro, quod Samuel in Ramatha, Bethlehem, aliisque in locis sacrificavit 1. Reg. 16. 4. et 5. ac Elias in monte Carmelo 3. Reg. 18. 23. et David in area Ornan, 2. Reg. ult. 18. credendum est, id eos fecisse, ob graves et urgentes causas, idque ex Dei instinctu et dispensatione, ut patet de Davide. Hac de causa, ut scilicet omnia excelsa tollerentur, voluit Deus a Salomone ædificari templum, in eoque solo sibi sacrificari, ut in uno templo servaretur unitas religionis et Iudaismi, ac Iudæi plane arcerentur a profanis excelsis et sacrificiis Gentilium. Idem ante templum iusserat Deus fieri in tabernaculo a Mose fabricato, Levitici 17. v. 3. et 4. ita Cornelius. Vide Riberam lib. 1. de templo, cap. 2. a Castro in Ieremiam cap. 3. v. 10. Salian. tom. 4. Annal. ann. 3063. 7. et 3337. 8.

201. Moral. Hæc omnia prædicta ad peccatores traduci possunt. Primo enim, Deum tentant per infidelitatem. Secundo, eum exacerbant per blasphemias. Tertio, legem Dei contemnunt. Quarto, a Deo avertuntur. Quinto, sunt perfidi. Sexto, hypocritæ. Septimo, mali imitatores. Octavo, superbi. Nono, Dei æmulatores.

Peccator Deum tentat.

Ac primo, tentat Deum, qui experiri vult, an possit præstare id quod pollicitus est. Hoc autem est infidelitatis. Lactant. lib. 6. instit. cap. 9. Agnitio Dei, inquit, necessaria est, quasi caput: et omnes virtutes quasi corpus. S. Chrysostomus hom. 24. in Matthæum ait, imitandam esse prudentiam serpentis, qui non curat si corpus incidatur, donec caput suum integrum servet: ita tu, ait, præter fidem cætera perdere non cures: profundas universam tuam pecuniam, tradas corpus, vitæ si opus est, minime parcas, dummodo fidem serves, *quæ caput est et radix*, qua servata, etiamsi omnia perdas, omnia tamen rursus maiore cum magnificentia recuperabis: ita Chrysostomus. Dæmon imitatur aquilam, quæ in cervos et tauros decertans, ad hoc præsertim enititur, ut oculos arena oppleat, sicque excæcatos in præcipitium trahat. S. Hilar. lib. 2. de Trinit. fidem comparat medicamentis, quæ omnibus morbis prosunt, et habent in se virtutem generalis auxilii.

Secundo, peccatores exacerbant Deum, præsertim per blasphemias, quibus in eum rebellant ut Hebræi. Horrorem facit cæitibus omnibus blasphemia. S. Hieron. in illud Isaiæ: Nihil horribilius blasphemia, quæ ponit in excelsum os suum. S. Ephrem in paræn. dicit blasphemo timendam esse falcem igneam, ne ab ea excidatur. S. Chrysostom. hom. 3. de incompreh. Dei natura dicit, blasphemiam esse lapidem, qui recidat in caput blasphemi. Auctor operis imperfecti in Matthæum ait, a fide, velut radice, semper germinare confessionem oris: quod si non sit oris confessio, fidem cordis siccatam esse. Ex quo vides, etiam ab infidelitate oriri blasphemiam. 202. II. Deum acerbat per blasphemias.

Tertio, peccatores non servant Dei legem, qua testificatur suam voluntatem et providentiam atque amorem: *Testimonia eius non custodierunt*. Id quoque ab infidelitate oritur, aut tandem corrumpit et perdit fidem. Auctor operis imperf. in Matthæum: *Lucerna quidem*, inquit, *oleo non accenditur, sed per oleum nutritur. Sic fides non quidem ex opere nascitur, sed per opera nutritur.* III. Legem non servat.

Quarto, peccatores a Deo avertuntur: *Et averterunt se.* Ierem. 3. 6. dicit Deus: *Numquid vidisti, quæ fecerit aversatrix Israel: abiit sibimet super omnem montem excelsum, et sub omni ligno frondoso, et fornicata est ibi.* Vers. 12. revocat tamen eam. Petrus Venerabilis in nucleo Missæ tradit, adhuc suo tempore barbaros extitisse, qui, quod sibi surgentibus aut e cubiculo egredientibus occurreret, pro diis haberent: sicque non perpetuos, nec annuos, sed diarios et horarios Deos habebant. Id etiamnum faciunt aliqui Indiæ populi. Peccator quidquid præter fas amat, illud pro Deo habet, atque a Deo suo avertitur, velut a suo sole, in illud se immergens. Bembus lib. 6. histor. asserit populos, qui Curacæ et Cumanæ, et Terarequi insulis in Septentrionem versis paulum a media cæli conversione declinantibus sunt proximi, semihoræ interdum spatium conchis margaritarum conquirendis sub aqua continere. Multi homines in auri argentique mineris totos dies noctesque consumunt: omnes in thesauris suis servandis et deliciis contemplandis annos et sæcula scelerati deperdunt, a cælo aversi. 203. IV. A Deo avertitur. Dii diarii et horarii.

Sponsa iure dicebat, cum transisset terrena se dilecto hæsisse, nec eum velle dimittere, Cant. 3. v. 3. *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Plato in Symposio dicit, omnem impietatem oriri cum quis modesto amori ac decenti minime obtemperat: neque illum in omnibus vitæ suæ actionibus colit, et primarium ei honorem tribuit, sed in alio vulgari amore colendo est. S. Ioannes plus profecit in sinu Christi supra cor eius recumbens, quam alii in multis laboribus. S. Macarius nos comparat infantibus, se ad matrem convertentibus, et illi hærentibus, palmitique sine vite arescenti. Verba eius sunt hom. 31. *Sicut pusillus se ipsum curare vel ornare non novit, sed flens dumtaxat oculos in matrem convertit, donec misericordia mota excipiat illum: ita fideles animæ soli Deo semper fidunt, omnem illi tribuentes iustitiam: quia sine vite palmes arescit: eodem etiam modo, qui citra Christum vult iustificari:* hæc ille. In Turcarum historia legere me memini, duas sorores ab illis captas, cum se diversas in regiones abducendas scirent, præ dolore et amore animam in mutuo complexu exhalasse. Prius moriendum est, quam a Dei complexu avelli te sinas. Amor duarum sororum.

204. V. *Fœdus cum Deo non servat.* Quinto, peccatores pactum cum Deo initum in baptismo frangunt, ideo ab ipso reiiciuntur. Themistius ait, perfidiam esse scelus omnium maxime abominabile. Sic enim orat. 1. pag. 34. Nulla, inquit, magis ab hominum societate abhorret malitia, quam perfidia et infidelitas; quippe, quæ unicum vitium sit, adversus quod nullam cautionem ac provisionem comparare possimus: ita ille. Nam minus abominabilis Deo, qui perfidus illudit. Cum trium mensium inducias Agesilaus rex Lacæd. cum Tissapherne Persa fecisset, atque ille perfidus ad arma rueret, Agesilaus trepidantibus militibus ait: Gratias habeo Tissapherni. de periurio suo, quo nobis Deum propitium, sibi contrarium reddidit. Pugna commissa, cæsus est Tissaphernes, ac fugatus.

205. VI. *Peccator est arcus pravus et quomodo.* Sexto, peccatores ut plurimum sunt hypocritæ et dolosi. Hinc comparantur hic arcui pravo: *Conversi sunt in arcum pravum*, id est distortum, inflexum, inversum, tortuosum. Hebr. in arcum doli. Psalter. Illyr. in arcum inversum. Arcum pravum esse ait Beda eum arcum, qui cum intenditur, ut per eum aliquid mittatur in hostem, B remittitur, quod nihil per eum mittitur: tales esse eos, qui quasi intensi fuerunt promittendo se omnia facturos quæ præciperentur: et mox remissi facti sunt, quia nihil fecerunt. Secundo, et melius, fiunt arcus pravus, qui fingunt se iacere sagittas in hostes, et iaciunt primo in Deum, ut ipse conqueritur. Malach. 3. 8. *Sic affliget homo Deum, quia vos configitis me. Et dixistis: In quo configimus te. In decimis, et in primitiis, etc.* Secundo, qui iaciunt sagittas in se ipsos. Remig. Nemo, ait, non prius in se, quam in alterum peccat. Isaiæ 59. 5. *Ova aspidum ruperunt.* Ex quibus scilicet aspis erumpens illos confodiat et enecet. De malis hypocrisis vide S. Chrysol. serm. 7. ubi inter cætera dicit: *Hypocrisis crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum.*

206. VII. *Imitatio facilis vitiorum, quibus parentes subsunt.* Septimo, peccatores facile imitantur aliorum, præsertim parentum et affinium, ac prælatorum peccata: *Sicut patres eorum.* Hoc exprobrat Iudæis Christus, Matt. 23. 29. et S. Stephanus, Act. 7. 51. In Balearibus insulis discunt pueri funda rem etiam minimam disiicere, Parthi iaculari in fuga, omnes provinciæ suæ et familiæ mores imitantur. Ad hoc advertant parentes, plus exemplo, quam verbo proderunt liberis. S. Leo serm. de S. Laurentio. Validiora, inquit, sunt exempla quam verba, et plenius est opere docere, quam voce. Tobias senior cap. 2. 18. ad virtutem adhortans Tobiam iuniorem filium suum, dicebat: *Filii Sanctorum sumus.* S. Greg. Nyss. in vita Mosis, hoc exemplo facis in portu lucentis declarat: Attendite, inquit, ad Abraham patrem vestrum: Sicut qui ventorum a recta navigationis via in pelagus exacti sunt: si ad ignem, vel cacumen montis respexerint, facile se ab errore in tutum reducunt: sic quicumque huius vitæ fluctibus oppressi a virtute aberrant, exemplo Abrahæ, quasi gubernaculo, ad divinæ voluntatis portum revocantur: ita Nyssenus.

207. VIII. *Peccator omnis est superbus.* Octavo, peccatores superbi sunt, Deum enim audent aggredi: *In iram concitaverunt eum in collibus suis.* Iacobus Vitriacus Dom. 6. post Epiphan. Timor superbiæ, ait, est quasi quidam mons, qui radios veri solis ad animam transire non sinit. Deuteron. 12. 2. iubet disiici omnia excelsa in montibus et collibus sita, atque aras eorum dissipari, et lucos igne comburi, atque idola comminui. Quod autem superbia Deum ad iram concitet, habes Eccl. 10. 7. ubi superbia dicitur odibilis Deo et hominibus. Prov. 6. 16. asseritur, Deum detestari oculos sublimes. S. Hilarius in Ps. 118. Nulla, inquit, peccata magis provocant in nos iram Dei quam superbia. Et iure quidem, quia, ut ait S. Ioan. Clim. grad. 22. est, Θεου αρνησις, Dei abnegatio. Ut Theophylactus in cap. 7. Marci, quasi contemptus Dei. Ut S. Prosper tertio lib. de vita contemplat. cap. 2. Contemptum Dei nulla res alia persuadet hominibus, nisi superbia. S. Basil. admonition. ad filium spiritual. Vir humilis, inquit, Deo est similis, et in templo pectoris sui gestat illum. Superbus autem cum Deo sit odibilis, diabolo similis est. S. Antonius Epist. 2.

A ad Arsenoitas: Per superbiam, ait, et inanem gloriam dæmones nos segregant a Deo. Halitgarius lib. 1. de pœnitentia, cap. 2. Superbia, ait, facit Dei præcepta contemni, et ex angelis dæmones facit.

Secundo, superbia Deum ad iram concitat: quia ut ait S. Aldhelmus, Est regina vitiorum: ut loquitur Nicolaus de Nyse in summa 2. p. destructorii, tract. 2. Est regina et mater omnium vitiorum: ut Theophylactus in cap. 1. ad Romanos, Ad omnium vitiorum arcem conscendit: ut Gelasius adversus hæresim Pelagianam, Super omne peccatum est: S. Bernard. Dominic. 4. post Pentecosten, est peccatum maximum: ut Innoc. III. lib. 2. de contemptu mundi cap. 30. Est primogenita mors; ut Albertus Patavinus serm. 95. Huius reginæ progenies sunt omnia vitia: Eccl. 10. 15 vocatur Initium omnis peccati: a Calisto I. Epist. 1. Initium transgressionis et origo peccati: ab Hugone a S. Victor. lib. 3. de anima cap. 24. Origo omnium criminum: a S. Bernard. Senensi, tom. 2. serm. 20. Omnium flagellandorum scelerum, quæ contra charitatem fiunt, principium et origo: a S. Eucher. Lugdun. in Domin. 11. post Pentecost. Radix omnium malorum: ab Helmoldo in chron. Sclavorum, lib. 3. cap. 9. De stirpe pessima pullulans: a Ioan. Sarisb. lib. 3. Polycratici cap. 3. Radix omnium malorum, mortisque fomentum: a S. Prospero lib. 3. de vita contempl. cap. 2. Peccatorum omnium causa: a Beda ad cap. 11. Ioann. Causa omnium malorum: a S. Anselmo de similitudinib. cap. 9. Bestia vitiorum plena: ab Hildeberto Cenoman. Epist. 31. Prima et ultima pernicies. Tertio denique, superbia Deum ad iram concitat, quia virtutes omnes obruit. S. Isid. Hisp. lib. 2. de summo bono: Sicut, ait, superbia est origo omnium criminum: ita ruina cunctarum virtutum. Ioan. Cassian. lib. 12. instit. cap. 3. Nullum est, inquit, vitium aliud, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaque iustitia et sanctitate hominem spoliet ac denudet, ut superbiæ malum, *tamquam generalis quidam et pestifer morbus non unum membrum partemve eius debilitare contentus, sed solidum corpus lethali corrumpit exitio, et in virtutum iam fastigio collocatos gravissima ruina deiicere ac trucidare:* ita Cassianus.

Et sic Deum ad iram concitat.

Est superbia vitium maximum.

Elogia eius plurima.

Nono denique, peccatores Deum ad æmulationem provocant, quia alios deos sibi constituunt: Nam superbi unus est honor, voluptuarii ipsa voluptas, avari aurum. Deus autem est æmulator, ut vocatur Deuter. 4. et 5. Et ipse ait Exodi 20. vers. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Deus Zelotes.* Ezechielis 16. v. 23. velut Zelotypia ardens dolet populum Israel fornicatum esse cum lapide et ligno instar gentilium. Lege totum caput. 208. IX. *Peccator est idololatra.*

Nunc in una hæreamus avaritia, quæ a S. Paulo Ephes. 5. v. 5. vocatur idolorum servitus. Colossens. 3. v. 5. simulacrum servitus. S. Chrysost. homil. 64. in Ioannem dicit avaritiam esse δαιμονος χαλεπωτερον, dæmone ipso graviorem: *Dæmone, inquit, gravior est pecuniarum cupiditas: cui multi magis obediunt, quam illi idolis. Illi enim in multis non parent, huic vero in omnibus: et quodcumque faciendum suggerit, obsequitur. Quid dicit avaritia? Esto omnibus inimicus, obliviscere naturam, contemne Deum, sacrificium mihi te ipsum offer. Dicto citius parent: et idolis quidem boves sacrificant. Avaritia dicit: Offer mihi animam tuam, et persuadet.* S. Ioan. Climac. 92. 16. pag. 23. sic ait: Avaritia est idolorum servitus, soboles incredulitatis. Avarus est, πατερων μυκτηριστης, Evangeliorum irrisor, et voluntarius prævaricator. S. Anselm. in cap. 5. ad Ephes. *Avari Deus*, inquit, *nummus est: quia spem suam in eo posuit, et a Dei cultu pro eo recessit.* Tirinus noster ibi: Avarus, inquit, signatas nummorum suorum effigies colit pro Deo, imo præ Deo diligit, sicut idololatræ statuas suas aureas et argenteas, inquit Theophylactus. Et ut hi in Iove vel Marte, sic ille in Mammona, spem omnem victus, vitæ ac felicitatis suæ reponit: et cor, mentem, animam totam illi immolat, nec audet idolum suum contingere: pro templo, arca, claustris et vectibus illud sepit, tanta cura et studio, ut malit ocu- *Præsertim avarus.*

los et animam perdere, quam thesaurum suum, inquit Chrysostomus: additque, postquam idolum suum sic conclusit, deinceps illud adoraro: alludens cum Herode Sophista, ad Aloadas, qui postquam Martem incarcerassent, ei sacrificarunt, teste Philostrato. Sic Tirinus, Gerson quoque in compendio Theologiæ, de septem vitiis capitalibus: Avarus, ait, proprie in effectu et opere exhibet creaturæ, scilicet pecuniæ, illud, quod deberet Creatori, et præcipue fidem, spem, et dilectionem.

Avaritiæ varia elogia. Quare iure ab Innoc. 3. lib. 2. de cont. mundi, avarus vocatur, Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis. Et avaritia dicitur a Ioan. Sarisburiensi lib. 8. Polycratici, cap. 15. ingratissimum, et odiosissimum vitium: a Lactantio, furia: a Martino Dumiensi lib. de moribus, monstrum: a Leone Imper. in oration. encom. in Chrys. arx vitiorum: a Laurentio Novariensi hom. de pœnit. infandum vitium; quod scilicet satis explicari et vituperari verbis non possit: a S. Isidor. Hispal. lib. 2. de summo bono cap. 41. omni peccato peior: a S. Laurent. Iustin. tract. de ligno vitæ sect. de obed. cap. 5. pestis maligna et detestanda: a Ludolpho Saxone Carthus. vitæ Christi p. 1. cap. 80. ferocissima pestis: a Iacobo Sadoleto, de regno Hungar. a Turcis oppresso et rapto, tetra horribilisque pestis: a S. Greg. Nyss. l. de vita Mosis, crudelis domina.

Sed omnia complexus est Christus, Matth. 6. 24. *Non potestis Deo servire et mammonæ*: et S. Paulus 1. ad Timoth. 6. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis*. Atque auctor Eccl. cap. 10. 9. *Avaro nihil est scelestius.*

Demetrius Phalereus de Atticis metallis agens dixit, tanta assiduitate homines ibi fodere, ως προσδοκουντας αυτον αναξειν πλουτωνα, ac si sperarent se ipsum Plutonem erituros. Plutus seu Pluto erat illis divitiarum et inferorum Deus: πλουτος enim sunt divitiæ. Strabo lib. 3. pag. 156. scribit, Romanos ita fuisse argento fodiendo intentos, ut teste Polybio, in argenti fodinis prope novam Carthaginem, τετταρας μυριαδας ανθρωπων μενειν των εργαζομενων, quatuor myriadas, id est, quadraginta millia hominum ibi in labore versarentur, atque in singulos dies populo Romano tum temporis 24. millia drachmarum redderent. Nunc plerique so ob aurum argentumque conterunt, illudque servant instar formicarum Indicarum, do quibus agit Megasthenes: et instar gryphum hyperboreorum, de quibus Bonfinius: atque, ut loquitur S. Prosper lib. 2. de vita contempl. cap. 15. ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione suscipiunt. Herodotus lib. 3. ait, apud Æthiopes Macrobios propter auri copiam reos alligari solitos catenis aureis.

Concludamus cum Chromatio in cap. 5. Matth. Fugere ac vitare debemus cupiditatem pecuniæ, avaritiam sæculi: Turdetani argento abundabant. no nos indignæ servituti eius, vel diabolo, qui auctor est avaritiæ, subiugemus: ita ille. Avaritiæ non suffecerit, si, ut tradit Strabo lib. 3. olim Turditanis in Hispania usitatum esse, argenteis præsepibus et doliis utatur. S. Zeno Episcop. Veron. serm. 1. de avarit. dicit, ne orbem quidem totum illi sufficere: *Inquieta*, ait, *semper exæstuat, sævit, pugnat, rapit, congregat, servat, sui tenax, appetens alieni: non suo, non alieno, non toto orbe contenta*. Si vero divitias spreveris, vere dives eris. Luitprandus Ticinensis lib. 5. cap. 12. Non esse cupidum, ait, vera pecunia est. S. Cyrill. ait, te sic fore orbis dominum et possessorem. Verba eius sunt catech. 5. Magnum quiddam, ait, est vir fidelis, omnique divite ditior. Nam πιστου ολος κοσμος χρηματων, universus divitiarum mundus fidelis viri est, qui possit eas contemnere et conculcare. Qui enim ad apparentiam divites sunt, multaque possint, in anima pauperes sunt. Quanto enim plura congregant, tanto magis eorum quæ desunt concupiscentia tabescunt. Fidelis autem vir, quod est maximo paradoxon, in paupertate dives est. Sciens enim quod tantum habere necesse est, quibus tegamur et vescamur, his contentus spernit divitias: ita Cyrillus.

SECTIO OCTAVA ET ULTIMA.

209. *Duo complectitur. Primo, reprobationem synagogæ Iudaicæ, v. 59. Secundo, electionem Ecclesiæ Catholicæ, v. 68.*

PARAPHRASIS.

59. *Audivit Deus et sprevit: et ad nihilum redegit valde Israel.*	59. Tot ingratorum ac rebellium Iudæorum scelera cum patienti animo diu audivisset Dominus: tandem illos contempsit in malitia obstinatos, et hostium potestati permissos, ad nihilum redegit.
60. *Et repulit tabernaculum Silo: tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus.*	60. Tabernaculum sibi a Mose extructum, et in Silo urbe tribus Ephraim a Iosue positum, atque Iudaicæ Ecclesiæ typum, pro nihilo duxit, licet in eo potissimum habitare se declararet.
61. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum: et pulchritudinem eorum in manus inimici.*	61. Atque arcam fœderis, in qua maximum illorum robur et ornamentum erat, in Philisthæorum manus incidere passus est, cum tempore Heli Pontificis, insignem de illis victoriam reportarunt.
62. *Et conclusit in gladio populum suum: et hæreditatem suam sprevit.*	62. Milites sibi fuga consulere volentes, obstructo in patriam reditu, hostilibus turmis victricibus conclusit, et gladio tradidit: populumque sibi in hæreditatem selectum penitus abiecit.
63. *Iuvenes eorum comedit ignis: et virgines eorum non sunt lamentatæ.*	63. Neque maturæ iam ætatis viros, aut decrepitos tantum senes, ardor bellicus absumpsit, sed lectissimum iuventutis florem, in quo spes regni erat posita. Virgines in servitutem abductas, aut sponsis orbatas, non fuit qui lugeret, proprio damno satis occupatus.
64. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: et viduæ eorum non plorabantur.*	64. Neque Ophni et Phinees, aliosque Sacerdotes sacra texit unctio, sed ipsi etiam in hostiles gladios inciderunt: eorumque viduis partim præ dolore morientibus, partim luctu perditis, nemo compassus est, ob communem rerum omnium perturbationem.
65. *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus: tamquam potens crapulatus a vino.*	65. Tandem enim, qui veluti somno sopitus, Iudæorum scelera toleraverat, vindex Deus exurrexit: et instar principis alicuius diu ob ebrietatem quiescentis, et in iras postea exardescentis, furori suo puniendos obiecit.
66. *Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.*	66. Eosque totos veluti dorsum constituens, innumeris, continuis et gravibus cladibus afflixit: atque in æternum a se reiectos omnium nationum probrum et ludibrium constituit.

67. Et repulit tabernaculum Ioseph: et tribum Ephraim non elegit.

67. Neque meritis Iosephi, moveri se passus est, ut iterum in Silo tabernaculum statueret: neque Ephraimo datas benedictiones attendit, ut in aliqua alia eiusdem tribus urbe arcam statueret.

68. Sed elegit tribum Iuda: montem Sion quem dilexit.

68. Sed præ cæteris tribum Iuda selegit: atque in ea tribu Sionem montem Ecclesiæ Catholicæ typum, eumque montem peculiari amore suo dignatus est.

69. Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum: in terra quam fundavit in sæcula.

69. Ibique templum sibi a Salomone extrui curavit, instar cornu monocerotis firmissimum: illud autem esse voluit in ea terra, quam in perpetuo pro domo sua fundavit atque stabilivit.

70. Et elegit David servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum.

70. Atque e tribu Iuda Davidem, Messiæ figuram, in regem populi sui delegit, cum antea gregibus pecorum pascendis occuparetur, et fœtas oves sequeretur atque curaret,

71. Pascere Iacob servum suum: et Israel hæreditatem suam.

71. Ut universi populi sui sedulus pastor existeret: atque hæreditatem suam conservare et augere contenderet.

72. Et pavit eos in innocentia cordis sui: et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

72. Quod tum ipse, tum præsertim Messias filius eius præstitit, summa mentis puritate et integritate, atque admirabili in omnibus operibus sapientia, ut divinas oves ad rectam salutis viam deduceret.

QUÆSTIO UNICA.

Quam lugenda Iudæorum et animæ peccatricis reprobatio: quamque felix Christianorum electio ad fidem, et iustorum ad gloriam.

210. Ordo Sectionis. Prima Sectione huius Psalmi attentionem excitavit Propheta, seu Christus in eo loquens, propter maxima mysteria, quæ dicturus erat. In secunda et seqq. ostendit Iudæos ingratos fuisse, Deo potentiam suam, liberalitatem, iustitiam, misericordiam et charitatem pro ipsis sæpe effundenti, ante ingressum in terram promissionis. In septima, aperuit eorum ingratitudinem, etiam post ingressum in felicem illam terram. Tandem extremo loco declarat reprobationem ipsorum, et electionem Christianorum ad fidem, gratiam et gloriam, quod erat ænigma in principio Psalmi propositum.

Ac primo, contemptos a Deo et derelictos ait Iudæos, cum tempore Heli Pontificis et Iudicis victi sunt a Philisthæis: sub hac autem figura et parabola agit de totali gentis Iudaicæ reprobatione, v. 59. *Audivit Deus, et sprevit: et ad nihilum redegit valde Israel.*

Sigillatim omnia perceoset, et ait a Deo reiecta esse: nempe tabernaculum, arcam, populum, iuvenes, Virgines, Sacerdotes, Viduas, omnes denique graviter afflictos esse. 1. Tabernaculum, quod a Silo transtulit, v. 60. *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.* 2. Arcam, in manus hostium eam tradendo, v. 61. *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici.* 3. Populum, eum obiiciendo hostium furori, v. 62. *Et conclusit in gladio populum suum, et hæreditatem suam sprevit*: Primo iuvenes, v. 63. *Iuvenes eorum comedit ignis.* Secundo virgines: *Et virgines eorum non sunt lamentatæ.* Tertio, Sacerdotes, v. 64. *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt.* Quarto. viduas: *Et viduæ eorum non plorabantur.*

Gravitatem illius plagæ demonstrat, quod fuerit inopinata, fœda, æterna, inevitabilis. Primo enim, inopinatam fuisse docet, Deo velut a somno repente exurgente, cum antea dormiens peccata eorum dissimularet, v. 65. *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus: tamquam potens crapulatus a vino.* Secundo, fœda fuit ea plaga, v. 66. *Et percussit inimicos suos in posteriora.* Tertio, æterna: *Opprobrium sempiternum dedit illis.* Quarto, inevitabilis, quam ne viri quidem magni nominis impedire potuerint, v. 67. *Et repulit tabernaculum Ioseph, et tribum Ephraim non elegit.*

Secundo, electionem ponit Christianorum, figuratam sub regno Iuda. Nam primo, Deus elegit tribum Iuda, ut præesset populo suo, v. 68. *Sed elegit tribum Iuda.* Secundo, ex tota tribu elegit præ cæteris urbibus Ierusalem: *Montem Sion quem dilexit.* Tertio, in Ierusalem templum sibi extrui voluit, v. 69. *Et ædificavit sanctificium suum in terra, quam fundavit in sæcula.* Quarto denique, in ea regem Davidem elegit, vers. 70. *Et elegit David servum suum.* Ostendit enim unde sit vocatus. *Et sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum;* 2. ad quid vocatus, v. 71. *Pascere Iacob servum suum, et Israel hæreditatem suam;* 3. declarat, quam perfecte id sit facturus, v. 72. *Et pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.*

ARTICULUS I.

Reprobatio Iudæorum, et peccatorum in peccata relabentium.

In deserto peccantes Hebræos Deus diuturnis cladibus sæpe puniebat, in scelus relabentes annorum quadraginta peregrinatione mulctavit. Sub Iudicibus modo octo annorum, modo viginti, modo quadraginta captivitas fuit. Sub regibus nunc ab Assyriis, nunc a Chaldæis, aliisque afflicti sunt, donec 70. annis in Babylone servirent. Denique duces habuerunt et reges, donec occiso Christo ad eos misso, urbe, templo, altari, Sacerdote, rege, regno, in æternum privati sunt. Hoc nunc declaratur sub figura tabernaculi reiecti, quod erat in urbe Silo.

Deum enim Propheta velut in tribunali sedentem facit, ad quem peccatorum clamor ascendat, et a quo fulmen in scelerata capita devolet, quæ in cineres redigat, v. 59. 211. Vers 59.
Audivit Deus (Hebræos se exacerbantes, et idolis suis ad iram provocantes) et sprevit (sibi cum diis suis impares, quos tamen ei opponere et præferre volebant, eum provocantes velut ad singulare certamen) et ad nihilum redegit valde Israel.

Modum quo eum sprevit, et ad nihilum redegit, declarat v. 60. Et repulit tabernaculum Silo (quod constituerat) tabernaculum suum, ubi habitavit (in arcæ propitiatorio sedens, et oracula reddens) in hominibus, id est, inter homines. Sic sumitur τὸ *in*, Ioan. 1.14. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, id est, inter nos, nobiscum. Vers. 60.

De arca, in qua erat robur et gloria populi Hebræi subiungit, v. 61. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum (Hebr. עזו *uzzo*, id est, fortitudinem, robur et potentiam) et pulchritudinem (Hebr. gloriam) eorum in manus inimici. Vers. 61.

Totius populi cladem explicat, v. 62. Et conclusit in gladio (Syrus, tradidit gladio. Chaldæus, tradidit occidentibus gladio) populum suum, et hæreditatem suam sprevit. Concluditur gladio populus, cum ex omni parte a victore exercitu cæditur, ut accidit, cum tempore Heli cæsi sunt Hebræi a Philisthæis, ita ut in primo prælio quasi quatuor millia virorum; in secundo triginta millia perierint. Vers. 62.

Vers. 63. Nulli pepercit iratus Deus. Nam subditur v. 63. IUVENES EORUM COMEDIT IGNIS: 1. ardor iræ Dei; 2. furor belli; 3. ignis etiam materialis fortasse aliquos succendit, frementibus Philisthæis, quod ausi essent Israelitæ iterata pugna secum certare; ET VIRGINES EORUM NON SUNT LAMENTATÆ, id est, virgines eius nemo luxit, ut vertit S. Hieron. Nam τὸ lamentatæ sumitur passive, ut patet ex Hebræo הללו *hullalu*, quod est in coniugatione Pual, quæ est passiva Piel. Arias reddit, non sunt epithalamio celebratæ. Felix, non nupserunt. Pagninus, non fuerunt nuptui traditæ. Sed Septuaginta interpretes præferendi sunt omnibus recentioribus Hebraizantibus et Rabbinis. Non sunt porro virgines, quæ a victore polluebantur, aut captivabantur, aut occidebantur, lamentis requisitæ, tum quia sponsi earum in bello perierant, tum quia alii non supererant quibus darentur, tum ob direptionem opum dos illis non restabat, tum denique ob universalitatem cladis, quæ omnes occupabat, et sibi solis attentos esse cogebat.

Vers. 64. Concludit, v. 64. SACERDOTES EORUM IN GLADIO (id est gladio) CECIDERUNT (Ophni scilicet ac Phinees filii Heli Pontificis, qui erant duces in eo bello contra Philisthæos) ET VIDUÆ EORUM NON PLORABANTUR. Mortua est inter cæteras viduas uxor Phinees audita morte viri sui: Leviri, id est fratris viri sui, nempe Ophni, Heli Pontificis soceri sui, et captivitate arcæ.

212. Tabernaculum Silo repulit Deus, et quomodo? Quæres, quomodo Deus repulit tabernaculum Silo? Respond. hoc tripliciter posse explicari. Primo, q. d. Tabernaculum Mosaicum Deus abstulit ab urbe Silo, et alio transtulit. Ubi nota, post transitum Iordanis, cum Iosue populum in terram promissam introduxit anno mundi 2581. exitus ab Ægypto anno 41. constitutum est tabernaculum

I. Mosaicum in Galgalis, quo in loco primum hæsit populus Hebræus et castra sua posuit: ibi per sex annos mansit, donec primo anno Sabbatico, a Iosue traductum est in Urbem Silo, quæ erat tribus Ephraim, sicut ipse Iosue, in amœno loco et natura munito, erat enim in colle. Credibile est, Iosue secutum esse voluntatem Dei per Eleazarum Pontificem, vel aliquem alium Prophetam, sibi declaratam. Ibi per annos 350. circiter permansit; tunc enim arca a Philisthæis victoribus capta est anno mundi 2939. ante Christum 1114. Ophni et Phinees cæsi sunt, Heli Pontifex e sella corruens occubuit. Tabernaculum illud Mosaicum, ne præda hosti foret, translatum in Sacerdotalem civitatem Nobe, ibique hæsit per 35. annos, donec cæsis Saulis iussu Sacerdotibus, translatum est in Gabaon tribus Beniamin, quæ urbs distabat a Ierusalem tribus fere leucis; ibi per annos 56. perduravit, donec Salomon in templum cum arca et vasis sanctuarii anno 3030. illud intulit, 3. Regum 8. In eo Salomonis templo mansit per annos 417. quo tempore, a Chaldæis destructo et exusto templo, Ieremias illud tabernaculum cum arca occultavit in quadam spelunca omnibus incognita, 2. Machab. 2. 8. Silo porro urbs erat de Tribu Ephraim prope Bethel, ad Septemtrionem, et ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, et ad meridiem oppidi Lobna, Iudic. 21. 20. tribus a Ierusalem distans leucis, ut Brocardus ait in descriptione terræ sanctæ: aut quatuor milliaribus, ut Abulensis, 1. Regum 1. quæst. 8. et a Sichem duo.

II. Secundo, *Deus repulit tabernaculum Silo*, id est repulit ac reiecit tabernaculum, quod in urbe Silo muris lapideis ei ædificaverat Iosue. Ubi nota Primo, cum Saliano in epitome anno mundi 2590. ante Christum 1463. quo anno in Siluntem facta est tabernaculi translatio ex Galgalis, sic loquitur: Existimo in monte, in quo urbs Silo

In Silo fuit tabern. ligneum aut lapideum. extructa erat, in latiore aliqua platea erectum sub dio tabernaculum, atrio suo undique cinctum, ibique ad trecentos circiter annos ita perdurasse, ut in deserto triginta novem, sex in Galgalis steterat. Erat enim suis pellibus atque operculis egregie convestitum, et contra omnes ventorum ac pluviarum iniurias communitum. Et quamvis minime absurdum sit, ipsum tabernaculum seorsim ab atrio, *ligneo aliquo tecto, tegulisque etiam magnificentius quam cæteras domos, fuisse coopertum*. Atrium tamen sub dio constituendum est, in coque altare holocaustorum, et concha, ad quam sese Sacerdotes abluerent: hæc Salianus. Rabbini censent, in Silo fuisse ædem ex lapideis muris absque tecto, ex quibus aulæa cortinæque penderent, ac tabernaculum ostenderetur: non ut in deserto ex solis tabulis et paxillis. Sunt qui dicant, Deum repulisse illud tabernaculum, quia in die prælii, in quo arca capta est, divinitus corruit. Crediderim potius a Philisthæis victoribus eversum, capta urbe Silo, a qua Hebræi raptim extulerant tabernaculum Mosaicum.

Tertio denique, certius et melius, *Deus repulit tabernaculum Silo*, id est tabernaculum Mosis, quod erat in urbe Silo, Deus repulit, hoc est, a se reiecit in eo nolens amplius habitare. In arca enim sibi thronum Deus, id est angelus Dei vicarius, statuerat, et in propitiatorio sedens oracula reddebat. Ex quo autem victi sunt Ophni et Phinees a Philisthæis, et ab iis arca capta est, nunquam arca reposita est in eo tabernaculo. Nam tabernaculum fuit in Nobe et Gabaone, ut dixi: arca autem apud Philisthæos, partim in eorum urbibus, partim in circuitione earum, fuit per septem menses. Secundo, arca apud Bethsamitas mansit aliquot mensibus, ut tota mora arcæ apud Philisthæos et Bethsamitas unius circiter anni fuerit, ait Salianus. Tertio, inde ducta est in urbem Cariathiarim, ibique hæsit per annos 20. usque ad annum Samuelis Iudicis 20. ut tradit Iosephus: aut potius per annos 49. usque ad ann. Davidis regis 10. ante Christum 1064. mundi 2989. tunc enim David eam iussit transferri ex Cariathiarim in Sionem montem, in tabernaculo ponendam a se extructo prope suum palatium. Inde in templum a Salomone est translata post annos 40. anno mundi 3030. Salomonis 11. ibique mansit per annos 417. donec exciso a Chaldæis templo Ieremias eam occultavit cum tabernaculo in spelunca, anno mundi 3449. Arca porro in Silo mansit per annos 369. si sequamur Hebræorum chronologiam: per annos 476. si Abulensem, 1. Reg. 4. 8. per 330. circiter, si Salianum. Eadem enim est ratio arcæ et tabernaculi. Eodem enim tempore utrumque a Silo est ablatum, nempe post victoriam a Philisthæis reportatam, in qua arca capta est.

III. Et optime.

Arca ubi fuerit post tabern. a Silo translatum.

Moral. cogita Primo, quod Deus audit omnia quæ hic geruntur, ut ea puniat aut præmiet. Sap. 1. 10. *Auris zeli audit omnia*. Sic audit sanguinem Abelis petentem vindictam, Gen. 4. 10. scelus Sodomorum, Gen. 18. 20. Mercedem negatam operariis, Iacobi 5. 4. 213.

Deus ad nihilum redigit sceleratos.

Secundo, Deus sprevit et ad nihilum redigit peccatores. Vide dicta Ps. 72. 22. *Ad nihilum redactus sum, et nescivi*. Brachmanes quidam in India tres deos constituunt, quos vocant Pyrama, Vidhunu, et Unitire: dicuntque ab uno res fieri, ab altero destrui, a tertio conservari, ut ait Petr. du Iarric t. 1. hist. Ind. lib. 2. cap. 19. Deus noster Deus unus est, qui nos velut figulus plasmavit, et rebelles conterit. Ier. 9. 11. *Sic conteram populum istum, et civitatem istam* (Ierusalem) *sicut conteritur vas figuli, quod non potest instaurari*. Sophar Naamathites, Iob. 20. ait gaudium impii esse instar puncti, et superbiam eius perdi quasi sterquilinium. Verba eius sunt v. 5. *Hoc scio, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritæ adinstar puncti. Si ascenderit usque ad cælum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur: et qui eum viderant, dicent: Ubi est? Velut somnium avolans non invenietur. Transiet sicut visio nocturna*. Lege cætera, et quæ dixi Ps. 36. 35. in illud: *Vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani; transivi, et ecce non erat*. Regna ipsa in nihilum redigi ob impietatem et scelera optime probari potest exemplo regni Peguensis in India, quod ex florentissimo statu in miserrimum ac pene in nihilum rediit. De eo sic refert Petr. du Iarric tom. 1. lib. 2. cap. 24. pag. 616. Rex, inquit, Peguanus, pater illius qui anno 1599. regnabat, numerari iure potest inter potentissimos, qui eo in regno floruerint. Duodecim eum alia regna suo subiecit imperio, atque inter cæ-

Tres dii Indorum ad creandum, cons. et annihil.

Mira clades regni Peguani.

tera Sionis regnum, quo in bello secum militum millionem unum et sexaginta millia, quos omnes e subditis assumpserat, uno tantum ex decem hominibus adlecto. Rex ille triginta totos annos sceptrum tenuit: tantaque rerum omnium ubertate potitus est, ut, si vel centum naves oryza onerasset, cariori pretio non vænisset. Nunc vero regnum hoc tantam in calamitatem incidit, ut vix unum ibi hominem reperias. Anno enim 1599. regis illius filius tantam ad inopiam redactus est, ei ut tantum arx unica superesset, in quam cum septem subditorum millibus, si mulieres puerosque numeres, se receperat: ubi tanta penuria premebantur, ut eos rabida fames ad esum humanæ carnis adigeret, quæ in foro venalis prostabat. Parentes in liberorum iugulum, et liberi in parentum viscera sicam adigebant, eorum ut carnibus miseri vescerentur. Valentiores imbecillioribus necem afferebant: ipsæque mulieres in furias actæ ob famem, strictis cultris vicos oberrabant, et in obvios debiles sæviebant. Tanta autem calamitas ob regis crudelitatem accidit. Hæc Iarrius.

214. *Deus impios a se repellit.* Tertio, Deus animam impiorum repellit, licet antea fuerit eius tabernaculum et arca, in qua prius habitaret per gratiam. S. Paulus 1. Corinth. 3. 16. *Nescitis*, inquit, *quia*, quod, *templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Ierosolymitas remittit Ieremias ad considerandum tabernaculum in Silo eversum ob scelera. Sic enim ait cap. 7. 12. Deus: *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio: et videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Et nunc quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus: et locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis: et vocavi vos, et non respondistis, faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam: et loco quem dedi vobis, et patribus vestris sicut feci Silo. Et proiiciam vos a facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim.* *Superbi in Ophni et Phinee figurati.* Ophni et Phinees Sacerdotes impii et in tabernaculo Silo, sunt intellectus et voluntas in peccata procurrentes. Ophni significat cooperientem, tales sunt hypocritæ: Phinees significat faciem confidentiæ, tales sunt de se præsumentes ob dignitatem et scientiam: illi sunt filii Heli, id est elevantis seu elevationis, hoc est superbiæ, sed quæ corruit et sibi cervices in lapsu confringit. *Visio terrifica Amurathi.* Amurathes III. Turcarum Imp. visus est sibi videre proceræ molis gigantem altero pede celsissimæ Constantinopolis turri innitentem: altero autem, turri Peræ, quæ ab urbe freto dividitur. Manu porro dextra solem, lunam læva tenebat: ac sinistro pede maximam Turcarum synagogam deiiciebat in terram, et palatium imperiale obruebat. Ad hæc, cum instraret exercitum in Hungariam mittendum, turbine ventorum subito aer obscuratus est, et tentoria disiecta, et pluvia decidens aspersit crucibus vestes Turcarum, et præsertim ipsius Imp. Hæc prodigia secutum est navalis exercitus naufragium ad ora Danubii, ut ait Michael Baudier in hist. Turc. lib. 15. pag. 519. Occupationem urbis Constantinopolis, et præsertim templi S. Sophiæ ab exercitu Latinorum deplorat Nicetas Choniata, in Alexio Duca pag. 6. O urbs urbium, inquit, urbium omnium ocule, per orbem terrarum celebris, spectaculum ultramundanum, Ecclesiarum mater, princeps religionis, rectæ sententiæ dux, eruditionis alumna, omnis pulchritudinis diversorium. Itane ex manu Domini calicem furoris bibisti? Itane pars extitisti ignis multo vehementioris eo, quo olim Pentapolis divinitus conflagravit? Et fol. 66. Tu quoque, ait, regina urbium, urbs amplissima, urbs magni regis, *tabernaculum Altissimi*, laudatio et celebratio ministrorum eius, deliciæ hospitum, imperantium urbium imperatrix, canticum canticorum, splendor splendorum, et rebus visu raris spectaculum rarius, quis nos avulsit, ut a chara matre charos liberos? Qui erimus? quo nos vertamus? Ac postea lugens separatum se esse a templo S. Sophiæ: Numquid, inquit, templum amplissimum et divinissimum, unquam

A post hac te videbo? *cælum terrenum*, *solium gloriæ Dei*, Cherubicε currus, firmamentum alterum, fabricam manuum Dei annuntians, spectaculum et opus singulare, firmum universum universæ terræ decus: ita Nicetas. De Ierusalem et templo everso lege Threnos Ier. c. 1. 6. et seq. cap. 2. 15. et passim alibi. Anima porro sancta, est arca, Primo, facta ex lignis Sethim imputribilibus, per innocentiam et castitatem. Secundo, deaurata intus et foris per charitatem Dei et proximi. Tertio, habens coronam auream per finalem perseverantiam. Quarto, quadrata per constantiam. Quinto, habens legem intra se per iugem recordationem mandatorum Dei. Sexto, Deus in ea sedet atque oracula reddit, per gratiam et varias inspirationes.

Quarto, Deus gladio sæpius obiicit impios. Hoc prædicit David Ps. 34. 3. Deum alloquens: *Effunde frameam, et conclude adversus eos qui te persequuntur.* Ieremias id nomine Dei dicit Phassur scelerato, Ierem. 20. Neque est evadendi modus, Ps. 48. 8. *Non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ.* Vide eum locum, quem illustrare potes re notabili, quam refert Mich. Baudier. lib. 14. hist. Turc. Ivo, ait, Moldaviæ Palatinus Turcarum exercitus sæpe fudit fugavitque, et Tartaros fregit illi auxilio missos, idque opera Kosacorum. Inter captivos repertus est exercitus Tartarorum dux generalis: *Qui cum Kosacorum Polemarcho Suiercenæ curasset offerri æquale sibi gemmarum pondus, duplum auri, triplum argenti, libertatem obtinere non potuit; sed ad Ivonem ductus, vivus in partes dissectus est:* hæc ille. Magnum Suiercena documentum fidei dedit hac in re, et Ivo crudelitatis: fortasse hæc falso iactari credebant, donec iræ fervor intepesceret. Sed Deus qui nec auri, nec gemmarum est indigus, tibi non parcet, si vel totum orbem in gemmas et aurum commutes, illudque ei dones. 215. *Deus gladio obiicit impios.* *Mira crudelitas Ivonis.*

Quinto, ignis passionum et vitiorum depascitur, et ad nihilum redigit animam, atque eius potentias et sensus: *Iuvenes eorum comedit ignis.* Beda de lascivis et irreligiose se habentibus, locum hunc explicat: et vero libidinis flamma præsertim iuvenes excoquit. S. Hier. epist. 22. ad Eustochium: *Vinum*, inquit, *et adolescentia duplex est incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adiicimus. Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus.* S. Furseus ignes diaboli sibi oblatos vidit in extasi: et angelos interrogans, quinam hi essent ignes? qui mundum consumpturi essent, audivit. Primum, esse ignem mendacii. Secundum, cupiditatis. Tertium, dissensionis. Quartum, impietatis. 216. *Passiones sunt ignis devorans.*

Sexto, Ugo Card. per virgines hic intelligit animas steriles a bono opere. Unde, inquit, filia Iephte cum sodalibus suis flebat virginitatem suam in montibus, Iudic. 11. Hanc sterilitatem amovet Deus ab Ecclesia. Deut. 7. 14. *Benedictus eris inter omnes populos. Non eris apud te sterilis utriusque sexus tam in hominibus quam in gregibus tuis.* Cant. 4. 2. Christus ait suæ Ecclesiæ: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est in eis.* 217. *Virgo est anima sterilis.*

Septimo, Sacerdotes præsertim punit Deus. Ratio est quia abutuntur sanctissima et suprema omnium dignitate. S. Ignat. epist. ad Smyrn. Sacerdotium, ait, omnium bonorum quæ in hominibus sunt, apex. S. Isidor. Pelusiota lib. 1. epist. 349. vocat Sacerdotem, angelum Dei omnipotentis. S. Greg. Nazianz. orat. 1 eum nuncupat, Θεὸν καὶ θεοποιήσαντα, Deum et deos facientem. Thren. 2. 6. ostendit Ieremias, quam graviter Deus puniat sacerdotes: *Dissipavit, quasi ortum, tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum. Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, et sabbatum: et in opprobrium, et in indignationem furoris sui, regem et sacerdotem.* S. Ephrem dicit, sacerdotium esse admirabile et formidabile. Sic enim loquitur: *O quam magnam in se continet profunditatem formidabile et admirabile sacerdotium.* Elias Cretensis vocat honorificum et formidabile. Verba eius sunt in oration. 1. S. Greg. Naz. *Sacerdos*, ait, *Dei angelus est. Quod quidem valde honorificum et formidabile est. Honorificum*, in- 218. *Sacerdotium est admirabile et formidabile.*

quam, propter sublimitatis ac dignitatis magnitudinem: formidabile autem, propter ruinas quæ hinc oriuntur. Vide dicta Ps. 42.

Octavo denique, viduas descrit Deus ob scelera, quod summam Dei iram notat. Nam Deus Ps. 67. 6. se vocat *patrem orphanorum et iudicem viduarum*, hoc est pro viduis. S. Ignat. epist. 7. ad Tarsenses, eos monet ut viduas in pretio habeant, ως θυσιαστηριον Θεου, velut altare Dei. Franc. Mennenius lib. de symbol. et originib. equestrium Ord. dicit Ordinem equitum S. Mariæ gloriosæ fuisse apud Italos, ad pacificandas Italiæ civitates institutum: Tunicam, inquit, albam, et subcinericiam togam induti, crucem purpuream in campo albo duabus supra positis stellis, præferunt, *atque viduarum et pupillorum tutelam suscipere debent*, pacique et concordiæ inter homines conciliandæ studere. Francisc. Sanson. Iisdem crucem rubeam cum limbo aureo in pectore attribuit. Quoniam autem domi quisque cum uxore et liberis vitam agit, vulgo, fratres gaudentes vocati sunt, ut Ioan. Villarius et Salimben. in suis chronicis prodiderunt.

Ordo institutus ad tutelam viduarum

213. Denique, totalem derelictionem Iudæorum prædicit David, seu Christus hic loquens, v. 65. ET EXCITATUS EST TAMQUAM DORMIENS DOMINUS: TAMQUAM POTENS (Arab. gigas. Psalt. Illyr. robustus) CRAPULATUS A VINO. Psalt. Illyr. inebriatus a vino. Crapulatus a vino non est is qui per vinum amisit iudicium, at qui large sumpto vino incalescit, et semiebrius est. Sic Hollaudi, Kosaci, et alii populi, ante pugnam hauriunt vinum copiose, ut sint audaciores et fortiores. Aristot. in Problem. in eo distinguit crapulam ab ebrietate, quod ebrietas una cum mente adimit et sensum doloris. Crapula vero, constante mente caput afficiet: Κραιπαλη dicitur απω του καρηνον παλλεσθαι, quod caput concutiat ac dolore et vertigine afficiat. Κραιπαλαν etiam significat desipere, delirare, furere, insanire per crapulam.

Vers. 65. Crapula.

Vers. 66. Vers. 66. ET PERCUSSIT INIMICOS SUOS IN POSTERIORA, OPPROBRIUM SEMPITERNUM DEDIT EIS. Bellarm. Lorin. Iansen. Dionys. et plerique alii, hæc explicant de Philisthæis, qui post arcam captam percussi sunt: 1. a Deo turpissima plaga. Nam 1. Reg. 5. 12. dicitur: *Percutiebantur in secretiori parte natium: et ascendebat ululatus uniuscuiusque civitatis in cælum.* Et vers. 9. dictum erat: *Percutiebat viros uniuscuiusque urbis, a parvo usque ad maiorem, et computrescebant prominentes extales eorum:* hoc est exta sive intestina, et viscera putida per anum defluebant, sicut accidit Arrio. Sed hoc non videtur esse conveniens, ut sit hic sermo de Philisthæis, cum totus locus sit de reprobatione Iudæorum, et statim addatur, v. 67.

Vers. 67. ET REPULIT TABERNACULUM IOSEPH (id est tabernaculum positum in Sylo, quæ urbs erat in tribu Ephraim filii Ioseph) ET TRIBUM EPHRAIM NON ELEGIT, ut ex ea Messias nasceretur, et in ea templum sibi constitueret ac regnum perpetuum. Dices, quomodo Deus percussit Iudæos in posteriora? Respond. ad litteram, quia victi et fugati sunt a Philisthæis, et fugientes in tergo percussi et confossi. Allegor. Iudæi reiecti a Christo percussi sunt in posteriora, hoc est in posterioribus seu dorso, quia continuatis plagis fecit eos dorsum. Sic Psal. 20. dicitur, *Pones eos dorsum.* Vide illum locum. Ubique enim sunt captivi, et serviunt, quod opprobrium erit sempiternum, cum plaga illa pudenda Philisthinorum fuerit temporaria. Hugo ex quorumdam refert testimonio, ait Lorinus hoc opprobrium Iudæos hodie etiam sustinere, ut in vindictam Dominicæ passionis, patiantur fluxum sanguinis, et ideo sint pallidi. Scribit etiam B. Vincent. Ferrerius serm. in die Parasceves, in signum illius imprecationis, sanguis eius super nos, et super filios nostros, quando masculi eorum nascuntur, habere manum dexteram plenam sanguine capiti innixam. Id aliqui confirmant exemplo Zoram, qui natus est filo rubro alligato ad digitum. Addunt alii solere pati ipso die Parasceves fluxum sanguinis, totosque tunc pallescere. Nonnulli dicunt quod in omni plenilunio idem patiautur; eaque de causa, malo ut plurimo colore

An Iudæi laborent fluxu sanguinis.

A præditi sint. De his meminit Salmeron noster tom. 10. tract. 32. recte admonens non videri solidis firmata testimoniis historiarum. Abulensis 1. Reg. 5. qu. 15. et 19. ait, existimare se hoc esse falsum, quamvis viri alicuius auctoritatis hoc asserant; occasionem autem erroris esse, quod Hebræi sint magis obnoxii morbo hæmorrhoidum, qui est, quando capita venarum ad os ani terminatarum intumescunt, ac replentur humore crasso sanguineo, qui existit ex indigestione carnium insulsarum et male digestibilium, quibus videlicet Hebræi, præ cæteris vescuntur sæpius ut Romæ bubalorum: ita Lorinus. Sed licet hæc vera essent, de illis agi non arbitror, sed de eorum reprobatione et reiectione flagello semper in eorum dorsum intentato, sicut in iis quos irati a nobis effugamus.

ARTICULUS II.

Electio Ecclesiæ Cathol. præ Synag. Iudæorum.

B POST expositam Synagogæ figuratæ in tribu Ephraim, et in sanctuario posito in Sylo, reprobationem, aggreditur explicare electionem Ecclesiæ, cuius hic notare possis. Primo, universitatem. Secundo, sublimitatem. Tertio, unitatem. Quarto, sanctitatem. Quinto, stabilitatem. Sexto, æternitatem. Septimo denique, regem Christum. 220.
Ait enim vers. 68. SED ELEGIT TRIBUM IUDA: MONTEM SION (id est, et in ea tribu elegit montem Sion) QUEM DILEXIT. Elegit Deus præ cæteris tribubus tribum Iuda, ut esset tribus regia. Nam Saul primus rex Israel erat quidem de tribu Beniamin, sed potius fuit exortus importunitate populi quam a Deo datus, et cum per annos 18. regnavisset occisus est a Philisthæis cum tribus filiis suis, nempe Ionatha, Abinadab, et Melchisua, postea Deo sic volente traditi sunt Gabaonitis crucifigendi septem eius filii, aut nepotes, ut dicitur 2. Reg. 21. 8. ut fames cessaret, quæ tribus annis duraverat tempore Davidis. Secundo, advertendum est Ieroboamum quidem de tribu Ephraim C rebellasse contra Roboamum filium Salomonis ann. mundi 3060. fundati templi 38. Roboami ipsius 1. ante Christum 903. Sed per scelus partum imperium non fuit diuturnum. Nam duravit tantum usque ad ann. mundi 3314. fundati templi 292. Ezech. regis Iuda 6. Oseæ ult. regis Israel 9. hoc est per ann. 255. Tunc enim a Salmanasar rege Assyrior. capta est Samaria regni caput, vinctus et captus Oseæ rex, et cum reliquis tribubus in Assyriam abductus. Illæ autem tribus per totum Orientem dispersæ sunt, unde apud Tartaros hordæ quædam nomina Dan, Nephthalim et Zabulon retinuisse dicuntur, et in Russia, Sarmatia, Livonia, Moscovia Iudæi abundant; in regno Catay prope Sinas, et in ipso Sinensi regno aliquos etiam reperiri certum est. Illæ tribus regni Israel nunquam revocatæ sunt a captivitate.

Vers. 68. Tribus Iuda præ cæteris electa.

Regnum decem tribuum parum duravit.

At vero, tribus Iuda cœpit regnare in Davide suo, anno mundi 2979. exitus ab Ægypto 436. ante Christum 1074. et quidem per meram Dei electionem quærentis sibi virum secundum cor suum. Regnum illud eversum est a Chaldæis, D Sedecia rege ultimo tribus Iuda capto et excæcato, urbe Ierosolyma eversa et succensa cum templo anno mundi 3416. ante Christum 607. a fundato templo 424. Stetit itaque illud regnum annis 467. In ipsa captivitate fuerunt duces eorum Iechonias rex, qui fuerat captivus abductus in Babylonem annis undecim ante Sedeciam ab ipso Nabuchodonosore, et Salathiel eius filius. Ab ea captivitate sola tribus Iuda liberata est, et qui ex aliis tribubus redierunt, sub eo nomine redierunt, et nulla amplius divisio fuit: itaque suprema potestas omnis semper fuit in una tribu Iuda, cuius fuit sibi duces præficere, sive ex sua tribu, ut Zorobabel: sive ex alia tribu, ut Machabæos de tribu Levi; ex iis autem primo fuerunt duces ut Iudas, Ionathas, Simon, et Ioannes Hyrcanus. Deinde reges, ut Aristobulus Ioannis Hyrcani filius, Iannæus Aristobuli frater, Aristobulus iunior Iannæi filius, qui a Pompeio captus Romam missus est cum duobus filiis Antigono et

Tribus Iuda regnum diu duravit.

Sola revocata est a captivitate.

Alexandro. Tunc Pompeius Ierosolymam cœpit, totamque Iudæam Romanis subiecit, atque vectigalem fecit, Cicerone et Antonio Consulibus, anno mundi 3991. ante Christum 6. Pompeius autem reddidit Pontificatum Hircano seniori. Herodes Ascalonita genere Idumæus regnum Iudææ invasit anno mundi 4016. Augusti Imp. 6. Tunc rege alienigena imperante et Assamonæos omnes occidente, defecit sceptrum de Iuda, sed cito post Christus rex orbis natus est, verus filius David, cuius regni non erit finis; natus est autem anno Herodis 36. Augusti 42. mundi 4052.

221. Cur tribus Iuda ad regnum electa: I. Ob Iudam. Quæres, cur tribus Iuda præ cæteris electa sit ad regnum? Resp. id factum esse Primo propter ipsum Iudam; in quo erant regiæ virtutes: 1. fortitudo; nam 1. Paral. 5. 2. vocatur fortissimus inter fratres suos. Gen. 49. 9. Iacob pater illi benedicens ipsum nominat catulum leonis; 2. prudentia in rebus agendis, ut patuit in defensione fratris Beniamin accusati; 3. iustitia, Thamarem ipsam nurum suam ad ignem damnando; 4. animi demissio, quam ostendit, cum peccatum agnoscens Thamarem se iustiorem declaravit, et a pœna exemit: prohibuisse etiam fertur, ne sepeliretur in pretiosa veste, neve exenteraretur; 5. cura eorum qui suæ fidei commissi erant, ut Beniamini, quem prudentia sua a Patre impetrarat in Ægyptum abducendum, ne tota familia periret fame; 6. eloquentia, ut clarum est in oratione habita pro eodem Beniamino liberando; 7. neglectus propriorum commodorum: Iacobo patri suo offert proprios liberos, ut Beniaminum ire permittat in Ægyptum, eo capto se offert in servum Iosepho, ut ipsum liberet, Gen. 44. 33.

II. Ob ipsam tribum et Davidem. Secundo, propter ipsam tribum, quæ fuit numerosissima omnium, idque omni tempore. Nam anno mundi 2545. Mosis 82. exitus ab Ægypto 2. ante Christum 1508. cum numeratus est populus prope montem Sina, et in duodecim tribubus (nam Levitica extra eum numerum est) reperta sunt militum sexcenta tria millia, quingenti et quinquaginta, Tribus Iuda numerosissima. in sola tribu Iuda fuerunt septuaginta quatuor millia et sexcenti, Num. 1. 27. Secundo, cum anno 40. peregrinationis in deserto, paulo ante ingressum terræ promissionis numeratus est populus, et in duodecim tribubus reperta sunt militum sexcenta millia, et mille septingenti triginta, in sola tribu Iuda numerata sunt septuaginta sex millia, et quingenti. Hoc est, plusquam octava pars totius numeri. Tertio, anno exitus ab Ægypto 473. Davidis 37. inserta in eam tribu Beniamin excrevisse dicitur ad quingenta millia bellatorum; 2. tribus Iuda fuit bellicosissima: unde mortuo Iosue præficitur bello in Chananæos; 3. præ cæteris tribubus fuit tenax veræ religionis; 4. habuit reges optimos, præsertim Davidem.

III. Ob Christum. Tertio denique, dignitas regia data est tribui Iuda propter Christum inde nasciturum. Est enim Rex regum et Dominus dominantium, et decuit eum habere reges avos, a quibus originem duxerit.

De ædificatione templi Salomonis in monte Sion subdit

Vers. 69 Sensus huius loci. David v. 69. ET ÆDIFICAVIT SICUT UNICORNIUM (id est monocerotum) SANCTIFICIUM (id est sanctuarium seu templum) SUUM, IN TERRA QUAM FUNDAVIT IN SÆCULA, hoc est in æternum. Sensus autem est, ait Bellarm. q. d. Ædificavit Deus in monte Sion, sive in Ierusalem, quæ est, terra duratura in æternum, sanctuarium suum firmissimum, quasi cornu monocerotis. Hæc est parabola præcipua, et propositio, sive ænigma potissimum, quod initio psalmi Propheta promisit. Neque enim sanctuarium testamenti veteris fuit firmum, ut cornu monocerotis, nisi in typo sanctuarii testamenti novi: neque mons Sion, aut Ierusalem fuit terra fundata in sæcula, cum brevi eversa fuerit, nisi in figura Ecclesiæ Christianæ, adversus quam portæ inferi non prævalebunt, et cuius Religio et Sacramenta non mutabuntur usque ad mundi consummationem. Vox unicornium, græce monocerotum, in Hebræo legitur *ramim*, quod significat excelsa: sed Sept. et S. Hieron. non legerunt *ramim*, sed *remim:* monocerotes, id est bestias, quæ solum unum cornu, sed firmissimum, et robustissimum gerunt: et sine dubio hæc est vera lectio: hæc Bellarminus. Proprietates monocerotis melius exponentur in allegoria.

Allegor. Ecclesiæ proprietates: I. Universalitas. Alleg. autem Primo, in tribu Iuda reperio figuratam Ecclesiæ universalitatem. Ut enim supra dictum est, fuit hæc tribus numerosissima, et consequenter amplissimam terram possedit in Chanaan, imo ab ea tota regio dicta est Iudæa, et omnes Hebræi toto orbe fusi dicti sunt Iudæi, Ierem. 3. 17. ait fore ut congregentur ad Ierusalem omnes gentes.

II. Sublimitas. Secundo, Ecclesiæ sublimitas figurata est in monte Sion. Ieremias cap. 3. 17. vocat Ierusalem solium Domini: Isaias cap. 33. 20. dicit, Sionem esse civitatem solemnitatis, id est, in qua perpetuum festum et solemnitas: a S. Cyrill. Alex. dicitur Ecclesia Sion intelligibilis. Sic enim ait lib. 1. in Isaiam cap. 1. *Sion intelligibilis, Ecclesia scilicet, supra omnem creaturam aspectabilem et inaspectabilem evolat, et ad ipsam adeo universitatis naturam pertingit. Luce enim divina plena est, illamque agnoscit opificem artificemque universorum: illi, atque adeo soli, potentiam in omnia tribuit, eaque ipsa gloria tanta Deum Opt. Max. regem coronat. Hinc igitur mons intelligibilis, et domus Dei iure dici possit. Est et illustris supra colles.* Innoc. 3. serm. 2. in consecratione Pontificis Max. vocat domum sublimem et stabilem.

III. Sapientia. Tertio, ex hac Ecclesiæ sublimitate sequitur, ut omnia longe lateque prospectet, et cælestia contempletur. Sion significat speculationem. S. August. illud etymon considerat in Ps. nostr. *Ecclesiam Christi*, ait, *melius intelligimus, non propter præsentia temporis beneficia carnalia Deum colentem, sed futura et æterna præmia oculis fidei longe speculantem. Nam et Sion speculatio interpretatur.*

222. IV. Amabilitas. Quarto, Ecclesia Catholica a Christo et Deo plurimum amatur: *Montem Sion quem dilexit.* In Canticis hic amor clare manifestatur, vocatur enim amica, columba, sponsa. Oseæ 2. 19. ait Deus: *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in iustitia, et iudicio, et in misericordia, et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide, et scies quia ego Dominus.* Si vis a Deo amari, oportet sis filius illius Sponsæ. Paulus Orosius lib. 7. cap. 33. Unus, ait, Deus unam fidem tradidit, unam Ecclesiam toto orbe diffudit, hanc aspicit, hanc diligit, hanc defendit. Quolibet quisquis nomine tegat, si huic non sociatur, alienus est: si hanc impugnat, inimicus est: hæc Orosius. Si in montis similitudine manere vis, Christus est monoceros sive unicornis, qui in celsissimis et inaccessis Indiæ montibus sibi placet, ut ait Ælian. lib. 16. de animalib. cap. 20. De Christo dicitur Cant. 2. 8. *Venit saliens in montibus, transiliens colles.*

223. V. Unitas. Quinto, unitas Ecclesiæ commode figuratur in unico cornu unicornis sive monocerotis: *Ædificavit sicut unicornium* (S. August. legit, sicut unicorniorum) *sanctificium suum.* S. August. sanctificationem suam. Syrus vertit, ædificavit in sublimi sanctuarium suum. Arabs. fundavit super excelsa, legerant ut nunc in Hebr. est רמים *ramim*, id est excelsa. Sed legendum est רמים *remim*, id est unicornes. Ab eadem Rad. *rum*, id est elevare, utrumque deducit R. Salomon: sive quod unicornis sive monoceros gaudeat excelsis montibus, sive potius ab erecto et alto cornu. Nam Solinus ait illud esse quatuor pedum longitudinis. Gesnerus refert bina recondi in thesauro regis Poloniæ, singula ad hominis proceritatem. Monocerotis cornu maximum. Asino Indico, cum quo idem monocerotem et equum Indicum unicornem confundit, quidam assignat cornu decem pedum. Ludovicus Romanus scribit, in urbe Mecha prope sepulcrum Mahometis in quibusdam septis duos monocerotes ab Æthiopiæ rege datos Sultano Mechæ præfecto ad fovendam amicitiam: alterum ex illis natu maiorem pullo equino triginta mensium fuisse non absimilem, ei vero prominuisse cornu unicum, longitudine trium cubitorum. Ecclesia unica quidem est, omnes tamen hostes fundit et profligat suo cornu. S. Cyrill. Alex. *Sanctuarium eius Ecclesiam esse dicimus, quæ hostibus horribile cornu erigit, sicut unicornis cæteris etiam animantibus. Fundata est enim in æternitatem a*

Christo: ita Cyrillus. Sicut Ecclesia est terribilis hostibus, ita est benigna suis alumnis. Cant. 5. 8. *Una est columba mea.* Est arca, in qua sola totus mundus salvatur. Felix Papa I. epist. 1. *In arcæ modum,* ait, *quatuor mundi constructa lateribus, atque imputribilibus lignorum compage et bitumine charitatis astricta est Ecclesia, ut nullius adversitate spiritus, nullius venientis extrinsecus tumore fluctus perturbetur.*

224. VI. Sanctitas. Sexto, sancta est Christi Ecclesia: *Ædificavit sicut unicornium, sanctificium suum.* S. Aug. legit, ut dixi, sanctificationem suam: ita etiam habent Psalter. Roman. Gallic. et Cassiod. Sanctitas Ecclesiæ fugat omnia venena hæreseon et vitiorum. Luc. 10. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici: et nihil nobis nocebit.* In regno Bengalæ multi sunt rhinocerotes, quorum non cornu modo, quod in nare habent, sed ungues ipsi, caro, sanguis, adversus venena valent, ut ait Petr. du Iarrie. tom. 1. lib. 2. pag. 603. India equos uno cornu præditos procreat, quorum e cornibus pocula conficiuntur, in quæ venenum mortiferum coniectum si quis biberit, nihil mali sentiat, ut refert Ælianus, Philostratus vero lib. 3. de vita Apollonii, mentionem facit asinorum sylvestrium in India, ex quorum cornu fiant pocula, in quibus qui biberit, nullis morbis illo die afficitur: neque si vulneratus fuerit, dolet: et per ignem etiam incolumis transit, neque ullis venenis læditur, quæcumque nocendi gratia in potu dantur: ideo regum esse eadem pocula, nec alii quam regi eiusmodi feræ venationem permitti. Sed recte Apollonius quærenti Davidi: an sermoni, qui de poculo iam dicto ferebatur, fidem adhiberet: Adhibeo, ait, si huius regionis immortalem regem esse intellexero. Qui enim mihi aut alteri cuipiam poculum, ανοσον τι και αυτο υγιες, morborum remedium, et ita salubre, dare potest: nonne verisimile est illum quotidie eo uti, et ex eo cornu frequenter vel ad crapulam usque bibere? nemo enim, ut puto, calumniabitur eum, qui tali poculo etiam inebrietur: hæc ipse. Ecclesia talem calicem in Euch. omnibus proponit. Ferdinandus Ponzettus ait, aliquos dicere cornu monocerotis sudare superveniente veneno, quod falsum esse tradit. Aloysius Mundella, docet, valere adversus canis rabidi morsus, et aliorum animalium ictus, aut morsus virulentos. Rex ille Indorum dicebat, αναιρειν την κακην μεθην, tollere malam ebrietatem, id est veneni potionem.

Poculum in quo venena non nocent. — *Alterum reddens immortales.*

Monoceros capitur a virgine. In Ecclesia præsertim viget amor puritatis. Christus enim est sponsus virginum. Arsumnus ait, monocerotem amore virginum et odore allici. Tzetzes narrat quemdam modum capiendi monocerotem; sic enim Chiliad. 5. c. 7. Fera, inquit, est monoceros, φιλευωδης, amans boni odoris. Sic autem illum venantur. Iuvenem quemdam inter robustissimos selectum puellæ vestes induunt, ac præcipuis imbuunt aromatis odoratissimis, atque e regione feræ constituunt: ipsi autem abscondnntur. Aura vero flante, statim fera illuc advolat. Ille autem manicis muliebribus latis, στολαις ουσαις αρωματος, totis refertis odoribus illum cooperit. Sic autem illo aromatibus illecto, currentes omnes alii venatores cornu huius incidunt, αντιπαθες φαρμακοις, venenis contrarium. Feram vero spoliatam cornu sinunt aufugere. Hæc Tzetzes, sed fides sit penes ipsum, et alios id referentes. Christus certe capitur aromatis Sponsæ, et eius puritate. Hinc ipsa canit Cant. 6. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum,* hoc est in me, *ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.*

225. VII. Stabilitas. Septimo, stabilis est Christi Ecclesia. Est enim sanctificium seu templum in terra *quam fundavit:* id est, in Christi humanitate, quæ est stabiliter fundata in sanctitate ob unionem hypostaticam. Procop. Gazæus in cap. 33. Isaiæ. *Veteris,* ait, *Ierusalem, quæ toties olim expugnata sit, tabernacula ceciderunt: at nova civitas, quia super petram stat ipsis persecutionum temporibus immobilis permanet.* Christus est petra, non sterilis, sed fœcunda; ideo vocatur hic terra fundata. Ieremias Const. Patriarcha respons. 1. epist. ad Martinum Crusium: Ecclesia, inquit, manet stabilis et inconcussa. Potho Prumiensis, lib. 3. de statu domus Dei: In cunctis, ait, adversitatibus Ecclesia inconcussa firmitate perdurat: ita ipse. Ratio a priori est, quia Christus est eius fundator, et fundamentum. Innocent. III. serm. 2. in consecratione Pont. Maximi: Cum, inquit, idem ipse sit fundator et fundamentum Ecclesiæ, profecto portæ inferi prævalere non possunt adversus eam: quia fundamentum immobile perseverat, de quo dicit Apostolus 1. Cor. 3. 11. *Fundamentum positum est, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus:* hæc Innocentius. Ventis itaque, pluviis et fluminibus irruentibus non evertitur domus Ecclesiæ, quia est super rupem posita.

Monocerotis cornu est fortissimum. Si a monocerote recedere non placet, fortissimum est et solidissimum cornu monocerotis; atque, ut ait S. Isidorus, ferrum non timet: et quidquid impetit, ut dicit Solinus, facile ictu perforat. Phil. lib. de animal. propriet. cap. 31. Cornu, inquit, monocerotis non est cavum, nec more cornuum leve, limaque ferri mordacius est. In orbem gyris lugibus convolutum, acutius mucrone teli pervio. S. Cyrill. Alex. lib. 5. in Isaiam, agens de firmitate Ecclesiæ, affert locum hunc Psalmi nostri, et Bellarminus ait hic denotari sanctuarium Dei, nempe Ecclesiam, esse firmissimum, quasi cornu monocerotis.

226. VIII. Æternitas. Octavo denique, æterna est Christi Ecclesia, est enim posita in terra, id est in soliditate fidei, quam Deus fundavit in sæcula. Possis quoque ipsam Ecclesiam comparare terræ æternæ, et in æternum fundatæ. S. Gregor. in Ps. 5. Pœnit. *Terra,* inquit, *dicta est Ecclesia, tum quia in messe fidelium populorum spiritali fœcunditate exuperat: tum quia in soliditate fidei perpetua firmitate immobiliter perseverat. Unde per Salomonem dicitur Eccle. 1. 4. Terra in æternum stat. Terra quippe in æternum stare dicitur: quia sancta Ecclesia in hoc sæculo a catholica fide nunquam deficiet, et in futuro cum Deo æterna stabilitate permanebit.* Lanfrancus de Sacram. Euch. Religio, ait, nominis Christiani permanebit cum sole, quamdiu sol oritur et occidit, Capistranus tract. de Papa et Eccl. auctoritate fol. 67. Christi, inquit, verba fallere non possunt, sicut ipse dixit Matth. 24. 35. *Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* S. August. ad Ps. 47. Si, ait, Deus Ecclesiam fundavit in æternum, quid times ne cadat firmamentum? Hæc ipse. Omnia hæc illi a Christo proveniunt. S. Chrysost. serm. de Pentec. Hic sanguis, inquit, irrigat Ecclesiam: et ideo plantaria eius marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta eius: non subiacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, ut per æstatem coma foliorum tegatur, hyemi amittantur. Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam sancti gratia gubernat, et ideo non senescit, nec contrahitur, et multis impugnantibus non opprimitur: ita Chrysostom. Manuel Palæologus in præceptis education. regiæ c. 14. ait, nihil eorum quæ in Ecclesia continentur, vel fluxum, vel obnoxium esse interitui: sed æternum, corruptionis et interitus expers, æternis et corruptionis expertibus conveniens. Omnia namque spiritualia sunt: ea propter et æterna, et bona, et immota. Hæc Manuel, qui etiam ait Ecclesiam esse matrem, nutricem, magistram, aliptotam, id est quæ ad certamen instruit et inungit, viæ adiutricem, incitatricem ad pulcherrima quævis, et maxime durabilia atque perpetua.

ARTICULUS III.

Christi Pastoris Ecclesiæ dotes, ubi agitur de proprietatibus bonorum Pastorum.

227. Vers. 70. Fœtantes. TRIBUI Iuda regem elegit Davidem Deus: Ecclesiæ, Christum. In utroque dotes quatuor nota. Primo, humilitatem. Secundo, providentiam. Tertio, innocentiam. Quarto, sapientiam; ait enim v. 70. ET ELEGIT DAVID (Davidem) SERVUM SUUM, ET SUSTULIT EUM DE GREGIBUS OVIUM, DE POST FOETANTES ACCEPIT EUM. Fœtantes o-

ves sunt Primo, gravidæ, quæ fœtum in utero gerunt. Secundo, fœcundæ, quæ fœtus edere solent. Tertio, et præcipue, quæ emiserunt fœtum ex utero, quæ pepererunt et lactant parvulos. Sic dicit Virgil. lib. 8. Æneid. fœtam in antro procubuisse lupam, et circum ubera geminos ludere pendentes pueros Remum et Romulum, et lambere matrem impavidos. Columella lib. 8. Circa paludes, inquit, in quibus plerumque fœtant. Adverte autem cum Lorino, quod non est etiam Latinis bonis auctoribus adeo insolens phrasis, *de post fœtantes*, vel de sub cuius pede, et similes. Cicero orat. 1. in Catilinam usurpat in ante diem Kal. Novembris. Florus in bello Ligustico, de sub Alpibus. Cicero lib. 2. ad Atticum, usque ad pridie Kal. Maias, et sæpius ad pridie: et Balbus apud eumdem lib. 9. sub posteaquam. Apud Sophoniam cap. 1. est, de post tergum Domini. Apuleius in Asino aureo, in coram sui. Aliis modis alii. Quare patitur exceptiones regula Prisciani, Servii, Donati, quod præpositio seorsim non præponatur alteri præpositioni, vel adverbio.

Præpositiones simul iunctæ.

228. Quem ad honorem David electus sit, declaratur v. 71. Vers. 71. PASCERE (ut pasceret) IACOB SERVUM SUUM, ET ISRAEL HÆREDITATEM SUAM. Iacob sunt duæ tribus, Israel sunt decem tribus. Nam duodecim tribubus imperavit David. Primo quidem, statim post Saulis mortem, qui octodecim annis regnaverat, Deo mouente David ascendit Hebronem urbem, quia erat metropolis tribus Iuda illo tempore, et in ea vixerant et sepulti erant Patriarchæ. Ibi septem annis cum dimidio imperavit tribui Iuda, ut docent Abulensis et Torniellus: ab anno scilicet mundi 2979. exitus ab Ægypto 436. ante Christum 1074. usque ad annum 2986. quo occisus est Isboseth filius Saul, qui ope Abneris gubernaverat tribus omnes præter tribum Iuda; a morte patris sui, et bellum duxerat contra Davidem.

229. Quomodo se gesserit David in regno suo, docemur Vers. 72 v. 72. ET PAVIT EOS IN (cum) INNOCENTIA (S. Hieron. Felix, Pagn. in simplicitate. Arias, secundum integritatem. Camp. pro candore. Psalt. Illyr. in bonitate. Arab. in mansuetudine) CORDIS SUI, ET IN INTELLECTIBUS, (Aquila, ἐν φρονέσει, id est in prudentia) MANUUM SUARUM DEDUXIT EOS.

Christi et Davidis similitudo in moribus.

Nota, S. Chrysost. hom. de Davide et Saule, ait, Davidem in natura humana vitam præstitisse angelicam. Hic vero Christus vocatur David, et 1. Regum 16. 6. David vocatur Christus, ut magna utriusque similitudo esse videatur. Primo, humilitas Davidis hoc loco patet, qui servum se vocat, et e gregibus electum. Christus in spelunca nasci voluit et a pastoribus ovium primo salutari in Bethlehem civitate David, in qua natus, educatus, et unctus in regem fuerat David. Secundo, providentia et cura paterna Davidis declaratur, qui dicat se electum, ut pascat populum: non cogitat se electum ut dominetur gregi, et ex eo se pascat et vestiat. Non sua commoda Christus quæsivit, sed inclamat Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* De Christo pastore et eius præclaris dotibus fuse egi Ps. 22. sect. 1. Tertio, innocentia cordis, id est in intimo corde posita, et ex fundo cordis prodiens, in Davide patet, cum dicatur vir secundum cor Dei, Deus autem intuetur cor. Christus fuit agnus innocens, qui tulit peccata mundi. Quarto denique, David oculatas habuit manus et summam in operando prudentiam, qui Philisthæos, Moabitas, Syros, Ammonitas, omnesque hostes circumpositos longe lateque domuit et profligavit. Christus in manibus oculos habuit in cruce, et tota vita.

230. Moraliter nota primo, divinam electionem esse expectandam, ut Prælaturam aut Episcopatum quis suscipiat: imo necessariam esse quamdam violentiam. Hinc dicitur *sustulit* eum de gregibus ovium. Arab. *traxit*. Psalt. Illyr. *rapuit*. Hoc in toto orbe animadversum est in sanctissimis viris, qui constantissime dignitates Ecclesiasticas recusarunt, et ad eas non prius venerunt, quam coacti, Provincias aliquot decurramus.

Electio Dei expectanda ad capiendam Prælationem.

In Italia, varii Pontifices ad supremam in Ecclesia dignitatem inviti evecti sunt. Primo, Clemens II. teste Epiphanio hær. 27. Tertull. de præscript. Secundo, S. Greg. magnus. Tertio, Gregorius II. anno 827. Quarto, Leo IV. anno 847. Quinto, Benedictus anno 855. teste Platina. Sexto, Nicolaus I. anno 858. quem Platina ait fugisse et latitasse. Septimo, Hadrianus II. 867. ut Platina habet. Octavo, Victor II. anno 1011. Nono, Paschalis II. Decimo, Calistus II. Undecimo, Henricus II. Duodecimo, Alexander III. de quibus Sigonius. Decimo tertio, Cælestinus V. de quo Iacobus Vitriacus. Decimo quarto, Nicolaus V. de quo Platina, atque alii. Decimo quinto, Victor III. qui ex Abbate Cassinensi factus est Pontifex omnino invitus. Leo Ostiensis qui aderat lib. 3. cap. 63. et seq. atque inter cætera hoc habet: *Circa vesperam congregati pariter Episcopi, et Cardinales et Romani omnes, qui in fide Catholici gregis perdurabant in diaconia S. Luciæ: omnes unanimiter Desiderium orare cœperunt, ut Romanum Pontificatum suscipere non recusaret: eumque per divina omnia et humana obtestari, ut subveniret Ecclesiæ periclitanti, et in naufragio pene constitutæ, sæpius ad eius genua plerisque lacrymantibus, corruentes. Desiderius, qui iam dudum instituerat vitam quietam transigere, tempusque suum optabat in divina peregrinatione finire: omnimodis renuere cœpit, et hoc se nunquam facturum protestari. Instare illi vehementer, perseveranter insistere: ipse vehementius reniti, resistere perseverantius, dicens: si se invitum ac per vim ordinarent, ad Monasterium quamprimum rediturum, nullamque Pontificatus rationem habiturum: eosque propterea, et Ecclesiam Romanam ludibrio fore exponendam. Coacti sunt iam nocte imminente domum redire, ac postridie eo in sententia perseverante, illi liberam faciunt potestatem ut quem vellet eligeret: cum Ostiensem nominasset, unus ex Cardinalibus asseruit se nunquam consensurum. quod hoc esset contra canones. Itaque Episcopi Cardinales, una cum clero et populo, Desiderii duritia substomachati, cum precibus nihil profecissent, vi agere instituerunt. Uno igitur animo, parique consensu captum, invitum licet ac renitentem ad Ecclesiam Christi Martyris Luciæ perducunt, ibique iuxta morem Ecclesiæ, electo Victoris nomen imponunt. Sed quoniam hæc omnia contra eius animum fiebant, cappam quidem rubeam induit, alba vero eum induere nunquam potuerunt. Post dies quatuor idem electus egressus Roma Ardeam venit, ibique triduo remoratus, Tarracinam perrexit, ubi crucem, et chlamydem, et cætera Pontificatus insignia ita dimisit, ut eis uti nulla iam ei ratione persuaderi posset, malens omni vitæ suæ tempore in humiliori habitu vivere, quam tanti ordinis oneri colla submittere. Instabant et quotidianis precibus lacrymisque creberrimis, obiiciebantur Ecclesiæ magna discrimina, ingerebatur animarum perditio, quibus ei manifestissime divina indignatio intentabatur. Cum inter hæc omnia rigidus ille persistens Cassinum revertitur. Sic anno fere integro flecti nullis precibus, nullis rationibus potuit*: hæc Leo Ostiensis. Mira certe hæc constantia fuit, et aversio supremæ dignitatis. Sancti enim tot pericula in dignitatibus vident, ut ad alias omnes rationes non attendant. Victor tamen tandem cedere coactus est.

Pontifices multi facti sunt inviti.

231. In eadem Italia, non dispari studio fugerunt Episcopatum. Primo, Mediolani S. Ambrosius. Nam in electione Episcopi dissidentibus inter se Catholicis et Arrianis, puer clamavit, *Ambrosium Episcopum*, cui universus populus succinuit. Sed quibus modis non restitit? Nam, ut se crudelem probaret, egressus Ecclesiam pro tribunali contra consuetudinem suam tormenta iussit personis adhiberi; sed clamabat populus, peccatum tuum super nos. Publicas mulieres ad se ingredi fecit, ad hoc tantum ut visis his, populi intentio revocaretur. At vero populus magis magisque clamabat, peccatum tuum super nos. Cum hæc proficere non cerneret, Ticinium versus de nocte fugam intendit, sed mane ad portam civitatis Mediolanensis, quæ Romana dicitur, invenitur, et a civibus custoditur: sed iterum elapsus fugit, et apud Leontium clarissimum vi-

Episcopatum fugerunt in Italia. S. Ambr.

rum delituit, a quo proditus ultra Dei voluntati resistere non potuit, ut ait Paulinus presbyter eius amanuensis. S. Antoninus. Secundo, Florentia S. Antonium, sive Antoninum a pusilla statura sic dictum, ostentat omnium virtutum exemplar, civem et Archiepisc. suum. Hunc cum tota civitate postulante elegisset Eugenius Papa IV. fugam molitus est, sed ab ea impeditus, litteris gravissimis, variisque modis id a Pontifice deprecatus est, nec prius cessit quam iussu Eugenii Cardinales scripserunt: Quo plus reniteretur, eo se magis sciret præceptis Apostolicis atque anathematis alligandum. Tum ab eruditis et religiosis viris in eam rem advocatis, Dei illam esse voluntatem audiens: *Deum cælites hominesque testatus, invitum se ac nihil eiusmodi cupientem, quin toto pectore et viribus reluctantem violenter ad præsulatus molem, velut in pistrinum trahi, in faciem procidens ac toto corpore prostratus, passis manibus et collacrymans pastoralis domus sarcinam in humeros reclinavit*, ut ait Vincentius Geminianensis in eius vita. Erat S. Antonius ex S. Dominici Ordine. S. Andreas. Tertio, cum Fesulani Episcopum sibi delegissent S. Andream Corsinum Ord. Patrum Carmelitarum miraculis illustrem, ipse timens ne sub tanto onere premeretur, tertio milliario ab urbe apud Carthusienses latitavit. Cumque frustra quæsitum Canonici non reperirent, et de nova electione cogitarent, *Spiritus sanctus per os infantis locutus est, dicens: elegit Deus Andream in Sacerdotem sibi: ecce enim apud Carthusienses orat, ibi eum invenietis.* Dum hæc Fesulis gerebantur, Andreæ oranti puer in veste candida apparuit, nuncians ei hoc divino numine factum, ut Episcopus crearetur, neque laborem subterfugeret; nam datus erat ei custos angelus, qui eius vestigia in Dei voluntate perficeret. Hac ratione coactus collum oneri supposuit, ut legitur in eius vita. Bellarminus fit Cardin. invitus. Quarto, cum Robertum Bellarminum Societatis Iesu, Clemens VIII. in Cardinalium numerum adoptasset, hoc addito elogio: *Hunc eligimus, quia non habet parem Ecclesia Dei, quoad doctrinam:* et quia est nepos optimi et sanctissimi Pontificis, universo patrum Senatu id mirifice approbante, delegatus est ad eum Marchio Sannesio, qui nomine Pontificis rem renuntiaret: iuberetque, ne pedem efferret e pœnitentiariæ collegio, cuius tum Rector erat quin aliud mandaretur. Omnes illico patres evocat, ut sibi in tanto periculo consilii aliquid suggererent, quo tantum pondus, quod ipsi intolerabile videbatur, ab humeris excuteret. Sed omnes uno ore censuerunt nihil esse remedii: misit tamen, qui per Cardinalem Aldobrandinum orarent, sibi ut rationes in medium proferre liceret, quibus id non expedire demonstraret, sed frustra. Nam cum sæpe repetiisset has voces: *Nolite me vocare Noemi, sed vocate me Mara, quia amaritudine replevit me Dominus*, ad Pontificium palatium ductus est, ubi cum os aperiret ad proferendas rationes, quibus id onus amoliretur, silentium illi est indictum a Pontifice: iussusque sub pœna peccati mortalis, et excommunicationis, dignitatem illam suscipere, ut ait Iacobus Fuligati in vita eius cap. 16. S. Thomas recusat Episcop. pag. 241. Quinto, S. Thomas Aquinas Arch. Neapolit. recusavit. Et S. Bernardinus. Sexto denique, cum S. Bernardinus Senensis Ordinis S. Francisci in primis religiosæ vitæ suæ initiis, reperisset sub observantia viginti parva Monasteria, in quibus centum et viginti circiter fratres degerent: ita Ordinem laboribus suis auxit, ut sub finem vitæ illius trecenta cœnobia numerarentur, in quibus quinquies mille fratres degerent. Hunc tantum virum tres civitates, Senæ, Fereria, et Urbinum, sibi in Episcopum ab Eugenio Pontifice postularunt. Sed tanto se oneri imparem semper exclamavit. Instante Pontifice, mitramque suis manibus in eius caput imponente, vir sanctus summa contentione rogavit, ne sineret hac occasione se impediri a concionandi munere, et multis Domino animabus lucrandis. Sic tres Episcopatus reiecit, ut docet auctor vitæ eius, illi contemporaneus.

232. In Francia. S. Remigius. Secundo, in Francia nostra, singulare humilitatis et modestiæ Christianæ exemplum in S. Remigio eluxit. Nam cum in Archiep. Remensem esset electus, natus tantum annos 22. constanter restitit, donec videntibus cunctis, qui aderant, descendit radius novi luminis super sancti viri verticem, ac si ipse sol de cælo motus super eum cecíderit. Radio quoque supradicto se illustrante, sensit capiti suo unguinis sacri infusum liquorem, quo totum eius delibutum est caput, ut ait Hincmarus Arch. Remensis in eius vita. S. Cæsarius Abbas Lirinensis in Archiep. Arelatensem electus est. S. Cæsarius. Cum autem id ad eius notitiam pervenit, intra quædam sepulcra se abscondit: sed latere non potuit, quem detexit non culpa, sed gratia. Trahitur igitur e quodam sepulcro vivus quem non mortuum, sed celatum, vitæ claritas ostendebat: cogitur Episcopatus sarcinam suscipere: et ille quidem ceu mansuetum Christi iumentum impositum sibi onus modesto fert testamento, ut loquitur Cyprianus lib. 2. vitæ eius, cap. 6. S. Bernardus tres Episcopatus recusavit, et duos Archiepiscopatus. S. Bernardus.

233. In Germania. Tertio, in Germania, S. Udalricus ut Episcopatum Augustanum, quem Pontifex vel invito obtrudebat, effugeret, Roma se subduxit, sed post annos 15. eam curam suscipere coactus est, ut habet auctor vitæ eius apud Sur. 4. Iulii. Notabile est quod de S. Goare refertur a Wandelberto Diacono, qui anno Christi 850. claruit. Cum Sigebertus rex ei Archiep. Trevirensem offerret, ut vim evitaret, petiit, ut sibi liceret ad cellulam redire, orationis gratia, tum regi se omnia permissurum. Rex dies præfinit viginti, post quos reditum imperat Metas. Ut pervenit ad cellulam, se orationi prosternens, Dominum cœpit intense et cum gemitu deprecari, ut se a tanto onere curæ pastoralis misericorditer dignaretur eripere. Cumque in his precibus persistens semetipsum affligeret, ex voluntate Dei *febre valida correptus ægrotare cœpit*, et longo corporis incommodo fatigari. Hæc infirmitas per septem annos et tres menses eum detinuit usque ad mortem.

234. Flandria. Quarto, in Flandria, Ludovicus Blosius Abbas Monasterii Lætiensis oblatum Archiepiscopatum Cameracensem a Carolo V. fortiter et constanter repudiavit.

235. Anglia. Quinto, in Anglia, S. Anselm. invitissimus Archiepiscopatum Cantuariensem rege Wilhelmo id volente suscepit. Edinerus Anglus eius convictor sic refert in vita. Audit hoc Anselmus, et *fere usque ad exanimationem sui* contradicit, reluctatur et obsistit. Prævalet tamen Ecclesiæ Dei conventus. Rapitur ergo, et violenter in vicinam Ecclesiam cum hymnis et laudibus portatur magis quam ducitur: hæc illa. Hoc alias ipsius Anselmi verbis fusius retuli. S. Edmundus in eumdem Cantuariens. thronum evehitur Greg. Noni imperio; sed tamdiu ille recusavit, donec Sarisberiensis Episc. non tantum graviter et severe præciperet, sed etiam eum lethalem noxam contracturum declararet; nisi obtemperaret. Tunc assensum præbuit, ita tamen ut protestaretur, se nulla ratione electioni illi cessurum, nisi graviter se in Deum peccaturum formidaret, ut ait Laur. Surius 16. Novembris.

Hibernia. Sexto, in Hibernia, Episcopalis sedes diu vacavit, Malachia nolente assentiri, siquidem ipsum elegerant. Persistentibus tamen illis, tandem aliquando, accedente ad vim faciendam mandato magistri sui, necnon et Metropolitani, ut docet S. Bernardus in vita c. 5. cedere coactus est.

Hispania. Septimo, in Hispania, S. Dominicus quatuor oblatos Episcopatus recusavit. S. Vincentius Ferrerius sanctissimi Patris exemplo plures reiecit, et Cardinalatum. S. Franciscus de Thalavera Arch. Granatensis multa sanctitate et eruditione conspicuus Salmanticensem Episcop. a rege oblatum accipere noluit, tandem coactus aliquem accipere, maluit Granatensem, quod plures labores essent exantlandi: verum rem expertus dicebat: *capere se non posse, quomodo homo ratione et prudentia præditus, tantum onus, quod tantam perfectionem postulet, sponte optare et acceptare possit.* B. Franciscus Borgia ex duce Gandiæ Religiosus Soc. Iesu cum roscisset Iulium Pontificem de se in Cardinalium numerum cooptando cogitare, subita fuga se in Hispaniam proripuit, ut Pontificis oculis subductus, fuga se honoribus eriperet, ut Andreas Schottus habet in eius vita, cap. 19. Lainium Hispanum natione, secundum postea Soc. Iesu Generalem, decreverat Paulus IV. ornare

galero, et purpura decorare. Is ubi suam rem agi sensit, et in tanto discrimine se versari, non dies, non noctes a placando Deo obsecraudoque desistere, suis ut ab humeris *crucem illam honoris* averteret, ne sese a suscepta pateretur humilitate, vitaque illa quieta, et ab ambitione remota distrahi ad strepitum tumentis curiæ, et insanos fluctus euriposque rerum humanarum. Ea de causa, novo ambitus genere conveniebat ex amicis Cardinalibus unumquemque, cuiusque confugiebat ad opem, ut si quid decerneretur in se suæ quieti adversarium humilitatique, id ipsi auctoritate sua consilioque discuterent. Ex aula etiam Pontificis se subduxit, quo fuerat evocatus, et si urgere rem Pontificem cerneret, plane statuerat se fuga, et latebris, sanctorum virorum exemplo, præsenti necessitati subducere. Alia vide apud Nicol. Orlandiuum lib. 16. histor. Societ. numer. 7. ubi hunc quoque sensum esse S. Ignatii et totius Societatis nostræ, intelliges. Ferdinando rege Romanorum a Pontifice postulante per Legatum suum, ut duobus tribusque viris e Societate mandaret Episcopatus, res tota S. Ignatii prudentia et labore discussa est, ut ibi refertur num. 9. Sic antea sub Paulo III. atque sub Iulio acciderat, eodem Ferdinando urgente, ut Iaius fieret Episcopus. Et vero votum speciale emittunt omnes Soc. professi, se dignitates nullas, nisi a Pontifice cogantur, unquam admissuros.

236. *In Africa. S. Augustinus.* In Africa, S. Augustinus de vi sibi ab Hipponensibus adhibita, ut fieret eorum Episc. testatur Ep. 225. ad Alvinam. Et serm. 49. de diversis sic ait: Usque adeo timebam Episcopatum, ut quoniam cœperat esse alicuius momenti inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illo accederem, cavebam. Et hoc agebam, quantum poteram, *ut in loco humili salvarer, ne in alto periclitarer.* Quin etiam Possidius in vita cap. 4. testatur eum flevisse, cum fieret Presbyter. Adeo omnis honor sanctis viris suspectus est. Secundo, S. Fulgentius *(S. Fulgentius.)* in Abbatem electus fugit clanculum in aliud Monasterium in medio mari positum, ut ibi facilius lateret ac subesset: sed sub interminationa excommunicationis a Fausto Episcopo intentatæ redire cogitur, et fit Sacerdos. Cum ad Episcopatum quæreretur, eligentium vota velociori præveniens fuga, latebris incertis abscouditur, nec quæsitus ullatenus invenitur. Cum vero putaret omnibus in locis ordinatos Episcopos, rediit ad monasterium: sed arripitur, et Ruspensis fit Antistes, ut habet auctor vitæ illius, eius discipulus, qui eam scriptam obtulit Feliciano Ruspensi Episc. Tertio, in Ægypto fuit Ammonius monachus, qui ut ait Socrates lib. 4. cap. 23. usque adeo curiosus non fuit, ut Romæ cum Athanasio constitutus, nihil ex præclaris Urbis operibus, nisi solum Petri et Pauli Martyrium, id est Ecclesiam viderit. Hic Ammonius cum ad *(Ammonius sibi aurem præscindit.)* Episcopatum traheretur, fugit, ac sibi ipse dexteram amputavit auriculam, ut deformitate corporis ordinationem evaderet. Cum vero postea Evagrius a Theophilo Alex. Episcopo ad Episcopatum raptus effugisset, et tamen nullum corporis sui membrum mutilasset, Ammonium nactus festive dixit: quod male fecisset sibi ipsi aurem amputando, et quod ob id factum reus esset coram Deo. Ammonius contra: Sed tu Evagri, ait, non putas te pœnam daturum, quod linguam tibi propter philautiam, data tibi gratia non utens, absciderís? Hæc inter se dicebant sancti viri. Sed Ammonius non evasisset propter abscissam auriculam, nisi graviora adiecisset. Nam, ut refert Sozom. lib. 6. c. 30. cum auris abscissionem videntes discessissent, consultarunt inter se, et cognoscentes legem illam Iudæis servandam esse, Ecclesiam vero non curare, quale sit Sacerdotis corpus, modo mores sint integri, ut virum hunc comprehenderent, redierunt. Ille vero iureiurando affirmabat, quod etiam linguam sibi amputare vellet, si se cogere tentarent. Has minas illi veriti discesserunt. Vide Pallad. libr. 8. c. 12. Ferunt quidam S. Marcum Evangelistam, aut Marcum anachoretam, sibi pollicem amputasse, ne aptus esset Sacerdotio: sed iure id, velut fabellam reiecit noster Petrus Halloix in vitis et documentis Illustrium Ecclesiæ Orientalis scriptorum, in vita S. Polycarpi cap. 5. pag. 551. Quarto, miram in fugienda Prælatura Abbatis *(Pinufius.)* Pinufii humilitatem refert Cassianus Collation. 20. cap. 1. Cum, ait, non longe a Panephysi Ægypti, Abbas et Presbyter ingenti cœnobio præsideret, ne sibi specialiter invisa popularis favoris inanitas fructum præmii evacuaret æterni, occulte ad monasterium suum fugiens, ad intima Tabennensium monachorum secreta contendit, ubi adolescenti cuidam fratri, qui hortum susceperat excolendum, in adminiculum deputatus est: cum non solum omnia, quæ idem præpositus imperasset, vel quæ iniuncti operis cura poscebat, cum admiratione tam sanctæ humilitatis impleret: verum etiam quædam necessaria opera, quæ propter horrorem sui a cæteris vitabantur, ita furtivo per noctem labore perficeret, ut diluculo omnis illa congregatio tam vilium operum admirans ignoraret auctorem. Post triennium agnitus, et in Monasterium suum redire compulsus, flebat ubertim, et diabolicæ invidiæ quasi gravem proditionis suæ casum imputabat. Brevi post iterum fugit in Palæstinam Syriæ, ubi velut incipiens atque novitius, in illo, in quo nos degebamus, Monasterii receptus habitaculo, in nostra cellula ab Abbate præceptus est commanere. Sed detectus ad Monasterium suum reductus est, in urba tandem quod erat esse compulsus est. Ita Cassianus, quem etiam vide lib. 4. c. 30. Quinto, Synesius Philosoph. *(Synesius.)* ad Cyrenensem Episcop. electus contraria fidei dogmata protulit, ut onus illud a se reiiceret, sed fictio satis innotuit. Quanto autem dolore commotus sit, disce ex ep. 11. in qua hæc scribit Ecclesiæ suæ Presbyteris: Neque vobis, ait, antea Superior esse potui, cum totis viribus et omni arte Sacerdotium detractarem. Equidem, πολλοὺς θανάτους εἱλόμην, *plurimas mortes lubens volensque subiissem,* ut hanc functionem vitarem. Neque enim satis idoneum me putabam, qui sustinerem κόσμον πράγματος, rei dignitatem. Sexto, mortem quam optasset Synesius, ne Episcopus fie- *(Nilammon.)* ret, illam Nilammon a Deo, ne fieret Sacerdos, impetravit, Sozomenus lib. 8. hist. c. 19. sic rem narrat: Mortuo, inquit, Geracensis Ecclesiæ Episcopo, cives Nilammonem illi præficere decreverant, virum bonum, et culmen monasticæ Philosophiæ consecutum. Habitabat autem illa prope civitatem in domuncula, qua se ipsum ianua lapidibus obstructa incluserat. Recusabat autem is Sacerdotium suscipere. Venit ad illum Theophilus, consulitque ut manum sibi Sacerdotii imponere sinat. Ille crebro recusans non obsequitur taudem: Cras, inquit, si ita placet, faciam o pater. Sine me hodie res meas disponere. Crastino die secundum condictum venit Theophilus, foresque recludere iubet. Age, ait Nilammon, precemur primum. Hoc approbans Theophilus precatur et ipse. Nilammon vero inter precandum præsentem hanc vitam relinquit. Ignorabat hoc initio Theophilus, et qui cum illo foris stabant. Cum vero die illo prope finito, frequenter et sonora voce acclamantes non audiret, lapidibus proiectis, quibus fores obstruxerat, inveniunt virum illum mortuum. Si tamen mors appellanda est, quam postulavit subire, priusquam Sacerdotio initiaretur, quo se indignum ob morum modestiam iudicabat.

237. *In Asia.* In Asia, S. Gregorius cognomento Thaumaturgus, quem iure Greg. Nyss. Mosi comparat, Episcopatum summopere horrebat et fugiebat. Audi Nyssenum in eius vita: Cum Phædimus Amaseæ Ecclesiæ illo tempore præfectus, cui divinitus ex sancto Spiritu vis inerat præsciendi futura, omne studium poneret, ut si in manus eius veniret Gre- *(Gregor. Neocæsar.)* gorius, eum Ecclesiæ præficeret: ne vir tam præclarus ἀργοῦντα καὶ ἀνόνητον παραδράμοι τὸν βίον, otiosam et infrugiferam vitam transigeret. Ut hic Sacerdotem id agitare atque conari sensit, cogitare cœpit, qua ratione latere posset, ab alia in aliam solitudinem transiens. Sed postquam nihil non intentatum relinquans, ille vir magnus Phædimus, et omni machinatione atque solertia utens, non poterat virum ad Sacerdotium adducere, μυρίοις ὄμμασι προφυλασσόμενον, *innumeris oculis præcaventem, ne quando manu Sacerdotis caperetur:* atque uterque inter se studio cer-

tacent: illo quidem capere, illo autem persequentis manus effugere cupiente. Nam ille sciebat se Deo ἱερὸν ἀνάθημα, sacrum donarium oblaturum esse: hic vero verebatur, ne quomodo sibi Sacerdotii cura, οἷον τι φορτίον, quasi onus quoddam vitæ, imposita, ad Philosophiam impedimento esset. Idcirco impetu quodam divino Phædimus ad propositum studium profectus, nihil curans interiectum spatium, quo a Gregorio dirimebatur (quippe ille aberat itinere tridui) sed ad Deum suspiciens, precatusque, ut et ipse et ille pariter in illa hora a Deo respiceretur, loco manus impositionis Gregorio adhibet sermonem, ἀφιερώσας Θεῷ, Deo consecrans eum, qui corpore coram non adesset: et illam ei civitatem destinans atque attribuens, quam contigerat ad illa usque tempora adeo simulacrorum errori deditam esse, ut cum infiniti essent, qui ipsam urbem et circumiacentem regionem incolerent, non plures quam septemdecim invenirentur, qui sermonem fidei recepissent. Sic igitur iugum subire coactus est. Non prius tamen concionandi munus est aggressus, quam Deipara et S. Ioan. Evangelista ei mysterium Trinitatis clarissime explicuissent. Hic postea Alexandrum Carbonarium scientiam humili vestitu tegentem, Episcopum creavit civitatis Comanæ, ut ibidem refert Nyssenus tom. 2. pag. 994.

S. Greg. Naz. Secundo, S. Gregor. Naz. fugit in Pontum, ne Episcopus fieret: redire tamen coactus est, et onus subire. Orationem autem pulcherrimam texuit, ut fugæ illius causas proferret, in qua multa ad rem præsentem proferri possent. Nunc pauca affero. Visus sum, ait, plus æquo reluctari, et nimis pertinacem me præbere. Sed maxime inopinato rei eventu perculsus, sicut qui ad repentinos sonitus metu percelluntur, rationem tenere non potui, ac propterea pudorem, cui per omne vitæ tempus assueveram, solvi ac propuli.

S. Basilius. Tertio, S. Basilius Eusebio Cæsariensi Episcopo mortuo sciens in se plurimorum studia, ut crearetur Episcopus, conspirasse, mature fugam arripuit. Electus tamen, redire coactus est.

S. Chrys. Quarto denique, S. Chrysostomi timor, ne fieret Episcopus, patet lib. 1. de Sacerdotio cap. 3. pag. 5. Quo, inquit, ad me rumore perlato, δέει τε καὶ ἀπορίᾳ συνεχόμενον, formidine et hæsitantia, consiliique inopia perculsus sum: formidine quidem, ne forte vel invitus eo raperer: hæsitantia vero, identidem animo versans, undenam in illorum patrum animos obrepsisset, ut de nobis tale quidpiam cogitarent. Nam mihi vires circumspicienti non succurrebat quidquam, quod honorem illum mereretur. Fugit denique, et tunc evasit, scripsitque libros de Sacerdotio ad Basilium; non Cæsariensem, qui iam obierat anno 368. non ad Seleuciensem, qui post annos sexaginta floruit: sed ad Basilium Raphanensem in Syria Episcop. aut alium Episc. Bibli in Phœnicia, qui eodem tempore extiterunt, aut ad aliquem alium mihi non cognitum. Non prius autem Sacerdotii dignitatem accepit, quam ab angelo moneretur. Hoc testatur Leo Imp. in oratione de vita S. Chrysostomi. Flavianus, inquit, Episcopus Antiochiæ cum vigilaret, ut consuoverat, quadam nocte videt divinum accessisse angelum, qui ei iubebat ordinare Ioannem, dicens, futurum Ioannem vas electionis. Ecce dicens, ego de hoc ei mandatum dabo, et obediet. Ad quem quidem cum accessit angelus, ei mandavit. Prius narravit futura, et quæcumque par est facere eum, qui divinus sit futurus minister; ac postea asserit, ipsa ordinationis hora albam columbam repente devolasse, et stetisse supra eius caput. Ut crearetur Episcopus, arte agendum fuit, ut refert Palladius in ipsius vita; Eutropius enim præfectus cubiculi regii cum curasset ab Imperatore id scribi Antiochiæ Comiti, acceptis literis, Comes mandatum ita exequitur. Rogat Ioannem, ut secum extra urbem pergat usque ad Martyria prope portam, quæ Romana appellatur, impositumque rhedæ publicæ, misso eunucho una et magistro militum tradit. Adductus hoc modo Constantinopolitanæ urbis ordinatur Episcopus.

238. In America. In America Martinus Sarmientus Ord. S. Francisci vir magnæ virtutis, cum in Mexicana provincia Episcopatus obtruderetur invito, semper restitit, donec obedientiæ nomine hoc illi fuit a Superiore iniunctum.

Secundo, non satis est per humilitatem fugere prælaturas, sed cum quis ad eas compulsus est, eamdem humilitatem debet servare. Non aderat David, cum Samuel venit in Bethlehem ad domum Isai patris sui, ut aliquem ibi in regem inungeret, sed in agris pascebat oves: fortasse divino instinctu edoctus præsenserat causam adventus Samuelis, et se subduxerat. Iam rex factus se servum vocat hoc loco, et memor prioris fortunæ dicit se sublatum esse de gregibus ovium. Eamdem animi demissionem habuit Widgastius, qui alio nomine dictus est Villicundus. Cum enim esset fabri plaustrarii filius, factus Archiepisc. Moguntinus rotam in omnibus conclavibus et mensis appingi curavit, hoc addito elogio: *Cogita Widgasti, quisnam fueris, et quis modo sis.* Sixtus V. humili loco natus, cum ad Pontificatum supremum evectus esset, per iocum ex illustrissima domo originem ducere se dicebat: eam enim in qua natus sit, per mille rimas et scissuras, solis lumine admisso totam uno momento collustrari. Natus erat in Monte alto ignobili oppido. 239. Widgastii Arch. humilitas.

Tertio, providentia et cura gregis pastori est necessaria et Prælato: *Pascere Iacob servum suum, et Israel hæreditatem suam.* Iacob sunt activi et supplantatores vitiorum: Israel sunt contemplativi, et in virtutibus perfecti. Omnes pavit Christus, Osee. 4. 16. *Pascet eos Dominus quasi agnum in solitudine.* Et ab aliis Prælatis pasci vult: unde ait Petro, Ioan. 21. *Pasce oves meas.* Hinc Pontifex toti orbi præpositus est, et particulares Prælati provinciis, urbibus, parochiis, domibus. S. Hier. epist. 4. ad Rusticum: *Etiam muta animalia et ferarum greges, pastores sequuntur suos. In apibus principes sunt, grues unam sequuntur ordine literato. Imperator unus, Iudex unus provinciæ. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, et omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In navi unus gubernator, in domo unus Dominus, in quovis grandi exercitu unius signum expectatur:* hæc ille. Videant Prælati tam spirituales quam corporales, ut magis pascant gregem, quam se ipsos. Si enim Sixtus Philosophus singulis sent. 201. ait: *Omnibus hominibus ita utere, quasi communis omnium post Deum curator.* Quid dicendum est de iis, quorum cura aliis mandata est? 240. Providentia Prælato est necessaria.

In glossematis sive adnotationibus Alcorani legitur, Imperatori ad imperium venienti, et Constantinopolim pergenti, colendam esse terram, ut a regione sua sterilitatem amoveat, ut ubertatem advocet, sicut refert Michael Baudier in hist. Turc. lib. 13. pag. 532. ubi ait, Amurathum tertium Turc. Imp. cum Constantinopolim peteret, ut imperium iniret, obvium habuisse agricolam in agro aratrum ducentem: tum equo desiliisse, arreptoque aratri manubrio duos tresve sulcos aravisse: ac reiectam togam humeris agricolæ imposuisse: monuisseque, ne ulli eam nisi carissimo pretio divenderet, magni enim valoris esse: hocque dicto plena manu ducatorum ex pera sumptorum non exiguam dedisse summam: hæc ibi. Reges fœcunda regna sua reddere satagant ea virtutibus excolendo. Imperatores Turcar. terram arant.

Prælatis spiritualibus animæ pascendæ sunt et corpora. S. Gregor. Nazianz. orat. 20. S. Blasium laudans ait: Pauperum corpora et animas curabat: honorem nempe cum necessario alimento connectens, atque ipsorum calamitatem utrinque leniens. Talis erat novus noster procurator, et δεύτερος Ἰωσήφ, *secundus Ioseph.* Illum deinde præfert Iosepho, quod ille gratis sua dabat, Iosephus vendebat, et alimonia spiritualis ab eo collata longe fuerit cibis corporeis excellentior. Accedebat insuper, ait, sermonis alimonia, et perfectius beneficium, ac largitio οὗτος οὐράνιος καὶ ὑψηλός, vero cælestis ac sublimis: siquidem ἄρτος ἀγγέλων λόγος, panis angelorum sermo est, quo aluntur atque irrigantur animæ Deum esurientes, ac cibum non fluentem et abeuntem, sed perpetuo manentem expetentes: cuius ipse dispensator erat, et quidem perquam locuples homo: alioqui omnium, quos novi pauperrimus et e- 241. Prælatus curet animas.

gentissimus: non panis famem, aut sitim aquæ sanans: sed verbi illius vere ζωτικὸν τρόφιμον, *vitalis, ac vim alendi habentis*, eumque qui recte nutritur ad spiritualis ætatis incrementum ducentis desiderium expleas. Secundo, Prælatus non debet negligere corpus suorum subditorum. S. Ioan. Eleemosynarius Patriarcha Alex. nonnunquam diebus singulis septem millia pauperum alebat. S. Otho Bambergensis Episc. ut dicitur in eius vita, habebat cognitos, et nominibus propriis notatos, omnes paralyticos, languidos, cancerosos seu leprosos de civitate sua: modum, tempus, et quantitatem languoris eorum per se investigans, congruaque subsidia omnibus providebat, et curabat: hæc ibi. (Et corpora.)

242. (Deus Prælatis dat necessaria.) Ne timeant Prælati, Deus illis suppeditabit, unde subiectos sibi populos alant, et spiritaliter et corporaliter. Christophorus Browerus noster tract. de illustribus et sanctis viris, qui Germaniam exornarunt, refert de S. Ludgero Episcop. S. Gregorium ei apparuisse, qui promitteret se suppeditaturum ea, quæ subditis daret. Verba eius sunt in vita, cap. 11. Apparuit ei nutritor suus quondam Gregorius, et cum eo solita familiaritate colloquens, Frater, ait, Ludgere, sequere me: secutus est ille, ut sibi videbatur, ascendentem in altiorem locum: ibi prolatis, et coram eo iactatis quasi membranalis et vestibus, colligere ea Ludgerum in acervos præcepit. Dum colligeret quasi tres acervos: Bene, ait Gregorius, indigentibus ista distribue: de his tibi satis dabo: signansque eum signo crucis, abscessit. Cumque mane Ludgerus Haddom monasterii præposito, et Marchelmo somnum retulisset, statim ad hæc Marchelmus respondit, Nequaquam, inquiens, Ludgere, inane istud somnium putes. Episcopatus honore sublimaberis: tribus populis dona Domini divisurus es: hæc ille. Trevirensem Arch. sibi a Carolo Imp. oblatum Ludgerus recusavit, et in occidentalem Saxoniam missus visionem complevit. Gregorius porro, de quo fit mentio, fuit Traiecti Apostolus, et multitudine Discipulorum sanctorum felicissimus, ut apud eundem Browerum refertur in vita S. Bonifacii Germaniæ Apostoli.

243. (Prælato virtus est necessaria.) Quarto, bona vita Prælatis est maxime necessaria, ut populum sibi subditum bene pascant. Hinc dicitur: *Pavit eos in innocentia cordis sui.* Non potest enim illa se in corde continere, sed ab eo velut fonte prodit foras melle et nectare suavior. S. Isidorus Pelusiot. dicit Pastorem hominum eo intervallo debere excellere virtutem subditorum, quo opilio eminet præ ovibus suis. Verba eius sunt lib. 3. Epist. 216. ad Palladium Diaconum: Non cuiuslibet hominis est imperium Episcopatus accipere, quod, βασιλείας ἐστὶν ὑψηλότερα, regnum quoque antecellit: illud quippe divina, hoc humana moderatur, sed paucorum admodum, *quos non minus iis, quibus præsunt, præstare æquum fuerit*, ὅσον ποιμένες προβάτων, *quam pastores ovibus:* hæc Isidorus. Debent enim esse vitæ speculum. S. Laur. Iustinian. tract. de casto connubio verbi et animæ cap. 3. Est, inquit, qui præest, *quasi speculum quoddam*, in quo incipientes vivendi formam accipiunt. Et S. Chrysostom. hom. 3. Sit, inquit, omnibus doctrina, exemplarque virtutis tuæ *speculum vitæ*, quod omnibus proponitur ad imitandum, *veluti primitiva quædam imago omnia in se habens, quæ bona atque honesta sunt.* Basilius Imper. ait, vitam bonam principum esse pharmacum adversus omnia mala. Sic enim scribit in admonitione ad Leonem filium, cap. 62. Principis innocentia, et boni mores, in multas ætates protenduntur, et memoriam nominis æternam transmittunt ad posteros. Quibus virtutem tuam æmulandam *quasi pharmacum adversus omnia mala*, relinques: eosque et laudatores et imitatores tuæ administrationis etiam defunctis efficies: ita ipse. Memores sint Principes et Prælati sentent. 172. Sixti Philosophi: Cum, ait, præsis hominibus, memento quod et tibi præest Deus. Philippus Abbas Bonæ spei ait, Prælatos esse soles orbis, a quibus omnis lux subditorum pendeat. Verba eius sunt ep. 13. *Sol si defæcato radio sui luminis illucescat, ab eo lumen aer accipit, ut diescat: si vero nubiloso velamine illius facies obtegatur, aer procul dubio nocturna caligine tenebratur. Sic et Prælati tam vita quam doctrina si digno radiaverit lumine sanctitatis, subiectus populus opportuno perfunditur munere claritatis. Si autem ille fumo turpitudinis denigrescit: et iste consequenter interpolatione vel ingrata, vel forte placita tenebrescit.*

Vult Christus innocentiam columbæ ac simplicitatem cum prudentia serpentis coniungi. Unde ait Apostolis Matt. 10. 16. *Ecce ego mitto vos sicut oves.* Luc. cap. 10. 13. *Sicut agnos, inter lupos. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices*, Græce ἀκέραιοι, q. d. Sine cornibus, sine noxa, innoxii, innocentes, *sicut columbæ.* Hinc Deus sæpius columbas dimisit in eos, qui sibi grati erant, aut in sacerdotii consecratione, ut in S. Chrysostomum: aut in concione, ut S. Gregorio: aut in Episcopatus ordinatione, ut S. Evurcio, et aliis. Petrus de Natalibus lib. 8. cap. 48. Evurcius, ait, ad duos fratres suos captivos requirendos veniens in Galliam, Aurelianum ingressus, et apud quemdam civem est hospitatus, a quo cum de dissensione didicisset, mane ad Ecclesiam ex charitate cum cæteris oraturus venit, et iuxta ianuam incognitus stetit. Cunctis autem prostratis *columba nivea* de cælo volitans, per fenestram ingressa singulos circumiens, et quasi dignum explorans, super caput Evurcii resedit: sed ab eo quasi eiecta ad cælos revolavit; quod miraculum cuncti stupentes, sed adhuc de persona dubitantes, eo quod aliqui, super quem insederat, dubitabant, Evurcium inter Episcopos ducunt, et iterum ad Deum oraverunt, secundo miraculo plenius edoceri: rursum igitur columba descendit, ianuamque petens Evurcium non invenit, cunctosque per circuitum Ecclesiæ illustrans, super caput eius tandem secundo resedit, sicque ipsum omnes in Episcopum elegerunt. Franciscus Severtius in Chronologia historica Archiantistitum Lugdun. Archiep. idem breviter refert, ubi agit de Episcopis illius Primatiæ, tom. 3. p. 162. Saussæus quoque, pag. 58. Baronius in Martyrologio vocat Euortium, vulgo Euverte, ad discrimen alterius Martyris: Galli nominant Evurce. (Columbæ advolant in sanctos Episcop. et Prælatos.)

Illustrius est, quod refert Hieronymus Rubeus lib. 1. et 2. histor. Ravennatis: nempe olim Ravennatis Ecclesiæ Præsules, columbæ e cælo devolantis obumbratione electos esse. Nam cum, inquit, sancti Apollinaris successor esset eligendus, omnesque renuerent, cum se tanto muneri impares faterentur, e cælo columba descendens, Aderiti Sacerdotis sancti capiti incubuit, quæ quem eligeret demonstravit: hic omnium consensu Archiepiscopalem provinciam suscepit: quo pacto et alii Archiepiscopi fuerunt electi, et omnium postremus S. Severus. Nam cum se ad templum contulisset, ad illius aures de more columba convolavit, qui cum se tanto munere indicaret indignum, eiecit columbam, quæ circumvolans ad illum denuo rediit: protinusque populus clamavit, ne illam eiiceret, sineret, quid vellet, efficere: populo obsecutus Severus, columba immisso in aurem illius rostro inde sublimis abiit: stupentes omnes ob rei novitatem accurrunt, ac Severum pannosis vestibus spoliatum vestiunt sacro pallio, quo Antistites uti consueverunt: ille confestim in alium mutatus, superaque sapientia præditus conscenso suggestu concionem habuit, pietate doctrinaque refertissimam, in qua prædixit, ne amplius divinitus columbæ adventus expectaretur in creandis Ravennatibus Episcopis: locus, in quo adveniens columba pedes figebat, adhuc visitur, et colitur: et portæ minoris angulus, ad quem Severus se recepit templum ingressus, signate notatur, qui summa religione a fidelibus tangitur. De variis apparitionibus columbarum dixi alias. (Notabile de Episc. Ravennatibus.)

Neque satis est Prælato, ut hanc innocentiam habeat cum munus suscipit; sed tota vita servanda est, quod ipsis viris sanctis difficile est. Ugo Cardinalis, qui ingeniose scripsit in psalmos et pie, atque in universam scripturam, morti proximus dixisse fertur: *Quanto mallem vel elephantiaco morbo oppressus in meo paupere instituto vixisse, quam Cardinalis fuisse.* Vixerat in S. Dominici familia. Hoc dictum mirum est, in viro singularis eruditionis et vir- (Ugo Card. timet in morte.)

tutis. Adeo difficile est honorum fulgore non perstringi. Cardinalis Alex. Pii V. nepos iam moriturus dicebat: Quam in hac hora optarem totam vitam in religione mea transegisse. Sane mallem me tota vita serviisse coco monasterii mei, quam Cardinalem egisse. Fuerat Dominicanus. Idem dixit Nicolaus IV. ex Franciscano creatus Pontifex.

244. Prælati excellant sapientia. Quinto denique, Prælati sapientia excellant necesse est, et sapientia, quæ ad praxim revocetur. Hinc Psalmum finit David seu Christus hac clausula: *Et in intellectibus*, id est intelligentia, *manuum suarum deduxit eos*. Versiones hic notandæ sunt. Primo, Hebr. denotat humilitatem Prælati bene operantis. Nam pro *manuum suarum*, est כפם *cappam*, id est volarum suarum. Vola autem est pars interior manus. Rad. est *caphaph*, incurvare. Lucem ita habet Prælatus in manibus, ut eam per humilitatem occultet, non temere ostendet per inanem gloriam. Emicant tamen radii vel non cogitantibus iustis: et ita actio fit in publico, ut intentio maneat in occulto. Secundo, efficaciam virtutis in Prælato denotas Syrus, qui vertit, *Intellectu manuum suarum gubernavit eos*. Verbis enim opus non est, cum manus loquitur. In biviis aut quadriviis manus nonnunquam ponebantur, quæ digito viam præmonstrarent, adiecta aliqua epigraphe. Dux optima est Prælatorum manus, cum non dicitur, *facite*, sed, *faciamus*: aut, sine verbis opera præcedunt. Tertio, Arabs laudem Dei et gaudium indicat ex virtute Prælati enascens. Reddit enim, *cum intelligentia manuum suarum gubernavit eos. Alleluia, Alleluia.* Hæc vox Alleluia significat, laudate Deum. Tunc enim laus Dei et exultatio exoritur, cum Prælatus subditos præit virtutibus, et manu apprehensos ad sanctitatis culmen erigit sine labore, quod sine prævio ducis exemplo vix attingerent, titubanti pede sæpius lapsantes.

Ob sex rationes I. Nota, Prælato sapientia intellectus necessaria est. Primo, quia Deus, cuius personam sustinet, est ipsa sapientia et intellectus infinitus. Anno 1625. in villa Sanzuen dicta in magno Sinarum regno, cum fossa fundamentis muri cuiusdam collocandis præpararetur, contigit, ut operarii inter cætera monimenta, in saxum ingens, Sinicis characteribus eximie exornatum inciderent: Gubernator scriptum edidit in lapidis inventi laudem. Patres Societ. nostræ accurrerunt ad eum lapidem visendum, quod in eo pene omnia fidei nostræ mysteria insculpta essent a multis sæculis, ut ait noster Athanasius Kircherus in prodromo Ægyptiaco cap. 3. pag. 48. In hoc lapide hæc verba leguntur: Hic qui semper fuit verus et quietus, omnis expers principii, *intellectus profundissimi*, et semper duraturi, excellente potentia sua creavit res, infinita maiestate sua et sanctitate fecit sanctos. Hæc est essentia divina, trina in personis, et in substantia una, Dominus noster, verus sine principio, Olo, o yu: hæc ibi. *To Olo* non multum differt ab hebr. *eloach*, et το *yu* ab hebr. item *ia*, sive *iah*, quæ voces *Deum* significant. Cum igitur Prælatus Deum repræsentet, debet lucere sapientia sicut Deus. Hinc super cor et pectus hebræi Pontificis ponebatur Rationale gemmis duodecim collucens, ac duæ aliæ gemmæ stringebant eius Ephod, sive superhumerale, in humeris. Ut enim ait Sixtus, sive Sextus Philosophus sent. ultima: *Sapiens meus speculum est Dei*. Et sentent. 298. *Nihil tale post Deum verum, sicut sapiens.*

Secundo, sapientia luceat Prælatus necesse est, quia lex nostra est lex lucis. Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Titulus lapidis Sinici, de quo mox, hic erat: *Lapis in laudem et memoriam legis lucis, et veritatis portatæ de Iudæa, et in China promulgatæ erectus.* II.

Tertio, sapientia necessaria est Prælatis, quia sunt positi in specula, ut gregi provideant, sunt Argi centoculi. Oseæ 9. 8. *Speculator Ephraim cum Deo meo.* Hinc Episcopi dicti sunt, id est, speculatores, superintendentes; dicti ut ait Theophilactus, παρα του επισκοπειν παντας, eo quod omnes speculentur, omnibusque provideant. III.

Quarto, sapientia necessaria est Prælatis, quia omnes subditi intentos habent oculos in eorum actiones. Pro *speculator Ephraim* loco Oseæ mox citato, Sept. habent, σκοπος Εφραιμ, id est *scopus Ephraim*, quod contemplans S. Cyrill. Alex. in commentario dicit, solet Scriptura scopos nominare Præsides, et moderatores populi, et in sublimi dignitatum gradu collocatos, in quos intueatur, qui rectam et inculpatam vitam agere velit: hæc Cyrillus. Prælati soles sint oportet tum ut illuminent et recreent, dum alios aspiciunt: tum ut admirationem sui, et creatoris laudem ingenerent, dum aspiciuntur. IV.

Quinto, sapientia necessaria est Prælatis, quia verbo docere debent suos subditos. S. Ambr. lib. de dignit. Sacerdot. ait, se in eis petere prudentiam, non mundialem, sed spiritualem: id est, quæ et opere circumspecta sit, et verbo perita, ut sit astutus, sicut serpens: et simplex, sicut columba. V.

Sexto denique, sapientia necessaria est Prælatis, quia difficile est homines regere. S. Greg. Naz. in apologetico: Sit sane, inquit, Episcopus non modo a vitiorum contagione purus, sed ad summum etiam virtutis fastigium evectus. Haud equidem video quanam scientia instructus, aut quibus viribus fretus huiusmodi præfecturam suscipere intrepide possit. Nam *profecto* τεχνη τεχνων, και επιστημη επιστημων, *ars artium et scientia scientiarum, mihi esse videtur hominem regere, animal maxime varium et multiplex:* ita Greg. cuius totam orationem lege. Vel homo unicus est animal varium, modo tristitia, modo gaudio; nunc spe, nunc desperatione, nunc aliis motibus agitatum. Itaque vel unius est difficilis gubernatio. Sed quis omnibus unus sufficiat, cum tanta sit morum, ingeniorum, affectuum, morborum et conditionum varietas: et quod uni prodest, aliis noceat? S. Greg. Papa in prologo 3. partis sui pastoral. id considerans ait: *Ut longe ante nos Reverendæ memoriæ Gregorius Naz. edocuit non una eademque exhortatio cunctis congruit: quia non cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt. Quia et plerumque herbæ, quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt: et levis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit: et panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat: pro qualitate igitur audientium formari debet sermo Doctorum, ut et sua singulis congruant, et tamen e communis ædificationis arte nunquam recedat:* hæc Gregor. VI.

PSALMUS SEPTUAGESIMUS OCTAVUS.

Psalmus Asaph.

1. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.
2. Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.
3. Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem: et non erat qui sepeliret.
4. Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.
5. Usquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?
6. Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt: et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.
7. Quia comederunt Iacob, et locum eius desolaverunt.
8. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.

9. Adiuva nos Deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui Domine libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.
10. Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? et innotescat in nationibus coram oculis nostris, ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.
11. Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum: secundum magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum.
12. Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi Domine.
13. Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum.
In generatione et generationem, annuntiabimus laudem tuam.

PSALMI SEPTUAGESIMI OCTAVI ANALYSIS.

Propheta noster præcedens Antiochi persecutionem, Machabæos loquentes inducit qui eam

- Gravissimam describunt, ob
  - Regionem ab hostibus occupatam. 1.
  - Templum Dei pollutum. 1.
  - Civitatem Ierosolymam desolatam. 1.
  - Civium cadavera proiecta
    - Feris. 2.
    - Et avibus. 2.
  - Sanguinem eorum temere effusum. 3.
  - Sepulturam ipsis negatam. 3.
  - Famam expositam ludibrio vicinorum populorum. 4.
- Eius liberationem flagitant, 5. ob
  - Longum tempus iam exactum in illa calamitate. 5.
  - Gentiles hostes illa digniores, 6.
    - Ob infidelitatem. 6.
    - Idololatriam. 6.
    - Crudelitatem. 7.
    - Et sacrilegia. 7.
  - Populum Deo supplicem, 8. qui
    - Præterita peccata deleri postulat. 8.
    - Et præsentem miseriam tolli. 8.
  - Dei ipsius gloriam, 9. quem
    - Iusti invocant, ut iuvare potentem. 9.
    - Impii rident, velut imbellem. 10.
  - Sanctorum afflictorum miseriam, 11.
    - Qui occisi, vindictam petunt. 10.
    - In carcere positi, periculum deprecantur. 11.
    - Orphani, opem implorant. 11.
  - Vicinorum populorum impietatem, 12.
    - Qui puniendi ob barbariem in pios. 12.
    - Et ob blasphemias in Deum ipsum. 12.
  - Iustorum liberatorum virtutes, 13.
    - Qui Deum laudant humiliter. 13.
    - Et constanter. 13.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

PSALMUS ASAPH.

1. Iudæa et Ierusalem sæpius expilatæ.

Titulus satis explicatus est Ps. 49. Quod ad Psalmi huius argumentum spectat, Nota varias gentes irruisse in Iudæam, Ierusalem cepisse, atque templum expilasse. Primo enim, anno mundi 3446. Sedeciæ regis ultimi undecimo, fundati templi 424. ante Christum 607. a Nabuchodonosore rege Chaldæorum funditus eversa est Ierusalem, et templum exustum. Secundo, Iudæa, Ierusalem ipsa et templum, gravissima tolerarunt ab Antiocho Epiphane, qui cœpit regnare in Syria anno mundi 3879. imperii Græcorum 137. ante Christum 174. De illa persecutione fuse dixi Ps. 73. qui totus est de illa. Tertio, gravia etiam passi sunt Iudæi a cæteris regibus Syriæ posteris Antiochi, ut habetur in libris Machabæorum. Quarto, anno mundi 3991. ante Christum 62. Pompeius cœpit Ierosolymam, et templum expugnavit, atque urbis muros evertit, Iudæam fecit Romanorum provinciam illis tributariam, Aristobulum denique regem cum duobus filiis et totidem filiabus Romam vinctum abduxit, in triumphum duxit atque interemit, si Appiano creditur: sed quod ad illam necem spectat, repugnat Iosephus. Quinto, anno mundi 4000. ante Christum 53. Crassus templum expilavit. Sexto denique, Titus cum Romanis evertit Ierusalem et templum anno mundi 4124. post Christum passum 38. His positis:

2. De qua persecutione hic agitur? 1.

Quæres, de qua persecutione hic sit sermo? Resp. primo, certum est non intelligi tantum de illa afflictione, quæ per Pompeium et Crassum accidit. Nam Pompeius iustum bellum intulit Aristobulo regi, qui Hyrcani fratris sui natu maioris regnum occupaverat: deinde templum A non diripuit, nec urbem, atque Hyrcano Pontificatum restituit. Crassus vero, neminem ibi occidit.

Secundo, Arnobius, Lyran. Trevet. et Ribera in Michæam cap. 3. num. 20. de sola persecutione sub Nabuchodonosore exponunt. Sed obstat, quod Ierusalem tunc non continebat Sanctos, sed impios. II.

Tertio S. Basil. Theodoret. Euth. Cassiod. Bruno, Remig. Turrecr. et alii explicant de persecutione sub Antiocho Epiphane. Bellarminus adiungit etiam alios reges Syriæ seu Græcorum in Syria dominantium. Rickelius, Tirin. Dion. tam de Antiocho, quam de Nabuchodonosore accipiunt. Hæc explicatio de Antiocho præsertim arridet. III.

Quarto, Remigius, S. Iustin. in Tryph. S. Athanasius tract. in pass. et crucem Domini, Socrates lib. 1. hist. cap. 17. exponunt de persecutione ultima per Titum et Romanos. Sed obstat, quod tunc non erat amplius restauranda Ierusalem cum templo, quod tamen hic petitur. IV.

Quinto denique, arbitror animo Prophetæ tunc obiectas omnes clades illatas Iudææ, Ierosolymæ præsertim ac templo, et gentes in gregem Dei irruentes, atque ex vehementi affectu tunc Psalmum hunc cecinisse, opem a Deo implorando. Maxime tamen hunc persecutioni Antiochi convenire, de qua pauca dicam, cum satis de illa egerim Ps. 73. In historia Machabæorum lib. 1. cap. 7. aliqua citantur ex Psalmo nostro. V. Et opinio me. B

Allegor. agitur de Ecclesiæ persecutionibus: ita S. August. Lindanus, et alii; de solis persecutionibus per Mahometanos et Antichristum vult accipi Valentia, sed male: latius enim patet Psalmus.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3 DUO COMPLECTITUR. PRIMO, CLADEM IUDÆORUM SUB ANTIOCHO ACCEPTAM, VERS. 1. SECUNDO, PETITIONEM LIBERATIONIS AB EA CLADE, VERS. 5.

SECTIO PRIMA.

Tria continet. Primo, civitatis et templi cladem, vers. 1. Secundo, civium cædes, vers. 2. Tertio, hostium in circuitu positorum sannas, vers. 4.

PARAPHRASIS.

1. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.*

1. Unam tu præ cæteris orbis universi provinciis Iudæam in peculiarem hæreditatem et cultus tui sedem elegeras, eam nunc effræni rabie invaserunt gentiles: nec templo tibi consecrato pepercerunt, sed illud infandis sacrilegiis, et idolorum veneratione polluerunt, tuamque Ierosolymam regni decus et arcem ita incendiis et rapinis vastarunt, ut hac illac diffluentibus incolis similis sit tugurio ad pomorum custodiam extructo, quod post fructuum vindemiam deseritur et concidit.

2. *Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.*

2. Servorum tuorum a vera religione deficere nolentium, et idola conspuentium, cadavera abiiciunt avibus insepulta: ipsorumque Sacerdotum tibi sanctificatorum corpora, per agros dispersa, canibus ac feris devoranda.

3. *Effuderunt sanguinem eorum, tamquam aquam in circuitu Ierusalem: et non erat qui sepeliret.*

3. Tantaque immanitate sæviunt, ut non pluris iustorum sanguinem, quam vilem aquam æstiment, eumque per universæ urbis pomœria nullo discrimine fundant: neque sit, qui tantam cæsorum multitudinem terræ mandare vel possit, vel audeat.

4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.*

4. Quodque in tam lugenda clade gravissimum est, vicinorum populorum ludibrium sumus ac iocus: omnesque circumfusæ nobis nationes, quæ Antiochi idola securæ colunt, nos in vero cultu tuo pertinaces subsannant, et prostratis illudunt.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTA CLADES ANIMÆ A PECCATIS OCCUPATÆ.

4. *Ordo Sectionis.* HIC maximam Iudaicæ gentis, ac præsertim civitatis Ierosolymitanæ cladem, ab Antiocho Epiphane acceptam, proponit Propheta: in qua tota regio, templum, civitas, cives ipsi ab hostibus proteruntur. Est autem typus animæ peccantis, et ob peccata afflictæ.

Primo igitur, tota Iudææ regio, licet Deo consecrata, a furibundo exercitu occupatur, v. 1. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Secundo, templum spoliatur, et contaminatur: *Polluerunt templum sanctum tuum.* Tertio, civitas regia prosternitur: *Posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.* Quarto, cives, omnesque servi Dei, veræ religionis tenaces, ad necem quæruntur, eorum cadavera avibus et feris proiiciuntur, v. 2. *Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.* Quinto, sanguis eorum temere effusus, v. 3. *Effuderunt sanguinem eorum, tamquam aquam in circuitu Ierusalem.* Sexto, sepultura illis negatur: *Et non erat qui sepeliret.* Septimo denique, tota gens viciniis populis exponitur ludibrio, vers. 4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.* Hæc allegor. ad Ecclesiam spectant, eiusque martyres, ut dixi in tituli expositione. Sed ea de re egi fuse Ps. 43. qui totus est de Martyribus. In animæ tropologia paulo amplius hærebimus, ut peccatum horreas.

ARTICULUS I.

Peccator est cultor idolorum.

5 DAVID in extasi positus, ac velut in tabella sibi proposita videns gentiles in Iudæam et Ierosolymam ipsam stricto gladio irrumpentes, pathetice exclamat, v. 1. DEUS (o Deus, est vocativus, licet Græce sit ὁ Θεός, quod ordinarie est nominativus, sed vix aliter etiam vocativus exprimitur, præsertim in Scriptura) VENERUNT GENTES IN HÆREDITATEM TUAM, POLLUERUNT TEMPLUM SANCTUM TUUM: POSUERUNT IERUSALEM IN POMORUM CUSTODIAM, id est velut pomorum, id est fructuum custodiam, hoc est locum, in quo manent custodes pomorum, ut dicitur art. sequenti.

Nota, Iudæa dicitur hæreditas Dei, quia eam sibi specialiter ex toto orbe delegerat, in qua coleretur, eamque Abrahæ, Isaac et Iacob promissam, dederat eorum filiis veluti hæreditatem paternam. In eam variæ gentes irruerunt: nempe omnes vicinæ, Philisthæi scilicet, Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi, Syri; 2. etiam gentes remotiores: nempe Chaldæi, Græci, Romani, et de his præsertim agitur, ut ostendi in titulo. In illam autem regionem irrupe- runt. Primo, quia Deus volebat peccata populi sui punire. Secundo, ipsæ gentes feracitate Iudææ commotæ, et opportunitate loci, illam avide expetebant. Omnes enim ad ubertatem currunt. Hinc tota Sicilia, Ægyptus, Asia minor, Græcia, Italia, et aliæ opimæ regiones hostilem irruptionem passæ sunt. Hinc ex Scythia, et regnis Septemtrionalibus tot populorum armatorum examina prodierunt, quia terræ illæ sunt steriles. Hinc viceversa ex India nullæ sunt deductæ coloniæ, quod sit regio pinguissima. *Iudæam hostes sæpius incursarunt, et cur? — Nullæ coloniæ prodierunt ex India.*

6. Tropol. gentes in animam irruentes sunt peccata. Beda in quæst. super Deuter. cap. 16. Septem gentes, inquit, septem sunt principalia vitia, quæ per gratiam Dei unusquisque spiritualis nubes exuperans exterminare penitus admonetur: hæc Beda. Septem illæ gentes terræ promissæ erant: Primo, Hethæi. Secundo, Pherezæi. Tertio, Amorrhæi. Quarto, Chananæi. Quinto, Geresæi. Sexto, Iebusæi. De illis agitur Gen. 15. 20. Septimo, Hevæi adduntur, Gen. 10. 17. Aliæ etiam gentes referuntur dicto capite Genesis: sed illæ septem sunt præcipuæ notissimæ. De iis dixi fusius alias. Ugo Card. in Psal. nostr. superbos præsertim, luxuriosos et avaros paganis assimilat. Syri, ait, superbi: Idumæi, luxuriosi: filii Ammon, turbidi litigatores et avari. S. Paulus ventri addictos, et avaros potissimum inter idololatras reponit. De avaris actum est Psalmo præced. satis fuse: de ventris mancipiis ait Alber- *Septem gentes Chananitidis. — Peccator est idololatra.*

Præsertim gulosus. tus Patavinus serm. 137. *Agunt festum Veneri et Baccho hi quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Adam Victorinus dialogo de instructione animæ agens in Religiosos, lautiorum ciborum cupidos, ait: *Si Deus eorum (quod procul absit) venter est: certe tam vili habitu tam pretiosus et gulosus Deus contegi non deberet.* Qui a variis peccatis, veluti efferatis gentibus, animam suam vastari sentit, dicat cum Mathathia patre Machabæorum, deploranto afflictissimum Iudææ et Ierosolymæ statum sub Antiocho Epiphane, qui sic loquitur l. 1. Mac. 2. 10. *Quæ gens non hæreditavit regnum eius, et non obtinuit spolia eius? Omnis compositio eius ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla: et ecce sancta nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est, et coinquinaverunt ea gentes. Quo ergo nobis adhuc vivere?* Ita ipse. His dictis quinque filios suos animans cum illis perrexit ad terræ illius sanctæ defensionem. Quinque autem eius filii erant: 1. Ioannes qui cognominabatur Gaddis. 2. Simon, qui cognominabatur Thasi. 3. Iudas, qui vocabatur Machabæus. 4. Eleazarus, qui cognominabatur Abaron. 5. Ionathas, qui dicebatur Apphus. Ordo ætatis inter eos non est certus. Quinque animæ filii sunt quinque eius sensus: cum illis hostes suos impetat. Machabæi quinque filii Mathathiæ.

7. Triplex hostis animam et Ierosol vastans. Nota secundo, a triplici hoste impetiti, nempe carne, mundo, et diabolo, tres Psalmos cantare possumus, quos de triplici clade per Nabuchodonosorem, Antiochum et Romanos accepta, conscriptos aliqui censuerunt. Primo quidem, de vastatione per Romanos, Ps. 43. qui tibi mundum, ac mundanos et politicos homines figurant. Secundo, de vastatione per Antiochum, qui est typus carnis, concine Psalmum nostrum. Tertio denique, per Nabuchodonosorem, quo repræsentatur diabolus, vastata est Ierusalem. Deo eo Ps. 136. agit.

ARTICULUS II.

Peccato civitas animæ funditus evertitur.

8 Vers. 1. **P**OSTQUAM dicit David, gentes venisse in hæreditatem Dei, ostendit quid ibi fecerint, v. 1. POLLUERUNT TEMPLUM SANCTUM TUUM (Hebr. sanctitatis tuæ. Sed solent Hebræi ponere duo substantiva simul pro substantivo et adiectivo. Itaque recte vertit Noster interpres) POSUERUNT IERUSALEM IN POMORUM CUSTODIAM, id est, sicut custodiam seu locum, in quo custodes fructuum manent; sic sumitur τὸ *in*, Psalmo præced. v. 57. ut vult ibi S. Hieronymus. In Vaticano seu Romano psalterio habetur, *velut pomorum custodiarium.* Ita etiam habet Cassiodorus, qui vocat tugurium et cassellulam, quam sibi horti cultor custosve ad depellendam solis iniuriam, et ad custodiendas furum improbas manus, frondibus foliisque communit: sed mox ut pomorum tempus abscesserit, tamquam inutile relinquit.

Non in tecta tantum ac domos, sed in cives et quidem
Vers. 2 sanctos illæ gentes sævierunt, v. 2. POSUERUNT MORTICINA (S. Hieron. cadavera) SERVORUM TUORUM ESCAS VOLATILIBUS CÆLI (id est aeris) CARNES SANCTORUM TUORUM BESTIIS TERRÆ.

Vers. 3. Et vers. 3. EFFUDERUNT SANGUINEM IPSORUM TAMQUAM AQUAM IN CIRCUITU IERUSALEM, ET NON ERAT QUI SEPELIRET.

9. Templum Ierosolymæ sæpe spoliatum. Nota primo, Sesac rex Ægypti victo Roboamo, et præ metu Ierosolymam aperiente, templum spoliavit anno mundi 3064. Templi fundati 41. Roboami 5. ante Christum 989. Secundo, Merodach filius Baladan rex Babylonis cepit Manassem regem Iuda, et urbem Ierusalem: templum evertit, ut aliqui putant, aut potius profanavit, ut vult Serarius, anno Manassis 7. templi fundati 322. Imperii Babyloniorum 12. Tertio, Nabuchodonosor rex Babylonis Ierosolymam cepit, ac Sedeciam regem excæcatum in captivitatem deduxit anno mundi 3416. templi fundati 425. imperii Babylon 114. Romæ conditæ 146. ante Christum 606. Templum autem everti curavit et suc-

A cendi per Nabuzardan anno sequenti. Quarto, Antiochus Epiphanes rex Syriæ templum spoliavit anno 3885. imperii Græcorum 143. ipsius Antiochi 7. ante Christum 168. ab eo abstulit vasa sancta, et illa contrectavit indigne, atque contaminavit: anno autem 9. regni sui illud penitus profanavit, posito idolo Iovis Olympii super altare Dei, id est, super altare holocaustorum. Per triennium ibi oblata sunt impia sacrificia, donec Iudas Machabæus Urbe recepta templum expurgavit. Quinto denique, templum spoliatum, profanatum, et penitus eversum est a Romanis anno 38. post Christi passionem.

Nota secundo, Antiochus Epiphanes plurimos in Iudæa occidit. Nam solo anno septimo regni sui in Urbe una Ierusalem per triduum ita sæviit, ut octoginta millia interfici curaverit, quadraginta millia vinciri, non minus autem venumdari, ut habetur lib. 1. Machab. cap. 5. v. 14. locus Psalmi nostri citatur lib. 1. Machab. cap. 7. ubi de Assidæis iussu Alcimi occisis dicitur: *Et reddiderunt ei, et comprehendit ex eis 60. viros, et occidit eos in una die,* B *secundum verbum quod scriptum est: Carnes Sanctorum tuorum, et sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Ierusalem, et non erat qui sepeliret.* Genebr. in Psal. nostr. Sancti, ait, vocantur, professione religionis et fidei, et non tantum ratione fidei et morum. Censet scilicet Assidæos fuisse Religiosos in Iudaismo, ut etiam noster Serarius docet in illo capite Machab. De illis dixi Ps. 73. 10. Crudelitas insignis Antiochi.

Adverte autem, sæpe martyrum corpora a tyrannis abiecta fuisse avibus, et piscibus, et feris, tum ad contemptum ipsorum, tum ad horrorem superstitum, tum ne a fidelibus reliquiæ eorum colerentur: sed Deus illas variis miraculis intactas non raro servavit. Primo, S. Lucianum Samosatensem iussit Maximianus in mare abiici post mortem, magnumque lapidem appendi brachio eius dextero, ut nusquam appareret, et corpus eius nullam assequeretur sepulturam. Cum quindecim totos dies illæsum et integrum in maris fundo hæsisset, in somnis martyr Glycerio apparuit, monuitque, ut ad certam littoris partem se C conferret, se ibi affuturum. Quo cum ille adiunctis sibi aliquibus perrexisset, Delphinus ingens ascendebat e mari, iam ex eo emergens: Ferebat autem extensum mortuum, tamquam in lecto iacentem: eratque spectaculum admirabile, super corpus adeo lubricum et rotundum quiete manens mortuus, et nec a suo pondere, neque a vi fluctuum devolutus ab eo, quod ipsum portabat vehiculo. Cum autem Delphinus fuisset prope continentem, fluctu sublime fuit sublatus, et terræ id apposuit. Atque ille quidem statim expiravit: hæc Simeon Metaphr. 7. Ianuarii. 11. Reliquiæ martyrum sæpius servatæ a feris. I. S. Luciani.

Secundo, Ss. Crispinus et Crispinianus Romani cives iussu Maximiani Imp. in Galliis capite truncati, canibus et avibus devorandi abiiciuntur: sed ab angelo senex quidam admonitus eos in naviculam ex inopinato apparentem in fluvio Axona imponit, quæ sursum tendit contra impetum procurrentium aquarum, nullo neque gubernatore, neque remige freti, et ad tugurium senis ascendit, ubi sacra corpora sepeliuntur. Ita in antiquis manuscripti codicibus habetur. II. Sanctorum Crispini et Crispiniani.

D Tertio, corpus S. Quintini per annos 55. sub aquis latet illæsum. Erat ipse oriundus e stirpe Romanorum Senatorum, in Galliam venit fidei propagandæ causa, ubi post dira tormenta capite minuitur iussu Rictiovari, et in Sommam flumen proiicitur. Vix ab humeris caput ceciderat, cum visa est felix anima eius carnea mole soluta, velut columba candida sicut nix, de collo eius exire, et liberrimo volatu cælum penetrare: voxque de cælo fertur audita, Quintine famulus meus, veni, et coronam accipe, quam tibi pro tuis meritis præparavi. Corpus vero totos 55. annos sub undis illæsum iacuit, donec Eusebia cæca ab angelo monita, ad fluvii locum illum perrexit, ubi illa orante, corpus a nullo extractum erigitur ad aquæ summitatem, et caput aliunde advenit ad corpus usque: et Eusebiæ lumen expetitum sanctus Martyr reddidit, ut habetur in eius Actis. III. S. Quintini.

Quarto, corpus S. Vincentii per corvum protegitur. IV. S. Vincentii.

Cum enim iussu Daciani feris et volucribus abiectum esset, corvus advolans illud ab aliis etiam maioribus animalibus intactum servabat, et lupum repentino cursu eo venientem ita repulit, ut diffugeret. Indignans Dacianus illud in altum mare proiici iussit, sed mox in littus enatans, a pia fœmina ab ipso martyre admonita sepultum est, sicut habet Simeon Metaphr. 22. Ianuarii.

V. S. Stanislai. Quinto, corpus S. Stanislai Episcopi Cracoviensis aquilæ tutatæ sunt. In varias partes dissectum iusserat Boleslaus rex Poloniæ feris abiici et canibus: sed a quatuor mundi partibus, totidem raræ formæ et magnitudinis advolarunt aquilæ, in quibus dissipata erant S. Præsulis membra, circumvolitantes, non sinebant ab ullis vel feris vel volucribus ea attingi. Cum radii ex singulis corporis partibus hac illac sparsis emicarent, et lampades ardentes viderentur, Canonici et primores civitatis metu posito sacras reliquias colligunt, ac simul iungunt. Tum contigit miraculum omni admiratione dignissimum; nam simul atque id ita factum fuit, corpus adeo integrum conspectum est, ut nulla uspiam vel cicatricum vestigia apparerent: hæc Ioannes Longinus Canonicus Cracoviensis, in eius vita.

VI. S. Tatiani. Sexto, corpus S. Tatiani a canibus servatum est. Cum enim S. Tatianus, cognomento Dulas, a Maximo Ciliciæ Præfecto post multa tormenta occisus, et feris obiectus esset, ut sepultura careret, pastorum canes cum S. Martyris reliquias odorati essent, unus ex illis canibus venerandum illud corpus custodiebat, neque volucrem aliquam sinebat reliquias martyris attingere; alius vero canis pallium ore apprehensum, ad S. Martyrem Dulam tegendum attulit. Castelli habitatores id rescientes, sacras reliquias honorifico tumulo incluserunt, ut ait Simeon Metaphr. 15. Iunii.

VII. Sanctorum Primi et Feliciani. Septimo, Ss. Primi et Feliciani abiecta cadavera ne muscæ quidem attingere ausæ sunt, ut in eorum actis legitur. Octavo, Ss. Paulo Eremitæ, et S. Mariæ Ægyptiacæ sepulcrum leones in eremo apparant.

Nono, Ss. Nicasii huius urbis Rhemensis Episcopi, et sororis eius Eutropiæ corpora a Vandalis cæsa servarunt angeli, qui illis terrorem incusserunt, et suavem melodiam prope sacras reliquias cecinerunt, luce inde emicante.

Decimo, ab angelo tabula marmorea capsæ, in qua corpus S. Agathæ iacebat, apposita est, cum hoc elogio: *Mens sancta, honor in Deum voluntarius, et patriæ redemptio.*

12. Corpora Sanctorum incorrupta. Undecimo, eamdem curam sacras reliquias honorandi ostendit Deus, cum tot Sanctorum corpora incorrupta servavit: 1. S. Nicephori Patriarchæ Constantinop. ut testatur Theophanes. 2. S. Laurentii Iustiniani Patriarch. Veneti, ut ait Bernardus Iustinianus. 3. S. Remigii Arch. Rhemensis, ut tradit Hincmarus. 4. S. Amandi Episc. Traiectensis, ut Baudemundus. 5. S. Cuthberti Episcop. Lindisfarnensis, ut Beda. 6. S. Elphegi Episc. Cantuariensis, ut Osbernus. 7. S. Audoeni Episcop. Rothomagensis, ut Fridegodus. 8. S. Corbiniani Episc. Frisingensis, ut Aribo Episc. etiam Frising. 9. S. Auberti Episc. Leodiensis, ut Surius. 10. S. Roberti Abbatis Cisterciensis in Anglia, ut idem Surius. 11. S. Francisci Assisiatis Fundatoris Ordin. Minorum, ut S. Bonaventura. 12. S. Francisci de Paula Fundatoris Ordin. Minimorum, ut habet bulla canoniz. eius. 13. S. Francisci Xaverii Apostoli Iaponiæ, ut Tursellinus. 14. S. Thomæ Aquinat. ut Surius. 15. S. Hilarionis, ut Hieronymus. 16. S. Guthlaci Anachoreta, ut Guilielmus Romesey. 17. S. Edithæ virginis, filiæ Edgari regis Anglorum, ut Surius. 18. S. Athanasiæ coniugatæ, ut Simeon Metaphr. 19. S. Edovardi regis Anglorum, ut manuscripti codices. 20. S. Sigiberti regis Francorum, ut refert Sigebert. monachus. 21. S. Autonomi Martyris et Episc. in Italia, ut Metaphr. 22. S. Christinæ de Vicecomitibus, ut Crusenius. 23. S. Ludmiliæ ducissæ Bohemiæ et Martyris, ut Nicolaus Salinus. Iam ea de re egi Ps. 15. 10.

Et vestes illæsæ. Neque mirum, si Deus corpora servat Martyrum, et Sanctorum, cum sæpe vel eorum vestes servet illæsas, ut S. Oswaldi Episc. Vigorniensis, teste Bravonio. S. Burchardi Episc. Herbipolensis, teste Egilvordo. S. Bennonis Episc. Misniæ, cuius casula sine corruptione servata est, teste Hieronymo Emser.

13. Tropol. Peccata civitatem animæ polluunt. Tropol. peccata, velut gentes barbaræ, in animam, quæ est hæreditas Dei, irrumpunt, et in ea vastant et profanant omnia. Primo, templum polluunt luxuria: *Polluerunt templum sanctum tuum.* Secundo, pigritia domos desertas faciunt: *Posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.* Tertio, gula cives ipsos occidunt: *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, etc.* Quarto, ira sanguinem eorum fundunt, et famam dilacerant: *Effuderunt sanguinem, etc.* Quinto, superbia regem ipsum civitatis, nempe Deum contemnunt, et ad iram provocant: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Sexto, invidia iam occisos cives devorant: *Quia comederunt Iacob.* Septimo denique, avaritia facultates omnes expilant: *Et locum eius desolaverunt.* Pauca dicamus de aliquibus.

14. Templum animæ polluit luxuria. Ac primo, S. Aug. in Psal. nostr. templum mentis ait pollui per infidelitatem. Hæc est fornicatio spiritualis, de qua Ezechiel Propheta cap. 16. et alibi. Fornicatio corporalis violat et polluit templum corporis et mentis. S. Laur. Iustin. lib. 1. de spirit. animæ interitu: Luxuria, inquit, est lubrica carnis et mentis prostitutio. Ab Innocentio III. lib. de contemptu mundi vocatur, extrema turpitudo; a Guillelmo Alueno seu Parisiensi, de tentationibus et resistentiis cap. spurcitia, abominabilis; a S. Anselmo in cap. 5. epist. ad Galat. dicitur, primam poni inter opera carnis, quia nullum peccatum ita redigit animam ad carnalitatem; S. Cyp. lib. 3. ad Quirinum cap. 63. vocat grave delictum; S. Basil. Seleuc. orat. 3. de suscit. Lazari, dirum execrandumque malum; Tertull. lib. de pudicitia, c. 4. appellat, libidinum furias impias; S. Ambr. lib. 1. de Cain et Abel cap. 5. sævum criminum stimulum, inexplebilem scelerum sitim. Carolus Magnus lib. 6. legum c. 3. 12. pene omnibus graviorem et deteriorem: et ait, veraciter dici *laqueum mortis, et puteum inferni, ac voraginem perditionis.* Alcuin. nihil excipit; nam lib. de divinis officiis cap. 13. *Omnibus, ait, peccatis fornicatio maior est;* non in se, atque in sua specie et essentia, sed in effectis. Tertullian. mox citatus: Mœchia, inquit, et fornicatio culmen criminum tenent. Ut enim ait Origenes hom. 20. in Num. *Quid ita execrabile, quam templum Dei violare, ac tollere membra Christi, et facere membra meretricis?* Alludit ad illud 1. Cor. 6. 15. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. Nescitis, quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Dei templum violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Immunditiam fornicationis signato exprimit S. Chrysost. hom. 18. in eam epistolam: In fornicatione, ait, totum corpus fit sceleratum et execrandum. Tamquam enim incidens in lebetem immunditiæ, sordibusque et inquinamento tinctum, sic polluitur: ita ipse. Elias zelo ardens dolebat ab idololatris altaria Dei esse destructa, 3. Reg. 19. v. 10. Sancti omnes ingemiscunt, quod tam multi templum Dei, corpus scilicet suum, contaminent. S. Aug. lib. de decem chordis, cap. 10. Non vis, ait, corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei? Et sermon. 16. de verbis Domini, cap. 10. graviter admonet: *Vide quid facias de templo Dei? Si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid te esset sceleratius? Modo autem tu ipse es templum Dei. Templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis. Vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem, ne deserat te, et in ruinam vertaris:* hæc Augustinus. Sancivit Deus in Deut. cap. 23. v. 3. *Ammonites et Moabites non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum.* Ratio duplex affertur: 1. quod negaverint panem Israelitis egressis ab Ægypto; 2. quod conduxerint Balaam ad maledicendum illis; 3. addi potest, quod nati essent ex incestu filiarum Loth cum patre accumbentium; nam maior natu peperit Moab: et altera, Ammonem, ex quibus orti sunt illi populi; 4. etiam, quod instinctu Balaam filias suas prostituissent filiis Israel, quos com-

pulerunt adorare idolum turpissimi Beelphegor, id est, Priapum, de quo vide multa apud Cornel. cap. 25. Numer. Deus præsertim queritur de immundis Sacerdotibus, Ezechiel. 22. v. 26 Pœnam illis ostentat, Ierem. 23. v. 15. Ad puritatem eos hortatur, Isaiæ 52. v. 11. Omnes ad id invitat S. Chrysostomus, præsertim eum ad Ecclesiam accedunt. Verba eius sunt hom. 62. in Ioan. *Non est locus hic lupanar, sed Ecclesia. Si membra meretricis habes, abesto ab Ecclesia, ne præsentia tua sordescat.* S. Ioannes Climacus recte notat fornicatores execrabiliores esse hæreticis, cum hæretici statim ad Eucharistiam admittantur post conversionem, fornicatores non item. Sic autem loquitur grad. 15. *Catholica Ecclesia hæreticum quidem, cum hæresim priorem toto animo repudiaverit atque anathematizaverit, suscipit ad Sanctorum mysteriorum communionem, et ut idoneum admittit; Eum vero, qui in fornicationem lapsus sit, confitentem, et peccatum ipsum omnino deserentem, introrsus suscipiens, per aliquot annos,* ἀχράντων μυστηρίων ἀφορίζων, *a sacrosanctis et immaculatis Eucharistiæ mysteriis arcet, ut decreta Apostolorum præscribunt.* Hinc tanto ardore sanctæ Virgines se immaculatas servare conatæ sunt, velut templum Dei, et Deus illas variis miraculis conservavit. S. Lucia quærenti Paschasio Consulari, utrum in ea esset Spiritus sanctus, ait: *Apostolus ait, quod caste viventes, templum Dei sunt, et Spiritus Dei habitat in eis.* Tum Paschasius: Ego te faciam ad lupanar duci, ut, cum fueris scortata, fugiat a te Spiritus sanctus. Lucia dixit: Nunquam inquinatur corpus, nisi de consensu mentis. Nam etsi in manu mea thura ponas, et per manum meam facias sacrificium, Deus hæc attendit et irridet. De sensibus enim et voluntatibus iudicat Deus. Nam sic patitur violatorem castitatis, sicut serpentem, sicut latronem, sicut barbarum. Nam si invitam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Non est passus Deus templum suum pollui; cum enim ad prostibulum ducenda Virgo satellitibus obiecta esset, nulla vi, ne funibus quidem in manus et pedes iniectis, aut magorum incantationibus, aut multorum bonm contentione, loco moveri potuit: sed ut eius Acta loquuntur, virgo Domini quasi mons immobilis permanebat.

15. Pigritia animæ domos evertit. Secundo, pigritia domos civitatis evertit: *Posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam,* Eccl. 10. 18. *In pigritiis humiliabitur contignatio, et in infirmitate manuum stillabit domus.* S. Isidor. Hispal. lib. 2. soliloq. Per torporem vires et ingenium defluunt. Primo enim, pigritia omnes artifices Dei, qui diruta possent restaurare, eiicit. Nam, ut loquitur Guillelm. Alvernus de virtutibus, cap. 17. Acedia est fastidium spiritualis boni. Elias Cretensis in oratione 17. S. Gregor. Naz. Est animi quædam remissio mentisque dissolutio, Dei criminatrix, tamquam immisericordis et inhumani. Huius parentes sunt, ἀναισθησία καὶ ἀμνημοσύνη, stupor animi et oblivio Dei. Secundo, pigritia oculos civibus eruit, ne suam iacturam doleant. Boetius Severinus de scholastica disciplina: *Sicut,* inquit, *in unoquoque opere mater invenitur constantia; ita universæ doctrinæ et disciplinæ noverca est negligentia.* Tertio, pigritia hostes in civitatem animæ inducit, ut quæ suopte pondere non corruerunt, prosternant et incendant. S. Maxim. centur. 1. cap. 67. Acedia, inquit, omnes animæ vires invadens, omnes fere unanimiter affectus commovet. Iacobus Vitriacus Cardinalis et Episcopus Tusculanus, qui vixit circa annum 1240. multitudinem illorum militum percenset, in sermone de quinquagesima: *Sub acedia,* inquit, *militant tristitia, obduratio cordis, somnolentia, tædium boni operis, inutiles cogitationes, pusillanimitas, impœnitentia, ignorantia, torpor, curiositas, otium, evagatio, dissolutio, et similia.* Vide S. Thom. 2. 2. quæst. 35. art. 4. Quarto, virtutes omnes tollit pigritia, ac præsertim spem. Alcuin. Bedæ discipulus, qui floruit anno 800. libro de octo vitiis principalibus cap. 6. Acedia est pestis, quæ Deo famulantibus nocere probatur. Homo enim otiosus torpescit in desideriis carnalibus, nec in opere gaudet spirituali. Hæc est, quæ maxime monachos excutit de cella in sæculum, et de regulari conversatione eiicit eos in abrupta vitiorum. Quinto, pigritia præcipue inducit desperationem quæ est extremum et maxime exitiabile vitium. Ioan. Trithem. hom. 5. Radix desperationis, inquit, est acedia, et non solum radix, sed et nutrix eius, et mater. S. Ambr. in cap. 12. ad Rom. Piger in conversatione divina sine spe est. S. Chrys. paræn. 1. ad Theodorum lapsum: Ignavia, inquit, desperationem parit. Sexto denique, pigritia dæmones in animam admittit. S. Athan. lib. de Virg. Valde, ait, dæmones oblectantur crapula, et otio corporis. S. Antioch. hom. 26. dicit pigritiam ipsam esse, δεινὸν δαίμονα, plane intolerandum dæmonem. S. Nilus de octo vitiosis cogitationibus: Acedia, inquit, acer, atque in primis gravis est dæmon.

Tertio, gula cives animæ occidit, et devorat: *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ.* Ugo Cardinalis ait, morticina esse animas gladio peccati occisas: volucres vero cæli, dæmones: bestias terræ, detractores. Iure dixeris, gulosos esse volucres cæli, quæ prædam quærant ubique, et ad eam advolent: esse eosdem etiam bestias terræ, quæ in omnes insiliant, ut sanguinem exugant. Manuel Palæologus orat. 4. vocat gulam, *multiforme monstrum, variis vultibus nimium quantum fallens ac nocens.* S. Basilius dicit, facere animam habitaculum ferarum. Sic enim sermone de abdicatione rerum: Sicut fons aquæ, si in plures sit rivulos dissectus, vicina rivulis illis loca omnia herbarum viriditate convestit, et quasi pubescere facit: sic vitium gulæ, si per cordis tui venas se effuderit et distraxerit, indeque permeans sensus tuos omnes irrigarit, ubi libidinum multarum in te sylvam conseverit, animam tuam ferarum habitaculum efficiet. S. Chrysostomus ait, ebriosum esse deteriorem asino, cane, atque aliis bestiis, quæ ultra sitim non bibunt. Sic enim hom. 58. in Matth. Quanto, ait, melior asinus ebrioso est, quanto canis præstantior? Omnes certe animantes, quæ rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedunt, ultra quam satis est, etiamsi mille homines cogerent, nunquam eluduntur. Peiores igitur irrationabilibus vos estis, qui inebriamini: hæc ipse. 2. Gulosi sunt cæli volucres. Ioann. Bromiardus in Summa: Sicut, inquit, aucupes et piscatores, volucres cæli et pisces maris cibo capiunt: ita diabolus gulosos. 3. Gula est dæmon. S. Basil. admonitione ad filium spirit. Non est, inquit, aliud ebrietas, quam manifestissimus dæmon. Et hom. 1. in ebriet. ac luxum: Ebrietas, ὁ αὐθαίρετος δαίμων, dæmon est voluntarius, ex voluptate animabus inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit. Aldhelmus de laudibus virginit. cap. 6. vocat, importunum gastrimargiæ draconem. S. Augustinus dicit, in gula nasci serpentes. Verba eius sunt serm. 231. de tempore: Omnes ebriosi, ait, tales sunt, quales paludes esse videntur. Nascuntur ibi serpentes, sanguisugæ: nascuntur ibi ranæ, et diversa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quam aliquid, quod ad victum proficiat, exhibere: hæc ipse. Quales sint illi serpentes, et quam venenati, declarat S. Laurentius Iustinianus de spirituali animæ interitu: Enorme delictum, ait, et æternæ mortis est filia, ventris ingluvies. Per hanc natura corrumpitur, libidinis nutriuntur incendia, subvertitur ratio, scelera panduntur, homicidia fiunt, proferuntur stultiloquia, detractiones et verba scurrilia, hebetatur mens, maturitas relaxatur. Paschasius Ratbertus in vita S. Adelhardi: Monstrum videri posset, inquit, si gula sine luxu, aut luxus sine gula regnaret.

16. Gula cives occidit.

Quarto, ira cædibus miscet omnia: *Effuderunt sanguinem eorum in circuitu Ierusalem, et non erat qui sepeliret.* Ira fera est dirissima. S. Basil. homil. 10. Hominem ira penitus in feram convertit. S. Chrys. homil. 29. Feræ potius, ait, quam iracundo homini cohabitandum est. Elias Cretens. in orat. 4. S. Gregor. Naz. Repente, ait, eos cernere est in apros, aut canes, aut pardos, aut aliud quoddam huiusmodi ferarum genus, præ animi concita- 17. Ira cædibus miscet omnia.

tiono atque iracundia mutatos. 2. Ira serpens est flatu adurens, et exerto semper spiculo omnes confodiens. S. Antonius de Padua basiliscum vocat, Domin. 6. post Trinitatem: Iracundiæ veneno, inquit, aliquis huius sæculi potens infectus quasi basiliscus flatu suæ malitiæ extinguit herbas, id est pauperes: necat arbores, id est huius sæculi divites mercatores et usurarios: animalia, id est, suos domesticos occidit, et incendit. Iacobus Genuensis Dominica 22. serm. 3. vocat scorpionem. Ira, inquit, scorpio est, qui stimulando occidit, dum tangitur, vel leviter molestatur: hæc ille. Eo est deterior, quod mentem, in qua est, erodit. S. Nilus de octo vitiosis cogitation. Iracundi cogitationes, ait, viperini fœtus sunt: ac pectus, ex quo ortæ sunt, erodunt. S. Antioch. ait, iram esse homini παμπόνηρον δαίμονα, dæmonem totius malignitatis artificem. Baptista Mantuan. illam ab inferis educit lib. 1. de calamitate suorum temporum, eique dat sanguinolenta hastilia. Lactantius lib. 6. divin. instit. cap. 19. ait, tres furias esse: nempe iram, avaritiam, et libidinem. S. Laur. Iustin. lib. de casto connubio Verbi et animæ, iram cæteris passionibus animi deteriorem facit: Nil, inquit, sic statum mentis evertit, velut conturbans furor. Est quidem animi passio, subversio naturæ, dehonestatio hominis, opprobrium servorum Christi, repulsio gratiæ, fraternitatis dissipator, dæmoniaca imitatio, fugator paracleti, omnisque sanctitatis inimicus: hæc ipse. Ne sim longior, cætera vitia nunc omittam, de illis alias sect. sequenti.

Allegor. Tyranni effuderunt sanguinem, tamquam aquam: id est primo, tamquam rem vilem et nullius pretii; 2. in magna copia. In una Urbe Romana censentur ad trecenta millia Martyrum, et in iis 27. Pontifices Romani. S. Hieron. in Epist. ad Chromatium et Heliodorum Episcopos, de toto orbe, sic loquitur: *Per singulos dies, diversarum provinciarum, diversarumque urbium plusquam octingentorum et nongentorum martyrum sunt nomina nominata, ut nullus dies sit, qui non intra quingentorum numerum reperiri possit adscriptus, exempto die Kalendarum Ianuariarum:* hanc Epistolam esse S. Hieronymi videntur censere Cassiodor. lib. de institut. divinar. lect. cap. 32. et Walfridus Strabo, qui ante annos 800. floruit. Sed contrarium tenent Ioan. Moian. in sua tractatione, quam scripsit de Martyrologiis, et Baron. cap. 7. præcapitulationis ad Martyrologii notas c. 7. multis et firmis rationibus probat, eam non esse Hieronymi. Sed quidquid sit, certum videtur, martyrum numerum esse adhuc maiorem, quam ibi dicatur. Caussinus noster tom. 1. aulæ sanctæ, ponit undecim milliones Martyrum. Vide Ps. 43. qui totus est de Martyribus.

18. Allegor. Multi Martyres Romæ et in toto orbe.

Undecim milliones Martyrum.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

19. *Duo continet. Primo, iustitiam Dei contra hostes populi sui misericordiam implorantis, vers. 5. Secundo, eius misericordiam erga servos suos, vers. 9.*

PARAPHRASIS.

5. *Usquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?*

5. Quem in finem iram tuam protrahis, o Domine Deus: quàmdiu indignatio tua, ignis instar accensa, in populum tuum desæviet?

6. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt: et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.*

6. Iustam quidem iram tuam esse non ignoramus: sed in eos potius illam effunde, qui maiestatis tuæ notitiam habere non curant: quique in idolorum suorum lucis ac tenebris inania simulacra colunt, cultus tui prorsus obliti.

7. *Quia comederunt Iacob, et locum eius desolaverunt.*

7. Hi enim gentilitiis superstitionibus addicti populi, sanctorum Patriarcharum nepotes ac posteros, tuique nominis amantes, afflixerunt: et Ierusalem cæterasque eius civitates incolis viduarunt.

8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.*

8. Non diffitemur maximas esse nostras, et maiorum nostrorum iniquitates: sed qui supplicibus veniam es pollicitus, eas e memoria excidere tibi patiaris. Et priusquam penitus nos furor hostilis omnes extinxerit, misericordiæ tuæ lucem ostenta, manumque auxiliatricem exere: quia summam ad inopiam redacti sumus.

9. *Adiuva nos Deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui Domine libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.*

9. Pereuntibus celerem opem affer Domine Deus Salvator noster: hæc nostra salus ad nominis tui gloriam redundabit, et peccatorum condonatio misericordiæ tuæ ubertatem probabit: serva igitur licet immeritos, vel tua unius gloria excitatus.

10. *Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? et innotescat in nationibus coram oculis nostris, ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.*

10. Ne forte, quæ est hominum impietas, gentiles cavillentur, et dicant: Quo se Deus illorum recepit, qui aut non possit præ imbecillitate, aut non velit præ barbarie, populo sibi consecrato subvenire? Atque ut aris tuis plebs affusa plane intelligat, videatque in provinciis gentilium, ultionem; videat inquam, ob tot servos tuos inique cæsos, eorumque sanguinem, vilis instar aquæ, per vicos, plateas, agrosque effusum.

11. *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum: secundum magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum.*

11. Cito ad te penetret, facilemque aditum reperiat eorum oratio, qui in carcere tenentur captivi, et instantem cervicibus suis gladium vident. Pro magnitudine divinæ potentiæ tuæ nos occisorum iam servorum tuorum filios ab iniustis barbarorum manibus eripe: tibique assertos, in veram libertatem vendica.

12. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum quod exprobraverunt tibi Domine.*

12. Et longe graviorem in cultores inanium simulacrorum nobis circumfusos, nobisque iniurios, cladem refunde: eaque illos preme, ut a provincia sua, urbibus, domibus, corporibus amovere non possint. Ulciscere eorum in te prolatas blasphemias.

13. *Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum.*

13. Nos vero, tibi selectum in populum gregemque peculiari providentia suscepti, cum liberationem nostram, et hostium calamitatem cernemus, te in æternum debito honore ac laudibus prosequemur.

In generatione et generationem, annuntiabimus laudem tuam.

Atque hoc prædicandi tui studium in posteros transfundemus, qui tibi laudes debitas concinent per omnes generationes, quamdiu populus hic tuus consistet.

QUÆSTIO UNICA.

QUIBUS MOTIVIS IMPELLI POTEST DEUS, UT AFFLICTIS SERVIS SUIS SUCCURRAT?

20. Ordo Sectionis. **C**UM præcedenti Sectione cladem sibi ab Antiocho Epiphane illatam Machabæi, aliique eius temporis sancti viri, descripserint: in hac secunda et ultima liberationem postulant, variasque rationes afferunt, cur illam obtinere debeant.

Primo, ob magnam calamitatis durationem, v. 5. *Usquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus.*

Secundo, ob impietatem hostium, qui Primo, verum Deum non credunt, vers. 6. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* Secundo, etiam agnitum invocare nolunt: *Et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.* Tertio, servos eius iugulant et spoliant, v. 7. *Quia comederunt Iacob.* Quarto denique, urbem eius dicatam cultui et templum profanant: *Et locum eius desolaverunt.*

Tertio, ob miseriam populi pœnitentis, v. 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.*

Quarto, ob Dei ipsius gloriam, v. 9. *Adiuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui Domine libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.* Si enim non adiuvet, aiunt fore ut gentiles eum blasphement, velut non præsentem locis omnibus ac personis, et succurrere non valentem servis suis, v. 10. *Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum?*

Quinto, ob sanctorum neces, vers. eodem 10. *Et innotescat in nationibus coram oculis nostris, ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est.* Secundo, captivitates, vers. 11. *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.* Tertio, afflictionem filiorum ipsorum: *Secundum magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum.* Quarto, improperium, in Deum ipsum redundans, v. 12. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.*

Sexto denique, ob Dei laudes, v. 13 *Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in sæculum. In generatione et generationem annuntiabimus laudem tuam.*

ARTICULUS I.

Deus zelotes propriis peccatis punit peccatores.

21. Vers. 5. Reges Græcorum in Syria diu affligunt Iudæos. **A**MAVIT Deus Israelitas, ideo a se recedentes punivit zelo ardens: hæc autem punitio cum diu duraret, dicunt vers. 5. USQUEQUO DOMINE IRASCERIS IN FINEM (Pagn. in sæculum: Felix, in æternum: Arabs, semper) ACCENDETUR, VELUT IGNIS, ZELUS TUUS? Nota, persecutio Antiochi Epiphanis, et aliorum regum Syriæ, diu duravit. Nam Antiochus imperavit annis 13. Invasit regnum fratris sui Seleuci Philopatoris demortui, illo privans nepotem suum Demetrium, Seleuci filium. Hoc accidit anno imperii Græcorum 137. mundi 3789. ante Christum 174. Hoc eodem anno Oniam III. sanctissimum Pontificem expulit, eique fratrem eius impium Iasonem suffecit. Anno 7. regni iussus a Romanis Ægypto egredi, quam occupare volebat, iram suam effudit in Iudæos; nam ingressus Ierosolymam tribus diebus octoginta millia Iudæorum occidit, quadraginta millia in carcerem coniecit, et totidem vendidit: anno 9. deinde per Apollonium plures alios interfecit: et alios per Philippum Iovis Olympii idolum in templo consecravit: Eleazarum, et septem Machabæos Martyres, cum matre excarnificavit: aliaque toto regni tempore per se ac varios duces fecit. Secundo, Antiochus Eupator filius ipsius regnavit annis 2. hæres paternæ malitiæ in Iudæos immisit cum exercitu Gorgiam. Timotheum, et Lysiam, qui a Iuda Machabæo tribus præliis victi sunt. Tertio, Demetrius Seleuci filius regnavit annis 11. misit contra Iudæos Nicanorem cum exercitu, qui a Iuda victus est, et Bacchidem, in quem pugnans Iudas et vincens occisus est. Quarto, Alexander Balæ seu Veles Antiochi Epiphanis filius regnavit annis 6. Demetrius cognomento Nicanor, filius Demetrii, filii Seleuci, regnavit ann. 19. liberatus ab Antiochenis per Ionatham fratrem Iudæ Machabæi et Iudæos, ingratus fuit, et vexavit eos valde. Tryphon tyrannus, regnum Demetrii per triennium tenuit, et per dolum occidit Ionatham, ac Iudæam afflixit. Mitto cæteros, quos vide apud Tornieli. Salian. et alios.

Nota secundo, zelus Dei hic ponitur pro eius ira et vindicta. Ubi adverte, quod zelus indicat non meram vindictam, sed amori coniunctam: ut enim ait S. Hier. in cap. 1. Sophon. Nisi Deus amaret, non zelaretur, et in similitudinem mariti peccatum ulcisceretur uxoris: hæc ibi. Zelus est amor intensus, non patiens consortium in re amata, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 28. art. 4. et in 3. d. 26. q. 1. Zelum Dei comparat David igni hoc loco: quia, ut ait Haymo, sicut quamdiu ignis materiam invenit, non deficit: ita tribulatio, quamdiu aliquod peccatum purgandum est: vel, quemadmodum ignis mollia comburit, et dura reddit fortiora et probata; sic tribulatio molles consumit, et deficere facit: probatos vero, fortes reddit. Vide dicta Ps. 68. 18. ubi etiam attuli exempla eorum, qui zelo Dei exarserunt in peccatores, ut Phinees, Elias, Mathathias, et alii. 22. Zelus Dei quid?

Nota tertio, zelum Dei, tamquam animæ sponsi, excitat peccatum; quia, omne peccatum est adulterium spirituale. S. Aug. serm. 251. cap. 3. Fornicariæ animæ sunt, ait, multis diis falsis quodammodo prostitutæ. Adulteræ autem, tamquam legitimo iam coniugio copulatæ, et ipsi legitimo coniugio non servantis animæ castitatem: hæc Augustinus. S. Lucia virgo et martyr Paschasio Consulari dicenti: Patrimonium tuum cum corruptoribus tuis extirpasti et dilapidasti, et idcirco quasi meretrix loqueris. Lucia dixit: Patrimonium meum tuto in loco constitui: corruptores autem nec mentis nec corporis mei aliquando suscepi. Paschasius dixit: Qui sunt corruptores mentis et corporis? Lucia dixit: Corruptores mentis vos estis, de quibus dicit Apostolus 1. Corinth. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Suadetis enim animas hominum meretricari, ut dimittant virum suum: id est, creatorem suum, et sequantur diabolum in idolis vanis, et inanibus simulacris. Isychius lib. 5. in Lev. cap. 17. rationem reddit, cur idololatria vocetur fornicatio: Quia, inquit, nostras animas Deus ad salutem despondit: et ideo fornicatio dicitur ab eo discessio. Ezech. 23. zelum suum Deus ostendit contra Samariam et Ierosolymam idola colentes, quas describit in typo duarum meretricum: nempe Oollæ et Oolibæ, et illis ventura mala declarat. Nam ut ait S. Gregor. Nazianz. oration. 20. 358. Θεος μονος καθαρων ψυχων εστιν νυμφιος; Deus solus purarum mentium est sponsus. Et S. Aug. in Psal. nostr. Nomine *iræ*, inquit, intelligitur vindicta iniquitatis: nomine *zeli*, exactio castitatis: ne anima legem Dei sui contemnat, et a Deo suo fornicando dispereat. 23. Omne peccatum est adulterium spirituale.

Iratum Deum videntes Machabæi, postquam petierunt illam iram a se averti, postulant in hostes suos et Dei effundi, v. 6. EFFUNDE IRAM TUAM IN GENTES, QUÆ TE NON NOVERUNT (nec noscere volunt) ET IN REGNA, QUÆ NOMEN TUUM NON INVOCAVERUNT. Per orationem synecdochice omnis Dei cultus. 24. Vers. 6.

Rationem iræ in illos gentiles non a Deo solo, sed etiam a populo Dei desumit, v. 7. QUIA COMEDERUNT IACOB (id est, Iacobitas, seu Israelitas, sanctissimi Patriarchæ posteros) ET LOCUM EIUS (hoc est, Iudæam. Græce est νομην, hoc est pascuum locum; 2. Ierosolymam. Apollinar. vertit χωρον αγχαλεα, locum præclarum. Symmach. καλλονην, pulchritudinem. Theodotio ευπρεπειαν, decorem. 3. Templum. Chald. vertit, domum sanctuarii) DESOLAVERUNT. Vers. 7.

Nota, per gentes quæ Deum nec noverunt, nec invocaverunt, sed populum eius afflixerunt, intelliguntur Græci reges, qui Asiæ imperabant, et eorum subditi. Quomodo autem in eos Deus iram suam effuderit, videre potes ex serie continua regum misere pereuntium. Primo enim Antiochus Epiphanes fax totius mali, in Persidem pergens, ut Elymaidem diriperet, a Persis fugatus fuit, et inde re-

*

Græci reges in Syria misere perierunt. diens præ tristitia mortuus est. 2. Antiochus Eupator eius filius, cum suo tutore Lysia, occisus est a Demetrio Sotere Seleuci Philopatoris filio. 3. Demetrius interfectus est ab Alexandro Balæ altero Antiochi Epiphanis filio, et Eupatoris fratre. 4. Alexander Balæ occisus est a Ptolomæo Philometore rege Ægypti socero suo. 5. Eius successor Demetrius Nicanor, filius Demetrii, filii Seleuci, victus et captus est ab Arsace rege Persidis. 6. Tryphon regnum invadens occisus est ab Antiocho Sidete. Percurre cæteros, et pene continuas regum cædes reperies, et populi vastationes. Vere enim dixit Isaias cap. 60. 12. *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit: et gentes solitudine vastabuntur.* Effusio iræ Dei in eas gentes, et regna, eleganter exprimitur per effusionem septem phialarum, Apoc. 16. 1. quæ vocantur phialæ iræ Dei. Et Ierem. 25. sub typo calicis, ex quo omnes gentes bibere coguntur.

25. Tropol. Superbus est idololatra. Tropol. Gentes, quæ non noverunt Deum, sunt superbi: Gentes quæ comedunt Iacob, id est, supplantatores vitiorum, sunt invidi: Gentes quæ locum eius desolant, sunt avari.

Ac primo, superbus Deum non novit, nec cognoscere cupit. Ut enim ait Theophylactus in cap. 7. Marci: Superbia est quasi contemptus Dei. S. Ioannes Climac. grad. 22. pag. 276. Κενοδοξος εστιν ειδωλολατρης πιστος: *Superbus est idolatra Christianus.* Et grad. 23. pag. 289. Superbia est, Θεου αρνησις, Dei abnegatio, inventum diaboli, auxilii divini obstaculum, Θεου αντιπαλος, βλασφημιας ριζα, Dei hostis, blasphemiæ radix. S. Cypr. epist. 55. ad Cornelium ait, illam de spiritu Antichristi nasci. Ioan. Bromiard in Summa, superbos comparat dæmoniacis et phreneticis, qui nulli subesse volunt; ne Deo quidem ipsi. Superbia autem, in Deum pugnans, secum omnes erebi pestes inducit. Rabanus Maurus lib. 3. in Eccles. cap. 3. De superbia, inquit, nascuntur hæreses, schismata, detractiones, invidia, verbositas, iactantia, contentiones, animositates, ambitio, elatio, præsumptio, vanitas, inquietudo, mendacium, periurium, et cætera eiusmodi. Ieremiæ 5. v. 1. ira Dei contra Babylonios superbos declaratur: *Hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super Babylonem, et super habitatores eius, qui cor suum levaverunt contra me, quasi ventum pestilentem: Et mittam in Babylonem ventilatores, et ventilabunt eam, et demolientur terram eius.* Ventilatores illi fuerunt Persæ, qui Babylonem ceperunt, et spoliarunt duce Cyro: et Medi, duce Dario.

26. Invidia malum diabolicum. Secundo, invidus comedit Iacob, id est, viros pios, de quorum virtute et gloria tristatur, sicut diabolus odio habens naturam humanam. Hinc a S. Basilio homil. 11. invidia vocatur pestis naturæ; a S. Chrysostomo homil. 41. invidi dicuntur feris peiores; a S. Antiocho hom. 55. παθος διαβολικον. diabolica mentis affectio: et sub finem, γεννημα διαβολου, germen diaboli; a S. Isidoro Hispal. lib. 3. de summo bono, cap. 25. membrum diaboli; a Manuele Palæologo in præceptis educationis regiæ, satanicum quiddam; a S. Basilio hom. 21. diaboli vitium; a S. Ephrem tractatu de virtutibus et vitiis, diaboli consors. S. Cyprianus sermone de zelo et livore armat omnibus vitiis invidiam, aut potius per invidiam armat vitia omnia, quorum est feralis officina: *Late*, inquit, *patet zeli multiplex et fœcunda pernicies. Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit, avaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus inflammat, etc. exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit, etc.* hæc ipse. Hinc, cum S. Chrysost. hom. 41. in Matth. conclude: Nonne invidi lapidibus petendi sunt? Nonne omni cruciatu torquendi sunt? Non aliter profecto quam canes rabie concitati infestique dæmones, ac furiæ ipsæ. Nam sicut scarabæi alieno stercore, sic invidi adversa aliorum fortuna nutriuntur: hæc Chrysostomus.

Est animæ tinea. Adeo cæca est et rabida invidia, ut cor proprium comedat, et ossium medullam absumat. Hinc a Salomone A dicitur Proverb. 14. 30. *Putredo ossium invidia.* Notgerus in vita S. Remacli vocat invidiam, ossa consumentem. S. Antiochus homil. 55. nuncupat, tineam cordis et faciei. Invidia, inquit, ωσπερ σκωληξ εν ξυλω και σης εν ιματιω, *quasi vermis in ligno, et in vestimento tinea:* ita cor et faciem eius conficit ac macerat hebeti pallore, qui semel in ipsius manus incidit. 2. Hugo a S. Victore lib. 3. de anima cap. 23. pestem vocat: Invidia, inquit, est animi tinea, sensum comedit, pectus urit, mentem conficit, cor hominis, *quasi quædam pestis, depascit, et cuncta bona ardore pestifero devorat.* Pestis. Invidus alienum bonum, suum facit esse peccatum. 3. S. Augustinus ait, invidiam esse mentis propriæ carnificem. Carnifex. Sic enim quodam sermone de tempore: Qualis, ait, hæc animæ tinea est? Quæ cogitationum tabes pectoris? quanta rubigo, zelare in homine donum Dei, et in malo opprobrio bona aliena convertere, aliorum gloriam facere pœnam suam: *velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores*, qui se intestinis cruciatibus lace- B rent? non cibus talibus lætus, non potus potest esse iucundus. Suspiratur semper, et ingemiscitur, ac doletur: diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. 4. Denique, invidiam vocat, œstrum dæmonis. Œstrum dæmonis. S. Gregorius Thaumaturgus Neocæsareæ in Ponto Episcopus in cap. 4. Eccle. invidia, inquit, οιστρος υπαρχων πονηρου δαιμονος, *œstrum existens impuri spiritus:* qui hanc susceperit, ac veluti pectore complexus fuerit, nihil aliud habet, quam quod animam suam comedit, et dissecat, et simul cum corpore absumit: mœrorem acerbissimum, nec solatio ullo mitigabilem, aliorum prosperitates existimans.

27. Avaritia desolat animam. Tertio denique, avaritia desolat animæ civitatem, omnia illi diripiens. Hoc figuratum intuere in desolatione Idumææ, Isaiæ 34. v. 10. et seqq. *A generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam. Et possidebunt illam onocrotalus, et ericius: ibis et corvus habitabit in ea: et extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum in deso-* C *lationem. Nobiles eius non erunt ibi: regem potius invocabunt, et omnes principes eius erunt in nihilum. Et orientur in diebus eius spinæ et urticæ, et paliurus in munitionibus eius: et erit cubile draconum et pascua struthionum. Et occurrent dæmonia cum centauris, et pilosus clamabit alter ad alterum, ibi cubavit lamia, et invenit sibi requiem. Ibi habuit foveam ericius, et enutrivit catulos, et circumfodit, et fovit in umbra eius: illuc congregati sunt milvi alter ad alterum.* S. Theophylus Patriarcha Antiochen. sextus ab Apostolo Petro, qui floruit circa annum 170. lib. 2. ad Autolicum, avaros comparat cetis et volucribus carnivoris. Baptista Mantuanus lib. 1. de calamitate suorum temporum, avaritiæ dat ungues harpyiarum, et dentes æquales dentibus elephantorum Indicorum aut Æthiopicorum. Dantes Florentinus, de inferno, cap. 1. Bellua, inquit, est avaritia, cuius natura tam sylvestris et mala est, ut nunquam repleat rabidam voluntatem, et post epulum famescit plusquam antea. S. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 233. ad Martinianum, pulcherrimam D habet avaritiæ descriptionem: *Corporum*, inquit, *amorem, ut qui acer quidem sit, sed celeriter extinguatur, ob eam causam pictores cum facibus et pennis depingunt: quoniam nunc libidinem inflammat, nunc rursus ob saturitatem avolat. Sed pecuniarum amorem nemo unquam, aut fingere, aut scribere, ausus est: sed est* μανια ανιατος, *insanabilis furor. Aut hæc fortasse, quia nec fingi, nec describi potest. Neque enim quinquaginta solum capita habet, sicut fabulosa illa hydra; per quæ ad inexplebilem ventrem cibos transmiserat: nec insaturabilis illius portenti instar afficitur: nec denique Briarei in modum, centum duntaxat manibus armatus est. Quin ne pennas quidem habet, satiari enim atque expleri nescit. Quonam itaque modo quispiam huiusmodi monstrum effingere aut pingere queat, cum quo Scilla comparata fidem invenisset, etsi alioqui incredibilis.* S. Basilius Seleuc. oration. 4. de Lazari suscitatione, uno verbo rem absolvit: Avaritia, inquit, omnia

sursum deorsumque concitat. Iacobus Sadoletus ait, esse pestem horribilem. Sic enim libro de regno Ungariæ a Turcis oppresso et capto: Avaritia, inquit, tetra quædam horribilisque pestis, dissipat omnem bonum morem, humanæque vitæ societatem disturbat, et depopulatur. S. Prosper eam dæmonem nuncupat omnibus imperantem. Verba eius sunt lib. 2. de vita contemplat. cap. 13. O intolerandum dæmoniacæ cupiditatis imperium. S. Chrysostom. dæmone funestiorem facit hom. 64. in Ioan. Dæmone gravior, ait, est pecuniarum cupiditas. Illius pulcherrim. descript. ex ipso alias attuli. Quomodo alia etiam peccata animam desolent, vide sect. præcedenti ex eorum elogiis. Secum etiam alias pestes ducit avaritia. S. Paulinus Nolam Episc. Epist. 2. ad Severum: Avaritia una, inquit, omnibus armata criminibus. S. Laurentius Novariensis, qui circa annum Christi 520. floruit, homil. de pœnit. Fraus, ait, germinat ex avaritia, dolus inde consurgit, factio inde concinnatur: Iræ quoque, insidiæque, homicidia, bella ipsa, sive publica, sive intestina, cupiditatis et avaritiæ fructus sunt. Hinc Constantinus Manasses aurum vocat, arcem malorum: O aurum, ait, tyranne crudelis, hominum persecutor audacissime, fraudulente, arx malorum, castellum perniciei, vastator urbium, oppidorum expugnator, ædium successor: hæc ipse. Considera avaritiæ exercitum apud Prudentium in Psychomachia:

Cara fames, metus, anxietas, periuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes,
Eumenides furiæ, monstri comitatus aguntur.
Nec minus interea rabidorum more luporum
Crimina persultant toto grassantia campo,
Matris avaritiæ nigro de lacte creata.

ARTICULUS II.

Severe ulciscitur Deus persecutores Martyrum.

28. Sancti Machabæi postquam se peccatores confessi sunt ac pauperes, ac misericordiam Dei pro se petierunt, petunt ad Dei gloriam puniri impios, v. 10. Et innotescant in nationibus coram oculis nostris, ultio sanguinis servorum tuorum. Nota, in omni natione possis reperire punitos tyrannos et carnifices sanctorum. Primo enim, in Italia punitus est Nero, Decius, Diocletianus. In Græcia, Imperatores Valens, Leo iconomachus, Constantinus Copronymus. In Perside Sapor, et alii. In Africa, Genserieus, Hunericus. In Hispania, Dacianus Præses. In Gallia Rictiovarus, et alii innumeri.

Vers. 10. In variis regnis puniti tyranni.

29. Secundo, eorum punitionem accidisse ob ultionem sanguinis martyrum vario modo innotuit. Nam in eos insurrexerunt feræ, serpentes, vermes, dæmon, sancti, ac Deus ipse, ita ut res omnibus pateret.

In persecutores martyrum surgunt:

I. Leones.

Primo enim, leones sæpe in sanctos immissi, illis relictis, imo iis blandientes, impios satellites discerpserunt, ut patet ex actis Ss. Faustini et Iovitæ apud Adonem 15. Februarii. Nam cum Adrianus leones, leopardos, et ursos, in sanctos immisisset, ab iisque illæsi Deo laudes canerent, Orpheum idolorum Sacerdotem, Saturni statuam afferentem, et Italicum Comitem devorarunt, statuamque pedibus proculcarunt, quæ res multorum conversionis ad fidem causa extitit.

S. Mamas e Paphlagonia oriundus, inter feras vivere solitus, miro modo ob virtutem illi blandientes, cum a satellitibus ad iudices ducendus esset, iussit leoni, ut cum stadium ingressus esset, paganis et Iudæis afferret interitum, quod præstitit in urbem et theatrum omnibus videntibus atque stupentibus ingressus, sicut ait Simeon Metaphr. 17. Augusti.

II. Serpentes.

Secundo, serpentes in vindictam sceleratorum insurrexerunt; ut enim dicitur in actis S. Hyacinthi, cum Luxurius sanctum Martyrem ad ignem damnasset, et corpus ambustum in profluentem abiici imperasset, exclamavit Martyr: Me quidem igne concremasti: et aqua, quæ me regeneravit, quasi filium suum ex se renatum suscipiet; ipsaque mox Martyrem me efficiet, quæ prius Christianum. Te autem, Luxuri, hodie comedet coluber: *ut cognoscat omnis regio, quod vindicet Deus sanguinem servi sui*, quem tu iussisti ignibus concremari, et pro tua libidine in aquas iactari. Idem illi prædictum est a S. Iuliano atque Cæsario, ut est in eorum actis, idque ut prædixerant, contigit.

Cum Aureliani iussu S. Paulus et S. Iuliana in carcerem coniecti essent, viperas, aspides, aliosque serpentes impii proiecerunt, ut necem sanctis Martyribus afferrent: sed incolumes in eorum medio sedebant psallentes, et Deum laudantes. Post triduum accedentes satellites viderunt angelum Dei in conspectu ferarum, non permittentem feras accedere. Venefici audaciores solitis incantationibus serpentes suos advocabant, sed aperta ianua exilierunt, et quotquot repererunt paganos, occiderunt, seque in deserta loca receperunt, ut ait Metaphr. 17. Augusti.

Tertio, vermes ipsi ultores impiorum extiterunt. Cirila Arrianorum Episcop. qui Hunericum regem Wandalorum ad Christianorum cædes incitabat, Dei iudicio post non multos dies turpissima morte præventus, scatens vermibus expiravit, ut commemorat Victor Uticensis in Actis sanctorum Martyrum Liberati, Bonifacii, et sociorum in Africa. III. Vermes.

Quarto, dæmon asseclis suis non pepercit. Paulinus enim, qui Ss. Processum et Martinianum varie torqueri iusserat, a dæmone arreptus miseram animam effudit, ut est in eorum Actis.

Cum Decius et Valerianus in amphitheatro carnificinam exercerent, Ecce, exclamat Decius Cæsar arreptus a dæmone, o Hippolyte, tamquam captivum catenis horridis vinctum me ducis. Valerianus quoque exclamat: O Laurenti, igneis catenis me trahis: eademque hora præsente Decio, expiravit. Decius autem rediens in palatium, perpetuo triduo vexatus a dæmonio, clamabat die ac nocte: adiuro te Laurenti, vel parum cessa a tormentis; orto autem luctu magno in palatio, uxor Decii Trophonia sanctos omnes, qui reliqui erant, liberat, Decius moritur, ipsa baptizatur: ita Acta S. Laurentii. IV. Dæmon.

Quinto, ipsi tyranni in se desævierunt. Cum Rictiovarus Ss. Crispinum et Crispinianum frustra torqueri adverteret, in ignem se furibundus immisit, ibique periit, ut est in eorum Actis. V. Tyranni.

Selenus, qui S. Febroniam multis excarnificatam suppliciis capite truncari curaverat, in cælum caput erigens et intuens, tamquam taurus aliquis mugiens, in unam ex iis columnis, quæ erant in prætorio, insiliens, caput suum confregit, et in terra prostratus animam efflavit.

Sexto, sancti ipsi in vindictam surrexerunt. S. Lambertus Episcopus Leodiensis in gratiam pellicis regiæ, quam ab aula removere conabatur, occisus est. Apparuit autem Amalgisilo thesaurario, et blande eum compellans: Romam, inquit, ivimus: Roma redimus, visitaturi Dodonem et complices eius: *Sanguis enim innocentum, qui mecum pro Christo effusus est, a Deo vindictam expetit.* Dodonis viscera omnia statim computruere, eaque mire fœtentia per os reiecit: ac tandem propter nimiam fœtoris intolerantiam corpus eius in Mosam proiectum est, vermibus et tabo corruptum. Qui autem S. Episcopum interfecerat, cum fratre suo congressus illum occidit, et pariter ab illo peremptus est. Denique intra anni spatium, vix unus evasit ex iis, qui cædis participes fuere: qui vero superfuere, illi adeo aut sensibus, aut censu et rebus destituti sunt: ut illos felices ducerent, qui celeri morte absumpti fuerant, ut habet Surius 17. Sept. in vita S. Lamberti. VI. Sancti.

Septimo denique, Deus vindex exurgit, et a seipso tela decuti ostendit. S. Menodora, Metrodora, et Nymphodora in Bithynia educatæ, post dirissima tormenta supplicio affectæ sunt. Cum vero sacras reliquias in ignem coniici iudex impius curasset, magna vis repente erumpens tonitruum et fulgurum prævenit ignem fornacis, et ipsum iudicem, et quæ ei serviebat, multitudinem in favillam redegit ac fuliginem, ut refert Metaphr. 10. Septembris. VII. Deus ipse.

S. Albano, quem plerique Albinum vocant, in Anglia caput præscinditur: sed, ut loquitur Beda lib. 1. histor. Anglor. qui piis cervibus impias intulit manus, gaudere

super mortuum non est permissus. Nam oculi eius in terram una cum beati Martyris capite deciderunt. Nec minus adest Deus servis suis, quam ultor existit in tortores, ut sæpe patuit, exemplum unum sufficiat.

S. Cucuphas fortissimus Martyr gravissime cæsus dicebat: Domine Iesu Christe, ostende virtutem tuam incredulis, qui nomen tuum persequuntur, ut videntes mirabilia tua credant, et convertantur; aut certe pereant et destruantur. Porro impiissimum Galerium, qui tanta rabie sævit in servum tuum, si non est prædestinatus ad vitam, divino citius gladio interfice. Cum hæc dixisset, militesque viderent viscera eius in terram effusa, cæcitate percussi sunt, et Galerius Proconsul, cum omnibus idolis suis, quibus electum Christi Martyrem sacrificare cogebat, repente consumptus est. Ipse vero Martyr, visceribus intra ventrem restitutis, dicto citius operatione divina sanatus est, ut est in eius Actis.

Ut clarius innotescat nationibus ultio sanguinis servorum Dei, aliquando integræ nationes puniuntur, ob afflictos Sanctos. Ss. Martyres Beraldus, Petrus, Accursius, Adiutus, et Otho, S. Francisci discipuli, a rege Marochiorum cæsi sunt gladio. In ignem coniectæ eorum reliquiæ comburi non potuerunt. Ab eo autem anno, quo sancti passi sunt, omnium pene rerum sterilitas, et sæva pestis per quinquennium sic in eos debacchata est, ut morbo incurabili invalescente, maxima pars gentis illius fuerit crudeli morte deleta. Ipsius quoque impii regis brachium dextrum, et dextrum latus totum usque ad pedes, eo anno, quo Sanctos occiderat, aridum sic factum est et siccum, ut nulli deinceps usui fuerit. Propria manu rex sceleratus illos peremerat: ita acta eorum.

S. Elphegus Archiepisc. Cantuar. multa a Danis passus, ab iis lapidibus et securibus occisus est. Ultio divina in eius interfectores statim insurrexit. Nam dux quidam propria se manu interemit, alius gutturi suo stylum infixit, alius gladio occiditur, alius a dæmone coram omni populo vexatur. Centum sexaginta naves naufragio pereunt, sexaginta quinque ad ignotas regiones appulsæ misero modo spoliantur, cæsis qui illis vehebantur. Canutus rex ab Anglis vincitur, donec S. Elphego supplex partem regni, deinde dimidium, tum totum obtinet, ut refert Osbernus, vel Osbertus in eius vita.

ARTICULUS III.

Deus servos suos a vinculis solvit, et ideo ab ipsis laudatur.

30. Vers. 11. DEUS ultor punit effusores sanguinis Martyrum, Deus misericors et benignus iuvat ipsos Martyres in vinculis et tormentis constitutos, vers. 11. INTROEAT IN CONSPECTU TUO GEMITUS (Pagnin. clamor) COMPEDITORUM (S. Hieron. et Pagn. vinctorum. Arabs, captivorum in pedibus victorum. Græce id exprimitur πεπεδημένων. Hebr. אסיר *asir*, est singularis numeri; ideo Arias vertit, vincti: Felix, compediti: sed sumitur collective, et bene redditur per plurale) SECUNDUM MAGNITUDINEM BRACHII TUI (id est potentiæ tuæ) POSSIDE FILIOS MORTIFICATORUM. Hebr. est, *filios mortis*, hoc est, ut vertit Pagn. filios morti obnoxios: quod de ipsis Martyribus ad mortem damnatis exponi potest. Nam filius mortis, apud Hebræos dicitur, qui reus est mortis, et est morte afficiendus; 2. id exponi potest de filiis martyrum ad necem etiam destinatis. 3. de iisdem filiis, sive ad mortem quæsitis, sive non: et sic videntur intellexisse Septuaginta, dum verterunt, τεθανατωμένων, morti addictorum. Arabs, occisorum. S. August. morte punitorum. Pro *posside*, Hebr. est, הותר *hother*, quod varii varie vertunt. S. Hier. relinque. Arias, residuos fac. Flamin. libera. Camp. conserva. Arabs, redime, a voce יתר *iether*, quæ funem significat, q. d. Solve, dimitte, rumpe funem aut ligaturam filiorum mortis, qui proxime ante vocati sunt compediti. A verbo autem *iathar*, significat, fac remanere, seu relinque, conserva, reliquos fac, etc. Id autem fit, ut bene annotat Richardus Cenomanus quando in quoddam Dei peculium vindicamur, erepti a mortis periculo, potenti virtute ipsius. Denique hoc sibi vult editionis nostræ verbum, *posside*, et Græcum περιποίησαι, quod Euthym. et Nicephorus declarant per περίσωσον, aut διάσωσον, conserva et salva. S. Basil. ac Theodoret. per φύλαξαι, custodi. Idipsum verbum Græcum Latinus interpres alibi etiam exposuit, reservare, ut Hebræum est *haie*, id est vivificare, in vita conservare. In testamento novo Act. 20. 28. 1. Timoth. 3. 13. redditur περιποιεῖσθαι, acquirere, et περιποίησις, acquisitio. Apud profanos vero Auctores περιποιεῖν, est quoque passim idem quod tueri, servare, conservare: et περιποίησις ipsam significat actionem tuendi et conservandi. Est etiam vindicare sibi, et actus vindicandi seu asserendi rem sub aliena potestate. Apollinaris exponit hoc loco, charam habere. Modum curæ, acquisitionis, conservationis seu liberationis, Augustini exprimit lectio, *recipe in adoptionem:* ita Lorinus. Petavius vertit, filios interfectorum hasta posside curatore destitutos.

Nota, duo in vinculis pro Christo toleratis considerantur. Primo, quod sunt vincula, et ideo dura naturæ, quæ liberationem ab iis petit. Secundo, quod pro Christo tolerantur, et ideo amantur et in iis Martyres exultant. 31. Duo in vinculis spectantur.

De prima consideratione hic agitur, cum Martyres dicunt: *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.* Antiochus Epiphanes, ut dixi supra anno regni 7. ex Ægypto rediens Ierosolymam cepit iratus, et toto triduo 80. millia Iudæorum interfecit, 40. millia in vincula coniecit, et 40. millia vendidit. Deus vero audit gemitus compeditorum, Ps. 101. 21. S. Petrum ab Herode Agrippa Ierosolymis in carcerem coniectum, et vinctum catenis duabus angelus adiit, ceciderunt catenæ de manibus eius, et transiens primam et secundam custodiam militum, ei aperuit portam ferream, quæ ducit ad civitatem: sive ille carcer fuerit extra civitatem, ut Lorinus censet: sive potius intra civitatem, ut ait Baronius, et in ipso Herodis regis palatio, ut Adrichomius. Erat autem illud Herodis palatium in civitate secunda, ex qua per portam ferream ibatur in civitatem primam, seu veterem. 2. Sanctos Primum et Felicianum angelus etiam solvit a vinculis, ut est in eorum Actis. 3. S. Anthimo Episc. Nicomediæ iussu Maximiani Imp. ad carcerem ducto vincula et catenæ exciderunt, cum Deum laudaret, ut ait Metaph. 27. Aprilis. 4. S. Marcellinus Sacerdos, Sereni iussu nudus in vitreis fragmentis iacebat, angelus devolat in carcerem, vestes ei reddit, aitque: sequere me. Ad Petrum exorcistam, qui in cippo arctissime constringebatur, adducit, et utrumque liberat, ut habetur in eorum Actis. 1. Dolor naturalis. Eum mitigat Deus solvens a vinculis.

Eam quoque vim dedit Deus sanctis, ut aliorum captivorum vincula solverent. Primo, S. Gausericus Episc. Camerancensis ostium carceris præteriens, ubi duodecim captivi tenebantur, rogavit Comitem Waldonem, ut a vinculis eos liberaret: quod cum non obtinuisset, ad Deum per orationem convertitur: extemplo manicæ ferreæ dissolvuntur, compedes franguntur: atque in Ecclesiam, ad quam vir sanctus pergebat, perveniunt angelo ductore usi, ibique exultantes se viro Dei sistunt, et gratias agunt. Tum sanctus vir ad Comitem, qui aderat, conversus: Iam, ait, vel expertus agnosce, vir generose, potentiorem esse Dei misericordiam compeditos solventem, quam tuam severitatem, hos in vincula coniectos perdere volentem: ita Sur. 11. Augusti. Secundo, cum in castro Avallone quidam in carcere tenerentur, et a Nicasio loci illius Comite S. Germanus Episc. Parisiensis obtinere non potuisset, ut liberarentur: oratione ad Deum fusa perfecit, ut catenæ momento dissilirent, ianuæ vinctis reserarentur, omnesque læti evaderent, ut tradit Fortunatus Pictavorum Episc. in eius vita. Tertio, cum quidam constricti per publicam plateam ducerentur, quæ est iuxta S. Richarii Ecclesiam: cum eminus ad viri Dei propinquarent templum, voce magna clamare cœperunt: Sancte Richari, salva nos; et statim ruptis vinculis absoluti sunt, teste Albino Flacco Alcuino in eius historia. Quarto, de S. Audomaro pene idem memoratur. Cum enim quidam ob perpetrata facinora proscriptus, et catena ad collum vinctus, manicisque ferreis constrictus, iuxta beati viri fores traheretur, 32. Sancti alios a vinculis solvunt.

vinculis omnibus absolutus est, celerique se cursu ad eius tumulum recepit, multum ibi lacrymarum fontem fundens, inde abire liber permissus est, ut testatur Folchardus Bertiniensis in eius vita.

33. II. In vinculis pro Christo toleratis est gloria.

De secundo, nempe quod in vinculis gaudendum est, quia pro Christo suscipiuntur, disce a S. Paulo, qui ait Philem. 1. *Paulus vinctus Christi Iesu*, q. d. In hoc maxime glorior, illa summa est mea dignitas, quod pro Christo sum vinculis astrictus. S. Cyprian. scribens epistolam ad Nemesianum, Felicem, Lucium, alterum Felicem, Polianum, Victorem, Iaderem, Dativum Coepiscopos, Compresbyteros, et Diaconos, cæterosque fratres in metallo constitutos martyres, vinculorum pro Christo perpessorum felicitatem miris laudibus extollit: *Quid mirum*, ait, *si vasa aurea, et argentea in metallum, id est auri et argenti domicilium dati estis, nisi quod nunc metallorum natura conversa est: locaque, quæ aurum et argentum dare consueverant, accipere cœperunt, inposuerunt quoque compedes pedibus vestris, et membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis illigaverunt: quasi cum corpore ligetur et spiritus, aut aurum vestrum ferri contagione maculetur? Dicatis Deo hominibus, et fidem suam religiosa virtute testantibus ornamenta sunt ista, non vincula: nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non a fabro sed a Domino resolvuntur! O pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur! O pedes in sæculo ad præsens ligati, ut sint semper apud Dominum liberi! O pedes compedibus et transversariis interim cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri*, etc. Vide cætera fusiss. et optime. S. Paulinus scribens S. Victricio Episc. Rothomagensi sic illi vincula pro Christo tolerata gratulatur: Districtus in verbera, et fustis ictibus fractus, nec tamen victus es, quia crucis ligno innitebaris, geminataque mox corpori pœna, acuto testarum fragmine substratus es, *Laniata immanibus plagis membra tunc mollius fulciente Christo, cuius tibi gremium, lectulus erat: et dextera, pulvinar.*

34. Vers. 13. Illam alacritatem profitentur hic Machabæi nostri asserentes se Deum semper laudaturos, v. 13. NOS AUTEM POPULUS TUUS, ET OVES PASCUÆ TUÆ, CONFITEBIMUR TIBI IN SÆCULUM (S. Hier. In sempiternum. Felix, in æternum) IN GENERATIONE ET GENERATIONEM ANNUNTIABIMUS LAUDEM TUAM, id est, opera tua laudabilia. Est metonymia; nam ponitur actus pro obiecto. Psalter. Maronitarum, mirabilia tua.

In tormentis ipsis Deum laudant martyres.

Nota primo, in ipsis tormentis Deum laudabant martyres. Primo, cum lapidibus os sanctis Processo et Martiniano tunderetur dicebant: *Gloria in excelsis Deo.* Cum deinde in equuleo suspensi, nervis attraherentur et fustibus cæderentur, dicebant: *Gratias tibi agimus Domine Iesu Christe.* Flammis ad eorum latera admotis clamabant: *Benedictum nomen Domini Iesu Christi, quem beatissimi Apostoli eius Petrus et Paulus prædicaverunt;* ut habent eorum Acta. Secundo, cum sub rege Hunerico Ss. Martyres Liberatus Abbas, Bonifacius Diaconus, Servus et Rusticus Subdiaconi, Rogatus et Septimus monachi, et Maximus puer monachus, in fide constantes ad mortem ducerentur, incedebant cum fiducia ad supplicium quasi ad epulas concurrentes, una voce per ambitus platearum decantantes: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Votiva nobis hæc dies est, et omni festivitate festivior. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quando pro fide Domini nostri perferimus parvulum supplicium, ne amittamus acquisitæ fidei indumentum*, ut refert Victor Uticens. lib. de persec. Wandalica. Tertio, S. Sozon ovium pastor statuæ aureæ dexteram in idolorum templo effractam pauperibus distribuerat: cum eam ob causam multi darentur in vincula, ipse se obtulit, et generosa mente fidem professus est: cumque clavatos indutus calceos currere iuberetur, *currebat*, ut eius acta testantur, *tamquam super rosas incedens.* Iubenti autem Maximino, ut tibia caneret in magnæ Deæ honorem, respondit: *Cano Domino meo canticum novum, eius salutare omnibus annuntians.* Quarto, S. Parmenius presbyter, etiam præcisa lingua Deum laudabat, ut legitur in actis S. Laurentii, et dicebat S. Polychronio: Ora pro me beate pater Polychroni. Video enim regnantem in te Spiritum sanctum, et sacrum os tuum consignantem, et mihi favum mellis in os instillantem. Quinto, S. Felicula exultans dicebat: Modo cœpi videre amatorem meum, in quo amor meus fixus est. Non negabo amatorem meum, qui propter me felle cibatus, et aceto potatus, spinis coronatus et crucifixus est. Sexto, S. Luciæ fortitudo emicuit, cum illam Paschasius Consularis ad idolorum sacrificia invitaret, et recusanti minas intentaret: Sacrificium, ait, vivum et immaculatum apud Deum et patrem hoc est: visitare viduas et orphanos in tribulatione eorum. Ego per istos tres annos nihil aliud agens sacrificavi Deo vivo: iam quia nihil superest, quod sacrificem, meipsam offero in sacrificium Deo, hostiam viventem. Quod ipsi placet, de hostia sua faciat. Paschasio ob tantam vim animi, et responsi libertatem indignante, subiecit virgo: *Tu principum leges attendis, ego Dei leges attendo. Tu principes times, ego Deum timeo. Tu illos offendere non vis, ego Deum offendere caveo. Tu illis placere desideras, ego ut Christo soli placeam, concupisco. Tu vero fac, quod tibi utile videtur: et ego hoc ago, quod mihi utile esse agnosco.* Sicut est in Actis passionis eius.

Nota secundo, a parentibus martyribus pietas in filios trasfunditur: tum ob eorum exempla, tum ob præcepta, tum ob merita, quæ respiciens Deus iuvat illos. Hoc in pueris Iaponensibus ostendi Psal. 43. Hoc in septem Machabæis martyribus, quos sancta mater animabat, patuit. Hoc etiam evidens fuit in S. Mamante, qui dictus est Magnus martyr. Nam cum pater eius Theodotus et mater Ruffina ex patriciorum genere nobiles in carcere pro fide detenti, mortui in illo essent: *solus infans iacebat vivus inter parentum reliquias*, ut ait Metaphr. 17. Augusti. Angelus viduæ opulentæ, nomine Amyæ apparet, iubetque, ut puerum hunc in filium sibi adoptet. Natus vix annos quindecim, accusatur apud Democritum Cæsareæ Præsidem, quod a deorum cultu condiscipulos averteret: sed a constantia nec precibus, nec minis, nec flagris ipsis abduci potuit. Dicebat Aureliano Imp. *Puniens quidem, benefaciens autem, damno afficies maximo. Pro Christo enim mori, est mihi quovis honore et lucro præstantius.* Et sub ipsis flagellis clamabat: Non ego, o Imperator, solum mihi verum Deum et Regem Christum labris aut corde negaverim; etiamsi præsentibus longe graviora excogitaveris. Quin etiam magnas tibi habeo gratias, quod me per hæc tormenta ei, quem desidero, concilies: et opto solum, ne manus defatigentur tortoribus, quæ iam, ut vides, mihi magna bona procurant: sed robustæ potius reddantur et valentes. Lucernis ignitis torqueri iussus, dolorem non sentiebat, ab angelo tandem ereptus est, cum in mare esset abiiciendus. In montem secessit, in quo tanta vixit pietate, ut omnes feræ, velut cicures animantes, cum ipso versarentur, et lac illi præberent. Ab Alexandro Cappadociæ Præside ob fidem captus gloriosissimum agonem peregit: hæc ibi. Tanta cura est Deo, ut Martyrum filii ipsum glorificent in generatione et generationem. Nos omnes filii Sanctorum sumus, dicamus cum Sanctis in hoc Psalmo: *In generatione et generationem annuntiabimus laudem tuam.* Dicamus Deo cum Isaia cap. 64. 8. *Et nunc Domine pater noster es tu, nos vero lutum: et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* In æternitate præsertim laudabimus Deum per omnes generationes. Ps. 83. 5. ait David noster: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Hæc Dei domus et civitas cælestis est vera Ierusalem, id est visio pacis, et quo nec Antiochi impietas, nec Apollonii furor, nec Nicanoris rabies, nec Heliodori sacrilegia, nec aliorum tyrannorum barbaries penetrabit: sed ibi omnes erimus gloriosi Machabæi dicentes: Quis sicut tu Domine?

35. Pietas martyrum in eorum filios derivatur.

PSALMUS SEPTUAGESIMUS NONUS.

In finem, pro iis qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus.

1. Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ovem Ioseph.
2. Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin, et Manasse.
3. Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos.
4. Deus converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
5. Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui?
6. Cibabis nos pane lacrymarum: et potum dabis nobis in lacrymis in mensura?
7. Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: et inimici nostri subsannaverunt nos.
8. Deus virtutum converte nos: et ostende faciem tuam: et salvi erimus.
9. Vineam de Ægypto transtulisti: eiecisti gentes, et plantasti eam.
10. Dux itineris fuisti in conspectu eius: plantasti radices eius, et implevit terram.
11. Operuit montes umbra eius: et arbusta eius cedros Dei.
12. Extendit palmites suos usque ad mare: et usque ad flumen propagines eius.
13. Ut quid destruxisti maceriam eius: et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?
14. Exterminavit eam aper de silva: et singularis ferus depastus est eam.
15. Deus virtutum convertere: respice de cælo, et vide, et visita vineam istam.
16. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua: et super filium hominis, quem confirmasti tibi.
17. Incensa igni, et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.
18. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: et super filium hominis, quem confirmasti tibi.
19. Et non discedimus a te, vivificabis nos: et nomen tuum invocabimus.
20. Domine Deus virtutum converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

PSALMI SEPTUAGESIMI NONI ANALYSIS.

David Synagogam Iudæorum, velut vineam devastatam contemplans, postulat a Deo:

- Adventum Christi, 1.
  - Ob Dei gloriam qui
    - Rex est hominum. 1.
    - Et angelorum. 2.
  - Hominum salutem, quibus
    - Adveniens manifestatur. 3.
    - Potentiam suam ostendit. 3.
    - Salutem elargitur. 3.
    - Mentem dat in cælum conversam. 4.
    - Faciem suam ostendit. 4.
    - Securitatem ab hoste concedit. 4.
  - Iustorum consolationem, 5. qui
    - Oratione diuturna id postulant. 5.
    - Lacrymis iugibus diffluunt. 6.
    - Hostium furori et sannis patent. 7.
    - Christi suavissimum aspectum petunt. 8.
- Et synagogæ reparationem, 9.
  - Quæ variis casibus iactata est:
    - In primo exortu, velut vinea,
      - Ab Ægypto mirabiliter translata. 9.
      - Eiectis gentibus trans Iordanem plantata. 9.
      - Deo Duce Iordanem ipsum transgressa. 10.
      - In terra promissa radices egit. 10.
    - In progressu, 11.
      - Terram illam complevit. 10.
      - Montes umbra sua obtexit. 11.
      - Arbores ipsas cacumine superavit. 11.
      - Mare palmitibus vestivit. 12.
      - Flumen Euphratem propaginib. attigit. 12.
    - In fine,
      - Muro divinæ protectionis nudata. 13.
      - Ab hostibus vicinis fructu spoliata. 13.
      - A Salmanasare, ut apro, eradicata. 14.
      - A Nabuchodonosore, ut fera, devorata. 14.
  - Ab uno Deo liberanda, qui
    - Totum se illi dat,
      - Vultum aversum convertendo. 15.
      - Oculos in ea defigendo. 15.
      - Pedibus ad eam visitandam accurrendo. 15.
      - Manu illam perficiendo. 16.
    - Messiam mittit,
      - Quem unione hypostatica confirmat. 16.
      - Vineæ reparatorem statuit. 17.
      - Robore in hostes donat. 18.
      - Suum esse omnibus manifestat. 18.
    - Populum instruit,
      - Quem in suo cultu continet. 19.
      - Vita gratiæ donat. 19.
      - Ad veræ fidei professionem animat. 19.
      - Ad virtutum opera convertit. 20.
      - Aspectu suo dignatur. 20.
      - Ad cælos salvum educit. 20.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

IN FINEM, PRO IIS QUI COMMUTABUNTUR, TESTIMONIUM ASAPH, PSALMUS.

1. Argum. Psalmi. PSALMUS hic agit de captivitate et liberatione populi Israel. Sed dubium est, de qua captivitate sit sermo.

I. Primo, Flaminius dicit, hunc Psalmum esse eiusdem argumenti cum superiore: sic Machabæi afflicti peterent liberari a persecutione Antiochi Epiphanis, et aliorum regum Syriæ. Chaldæus, seu Syrus textus, quo Maronitæ utuntur, hanc expositionem habet.

II. Secundo, Iansenius, qui a prima sententia non prorsus recedit, mavult tamen Psalmum fieri in persona populi Israelitici, in captivitate Babylonica existentis, et Dei auxilium ac favorem implorantis.

III. Tertio, Genebr. censet psalmum esse generaliter contra omnes tyrannos, in populum Domini insurgentes.

IV. Et optime. Agitur de captivitate decem tribuum Israel. Quarto denique, et optime, videtur Psalmus hic conscribi in persona decem tribuum, quæ vastatæ sunt a Phul, et Theglathphalasar regibus Assyriorum, in Ninive commorantium, et quæ prorsus domitæ atque profligatæ a Salmanasare filio Theglathphalasar ductæ sunt captivæ in Assyriam. Hinc in textu Græco, et apud S. Augustin. Arnob. Haym. Ludolph. Dionys. Lindanum, est in titulo *Pro Assyriis*. Hæc autem Assyriaca captivitas decem tribuum cœpit anno mundi 3314. Ezechiæ regis Iuda 9. Osee regis Israel 9. et ultimo, Salmanasaris 5. Imperii Assyriorum 1382. Romuli et Romæ conditæ 13. ante Christum 739. Captivitas autem Babylonica duarum tribuum: nempe Iuda et Beniamin, contigit anno mundi 3446. Templi fundati 424. Sedeciæ regis Iuda 11. et ultimo. Nabuchodon. regis Babyl. 18. Imperii Babyloniorum 113 Romæ conditæ 145. ante Christum 607. hoc est annis 132. post captivitatem Assyriacam decem tribuum.
(Tempus illius. Et tempus captivitatis duarum tribuum)

2. Dices, hic non tantum fit mentio Ephraim et Manasse, sed etiam Beniamin, quæ erat una de duabus tribubus abductis in Babylonem a Nabuchodonosore. Resp. primo, in illa captivitate et vastatione Salmanasaris Assyrii decem tribus spoliantis, urbes vicinas, quæ erant tribus Beniamin, multa esse passas, non paucos fortasse captivos aliis permistos esse. Iuverant scilicet Beniaminitæ Ephraimum et Manasse filios Ioseph, id est posteros eorum: quod Beniamin esset frater ipsius Ioseph. Secundo, hic fit mentio tribus Beniamin, quia prævidebant captivi Israelitæ suis decem tribubus captivatis fore ut cito perirent duæ aliæ tribus, quæ solo nomine Beniamin comprehendi possunt; quia Ierosolyma urbs regia erat sita in tribu Beniamin. (Cur hic fiat mentio tribus Beniamin.)

Allegor. Cantatur hic de adventu Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, et de vinea eius: ita Augustinus. Quod expilcatius Lindanus sic dicit: Calamitates Ecclesiæ impendentes a fidei hostibus deprecantur et avertere student afflicti Christiani: habet Psalmus etiam Prophetiam de Ecclesiæ ortu, successu, et Christi incarnatione. Idem pene dicunt Dionysius et Ugo. Hunc sensum magis dilatabo utilitatis gratia. 3. Allegor.

Tropolog. Hinc deploratur vastatio vineæ Domini, id est animæ peccatricis. Est autem Psalmus pro his qui commutabuntur, ab infidelitate scilicet ad fidem, et a peccato ad pœnitentiam: sive a vetustate vitæ ad novitatem, et postea a mortalitate ad immortalitatem. 4. Tropol.

Nota, *testimonium Asaph*, dicitur hic Psalmus: id est testificatio, quam dat Asaph cantor de futura calamitate, et liberatione Iudææ atque Ecclesiæ. Non quod hunc Psalmum composuerit Asaph, omnes enim Psalmi sunt Davidis: sed quod esset præfectus cantorum, cui datus est hic Psalmus ad cantandum.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

5. DUO CONTINET. PRIMO, POSTULAT DAVID CELEREM CHRISTI IN TERRAS ADVENTUM, V. 2. SECUNDO, NECESSITATEM ILLIUS ADVENTUS APERIT OB SYNAGOGAM, VELUT SACRAM VINEAM, AB HOSTE DEVASTATAM, V. 9.

SECTIO PRIMA.

Duo complectitur. Primo, petit ut Christus veniat, vers. 2. Secundo, ut cito veniat, vers. 5.

PARAPHRASIS.

1. *Qui regis Israel intende: qui deducis velut ovem Ioseph.*

1. Huc paternæ pietatis oculos conlice Domine Deus, qui pastoris instar boni populum Israeliticum a Iacobo Patriarcha oriundum regis: et Iosephi posteros summa benignitate et affectu, velut teneras oviculas, ad opima pascua securasque vias deducis.

2. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin et Manasse.*

2. Qui propitiatorio a duobus Cherubinis supra arcam sustentato in Sancto sanctorum invisibilis assides, ibique sacra reddis oracula, non uni tantum te Pontifici, sed universis etiam tribubus afflictis manifesta, tum Israelitico in regno, tum in regno Iuda constitutis.

3. *Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos.*

3. Quam dudum occultam tenuisti potentiam, nunc exere: et qui hactenus iudices, reges, prophetas populo dedisti, ipse ad nos delabere, ut summa in calamitate iacentes erigas, libertatique perfectæ restituas.

4. *Deus converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

4. Nos a te vero sole avertit impietas, gratia tua compulsos revoca: et qui prius iusta ira succensus faciei tuæ radios averteras, eos rursus explica, ut ex hoc mutuo aspectu lux et salus nobis oriatur.

5. *Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui?*

5. Domine Deus, qui exercitibus tum cælestibus, tum humanis, velut dux supremus, imperas, omnesque hostes uno impetu potes evertere: quamdiu servi tui supplicis preces audire præ concepta iracundia aspernaris?

6. *Cibabis nos pane lacrymarum: et potum dabis nobis in lacrymis in mensura?*

6. Quamdiu non me solum, sed populum tuum universum, lacrymis ita confici patieris, ut cibi ac potus loco, in maxima mensura esse videantur.

7. *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: et inimici nostri subsannaverunt nos.*

7. Eam nos in miseriam conlecisti, ut circumfusi nobis hostes continuis insultibus irrumpant, et victos sannis atque cavillationibus impetant.

8. *Deus virtutum converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

8. Iustam iram tuam esse non diffitemur, sed a sceleribus abductos ad te converte, tuque vicissim paterna benignitate ad filios, impios licet, convertere, et ex tuo conspectu certa nobis salus illucescet.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta utilitas adventus Christi in hanc terram.

6. Ordo Sectionis. Suam petitionem propositurus David benevolentiam Dei captat, quem ait esse regem hominum et angelorum. Primo quidem hominum, eos cunctis in negotiis dirigendo et ducendo, v. 1. *Qui Regis Israel, intende: qui deducis velut ovem Ioseph.* Secundo, ait Deum esse regem angelorum, in quibus quiescit, v. 2. *Qui sedes super Cherubim.*

Secundo, adventum Christi postulat, v. eod. 2. *Manifestare coram Ephraim, Beniamin, et Manasse.* Primo, causam efficientem illius adventus ait esse Dei potestatem, v. 3. *Excita potentiam tuam, et veni.* Secundo, causam finalem, hominum salutem: *Ut salvos facias nos.* Tertio, modum illius salvationis: mutuum scilicet aspectum Dei et hominum, v. 4. *Deus converte nos, et ostende faciem tuam.* Quarto, effectum salutarem illius adventus: *Et salvi erimus.*

Tertio, accelerationem illius adventus flagitat, motivis petitis a Deo ipso, a se, a populo fideli, ab hostibus. Primo enim, Deus est Dominus, qui providere debet ac potest servis suis, v. 5. *Domine Deus virtutum.* Secundo, David orationem ferventem fundebat: *Quousque irasceris super orationem servi tui?* Tertio, populus fidelis gemit sub hostibus, v. 6. *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in mensura.* Quarto, hostes impetunt et illudunt, v. 7. *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, et inimici nostri subsannaverunt nos.*

Quarto denique concludit, unam hanc esse salutis viam, ut Christus in terram veniat, homines conversurus ad se, v. 8. *Deus virtutum converte nos;* et se conversurus ad homines, eosque suis meritis salvaturus: *Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

ARTICULUS I.

Deus est Rex hominum et angelorum.

7. Vers. 1. David in persona populi Israelitici devicti, et in captivitatem ducti a Salmanasare, opem Dei implorat, v. 1. Qui regis (Hebr. רעה *rohe*, pascens. S. Hieron. pastor) Israel intende, qui deducis velut ovem Ioseph, id est, decem tribus, quibus præest tribus Ephraim filii Ioseph. Nam primus rex Ieroboam fuit de ea tribu, et alii eum consecuti. Dices, quomodo Deus dicitur regere Israel et Ioseph, cum omnes reges nullo excepto fuerint idololatræ per 255. annos, quibus duravit illud regnum Israel separatum a regno Iuda? Resp. ibi multos fuisse, qui non flexerant genua coram Baal, plerosque etiam cum Baal et vitulis coluisse verum Deum, ibi fuisse non paucos Prophetas: nempe Osee antiquissimum omnium Prophetarum, qui scripserunt: nam ipso Isaia antiquior est. Erat ex oppido Belemoth in tribu Issachar, ut censet S. Epiphanius: aut de tribu Ruben, ut vult S. Isidorus. Secundo, Ioel natus est in agro Bethor, de tribu Ruben, ait S. Epiphan. Tertio, Ionas fuit de urbe Geth, quæ erat in tribu Zabulon, ut dicit S. Hieron. Quarto, Michæas erat ex Morasthi in tribu Ephraim. Quinto, Habacuc fuisse oriundum ex tribu Simeon de agro Bithiecar censet S. Isidorus. Sexto, Sophonias a monte Sarabatha, e tribu ac prosapia erat Simeon, ait S. Epiphanius. Septimo, Elias fuit de tribu Gad, ait S. Hieron. Octavo, Elisæus fuit da tribu Manasse, ait Salianus. Omitto cæteros.

Multi Prophetæ in regno Samariæ.

8. Tropol. Christus regit animam duodecim titulis ac modis. Tropol. Christus regit animam duodecim titulis ac modis. Primo, sicut rex regnum vel urbem. Apocal. 19. 16. *Rex regum, et Dominus dominantium.* Secundo, sicut nauta navem. Ps. 106. 30. *Deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Tertio, sicut sessor equum. 1. Cor. 6. *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Quarto, sicut dux bellum et exercitum. Prov. 20. 18. *Gubernaculis tractanda sunt bella.* Exod. 14. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* Quinto, sicut paterfamilias familiam. Ps. 22. 1. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* Sexto, sicut magister scholares. Matth. 23. 8. *Unus est magister vester Christus.* Septimo, sicut ductor cæcum. Matth. 9. 12. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Octavo, sicut pastor oves. Ioann. 10. 4. *Cum proprias oves emiserit, ante eas vadit.* Proprias oves, id est, prædicatores emittit ad prædicandum, ante eas vadit præparans eis viam. Nono, sicut Abbas, vel Prior claustrum. Rom. 8. 15. *In quo clamamus, Abba Pater.* Decimo, sicut anima membra. Philipp 2. 13. *Operatur in nobis velle et perficere.* Ipse enim est spiritus oris nostri Christus, qui captus est in peccatis nostris, Thren. 4. Undecimo, sicut ratio cor. Prov. 21. 2. *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Duodecimo, sicut sacerdos Ecclesiam. Hebr. 7. 24. *Iesus autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Psal. 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum:* hæc Ugo. In Psal. nostro Latina versio magis indicat dictum regis, *Qui regis Israel.* Hebr. vero רעה *rohe*, sive *roghe*, significat pastorem. Unde S. Hier. vertit, Qui pascis Israel, ausculta. Græce etiam est ποιμαίνων, id est pastor. A voce porro Hebraica *rohe* deduci potest *rego;* ngain enim aliquando redditur per *g*, ut patet in voce *Gomorrha*, quæ Hebr. incipit ab ain, seu ngain, ut alii pronuntiant: hinc Arabes vim illius litteræ per duas exprimunt: nempe per eam, quam vocant ain, et per aliam, quam nominant ngain.

Secundo, Christus non regit cæcos, sed Israel, id est, 9. Christus regit iustos.
virum videntem Deum: hoc est contemplationi et amori divinorum addictum: *Qui regis Israel.* S. Hieron. *A Deo regitur, qui mente videt Deum.* Ælianus ait, in Creta nullam nasci noctuam, et extrinsecus importatam emori. In Ecclesia non est, qui saltem fidei lumen non habet. Cælo similis est Ecclesia, sancti in ea sunt sicut stellæ in firmamento cæli. Thalassius centuria 2. num. 30. *Visibile cæli firmamentum,* ait, *fidei signat firmamentum, in quo omnes sancti ceu luminaria lucent:* ita ille. Peccatores vero terra sunt, et terram amant, eamque in cor et oculos immittunt, atque illa excæcantur. Ugo in cap. 28. Prov. Avarus terram interponit sibi et vero soli, unde continuam patitur eclipsim. Philo lib. Quod Deus sit immutabilis, ait, sapientiam esse viam lucidam et splendentem, qua in cælum pervenitur. Verba eius sunt pag. 246. Sine dilatione ingrediamur, βασιλικὴν ὁδὸν, *viam regiam*, quotquot prætereundas res terrenas ducimus. Est autem via regia, cuius potestatem nemo privatus habet: sed solus ille, qui solus est verus rex: hæc est sapientia, per quam solam supplicibus animabus ad illum ingenitum patet refugium: hæc Philo. Hæc nobis via lucis terenda est. Iezides Saracenus sigillo suo insculpsit: *O Iezide, insiste æquo.* Nobis unus quærendus est verus rex. In historia Saracenica lib. 1. cap. 6. de Haseno filio Ali dicitur, symbolum sigilli eius erat, *Non est Deus ullus præter Deum regem verum et manifestum.* Si te deserat, aut si tu eum deseras, peribis: sicut navis destituta suo nauclero. Hebræi cum virum aliquem præstantem et sibi utilem amiserunt, dicere sunt soliti: *Væ illi navi, quæ nauclerum suum amisit.* Si cæcus es, ne timeas accedere, te illuminabit. Psalm. 33. 6. *Accedite ad eum, et illuminamini,* Hoc accidit Bartimæo cæco, qui primo audivit Iesum transire. Secundo, clamavit misericordiam eius implorans. Tertio, comminantibus multis perseveravit clamans. Quarto, vocatus est a Christo. Quinto, proiecto vestimento suo exiliens, venit ad eum. Sexto, visum ab eo petiit, et accepit, in fidei suæ pretium. Septimo denique, secutus est Christum in via. Exivit itaque a Iericho ad Ierosolymam, et Bethaniam et montem olivarum, qui est mons luminis et consolationis. Bartimæus significat: 1. Filium cæcum, aut cæcitatis: potest enim esse nomen Syrum, sed corruptum, quod proprie dicitur Barsemia, aut Barsamæus. *Bar* enim apud Syros est filius; et *semaia*, cæcitas. 2. Filium honoris, a Syro *bar*, hoc est filius, et τιμὴ, honor. Sic erit vox Hybrida. 3. Filium admirantem, seu admirationis, vel admirabilem. 4. Frumentum admirabile. 5. Puritatem admirabilem. Hebr. enim *bar*, significat filium,

Bartimæus cæcus.

frumentum et puritatem. Licet itaque sis cæcus, accede ad solem Christum, te radiis suis illuminabit, iisque circumdatum illustrabit, honorabilem et admirabilem omnibus efficiet, et sibi adiunctum reget ac faciet Israel: sicut Iacob viso angelo, ab ipso vocatus est Israel. De Christo rege vide dicta Ps. 2. 6. de eo pastore, dicta Ps. 22.

10. Christus non cogit servos suos. Tertio, Christus non cogit sed ducit servos suos: *Qui deducis.* Vult volentes se et amantes. Concil. Senonense decreto 15. *Nec denique tale sit Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit. Frustra certe Stephanus Iudæos duræ cervicis et incircumcisi cordis argueret, quod semper Spiritui sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum ne extinguerent, si divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur. Trahit quidem Deus, sed in eius odorem currimus: non vi, non unco raptamur.* Cant. 1. 3. Sponsa divino amore exæstuans, inclamat: *Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum.* Quod expendens Philippus Abbas lib. 1. cap. 13. ait: *Trahatur non violentia, non molestia, non timore, non tracti vel trahentis odio, sed amore. Tractu illo quo alumnus trahitur post nutricem: quo vel patrem filius, vel filia sequitur genitricem: imo tractu, quo diligens in dilectum, eo gratius, quo suavius defatiscit; dum obtinere desiderat, et desiderare insatiabiliter concupiscit.* R. Beniamin in suo itinerario, refert de quodam rege, qui ministros et familiares suos catenis ferreis semper vinctos sibi inservire cogebat: Singulis, ait, principibus iis qui Caliphæ inserviunt, singula sunt palatia intra illam maximam regiam. Singuli tamen ferreis catenis vincti incedunt: atque singulis horum ædibus præfecti sunt custodes, observantes, ne quis adversus maximum illum regem novarum rerum aliquid tentet. Accidit enim semel, ut ipsius fratres adversus eum coniuratione inita unum alium quempiam ex ipsorum numero præficerent: quamobrem ipse decreto sanxit, ut singuli gentilitiæ ipsius familiæ filii catenis ferreis vincirentur, ne iterum eiusmodi aggrederentur facinus adversus maximum regem: hæc ille. Deus liberos vult esse servos suos. Hinc Episcopus Antiochen. Meletius iussit catenam tolli, quam pedi suo illigari curaverat S. Simeon in columna mirabilem vitam agens. Ut enim ait S. Isidorus Pelus. lib. 3. epist. 72. ad Heraclium Episc. Οι εκοντων αρχοντες, ουτοι μοι δοκουσιν οντως αρχειν: Qui volentibus imperant, ii demum vere mihi videntur imperare: ac præsertim cum virtutis nominé conspicui sunt ii qui subsunt. Qui autem invitis imperant, eos potius similes esse duco, illis qui cruciatu afficiuntur, quam qui imperium administrant: hæc Isidorus.

11. Christus regit servos suos, velut oves, et cur? Quarto, Christus deducit viros iustos, velut oves. Qui deducis, *velut ovem*, Ioseph. Hebr. velut צאן *tson*, id est gregem: ita Hier. pecus: ita Arias; agnum, ita Arabs; ovem: ita Noster, Sept. et Theodotio. Ducit autem Christus suos, velut oves: Primo, quia eos mansuetos facit.

I. Strabo lib. 5. Geograph. c. 238. Duo, ait, apud Venetos monstrantur luci, unus Iunonis Argivæ, alter Dianæ Ætolicæ: additur, ut solet fabula, iis in lucis feras ita mansuescere, ut cervi lupis aggregentur. Hoc in Ecclesia Christi futurum prædixit Isaias cap. 11. 6. ut habitet lupus cum agno; et cap. 65 25. ut lupus et agnus pascantur simul. Ælianus lib. 12. cap. 23. ait, Adonidis templum esse in Elymæa regione, in quo templo sint mansueti leones, qui homines templum ingredientes, tamquam salutantes adulando excipiunt. Ab hominibus contrectari sustinebant feræ in illis lucis a Strabone citatis, si fabulæ creditur: et quæ a canibus agitabantur feræ, ubi eo confugerant, non amplius patebant incursioni illorum: ita ille. Non poterant scilicet canes sacrum aditum irrumpere, Deo illos impediente.

II. Secundo, Deus servos suos ducit, sicut oves, ob simplicem obedientiam. Christus bonum se pastorem dicit, et bonas oves habere. Ioan. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me.* Exod. 13. v. 13. dicitur: *Primogenitum asini mutabis ove: quod si redemeris, interficies.* Asinum Deus removet a templo, propter duri capitis obstinationem. Obediens autem ovis admittitur, quia facile deducitur. Thomas a Kempis lib. 3. de imitation. Christi cap. 15. *Pone me*, ait, *ubi vis, et libere age mecum in omnibus, in manu tua sum: gyra et reversa me per circulum. En servus tuus sum ego, paratus ad omnia: quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi.* David de Augusta cap. 2. de obedientia: *O sancta*, inquit, *Dei sponsa, obedientia: tu profecto schola es, qua cælum ascenditur: tu quadriga es, qua Elias vectus est in paradisum: tu porta paradisi fidelibus.* B. Thomas a Villanova concion. de S. Anselmo, obedientiam comparat rotis currus Cherubici apud Ezechielem: Hæ sunt, ait, rotæ agiles, quas secum rapit spiritus, quocumque ierit: quas vocavit volubiles, quia oleo spiritus unctæ erant. Unctio enim sacra cordis nostri gravissimam rotam ad omne opus agilem reddit et nobilitat. S. Petr. Damian. opusc. 13. cap. 21. obedientiam vocat, auream ad cælum viam.

Tertio, Deus servos suos deducit, velut oves ob innocentiam. S. Greg. Primogenitum asini in ovem mutat, qui prioris vitæ immunditiam in innocentiam mutat. III.

Non hominibus tantum, sed etiam angelis præsidet Deus. 12. Vers. 2. Angelis Deus præsidet.
Hinc additur, v. 2. QUI SEDES SUPER CHERUBIM, id est super omnes angelos in cælo; est synecdoche; 2. super duos Cherubinos insistentes arcæ in tabernaculo Mosaico, et postea in templo Salomonis. Ubi adverte, arcam cum propitiatorio et Cherubinis fuisse instar currus divini. Vide dicta Psal. 17. 11. ubi etiam dicitur, unde vox Cherub derivetur. Supra propitiatorium porro, id est, arcæ operculum aureum, stabant duo Cherubini aurei, qui extentis alis præbebant sedem Deo, id est, angelo vicem Dei tenenti, et ibi in forma humana apparenti atque reddenti oracula. Exod. 25. 22. ait Deus, id est angelus Mosi apparens: *Inde præcipiam, et loquar ad te supra propitiatorium de medio Cherubim.* Et Numer. 7. 89. *Cumque ingrederetur Moses tabernaculum fœderis ut consuleret Dominum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos Cherubim: unde et loquebatur ei.*

13. Tropol. Deus sedet in Cherubinis, id est in viris doctis. Tropolog. Deus sedet super Cherubim, id est, in Cherubinis, hoc est in viris scientia illustribus, in Doctoribus et magistris. Hoc enim significat Cherub, q. d. Multus sive magnus scientia, sicut Rabbi, id est magister. Hinc Sophon Episc. Hieros. qui vixit tempore Heraclii Imp. circa ann. 630. serm. de excellentia angelorum, ait: Cherubim oculis plena et quadriformia, quæ cælesti celsitudine, ample magnificeque exculta, omnique sapientia pleni estis: quare etiam *cognitionis fontes et scaturigines appellamini.* In via Dei egemus illa cælesti luce scientiæ. S. Isidor. Pelus lib. 1. epist. 412. ad Nicanorem Scholasticum: Οι λογοι, ait, ηθων εισιν ηγεμονες: *Doctrina, morum dux est, in hoc constituta, ut omnia, quæ in nobis sunt, ex ratione moderetur.* In templo Dei, id est in anima iusti, sunt Cherubim et palmæ. Hugo a S. Vict. lib. 2. de claustro, cap. 22. Cherubim, ait, facit in pariete, dum per spiritum scientiæ, qui novit omnia prudenter disponere, virtutes ordinat in mente: dum duabus alis a terrenis se elevat, et duabus aliis, ne oculis vanæ gloriæ pateat, corpus velat. Seneca ipse ad Lucilium ait epist. 16. Litteræ, inquit, animum formant et fabricant, vitam disponunt, actiones regunt, agenda et omittenda demonstrant, sedent ad gubernacula, et per ancipitia fluctuantium dirigunt cursum: hæc ille. Deus in scientia sedeat, id est dominetur, necesse est: ut enim ait Anna mater Samuelis, 1. Reg. 2. 3. *Deus scientiarum Dominus est.* In sacerdotibus præsertim sit scientia Dei, et in iis primas teneat. Hoc figurabat lamina aurea posita in fronte Sacerdotis. S. Hier. epist. ad Fabiolam de vestim. Sacerd. *Lamina aurea*, inquit, *rutilet in fronte. Nihil enim prodest omnium rerum eruditio, nisi Dei scientia coronemur.* Hinc Deus dicit Oseæ 4. 6. *Conticuit populus, eo quod non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: et oblita es legis Dei tui, obliviscar filiorum tuorum et ego.* Alloquitur Synagogam seu populum Israel,

unde nunc masculinum, nunc fœmininum genus usurpat. Isaias declarat quanta mala sequantur defectum scientiæ Dei. Sic enim cap. 5. 13. *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius siti aruit:* qui non habet scientiam Dei, caret devotione et pietate. In Helicone monte Musis dicato pascentes ipsi serpentes vim veneni amittebant, ut ait Pausanias in Bœoticis. In monte Moria, id est visionis Dei, erat templum Salomonis, ubi lex servabatur in arca, cui insistebant Cherubim: ibi peccator sua vitia deponebat supplex Domino.

14. Deus sedet super Cherubim, id est super scientiam. Secundo, notat Ugo Card. non dici, quod Deus sederet in Cherubim, id est in scientia, sed *super Cherubim*, hoc est supra scientiam in charitate Seraphica. Verba eius sunt: *Qui sedes super Cherubim. Non in Cherubim, ait, id est in scientia: quia Cherubim interpretatur plenitudo scientiæ. Sed super, id est ultra: in Seraphim, in ardore charitatis. Ibi Dominus sedet, id est requiescit*: hæc ipse. Cherubim impositi arcæ et facientes alis suis Deo sedem, possunt esse symbolum charitatis, aut scientiæ unitæ charitati. Primo, quia erant aurei. Secundo, quia duo se invicem respicientes. Tertio, quia alas suas simul iungebant, ut Deo thronum facerent. S. August. qu. 105. in Exod. aliqua ex his attingit: *Si, ait, creatura rationalis in multitudine scientiæ, quoniam hanc interpretationem habent Cherubim, duobus ipsis animalibus significatur: ideo duo sunt, ut societatem charitatis commendent: ideo pennis suis propitiatorium obumbrant: quia Deo, non sibi, tribuunt pennas suas: id est, Deum honorant virtutibus quibus præstant*: hæc Augustinus. Villalpandus tom. 2. lib. 4. cap. 43. et 44. ait, Cherubinis arcæ insidentibus fuisse unum tantum caput, sed facies quatuor: facies aquilæ denotat prudentiam, facies leonis fortitudinem, facies hominis iustitiam, facies bovis temperantiam. Sed omnes illæ facies sint aureæ oportet, ut in capite aureo, nempe Christo, vera charitate uniantur. S. August. in charitate reperit plenitudinem scientiæ, itaque est Cherubinus aureus Deo assistens. Sic enim in Psal. nostr. *Qui, ait, sedes super Cherubim. Cherubim sedes est gloriæ Dei, et interpretatur plenitudo scientiæ. Ibi sedet Deus in plenitudine scientiæ. Licet intelligamus Cherubim sublimes esse cælorum potestates atque virtutes; tamen si vis, eris Cherubim. Si enim Cherubim sedes est Dei, audi quid dicat Scriptura: Anima iusti sedes sapientiæ. Quomodo, inquis, ero plenitudo scientiæ? Quis hoc implet? Habes unde impleas. Plenitudo legis charitas. Noli per multa ire atque distendi. Terret te ramorum diffusio, radicem tene, et de magnitudine arboris noli cogitare. Sit in te charitas, et necesse est plenitudo scientiæ consequatur. Quid enim nescit, qui charitatem scit? quandoquidem dictum est, Deus charitas est*: ita Augustinus. Cherubini prope currum Ezechielis toti ardebant charitate in mediis nubibus ignitis.

15. Charitas Christi et sapientia in incarnatione apparent. Tertio, illa plenitudo scientia et charitas apparet per Christum, in terras venientem, de quo est hic Psalmus. Duo Cherubini, quibus insidet veniens in Incarnatione, sunt sapientia et charitas: in Nativitate, sunt Maria et Ioseph, in quorum brachiis et sinu sedit Deus. S. Irenæus lib. 3. cap. 12. ait, quatuor Cherubinos ab Ezechiele visos figurasse totidem Evangelia et Evangelistas, atque in his sedere Dominum: quoniam tam ipse quam ipsius in carne œconomia ex iis cognoscitur. Ait etiam hic a Davide postulari adventum Christi, et leone designari regiam dignitatem illius, vitulo sacerdotalem, homine naturam humanam, aquila spiritus in Ecclesiam advolitantis gratiam. Erant hæ quatuor facies uniuscuiusque Cherubini.

16. Ornandus est virtutibus animus in nativitate Christi. Quarto denique, si vis ut nascens Christus ad te veniat, atque in te habitet, vide ut sis Cherubim, per scientiam Dei ac virtutes. S. August. serm. de Dominica prima Adventus: *Contende*, inquit, *ut diversis virtutum ornamentis anima tua composita, simplicitatis gemmis, et sobrietatis floribus adornata, ad solemnitatem regis æterni, id est natalem Domini Salvatoris cum secura conscientia procedat, castitate nitida, charitate splendida, eleemosynis candida. Christus enim Dominus si te ita compositum, natalitium suum celebrare cognoverit, ipse per se venire, et animam tuam non solum visitare, sed etiam requiescere, et in perpetuum dignabitur in ea habitare. Quam felix est illa anima, quæ vitam suam ita Deo auxiliante studuerit gubernare, ut Christum hospitem et habitatorem mereatur excipere.*

ARTICULUS II.

Quam utilis et necessarius Dei adventus in terras?

Orbi perdito non sufficiebat, ut Deus in cælis existens regeret Israelem, ut emissis inde gratiis deduceret Iosephum, ut gloria effulgens insideret Cherubinis, necessarius erat descensus, ut vel imperitissimis appareret, ac miserrimos salvaret. Ideo orat Propheta, v. eod. 2. MANIFESTARE (Hebr. הופיע *hophia*, id est, affulge. Arias, irradia. Syr. et Arabs, *manifesta teipsum*. Voluntarius Christo fuit hic descensus) CORAM EPHRAIM, BENIAMIN ET MANASSE, id est coram toto populo tuo. Est synecdoche. 17. Vers. 2. 2. Pars. Per Ephraim enim et Manasse filios Ioseph intelliguntur decem tribus: per Beniamin, duæ aliæ: nempe tribus Beniamin et tribus Iuda. Ubi adverte, quod in tribu Ephraim erat Samaria, totius regni Israelitici caput. In tribu Beniamin erat Ierosolyma, caput regni Iuda. In tribu Manasse, pars regionis trans Iordanem, ibi enim erat etiam tribus Ruben et Gad. Beniamin porro in medio ponitur: 1. honoris causa, quia erat frater uterinus Iosephi, et Ephraim, et Manasse filii Ioseph erant eius nepotes; 2. quia tribus Beniamin erat sita in meditullio Iudææ. v. 3. EXCITA (in Psalt. Maronitarum, ostende. Arab. manifesta. Hebr. עוררה *orera*, et Græc. ἐξέγειρον, evigilare fac, q. d. Dormit et consopita est vis, fortitudo, ac potentia tua: iacere, languere et infirma esse videtur, illam exuscita. S. Hieron. vertit, suscita) POTENTIAM TUAM, ET VENI, UT SALVOS FACIAS NOS. Vers. 3.

Hanc salutem certam esse dicit, si Deus veniat et se ostendat, v. 4. DEUS CONVERTE NOS (a captivitate Assyriaca, in quam ducimur a Salmanasare victore. Hebr. השיבנו *haseib*, redire fac nos) ET OSTENDE FACIEM TUAM, ET SALVI ERIMUS. *Ostende faciem tuam*, id est te: sæpe enim facies pro toto homine ponitur. Est synecdoche; 2. faciem tuam, id est favorem tuum, lumen vultus tui; convertimus enim vultum ad eos, quos amamus et quibus favemus: avertimus ab iis quos odimus, et quorum preces exaudire nolumus. Est metalepsis: quia ex consequenti petitur antecedens: nempe ex conversione faciei, favor. 18. Vers. 4.

Alleg. David Israeli, Iosepho, Cherubinis, cum quibus Deus ante adventum in terras versabatur, tres adiungit, quibus in terras veniens seipse manifestat: scilicet Ephraim, Beniamin et Manasse: ut Israeli Deum videnti respondeat Ephraim fructificans: Iosepho augescenti Beniamin filius dexteræ: Cherubinis scientia plenis, Manasse terrenarum rerum oblitus, et in Dei contemplatione consopitus. Ex luce enim divina oritur fructus: ex fortitudine, augmentum: ex scientia cælesti, caducarum rerum oblivio. S. Bernardus serm. 6. in vigilia Nativit. vult illis tres pastores Christum adorantes adumbrari: *Appare*, inquit, *coram Ephraim, Beniamin et Manasse. Ego arbitror istos tres esse qui salvantur, quos alius quidam Propheta Noe, Danielem, et Iob nominavit: eosdem quoque et tribus illis pastoribus designari, quibus nato Angelo magni consilii, gaudium magnum angelus evangelizavit. Vide autem ne forte ipsi sint et tres magi venientes iam non modo ab oriente, sed etiam ab occidente, ut recumbant eum Abraham, Isaac, et Iacob.* Hæc ipse, qui vult thus ab Ephraim, aurum a Beniamin, myrrham a Manasse offerri. Ugo Cardinalis putat laicos in Ephraim, clericos in Beniamin, religiosos in Manasse figurari. Allegor. Ephraim, Beniamin et Manasse sunt tres pastores et reges. 19.

Ac primo, in Ephraim considerat laicos, qui fructificationi rerum temporalium et generationi carnali intendunt, atque in activæ vitæ operibus occupantur. Nam Ephraim significat fructificantem, a rad. פרה *para*, id Symbol. Ephraim repræsentat laicos.

est fructificavit. Fructum se nullum vitæ habere putant, nisi pecuniam congerant. Antiphanes dicebat: *Argentum hominibus sanguis et anima est. Id quisquis non habet, neque possidet, ille inter vivos mortuus obambulat:* ita ipse. Minutius in Octavio verius dicit, fructum illum putridum a cariosa arbore levi vento decuti. *Dives es*, ait, *sed fortunæ male creditur, et magno viatico breve vitæ iter non instruitur, sed oneratur.* S. Bernard. ut dixi supra, melius in hoc Psalmi loco fructificationem spiritualem spectat. Sic enim serm. 6. in vigilia Nativitatis: Forte, inquit, non incongrue videbitur ad Ephraim, quod fructificationem sonat, pertinere thuris oblationem, quod offerre incensum dignum in odorem suavitatis proprium sit eorum, quos posuit Dominus, ut eant et fructum afferant, id est Ecclesiæ Prælatorum: hæc Bernardus. Tropolog. ille est Ephraim, qui bonis operibus fructificat. Coloss. 1. 10. *Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei.* En tibi Israelem et Ephraim simul iunctos in operum fructu, et scientiæ luce. Muavius symbolum hoc sigillo suo appressit: *Omni operi sua est remuneratio*, ut habetur lib. 1. hist. Saracenicæ cap. 7.

20. Beniamin clericos.

Secundo Beniamin, qui significat filium dexteræ, significat clericos contra omnem tentationem fortes, et pro Ecclesia fortiter pugnantes. Clerici, ut ait Ugo, debent esse filii dexteræ, id est fortes, ut nulli tentationi succumbant, sed fortiter pugnent pro Ecclesia. Item filii dexteræ, ut non recipiant nec diligant hæreditatem sinistræ, id est, ista temporalia: sed dexteræ, id est æterna: ita ille. In eam rem afferri potest locus Proverb. 3. 16. *Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiæ et gloria.* S. Bernard. monet loco mox citato, aurum Deo esse offerendum. *Beniamin*, ait, *filius dexteræ, offerat necesse est aurum: id est, substantiam huius mundi, ut videlicet fidelis populus in parte dextera constitutus mereatur audire: Quia esurivi, et dedistis mihi manducare*, etc. Qui fuerit verus Beniamin, Deo erit acceptissimus. Deuteron. 33. 12. cum Iacob Patriarcha filios suos benediceret, dixit: *Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, et inter humeros illius requiescet.* Athletæ in hac vita sumus, brachiorum et dexteræ robore indigemus. S. Basil. Seleuc. oration. 1. sic incipit: Universa hominum vita, ἀρετῆς ἀγωνιστήριον προκεῖται, *virtutis palæstra est*: ut vivere non videatur, qui se in virtutis palæstra non exercet. Clemens Alex. lib. 4. strom. vocat gloriam, laboris filiam. Itaque necesse est ut sis prius Benoni, id est filius doloris, quam Beniamin, hoc est filius dexteræ.

21. Manasses religiosos.

Tertio, Manasses sit vir Deo serviens, et terrena obliviscatur. Talis erat Paulus, qui dicebat Philipp. 3. 13. *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Memoria rerum terrenarum divites torquet. S. Nilus oration. 3. de avaritia: Dives, inquit, ærumnis, et molestiis impeditus, et canis instar catenis devinctus est. Quod si migrare compellatur, divitiarum memoriam, et dolorem inutilem, tamquam gravem sarcinam circumfert, mœrore stimulatur, et animo angitur vehementer. S. Chrysol. serm. 22. auri custos, inquit, servator argenti, securitatem non habet.

S. August. alium sensum affert in Psalmum nostrum: Appare, inquit, coram Ephraim, et Beniamin, et Manasse: Appare coram fructificatione, coram filio dexteræ, appare coram oblito, ut iam non sit oblitus, sed venias illi in mentem qui liberasti.

S. Bern. serm. 6. in vigilia Nativitatis utramque oblivionem, scilicet cælestium et terrenorum, figurari vult in tribu Manasse, cuius pars habitabat cis Iordanem, et altera ultra Iordanem: *Neque*, ait, *totus Manasses Iordanem transiit, sed nec totus citra sibi elegit mansionem. Est qui oblitus est Dei creatoris sui, et est qui providet cum in conspectu suo, semper oblitus populum suum, et domum patris sui. Et ille quidem cælestia obliviscitur, hic vero quæ sunt super terram: iste præsentia, ille futura: iste quæ videntur, ille quæ non videntur: postremo iste quæ sua sunt, ille quæ Iesu Christi. Uterque Manasses, uterque obliviosus: sed alter quidem Ierusalem, alter Babylonis oblitus.*

22. Incarnatio est opus maximum Dei potentiæ.

Nota secundo, Incarnatio est opus maximum divinæ omnipotentiæ, quia sublimius nihil fieri potest, quam Deus homo, et homo Deus. S. Bernard. serm. 3. in vigilia Nativitatis, vocat incarnationem opus mirabile, et singulare inter omnia Dei opera: *Attende*, inquit, *quia sicut in illa singulari divinitate Trinitas est in personis, unitas in substantia: sic in ista speciali commistione Trinitas est in substantiis, in persona unitas: et sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit trinitatem: ita et hic persona non confundit substantias: nec substantiæ ipsæ, personæ dissipant unitatem. Summa illa trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia, et super omnia opera sua. Verbum enim, et anima, et caro in unam convenere personam: et hæc tria unum, et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ:* ita Bernardus. Vide S. Thom. p. 3. q. 2. et seqq. ubi agit de modo unionis inter Deum et hominem, seu potius inter divinam atque humanam naturam. Vide etiam eumdem Bern. lib. 5. de consideratione ad Eugenium, cap. 9. Dicamus itaque cum Davide: *Excita potentiam tuam, et veni.*

23. Christus ad nos venit, ut salvaret.

Nota tertio, venit Christus, ut salvet homines. Est enim Iesus, id est Salvator, *ut salvos faciat nos.* Salus hæc prædicta est etiam Psal. 67. 21. *Deus noster Deus salvos faciendi: et Domini, Domini exitus mortis.* Isaiæ 45. 21. ait Deus: *Non est ultra Deus absque me: Deus iustus et salvans non est præter me.* Ierem. 15. 20. *Dabo te populo meo in murum æreum, fortem: et bellabunt adversum te, et non prævalebunt: quia ego tecum sum, ut salvem te, dicit Dominus. Et liberabo te de manu pessimorum, et eruam te de manu fortium.* Id potest applicari Christo et electis. Angelus Gabriel clare locutus est, Matth. 1. 21. *Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* De nomine Iesu satis multa dixi Psal. 8. sect. 1. Unum adde ex S. Vincentio Ferrerio serm. de Circumcisione Domini: *Hoc*, inquit, *nomen Iesus est virtuosum: quia omnes virtutes, quas Deus posuit in herbis, lapidibus, verbis, plantis, stellis, constellationibus, omnes sunt et continentur in hoc benedicto nomine Iesu.* Malachias Propheta Iesum soli orbem illustranti et servanti comparat, cap. 4. 2. *Orietur in diebus eius Sol iustitiæ: et sanitas in pennis eius*, id est, in eius radiis, qui sunt pennæ solis; quia sol oriens utrinque radios in modum alarum extendit, et instar avis celerrime movetur: ideo cum Phœnicis in typo veteres figurarunt. Sanitas porro, quam dat Christus veniens, est gratia sanctificans, curans vulnera a peccato inflicta, et varia dona animam roborantia.

24. Dies natalitii principum sunt festivi.

In nativitate, radii illi antea occulti emicuerunt, et pacem ac lætitiam attulerunt. Salvat nos Iesus nascens, et nunc in anniversario Natalis sui solvit captivos in confessionis Sacramento, ac per varias et potentes inspirationes. Constantinus Imper. in natali Crispi et Helenæ filiorum reos omnes e carcere liberos abire permisit, exceptis sacrilegis, homicidis, et adulteris. Cardinalis Ximenes eo die, quo natus est Ferdinandus Caroli V. Imper. Germanus, cum duos reos ad extremum supplicium damnatos habuisset obvios, illos statim absolvit; adiecitque, diem principis nativitate insignem, nemini infaustum esse debere: imo et urbem Complutum, intra cuius pomœria editus fuerat infantulus, ab omni tributo exemit, in eius gratiam; ea propter Complutenses in hæc tempora, pueruli linteola, et cunas velut libertatis suæ vindices asservarunt. Varro lib. de numeris docet, moris Romani fuisse, ut, cum die natali munus annale genio solverent, manum a cæde atque a sanguine abstinerent, ne die, qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent. Hoc tamen Adrianus Imper. non fecit, de quo hæc Spartianus: Gladiatorum mu-

nus, inquit, per sex dies continuos exhibuit, et mille feras natali suo dedit. A morte autem nos Christus nascens liberavit; ipse enim est vita, et resurrectio nostra.

25. *Et ut nos ad se converteret.* Nota quarto, venit Christus, ut nos ad se et ad patrem suum converteret: *Deus converte nos.* Hominis regio cælum est, ab eo vitia nos in terram incurvant. Clem. Alex. adhort. ad gentes: Hominem, ait, qui est φυτον ουρανιον, planta cælestis, diverterunt a cælesti vivendi ratione, et humi prostraverunt: ita ille. Ad cælum et Christum nos gratia Christi convertit. S. Petrus epist. 1. cap. 2. scribens exulibus Christianis, et aliis conversis in Ponto, Cappadocia, Galatia, Bithynia, dicit: *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.* Convertimur ad Christum per vim attractivam Christi, sicut ferrum ad magnetem, palea ad succinum, lapides et alia ad pantarbam. B. Albertus sermon. 5. de nativit. *Ita*, inquit, *Deus in præsepio, quasi quidam adamas, trahens ad se per charitatem iumenta, pastores et reges.* Adamas homines trahit sui admirabilitate. Magnum hoc est Dei donum, ut a Christo nato attrahamur. S. Leo serm. 2. de natali Christi: *Redit*, inquit, *in honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura, mors morte destruitur, nativitas nativitate reparatur: quoniam simul. et redemptio aufert servitutem, et regeneratio mutat originem, et fides iustificat peccatorem. Quisquis igitur Christiano nomine pie et fideliter gloriaris, reconciliationis huius gratiam iusto perpende iudicio. Tibi enim quondam abiecto, tibi extruso a paradisi sedibus, tibi per longa exilia morienti, tibi in pulverem et cinerem resoluto, cui iam non erat spes ulla vivendi, per incarnationem Verbi potestas data est, ut de longinquo ad tuum revertaris auctorem, recognoscas patrem, liber efficiaris ex servo: de extraneo proveharis in filium: ut qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei spiritu renascaris, et obtineas per gratiam, quod non habebas per naturam: ut si te Dei filium per spiritum adoptionis agnoveris, Deum Patrem audeas nuncupare.*

26. *Dei gratia egemus ad conversionem.* Nota quinto, recte dicitur, *Converte nos;* Dei enim solius est nos convertere, semel aversi ad ipsum redire non possumus. Sic plumbei, et testudinei sumus, ut movere nos non possimus, ubi cecidimus et retrorsum acti sumus. In Martiniqua insula testudines sunt surdæ, et ita magnæ, ut duo homines vix unam possint invertere; quæ inversa iterum se ad naturalem suum situm convertere non potest, ut mare repetat, unde exiverat. Itaque ibi secure relinquitur in arena, donec veniant, qui eam reportent domum, futuram cibum familiæ: hic enim cibus est in ea insula frequentissimus, ut refert noster Petrus Bouton. Dicendum itaque est Deo, *Deus converte nos:* est solus potens id facere. Psalt. Gallicau. habet, *Deus virtutum converte nos.* Psalt. Rom. *Domine Deus virtutum converte nos.* Psalt. Maronit. Deus potens. Syr. *Deus fortissime redue nos.* Non est satis, ut gratia præveniente in viam bonam vertat et Deum ostendat, sed gratia comitante manum Deus apprehendere debet, ac deducere, donec ad amatum perveniatur. Ierem. dicit Thren. 5. 21. *Converte nos Domine ad te, et convertemur; innova dies nostros, sicut a principio.* S. August. lib. 1. de ord. cap. 8. ait, Licentium sæpe Psalmi nostri versiculum recitantem, plurimum utilitatis hausisse.

27. *Conversio Dei ad nos requiritur.* Nota sexto, conversio nostra ad Deum non sufficit, vel maxime requiritur conversio eius ad nos. Hinc additur: *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* q. d. Aliter non erimus salvi. Abduimericus princeps Saracenus symbolum sigilli sibi delegit hoc, *Credo in Deum Salvatorem nostrum*, ut legi in historia Saracenica lib. 1. cap. 12. Thucydidis Scholiastes Græcus annotavit, apud Lacedæmonios recens natum infantem in scuto collocari consuevisse, ut ad dura perferenda natum se esse intelligeret, Christus est *scutum cordis*, ut dicitur, et scutum bonæ voluntatis Dei Patris, quo coronat electos, Ps. 5. Nec scutum modo cordis est, sed etiam murus in omnes hostium incursiones. Procop. in cap. 58. Isaiæ: Obsepies animam tuam Christo, velut muro, adversus externas molestias tectus: hæc ille. Timorem omnem fugat. Ipse est Phara Gedeonem securum faciens. In libro Iudicum cap. 7. cum Deus exercitum Gedeonis triginta millium ad trecentos reduxisset, iussit ipsi Imp. ut ad castra Madianitarum pergeret, et ad formidinem dispellendam puerum unum deduceret. Sic enim dicit Deus v. 9. *Surge, et descende in castra, quia tradidi eos in manu tua. Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus.* Egregium porro præsidium puer unicus, sed hic erat typus Christi, de quo dicitur Isaiæ 9.6. *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* Hic est verus Phara, id est frugifer, fructificans, atque vim cæteris fructus ferendi elargiens, omnemque timorem eliminans. Nam in femore eius scriptum est, *Rex regum et Dominus dominantium;* atque, ut est in loco Isaiæ citato, *Factus est principatus super humerum eius: et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Consiliarius est, non decipietur: fortis est, non vincetur: pacificus est, bellum exterminabit.

Nota septimo, pro *ostende*, Hebr. est הָאֵר *haer*, id est, *illustra* facies tuas, q. d. Quamcumque faciem ostenderis, sive maiestatis, sive humilitatis, totus lux es. Syr. Lucere fac vultum tuum, q. d. Cur in stabulo iaces inglorius? orbi universo radios affunde. Arabs, oriri fac vultum tuum, q. d. Qui velut sol in cælo tectus nube iustitiæ non apparebas. Chald. Splendescere fac splendorem faciei, seu iucunditatis tuæ, super nos. Hoc ipsum petitur Ps. 30. 17. *Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua.* Ps. 66. 1. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri*, q. d. Et in principio actionum et vitæ misereatur, et in fine misereatur. Ps. 118. 135. *Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me iustificationes tuas.* 28.

Nota octavo, facies Dei Patris est Christus, ut hoc loco explicant S. Hieron. Ugo Card. et R. Moses, aliique: est enim imago substantiæ eius, et sicut visa facie homo agnoscitur, ita viso Christo pater. Ioan. 14. 19. *Philippe, qui videt me, videt et patrem meum.* Malac. 3. 1. ait Deus Pater: *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam*, id est, Ioannem Baptistam ante Christum. Exod 33. 13. Moses ait angelo, qui Deum Legislatorem repræsentabat: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos.* Secundo, hæc facies Dei conspecta lætitiam affert. Semus lib. 5. Deliadis scribit, Parmenicum Metapontinum tum genere tum opibus inter primarios cives numerandum, cum in antrum Trophonii descendisset, reversum postea nunquam ridere potuisse. Tandem cum Delon appulisset visa Latonæ statua lignea, et præter expectationem deformi, in risum effusum esse. Nos in speluncam Bethlehem descendentes, ibi pulcherrimum Isaac, id est risum, reperimus. Sara dicebat nato Isaac Gen. 21. 6. *Risum fecit mihi Deus; quicumque audierit, corridebit mihi.* De S. Ioanne dicitur Luc. 1. 14. *Multi in nativitate eius gaudebunt.* Ad Christum natum pastores venerunt festinantes, et reversi sunt glorificantes et laudantes Deum, Luc. 2. 16. et seq. S. Gregor. vero dixit lib. 12. mor. 14. *Vera lætitiæ mentis, creator est.* Philo libro, quod deterior potiori insidietur, pag. 138. Δημιουργος ο θεος σπουδαιου γελωτος και χαρας εστιν: *Opifex est Deus boni risus et gaudii: itaque Isaac non vulgariter genitus, sed operante Deo, credendus est.* Hoc de Christo verius dixeris. De S. Gertrude legitur, quod in Christi nativitate versabat animo eius summam humilitatem, extremam paupertatem, et id genus alia: *quorum cogitatio maximam ei afferebat mentis dulcedinem*, excitabatque ad laudandum Deum, et gratias medullitus agendas. Contigit quandoque ea in huiusmodi meditationibus, cum multa cordis devotione et suavitate versante, *seque parvulo Iesu oblectante, ut eius virginea ubera tumescerent, laeteque manarent quotidie, a Christi die natali usque ad Purificationis festum:* ita in vita. Devotio nobis instar cælestis lactis fluat. Tertio de- 29. *Facies Dei Patris est Christus.*

nique, facies hæc divina salutem nobis affert. Oseæ 6. 3. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu eius.* Ps. 33. 6. *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur*, q. d. Eritis nova parelia ad divini solis contuitum. Hæc maxima benedictio est, ut Deus nos aspiciat: tam tenera enim sunt paternæ misericordiæ viscera, ut non possit filios suos vel levissimo oculorum coniectu intueri, quin moveatur. Hinc præcipit Deus Mosi Numer. 6. 23. *Loquere Aaron, et filiis eius. Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, et custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem*, q. d. Misericordia et pax, id est omne bonum et felicitas, affectum eius consequuntur. In oculis divinis et facie lux, pietas, misericordia, pax, atque liberalitas habitant, statimque accedentes locupletant. Deus itaque velut maximum malum interminatur faciei occultationem. Ierem 7. 15. *Et proiiciam vos a facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim,* id est decem tribus, quas Deus ita proiecit a terra promissionis, ut nunquam in eam redierint, nisi sub nomine tribus Iuda. Et cap. 18. 17. *Dorsum et non faciem ostendam eis, in die perditionis eorum.*

30. Ugo distinguit triplicem Christi faciem. Faciem triplicem Christi distinguit Ugo Card. nempe faciem nativitatis, faciem passionis, faciem iudicii. De prima hic sermo est, quæ splendorem maxime salutarem orbi affundit, quæque in tenebris positos illuminat. S. Aug. tract. 2. in Ioann. cap. 1. *Ipsa nativitate collyrium fecit, unde tergerentur oculi cordis nostri, et possimus videre maiestatem per eius humilitatem. Ideo factum est Verbum caro, et habitavit in nobis: sanavit oculos nostros.* Contra vero, dies natales principum sæpe tenebras inducunt vitiorum, in compotationibus aliisque ludis. Hinc notat S. Chrysologus, Herodem in suo natali fecisse cœnam, non prandium. Sic enim serm. 174. *Herodes natalis sui cœnam fecit: bene cœnam, quia non luci, sed tenebris addictus est hic natalis, in quo noctis filius natus est, non diei.*

ARTICULUS III.

Celerem adventum Christi postularunt patres.

31. Vers. 5. Messiam quidem venturum esse credebant Patriarchæ, Prophetæ, et sancti alii viri, sed eius accelerationem postulabant, v. 5. Domine Deus virtutum (Hebr. צבאות *tsebaoth*, id est exercituum: tum angelicorum in paradiso, tum sidereorum in cælo, tum humanorum in terris) quousque irasceris (Hebr. עשנת *ascianta*, fumabis, q. d. Graviter irasceris, ita ut naribus ardentem fumum emittas, sicut in magna ira contigit) super orationem servi tui? id est meam. Hebræi enim de se loquuntur sæpe in tertia persona. Irasci autem dicitur super orationem, cum eam non exaudit.

Vers. 6. Movet paternum pectus, quod sit afflictio vehemens, vers. 6. Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura, id est, tanta est vis lacrymarum in nostra calamitate, ut sint nobis cibus et potus. Dat autem Deus Israelitis per Salmanasarem captivatis cibum et potum lacrymarum *in mensura*, id est

Lacrymas dare in mensura quid? moderate, non supra vires, cum misericordia: ita nonnulli. Secundo, et melius, *in mensura*, id est plene, ut explicat Eusebius, plena mensura. Nam Hebr. est שליש *scialis*, quod significat triplicatum, seu triplicatam et magnam mensuram, q. d. Mensuram ter maximam, superfluentem, plenissimam. S Hier. vertit, *tripliciter*, hoc est vehementer et abundanter. Ut enim ait Aristot. lib. 1. de cælo, τα τρια παντα εστι, και το τρις παντη, *tria sunt omnia, et quod ter est, omnino est.* Hoc verum est in numeris. Hunc locum de Babylonica captivitate explicat R. Kimhi, quia, inquit, fuit septuaginta annorum, sicque extitit tertia pars Ægyptiacæ captivitatis, quæ duravit annos 210. sed Abrahamus noster fuse probat cum Genebr. captivitatem Ægypti fuisse 400. annorum in ipsa Ægypto; Salianus, cum quo

A sentio, fuisse annorum 215. Sed ut sit, triplicata mensura non dicit hic diminutionem, sed augmentum: et aptissime congruit captivationi decem tribuum per Salmanasarem, quod hæc esset tertia gravissima afflictio, quam perpessæ erant ab Assyriis. Nam primo, Phul rex Assyriorum in 32.
Ninive dominantium, qui defuncto Sardanapalo imperium Israel ter afflicti a Phul.
illud invaserat, et Babyloniorum regnum imperio Assyriorum adiunxerat, ingentes prædas ibi egerat, variis annis in eam terram excurrens. Secundo, Theglathphalasar filius Phulis regnum Israelitarum graviter afflixit, A Theglathphalasar.
anno primo sui imperii: mundi 3279. fundati templi 237. Phacee regis Israel 3. Ioathami regis Iuda 2 Troiæ excisæ 409. Imperii Assyriorum 1347. Olympiadis 1. ann. 2. ante Christum 774. Nam ut habetur 4. Reg. 15. 29. *In diebus Phacee regis Israel, venit Theglathphalasar rex Assur, et cepit Aion, et Abel domum Maacha, et Ianoe, et Cedes, et Asor, et Galaad, et Galilæam et universam terram Nephtalim, et transtulit eos in Assyrios.* His addenda alia pars cladis, quæ refertur 1. Paralip. 5. 26. ubi hæc B leguntur: *Et suscitavit Deus Israel spiritum Phul, regis Assyriorum, et spiritum Theglathphalasar regis Assur, et transtulit Ruben et Gad, et dimidiam tribum Manasse, et adduxit eos in Lahela, et in Habor, et Hara, et fluvium Gozan, usque ad diem hanc.* Ex his intelligitur, quanta fuerit hæc prima calamitas Israelitarum, cum in ea duas tribus cum dimidia trans Iordanem amiserint, tribum scilicet Ruben, et Gad, et dimidiam tribum Manassis: eis Iordanem autem totam tribum Nephtalim, qua tota superior Galilæa, quæ Gentium dicta est, continetur: ita Salianus. Tertio denique, anno mundi 3314. fundati templi 292. Et a Salmanasare
Oseæ regis Israel 9. et ultimo, Ezechiæ regis Iuda 6. imperii Assyriorum 1382. Romæ conditæ 13. ante Christum 739. a Salmanasare Assyriis etiam imperante tribus reliquæ translatæ sunt in captivitatem, Samaria regni sede capta, anno 5. Salmanasaris regni, Israelitici regni 255. et ultimo, nunquam enim illud regnum postea restauratum est.

C Tropolog. nota, in oratione habenda est humilitas. Ita- 33.
que David, seu populus Israel, in cuius persona loquitur, Tropol. Humilitas est necessaria in oratione.
se vocat servum: *Quousque irasceris super orationem servi tui?* In ea voce sibi complacet David, eamque sæpissime usurpat, ut declaret se pro nihilo ducere sublimitatem regiæ dignitatis; sed in id unum intendere, ut coram Deo se humiliet. S. Chrys. humilitatem orationis ita æstimat, ut in Psal. 9. dicat, οχημα ευχης ευρισκεται ταπεινοφροσυνη, *orationis vehiculum est humilitas.* S. Laur. Iustinian. tract. de casto connubio Verbi et animæ, cap. 22. *Humilitas,* inquit, *et charitas spirituales orationis sunt alæ, quarum remigio usque ad interiora ingreditur velaminis, ubi verbum in sinu residens paterno, æterna virtute generatur:* hæc ipse. David humilitate servum se esse profitetur, charitate autem urget ac dicit: *Quousque,* etc. Almamon sigillo suo insculpi curavit: *Pete a Deo, et dabit tibi.* S. Aug. in Ps. 33. Quomodo, inquit, in precibus iustorum divinæ aures sunt? quomodo, nisi ut semper audiant, nisi ut semper exaudiant, nisi ut prompte audita tribuant, nisi ut illico exau- D dita concedant?

Secundo nota, lacrymæ panis sunt, hoc est cibus: Pri- 34.
mo, ipsius animæ amantis et dolentis: *Cibasti nos pane* Lacrymæ sunt cibus mentis.
lacrymarum. Psalm. 41. 4. *Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte.* Ps. 126. 2. *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* S. Greg. lib. 5. Mor. 7. luctu suo, ait, anima pascitur, cum ad suprema gaudia flendo sublevatur, et intus quidem doloris sui gemitum tolerat: sed eo refectionis pabulum recipit, quo vis amoris per lacrymas emanat: hæc Gregorius. Anima pia lacrymas bibit, et in se earum fructum recipit, sicut terra cælestem imbrem, quo irrigatur et fœcundatur. S. Chrysost. hom. 4. ad populum: *Non sic,* ait, *semina delatus imber germinare et crescere facit, ut pietatis semen excitat, et vernare facit ex lacrymis ruens imber: hic animam detergit, irrigat mentem, doctrinæ germen brevi progredi facit: ideo et profundum sulcum proscindere necessarium est.* Vide di-

cta Ps. 41. 4. et 55. et 126. 2. Secundo, lacrymæ sunt cibus Dei. S. Chrysolog. serm. 93. agens de Maria Magdalene, lacrymis in convivio pedes Iesu irrigante, ait: *Pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in mensura, et ad delicias deitatis totas, totam pulsat cordis sui et corporis symphoniam.*

35. Lacrymæ sint moderatæ. Tertio nota, Deus dat lacrymas servis suis in mensura, id est, ait S. Ambr. in Ps. 101. ita ut ferre possint. S. Aug. in Psal. nostr. *Ipsa est mensura,* inquit, *ut erudiaris, non ut opprimaris.* S. Paulus animos addit afflictis, cum dicit 1. Corinth. 10. 13. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Secundo, Deus dat lacrymas servis suis in mensura, quia ipsi eum moderatione se affligere debent. Chius fabulatur, in finibus Meropum esse fluvium tristitiæ, ad cuius ripas natæ arbores A talem fructum ferant, ut qui ex eo ederit, tantum eiiciat lacrymarum, ut per reliquum vitæ tempus fletibus luctibusque diffluat, et sic vitam finiat. Hoc a nobis Deus non poscit, ut perpetui simus Heracliti semper flentes, sed ut cum moderatione flentes culpas, et iis debitas pœnas deleamus. Hoc in nativitate Domini faciendum docet S. Ambros. serm. 15. Mulierculæ, inquit, solent antiquas suscepturæ maculas vestium suarum, aqua diluere: cur non magis nos accepturi natalem Domini, maculas animarum nostrarum fletibus abluamus? Tertio denique, Deus dat lacrymas peccatoribus in mensura, id est, iuxta mensuram peccatorum admissorum. Isaiæ 27. 8. *In mensura contra mensuram, cum obiecta fuerit, iudicabis eam.* Origen. hom. 8. in Numer. hinc probat, non fore æqualem pœnam, frequenter et raro peccantis. Apocal. 18. 7. de Babylone impia dicitur: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

36. *Duo exponit. Primo, Synagogæ Iudæorum, sub vineæ typo, devastationem, vers. 9. Secundo, per solum Christi adventum posse illam reparari et perfici, vers. 15.*

PARAPHRASIS.

9. *Vineam de Ægypto transtulisti: eiecisti gentes, et plantasti eam.*	9. Populum tuum Israel ab Ægypto, velut pestifero solo, in promissionis terram transtulisti, gentesque idolorum cultui deditas, sicut inutiles spinas, eiecisti, ut illum ibi statueres, pietatis fructus uberes tibi redditurum.
10. *Dux itineris fuisti in conspectu eius: plantasti radices eius, et implevit terram.*	10. Ne a via deerraret, ducem te illi in maris rubri traiectu, in deserto, in Iordanis transitu, totoque bello, præbuisti: tuaque benignitate effecisti, ut firmas in ea terra radices defigeret, ac terram impleret.
11. *Operuit montes umbra eius: et arbusta eius cedros Dei.*	11. Nec planitiem modo regionis occupavit, sed ipsos quoque pervasit montes ac sylvas, in iisque locum sibi invenit.
12. *Extendit palmites suos usque ad mare: et usque ad flumen propagines eius.*	12. Adeoque excrevit, ut ad internum usque et mediterraneum mare ab occidente regiones occuparit: ab ortu vero ad Euphratis usque fluminis magni ripas pertigerit.
13. *Ut quid destruxisti maceriam eius: et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?*	13. Quid causæ fuit, cur protectionis tuæ divinæ murum tolleres: atque rapacitati viciniorum populorum illum subinde incursantium, obiiceres?
14. *Exterminavit eam aper de sylva: et singularis ferus depastus est eam.*	14. Illum Assyriorum rex Salmanasar, apri instar crudelis, disiecit, et decem tribus in gentilium terram, velut tenebrosam sylvam, abstraxit. Et paris ferocitatis rex Babylonis Nabuchodonosor, irruens, duas reliquas tribus in exilium secum amovit, et omnia demolitus est.
15. *Deus virtutum convertere: respice de cælo, et vide, et visita vineam istam.*	15. Domine Deus exercituum, qui ob scelera ingrati populi, oculos benignitatis tuæ ab eo retorsisti, nunc paternum ad nos vultum reflecte: ex alto cælorum palatio afflictionem tantam aspico, et descendens hæreditati tuæ vastatæ subveni.
16. *Et perfice eam, quam plantavit dextera tua: et super filium hominis, quem confirmasti tibi.*	16. Manuque admota eam perfice quam propria dextera, eradicatis sentibus, plantare dignatus es: et eam perfice super merita filii tui plantatam: quem filium omni virtute et gloria exornans tuum esse declarasti.
17. *Incensa igni, et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.*	17. Ubi primum oculorum tuorum radii vineam illam attigerint, flamma omnis subsidet, eius effossores et eversores diffugient.
18. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: et super filium hominis, quem confirmasti tibi.*	18. Potentiam tuam exere in Messia tuo, cui salvationem nostram perfectam hostiumque deiectionem reservas: hunc divino comple robore, quem a virgine genitum, tuum esse filium professus es.
19. *Et non discedimus a te, vivificabis nos: et nomen tuum invocabimus.*	19. Huic Salvatori hærentes a tuo nunquam cultu deflectemus: sed per te virtutum et pietatis vitæ redditi nomen tuum ac numen invocabimus.
20. *Domine Deus virtutum converte nos: et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*	20. Nunc itaque Domine Deus exercituum a te aversos potenti gratia converte, et favoris tui radios explica. Hoc si feceris, certam nobis salutem affore confidimus.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM NECESSARIUS CHRISTI IN TERRAS ADVENTUS AD ECCLESIÆ PERFECTIONEM.

Priori Sectione David, seu populus Israel, accelerationem adventus Messiæ flagitavit, ut salutem mundo B afferret. Nunc necessitatem illius accelerationis et salutis dandæ aperit, miseriis Synagogæ expositis, et efficacia illius remedii manifestata.

Ac Primo, sub vineæ figura describit Synagogæ Iudaicæ initium, augmentum, ac destructionem.

Primo quidem initium, cum a Deo educta est ex Ægypto, v. 9. *Vineam de Ægypto transtulisti.* Secundo, cum

expulsæ sunt gentes, trans Iordanem habitantes, ad locum illi parandum: *Eiecisti gentes.* Tertio, cum pars populi in ea regione trans Iordanem posita est, nempe tribus Ruben et Gad, ac dimidia tribus Manasse: *Et plantasti eam.* Quarto, cum Iordanem aperuit arca præeunte, ut daret terram promissionis, v. 10. *Dux itineris fuisti in conspectu eius.* Quinto, cum in ea terra optima reliquas tribus collocavit: *Plantasti radices eius.*

Secundo, augmentum populi Israel describit, cum totam terræ illius planitiem, montes, sylvas, mare, flumina implevit. Primo, terram, vers. eod. 10. *Et implevit terram.* Secundo, montes, vers. 11. *Operuit montes umbra eius.* Tertio, sylvas: *Et arbusta eius cedros Dei.* Quarto, mare, v. 12. *Extendit palmites suos usque ad mare.* Quinto, flumen: *Et usque ad flumen propagines eius.*

Tertio denique, destructionem eius, muro effracto divinæ protectionis, vers. 13. *Ut quid destruxisti maceriam eius?* Secundo, vicinis hostibus eam subinde vastantibus: *Et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.* Tertio, Salmanasare eam eradicante, v. 14. *Exterminavit eam aper de silva.* Quarto, Nabuchodonosore reliquias eius absumente: *Et singularis ferus depastus est eam.*

SECUNDO, remedium tantæ cladis ait esse adventum Messiæ, qui vineam perficiat, hostes amoveat, populum salvet.

Primo quidem, prædicit Deum reparaturum esse vineam suam, id est Synagogam et populum Israel. Primo, si vultum aversum ad eam convertat, v. 15. *Deus virtutum convertere.* Secundo, oculos in ea defigat ad videndam miseriam: *Respice de cælo, et vide.* Tertio, pedes itineri accingat: *Et visita vineam istam.* Quarto, manum operi admoveat, v. 16. *Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.* Quinto, idque per Messiam: *Et super filium hominis, quem confirmasti tibi.*

Secundo, prædicit a Deo hostes Synagogæ amovendos, v. 17. *Incensa igni et suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt.* Idque per eumdem Messiam, v. 18. *Fiat manus tua super virum dexteræ, et,* id est, *super filium hominis quem confirmasti tibi.*

Tertio denique, prædicit Deum synagogæ suæ, seu populo suo, salutem esse allaturum. Primo, a peccatis illum impediendo, v. 19. *Et non discedimus a te.* Secundo, vita gratiæ animando: *Vivificabis nos.* Tertio, ad veræ fidei liberam professionem incitando: *Et nomen tuum invocabimus.* Quarto, ad cælum ducendo, v. 20. *Domine Deus virtutum converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus.*

ARTICULUS I.

Ecclesia est Christi vinea præstantissima.

37. UT melius et lamentabilius exponat ea quæ acciderunt populo Israel, per Salmanasar et Nabuchodonosor, assumit similitudinem vineæ, vers. 9.

Vers. 9. VINEAM DE ÆGYPTO TRANSTULISTI (Hebr. denotant hanc vitem seu vineam esse rationalem: ibi enim est תִּסַּע *thissa,* id est, proficisci fecisti) EIECISTI GENTES (ex terra Chanaan) ET PLANTASTI EAM.

Vers. 10. Et vers. 10. DUX ITINERIS FUISTI (Sept. ὡδήγησας, viam fecisti, ut etiam habet Cassiodor. Arab. explanasti viam) IN CONSPECTU EIUS: PLANTASTI (Hebr. radicasti. Arab. firmasti. S. Hieron. stabilivisti) RADICES EIUS, ET IMPLEVIT TERRAM, Chananitidem.

Vers. 11. Vers. 11. OPERUIT MONTES UMBRA EIUS, ET ARBUSTA EIUS CEDROS DEI, id est, excelsas cedros: quæ enim Dei sunt, magna sunt: sic montes Dei dicuntur alti montes.

Vers. 12. Vers. 12. EXTENDIT PALMITES SUOS USQUE AD MARE (mediterraneum, quod erat Iudææ occidentale) ET USQUE AD FLUMEN (Euphratem) PROPAGINES EIUS. Tempore enim Davidis et Salomonis, reges aliqui ad Euphratem usque ditionem suam extendentes erant tributarii: licet in eos neque David, neque Salomon ius habuerint plenissimum, sicut in eos qui ipsam Iudæam incolebant a Dan usque ad Bersabee.

38. Allegor. Christi vinea est Ecclesia. Isaiæ 5. 7. *Vinea Domini exercituum, domus Israel est: vir Iuda, germen eius delectabile.* Ier. 2. 21. Deus ipse hoc dicit: *Ego autem plantavi te vineam electam, omne semen verum,* id est perfectum. Verum enim in Scriptura sæpe opponitur imperfecto, ut Ioan. 1. 9. et 6. 32. et 15. 1. Semen porro vitis, sunt eius propagines, quibus multiplicatur. Christus ipse ait Matth. 21. 33. *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular,* etc. Ibi agit de synagoga, sicut etiam Isaias et Ieremias. De Ecclesia Christi commodius exponetur illud Christi Matth. 20. 1. *Simile est regnum cælorum homini patrifamilias* (id est, perinde agitur in regno cælorum, ac si paterfamilias conduceret operarios in vineam) *qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* De Ecclesiis particularibus dicitur Cant. 2. 13. *Vineæ florentes dederunt odorem suum.* Odor vitis fugat serpentes. Et v. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Vulpes sunt hæreses et peccata. Salomon, qui est typus Christi, dicit Eccl. 2. 4. *Plantavi vineas.*

Verum aliquando opponitur imperfecto.

39. Ecclesiam porro variis de causis iure comparare possis vineæ. Primo, supra petrosos montes melius vites proficiunt. In petra Christo radicatur et fructum fert Ecclesia: *Petra autem erat Christus,* 1. Cor. 10. 4. Secundo, vitis eget paxillis et vinculis, alioquin in terram defluit. De Sapientia increata et incarnata dicitur Eccli. 6. 31. *Decor vitæ est in illa, et vincula illius alligatura salutis.* Tertio, vitis eget perpetua cultura et custodia. Ioan. 15. 5. ait Christus: *Sine me nihil potestis facere.* Conducit operarios in vineam suam non solum primo mane, sed etiam circa horam tertiam, sextam, nonam et undecimam, ut nulla hora vacet cultura. Quarto, vitis per afflictionem uberiores fructus fundit: nempe si fodiatur et resecetur. Ecclesia persecutionibus crescit. Quinto, palmes a vite præcisus arescit, et ad nihil est utilis, nisi ut comburatur: Ezech. 15. 1. hoc amplificatur. In Christo esse debemus ad fructum ferendum. Sexto denique, fructus vitis est suavissimus et utilissimus, cor confortans et corpus corroborans. Ecclesiæ fructus sunt virtutes.

Ecclesia comparatur vineæ, ob sex rationes: 1. 2. 3. 4. 5. 6.

S. Zeno Episcop. Veronens. qui floruit sub Gallieno Imp. circa ann. 260. paulo aliter hoc declarat serm. qui est de vinea huius Psalmi: 1. Scrobem, inquit, fontem sacrum debemus accipere: qui vero Sacramento homines suscipit mortuos, et inspiratos aqua cælesti mox efficit vivos. 2. Lignum auxiliare, quo tenditur vel portatur vitis, Crucis est dominicæ signum: sine quo vivere, immortalitatemque apprehendere in toto non potest Christianus. 3. Quod tabulatis infertur, cælestis viæ vitæque altitudo monstratur. 4. Ligaturis astringitur: cum renuntians sæculo sponsione facta spiritaliter sacris interrogationibus obligatur. 5. Luxuriosi crines falce tondentur: id est, omnia omnino peccata baptismate, Spiritusque sancti vigore amputantur. 6. Plorat feliciter vitis purgata materia: de homine loto felicius manant doctrinæ cælestis divina fluenta. 7. Ruptis oculis, id est spiritaliter patefactis, præcedentibus foliis fructus sequela sese commendat. Similiter Christianis monitis divinis præcinentibus obsecundando, in quibus æternæ fructus est vitæ, et defenditur pariter, et nutritur. 8. Ad iugum pervenit, cum erogata omni facultate pauperibus crucem suam portans, consummata omni iustitia expeditius sequitur Christum. 9. Vi tempestatis, solis, atque imbris, ad maturitatem cogitur: et iustus tentationibus crebris, magnis, ac variis perducitur ad coronam. 10. At ubi vindemiæ venerit tempus, id est persecutionis dies, passim uvæ diripiuntur: id est, inconsiderate sanctis omnibus violenta infertur manus. 11. Ad torcular comportantur, id est ad supplicii locum deducuntur. Ab operariis ibidem conculcantur: hoc est, summa cum contumelia a persecutoribus illusi iugulantur: hæc Zeno. Vide S. Ambr. lib. 3. Hexaem. cap. 12.

Alia parallela Ecclesiæ et vineæ ex S. Zenone.

40. Nota, גֶּפֶן *ghephin,* Pagn. et Arias vertunt *vitem;* melius S. Hier. Felix, et Interpres noster, *vineam.* Est autem vinea multitudo vitium simul consitarum. Itaque vinea

Vinea animæ qualis esse debeat.

synagogam seu Ecclesiam repræsentat, vitis vero singulos fideles et Sanctos. Anima etiam singulorum potest dici vinea, ob varias potentias, sensus, cogitationes, et affectiones. Debet autem primo, illa anima transferri de Ægypto peccatorum ad lumen gratiæ. Secundo, ex ea debent eiici gentes motuum brutalium et vitiorum. Tertio, plantari debet plantis virtutum, et in charitate radicari. Quarto, implere terram bonis operibus, misericordiæ præsertim. Quinto, umbra operire montes, altos in virtutibus superando: et cedros, id est fortes bonoque odore famæ fragrantes. Sexto, extendere palmites ad mare pœnitentiæ, et compassionis, et ad flumen humilitatis. Imitandus est nobis Naboth Iezrahelites, qui vineam suam noluit dare Achab regi impio, ut eam mutaret in hortum olerum, 3. Reg. 21. Hoc eius factum ad mores trahit S. Ambr. in Ps. 36. p. 319. *Olera*, inquit, *infirmus manducet, tu autem vitem insere in agro tuo, vineam institue. Et si venerit Achab, qui tibi dicat: Da mihi vineam tuam, ut olera mihi seram. Noli ei acquiescere, ne ex consensu tuo caduca serat, abscindat æterna. Ideo Nabuthes inter sanctos habetur, quia maiorum suorum hæreditatem, ne regi quidem putavit esse cedendam; et lapidari maluit, ut vineam suam non daret in direptionem. Hæreditas maiorum, fides vera est.* Tum post Arrianæ perfidiæ detestationem, ad rem etiam nostram loquitur: *Est*, inquit, *quædam vinea in pectoribus fidelium, de qua dicit Isaias cap. 5. Vinea facta est dilecto in cornu uberi. Hanc vineam plantavit Dominus in cordibus nostris: et ideo legimus dicentem Deum, Ierem. 2. Ego te plantavi vineam fructiferam, totam veram. Nemo ergo de agro animæ nostræ hanc auferat vineam: quia benedicta est ea vinea. Ideoque dictum est de Sanctis Ps. 4. A fructu frumenti, vini, et olei multiplicati sunt. Bonum est ergo habere intra te torcularia vino redundantia, ut fluat tibi vinum de vinea Soreth, poculum illud inebrians quam præclarum. Soreth enim vinea, novi principii nova est æquitas.* Hæc Ambrosius, qui in exhortat. ad virgines, per vineam accipit virginitatem; per Iezabel, concupiscentiam; per Naboth, Christum. S. Greg. Nyss. oration. funeb. in Meletium Episc. Antioch. pag. 1029. vocat S. Ephrem, πολυφορον Θεου αμπελον, fertilem Dei vitem, quæ dulcium instar racemorum, doctrinæ fructus afferens, Ecclesiæ filios divina charitate nutriens explensque, reficit atque oblectat. S. Bern. serm. 58. in Cantica, comparat plebem messi, congregationes vero Sanctorum cohabitantium, vineæ: quod ibi maior fervor sit, et exultatio spiritus. Hebræorum parœmia est: Ante vini potatores vinum affertur: agricolæ et hortulano herbarum afferuntur canistra; hoc est, unicuique sua sunt offerenda. Videant itaque religiosi, ut bibant vinum germinans virgines, et servos Dei ad omnia virtutum opera alacres se præbeant.

41. Vinea Ægypti. Quæres, quænam fecit Deus vineæ suæ, id est Ecclesiæ et animæ sanctæ ac ferventi? Resp. Primo, eam transtulisse ab Ægypto: *Vineam de Ægypto transtulisti*; id est, de tenebris et peccato. Plinius lib. 14. cap. 2. ait, vites esse innumeras: verba eius sunt: Genera vitium numero comprehendi posse, unus existimavit Democritus, cuncta sibi Græciæ cognita professus. Cæteri innumera atque infinita esse prodiderunt, quod verius apparebit ex vinis: ita ille.

Vitium genera innumera sunt. S. Basil. in cap. 16. Isaiæ tradit, vineam Ægypti similem esse vineæ Sodomorum et Gomorrhæ, ideo dictum esse Ps. 77. 47. *Occidit in grandine vineas eorum.* Subdit idem S. Pater: αμπελος Αιγυπτου ο λογος ο ψευδης; *Vinea Ægypti sermo est mendacii*, qui peculiariter versatur inter Ægyptios, a principe mundi tenebrarum harum eis traditus ad exercendam suam agricolationem. Plin. lib. 14.

Vitem picem redolens. cap. 1. refert, inventam fuisse pene temporibus suis vitem, per se picem resipientem, quæ Viennensem agrum nobilitaret, Arverno, Sequanoque, et Helvico generibus non ita pridem illustratam. Animæ multæ picem, sulphur, aliaque redolent.

Transfertur autem vitis ex Ægypto, cum ex impietate transfertur ad fidem et virtutem. S. Greg. Naz. oration. 4. pag. 121. Vineam quamdam, ait, commemorabamus ex Ægypto translatam: hoc est, ex tenebrosa impietate, atque, εις καλλος πιστεως, in fidei pulchritudinem et magnitudinem, auctam. Persea arbor translata e Perside venenatum succum in suavissimum et innoxium mutavit in Italia: fructus illius cordi, folia linguæ sunt similia. Animæ cogitationes et affectiones, cor sunt animæ, verba vero eius folia: in Christum hæc omnia insita, fiunt utilia. De Persea arbore Columella sic canit:

> *Pomis, quæ barbara Persis*
> *Miserat, ut fama est, patriis armata venenis:*
> *At nunc expositis parvo discrimine Lethi,*
> *Ambrosios præbet succos, oblita nocendi.*

Hæc vinea a Deo translata ex Ægypto summi est pretii, et omnibus, quas vana prædicat antiquitas est præferenda. In pretio fuit platanus ac *vitis aurea*, quam Pythius Atys filius, vir Lydus dedit Dario regi Persarum, is qui postea omnem Xerxis exercitum magnificentissimo hospitio, ipsumque Xerxem excepit, spopónditque se pecuniam ei in bellum suppeditaturum, ut ait Herodot. lib. 7. cap. 27. Aristobulus filius Alexandri regis Iudæorum misit Pompeio *vitem auream* quingentorum talentorum: hoc donum ait Strabo dedicatum fuisse in templo Iovis Capitolini, cum inscriptione Alexandri regis Iudæorum, ut tradit Iosephus, lib. 14. Antiquit. cap. 5. pag. 471. qui narrat lib. 15. cap. 14. et lib. 6. de bello, cap. 6. interiorem portam templi inauratam fuisse, et circum eam quoque parietem inauratum, desuper vero habuisse aureos pampinos, unde racemi statura hominis dependebant: negat autem auro solido vitem constitisse, sed filo tantum aureo aulæis intexto. Xenophon lib. 7. Plinius lib. 33. cap. 10. Dion. Chrys. orat. 58. et alii, meminerunt arbustivæ *vitis aureæ*, gemmis ornatæ, cuius uvæ ex pretiosissimis lapillis coagmentabantur, et lecto regis Persarum superstabat. Sed hæc parva sunt, si cum animabus, quas S. Bern. *intelligibiles vites* appellat, comparentur. Lege serm. 58. in Cantica. 42. Vites aureæ diversorum.

Secundo, Deus eradicatis sentibus vineam suam, id est Ecclesiam et animam sanctam plantat: *Eiecisti gentes, et plantasti eam.* Deus eiectis Chananæis, Amorrhæis, Hevæis, Iebusæis, et aliis, plantavit synagogam, in Chananitide Christus Ecclesiam suam plantat in fide. S. Bern. serm. 30. in Cantica: *In fide plantata, in charitate mittit radices, defossa sarculo disciplinæ, stercorata pœnitentium lacrymis, rigata prædicantium verbis, et sic sane exuberans vino, in quo est lætitia, sed non luxuria: vino totius suavitatis, nullius libidinis. Hoc certe vinum lætificat cor hominis, hoc constat et angelos bibere cum lætitia. Lacrymæ pœnitentium vinum eorum, quod in illis vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis iucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ.* Noemum, qui primus plantavit vineam, vocat S. Ambros. lib. de Noe et arca, *seminarium iustitiæ*: quod scilicet vitis et virtutis non exigua sit similitudo: et quod in anima sit plantanda virtus, sicut vitis. 43. Eradicatis sentibus Deus suam vineam plantat.

Tertio, Deus plantatam vineam radices agere facit, camque stabilit: *Dux itineris fuisti in conspectu eius, plantasti.* Hebr. radicasti, *radices eius.* Ephes. 3. 16. *Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem: Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati et fundati.* Eccli. 1. 25. *Radix sapientiæ est timere Dominum:* timore scilicet filiali, id est amare. Illa radix firma est. Sap. 3. 15. *Bonorum laborum gloriosus est fructus, et quæ non concidat radix sapientiæ.* Proverb. 12. 3. *Radix iustorum non commovebitur.* In prodigiis est, vitem et malum punicam stirpe fructum tulisse, non ramis, ut ait Plin. lib. 17. cap. 25. Illa radix sapientiæ habet bonorum laborum gloriosum fructum. 44. Radicibus eam firmat.

Quarto, Deus dat vineæ suæ, id est Ecclesiæ, vim se multiplicandi et propagandi: *Et implevit terram.* Primo, seipsa per propagines. Ezech. 17. 6. *Cum germinasset, crevit in vineam latiorem humili statura, respicientibus ramis eius ad eam: et radices eius sub illa erant. Facta est* 45. Illam propagat.

ergo vinea, et fructificavit in palmites, et emisit propagines. Secundo, per fructus suos, qui sunt Primo, odoriferi. Eccli. 24. 23. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis.* Secundo, magni. Strabo lib. 2. pag. 75. In Margiana, inquit, imum vitis truncum inveniri aiunt sæpe, qui duabus viri ulnis contineatur, *uvam in ea esse bicubitalem;* lib. vero 17. pag. 937. In extremis, ait, Mauritaniæ finibus ferunt vitem nasci, cuius caudicem vix duo homines complecti queant, *racemum esse bicubitalem;* lib. 15. pag. 837. ait, Vitem in Carmania uvam ferre bicubitalem, magnis acinis ac densis. Haud absimilem crediderim uvam, quam retulerunt missi exploratores in terram Chanaan, ut refertur Numer. 13. 24. *Uno in vecte eam portantes.* Tertio, non magni tantum, sed multi sunt fructus Ecclesiæ, sicut vitis fœcundæ. M. Varro auctor est, vitem fuisse Smyrnæ apud mare *biferam.* Nunc in Martiniqua insula bis terve uvas ferunt vites. Plinius ait, quasdam esse vites triferas. Sic ait lib. 16. cap. 27. Vites quidem et *triferæ* sunt, quas ob id insanas vocant; quoniam in iis alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent. Æthiopum Abassinorum in quadam provincia, tanta est agrorum fertilitas, ut simul ac collectæ fruges, mox dentur terræ semina. Præeunt messores, eos a tergo sequuntur seminatores: alia terræ cultura opus non est, ut tradit Godignus lib. 1. cap. 4. Quarto denique, fructus vineæ Christi, id est Ecclesiæ, toti orbi communes sunt. S. Ambros. lib. 10. in Luc. cap. 20. *Domini est terra*, inquit, *ubique Deus Pater colitur, ubique Christus adoratur. Hæc est nostra vindemia.* Tertul. lib. adversus Iudæos, postquam dixit Salomonem imperasse a Bersabee usque ad Dan, Darium Babyloniis et Parthis, Nabuchodonosorem ab India usque ad Æthiopiam, Pharaonem Ægyptiis, Alexandrum Asiæ prope universæ, Romanos variis Europæ, Asiæ, Africæ populis, eorum tamen imperium certis arctatum limitibus fuisse, ultra quos non porrigeretur, de regno Christi subdit: *Christi autem regnum, et nomen, ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubique adoratur.* S. Hieron. In toto mundo, inquit, Crucis vexilla resplendent. De illa vite agit S. Bern. tract. de Passione, in ea fuit Christus suavissimus et utilissimus botrus.

Vites prodigiosæ magnitudinis.

46. Quinto, Deus Ecclesiam suam elevat super omnia regna mundi: *Operuit montes umbra eius, et arbusta eius cedros Dei*, id est cedros altissimas. Sic Ps. 35. 7. montes Dei vocantur excelsi montes. 1. Paralip. 12. 22. exercitus Dei dicitur grandis exercitus. Arbusta porro vitis, sunt rami eius et palmites, ut Hebraicum ענפים *anaphim* significat. Plin. lib. 17. cap. 23. dicit, nobilia vina, nonnisi in arbustis nasci. De ea voce exactius dicam infra.

Umbra Ecclesiæ operit montes, id est:

1. Gentiles. Quæres, quos montes umbra sua operuit Ecclesia? Primo, gentiles, qui prius tumentes fastu et petrosi, facti sunt vineta optima, et umbra Christi operti sunt. Hieron. a sancta Fide lib. 1. contra Iudæos, cap. 10. agens de amplitudine regni Christi per gentium conversionem, ait, per montes, quos transcendit, significari idololatras. Quod autem, ait, hæc esset una de conditionibus Messiæ reperimus hoc scriptum per magistros Thalmud, ut habetur in Morah, Glossa Canticorum, supra illud, *Vox dilecti mei. Ecce ille venit, saliens in montibus, transiliens colles:* dicit R. Iuda ex nomine R. Eliezer filii R. Iose Galieni, quod ista Prophetia de rege Messia dicitur: et isti montes et colles nihil aliud sunt, quam idololatria, quam ipse persaliebat, et transiliebat. Pausanias in Arcadicis pag. 269. Græcæ editionis, tradit in Lycæo monte aream esse Iovis Lycæi, quo hominibus non est accessus. Si vero forte homines bestiæve intra loci ambitum se immiserunt, οὐ παρέχεσθαι σκιάν, non reddi umbram e corporibus. Ante fidei exortum inter gentiles regnabat Iupiter Lycæus, id est lupi instar omnes devorans: in eius monte, et cultu, nulla erat umbra, hoc est nullum præsidium aut solatium. De

2. Reges et principes. Ecclesia dicitur Isaiæ 14. 6. *Convertentur sedentes in umbra eius: vivent tritico, et germinabunt quasi vineæ.* Secundo, montes quos umbra Ecclesiæ operit, sunt reges,

A principes, nobiles, doctores, divites. Per illam salubrem umbram fiunt fertiles. Vide Plin. lib. 17. cap. 12. de umbris salubribus et noxiis. In illis montibus ad Deum conversis sunt vina selectissima. Columella, lib. de arboribus cap. 3. Montibus, ait, clivisque difficulter vineæ convalescunt: sed firmum probumque saporem vini præbent: humidis et planis locis robustissimæ, sed infimi saporis vinum, nec perenne faciunt; ita ille. Nobilibus, principibus, regibus, et omnibus honore et dignitate ac divitiis eminentibus difficilius virtus probatur: sed, si semel placuerit, fructus fundit uberrimos et optimos. Tertio denique, montes sunt viri alti in virtutibus, quos, ut ait Ugo, fides Ecclesiæ, et Spiritus sancti gratia obumbravit. De illa umbra actum est Ps. 16. 8. et 56. 2. Figurata est in nube lucida, et Apostolos obumbrante in monte Thabor, Matth. 17. 5. S. Chrysost. homil. 10. in Marcum, illud extendens: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Mosi unum, et Eliæ unum,* sic ait: O Petre, qui vis tria facere tabernacula, respice unum tabernaculum Spiritus sancti,

B qui nos pariter protegit. Nubea ipsa lucida et obumbrans, hoc est unum tabernaculum, non excludit Solem iustitiæ, sed includit.

Quæres secundo, quas cedros Dei, operuit Ecclesia per umbram suam? Resp. primo, S. August. cedros illos esse superbos. De illis dixi Ps. 28. 5. et 36. 35. Secundo, Ugo Cardin. per cedros intelligit viros fortes, et odore bonæ vitæ fragrantes. Vide dicta Ps. 91. 13. Tertio, Bruno, cedros ait esse martyres: Ecclesiæ umbra, inquit, fructificat, et amplius facit crescere, quos magis tegit. Unde cedros Dei, id est martyres, qui in Ecclesia inter altissima cacumina constituti sunt, ipsa quoque protegit Ecclesia. 47.

Cedri Dei.

Quæres tertio, quomodo vitis, quæ est frutex humilis et parvus, possit superare cedros, quæ sunt arbores Libani montis excelsissimæ? Resp. primo, id fieri illam ad ipsas cedros applicando; sic enim vitis ascendet supra ipsum cacumen cedrorum, et illas suis pampinis et uvis ornabit ditabitque. Hinc Nonnus lib. 12. Dionys. vitem 48.

Vitis arbores altissimas ascendit.

C vocat, *dominam arborum;* quod per illas, velut per ancillarum humeros ascendat. Græca vox in Psalmo nostro adiunctionem vitis et arboris clare habet. Nam ἀναδενδράς est vitis arbustiva, vitis arborem scandens, vitis supra arborem posita, δένδρον enim est arbor. Latina vero vox *arbustum* est locus consitus arboribus vitiferis, hoc est ulmis, populis, aliisque, in quibus vites extendi solent: aut est ipsa arbor vitibus maritata, et in ordinem digesta, item pro ipsa vite arboribus applicata, ut in hoc loco, cum dicitur: *Et arbusta eius cedros Dei.* Plin. lib. 14. cap. 1. ait, vitem nullo fine crescere, et de iunctione eius et coniugio cum arboribus sic loquitur: *In Campano agro populis nubunt, maritasque complexæ, atque per ramos earum procacibus brachiis geniculato cursu scandentes, cacumina æquant, in tantum sublimes, ut vindemiator auctoratus rogum ac tumulum excipiat. Nullo fine crescunt, dividique aut potius avelli nequeunt. Villas et domos ambiri singularum palmitibus, ac sequacibus loris quoque memoria dignum inter prima Valerius quoque Cornelius existima-*

Arbustum quid proprie.

D *vit. Una vitis Romæ in Liviæ porticibus subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacat, eadem duodenis musti amphoris fœcunda. Ulmos quidem ubique exuperant. Miratumque altitudinem earum Ariciæ ferunt legatum regis Pyrrhi Cyneam facete lusisse in austeriorem gustum vini, merito matrem eius pendere in tam alta cruce.* Secundo, etiam vites in quibusdam locis sunt magnæ arbores. Idem Plin. eodem loco: Vites, ait, iure apud priscos magnitudine quoque inter arbores numerantur. Iovis simulacrum in urbe Populonia ex una conspicimus, tot ævis incorruptum. Item Massiliæ pateram, Metaponti templum Iunonis vitigineis columnis stetit. Etiam nunc scalis tectum Ephesiæ Dianæ scanditur vite una Cypria, ut ferunt, quoniam ibi in præcipuam amplitudinem exeunt. Nec est ligno illi æternior natura: hæc ipse.

Lepidum Cyneæ acroama.

Veriora hæc sunt de Ecclesia, quæ est vinea ad cœlum usque ramos elevans. S. Ambrosius lib. 10. in Lucam, 49.

Ecclesiæ et animæ

*

fidelis cum vinea comparatio, ex S. Ambrosio. cap. 20. Vinea, inquit, typus noster est, quod populus de vitis æternæ radica fundatus *supereminet terris*: ac solum viride prætexens, nunc gemmante flore pubescit, nunc circumfusa viriditata vestitur, nunc mite iugum suscipit, cum maturioribus brachiis quasi sarmentis fœcundæ vitis adoleverit. Agricola quippe, omnipotens Pater; vitis est Christus: at vero nos palmites, qui nisi fructum feramus in Christo, cultoris æterni falce succidimur. Recte igitur vinea Christi populus nominatur: vel quod Crucis in fronte prætexat indicium, vel quod fructus eius postrema anni legatur ætate, vel quod omnibus ut ordinibus vinearum, ita pauperibus atque divitibus, humilibus atque potentibus, servis ac dominis, in Ecclesia Dei æqua dimensio, nulla discretio sit: ut vitis maritatur arboribus, ita corpus animæ, anima quoque corpori coniugatur. Ut vinea dum ligatur, erigitur: et recisa non minuitur, sed augetur: ita plebs sancta dum ligatur, exuitur: dum humiliatur, attollitur: dum reciditur, coronatur. Quin etiam ut tener surculus veteri ascitus ex arbore, in alterius fœtu radicis inseritur: ita populus hic sanctus sarculi veteris cicatricibus enodatis, in novo illo Crucis ligno, tamquam gremio piæ parentis, fotus inolescit, Spiritusque sanctus sicut in altas dimissus terrarum scrobes, ita in hoc carcereum corpus infusus, aquæ salutaris irriguo diluit, quidquid est fœtidum, membrorumque nostrorum habitus in cælestem erigit disciplinam: hæc Ambrosius. Romani Iudæi dicebant, decem divitiarum mensuræ in orbem descenderunt, novem sibi abstulit Roma, unam cæteræ mundi partes. Quidam ab Hebr. רום *rum*, id est elevare, exaltare deducunt. Romana Ecclesia, ipsa sua celsitudine, super omnia mundi imperia est admirabilis.

50. Charitatis manibus vinea erigatur. Tropol. vitis et vinea nostra debet erigi claviculis charitatis. S. Basilius homil. 5. *Vult nos Deus*, inquit, *quasi claviculis sive capreolis quibusdam*, περιπλοκαῖς ἀγάπης, *amplexibus charitatis proximis inniti; atque adhærere, et in ipsis etiam conquiescere, ut iugi affectu sursum versus feramur, et quasi scansiles arbustivæ vites nos ipsos adæquemus sublimium fastigiis arborum.* S. Isaac presbyter lib. 1. de mundi contemptu, charitatem esse dicit, non solum vitem, sed etiam vinum, quod lætificat cor hominis. Nicephor. lib. 18. cap. 9. refert, S. Mauritii patrem, cum eum esset procreaturus, vidisse maximam vitem maturis uvis onustam e cubiculo suo ortam emergere. Simus vitis se in omnes charitate diffundens, aliisque communicans.

51. Christus per totum orbem dilatavit Ecclesiam. Sexto denique, Deus vineam suam, id est Ecclesiam, per totum orbem extendit, v. 12. *Extendit palmites* (Psalt. Maronitarum, et Arab. radices. S. Hieron. comas. Noster apte, palmites) *suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines eius.* Propago in vinea, est vitis vetula et suppressa, ex qua una plures fiant; dicta, quod porro pangatur, id est longe figatur. Romana Ecclesia est etiam Catholica, id est, universalis, et οἰκουμένην. Servius Petri Danielis in primam Virgilii Eclogam sic ait: Vult Maro urbem Romam non tantum magnitudine, sed etiam genera differre a cæteris civitatibus, *et esse velut alterum quemdam mundum, aut quoddam cælum.* Sed ut a vineæ comparatione non recedamus, Ecclesiæ palmites sunt Apostoli et apostolici viri sese per omnes terras dilatantes. Christus dicebat Apostolis Ioan. 15. 5. *Ego sum vitis, vos palmites.* S. Bernardus serm. 30. in Cantica: *Dei ædificatio*, inquit, *Dei agricultura est. Ipse fecundat, ipse propagat, ipse putat et purgat eam, ut fructum plus afferat. Quando nempe sua destitueret cura vel opera, quam plantavit dextera eius? Non plane habenda neglectui, in qua Apostoli palmites, Dominus vitis, et pater agricola est.* Astyages vidit ex filia enasci vitem, quæ totam Asiam inumbraret. Herodot. id refert in Clio, seu lib. 1. Videbatur illi, ait, ex filiæ genitalibus enatam, ἄμπελον ἐπισχεῖν Ἀσίαν πᾶσαν, vitem occupare universam Asiam. Ideo Cyrum ex ea natum tradidit Harpago exponendum feris, quod magi somniorum interpretes dicerent, visione illa portendi, prolem filiæ suæ pro eo regnaturam. S. Athanasius tractat. contra Arrium dicit, Christum esse vitem, cuius fructus sunt vita, gaudium, pax, iustitia, fides, et alii huiusmodi; eius typus fuit Cyrus destructor Babylonis, id est idololatriæ et impietatis; et restitutor Ierusalem, id est Ecclesiæ, quam dilatat per totam terram promissionis, id est per totum mundum. S. Hieronymus ad Dardanum ostendit Iudææ exiguitatem præ amplitudine Ecclesiæ. Respondeant mihi, inquit, qui hanc terram (quæ nunc nobis Christi passione et resurrectione terra repromissionis effecta est) possessam putant a populo Iudæorum, postquam reversus est ex Ægypto, quantum possederit? *Utique a Dan usque Bersabee, quæ vix 160. millibus in longum spatio tenditur. Neque enim David et Salomon potentissimos reges, exceptis his, quos post victoriam in amicitiam receperunt, plus tenuisse Scriptura testatur*: et hoc 52. Iudææ regio parva erat.
dico, ut tandem quinque Palæstinæ civitates, Gazam, Ascalonem, Geth, Accaron, et Azotum: Idumæos quoque a meridiana plaga vix 75. millibus ab Ierosolyma separatos: Arabes et Agarenos, quos nunc Saracenos vocant, in vicinia urbis Ierusalem: pudet dicere latitudinem terræ promissionis, ne ethnicis occasionem blasphemandi dedisse videamur: a Ioppo usque ad viculum nostrum 46. millia sunt, cui succedit vastissima solitudo plena ferocium barbarorum. Hæc est Iudæa tuarum longitudo et latitudo terrarum: ita Hieronymus. De Ecclesiæ Catholicæ amplitudine ac maiestate vide Psal. 47. integrum, et Psalm. 2. 8.

Tropolog. Christi vinea, id est anima sancta, extendit palmites suos usque ad mare; id est affectus suos usque ad amaritudinem passionis et crucis, in qua est mare sanguineum. Deut. 33. 19. de tribu Zabulon et Issachar dicitur a Mose, tribus omnes benedicente: *Populos vocabunt ad montem*, id est ad templum Sionis; *ibi immolabunt victimas iustitiæ. Inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum*, id est gemmas in arena maris latentes.

ARTICULUS II.

Christus vineam suam, id est Synagogam et Ecclesiam ob peccata affligit.

Vineæ divinæ descripta præstantia miratur David, seu populus Israel, hic loquens, eius devastationem per 53.
Assyrios, v. 13. UT QUID DESTRUXISTI (S. Hieron. dissipasti) MACERIAM (Felix, *sepes*; maceria est paries, sive murus, vel congeries lapidum in unum compactorum, sine intrita, aut alio genere ferruminis, cuiusmodi parietes fare eos esse videmus, quibus vineæ claudi solent) EIUS, ET VINDEMIANT EAM OMNES, QUI PRÆTERGREDIUNTUR VIAM. Vers. 13.

Vers. 14. EXTERMINAVIT (S. Hieron. vastavit. Pagn. consumpsit) EAM APER DE SILVA (Pagnin. aper sylvestris) ET SINGULARIS FERUS (Felix, fera agri. Pagn. avis agrestis. Sed non video cur זיז avem vertat) DEPASTUS EST EAM. *Singularis ferus* synonymum est cum apro, aper enim est singularis ferus: unde Gallice vocatur *porc sanglier*, sive simpliciter *sanglier*. Italice *porco cinghiale*, q. d. Porcus singularis: quia gaudet singularitate. Itaque, per aprum et singularem ferum commode intelligetur idem Salmanasar, qui depastus est Samariam et omnem regionem decem tribuum, destruxit maceriam, id est muros Samariæ et urbium munitarum, et populum omnem exterminavit; hoc est, extra terminos eiecit in captivitatem, secum trahens in Assyriam, et per varias suæ ditionis provincias dividens. Regi Osee, ait Salian. anno. mundi 3314. quid factum sit, non satis liquet. Genebr. ait, eum quoque in Assyrios esse translatum, idque in apocrypho Esdr. 4. lib. 13. 40. scriptum est, qui liber non habet minorem auctoritatem, quam liber aliquis antiquorum patrum, et citatur ab Ambrosio: quid autem factum sit populo, satis liquet. Scriptum est enim 4. Reg. 17. 6. *Anno nono Osee cepit rex Assyriorum Samariam, et transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hala, et in Habor, iuxta fluvium Gozan, in civitatibus Medorum.* Quæ repetuntur cap. 18. 11. sed cum nonnulla diversita- 54. Vers. 14. Aper est singularis ferus. Quo abducti captivi Israelitæ?

te: *Collocavitque eos, inquit in Hala, et in Haber fluviis Gozan, in civitatibus Medorum.* Priore enim loco Hala et Habor videntur dici civitates Medorum, et ad fluvium Gozan sitæ: posteriore autem loco videntur dici fluvii cuiusdam provinciæ dictæ Gozan, sic Cutha et Cuthus provincia, et fluvius apud Iosephum. Sed cum alibi quoque Gozan dicatur fluvius, Hala vero et Habor alibi dicantur urbes, nunquam autem fluvii, putarem hoc posteriore loco, pro fluviis Gozan, legendum esse, fluvii Gozan. Vatablus certe utrobique habet, iuxta fluvium Gozan: in Hebræo et in Chaldæo utrobique habetur fluvius numero singulari. Græci autem quidam, ut vulgata, uno loco fluvium, altero fluvios ponunt. Iosephus ait, abductos in Mediam et Persidem. Genebrardus, ultra montes Medorum, et Persarum, et ita orienti ac septemtrioni infusos Iudæorum clausorum fabulæ dedisse causam. Existimat etiam ex his proseminatos barbaros, qui oram septemtrionalem orientis tenent. Quorum imperium Persico imminet, eoque a parte Assyriæ et Mediæ terminatur; idque ex eo confirmatur, quod hordæ quædam apud Tartaros nomina Dan, et Nephtalim, et Zabulon tenuisse dicuntur, aliaque apud eos extare legis, et rerum Hebraicarum monumenta, ut non mirum sit Russiam, Sarmatiam, Livoniam, et Moscoviam, Iudæis abundare, qui etiam nunc, sicut in Europa, patriæ superstitionis retinentissimi sunt. Certe ex nostrorum libris Indicis anni 1607. constat in regnis Catay, quæ Sinas ab occasu et septemtrione tangunt, non paucos Iudæos reperiri, sicut et Christianæ religionis vestigia longe plurima. Sic nimirum bonum semen:

Infelix lolium, et steriles comitantur avenæ.

Iudæi fuerunt in America.

Existimat quoque Genebrardus horum Israelitarum plerosque in Americam penetrasse: nam ibi sepulcra subterranea, cum litterarum Hebraicarum inscriptionibus esse reperta, et eam profectionem indicari 4. Esdræ 13. 40. Hæ sunt decem tribus, inquit, quæ captivæ factæ sunt de terra sua in diebus Osee regis, quem captivum duxit Salmanasar rex Assyriorum, et transtulit eos trans flumen, et translati sunt in terram aliam, etc. Verum ut id ita sit, non tamen primi eo penetrasse putandi sunt. Nam quis credat in America non habitasse genus humanum usque ad hanc diem, et regnum Ezechiæ? Et immensas regiones, quæ Asiam atque Europam æquare possint, ab ipso Adamo, aut Noetico diluvio caruisse cultoribus? Characteres autem illi Hebraici illos auctores habere potuerunt, qui primi post linguarum divisionem, eo sive per fretum Anianum ab extrema Tartaria orientali: sive tempestate, ut sæpe contingit, eo vel inviti delati sunt. Ita Salianus, qui etiam notat tunc Tobiam seniorem esse ductum in captivitatem Assyriacam, non vero a Theglatphalasar; fuisse autem diu gratum Salmanasari, qui non est mortuus illo eodem captivitatis anno, ut vult Genebrardus; sed post quatuor annos, nempe anno mundi 3318. Ezechiæ regis Iuda 10. cum hæc clades contigerit anno mundi 3314. Ezechiæ regis 6. ante Christum 739.

55. Salmanasar est aper et singularis ferus.

55. Aignanus putat, Psalmum nostrum esse intelligendum de Nabuchodonosore, qui fuit aper de sylva, est enim a Deo electus in sylvas. Sed hoc non placet, quia Nabuchodonosor cum suis Chaldæis non vastavit Israel, et Ioseph, ac tribus Ephraim et Manasse, iam enim dudum decem tribus fuerant captivatæ; sed solum duas tribus abduxit in Babylonem, cum rege Sedecia excæcato. 2. S. Hieron. Cassiodor. Remig. Bruno, Haymo, et alii, exponunt de vastatione ultima per Titum. Sed tunc Iudæi non erant vinea Domini, nec erat unquam vinea illa reparanda. 3. Itaque melius, hæc omnia intelligenda sunt de Salmanasare et Assyriis, decem tribus Israel et regnum Samariæ expilantibus et evertentibus, ut dixi supra. 4. Aper potest dici Salmanasar: singularis ferus, Nabuchodonosor, ut habes in analysi et paraphrasi. Sed tertius sensus de solo Salmanasare est melior.

56. Ecclesiæ murus est: I. Deus.

56. Allegor. Ecclesiæ et congregationis peccantis muros Deus tollit. Ubi adverte, pro *maceriam*, Hebr. esse *macerias*. Multi enim sunt muri Ecclesiæ. Primo, Deus ipse, Zachar. 2. 5. *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: et in gloria ero in medio eius.* Iob. 1. 10. dæmon ait, Deum fuisse vallum Iobo, ait enim: *Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixisti, et possessio eius crevit in terra.* Hic murus est firmissimus. S. Ambr. lib. 10. in Lucam cap. 20. Absit, inquit, ut huic vineæ quidquam timeamus adversi, quam pervigil custodia Domini Salvatoris adversus omnes nequitiæ sæcularis illecebras muro vitæ vallavit æternæ, extendens palmites eius usque ad mare. *Domini* enim *est terra:* hæc ipse. Hoc muro Deus peccatores nudat. S. Gregor. Nazianz. orat. 4. pag. 125. Nudamur, inquit, et privamur, ἐπισκοπῇ Θεοῦ, Dei inspectione, qua prius muniebamur.

II. Angeli.

Secundo, muri Ecclesiæ, congregationis, et animæ, sunt angeli. S. Gregor. Nyss. homil. 7. in Cantica, agens de turri David, ex qua mille clypei pendent: Puto, ait, eam turrim, clypeorum multitudine significare angelicam custodiam, qua circumsepti sumus: ita ille. Illam maceriam tollit Deus ob scelera. Isaiæ 5. 5. *Auferam sepem eius:* quod S. Basilius considerans in illius loci commentario, tom. 1. pag. 940. ait sepem illam esse, ἀγγέλων φυλακήν, angelorum custodiam, qua peccatores privantur.

III. Sancti.

Tertio, murus Ecclesiæ, congregationis, et animæ, sunt Sancti. S. Basilius homil. 5. pag. 62. ait, animarum humanarum, velut vinearum, murum esse præcepta, et custodiam angelorum: vallum vero, Apostolos, Prophetas, Doctores, exempla veterum hominum at beatorum. De illis explicari possit illud Cant. 3. 7. *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi: uniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.*

IV. Dei præcepta.

Quarto, murus Ecclesiæ, congregationis, et animæ, sunt Dei præcepta. S. Basil. in Isaiam pag. 937. Quid, ait, sepes hæc innuit aliud quam præcepta, quæ dedit populo Deus, priusquam induceret eum in terram promissionis. Vallum, vires adversus hostes. Turrim, templum in medio Iudææ collocatum. Torcular, ipsa synagoga Iudæorum: hæc Basilius. Vide cap. 5. Isaiæ, ubi vinea illa describitur.

V. Virtutes.

Quinto, murus Ecclesiæ, congregationis, et animæ, sunt virtutes. S. Ignatius fundator Soc. nostræ dicebat, paupertatem esse murum religionum; de castitate dicitur Cant. 7. 2. *Venter tuus,* Sponsa mea, *sicut acervus tritici, vallatus liliis.* In virginitate non deest fœcunditas. Obedientia maxime vallantur domus religiosæ. Hinc Benedictini solam vovent obedientiam: ea se satis tutos existimantes; denique, oratio est murus inconcussus. S. Chrysost. lib. 2. de orando Deum: *Oratio,* ait, *Ecclesiæ murus est, qui rumpi non potest, inconcussum munimentum: dæmonibus quidem formidabile: piis vero tutum ac salutiferum.*

VI. Prælati.

Sexto denique, Prælati et Doctores sunt murus Ecclesiæ, et congregationis, atque animarum. Isaiæ 60. 18. *Occupabit salus muros tuos.* Illis ruentibus omnia corruunt. Ugo Card. in cap. 4. Cant. Ruit turris, inquit, non in solam sui perniciem, sed totius civitatis. Turre enim capta, vel diruta, de facili tota civitas expugnatur: ita cœtu Doctorum ruente in peccata, tota civitas Ecclesiæ patet hostibus indefensa: hæc Ugo.

Secundo, effracto muro, vinea patet imbellium etiam hostium incursibus: *Et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam:* id est, qui extra viam mandatorum Dei ambulant, et in aliena bona insiliunt: sive simpliciter, qui per illam ambulant viam, quæ est prope vineam. 57. Primo, illi viatores impii, sunt scelerati principes, qui iniuste omnia diripiunt, ut ait S. Gregor. Naz. orat. 4. contra Iulianum apostatam. Secundo, illi viatores impii, sunt dæmones, quibus, ut ait S. Basil. in cap. 5. Isaiæ, anima præsidio angelico nudata datur εἰς διαρπαγήν, id est, in direptionem. Hanc expilationem vineæ prædixit Ierem. 6. 9. *Hæc dicit Dominus exercituum: Usque ad racemum colligent, quasi in vinea reliquias Israel: converte*

manum tuam quasi vindemiator ad cartallum, id est ad canistrum, ut uvas comedas. Pro *cartallum*, Lyranus reddit, *iteratas scrutationes*, q. d. Chaldæi vastantes Ierusalem, veint vineam, iterum scrutamini, ne qua uva sit reliqua; ne quid restet quod non auferatur. Michæas cap. 7. 1. deplorat vastationem Synagogæ, quæ careat viris probis: *Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum*, id est, nullus est vir pius et probus. Hoc S. Hier. et Remig. dici volunt de decem tribubus; Theodoret, Vatabl. et Arias putant dici de tribu Iuda. Hinc Christo acetum merum dederunt in cruce, Ioan. 19. 29. vinum enim non habebant. Si nec nobis est, petamus a Virgine ut dicat Christo pro nobis orans, sicut in Cana, Ioan. 2. 3. *Vinum non habent*: nobis enim impetrabit. S. Bernard. super
A Deipara est petenda devotio. Salve Regina: *O Domina*, inquit, *ostende faciem tuam, sonet vox tua in auribus nostris: quia vox tua dulcis, et facies tua decora. Vocem tuam audivimus in Evangelio, o Domina rerum, ad filium: Vinum non habent: necessaria nobis hæc est: defecit vinum in cadis nostris, vinum scilicet lætificans cor hominis. Vinum quærimus, quod germinat virgines, harum pincerna tu, vexillifera tu, vexilla regis prodeunt in nobis, te agente pro nobis. Calix in manu tua vini meri: in manu tua, in potestate tua, vini meri amoris divini. Dic Domina rerum, dic pro nobis filio tuo: Vinum non habent.*

58. Apri et diaboli parallela. Tertio, non viatores tantum uvas colligunt, sed feræ ipsas radices vitis evellunt: *Exterminavit eam aper de silva.* Aper ille, est diabolus. Primo enim, aper dicitur quasi
I. asper, sive quia moribus est asperis, sive quia in asperis locis habitat. S. Gregor. Naziauz. orat. 20. dæmonem vocat, πονηρον και αγριον συν, pravum et agrestem aprum. Rabies aprorum nota est: nullius enim disciplinæ capaces sunt, semper feri ac feroces: nihil est dæmonis sævitia ferocius.

II. Secundo, aper odit et insectatur candida veste indutos; dæmon indicit bellum innocentiæ, cibus eius electus.

III. Tertio, apri fere sunt coloro nigro, seu spadiceo nigricante: et mirum videtur quod ait Pausanias, sues feros albos se vidisse. Dæmon in stygia fuligine semper nigrescit. Æthiopes ridiculi sunt, qui diabolos dealbant et albis vestibus atque coloribus induunt.

IV. Apri cum cornibus. Quarto, apris in India non desunt cornua. Plin. lib. 8. cap. 52. *In India*, inquit, *apris cubitales dentium flexus ex rostro, totidem e fronte, ceu vituli cornua exeunt.* Lycotas rusticus in Bucolicis Calphurnii ait, se vidisse Romæ, *et niveos lepores, et non sine cornibus apros.* Agatharcides dicit, sues in Æthiopia cornua habere. Cornuti lemures hominem terrent.

V. Quinto, ignis suus non deest apris: unde dentes eorum ανθωνας vocat Appianus: et sicut Gillius in Oppianum annotat, si canes insectantes dente attingat, ignita vestigia relinquit; et si statim a morte setæ avulsæ huic denti apponantur, velut in igne contrahuntur. Dæmon nunquam est sine igne.

VI. Sexto, moles ipsa aprorum exterrere potest. Olaus Magnus memorat in quibusdam Scandinaviæ locis apros reperiri duodecim pedum longitudinis. Cum gigante nobis res est, qui vel ipsa mole possit obruere.

VII. Septimo, ad rem nostram magis est, quod aper inimicus est vitibus, ut ait Theodoretus: et ita illas vastat, ut sæpe eradicet. Unde a viro gravi accepi, quodam in Galliæ pago, in quo fuerat, ita apros infestos esse vindemiis, ut cum maturæ sunt uvæ, cogantur vinitores de nocte sonum ferreis æreisque vasis edere, ut a vineis apros arceant, præsertim cum fieri cœpit vindemia, et odor vini eos magis invitat.

59. Omne peccatum sævus est aper. Præterea, peccatum omne, aper est mentem devastans. Primo quidem detractio, quia aper ante pugnam dentes acuit: atque ut dixi, dens eius quemdam ignem in ira continet. Secundo, luxuria, quia aper ante pugnam luto se tergorat, ut ait Plin. lib. 8. cap. 52. Tertio, superbia, aper cæterorum cœtus ut plurimum vitat: unde a Gallis, ut monui supra, vocatur *sanglier*, quasi *singulier*: quia singularitate et solitudine gaudet. Dryas quædam dixit Diocletiano: Imperator eris, cum aprum occideris: ex eo tempore venationibus deditus apros studiosius insectabatur: sed non est optatis potitus, donec Aprum prætorii præfectum interemit. In peccata est insurgendum, nobis ut imperemus. Aristoteles dicit, in Africa non reperiri apros, idem dicit Plinius de Creta, et Ctesias de India: sed ubique regnat peccatum, et sævit.

Possis intelligere mundum, per prætergredientes viam, qui vindemiant vineam animæ, et eam virtutibus spoliant; 2. dæmonem, per aprum qui fidem ipsam, quæ est radix virtutum, eradicat, si potest; 3. carnem, per singularem ferum, qui corpus et animam curis, tristitiis, et morosis cogitationibus depascitur. Petrus Blesensis de illa agens dicit: *Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris et domesticus inimicus: hic est ignis in gremio, serpens in sinu, hæc est uxor hominis litigiosa, pessima caro nostra.* S. Ioan. Climac. grad. 14. Leonem, ait, mansuetarius permulcendo sæpe cicuravit: qui blanditus est corpori, illud sæpe magis efferat: hæc ipse. Vite itaque vindemiata, eradicata, devorata, nihil restat præter acetum epotandum in tota æternitate, dum corpori in hac vita delicatius indulgetur. S. Antonius de Padua serm. 3. in domin. 3. post pascha: In hoc mundo, inquit, bibunt vinum lætitiæ, sed in alio bibunt acetum gehennæ.

ARTICULUS III.

Dei auxilium pro Ecclesiæ vinea tutanda, postulandum est.

A Vineæ vastatæ contemplatione oculos in cælum erigit Propheta, seu populus Israel, hoc in loco lo- 60.
quens, v. 15. Deus virtutum (Hebr. exercituum. Syr. Vers. 15.
potentissime) CONVERTERE: RESPICE DE CÆLO, ET VIDE. ET VISITA VINEAM ISTAM..

Vers. 16. Et perfice (S. Hier. ex Hebræo vertit, et Vers. 16. 1. Pars.
radicem. Syr. et propaginem. Arab. et plantam. Arias, et vitiarium, id est vitium seminarium, seu locum vitium plantis consitum. Sed cum וכנה *vechanna* possit etiam significare, *et perfice*, a Rad. כון *cun*, id est perficere, firmare et stabilire: iure Sept. verterunt καταρτισαι, id est perfice) EAM, QUAM PLANTAVIT DEXTERA TUA.

Nota, totum sibi Deum deposcit. Primo, eius vultum: Totus Deus postulandus.
Deus virtutum convertere. Deus abierat, et reliquerat vineam suam agricolis, sed desidibus, ut Christus docet Marci 12. Et quidem iratus abierat, ut docet S. Ambros. lib. 10. in Lucam cap. 20. *Peregre*, ait, *profectus est: non quia ex loco ad locum profectus est Dominus, qui ubique semper præsens est, sed quia est præsentior diligentibus, negligentibus abest:* hæc Ambrosius. Necesse est, ut se convertat, vitam daturus. Ps. 84. 7. *Deus tu conversus vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te.*

Secundo, oculos Dei petit: *Respice de cælo, et vide.* Aspectum hunc Dei, velut radium solis vivificum, postulat Ieremias cap. 18. 17. *Vide Domine, quoniam tribulor.* Daniel etiam in captivitate Babylonica dicit, cap. 9. 18. *Deus meus aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram et civitatem, super quam invocatum est nomen tuum. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

Tertio, pedes Dei petit, ut veniat, et calamitatem præsens intueatur: *Et visita vineam istam.* Ab hac visitatione salus nostra pendet. Ps. 105. 4. *Visita nos in salutari tuo*, id est in Christo, *et plebs tua lætabitur in te.* Hoc effectum esse monet S. Zacharias ex muto factus Propheta, Luc. 1. 68. *Visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.* Christus vero increpat Ierusalem, quod non cognoverit tempus visitationis suæ.

Quarto, manum Dei petit: *Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.* R. Moses Hadarsan dicit hoc factum esse in Christi ascensione, cum e limbo eductos patres in

cælum duxit. Sed hic agitur de Christi Incarnatione et Nativitate. Natus est enim Christus ad hoc, ut vineam suam perficeret. Hinc nativitas eius vocatur, a S. Chrysost. μητροπολις των παντων των ἑορτων: *Metropolis omnium festorum*. S. Laur. Iustin. in fasciculo amoris cap. 15. Christum nobis agricolam facit fœcundantem Ecclesiæ agros: *Venit Dei filius*, ait, *tamquam agricola doctissimus, atque verbis, miraculis, et exemplis, in agro præsentis sæculi fidei semina iactavit, ut fructificarent iustitiæ germen*: hæc ipse. *Deus operatur in nobis et velle et perficere*, Philipp. 2. 13.

61. Vers. 16 2. Pars. Hoc efficit Deus per Christum, v. eod. 16. ET, id est SUPER FILIUM HOMINIS QUEM CONFIRMASTI TIBI, supple, eam vineam perfice. Christus enim homo, quem tibi, id est ad gloriam tuam, firmasti et corroborasti, illam perficiet.

Vers. 17 Vers. 17. INCENSA IGNI, ET SUFFOSSA (supple, vinea tua est. Nam in Hebræo et Græco clare hæc sunt generis fœminini, et numeri singularis: non vero numeri pluralis) AB INCREPATIONE (id est, per et propter increpationem) VULTUS TUI PERIBUNT, qui vineam tuam incenderunt et suffoderunt.

Vers. 18. Hinc orat, ut veniat Messias, v. 18. FIAT MANUS TUA SUPER VIRUM DEXTERÆ TUÆ, ET SUPER FILIUM QUEM CONFIRMASTI TIBI.

Vers. 19. Quid facturus sit totus populus, dicit, v. 19. ET (id est, et tunc) NON DISCEDIMUS A TE, VIVIFICABIS NOS, ET NOMEN TUUM INVOCABIMUS.

Vers. 20. Et vers. ultimo salutem sibi perfectam appromittit, per adventum Messiæ: DOMINE DEUS VIRTUTUM CONVERTE NOS, ET OSTENDE FACIEM TUAM, ET SALVI ERIMUS. Ubi adverte, quod ter illam conversionem petiit populus. Primo, v. 4. *Deus converte nos*. Secundo, ardentius petiit, v. 8. *Deus virtutum converte nos*. Tertio denique, vehementissime flagitat, v. 20. *Domine Deus virtutum converte nos*. SS. Trinitas cooperata est mysterio Incarnationis. Pater misit filium, filius carnem assumpsit, Spiritus sanctus eam ex purissimo Virginis sanguine formavit Virginem obumbrans. Ubi tamen adverte, id etiam fecisse Filium et Patrem, quia opera Trinitatis ad extra sunt indivisa: tribui tamen Spiritui sancto, quia incarnatio est opus summæ bonitatis Dei ad nos sanctificandos.

62. Peccatum incendit animam. Tropolog. animam incendit et suffodit peccatum. S. Aug. in Psal. nostr. *Omnia peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas et timor. Quid fecerat amor malus? tamquam ignem succenderat. Quid fecerat timor malus? tamquam effoderat. Amor quippe inflammat, timor humiliat: ideo peccata mali amoris igne succensa sunt, peccata mali timoris effossa sunt*: hæc Augustinus. Uritur anima impii. Michææ 6. 10. *Ignis in domo impii, thesauri iniquitatis*. Iob. 31. 12. de adulterio dicit: *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina*. Ps. 57. 9. *Supercecidit ignis, et non viderunt solem*. Vide illum locum. Trismegistus ait: Qualis ignis tantam flammam habet, quantam impietas? Adverte porro *incensa. et suffossa*, a nonnullis accipi metonymice pro incensoribus et suffossoribus. Hinc Arabs vertit: Ut perdas eos, qui eam vineam combusserunt, in furore tuo. In Psalterio Maronitarum habetur: Combusserunt igne ramos eius, et ab increpatione vultus tui peribunt. Glossa hic incensores interpretatur dæmones ignem suum portantes: ita enim incendunt, ut et ipsi incendantur. Peccatores etiam seipsos incendunt et consumunt, ideo in cineres resoluti pereunt. Secundo, Bellarm. *incensa et suffossa* sumit pro incensione et suffossione, quæ per Christum pereunt: adveniente enim Salvatore Ecclesia Dei non patebit amplius hostium ignibus aut furori, sed quæ erant eversa et perdita, reparabuntur. Qui virtutem sequuntur in hoc mundo sunt, velut in monte flammivomo, et non ardent ignibus mundi. Ælian. lib. 13. variæ historiæ, ait, non procul ab Apolloniatarum urbe sita in Ionio sinu, collem esse ardentem, circa quem pulcherrima sunt arbusta, multaque loca viridantia, quæ nihil ab incendio vicino læduntur; neque quod ad germina, neque quod ad plantarum viriditatem attinet: ignis vero, noctes diesque perseverat: neque desiit unquam, ut dicunt Apolloniatæ, ante bellum quod cum Illyriis gesserunt. In ipso monte Ætna sunt flores suaveolentissimi. Cnidias ibi dicit fuisse quamdam regionem, quæ regio iustorum hominum diceretur, et nunquam læderetur ab illis incendiis. Plin. lib. 17. cap. 25 ait, olivam in totum ambustam revixisse, quod si ardere vis, arde igne Spiritus sancti, quem in has terras misit Christus: ait enim Luc. 12. 29. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Ille ignis solas spinas exurit, et agros fœcundat. S. Chrysolog. serm. 154. Ignem, ait, veni mittere in terram. Quid est? Ager quoties longa incuria silvescit, et toto luxuriæ agrestis sordescit horrore, peritissimi cultoris ubique semper aperitur et purgatur incendio: ac studio benigno cultoris ignis apponitur, ut exustis sentibus reveletur prima facies campi: ita Chrysologus. Ignis vero mundi omnia fœdat, et Nazaræos ipsos nive candidiores in nigros carbones et fuliginem mutat, ipsisque radiis solaribus micantes viros, quod symbolice figurari possit re notabili, quæ refertur in Actis Ss. Faustini et Iovitæ, ubi hæc leguntur: Iovita conversus ad statuam solis, dixit: Nos adoremus Deum, qui regnat in cælis, qui solem lucere constituit; tu autem cum sis statua in aspectu tanti solis *transfigurare in effigiem picis*, ad confusionem eorum, qui te, ut Deum, adorant. Cumque hæc dixisset, *illico facta est statua, ut fuligo in conspectu populi. Radii qui in capite eius erant, tamquam carbones mortui, decidebant in terram*.

Secundo nota, Christus dicitur vir dexteræ. Primo, quia sedet ad dexteram Patris: qua de re dixi Psal. 109. 1. Secundo, quia Pater per eum omnia operatur: omnia enim facit in sapientia, cum sapientia, et per sapientiam, quæ est eius Verbum æternum et increatum. Vide Ps. 103. 24. Ideo etiam vocatur manus et brachium Patris. S. Aug. tract. 53. in Ioan. Homo, inquit, alterum hominem, per quem solet agere, quidquid agit, brachium suum appellat: et si ei auferatur, dolens dicit: Brachium meum perdidi: hæc ipse. Sic de Valentiniano Imperatore tertio, qui Ætium ducem præstantissimum occiderat, dictum est, quod sibi dexteram altera manu præcidisset. Hoc ipsi Imperatori dixit quidam Romanus. 63. Christus est vir dexteræ.

Christus est verus Beniamin, id est vir dexteræ, de quo recte usurpetur illud Deuteron. 33. 12. *Amantissimus Domini Beniamin, habitabit confidenter in eo*. Rabbini ipsi dicunt Christum esse manum Dei. Galatinus lib. 3. de arcanis fidei Christianæ, cap. 2. citat R. Ionatham. Quod *manus Dei*, Verbum dicatur, ex eo potissimum patet, quod apud Isaiam cap. 48. sic legitur: *Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea palmo mensuravit cælos*. Hoc enim Ionathas ita in Targhum exponit: Verbo quoque meo fundavi terram, et in virtute mea, vel fortitudine mea mensuravi terram: hæc ipse. Alius quoque locus est apud eumdem Isaiam cap. 45. *Ego feci terram, et Adam super eam creavi, manus meæ extenderunt cælos, et omni exercitui eorum præcepi*. Quem locum sic reddit idem Ionathas in Targhum, id est in Chaldaica paraphrasi: Ego Verbo meo feci terram, et homines super eam creavi: ego in fortitudine mea extendi cælos, et omnes virtutes eorum confirmavi. Tertio, Christus etiam ut homo est manus Dei patris, quia dedit illi potestatem omnem in cælo et in terra, eum Regem constituens hominum et angelorum, velut impositione manus in eum suam omnem transfundens potestatem. Figuratus est Christus in Iosue, seu Iesu, filio Nave seu Nun, quem Moses iubetur constituere ducem et principem totius populi Dei, manu illi imposita, Num. 27. 18. Quantæ autem fuerit efficaciæ illa manuum impositio, declaratur Deut. 34. 9. *Iosue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moses posuit super eum manus suas*. Hinc sacerdotibus atque Episcopis in eorum ordinatione manus imponuntur S. Dionys. de Eccl. Hierarchia cap. 3. rationem affert: Manus, ait impositio docet, eos qui sacris ordinibus manci- Manuum impositio in electione ducis et sacerdotis.

pantur, *sacras omnes actiones quasi sub Deo efficere*, utpote quem habeant operationum suarum in omnibus ducem atque rectorem: hæc Dionysius. S. Timotheo Episc. Ephesi manus fuisse impositas cum ordinaretur, docet S. Paulus 1. ad ipsum data epist. 4. 14. quem locum vide illustratum a Cornelio nostro. Manus est symbolum potestatis et operationis: unde, ut ait S. Ambros. in obitu Valentiniani Imp. *Bonus operarius, manus Christi est.* Est instrumentum ipsi coniunctum. Si te infirmum sentis, ad eum accede, tibi manum suam commodabit, eaque roboratus nihil non efficies. *Zelislaus ducis pariter atque militis officio functus contra Moravos, dexteram amisit. Eum Boleslaus III. Polonorum rex collaudatum pro meritis et virtute, aurea manu donavit.* Qui pro Christo perdiderit dexteram suam, imo et animam, inveniet eam, et millies ea meliorem, ac totam auream, cælestem, et divinam. S. Basilius in cap. 16. Isaiæ docet, nos non posse uniri ipsi Iazer, qui interpretatur fortitudo, sive robur, nisi vineam Sabama conculcemus.

64. Christus est via regia. Tertio nota, Christus est via, a qua non est discedendum, sed victis hostibus cantandum. Primo, ipse Christus dicit Ioan. 14. 6. *Ego sum via.* Illa est regia via, ad quam omnes confluunt, quæ ducunt ad cælestem Ierusalem. Theoderet. in cap. 6. Ieremiæ: Quemadmodum, ait, una est via, quæ ducit ad maximas Urbes, quam regiam appellare solemus: ad hanc porro semitæ quædam a pagis et agris defluentes dirigunt: sic una est via, quæ ducit ad Patrem: nempe Unigenitus filius Dei: et beati Prophetæ, veluti semitæ quædam, ducunt ad hanc eos, quibus per has ire libuerit. Quare propheticus sermo præcepit Iudæis scrutari vias propheticas, et per eas discere viam bonam, et in ea ambulare: sed more suo contradicunt, nec faciunt quod iussum est: hæc Theodoretus. Secundo, ab ea via non est recedendum. S. Augustin. in Psal. 125. Ideo redemit nos, inquit, ut non audeat hostis insidiari nobis, si de via non recesserimus. Ipse enim Christus factus est via. Vis non pati latrones? ait tibi. Viam tibi stravi ad patriam. Noli de via recedere: tuam viam munivi, ut latro ad te non audeat accedere: hæc Ipse. Consalvus Mederius Soc. Iesu compluribus annis senas quotidie præter Sacerdotale pensum precationi meditationique horas impendit, ternas a cœnula ante quietem, totidem post degustatam quietem ante diluculum, ut ait Nicol. Orlandinus lib. 12. hist. Soc. Iesu. num. 66. Poterat ille dicere: Et non discedimus a te. Qui ab ea via recedit, aberrat. Muthadi Saraconus hoc symbolum sigilli sui esse voluit: *Qui transgreditur æquum, errat eius gressus.* Tertio, in ea via robur datur et vita: *Et vivificabis nos.* Christus dixit, Ioan. 14. 6. *Ego sum via, veritas et vita.* Vir fortis ad omnia pericula est interritus. Seneca epist. 59. Ad omnem incursum, ait, sapiens munitus, et interritus: non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem refert territus: it contra illa: hæc Seneca. Quarto denique, in ea via laudes Dei concinendæ sunt, et auxilium implorandum: *Et invocabimus nomen tuum*, id est nomen Iesu, hoc est Salvatoris. Origenes hom. 3. In Isaiam illud expendens: *Tantummodo invocetur nomen tuum super nos*, sic ait: *Quod est nomen sapientiæ? Iesus, quid est, invocetur nomen tuum super nos? Ego sum sapientia, volo tuo nomine vocari, ut ego sapientia dicar Iesus: ut intellectus, et consilium magnum, et fortitudo, et scientia, et pietas, et amor Dei nominetur Iesus, ut omnia in omnibus nomen tuum fiat. Nomen tuum invocetur super nos, aufer opprobrium nostrum: revera opprobrium abstulit Iesus.* S. Bernardin. Senensis, Ord. S. Francisci, qui floruit circa ann. 1438. eruditione atque miraculis spectatissimus, magnas illius nominis laudes paucis perstringit tom. 2. serm. 49. *Hoc est nomen, inquit, quod dedit cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, sermonem mutis: proinde si qua infirmitas tibi, vel tuis occurrat, non spreto remedio corporali, aut naturali, recurre ad invocationem nominis Iesu:* ita ille. Hoc igitur sanctissimum nomen, in via cæli, semper in ore et corde habeamus, vires nobis addet, alacritatem infundet, hostes terrebit atque effugabit, Iesum accerset in comitem, Ducem, et remuneratorem. Turcis in more est, ut circa eorum templum erigatur turris, in qua sacerdos stans eo tempore quo in templum veniendum est, digitis in aures insertis contentissima voce ter hæc verba inclamat, *Allach hechber*, id est, *Deus unus verus.* Quo audito clamore ad orationem plerique accurrunt. Ex magna Dei æstimatione oritur, ut illius unius nomen invocemus. Hoc præsertim faciendum est in Christi nativitate, de qua est Psalmus, cum pastoribus veniendum est festinanter, ut nos illi et nostra offeramus, et cum ad opem præstandam invocemus, velut Imperatorem nostrum et regem S. Bonaventura in illud Psal. 8. *Gloria, et honore coronasti eum*, ait: In Romana civitate tres solemnitates antiquitus celebrabantur: 1. scilicet, Imperatoris dies nativitatis; 2. et natale Imperii, quando scilicet primo coronabatur Imperator; 3. et natale civitatis, id est dies, quo muris munita est civitas. Sic in Ecclesia celebramus natale Imperatoris, scilicet nativitatem Christi de Virgine: hactenus Bonaventura. Hunc diem Christi natalem nobis vitæ novæ initium faciamus, et tota vita laudes Iesu Principis nostri nobis nati, nobis dati, celebremus.

PSALMUS OCTOGESIMUS.

1. In finem, pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.

2. Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob.
3. Sumite psalmum, et date tympanum: psalterium iucundum cum cithara.
4. Buccinate in neomenia tuba: in insigni die solemnitatis vestræ.
5. Quia præceptum in Israel est, et iudicium Deo Iacob.
6. Testimonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti: linguam, quam non noverat, audivit.
7. Divertit ab oneribus dorsum eius: manus eius in cophino servierunt.
8. In tribulatione invocasti me, et liberavi te: exaudivi te in abscondito tempestatis: probavi te apud aquam contradictionis.
9. Audi populus meus, et contestabor te; Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.
10. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, et implebo illud.
11. Et non audivit populus meus vocem meam: et Israel non intendit mihi.
12. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis.
13. Si populus meus audisset me: Israel si in viis meis ambulasset:
14. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: et super tribulantes eos misissem manum meam.
15. Inimici Domini mentiti sunt ei: et erit tempus eorum in sæcula.
16. Et cibavit eos ex adipe frumenti: et de petra, melle saturavit eos.

PSALMI OCTOGESIMI ANALYSIS.

- Propheta noster Neomeniam Septembris celebraturus monet populum Israeliticum,
  - Ut Dei laudes cum gaudio canat,
    - Cuius modum assignat
      - Toto corpore subsultando. 2.
      - Sono inarticulato iubilando. 2.
      - Voce articulata Psalmos canendo. 3.
      - Instrumentis musicis personando. 3.
        - Tympano. 3.
        - Psalterio. 3.
        - Cithara. 3.
        - Tuba. 4.
    - Tempus,
      - Neomeniam Septembris. 4.
      - Apud Iudæos celebrem. 4.
    - Causas,
      - Præceptum Dei
        - Hoc festum populo suo imperantis. 5.
        - Et illud non servantes iudicaturi. 5.
      - Gratitudinem hominum,
        - Ob exitum ab Ægypto. 6.
        - Donationem legis in Sinai. 6.
        - Liberationem ab oneribus servilibus. 7.
        - Et a confectione laterum. 7.
  - Eiusque cultum amplectatur 8.
    - Ob præterita beneficia:
      - Liberationis de tribulatione Ægyptiaca. 8.
      - Deductionis in mari rubro. 8.
      - Donationis aquæ in deserto. 8.
    - Præsentem admonitionem Dei,
      - Attentionem ad dicenda postulantis. 9.
      - Ab idolorum cultu avertentis. 9.
        - Recentium. 9.
        - Alienorum. 9.
      - Ad suum cultum incitantis, 10. qui
        - Est maiestate Dominus. 10.
        - Bonitate Deus. 10.
        - Charitate, illi populo proprius. 10.
        - Potestate, liberator ab Ægypto. 10.
        - Liberalitate, ad dandum paratus. 10.
    - Futurum periculum,
      - Ob duces malos, cum
        - Deum nec audiat, nec aspiciat. 11.
        - Sed affectus suos et consilia sequatur. 12.
      - Hostes potentes,
        - Quos humiliare Deus cupit. 13. 14.
        - Et atterere, si ei obediret. 13. 14.
      - Præcipitia maxima,
        - In quæ cadit, a Deo aberrans. 15.
        - Et a quibus non emergit. 15.
      - Neglecta data viæ præsidia,
        - Cibum suavissimum. 16.
        - Et potum. 16.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.

1. Argumentum Psalmi. **P**ROPHETA noster omnes hortatur, ut cum summa mentis exultatione primum diem mensis septimi celebrent, in quo agebatur festum tubarum, ut dicetur v. 4. Deum etiam inducit loquentem, et commemoratione beneficiorum collatorum omnes ad sui cultum incitantem.

Quid sit *pro torcularibus,* dixi fuse Ps. 8. qui habet etiam has voces in titulo. Theophylactus eo titulo commotus dicit in cap. 7. Ioannis, hunc Ps. inscribi pro torcularibus, quod in eo gratiæ agantur Deo pro collectione uvarum et aliorum fructuum, quæ fit mense Septembri. S. Aug. id negat, quod hic non fiat mentio collectionis uvarum aut aliorum fructuum. Bellarminus etiam dicit hoc non esse probabile. Fateor non hic agi tantum de gratiis agendis pro vindemia, sed cum in Psalmo præcedenti egerit de vineæ reparatione, et hic faciat mentionem festi tubarum, quod fiebat initio mensis Septembris, videtur hic Psalmus cantatus fuisse occasione alicuius copiosæ vindemiæ, sed ad maiora Dei beneficia commemoranda assurgere.

Tropolog. S. Aug. in torcularibus, ait, animadvertimus quædam tria, pressuram, et de pressura quædam duo, unum recondendum, alterum proiiciendum. Fit ergo in torculari conculcatio, tribulatio, pondus, et in his oleum eliquatur occulte in gemellarium, amurca publice per plateas currit. Hæc Augustinus, qui nonnullis interiectis addit: *Pressuræ abundant, tu oleum esto. Nigra tenebris ignorantiæ amurca insultet, et illa tamquam per plateas projecta publice insultet. tu apud te in corde tuo, ubi qui videt in abscondito, reddet tibi, liquare in gemellarium. Oliva in arbore quibusdam quidem tempestatibus agitatur, non tamen pressuris torcularis atteritur: ideo utrumque simul pendet ex arbore. et quod proiiciendum est, et quod recondendum est. At ubi ad torcular et pressuras ventum fuerit, utrumque discernitur, dirimitur, et aliud appetitur, aliud respuitur.* 2. Tropol.

Secundo, et melius, de torcularibus vini agi arbitror, et de vino divini amoris, quod excitat animam ad exultandum Deo, et iubilandum Christo.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Duo admonet. Primo, in Neomenia Septembris Deum cum lætitia laudandum esse, vers. 2. Secundo, causa assignatur, cur id sit faciendum, vers. 8.

SECTIO PRIMA.

Duo continet. Primo, Dei laudes esse concinendas, v. 2. Secundo, causa assignatur, cur hoc sit faciendum, v. 5.

PARAPHRASIS.

2. *Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob.*

2. Frugibus iam in horrea collectis, vinoque in cellaria condito, tam beneficum largitorem Deum et in omni re opem præstantem, laudibus exultantes celebrate: contentaque voce lætitiam illi vestram, ut Deo a patribus nostris culto, indicate.

3. *Sumite psalmum, et date tympanum: psalterium iucundum cum cithara.*	3. Psalmos a me in eius honorem conscriptos conciuite, vocique tympanum, psalterium et citharam adiungite, maioris ut gaudii indicia omnibus innotescant.
4. *Buccinate in Neomenia tuba: in insigni die solemnitatis vestræ.*	4. Tubam in manus sumite, eaque lætos sonos in hoc mensis septimi novilunio, vobis præ cæteris celebri, edite.
5. *Quia præceptum in Israel est: et iudicium Deo Iacob.*	5. Hoc enim Deus populo suo Israelitico faciendum esse imperavit: eamque legem suam iustissimam servari voluit.
6. *Testimonium in Ioseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat audivit.*	6. Id autem præcepti posuit Iosephi posteris, et Israelitis omnibus, in testimonium accepti a Deo beneficii liberationis ab Ægypto, aliorumque plurimorum. Quando ad montem Sina audiverunt Deum cum clangore tubæ mandata statuentem, cum antea illum loquentem non audivissent.
7. *Divertit ab oneribus dorsum eius: manus eius in cophino servierunt.*	7. Cum iam a necessitate portandorum onerum, et laterum in cophinis faciendorum, eos maximis patratis miraculis liberasset.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM STUDIOSE ET ALACRITER DIEBUS FESTIS LAUDES DEI CELEBRANDÆ SUNT.

3. Ordo Sectionis. In Neomenia, seu novilunio mensis Septembris festum solemne celebraturus propheta, Primo, admonet universum populum, ut Deo se sistat cum gaudio, omnique modo illud testetur. Primo, totius corporis gestu et motu, v. 2. *Exultate Deo adiutori nostro.* Secundo, voce inarticulata præ vehementi lætitia inclamando: *Iubilate Deo Iacob.* Tertio, voce articulata Psalmos concinendo, v. 3. *Sumite Psalmum.* Quarto, musicis instrumentis personando: *Et date tympanum, psalterium iucundum cum cithara.*

Secundo, tempus illius exultationis et cantus declaratur, v. 4. *Buccinate in Neomenia tuba: in insigni die solemnitatis vestræ.*

Tertio, causa affertur duplex illius exultationis in Neomenia: Primo, preceptum Dei iustissimum, v. 5. *Quia præceptum in Israel est, et iudicium Deo Iacob.* Secundo, beneficia accepta, quæ postulant hoc grati animi testimonium, v. 6. *Testimonium in Ioseph posuit illud.* Nam 1. Deus populum illum ab Ægypto eduxit: *Cum exiret de terra Ægypti;* 2. legem illi dedit: *Linguam, quam non noverat, audivit;* 3. a gravissima servitute liberavit, v. 7. *Divertit ab oneribus dorsum eius, manus eius in cophino servierunt.*

ARTICULUS I.

In uno Deo lætandum est.

4. Vers. 2. David divini amoris musto exæstuans, et populum collectis frugibus et facta vindemia, in templo alacrem cernens, exclamat, v. 2. EXULTATE (Hebr. clamate fortiter) DEO ADIUTORI NOSTRO, IUBILATE DEO IACOB.

Vers. 3. Vers. 3. SUMITE PSALMUM, ET DATE TYMPANUM, PSALTERIUM IUCUNDUM CUM CITHARA.

Nota primo, exultandum est, *Exultate.* Lætitiam autem David ponit statim in Psalmi initio, veluti pulcherrimum sanæ mentis et Deo plenæ vestibulum. Græci allos salutant χαιρε, id est, *gaude:* sic Ægeus apud Euripidem in Medea, v. 663. ait: Μηδεια χαιρε: *Medea gaude: hoc enim proœmio nullum præstantius ullus novit ad apprecandum amicis.* In epistolis quoque suis illud initium ponebant.

Deus vult servos suos esse lætos ob quatuor rationes: Ratio a priori, cur Deus lætos velit esse servos suos, est Primo, quia lætitia spiritus vitales calefacit et vivificat, cor dilatat, mentem serenat et illuminat. Lætitia enim est sol mentis. Hinc illud Isa. 60. 20. *Non occidet ultra sol tuus.* Oleaster explicat, q. d. *Non amittes lætitiam* 1. *tuam.* Contra vero, tristitia in cerebrum mittit vapores crassos et fuliginosos, qui noctem Ægyptiaca et Cymme-
2. ria funestiorem et diriorem inducant. Secundo, honor est domini, ut servi eius læti sint: signum enim est, quod eum amant, et libenter illi serviunt. Ambrosius lib. symbol. amorem pingit in horti amœnissimi ostio, hac adiecta epigraphe superliminari portæ: *Amoris ostium, non ho-* A *stium.* Deus amœna lætaque suis ostentat, atque ab horto Eden, ac virtutis mœrorem abesse vult ac trepidationem. Hominem autem ab ipso mundi exordio constituit in horto Eden, id est voluptatis, ut naturæ consonam esse lætitiam declararet: tristitiam vero contra naturam esse. Philo lib. de plantatione Noe, p. 171. Credendum est, inquit, benignissimum Deum, καταπερ παραδεισον αρετων, *tamquam paradisum virtutum* et actionum, quæ ex harum præscripto fiunt, plantare, qui ad eius perfectam felicitatem conducat: ideo locum convenientissimum assignavit paradiso, nominatum Eden, quod interpretatur deliciæ, qui significat, animam recte cernentem, αρεταις εγχορευουσης, *choreas agentem cum virtutibus*, exultantem præ nimio gaudio, unam delectationem innumeris hominum voluptatibus præferentem, quales solus consectatur sapiens. Ter- 3.
tio, lætitiam amat Deus in servis suis, quia læti perseverant cum eo, tristes alio discedunt, sicut Cain, cuius faciès conciderat præ mœrore, ideo exivit a facie Dei. Philo lib. 2. Allegor. legis, pag. 84. *Exivit Cain a facie Dei, et habitavit in terra Naid contra Eden. Interpretatur au-* B *tem Naid commotio: Eden deliciæ: illud, malitiæ concutientis animam signum: hoc, virtutis privationem affectuum afferentis et delicias, non illum pruritum voluptatis, affectionis brutissimæ: sed magna cum facilitate gaudium tranquillum et expers laborum. Necesse est autem, ut ab imaginatione Dei digressa cogitatio, cui bonum commodumque erat fulciri,* νεως αυτικα θαλαττευουσης τροπων, *more navis in salo iactatæ, ventis inter se conflictantibus, ultro citroque feratur, patriam domumque nacta agitationem: quod quidem maxime pugnat cum firmitate animæ, quam conciliat gaudium, Eden nominatum:* hæc Philo. Trismegistus cap. 6. ait, λυπην ειναι κακιας μερος, mœro-
rem esse malitiæ partem. Quarto denique, lætitiam amat 4.
in servis suis; quia, iam cives cæli esse incipiunt, qui lætantur. In cælo enim est perpetua lætitia, quam ut assequamur, alacriter est Dei causa omnibus mundi vanitatibus renuntiandum. Thalassius centuria 3. numer. 98. Rumpe, inquit, vincula affectionum nos detinentium, qui C rupisti phalanges immundorum dæmonum, ut cum ex mortuis surrexerimus, cum angelis beatam, et æternam, et ακαταλυτον χορειαν, indissolubilem choream agitemus.

Secundo, in Deo lætandum est, non in creaturis: *Exul-* 5. In Deo non in creaturis, lætandum est.
tate Deo. Exultate, id est, sæpe et alacriter saltate. Suas enim choreas habet virtus, quarum centrum est Deus, circa quem, et propter quem, iusti viri varios cursus flexusque instituunt. Ps. 18. 9. *Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.* Nec lætitia tantum petitur, sed exultatio. Ps. 31. 12. *Lætamini in Domino, et exultate iusti.* Saltans, a terra se removet, et ad cælum se extollit, ut saliat in vitam æternam. Richardus in Psal. 113. *Corporalis,* ait, *saltus est, totum corpus a terra suspendere. Spiritalis saltus, spiritum, et totum quod spiritus est, a terrenis alienare. Corporalis saltus est, terræ tactum usquequaque deserere, et totius corporis membra per inane librare. Spiritalis saltus est, mente excedere, et infirmis in imo relictis in invisibilem contemplationem totum transire.* Primi Christiani

in fine orationum elevabant unum pedem a terra, ut alias retuli ex Clemente Alexandrino.

1. Quia Deus est omne bonum.

Ratio a priori, cur in Deo lætandum sit, non in creaturis, petitur a Dei perfectissima natura et a vilitate creaturæ. Primo enim, in Deo tanta est iucunditas, ut nihil ei possit comparari. S. Bern. epist. 114. *Verum*, inquit, *et solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur: et quod cum possederis, nemo tollet a te. Cui comparata omnis aliunde iucunditas, mœror est: omnis suavitas, dolor est: omne dulce, amarum: omne decorum, fœtidum: omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum.* Philo lib. de sacrificiis Abelis et Caini ait, virtute præditos ad convivium invitari, in quo non venter expletur voluptatibus incrassantibus, sed in quo mens pasta, et συγχορεύουσα ἀρεταῖς, *choreas agens cum virtutibus*, gaudens libensque hilaritate perfruitur. Muetadirus Saracenus sciebat, nihil Deo posse comparari, hinc sigillo suo insculpi curavit: *Laus Deo, cui nulla res est similis, quique creator rerum omnium est;* ut habetur

6.
in historia Saracenica, lib. 2. cap. 19. Secundo, non est lætandum in creaturis, quia cum sint defectibiles, omnis delectatio, quæ ex illis petitur est: 1. Vana et deficiens. Ps. 118. 96. *Omnis consummationis vidi finem.* In Hebr. pro *consummationis*, est תכלה *thicla*, quod oblectationem et defectionem significat. Arabs vertit, vidi omnis perfectionis consummationem. Quod enim in oculis hominum videtur absolutissimum, cito evanescit. 2. Delectatio ex creaturis proveniens est turpis. Dicebat prodigi frater, iratus patri suo, Luc. 15. 29. *Nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer.* Sciebat sapiens pater hircinas voluptates non decere hominem ingenuum, neque voluptatis nomen mereri. 3. Delectatio ex creaturis proveniens est abiecta, et parum sapienter quæsita, cum a Deo ad alia transeat. S. Hieron. epist. 146. expendens id quod mox dixi de eo qui conquerebatur, quod nihil sibi datum esset, quod cum amicis sumeret, sic loquitur: *Erras Israel*, ait, *dic potius, ut tecum epularer: aut potest tibi aliqua esse iucunditas, nisi patre tecum celebrante convivium? Saltem exemplo docere præsente. Reverso filio iuniore et pater lætatur, et filii.* 4. Et delectatio ex creaturis proveniens est ferina. Seneca ep. 59. Gaudium non nascitur, nisi ex virtutum conscientia: non potest gaudere nisi fortis, nisi iustus, nisi temperans. Quid ergo, inquis, stulti, ac mali, non gaudent? non magis quam prædam nacti leones: hæc Seneca. 5. Delectatio ex creaturis proveniens est serpentina et venenata. S. August. lib. de salutarib. documentis, cap. 11. *Hæc gaudia*, inquit, *velut venena diaboli, repudiare debemus.* 6. Delectatio præsertim in lascivis exultationibus et choreis, est diaboli. S. Chrysost. homil. 56. in Gen. choreas illas vocat diabolicas. Atque hom. 49. in Matth. Ubi lascivus saltus, ait, ibi diabolus certe adest. De his possis usurpare illud Isaiæ 13. 21. *Pilosi saltabunt ibi, et respondebunt ibi ululæ in ædibus eius, et sirenes in delubris voluptatis.* Pilosi, id est fauni et satyri, hoc est dæmones, ut est in Chald. sic apparentes hirsuti in sylvis.

2. Quia delectatio ex creaturis est: 1. vana et deficiens. 2. turpis. 3. vilis et abiecta. 4. bestialis 5. serpentina. 6. diabolica.

7.
Secunda ratio, cur in Deo lætandum sit, petitur ab auxilio continuo, quod nobis præstat: *Exultate Deo adiutori nostro.* Hebr. fortitudini nostræ. Syr. corroboratori nostro. Deo freti nihil timeamus. Carolus Cardinalis Guysius, ut omnia sua accepta ferret Henrico II. Galliæ regi, altam pinxit pyramidem, cui innexa hedera virebat, et in altum sese erigebat, cum hoc lemmate: *Te stante virebo:* ut ait Typotius in Symbolis. Invidiam scilicet aulicorum irridebat, dum faventem sibi haberet regem. Deus ad nos delectandos continuo operatur in creaturis, et totum hoc universum ita exornat et adaptat, ut suavissima inde exurgat symphonia. S. Aug. Si homo, ait, carminis artifex novit, quas, quibus moras vocibus tribuat, ut illud quod canitur succedentibus ac decedentibus sonis pulcherrime currat ac transeat: quanto magis Deus nulla in naturis nascentibus et occidentibus temporum spatia, quæ tamquam syllabæ ac verba ad particulas huius sæculi pertinent, in hoc labentium rerum, *quasi mirabili cantico*, vel brevius, vel productius, quam modulatio præcognita et præfinita deposcit, præterire permittit: hæc ipse. Deus canticum efficit, res omnes ad bonum nostrum ordinando, nos quoque canticum exhibeamus, in eius honorem omnia referendo, eiusque laudes celebrando. Sic enim adiutor erit fortior, et mira præstabit. Notabile est quod Chronologus septem ætatum refert de Roberto orante, et muros hostium orationibus deiiciente. Robertus, inquit, rex Franciæ agnoscitur, qui tam devotus fuit in Deum, ut cum monachis officium cantaret, cappam indutus. Hic cum obsideret castellum, festo B. Damiani ivit ad officium monachorum, et eo flexis genibus cantante, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, etc. muri castelli corruerunt. S. Hier. in Psal. nostr. reddit, *Laudate Deum fortitudinem vestram.* Idem expertus est Iosue laudans Deum, et cum arca circuiens urbem Iericho, eius enim muri corruerunt populo contenta voce laudes Dei inclamante. Verti hic posset: *Clamate fortiter Deo adiutori nostro.* Clamor fortis denotat amorem vehementem.

In Deo lætandum, quia nos iuvat.

Roberto rege orante muri urbium cadunt.

Tertia ratio, cur lætandum sit in Deo, petitur a peculiari amore, quo servos suos prosequitur, quorum se Deum, id est, tutorem, protectorem, promotorem et parentem dicit: *Iubilate Deo Iacob.* id est, quem specialiter coluit Iacob, pater omnium Iudæorum; 2. qui peculiari studio custodivit et benedixit Iacob et eius posteros, qui etiam nomine Iacob sæpe intelliguntur. 8.

Et nos amat.

Iubilus porro, est lætitiæ vox inarticulata. Unde hoc loco S. August. Quod, ait, potueritis explicare, clamate: quod non potestis, iubilate. Iubilatio denotat vehementem amorem et delectationem quæ mentem extra se rapiet, et cognitionem obiecti summe amabilis, cuius pulchritudinem verbis se posse exprimere anima desperet.

Cui Deo iubilandum est: simus campana in Dei templo, et habeamus malleum aureum, id est charitatem, quæ sono licet incondito omnes ad Dei cultum invitet. Anastasius in Leone IV. Fecit, inquit, ipsam campanile, et posuit campanam cum malleo aureo: hæc ipse. Totum caput et corpus sint campanæ aureæ, lingua erit malleus aureus.

Si velimus iubilum esse iucundum, iubilemus Deo Iacob, id est, vitiorum domitori: ne sit raucedo in lingua, et impuritas in anima. Ut enim docet S. Petr. Damiani lib. 2. epist. 5. Reproba cuiuslibet anima fit confusio tartari: et sancta, munda, atque perfecta, species paradisi.

Tertio, Deus vult ut psalmis in eo lætemur: *Sumite psalmos.* S. Cæsarius Arelat. In Ecclesia, inquit, aut orate, aut psallite: ut orando, peccatorum veniam accipere, et psallendo ad spiritualem possitis lætitiam pervenire. Cassiodor. prologo in psalterium: Psalmi sunt, ait, qui nobis gratas faciunt esse vigilias. Cantus, qui aures oblectat, et animas instruit, fit vox una psallentium: et cum angelis Dei, quos audire non possumus, laudum verba miscemus: ita ipse. Tropol. per psalmos Ugo intelligit prædicationis officium. S. August. doctrinam spiritualem. S. Thomas per psalmum sæpe intelligit bona opera. 9.

Psallendum est in honorem Dei.

Quarto, instrumentis musicis laudandus est Deus: *Date tympanum, psalterium iucundum cum cithara.* Theologi antiqui, qui philosophi sunt vetustissimi, instrumenta musica deorum signis in manus dederunt: quod crederent, cæterorum nullum officium perinde atque harmoniam, et concentum diis convenire, ut ait Plutarch. commentario de animæ genitura. 10.

Instrumentis musicis est cantandum.

Tria hic speciatim ponit instrumenta musica: nempe tympanum, psalterium et citharam.

Primo, tympanum est carnis mortificatio, quæ percussione Deum laudat. Ps. 150. 4. *Laudate Dominum in tympano et choro.* S. Petr. Damian. opusc. 45. cap. 4. illud considerans ait: Corium non sonat, nisi siccum relinquens humor abscedat. Si ergo vis, ut tympanum vel chorda tua clarum in auditorum cordibus sonum reddat, omnis a te vitæ carnalis humor evanescat: mens tua ab omni fluxu luxuriæ arescat. S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 361. Origen. homil. 6. in Exod. et alii per tympanum eamdem 1.

Tympano, id est mortificatione carnis.

*

mortificationem explicant. Ugo sigillatim multa pereen-set. Perit, ait, tympanum nimia extensione. Rom. 12. 1. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, rationabile obsequium vestrum.* 2. Tendi tamen debet, non laxari. Eccli. 33. 26. *Laxa manus illi, et quærit libertatem.* 3. Cavum sit oportet. 1. Cor. 13. 11. *Evacuavi quæ erant parvuli:* vide cætera. Tigres sonitu tympanorum in rabiem aguntur, et laniant seipsas, ait Plutarch. In præceptis connubialibus.

II. Psalterio, id est oratione. Secundo, adhibendum est psalterium. Ugo per psalterium sumit orationem pro offensis et transgressionibus decalogi, quod psalterium sit decem chordarum. 2. Psalterium est delectatio, quæ in virtutum exercitio sentitur, et in perceptione donorum cælestium. Ut enim ait S. Hieron. Psalterium est genus organi musici, melius sonans, quam cithara, similitudinem habet citharæ, sed non est cithara. Inter psalterium et citharam hoc interest, quod cithara deorsum percutitur: psalterium vero sursum: quod verbo vulgari polyphthongum dicitur: hæc ipse. S. Gregor. Nyss. orat. de mortuis: Animi, ait, deliciæ non sunt graves, nec fruentium desiderio ullam unquam afferunt satietatem. Philo libro, quod deterius potiori insidiari soleat: In solis, ait, animæ bonis pura et minime adulterina invenitur lætitia: in seipso utique gaudet omnis sapiens, non in his, quæ circa se habet. Euthymius præfat. in Psalmos: Sapientia, inquit, nihil aliud est quam harmonia quædam dictorum et factorum.

III. Cithara, id est contemplatione. Tertio, citharæ sonus placet Deo. S. Chrysost. in Ps. 41. Sicut, ait, qui mimos et saltatores, et mulieres meretrices introducunt in convivio, dæmones et diabolum illuc vocant: *Ita qui vocant David cum cithara, Christum per ipsum vocant.* Ugo Card. per citharam intelligit contemplationem cælestium: quia, ut ait, cithara habet tria ligna, hoc est, tres animæ vires, quæ omnes exercentur in contemplatione. Rationabilis inquirit, concupiscibilis appetit, irascibilis apprehendit. Et quindecim chordæ exiguntur, ut bene sonet cithara; id est, septem dona, et quatuor cardinales virtutes, tres theologicæ et humilitas, quæ custos est aliarum. Hi sunt quindecim gradus psalmorum. Hæc sunt quindecim stadia, quibus distat Bethania a Ierusalem: hæc ille. Moderanda est illa contemplatio et studium sapientiæ. Philo lib. quod Deus sit immutabilis, pag. 231. Est profecto mirandum, ait, si quis lyræ in modum animam musica arte coaptatam, non sonis acutis et gravibus, sed rerum inter se contrariarum scientia, et meliorum ex his delectu, neque intendat plus æquo, neque remittat, emollita virtutum rerumque suapte natura honestarum harmonia: conservans eam in eodem temperamento concinne pulsandi psallendique. Hoc enim instrumentum natura fecit absolutissimum, quod imitantur manufacta organa. Id si quis pulchre temperarit, *πασων αριστα συμφωνιων απεργασεται, is symphoniam efficiet longe optimam, quæ non in sonoræ vocis tonos desinit, sed in laudata vitæ officia:* hæc Philo.

11. Cithara est iungenda psalterio. Quarto denique, cithara iungenda est psalterio, ut sæpe facit David noster. S. Isidor. illud Ps. 150. 2. *Laudate eum in psalterio et cithara*, considerans ait lib. 1. epist. 457. ad Palladium Diaconum: Laudate in psalterio et cithara, id est, in lingua nostra et ore, a Spiritu sancto, tamquam plectro percussis. Alii per psalterium et citharam intelligunt contemplationem et actionem. Alii fidem et charitatem, quæ a se invicem oriuntur. S. Prosper lib. 1. de vocatione gentium: Fides bonæ voluntatis, ait, iustæ actionis est genitrix. S. Antonius de Padua sermon. in Dominica 5. post Pascha: Animæ virginitas, ait, est fides per dilectionem operans, animam incorruptam conservans.

12. In festis exultandum Deo. Nota, in festis præsertim exultandum est Deo, iubilandum et psallendum. Ac primo, exultantes et iubilantes Hebræi in Neomenia seu novilunio, postquam benedictionis formulam recitarunt, a loco, in quo stabant, se movent ac dicunt: *Sicut nos contra te saltamus et exilimus, nec ad te pervenire possumus: Sic si alii contra nos insiliant, ut damnum inferant, non possint nos tangere, nec* A *damnum inferre. Cadat super illos timor, et pavor in magnitudine brachii tui: sint immobiles, ut lapis: ut lapis immobiles sint in tui brachii magnitudine: pavor et timor super illos cadat.* De sacra saltatione dixi Ps. 23. 6. Secundo, in festis devote psallendum esse Theodoret. lib. 8. Græcarum affectionum, et alii omnes docent a primis Ecclesiæ temporibus psalmos diebus festis concini solitos. Eusebius Alex. homil. de sanctis colendis: Ob hanc, ait, causam præcepit nobis Deus memorias Sanctorum celebrare, ut acceptis hymnis, et auditis laudibus, benignum Deum exorent, ut preces nostras caducas admittat. Oportet ergo, ut qui memorias Sanctorum celebramus, eas multa religione celebremus: hæc ille. Psalmi præsertim Davidis usurpandi sunt, de quibus ait S. Chrysostomus: *Non ita cervi tela fugiunt, sicut dæmones fugiunt psalmos Davidis.* Hoc probat exemplo Saulis, a quo dæmon discedebat, cum David pulsabat citharam, et psalmos cantabat. Quod si cum S. Thoma per psalmum opera bona intelligis, ut dixi supra, illa præsertim diebus festis sunt præstanda. B Nectarius Patriarcha Constantinopol. in narratione propter quam causam in primo sabbato sanctorum ieiuniorum celebramus memoriam S. Theodori martyris cap. 8. docet frumentum coqui, et distribui pauperibus solere in illa celebritate. S. Ephrem. lib. 2. de pœnitentia: *Cum, ait, Sanctorum memorias celebramus, memores simus omnium debilium, viduarum, pupillorum, peregrinorum et pauperum.* — Et psallendum.

ARTICULUS II.

Neomenia apud Iudæos erat festum, et cur tuba in eo festo buccinarent.

Post exhortationem generalem ad exultandum, iubilandum, et psallendum Deo, tempus determinat speciale, 13.
nempe festum Neomeniæ, v. 4. BUCCINATE (S. Hieron. Vers. 4.
clangite) IN NEOMENIA TUBA, IN INSIGNI DIE SOLEMNITATIS VESTRÆ.

C Vers. 5. QUIA PRÆCEPTUM IN ISRAEL EST, ET IUDICIUM (Hebr. statutum, idem enim est hic iudicium et statutum) DEO IACOB. Vers. 5.

Vers. 6. TESTIMONIUM (id est, præceptum ad testificandam suam voluntatem, et in testimonium, ac memoriam collatorum beneficiorum) IN IOSEPH POSUIT ILLUD (id est, in populo Israel) CUM EXIRET DE TERRA ÆGYPTI (quem Ioseph protexit in Ægypto, et qui per Beniamini tribum decem tribuum fuit rex, illud præceptum statuit): LINGUAM QUAM NON NOVERAT, AUDIVIT. Primo, Ægyptiacam in servitute ducentorum et quindecim annorum, quibus populus vixit in Ægypto. Secundo, Chananæam in terra promissionis. Tertio, et melius, divinam in deserto, cum legem accepit audiens Deum ipsum loquentem, id est, angelum Dei vicarium, quod toti populo needum erat concessum. Vers. 6.

Vers. 7. DIVERTIT AB ONERIBUS DORSUM EIUS: MANUS EIUS IN COPHINO SERVIERUNT, cum in Ægypto moraretur sub duro Pharaonis imperio: cogebatur enim tunc populus cophino, seu corbe, et vase vimineo lutum, lateres, et paleas ferre: præterea, ut innuit S. Augustinus, mundare stercora, et alia servilia opera obire. Hic autem est synecdoche, per cophinum enim quodlibet vas servile intelligitur, et quodlibet servile ministerium. Ut enim ait Priscianus, cophinis vel corbibus quævis servitus exercetur. Vers. 7. D 14. Cophino omne servile ministerium notatur.

Quæres, quis insignis dies solemnitatis intelligitur, cum dicitur: *In insigni die solemnitatis vestræ?* Nota, cum S. Thoma 1. 2. q. 102. art. 4. ad decimum, septem fuisse solemnitates temporales Iudæis, et unam continuam, ut potest colligi Num. 28. et 29. Erat enim quasi continuum festum, quia quotidie mane et vespere immolabatur agnus, et per illud continuum festum iugis sacrificii repræsentabatur perpetuitas divinæ beatitudinis. Festorum autem temporalium primum erat, quod iterabatur qualibet septimana, et hæc erat solemnitas sabbati, quod celebrabatur in memoriam creationis rerum. Alia autem solemni- 15. Septem festa Iudæorum.

tas iterabatur quolibet mense, scilicet festum Neomeniæ, quod celebrabatur ad commemorandum opus divinæ gubernationis. Nam hæc inferiora præcipue variantur secundum motum lunæ: et ideo celebrabatur hoc festum in novitate lunæ: non autem in eius plenitudine ad evitandum idololatrarum enitum, qui in tali tempore, lunæ sacrificabant. Hæc duo beneficia sunt communia toti humano generi, et ideo frequentius iterabantur: alia vero quinque festa celebrabantur semel in anno, et recolebantur in eis beneficia specialiter illi populo exhibita. Celebrabatur enim festum phase primo mense, ad commemorandum liberationis beneficium ex Ægypto. Celebrabatur autem festum Pentecostes post quinquaginta dies, ad recolendum beneficium legis datæ. Alia vero tria festa celebrabantur in mense septimo, qui quasi totus apud eos erat solemnis, sicut et septimus dies. In prima enim die mensis septimi erat festum tubarum, in memoriam liberationis Isaac, quando Abraham invenit arietem hærentem cornibus, quem repræsentabant per cornua, quibus buccinabant. Erat autem festum tubarum, quasi quædam invitatio, ut præpararent se ad sequens festum, quod celebrabatur decimo die: et hoc erat festum expiationis in memoriam illius beneficii, quo Deus propitiatus est peccato populi, de adoratione vituli ad preces Mosi. Post hoc autem celebrabatur festum scenopegiæ, id est, tabernaculorum, septem diebus, ad commemorandum beneficium divinæ protectionis et deductionis per desertum, ubi in tabernaculis habitaverunt. Octavo autem die celebrabatur aliud festum, scilicet cœtus atque collectæ, in quo colligebantur a populo ea, quæ erant necessaria ad expensas cultus divini, et significabatur adunatio populi, et pax præstita in terra promissionis: hæc D. Thomas. Quid autem hæc omnia festa nobis figurarent, docet in eodem loco.

16. Insignis dies solemnitatis, est: I. Omne festum. His positis. Primo insignem diem solemnitatis interpretantur de omni festo Arias, Varlenius, Crucius, Folengius, Vatablus et alii: Hebræi enim omne festum, præter sabbatum, vocant יום תוב *iom tob*, bonum diem, id est, festivum, lætum, illustrem. Christianis quoque festa sunt boni, et læti ac fausti dies. Nectarius Patriarcha Constant. in narratione propter quam causam in primo sabbato sanctorum ieiuniorum celebraretur memoria S. Theodori martyris cap. 8. vocat illud festum lætum et splendidum. S. Chrysost. hom. 66. Christi servorum, inquit, sepulcra clara sunt regiam assecuta civitatem, et dies notissimi, mundo festam afferentes lætitiam. Ecclesia Smyrnensis in epist. ad Ponti Ecclesias agens de S. Polycarpo ait: Nobis in unum aliquando coactis, Dominus præstabit, ut celebremus eius martyrii diem cum exultatione, et gaudio, quantum fieri potest, maxime recolamus: hæc ibi. Duæ rationes afferuntur: tum ad Martyrum memoriam, qui antea tale certamen confecerunt; tum ad eorum exercitationem, mentisque ad talem constantiam præparationem, qui postea Christum in eo genere mortis confessuri sunt. Procopius Chartophylax in encomio S. Marci, comparat soli festa Sanctorum: Huius, inquit, viri sancti dies festus, *instar splendidissimi solis*, humanas animas illustravit: hæc ipse. Sed lætitia in festis requiritur, quæ a Deo et in Deo sit. Philo lib. de sacrificiis Abelis et Caini: *Festum animæ*, inquit, *est lætari virtutibus*. S. Hieron. epist. 19. ad Eustochium: Nobis, ait, sollicitius providendum est, ut solemnem diem, non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus. S. August. a festis vult exterminari cantica impura. Sic enim ait serm. 21. de sanctis: Non permittamus solemnitatem sanctam cantica luxuriosa proferendo polluere. Tunc enim pro nobis S. Ioannes, quidquid petierimus, poterit obtinere, si nos festivitatem suam pacificos, sobrios, castos, absque ullo turpiloquio cognoverit celebrare. Theodosius Imp. celebrioribus in festis vetuit theatrorum et Circensium voluptatem, ut totæ Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur.

II. Pascha. Secundo, per insignem diem solemnitatis alii intelligunt Pascha, quod erat celeberrimum Iudæorum festum,

A et durabat per septem dies. Iuvat S. Hier. qui vertit: *In medio mense festi solemnitates vestræ.* Pascha enim, et dies primus azymorum incipiebat in secunda vespera decimæ quartæ lunæ, id est, decimæ quartæ diei mensis.

Tertio, alii insignem diem solemnitatis volunt esse festum tabernaculorum, quod etiam durabat per septem dies maxima cum exultatione, ut alias ostendi. Incipiebat autem die 15. mensis Tisri, id est, Septembris. III. Festum tabernaculorum.

17. IV. Omnis Neomenia. Quarto, et melius, Ribera lib. 5. de templo, cap. 7. insignem diem solemnitatis sumit de omni Neomenia, id est prima die mensis; deducitur enim Neomenia a Gr. νέος id est, novus, et μὴν mensis: seu potius, νέος novus, et μήνη luna, q. d. Nova luna, hoc est primus dies lunæ renascentis: deducitur porro μήνη a voce Hebraica מנה *mana*, id est numerare, computare, quia varii populi annum per lunationes computabant, et Iudæi ipsi: hinc deducitur *almanach*, id est catalogus diorum ac mensium anni. Menses enim suos Iudæi computabant ab uno novilunio ad aliud, adeo ut prima dies mensis esset semper novilunium,

B quod nobis non accidit, annum per solis cursum metientibus. Licet autem prima dies mensis et novilunium semper in eamdem diem inciderent, non tamen semper incidebant in eamdem horam: quia dies omnis habet 24. horas; omnis autem lunatio, seu cursus lunæ ab uno novilunio ad alterum, habet tantum 29. dies, et 12. horas; unde nunc lunæ assignantur 29. dies, nunc 30. et menses Iudæorum alternis vicibus erant 29. aut 30. dierum. Unde non correspondebant ex æquo mensibus Romanis solaribus.

18. Omnis tamen Neomenia non erat festum, in quo ab opere cessaretur. Quæres primo, an omnis Neomenia fuerit festum? Resp. non fuisse proprie festum, in quo ab omni opere cessaretur, ut docet Abulensis in cap. 28. Numer. quæst. 18. Hinc Neomenia non recensetur inter festa Levitici 23. Erat tamen celebris primo ob sacrificia: nam præter iuge sacrificium, id est, agnum matutinum et vespertinum, qui quotidie offerebantur, de Neomenia præcipitur Numer. 28. 11. *In calendis offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos*

C *septem immaculatos, et tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per agnos singulos: holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hinc per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum. Hoc est holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis.* Secundo, Neomenia erat celebris tubarum clangore. Hinc etiamnum Iudæi, instante novilunio, conscendunt turriculas in suis synagogis, atque ortum lunæ studiose observant, ac statim tubæ sonitu Neomeniam denuntiant, illa exorta.

19. Sacrificia plura fiebant, et cur? Quæres secundo, quæ fuerunt causæ, cur Deus instituerit Neomeniam? Resp. Prima fuit, ad recolendum beneficium gubernationis divinæ: sicut enim sabbato, celebrabant Hebræi memoriam creationis: ita Neomenia, gubernationis divinæ. Hæc enim apposite significatur novilunio. Nam luna inferioribus hisce corporibus dominatur,

D eaque maxime in novilunio immutare solet: ita Lyranus Numer. 28. et S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 10. Neomeniam ergo celebrando, Iudæi agebant gratias Deo de beneficio gubernationis, sed maxime de eo quod Deus præstat nobis per influxum solis, lunæ, et aliorum corporum cælestium. Hac de causa Gentiles Romani annum Iovi, id est, soli; menses Iunoni, id est, lunæ consecrarunt. Sol enim efficit annum, luna menses. Porro luna dicta est Iuno a iuvenescendo, et lucina quasi lucida: putantque eam in partubus auxilium ferre mulieribus; unde illud:

Per cæruleum astrorum polum,
Partus celerantemque lunam.

Facillime enim mulieres sub plenilunium videntur prolem eniti, inquit Plutarchus in quæst. Romanis. Rursum Gentiles ut gubernationem divinam profiterentur, docebant 12. deos duodecim mensibus præsidere. Siquidem Ianuarii curam credebatur habere Iuno, Februarii Neptunus, Mar-

tii Minerva, Aprilis Venus, Maii Apollo, Iunii Mercurius, Iulii Iupiter, Augusti Ceres, Septembris Vulcanus, Octobris Mars, Novembris Diana, Decembris Vesta, ut docet Gyraldus Syntagm. 1.

Secunda, ut Hebræi primitias, tam temporis et mensium, quam frugum Deo dependerent; hinc in Neomenia offerebant holocaustum vitulos duos, arietem unum, anniculos septem cum suis libamentis, et hircum unum pro peccato, ut dictum est.

Tertia, ut a Deo per sacrificia et preces, decursum totius mensis faustum et salutarem, ipso eius initio peterent et impetrarent.

Quarta, ad legem Dei, et ea, quæ illo mense agenda erant, in tabernaculo audiendum. Hac de causa et apud Romanos, in calendis populus confluebat in urbem, ut quisque disceret et intelligeret, quid eo mense in divinis humanisque rebus faciendum incumberet. Unde pontifex calata, id est, vocata in Capitolium plebe quot ad nonas dies superessent, repetita voce calo, significabat: indeque calendis nomen est inditum, de quo fuse Macrobius lib. 1. Saturnal. Atque a calendis calendaria sunt dicta: scilicet diaria, in quibus calendæ singulorum mensium, cum cæteris diebus erant descriptæ.

Hæc commoda applices primæ Dominicæ mensis, qua Christiani religiosiores solent spiritum innovare, confiteri, communicare, Deo pro beneficiis mense elapso acceptis gratias agere, eique auspicia mensis incuntis, totumque mensem offerre, atque omnia prospera in eo petere. Quam ad rem iis, in Ecclesiis nostris plenariæ indulgentiæ a Summis pontificibus concessæ sunt. Nec enim decet Christianos in hac pietate et gratitudine cedere Iudæis: ita Cornel. in cap. 28. Numer. Gentiles ipsi in novilunio templa petere solebant. Libanius declamation. 40. Scis, inquit, quam lætus esses, quando te in noviluniis deducebamus ad templa. Iudæi nunc formulam benedictionis hanc pronuntiant stantes: Benedictus sis tu Domine Deus noster, rex mundi, qui dicto suo creavit cælos, et spiritu oris sui omnes exercitus illorum, stata tempora dedit illis, ut ordinem non mutent, et læti sui creatoris voluntatem perficiant: operator verax, cuius operatio verissima est: et lunæ dixit, ut renovetur, quæ corona et gloria est corporibus, quæ et ipsa renovanda in futuro sunt: sicut luna ad creatoris gloriam, propter nomen sui honoris et regni. Benedictus sis tu Domine, qui menses renovare facies. Bonum, optimum omen sit nobis, et omni Israeli. Bonum omen sit nobis, et omni Israeli. Bonum omen sit nobis, et omni Israeli. Laudatus sit formator tuus, sit laudatus factor tuus, sit laudatus possessor tuus, laudatus sit creator tuus. De Christianis prima dominica mensis ad Eucharistiam accedentibus, ut in nostris templis indulgentiam consequantur pro animabus purgatorii mira sunt, quæ refert noster Iacobus Damiens in tabella abbrev. Soc. Iesu lib. 6. c. 15. ait enim in Hispania nonnunquam una in Dominica quatuordecim hominum millia ad Eucharistiam accedentia esse numerata. 2. Romæ aliquando sex Cardinales in sex præcipuis Ecclesiis eam distribuere, at aliquando octodecim millia communionem percepisse in æde S. Mariæ Maioris, et sexdecim millia in domo professa Soc. Iesu, ubi centum sacerdotes audiendis confessionibus occupantur toto matutino tempore, et sex sine ulla discontinuatione Eucharistiam populo administrant. 3. In Lusitania viginti quinque millia una die Ulyssiponæ ea mysteria frequentasse. 4. Panormi in Sicilia, nonnunquam ad triginta duo millia excrevisse. Hoc anno cum id inchoari curaverim Virduni, prima vice populus tum ex urbe, tum ex agris accurrit

20. V. ad quatuor circiter millia: speramus fore, ut ille fervor in dies augeatur.

Insignis dies solemnitatis est Neomenia Septembris. Quinto, et optime, *insignis dies solemnitatis*, et Neomenia, intelligitur Neomenia mensis Tisri, id est, Septembris, quæ erat ita festa, ut in ea non liceret ullum opus servile. Num. 29. 1. *Mensis etiam septimi prima dies venerabilis et sancta erit vobis: omne opus servile non facietis in ea: quia dies clangoris est et tubarum, offeretisque ho-* A *locaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, et agnos anniculos immaculatos septem; et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem: et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi holocaustum calendarum cum sacrificiis suis, et holocaustum sempiternum cum libationibus solitis: eisdem cæremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino.* Itaque in prima die Septembris erat duplex festum. Primo, Neomeniæ, sicut in aliis mensibus. Secundo, festum tubarum. Quod festum S. Basil. Euthym. Nicephor. Lorinus et alii, institutum fuisse putant in memoriam datæ legis; tunc enim in monte Sina auditus est sonitus buccinæ, ut habetur Exod. 20. 18. Secundo, et melius, Hebræi, Ugo, Dionys. Abulensis in cap. 23. Levitici qu. 18. et 20. putant, causam institutionis illius festi esse liberationem Isaaci a morte, cum immolandus esset a patre, et in eius locum substitutus est aries hærens corni-B bus, Genes. 22. 13. Ideo tunc clangere solebant cornibus arietinis; et vocatum est festum cornu, id est tubæ, Numer. 29. 1. dicitur dies clangoris et tubarum, Levit. 23. Sabbatum, memoriale, clangentibus tubis celebrandum. Arabs vertit in Psalmo nostro: *Psallite cornu: manifestate in principiis mensium.* in diebus festis cognitis. Syr. *Clangite cornibus* initio mensium, et in noviluniis, diebus festis. Noster vertens *buccinate tuba*, satis indicat se agere de tuba cornea. Nam buccina proprie est cornu recurvum, quod tubæ modo inflatur, tuba proprie sumpta fit ex ære, argentove, aut alio metallo. Apuleius clare distinguit buccinam a tuba lib. 3. Florid. Siquidem, inquit, vox hominis et tuba rudiore torvior, et lyræ concentu variatior, et tibiæ questu delectabilior, et fistulæ susurro iucundior, et buccinæ significatu longinquior: hæc ipse. Tuba tamen et buccina aliquando confunduntur. Clangor itaque buccinæ in Neomenia Septembris erat commodus ad memoriale Isaaci liberati, et arietis pro ipso subroga-C ti: cum præsertim Rabbini censeant illa ipsa die eum fuisse a gladio paterno liberatum. Adverte porro, quod illa etiam in Neomenia, sicut in cæteris Neomeniis, clangebant etiam tubis argenteis, ob Neomeniam et sacrificia, ut imperatur Num. 10. v. 10.

Allegor. per Neomeniam, quæ est initium mensis, ait S. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 4. ad 10. denotari illuminationem primitivæ Ecclesiæ per Christum, et eius prædicationem atque miracula. Lunam sic Ecclesiæ comparat S. Ambros. lib. 4. Hexaem. cap. 8. *Ecclesia*, inquit, *sicut luna defectus habet, et ortus frequentes: sed defectibus suis crevit, et his meruit ampliari, dum persecutionibus minuitur, et confessorum martyriis coronatur. Hæc est vera luna, quæ de fratris sui luce perpetua lumen sibi immortalitatis et gratiæ mutuatur. Fulget enim Ecclesia non suo, sed Christi lumine, et splendorem sibi accersit de Sole iustitiæ*: hæc Ambrosio. Ecclesia dicitur pulchra ut luna, Cant. 6. 9. Secundo, Radulphus Flaviacensis monachus, qui florebat circa ann. 910. et scripsit lib. 20. in D Leviticum, vult mense septimo figurari tempus gratiæ. 21. Allegor. Neomenia est illuminatio Ecclesiæ. Ecclesia comparatur lunæ.

Tertio, tuba est symbolum prædicationis evangelicæ, ut ait hoc loco S. August. Buccinate, inquit, clarius et fidentius prædicate, ne terreamini. S. Greg. illud Iob 39. *Numquid nosti tempus partus ibicum in petris*, explicans ait: *Oportet ut prædicatores sint fortes in præceptis, compatientes infirmis, terribiles in minis, in exhortationibus blandi, in ostendendo magisterio humiles, in rerum temporalium contemptu dominantes, in tolerandis adversitatibus rigidi.* Isaiæ 58. 1. dicitur: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum.* Lege S. Gregor. homil. 3. in Ezechielem, ubi ait, vitam prædicatorum debere sonare et ardere, et prædicationem esse æs candens. S. Thomas 1. 2. q. 103. art. 3. ait, festo tubarum succedere festum Apostolorum: festo cœtus atque collectæ, festum angelorum: vel etiam festum Sanctorum omnium. Ugo Cardin. 22. Tubæ sunt concionatores.

dicit, versiculum nostrum optime sumi posse in nativitate B. Virginis, quæ incidit in mensem Septembrem: ipsa enim est vera et cælestis luna, hunc mundum a tenebris liberans.

23. Tropol. Tropol. Neomenia est symbolum novitatis vitæ. S. Augustin. in Ps. nostr. *Tuba*, inquit, *canite in initio mensis tubæ. Præceptum erat, ut in initio mensis tuba canerent, et hoc usque nunc Iudæi corporaliter faciunt, spiritaliter non intelligunt. Initium enim mensis nova luna est. Nova luna, nova vita est. Quid est nova luna? Si qua igitur in Christo nova creatura. Quid est, tuba canite in initio mensis tubæ? Cum tota fiducia novam vitam prædicate, strepitum vitæ veteris nolite metuere:* hæc August. Novitas hæc vitæ etiam iustissimis necessaria est. Prov. 11. 28. *Iusti autem quasi virens folium germinabunt*. Ugo Card. in eum locum: Ideo, ait, dicuntur iusti germinare, quia semper se novos reputant, non maturos. Eccli. 18. *Cum consummaverit homo, tunc incipiet:* hæc ipse. Quod si eædem actiones semper iterandæ sunt, cum mentis novitate iterentur. Gillebert. serm. 4. in Cantica: Bonus, ait, circuitus, non modo cum nova semper et occultiora comprehenduntur: sed cum iam apprehensa novo et recenti semper affectu revolvuntur: cum non modo quod restat, penetratur: sed quod iam penetratum est, frequenter iteratur.

24. In Neomenia cur buccinandum? Nota. Hortatur ad buccinandum in Neomenia, quia id præceptum est a Deo, et quia hanc gratitudinem postulant Dei beneficia.

1 Quia erat præceptum. Ac primo, præceptum de Neomenia celebranda habetur Levit. 23. 24. et Num. 29. 1. ubi agitur speciatim de Septembris Neomenia, quæ sola, ut dixi, erat proprie festum ad vacationem ab operibus obligans. Christiana festa etiam præcepta esse docemur. S. Ioan. Damasc. ait, ab ipsis Apostolis fuisse statutum festum S. Stephani. Sic enim habet orat. 1. de imaginib. Cum luctu et lacrymis Iacob mortuus, elatus, et sepultus fuit. At nos Stephani mortem cum lætitia celebramus. Et eiusmodi celebritates sanctorum tolli non possunt, cum sanctus Apostolorum ac divinorum Patrum chorus eas fieri iubeat: hæc ipse. Zaga Zabo Æthiops in confessione fidei Æthiopicæ diem confirmat: Ex indicto, ait, synodorum Apostolorum, diem martyrii S. Stephani, et aliorum martyrum, celebramus. S. Gregor. Nyss. orat. de S. Gregorio Thaumaturgo, ait, eum instituisse varia festa Martyrum. Synodus Gangrensis, can. 20. anathematizat eos, qui festa non celebrant. Si quis, inquit, arrogantia utens, et martyrum congregationes abhorrens, et sacra quæ in iis celebrantur, et eorum memorias accuset, anathema sit. Clemens Papa festa Apostolorum fieri imperat, lib 8. constit. Apostol. cap. 33. In diebus Apostolorum, ait, famuli vacent. Magistri enim vestri fuerunt, ad docendum vos de Christo, vobisque Spiritum sanctum dederunt.

Festa apud Christianos præcepta.

Adverte autem, Deum ita præcipere festa, ut etiam pœnas intentet illorum violatoribus: *Præceptum in Israel est, et iudicium Deo Iacob*. Generatim ait S. August. in Psal. nostr. Ubi præceptum, ibi iudicium. Qui enim in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur. Et serm. 3. ex novissimis editis: Impunitum non potest esse peccatum. Impunitum esse non decet, non oportet, non est iustum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo. Peccatum tuum iudicem te habeat, non patronum. In tribunali mentis tuæ ascende contra te, et reum te constitue ante te. Noli te ponere post te, ne Deus te ponat ante se. Rabbini aiunt in Pirke avoth, id est, in sententiis Patrum, cap. 4. Qui bonum opus facit, acquirit advocatum: et qui in una re delinquit, sibi unum accusatorem acquirit.

25. Violatores festorum puniti. Speciatim de festorum violatoribus si agis, habes præceptum Exod. 31. 14. *Custodite sabbatum meum: sanctum est enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima*, id est vita, *illius de medio populi sui*. Et vero colligens ligna in sabbato lapidatus est extra castra, Dei iussu, Numer. 15. 32. et seqq. ubi Cornelius affert aliqua exempla, eorum qui puniti sunt ob festa violata. Adde, Thomas Cantipratensis vir eruditus refert lib. 2. apum, cap. 49. nobilem Alemannum diebus festis et dominicis venationi uni intentum, missas nunquam audire solitum esse, uxorem itaque illi monstrum peperisse, cui esset caput canis venatici. Franciscus Beneius in litteris annuis Soc. Iesu, ann. 1580. ait, in provincia Polonica schismaticum die Assumptæ Virgini sacro eruentem argillam, cum ab eo opere catholicam virginem avertentem sprevisset, subsidente terra occisum esse. P. Melchior, rector collegii Pragensis in litteris anni 1600. dicit, in urbe Zamosia hæreticam mulierem ipso Annunciationis Deiparæ festo in villam, sicut in die profano pergentem, et blasphemias in Virginem effutientem, a vento vehementi in terram deiectam esse, et facie sordibus fœdata impuram animam exhalasse. Cum iam hic Virduni agerem, anno 1647. id est, a septemdecim circiter mensibus contigit in pago Thiervillo, qui ab hac urbe dimidia leuca distat, ut die dominica frugum manipulos colligere volens, primo arrepto manipulo, ut eum in curru poneret, misere expiravit, cum agrum maxime sanus adiisset.

Videndum etiam est, non tantum ut ne servilibus operibus festa violemus, sed etiam ne bacchationibus et sceleribus ea polluamus: alioqui dicet Deus, ut Israelitis per Amos cap. 5. 21. *Odi, et proieci festivitates vestras*. S. Hieronymus ingeniose Epist. ad Eustochium: *Valde*, ait, *absurdum est nimia saturitate velle honorare Martyrem; quem scias Deo placuisse ieiuniis*. S. Ephrem vere ait sermon. de cruce Domini, fol. 699. Celebritas bona, et pulchra, et Deo grata, est pœnitentia cum lacrymis, et a peccatis abstinentia, Deique cognitio, atque æternorum bonorum desiderium. Philo arguit eos, qui peccant in festis, eo quod plus curent munditiem corporis sui, et pecudum, quam suæ mentis. Verba eius sunt lib. de Cherubim, pag. 94. In omni festo nostro et celebritate, quæ miramur, sunt hæc: securitas, remissio, quies ab inferendis iniuriis, ebrietas, potatio, comessatio, deliciæ, oblectamenta: *Ut candidati templa subeant, dant operam, diligenter emaculatis vestibus amicti: mentem vero maculosam in ipsa sacraria penitissima inferre non verentur. Item, si quam pecudem animadverterent parum integro corpore, eiiciunt extra purificatum aspersione templi spatium, nec patiuntur adduci ad altaria, quamvis invita, et per vim mutilata sint parte aliqua corporis, ipsi sauciati in animo morbis gravibus, quos eis inflixit impotens malitia: vel potius mutilati castratique membris præcipuis: prudentia, fortitudine, iustitia, aliisque, quarum humana natura capax est, virtutibus, et admissis sponte noxis, tamen audent sacris operari, rati oculum Dei tantum externa inspectare, adiutum luce solari*, αὐτὸς δὲ ὢν ἀρχέτυπος αὐγῆς: *sed cum in se sit splendor archetypus, infinitos emittit radios, quorum nullus est sensibilis, omnes autem intelligibiles: intelligibilis vero natura sensu non percipitur. Ergo, quoniam indivisibiliter subit nostras animas, paremus ibi locum, ita ut decet futurum Dei habitaculum, quod nisi fecerimus, clam migrabit in aliam domum, quæ videbitur ædificata melius:* hæc Philo. Considera te iudicem et inspectorem habere Deum, cui nihil est occultum: *Iudicium Deo Iacob*. Hebræi dicunt in Pirke avoth: *Ad tria respice: sic enim peccatum fugies: Considera oculum esse, qui videt, aurem, quæ audit, et omnia opera tua in libro posita et exarata esse*. 26. Festa sancte celebranda sunt.

Secundo, Deus vult festa celebrari in testimonium amoris, ob accepta a se beneficia: *Testimonium in Ioseph posuit illud*. Ioseph significat augmentum: talis est anima, quæ amat Deum, ignis est semper crescens, quo plus illi infuderis. Cassiodor. lib. de amicitia: *Charitas*, ait, *nunquam otiosa est, semper in alterum se porrigit: vel in proximum, vel in Deum; natura nimirum charitatis est, et amare, et velle amari. Sicut enim ignis non potest non ardere, sic charitas non potest non amare*. S. Aug. allegorico explicans ait Iosepho figurari gentiles: Ideo, ait, augmentatio: quia multi filii desertæ magis, quam eius, quæ habet virum. Idem de pauperibus et religiosis possis dicere tro- 27. Festa celebranda sunt in memoriam beneficiorum Dei.

pologice: plures enim sæpe habent virtutes, quam divites et honorati.

28. *Lex dicitur præceptum, iudicium, et testimonium.*

Nota, lex Dei eadem vocatur hic præceptum, iudicium et testimonium: 1. præceptum, ut Deum declaret dominum; 2. iudicium, ut ostendat remuneratorem vel ultorem; 3. testimonium, ut amicum esse aperiat, et amoris a nobis significationem reposcere. Ut enim dicit Bellarm. oportet cum exultatione cantare, et instrumenta musica pulsare in die festo: vult enim Deus, qui nulla re indiget, *hoc tributum laudis*, et memoriæ beneficiorum suorum: hæc ipse. Commodius laudatur Deus in die festo: aliis enim diebus in mari agitato cum undis luctamur, et in strepitu ac tempestate sumus, festi dies sunt animorum portus quieti et tranquilli. S. Chrysost. tom. 5. serm. 20. *Non sunt*, ait, *portus tam idonei ad refocillandos nautas, quam recreantur fideles solemnitatibus sanctorum.* Tuno extra periculum positi primo psalmos Deo et laudes offerimus, festum tubarum agentes. In Iaponia idololatræ festum celebrant idolo Daimyoiin, insignique supplicatione illud deducentes acclamant Xenzayraquu, Menzayraqua: hoc est mille annos deliciarum, mille millia et milliones gaudiorum. Hæc scilicet ipsi idolo et sibi apprecantur, ac deinde ingentem auri argentique summam in amoris sui signum offerunt, ut refert noster Franciscus Solier l. 4. num. 45. In ipsis Sanctorum festis Deus eorum Dominus honoratur. S. Basil. orat. in 40. Martyres: Honor, inquit, in bonos a conservis collatus, benevolentiæ significationem apud communem dominum habet. Secundo, non est tantum tubis insonandum in festis, sed etiam victimæ sunt immolandæ. In regno Calecutiorum festum quoddam est Pagodum, sic idola sua nuncupant: in eo plurimi se idolis illis sacrificant, ut suum erga illa amorem testentur. Magnus Imperator, quem Zamorinum vocant, eo die tot gemmis oneratur, ut necesse sit illum a duobus nobilibus fulciri. In excelsum theatrum ascendit, tum centum quinquaginta elephanti cultu eximio insignes procedunt: singulis singula sunt idola imposita, quorum unum hominis figuram habet, alterum capræ, aliud arietis, aliud alicuius similis animalis. Sequuntur plurimi ornatu cultissimo, quorum plerique duos enses nudos præferunt. Cum in regis conspectum venerunt elephanti, qui seipsos in sacrificium offerre cupiunt, idolum, cui maxime sunt addicti, consalutant, saltationemque ac multos circuitus agunt: ubi saltu et agitatione fatigatos se sentiunt, ensem unum capiti imponunt, altero autem illum percutiunt, et capiti infigunt, atque cum idolo varia miscentes colloquia, quibus suum affectum testentur, tamdiu se vulneribus conficiunt, donec mortui concidant; qua morte in cælum certissimam sibi viam aperiri credunt: alii sieis se transverberant. Vir fide dignus, qui tristi huic spectaculo interfuit, refert, unico die circiter mille seipsos idolis mactasse. Aliud quoque festum celebrant, in quo plurimi se mactant; dum enim currui maximo Pagodes suos impositos per urbem vehunt, quem plusquam quingenti homines trahunt, qui servos se idolo illi addictos profitentur, in viam se abiiciunt, ut a rotis illius currus protriti pereant. Eos tantæ sanctitatis populus esse arbitratur, ut in mille frusta illos discerpat: reliquias aliquas singuli certatim inde sibi rapiunt, sicut commemorat noster Petr. du Iarric. lib. 2. histor. Indicæ, cap. 14. pag. 461. Quid nos ad hæc Christiani? Franciscus Solier lib. 4. histor. Eccl. Iaponiæ, num. 29. tradit, Bungenses Christianos die veneris septimanæ sanctæ, tanto ardore in se flagellis sæviisse, ut eos quis posset solo sanguinis vestigio sequi. Scimus sanctam quamdam a Deo petiisse, ut singulis in festis dolores Martyrum sigillatim experiretur, idque impetrasse. Festa Martyrum, exhortationes martyriorum sunt.

Calecutiani se idolis suis immolant.

29. *In festis vox Dei audienda est.*

Beneficia duo præsertim in festis percipi solita recenset. Primo, auditionem verbi Dei. Secundo, liberationem a curis temporalibus.

De primo dicit: *Linguam, quam non noverat, audivit.* Primo, vocem Dei loquentis in sibilo auræ tenuis: quia

A non in commotione Dominus. Ducit animam in desertum, et loquitur ad cor eius. Vere quidem ait Plutarch. lib. de animi tranquillitate, mundum hunc esse, ιερον αγιωτατον και θεοπρεπεστατον, *templum sanctissimum ac divinissimum:* in hunc induci homines, ut creaturas et Deum ipsum in iis videant: vere etiam Diogenes cuidam Lacedæmoni se magno studio ad quamdam festivitatem paranti, ait: Viro probo quemvis diem festum esse. Tamen negotiorum tumultus plurimum obstrepit, et impedit, ne loquentem Deum audiamus. Canadensis quidam adhuc ethnicus, cum a gentili suo iam Christiano increparetur, quod necdum fidem suscepisset, dixit: Aures quidem suas needum prorsus apertas esse, verbum tamen Dei iam in illas influere. Christus semper stat ad ostium et pulsat, sed illi fores occludimus. Secundo, in festis diebus audimus linguam concionatorum incognita nobis mysteria exponentem. S. Hier. in Psalm. nostr. Linguam ignotam explicat de prædicatione Evangelica. Populus gentium, inquit, in Ecclesia mandata, quæ prius ignorabat, accepit. Isaiæ 28. 11. *In loquela labii, et lingua altera loquetur ad populum istum,*
B per Apostolos, ut ait S. Hieron. et S. Cyrillus. Donum hoc Ecclesiæ datum est, ut linguis peregrinis loquatur, et linguam cæli in orbem universum deferat, omnes effectura labii unius: ut scilicet lingua angelica et divina, quam prius ignorabant, loquantur. Non referam varios Apostolos, qui pene omnes mundi regiones decurrerunt, nunc in uno Benedictinorum ordine pedem figam. Benedictus a S. Ioanne refert, per Religiosos huius Ordinis triginta circiter provincias lumen fidei accepisse. Sic enim loquitur in lib. de benedictionibus Benedictinorum. 1. S. Gregorius Papa censetur Apostolus Anglorum. 2. S. Chilianus Franconiæ. 3. S. Ewaldus, Westphaliæ. 4. S. Lambertus, Germaniæ inferioris. 5. S. Bonifacius, totius Germaniæ et Frisiæ. 6. S. Stephanus, Sueciæ et Helsingæ. 7. S. Wispertus, Frisonum, Saxonum. 8. S. Albo, Vasconum. 9. S. Adalbertus, Bohemiæ, Hungariæ, et Poloniæ. 10. S. Benedictus, item Poloniæ. 11. S. Bonifacius, Hunno-
C rum, Slavorum et Russorum. 12. S. Gerardus, Pannoniæ. 13. S. Adalbertus, Wandalorum. 14. S. Bruno, Prussiæ et Lithuaniæ. 15. S. Leander, Hispaniæ. 16. S. Augustinus, cum S. Mellito, S. Petro, S. Iusto, S. Paulino S. Laurentio, S. Ioanne, Angliæ. 17. S. Willebrordus, Frisonum. 18. S. Amandus, Brabantiæ, Flandriæ, et Vasconiæ. 19. S. Willfridus, Hollandorum. 20. S. Wilhaldus, secundus Franconiæ Apostolus. 21. S. Suitbertus, Saxonum. 22. S. Ansgarus, Gothorum, Danorum, et aliorum populorum septemtrionalium. 23. S. Ludgerus, Frisiæ orientalis. 24. S. Vicelinus, Wandalorum et Slavorum. 25. S. Wimo, Gothorum septemtrionalium. 26. S. Otho, Sarmatiæ. 27. S. Nicolaus Anglus, Norvegiæ. 28. In Americam primus intulit Evangelium Dominus Bueil, Patriarcha Indorum et vicarius Pontificis: hæc ille. Quæ, quis est, qui non miretur, et fidei nostræ vim non suspiciat, quæ ita per orbem se dilatavit? De Apostolis habes Ps. 18. 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Vide illum locum.

Apostoli varii Benedictinorum.

30. *In festis vacandum a curis sæculi.*

D De secundo, nempe, quod in festis sit vacatio a curis sæculi, subditur: *Divertit ab oneribus dorsum eius, manus eius in cophino servierunt.* Ubi duo dicuntur: nempe dorsum liberandum esse ab onere, et manus a luti et rerum vilium tractatione.

Primo, res terræ sunt onus grave, quo Pharao per se suosque populum Israel in Ægypto huius mundi deprimit, Exod. 1. 11. et 5. 9. De peccatoribus habetur Ps. 68. 24. *Dorsum eorum semper incurva.* Ps. 65. 12. sub onere ingemunt: *Posuisti tribulationes in dorso nostro.* Ugo Cardin. in Psalm. nostro dicit, onera mundi esse præbendas, divitias, et honores. Gen. 49. 14. *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos. Vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod optima: et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.* Salvian. lib. 1. ad Eccl. Cathol. ostendit, grave damnum incurri ob illud pondus a cælo nos deiiciens. Invidentes, ait, saluti suæ,

animas proprias quæ vocantur ad cælum, terrenis ponderibus in terram premunt. Mens enim thesaurizantis, thesaurum suum sequitur, et quasi in naturam terrestris substantiæ demutatur. Minutius Felix in Octavio: *Dives es,* ait, *sed fortunæ male creditur, et magno viatico breve vitæ iter non instruitur, sed oneratur:* hæc ille. Stultus censeretur viator, qui leucam unam decursurus, se oneraret viatico ad centum dies sufficiente. Itaque, excutienda sunt onera illa superflua. Ier. 17. 21. *Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die sabbati, nec inferatis per portas Ierusalem.* Dies sabbati, est lex gratiæ, in qua est vera quies animæ; Ierusalem, est anima videns pacem, quam Christus dat servis suis intrans ad eos. Illa onera sunt fœda et male olentia. S. Paulin. epist. 1. ad Severum: *Respue patrimoniorum onera, ceu stercorum.* Hoc faciebat S. Paulus, ut asserit ipse ad Philippens. cap. 3. 3. illa onera, sunt periculosa. S. Hilar. can. 19. in Matth. *Periculosa cura est velle ditescere, et grave onus innocentia subit, incrementis opum occupata.*

Onera illa tollit Christus. Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Isaiæ 10. 27. hoc erat prædictum: *Auferetur onus de humero tuo, et iugum eius de collo tuo, et computrescet iugum a facie olei,* id est iugum servitutis Sennacherib, cui pendebant annuum tributum trecentorum talentorum argenti, et triginta talentorum auri, 4. Regum 18. 14. Hæc erat figura liberatorum a peccatis, sicut iidem Iudæi liberati a servitute, et oneribus Pharaonis, Exod. 3. 7. Christus tamen non vult nos esse sine iugo, velut onagros feros, sed dat iugum leve et allevians, quod cum amore et gaudio vult deferri. Gillebertus serm. 17. in Cant. *Portari,* ait, *vult a nobis Christus; sed gloriose, non cum tædio, nec cum murmure, nec cum indignatione, et fluctuante proposito. Denique portari vult, non trahi: trahenti enim onerosus est Christus, onerosa castitas.*

31. In festis est anima mundanda.

Secundo, manus a sordibus abstrahenda est. Manus in cophino servientes non amat Deus, nec se menti sordidæ communicat. S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 304. ad Chæremonem: *Nec lippiens oculus, ait, in solis orbem aciem defigere potest: et si eam defigat, frustra id agit: nec* ῥυπῶσα διάνοια, *sordida mens quidquam sanctarum rerum utiliter scrutari potest.* De manibus impuris ait Deus, Isaiæ 1. 15. fore ut propter eas avertat oculos suos: *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis,* (quos aspiciebam, antequam ostenderetis manus) *et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Totum corpus avertit impuritas a rebus sanctis. Villava lib. de symbolis, porcum pinxit prope templum, cum hac inscriptione: *Non mihi sancta placent.* Sues sibi placent in volutabro luti.

Manus itaque primo est lavanda; in templi vestibulis olim erant fontes ad ablutionem, ut ostendi Psal. 25. 6. In illud, *Lavabo inter innocentes manus meas,* Exod. 30. 19. præcipitur, ut Aaron et filii eius, hoc est pontifex et alii omnes sacerdotes, lavent manus suas et pedes, accessuri ad altare, ne forte moriantur.

Secundo, manus in cælum elevandæ, sunt liberatæ a vinculis servitutis. S. Cyrillus notat, baptizatos elevare solitos esse manus suas in cælum. Sic enim ait in quadam catechesi: Primum ingressi estis in porticum domus baptisterii, et stantes versus occidentem, mandari vobis audistis, ut *protensa manu*, tamquam præsenti Satanæ, renuntiaretis. Academia Altorsina rastrum pinxit, et pennam aptatam ad scribendum, corona desuper imminente, hoc addito: *Ad rastra, vel ad astra,* q. d. Manus applicanda est rastro, id est rustico instrumento dentato, glebis confringendis idoneo, q. d. Est vacandum vilibus operibus ac luteis, aut penna in manus sumpta per scientias in cælos evolandum. Duo brachia sunt duæ alæ hominis, quibus per opera divina cælos et Deum adeat. Iudæi in Ægypto luteis operibus distenti sunt, in terra promissionis libertatem habuerunt, quamdiu Deo servierunt; terra promissionis, est Ecclesia, quæ libera est, et filios liberos amat. Tertio, manus nostræ liberatæ ab hostibus, sunt armandæ. Mutius Columna dux generalis exercitus Ecclesiæ, manum armatam pingi voluit, cum epigraphe pro suo symbolo: *Agere et pati fortia, Romanum est.* Muta, et dic: Christianum est. Voluptates sunt feræ, ab illis magnum periculum est. Seneca de vita beata, cap. 14. Ut feras, inquit, cum labore periculoque venamur, et captarum quoque illarum sollicita possessio est: sæpe enim laniant Dominos: ita habenti magnæ voluptates in magnum malum evasere, captæque cepere. Quæ quo plures maioresque sunt, eo ille minor, ac *plurium servus est*, quem felicem vulgus appellat: hæc Seneca.

32. Et in cælum elevanda cum manibus.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

33. *Tria complectitur. Primo, præterita beneficia, ob quæ Deus unus colendus est, vers. 8. Secundo, præsentem admonitionem Dei idola vetantis, v. 9. Tertio, periculum futurum populi, non obedientis Deo, v. 12.*

PARAPHRASIS.

8. *In tribulatione invocasti me, et liberavi te: exaudivi te in abscondito tempestatis: probavi te apud aquam contradictionis.*

8. His autem verbis populum suum Dominus alloquitur. Cum in Ægyptiaca servitute versareris omni ope destitutus, ad me clamasti: et ego te tenebricosa tempestate implicitum exaudivi et liberavi.

9. *Audi populus meus, et contestabor te: Israel, si audieris me, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.*

9. In monte Sinai his ego te vocibus in cultu meo continere volui. Audi Israel popule meus, et admonebo te: si mihi parere volueris, meque in Deum tuum assumere, vide ne novos deos, et exterarum gentium aris impositos, venereris.

10. *Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, et implebo illud.*

10. Ego enim unus sum Deus et Dominus tuus, qui innumeris patratis miraculis e durissima te Ægypti servitute liberatum in libertatem asserui: tuisque ita desideriis obsequens futurus sum, ut quidquid postularis, id concedere paratus sim.

11. *Et non audivit populus meus vocem meam: et Israel non intendit mihi.*

11. Tu tamen meis vocibus non permotos exhortationem meam sprevisti: atque ad omnia, quæ polliceri aut intentare potui, obsurduisti.

12. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis.*

12. Ob tantam insaniam et stuporem, permisi te desideriis tuis abripi, et consiliis tuis in avia delatum per præcipitia devolvi.

13. *Si populus meus audisset me: Israel si in viis meis ambulasset:*	13. Si faciles aures sermonibus meis præbuisses, et in mandatorum meorum via consistens ad nutum meum versus cælum progressus esses:
14. *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: et super tribulantes eos misissem manum meam.*	14. Hostes tuos facili negotio ad nihilum redegissem: et ultrici manu protrivissem eos omnes, qui te conculcabant.
15. *Inimici Domini mentiti sunt ei: et erit tempus eorum in sæcula.*	15. Sed tu ore mendaci ficta promissa Deo serviendi edidisti: ideoque in æternitate tota punieris.
16. *Et cibavit eos ex adipe frumenti: et de petra, melle saturavit eos.*	16. Dona enim mea pro nihilo duxisti, cum manna e cælo decidens accepisti in cibum, et aquam e rupe per miraculum defluentem in potum.

QUÆSTIO UNICA.

Quanto studio unus Deus colendus est.

34 Ordo Sectionis. In præcedenti sectione locutus est Propheta, et docuit omni modo exultandum esse in Dei laudem diebus festis. Nunc Deum ipsum loquentem inducit, qui doceat omni tempore sibi serviendum esse.

Ac primo, præterita beneficia Deus ob oculos proponit, v. 8. *In tribulatione invocasti me, et liberavi te*, ex Ægyptiaca scilicet servitute. Secundo, in mari rubro, summis in periculis fuit ductor: *Exaudivi te in abscondito tempestatis.* Tertio, in deserto, etiam murmurantibus benefactor: *Probavi te apud aquam contradictionis.*

Secundo, præsenti admonitione illos incitat ad cultus alios omnes abiiciendos. Et quidem primo, iure suo attentionem postulat, veluti rex a populo suo, v. 9. *Audi populus meus.* Secundo, obtestatur, velut amicus amicum: *Et contestabor te.* Tertio, monet, sicut Deus creaturam: *Israel si audieris me, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.* Ostendit enim Primo, se esse maiestate Dominum, v. 10. *Ego enim sum Dominus Deus tuus.* Secundo, potestate mirabilem: *Qui eduxi te de terra Ægypti.* Tertio, liberalitate amabilem: *Dilata os tuum, et implebo illud.*

Tertio denique, futurum periculum ingrati populi declarat, ob duces itineris imperitos, hostes potentes, præcipitia parata, neglecta viæ a Deo data subsidia. Primo enim, ducem se offerebat Deus: sed eum nec populus audire voluit, v. 11. *Et non audivit populus meus vocem meam;* nec illum aspicere: *Et Israel non intendit mihi.* Sed desideria sua sequi, v. 12. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Et consilia: *Ibunt in adinventionibus suis.* Secundo, hostium se debellatorem profitebatur, si populus ei obedisset, v. 13. *Si populus meus audisset me: Israel si in viis meis ambulasset.* Eos enim humi prostravisset, v. 14. *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem:* et attrivisset: *Et super tribulantes eos misissem manum meam.* Tertio, periculi causam assignat, inconstantiam in via Dei fluctuantium, v. 15. *Inimici Domini mentiti sunt ei.* Ruinæ magnitudinem prædicit atque æternitatem: *Et erit tempus eorum in sæcula.* Quarto denique, neglecta viæ subsidia exprobrat, quæ cælestem patriam petentibus paraverat Deus, tum cibum dando, v. 16. *Et cibavit eos ex adipe frumenti;* tum potum suavissimum: *Et de petra, melle saturavit eos.*

ARTICULUS I.

Deus in tribulatione invocatus servos suos adiuvat.

35 Vers. 8. Quid fecerit Deus pro populo suo Israel in Ægypto, in mari rubro, et in deserto, ipse aperit, v. 8. In tribulatione invocasti me, et liberavi te. Pro *in tribulatione*, Hebr. est *in* צרה *tsara*, id est angustia, compressione, afflictione. Chald. vertit, in tempore tribulationis Ægypti: illa enim tribulatio, absolute, et per excellentiam sine addito vocari potest tribulatio. Hebraicum nomen Ægypti, nempe מצרים *Mitsraim*, huic loco convenit. S. Hier. in cap. 29. Ezech. Ægyptus, inquit, hebraice dicitur A Mitsraim; et vertitur ἐκθλίζουσα, *coangustans et tribulans eos*, qui sibi subditi sunt. Exaudivi te in abscondito tempestatis: 1. ego absconditus in tempestate; 2. te absconditum per me in gravissima tempestate. Sed qua? Primo, in ipsa Ægypto, dum Pharao sæviebat, et dum ego plagis atterebam Ægyptios. Secundo et melius, in mari rubro, dum ego latens in columna nubis et ignis te ab hostibus insequentibus abscondebam, et a tempestate, quam in eos excitavi, ignes e nubibus emittens, et ab aquis maris contra eos furentibus, Exod. 14. Quid autem fecerit in deserto subdit: Probavi (Syr. tentavi) te apud aquam contradictionis, id est, ob quam contradixit populus Mosi, et murmuravit quasi eum moriturum in deserta duxisset, ubi esset aquæ inopia. Nota, synecdochice aquam contradictionis poni pro omnibus beneficiis datis in deserto, præsertim siti subveniendo populi. Ubi adverte, hoc ter contigisse. Primo, in Mara anno primo exitus, Ter murmuravit populus ob sitim.
imo tribus diebus post transitum maris rubri: cum enim nulla esset inventa aqua dulcis, sed tantum salsa et amaB ra, murmuravit populus, sed Moses iniecto ligno aquas sanavit et potabiles reddidit, Exod. 15. 25. Secundo, in Raphidim mansione undecima populo siti laboranti, et murmuranti, Deus aquas largissimas de petra Horeb percussa a Mose dedit, id contigit eodem primo anno exitus, antequam perveniretur in montem Sinai. Tertio, populus murmuravit ob aquæ penuriam in Cades, iussit Deus Mosi ut loqueretur ad petram daturam aquas; sed dubitans an sic Deus daturus esset populo tam rebelli aquas, petram percussit, et ad secundum ictum exilierunt aquæ, quæ universo populo suffecerunt, Num. 20. Id contigit anno Mosis 120. et ultimo, 40. ab exitu ex Ægypto, ante Christum 1470. Illæ aquæ ultimæ dictæ sunt aquæ contradictionis: tum ob populum contradicentem Deo et Mosi, ut dixi: tum ob Mosem, aliquo modo contradicentem Deo, et dubitantem an toties murmurantibus vellet succurrere; nec loquentem ad petram, ut erat iussus, sed eam percutientem: unde mors illi in pœnam denunciatur, priusquam populus in terram promissam ingrediatur. Et sic magis C proprie dicitur aqua contradictionis ea, quæ data est ultima in Cades. Aqua contradictionis.

Tropol. Tribulatio tria facit: Primo, excitat hominem, ut ad Deum recurrat. Secundo, excitat Deum, ut homini succurrat, et a periculo eripiat. Tertio, vires animæ corroborat. 36. Tribulationis utilitas triplex.

Ac primo, tribulatio impellit ad orandum Deum: *In tribulatione invocasti me.* S. Chrysostom. illud Ps. 9. 22. *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*, expendens, vocat tribulationem, matrem sapientiæ. Opportunitatem, ait, dicit afflictionem, quam ob rem? quia φιλοσοφίας μήτηρ ἐστι, *philosophiæ mater est ac sapientiæ*, et maxime divinum attrahit auxilium. S. August. Ps. 50. vim tribulationis considerat, quod David nunquam in peccatum inciderit, quamdiu sub afflictione Saulis extitit. Erat, inquit, infirmitate tribulationis suæ *tanto in Deum intensior, quanto miserior videbatur.* Utile quiddam est tribulatio: hæc ibi. In Psalmo autem 93. Punctus tribulatione, inquit, cœpi quærere refugium, quod in illa felicitate sæculari D desieram quærere. Quis enim facile recordatur Deum, qui semper felix est, et spe præsenti gaudet? Secedat spes 1. Incitat ad orandum.

Ægyptus cur dicta Mitsraim.

sæculi, et accedat spes Dei: ita ipse. Itaque tribulatio est stimulus segnes animos a torpore excitans, et ad Deum impellens. Ideo Deus eam immittit, ut humiliatos et ad se accurrentes suscipiat. Isaac presbyter de contemptu mundi: Sicut, inquit, propinqua tibi est superbia, ita sunt et tentationes propinquæ: hoc autem disposuit Deus sapientia sua, pro utilitate tua, *ut assidue ostium eius pulses:* et timore tribulantium, in mente tua eius memoria inseratur: hæc Isaac.

II. Movet Deum, ut illo succurrat. Secundo, tribulatio impellit Deum, ut homini oranti succurrat: *Exaudivi te in abscondito tempestatis.* Hebr. tonitrui. Iob in extremis angustiis erat positus, sed ex ipsa tribulatione divinum ei auxilium advenit. Iob 38. 1. *Respondens autem Dominus Iob de turbine.* Præsens est Deus afflictis. Syr. In Ps. nostro vertit, eripui eum, atque operui illum velamento meo glorioso. Chald. Respondi tibi in loco abscondito domus maiestatis meæ, personantibus coram me rotis igneis. Isaiæ 49. 8. dicitur: *In die salutis, auxiliatus sum tui.* Chald. *In die tribulationis, ego suscito salutem.* S. Bern. serm. 2. in Ps. 90. illum versum expendens: *Dicet Domino: Susceptor meus: et refugium meum es tu, Deus meus;* sic ad rem præsentem loquitur: *Quia in creatione, in redemptione, cunctisque communibus beneficiis, est Deus omnium: sed in tentationibus suis, tamquam proprium eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, et eripere fugientem, ut videri possit relictis omnibus aliis, ei soli operam dare:* hæc Bernardus. Deus multa bona dat per multas tribulationes. Maximilianus Imp. Imperium erat nactus variis cladibus lacerum, pace reddita sibi in symbolum sumpsit malum punicum, cuius ea natura est, ut corona cingatur eo tempore, quo intus multiplices acini rubentes, velut sanguine perfusi formantur, hac adiecta epigraphe: *Per tot discrimina rerum.* Et ad psalmum nostrum aptius, comes quidam Aquinas pinxit mergulum, dictum quod sæpe se aquis immergat, et abditus aliquamdiu tandem emergat procul ab eo loco, ubi visus est ante delituisse: addiditque epigraphen: *Mergar, ut emergam.* Iustus in abscondito tempestatis latens, tandem emicat. Per Christum in crucis tempestate absconditum maior post agitationem sequetur serenitas. Anno millesimo sexcentesimo primo in urbe S. Georgii, cum tempus maxime serenum esset, sub horam diei undecimam aer in nubes densatus est; tum auditæ voces, mugitusque horrifici, et stupendi gemitus in aere, atque eorum sonus modo in occidentem, modo in septemtrionem ferebatur. Cumque ea rerum facies ad secundam usque de meridie horam tenuisset, discussis nubibus in cælo immensæ magnitudinis crux emicuit, dextrum latus in occidentem, sinistrum vero in orientem exporrigens, coronam spineam in medio ferebat, et flagellum a dextro latere dependebat, et in extremis suis corpora diaphana in modum solis lucentia habebat. Ad crucis pedem apparebat vir genuflexus, iunctis manibus, velut veniam postulans. Quod totam duravit noctem, si tamen ulla nox fuit; ex corporibus enim illis lucidis crucem ambientibus, dies emicabat, qui facile iter præberet civibus omnibus, hac illac pietatis ergo commeantibus, in quibus fuit comes Ioannes Destander urbis dominus, et tanti prodigii oculatus testis. Sequenti die, qui erat undecimus Augusti, sub diei crepusculum horrendum tonitru infremuit admistis fulgetris plurimis, scissoque aere crux illa mirabilis evanuit, velut sanguineum sui vestigium relinquens: eius in locum duo portentosa successere animalia, quorum alterum lynci variis maculis variegatæ: alterum draconi intorta et nubibus confusa cauda simile erat. Ab hora octava ad meridiem, pugna monstrorum perduravit, et qui die præcedenti ululatus et gemitus terribiles audiebantur; draco flexus caudæ in occidentem convertebat, lynx vero in orientem. Quantum in nubium densitate coniici potuit, victoria a lynce stetit, et cum horrifico fragore ac tumultu pugna illa desiit. Tum sol, qui ne tam tristia spectaret, faciem abdiderat, purior et clarior illuxit, ut ait Michael Baudier in hist. Turc. lib. 16. pag. 609. Nobis res est cum furibundo dracone diabolo, ad crucem perfugium unicum est, ea nos tegente victores evademus, sed non sine longo conflictu, gemitu, atque cruciatu, parta autem victoria lux cælestis micantior illucescet. Henricum IV. regem Franciæ, cognomento Magnum, excussis bellorum civilium nebulis victorem, amicabili vultu spectabilem efformaverunt Divionenses, atque hoc Lemma appinxerunt:

Vultu quo cælum, tempestatesque serenat.

Dicamus Christo: *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Ps. 79. 8. Vide ibi dicta.

Tertio denique, probat et probatos fortesque reddit tentatio et afflictio: *Probavi te apud aquam contradictionis.* III. Fortes efficit.
Illa oritur in Cades, id est in sanctitate. S. Chrys. hom. 61. in Gen. *Tantam fortitudinem habet virtus, ut clarior fiat, cum infestatur.* Globum crystallinum in tabula positum, sibi pro symbolo assumpsit Ludovicus Gonzaga dux Mantuæ, ut docet Sadeler lib. 3. Symbol. hoc addito lemmata: *Ex glacie crystallus.* q. d. Ex aqua contradictionis gemmæ virtutum, et lux gloriæ, ac splendor exoritur. Lilium etiam a radice excisum floret, si aquis immergatur: unde hoc symbolum Scipionis Bargalii: *Et avulsa florent:* pinxerat autem lilium in aqua. In pœnitentiæ et afflictionis lacrymis virtus reflorescit.

S. Ambros. aquam contradictionis de interna tentatione exponit, aitque: Christi gratia mentem tranquillari. Verba eius sunt præfation. in Psal. 45. Est aqua contradictionis, quando velut quodam maritimi salis æstu fluctuant nostræ cogitationes, nec ulla in profundo mentium definitionis stabilitate placidantur. Tunc tempestas in abscondito, tunc aqua contradictionis, quæ solo potest Christi sermone sedari, quo peccata nobis nostra dimittit, secundum quod ipse dignatus est dicere: *Iam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Caro factum est Verbum, ut carnem servaret. Aqua factum est, ut aquam contradictionis sua gratia temperaret, et amaritudinem impietatis auferret: ita Ambrosius.

ARTICULUS II.

Deo uni Domino nostro, salvatori et benefactori serviendum est.

Post recensita beneficia, quæ contulit Deus populo Israel, declarat quidnam ab ipso requirat, v. 9. AUDI 37
Vers. 9. POPULUS (S. Hier. popule) MEUS, ET CONTESTABOR TE (id est, testatum tibi faciam): SI AUDIERIS ME, NON ERIT IN TE DEUS RECENS, NEQUE ADORABIS DEUM ALIENUM.

Rationem affert, v. 10. EGO ENIM SUM DOMINUS DEUS Vers. 10.
TUUS, QUI EDUXI TE DE TERRA ÆGYPTI: DILATA OS TUUM, ET IMPLEBO ILLUD.

Quæres primo, an Deus ipse locutus sit Mosi, cum dicatur hic et Exod. 20. 2. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti?* Resp. negative, sed per angelum illam legem Iudæis in Sina promulgavit et sancivit. (Deus non est locutus Mosi, sed angelus.) Hoc docet S. Paulus Galat. 3. 19. et Hebr. 2. v. 2. S. Stephanus quoque loquens Iudæis dicit, eos accepisse legem *in dispositione angelorum,* Act. 7. 53. id est, eorum ministerio; 2. illis eam sapienter ordinantibus. Nam legem naturalem in decalogo tradiderunt, Exod. 20. leges iudiciales, cap. 21. et 22. leges cæremoniales, cap. 25. et seq. Probabile est S. Michaelem fuisse promulgatorem illius legis, sicut ductorem populi in columna nubis et ignis: erat enim tunc præses Synagogæ, sicut nunc est Ecclesiæ. Dicitur tamen lex data in dispositione angelorum, quia alii multi angeli ipsi se adiunxerant, tum ad maiestatem, tum ad excitandum ignem, fumum, tonitrua, terræ motum, et alia prodigia, quæ contigerunt in Sina. Loquitur autem S. Michael in persona Dei, quasi eius legatus legem dans populo suo, et eam custodiri iubens. Ex his collige angelorum dignitatem, et erga nos amorem; sunt enim administratorii Spiritus. Collige etiam Dei benignitatem, qui nomen suum velit servis suis communicari: et maiestatem, qui tam excellentes et potentes ser-

vos habeat. Illa porro legis promulgatio in monte Sinai contigit die 50. ab exitu Ægypti, unde eius memoria fit in festo Pentecostes, ad id instituto. Sunt enim quinquaginta dies a Paschate, quod fuit primus dies exitus, usque ad diem Pentecostes, quo lex data est. Et consequenter id accidit ante Davidis regnum annis 435. mundi anno 2544. diluvii 888. Iobi 217. Mosis 81. Iosue 54. Imperii Assyriorum 613. ante Christum 1509.

38. Deus est audiendus, adorandus, timendus, etc.

Nota, Deus hic dicit, Primo, se esse Deum. Secundo, Dominum. Tertio, Salvatorem. Quarto, munificum Benefactorem. Unde sequitur: 1. audiendum esse et adorandum ut Deum; 2. timendum, ut Dominum; 3. amandum, ut Salvatorem; 4. quærendum, ut Benefactorem.

I. Est audiendus.

Primo itaque, Deus est audiendus: *Audi popule meus.* Primo, id iure suo petit. Michææ 6. 1. *Audite, quæ Dominus loquitur.* Ierem. 11. 6. *Audite verba pacti huius, et facite illa.* Deut. 5. 1. Moses antequam iterum promulget decalogum, dicit: *Audi Israel cæremonias atque iudicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie.* Secundo, Qui Deum audit sibi loquentem, a Deo auditur in oratione; et contra dicit Salomon Prov. 28. 9. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Tertio, vox Dei optime animam docet. Procop. in cap. 28. Isaiæ: *Dei sermo,* inquit, *solet animas nostras excolere: suoque tempore, doctrina sicut aratro renovare, et latentes eorum cogitationes proscindere.* Quarto, omnis alius doctor, nihil est. S. Diadochus Episcopus Photices, qui floruit circa ann. 390. lib. de perfectione cap. 7. ait: *Nihil egentius illa mente, quæ de Deo extra Deum philosophatur.* Quinto, Deus loquens animæ, si audiatur, animo est sine periculo. S. Ambros. lib. 4. in Lucam, in prœmio: Non claudendæ aures, inquit, sed reserandæ sunt, ut Christi vox possit audiri, quam quisquis perceperit, naufragium non timebit. Sexto denique, vox Dei virtutes animæ inserit. Sapientia postulat audiri a filiis suis, ut eos timorem, id est amorem Dei edoceat: timor enim filialis decet filios. R. Meir in Pirke avoth, cap. 6. Omnis, inquit, qui laborat in lege, ut discat, is multa meretur: nec solum istud, sed et totus mundus illi debet. Vocatur civis, amicus, *amator Dei*, amator personarum. *Deum lætificat*, lætificat homines: vestit eum humilitate, et timore, et dirigit eum, ut sit iustus, probus, rectus, fidelis, et eum elongat a peccato: hæc ipse. Qui præceptorem audit, Deum audit. Ipse enim dixit Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit.* Loquitur enim Deus per prædicatores et doctores, et illos facit os suum. Rex Congianus bis in hebdomada aures iis præbet, qui ius ob eo deposcunt: responsi vero nihil dat, nisi magnatibus, qui semper ei assident, et cum eo versantur: eorumque interventu satisfacit populo, ut ait Petr. du Iarric. lib. 3. hist. Ind. pag. 17. Deus semper omnes audit, et interius illis loquitur, sed exterius per prælatos et alios, quibus vult obediri, cum in ea voce externa non sit periculum illusionis. Quoties B. Lonfrancus in rebus, quæ ad bonum Ecclesiæ spectabant, dubius hærebat, ne res male vergeret, S. Dunstanus ei apparebat soporato, detegens adversariorum argutias, et evadendi vias, ut ait Edovardus Maihew in natalibus sanctorum congr. Angl. pag. 728. Nos cum Iudæis dicamus Mosi, id est prælato nostro, Exod. 20. 19. *Loquere tu nobis, et audiemus.* Nec sanctorum, nec angelorum visiones et revelationes requiramus. Hæc est via regia et secura, sibi datis ductoribus obedire.

39. II. Adorandus.

Secundo, Deus unus est adorandus: *Si audieris me, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum.* Primo, quia Deus unus est. Urbanus VI. Papa pro symbolo suo columbam sumpsit cum hoc lemmate: *In unitate Deus;* ut indicaret, illi uni cæteris reiectis esse serviendum. Otsman pro symbolo sigilli sui habuit: *Credo in Deum creatorem et administratorem.* Secundo, quia unus omnibus sufficit; est Sciaddai, sibi et aliis sufficiens. Gillebert. serm. 4. in Cant. *O qualis,* ait, *ibi circuitus! pergere ab ipso in ipsum, ire et redire: desiderio ire, delectatione redire: dum semper eius quod experientia desiderat, præsentia satiat: ut mens possidentis et continentis, et illi sit per appetentiam intenta, et illo sit sufficienter contenta.* R. Tam. in lib. recto cap. 2. *Prima columna,* inquit, *purum cor et simplex. Secunda, credere omnia, quæ extra Deum, deficere: tertia columna est, cognoscere creatorem esse per omnia perfectissimum.* Tertio, Deus noster Deus æternus est, ab eo nunquam separabimur, et ab æterno de nobis cogitat ac nos amat: alii vero, dii sunt recentes atque novi. S. August. in Psal. nostr. *Deus noster non recens, sed ab æternitate in æternitatem. Et Christus noster recens, forte homo, sed sempiternus Deus. Quid recentius Deo ex officina, licet illos iam vetustos araneorum casses contexuerint.* Vide dicenda de idolis, Ps. 113. Ante diluvium non fuisse idololatras docet S. Cyrill. Alex. lib. 4. contra Iulianum, et Lactantius lib. de falsa religione, inventionem idololatriæ ad Belum Saturni æqualem refert, qui et Nemrod dictus est. Vide Salian. tom. 1. Anno 230. et in eius scholio quinto. Porro Nemrod cœpit regnare in Babylone post extructam turrim et dispersos homines in sua regna et provincias. Hæc autem divisio contigit anno mundi 1931. diluvii 275. Noemi 875. ante Christum 2122. Athenienses, Scythæ, Persæ, Siculi Deos novos non admittebant, ut ait Ioseph lib. 2. in Apionem, Herodot. lib. 5. Xenoph. lib. 4. Athen. lib. 11. Romulus quoque præcepit, ut deos novos et peregrinos non facile reciperent, legem illam in duodecim tabulis contineri his verbis ait Tullius lib. 2. de legibus: *Deos peregrinos ne colunto: separatim nemo habebit deos: neve novos, sed nec advenas, nisi publice accitos, privatim colunto divos: et eos, qui cælestes semper habiti sint, colunto.* Quarto, Deus unus adorandus est, quia unus noster est, et nostra quærit, alii sunt dii alieni, et Deo nostro nobisque contrarii. Unde hic dicitur:

Dii novi reiiciendi.

Neque adorabis deum alienum, id est alium: ita Arabs; 2. alienum, id est ab aliis gentibus cultum. Deut. 32. 31. *Non est Deus noster, ut dii eorum.* Deus enim noster est sanctissimus, purissimus, immensus, infinitus, æternus, potentissimus; idola vero sunt גללים *ghillulim*, id est sordes, ut Hebræi vocant. Cardinalis Crinelli sumamus symbolum, is pinxerat ventilabrum purgans triticum, his verbis adiectis: *Sordida pello.* Samuel propheta populum Israel renovato cum Deo fœdere purgavit, et uni Deo adstrinxit. 1. Reg. 7. 3. ait: *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth, et præparate corda Domino, et servite ei soli, et liberabit vos de manu Philisthiim.*

Et alieni.

40. Tropol. Dii recentes et alieni sunt: 1. hæreses. 2. peccata.

Tropol. Dii recentes et alieni sunt Primo, hæreses a matre nostra Ecclesia abstrahentes, et nova atque contraria dogmata statuentes. S. August. lib. 2. contra Iulianum, vocat, profanos hæreticorum novitates. Synodus VI. can. 1. statuit, nihil esse innovandum et immutandum in fide. S. Stephanus Papa apud Cypr. lib. 2. Epist. 7. definivit, nihil novandum, nisi quod traditum est. S. Ambr. lib. 3. de fide cap. 7. docet, servanda præcepta maiorum, nec hæreditaria signacula rudi temeritate violanda. Secundo, peccata omnia sunt dii novi et alieni, homo est conditus rectus, et per gratiam ad divina inclinatus, ac filius atque amicus Dei. S. Hier. in Psal. nostr. Cui deus venter est, ait, deus ei recens est. Quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus deos: hæc ille. Exod. 25. 11. dicitur: *Facies supra* (arcam) *coronam auream per circuitum.* Petr. Cellensis id expendens, in expositione morali tabernac. hanc causam affert: *Ut nulla vitæ pars excursum extra Deum faciat.* Arca erat typus Christi. Tertio, peccata sunt dii alieni quia alia prorsus docent, quam Christus; nam Christus docuit esse ieiunandum, condonandum hostibus, paupertatem amandam, beatos esse, qui persecutionem patiantur; at vero mundus, caro et diabolus, atque peccata inde exorta contrarium prorsus docent. Iaponios iure dixeris esse morum nostrorum antipodes; quia in olfactu, gustu, auditu, aliisque contraria nobis faciunt, ut docet fuse Petr. Maffeus lib. 12. p. 330. Sed peccata et hostes nostri sunt antipodes cæli ac Dei, alia enim et opposita via gradiuntur. Imitan-

dus est Iacob Patriarcha, qui ad Bethel, id est ad domum Dei ascensurus, ibique altare facturus Deo, a tota sua familia abstulit Deos alienos, et illos infodit subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem. Aurum, argentum et æs poterat in alios usus convertere, sed maluit idola confracta aut liquefacta penitus abiicere, velut anathemata et sordes. Naaman etiam sapienter ad fidem conversus Venerem auream dedit pauperibus. Evagrius lib. 6. cap. 23. pag. 805. Naaman, ait, Scenitarum tyrannus, qui propria manu homines dæmoniis mactabat, ad fidem conversus suscepto sacro baptismate, *Venerem ex integro auream, igne liquefactam pauperibus distribuit*, et simul suos omnes ad Christum adduxit.

41. III. *Deus timendus, quia est Dominus.* Tertio, Deus timendus est, quia Dominus noster: *Ego sum Dominus Deus tuus.* Malach. 1. 6. dicit ipse: *Filius honorat patrem, et servus Dominum suum; si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus: et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Id est, mihi debitus. Vide S. Ambr. in hæc verba Malachiæ, in fine tom. 2. ex S. Bern. serm. 83. in Cant. Hebræi in Pirke avoth, cap. 1. dicunt, Antigonus vir sapiens, accepit a Simeone iusto, et ipse dicere solebat: Ne sitis sicut servi, qui hero suo serviunt, ut præmium accipiant: sed ut servi, qui hero suo obsequuntur, tamquam præmium non accepturi: *sitque timor cæli, id est Dei, super vos.* Primo, Dominus noster bonus est, et non vult timari timore servili, sed filiali. Trismeg. in Pimandro cap. 6. *Bonum, o Æsculapi, in nullo est, præterquam in solo Deo. Quinimo bonum semper ipse Deus est. Quod si ita se habet, necesse est eum esse,* οὐσίαν πάσης κινήσεως καὶ γενέσεως, *essentiam omnis motus et generationis: expers autem nihil est eius, habens vero circa se constantem efficaciam, non egentem, simplicem, copiosissime suppeditantem, in principio autem undique. Nam omne quod suggerit, bonum est. Quando dico et undique et semper bonum esse dico. Hoc autem nulli alii adest, nisi soli Deo. Non enim cuiusquam rei indiget, ut illud possidendi libidine male possideat, et malus fiat.* S. Anselmus lib. 11. Epist. 28. Qui diligit mundum, sectatur vanitatem, et consequetur miseram indigentiam: qui autem contempto mundo eligit Deum, sequitur veritatem, et inveniet beatam sufficientiam: sic ille. Deus est Ille, qui est: alia vero, non sunt: per se scilicet, ac defectibilia sunt. Pro *Dominus*, hic est *Iehova*, id est ipsa essentia, seu, qui per se est. *Dii variorum populorum.* Pro *Deus*, Hebr. est *Elohim*, id est dii, q. d. Deus est noster et omnia. Secundo, est Dominus excellens. Scythæ acinaci sacrificabant: Thraces, Zamolxidi homini fugitivo, quem ex Samo ad illos delatum esse constat: Phryges autem, lunæ: Æthiopes, diei: Cyllenii, Phaleri: columbæ, Assyrii: Persæ, igni: Ægyptii, aquæ, ut ait Lucianus in dialogo, qui inscribitur, Iupiter tragœdus. Maiores his sumus, et ad maiora adoranda et colenda nati sumus. Deus noster, Deus est cæli et angelorum. Nicol. Trigantius lib. 1. expedition. Christianæ apud Sinas, cap. 10. pag. 104. In Sinarum, ait, libris legi iam inde ab initio illos supremum et unum numen adorasse, quod ipsi *cæli regem* appellant, vel alio nomine cælum et terram: ex quo apparet veteres Sinas opinatos fuisse, cælum et terram animata, eorumque animam pro supremo numine coluisse. Infra hoc numen colebant etiam varios spiritus, montium, fluminum, et quatuor mundi partium tutelares: in omnibus actionibus dictamen rationis audiendum esse dictitabant, quod lumen rationis e cælo se accepisse fatebantur: hæc Trigautius, qui subdit pag. 105. Secta litteratorum apud Sinas idola non colit, sed nec habet. Unum numen veneratur, eo quod ab eo hæc inferiora conservari gubernarique iudicet. Spiritus etiam, sed inferiore cultu colit. Ita ibi.

42. *Gloriandum, quod simus servi Dei.* Ex his est consequens, Primo, nobis esse gloriandum, quod simus servi Dei. Didymus Alex. in Epist. S. Iacobi. Sancti viri, ait, in Epistolis quas scribunt ad Ecclesias, principaliter præferunt servos se esse Domini nostri Iesu Christi, *æstimantes hanc appellationem supra signa totius mundi consistere.* Secundo, tam excellenti et bono Domino obediendum est ex animo. S. August. concion. 2. in Ps. 70.

A *Nihil, ait, tam expedit animæ, quam obedire: et si expedit animæ obedire, in servo, Domino suo: in filio, ut obediat patri: quanto magis in homine, ut obediat Deo.*

Quarto, Deus amandus est, quia Salvator: *Qui eduxi te de terra Ægypti.* Terra Ægypti est peccatum, in quo est captivitas gravissima. Primo itaque, amandus est Salvator, quod a gravi iugo liberat. Ierem. Thren. 1. 5. ait: *Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam, propter multitudinem iniquitatum eius. Parvuli eius, ducti sunt in captivitatem, ante faciem tribulantis.* Quæ explanans S. Paschasius Ratbertus lib. 1. in Thren. sic loquitur: Quæ captivitas valde horrenda, cum et traheris multis irretitus laqueis, ne ab his deflecti aut cessare queas, ante faciem tribulantis, quæ male cepisti. Vides namque quo duceris interdum, et sentis a quibus minaris, nec tamen reluctari prævales, nec resistere, donec miserante Deo disrumpantur vincula rursus, et solvatur captivitas. Intelligit profecto, quæ dico, quicumque infirmatus talibus irretitus vinculis, B cum volet se, nec valet expedire, contra quem desævit iam pœna peccati, at hostes de suis locupletiores facti viribus, oppugnant tantum in capite, ut aliquando ipsam boni intentionem polluant: hæc Ratbertus. Secundo, amandus est Salvator, quia redemit nos ab hac terra Ægypti magno pretio. Servavit Israelem fuso sanguine primogenitorum Ægyptiorum, servat nos proprio fuso sanguine. Ioannes II. Lusitaniæ rex dicebat, sibi non tam propositum esse, ut opera hominum ad aurum quærendum abuteretur, quam ut aurum quæreret, ut opibus suis hominum inopiam sublevaret. Cum audivisset esse volucrem, quæ rostro pectus dilacerat, ut pullos serpentum morsibus exanimatos, *sanguine suo profuso in vitam revocet*, eiusdem volucris imaginem suis insignibus adiungendam curavit, ut ostenderet se esse paratum pro salute suorum sanguinem profundere, ut ait Hier. Osorius Silvensis in Algarbiis Episcopus de rebus Emman. regis lib. 1. fol. 2. *Empti estis pretio magno*, ait Paulus 1. Cor. 6. Tertio, C amandus est Salvator, quia vulnera in captivitate facta sanat. Deut. 30. 3. ubi legimus: *Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miserebitur tui;* Sept. vertunt: Ἰᾶται κύριος τὰς ἁμαρτίας σου, *sanabit Dominus peccata tua.* Quid tu pro Salvatore tuo facies. Primo, te illi gratum exhibebis. Rem notabilem accipe. Mortuo Gamma Lusitanorum duce, milites Deo uno freti ducem alterum eligere noluerunt: sed vexillum misericordiæ, ducis loco, prætulerunt, eaque spe animati hostem fuderunt, regem Zeilanum occiderunt, Claudiumque Abissinorum Imperatorem regno suo restituerunt: qui Deo ut debitas gratias exolveret, totam septimanam sanctam magna pietate transegit. Toto enim tempore, quo sacra Eucharistia in sepulcro asservata est, nec cibum, nec potum sumpsit, nec pedem ab Ecclesia extulit. Quam Imperatoris devotionem mater eius, principesque, et nobilium præcipui imitati sunt, omnesque peccatorum confessione expiati Eucharistiam in paschate perceperunt. Secundo, eo servatore securi vivamus. Villava pinxit Eucharistiam in D scuto, cum hoc lemmate: *Scuto ipse recondor.* Hoc est scutum bonæ voluntatis, quo Ecclesiam suam, et animam a captivitate peccati per confessionem liberatam coronat. Tertio, captivis provideamus. Hebræi redemptionem captivorum vocant, מצוה רבה *mitsva rabba*, id est præceptum magnum. Si imago regis ab hostibus male tractaretur, eam eripere conaremur, quanto magis imaginem Dei?

43. IV. *Amandus Deus, quia Salvator.*

Quinto denique, quærendus est Deus, quia liberalis est, ditare nos et satiare potest: *Dilata os tuum, et implebo illud.* Tribus modis dilatari os potest. Primo, desideriis. S. Athanasius ait, os nostrum esse desiderium nostrum. Richard. a S. Victore: *Quid est, ait, os interioris hominis, nisi desiderium cordis? Sed hoc os omnes Ægypti deliciæ implere non possunt:* hæc ille. Sensus autem erit, dilata os tuum, id est desidera quantum voles, et implebo illud, id est plus dabo quam desideres, aut saltem desiderio tuo cumulate satisfaciam. Ps. 102. 5. *Qui replet in bonis*, id

44. V. *Quærendus est Deus, quia liberalis. Os dilatatur tribus modis: 1. desideriis.*

2 oratione. est bonis, *desiderium tuum.* Secundo, dilatatur os oratione. Sic dicit David Ps. 50. 17. *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Sensus autem erit, dilata os tuum, id est pete quæcumque et quantacumque volueris, et impleba illud: hoc est, faciam abundanter, quæ petes. Ephes. 3. 20. *Qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis.* Donum Dei est hæc dilatatio oris, et oportet ut Spiritus sanctus aret pro nobis, id est orare nos faciat, gemitibus inenarrabilibus, hac enim virtute propria non possumus. Ioannes Baptista et Inechkadat Canadensis ad suas orationem habiturus dicebat: Scitis multorum me verborum profusorem non esse, linguam meam palata hærere, vix os meum perforatum esse, etc. ut ait Paulus le Ieune in litteris anni 1640. Orandum est, ut Deus labia nostra aperiat, et cor dilatet.

3. charitate et aliis virtutibus. Tertia denique, os nostrum dilatatur virtutibus, præsertim charitate, quæ facit ut cor fiet ac liquescat. Dilatatio hæc, ait Beda, fit credenda, amando, prædicando, confitendo. Deus os illud implet, interius quidem, fide et dilectione: exterius vero, confessione et prædicatione. S. Petr. Damiani opusc. 49. cap. 8. Digno, inquit, retributionis divinæ commercio, ut qui se a carnalis edulii voluptate reprimerent, ad spirituales intelligentiæ dapes mentis ora laxarent. Philo præclare lib. allegor. legis, pag. 36. *Deo,* ait, *ne totus quidem mundus dignum esset domicilium, qui sibi ipse locus est, et ipse* [illegible], *seipso plenus, sibique sufficiens: cum Deus alienam indigentiam, solitudinem inanitatemque impleat, et contineat: ipse vero a nullo alio contineatur: utpote unus, et totum ipse ens. Ergo terrenam virtutem seminat ac plantat humano generi, quæ sit imago effigiesque cœlestis virtutis. Paradisus certe figura dicitur virtus: locus autem proprius paradiso Eden, id est deliciæ. Virtuti autem convenit pax, voluptas, gaudium, in quibus sunt veræ deliciæ.* Hæ tres explicationes bonæ sunt; duæ tamen primæ, meliores. Homines a suis subditis dona exigunt, ut ditescant. Anno 1595. rex quidam tributarius Echebari Mogoris regi, donum ei obtulit, quod ducentis aureorum millibus æstimabatur. Duo erant pugiones cum vaginis et zonis ex puto puro auro, lapillis pretiosissimis exornati, tum phialæ duæ mediocres totæ aureæ, etc. Filius eius Soldanus Maradonum aliud non inferioris valoris dono misit. Prorex Bengalæ, munus misit, quod octingentis aureorum millibus æstimabatur: inter cætera erant trecenti elephanti: idque illi sæpe accidebat. Adeo ut, teste patre Pignero, nonnunquam unica in hebdamada ad millionem unum aureorum summa oblatorum munerum excresceret. Vel dux unicus donum obtulit quingentorum mille aureorum. Deo autem nos nihil offerre possumus, quod eius non sit: neque his indiget. Unde dicitur Ps. 15. 2. *Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges:* vide ibi dicta. Ipse vero aperit manum suam, et implet omne animal benedictione.

Mogoris regi maxima dona oblata.

ARTICULUS III.

Deus obsequentes sibi facit felices et victores.

Cum dixisset Deus fore ut divitias mentis daret, si dilatato ore peterentur, nunc ait se externa bona daturum hostibus annihilatis, et corporea bona ostendit dato adipe frumenti. Ut in Deo uno reperias omnia bona: nempe animi, corporis, et fortunæ.

45. Ac primo, ponit peccatum inobedientium, vers. 11. ET

Vers. 11. NON AUDIVIT (S. August. obaudivit) POPULUS MEUS VOCEM MEAM, ET ISRAEL NON INTENDIT (S. Hieron. non credidit) MIHI. Arias, non acquievit mihi. Pagnin. noluit obtemperare mihi.

Vers. 12. Secundo, pœnam in hac vita gravissimam ponit, v. 12. ET (id est, ideo) DIMISI EOS SECUNDUM DESIDERIA (S. August. affectiones. Hebr. שרירות sceriruth, id est obstinationem, duritiem, pravitatem) CORDIS EORUM: IBUNT IN ADINVENTIONIBUS (S. August. affectionibus; 2. et melius S. Hieron. consiliis) suis, hoc est, sine impedimento exequentur ea scelera quæ excogitaverunt, sequentur pro sua libidine excogitatam malitiam: non simpliciter et ex fragilitate erunt mali, sed exquisite et studio adhibito, laxatis habenis in præcipitia ferentur.

Tertio, declarat præmium obedientium, vers. 13. SI Vers. 13.
(Hebr. לו lu, id est, utinam) POPULUS MEUS AUDISSET ME: ISRAEL SI IN VIIS MEIS AMBULASSET.

Vers. 14. PRO NIHILO (Hebr. כמעט chimhat, id est Vers. 14.
quasi parum, quasi nihilum) FORSITAN (hæc particula Forsitan, et Græc. [illegible].
non est in Hebræo. Græce est [illegible], quod sæpe est expletivum ac redundans et nihil significans, ornatus tantum gratia positum; 2. [illegible] est utique, certe, profecto; 3. [illegible] est forsan, forsitan, quod placuit Nostro Interpreti ad denotandum libertatem Dei in agenda) INIMICOS EORUM HUMILIASSEM, ET SUPER TRIBULANTES EOS MISISSEM MANUM MEAM, illos percussurus.

Quinta denique, declarat pœnam impiorum æternam,
v. 15. INIMICI DOMINI (id est mei) MENTITI SUNT EI: ET Vers. 15.
ERIT TEMPUS (id est punitio) EORUM IN SÆCULA, hoc est per totam omnium sæcularum æternitatem. S. Aug. legit, in æternum.

46. Peccator est surdus. Nota primo, peccator est surdus: *Et non audit populus meus vocem meam.* Richardus ait, eum aures habere, sed non audire. Sic enim lib. 1. erudition. interioris hominis cap. 38. Nosti forte, ait, quæ sit virtus obedientiæ, et qualis debeat esse, nec tamen vis obedire; hoc est aures habere, et non audire: hæc ille. De Scribis et Pharisæis, ac Iudæis sui temporis quod dicit Christus, id de omni peccatore obstinato dicere iure possis, qui per tumultus mundanas sibi obstrepit, ne audiat. De Paganis in suo errore perseverantibus ait Lactantius lib. 5. Instit. cap. 1. *Obstrepunt, ne audiant, et oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus.* Vespertiliones sunt, quos depingi curavit Henricus III. Galliæ rex, hoc addito: *Non cognoverunt lucem præsentem;* hæreticos pius rex designabat, qui media in luce caligant, et caligare volunt. Ioannes rex Angliæ, ut denotaret reges verbo et exemplo debere subditis lucem ostendere, in icone præferebat ignem e mantis cacumine coruscantem, hoc adiecto lemmate: *Præluceamus:* id fecit Christus vera lux, quæ illuminat omnem hominem: illi intendamus, eum quæramus et sequamur: ne dicatur nobis: *Et Israel non intendit mihi.* Isa. 9. 13. conqueritur Deus: *Et Dominum exercituum non inquisierunt.* Chald. vertit: *Et doctrinam a facie Domini non quæsierunt.* Iam cap. 3. 2. dixerat: *Qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum, et os meum non interrogastis.* Chald. reddit, verba prophetarum meorum non interrogaverunt.

47. Desideriis suis relinqui est magna pœna: 1. enim sunt turpia. Secundo nota, magna est pœna peccatoris, relinqui suis desideriis: *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Primo, quia sunt turpia. S. Paulus agens de philosophis paganorum, Rom. 1. 24. *Propter quod,* inquit, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Secundo, sunt infamia, ib. v. 26. *Propterea tradidit illos in passiones ignominiæ,* id est ignominiosas, ignominiam afferentes. Tertio, sunt stulta, ib. 28. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Quarto, sunt inquieta. Ezech. 16. 43. Synagogæ dicitur: *Provocasti me in omnibus his: quapropter et ego vias tuas in capite tuo dedi.* Quinto, a Deo auctorem suum abducunt: *Ibunt in adinventionibus suis.* Cant. 1. 8. ait Christus: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum, et pasce hædos tuos.* A nobis nihil habemus præter hircinos fœtores: si Christum sequamur, curremus in odorem unguentorum et aromatum suavissimorum, et digiti nostri stillabunt myrrham primam, ubi eum tetigerimus. Sexto, illæ affectiones et adinventiones 6. noxia.
malitiosæ sæpe sunt auctoribus suis noxiæ. Icarus interfectus est ab ebriis Atticis, quos vini usum docuerat, ut refert Ovidius in Ibim. Perillus periit tormento vaccæ æreæ succensæ, quod ipse tormentum excogitavit, ait Plin.

2. infamia. 3. stulta. 4. inquieta. 5. a Deo abducunt.

lib. 34. cap. 10. Aruntius Paterculus equi æerei, quem fabricaverat, cruciatu, ut dicit Plutarch. cap. 75. parallel. Vide dicta Ps. 7. 17. Pessimi duces sunt propria voluntas per obstinata sua desideria, et proprium iudicium per malitiosas adinventiones. Roman. 1. 22. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt;* cap. 11. 25. *Non sitis vobis ipsis sapientes.* 1. Cor. 1. 19. *Perdam sapientiam sapientium;* et cap. 3. 18. *Si quis videtur inter vos sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens;* et v. 19. *Comprehendam sapientes in astutia eorum.* Roman. 12. 3. *Noli plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem.* Hebræi recte dicunt: *Sapiens, sapiens est, dum scientiam quærit: quando putat se ad finem pervenisse, stultus est.*

48. *Per obedientiam in via Dei ambulandum est.* Tertio nota, per obedientiam ad Deum est ambulandum: *Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset.* Psal. 118. 32. id se fecisse David testatur: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Obedientia est sacer currus, quo Elias in cælum fertur. David de Augusta cap. 2. de obedientia: *O sancta,* inquit, *Dei sponsa obedientia, tu profecto scala es, qua cælum ascenditur: tu quadriga, qua Elias vectus est in paradisum.* Alexander Farnesius militum iacentes animos erexit, efformato in suis numismatis palatio, quod patens esset in excelsa et prærupta rupe, cum hac inscriptione: *Virtutis imperio.* In eam rem Theophilus Alex. patriarcha epist. paschali 3. dicit: Virtus, cum in aurigæ modum, animum rexerit, et quasi in curru stans impetus eius, et varios appetitus doctrinæ habenis compescuerit, de humilibus eum ad excelsa sublevat. Possis quoque obedientiam repræsentare in curru Ezechielis Deum portante, item in eius rotis spiritu Dei animatis et semper currentibus, atque in Cherubinis alatis a Deo non recedentibus, sed ad eius nutum volantibus, prout iubebantur. De Cherubinis habes cap. 1. 12. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* De rotis, quæ etiam erant angeli in modum rotarum apparentes, dicitur v. 20. *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, et rotæ pariter elevabantur, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Ideo rotæ illæ eunt, quia vivunt, mortuus est, qui non obedit, nec movetur animæ motu. S. Bernardus tract. de dignitate divini amoris, cap. 8. *Rotæ, in quibus est spiritus vitæ, semper eunt in voluntatem Domini perficiendam, nec revertuntur ad faciendum suam: si iubentur præesse, præsunt in sollicitudine: si iubentur subesse, in humilitate: si aliquibus coesse, in charitate.* Ab ipsis animalibus ad vocem et nutum hominis mira facientibus obedientiam discere possumus. De equis ait S. Valerianus Episcopus Cemeliensis, qui florebat circa annum 450. homil. 1. de bono disciplinæ: *Doceant nos servare ordinem disciplinæ tam dociles equorum animi, cum in gyrum ducti flexuosis gressibus membra componunt, et sub unius habenæ retinaculo, ita laxari se consentiunt: ut et currendi et standi modus sub quadam legum dispositione servetur.* Equus ille erit Pegasus alatus, quem Typotius expressit se nubibus inferentem, et lemma adiceit: *Alata alatis patent.* Si non vis esse equus, esto aquila: hanc enim faciem etiam habebant Cherubini Ezechielis, sis intentis oculis in Deum tuum, ut ad eius nutum evoles. Quædam in ædibus suis pingi voluerat aquilam, ad solem euntem, cum his verbis: *Vidit et volat,* q. d. Ubi viderit voluntatem Domini sui, statim evolabit. Ideo pennæ Cherubinorum prædictorum erant extentæ desuper, ut semper essent parati ad volandum. Et Seraphini Isaiæ duas alas quasi volaturi extendebant: unde Isaiæ 6. v. 2. dicitur: *Duabus alis velabant faciem eius* (id est, Dei, aut suas) *et duabus velabant pedes eius, et duabus volabant.*

49. *Deus facit voluntatem obedientis.* Quarto nota, Deus dat pacem obedienti, hostibus eius annihilatis: *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem.* Pro nihilo, Hebraice est *chimhat*, id est: 1. quasi parum: ita Arias; 2. quasi nihilum: ita S. Hieronymus; 3. quasi in momento: ita Chald. Primo, humiliationem impii prædicit Zacharias cap. 10. 11. *Humiliabitur superbia Assur.* Secundo, annihilationem, ipse David Ps. 14. 4. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus:* vide

A illum locum. Tertio, eam facit *pro nihilo*, id est, quia obediens se annihilavit pro Deo. R. Gamaliel in Pirke avoth: *Fac, inquit, Dei voluntatem, ut ille faciat tuam voluntatem, ut suam voluntatem. Annihila tuam voluntatem, eius voluntatis causa, ut annihilet aliorum voluntatem, tuæ voluntatis causa.* Cum Deus alios humiliat pro nobis, annihilat illos pro nihilo, quia nihil sumus. Hebræi sic Deum quotidie laudare præcipiunt in סדר תפילות *seder tephiloth*, id est, in ordine orationum. Quid sumus nos, quid vita nostra est, quid misericordia nostra est, quid nostra iustitia, quid salus nostra, quid vires nostræ, quid fortitudo nostra? Quid dicemus ante te, Domine Deus noster, Deus patrum nostrorum? Omnes strenui et fortes, *tamquam nihilum ante te:* et homines magni nominis, tamquam si non essent; sapientes, tamquam sine scientia; intelligentes, tamquam sine intelligentia: hæc ipsi.

Hostibus annihilatis pax est perpetua, eam dandam ait *Et dat illi pacem.* Deus obedientibus. Baruch 3. v. 13. *Si in via Dei ambu-*
B *lasses, habitasses utique in pace sempiterna.* Et Isaiæ 48. v. 18. *Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, et iustitia* (id est, præmium iustitiæ, nempe pax; 2. iustitia, id est, virtus) *tua, sicut gurgites maris; et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui, ut lapilli eius,* id est, gemmæ maris, *non interiisset, et non fuisset attritum nomen eius a facie mea.* Quis enim attrivisset? non Deus, quin obedivissent ei: non hostes, quia nulli fuissent. Lege S. Bernardum libro de conscientia, ubi agit de eius pace.

Virtuti etiam temporales victorias in hostes visibiles dat Deus, et eorum hostes annihilat. Rahab dicit exploratoribus duobus a Iosue in terram Chananitidem missis, Ios. 2. v. 11. *Elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum nostrum.* Ad orationem Iosue et populi Israel muri Iericho pro nihilo humiliati sunt, et ad nihil redacti. Iosue 7. v. 20. *Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, muri illico corruerunt.* Chaldæus vertit: Lapsus est murus urbis, et absorptus est sub-
C ter se, q. d. Hiante terra murus omnis evanuit, et in nihilum recidit. Vis videre pacem sicut flumen, et virtuti datam? aspice Athelstanum et Eadgarum reges Angliæ. Athelstanus in summis angustiis constitutus, intercessione S. Aldhelmi innumeros hostes fudit, sex reges, et sex comites, cum infinita hostium multitudine occidit, ut ait Edovard. Maihew in natalib. congreg. Angl. Bened. t. 1. pag. 589. qui de Eadgaro ait pag. 1000. eredi ipso nascente vocem auditam esse: *Pax Angliæ, quamdiu puer iste regnaverit, et Dunstanus noster vixerit.* Cum anno 974. *Edgari regis summa gloria.* octo reges ad urbem Legionum, prout illis condixerat, venissent, omnes fidelitatis iuramentum illi præstiterunt. Unus erat rex Scotorum, alter Cumbrorum, tertius Manniæ et Insularum, reliqui Walliæ reges erant. Hoc peracto naviculam cum illis ascendit, et in puppi sedit: et gubernaculum, sive clavum gubernaculi arripuit, (alii ad proram sedisse scribunt) *subregulos ad remos locavit: illisque quasi remigibus remis incumbentibus, ipse navicu-*
D *lam per Denam fluvium, omni turba ducum et procerum simili navigio comitante, a palatio usque ad monasterium S. Ioannis læto spectaculo perite duxit.* Per hoc (ait Malmesburiensis) ostentans regalem magnificentiam, qui subiectam haberet tot regum potentiam. Ibi divinis expletis mysteriis eadem pompa ad palatium rediit. Quod cum intraret, optimatibus dixisse fertur. Tunc demum quemque suorum successorum, se posse gloriari reges esse Anglorum, cum tot regibus sibi obsequentibus, talium pompa potiretur honorum. Hoc illi bonum a pietate extitit: itaque a tranquillitate pacis, qua fruitus est, nomen habuit Pacifici: hæc Edovardus Mahiew. In Æthiopia unus nobis Claudius exemplum est felicitatis in virtute, et calamitatis in vitio. Cum enim in Æthiopia Abassinorum David Imper. Summo Pontifici Romano obedientiam per legatos præstitisset, Claudius eius successor a vera fide defecit, atque in pœnam amisit imperii sui partem: facti pœnitens Lusitanorum ope amissa recuperavit: sed ite-

rum a vera fide factus apostata, magnam Æthiopiæ partem a Turcis et Gallis Africæ populis occupari vidit, nec impedire potuit.

50. *Manus Dei atterit impios.* Quinto nota, manus Dei sceleratos atterit: *Super eos misissem manum meam,* velut fulmen aut gladium. 2. Hebraice est, vertissem manum meam, q. d. Huc illuc manum convertissem, eos ubique feriens in capite, in pectore, a tergo, in lateribus, ut nihil sit in illis non percussum. 3. Arabs reddit, *extendissem manus meas,* q. d. Dexteram et lævam: in temporalibus et spiritualibus feriens, et quidem extentis manibus et ictu valido. Ubi adverte, quod missio manus denotat percussionem, ut Iobi 2. v. 5. Primo, facilem. Secundo, prudentem. Dei manus ita potens est, ut tribus digitis orbem terræ sustineat: ita gravis est, ut omnes impios atterat. Vim illam suam ex parte communicat viris fortibus. *Scanderbergii robur.* Scanderbergio regi Albaniæ tantum inerat roboris, ut unico ensis ictu caput agresti et indomito tauro agros sororis suæ Mamisæ vastanti absciderit. In Apulia, præsente rege Neapolis Ferdinando, caput apri, quem sicut taurum illum, eques aggressus erat, pari facilitate secuit. Cum Ballaban obsidionem Croiæ urbis in Albania solvisset, adductos ad se Iovimum, et Heberem, fratrem et nepotem Ballabani, uno ictu per corpus medium simul divisit. Duos enses in una vagina ferre solitus erat: eosque, ut plurimum, in una pugna hebetabat, aut frangebat. Induciarum tempore Mahometus Turcarum Imperator ensem illius petiit, quem cum misisset, nec barbarus quidquam illo fieri posse insolitum advertisset, cum ira remisit, adiecitque: Nullam se illi gratiam habere, quod rem misisset, quam pretio facile consequi posset, nec se fidem iis habere, quæ de eo dicerentur. Sed in oculis legati rex ille fortissimus longe admirabiliora iis, quæ dicebantur, ense illo præstitit, curavitque Turcæ renuntiari. *Non ab ense, sed a brachio, vim illam procedere, seque illud in hostes servare,* ut ait Iacobus de Lavardin. lib. 12. vitæ eius cap. ultim. p. 494. Legi sæpius, Germanum unum cum Friderico Imperatore ad terram sanctam pergentem a Saracenis multis visum esse, cum esset solus remotus a reliquis sociis, unumque cæteris velocius ad eum cucurrisse, sed nihil motum virum fortem equi pedes unico ictu messuisse, tantoque vulnere equitis caput divisisse, ut illo interfecto, et toto corpore dissecto sellam equi attigerit: reliquos tanto robore attonitos hæsisse, et a persequendo destitisse. Michael Baudier lib. 12. histor. Turc. pag. 312. ait, quod cum Alba regalis in Hungaria obsideretur, Turcæque duo in factam muri ruinam irrumperent, mulier generosa utrique caput, uno ictu falcis ad prata tondenda idoneæ demessuit.

51. *Peccator Deo mentitur.* Sexto nota, peccatores mentiuntur Domino: *Inimici Domini mentiti sunt ei.* Primo, Lyranus et Trevetus id explicant de Iudæis vitulum aureum adorantibus, cum prius promisissent se legem ab angelo datam in Sinai servaturos, et Deum unum adoraturos. Secundo, Nicephorus explicat de Iudæis ficte Christum laudantibus. Arnobius de iisdem Christum negantibus esse a Deo. S. Basilius, de Christi crucifixoribus. Tertio, S. Augustinus et Ludolphus, mendaces illos Christianos, dicunt esse falsos Christianos, qui in baptismo renuntiaverunt factis malis et vitiis, et postea se illis implicant. Tit. 1. v. 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, et incredibiles,* ἀπειθεῖς increduli, *et ad omne opus bonum reprobi.* Psal. 77. vers. 36. *Dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius:* vide illum locum. Hoc etiam improbat Isaias cap. 29. vers. 13. Philo Carpathius, in cap. 5. Cantic. Nihil turpius, ait, nihil infelicius, quam vitam disparem verbis agere: hæc ille. Ideo David mentientes Deo vocat eius inimicos. S. Gregor. Naz. orat. de plaga grandinis: Præstat, inquit, pauca verba de virtute facere, cæterum actionibus ipsis permulta demonstrare, vitæque integritate orationi fidem auctoritatemque conciliare; quia pluris æstimanda est pulchritudo visa, quam picta: divitiæ possessæ, quam somniatæ. *Aldeni stulta iactantia et probrosa timiditas.* Quis non irrideat et execretur Aldenum gubernatorem Lippæ, qui Castaldo scripserat, in tuto urbem esse positam, cum in ea ipse esset: si Turca oppugnaturus accederet, fore ut eum citissime in fugam coniiceret, aliaque eiusmodi ventosus homo iactaret? capta vero Themisware, incendio Lippam absumere statuit, neque ab ea mente deduci potuit, licet alium cursum tenere Turcarum exercitus moneretur. Cum a vaccis pulvis excitatus cerneretur, hostem ille ratus bellicas bombardas ad os usque pulvere oppleri imperavit, ut disrumperentur, et arcem exussit: sicque Lippa in manus hostium nec oppugnata venit, ut refert Baudier lib. 12. pag. 333. Occasio morbum latentem prodit. S. Augustinus serm. 15. ex 40. novissime editis: *Cito,* inquit, *in una tentatione offendit Deum homo, et fit inimicus. Imo non tunc fit inimicus, sed tunc proditur inimicus fuisse. Nam quando diligebat, et laudabat, inimicus erat: sed nec ipse sciebat, nec alii. Accedit tentatio, tangitur vena, et proditur febris. Itaque, fratres, dilectio et amicitia mundi inimicos Deo facit:* hæc Augustinus. De Iaponibus dicit Petr. Maffæus lib. 12. quem pessime oderunt, eum familiarissimis oculis intuentur: Deus vero, qui est veritas, sinceros corde diligit, et mendaces odit. Ecc. 15. 3. *Displicet Deo infidelis et stulta promissio.*

Constantes et fideles Deus amat. Innocentes et recti adhærent Deo. Ps. 24. 21. et virtutis viam ingressi, ab ea non recedunt. Ugo Card. in Ps. 8. eos cælis continuo et constanti motu iter suum agentibus comparat. Viri spirituales, ait, dicuntur cæli, quia semper volvuntur, et nunquam retrocedunt. Clemens VII. Papa sphæram crystallinam pingi curavit, cum hac epigraphe: *Candor illæsus.* Cum Præfectus quidam a S. Basilio peteret, cur Valentis Imp. fidem non sequeretur, sed reprehenderet; mortemque ille Præfectus sancto viro minaretur: Utinam, ait, hoc mihi contingat, ut propter veritatem a corporis vinculis liberer: ac Præfecto admonenti, ut consideraret, quid facturus esset, ait: *Ego et hodie et cras idem sum, utinam teipsum non mutasses.* Eo die in custodia mansit Basilius, ut recitat Socrates lib. 4. cap. 26. pag. 359. Pari constantia et fide arcem cordis nostri tueri debemus Deo regi nostro, quo duces et cives generosi urbem sibi creditam regi suo. *Agriensium virtus in urbe tuenda.* Agriensium fides et fortitudo est mirabilis. Cum enim Achmetus Bassa eos cum sexaginta hominum millibus, et sexaginta tormentis maioribus obsideret, eosque ad deditionem hortaretur: ne verbo quidem reddito, duabus lanceis, pheretrum supra muros extulerunt, quod panno nigro tegebatur: idque solum ei ostenderunt, a quo ad deditionem incitabantur, ut declararent mortem se potius subituros. In iis turmis nobiles erant quingenti: omnes subsignarunt, nemini ut liceret, sub capitis pœna, de deditione loqui, potius seipsos mutuum in cibum sumpturos, quam ut ullas conditiones admitterent: itaque nulli esset licitum, nisi tormentis bellicis hosti respondere, nec plusquam quaterni simul esse possent. Cum mater, filia et gener pro muris in hostem pugnarent, et glande ferrea traiectus gener cecidisset, mater interrita ait filiæ ut abiret, maritumque sepeliret: Tum vero, ait illa, id fiet, cum eius mortem ulta fuero, his dictis in hostem se furibundam immisit, tres Turcas occidit, ac deinde maritum sepelivit. Altera item mater ingentem lapidem ferebat, quem in hostes coniiceret, illi machina quædam caput abstulit, filia lapidem matris cruore madentem accepit, eoque deiecto duos Turcas oppressit, multosque sauciavit. Tandem Achmetus multis suorum amissis castra inde commovere coactus est.

52. *Tempus pro punitione.* Septimo denique nota, momentaneam peccati delectationem sequitur æterna cruciatio: *Et erit tempus eorum in sæcula.* S. Aug. in æternum. Ubi adverte, quod apud Syros, et in Scriptura, tempus aliquando sumitur pro punitione. Ierem. 27. 7. *Servient Nabuchodonosor omnes gentes, et filio eius, et filio filii eius, donec veniat tempus terræ eius, et ipsius.* Ezech. 7. v. 7. *Venit contritio super te, quæ habitas in terra: venit tempus, prope est dies occisionis, et non gloriæ montium.* Secundo, temporalia sunt mo-

Momentaneam delectationem sequitur æterna pœna.

montanea. S. Leo serm. 1. de resurrect. *Temporalia ista pro transactis habenda sunt: quoniam ex maiori sui parte iam non sunt: siquidem præterita iam fluxerunt, futurum nondum advenit: quod autem præsens est, unius puncti momentum est.* Tertio, momentum illud delectationis sequitur pœna æterna. Petr. Cellensis lib. de panibus cap. 4. Ad punctum, ait, et in modico, tamquam spuma aquæ defluxit: vel, sicut fumus de fumario, evanuit peccati delectatio: sed æternaliter extenditur prolixitate, et anxietate, atrocium pœnarum excruciatio. Ugo Card. in Ps. 45. Deliciæ terrenorum habent in superficie claritatem et limpiditatem: in fundo autem fæcem. Claritas est præsens delectatio: fæx est æterna damnatio. S. Antonius Paduanus serm. in Dominica 3. post Pascha: In hoc mundo, ait, bibunt vinum lætitiæ: sed in alio bibunt acetum gehennæ. Conclude itaque cum August. in Psal. nostr. *Fratres*, inquit, *nimis timidus esse volo. Melius est enim non vobis dare securitatem malam. Non dabo, quod non accipio, timens terreo. Securos vos facerem, si securus fierem ego, ignem æternum timeo. Et erit tempus eorum in sæcula, non accipio nisi ignem æternum:* ita Augustinus.

ARTICULUS IV.

Suavissimis cibis servos suos reficit Deus.

53\. Vers. 16. Cibavit Deus Israelitas adipe frumenti, et mel le de petra.

Cum dixisset Deus, se hostes populi sui humiliaturum fuisse, si se audivisset, et in viis suis ambulasset, id probat: quia, licet mendaci, et fidem datam frangenti, dedit cibum suavissimum, et potum, v. 16. Et (id est, et tamen) CIBAVIT EOS (mentitos Domino) EX ADIPE FRUMENTI (Arabs, pinguedine frumenti) ET DE PETRA MELLE SATURAVIT EOS. Arabs, et saturavit eos melle de petra. Et petra erat mel, et id quod de petra exibat. Dupliciter hæc exponi possunt ad litteram. Primo enim, adeps frumenti, seu panis pinguissimus est manna, quo Deus populum suum per 40. annos cibavit in deserto. Ille est panis angelorum, de quo dictum Ps. 77. 15. Mel de petra est aqua tum de petra Horeb, qui est unus de verticibus montis Sinai; tum de petra Cades decurrens, quæ aqua in siti populo instar mellis, id est suavissima extitit. De illo aquarum dono etiam habes Ps. 77. 16. Secundo, id exponi potest de abundantia terræ promissionis, in qua Deus dedit populo suo adipem frumenti, quia erat tunc terra pinguissima et fertilissima, atque optimi tritici ferax, et mel in petris ac sylvis copiosum repericbatur, ut patet in facto Ionathæ, qui virgam intinxit in mel, 1. Reg. 14. cum persequeretur per saltum Philisthæos fugientes. Moses prævidens illam fertilitatem dicebat, Deuter. 32. 13. *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo: butyrum de armento, et lac de ovibus cum adipe agnorum, et arietum filiorum Basan: et hircos, et cum medulla tritici, et sanguinem uvæ biberet meracissimum.* Qui describunt ætatem auream, dicunt tunc mella dedisse vel sudasse quercus: ita Virgilius eclog. 4. Tibull. lib. 1. eleg. 3. item ex ilice manare: ita Horatius epod. od. 6. Ovid. 1. Metamorph. electra myricas sudasse: ita Virgilius eclog. 8. rorasse querceta favis: ita Claudian. 1. in Ruffinum; ferens rubus asper amomum: ita Virgil. eclog. 3. Et vere in medio mel ab arboribus stillare docet Euripides in Bacchis. Apud Cithæronem dulces a ramis guttas stillare alii memorant, et in Thracia mel ex arboribus suppetere proditur. Arbores item melliferas Hyrcaniæ in pagis, qui fortunati dicuntur, esse asseverant. In Polonia et Moscovia apes sylvestres in sylvis mellificant.

1\. In deserto

2\. In Chanaanitide.

Ætas aurea.

54\. Cibum corporis servis suis Deus providet.

Moral. Deus servis suis etiam cibum corporeum providet. Ps. 36. 25. *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Vide illum locum, et Ps. 54. 23. fuse in illud: *Iacta super Dom.* Adde, Primo, in Æthiopia Abassinorum noster Oviedus Patriarcha in exilium cum quibusdam Christianis missus, et ad summam rerum omnium inopiam redactus, ad orationem confugit. Deus illico fluvium propinquum exsiccavit, et tantam piscium copiam obtulit, ut non in præsentem modo necessitatem sumpserint, sed in consequentes etiam dies reservarint, iisque mulos aliquot oneraverint: tunc ad pristinum alveum fluvius rediit. Secundo, in nova Francia Deus sæpe Canadensibus Christianis per sylvas vagantibus, et ad extremam redactis famem, præter omnem spem, cibos obtulit, obiecta venatione, quæ sine difficultate caperetur, ut refert Paulus le Ieune in litteris anni 1640. et consequentium annorum. Tertio, in Gallia nostra cum S. Columbanus et socii, per novem dies nihil præter cortices arborum, herbasque saltus ederent, Deus Carantocum Abbatem in somnis admonuit ei ut necessitati subveniret; sed cum locus ignoraretur, in quo manebat, equis libera potestas relicta est eundi quo vellent, tum illi recta ad fores sancti viri perrexerunt, ut ait Ionas Abbas eius æqualis in ipsius vita. Quarto, in Hispania, cum Salmanticense collegium gravi premeretur penuria, incidit aliquando dies, cum domi nihil esset, nec inveniri posset, unde famem Dei famuli levarent. Aridus ducendus is dies erat, iam annona consumpta: cum haud immemor divinæ fiduciæ qui præerat, iubet rem Deo diluculo, tum cum ad orandum surrexerant universi, accuratis precibus commendari. Vix orandi finis campanæ significatus est cantu, cum extemplo pulsantur fores, et pecuniæ subsidium affertur, ut ait Nicolaus Orlandin. lib. 2. hist. Soc. Iesu, numer. 49. Quinto denique, in Italia, cum S. Clara in Monasterio suo unum tantum panem sciret esse, iussit sorori Cæciliæ, ut partem daret fratribus, alteram in quinquaginta partes pro religiosarum numero divideret: tum Cæcilia: Opus est, ut miracula vetera innoventur, ut tam parvæ particulæ sufficiant in tam multas. Respondit Clara: Fac secure filia quod dico. Clara ad Christum pergit oratura: Cæciliæ in manibus fragmenta crescunt, et cuilibet extitit portio copiosa.

Exempla.

Elicit quoque Deus sanctis suis mel de petra, hoc est, fontes in siti, ut S. Petro, S. Clementi Papæ, S. Isidoro agricolæ, S. Benedicto, S. Caprasio, S. Humberto, ut est in vita S. Aldegundis, cap. 19. S. Willibrordo, S. Trudoni, et aliis, ut habetur in eorum historiis.

55\. Allegor. Christus est adeps frumenti, et mel de petra, in sua Incarnatione et vita.

Allegor. Primo, *adipem frumenti*, Haymo explicat de Christo incarnato. Beda, de illo, et aliis interioribus doctrinæ sacræ mysteriis. Christus ipse Ioan. 6. se vocat panem vitæ. De illo iure dixeris, quod ait Iacob Patriarcha de filio suo Aser, cui benedicebat, Gen. 49. 20. *Aser, pinguis panis eius, et præbebit delicias regibus*, id est, viris sibi imperantibus, et qui sunt filii regni cælestis. Mel etiam de petra, id est, de Virgine profluens est Christus, primo incarnatus et e cælo veniens, sicut mel: non enim fit ab apibus, sed ab illis colligitur. Plin. lib. 11. cap. 12. *Venit*, inquit, *mel ex aere, et maxime siderum exortu. Sive ille sit cæli sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se æris succus. Utinamque esset et purus ac liquidus, et suæ naturæ qualis defluit primo: Nunc vero e tanta cadens altitudine, multumque dum venit sordescens, et obvio terræ halitu infectus, præterea e fronde ac pabulis potus, et in utercnlos congestus apum (ore enim vomunt) ad hæc succo florum corruptus, et alveis maceratus, totiesque mutatus; magnam tamen cælestis naturæ voluptatem affert.* De Christo dicebant Sancti. Isa. 45. 8. *Rorate cæli desuper, et nubes pluant iustum.* S. Bernardus eius præstantiam aperit sermone de passione: *O decor*, ait, *immarcescibilis Dei excelsi, et purissima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam vivificans, lux omne lumen illuminans, et conservans in æterno splendore: mille millena lumina fulgurantia ante thronum Divinitatis tuæ a primo diluculo, o æternum substantiale, et inaccessibile, clarum, et dulce profluvium fontis absconditi ab oculis mortalium, cuius unda sine ortu, cuius profundum sine profundo, cuius altum sine termino, cuius amplitudo incircumscrutabilis, cuius puritas imperturbabilis. Eructavit te cor Dei altissimi, de sua impenetrabili abysso, vita vitam, lux lucem, æternus æternum, immensus immensum, et per omnia sibi æqualem, et de plenitudine tua omnes accepimus. Tu enim largissime*

fons omnis boni, septemplicis gratiæ, pretiosum flumen de thesauris tuis emissum, cuius suavi dulcore huius nostri maris, id est, nostræ infirmitatis salsuginem mitigare digneris, flumen olei lætitiæ, flumen vini meracissimi, torrens ignei vigoris: ita Bernardus. Hic fons ad nos defluxit per Incarnationem, et melle omni suavior extitit. Secundo, Christus in terris vivens fuit mel, et melle ac nectare omni amabilior. Salomon dicit Prov. 16. 24. *Favus mellis composita verba.* Eccl. 24. 27. ait Sapientia incarnata, id est, Christus: *Spiritus meus super mel dulcis.* S. Gregor. hom. 26. in Evangelia: *Mel*, inquit, *de petra suxerunt, qui eiusdem Redemptoris nostri facta et miracula viderunt. Oleum vero de firma petra suxerunt, quia effusione sancti Spiritus post resurrectionem eius ungi meruerunt. Quasi ergo in firma petra mel dedit, quando adhuc mortalis Dominus miraculorum suorum dulcedinem discipulis ostendit. Sed firma petra oleum fudit, quia post resurrectionem suam factus iam impassibilis, per afflationem spiritus, donum sanctæ unctionis emanavit.* Vide S. Bernard. in sententiis, ubi sic ait: Quid tam cordium vita, quam Deus meus Iesus? Is vere est amans et amabilis, etc. Tertio denique, etiam post resurrectionem, et in cælo regnans, est mel sanctorum et angelorum. Hinc coram discipulis apparens, cum surrexisset a mortuis, comedit partem piscis assi, et favum mellis, Lucæ 24. 42. quod S. Gregor. exugens homil. 24. ait: *Qui piscis assus fieri dignatus est in passione, favus mellis nobis extitit in resurrectione. Nam qui in pisce asso figurari voluit tribulationem passionis suæ, in favo mellis utramque naturam exprimi voluit personæ suæ. Favus quippe mel in cera est. Mel vero in cera, divinitas est in humanitate. Quod ab hac quoque lectione non discrepat: nam piscem comedit et panem. Qui enim ut piscis assari potuit ex humanitate, pane nos reficit ex divinitate, qui ait: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Assum ergo piscem comedit et panem, ut ipso suo cibo nobis ostenderet, quia et passionem ex nostra humanitate pertulit, et refectionem nostram ex sua divinitate procuravit.*

56. *Christus in Eucharistia est panis: 1. Suavissimus.* Secundo, Christus est *adeps frumenti et mel* in Eucharistia. Ac primo, est frumentum, seu panis: *Cibavit eos ex adipe frumenti.* Et quidem, panis est suavissimus. Ps. 77. 24. *Panem cæli dedit eis.* S. Cyprianus sermone de cœna Domini: *Hic panis*, inquit, *omnium carnalium saporum irritamenta, et omnium exuperat dulcedinum voluptates. Vide quomodo his, qui Christi commemorant passionem, intra sacra officia, quasi per quosdam canales, de interioribus fontibus egrediantur torrentes, et super omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur, quantam suavitatem animæ inquirenti ubi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant, ut deinceps peccatorum pocula horreat, et omnis sapor delectamentorum carnalium, sit ei quasi rancidum radensque palatum acutæ mordacitatis acetum, ut Christum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, et omni tempore habitatori suo dicta et facta, iubilatione consona laudes resonent, et gratiarum actiones decantent.* *2. Virgineus et faciens virgines.* Secundo, panis hic est virgineus, et virgines faciens. S. Chrysologus: Christus, inquit, est panis satus in Virgine, in Ecclesia fermentatus, nostris illatus altaribus: hæc ille. Est vinum germinans virgines. S. Cyprianus mox citatus: Hæc ebrietas, ait, non accendit, sed extinguit peccatum, cum sopivit oblivio cuncta carnis ludibria: mira sunt, quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur. *3. Lætificans.* Tertio, panis hic pinguis est, et dat lætitiam. 2. Esdræ cap. 8. 10. *Ite comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi*: quia sanctus dies Domini est, et nolite contristari: gaudium enim Domini est fortitudo vestra. *4. Vivificus.* Quarto, panis est vivificus. Ioannis 6. 35. *Ego sum panis vitæ.* Paradinus spicas pinxit e sepulcro emergentes, cum hac inscriptione: *Spes altera vitæ*, coronare spicis possis vascula, et tabernacula, quibus Eucharistia continetur: solem veteres nonnunquam spicis coronabant, ut eum frugum esse auctorem et procreatorem declararent. Spicis coronatus sol apparuit circa tempora nativitatis Christi, ut ait Baronius in apparatu Annal. Eccles. ex Dione. *5. Angelicus.* Quinto, Eucharistia panis est angelorum, Psal. 77. 25. et angelicorum hominum, Zachariæ 9. 27. *Quid est bonum eius, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?* Hoc ad litteram explicant de Eucharistia S. Hieronymus, Lyranus, Remigius, Ribera, Haymo, a Castro, Cornelius, quem fuse ea de re agentem, et utilia acervantem consule. Ille est cibus regius, qui dabatur Danieli et socii eius, Dan. 1. Mundani vero cibi, viles sunt, turpes, et abominabiles. *Cibi horrendi variorum populorum.* In regno Angolano cibus omnium acceptissimus est caro canum, et accidit nonnunquam, ut duobus et viginti hominibus unus canis sit venditus, ut ait Petr. Iarrius lib. 3. cap. 6. pag. 76. in insula Martiniqua lacerti sunt cibus suavissimus, ut refert Petr. Bouton, qui ibi fuit, in litteris anni 1640. in Brasilia vescuntur simiis, et lacertis, atque anguibus, et muribus, nullasque eiusmodi dapes aversantur, ut dicit Hier. Osorius lib. 2. de rebus Emmanuelis regis Lusitan. fol. 54. in regno Congensi comedunt serpentes viginti quinque palmorum longitudinis, et quinque latitudinis, ut docet Petr. Iarrius lib. 3. cap. 1. pag. 9. Deus vero, nos cibat ex adipe frumenti, et cælestibus ac divinis epulis, et tamen refugimus.

57. *Christus in Euch. est mel.* *Mel* quoque est in Eucharistia, figuratum in melle Ionathæ 1. Reg. 14. et in melle Samsonis, reperto in ore leonis, Iudic. 14. Miramur cum Flodoardo in chronico, circa urbem Remensem mel in spicis inventum esse. Miramur ex spicis sanguinem fluxisse, ut refertur in vita S. Chunegundis Imp. apud Sur. 25. Augusti. Et non miramur, quotidie in Eucharistia corpus Christi omni melle suavius, et sanguinem reperiri. *Ex sanctorum corpore unguenta fluunt et mel.* Miramur corpus S. Athanasiæ incorruptum esse, et sepulcrum eius unguento suavissimi odoris abundare, ut dicit S. Metaph. 14. Augusti in eius vita. Et non miramur Corpus Christi incorruptibile, et divinitati unitum in altaribus nostris, unde iuge unguentum et balsamum defluat. Miramur ex reliquiis sanctorum Naboris et Felicis mel defluxisse, quo viso miraculo milites ad fidem conversi sunt, ut docet Gaspar Trissinus in Actis S. Savinæ: atque, oppidum Legnanum prius dictum, nunc vocari *Mellignanum*, quod ibi hoc miraculum acciderit: id etiam referunt Franc. Rugerius et Christianus Quintilianus. Et non convertimur, sugentes quotidie mel de Christi corpore?

58. *Scriptura est adeps frumenti.* Tertio denique, *adeps frumenti, et mel de petra*, est suavitas divina in Scripturis. *Est cibus. 1. Suavis.* Ac primo, Scriptura sacra est cibus suavis. Richard. lib. 1. de præparatione animi ad contemplandum, cap. 1. Sapientiæ decor, inquit, omnem superat pulchritudinem: eius dulcor omnem excedit suavitatem. S. Ambrosius lib. 1. officior cap. 32. Convivium sapientiæ est, inquit, singuli libri singula sunt fercula. *2. Dans vitam.* Secundo, panis ille dat et conservat vitam. S. Ambrosius sermone 35. Ipsa est esca, *quæ vitam æternam tribuit*, et insidias nobis diabolicæ tentationis excludit. *3. Impinguans.* Tertio, Scriptura est panis seu cibus impinguans animam. S. Ambrosius ibidem: *Ipsa est refectio quæ saginat animam, quæ impinguat viscera: cum de divinis Scripturis cibum eloquii perennis accipimus.* S. Theodor. Studita sermone 78. Nobis, ait, ceu *opipara quædam mensa*, præbita doctrina sanctorum est. *4. Roborans.* Quarto, Scriptura est panis seu cibus animam roborans. S. Petrus Damiani opusc. 12. cap. 33. *His*, ait, *dapibus inhians fidelis anima, assiduæ lectionis alimento vegetata robur accipiat, et purissimæ orationis adipe saginata pinguescat: relinquatur fames sæculi fastidientibus convivium mundi. Nos autem didicimus illa epulas esurire, quæ et famelicis assolent satietatem cum iucunditate tribuere, et tamen satietatis nesciunt fastidium generare.* *5. Salutaris.* Quinto, cibus est salutem afferens. S. Bernardus serm. 73 in Cant. *Quidni*, ait, *eruam dulce ac salutare epulum Spiritus de sterili et insipida littera, tamquam granum de palea, de testa nucleum, de osse medullam.* *6. Satians.* Sexto, satiat animam. S. August. lib. 6. de vera relig. cap. 51. Divinarum, ait, Scripturarum consideratione et tractatione pascamus animum, atque poterimus vanæ curiositatis fame ac siti fessum et æstuantem, et inanibus phantas-

matibus, *tamquam pictis epulis*, frustra refici satiarique cupientem. Hæc Augustinus, qui serm. 29. de verbis Domini, in mundum indignatur, quod alumnis suis cibos amaros det, cum ab iis velit amari. Quid, ait, strepis, o munde immunde? Quid strepis? quid avertere conaris. Tenere vis periens: quid faceres, si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris: sic ipse.

7. Non generat fastidium. Septimo, cibus ille est sine fastidio et nausea. S. Greg. 20. Mor. 1. Esu fastidium tollit. Octavo, cibus ille

8. Sanctus est. sanctus est: Scriptura est mensa panum propositionis, in oculis Dei posita. Petrus Blesens epistol. 134. Sacra, inquit, lectio vobis necessaria est. Ipsa est mensa tabernaculi.

9 Regius. Nono, cibus ille a Rege ipso porrigitur. Matthæi 4. vers. 4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod pro-*

10. Incorruptibilis. *cedit de ore Dei.* Decimo, cibus est incorruptibilis, atque æternus. S. Cæsar. Arel. hom. 20. *Lumen animæ, et cibus æternus, non est aliud nisi verbum Dei, sine quo anima nec videre potest, nec vivere: quia quomodo caro nostra moritur, nisi capiat cibum: ita et anima nostra extingui-*

11. Tolli non potest. *tur, si non accipiat Dei verbum.* Undecimo, cibum hunc nemo potest furari si velimus eo uti. S. Bernardus serm. 5. de adventu Domini: Panis terrenus, inquit, dum in arca est, potest a fure tolli, potest a mure corrodi, potest a vetustate corrumpi: ubi vero comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo custodi verbum Dei, beati enim qui custodiunt illud. Ergo traiiciatur in viscera quædam animæ tuæ, transeat in affectiones tuas, et in mores tuos. Duo-

12. Sapientiam dat. decimo denique, cibus hic sæpe sumptus spiritus cordis nostri purificat, et oculos illuminat: est enim cibus ab ipsa sapientia datus, quæ hanc mensam proposuit fidelibus, Proverb. 9. 2. *Est proprie cibus animæ, et spiritualis.* S. Germanus Patriacha Constant. in exposit. orat. domin. Animæ panis, inquit, est verbum Dei: hæc ipse. Ille est panis supersubstantialis, supra omnes substantias creatas nos elevans. Didym. Alex. ait: Scripturam esse τραπεζαν θεοπνευστον, id est, mensam divinitus inspiratam, cuius contemplatio et intelligentia rationalium animarum cibum continet. Palladius in hist. Lausiaca cap. 1. ait, quod Isidorus monachus sæpissime in mensa fundebat lacrymas, cum diceret: *Pudet me vesci*, αλογου τροφης, *cibo a ratione alieno, cum sim ratione præditus, et versari deberem in paradiso deliciarum, replendus ambrosiæ nutrimento, propter eam, quæ data est mihi a Deo potestatem:* ita ille. Tu Scripturam cibum spiritualem, rationalem, cælestem, angelicum, divinum comede, et in ea deliciare atque exulta.

59. In Scripturis divinis est mel. *Mel* quoque suavissimus est in divinis litteris. Ps. 118. 113. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo:* vide ibi dicta. S. Damasus epistola ad S. Hieronymum: Quo, ait, animæ pabulo omnia mella superantur. S. Bernardus hom. 1. super Missus est: *Plena*, inquit, *sunt omnia supernis mysteriis, ac cælesti singula dulcedine redundantia: si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra, oleumque de saxo*

Fons mirabilis. *durissimo:* hæc Bernardus. Si mel de petra vis aquam interpretari, dic Scripturam esse fontem insulæ saxosæ non procul a Laodicea, in quem immersa vasa ad hauriendam aquam, salsam primo haustu extrahunt: reliquo autem haustu, dulcem et potabilem, ut ait Strabo lib. 16. Initia in Scripturis sunt aspera et molesta, suavitas deinde cum luce exoritur. Secundo, Scriptura est mel satians, et animæ desiderium explens. S. Basil. Seleuciæ Episcop. orat. 37. πληρη, ait, γραφων κηρια μελιτος; *Pleni sunt mellis favi Scripturarum, et ita suavis mellis ad satietatem scatent alvearia.* Tertio denique, Scriptura est cibus, et mel fortium et Samsonum, id est, solarium hominum. Iudic. 14. v. 14. *De forti egressa est dulcedo*, id est, de ore leonis Iuda, nempe Christi. S. Prosper de promissionibus, part. 2. cap. 21. Favum mellis, inquit, quem in ore leonis invenit Samson, legem spiritalem populi huius auditor intellige, quod apes Patriarchæ atque Prophetæ constituentes, in eum mella infuderint divini eloquii: hoc ex ore leonis mortui abstulit, qui repulsis Iudæis legem illam gentibus ministravit: ita Prosper.

A **Superest, ut mel illud comedamus. Prov. 25. 16. *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi.* Id faciunt Doctores et** 60. Mel divinum est comedendum.
concionatores, ut etiam aliis fundant. Eudoxus Cnidius lib. 7. Circuitionis, tradit, quamdam esse gentem in Africa, quæ supra Syrtes et Carthaginem, versus orientem habitat, Gyzantes appellat: hanc vero exercere artem, quod flores in illis locis colligat, melque apum instar conficiat.

Non uti illo melle, aut melle Eucharistiæ, signum est animæ nauseantis et voluptatum cibis oppletæ. Prov. 27. 7. *Anima saturata calcabit favum.* Plin. lib. 21. c. 14. tradit, in Creta montem Carinam esse, in quo muscæ non reperiuntur, natumque ibi mel nusquam attingunt. Hoc experimento singulare medicamentis eligitur. Mel sapientiæ et Eucharistiæ fuci inutiles non comedunt: sed potius feruntur in mel noxium vitiorum et voluptatum, quod iure compares melli, de quo agit Strabo lib. 12. p. 377. Septacometæ, inquit, seu Septempagani, mel legunt ex summis arborum ramis, quod homines adigit ad insaniam.

B Huius cum crateras Pompeianis militibus propinassent, a sensu abalienatas tres eorum cohortes conciderunt.

Tropol. Deus extrahit mel de petra, id est, suavissimos fontes et delicias de duritia afflictionum, et de monte cal- 61. Tropol.
variæ et crucis iucundissimas gratias: at vero, mundus de fontibus voluptatum facit lapides et saxa tormentorum, Voluptas mundi lapidescit.
sicut teste Strabone lib. 5. pag. 163. Si quæ planta in aquam fluvii Silaris coniiciatur, in saxum mutatur, manente colore formaque eadem. Plin. lib. 2. cap. 102. de Silari, et aliis, sic ait: In Ciconum flumine, et in Piceno lacu Velino lignum deiectum, lapideo cortice obducitur: et in Surio Colchidis flumine, adeo ut lapidem plerumque durans integat cortex. Similiter et in flumine Silari ultra Silaris fluvius.
Surrentum non virgulta modo immersa, verum et folia lapidescunt, alias salubri potu eius aquæ. In exitu paludis Reatinæ saxum crescit: ita Plinius. Cor ipsum in iis aquis tandem lapidescit. S. Bern. sic illud cor lapideum et induratum describit: *Cor habent, quod nec compunctione*

C *scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana.* Cor autem sanctum in ipsis summis asperitatibus gratia Dei et gaudio abundat et colliquescit, ut patuit in S. Xaverio Mauricam insulam excolente. In S. Ephrem, S. Antonio, S. Hilarione, S. Francisco, S. Ignatio vitam austeram agentibus, et lætitia divina plenissimis.

Anag. Cibabit Christus suos ex adipe frumenti in men- 62. Anagog.
sa sua electos, et transiens ministrabit illis, de petra, id est, de laboribus huius vitæ, mel educet, quo in æternum eos satiet. Lactant. lib. 7. cap. 24. *Peracto iudicio*, ait, *civitas sancta constituetur in medio terræ, in qua ipse conditor Deus cum iustis dominantibus commoretur, quam civitatem Sybilla designat, cum dicit:*

Και πολιν, ην εποιησε Θεος, αυτην εποιησε
Λαμπροτεραν αστρων, και ηλιου, ηδε σεληνης.
Et civitatem, quam fecit Deus, ipsam fecit
D *Splendidiorem astris, et sole, et luna.*

Tunc auferentur a mundo tenebræ illæ, quibus offundetur, atque obcæcabitur, cælum et luna claritudinem solis accipiet, nec minuetur ulterius. Sol autem septies tanto, quam nunc est, clarior fiet. Terra vero aperiet fæcunditatem suam, et uberrimas fruges sua sponte generabit. Rupes montium melle sudabunt, per rivos vina decurrent: et flumina lacte inundabunt. Mundus denique ipse gaudebit, et omnis rerum natura lætabitur, erepta et liberata dominio mali, et impietatis, et sceleris, et erroris; non bestiæ per hoc tempus sanguine alentur, non aves præda, sed quieta et placida erunt omnia. Leones et vituli ad præsepe simul stabunt. Lupus ovem non rapiet, canis non venabitur, accipitres et aquilæ non nocebunt, infans cum serpentibus ludet, denique tunc fient illa, quæ poetæ aureis temporibus facta esse iam Saturno regnante dixerunt. Quorum error hinc ortus, quod prophetæ futurorum pleraque sic proferunt

et enunciant, quasi iam peracta. Hæc Lactantius, qui etiam ipse errat, dum cum millenariis ponit Christum in summa et lætissima pace habitaturum terras per annos mille cum sanctis. Sed ad quid hoc. Nonne iucundius erit in cælo versari? ibi erit cœna magna, et convivium pinguium, pinguium medullatorum in nuptiis agni, ibi torrentes mellis, lactis, vini, nectaris et ambrosiæ: ibi gaudium æternum, pax secura, musica perpetua, lux inextinguibilis,

A Deus possessus et possidens, omnia in omnibus, et totus in singulis, fons infinitus bonitatis, sapientiæ, pietatis, charitatis et magnificentiæ, abyssus inexhaustus, Deus amans et amatus, atque per totam æternitatem servis suis et filiis præsens et unitus. O utinam per mille petras et rupes liceat ingredi, et in iis sudare, ut mel illud possimus invenire, atque eo in æternum saturari! Amen, Amen.

PSALMUS OCTOGESIMUS PRIMUS.

Psalmus Asaph.

1. Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos diiudicat.
2. Usquequo iudicatis iniquitatem: et facies peccatorum sumitis?
3. Iudicate egeno et pupillo: humilem et pauperem iustificate.
4. Eripite pauperem: et egenum de manu peccatoris liberate.
5. Nescierunt neque intellexerunt: in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.
6. Ego dixi, dii estis: et filii excelsi omnes.
7. Vos autem sicut homines moriemini: et sicut unus de principibus cadetis.
8. Surge Deus, iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

PSALMI OCTOGESIMI PRIMI ANALYSIS.

Rex noster iudices a se constitutos in officio continere cupiens, describit:

- Maiestatem Dei, velut regis, 1.
  - Stantis in eorum consessu. 1.
  - Et publice illos iudicantis. 1.
- Pietatem monentis, velut amici, 2.
  - Ut vitent iniustitiam, qua
    - Iudicia iniqua redduntur. 2.
    - Favetur contra ius ditioribus. 2.
  - Sectentur iustitiam, qua
    - Pauperibus et pupillis faveant. 3.
    - Innocentes illos ne puniant. 3.
    - Ab oppressione ditiorum liberent. 4.
- Severitatem terrentis, velut iudicis, eos, quorum
  - Scelera proponit, cum
    - Præ inscitia, quid sit iudicandum, ignorent. 5.
    - Præ socordia, illud intelligere non curent. 5.
    - Præ malitia, in tenebris iudicent. 5.
  - Punitionem severam.
    - In vitæ cursu,
      - Commotionem. 5.
      - Licet sint fundamenta terræ. 5.
    - In fine vitæ,
      - Licet sint dii, et filii Dei. 6.
      - Mortem ignobilem. 7.
    - Post vitam,
      - Lapsum in inferos. 7.
      - Instar tyrannorum. 7.
  - Iudicem Christum, qui
    - Iudex est totius terræ. 8.
    - Et Dominus omnium gentium. 8.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus Asaph.

1. Argum. Psalmi. De Psalmo hoc ait Valentia, quod licet sit parvus et brevis in verbis, tamen est longus in sententia et intelligentia.

In eo rex noster, ut iudices a se toti orbi datos, aliosque deinceps futuros, efficacius ad iuste iudicandum impellat, inducit Deum eos increpantem ob iniustitiam, et ad iustitiam excitantem laudibus et minis: ita Iansen. Ti- B rinus, Bellarm. S. Basil. et Theodoretus.

Alleg. Prædicit Christum in terras venturum, qui Scribas, Pharisæos, et alios Iudæorum principes et iudices arguat, atque ad rectum iudicium faciendum incitet: ita Euth. Nicephor. Ludolphus, Iansenius, et alii.

Anagog. S. Athanasius vult agi de Christo, ad extremum iudicium venturo, et ipsos iudices iudicaturo.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

2. Tria dicit. Primo, Deum iudices instruere quid sit vitandum, quid faciendum, v. 2. Secundo, obstinatis in malitia pœnas ostentare, v. 5. Tertio, eum invitat, ut cito ad illud iudicium veniat, v. 8.

SECTIO PRIMA.

Tria continet. Primo, Deum in medio iudicum consistere, illos iudicaturum, vers. 1. Secundo, iniquos iudices revocare ab iniustitia, vers. 2. Tertio, ad iustitiam erga pauperes præsertim, impellere, vers. 3.

PARAPHRASIS.

1. *Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos diiudicat.*

1. Supremus iudicum omnium præses Deus, in medio consessu iudicum, quos alteros hominibus deos posuit, constitit, eorum sententias et decreta expensurus.

2. *Usquequo iudicatis iniquitatem: et facies peccatorum sumitis?*

2. His autem eos vocibus compellavit. Quamdiu vos, quibus meas in terris vices delegavi, iniquis iudiciis regnum meum turbabitis? Quamdiu, non ex causæ æquitate, sed ex potentiorum ditiorumque vultu et muneribus calculum feretis.

3. *Iudicate egeno et pupillo: humilem et pauperem iustificate.*

3. Affectu et benevolentia maiori, pauperum et orphanorum iuri favete, eosque magnatum calumniis oppressos liberate, et innocentes declarate.

4. *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.*

4. Si contra fas, in bona, familiam aut corpus inopis, dives iniustus involarit: nihil eius potentia opibusque territi a vulturis unguibus prædam eripite.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta iustitiæ cura debet esse iudicibus.

3. Ordo Sectionis. Deum hic proponit Propheta non modo præsentem iudicibus, sed verbis quoque eos ad virtutem adhortantem, et a vitio revocantem.

Primo quidem, præsentiam eius ac maiestatem, velut summi præsidis, repræsentat, v. 1. *Deus stetit in synagoga deorum.* Non est ibi otiosus aut iners, sed vigil et sagax, ac severus: *In medio autem deos diiudicat.*

Secundo, modum declarat quo illos diiudicat. Primo, eos reprehendendo, quod iniuste iudicent, favendo ditioribus, licet impiis et iniustis, v. 2. *Usquequo iudicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis.* Secundo, monet, ut faveant pauperibus et pupillis, v. 3. *Iudicate egeno et pupillo.* Eos calumniis appetitos declarando innocentes: *Humilem et pauperem iustificate:* et bona ipsorum atque corpus a furore et iniustitia divitum liberando, v. 4. *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatorum liberate.*

ARTICULUS I.

Deus in iudicum consessu præsens est, et iudicat.

4. Vers. 1. Deus ubique præsens est, terram et cælum implens, ibi tamen potissimum præsens esse dicitur, ubi magis operatur, ut in templis et in curiis iudicum. Itaque ait David, v. 1. Deus (Tertull. lib. 1. in Marcion. cap. 7. Deus deorum) stetit (Hebr. stans, q. d. Stetit, stat, et stabit: omnem enim temporis differentiam complecti potest participium) in synagoga (Tertull. in Ecclesia: id est, in cœtu et consessu) deorum: in medio autem deos diiudicat, id est, iudicat. Hebr. iudicabit, q. d. Ita iudicat, ut semper sit iudicaturus. Hebræis enim futurum sæpe ponitur pro præsenti, quo carent, cum actio quæ fit, est continuanda.

5. Elohim quid significet. Nota, pro *deos*, Hebr. est אלהים *elohim*, quæ vox proprie iudicem sonat, ut ait Mercerus et Cavallerius; quia iudicis est alios adiurare, et ab iis iuramentum exigere. Rad. est *ala*, id est, iurare. Secundo, significat Deum ut iudex est, et fortis, et qui solus possit ab omnibus exigere iuramentum, et eos suo servitio tamquam milites ad omnia pericula subeunda sacramento astringere. Tertio, per abusionem etiam diis falsis hæc vox communicatur, quia gentiles iis vim divinam tribuebant. Quarto, de angelis quoque usurpatur. Hinc Felix vertit, Deus adstat *in congregatione iudicis*, in medio deorum iudicabit. Pagn. Deus stat in congregatione Dei, in medio *iudices* iudicabit. 2. Arias reddit: Deus stans in cœtu fortis, *in interiori divorum* iudicabit. Tertullian. *Deus deorum stetit in Ecclesia deorum.* 3. Syr. vertit: *Deus stetit inter cælum angelorum, et in medio angelorum iudicabit.* Ubi per angelos intelligo iudices.

Nota secundo, in textu Hebraico ubi dicitur, Deus stetit, vox *Deus* est *elohim*, quæ est numeri multitudinis, et significat deos, sive iudices: vox autem *deorum*, cum dicitur, in synagoga deorum, est numeri singularis *el*, et significat Deum. Quare videntur Septuaginta interpretes non recte vertisse, Deus stetit in synagoga deorum. Resp. primo, fieri posse, ut verba illa in nostris codicibus sint transposita, et in codicibus antiquis fuerit in primo loco *el*, et in novissimo *elohim*, ut Septuaginta reddiderunt.

A Secundo, posse hunc locum Hebraice ita legi: *Deorum stetit in synagoga Deus:* carent enim Hebræi casibus: tamen Septuaginta interpretes ut sensum clariorem redderent, vertisse, Deus stetit in synagoga deorum. Tertio, posse verti cum S. Hieronymo, Deus stetit in synagoga Dei, id est, in synagoga sua: tamen Septuag. interpretes vertisse, in synagoga deorum: quia synagoga Dei nihil aliud est, nisi conventus iudicum a Deo constitutorum, quibus etiam nomen suum impertivit: quia communicavit enim illis auctoritatem iudicandi, quæ est ipsius propria, dicente S. Iacobo cap. 4. *Unus est legislator et iudex.* Neque obstat, quod elohim sit numeri multitudinis: recipit enim usitate significationem tum numeri singularis, tum multitudinis: ita Bellarminus. Secunda explicatio facilior est, et melior cæteris.

Moral. Primo, Deus est in medio iudicum cœtu. Primo, ut eos honoret et populis honorabiles reddat, a quibus pendet bonum regimen et administratio totius Reipublicæ: ut sciant populi omnem eorum auctoritatem a Deo emanare, ac sententiam calculo Dei approbari et vim habere, eosque esse secundarios quosdam deos, qua de re dicam infra v. 6. Eumenes unus ex ducibus Alexandri magni, ut ducum et militum animos sibi magis devinciret, et in exequendis imperatis promptiores et constantiores redderet, post mortem Alexandri thronum vacuum poni iubebat in eo loco, ubi in consilium duces advocabat, quasi Alexander in ea sede vacua sedens eorum deliberationibus præsideret. Apocal. 4. eum magna maiestate apparent principes congregati, et Deus in medio eorum. Secundo, Deus est in medio iudicum, ut eos dirigat in dubiis, corroboret in arduis, consoletur in tristibus. Salomon natus tantum annos viginti, ut vult Lyranus, aut viginti quatuor, ut Torniellus, regnare incepit: ideo pondus tanti regni extimescens, ac præsertim iudicandi necessitatem et difficultatem ait 3. Reg. 3. v. 7. *Ego sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum. Et servus tuus in medio est populi quem elegisti, populi infiniti, qui numerari et supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit, et discernere inter bonum et malum. Quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum?* Hac oratione motus Deus, dedit illi cor sapiens et intelligens, in tantum, ut nullus ante eum similis illi fuerit, nec post illum surrecturus sit, et id statim patuit in iudicio habito de filio uno, de quo inter se duæ meretrices litigabant. Ad Deum itaque iudices recurrant, et lucem recipient: reges præsertim, qui sunt iustitiæ fontes, et soles, in toto suo regno. S. Greg. lib. 7. epist. scribit: *Summum in regibus bonum est iustitiam colere.* Valentinianus Imp. teste Zonara, hoc in ore frequenter habuit: *A principe in primis curam iustitiæ flagitari.* Cicero lib. 2. offic. docet, eam ob rem reges creatos esse, ut reddant unicuique ius suum. Rex Benomotapa (alii Menomotapam dicunt) duo regiæ maiestatis gestat insignia: nempe ligonem cum eburneo manubrio, et duo iacula haud ita magna. Altero subditos ad agriculturam hortatur, altero se vindicem scelerum denotat, et hostium externorum vim repressurum, ut ait Hieron. Osorius lib. 4. de rebus Emman. pag. 143. Tertio denique, Deus est in medio iudicum, ut eorum sententias excutiat, et actiones iudicet, puniens iniustos, et præmiis afficiens bonos. Hæc ratio exprimitur in Psalmo nostro: *In medio deos diiudicat.* Pagn. vertit: *In medio iudices iudicabit.* Hinc Iosaphat rex Iuda admonebat iudices a se

6. Deus est in medio cœtu iudicum, et cur? 1.

2.

3.

constitutos, 2. Paralip. 19. 6. *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: et quodcumque iudicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Dominum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Auctor libri Sapientiæ, sive Salomon, ut vult S. Ambr. et S. Cyprianus: sive potius alius, ut docet Abulensis, Pamelius, Georgius Ederus, Genebr. et alii: aut Philo senior, ut putat Alphonsus Curiel, Canus, Michael Medina, Driedo: aut Philo Iudæus, qui post Christum tempore Caligulæ floruit, ut opinatur Lyranus, Ludovicus Vives, Galatinus: aut Iesus filius Sirach, ut vult S. Isidorus: aut potius, incertus auctor, pulcherrima adhortatione iudices ad officium compellit, cap. 6. 2. *Audite ergo reges et intelligite: discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis: Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet*: hæc ibi. Arabs in Psalmo nostro vertit: In congregatione eorum iudicat adversus eos: vide dicta Ps. 2. 10. Æthiopes in consessu iudicum, vacuum in medio subsellium constituebant, in quo Deum dicebant considere iudiciorum præsidem, et iudicum iudicem. Lutetiæ Parisiorum, in celebri palatio parlamenti, quod vocant, supra imagines considentium iudicum, expressa velut de nube manus extans armata gladio est, cum hac epigraphe:

Æthiopum mos laudabilis.

L'epée du souverain juge,
Est dessus cil, qui autrui juge.

Iniqua iudicia sæpe in caput impiorum iudicum recidunt. Anno 1402. Thieleti civis Alexander Splerincus, Margaritæ tertiæ eiusque viro Philippo Audaci charus, supremusque Flandriæ Ballivus, quemdam capitis damnavit; a reo morituro, iniuriamque sibi fieri asserenti, ut intra octiduum, Dei conspectui sese et iudicio sisteret, citatus est. Octavo die, cum pila Thieleti lusisset, inter fabulandum, eram, inquit, iocabundus, ab illo reo intra octo dies vocatus ad Dei tribunal. Vix hæc locutus, subito in morbum incidit, tam præcipitem et exitialem, ut ante octavi illius diei et vadimonii terminum vitam finierit. Quod exemplum neque ridiculum est, neque Ferdinando IV. Castellæ, Petro Cæremonioso Aragoniæ regibus: et Francisco Britanniæ duci ad eum modum citatis extinctisque incompertum, ut ait Iacobus Marchantius lib. 1. commentar. Flandriæ, pag. 81. Alia exempla attuli Ps. 25. 1.

Citatus ad iudicium Dei, iudex moritur.

7. Quæres, cur dicitur Deus stare, et non potius sedere in medio iudicum, cum iudices sedeant iudicaturi? Resp. primo, stare quemlibet situm significare, et denotare stabilitatem, constantiam, et perseverantiam in eo situ. Sic dicitur Isai. 3. 13. *Stat ad iudicandum Dominus, et stat ad iudicandos populos.* Secundo, *stare* dicit eminentiam in Deo supra omnes alios iudices. Iacobi 4. 12. *Unus est legislator et iudex, qui potest perdere et liberare.* Tertio, *stare* dicit promptitudinem ad puniendum sceleratos, et iuvandum innocentes et pios, præsertim pauperes. Non placet, quod dicit Agellius, Deum stare in persona reorum.

Cur dicitur Deus stare inter iudices?

8. Quæres secundo, cur collocatur in medio iudicum? Resp. primo, tamquam rex et præses. Secundo, ut lucem omnibus communicet. Tertio, ut omnium actiones contempletur, et in eum omnes facilius intendant. Quarto, ut omnes timeant facilius eos percussurum. Quinto, ut iustitiam et virtutem omnem in medio consistere sciant, et summum ius esse summam iniuriam. Psalt. Illyr. habet: *In medio deorum diiudicat.*

Cur in eorum medio.

9. Nota, hunc Psalmi nostri locum, tam ad iudices sæculares, quam ad Ecclesiasticos pertinere. De Ecclesiasticis usurpat Adrianus Papa I. in capitulis ex synodis, et canonibus. Anacletus epistola 2. et 3. Iulius I. Pius I. Concilium Parisiens. VI. lib. 1. cap. 19. Aquisgranense II. sub Ludovico Pio, filio Caroli Magni, cap. 5. et cap. 31. S. Gregorius Papa lib. 4. epistol. 32. scribens Mauritio Imperatori, humilitate christiana se fatuum appellatum esse gaudet, et verum id esse dicit, se esse hominem peccatorem et dignum plagis; sed vigore sacerdotali in memoriam illi revocat sacerdotes esse *elohim*, id est angelos et deos. Verba eius sunt: *Sacerdotibus, non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cuius servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis aliquando sacerdotes dii, aliquando angeli vocantur. Nam et per Mosen de eo qui ad iuramentum deducendus est, dicitur, Exodi 22. v. 8. Applica illum ad deos, id est, ad sacerdotes. Et rursum scriptum est ibidem v. 28. Diis non detrahes, scilicet sacerdotibus. Et propheta Malachias ait cap. 2. v. 7. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. Quid ergo mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos, aut deos ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piæ memoriæ Constantino principi, scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, et eosdem qui accusati fuerant, Episcopos convocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat, incendit, dicens: Vos dii estis a vero Deo constituti. Ite, et inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est ut nos iudicemus deos. In qua tamen sententia, pie Domine, sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reverentia impensa. Ante eum quippe pagani in republica principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos et lapideos colebant, et tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum, si christianus Imperator veri Dei sacerdotes dignetur honorare, dum pagani principes honorem impendere sacerdotibus noverunt, qui diis ligneis et lapideis serviebant?* hæc Gregorius. Vide de gloria et excellentia sacerdotum, Ps. 42. pene toto dicta.

Sacerdotes sunt dii.

Constantinus honorat sacerdotes.

Quæres, cur sacerdotes dii appellentur? Resp. Primo, quia eorum est legem Dei populis intimare; sic angelus promulgans legem in Sinai dictus est Deus, Exodi 20. 2. Secundo, vicarii sunt Dei, et eius nomine, atque eius personam gerentes absolvunt a peccatis, dicentes perinde, ac si essent ipse Deus: *Ego te absolvo a peccatis tuis*, quæ potestas nulli angelorum, nec ipsi Deiparæ, nec S. Ioanni Baptistæ, quo maior non surrexit inter natos mulierum, data est. Tertio, sunt dii ob potestatem faciendi omnia Sacramenta, quibus dant gratiam ex opere operato. Quarto, præsertim sunt dii, ob potestatem ponendi Christum in Eucharistia, sive per actionem adductivam, qua Christus ponatur sub iisdem accidentibus, sub quibus erat substantia panis et vini, quæ destruitur: ita ut terminus illius actionis sit ubi Christi: sive per actionem productivam ipsius corporis et sanguinis Christi, in quæ convertitur substantia panis et vini per veram et perfectam transubstantiationem: id est, conversionem substantiæ in substantiam: ita ut terminus illius actionis sit corpus et sanguis Christi de novo producta. Ea enim actio est nobilior, quam creatio cæli et terræ. Nam cum actio specificetur et nobilitetur a suo termino, cui identificatur, neque ullus sit terminus producibilis dignior et nobilior ipso Christo, sequitur nullam actionem posse esse nobiliorem productione ipsius Christi. Itaque in Missa, et in templorum tabernaculis, capsulis et columbis, Christus manens, in medio deorum est. S. Petrus Alexandrinus Patriarcha, nunquam adduci potuit, ut sederet in Patriarchali sede, quod diceret, in ea se divinum splendorem ac numen clare intueri. De Christo dicit S. Ioannes cap. 1. 5. *Iesus Christus est princeps regum terræ, qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.* Alludit ad 1. Petri 2. v. 9. ubi dicitur: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* S. Cyrillus Alexandrinus in epistola 10.

Sacerdotes sunt dii, ob quatuor causas.

synodali docet, codicem evangeliorum in Conciliis collocatum fuisse, velut in throno, ut Christum repræsentaret præsentem in medio cœtu Episcoporum. Tunc de eo etiam dici potest: Deus stetit in medio deorum: seu, in synagoga deorum. Ugo Cardinalis de Prælatis hunc locum exponit, et ait posse esse thema in Concilio Episcoporum, vel in capitulo Abbatum.

11. Allegor. Allegor. Deus stetit, id est visibilis apparuit, Christus mansit, concionatus est in synagoga deorum, hoc est Iudæorum, qui erant filii Dei, at dii per susceptionem legis, sacramentorum, et mysteriorum cælestium, ut S. August. et alii exponunt. Secundo, *deorum*, id est, Scribarum, Pharisæorum, iudicum, qui vocantur dii, quia aliis præerant, et inferioribus dominabantur: ita Euth. Nicephor. Ugo, et alii. Ioannis 1. 26. *In medio vestrum stetit, quem vos nescitis;* in medio illorum deorum diiudicabat. Ioan. 9. 39. dicit ipse cæco nato: *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant: et qui vident, cæci fiant.* Illi dii facti sunt synagoga Satanæ, ut habetur Apocal. 2. 9. Tertio, *deorum*, id est Apostolorum, de quibus post Christi resurrectionem congregatis in Ierusalem, in eodem cœnaculo, in quo Eucharistiam confecerat, dicitur: *Stetit in medio eorum, et ait: Pax vobis: Ego sum, nolite timere.* Anagog. hoc de extremo iudicio accipe.

12. Tropol. Deus est in medio iustorum se amantium. Tropol. Deus stat in medio deorum, cum stat in medio iustorum. Chald. vertit: *Deus, cuius maiestas commoratur in congregatione iustorum: potentes sunt in lege: in medio iustorum in veritate iudicat.* Matthæi 18. 20. dicit Christus: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* S. Hilarius rationem reddit: Ipse enim ait, qui pax et charitas est, sedem atque habitationem in bonis, atque pacificis voluntatibus collocabit. Origenes ait, sæpe nos a Deo non exaudiri, et Deum sibi in nobis non placere, quia charitatem non habemus ad invicem, atque illius suavem melodiam tollimus. *Sicut*, inquit, *in musicis, nisi fuerit harmonia et convenientia vocum, non delectat audientem: sic Ecclesia, nisi consensum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum.* De Ierusalem explicat Chaldæus illud Oseæ 11. 9. *Deus ego, et non homo: in medio tui sanctus.* Templum enim Dei sanctum erat in medio Ierusalem, atque in medio templi arca et propitiatorium, in cuius medio stabat, id est, perseveranter manebat Deus. Ierusalem autem est visio pacis et charitatis.

Varius Dei situs in variis hominibus. Ugo Cardinalis in Psalm. nostr. notat, quod in quibusdam stat Dominus et manet, in quibusdam autem transit, in quibusdam autem nec etiam ingreditur. In viris firmis stat, in fluctuantibus autem transit, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt, ut dicitur Lucæ 8. 13. Eccli. 24. 11. *In hæreditate Domini morabor:* id est, in eis, qui sunt firmi et immobiles. De mobilibus autem et fluctuantibus, in eodem: *In fluctibus maris ambulavi*, id est, in eis, qui non sunt stabiles, non steti, sed transivi. In illis autem, qui totos se exponunt sæcularibus curis, non ingreditur Dominus. Unde dicit Oseæ 11. 9. *Ego sum Deus, et non homo, in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem:* hæc Ugo.

S. Hieronymus ait, Deum in nobis varios situs habere pro varietate dispositionis nostræ. Frequenter sedemus, ait, interdum stamus, interdum iacemus, interdum currimus, interdum ambulamus: ita et Deus describitur pro varietate hominum, et status ipsius diversus inducitur. Primo, si sancti sumus, et sumus similes Mosi, dicitur ad nos Exodi 17. *Tu vero hic sta mecum.* Hoc enim dixit Deus ad Mosem. Stabat enim Moses supra petram, propterea et Dominus stabat illi. Secundo, si prius sancti fuerimus, et postea peccatores: iam non nobis stat Deus, sed ambulat: hoc est, movetur de loco suo, qui nobis ante steterat. Postquam nos moti fuerimus, et ipse nobiscum pariter movetur. Denique et Adam quamdiu in paradiso fuit, et mandatum servavit, stabat ei Deus. Postquam vero transgressus est, audivit vocem Dei ambulantis in paradiso. Vis scire, quia ambulat ei Deus? Quid ei

A dixit Genes 3. *Adam ubi es?* Qui ante stantem Deum non fugerat, postea ambulantem fugit. Tertio, quandocumque Deus sedens inducitur, dupliciter inducitur: aut quasi rex, aut quasi iudex. Si quasi rex, videtur sicut Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum.* Ibi quasi rex regnans inducitur: throni positi sunt, et libri aperti sunt: hoc est, Dominus quasi iudex sessurus, et omnium opera relecturus. Libri qui modo complicati sunt, tunc aperientur. Quarto, si quando nos relinquit tentationibus, licet simus sancti: tamen relinquimur tentationibus, ut probemur: eo tempore nobis *dormit* Dominus. Denique, quid dicit Psalmista Psal. 43. 24. *Exurge, ut quid dormitas Domine?* et Apostoli quando in navi, et navis fluctibus tundebatur, dormiebat enim Dominus: propterea enim navis fluctibus tundebatur. Denique, excitant eum, et evigilat, et statim tempestas quiescit: ita Hieronymus.

Si stantem nobis sentimus Deum, ne tamen metum omnem excutiamus. Nam etiam iustitias iudicat: et ut ait
B Propheta, deos diiudicat. Si vel suprema sanctitate iam cum Paulo cælos conscenderimus, et supra homines videamur, castigandum est corpus, ne reprobi efficiamur. S. Hier. etiam in Psal. nostr. *Quasi Imperator in medio exercitus diiudicat. Deus deos diiudicat. Res formidabilis, res terroris plena. Si deos diiudicat, de peccatore quid fiet?* Hæc cogitatio te in officio continere potest, si præsertim cogites, quod diiudicat *in medio:* id est, ut vertit, ἐν ἐσχάτῳ, *in intimo*, q. d. In penetrali cordis, nihil est illi occultum, nihil eius oculos et manum fugit. Ptolomæus Ægypti rex ab uno e Sept. Interpretibus petiit, ut ait Aristæas num. 16. *In quo consistit pietas? Tum ille: Sibi persuadere Deum,* πάντα διὰ παντὸς ἐνεργεῖν, *omnia in omnibus agere et scire, neque ipsum latere quidquam, quod homo bene vel male agat.*

ARTICULUS II.

C *Ob potentiorum divitias, non est iniuste iudicandum.*

Deum in medio iudicum Propheta cum ostenderit, eumque dixerit ipsos iudicaturum, necesse est, ut ostendat quid in eis potissimum sit iudicaturus. Ideo Deum loquentem inducit per ethopœiam, et dicentem, v. 2. Usquequo iudicatis (Hebr. iudicabitis, q. d. iudicatis cum perseverantia et obstinatione) iniquitatem (id est, inique) et facies (hoc est personas; nam synecdochice facies sæpe pro toto homine, cuius præcipua pars est, ponitur) peccatorum sumitis? S. Hier. Suscipitis, q. d. Movet vos facies: id est, splendor, maiestas, terror, adulatio, blanditiæ, promissio, prodiens ex facie et vultu potentiorum, et ideo iniqua contra pauperes redditis iudicia. Novatianus de Trinitate cap. 15. clare vertit: *Personas hominum accipitis.* 13. Vers. 2.

Nota, grave crimen est iudicibus iniuste iudicare. Primo, quia sunt iniurii Deo, cuius personam sustinent, auctoritatem habent, nomen invocant. Iosaphat iudicibus
D dicebat 2. Paral. 19. 6. *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini. Non est apud Dominum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Avertit se Deus ab iniquis iudicibus. Isaias 59. 2. dicit Iudæis: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate: Non est qui invocet iustitiam, neque est qui iudicet vere. Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt.* Iulianus ait, iniustitiam esse sacrilegio peiorem, ut dicam infra. Iudicare inique est grave crimen. I. Hoc est Deo iniurium.

Secundo, iniqui iudices sunt iniurii regibus, a quibus constituti sunt. Præcipuum enim decus regum et imperatorum est, cum in eorum regno dominatur iustitia. Tiberius Imper. Constantinop. tradens imperium Mauritio genero, ait: Sit tibi imperium cum hac puella filia concessum: utere eo feliciter, *in mente habens æquitatem ac iu-* II. Regibus.

stitiam, præcipua esse optimi principis insignia: hæc ille. Deinde Iustitia, et ipsorum regum, et iudicum ab iis constitutorum, firmat eorum thronum et sceptrum, quæ iniustitia concutit atque evertit. Prov. 16. 12. *Abominatio regi, qui agunt impie; quoniam iustitia firmatur solium.* Et cap. 25. 4. *Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum. Aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur iustitia thronus eius.* Samuelis filii per impietatem suam, et quod declinarent post avaritiam, acciperent munera, et perverterent iudicium, ita populum incitarunt contra ipsum Samuelem iudicem suum supremum, ac principem, ut regem sibi peticrint, et Deus illis annuens Saulem dederit. Lib. 1. Reg. c. 8. et 9. Absalon a patre suo Davido ita corda Israelitarum avertit, ut toto corde eum sequerentur, David fugere ex ipsa urbe regia cogeretur, et se discrimini belli obiicere, cum diceret impius, 2. Reg. 15. 3. omni ad regem venienti: *Videntur mihi sermones tui boni et iusti. Sed non est qui te audiat constitutus a rege: Quis me constituat iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, et iuste iudicem.*

III. [Legibus.] Tertio, iniqui iudices faciunt iniuriam legibus, quæ sunt quidam splendor cælestis sapientiæ, et regula vitæ humanæ. Plato lib. 4. de legibus ait, iudices inferiores debere esse υπηρετας νομοις, servos legum. Aristoteles augustius lib. 15. Ethic. Nicom. cap. 7. Oportet, inquit, iudicem esse δικαιον εμψυχον, ius animatum.

IV. [Reipublicæ.] Quarto, iniqui iudices iniuriam faciunt reipublicæ, perinde ac si solem de mundo tollerent. Nam, ut ait Salomon Prov. 6. 23. *Mandatum lucerna est, et lex lux.* Psal. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Vide illum locum. 2. Iniquus iudex perinde agit, ac si fontes publicos obstrueret. Prov. 13. 14. *Lex sapientis* (Sept. Lex sapiens) *fons vitæ.* Hebr. fons vitarum: et naturalis scilicet, et supernaturalis. R. Levi. Lex sapientis, inquit, est fons vitæ: quod ex illa vitæ immortalitas dimanet, mortisque ruina vitetur: præterquam quod Deo sapiens ob illam peculiari est curæ: hæc ipse. 3. Iniquus iudex est fons mortis. Dan. 13. 5. *Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.* Sunt duces cæci et cæcorum, omnesque simul in foveam cadunt. Est mera Babylon, id est, confusio et mons caliginosus, urbs, provincia, respublica, in qua sunt scelerati iudices. 4. Iniqui iudices sunt portus fallaces et mendaces, qui salutem fluctuantibus promittant, et sint causa multorum naufragiorum. S. Cypr. epist. 2. *Innocentia*, inquit, *nec illic ubi defenditur, reservatur. Sævit invicem discordantium rabies, et inter togas pace rupta, forum litibus mugit insanum. Qui sedet crimina iudicaturus, admittit: et ut reus innocens pereat, fit nocens iudex*: ita Cyprianus. 5. Iniqui iudices sunt prædones publici. Iulian. orat. 2. in laudem Constantii Imperatoris: Legem, inquit, eripere ac violare, atrocius esse crimen existimat, quam in sacris pecuniis sacrilegum videri: hæc ille. Deinde bona expilant, quæ restabant miseris. Possis litigantibus appingere id, quod habet Paulus Iovius lib. de Symbol. urbem enim Troiam pinxerat, hoc titulo superscripto: *Tenent Danai, qua deficit ignis*, q. d. Quod una ratione non periit, altera perit. Et quidem molestius est longis et molestis litibus ab amanuensibus, servulis, notariis, satellitibus, procuratoribus, advocatis, et iudicibus vellicari et exugi, quam uno haustu ab aliquo potenti hoste. [Aristides a mustela morsus interiit.] Aristides Locrensis a mustela morsus Tartesia, moriens dixit: Multo sibi iucundiorem futuram fuisse mortem, si vel ex leonis, vel ex pardalis morsu obtigisset, ut ait Ælian. lib. 14. var. hist. cap. 4. Tot vulpeculæ pauperculos diutius et molestius torquent.

V. [Iniquus iudex est sibi iniurius.] Quinto denique, iniqui iudices sibi ipsis iniuriam faciunt. Malorum iudicum quanta sint scelera, ostendi Ps. 57. sect. 1. ubi declaravi, cor eorum esse iniquitatis officinam: manus, rapinarum rete: oculos, erroris duces: os, mendacii portam: sanguinem totum, esse virus serpentis et aspidis. Philo lib. de iudice, p. 555. ait iudicem esse debere, πηγην γλυκειαν, fontem dulcis aquæ, a quo manent dulcia fluenta legum, et potabilia sitientibus iustitiam: sed si venenum infuderis, erit horrori omnibus et execrationi, velut exitium totius gentis, quod obstrui publicis operis debeat. Magna laus Severi Imp. de quo nullus quæstus esse dicitur, quod ullam ab eo iniuriam acceperit. Salomon iure dicit Proverb. 22. 1. *Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ: super argentum et aurum gratia bona.*

Allegor. S. Maximus Taurin. hom. 2. de accusato Domino apud Pilatum, arguit graviter Iudæos, quod prodi- 14. [Allegor.]
torem Iudam nec accusent, nec condemnent: Christum vero innocentissimum, cruci addicant. In eos clamandum est: Usquequo iudicatis iniquitatem? Mentitur sæpe iniustitia, et se pro iustitia venditat, sed tandem apparet. Isaiæ 5. 4. de vinea Israel dicit Deus: *Expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas*, id est fructus vitis agrestis et insipidæ: quod explicans v. 7. subdit: *Expectavi ut faceret iudicium, et ecce iniquitas: et iustitiam, et ecce clamor.* [Paronomasia elegans.] Ubi S. Hier. lib. 2. in eum Prophetam: Volumus, ait, latinis insinuare auribus, quod ab Hebræi didicimus, iudicium apud eos appellatur משפט *misphat*: iniquitas, sive dissipatio, ut interpretatus est Aquila, משפח *misphach*. Rursum iustitia dicitur צדקה *tsedaka*: clamor autem appellatur צעקה *tseaka*. Una itaque vel addita littera, vel mutata, sic verborum similitudinem temperavit, ut pro *misphat*, diceret *misphach*: et pro *tsedaka*, poneret *tseaka*, et elegantem structuram sonumque verborum, iuxta Hebræam linguam redderet. Expectavit autem Deus, ut populus Iudæorum faceret iudicium, id est uvas: et fecit iniquitatem, id est labruscas: et expectavit iustitiam, ut largitorem tantorum munerum a patre missum susciperet, et fecit clamorem, quo vociferatus est contra Dominum, et clamavit dicens: *Tolle, tolle, crucifige talem*: hæc Hieron.

Deus increpans iudices ob admissam iniquitatem causam attexit: nempe acceptionem personarum; ait enim: *Usquequo iudicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis?*

Nota, non est acceptanda facies, id est, persona cuius- 15. [Acceptio personarum est vitanda iudici.]
quam, longe minus peccatoris: neque ob benevolentiam, qua illum complectaris: neque ob timiditatem, qua tibi ab illo mala timeas: neque ob avaritiam, qua munus aliquod corradere exoptes. Nam generatim dicit Christus Ioan. 7. 24. *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.* Syr. vertit, Nolite iudicare per acceptionem vultus, id est personæ. Prov. 18. 5. *Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate iudicii.* Et cap. 20. 10. hoc docetur in emblemate: *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum.* S. Basil. hom. 12. hoc explicat de iniquis iudiciis. Hier. Osorius Ep. lib. 5. de rebus Emmanuel regis Lusitaniæ, fol. 180. ait, quod Armuziæ omnia, quæ væneunt, pondere væneunt. Summum flagitium est apud illos, fallacibus uti ponderibus. Eum enim, qui per libram et lancem fallit, omnem generis humani societatem evertere censent, et ut civilis iuris hostem teterrimum execrantur. Idem dic de perversis iudicibus.

Primo itaque, caveat sibi iudex a tenera quadam et cor 16. [Iudex non debet flecti benevolentia.]
emolliente benevolentia, quæ mentem inflectat ad favendum uni potius quam alteri. Primo, non te flectat benevolentia erga civem tuum. Deut. 1. 6. *Audite illos, et quod iustum est iudicate: sive civis ille sit, sive peregrinus.* Secundo, non benevolentia erga amicum. Eccli. 6. 1. *Noli fieri pro amico inimicus proximo.* S. Petr. Chrysolog. in quadam ep. Nihil, inquit, adeo gloriose lucet in iudice, sicut amare et exhibere iustitiam sine omni acceptione personæ. Teste enim Cicerone, *Exuit personam iudicis, quisquis amicum induit.* Æquitas, cui iudex obsequitur, sinistram odii, vel amoris dexteram nescit. Nam talis esse debet iuris minister, ut in eius manu nullius auctoritate personæ titubet aut vacillet libra iustitiæ: ita Chrysologus. Tertio, non te flectat benevolentia erga cognatos et consanguineos. S. Isidor. lib. de summo bono, cap. 57.

A

Qui consanguinitatis vel amicitiæ favore, sive inimicitiarum odio iudicium pervertunt, sine dubio in Christum, qui est veritas et iustitia, peccare noscuntur. Kanutus Wandalorum, seu Obotritorum rex, cum fures ad crucem damnasset, exclamavit unus, regis se cognatum esse. Tum iustus ille princeps: *Cognato nostro,* ait, *ut honoratior sit locus, sublimiorem parate crucem.* Quarto, non benevolentia erga uxorem, filios, parentes ipsos. Constantinus Imp. qui Crispum filium turpissimi criminis accusatum, sed calumniose, occidi curaverat, Faustam uxorem suam nocentissimam morte mulctavit. Otho III. Imperator Mariam uxorem suam, Aragonum regis filiam, quod Comitem quemdam a se ad nefas frustra impulsum supplicio affici curasset, veluti reum, publice cremari iussit. 2. Phocio Atheniensium princeps, Charilo filio repetundarum accusato, adesse in iudicio noluit. Epaminondas Thebanorum dux filium suum, quod contra imperata hostem aggressus esset, ac vicisset, corona primum capiti imposita, securi percuti iussit. Manlius Torquatus Romanorum Consul, bello Latino victorem filium eamdem ob causam carnifici obiecit. Augustus Cæsar filiam suam, et neptem, ob pudicitiam prostitutam relegavit. 3. De parentibus etiam ait Iulianus Imp. orat. in laudem Constantii Imp. p. 164. *Nihil bono Imperatori iuris et æquitatis causa est antiquius: nec et parentes, aut propinqui, aut amici persuadere possunt, ut ipsis gratificari velit, ac iura prodere. Etenim hoc informatione quadam animi præsumit:* απαντων ειδε την πατριδα κοινην εςιαν, και μητερα, *communem quamdam omnium domum esse patriam, ac parentem: quæ et amicis, ac genitoribus antiquior, atque sanctior sit: et fratribus, atque hospitibus, et amicis charior.*

Kanuti regis præclarum effatum.

Severitatis erga affines et filios exempla.

17. Secundo, caveat iudex, ne timore potentium et divitum pervertat iustitiam. Deut. 1. 17. Deus ipse præcipit: *Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cuiusquam personam: quia Dei iudicium est,* q. d. Ne sitis animo pusillo, estis illis magnatibus maiores: non tantum estis reges, quorum in persona loquimini et agitis: sed etiam dii, a quo potestatem habetis, et qui in medio deorum diiudicat. Auctor Ecclesiastici (sive Salomon, ut vult Anacletus Papa, Alexander I. Sixtus I. Felix I. Innocentius I. Origenes, S. Basilius, et alii: sive potius Iesus filius Sirach, ut censet S. Athanas. S. Hier. S. Epiphan. S. Isidor. Pelusiota, et alii) ait cap. 7. 6. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere,* Gr. ἐξᾶραι, id est, profligare, extirpare, *iniquitates.* S. Greg. in sententiis: Quisquis, inquit, leges tuendas suscepisti, timorem omnem ex animo pelle. Omnis enim, cui legum custodia mandata est, metu vacare debet. S. Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 290. Imperiorum, inquit, robur ac firmitas, Dei amicitia est. Ex quo sequitur, eum qui robuste imperium gerit, Dei amicum esse. Mihi enim, ait Scriptura, nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Quocirca si Dei amicus esse studes, fac robuste præsis: hoc est, nec muneribus, nec amicitia, verum dignitate ac merito ius præbens: ita ille. S. Bern. lib. 4. ad Eugenium Papam, cap. 6. *Ubi,* ait, *malitiæ iuncta potentia est, aliquid tibi supra hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum non hominem putet.* De forti sanctorum pectore et libertate vide dicta Ps. 118. 46. contra vero, ut ait S. Chrys. *Facile devial a iustitia, qui in causis non Deum, sed homines pertimescit.*

Iudex timore potentium ne pervertat iustitiam.

C

18. Hoc ne accideret, olim Athenis velum obtendebatur inter iudices ac reum, ne eius aspectu aut ad misericordiam, aut ad severitatem moverentur. Athenæus lib. 13. cap. 2. asserit, hoc statutum esse post Phrynes meretricis absolutionem: quæ insigni sua pulchritudine, ornatu et blanditiis iudices ita flexit, ut pœnam debitam evaserit. Hæc, ait, cum demissa esset, lex postea lata est, ne quis dum diceretur de aliquo reo, aut accusatum, accusatamve aspiciens iudicaret. De aliis etiam populis hoc dicit Clemens Papa lib. 2. Constitut. Apostol. cap. 32. Reus, inquit, si fatetur se fecisse, quod quæritur crimen, non statim mittitur ad supplicium, imo pluribus diebus cum multa deliberatione, *et interiecto velo* inquiritur in eum. S. Basil. eiusdem rei meminit: Qui rerum, ait, in hoc mundo potiuntur, quando facinorosum aliquem morti sunt adiudicaturi, ἑφέλκονται περιπετάσματα, *cortinas obducunt,* et expertissimos quosque ad causæ tractationem advocant, multumque temporis insumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem suspicientes, multumque ingemiscentes, ac iudicandi necessitatem deplorantes, nemini non manifestum faciunt, quod non ex propria libidine, sed ex necessario legis ministerio condemnationis inferant sententiam: quanto oportet maiore diligentia, cura, pluriumque consultatione, si quis se a fratrum amicitia, iam longo tempore confirmata, avellere conetur: hæc Basilius. Adverte autem, reges et principes debere providere, ut libertas iudicandi et puniendi servetur iudicibus.

Velum tendebatur inter iudices ac reum.

B

Diodorus Siculus in sua Bibliotheca refert, Ægyptiorum reges solitos esse, iudices ad iusiurandum adigere, ut si quid rex iuberet eos iudicare, quod iustum non esset, ne iudicarent. Cum Traianus ensem Tribuno militum daret, subiunxit: *Cape ferrum hoc: et, siquidem recte imperium gessero, pro me: sin aliter, contra me utere.* Plinius eum laudat in panegyrico: quod eo regnante, fas esset contra fiscum iudicare. Quæ, ait, præcipua gloria tua est, sæpius vincitur fiscus: cuius mala causa nunquam est nisi sub bono principe. In regno Navarræ erat constitutus magistratus unus, qui vocabatur Iustitia, et inter regem ac populum medius erat, ut impediret quo minus rex aliquid iniusti in populum admitteret, ut docet Favyn. in historia Navarræ. S. Ludovicus aliis contra se favit, ut dicetur artic. seq. Iudex sit robur bene radicatum et infractum. Andreas Vandramini proceram quercum pinxit, flante vento inconcussam, hac adiecta epigraphe: *Nulli cedit.* Potentiorum minæ et promissa venti sunt vehementes, sed fortem animum non emovent.

Ægyptiorum mos laudatius.

Tertio denique, caveat iudex, ne avaritia corruptus amet et recipiat munera: illa enim ditescendi cupiditas totum hominem corrumpit. Primo, oculos excæcat. Exodi 23. 8. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes,* Hebr. videntes, *et subvertunt corda iustorum.* Deuter. 16. 19. *Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba iustorum. Iuste, quod iustum est, persequeris, ut vivas et possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.* Plumbum liquefactum olim in oculos inimicorum, aliorumque, etiam principum, infundebant sæpe Græci Imperatores, aut tyranni, ut eos excæcarent: nunc plebeii sæpe auro infuso iudicum oculos cæcant. Eccl. 20. v. 31. *Xenia et dona excæcant oculos iudicum.* Scripsit poeta Pindarus, δικαιοσύνας το χρύσεον πρόσωπον, auream esse iustitiæ faciem. Et rursus, χρύσεον ὄμμα το τας δίκας, *aureos esse iustitiæ oculos,* ut refert Athæneus lib. 12. pag. 546. Secundo, avaritia et munera os iudicis et patronorum, cæterorumque corrumpunt, et eis loquendi libertatem adimunt. *Xenia et dona*

19. Iudex munera non recipiat.

1. Enim oculos excæcant.

2. Os claudunt.

D

excæcant oculos iudicum: et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. S. Hieronymus in cap. 3. Michææ Prophetæ legit: Et quasi frænum in ore avertunt increpationes. Tigurini: Et tamquam oris obstructio reprehensiones inhibent. Nam pro *mutus,* Græce est φιμός, id est frænum, sive oris obturatio, a φιμόω, id est, obturo os. Parœmia erat, *bos in lingua,* de eo, qui erat corruptus pecunia, quia signabatur pecunia simulacro bovis; et Plutarchus in Publicola dicit, in vetustissimis nummis signum fuisse ovis, et suis, ac bovis conspectum. S. Ambrosius in Ps. 1. notat, fluvium Phison, qui significat oris mutationem, circuire terram Evilath, ubi est aurum: quia non tenetur promissorum fides, sed est in ore dolus, ubi est aurum bonum. Avaritia enim fidem frangit, nec tenet verborum simplicitatem. Tertio, aures corrumpit avaritia. S. Chrysost. hom. 6. in Ioan. Gravis morbus, ait, est avaritia, oculos cæcat, et aures obstruit, et quavis bellua sævio-

3. Aures corrumpunt

4. Manus illaqueant. res reddit. Quarto, manus corrumpit avaritia, ac munus oblatum. Hinc Thebis visebantur imagines iudicum absque manibus: et summi iudices oculis conuivebant, eo quod iustitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur. Apud Lucanos regnavit Lamiscus, cui tertius pedis digitus a maximo, *non dissimilis erat lupi ungulæ*, ut refert Heraclides lib. de politiis. Nonnullis magistratibus et manus et pedes desinunt in ferinos ungues, cum nihil tractent, in quo non abradant plurima et discerpant. Optime illos comparaveris avi prædatrici, quæ in Canadensi tractu magnitudinem gallinæ exæquat, pedem unum vulturibus similem habet, eoque pisces accipit: alterum vero similem anatibus, quo in aqua natat, cum in eam se immittit prædas arreptura. Hanc avem in nova illa Francia singularem, nullis aliis terris cognitam censet de Champlain in itin. suo lib. 1. cap. 1. p. 5. Sed verendum est, ne in nostra veteri Francia, et in aliis quoque regnis, iudices et rabulæ reperiantur, qui legum se amantes simulent, et cum aliis moveri et lætari videantur in mediis legibus, sed ibi prædas tantum appetant et quærant. Iure illis reges et principes feralem illam et Reip. fatalem dexteram amputent, sicut factum est Rufino avarissimo. Cum enim Theodosio Imp. intimus esset, sibi in Oriente imperialem dignitatem vendicare conatus est, et in decidente filio suo Eucherio: sed occisus est et caput resectum, *lapide in os immisso*, hastæ infixum, et in sublime elatum: *dextra vero abscissa*, per urbem circa opificum tabernas circumlata, his verbis adiectis, δοτε τω απληστω, *date insatiabili et inexplebili*, ut refert Nicephorus lib. 13. cap. 341. Quinto,

5. Iudicium tollunt. avaritia et munerum corruptela, oculos præsertim mentis excæcat: hoc est, ratiocinationem atque iudicium. Deut. 16. 19. *Munera excæcant oculos sapientum*. S. Gregorius Nazianzenus in dystichis: Munera, inquit, faciunt, ut sapientes quoque viri hallucinentur: atque ut aves laqueo, sic homines auro capiuntur. Poeta dixit, vincta est etiam sapientia lucro. S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 101. In iudicio, ait, quo vergit aurum, illuc propendet iudicium.

6. Voluntatem inquinant. Sexto denique, voluntas auro pervertitur. S. Chrysost. ait avaros cupere ut sol ipse sit aureus, adeo depravatam habent voluntatem. Sed dolendum magis, quod in vitia omnia feruntur, Iesum ipsum auro vendere parati. Isidor. Clarius oration. 39. Scio, ait, unumquemque vestrum abominari sceleratum traditionis facinus: sed interea non intelligitis bonam vestri partem ipso Iuda esse deteriores. Nam is semel prodidit Iesum, multi vero sæpius illum produnt, non contenti semel prodidisse. At, quo pacto, inquies? *Quoties pecuniæ causa veritatem deseritis, Iesum proditis. Ipse enim est veritas. Quoties pecunia venalis fit iustitia, Iesum proditis. Ipse enim factus est vobis iustitia. Et Iudas quidem paulo post pœnitentia ductus, pecuniam restituit, et peccasse se confessus est. Multi vero, qui se Christianos profitentur, per totam vitam proditores esse pergunt, neque ulla unquam pœnitentiæ signa præ se ferunt.*

20. Tropol. Tropolog. Facies peccatorum sumit, qui eos imitatur. Facies luciferi, ait Ugo, primi peccatoris, superbia; 2. facies Adæ, sciendi libido; 3. facies Cain, invidia; 4. Lamech, crudelitas; 5. Nemroth, ambitio; 6. Pharaonis, oppressio subditorum: hæc ille.

Horrenda est facies peccatorum. Secundo, facies peccatorum, id est, vitiorum sumit, qui illa admittit. Horrendæ autem et ferinæ sunt illæ facies. S. Hieron. in Ps. nostr. *Quando irascor*, inquit, *personam leonis assumo: quando res alienas rapio, lupi personam assumo*. Philipp. Grevæus Cancellarius in Academia Parisiensi plures facies assignat serm. 177. in Psalmos:

Varii peccatores variæ sunt feræ. Usquequo, inquit, iudicatis iniquitatem, *et facies peccatorum sumitis*. Recte dicit, *sumitis:* quia facies peccati non est facies naturæ, secundum quam factus est homo ad imaginem et similitudinem Dei. Facies culpæ est, secundum quam se transformat in bruta. Unde Ps. 48. v. 13. *Homo cum in honore esset*. etc. Primo, peccatores per diversas peccatorum larvas in se depingunt processionem vulpis. Secundo, per superbiam et rapacitatem induunt leonem. Per superbiam. Eccli. 4. 35. *Noli esse leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subiectos tuos.* Per rapacitatem. Unde Eccli. 13. v. 23. *Venatio leonis onager in eremo: sic et pascua divitum sunt pauperes*. Tertio, ursus per voracitatem. Unde de utroque dicitur Proverb. 18. v. 1. *Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem*. Et Danielis 7. v. 5. *Ecce bestia alia similis urso*, cui dictum est: *Surge, comede carnes plurimas*. Quarto, asinus per stoliditatem et duram cervicem. Unde Iudæis dicitur mystice Genes. 22. *Expectate hic cum asino*. Quinto, lupi per voracitatem. Unde Sophoniæ 3. *Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes; iudices eius lupi vespere*. Sexto, taurus per extollentiam. Eccli. 6. v. 2. *Ne extollas te in cogitatione velut taurus*, etc. Septimo, pardus per varietatem et hypocrisim. Danielis 7. 6. *Et ecce alia bestia quasi pardus, et alas habebat quasi avis*. Quia spirituales esse, et cælestia petere videntur. Octavo, simia per gesticulationem et histrionitatem. 3. Regum 10. v. 22. *Classis regis ibat in Tharsis deferens inde dentes elephantorum, et simias, et pavos.* Nono, hyæna per crudelitatem, quæ extrahit cadavera de sepulcris ut devoret, significans eos, qui mortuis non parcunt. Unde de Iudæis, quia Christum etiam mortuum persecuti sunt, dicitur Ieremiæ 12. *Facta est hæreditas mea mihi quasi leo in sylva:* aliter, quasi hyæna. Decimo, ericius per asperitatem et immansuetudinem. Isaiæ 34. v. 15. *Ibi foveam habuit ericius*. Undecimo, oryx, qui dicitur leir, ou lair, ou glairon, per pigritiam et somnolentiam. Isaiæ 52. *Dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus*. Duodecimo, aspis per inobedientiam. Ps. 57. 5. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ*. Decimo tertio, hircus per infamiæ fœtorem. Unde, quia peccata prælatorum magis nocent per infamiam, præcipiuntur offerre hircum. Levit. 4. 22. *Si peccaverit princeps per ignorantiam, et intellexerit peccatum suum, offerat hircum hostiam Domino*. Et Zachar. 10. 3. *Super pastores iratus est furor meus, et super hircos visitabo*. Decimo quarto, aper, qui spumat et frendet per iram. Ps. 79. 14. *Exterminavit eam aper de sylva*. Decimo quinto, porcus per luxuriam et immunditiam. 2. Petri 2. 21. *Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti*. Decimo sexto, canis per invidiam, et detractionem, et etiam immunditiam. Philipp. 3. 2. *Videte canes, videte malos operarios, videte circumcisionem*. Apoc. ult. 15. *Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ*. Decimo septimo, camæleon per simulationem, de quo Levitic. 11. 30. *Camæleon, lacerta, et stellio, et talpa immunda sunt*. Camæleon enim sumit colorem ab omnibus rebus circumstantibus: sic et adulator omnibus applaudit, et se omnibus conformat. Unde Iuvenalis: Si dixeris æstuo, sudat. Eccli. 33. 6. *Quasi equus emissarius, amicus subsannator sub omni sedente hinnit*, q. d. Omnibus factis et dictis sui sessoris applaudit. Decimo octavo, lepus per timiditatem. Prov. 30. 26. *Lepusculus plebs invalida, qui in petra cubile suum collocat, a latratu canis se abscondit*. Decimo nono, camelus per gibbositatem, id est temporalium sarcinam. Marc. 10. 25. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei*. Vigesimo, serpens per calliditatem. Gen. 3. 1. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*. Vigesimo primo, vulpes per dolositatem et hæresim, per prudentiam mundi et circumventionem. De Herode ait Christus Luc. 13. 32. *Dicite vulpi illi*. Iudic. 15. 4. *Samson colligavit caudas vulpium*. Cant. 2. 15. *Capite mihi vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*. Ita Grevæus, qui dicit omnia illa animalia congregari, ut vulpem sepeliant, id est, fœneratorem. Cum, ait, videmus fœneratorem dolosum ad sepulcrum deferri magno comitatu, quid aliud est, nisi vulpem ab aliis animalibus intumulari? hæc ipse.

ARTICULUS III.

A iudicibus iuvari debent pauperes et pupilli.

Cum Deus vetuerit personarum acceptionem, declarat, 21.
quomodo vitanda sit: nempe iuvando pauperes, v. 3. Vers. 3.

IUDICATE EGENO (S. Hieron. pauperi, Chald. מסכנא *misehena*. Gallice etiam dicitur, *mesquin*) HUMILEM (S. Hieron. egenum. Arias, afflictum) ET PAUPEREM IUSTIFICATE. Tertull. iuste tractate. S. Hier. inopi iuste facite.

Vers. 4.

Vers. 4. ERIPITE PAUPEREM: ET EGENUM DE MANU PECCATORIS (S. Hieron. impiorum) LIBERATE; S. Aug. et Tertull. *eruite*, quasi videlicet de ungue et ore leonis.

Pauperes sunt iuvandi a iudicibus ob quatuor rationes.

Nota, pauperes iuvandi sunt a iudicibus. Primo, quia Deus iudices populo suo constituit, quasi aram misericordiæ, ad quam omnes afflicti confugiant. Iustiuianus in præfation. institut. vocat iurisprudentiam, *templum iustitiæ:* illius aræ, sunt iudices, eas qui manu tenet, securus est, in asylo est, velut in manibus Dei est. Secundo, quia ad hoc obligavit Deus iudices ex officio. Eccli. 4. 8. *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, et redde debitum tuum,* affabilitatis scilicet et facilitatis in audiendo. Tigur. vertit, fungere officio tuo. Si ulli id competit, maxime iudici. S. Anselm. tract. cur Deus homo: *Iustitia,* inquit, *est animi libertas, tribuens unicuique suam propriam dignitatem, maiori reverentiam, pari concordiam, minori disciplinam, Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno operosam misericordiam.* Tertio, reges boni hoc petunt a iudicibus suis. Traianus Imp. laudatur a Plinio in panegyrico, quod si lis sibi esset cum subdito, illi potius faveret quam sibi. M. Antoninus, cognomento Philosophus, in causis compendii et quæstus, nunquam fisco favit, ut ait Iulius Capitolinus. S. Ludovicus Franciæ rex, in causis quæ contra ipsum vertere videbantur, semper quantum bono modo poterat, contra se stabat et allegabat, ut per hoc consiliarii absque timore offensæ ipsius a vero officio minimum declinarent, super factis, quæ tam ad personam suam, quam ad præpositos, vel ballivos spectabant: mittebat per regnum pluries inquisitores diligentes et fideles, et inventas iniurias emendari et restitui faciebat, ut ait Gaufredus de bello loco, cap. 6. vitæ eius. Cum eius frater Carolus comes Andegavensis lite certaret in nobilem, non ita divitem; et peritissimum sibi patronum delegisset: pius rex celeberrimum ipse nobili illi elegit, quem ad iuramentum adegit: ipsi perinde, ac ditissimo orbis principi, fidelem operam navaturum, ut tradit Ionville in eius vita. Quarto denique, si te divitiæ et nobilitas delectant, et iis favere vis, considera sæpe terrenorum bonorum inopes veris divitiis abundare. S. Basil. homil. 21. pag. 537. *Ne dicas,* inquit, *ille dives est, et honore dignus: hic vero pauper, contemno autem pauperem. Noli in distribuendis honoribus, respectus habere in æquales. Est enim dives sæpe mendax, rapax, libidinosus: pauper vero, iustus. Non igitur faciem tantum spectabis, sed occultiora penitioraque considera. Eum honora, qui pretiosa possidet. Quid pretiosius, virtus an divitiæ? Vel externe quidem æs habuit: lutum vero, sub ære fulgente:* hæc Basilius. Divites sunt idola, extrinsecus aurea et argentea: pauperes vero sunt Dei tabernaculum, extrinsecus contectum pellibus, intus vero habens altare aureum, arcam auream, legem Dei, et Deum sedentem in propitiatorio.

S. Ludovicus studiosissimus æquitatis.

22. Quæres, in quibus rebus iudicandum est pauperi, id est in gratiam pauperis? Respond. duas afferri a Davide nostro, seu potius a Deo hic loquente. Primo scilicet, pauperes iuvandos in fama et corpore contra calumnias potentiorum: *Egenum et pauperem iustificate,* id est iustum declarate, pronunciate, vestra sententia declarate. Hebræi enim verba realia sæpe sumunt pro verbalibus aut mentalibus. Merces magna promittitur iis, qui liberant egenos a calumniatore. Ierem. 22. 3. *Facite iudicium et iustitiam, et liberate oppressum de manu calumniatoris: et advenam, et pupillum, et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique: et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. Si enim facientes feceritis verbum istud, ingredientur per portas domus huius, reges sedentes de genere David super thronum eius, et ascendentes currus et equos, ipsi, et servi, et populus eorum.* Hæc iubentur dici Sedeciæ regi, qui quia hæc non præstitit, captus est a rege Nabuchodonosor, urbs eversa, templum exustum, et post eum nulli fuerunt in Iudæa reges de stirpe Davidica. Ut enim dicitur Proverb. 17. 15. *Qui iustificat impium, et qui condemnat iustum, abominabilis est, uterque apud Deum.* Et Isaiæ 5. 3. dicitur: *Væ qui iustificat impium pro muneribus, et iustitiam iusti aufertis ab eo. Propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis, et calor flammæ exurit: sic radix eorum quasi favilla erit, et germen eorum ut pulvis ascendet.* Punitionem Achab regis Israel, et Iezabelis uxoris eius, ob interfectum Naboth pauperem, et innocentem, atque vineam eius acceptam, vide 4. Regum 21. De Ferdinando in ius vocato, aliisque dixi Psal. 25. 1. Æqualiter tracta divites et pauperes, et eris lux toti regno. S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 208. ad Donatum: Ne, ait, legitimum imperium inconditis atque inconcinnis moribus barbarum reddas: sed rebus ipsi consentaneis exornes: mœstis videlicet lenitatem, minoribusque cum maioribus æqualitatem impertiens. Ac tunc præclarum æquitatis et iustitiæ ignem accende: ὑπέρλαμπρος γὰρ ἐστι δικαιοσύνη φωσφόρος εὐαρχίας: *Siquidem prælucentis probi imperii ac præfecturæ igniculus est iustitia.*

Pauper a calumniis liberandus.

Secundo, a rapinis et violentia potentiorum liberandi sunt pauperes: *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* Hoc præstabat Iob, rex in terra Hus cap. 29. v. 17. *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam,* velut ex dentibus lupi, leonis, vel ursi: unde Psalmo nostro Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 14. habet: *De manu peccatoris eruite.* Hoc figuratum est in Davide, qui arietes et oves eruebat de ursi ac leonis faucibus. Aristot. lib. 1. de Rep. cap. 2. ait: Hominem suis omnibus numeris absolutum, esse animal omnium optimum. Hominem vero, a lege et iure semotum ac seiunctum, esse χείριστον πάντων, *omnium deterrimum.* Nam sævissima et asperrima iniustitia est armis instructa. Illustre iustitiæ exemplum protegentis pauperes, et eripientis de manu potentum, refert Zonaras in Theophilo: ait enim, quod Theophilum Imper. prætereuntem adiit mulier, quæ sibi iniuriam a Drungario Biglæ fieri querebatur (is erat Augustæ frater, nomine Petronas) qui cum in vicinia habitaret, ædibus in altum educendis, suis luminibus obstruebat. Petronæ iussit Imperator, ne molestus amplius esset mulieri. Cum non desisteret, iussit rem a Senatu disquiri: cumque Petronam iniurium esse didicisset, in forum progressus, iussit Petronam vestibus direptis, in tergo et pectore verberari, et quæ in fraudem mulieris struxerat, destrui: materiamque, ac solum ipsum mulieri attribui. 2. Non minus illustre est S. Ludovici factum. Cum enim Enguerrandus de Coucy regio atque Imperatorio clarus sanguine, tres scholasticos Belgas sine canibus in sylva inambulantes, veluti venationi contra ius vacantes, supplicio temere affici curasset: corripi hominem, et in carcerem conilci imperavit: causa dicta, librarum decem millia iussus est persolvere, per tres annos in terra sancta militare: sylvis suis privatus est, tribus in sacellis tres illi adolescentes, sumptibus eius erectis, tumulati sunt, et iurisdictionem suam plenam amisit. Nec mortis pœnam fugisset, nisi rex Navarræ, dux Burgundiæ, comes Barrensis, comes Suessionensis, comes Britanniæ, comes Blesensis, comes Campaniæ, aliique, qui huic iudicio adfuerunt, regi supplices facti essent, ut capitalem sententiam in leniorem commutaret: *Hoc magnum fuit aliis regibus exemplum iustitiæ, quod vir tantus, et tantis ortus natalibus, quasi unus ex pauperioribus, facinoris accusatus, inter suos tam nobilis, vix vitæ remedium, in facie cultoris iustitiæ, potuit invenire.* 23.

Et a rapinis divitum.

Theophili iustitia exemplaris.

Et S. Ludovici.

Non minus necessarium est, ut iudex advigilet, ne satellites, procuratores, advocati, aliique iustitiæ ministelli, pauperes exugant, et lites extrahant. Pius II. dicebat: *Litigatores, esse aves: forum, aream: iudices, rete: patronos, aucupes.* Eos possis comparare pisci cuidam, qui reperitur in tractu Hiroquiorum. De eo sic refert de Champlain in itinere suo Canadensi, pag. 148. lib. 3. cap. 9. In flumine Hiroquiorum, ait, piscis est, quem chaousarou 24.

Iudex provideat, ne in ipso foro pauperes expilentur.

*

Indigenæ nominant: nonnunquam ad octo vel decem pedes longitudine excrescit: rostrum ei est duorum pedum, et dimidii, duplici dentium acutissimorum septo armatum. Totius corporis forma lucium nostrum refert, et squamis tam duris vestitur, ut ne pugione quidem confodi possit. In pisces reliquos bellum gerit: miraque arte, ut pro comperto mihi asseverarunt incolæ, aves venatur: in calamorum se sylvam inserit, rostrum extra aquam immotus tenet, aves ligni frustum arbitratæ, in rostro illo consident: tum os, quod apertum tenebat, claudit, pedesque avis stringens, eam sub aquas mergit, et suffocatam devorat: hæc ille. Pauper afflictus, cum in aliis hominibus, veluti calamis ad venti motum agitatis, consistere non possit, ad patronum fugit, ut in eius ore et eloquentia conquiescat, sed ab eo ipso sæpe devoratur. De rabulis loquor, non de bonis patronis, qui in Francia, regnisque catholicis florent. S. Gregor. Nyss. vocat malos advocatos, διαβόλου ῥήτορας, *diaboli rhetores et oratores.* Ammian. Marcel. lib. 30. de iis sic loquitur: *Ut in professione turbulenta clarescant, ad expugnandam veritatem ora mercenaria procudentes, per prostitutas frontes, vilesque latratus, quo velint, aditus sibi patefaciunt crebros. Qui inter sollicitudines iudicum per multa distentas, inresolubili nexu vincientes negotium, laborant, ut omnis quies litibus implicetur:* hæc ipse.

25. Nota secundo, pupilli etiam divites, sunt iuvandi a iudicibus: *Iudicate egeno et pupillo.* Felix, et orphanum. Noster melius in tertio casu, *pupillo*, id est, in gratiam et tutelam pupilli et orphani. De eorum cura dixi satis fuse Ps. 9. 39. pauca subiicio.

Pupillorum curam habent: 1. Deus. 2. Sancti. 3. Episcopi. 4. Principes.

Primo, Deus pupillorum curam gerit. Deuter. 10. 18. *Deus facit iudicium pupillo et viduæ.* Secundo, Sancti id præstant. Iob de se dicit cap. 29. 11. *Auris audiens beatificabat me, et oculus videns testimonium reddebat mihi: eo quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adiutor.* Tertio, Episcopis hanc curam Concilia commendant. In Synodo Chalcedonensi commendantur Episcopis ἀπρονόητοι, id est ii quibus nullus providet: inter quos præsertim sunt orphani, qui cura et auxilio parentum orbati sunt. Quarto, eam curam Deus et populi delegant principibus a se electis. Hoc in Imperatoris coronatione videamus. Ioan. Trithemius in chronico Hirsaugiensi Othonis consecrationem his verbis declarat: Accedens ad altare, et sumens inde gladium imperialem cum baltheo, conversusque ad regem ante se genua flectentem, dixit: Accipe hunc gladium, in quo delicias omnes Christi adversarios, barbaros, et malos Christianos, tibi auctoritate divina traditum, cum omni potestate totius Imperii Francorum, ad firmissimam pacem omnium Christianorum, Amen. Deinde sumptis armillis et chlamyde, idem Episcopus induit eum, dicens: His cornibus humero tenus demissis, monearis, quo zelo fidei fervere debeas, et in tuenda pace usque ad finem constans perseveres. Exinde sumpto sceptro baculoque, dixit: His signis monitus esto, quatenus paterna castigatione subiectos corripias, primumque te Dei ministris, deinde etiam *viduis, et orphanis, et pupillis, protectorem ac defensorem semper exhibeas, eisque manum misericordiæ clementer porrigas.* Post hæc, fuso super caput eius oleo consecrationis, ait: Unxit te Dominus in regem super populum suum, ut nunquam de capite tuo oleum miserationis deficiat, quo hic et in futurum misericordiam ab ipso Creatore tuo consequaris. Amen. Postremo, imposuit capiti eius coronam regiam, dicens: *Coronavi te corona iustitiæ*, qua monearis te ministrare debere iustitiam subditis, quatenus hoc ornamento regali præmunitus, et tuis reverendus, et inimicis terribilis appareas, et post huius vitæ terminum sempiterno cum angelis præmio coroneris. Amen. Completa benedictione Pontificis, regem in solium regale cum omni lætitia posuerunt. Hactenus Trithemius: ubi vides, regum esse malos continere, pacem bonis dare, iustitiam omnibus, sed curam præsertim ac patrocinium viduis et pupillis. Nam, ut ait de pupillis S. Basilius in cap. 1. Isaiæ: Hæc tenella ætas facile contemnitur, nec iniurias suas propulsare facile potest. Quinto denique, Deus miseretur misericordis. Eccl. 4. v. 10. *In iudicando esto pupillis misericors, ut pater* (Syrus, esto ut pater pupillis) *et pro viro matri illorum: et eris tu velut filius Altissimi, et miserebitur tui.* Gr. *diliget te magis quam mater.* Lege eo loco Cornelium. Isaiæ 1. v. 17. ait Deus: *Quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.* Hinc innumera bona consequentur, ac præsertim ea, quæ illi ponuntur: *Et venite, et arguite me, dicit Dominus: Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

26. *Tria asserit. Primo, iudices iniquos in malitia sua obstinatos hæsisse, vers. 5. Secundo, Deum illos punire, vers. 6. Tertio, id per Christum fieri, vers. 8.*

PARAPHRASIS.

5. *Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.*

5. Licet a me constituti, ut luce vestra cæteros illustraretis, tamen leges ipsas et officium vestrum ignorastis: neque ut illa nossetis, operam impendistis: eam ob rem vos concutiam et evertam, quos velut fundamenta et fulcimenta civitatum et regnorum constitueram.

6. *Ego dixi, dii estis: et filii excelsi omnes.*

6. Vos ut maiori eum auctoritate præessetis, in sacris paginis deos appellavi, ob concessam vitæ ac necis potestatem mihi propriam: vobisque permisi, ut præ cæteris hominibus, velut filii mei, maiestatem, et potestatem hæreditaretis.

7. *Vos autem sicut homines moriemini: et sicut unus de principibus cadetis.*

7. Sed cum tanta inscitia et malitia munus illud divinum exerceatis, vos velut abiectissimos homulos, morte turpissima puniam; atque adinstar tyrannorum gentilium, et dæmonum ipsorum in homines sævientium, ad inferos deiiciam.

8. *Surge Deus, iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.*

8. Tu itaque Christe, per incarnationem tuam exurge, et terram perambula, ut iustitiæ lucem revelas per te, tuosque Christianos; tua enim hæreditas non angustis Iudææ finibus clauditur; sed orbem, quaqua patet, amplectitur.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTA INIQUORUM IUDICUM POENA.

27. *Ordo Sectionis.* Sectione præcedenti Propheta Deum induxit docentem iudices, quid vitandum, quid præstandum esset; nunc obstinationem iniquorum iudicum ostendit, et pœnam. Ac primo, obstinationem. Primo enim, præ mentis stupore, leges et Dei monita ignorant, v. 5. *Nescierunt.* Secundo, præ socordia, intelligere nolunt: *Neque intellexerunt.* Tertio, præ malitia, in illa caligine iniuste iudicant: *In tenebris ambulant.*

Secundo, pœnam eorum declarat. Primo, in vitæ decursu, commotionem, vers. eod. 5. *Movebuntur omnia fundamenta terræ.* Secundo, in fine vitæ, mortem ingloriam, quam ut amplificet, dignitatem ostendit illis a Deo datam, v. 6. *Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes.* Ea tamen non obstante ait finem eorum fore miserum, vers. 7. *Vos autem sicut homines moriemini.* Tertio denique, post vitam dicit casuros illos in infernum: *Et sicut unus de principibus cadetis.*

Tertio denique, iudicem illis supremum proponit Christum, qui iudex est totius terræ, v. 8. *Surge Deus, iudica terram:* et Dominus omnium gentium: *Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.*

ARTICULUS I.

Quadruplex scientia necessaria est iudicibus.

28. Cum præceperit Deus iudicare pro pupillis et pauperibus, nunc dicit iudices malos puniendos, quia id non fecerunt, vel non cognoverunt quomodo esset faciendum,
Vers. 5. v. 5. NESCIERUNT, NEQUE INTELLEXERUNT (Hebr. nescient, neque intelligent. Felix, non cognoverunt, neque intelligent. S. Hieron. non cognoscunt, nec intelligunt. Ubi adverte, Hebræi cum careant tempore præsenti, pro illo usurpant modo præteritum, modo futurum) IN TENEBRIS AMBULANT: MOVEBUNTUR OMNIA FUNDAMENTA TERRÆ, id est terra ipsa commovebitur et fluctuabit, bonis etiam terrenis perditis per famem, morbos, et bella, aliasque plagas; 2. fundamenta terræ, id est omnia reip. adminicula, etiam externa, omnis humanæ vitæ recte agendæ ordo, et ratio, iura, leges, iustitia; 3. ipsi iudices sunt fundamenta terræ, et commoventur ob ignorantiam et vitia, ut dicetur infra.

29. Scientia quadruplex necessaria est iudicibus. Nota, quadruplex scientia necessaria est iudici. Primo, scientia doctrinalis, quæ in scholis et libris discitur. Secundo, scientia experimentalis, quæ ætate et usu obtinetur. Tertio, scientia actualis, quæ oritur ex diligenti consideratione negotii de quo agitur. Quarto denique, scientia practica, quæ habetur ad praxim revocando leges, et virtutes in iis præscriptas exercendo, ac vitia vitando.

I. Scientia doctrinalis. Ac primo, requiritur scientia doctrinalis, quæ leges a principibus statutas docet. Primo, quia id principes iubent. Sic præcipitur C. de iur. et fact. ign. lib. 12. *Constitutiones principum nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus.* Secundo, quia nisi leges sciantur, a iudice impune violantur, S. Athan. Romanas leges sine periculo nemo ignoraverit. Tertio, quia leges sunt lux, quæ ostendit, quid vitandum sit, quid sequendum. S. Gregorius Naz. orat. 40. quatuor lumina assignat: nempe Deum, angelos, homines, et leges. Deus, inquit, summum et inaccessibile lumen est, quod nec mente concipi, nec verbis explicari potest. Secundum lumen est angelus, primi illius luminis velut rivulus, ac participatio. Tertium lumen homo est, quod externis etiam perspicuum est; φῶς enim, id est lumen, hominem vocant, propter rationis nobis insitæ vim et efficaciam. Quartum denique, *lumen est legis mandatum*, λύχνος ἐντολὴ νόμου καὶ φῶς: invida caligo irrepens vitium procreavit: ita Gregorius. Præcipitur C. de leg. et const. lib. 9. *Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi præscripto earum cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur.* Quarto, iudex sciens leges securius et facilius populum regit. Sol vocatur ab Orpheo κοσμοκράτωρ, id est mundi rector: quia sine eius lumine omnia essent confusa, et nihil recte administrari posset: idem est de legibus: unde Fridericus III. Imper. gladio suo librum supposuit, cum hac epigraphe: *Hic regit, ille tuetur.* Quinto, index sciens leges iuste punit vel absolvit. Orpheus in hymno de iustitia, ei dat oculum e cælo aspicientem ac videntem omnia, ut singulis suum tribuat. Ὄμμα δίκης, ait, μέλπω πανδέρκεος ἀγλαομόρφου: *Oculum iustitiæ concino multa videntis, et formosæ,* quæ et Iovis regis omnium super sacrum thronum sedet, e cælo aspiciens vitam hominum varias regiones habitantium: iniusta puniens, iusta vero inducens: hæc ille. *Si lumen, quod in rep. est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ plebis quantæ erunt?* Sexto, iudex sciens leges, iis animum suum pascit. S. Gregor. Thaumat. in Panegyr. vocat studium legum, μέγιστον ἐφόδιον, viaticum maximum. Contra vero, ut ait Æneas Gazæus in Theophrasto: θάνατος ψυχῆς ἡ ἀρετῆς ἄγνοια, virtutis ignoratio, mors est animæ. Septimo, si iudex ipse leges ignorat, populus ignarus in præcipitia incidet a recta via aberrans. Isa. 28. 7. *Præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt, sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium.* Et cap. 5. 13. dixerat: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum.*

Secundo, in iudice requiritur scientia experimentalis, 30.
quæ acquiritur primo ætate. Hinc lex erat apud Chalcidenses, ne magistratus vel legati munere fungeretur, qui annis quinquaginta minor esset. Secundo, usu rerum, et sapienti ac sagaci animadversione: sæpe enim plura penetrabit ac notabit sensatus iuvenis paucis annis, quam dissolutus et socors tota vita. Sap. 4. 8. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis.* Arabs, canities est sapientia hominis, *et ætas senectutis vita immaculata.* Græce est, canities est prudentia hominis. Arabs porro ordinarie Græcis insistit. S. Ambr. serm. 55. *Ætates quædam sunt meritorum,* ait: *Nam et senectus morum invenitur in pueris, et innocentia infantium invenitur in senibus.* Et lib. 3. Epist. 21. ad Anysium: *Vere,* inquit, *senectus ista venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea enim est reverenda canities animæ, in canis cogitationibus et operationibus effulgens. Quæ est enim vera vita senectutis, nisi vita immaculata, quæ non diebus aut mensibus, sed sæculis propagatur: cuius sine fine est diuturnitas, sine debilitate longævitas? quo enim diuturnior, eo fortior: et quo diutius eam vitam vixerit, eo fortius in virum perfectum excrescit.* S. Anacletus notat, ante Abrahamum, nullum fuisse appellatum senem. Sic enim ait distinct. 81. cap. finali: Mosi præcipitur, ut eligat presbyteros, id est seniores. Unde et in proverbiis dicitur: *Gloria senum est canities.* Hic vero canities sapientiam designat, de qua scriptum est: Canities hominum prudentia est. Cumque nongentis et amplius annis ab Adam usque ad Abraham vixisse homines legamus, nullus alius prius appellatus est presbyter, id est senior, nisi Abraham, qui multo paucioribus vixisse annis convincitur. Non ergo propter decrepitam ætatem vel senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur: hæc Anacletus. Auctor Eccli. cap. 2. 13. dicit: *Quod tantum præcedit sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris.* Miramur hominem quemdam Siculum adeo perspicaci fuisse visu, ut e Lilybæo usque ad Carthaginem oculis intentis nihil falleretur, et numerum navium, quæ Carthagine solverent, indicaret, neque in una falleretur. Et tamen totum mare mediterraneum inter Siciliam et Carthaginem interiacet. Talis debet esse iudex, qui et in terræ penetralibus abdita, et trans ipsum mare sita, cum necesse est, indagare sua sapientia et solertia valeat. Plato lib. 10. de Rep. dicit, iustitiam cum sapientia, παντὶ τρόπῳ, omni studio et ratione colendam esse: ut et nobis ipsis et diis amici simus. Adde, et toti reipublicæ. Cum enim iudices sint oculi populorum; si cæci sint, totum corpus politicum, est corpus vastum Polyphemi in terra cæspitans, et in mari errans atque periclitans. Isaiæ 59. 9. *Elongatum est iudicium a nobis, et non apprehendit nos iustitia. Expectavimus lucem, et ecce tenebræ: splendorem, et in tenebris ambulavimus. Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus, impegimus meridie quasi in tenebris: in caliginosis quasi mortui.*

II. Scientia experimentalis.

31. III. Scientia actualis. Tertio, in iudice requiritur scientia actualis illius rei quæ controvertitur. Ad eam requiritur tempus ante iudicium, ad omnia excutienda: deinde præsertim attentio, dum causa discutitur a patronis. Ptolomæus rex Ægypti cum luderet alea, recitari sibi curavit nomina condemnatorum, et crimina in eos collecta, ut quinam supplicio digni essent, iudicaret. Sed Berenice uxor eius arrepto e pueri manibus libello, non permisit eum usque ad finem legere, dicens: Non sic obiter advertendum esse animum, cum de hominis salute quæritur, sed altius cogitandum, et relinquenda ludicra. Non enim similem esse casum tesserarum et corporum. Ptolomæum his delectatum ferunt, neque unquam postea inter ludendum de capitalibus causis audivisse, ut ait Ælian. lib. 14. var. hist. cap. 43. In eam rem est Machætæ ingeniosum et audax dictum, quod Plutarch. refert in Apephth. Cum enim Philippus iudicio Machætæ præesset, dormitansque non adverteret, quibus ille se iuribus tueretur, ideoque illum damnaret, exclamavit Machætas, se provocare. Cui iratus Philippus: Ad quem provocas? Tum ille. Ad teipsum, o rex, siquidem vigilans et attentus audieris. Ibi excitatus Philippus cum ad se rediisset, et sentiret iniuriam Machætæ fieri, non rescidit quidem sententiam, sed mulctam reo impositam de suo persolvit.

32. IV. Scientia practica. Quarto denique, in iudice requiritur scientia practica, id est virtus, quæ scit et vult ad praxim leges redigere, ut exemplo præeat, qui verbo imperat. Chald. in Ps. nostr. vertit: *Nescierunt bona operari, et non intellexerunt legem: propterea movebuntur pedes*, id est bases, *fundamentorum terræ*. Richard. a S. Vict. lib. 3. de contemplation. cap. 9. *Habet*, inquit, *oculus intellectualis ante se velum magnum oppansum ex peccati delectatione fuscatum: et tot desideriorum carnalium varia multiplicitate contextum.* Isaias 56. 10. dolet, quod *speculatores Ierusalem cæci sint, et nescierunt universi*. Sophonias quæritur, principes esse lupos vespertinos; sic enim cap. 3. 3. ait: *Principes eius in medio eius quasi leones rugientes. Iudices eius, lupi vespertini.* Sept. *lupi Arabiæ:* sunt ipsis barbaris diriores. De Serouato ait Sidonius Apollinar. lib. 2. epist. 1. non cessat vel furta punire, vel facere. Peccatum inducit tenebras. Ps. 57. 8. *Supercecidit ignis, et non viderunt solem:* vide illum locum. Virtus vero lux est orbis et mentis. S. Greg. Nyss. tract. 1. in Psalmos illud Ps. 4. explicans: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, tradit lumen illud esse virtutes, quibus τὸ θεῖον εἶδος χαρακτηρίζεται, divini vultus similitudo exprimitur. S. Aug. serm. in Domin. 2. adventus ait, iustum charitatis luce vestiri, iustitiæ vel misericordiæ margaritis ornari: hæc ille. Lux cælestis virtutum bonas habet influentias, et mentem reddit perspicaciorem. S. Isidor. Hispalensis, qui florebat circa ann. 630. illud extendens, cur terra fructus suos protulerit, antequam fierent luminaria, sic ait in Genes. *Quare terra primo germinavit, deinde facta sunt luminaria: nisi quia post opera bona venit illuminatio lucis, ad contemplandam speciem supernæ virtutis.* Franciscus Villava lib. symbol. candelam pinxit, cum hac epigraphe: *Ut luceat, ardet.* Sic S. Ioan. Baptista fuit lucerna ardens et lucens, Ioan. 5. 35. quia prius cœpit facere quam docere, sicut ipse Christus. Syrus interpres in Psalmo nostro causam cæcitatis iudicum tribuit caligini vitiosorum operum, in quibus errant. Vertit enim: *Qui non norunt, neque intellexerunt: nam in tenebris ambulabant.* A iustitia præsertim oritur lux civitatibus et regnis. S. Ambr. lib. 1. offic. cap. 28. pag. 21. *Iustitiæ splendor*, inquit, *quæ aliis potius nata quam sibi, communitatem et societatem nostram adiuvat, excelsitatem tenet, ut suo iudicio omnia subiecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula suscipiat aliena. Quis non cuperet hanc virtutis arcem tenere, nisi prima avaritia infirmaret, atque inflecteret tantæ virtutis vigorem?* Non negem tamen, vicissim a doctrina iuvari et promoveri virtutem. Hinc Altorfina Academia pinxit librum, cui gladius exertus incumberet, cum hoc elogio: *Virtutem doctrina parat.*

Nota secundo, iudices sunt fundamenta terræ, quibus emotis omnia concutiuntur. 33. Iudices sunt fundamenta terræ.

Ac primo, iudices sæculares, quales sunt reges et magistratus, sunt terræ fundamenta. Iob 9. 13. *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* Sic in eum locum S. Greg. 9. Mor. 10. *Ipsi portant orbem, qui curas præsentis sæculi tolerant. Tantorum quippe pondera unusquisque sustinere compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Unde et terræ princeps non incongrue græco eloquio βασιλεὺς dicitur. Quo enim subiectorum suorum onera tolerat, eo quasi superimpositam columnam basis portat;* βασιλεὺς porro dicitur, quasi βάσις λαοῦ, id est basis populi; sic Hebræi אדון *adon*, vocant Dominum, q.d. *Eden*, id est basis, fulcrum, fulcimentum, sustentatio: domus scilicet, urbis, regni. Secundo, Ecclesiastici iudices sunt fundamenta reip. Christianæ. 1. Apostoli, qui a Davide vocantur Ps. 17. 16. *Fundamenta orbis terrarum.* 2. Episcopi. S. Greg. Naz. carmin. 11. eos vocat, κόσμοιο θεμέθλα, id est mundi fundamenta. 3. Cardinales. Ugo Cardin. in Psal. nostro: Fundamenta terræ, inquit, id est Ecclesiæ, sunt Prælati, et præcipue Romani Cardinales, qui debent portare et sustinere totam fabricam Ecclesiæ. 1. Reg. 2. 8 *Domini sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem.* 4. S. Ephrem de sacerdotio, nuncupat sacerdotes, *fundamentum solidum ac stabile, a terra ad axem usque cæli pertingens.* Tertio, illi iudices tum sæculares tum Ecclesiastici sustentant: 1. urbes. Plato ait, iustitiam esse ἕρμα πόλεων, civitatum fulcrum; 2. regna integra. S. Aug. lib. 1. de civit. Dei, vocat iustitiam, unicum regnorum columen; et lib. 2. sic ait: *Iustitia sola respublica sustentatur.* Sed in quibus? Primo, in spiritualibus. Tullius lib. 3. Offic. Fundamentum, ait, perpetua commendationis et famæ iustitia est, sine qua nihil potest esse laudabile. Secundo, etiam in temporalibus. S. Greg. lib. 5. Mor. *Iustitia regis*, inquit, *pax est populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, cura languorum, gaudium hominum, hæreditas filiorum, et sibimetipsi spes futuræ beatitudinis.* Altorfina Academia pinxit orbem, libris incumbentem, cum hoc elogio: *His innititur orbis.*

Secundo, illa fundamenta terræ, si a iustitia, veritate, sanctitate moveantur, tunc domus moventur de loco suo, gloria, et divitiis. Thren. 4. 11. *Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: et succendit ignem in Sion, et devoravit fundamenta eius.* Panormitanus in gestis Alphonsi regis Aragonum refert, dicere solitum, eos reges, qui iustitiam non colerent, similes sibi videri iis, qui morbo caderent comitiali. Nam cum animæ materia sit sola iustitia, qua tenditur ad vitam: quid restat principibus sublata iustitia, quæ est vitæ quasi nutrimentum et cibus? hæc ipse. 2. De iudicibus inferioribus ait Malachias cap. 2. 9. *Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis: sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in lege.* Sept. Accipiebatis personam in lege. Agit ibi de sacerdotibus. Ubi adverte, quod apud Iudæos tribui Levi datum erat sacerdotium et iudicandi potestas. Erant tamen etiam iudices de tribu regia, id est de tribu Iuda: imo et in singulis tribubus seniores etiam civitatis in eius porta iudicabant. 3. Urbes ipsæ commoventur illis emotis fundamentis. Ierem. 22. 3. postquam monuit Sedeciam regem Iuda, et omnes servos eius, *ut faciant iudicium et iustitiam, et liberent vi oppressum de manu calumniatoris: et advenam, et pupillum, et viduam nolint contristare, neque opprimant inique: et sanguinem innocentem ne effundant*, subdit v. 5. *Si non audieritis verba hæc, in memetipso iuravi, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc*, id est domus regis Iuda; *Galaad*, id est templum, ait Ugo; Ierusalem, ait S. Thom. aut certe, domus et stirps regia; *tu mihi caput Libani: si non posuero te solitudinem, urbes inhabitabiles. Et sanctificabo*, efficiam ut sanctos, id est iustos æstiment, *super te, interficientem virum, et arma eius: et succident electas cedros tuas, et præcipitabunt in ignem.* 34. Iudices iniqui moventur de loco suo.

Et pertransibunt gentes multæ, per civitatem hanc, Ierusalem scilicet. 4. Templa ipsa moventur de loco suo, et expilantur, atque evertuntur. Amos 9. 1. *Vidi Dominum sedentem super altare* (in templo Salomonis, ait S. Hier. et Remig. in templo Bethel, ait Ruffinus, et a Castro) *et dixit: Percute cardinem*, templi scilicet, *et commoveantur superliminaria.* Sep. vertunt, percute propitiatorium. Arab. Antioch. percute pavimentum. Arab. Alex. *percute rationale Pontificis*. Cum rationale sacerdotum et iudicum, eorumque sapientia, lux et iustitia commoventur, tunc superliminaria concidunt. Ubi nota, quod vocabatur illud rationale, rationale iudicii. 5. Regna integra corruunt emotis fundamentis. Ezech. 30. 6. *Corruent fulcientes Ægyptum, et destruetur superbia imperii eius.* Contra vero, iustitia stabilit regna. S. Remigius huius urbis Remensis Archiep. et Francorum Apostolus, qui floruit circa ann. 500. Clodovæo regi, quem ad baptismum instituebat, prædixit: *Regnum Franciæ tamdiu florens futurum, quamdiu in eo iustitia et religio coleretur.* Quod spem maximam facit, fore ut regnum floreat, dum rex noster Ludovicus XIII. cognomento Iustus, et de hæresi domita triumphator regnabit: cum præsertim hostes omnes ita domet, ut quocumque pergit, victoriam secum ducere videatur. Iustitia quoque singulas urbes beat. Leo Eutycratidis filius, rogatus, in qua demum civitate tuto habitare liceret, ait: *Ubi iustitia viget.* 6. Totus orbis concutitur ob regum et magistratuum iniustitiam. Laurentius Pocest. in Symbol. Imperatorum refert, Ferdinandum Imper. dictitare solitum: *Fiat iustitia, aut pereat mundus.* Et vero S. August. lib. 4. de civit. Dei dicit: *Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Hinc in Sinensi regno plurimi sunt fures, quia non severe puniuntur, ut refert noster Trigautius in Exped. Christiana ad Sinas. E contrario dicit S. Ambros. lib. de paradiso cap. 3. *Nulla virtus abundantiores videtur habere fructus, quam æquitas et iustitia:* hæc ille. Et vero, cum terram manu fulciat, omnes inde exorientes fructus, ipsi accepti habendi sunt. Zonaras tom. 3. Annal. pag. 58. refert illustre iustitiæ exemplum, ex quo populi tranquillitas est consecuta. Cum Instinus Curopalata Imp. a multis vexaretur, conquerentibus, sibi iniuriam esse factam, quidam se obtulit, qui diceret: fore, ut si præfectus crearetur, nemo inveniretur, cui fieret iniuria: id fecit Imperator. Is cum pro tribunali sederet, et quidam ex illustrioribus senatoribus accusatus et accersitus non veniret, ei denuo denunciavit: sed contempto apparitore ad convivium Imp. se contulit, quo erat vocatus. Eo Præfectus cognito ad aulam accurrit, et licet incepto convivio ad Imp. ait: Se illi promisisse, intra tantum tempus effecturum esse, ut nemini fieret iniuria: idque præstiturum, si potestatis imperatoriæ auxilium haberet. Si vero illis ut amicis et convivis uteretur, se operam lusurum. Aut igitur illis non dandam esse licentiam, aut sibi magistratum abrogandum. Ad ea tum Imperator, si vel ipse iniuriam fecisset, duci se iubente, Præfectus reum e convivio in prætorium adduxit: auditaque utrinque causa, cum sontem invenisset, plagis affecit, et accusatori damnum cum accessione multiplici pensare iussit. Ex eo tempore homines tardiores ad faciendam iniuriam extiterunt. Cum montes stant, sunt firmamenta terræ: cum quassantur, multos mortales perdunt. In Burgundia duo montes a se invicem discesserunt: vallis amborum media magno hiatu scissa est, per quinque, ut ferunt passuum millia: omnem plebem rusticam ibi commorantem, aut hiatus absorbuit, aut saxa occiderunt, ut ait Albertus Crantzius lib. 7. Wandal. cap. 25. Cum potentiores in officio continentur, stant regna et populi: cum vero nutant, omnia evertuntur et eliduntur.

Severitas aliquando est necessaria.

ARTICULUS II.

Iudices, et viri omnes iusti, sunt dii, et filii Dei.

POST pœnam iudicibus malis intentatam, quod ob eorum iniustitiam et ignorantiam essent movenda fundamenta terræ, eos pungit alia ratione, ob excellentiam scilicet ac potestatem divinam, ad quam elevati erant, v. 6. EGO DIXI, DII ESTIS, ET FILII EXCELSI (Camp. Altissimi, id est Dei, qui est excelsus et altissimus) OMNES. Vers. 6.

Nota, hoc nomen *Deus*, est incommunicabile secundum rem, est tamen communicabile secundum opinionem. Ut enim ait S. Thom. 1. p. q. 13. art. 9. Aliquod nomen potest esse communicabile dupliciter. Uno modo proprie. Alio modo per similitudinem. Proprie quidem communicabile est, quod secundum totam significationem nominis est communicabile multis. Per similitudinem autem communicabile est, quod est communicabile secundum aliquid eorum, quæ includuntur in nominis significatione. Hoc enim nomen, leo, proprie communicatur omnibus illis, in quibus invenitur natura, quam significat hoc nomen leo. Per similitudinem vero communicabile est illis, qui participant quid leoninum, ut puta audaciam, vel fortitudinem, qui metaphorice leones dicuntur. Ad sciendum autem, quæ nomina proprie sint communicabilia, considerandum est, quod omnis forma supposito singulari existens, per quod individuatur, communis est multis, vel secundum rem, vel secundum rationem saltem. Sicut natura humana communis est secundum rem et rationem. Natura autem solis non est communis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum. Potest enim natura solis intelligi, ut in pluribus suppositis existens. Et hoc ideo: quia intellectus intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem a singulari. Unde esse in uno supposito singulari vel in pluribus, est præter intellectum naturæ speciei. Unde servato intellectu naturæ speciei potest intelligi, ut in pluribus existens. Sed singulare ex hoc ipso quod est singulare, est divisum ab omnibus aliis. Unde omne nomen impositum ad significandum aliquod singulare, est incommunicabile et re et ratione. Non enim potest in apprehensione cadere pluralitas huius individui. Unde nullum nomen significans aliquod individuum, est communicabile multis proprie, sed solum secundum similitudinem: sicut aliquis metaphorice potest dici Achilles, in quantum habet aliquid de proprietatibus Achillis, scilicet fortitudinem. Formæ vero, quæ non individuantur per aliud suppositum, sed per seipsas: quia scilicet sunt formæ subsistentes, si intelligerentur secundum quod sunt in seipsis, non possent communicari nec re neque ratione: sed forte per similitudinem, sicut dictum est de individuis. Sed, quia formas simplices per se subsistentes non possumus intelligere secundum quod sunt, sed intelligimus eas ad modum rerum compositarum habentium formas in materia: ideo dictum est art. 1. huius quæst. ad 2. imponimus eis nomina concreta significantia naturam in aliquo supposito. Unde quantum pertinet ad rationem nominum, eadem ratio est de nominibus, quæ a nobis imponuntur ad significandum naturas rerum compositarum, et de nominibus, quæ a nobis imponuntur ad significandum naturas simplices subsistentes. *Unde cum hoc nomen, Deus, impositum sit ad significandum naturam divinam: natura autem divina multiplicabilis non sit, sequitur quod hoc nomen, Deus, incommunicabile quidem sit secundum rem, sed communicabile sit secundum opinionem; quemadmodum hoc nomen, sol, esset communicabile secundum opinionem ponentium multos soles. Et secundum hoc dicitur Galat. 4. 8. His, qui natura non sunt dii, serviebatis. Gloss. non sunt dii natura, sed opinione hominum. Est nihilominus communicabile, hoc nomen, Deus, non secundum suam totam significationem, sed secundum aliquid eius per quamdam similitudinem, ut dii dicantur, qui participant aliquid divinum per similitudinem, secundum illud: Ego dixi, dii estis. Si vero esset aliquod nomen impositum ad significandum Deum non ex parte naturæ, sed ex parte suppositi secundum quod consideratur, ut hoc aliquid, illud nomen esset omnibus modis incommunicabile: sicut forte est nomen tetragrammaton apud Hebræos. Et est simile, si quis imponeret nomen soli, designans hoc individuum:* ita S. Thomas. Hinc Sap. 14. dicitur: *Incommunicabile nomen,*

35. Nomen Dei est communicabile secundum opinionem, non secundum rem.

Iehova, ut ait Cornel. *lignis et lapidibus imposuerunt.* Ubi adverte, quod *Iehova* significat eum qui est: sive ipsam essentiam: *elohim* vero, Deum ut iudicem et gubernatorem. In Psalmo nostro non est vox Iehova, sed Elohim, cuius vocis vim explicui vers. 1. His positis:

36. Iudices sunt dii, ob quinque rationes.

Dico, iudices, præsertim supremos, posse appellari deos. Primo, et præcipue, quia habeant vitæ et necis potestatem, quam ideo reges habent, quia constituti sunt iudices supremi populorum; nisi enim essent iudices, illam non haberent. Gubernatio enim et directio præcise sumpta hoc non importat.

I.

II. Secundo, iudices dii sunt, quia conservatio non solum vitæ, sed etiam bonorum omnium ab iis pendet; iis quoque privare possunt, ubi scelus aliquod intervenit.

III. Tertio, iudices dii sunt, quia Deus hoc iis nomen communicat. *Ego dixi, dii estis.* Sed ubi id dixerat Deus? Resp. id dixisse Exod. 22. 8. *Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos*, id est ad iudices, ut explicat Mariana, et alii omnes. Et vers. 28. *Diis non detrahes*, Hebr. *elohim*, id est iudicibus, qui sunt Dei loco, ait Emmanuel Sa. Mosem, quem populo suo principem et iudicem Deus statuerat, et scelerum Pharaonis vindicem, vocat deum Pharaonis. Exod. 7. 1. *Ecce constitui te deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Chald. vertit *rab*, id est principem Pharaonis. In hoc significat Deus amorem suum erga servos suos, quod sua iis communicet, ipsumque nomen, sed hoc est admirabilius, quod etiam mali principes et iudices dii sunt. Sed sciant tamen, se velut vana idola esse tandem a Deo vero conterendos.

IV. Quarto, iudices dii sunt, et a populis coluntur velut dii terrestres ob eorum maiestatem in suis tribunalibus et consessibus. Hinc Lacedæmonii nulli assurgebant, nisi regi et ephoro, ut tradit Heraclides lib. de politiis. Ephori porro Spartæ erant magistratus eiusmodi, quales apud Romanos tribuni plebis, qui a Theopompo sic appositi regibus sunt, sicut apud Romanos Consulibus Tribuni. Ut enim a Consulibus ad Tribunos provocare quisque poterat, sic Lacedæmonii a regibus ad ephoros. Constat ab ephoris reges alios eiectos fuisse, alios interemptos. Olim pro ministris regum fuerunt, paulatim deinde omnem potentiam in se trasferentes ad id licentiæ pervenerunt, ut sensim a rege magistratum proprium constituerint, nomine Ephoriam. Sic vocati sunt, απο του εφοραν, id est ab intuendo, quod ad civitatis salutem oculos intentos haberent. Nunc etiam reges, sed sua voluntate, causas suas civiles committunt iudicibus suis, et sæpe vincuntur lite a subditis. Ex quo, expende iudicum dignitatem et maiestatem, qui etiam in ipsos reges aliquam habeant potestatem; quam si quis rex eriperet, odio esset omnibus.

V. Quinto, iudices dii sunt, quia iustitiam habent, quæ facit illos *Sciaddai*, id est sufficientes sibi et aliis. Ioannes Dubravius lib. 9. histor. Bohem. ait: Prædalios Indicam gentem in sacris publicis nihil a Deo quam iustitiam petere solitos: idque fecisse, quod crederent ea obtenta affatim sibi bonorum omnium fore. Aristot. lib. 5. ad Nicom. dicit, iustitiam esse virtutum omnium præstantissimam. S. Th. 1. 2. q. 60. art. 3. docet, quænam virtutes sint annexæ iustitiæ. Orpheus illam vocat deam, eique thus adolet; et Athen. lib. 12. ipseque S. Bonaventura, ait eam esse deam nostri microcosmi. Pulcherrima est iustitiæ laus quam habet Sauvage in orat. funebri Henrici II. Lotharingiæ Ducis. Si imperia, inquit, mundi sunt exigui, iustitia eorum est cælum. 2. Si regum aulæ sunt cæli, iustitia illorum cælorum sol est. 3. Si rerumpublicarum et regnorum status corpora perfecta sunt, a iustitia velut anima, sustentantur. 4. Si leges sunt reip. regiæ, iustitia est illarum corona. 5. Si regum palatia sunt deorum paradisus, iustitia felicitas est. 6. Si supremæ iudicum curiæ, sacra sunt miserorum templa et asyla, iustitia ibi velut dea, præsidet. 7. Si rex caput est imperii, iustitia est illius capitis oculus. 8. Si virtutes sunt diadematum gemmæ, iustitia illarum gemmarum fulgor est. 9. Si principes evadunt sancti, iustitia festum est et apotheosis: siquidem pietate et iustitia principes dii fiunt: eo nomine S. Gregor. Naz. vocat Imperatores. Plutarch. lib. quod in principe requiratur doctrina, vocat principem, imaginem Dei. Etiam deos minorum gentium facit princeps: nempo iudices inferiores. Scævola apud Romanos vir doctissimus, ut ait S. Aug. lib. 4. de civit. Dei refert, deorum tria genera tradi: unum a poetis, alterum a philosophis, tertium a principibus civitatis. Primum genus nugatorium fuisse dicit, quod multa de iis fingerentur indigna, etc. non est necesse ut reges, et civitatum magistratus alios deos adorandos proponant populis quam seipsos, quibus omne genu curvetur, et suavissima quæque adoleantur: sed scientia, sapientia, bonitate, sanctitate, charitate, aliisque divinitatis attributis se deos præstent. Ecclesiastici præsertim pricipes et iudices in aris et tribunalibus suis dii sint. S. Dionys. Areop. cap. 1. Eccl. Hier. vocat, hierarchiam illam θεουργικην, id est deos facientem: eamque esse vim sacerdotii Christiani, ως θεωθηναι, ut Pontifex Deus fiat: eumque nuncupat, ενθεον και θειον, divinum et numine plenum. Hoc Constantinus Imp. professus est in Concilio Nicæno primo, ut dixi supra.

Dico secundo, omnes viros iustos, esse deos, ac filios Dei. *Ego dixi: dii estis, et filii excelsi omnes.* 37 Omnes viri iusti, sunt dii, ob sex rationes.

Ac primo, vir iustus et sanctus, est deus. Primo, quia est imago Dei perfecta et similitudo, ut S. Athan. docet tract. de Incarn. Verbi Dei. S. Greg. Nyss. oration. 3. de resurr. ait, hominem esse θεοειδη, id est divina forma præditum. S. Cyrill. Alex. adversus Anthropomorph. cap. 2. docet, per spiritum, qui insufflatus est in Adami faciem, hominem transformatum esse, εις ειδος ανωτατον, τουτ᾽εστι το θειον, in formam eminentissimam: hoc est, divinam. In quo autem hæc Dei imago consistat, non omnes conveniunt. S. Aug. in eo ponit, quod homo anima polleat incorporea et individua. Origenes, quod homo sit æternus. S. Ioan. Damasc. quod præditus sit memoria, voluntate et intellectu. S. Ambros. quod sit liberi arbitrii. S. Greg. Nyss. quod virtutes omnes chorum agant in homine. S. Basilius, quod omnibus bestiis dominetur. Academici dicebant animam esse divinæ sortis effluxionem, θειας μοιρας απορροιαν. Philo dicit esse, θειας ψυχης αποσπασμα, id est, divinæ animæ frustum: hæc benigna interpretatione indigent. Sextus sive Sixtus philosophus sentent. ultima. Sapiens mens, ait, speculum est Dei. Sentent 54. Bona mens, chorus est Dei. Sent. 33. *Habes in te aliquid simile Dei, et ideo utere teipso, tamquam templo Dei.* Sentent. 180. *Cole sapientem virum tamquam imaginem Dei.* Ubi adverte, aliam esse imaginem seu similitudinem naturalem, de qua iam dictum est: et aliam supernaturalem, quæ consistit in gratia Dei animam totam exornante. Vide dicta Ps. 8. 6. in illud: *Minuisti eum paulo minus ab angelis.* Hebr. *ab Elohim*, id est a Deo, ut vertit S. Hier. et Felix. (I. Quia sunt imago eius perfecta.)

Secundo, vir iustus et sanctus, est deus, ob voluntatis liberum arbitrium, atque virtutes. 1. Liberum arbitrium ait esse maximam immortalitatis signum Æneas Gazæus vir eruditissimus, qui floruit circa ann. 490. in suo Theophrasto, id est in Dialogo excellenti, quem scripsit de animæ immortalitate, et corporum resurrectione: et inscripsit Theophrastum, quia persona præcipua in eo loquens vocatur Theophrastus. Ibi autem sic loquitur: *Improbitas in alias quidem res aliquando imperium habet: virtus autem ab omni dominatione est immunis et libera. Et certe animæ, quæ ratione sit prædita, pulcherrima hæc est dignitas, quod sui iuris sit, ac plane libera.* Et in eodem tractatu rursus: Homines quod sui iuris sunt, ac vere liberi, id assequuntur a Creatore, μεγιστον αθανασιας συμβολον, *maximum immortalitatis signum.* 2. Virtutes, quæ ipsum hominem spectant, eum efficiunt deum. Rupertus id de humilitate sic ait in Exod. agens de Mose: *Quoniam*, inquit, *tu mitissimus virorum cum Pharaone dimicare indignum te ducis, teque deprimis, ecce ego sustollam te, faciamque te deum Pharaonis, ut imperes aquis pro potestate Dei, ut ranas crees: ut imperes terræ ac cineri, faciasque in rege et exercitu eius cinipnes et vesicas: ut imperes ae-* 38. II. Ob libertatem voluntatis et virtutes.

ri, et pestem generet: *ut imperes igni, et cum grandine mistus feratur super peccatores: imperando elementis, deus eris Pharaonis. Ecce quam gloriosa virtutum regina est humilitas, quæ in cælum volare consuevit*: hæc Rupertus. 3. Virtutes, quæ sunt ad alterum, etiam sanctos, efficiunt deos. De liberalitate hoc dicit Iustinus epist. ad Diognet. Qui, ait, pauperi elargitur a Deo accepta, Θεος γινεται λαμβανοντων, Deus fit eorum qui accipiunt. S. Aug. serm. 196. de tempore, dicit inter deos numerari eum, qui avaritiam non habet. Sextus philosophus, sent. 15. Sapiens vir, ait, et pecuniæ contemptor, similis est Deo. Aristot. lib. 7. Etich. cap. 1. generatim dicit: Ex hominibus fieri divos, δι αρετης υπερβολην, ob virtutem heroicam et excellentem. Hinc consecrati sunt Hercules, Osirides, Romuli, aliique, qui bona aliqua hominibus contulerunt, et præ cæteris virtute excelluerunt: ut Ceres ob inventionem frumenti, Bacchus ob vini culturam, Mercurius ob eloquentiam, et sic de variis dici potest. Longe verius id ac certius eveniet Apostolis et Apostolicis viris, qui orbem variis inventis et laboribus iuverunt: imo etiam omnibus Christianis, quorum professio nihil aliud est, quam μιμησις Θεου, hoc est Dei imitatio.

39. III. *Ob intellectus illustrationes.* Tertio, vir iustus et sanctus, est Deus, ob intellectus illuminationem deificam. S. Maximus lib. de cæl. Hieron. docet, per illustrationes divinas hominem θεουσθαι, id est Deum fieri: sic enim illum frui accessu ad Deum, του Θεου θεουργω, id est, qui hominem efficiat Deum. Ut enim ait S. Greg. Naz. orat. 42. *Deus diis unitur.* S. Dionys. Hier. Eccl. cap. 1. Luminis, ait, quod patris instinctu et nutu effunditur, progressus omnis, benigna in nos largitione manans, rursum nos ως ενοποιος δυναμις, velut vis coniungens excitando replet, atque ad colligentis patris unitatem, και θεοποιον απλοτητα, *et deificam simplicitatem convertit*: hæc Dionysius. Per contemplationem mens excipiens Dei, veluti solis infiniti, radios fit divinum parelium, et sol alter ac Deus in terris. Talis fuit S. Stephanus, de quo dicitur Act. 6. 15. *Intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius, tamquam faciem angeli.* Videbant tantum faciem exteriorem, si mentis intima penetrassent, vidissent eam esse divinam. S. Paulus fuit alter orbis terrarum sol ac Deus: quia in conversione lux Christi eum circumfulserat, ut habetur Act. 9. 3. *Hi erant filii lucis ac cæli.* Contra vero, terræ filii in terram demersi nec sapiunt, nec intelligunt cælestia, et quæ sursum sunt: sed in terrenis lynces, in divinis vespertiliones sunt ac talpæ: cum enim in honore essent, non intellexerunt: comparati sunt iumentis insipientibus, et similes facti sunt illis. Primislao duci Bohemorum ex Libussa uxore tres fuerunt filii: duo immaturo funere rapti sunt, tertius morienti seni hæres dictus, *Nimulaus* nomine quod *nihil excogitans* interpretatur: fuit enim stupidi ingenii, ut ait Æneas Sylvius hist. Bohemicæ, cap. 9. Tales sunt peccatores, quorum est cor incrassatum.

40. IV. *Ob appetitum sensitivum edomitum.* Quarto, vir iustus et sanctus, est Deus, quia reprimit passiones appetitus sensitivi, iisque dominatur, nec patitur se ad bestias deiici. Clem. Alex. lib. 2. Strom. p. 414. affert duplicem locum psalmi nostri, ut probet virum pium esse diis annumerandum. 1. *Deus*, inquit, *stetit in synagoga deorum.* Quorum? των ηδονης κρειττονων, *eorum qui sunt voluptate superiores*, qui vincunt animi motus et perturbationes, qui sciunt unumquodque eorum quæ faciunt; qui cognoscendi potestate præditi, των κοσμου μειζονων, *qui mundo sunt maiores.* 2. Affert versum, quem illustramus: *Ego*, inquit, *dixi: dii estis, et filii excelsi omnes.* Quibusnam id dicit Dominus? *iis, qui quoad fieri potest, mortalia omnia repudiant*: Et dicit Apostolus, Rom. 8. 9. *Vos autem non amplius estis in carne, sed in spiritu*: hæc Clemens. Elegantem gradationem habet Sextus philosophus sent. 15. *Fidelis homo*, ait, *electus homo est. Electus homo, homo Dei est. Homo Dei est, qui Deo dignus est. Deo dignus est, qui nihil indigne agit.* Ubi obiter adverte, quod liber ille sententiarum, seu proverbiorum Sixti seu Sexti philosophi, falso tribuitur S. Sixto II. Pontifici et Martyri, ut S. Hieron. demonstrat in Epist. ad Ctesiphontem, et in cap. Ierem. atque in cap. 18. Ezech. Gelasius etiam in concilio sept. Episcoporum, reprobat librum proverbiorum sub nomine S. Sixti ab hæreticis conscriptum: dicit autem ab hæreticis conscriptum, quia Rufinus eum librum plenum erroribus convertit ex Græco, et S. Sixto attribuit: ita Bellarm. Liber tamen ille habet pulcherrimas sententias, si eas benigne interpreteris, non in omni rigore.

Quinto denique, vir sanctus et iustus, est Deus, ob dominium in res omnes creatas. Nam primo, hominibus in statu innocentiæ positis dictum est, Gen. 1. 28. *Dominamini piscibus maris, et volatilibus cæli, et universis animantibus quæ moventur super terram.* Secundo, post amissam innocentiam, ac diluvium immissum, quod scelera hominum extingueret, ait Deus Noemo Genes. 9. 2. *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, et super omnes volucres cæli, cum universis quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.* Epictetus in enchiridio cap. 21. ait, hominem συναρχειν θεω, id est, pari cum diis imperio potiri. Sextus philos. sent. 299. Quæcumque, ait, Deus possidet, hæc et sapiens. Alexander Macedo dicitur ducibus suis imperium suum divisisse, lib. 1. Machab. cap. 1. at vero Deus totum imperium suum dat servis suis omnibus, et totum singulis. Christus dedit illis potestatem calcandi serpentes, et scorpiones, et omnem virtutem inimici, Luc. 10. 19. Hinc iure concludendum est, non esse serviendum peccatis. S. Basil. in Hexaem. *Animal es*, ait, *o homo, imperio natum. Ecquid miseram hanc affectuum servis servitutem? Ecquid te dedis peccato in vile mancipium? cur suapte sponte mancipium te diaboli constituis. Iussit te Deus in creaturis principem locum tenere: et ecce tanti principatus dignitatem a te excutis, et repellis: sed servus vocatus es. En habes rationem vitiosi omnis affectus plane dominatricem: hæc Basilius.* Populo Israelitico iam terræ promissionis proximo ait Moses Deut. 11. 24. *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit*, q. d. Calcate terrena, et omnia possidebitis, et omnium eritis domini. Tertio, vir iustus et sanctus dominatur fami, pesti, bello, morbis, et omnibus huius vitæ incommodis, quibus superior est, et Deo unitus ac veluti supra nubes et extra corpus positus, omnes infra se tempestates et agitationes mundi videt ac despectat. 41. V. *Ob dominium in res omnes.*

Sexto denique, præsertim qui ita corpori dominantur, ut illibatam virginitatem servent, in diis numerandi sunt. S. Methodius ait παρθενιαν, virginitatem esse dictam, quasi παρα Θεον, id est, Deo æqualem: quia θεω απεικαζει, Deo similem facit. S. Gregor. Nyssen. de Virgin. dicit, quod virginitas θεοποιει προπον τινα, quasi deos efficit. 42. VI. *Corporis puritatem.*

Nota, reges præcipue et sacerdotes sancti, dii sunt. Primo enim, in codice Iustiniani Imper. facinus in regem admissum, vocatur sacrilegium. Glossæ causam afferunt, quod sit ipse quidam in terris Deus. Secundo, S. Dionys. Areopag. vocat sacerdotes, οικονομους και παρεδρους Θεου, œconomos et socios Dei. Carolus Magnus lib. 6. Capitul. cap. 103. ait, eos esse thronos Dei. S. Chrysostom. illud Ps. 137. 1. *In conspectu angelorum psallam tibi*, sic explicat, q. d. *In conspectu deorum* psallam tibi: deos autem illos, intelligi sacerdotes. 43. *Reges et sacerdotes, sunt dii.*

Dico tertio, omnes viri iusti et sancti, sunt filii Dei. Unde addit David: *Et filii excelsi omnes.* Excelsi, id est Dei, qui est excelsus et altissimus, supra cælos inambulans, et infinito intervallo omnes creaturas superans. 44. *Viri [illegible] sunt filii Dei, et cur [illegible]*

I. Primo autem, sunt filii Dei, quia sic Deus illos appellavit Isaiæ 1. 2. *Filios enutrivi et exaltavi.* Secundo, pa- II. ter ab iis vult nominari. Matth. 6. 9. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in cælis.* Neque id tantum explica de prima Trinitatis persona, cum S. Cypriano: sed de tota SS. Trinitate, cum aliis. Clem. Alex. in admonitione ad gentes: Nobis nunc restat, ut dicamus eum solum, qui est θεοσεβης, id est pius et religiosus, esse Christianum, et divitem, et temperantem, et generosum: et ea ratione, Dei imaginem et similitudinem dicere et credere iustum

est ac sanctum. Nos enim, nos adoptavit, et noster tantum vult esse pater, non eorum qui fidem non habent.

III. Tertio, viri iusti et sancti, sunt filii Dei, quia Christus eos fratres suos vocat. Matth. 28. 10. ait ipse Mariæ Magdalenæ, Mariæ uxori Cleophæ et matri S. Iacobi, Ioannæ uxori Chusæ procuratoris Herodis, et Salomæ, post resurrectionem: *Ite, nuntiate fratribus meis,* id est Apostolis.

IV. Quarto, viri iusti et sancti, sunt filii Dei, quia per gratiam sanctificantem in ipsis inhabitantem, adoptantur a Deo. Hæc est ratio a priori. Ioan. 1. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri: his, qui non ex sanguinibus*, tum seminali viri, tum menstruo mulieris, *neque ex voluntate*, Arab. appetitu, *carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo,* id est Dei spiritu et gratia, *nati sunt.* Oseæ 1. 11. dicitur de gentilibus ad fidem conversis: *Erit in loco ubi dicetur eis*, Sept. ubi dictum est eis: *Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis.* Porro notandum est, ait Cornelius in eum locum, in hac Dei adoptione non tantum animæ infundi gratiam, charitatem, aliaque dona Spiritus sancti, sed etiam ipsum Spiritum sanctum, qui est primum et increatum donum, quod Deus dat hominibus. Potuisset Deus in iustificatione, per gratiam et charitatem infusam nos tantum facere iustos et sanctos, illaque magna fuisset Dei gratia et beneficentia, etiamsi nos in filios suos non adoptasset: sed hac non contentus, voluit nos ita facere iustos, ut simul adoptaret in filios. Rursum hanc adoptionem facere potuisset, dando nobis solam charitatem, gratiam et dona creata: gratia enim est participatio divinæ naturæ in summo gradu, quantum scilicet deitas a creatura non tantum naturaliter, sed et supernaturaliter participari potest. Maius itaque priori fuisset hoc Dei beneficium. Verum eo non contenta immensa Dei bonitas, voluit simul nobis dare seipsam, ac per se

45. nos sanctificare et adoptare. Quocirca Spiritus sanctus sponte sua se annexuit donis suis, gratiæ et charitati, ut quandocumque ea infundit animæ, simul cum eis et per ea infundat seipsum personaliter ac substantialiter, iuxta illud Apostoli: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,* Roman. 5. 5. Ideo Apostolus eum vocat, spiritum adoptionis: *Non enim*, ait, *accepistis spiritum servitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur*, Rom. 8. 15. Et: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, ibid. v. 14. Et: *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater*, Galat. 4. 6. Hæc ergo est summa Dei nostri dignatio, æque ac nostra summa dignitas et exaltatio, qua recipientes charitatem et gratiam, simul recipimus ipsam personam Spiritus sancti, quæ se sponte charitati et gratiæ inserit, et annectit, ac per eam nos inhabitat, vivificat, adoptat, deificat, agitque ad omne bonum. Vis maiora? Accipe. Spiritus sanctus descendens personaliter in animam iustam secum adducit cæteras divinas personas, Patrem et Filium, utpote a quibus separari nequit. Tota ergo Trinitas personaliter et substantialiter venit ad animam, quæ iustificatur et adoptatur, in eaque quasi in suo templo manet et inhabitat, quamdiu illa in iustitia perdurat, iuxta illud 1. Ioan. 4. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo;* et 1. Cor. 6. 17. *Qui adhæret Domino, unus Spiritus est.* Hoc est, quod Christus moriturus, in divinissima illa oratione ad Patrem rogavit et impetravit, dicens: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint*, Ioan. 17. 21. ut scilicet Spiritum sanctum unum et eumdem participent, et in ipso uniantur, et per ipsum cæteris personis divinis: itaque in ipso omnes unum sint: quia Spiritus sanctus, qui ab omnibus participatur, et qui in omnibus est, unus et idem est. Unde omnes in unica re individua unum sunt: scilicet in Spiritu sancto, sicut tres personæ divinæ unum sunt in una natura divina, eaque

Spiritus sanctus datur cum gratia et charitate.

A singulari et individua. Ita explicat S. Cyrill. lib. 11. in Ioan. cap. 26. S. Athanas. orat. 4. contra Arrianos, et ex eis Toletus. In iustificatione ergo et adoptione, animæ infunditur gratia et charitas, et cum iis Spiritus sanctus, totaque deitas, et sancta Trinitas, quæ se his suis donis substantialiter quasi annexuit atque inclusit, ut nos sibi substantialiter uniat, sanctificet, deificet et adoptet: qua adoptione Primo, accipimus summam dignitatem filiationis divinæ, ut reipsa non tantum accidentaliter per gratiam, sed et quasi substantialiter per naturam simus filii Dei, et quasi dii. Deus enim suam naturam realiter nobis communicat et donat. Secundo, per eamdem quasi filii accipimus ius ad hæreditatem cælestem, puta ad beatitudinem, omniaque Dei patris nostri bona. Tertio, per eamdem nanciscimur miram dignitatem operum et meritorum: ut scilicet opera nostra quasi filiorum Dei substantialium, ut ita dicam, maximæ sint dignitatis, valoris et pretii, ac plane commensa et condigna suo præmio, puta æternæ vitæ et gloriæ cælesti, utpote quasi procedentia ab ipso

B Deo spirituque divino, qui nos inhabitat, ad eaque nos impellit, iisque cooperatur: ita Cornelius. Unde infert 46.
Primo, quod iustitia inhærens, sive gratia sanctificans, per quam sanctificamur et adoptamur in filios Dei, non sit una simplex qualitas, ut quidam imaginantur: sed multa complectatur, scilicet remissionem peccatorum, fidem, spem, charitatem, aliaque dona, ac ipsum Spiritum sanctum donorum auctorem, et consequenter totam Trinitatem. Hæc enim omnia in iustificatione infusa accipit homo, ut ait Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. Secundo, falli eos, qui in iustificatione et adoptione censent dari Spiritum sanctum duntaxat quoad sua dona, non autem quoad suam substantiam et personam. Tertio, quod adoptio nostra licet in se una sit, virtute tamen sit duplex. Prior est, qua adoptamur in filios Dei per charitatem creatam, et gratiam animæ infusam. Hæc enim est summa participatio divinæ naturæ. Posterior est, qua per gratiam adipiscimur ipsum Spiritum sanctum eiusque naturam divinam: 47.

Gratia sanctificans multa continet.

C ac per eum quasi deificamur, et in filios Dei adsciscimur. Porro utraque adoptio hic inchoatur per gratiam, sed in cælo perficietur et solidabitur per gloriam æternam, qua hæreditatis Dei possessionem reipsa nanciscemur (idque firme et immobiliter, sine ullo timore vel periculo eam unquam amittendi) Deoque intime uniemur et fruemur per visionem beatificam, qua novo modo Deus seipsum substantialiter animæ beatæ communicabit, illique intime et suavissime illabetur, seque insinuabit. De hac ait Apostolus Rom. 8. 23. *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem* (id est adoptionis, puta hæreditatis, ad quam adoptati sumus, possessionem) *filiorum Dei expectantes.* Et S. Ioan. Apocal. 21. 3. *Ecce, ait, tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit ipsorum Deus.* Et v. 7. *Qui vicerit, possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius.* Quarto denique, sicut Christus est filius Dei naturalis, tum qua Deus per generationem æternam, tum qua homo per unionem hypostaticam: ita nos sumus filii Dei adoptivi: sed longe

Adoptio nostra in se una, est virtute duplex.

D nobilius, quam sint filii adoptivi hominum. Illi enim nihil physicum recipiunt a patre adoptante, sed tantum denominationem moralem, per quam ius ad eius hæreditatem consequuntur: nos vero recipimus a Deo gratiam, et cum gratia ipsam Dei naturam, ut sicut apud homines pater proprie dicitur, qui alteri communicat suam naturam humanam, generatque hominem: ita Deus dicatur pater non tantum Christi, sed et noster: quia naturam suam nobis communicat per gratiam, quam Christo communicavit per unionem hypostaticam, ut eius fratres nos efficeret, iuxta illud Rom. 8. 29. *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Et Ioann. 1. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, etc. Vide S. Thom. 3. p. q. 3. ubi docet primo, convenire Deo adoptare, quia eius est ad divinæ beatitudinis hæreditatem admittere: ita docet art. 1. Secundo, art. 2. ait, id convenire toti Trinitati, quia ob essentiæ

unitatem, quicumque effectus in creaturis fit, toti est communis Trinitati: appropriatur tamen illa adoptio Patri, ut auctori; Filio, ut exemplari; Spiritui sancto, ut imprimenti in nobis huius similitudinem exemplaris. Tertio, art. 3. creaturæ rationali tantum convenire adoptari, nec omni, sed tantum charitatem habenti. Quarto, docet art. 4. Christum non posse dici filium adoptivum, sed naturalem, qua de re fuse agit Suarez tom. 1. in 3. p. quæst. 48. Quinto denique, ait adoptionem filiorum Dei, esse per conformitatem imaginis ad filium naturalem: ita habet 2. 2. q. 46. artic. 6. Itaque recte dixit Heraclitus: ἄνθρωποι θεοί, θεοὶ ἄνθρωποι: *homines dii, dii homines*. Vide S. August. serm. 24. de tempore.

48. Corollaria. Ex his collige Primo, quanti facienda sit illa adoptio et filiatio, et quam magno studio conservanda. Secundo, quanti faciendus sit vir pius, licet pauper. Tertio, quanta contentione vitia vitanda sint, quæ nos ad bestias abiiciunt. S. Leo serm. 1. de Nativit. Christi hoc monet: *Agnosce*, inquit, *o Christiane dignitatem tuam, et divinæ consors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cuius capitis et cuius corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum. Per baptismatis sacramentum, Spiritus sancti factus es templum. Noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, et diaboli te iterum subiicere servituti: quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te iudicabit, quia misericordia te redemit.* Margareta Valesia, coniux Henrici IV. regis Franciæ in symbolum sibi sumpsit heliotropium, hoc adscripto, *Non inferiora secuta.* Nam regio clara sanguine, nubebat regi. Dei filii sumus, ne ad terrena nos deliciamus, et illis amorem nostrum ne inquinemus. Sextus philosophus sent. 121. ait: *Insuesce animam tuam aliquid magnum de se sentire post Deum.*

49. Iudices sunt filii Dei. Quæres, cur postquam iudices appellavit deos, illos vocat filios Dei? Resp. cum Bellarmino, vocat Deus iudices filios Dei excelsi, vel comparans eos cum angelis, qui apud Iob cap. 1. et 38. filii Dei dicuntur; 2. vel ut ostendat, iudices non esse deos proprie, ut est verus et summus Deus, qui caret principio: sed esse deos, quia filii Dei, id est ab uno vero Deo, dii constituti per participationem auctoritatis iudicandi, et iubendi. In Evangelio Ioannis cap. 10. Dominus hunc locum adducens, dicit: *Vocari deos, quia sermo Dei ad illos factus est.* Sermonem porro Dei ad aliquem fieri, est Deum committere alicui aliquod officium: sic enim dicitur, factum verbum Dei ad Prophetas, quos mittebat ad prædicandum. Et Luc. 3. dicitur: *Factum est verbum Dei super Ioannem Zachariæ filium in deserto;* et mox adiungitur executio: *Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans.* Ita Bellarminus, qui etiam notat, non bene ex hoc loco colligi, omnes iudices et principes habere a Deo immediate potestatem suam; satis enim est, si eam habeant vel immediate, ut habuit Moses in veteri Testamento, et S. Petrus in novo; vel mediante consensu populi, ut habent reges et principes terræ, in quos transtulit populus auctoritatem suam, quam accepit a Deo iure naturæ: non enim est potestas nisi a Deo, ut Apostolus scribit ad Romanos 13.

ARTICULUS III.

Iniusti iudices et principes a Deo puniuntur.

50. Vers. 7. Ne deorum appellatione impii intumescerent, statim subdit Deus, illos esse viles homunciones in humum et lutum redigendos, v. 7. Vos AUTEM SICUT HOMINES MORIEMINI (S. Hieron. ex Hebræo vertit, *quasi Adam:* quod potest sumi, 1. proprie pro Adamo, qui ob peccatum suum mortem incurrit; 2 et melius, appellative, id est quasi homo quilibet) ET SICUT UNUS DE PRINCIPIBUS, (id est, de dæmonibus: ita S. Hieron. S. August. Euth. Theodoretus et alii; 2. de idolis gentium: ita Iansenius; 3. et melius, de tyrannis a Deo punitis: nempe Pharaone, et similibus) CADETIS.

Nota primo, consideratio mortalitatis humanæ in officio continere potest iudices et principes. Quis enim insolescat, considerans, vitam nostram instar umbræ evanescere! S. Greg. Naz. orat. 10. p. 171. fragilitatem illius sic eleganter pingit: *Eiusmodi*, ait, *vita nostra est, qui fluxam vitam ducimus: eiusmodi in terra ludus, ut, cum non simus, nascamur; cum nati simus, rursum dissolvamur,* ὄναρ ἐσμὲν οὐχ ἱστάμενον, φάντασμα μὴ κρατούμενον, *insomnium sumus non consistens, spectrum quoddam, quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, navis in mari vestigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos suo tempore nascens, et suo tempore marcescens.* Baldad Suhites id inculcat Iobo c. 8. 9. *Hesterni quippe sumus, et ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri super terram*, q. d. A paucis annis hic vivimus, et cito inde mors nos auferet. Vide dicta Ps. 38. sect. 2. Cum Theodosius Imp. iussisset cædem Thessalonicensium, in qua septem hominum millia trucidata fuerant, atque ad Ecclesiam intraturus pergeret, S. Ambrosius ei obvius in ipso templi aditu, ut inde ipsum excluderet, hanc ei miseriam humanam principibus communem proposuit his verbis: *Videris*, inquit, o *Imperator, non considerare animo tantum tot cædium scelus. Fortasse imperialis potestas impedimento tibi est; et, veluti nubes quædam, potentia tanta rationi obiecta est. Agnosce igitur te eiusdem naturæ et conditionis hominibus, atque adeo conservis tuis imperare. Communis enim Dominus et Imperator est, rerum conditor universarum*, etc. quæ refert Nicephor. lib. 12. cap. 41. pag. 317. Hæc cogitatio apud pium Imper. tantum valuit, ut in regiam sit regressus, et vix post octo menses ausus sit aditum in Ecclesiam petere, quem pœnitens impetravit. Agathocles ex figulo factus rex Siciliæ, utebatur vasis figlinis, ne memoria prioris fortunæ ex animo eius excideret. Iudices et principes dii sunt, sed ex luto formati, ne ita caput suum aureum et coronatum spectent, quin pedes luteos attendant, et lapidem sibi imminentem, id est iudicium Dei, quo prosternantur, nisi sapiant. Primislaus III. Bohemorum dux, ex rustico ad eam dignitatem evectus a Libussa, interrogatus cur calceos querno robore factos secum afferret? Respondit, servandos esse in arce Visegradensi, ostendendos posteris, ut scirent omnes, primum, qui principatum inter Bohemos accepisset, ex agro vocatum fuisse, neque insolescendum esse ei, qui ex humili fortuna solium ascenderit. Servati calcei diu apud Bohemos, religiose sunt habiti, ac per sacerdotes templi Visegradensis ante reges delati, dum pompa coronationis educebatur, ut ait Æneas Sylvius hist. Bohem. cap. 6. pag. 13. Nos ex Adam, id est terreno, orti sumus, terram illam ponant omnes super oculos suos, et illuminabuntur, licet cæcutierint ab ipsa nativitate.

Vita nostra est umbra. — *Hæc cogitatio utilis est regibus et iudicibus.* — *Primislai humilitas.*

51. Vitam abbreviat iniustitia. Nota secundo, illam vitæ brevitatem, adhuc breviorem reddit iniustitia. Sicut enim vere S. Chrysost. in epist. ad Romanos iustitiam vocat radicem vitæ: ita nos iniustitiam vocare possumus radicem et fontem mortis. Deus ipse hortatur Iudæos, ut quærant iudicium, subveniant oppresso, iudicent pupillo, defendant viduam: hoc facientibus bona terræ promittit: non facientibus vero, intentat mortem. Isaiæ 1. 20. *Quod si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Babyloniorum scilicet, ac Romanorum, ait S. Hieronymus. Camerarius in lib. Centur. pinxit viperam extinctam, ex qua apes comedentes contrahunt virus, hoc inscripto titulo, *Transfundit pasta venenum.* Hoc de iniustitia recte dici potest. Dei gladius commode explicabitur per gladium Bassani Sicambrorum regis, qui filium suum ob aliquod scelus capite plecti iussit, eumque gladium sibi prodeunti palam præire voluit sanguine filii cruentum, ut hoc spectaculo territus populus obsequi disceret: ac deinceps eumdem gladium variis in locis pingi curavit, et illud epigramma adiungi: *Discite iustitiam moniti.*

Bassani in filium severitas.

Caligulæ scelera, et pœnæ. Caligulæ iniustitiam et scelera recenset Svetonius, et pœnam adiungit. Illa ex Dione Cassio lib. 59. recenseamus aliqua saltem ex parte. Primo, deficientibus aliquan-

do iis qui ad bestias damnabantur, lussit ex turba quæ tabulis adstabat, quosdam abripi, et feris proiici, præcisis ante linguis, ne clamare aut accusare quemquam possent. Secundo, alea ludens idem tyrannus, auditoque deesse pecuniam, Gallorum census indices poposcit, iussitque locupletissimos necari; reversus ad collusores, ipsos ob paucos ludere denarios dixit, ac se iam ad sexies millies sestertium coegisse. Tertio, tanto desiderio insani honoris idem homuncio exarsit, ut humano fastigio altior haberi vellet, seque cum luna coire, et a victoria coronatum esse videri. Iovem etiam se fingebat, eaque occasione, cum multis aliis mulieribus, et cum sororibus congressum esse præ se ferebat. Sæpe Iuno, Diana, Venusque fiebat, mutato cum nomine etiam habitu. Inde aliquando muliebri ornatu conspiciebatur, craterem et thyrsum gerens, modo viriliter compositus clavam et leonis pellem gestabat: alias barbatus conspiciebatur, alias imberbis, nunc tridentem tenens, nunc fulmen vibrans, iam virgini bellatrici se assimilabat, mox in mulierem transformabatur, quidvis potius quam homo videri cupiens. Forte quadam accidit, ut Gallus quidam eum pro excelso tribunali sub specie Iovis ius dantem videret, ac viso illo rideret. Cum Caius vocatum percontatus esset, quid ipsi esse videretur? Magnum, respondit ille, deliramentum: idque impune tulit, quod esset tutor. Quarto, ipse sibi sacerdos fuit, equumque suum collegam sacerdotii ascivit. Immolabantur autem ei singulis diebus aves delicatæ, et magni pretii. Quinto, machinam habebat, qua tonitribus obstreperet, et contra fulgura fulguraret, et quoties fulmen decidisset, lapidem iaculabatur, semper Homericum illud addens: Ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σέ: aut me interfice, aut ego te. Monstrum an hominem audire et videre te credis? Sed finem adverte: illo occiso, nemo ab eius cadavere vulnerando abstinuit, quidam etiam eius carnes gustarunt. Nonne illis possis dicere: *Ego dixi: dii estis*, etc. *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.* Et illud Isaiæ 14. 13. dictum Balthasari regi Babylonis ultimo: *Dicebas in corde tuo: In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci?* Ordine retrogrado instar cancrorum ambulant superbi, volunt se exaltare, et deiiciuntur. Laurentius Truchesius sphæram sibi terrestrem figurari voluit, cui cancer insideret, cum hac voce, *Orbis iter.* Vide dicta Ps. 36. 35.

Nota tertio, iniusti iudices et reges evadere non pos- 52.
sunt, quid Deus ipse eos iudicat. Itaque David Psalmum Vers. 8.
concludit, v. 8. SURGE DEUS, IUDICA TERRAM, QUONIAM TU HÆREDITABIS IN OMNIBUS GENTIBUS, id est, omnes gentes, ut S. Hier. et Pagn. vertunt. Sic dicitur Habacuc 1. 5. *Aspicite in gentibus,* id est aspicite gentes, ut vertit Chaldæus. Ps. 105. 5. *Ad videndum in bonitate:* id est, ad videndum bonitatem. S. Hieron. vertit, ut videam bona; Hebræi enim verba contactus sive corporalis, sive spiritualis construunt cum ablativo et præpositione.

Terrificum erit præsertim hoc iudicium, in fine mundi, omnibus principibus. S. Hier. epist. ad Heliodorum: *Iudicaturo Domino,* inquit, *lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt.* Vulgaris parœmia est: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et hæc verba Helvetiorum proceres patrini filiæ Henrici II. Francorum regis in icone aurea, quam ad regem detulerant, insculpi curaverant: addiderant præterea tredecim funiculos, qui tredecim pagos Helvetios repræsentarent. Sed dicamus: Si Deus contra nos, quis pro nobis? Illum itaque nobis omni virtute, ac præsertim iustitia, conciliemus: illum amicum nobis faciamus, ne iudicem sentiamus.

Terribile erit iudicium extremum regibus.

PSALMUS OCTOGESIMUS SECUNDUS.

1. CANTICUM PSALMI ASAPH.

2. DEUS quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus:
3. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: et qui oderunt te, extulerunt caput.
4. Super populum tuum malignaverunt consilium: et cogitaverunt adversus Sanctos tuos.
5. Dixerunt: venite, et disperdamus eos de gente: et non memoretur nomen Israel ultra.
6. Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversum te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ.
7. Moab et Agareni, Gebal et Ammon, et Amalec: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.
8. Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filiis Lot.
9. Fac illis sicut Madian et Sisaræ: sicut Iabin in torrente Cisson.
10. Disperierunt in Endor: facti sunt ut stercus terræ.
11. Pone principes eorum, sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana.
12. Omnes principes eorum, qui dixerunt: hæreditate possideamus sanctuarium Dei.
13. Deus meus pone illos ut rotam: et sicut stipulam ante faciem venti.
14. Sicut ignis qui comburit sylvam: et sicut flamma comburens montes.
15. Ita persequeris illos in tempestate tua: et in ira tua turbabis eos.
16. Imple facies eorum ignominia: et quærent nomen tuum Domine.
17. Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi: et confundantur et pereant.
18. Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus; tu solus Altissimus in omni terra.

PSALMI OCTOGESIMI SECUNDI ANALYSIS.

- Iosaphat rex Iudæ multitudinem hostium in Ierusalem irruentium videns,
  - Deum ad ultionem incitat, 2. qui
    - Maiestate, omnibus est superior. 2.
    - Verbo, omnes terrere potest. 2.
    - Vindicta, sceleratos debet prosternere. 2.
  - Hostes depingit, 3. quorum
    - Scelera aperit
      - Tumultum, irrumpendo in Iudæam. 3.
      - Superbiam, promittendo sibi victoriam. 3.
      - Malitiam, subito incursu obruere volentium. 4.
      - Nocendi studium, populo Dei. 4.
      - Crudelitatem, totam nationem delere optantium. 5.
      - Coniurationem in Deum ipsum. 6.
    - Et nomina, 6. qui
      - Partim siut fidelibus orti parentibus,
        - Idumæi. 6.
        - Ismaelitæ. 6.
        - Moabitæ. 7.
        - Agareni. 7.
        - Gebalitæ. 7.
        - Ammonitæ. 7.
        - Amalecitæ. 7.
      - Partim infidelibus,
        - Philisthæi. 7.
        - Tyrii. 7.
        - Assyrii. 8.
  - Punitionem prædicit, 9. cuius
    - Personas declarat
      - Populum attritum,
        - Instar Madianitarum, Sisaræ et Iabin. 9.
        - Fugatorum et cæsorum ad torrentem Cisson. 9.
        - Putrescentium in terra, et prope urbem Endor. 10.
      - Principes cæsos,
        - Instar Oreb et Zeb principum Madianitarum. 11.
        - Et instar Zebee et Salmana regum ipsorum. 11.
    - Causam
      - Ob unanimem exhortationem principum impiorum. 12.
      - Dei sanctuarium perpetuo possidere volentium. 12.
    - Modum, quo
      - Instar rotæ versatilis, semper agitentur. 13.
      - Instar stipulæ, vento impulsæ, iactentur. 13.
      - Instar sylvæ, ab igne vastatæ bonis spolientur. 14.
      - Instar montium, intus ardentium, in animo torreantur. 14.
    - Certitudinem, 15.
      - Persecutionis in tempestate. 15.
      - Et turbationis in ira. 15.
    - Effectum, 16.
      - Pro bonis
        - Confusionem ob peccata. 16.
        - Et Dei inquisitionem. 16.
      - Pro malis
        - Æternum pudorem. 17.
        - Conturbationem. 17.
        - Confusionem. 17.
        - Perditionem. 17.
        - Cognitionem, sed tardiorem
          - Potestatis Dei. 18.
          - Et maiestatis. 18.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Canticum Psalmi Asaph.

1. De quibus Iudææ hostibus hic agitur.

A PROPHETA noster mente præsagiens innumeram hostium multitudinem in Iudæos irrupturam, orat Deum, ut sceleratos male perdat.

I. Quæres, de quibus hostibus sit sermo? Primo, Dionys. Carthusianus ad omnes hostes populi Iudæorum videtur extendere. Sed hoc est nimis generale.

II. Secundo, Caietanus ad ipsius Davidis tempus accommodat, cum Hanon missos a Davide nuntios ignominiose tractavit, atque ut iustam eius vindictam evitaret, varias gentes ad bellum conduxit, 2. Reg. 10. 1. Hoc contigit anno regni Davidis 17. exitus ab Ægypto 453. imperii Assyriorum 1065. Tunc enim Hanon suis Ammonitis se satis munitum non credens, Syros iam Davidi infestos conduxit mercede mille talentorum argenti, id est in ære Gallico, quatuor millionibus et 125. millibus Francorum, seu quod idem est 1375000. aureorum, id est unius millionis, trecentorum et 75. millium aureorum. Sed Syros tantum conduxit Hanon, de Moabitis, Agarenis, Amalecitis, et aliis, nulla fit mentio. Primo enim, habuit Syros Rohob, sive Mesopotamiæ. Secundo, Syros Soba, quibus rex erat Adarezer. Tertio, Syros subiectos regi Maacha. Quarto, Syros Istob, id est incolas terræ Tob, in qua peregrinatus est Iephte.

III. Tertio, Lyranus exponit Psalmum de Sennacherib rege Assyriorum irrumpente in Iudæam tempore Ezechiæ regis Iuda, ei autem se adiunxerunt variæ gentes Iudæis infestæ. Hoc contigit anno regni Ezechiæ regis 13. Sennacherib 4. imperii Assyriorum 1389. Romæ conditæ 20. cum reparatis muris Ierusalem negasset tributum pendi solitum a tempore Achaz patris sui. Tantam vero gentium multitudinem secum traxit, ut Iosephus dicat lib. 6. de bello Iud. cap. 11. totam secum duxisse Asiam.

Quarto, Theodoret. Euth. et Nicephor. censent, vaticinium esse de populo post reditum e captivitate Babylonica a vicinis gentibus lacessito, sed victore per industriam et robur Zorobabelis, 2. Esdr. 4. ita illi. Hoc contigit anno Darii Hystaspis 2. Zorobabelis 17. solutæ captivitatis 17. Romæ conditæ 232. ante Christum 520. Tunc enim templum reparavit Zorobabel; sed non video gentes multas se illi operi opposuisse, Darii tantum præfecti regem suum monuerunt, quid fieret, impedimento tamen non fuerunt. Verius loqui possent de tempore Nehemiæ ducis et sacerdotis, qui muros Ierusalem reparavit postea, anno Artaxerxis regis 20. sui ducatus in Iudæa primo, solutæ captivitatis 93. Tunc enim se opposuerunt Iudæis vicinæ gentes, præsertim Sanaballat dux Samaritanorum, et Tobias dux Ammonitarum: volebant enim impedire, ne Ierusalem muris cingeretur. IV.

B Quinto, Bellarminus, et aliqui Græci, referunt psalmum ad tempora Machabæorum: tunc enim in Iudæos dicuntur congregatæ universæ gentes per circuitum, 1. Mach. 5. 10. Iratæ erant, quod Iudas Machabæus templum Ierosolymitanum repurgasset, altare holocaustorum novum extruxisset, victimas Deo vero immolasset, ac sacra restituisset, erat enim dux populi, et summus Pontifex. V.

Illa templi repurgatio contigit anno mundi 3890. imperii Græcorum 148. Antiochi Epiphan. 12. Iudæ Machabæi 7. Romæ conditæ 580. ante Christum 163.

VI. Ei optime. Sexto denique, probabilius agitur de bello Ammonitarum et Moabitarum, contra Iosaphat regem Iuda, de quo agitur 2. Paralip. 20. Primo enim, in psalmo nostro reliquæ gentes dicuntur venisse auxilio filiis Loth: hoc est, Ammonitis et Moabitis, quod non convenit aliis bellis. Secundo, in eo bello dicitur mons Seir commotus contra Iosaphat, in eo autem monte et circa illum erant Idumæi, Ismaelitæ, Agareni, Amalecitæ, et fortasse Gebalitæ, ut dicitur postea. Tertio, dicuntur venisse contra Iosaphat de locis, quæ trans mare sunt, quod Salianus interpretatur de mari mortuo, sed de Tyriis interpretor in mari mediterraneo positis, in hoc autem psalmo fit eorum mentio: Philisthæi seu alienigenæ, perpetui hostes Iudæorum, facile se illis admiscuerunt. Quarto additur, in eumdem venisse magnam multitudinem de Syria, quod Salianus non satis commode explicat de ipsis Ammonitis et Moabitis: cur enim duobus nominibus vocarentur? in psalmo nostro fit mentio Assur: Syria autem dicta etiam reperitur Assyria et Assuria. Sed de his infra suo loco fusius dicetur. Quinto, Iosaphat orans, 2.Par.20. dicit Deo: *Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cælo, et dominaris cunctis regnis gentium: in manu tua est fortitudo et potentia, nec quisquam tibi potest resistere.* In psalmo nostro dicitur: *Deus quis similis tibi?* 2. Iosaphat orans dicit: *Nituntur eiicere nos de possessione, quam tradidisti nobis.* In psalmo nostro habetur: *Dixerunt: venite, et disperdamus eos de gente.* Alia parallela posses notare. Psalmus itaque noster est oratio Iosaphati piissimi regis Iuda pugnaturi in Ammonitas atque Moabitas, et adiunctos ipsis socios. Sexto, quod dicunt: *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei,* allusio est ad prohibitionem, ne Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem intrarent in Ecclesiam Domini, in æternum. Qua de re dicetur in eo versu. Hoc bellum contigit anno Iosaphat 23. templi fundati 121. Troiæ excisæ 272. imperii Assyr. 1212. ante Christum 910.

Tropol. Psalmus hic convenit cunctis pro Christo persecutionem patientibus. Hinc Isaias Abbas orat. 25. eum nobis recitandum proponit, si adorti nos fuerint hostes, præsertim invisibiles, ut fide muniti cor nostrum hoc modo armemus, et nos confirmemus ad sanctam petram, qui Christus est. S. Athanas. ad Marcellinum ait, psalmum hunc esse, ωσπερ αγκυραν ελπιδος, velut anchoram spei, ut muniamur et stabiliamur contra hostes ex omni parte confluentes. Arnobius miram eius vim esse declarat his verbis: *Da unum virum spiritalem, qui istum psalmum contra centum millia gentes, præsumens de conscientia, proferat, et vides protinus evenire victoriam.* Dionys. Carth. dicit, moralem intelligentiam prosequendo, subtilem et fructuosam esse huius psalmi expositionem. 2. Tropol. Psalmi huius elogia.

Allegor. agitur hic de Ecclesiæ persecutionibus. Asaph enim significat congregationem, seu ecclesiam: est autem hic Psalmus canticum psalmi Asaph. Primo itaque, agitur hic de omnibus persecutionibus Ecclesiæ: ita nonnulli. Secundo, de persecutione hæreticorum specialim: ita Hieron. Tertio, de persecutione Mahometis et Antichristi: ita Valentia. Tertio, potissimum agit de persecutione Antichristi: ita S. August. Bruno, Remig. Ugo, Dionysius, qui sic ait materia psalmi huius est secundus Christi adventus, et persecutio dura ac gravis fidelium a perversis. Triplex autem fuit Ecclesiæ persecutio. Prima, erat in gladio tyrannorum. Secunda, in verbis hæreticorum. Tertia, in malis operibus fratrum fallacium. Quarta restat, quæ ex omnibus istis constabit, videlicet persecutio Antichristi, qui potestate armorum, verbis disputationum, operibus simulatarum virtutum, fideles persequetur, occidet, et plurimos fallet: ita Dionysius, et bene. De hæreticis præsertim dicam in hoc psalmo, ut explicatio sit utilior. 3 Allegor.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

4. Tria complectitur. Primo, Deum hortatur ad vindictam sceleratorum, vers. 2. Secundo, scelera eorum describit in Iudæam irrumpentium, vers. 3. Tertio, punitionem eorum prædicit, vers. 9.

SECTIO PRIMA.

Tria continet. Primo, Deum incitat ad ultionem, vers. 2. Secundo, impiorum scelera ponit, vers. 3. Tertio, eorum nomina declarat, vers. 7.

PARAPHRASIS.

2. *Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus:*

2. O summe rerum omnium moderator, nullus est qui tibi aut sapientia, bonitate, potestateve æquiparari possit: ne tibi supplices diutius morare, votis eorum responde, et hostes contere.

3. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: et qui oderunt te, extulerunt caput.*

3. Magno enim tumultu, et insanis clamoribus, inimici tui et gentis tuæ, ac tibi specialiter consecratæ, irruunt: ac victoriæ certi ob multitudinem, superbum caput in cælum ipsum efferunt.

4. *Super populum tuum malignaverunt consilium: et cogitaverunt adversus Sanctos tuos.*

4. Maligna consilia contra populum tuum inierunt: et varias artes in sanctificatos a te, commenti sunt.

5. *Dixerunt: Venite, et disperdamus eos de gente: et non memoretur nomen Israel ultra.*

5. Mutuo se in perniciem nostram adhortantes dixerunt: Eia agite, accurrite, ut infestos nobis homines ex hac regione extirpemus: neque amplius his in partibus vel Israelitarum nomen audiatur.

6. *Quoniam cogitaverunt unanimiter: simul adversum te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum, et Ismaelitæ.*

6. In eamdem omnes sententiam unanimi consensu conspirarunt, at communi pacto fœdus in te tuosque, gentes illæ barbaræ et infideles inierunt: Idumæi scilicet, atque Ismaelitæ.

7. *Moab, et Agareni, Gebal, et Ammon, et Amalech; alienigenæ cum habitantibus Tyrum.*

7. Moabitæ, Agareni, Gebalitæ, Ammonitæ, Amalecitæ, Philisthæi, et mari ipso mediterraneo separati a nobis, qui in medio eius positi, divitiis et gloria illustres sunt.

8. *Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filiis Loth.*

8. Ipsi quoque Syri et Assyrii copiis eorum se adiunxerunt: unitique omnes, Ammonitis et Moabitis Lothi nepotibus, ac tanti belli auctoribus, auxilio fuerunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta hæreticorum in Ecclesiam Dei impietas.

5. Ordo Sectionis. Rex Iosaphat in hoc psalmo loquens Deum pro se stantem, et hostes innumeros contra se armatos contemplatur.

Ac primo, Dei supremam in omnes potestatem, et incomprehensibilem maiestatem profitetur, v. 2. *Deus quis similis erit tibi?* Secundo, sententiam iudicialem implorat: *Ne taceas.* Tertio, dexteram ultricem: *Neque compescaris Deus.*

Secundo, scelera impiorum percenset. Primo, odium Dei, v. 3. *Quoniam ecce inimici tui.* Secundo, tumultum: *Sonuerunt.* Tertio, superbiam: *Et qui oderunt te, extulerunt caput.* Quarto, malitiam, v. 4. *Super populum tuum malignaverunt consilium.* Quinto, nocendi studium, ac malevolentiam: *Et cogitaverunt adversus sanctos tuos.* Sexto, crudelitatem, v. 5. *Dixerunt: Venite, et disperdamus eos de gente: et non memoretur nomen Israel ultra.* Septimo, coniurationem, v. 6. *Quoniam cogitaverunt unanimiter: simul adversum te testamentum disposuerunt.*

Tertio, nomina ipsorum enumerat: partim a fidelibus parentibus originem ducentium, partim ab infidelibus. Primo quidem a fidelibus, Idumæos et Ismaelitas, vers. eod. 6. *Tabernacula Idumæorum, et Ismaelitæ.* Moabitas item, Agarenos, Gebalitas, Ammonitas, Amalecitas, v. 7. *Moab, et Agareni, Gebal, et Ammon, et Amalech.* Secundo, ab infidelibus, Palæstinos et Tyrios, vers. eod. 7. *Alienigenæ cum habitantibus Tyrum.* Syros item, seu Assyrios, v. 8. *Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filiis Loth.*

ARTICULUS I.

Omnis creaturæ excellentia Deo comparata nihil est.

6. Vers. 2 In præcedenti psalmo David iudices vocavit deos: nunc autem Deum verum iis longe præstantiorem esse affirmat, v. 2. Deus quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus; tacet Deus, cum non ulciscitur, nec punit: compescitur vero, cum incipiens ulcisci et punire, flectitur ad misericordiam precibus Sanctorum, aut humiliatione peccatorum. Orat itaque Iosaphat, ut in iram implacabilem Deus exurgat, et severissime puniat hostes suos. In Iosaphati enim persona hic loquitur David, qui hunc psalmum scripsit.

Similes Deo esse voluerunt: Nota, pro *Deus, quis similis tibi?* S. Hier. Deus ne taceas. Pagn. et Felix: *Deus ne taceas tibi.* In Hebræo est *al domi*, quod duo significare potest. Primo, ne taceas: aut, ne taceas tibi. Secundo, non similis tibi: aut, non similitudo tibi: nam *domi* derivatur a verbo דמה *dama*, quod significat similem esse, et silere. Noster Interpres eleganter vertit per interrogationem: *Quis similis tibi?* q. d. Quis est tam temerarius, qui se tibi similem audeat I. Lucifer. dicere vel cogitare? Hoc præsumpsit Lucifer, qui dixit Isaiæ 14. v. 14. *Similis ero Altissimo.* S. Hier. putat Luciferum fuisse creatum in firmamento, inde in cælum empyreum ascendere voluisse. Sed S. Thom. 1. p. q. 61. art. 4. Iunilius, Beda, et alii melius dicunt, angelos omnes creatos fuisse in cælo empyreo, Luciferum vero appetiisse similitudinem cum Deo ipso. S. Aug. lib. de quæstionib. vet. testam. dicit, quod elatione inflatus voluit dici Deus: ita ipse quæst. 3. Quomodo autem hoc appetierit, docet S. Thom. 1. p. q. 63. art. 3. illum consule, et Scholasticos.

II. Adamus et Eva. Secundo, Adamus et Eva appetiverunt similitudinem cum Deo, quantum ad scientiam boni et mali. Dixerat enim illis serpens, Gen. 3. 5. *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Vide S. Thom. 2. 2. q. 163. art. 2. sed puniti sunt. S. August. in Ps. 68. in illud, *Quæ non rapui, tunc exolvebam*, sic ait: Adam et Eva rapere voluerunt Divinitatem, et perdiderunt felicitatem. S. Ignatius, S. Cyrill. S. Hilar. S. Ambr. et alii, docent, Adamum ipsum deceptum fuisse, et credidisse serpenti dicenti, *Eritis sicut*
A *dii.* Itaque primum eius peccatum fuit superbia, qua illam excellentiam appetiit sibi indebitam.

III. Caligula. Tertio, C. Caligula pro Deo haberi et coli voluit. Rationem ridiculam afferebat, ut ait Philo lib. de legatione ad Caium: Ovium, inquiebat, pastor, non est ovis: boum pastor, non est bos: nec caprarum, capra: ergo hominum pastor, non est homo: quid ergo? deus. Fecit itaque se deum. Deorum insignia, Mercurii caduceum, talaria, chlamydem: Apollinis radiatam coronam, arcum, et sagittas: Martis thoracem, gladium, et clypeum assumebat, eaque ratione divinitatem ostentabat.

IV. Chosroes. Quarto, Chosroes Persarum rex victoriarum multitudine et magnitudine elatus, divinos sibi honores arrogavit. Ideo currum ex auro fabricavit, in quo inter subtiles et occultos ductus, quasi deus desuper aquam infundebat, ut pluviam dare videretur, atque in subterraneo specu quadrigas equi trahebant, eas circumrotantes, et sonitum tonitrui æmulantes, ut ipse tonare videretur. In eiusmodi fano, homo fanaticus et profanus resedit, qua-B si Deus Pater: et iuxta crucem Domini a dextris posuit loco Filii, et gallum a sinistris loco Spiritus sancti: se ergo iussit Deum Patrem coli, velut omnibus dominantem. Eam ob rem a Deo punitus est, ab Heraclio Imp. victus sæpius, et a filio Siroe trucidatus, ut refert Baronius ann. 614. et Siffridus presbyter lib. 1. epitom. anno Domini 612. florebat ille Siffridus anno 1303. historiarum epitomen scripsit duobus libris ab anno 458. usque ad ann. 1307. Quinto, Antichristus præsertim se adorari curabit, Apocal. 13. 4. V. Antichristus.

7. Nemo est Deo similis in ullo attributo. Nota secundo, in nullis attributis ullus est Deo similis, id est æqualis. Hoc per se est evidens, finiti enim ad infinitum nulla est proportio. Primo, nemo est illi similis in potestate. Exod. 15. 18. ait Moses: *Quis similis tui in fortibus Domine?* Symm. vertit: Neque in sanctitate, neque in potestatibus, quisquam æquiparandus est tibi. Machabæi illum versiculum in vexillis sui posuerant: unde et nomen habuerunt, sicut explicui alias. In psalmo nostro pro *Deus* Hebr. est אל *el*, quæ vox, ut notat etiam Bellarm. significat Deum, ut fortem et robustum: ex quo C intelligimus illud, *Quis similis tibi?* accipiendum esse de similitudine in potentia, et robore. Secundo, nemo est similis Deo in bonitate. Luc. 18. 19. *Nemo bonus, nisi solus Deus*, ut ait Christus. Tertio, in misericordia. Apocal. 15. 4. S. Ioannes vidit Sanctos super mare vitreum mistum igne habentes citharas Dei, et cantantes Deo: *Solus pius es.* Græc. ὅσιος, id est sanctus et misericors: sicut Hebr. *chasid*, utrumque significat. Quarto, nemo est similis Deo in iustitia. Eliu amicus Iobi dicit cap. 36. 22. *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus:* id est, ait Pineda, nemo legislator tam iustus. Quinto, nemo est ei similis in sapientia. Ieremias post monitionem, ne Iudæi idola colant, et cæli signa, id est astra, quæ Plato et alii censebant esse animata, addit cap. 10. 7. *Tuum est decus,* Chald. tuum est regnum, *inter cunctos sapientes gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tui.* Sexto, nemo est similis Deo in sanctitate, et potestate dimittendi peccata. Michææ 7. 18. *Quis Deus similis tui, qui auferes iniquitatem?* Christus, ut se Deum D esse ostenderet, dimisit peccata paralytico, et eum sanavit, Marc. 2. Septimo, nemo est ei similis in maiestate. Ps. 112. 5. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat?* Octavo, in dominio supra omnes creaturas. Isaiæ 37. 20. Ezechias rex Iuda acceptas litteras minaces Sennacherib regis Assyriorum, tulit in templum, et expandit eas coram Domino, et sic oravit: *Domine Deus noster, salva nos de manu eius: et cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus.* Hoc ostendit Deus, cæsis una nocte 185. millibus militum de exercitu Sennacherib. Nono, nemo similis est Deo in immensitate. 2. Paral. 6. 14. Salomon in dedicatione templi sui stans super basim æneam, et flexis genibus, ac palmis in cælum levatis, dicebat: *Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cælo et in terra.* Decimo denique, nemo similis est Deo in immortalitate. 1. Timoth. 6. 16. *Solus habet immortalitatem.*

(Margin: 1. Non in potestate. 2. Non in bonitate. 3. In misericordia. 4. In iustitia. 5. In sapientia. 6. In potestate tollendi peccata. 7. In maiestate. 8. In dominio. 9. In immensitate. 10 In immortalitate.)

Regum terræ maiestas et potestas est momentanea, ac variis miseriis intermista. Alexander Magnus omnia pervasit instar fulminis, sed eius imperium duravit tantum annos septem. Ubi nunc sunt Nini, Nabuchodonosores, Cyri, Osirides, Hercules, Cæsares, Pompeii, Baiazethes, Tamerlanes, Hunni, cæterique orbis domitores? Omnis hæc gloria in cineres recidit. Unum nunc Echebarem Mogoris regem contemplare. Hic regnum Bengalæ contra Parthos sibi armis vendicavit. 2. Cambaiæ regnum, aliaque plurima adiunxit, victorias victoriis, dum vixit, cumulans: ita ut ad Narsingæ et Calecuti fines imperium eius protenderetur. 3. Nonnunquam ad viginti reges, quibus esset coronæ ferendæ ius, quique Calecutii regem viribus æquarent, in eius aula numerati sunt, quos partim subegerat, partim ad solvendum tributum metu adegerat. 4. Præter hos, alii erant, qui ut ab obsequiis in aula necessariis se eximerent, gravius tributum solvebant. 5. Credebatur eius imperium extendi ad sexcentas in longitudinem leucas, et quadringentas in latitudinem anno 1582. a quo tempore regnum Caximir, et aliqua alia sibi subiecerat. 6. In stabulis regiis quinque elephantorum alebat millia, quibus omnis apparatus bellicus paratus esset. 7. Censebatur in aciem posse producere quinquaginta millia illarum belluarum, commode armata. Tormenta bellica inter primas turmas illi populi constituunt, elephantes in extrema reiiciunt agmina: ne, si lædantur, ordines interturbent: neve prospectum hostium eripiant suis militibus. Elephanti ferream laminam aut æream fronte ferunt ad ictus arcendos. Enses promuscidi illigant, et dentibus duobus pugiones totidem: turriculas quatuor, in lisque pari numero milites dorso gestant, ut partim arcu, partim catapultis hostem petant: qui elephantum regit, squamata lorica tegitur. Ad hæc quis non stupeat? Sed statuæ aureæ, argenteæ, æreæ ac ferreæ pedes fictiles sunt, et brevi omnia in cineres redeunt ad modicum mortis attactum. Echebar ille tot gentium domitor, atra melancholia sibi ipsi molestus erat, et caduco morbo laborabat, atque anno 1605. est mortuus. Quid nunc ex illis omnibus victoriis et triumphis ei reliquum? omnis cinis, pulvis, vermis ac fœtor, et quod lamentabilius, æternitas suppliciorum.

Mogoris regni amplitudo et divitiæ.

ARTICULUS II.

Innumera sunt hæreticorum scelera.

8. Causam cur a Deo vindictam petierit Ammonitarum, Moabitarum, et ipsis adiunctorum, nunc affert rex Iosaphat hoc loco loquens: nempe eorum scelera, vers. 3. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt (S. Hier. tumultuati sunt) et qui oderunt te, extulerunt caput.

Vers. 3.

Vers. 4. Vers. 4. Super populum tuum malignaverunt consilium (id est malignum consilium inierunt et callidum. Hebræis סוד *sod*, significat: 1. secretum; 2. consilium, quia secretum esse debet, ut effectum sortiatur; 3. concilium seu congregationem, quia, ut ait R. David, ibi iunguntur in uno secreto, et in uno consilio) et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Hebr. צפוניך *tsephunim*, significat primo, absconditos: secundo, sanctos: quia et sancti se quantum possunt, abscondunt, ut hominum oculos lateant; et Deus illos abscondit, in umbra alarum suarum, et in sinu suo, ut ab hoste non lædantur. Si enim pisces aliqui parvulos suos iterum intra sua viscera concludunt, cum illis timent; quid faciet Deus, cui S. Zacharias pater S. Ioan. Baptistæ dat viscera misericordiæ? Luc. 1. 48. De illis piscibus sic eleganter et pie S. Ambr. 5. Hexaem. cap. 3. *Alii pisces vivos fœtus edunt de suo corpore, ut mustelæ, et caniculæ, et cete ingentia: delphines et focæ, aliaque cætera huiusmodi. Quæ cum ediderint partus, si quid forte insidiarum terrorisque præsenserint circa catulos suos quemquam moliri: quo tueantur eos, vel teneræ ætatis pavorem materno affectu comprimant, aperire ora, et innoxio partus suos dente suspendere, interno quoque recipere corpore, et genitali feruntur alvo abscondere. Quis humanus affectus hanc piscium pietatem possit imitari? Oscula nobis satietati sunt, illis non satis est aperire viscera, natosque recipere, ac revocare integros, atque iterum fotu quodam eos sui caloris animare, et spiritu alere, duosque in corpore uno vivere; donec aut securitatem deferant, aut corpore suo obiecto natos suis defendant periculis. Quis hæc videns, et si possit obtinere, non tantæ piscium pietati cedat? Quis non miretur, et stupeat? Servat natura in piscibus, quod non servat in hominibus. Pleræque ex suspicione novercalibus odiis appetitos suos occiderunt filios: aliæ in fame, ut legimus, partus proprios comederunt. Humanis pignoribus mater sepulcrum facta est: piscium proli parentis est uterus sicut murus: vallo quodam internorum viscerum pignora inoffensa conservat:* hæc Ambrosius. Deus Mosem et Aaronem intra se quodammodo recipiebat, cum a furente populo impetitos tegebat nube, et in tabernaculo suo occultabat. Vide Ps. 90. 1. et seqq.

Sancti se abscondunt

Et a Deo absconduntur.

Pisces intra se fœtum abscondentes.

Nota secundo, pro *sanctos* seu absconditos, alii vertunt secretum, arcanum, absconditum, q. d. Tuo consilio secreto, et arcanæ providentiæ, qua populo tuo Israelitico, et mihi eius regi provides, se opposuerunt, et cogitaverunt apud se modos, quibus illud secretum providentiæ tuæ decretum everterent. S. Hieron. vertit: Inierunt consilium adversus arcanum tuum. Camp. coniurant adversus arcana tua. Hebr. enim vox est in plurali numero. Vertit etiam, consultaverunt adversus eos, qui occultæ protectioni tuæ concrediti sunt. 9.

Inducit etiam per ethopœiam hostes suos loquentes, v. 5. Dixerunt: Venite, et disperdamus (id est funditus perdamus, exterminemus. Hebr. כחד *cachad*, significat excidere, succidere, desolare. S. Hieron. vertit, conteramus. Pagn. et Arias. succidamus. Felix et Camp. extirpemus) eos de gente, (sic Ierem. 11. 19. dicitur: *Eradamus eum de terra viventium*) et non memoretur nomen Israel ultra, id est, ita tota gens perdatur, ut illius nulla amplius extet memoria, et nullus vocetur Israelita: aut se de illa natione ortum duxisse dicere audeat. Vers. 5.

Vers. 6. Quoniam cogitaverunt unanimiter (Chald. toto corde. S. Hieron. Pagninus et Arias, corde pariter. Camp. conspirarunt ex corde) simul adversum te testamentum (id est fœdus seu pactum, quo mentem suam testentur, q. d. Mentis testatio. Hebr. ברית *berith*, hoc est fœdus, pactum) disposuerunt, tabernacula Idumæorum (hoc est Idumæi in tabernaculis habitantes, de quibus dicam art. seq.) et Ismaelitæ. Vers. 6.

Nota, omnes pene qui hic a Iosaphat nominantur, erant hæretici, qui a vera parentum suorum pietate defecerant. Primo enim, Idumæi ab Esau, qui etiam Edom vocatus est ob colorem rufum, nomen acceperunt, et ab eo ortum traxerunt. Secundo, Ismaelitæ sunt posteri Ismaelis, filii Abrahæ, ex Agar ancilla Ægyptia, qui licet esset ferus, tamen recte et iuste vixit, ac salvatus est, ut docent Hebræi, et quidem Gen. 21. 20. dicitur: *Deus fuisse cum eo.* Et cap. 25. 17. dicitur: *Appositus ad populum suum.* Tertio, Moabitæ sunt posteri Loth ex filia eius maiore: illa enim filium suum vocavit Moab, q. d. Quem ex patre meo concepi. Quarto, Agareni sunt populi qui descendunt ex Agar ancilla Abrahæ: sed ex alio marito cui nupsit posteaquam dimissa fuit ab Abraham: ita ille. Quinto, Ammonitæ erant posteri Loth ex filia eius minore: illa enim filium suum ex ipso conceptum vocavit Ammon, Hebr. בן עמי *ben ammi*, id est filium populi, seu generis mei, q. d. Quem ex cognatione mea, seu patre suscepi. Sexto, Amalecitæ sunt posteri Eliphaz primogeniti filii Esau. Amalec enim fuit filius Eliphaz ex Thamma concubina, id est uxore secundaria. Itaque, cum S. Hieron. recte hunc psalmum de hæreticis Ecclesiam vastantibus et affligentibus intelligemus. Scelera eorum varia percenset David hoc loco. 10.

Idumæi orti sunt ab Esau.

Ismaelitæ ab Ismael.

Moabitæ a Loth.

Agareni ex Agar.

Ammonitæ a Loth.

Amalecitæ ab Eliphaz filio Esau.

Primo enim, sunt inimici Christi: sunt enim hæretici, et a sanctis patribus vocantur, Antichristi. S. Hilar. id clare dicit de Arrianis, lib. contra ipsos et Auxentium pag. 294. Antichristi, ait, prævii ministri sunt, agentes se non 11.

Hæretici sunt inimici Christi.

ut Christi Episcopos, sed Antichristi sacerdotes: hæc ipse. Prima ratio est, quia hæretici se opponunt Christi verbis. Quisquis autem, ut ait idem S. Pater, Christum qualis ab Apostolis est prædicatus, negavit, Antichristus est. S. Athanasius tom. 1. oration. 2. in Arrianos pag. 307. ait: Ista hæreseon omnium ultima, et nunc recens egressa πρόδρομος τοῦ Ἀντιχρίστου, *anteambulo et præcursatrix Antichristi*, quæ Arriana vocatur, dolosa et vafra, cum videret sorores suas, cæteras, inquam, hæreses ætate grandiores, publico palamque probrosas haberi, speciem suam dissimulat: et litterarum sacrarum vocibus, quasi honesto cultu induitur, ut pater eius diabolus: ac satagit denuo intrare paradisum Ecclesiæ: ita Athanasius. Secundo, hæretici sunt Antichristi, quia imbecilles fideles faciunt apostatare a Christo. Tertullianus tract. de præscriptionibus contra hæreticos, cap. 4. ait, Antichristi interim et semper, nisi Christi rebelles? Hoc erunt hæreses, non minus doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessentes, quam tunc Antichristus persecutionum auctoritate persequetur. Nisi quod persecutio et martyres facit, hæresis apostatas tantum. Tertio, hæretici sunt Antichristi, quia sanctos in fide constantes persequuntur. S. Hilarius lib. in Constantium Imp. Arrianum, pag. 275. Christianum te mentiris, inquit, Christi novus hostis es: *Antichristum prævenis*, et arcanorum mysteria eius operaris. Condis fidem, contra fidem vivens: doctor profanorum es, indoctus piorum: sacerdotes custodiæ demandas, etc. Audiant hæc hæretici nostri temporis, qui templa profanant, virgines Deo et Christo sacratas polluunt, omnia sacra contaminant et evertunt. Quarto itaque, sunt Antichristi, ob sua sacrilegia. Theodosius et Valentinianus Imp. lege, Hæretic. Cod. Theodos. de hæreticis, sic edicunt: Hæreticorum polluta contagia pellantur, urbibus vicinis proturbentur, ac nullis penitus iubemus petere conventibus, ne in quoquam loco sacrilega cohors talium hominum colligatur: nulla eorum perversitatem vel publica conventicula, vel latiora erroribus secreta tueantur.

Sunt, et vocantur Antichristi.

Hæretici in regnis tumultuantur.

Secundo, hæretici tumultus excitant in regnis: *Ecce inimici tui sonuerunt*. Hebr. tumultuabuntur. Primo, hæretici sonant per iactantiam, sicut cymbalum tinniens, aut cymbalum alatum et volans. Dicit Isaias cap. 18. 1. *Væ terræ cymbalo alarum*, id est alato, habenti alas sonantis instar cymbali. Hoc de India exponunt Ludovicus Legionensis et Montanus: de Ægypto, S. Cyrillus, et S. Thomas: de Æthiopia Abassinorum gloriabunda, et opem Iudæis contra Sennacherib promittente, ac de futura victoria sibi plaudente, verius alii: de ipsa Iudæa Christo se opponente explicant S. Iustin et Leo a Castro: de Antichristo superbo, S. Greg. 13. Mor. 7. Secundo, hæretici sonant per luxuriam et promissionem voluptatum, sicut ranæ Ægyptiæ in luto coaxantes, et in domus regum ipsorum se inferentes. S. Petr. Damiani opusc. 41. cap. 4. Secunda plaga, inquit, ranarum est abundantia. Rana clamosum est animal, et in limosis vociferatur ex more paludibus. Cui similes iudicantur philosophi ac hæretici, qui velut super paludes limosas, hoc est, inter turbas squalore perfidiæ sordidas, vanis adversus Christum vociferantur obloquiis. Tertio, hæretici sonant per superbiam et arrogantiam, sicut leones. Christus Ps. 21. 14. Iudæos sibi oppositos comparat leoni rapienti et rugienti. S. Ioan. Apocal. 13. 2. ait: *Bestia, quam vidi, similis erat pardo, et pedes eius sicut pedes ursi, et os eius sicut os leonis*. Bestiam illam Haymo et Albertus dicunt esse dæmonum principem, Primas. et Beda esse corpus diaboli: id est cœtum et multitudinem omnium impiorum. S. Antonin. Cedren et Zonaras, esse Mahometum: Lindanus, Lutherum fontem omnium hæreseon huius nostri miseri sæculi. S. Iren. S. Hippolytus, S. Gregorius, esse ipsum Antichristum, et melius. Mons quidam in Africa vocatur Serra Liona, quod in eo spelunca sit, in qua tantus auditur fremitus, ut leonis rugitum referat. Talis est hæreticorum synagoga, quam Ps. 25. sect. 1. ostendi esse synagogam Satanæ, quatuor columnis nixam: nempe superbia, mendacio, libertate peccandi, et malignitate. Quarto, hæretici sonant per iram et furorem, sicut iratum mare ac spumans. Sunt Scylla et Charybdis. Ps. 45. 3. *Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum*. Isa. 17. 12. illi imprecatur: *Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis; et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum*. S. Ioannes Apocal. 13. *Vidit Antichristum, velut bestiam de mari ascendentem, habentem capita septem, et cornua decem*. Qualem sonitum edebat septem capitibus et totidem linguis blasphemans. Quinto, hæretici sonant et tonant per avaritiam minas omnibus intentantes et bona fidelium, præsertim clericorum, expilantes. Anno 1528. circa horam quintam, aut sextam pomeridianam, mira et funesta cælestis ignis fax Lugdunensem urbem pertransiit. Ab occidentalibus oris ad orientales movebatur, cumque Lugduno insideret, duas proiecit flammas in modum duorum ignium missilium, quorum unus in Ararim decidit: alter in pratum ad ripam eiusdem fluminis, ibique extinctus est. Quod ubi factum est, tantus auditus est fragor et sonitus, ut duo magnarum bombardarum tonitrua viderentur. Araris autem et Rhodanus perinde subsilierunt, atque in explosione duorum tormentorum bellicorum. Fax autem versus Genuensem lacum montesque abiit, et quo perrexerit, ignoratur. Tum Bernenses religionem Catholicam everterunt, ac Basileenses eamdem ob rem seditionem maximam excitarunt: cuius rei funestus ille ignis triste præsagium videri potuit, ut ait Guillelmus Paradinus lib. 3. hist. Lugdun. cap. 21. pag. 313. Hæresis, fax est regnorum, atque incendium. Nota porro, semper inimici fuerunt piis impii, atque illis se opposuerunt. Clem. Papa lib. 3. Recognitionum, decem paria sibi opposita enarrat: *Decem*, inquit, *paria huic mundo destinata sunt ab initio sæculi. Cain et Abel, unum fuit par. Secundum, Gigantum et Noe. Tertium, Pharaonis et Abraham. Quartum, Philisthinorum et Isaac. Quintum, Esau et Iacob. Sextum, Magorum, et legislatoris Mosis. Septimum, tentatoris, et filii hominis. Octavum, Simonis magi, et Petri. Nonum, omnium Gentium, et illius, qui missus fuit seminare verbum inter gentes*, id est Pauli. *Decimum, Antichristi et Christi*. Nota secundo, quod contra Christum sonantes hæretici nocent sibi. Lactantius lib. 5. institut. cap. 1. *Obstrepunt*, inquit, *ne audiant: et oculos suos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus*. S. Cypr. ad Demetrianum: Ad nos, ait, sæpe studio contradicendi magis, quam vera discendi veniunt, et clamoris vocibus personantes, malunt sua impudenter ingerere, quam nostra patienter audire.

1. Per iactantiam. 2. Per luxuriam. 3. Per superbiam. 4. Per iram. 5. Per avaritiam.

12\. Hæretici sunt superbi.

Tertio, hæretici superbi sunt: *Et qui oderunt te, extulerunt caput*. Primo enim, hæresis nascitur ex superbia, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 11. art. 1. ad 2. et in 4. dist. 13. qu. 2. art. 1. De ratione enim hæresis sunt duo: nempe electio privatæ disciplinæ et pertinacia, 2. 2. q. 11. art. 2, ad 3. S. Augustinus in Genes. contra Manich. lib. 2. cap. 8. Omnium, inquit, hæreticorum mater est superbia. Secundo, superbia est nutrix hæresis, cam lactat et sinu fovet. S. Gregor. lib. 3. Mor. Hæreticorum locus, ait, ipsa superbia est: quia nisi prius in corde intumescerent, ad pravæ affectionis certamina non convenirent: hæc ille. Inductione probari potest, omnes hæreticos fuisse superbos. 1. de Anomæis S. Chrysost. lib. 3. de incomprehensib. Dei natura dicit: Hanc arborem stolida superbia rigavit, auxit ambitiosa cupiditas. 2. Angelicos se aliqui vocabant, ut dicit S. Epiph. hær. 59. pag. 505. alii Catharos, alii Encratitas, id est continentes: alii Apostolicos nominabant, alii prædestinatos. Circa annum Christi 199. extiterunt Angelici et Apostolici, circa ann. 279. Catharistæ, circa annum 289. Abstinentes, circa ann. 414. Prædestinati. Nostro etiam sæculo et superiori emerserunt Apostolici, Spirituales, Cathari, Pacifici, Puritani, ac cæteri, qui se illustribus nominibus vestierunt, ut cornua occultarent: verius dicendi Pastoricidæ, Sanguinarii, Libertini, Dæmoniaci, Dæmonicolæ, Antichristiani, Epicurei, Ollarii, Infernales, ut aliqui vocati sunt. 3. Manichæi se Catharistas et Macarios

nominarunt. 4. Valentiniani se dicebant esse Apostolis sapientiores, ut ait S. Iren. lib. 3. f. 138.—5. Saraceni multi tactu indumentorum suorum nos indignos iudicant, propiusque sibimet accedere execrantur: magnam scilicet coinquinationem existimantes, si in aliquo rerum suarum admisceantur, ut ait S. Eulog. Arch. Toletan. lib. 1. memorialis Sanctorum. 6. Moscovitæ si cum aliquo Catholico locuti sunt, se lavant, ut immunditiam inde contractam eluant, ut refert Avity. Hæc superbia est dæmoniaca: in uno exemplo clarius apparebit. S. Gregor. Turon. lib. 10. hist. Franc. pag. 512. Quidam, inquit, ex Biturico, dum saltus sylvarum ingressus ligna cæderet, ad explendam operis cuiusdam necessitatem, muscarum eum circumsedit examen, qua de causa per biennium amens est habitus: unde intelligi datur diabolicæ emissionis fuisse nequitiam. Post hæc transactis urbibus propinquis, Arelatensem provinciam adiit, et indutus pellibus, quasi religiosus, orabat: se profiteri Christum non dubitavit, assumpta secum muliere pro sorore, quam Mariam vocavit. Ægros sanabat, aurum sibi oblatum dabat pauperibus, se adorari iubebat, prædicabat futura. Quidam etiam sacerdotes ab eo seducti sunt. Plusquam tria millia populi eum sequebantur. Homines nudos ante se mittebat, ut præcursores. Episcopi tandem Aurelii industria est occisus, omnes ab eo decepti in insania permanserunt.

13. Hæretici sunt malitiosi. Quarto, hæretici vafri sunt et malitiosi: *Super populum tuum malignaverunt consilium.* Sunt Primo, serpens intrans in paradisum, id est in Ecclesiam, et calliditate sua decipiens Evam, id est infirmiores. Gen. 3. Antichristus vocatur coluber et cerastes. Gen. 49. 17. dæmon, et draco venenatus virus suum evomens per hæreses. S. Augustinus tom. 10. hom. 35. de quinquaginta: Dictum est, ait, de diabolo, quia leo et draco est. Leo, propter impetum: draco, propter insidias. Leo aperte irascitur, draco occulte insidiatur. Pugnavit Ecclesia prioribus temporibus adversus leonem, pugnat modo adversus draconem. S. Ignat. epist. 12. ad Antioch. suos, ait, ipsos hæreticos esse dracones: *Cavete, ait canes mutos,* ὄφεις συρομένους, *serpentes super pectus repentes,* φιλόδορα δρακόντια, *dracones squamosos, aspides, basiliscos, scorpios. Hi namque sunt thoes astuti, simiæ hominum imitatrices.* Sigismundus Imper. plusquam vicies collatis signis cum barbaris pugnavit, et gloriosissimos de hoste triumphos reportavit: zelo ardens duo Œcumenica Concilia, Constantiæ et Basileæ congregavit, ad tollenda schismata Bohemiæ et Hungariæ. Erexit etiam *Ordinem equitum draconicorum*, quos insigni draconis devicti et præcipitati decoravit, ad extirpandum schisma et hæresim, ut ait Franc. Mennenius in equestrium Ordinum symbolis et originibus, pag. 156.

Secundo, hæretici sunt sciniphes Ægyptii, quorum prius sentitur punctura, quam videantur. S. Isidor. Hispal. in Gen. cap. 14. pag. 452. Hoc animal, ait, pennis suspenditur per aera volitans: sed ita subtile est et minutum, ut oculi visum nisi acute cernentis effugiat. Corpus autem, cui insederit, acerbissimo terebrat spiculo: ita ut quem volare quis non valet videre, sentiat stimulantem. Hoc ergo animalis genus subtilitati hæreticæ comparatur, quæ subtilibus verborum stimulis animos terebrat, tantaque calliditate circumvenit, ut deceptus quisque nec videat, nec intelligat, unde decipiatur: sic ille.

Cervi cicures cervos alios in laqueum inducentes. Tertio, cervis cicuribus alios illaqueantibus iure hæreticos comparas. Petrus du Iarric lib. 4. cap. 8. pag. 436. dicit, quod Echebar rex Mogoris alebat cicures cervos, ut sylvestres cervos venaretur: illorum enim cornibus retia imponebat, quibus hi cornua cornibus affricantes sese implicarent: tum in insidiis positi venatores accurrebant, eosque capiebant. Perdix etiam cicurata perdices alias inducit in laqueos. Hilar. fraudes Constantii Imp. Arriani sic insequitur, lib. ad ipsum scripto, pag. 274. *Nunc,* ait, *pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat: non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem: non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat ad servitutem: non latera vexat, sed cor occupat: non caput gladio desecat, sed animam auro occidit: non ignes publice minatur, sed gehennam privatim accendit: non contendit, ut vincatur: sed adulatur, ut dominetur.* S. Hieron. epist. ad Pammachium et Oceanum, asserit, sibi nec Tullii, nec Demosthenis eloquentiam sufficere, ut fraudes hæreticorum aperiat. Si facilitate morum decipiunt, sunt cervi aut perdices fallaces: si subtilitate, sunt sciniphes: si malignitate, sunt serpentes.

Quinto, hæretici sanctitatem omnem evertunt: *Et cogitaverunt adversus sanctos tuos.* Primo, sanctorum Patrum doctrinam everteutes. Can. Quid iniquius 24. q. 3. Quid iniquius est, quam impia sapere, et sapientioribus doctioribusque non credere? sed in hanc insipientiam cadunt, qui, cum ad cognoscendam veritatem aliquo obscuro impediuntur, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas litteras, non ad Evangelicas auctoritates: sed ad semetipsos recurrunt: ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt: hæc ibi. Secundo, sanctitatem evertunt in seipsis, laxantes habenas suis concupiscentiis. 2. Timoth. 3. 1. *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei: habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Archytas apud Ælianum lib. 10. hist. var. c. 12. dicit, ut difficillime piscem sine spinis invenies: sic et hominem, qui non spinosum dolosumque aliquid habeat. Hæreticis iure applices illud Michææ 7. 4. *Qui optimus in eis est, quasi paliurus: et qui rectus, quasi spina de sepe.* De Novato hæresiarcha sic ait S. Cypr. epist. 49. ad Cornelium: Novatus, inquit, rerum novarum semper cupidus, avaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia et stupore superbi tumoris inflatus, semper istic Episcopus male cognitus, quasi hæreticus semper et perfidus, omnium sacerdotum voce damnatus; curiosus semper, ut prodat: ad hoc adulatur, ut fallat: nunquam fidelis, ut diligat; fax et ignis ad conflanda seditionis incendia: turbo et tempestas ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis inimicus. Tertio, hæretici sanctitatem evertunt in aliis. S. August. comparat Manichæos aucupibus aves visco capientibus. Sic enim lib. de utilit. credendi, contra Manich. ait: Nobis faciebant Manichæi, quod insidiosi aucupes solent, qui viscatos surculos prope aquam defigunt, ut sitientes aves decipiant. Obruunt enim, et quoquo modo cooperiunt alias, quæ circa sunt, aquas: vel inde etiam formidolosis molitionibus deterrent, ut in eorum dolos non electione, sed inopia, decidatur: ita Cyprianus. Rex Ormuziæ omnibus fratribus suis iubet oculos configi, et cæteris, qui sunt de stirpe regia, ut ad regnum aspirare non possint, eos carcere clausos tenet cum uxoribus et liberis, omnesque illis lautitias abunde suppeditat. Idem facit hæreticus, fidelibus tollit lumen fidei, et eos in voluptatibus otiari curat.

14. Hæretici sanctitatem evertunt.

Sunt aucupes vafri.

Ormuziæ regis crudelitas.

15. Hæretici sunt crudeles. Sexto, hæretici sunt crudeles: *Dixerunt: Venite, et disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen Israel ultra.* Iudæorum odium et feritas in Christianos semper patuit omnibus sæculis. Unum exemplum refero. Cum Chosroes Persarum rex Ierosolymam cepisset, Iudæi Christianos mercati vili pretio, eos peremerunt: occisorum summa excrevit ad nonaginta millia, ut ait Zonar. in Heraclio. Non minor rabies in hæreticis extitit. Eos S. Paulus 2. Timoth. 3. v. 3. ait esse sine affectione, sine pace, et immites. Pro *sine affectione*, ut notat Cornelius, Græce est ἀστόργους: id est, ut ait Primasius, sine pietate, inhumanos, impios in parentes, uxores, famulos, cognatos, benefactores, ut naturalem affectum et compassionem, quæ Græcis στοργὴ dicitur, exuisse, et insensibiles ac barbari effecti, brutorum aut saxorum duritiem et stuporem induisse videantur: ita Theophylact. Unde ex S. August. Anselm. vertit, sine visceribus compassionis. S. Ignatius

martyr, qui successit S. Petro et S. Evodio in sede Antiochena anno Christi 71. et passus est sub Traiano Imp. ait epist. 9. ad Philadelphios, hæresim esse ἀνθρωποκτόνον θῆρα, feram homines occidentem. Hæreticos vero epist. 10. ad Smyrnenses vocat, θηρία ἀνθρωπόμορφα, feras humana forma præditas. Ut enim ait Lactantius immanes sunt belluæ, qui humanitatem ex humana societate tollunt. Verba eius sunt lib. 6. institut. cap. 10. *Summum*, inquit, *inter se hominum vinculum est humanitas: quod qui disruperit, nefarius et parricida existimandus est. Nam si ab uno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certe consanguinei sumus. Si ab uno Deo inspirati omnes, et animati sumus, quid aliud quam fratres sumus? Pro belluis immanibus sunt habendi, qui hominibus nocent: qui contra ius humanitatis, et fas omne spoliant, cruciant, occidunt, exterminant:* hæc Lactantius. Ne ad remota sæcula pergamus, sectarios nostros aspiciamus: Calvinus in prima pagella suæ Institutionis, manum gladio armatam et flamma, depingi curavit, hoc adscripto: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Hollandi initio defectionis suæ a vera fide et suo rege curaverunt cudi numisma, in quo pax pedibus et manibus esset constricta, cum hoc elogio: *Pax patet insidiis.* Quid dicemus de Anglis hæreticis, qui a paucis diebus regem suum, veluti vilem de plebe homulum, crudeli gladio subiecerunt in medio foro? Semper humanum sanguinem sitivit hæresis. S. Ambros. agens de Arrianis in oration. contra Auxentium: *Quot*, inquit, *non possunt sermone decipere, eos putant esse gladio feriendos, cruentas leges ore dictant, et putant quod lex fidem possit hominibus imperare.* Atque ut ne a Gallia nostra recedam: Primo, in necem Caroli IX. regis, reginæ matris, et totius sobolis regiæ, ac variorum principum inita erat coniuratio, ut asserit Scipio du Pleix in histor. Franc. sed apertis insidiis, tota tragœdia in eorum caput recidit die sacra S. Bartholomæo, anno 1572. Secundo, Ludovici XI. Franciæ etiam regis sepulcrum præ rabie convellerunt, ossibusque combustis, capite eius ad ludum abusi sunt. Tertio, Henrici regis Navarræ cor canibus laniandum obiecerunt, ut memini me legere in libello, de eorum barbarie tractante. Quarto, Angolismæ triginta cives primarios catenis ferreis vinctos ad necem usque tenuerunt, ut rabida fame adacti seipsos devorarent. Quinto, prope Angolismam Guillebautium pertusæ arculæ inclusum bullienti oleo perfuderunt. Sexto, Bethunensis miles gestabat monile confectum auribus et pudendis sacerdotum, non scientibus modo, sed etiam laudantibus ministellis, ut eorum humanitas et verecundia appareret. Septimo, Octavii Royerii pedibus, sicut fit equis, laminulas ferreas clavis ferreis affixerunt, ac Robotæum sacerdotem iugo, velut bovem, subiecerunt, atque stimulis usque ad mortem confoderunt. Octavo, in diœcesi Carnotensi sacerdotem in crucem altari imminentem sustulerunt, manus iam prius madentes sanguine manibus crucifixi alligarunt, pedes pedibus: caput per iocum spineis aculeis infixerunt, refixeruntque ad libitum, faciem alapis contuderunt, corpus calcibus, fustibus, gladiisque effoderunt. Innumera alia proferri possent crudelitatis hæreticæ exempla.

Exempla horrenda in Francia.

Hæc si reputarent erroris sui initia tot nobiles viri, aliique minime mali, viderent a Deo esse non posse hæresim, quæ ius naturæ et gratiæ violat. Primo enim, homo ab humanitate; aut potius contra humanitas ab homine dicta est, ut intelligant omnes eum hominem non esse, qui humanus non est. Hinc a crudelitate ipsi ethnici modestiores abhorruerunt. Sabaco rex Ægypti natione Æthiops, deorum cultu, et benignitate, prædecessoribus cunctis superior, in somnis vidit Deum Thebarum monentem, ac dicentem: Feliciter et beate regnum Ægypti ab eo teneri non posse, nisi dissectis quotquot essent sacerdotibus, per medium illorum cum satellitio transiret. Quo sæpius iterato, sacerdotes undequaque accersens ait, Deum offendi, si diutius illic subsistat, qui per somnium neutiquam talia iussisset. Malle se, καθαρὸν παντὸς μύσους καὶ μιασμοῦ, purum omnis sceleris et piaculi vita abire, et fato vitam reddere, quam Deo molestum esse: aut vita per eadem nafariam polluta Ægypto dominari, ut ait Diodorus Siculus in sua Biblioth. Natura ipsa docet, potius pereundum, quam crudeliter sæviendum. Secundo, lex Christiana humanitatem imperat. Christus ait, Matth. 11. 29. *Discite a me, quia mitis sum.* Ipsum Christiani nomen admonet olei et benignitatis, significat enim unctum. S. Ignat. martyr, quem credunt esse puerulum, cui similis Christus voluit esse Apostolos, Christianos vocat ep. 12. ad suos Antiochenos, νεόλαιαν, id est *novam olivam*. Christo insiti sumus, ab eo suavem succum hauriamus. Dion. Halic. lib. 1. antiq. Rom. cap. 1. censet, Herculem fuisse ducem præstantissimum, qui quidquid terrarum oceano cingitur, peragravit, tollens tyrannos, quotquot essent subiectis graves et intolerabiles, pacem civitatum inter se sanciens: in vitam mores induxit humanos ac sociabiles, at in desertis terris urbes condidit, flumina avertit campos inundantia, vias aperuit in difficilibus ascensu montibus, nihil non molitus ut mare ac terra quam latissima paterent usibus cunctorum mortalium. Hoc longe verius meliusque per se suosque Christus effecit, cælestes mores edocens, et cælorum regnum pandens, ac benignitate omnes sibi devinciens. Notum est S. Pachomium ad fidem Christianam fuisse conversum perspecta charitate Christianorum. Notabile est, primum in Sinensi regno Christianum, ad fidem capiendam incitatum esse pietate et charitate patrum nostrorum. Ut enim refert Trigautius, quem ex Sinis reducem vidi Nanceii in Lotharingia, et qui in eo regno vixit, ac tandem obiit, lib. 2. exped. Christ. apud Sinas, cap. 5. pag. 172. Primus qui in regno Sinarum fidem suscepit, ex infima fuit hominum fæce. Infirma enim mundi elegit Deus. Is morbo insanabili ad medicorum desperationem afflictus, in agro publico iacebat, a parentibus crudeliter eiectus domo, quod vix seipsos sustinerent. Id ubi rescitum a patribus, hunc adeunt, et interrogant: Velletne fidem suscipere, quæ desperato corpore, animam salvaret? Respondit: *Eam sibi legem arridere, quæ huiusmodi misericordiæ opera persuaderet.* Ergo a domesticis illi extruitur mapale, necessario sumptu recreatur, edocetur, baptizatur, paucis post diebus moritur. Commenti sunt nonnulli, advenas illos, ex ipso hominis vultu cognovisse, cum in capite pretiosissimam gemmam habere reconditam: ideoque hæc in viventem beneficia contulisse, ut demortui cadaver ad gemmam eruendam in eorum esset potestate: ita Trigautius. Ea Soc. nostræ merces esse solet in terris, ut in cælo omnem mercedem eo certius repositam inveniat, quo minus gratitudinis hic perceperit.

Ægyptii regis rara benignitas.

16\. Lex Christi est lex mansuetudinis.

Herculis humanitas.

Charitas primum in regno Sinensi facit Christianum.

Septimo, hæretici conantur memoriam ipsam veræ fidei abolere eversis templis, altaribus, crucibus, imaginibus, aliisque fidei insignibus: *Et non memoretur nomen Israel ultra.* Donatistarum furorem describit S. August. tom. 7. lib. ad Donatistas post collationem, p. 237. Quanta mala, inquit, nostris fecerunt furiosissimi clerici, et Circumcelliones partis Donati, nostis et vos. Incensæ sunt Ecclesiæ, missi in flammas codices sancti, incensæ etiam privatæ domus, rapti homines de sedibus suis, etc. hæc ipse. Dicti porro sunt Circumcelliones, quod circum cellas vagarentur, ut ait S. August. in Ps. 132. Circelliones etiam dicebantur. In Anglia bis ipsis annis omnia reliqua fidei monimenta abradunt, frangunt, atque evertunt hæretici. Id dudum in Francia effecit hæresis multis in locis, sed nunc illata damna reparantur urbibus a rege Ludovico XIII. recuperatis. In ipsos mortuos sæviebant. Ludov. Dionys. Dattich in hist. general. Minimorum l. 1. p. 196. ait S. Francisci de Paula corpus incorruptum nefarie ab ipsis fuisse combustum. Cum, inquit, sepulcrum eius per annos 55. post mortem apertum non fuisset, integrum prorsus et incorruptum corpus cum illæsis vestibus repertum est. Calvinistæ post crematas reliquias S. Martini, nihil commoti incorruptione corporis S. Francisci, illud usque in hospitum cubiculum, cum omni contumeliarum genere, traxerunt, ibique illud combusserunt, at-

17\. Hæretici monumenta fidei evertunt.

*

repto in eam rem ipso Crucis ligno, quod ex Ecclesia abstulerant: hæc ipse. Manet tamen æternumque manebit immota et inconcussa fides Christi, nec portæ inferi prævalebunt adversus eam. Possis Ecclesiam in Christo petra firmatam, et ad cælos se erigentem, comparare pyramidibus Ægypti, imo illis præferre. Chemmis rex Ægypti, ait Diodor. lib. 1. Biblioth. fol. 57. trium pyramidum, quæ inter septem orbis miracula numerantur, maximam extruxit. Unumquodque latus super basi septena plethra seu iugera, (plethrum continet centum pedes) et paulatim ad verticem usque contrahens latera senis cubitis absolvit. Tota e solido lapide, elaboratu quidem difficili, sed durationis perpetuæ, confecta est. Cum enim non pauciores mille annis (plures quam quater mille aliqui numerant) ad hæc tempora effluxerint, saxa pristinam compagem, totamque structuram adhuc incorruptam servant. In mediis arenis est posita: trecenta et sexaginta virorum millia, ut aiunt, hisce ministeriis incubuere. In olera et raphanos expensa summa, plusquam mille sexcenta talenta insumpta: hæc Diodorus. Aliquæ urbes veram Christi fidem ad nostra usque tempora illibatam servaverunt, ut hæc civitas Virdunensis, quæ semper hæreticis civibus caruit. Cæsar Capaccio in triumphis S. Francisci de Paula, pag. 2. de civitate Neapolitana sic loquitur: Neapolis a D. Petro in Europam Antiochia traiiciente omnium civitatum prima lucem Evangelii suscepit, in qua urbe multos ad fidem convertit, atque inter cæteros S. Candidam et S. Asprenatem, quem ibi constituit Episcopum. Eam fidem in hanc usque horam sine ulla corruptione servavit. Sic Capaccio.

Urbs Virdunensis a fide nunquam defecit.

18. Octavo, hæretici consensu unanimi in Ecclesiam coniurant: *Quoniam cogitaverunt unanimiter*, sicut vulpes Samsonis in segetes simul irrumpunt. Iudæi in Christum conspirarunt Ps. 2. 2. et dæmones, scientes regnum divisum stare non posse, Matth. 12. Hoc ipsum faciunt hæretici. S. Cypr. epist. 65. dicit, eos rebellare contra pacem Christi, et ordinationem atque unitatem: simul tamen uniuntur. Primo, sicut gigantes ædificantes turrim Babel, Gen. 11. Secundo, sicut Core, Dathan et Abiron, conspirantes in Mosem et Aaronem, Numer. 16. Beda tom. 4. lib. in Numer. pag. 146. cap. 16. illis eos comparat, dicitque absorberi hiatu terræ, id est terrenis documentis, cum his qui sibi adhærent, et ignis æterni pabulum effici. Tum etymologias eorum ponit. Core, ait, interpretatur calvitium: Dathan vero, donum eorum: Abiron autem interpretatur, pater meus excelsus, per quod omnes hæretici significantur, qui decorati omni specie pulchritudinis virtutum, sustinent calvitium. Secundo, hæretici comparari possunt Iudæis in Christum congregatis, id facit Evagrius lib. 1. histor. cap. 2. pag. 124. agens de Nestorianis. Nestorius, ait, η Θεομαχος γλωσσα, *lingua illa Deo rebellans*, alterum Caiphæ concilium, officina blasphemiæ, in qua rursus ad iudicium vocatur et venditur Christus. Tertio, hæretici inter se uniuntur, sicut serpentes sibi invicem implicati. S. Epiphan. tom. 1. hæres. 26. pag. 82. sic de Nicolaitis loquitur: Isti cum Nicolao coniuncti, ως απο ουσιου οφεως σκορπιοι, et ab eo velut subventaneo serpentis ovo scorpii, sive aspidibus prognati, quædam nobis inaniter sonantia nomina, librosque commenti sunt.

Hæretici in veram Ecclesiam conspirant.

Hinc recte inferes cum Theodoro Rhaitensi in præparatione pag. 319. Catholicos invicem se unire debere, ut impiis resistant, εστιν οντως ατοπον. Est revera absurdum, ait, si qui ad tuendum mendacium Eutychetis et Dioscori conspirarunt, et contra veritatem militant, ita fortiter et vigilanter solam Ecclesiam Dei Catholicam et Apostolicam oppugnant, ut pueros suos cum nondum expeditam habent linguam, antequam eant ad magistros, et prima elementa didicerint, exacuere et instruere curent, ut dicere et audire possint pro defensione dogmatis, quod ipsi profitentur: nos vero ita desides sumus et languentes, ut nec hoc ipsum studeamus scire, quæ sit istorum contra Ecclesiam controversia: hæc Theodorus. Franciscus a Lotharingia arcum et sagittas pingi curavit, corona desuper eminente, idque descripsit: *Unita triumphant.* Neque enim arcus sine sagitta, neque sagitta sine arcu usui esse potest, sed simul iuncta vim habent. Omnibus in rebus unio necessaria est.

Nono, hæretici in Deum ipsum et Christum conspirant: 19.
Simul adversum te testamentum, id est pactum, *disposuerunt.* Deum dicunt esse corporeum Anthropomorphitæ, unam in Trinitate personam esse dicebat Sabellius, filium patre minorem asserebant Arriani, in Christo unam tantum esse voluntatem ponebant Monothelitæ, varii variis modis Deum blasphemant hæretici. S. Gregor. 3. Moral. cap. 13. eos comparat tribus amicis Iob, quorum etymon ponit: *Eliphaz, ait, interpretatus est, Dei contemptus: nisi enim Deum contemnerent, nequaquam de eo perversa sentirent. Baldad autem interpretatur, vetustas sola: dum enim vere vinci refugiunt, et perverso studio esse victores quærunt, novæ vitæ conversationem negligunt: et ex sola vetustate est, quod intendunt. Sophar vero speculum dissipans interpretatur. Hi etenim, qui in Ecclesia sancta siti sunt, redemptoris sui mysteria fide vera humiliter contemplantur. Sed dum hæretici cum falsis allegationibus veniunt, speculum dissipant, quia eorum mentes, quos ad se trahunt, ab intentione rectæ contemplationis inclinant:* hæc Gregorius.

Hæretici in Deum ipsum conspirant.

Verumtamen, licet hæretici unanimiter in Ecclesiam 20.
conspirent, inter se maxime sunt divisi. Samsonis vulpes in hoc omnes conspirant, ut Philisthinorum segetes incendant, se tamen mutuis vulneribus ac morsibus impetunt, et se ipsas devorant. Similes sunt aspidi seipsam devoranti, de qua loquitur S. Epiph. hær. 21. pag. 61. A veteribus, ait, historia prodita est, cum plures aliquando aspides in unum vas fictile coniectæ, et in fundamentis angulorum quatuor cuiusdam idolorum templi in Ægypto depositæ essent: ex iis aspidibus quæ fortior erat, in alias invasisse, easque devorasse: quæ cum sola remansisset, et quo se aleret, haberet nihil, in seipsam retorta, et a cauda paulatim arrodens, parte se aliqua tenus corporis depasta est: adeo ut non amplius integra, sed dimidia sui parte mutilata remanserit: ideo aspidogorgonem illam appellarunt: ut cum eam videmus, fuisse quondam istud ipsum intelligamus: nunc vero minime superesse, ac penitus esse sublatum: hæc Epiphanius.

Hæretici inter se maxime divisi sunt.

Aspis se devorans.

Mirabilis est ac lugenda hæreticorum, a Lutheri fonte venenato prodeuntium, dissensio, ut fuse Coccius lib. 8. aliique ostendunt. Pauca capita attingam.

Primo, Lutherani in Lutheranos pugnant. Hoc fatetur 21.
ipse Georgius maior secta Lutheranus, oration. de confusionibus dogmatum veteribus atque recentibus in Ecclesia excitatis ab hominibus fanaticis. Obiiciunt, ait, nobis Papistæ scandala et offensiones. Ingenue fateor, eiusmodi talia esse, ut satis defleri nequeant. Fateor quoque simplicia corda et pectora propterea ita moveri, tentari, et molestari, ut omnino dubitent, ubinam locorum in profundo demersa veritas invenienda sit: an etiam vera Dei Ecclesia uspiam adhuc supersit, quæ ab aliis infidelibus populis distincta sit. Ioannes Petræus in admonitione, qua docet vitandos esse Flaccianos: In Ecclesia nostra, inquit, schismata et dissensiones non exiguæ ortæ sunt, adeo ut etiam Saxoniæ Elector tali negotio se immiscuerit, et colloquium Aldenburgense instituerit: ut scilicet huiusmodi medio cum tali odio, scandalo, et detrimento coniunctum dissidium consopiretur. Sed nihil omnino profuit. Nam universum hoc colloquium non solum sine fructu dissolutum est, sed peiorem etiam inde in hisce regionibus Ecclesiæ miserandum in modum turbatæ sunt, doctores divisi, auditores in dubium adducti, et discordia in dies singulos magis magisque increbuit: vero verius est, quod eadem de causa turbatæ, et in mutuas contentiones excitatæ sunt fere omnes Ecclesiæ in Saxonia, Misnia, et Thuringia, quæ ad unum omnes ab initio summa charitate inter se unitæ erant: hæc ille. Res inductione probari potest. Secta enim præcipuæ Lutheranorum sunt Antinomi, Osiandrini, Stancariani, Maioristæ, Amsdorfiani, Synergistæ, Flacciani, Adiaphoristæ, Substantiarii,

Lutherani in Lutheranos pugnant.

Accidentarii, Pfeffingeri, Musculani, Ubiquitistæ. Qua ratione autem inter se ac Lutherum ipsum pugnent, non erit inutile cognoscere. Primo, Antinomi duce Ioanne Agricola Islebiensi, legem Dei plane reiiciunt, docentes Christum Servatorem eam implesse, et abrogasse. Itaque neminem amplius ad eam servandam obligari: quod indigna sit, quæ Dei verbum appelletur. Illis quidquid libet, licet, modo tantum credant in Christum. Secundo, Osiandrini docent, homines tantum essentiali Dei iustitia, eaque in nobis habitante, iustos et beatos effici, adeo ut nulla res alia iustitia nostra esse possit, præter ipsum solum Deum, aut tres in divinitate Personas, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. Christum mediatorem esse, et iustificare homines, secundum divinam naturam tantum. Tertio, Stancariani, a Francisco Stancaro dicti duas in Christo naturas Nestorii more dividunt, et Christum nonnisi secundum humanam naturam humani generis mediatorem esse docent. Quarto, Maioristæ, a Georgio Maiore, docent bona opera adeo necessaria esse ad salutem, ut sine iis nemo salvari possit. Quinto, Amsdorfiani, a Nicolao Amsdorfio, dicunt opera esse perniciosa ad salutem. Sexto, Synergistæ, a Philippo Melanchthone, etc. hominis voluntatem libere cum Dei gratia operari asserunt, et multum viribus humanis tribuunt. Septimo, Flacciani, duce Matthia Flaccio Illyrico, oppugnant Maioristas, Synergistas, et Adiaphoristas: retinent mordicus Lutheri dogma de servo arbitrio, et inevitabili Stoica necessitate. Octavo, Adiaphoristæ, in suis Ecclesiis retinent sacras vestes, albas, casulas, luminaria, altaria, imagines, et alios ritus ecclesiasticos, et hæc inter ἀδιάφορα numerant. Nono, Substantiarii, ducibus Illyrico, Spangenbergio, etc. peccatum originis ipsam naturam et substantiam hominis esse dicunt. Decimo, Accidentarii, ducibus Nicolao Selneccero, Heshusio, etc. peccatum originis accidens esse tradunt. Undecimo, Pfeffingeri, a Ioanne Pfeffingero, pastore Lipsiensi, Pelagii renovato errore, docent hominem suis naturalibus viribus verbo Dei assentiri, promissionem apprehendere, et Spiritui sancto parere posse. Duodecimo, Musculani, ab Andrea Musculo, in Osiandrinos et Stancarianos invecti, docent Christum, secundum utramque naturam, in cruce passum et mortuum esse. Decimo tertio, Ubiquitistæ, a Ioanne Brentio, duas in Christo naturas ita confundunt, ut damnatam Eutychetis hæresim revocare videantur. Docent enim humanam in Christo naturam non minus ubique esse quam sit divina. Quomodo inter se dissentiant, et alii alios persequantur, atque ex alia urbe in aliam propter has sectas eiiciantur, docent historiæ Osiandri, Illyrici, Heshusii, Stancari, Spangenbergii, Maioris, et cæterorum.

22. *Sacramentarii a se invicem dissentiunt.* Secundo, Sacramentarii a Sacramentariis dissentiunt. Paucos profero de multis. Primo, Huldericus Zuinglius lib. de vera et falsa religione, asserit corpus Domini non esse in Sacramento, nisi ut in signo: et in Exegesi ad Martinum Lutherum: Hoc est corpus meum, interpretatur, hoc significat corpus meum. Secundo, Henricus Bullingerus in apologia pro Zuinglio, contra Lutheranos: Hoc est corpus meum, interpretatur, hoc est obsignatio corporis mei. Tertio, Gaspar Svenckfeldius lib. de duplici statu Christi, art. 17. et 18. docet, Christi corpus in cælum assumptum plane Deum esse factum, et ita in cœna quidem adesse Domini, sed quod iam sit divina essentia. Quarto, Calvinus lib. de Cœna Domini, in Institutionibus, et lib. de consensu cum Tigurinis dicit: Symbola cœnæ tantum esse in terris; corpus autem Christi tantum esse in cælo. Proinde tanto intervallo abesse a pane et vino in cœna, quantum abest terra ab altissimo cælo. Et in optima ratione incundæ concordiæ: In sacra, inquit, cœna miraculum agnoscimus, quod et naturæ vires, et sensus nostri modum exuperat, dum Christi vita nobis fit communis, et caro eius nobis in alimentum datur. Quinto, Œcolampadius lib. de verbis Domini: Hoc est corpus meum, dicit non esse in hoc sacramento, quod vel miraculum sit, vel hominis captum excedat.

Tertio, Lutherus sibi ipsi multis, imo pene omnibus in articulis fidei, contradicit. Primo enim, in assertionib. art. 36. Deum esse auctorem peccati asserit his verbis: Et mala opera in impiis operatur Deus. Negat hoc, ad cap. 9. Exodi, cum ait: Iustum est, quidquid Deus agit. Secundo, Deiparam caruisse peccato originali asserit in Evangelium de Conceptione. Sanctissimam fuisse ait, in Evangelium do fest. Deiparæ, his verbis: Nulla mulier tam sancta est, nec fuit, nec erit in posterum quam Maria. Negat vero in Evangelium Domin. 1. ab Epiphania. Quis, ait, inter homines maior fuit peccator, quam Maria? Tertio, sanctorum merita et suffragia asserit, de primo præcepto tractans. Ad sanctorum, ait, suffragia recurrendum omni modo, sicut in Iob dicitur. Et ad aliquem sanctorum convertere. Negat, serm. de mammona. Pro meritis Petri, ait, ne quidem obolum darem, ut me iuvaret. Seipsum enim adiuvare non potest. Quarto, sanctos esse invocandos asserit in purgatione quorumdam articulorum. De intercessione sanctorum, ait, cum tota Ecclesia Christiana sentio, et iudico, sanctos a nobis honorandos esse atque invocandos. Negat vero, in articulis ad Concilium Mantuanum missis. Invocatio, inquit, sanctorum est etiam de numero Antichristianorum abusuum, quæ pugnat cum præcipuis articulis, et delet Christi agnitionem. Quinto, sanctorum dies festos celebrandos esse asserit, in visitatione Saxonica. Tertium, ait, præceptum docet, dies festos celebrare, ideo festa Apostolorum, et B. Virginis celebrari debent. Negat vero, de piis cæremoniis in Ecclesia servandis, ubi ait: Festa sanctorum in universum aboleantur. Sexto, sanctorum reliquias probat, in declaratione quorumdam articulorum. Quis, inquit, repugnare potest, quod in hodiernum usque diem visibiliter ad sanctorum corpora et monumenta Deus sanctorum suorum gratia miracula operatur? Improbat vero, in Postilla, in die exaltationis S. Crucis. Quidquid, inquit, de cruce dixi, intelligi debet de omnibus sanctorum reliquiis. Reliquiæ enim nihil aliud sunt, quam fraudes et seductiones fidelium. Quare omnino infra terram defodiantur. Septimo, Ecclesiam non posse errare docet, de decem præceptis. Ecclesia, inquit, non potest errare: quilibet autem potest in sua devotione errare. Ecclesia regitur a Spiritu sancto. Contrarium asserit, in Postilla Ecclesiastica, explicans Evangelium Domin. 1. post Epiphaniam. Ecclesia, inquit, aut Concilia polleant qua velint sanctitate: non tamen plus polleat Spiritu sancto, quam Maria Christi mater, quæ et ipsa est membrum, atque adeo tum temporis præcipua portio Ecclesiæ extitit: quæ quamvis Spiritu sancto sanctificata fuerit, tamen illa eam aliquando, etiam in summis fidei articulis, errare sivit. Hæc ille, cum crapula continuas eructans blasphemias. Octavo, præceptis Ecclesiæ parendum esse docet, in declaratione quorumdam articulorum. Utraque, inquit, præcepta et Dei, et Ecclesiæ servanda sunt. Negat vero, de captivitate Babylonica, cap. de baptismo. Christianis, ait, nihil ullo iure impoui potest iugum, sive ab hominibus, sive ab angelis, nisi quantum volunt: liberi enim sunt ab omnibus: ita ille. Ex hoc fonte tot rebelliones ortæ sunt in legitimos reges et principes. Nono, traditiones patrum et Ecclesiæ recipiendas esse docet, in epistola ad Marchion. Brandeburg. tom. 2. Germ. fol. 243. Periculosum, ait, et horrendum est, quidquam vel audire, vel credere, quod adversatur unanimi testimonio fidei, et doctrinæ sanctæ et catholicæ Ecclesiæ, quam inde usque ab initio per annos mille quingentos unanimiter servavit. Negat vero, tract. de servo arbitrio. Patrum, inquit, auctoritas susdeque facienda est, et statuta perperam facta, qualia sunt omnia præter verbum Dei definita, dirumpenda et proiicienda sunt. Decimo, Ecclesiæ conciliis acquiescendum docet, in dispositione Lipsica. Conciliis nihil derogo, sed omnium sacratissimum fuit Nicænum. Negat tom. 7. Germ. fol. 262. Pessima, inquit, et condemnabilis opinio, quod Concilia magni fiunt, ac si Spiritum sanctum habeant. Undecimo, D. Petri primatum asserit, in resolutionib. Quod, ait, Petrus 23. *Lutherus sibi ipsi est contrarius.*

primus in ordine sit, nemo negat. Petrum fatemur principem Apostolorum, primum Ecclesiæ membrum, caput collegii Apostolici, et alia, quæ de eo sancti patres dixerunt. Negat in assertionibus, art. 25. Omnes, ait, Apostoli æquales fuerunt Petro. Duodecimo, primatum Romani Pontificis agnoscit, in resolutionibus aliarum propositionum editis anno 1519. Primum, ait, quod me movet, Romanum Pontificem esse aliis omnibus superiorem, est ipsa voluntas Dei: quam in ipso facto videmus. Negat in captivitate Babylonica. Scio nunc, ait, et certus sum, Papatum esse regnum Babylonis, et potentiam Nemrod robusti venatoris. Decimo tertio, Episcopos honorandos esse docet, de decem præceptis. Maxime, inquit, sunt honorandi Episcopi, qui sunt loco Apostolorum. Negat, adversus falso nominatum ordinem Episcoporum. Non sunt Episcopi, ait, sed idola, et mutæ statuæ, inertes puppæ, larvæ, trunci, umbræ, personæ comicæ. Decimo quarto, sacris litteris nihil addendum, nihil detrahendum asserit, in declaratione ad amicum quemdam, tom. 4. Germ. f. 293. Si quis, inquit, unum iota aut litteram vel abstulerit, vel mutaverit, diabolo mancipetur. Contrarium se fecisse profitetur, in epistola ad amicum, de voce *sola,* quam cap. 3. epist. ad Romanos de suo adiecit. Iam dudum, ait, novi, quod hoc loco, nec in Græco, nec in Latino textu vox *sola,* legeretur: nec opus erat, ut de eo me papistæ admonerent. Pœnitet me quod non addiderim, *omnes*, et *omnibus;* ut scilicet esset absque omni opere omnium legum, et sic bene et rotunde locutus fuissem. Prius dixerat: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Decimo quinto, magistratum civilem probat, lib. contra rusticos. Subiecti sumus, ait, tum corpore, tum omni substantia nostra Cæsari, iurique sæculari; etiam aliquando malis principibus obediendum est. Improbat lib. de sæculari potestate. Inter Christianos, ait, nulla debet esse superioritas. Princeps bonus est caro ferina in cælo: id est, avis rara. Sunt enim principes apparitores, lictores, et carnifices Dei: hæc insanus homuncio. Quis ad hæc non horreat, quis excucullatum et rebellem Deo et hominibus sequi velit? Decimo sexto, contra Turcas pugnandum esse docet, serm. contra Turcas. Turcis, ait, resistere tenemur ob multas causas. Negat, in assertionibus, artic. 34. Præliari, inquit, adversus Turcas est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos. Decimo septimo, hominem esse liberi arbitrii docet, in explicatione oration. Domin. Contulit, ait, revera tibi Deus liberam voluntatem. Negat, de servo arbitrio contra Erasmum. Deus, inquit, nihil præscit contingenter, sed omnia immutabili, et æterna, infallibilique voluntate, et prævidet, et proponit, et facit. Hoc fulmine sternitur et conteritur penitus liberum arbitrium. Decimo octavo, neminem esse certum de salute asserit, de decem præceptis. Incertum est homini, ait, num sit in statu salutis, necne. Negat, in epist. ad Galat. cap. 5. Omnium, inquit, pessime docent Theologi, quando dicunt: nos nescire, quando simus in charitate. Decimo nono, bona opera ad salutem esse necessaria docet, in visitatione Saxonica. Multi, ait, dum audiunt, fide hominem iustificari, fingunt omnia sibi peccata remitti per fidem, putant omnino se esse mundos, et sic temerarii et securi fiunt: huiusmodi securitas cum maiore est coniuncta errore, quam quidquam aliud antea fuit. Negat, de votis. Opus bonum, ait, non potest doceri, nisi lædas fidem, cum fides et opera in re iustificationis extreme adversentur: ita fit, ut doctrina operum necessario sit doctrina dæmoniorum, et discessio a fide. Vigesimo, mandata Dei per gratiam servari posse docet, in defensione contra Eckium. Mandata Dei, ait, etiam levissima et minima, sunt homini impossibilia per semetipsum; sed cum gratia Dei sunt facillima, ut Apostolus ait: Possum omnia in eo, qui me confortat. Negat, in responsione ad dialogum Sylvestri Prieratis. Pessime facis, inquit, quod negas Salvatorem impossibilia iussisse. Vigesimo primo, vota servanda esse docet, agens de ecclesiasticis et monasticis votis. Nemo, ait, negare potest a Deo præceptum esse, ut vota serventur. Negat, de captivitate Babylonica cap. de baptismo. Unum hoc addo, inquit, quod utinam cunctis queam persuadere; id est, ut vota omnia prorsus tollerentur, aut vitarentur, sive sint religionum, sive peregrinationum, sive quorumcumque operum, maneremusque in libertate religiosissima et operosissima baptismi. Vigesimo secundo, cælibatum clericorum et monachorum probat, de decem præceptis, in sexto præcepto. Sacrilegium est, ait, cum religiosus, sacerdos, monialis, et omnes alii, qui continentiam Deo voverunt, fornicantur. Negat, contra Ambrosium Catharinum. Decima, inquit, facies Antichristi, est insignis ille cælibatus, et castitatis monasticæ multitudo: plane angelica facies, sed diabolica res. Vigesimo tertio, baptismum dare gratiam asserit, de captivitate Babyl. Quocumque modo, ait, tradatur baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Dei tradatur, vere salvum facit, baptismus omnia peccata remittit. Negat, serm. de recumbentibus. Baptismus, ait, nihil aliud est, quam signum externum. Vigesimo quarto, in Euchar. sacramento transubstantiationem fieri docet, serm. de Eucharistia. In sacramento altaris, ait, non est panis et vinum, sed species panis et vini: nempe panis in verum et naturale corpus Christi, et vinum in verum et naturalem sanguinem Christi transmutatur. Negat, contra regem Angliæ. Impius est, inquit, et blasphemus, si quis dicat panem transubstantiari. Vigesimo quinto, Missam esse bonum opus asserit, in resolutionibus de indulg. conclus. 26. Primo, ait, reipsa et officio præsente; sicuti fit, cum sacerdos cum populo orat, ieiunat, sacrificat, aliaque facit nominata opera pro mortuis animabus: de quo suffragio nullum dubium est, quin vehementer prosit, et redimat animas, secundum quod Deo visum fuerit, et illæ meruerint. Negat, de abroganda missa privata. Quare, ait, concludamus constanti fiducia missarum usum, sacrificiorum nomine, et sacerdotum titulo tenere, idem esse, quod negare Christum, et transferre eius sacerdotium cum universa lege eius. Vigesimo sexto, pœnitentiam Sacramentum esse docet, in visitatione Saxonica. Pœnitentia, inquit, inter sacramenta connumeratur. Negat, de captivit. Babyl. Duo tantum, ait, in Ecclesia sunt sacramenta, baptismus et panis. Et disputatione contra Antinomos. Cavenda est, ait, doctrina Papistarum de pœnitentia, sicut ipse infernus ac diabolus. Libertatem ille et voluptates, non pœnitentiam amabat. Vigesimo septimo, peccata sacerdoti confitenda esse asserit, concion. de confessione. Non est, ait, contemnenda confessio auricularis, propter absolutionem, et Evangelii verbum, quod ex sacerdote audis. Negat, in postilla Dominicæ, Reminiscere. Nolo, inquit, confiteri ob id solum, quia Papa præcepit, et fieri vult. Qui fortiter et firmiter credit, quod sibi dimissa sint peccata, is potest confessionem hanc omittere, et sibi soli confiteri. Vigesimo octavo, indulgentias probat, in resolution. de indulg. Indulgentiæ, inquit, tollunt pœnas a Pontificibus, et sanctis patribus impositas. Tenentur Episcopi et curati, veniarum Apostolicarum commissarios omni reverentia admittere. Improbat, in assertione articulorum per bullam Leonis X. damnatorum artic. 18. Dico indulgentias esse impiissimas sceleratissimorum Pontificum fraudes, et imposturas. Vigesimo nono, purgatorium ignem asserit, in disputatione Lipsica cap. de purgatorio. Ego, ait, credo firmiter, imo ausim dicere, scio esse purgatorium, facile persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem. Negat, in articulis ad concilium Mantuanum. Purgatorium, inquit, cum omni decore, cultu et cæremoniis, pro mera diabolica fascinatione reputandum est. Trigesimo, pro animabus purgatorii orandum docet, in disp. Lipsica cap. de purg. Ego nihil de purgatorio novi, nisi animas pati iuvandas orationibus et operibus nostris. Negat, de abroganda missa privata. Missa, inquit, pro defunctis nihil valet. Multa alia de matrimonio, extrema unctione, inferno, aliisque, contradictoria prorsus ab eo dicta prætermitto.

Quarto, Calvinus sibi ipsi in multis contradicit: pauca 24.

Calvinus sibi ipsi contradicit. expedio. Primo, Dei decreto et voluntate hominem peccare, et sic Deum esse causam peccati asserit, in lib. 1. institut. cap. 18. §. 2. Fateor, inquit, interposita Satanæ opera sæpe Deum agere in reprobis: sed ut eius impulsu Satan ipse suas partes agat, et proficiat quatenus datum est, summa Dei voluntas rerum omnium causa est. Hæc ille: sic facit Deum ipso diabolo peiorem, cum omnia, quæ agit diabolus, in Deum ipsum reiiciat. Negat, ad cap. 3. Ioan. v. 19. Ne quis, inquit, suam damnationem Christo ascribat, propriæ cuiusque culpæ imputandum esse docet. Secundo, sperandum in Christi cruce et morte docet, ad cap. 19. Ioan. v. 30. In Christi morte, ait, totum salutis nostræ complementum, et singulas partes docemur contineri. Negat, ad cap. 16. Matthæi v. 21. Et certe, ait, cum in Christi cruce omnis appareat carnis infirmitas, donec ad resurrectionem ventum fuerit, in qua relucet virtus Spiritus, non reperiet fides nostra, quo se erigat, vel sustentet. Tertio, Christi affectus omni vitio caruisse asserit ad cap. 4. Matth. v. 8. Christus, inquit, omnem habuit nobiscum sensum: non autem appetitus incompositos. Negat vero, in 3. cap. ad Galatas. Christus, inquit, in assumpta hominis natura vere peccator fuit, et reus maledictionis divinæ: ita ille. Ad hæc audita advertant, et oculos aperiant, qui se ab homine furioso decipi passi sunt. Quarto, Christum de salute sua non desperasse, nec dubitasse ait ad cap. 26. Matth. v. 37. Christus, inquit, tristitia et metu sic turbatus fuit, ut tamen adversus Deum non insurgeret, sed maneret compositus ad veram temperantiæ regulam. Negat vero, lib. 2. instit. cap. 16. §. 10. Diros, ait, in animo cruciatus damnati et perditi hominis pertulit: omnia irati et punientis Dei signa expertus, cum mortis et inferorum doloribus certamen subiit, quasi Deo irato in labyrinthum malorum proiectus fuerit. Quinto, Christum pro omnibus omnium hominum peccatis passum et mortuum esse dicit ad cap. 2. epistol. 1. S. Ioan. Hæc, ait, communis scholarum sententia vera est, Christus pro toto mundo sufficienter passus est: efficaciter autem pro solis electis. Negat vero, ad cap. 17. Ioan. v. 9. Aperte, ait, se pro mundo orare negat: quia sollicitus non sit, nisi de proprio grege, quem ex manu Patris accepit. Christus pro solis electis orat. Sexto, Christum sponte mediatoris officio functum esse docet, ad cap. 10. Ioan. v. 18. Christus non moritur coactus, sed sponte se pro salute gregis offert. Negat vero ad cap. 28. Matth. v. 39. Mediatoris, ait, officio defungi, quantum in se est, renuit atque detrectat. Septimo, nomen Iesu venerandum esse docet ad cap. 1. Matth. v. 23. Ita, inquit, reputanda nobis est in hoc nomine divina Christi maiestas, ut reverentiam apud nos obtineat, quæ unico debetur et æterno Deo. Negat vero, ad cap. 2. epist. ad Philip. Plusquam ridiculi, ait, sunt Sorbonici Sophistæ, qui ex præsenti loco: *ut in nomine Iesu omne genu flectatur*, genuflectendum esse colligunt, quoties nomen Iesu pronunciatur: quasi vox esset magica, quæ totam in sono vim haberet inclusam. Octavo, Christum e limbo, sanctorum animas liberasse asserit, ad cap. 3. prioris S. Petri. Dicit, inquit, animas fidelium corporibus egressas, in carcere detentas fuisse, ubi erant constrictæ ardenti studio adventus Christi. Negat, lib. 2. instit. cap. 16. §. 9. Nescio, inquit, qui factum sit, ut posteritas locum putaret esse subterraneum, cui affinxit nomen limbi. Sed hæc fabula, tametsi magnos auctores habet, et hodie quoque a multis serio pro veritate defenditur, nihil tamen quam fabula est. Nono, in sacra cœna miraculum agnoscendum esse docet, in optima ratione ineundæ concordiæ. In sacra, inquit, cœna miraculum agnoscimus, quod et naturæ fines, et sensus nostri modum exuperat: dum Christi vita nobis fit communis, et eius caro nobis in alimentum datur. Negat vero lib. 4. institut. cap. 15. §. 25. Illi, ait, auditis Christi verbis: Hoc est corpus meum, miraculum ab eius mente remotissimum imaginantur. Decimo, Christum vere et corporaliter esse in sacra Eucharistia asserit, in libello de cœna Domini. Necesse est, ait, nos in

A cœna vere corpus et sanguinem Christi recipere. Et postea: Intelligimus Christum nobis in cœna veram propriamquo corporis et sanguinis sui substantiam donare. Et in cap. 11. 1. epist. ad Corinth. Concludo, ait, realiter, ut vulgo loquuntur, nobis in cœna dari corpus Christi. Negat vero, in consensione de re sacramentaria. Tollenda est, ait, quælibet localis præsentiæ imaginatio. Nam cum signa hic in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus. Christus, quatenus homo est, non alibi quam in cælo quærendus est.

ARTICULUS III.

Hæretici in barbarorum populorum figura adumbrati.

Rex Iosaphat, qui loquitur in Psalmo nostro, ut ostendat periculum suum, recenset omnes nationes a Moabitis et Ammonitis collectas contra se ac populum suum, 25.
Deumque ipsum, v. 6. QUONIAM COGITAVERUNT UNANIMITER: SIMUL ADVERSUM TE TESTAMENTUM (id est pactum, quo suam testabuntur voluntatem) DISPOSUERUNT, TABERNACULA IDUMÆORUM ET ISMAELITÆ. Vers. 6. 2. Pars.

B Vers. 7. MOAB ET AGARENI, GEBAL, ET AMMON, ET AMALEC, ALIENIGENÆ CUM HABITANTIBUS TYRUM. Vers. 7.

Vers. 8. ETENIM (Hebr. etiam) ASSUR, etc. Vers. 8.

Nota, Idumæi sunt populi ab Esau filio primogenito Isaac prognati, et consequenter Iudæorum affines, odio tamen maximo prosecuti sunt Iudæos, ut indicatur Ps. 136. 7. et Amos 1. 11. Habitabant in montibus Idumææ iuxta Iudæam Moabitidem et Ammonitidem in Arabia. Manebant in tabernaculis et tentoriis, quæ subinde transferebant huc illuc ad commoditatem pascendi greges suos, sicut Scenitæ et Nomades in eadem Arabia, et Tartari in Asia. Domiti sunt a Davide anno regni eius 15. ante Christum 1039. ex quo tempore per annos 152. Iudæis fuerunt tributarii: donec anno sexto regis Iorami, iugum servitutis excusserunt. Sed rursus eos debellavit Ioan. Hyrcanus rex Iudææ, de stirpe Machabæorum, anno regni sui 5. ante Christi 129. Tunc circumcisionem atque Iudaismum susceperunt, et cum Iudæis facti sunt unus populus: unde Plinius, et alii, quandoque confundunt Idumæos cum Iudæis. Post annos 93. Herodes Idumæus regnare cœpit, capta et eversa a Tito Ierosolyma. Tabernacula porro Idumæorum pro ipso populo in iis tabernaculis habitante ponuntur. Est metonymia: et indicatur communi consensu missas esse auxiliares copias vicinis filiis Loth, id est Ammonitis et Moabitis. Opibus et potentia floruerunt, nec multum potentia Israelitis videntur cessisse: nam Esau habuit quatuor uxores, et ex iis quatuordecim duces, ab Eliphaz septem, a Rahuel quatuor, ab Oolibama tres. Item octo reges, antequam filii Israel regem haberent. Uxores porro Esau fuerunt Iuditha filia Berri, Basemath filia Elon, Oolibama filia Anæ, Moheleth filia Ismaelis. Idumæi quam odio persequuti Iudæos.

C

Secundo, Ismaelitæ sunt populi ab Ismaele filio Abrahami ex Agar ancilla orti. Scriptura Gen. 25. 18. dicit, eos habitasse ab Hevila usque Sur inter Assyrios et Ægyptios, ad meridiem et orientem terræ Chanaan. Iosephus notat, Arabes gentem suam ac tribus denominasse partim ab Ismaele, partim ab eius filiis, tum propter ipsorum virtutem, tum propter Abrahæ auctoritatem. S. Hier. Duodecim, ait, filii nascuntur Ismaeli, e quibus primogenitus fuit Nabaioth, a quo omnis regio ab Euphrate usque ad mare rubrum Nabathena usque hodie dicitur, quæ pars Arabiæ est. Nam et familiæ eorum, oppidaque, et pagi, ac munita castella, et tribus eorum hac appellatione celebrantur. Ab unoquoque ex his Cedar in deserto, et Duma alia regio, et Theman ad austrum, et Cedma ad orientalem plagam dicitur. In Arabia Ismaelitæ cum Cedarenis iidem esse censentur, eorum tentoria celebrantur in Cantico canticorum cap. 1. 5. De Ismaele prædixit angelus Abrahamo Gen. 16. 12. *Hic erit ferus homo.* Hebr. פרא *pera*, id est onager, ut reddit Chald. Paraphrastes: hoc est, ait Corn. iustar onagri ferus, durus, intractabilis, so- 26. Ismaelitæ ubi habitent, et quales sint.

D

livagus, et incertis sedibus errans, lugique impatiens. Tales sunt etiam Ismaelitæ, ut ex Iosepho, Amiano Marcellino, et S. Hier. discimus, in equis et camelis insident, camelorum lacte carnibusque vivunt, semper errant cum sagittis venenatis et hastilibus longis, infestique finitimis omnibus, mitrati seu vittati, seminudo corpore, pallio et caligas longas trahentes, intonso crine, superiora labra non radentes, cætera tonsi, decimo tertio onno pueros circumcidentes, quo Ismael circumcisus fuit ab Abrahamo: luciferum seu lunam colunt. Ex iis ortus creditur Mahometes.

27. Tertio, Moabitæ habitabant in Arabia deserta, vel Petræa, inter more mortuum usque ad Euphratem, et a torrente Arnon usque ad desertum Cadesbarne. Erant orti a primogenito filio Loth, quem susceperat ex filia sua maiore, cum esset ebrius. Deus tamen ob virtutem Loth nepotis Abrahami vetuerat in primo ingressu in terram promissionis, ne regiones eorum a populo Israel occuparentur: id etiam fecit Deus, quia ex Ruth Moabitide, quæ fuit uxor Booz, oriturus erat David et Christus. Voluit tamen eos nunquam intrare in Ecclesiam Domini: id est, nunquam officio aut publico magistratu fungi, ut explicant Caietanus et Fonzeca. Prævidebat enim eorum odium perpetuum in Israelitas, quod patet in libris Iudicum et Regum. Eglon præsertim dux Moabitarum oppressit Israelem, et subiecit servituti anno mundi 2651. duravit illa servitus per annos octodecim: tunc autem occisus est Eglon ab Aod, qui fuit iudex, id est princeps populi Israel, et concurrente populo omnes Moabitæ, qui erant in terra Israel, occisi sunt, ita ut ne unus quidem evaderet. David eos subiugavit, et graviter punivit, anno regni sui decimo tertio, mundi 2992. Ex eo tempore tributarii fuerunt aut regum Iuda, aut regum Israelis, donec anno mundi 3138. ob Ochozia filio Achab, rege Israel defecerunt, et tributum centum mille agnorum et centum mille arietum cum velleribus suis, id est arietum lanatorum negaverunt: ideo Ochozia mortuo, statim anno sequente, id est 3139. Ioram frater et successor eius, ac filius Achab, bellum paravit in Moabitas, ad illud trahens Iosaphat regem Iuda. Siti laborante exercitu Elisæus propheta precibus aquas impetravit et prædixit victoriam, post illam ingressus exercitus Moabitidem, civitates eius destruxit, et omnem agrum optimum replevit lapidibus, et universos fontes obstruxit, atque omnia ligna fructifera succidit. Ideo Moabitæ resumptis viribus post quatuor annos, nempe anno mundi 3143. templi fundati 121. Iosaphati regis Iuda 23. in Iudæam irruperunt, adiunctis sibi omnibus populis qui hic recensentur. Et de eo bello agitur in Psalmo nostro.

Moabitæ quales.

28. Quarto, Agareni hic recensentur. Chald. perperam vertit, Hungari. Agareni porro iidem sunt cum Saracenis. Agareni dicti sunt, ab Agar ancilla Abrahæ, a qua erant progeniti, sed ab alio marito, cui nupsit, postquam dimissa est ab Abrahamo, ut censet Bellarminus. Saraceni vocati sunt, non a Saraia urbe Arabiæ, ut putat Stephanus: non ab urbe Sarra, ut Euthymius: sed a Sara uxore Abraham, a qua vocari voluerunt, quod iis hoc videretur honorificentius. Genebr. advertit, separari hic ab Ismaelitis, quia fortasse Agar alios habuit filios præter Ismaelem, et aliam Arabiæ partem occuparunt.

Agareni.

Gebalitæ. Quinto, hic recensentur Gebalitæ, qui erant incolæ Phœniciæ, dicti etiam Gyblii, de quibus agitur 3. Reg. 5. 18. ut opinatur Agellius: vel potius, sunt populus Idumææ ex posteris Esau, ut vult Iansen. Emmanuel Sa, Mariana, et alii.

Ammonitæ. Sexto, recensentur Ammonitæ, ab altero filio Loth ortum trahentes. Fuerunt vicini Moabitis, sæpe bella gesserunt contra Israelitas, ac præsertim illos oppresserunt servitute octodecim annorum, ab anno scilicet mundi 2832. ad 2850. initium servitutis fuit anno Iairi sexto, finis anno Iephte secundo, a quo victi sunt: Davidis legatos scelerate violarunt, et in eum gesserunt bellum, sed ab eo severissime puniti sunt. Nunc, iuncti Moabitis, omnes quos possunt populos evocant contra Iosaphat.

Amalecitæ. Septimo, recensentur Amalecitæ, qui erant Arabiæ Petrææ populi, ab Amalec nepote Esau ortum trahentes. Primi ex omnibus populis bello petierunt Israelitas exeuntes ex Ægypto, anno primo exitus, et ab iis victi sunt. Statuit quoque Deus eos funditus delere, quod tandem Sauli imperavit, et quia non exacte id præstitit, a regno cum tota sua posteritate repulsus est.

Octavo, recensentur alienigenæ, id est Philisthini, seu Palæstini, perpetui hostes Iudæorum, iis contermini ab occidente, præsertim usque ad mare mediterraneum.

Nono, recensentur Tyrii, quorum metropolis erat Tyrus civitas in insula, eiusdem nominis sita. Vide dicta Ps. 44. 13.

Assyrii. Decimo denique, recensentur Assyrii, qui nomen sortiti sunt ab Assur filio Sem, eorum monarchia fuit omnium antiquissima, et maxime diuturna. Nam duravit per annos 1400. usque ad Asarhaddonem, qui fuit ultimus Assyriorum rex. Ubi adverte, illud imperium bis corruisse, primo sub Sardanapalo, quem vicit Arbaces Medus, id contigit anno mundi 3333. sed a Phule restitutum est anno 3335. Secundo, corruit sub Asarhaddone, quem superavit Merodach Babylonius, et transtulit imperium ad Babylonios, anno 3324. Ezechiæ regis Iuda 16. cum eo ipso anno pater Asarhaddonis, nempe Sennacherib, in Iudæa cladem illam memorabilem accepisset, atque in templo Nesroch, occisus esset a filiis suis Adramelech et Serasar. Nota, Assur quandoque sumitur pro Syria. Nam Syria latissimo patet, ac plurimas orientis regiones complectitur. In bello autem Moabitarum et Ammonitarum contra Iosaphat fit mentio Syrorum. De amplitudine Syriæ lege Plin. alias a me citatum lib. 5. 12.

29. Quæres, quomodo filii Loth, id est Moabitæ et Ammonitæ ex Moab, et Ammon filiis Loth progeniti, tot populos in uno bello contra Iosaphat regem Iuda duxerunt? Resp. fuisse auxiliares copias, et paucos fortasse ex singulis illis populis fuisse in eorum exercitu. Sic nunc in exercitibus regis nostri sunt Helvetii, Germani, Poloni, Sveci, Scoti, Angli, Irlandi, Vallones, Lothari, Sabaudi, Itali, Catalani, Lusitani, Croatæ, qui suas habent legiones, seu, ut vocant, regimenta: sed præcipuum robur exercituum et numerus est Francorum: ita tunc factum crediderim. Moabitæ sibi amicitia iunctos populus evocarunt in auxilium, et Ammonitæ alios; sic facile fuit, ut singuli quatuor in suas partes traherent. Solitos autem Ammonitas uti auxiliaribus amicorum copiis, patet ex bello quod gessit David contra eos ob spretos legatos suos. Nam adversus illum quatuor genera auxiliariorum contraxit Hanon rex eorum. Primum, Syros Rohob, seu Mesopotamia. Secundo, Syros Soba, cuius Adarezer rex erat. Tertio, Syros subiectos regi Maacha. Quarto, Syros Istob, id est, incolas terræ Tob. Nunc vero, contra Iosaphat regem Iuda tot colligunt auxiliarios, ut statim illum obruant, et invadant Ioramum regem Israel, a quo præsertim fuerant appetiti et vastati, ut dixi supra.

Cur tot populi in Iudæos bellum gesserunt?

30. Tropolog. isti populi, sunt ii qui vitiis sunt dediti, ac turbant Iudæam, id est, animam Deum laudantem. Primo, Idumæi sunt avari, qui terram amant, et sanguinem pauperum sitiunt: ita Aiguanus. Nam si Idumæum deducas ab אדם *adam*, significat terrenum: si a דם *dam*, id est, sanguis, significat sanguineum. Secundo, Ismaelitæ sunt hypocritæ, ut infra videbitur. Tertio, Moabitæ sunt mali cognati, affines, parentes, filii. Ad nefarium enim concubitum patrem excitans filia maior Lothi, ex eo suscepit Moab. Quarto, Agareni sunt impii aliunde venientes, et cœtibus se proborum inferentes, ut eos pervertant. Nam Agarenus significat peregrinum, a rad. גר *gar*, seu *gher*, peregrinus. Quinto, Gebalitæ sunt fallaciter humiles: ita S. August. qui Gebal interpretatur, vallis vana. S. Petr. Dam. lib. 5. epist. 13. Gebalitæ sunt qui simulate sunt mites, et fallaciter humiles. Sexto, Ammonitæ sunt ingrati, ait Aiguanus, qui Ammon ait esse populum iniquum. Septimo, Amalecitæ sunt detractores qui in alieno peccato, id est sanguine delectautur, et sicut canis

Tropol.

lingens blandiuntur: ita Ugo. De sæcularibus, qui torrena ambiendo, quasi lambunt, exponit Angelomus, lib. 1. Reg. Mundus hic, est Nilus versus in sanguinem, de quo bibunt Ægyptii: sic versum Tiberim in sanguinem vidit Ioannes de Fulgineo Franciscanus ad patriam rediens tentatione victus, ideo ad monasterium rediit, ut refert Luc. Waddingus in Annalib. Minorum t. 1. ann. 1220. n. 37. S. Anselmus vidit fluvium cœnosum, quo se pascerent et potarent mundani, ut alias retuli. Aiguan. ait, Amalec esse luxuriosos, qui vitam ducunt brutorum animalium. Octavo, Philisthæi, id est cadentes poculo, sunt gulosi, ait Aiguanus: sunt luxuriosi; quos luxuria carnis inebriat, et quasi præ nimia potatione cadentes in ima præcipitat, ait Petr. Dam. lib. 5. epist. 13. Nono, Tyrii sunt divites, oppressores pauperum. Tyrus enim significat tribulationem et angustiam. Decimo, Assyrii sunt invidi, qui aliis insidiantur: vel adulatores, qui alios beatificant. Etymon afferam infra. Ex iis quæ de hæreticis dicam poteris etiam hos populos aliis vitiis adaptare, et aliquos aptius fortasse.

31. Allegor. Quot fuerunt hæresiarchæ? Alleg. Hæc populorum multitudo notat multitudinem hæreticorum in Ecclesiam insurgentium. Tertull. usque ad sua tempora triginta duos hæresiarchas notavit. S. Aug. circiter octoginta. Nunc ad trecentos et amplius excrescunt, atque ab ultimo sæculo ad nostram usque ætatem ducenti a variis doctoribus recensiti sunt, ut ait Florimundus Ræmundus in Antichristo, cap. 3. pag. 11. Varias hic tabellas proponam, ut in variis populis appareant vitia hæreticorum.

Prima tabella Idumæorum exercitum ostendit, qui aditum obstruat Israelitis ad terram promissam pergentibus, Num. 20. Hæretici sunt Idumæi, id est, sanguinei, qui sanguinem sitiunt fidelium. Primo, plebeiorum. Socrates de Arrianis agens lib. 1. cap. 29. Arriani, ait, ubera mulierum communicare sibi nolentium, cistæ iniecta absciderunt: muliercułis easdem corporis partes partim ferro, partim ovis admotis extreme ferventibus combusserunt. Secundo, sanguinem principum sitiunt, ut patuit in S. Hermenegildo interfecto a proprio patre Leuvigildo Arriano, rege Hispaniæ: in Maria Stuarta regina Scotiæ, occisa ab Elisabetha regina Angliæ: in Chrotilde regina Hispaniæ, in quam proprius maritus Amalaricus Arrianus crudeliter sæviebat, ut eam a vera fide averteret. S. Gregor. Turon. lib. 3. hist. Franc. Chrotildis, ait, in Hispania multa ob fidem patitur ab Amalarico viro suo. Nam plerumque illa præcedente ad Ecclesiam, stercora et diversos fœtores super eam proiici imperavit. Ad extremum tanta eam crudelitate cecidisse dicitur, *ut infectum de proprio sanguine sudarium fratri Childeberto regi Franciæ transmitteret*: unde ille maxime commotus, Hispanias appetiit. Amalaricus ad fugam naves parat. Porro imminente Childeberto cum Amalaricus navem deberet ascendere, et in mentem venit multitudinem se pretiosorum lapidum in suo thesauro reliquisse. Cum ad eosdem sumendos urbem peteret, ab exercitu a porta exclusus est. Videns se non posse evadere, ad Ecclesiam Christianorum confugere cœpit. Sed priusquam limina sancta contingeret, unus emissa lancea eum mortali ictu sauciavit, ibique decedens reddidit spiritum. Tertio, hæresis omnes fideles exterminare cuperet. Munceriani Anabaptistæ sic vocati sunt a Thoma Muncero: is totum orbem *gladio Gedeonis sibi divinitus tradito* compellendum, ad novum Christi regnum instituendum, iactabat sibi spiritum revelasse. Unde et cælestes prophetas appellabat eos Lutherus. Docebant inter cætera bonorum communionem, infideles omnes cum principibus ac magistratibus esse occidendos, libertatem per principes extinctam armis esse vindicandam. Ioannes Bocoldius Leidensis sarcinator, Monasterii in Westphalia novam Sion erigere cœpit, cuius ipse primus et ultimus rex fuit. Gedeonis gladium, quem ante novem annos Muncerus capite truncatus abiecerat, iterum arripuit, eoque omnes in universum impios, qui regno ipsius fasces non submitterent, obtruncare, et novum omnino regnum, in

Hæretici sunt similes Idumæis ob crudelitatem.

quo iustitia vigeret, constituere voluit; sed omnes illius conatus in nihilum reciderunt. Polygamiam ex professo probavit, et ipse duodecim uxores simul habuit. Christi Servatoris verba: Hoc est corpus meum, adeo ferre non potuit, ut iis, cum suo ritu cœnam celebraret, plane non uteretur: solebat enim dicere, ut Albertus scribit contra Carolostadianos: Accipite, comedite, et Domini memores estote. Ad Scythas ablegandi sunt, qui pro simulacro ensem habebant, et humano sanguine sacra faciebant. Boleslao IV. regnante in Polonia, cognomento Pudico, Tartari tantam Polonorum multitudinem occiderunt, ut singulis singulæ auriculæ præcisæ novem ingentes saccos implerent, ut ait Salomon Neugebaverus l. 3. hist. Polon. p. 142. Hæretici diriora fecerunt, ut dixi supra. Deus vero noster, Deus est misericordiarum, et Christiani ab eo discunt mites esse. S. Ladislaus dux, et postea rex Hungariæ, post victoriam de hostibus obtentam, videns corpora cæsorum in profusissimas lacrymas erupit, gemens quod omnes essent in Christo fratres, neque his liceret pace frui, ut ait Bonfinus lib. 3. decad. 2. pag. 217.

Secunda tabella Ismaelem nobis offert, hominem ferum ac truculentum, qui posteros suos animat, ut in obvios quosque irrumpant, et Iudæam a Deo Israelitis datam deprædentur. Hæretici sunt Ismaelitæ. Primo, quia Ismaelitæ, ut vult S. August. sunt *obedientes sibi*. Derivat a rad. שמע *sciamah*, id est, audivit, obedivit, et לו *lo*, sibi. Aiguanus id explicat de avaris. Ugo, de gulosis. Hæretici ventrem respiciunt. S. Thom. lib. contra impugnantes religionem: *Nulla*, inquit, *hæresis unquam constituta est, nisi propter gulam et ventrem*. Salomon Neugebaverus in hist. Polon. lib. 6. pag. 437. meminit monstri mirabilis, cui possis conferre hæreticos. Cracoviæ, inquit, vitulus biceps nascitur, altero capite in loco caudæ, cauda vero in medio dorsi existente, ac duobus tantum pedibus a dextro latere prominentibus. De hæreticis ait S. Epiph. lib. 2. hæres. 59. pag. 502. Perinde hæretici faciunt ac si capiti calceos inducant, et coronam pedibus, et ventri torquem aureum, braccas manibus circumdent, et annulos pedibus: hæc Epiph. Secundo et melius, *Ismael* significat *exauditionem Dei* a rad. *sciama*, id est audivit, exaudivit, *el*, Deus. Occasio nominis videtur fuisse visio angeli, cum Agar eiecta iuxta fontem aquæ sederet in solitudine, et angelus ei apparuit varia prædicens, Genes. 16. 7. Hæretici varias finxerunt se a Deo revelationes accipere. Enthusiastæ seu extatici, spiritum in primis iactant, et se se diversis frui visionibus, atque apparitiones e cælo habere gloriantur. Nonnunquam in terram prostrati, diu quasi extra se rapti iacent instar mortuorum. Cum vero redeunt ad seipsos, mira se iactant ostenta vidisse; colloquium se cum Patre æterno habuisse, et diversa mandata accepisse gloriantur. Hussitæ hæretici non tantum se Israelitas, et a Deo auditos esse profitentur; sed verum Israelem: futurum etiam ut impios Chananæos aliquando exterminent; expectandum vero tempus esse, ut Patris ea de re mandatum accipiant: et hi quoque circa visiones et somnia multum occupantur; persuasum enim habent, multas res admodum mirabiles a Deo sibi manifestari, quæ propediem eventuræ sunt in mundo. Fuerunt aliquando huius sectæ complures, qui consumptis omnibus nihil sibi bonorum reliquum fecerunt, quod diem Domini tempore ipsis constituto, certo venturum persuasum habebant. A Ioanne Husso nomen habent, et sunt Anabaptistæ, ut ait Coccius l. 8. Illis occinendum est cum Ezechiele cap. 13. 3. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident*. Iure illos comparaveris Brasiliis præstigiatoribus, de quibus Hier. Osorius Episc. lib. 2. de rebus Emmanuelis fol. 54. Apud Brasilios, ait, in magno est honore genus quoddam hominum maleficum, quos de rebus incertis consulunt, appellantur ab illis Pages. Hi gestant in summa sagitta cucurbitam in faciem hominis figuratam. Quoties autem illis libet, intra cucurbitam ignem subiiciunt, et fumum ex herbis congestis faciunt. Tum fumum illum naribus accipiunt, usque eo dum ebrii vacillent, et corruant,

32. Ismaelitis similes sunt hæretici, ob amorem sui commodi.

Et ob hypocrisim.

Enthusiastæ.

Brasilii præstigiatores.

et extra mentem rapiantur. Habent enim illæ herbæ eam vim, *ut fumo quasi vino supra modum sumpto,* mentem eripiant. Tum vero stridere dentibus, in ore spumas agere, oculos torquere, necem multis minari, et variis motibus, eos qui adstant, terrere. Non putant enim eos absque divini Spiritus instinctu tam horrendas voces iacere. Quocumque veniunt, summo omnium applausu accipiuntur, viæ muniuntur, carmina ad tibias gentis more concinunt, choreæ agitantur, fœminæ formosæ, seu virgines, seu maritatæ, ad illos introducuntur: hæc ibi. Pene omnes hæretici hunc scopum habent, ut cœnosis voluptatibus ingurgitent, in eam rem fumos suos vendunt.

33. *Hæretici sunt Moabitæ degeneres.* Tertia tabella proponit Eglonem Moabitarum regem, solio sublimem, qui Israelitas catenatos tenebat. Illi enim servierunt annis 18. ut dicitur Iudic. 3. Moab filius fuit Loth ex filia maiore, ut dictum est. Hinc vocatus est Moab, q. d. Ex patre. Hæretici sunt filii degeneres. S. Hieron. in Psal. nostr. qui de hæreticis Psalmum exponit: Moab ex patre, ait, id est, recedentes a Deo Patre. Tertull. de præscript. in hæret. cap. 36. num. 2. *Etiam de olivæ nucleo mitis et opimæ et necessariæ, asper oleaster exoritur: etiam de papavere fici gratissimæ et suavissimæ ventosa et vana caprificus exurgit. Ita et hæreses de nostro fructificaverunt, non nostræ: degeneres veritatis grano, et mendacio sylvestres.* Et lib. 4. in Marcion. Faciunt favos et vespæ, ait, faciunt Ecclesias et Marcionitæ. S. Iren. in præfatione totius operis sui in hæreses, comparat vitro ad imitationem smaragdi facto. Hinc sequitur primo, ut hæretici difficulter convertantur. Serapion Thmueos Episc. lib. in Manich. *Hæc est,* ait, *difficillima omnium improbitas, nomine Christi appellari, et Christum oppugnare.* S. Ephrem in suo testamento eos comparat dæmoni obstinato. Secundo, cum sint filii spurii non habent partem ad hæreditatem Dei. S. Cyprianus lib. de unitate Ecclesiæ, fol. 257. *Occidi, ait, hæreticus potest, coronari non potest. Sic se Christianum esse profitetur, quomodo et Christum diabolus sæpe mentitur.*

34. *Agareni etiam similes sunt hæretici.* Quarta tabella proponit Agarenos, in tribum Ruben primogeniti filii Iacob ferro flammaque grassantes; sed cæsos tandem, et propriis sedibus exturbatos, ut dicitur 1. Paralip. 5. Ugo Cardinalis, *Agarenos* interpretatur *festa suscitantes*: id quidem quadrat hæreticis, qui genio semper indulgere amant: sed etymon reiiciendum est; nam Agar sive Hagar scribitur per he, non vero per ched; חג *chagh.* per ched festum significat: sed *he* seu *ha.* hic est articulus, et גר *gar*, sive גר *gher*, idem est atque peregrinus. A fide vero alieni sunt primo Turcæ, et Saraceni seu Agareni. Prateolus in elencho hæreticorum lib. 11. *Mahometis elogium.* cap. 3. de Mahomete sic ait: Mahometes maledictissimus Arabs, adeo præ omnibus Antichristis, Antichristus verus est, ut propemodum unus ille omnium venturus ipse dici queat. Nec quisquam est, aut fuit aliquando, qui propius accedat ad Pauli prophetiam, atque ille homo omnium nequissimus, mercator vilissimus, princeps latronum, prænuncius Satanæ, præcursor Antichristi, complementum totius falsitatis, mendacii, et hæresum: exortus est circa ann. Domini 630. ita Prateolus. Figuratum est regnum illud Mahometis in bestia illa terribili, Dan. 7. 8. et in equo pallido, super quem sedebat mors, et infernus sequebatur eum, Apocal. 6. 8. Saracenorum seu Agarenorum illa Mahometis hæresi infectorum nota est crudelitas. Thomas Fazellus lib. 2. decad. 2. de rebus Siculis, pag. 386. sic ait: Abraamus Halbi rex Garveni rogatus ab Euphemio Græco homine, Siciliæ prorege, qui ob raptam nobilem virginem iram Michaelis Imper. verebatur, misit quadraginta Saracenorum millia in Siciliam cum Halcamo duce. Halcamus cum in Siciliam venit, classem combussit, ut spe reditus amissa Saraceni fortius pugnarent. Selinuntem primum acceperunt, et cives æneis vasibus igni suppositis coxerunt. Territæ aliæ urbes se dedidere. Euphemius Imp. est appellatus, sed a fratribus raptæ olim virginis occisus est: sic Saracenis Siciliam luxuria tradidit, et crudelitas eam devastavit: hæc ille.

A Secundo, Agareni, sunt hæretici Turcis amiciores, quam fidelibus Christianis. *Hæretici magis amant Turcas, quam catholicos.* Lutherani omnis principatus hostes, vocabant Carolum V. Imper. Turcam baptizatum, cum ipsi Turcis faveant. Zelandi nonnulli ad Leidæ propugnationem pergentes, symbolum sibi sumpserunt lunam crescentem, hoc digno reformationis suæ enunciato adscripto: *Turcæ citius, quam Papistæ.* Paulus Alciatus, Brandatus, aliique hæresiarchæ in Polonia, facti sunt Turcæ, ut docet Florim. Ræmundus lib. 4. de origin. hær. cap. 8. pag. 452. In Turcas non esse pugnandum docuit Lutherus in assertionib. art. 34. *Præliari, ait, adversus Turcas est repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos.* Hoc Anabaptista quidam in disputatione cum Catholico ausus est asseverare, ut docet Flor. Ræmundus. 2. Saracenos evocarunt Albigenses, ut refert S. Antoninus 3. part. Speculi hist. tit. 19. cap. 1. Albigensium, ait, hæresis tempore Innocentii Papæ III. et Friderici Imp. II. exerescere cœpit in comitatu Tolosano, et brevi temporis spatio mille propemodum civitates infecit: septuaginta eorum
B millia in acie cæsa sunt, cum Petro Tarraconensium rege illorum fautore. Hoc in rabiem ita eos egit, ut ex Africa Miramamolinum principem Saracenorum evocarint, sibi ut auxilio esset. Hic in Hispaniam irruptionem fecit, tanta militum multitudine, ut Europam universam obtinere se posse speraret, equosque in porticu Ecclesiæ S. Petri statuere. Sed victus est post gravia Christianis illata damna, et vexillum eius ad Innocentium Pontificem missum in eadem S. Petri Basilica est collocatum, puniti barbari monumentum. 3. Hæretici sunt ipsis Turcis e Saracenis sæviores. *Sunt Turcis sæviores.* In Agria urbe Hungariæ Lutherani Franciscanum unum in cruce, in qua erat Christi statua, suspenderunt, ibique fame enecarunt. Cæteri eiecti sunt, et a Turcis Budæ benigne suscepti; atque a Solimano eorum Imperatore assignata sunt tria in regno loca, ad quæ Religiosi ab hæreticis expulsi se reciperent, ac Deum pro voluntate sua libere colerent. Dux hæreticorum illorum, et primus persecutionis auctor, brevi post a Turcis captus, atque Constan-
C tinopolim missus, palo transfixus est, ut refert Florim. Ræmundus lib. 4. cap. 6. p. 430. Hugonoti in Francia sollicitant auxilia Turcica, tamquam in religione conformes, tributum offerunt, sed spernuntur: ita Spondanus ann. 1568.

35. *Hæretici sunt Gebalitæ abominabiles et vani.* Quinta tabella Gebalitas nobis offert in valle variis flosculis aspersa, et herbis atque arboribus amœna: sed serpentibus infesta, et voraginibus periculosa. Multiplex etymon Gebal afferri potest. Primo enim, significat finitimum, conterminum, a rad. גבול *ghebul,* id est terminus. Hæretici videntur proximi fidei, sed ad illam non pertingunt. Secundo, exponi potest Gebal, *vallis terroris.* 2. *Vallis præcipitationis,* a rad. גי *ghe.* id est, vallis, et בהל *bahal* cum ha, id est, terrere, currere, festinare, accelerare. 3. *Vallis abominationis.* 4. *Vallis tædii.* a בחל *bachal,* cum ched, abominari, tædio affici. 5. *Vallis idoli,* a בעל *baal* cum ain, idolum, sculptile. Istæ porro litteræ gutturales, he, ched, atque ain, facile excidunt in nominibus propriis, ut videre est in Iacob, Isaac, et aliis. Tertio, Gebal est *vallis vana.* Hæreticis hæc omnia conveniunt: sunt enim terri-
D fici, præcipitati et præcipitantes, abominabiles, fastidium ac tædium ac nauseam pariunt, idololatræ sunt, et idola. In eorum vanitate nunc hæreamus. Primo, vani sunt in verbis. *Vani sunt in dictis.* De Ioviniano ait S. Hieronymus lib. 1. Iovinianus totus tumet, totus iacet. Attollit se per singula, et quasi debilitatus coluber, in ipso contactu frangitur. Non est contentus nostro, id est, humano more loqui, altius quiddam aggreditur. Parturiunt montes, etc. Secundo, hæretici vani sunt in factis. *Et in factis.* Manes dicebat se esse Christum, et Spiritum sanctum, duodecim Apostolos habebat; cum se pro medico venditaret, ac filium regis Persarum in curatione, seu dolo, seu inscitia necasset, cutis ei detracta est, et obiectus est canibus, ut ait Petrus Bizarus histor. rerum Persicarum lib. 4. p. 116. Alii verius dicunt, eum promisisse sanitatem filio regis in suæ hæresis confirmationem. Menander dicebat se esse Servatorem, cælitus ex sæculis invisibilibus ad salutem hominum missum, ut ait

Eusebius lib. 3. hist. cap. 26. pag. 42. et pro Servatore se in omnibus gerebat. David Georgius Anabaptista dicebat se esse Messiam, ac dilectissimum Dei filium, non ex carne, sed ex Spiritu sancto, et Christi spiritu natum: Christum asserebat propterea in mundum venisse, ut homines sub illius doctrina et sacramentis, instar puerorum, sub disciplina quadam essent, donec exurgeret David Georgius, et veram perfectamque consequendæ salutis viam aperiret, et eam doctrinam proferret, per quam homines plena Dei, ipsiusque filii Davidis Georgii cognitione implerentur. Virum se esse dicebat illum, qui in extremo die totum mundum iudicaturus esset. Olim in Concilio Constantinopolitano Polychronius Monothelita hæreticus scriptam fidei suæ summam protulit, tum asseruit sibi revelatum, fore ut in huius fidei probationem mortuos suscitaret, hac charta eis imposita; oravit patres, ut fieret experimentum: prodeunt omnes in forum, ubi iacebat cadaver exanime, chartam illi imponit hæreticus, sed miraculum factum non est: ideo est excommunicatus, et risui omnium expositus. In Bohemia, ut ait Æneas Sylvius histor. Bohem. cap. 42. pag. 77. vulgaverant hæretici, ipso die Pentecostes, ignem e cælo casurum, qui omnes Bohemicas urbes exureret: ob quam rem magna ex parte mœnia relicta sunt, die prædicta: cum imbres tota fere Bohemia vehementes fuissent, religio in risum conversa est, ac multum opinionis hæreticis detractum. Concludamus cum S. Epiphanio contra Aerium: *Omnem hæresim temeritatis, aut vanæ gloriolæ, aut elationis fastuosæ gratia, aut concupiscentia, aut erga proximos æmulatio, exacerbatio, petulantiave effecit.* S. Augustinus lib. de utilit. credendi, cap. 1. Hæreticus est, ait, qui temporali commodo, et maxime gloriæ principatusque gratia, falsas vel novas opiniones vel gignit, vel sequitur. Et lib. 2. de baptismo in Donatistas, cap. 5. fol. 40. *Aliquid aliter sapere,* inquit, *quam se res habet, humana tentatio est. Nimis aut amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usque ad præcidendæ communionis, et condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. In nullo autem aliter sapere quam se res habet, angelica perfectio est.*

Polychronii impudentia mortuum se suscitaturum asserentis.

36. Sexta tabella proponit nobis Hanonem regem Ammonitarum, qui legatos Davidis ignominiose tractat, media parte barbæ, capillorum et vestium ablata. Idem faciunt hæretici, qui fideles spoliant vestibus virtutum, ac fidei dogmata conscindunt et dividunt. Ammon significat primo, ut ait S. Hieron. in quæst. seu traditionib. Hebr. in Genesim, filium generis mei, q. d. Filium cognationis et parentelæ meæ, id est, patris mei, seu, filium populi mei. Secundo, Ammon idem est quod *populus turbidus*, seu, *populus mœroris:* ita S. Augustinus in Ps. nostr. Tertio, Ammon significat *populum iniquum:* ita Aiguanus, a rad. עם *am,* id est, populus, et און *on,* id est, iniquitas; 2. violentia, contritio, appressio, turbatio; 3. luctus, mœror; 4. iniquitas. Hæretici primo seipsos turbant, ac intellectum suum obscurant, et passionum tempestates in se concitant. In monte sunt nebuloso et turbido, sicut illi Sinenses, de quibus noster Trigautius lib. 3. exped. Christianæ apud Sinas cap. 9. pag. 293 In monte Liu, inquit, varii sunt Anachoretæ Sinenses, qui singuli in ædicula sua corporis afflictationibus maxime insudant. Tot esse ferunt ædiculas, quot diebus solaris cursus continetur, et inter prodigia referunt, sereno ubique cælo semper eum montem nubibus aut nebulis tegi, atque ita e lacu mons alioqui vicinus nunquam potest conspici. In caligine ac tenebris semper versata est hæresis, et in tenebris se tutam putat, eam sequitur populus turbidus. Secundo, hæretici alios turbant. S. Petrus Damiani lib. 5. epist. 13. per Ammonitas intelligit eos, qui dum nova doctrina populum turbant, Ecclesiæ Dei mœrorem atque tristitiam generant. Ugo explicat de iracundis; Aiguan. de Ingratis: utrumque vitium habent hæretici. Eos Caiuo et Sodomitis comparat Rheginus Constantiæ Cypri Episc. exagitans Nestorium Ecclesiæ perturbatorem. Sic autem in eum invehitur hom. habita Ephesi post eius depositionem. Quo te, ait, Nestori, nomine quispiam digne appellet? *An infelicis illius Cain vocabulo te nuncupabimus?* Atqui Caini scelera tuis minora extitere. An miserabilem illum Cham te vocem, qui paternam nuditatem derisit? Sed et *Sodomitarum facta* cum tuis collata blasphemiis sunt eiusmodi, ut dicere nobis liceat: Sodoma iustificata est ex te; tu enim brevi temporis spatio *orbem terrarum commovisti*, ω θαλασσης και θανατου ανοητοτερε, o mari et morte insanior et furiosior quid potes dicere? Nam mare Dominum agnoscens, dorsa illi substravit: mors vero, insueta lege Lazarum consanguineis suis restituit: hæc Rheginus. Hæretici lupi sunt in pellibus ovium dilacerantes gregem Christi. Cum Mieislaus Senex rex Poloniæ, vectigalibus populum oneraret, atque acerbe dominaretur, Gedeon Episcopus Cracoviensis eum admonuit, sed frustra: id videns Gedeon sapientem mulierem submisit, quæ sordido habitu assumpto opem eius imploraret. Illa regi dixit, se gregem ovium numerosum habuisse, et filio commendasse: illum vero mediastinis, eorum negligentia gregem a lupis dilaniatum, seque ad extremam inopiam redactam, rogare, ut cuius culpa damnum illatum esset, ab eo præstaretur. Citati mediastini seu mancipia, cum pariter subornati essent, negant sua culpa id accidisse, sed adolescentis, qui privignus esset eius mulieris. *Eum venationi deditum feros canes alere, qui soluti partim gregem laniarint, partim dissipatum lupis obiecerint.* Rex filium illum condemnavit ad damnum reparandum. Tum Gedeon voce libera ait: Iuste et sapienter iudicasti, sed tu ipse es filius Reipublicæ, cui tot populos commisit, tu nummariis iudicibus illum tradis, tu feros canes, id est, crudeles exactores immittis. Tu Dei iudicio, etc. Rex fremens abiit in maiorem Poloniam. Proceres occasione capta Casimirum elegerunt sibi in regem, circa annum Domini 1178. ut ait Salomon Neugebaverus lib. 5. hist. Polon. p. 110. Hæc hæreticis regibus et principibus, qui fideles tributis onerant, optime convenient, et maxime iis qui bona eorum invadunt, et ipsos e suis regnis et provinciis exterminant: illi enim sunt lupi rapaces dissipantes gregem Christi.

Gedeonis Episcopi sapiens apologus.

Hæretici sunt Ammonitæ turbidi.

1. Se turbant.

Sinenses Anachoretæ.

2. Alios turbant.

Septima tabella Amalecitas ostendit, qui populo Dei in terram promissionis pergenti aditum obstruunt in Raphidim; sed Mose manus in oratione elevante, a Iosue vincuntur, Exod. 17. Adverte quod Idumæus et Amalecita nonnunquam confunduntur, ut patet ex Hieronymo in quæst. Hebr. ad lib. Regum: et aliquando distinguuntur, ut patet in Psalmo nostro. 37.

Hæretici sunt Amalecitæ lingentes sanguinem.

Multiplex etymon afferri potest. Primo, *Amalech* idem est ac, *populus dividens,* a rad. *am,* id est, populus, et מלק *malak,* dividere. Hoc optime quadrat hæreticis et schismaticis, qui se ab unitate Ecclesiæ separant. Secundo, Amalech est *gens bruta*. Ita Aiguanus, sed unde id sumat, non satis video, id explicat ipse de luxuriosis. Tertio, Amalec est *populus lingens,* hoc est optimum etymon, a rad. *am,* id est populus, et לקק *lakak,* lingere, lambere. S. Hieron. in Psalm. nostr. intrepretatur, *lingens terram.* Ugo, *lingens sanguinem.* Primasius Episcopus Uticensis, discipulus S. Augustini in epist. ad Hebræos comparat doctrinam hæreticorum potibus immundis. Idem Augustinus in epist. ad Hebr. S. Anastasius Sinaita lib. 3. anagogicarum contempl. comparat aquæ sanguineæ. Illam lambunt et gustant hæretici, sicut canes Ægyptii aquam Nili versam in sanguinem. S. Chrysost. serm. 8. in Gen. pag. 925. Manichæos vocat canes rabidos: Manichæi, ait, οι κυνες οι ενεοι και λυττωντες, *canes muti et rabidi,* speciem quidem præ se ferunt modestiæ, intus vero κυνων μανιαν, *canum maniam et rabiem fovent, et ovis pelle lupum occultant:* ita ipse. 2. Sunt serpentes terram lingentes. S. Hieron. in Ps. nostr. Amalech, ait, interpretatur, lingens terram. *Quicumque enim pugnant adversus populum Dei, non comedunt cælestem panem; sed lingunt terram sicut serpens.* S. Dionys. Alexand. Patriarcha, qui floruit circa annum 250. æqualis S. Cypriani, Paulum Samosatenum vocat serpentem, epist. in ipsum tom. 1. Biblioth. Patr.

*

Græc. pag. 275. ερπεις επι τω στηθει, *serpis super pectus et ventrem*, terram comedens omnibus diebus vitæ tuæ, secundum opera tua et actiones cogitans contra Dominum, qui est Pater Christi, et contra Christum eius, qui est Christus Dei virtus, sapientia Patris, qui est Verbum sempiternum: hæc Dionysius. Eum qui hæreticorum dictis credit, iure compares monstro a serpente devorato. Salamon Neugebaverus lib. 6. histor. Polon. pag. 431. Cracoviæ, inquit, circa ann. 1494. mulier in platea, quæ a S. Spiritu nomen habet, infantem exanimem peperit, cuius dorso serpens vivens inhærebat, arrodens et depascens cadaver. Hæreticos vero confer etiam Essedonibus, qui parentum carnes mistas pecorum carnibus devorabant: capita eorum, ubi affabre expaliverant, auro culta, pro poculis usurpabant, ut loquitur Antan. Bonfiuius, decad. 1. lib. 1. de rebus Ungar. pag. 1. Hæretici suos parentes, affines, cognatos, liberos, domesticas inficiunt et consumunt. Scritabini populi crudis agrestium animalium carnibus alebantur, ut ait Paulus Warnefridus Diaconus Foroiuliensis lib. 1. de gestis Longobardarum; hæretici sunt sæviores, qui homines crudos devorant, et ipsas animas mactant.

38. Hæretici sunt Philisthæi. Octava tabella propanit Philisthæos arcam rapientes tempore Heli Pontificis, et in templum Dagon eam inferentes. Philisthæos interpretatur Aiguanus *cadentes poculo*, et de gulosis exponit. S. Hieron. in Psal. nostr. hæreticis applicat: *Philisthiim*, ait, *cadentes potione*, hoc est qui inebriati sunt de calice diaboli, et inebriati ceciderunt. Calix hæresis, est calix meretricis Babylonicæ: aureus est in speciem, sed veneno plenus. Hæretici sunt similes Rosemundæ, quæ cum Helmichi e balneo exeunti venenum porrexisset, ille id sentiens eam ut reliquum ebiberet, stricto gladio caegit: sic ambo perierunt. Albainum regem maritum suum iam occidi curaverat, quod eam coegisset bibere in poculo facto ex cranio patris sui, ut refert Paulus Warnefridus lib. 2. de gestis Longobardar. p. 233. Hæretici eodem modo bibunt de veneno, quod aliis propinant, eoque pereunt. Secundo, vox Philisthiim commodius deducetur a rad. פלש *palas*, quod significat *involvere se pulvere*, q. d. Pulvere obvoluti: et notat terrenos affectus hæreticorum, vel hypocrisim. S. Ignat. epist. 9. ad Philadelph. eos vocat vulpes et corruptores vineæ Christi, et dicit illos qui cum iis miscentur, perire. Angelomus monachus Gallus vixit circa ann. Christi 850. tempore Lotharii Imper. ait, hæreticos esse equos discolores impietatis vinculo colligatos, qui ad decipiendos seu opprimendos, quos possint, discurrant, atque in Philisthiim figurari. Inter hæreticos maxime hypocritæ sunt quidam Anabaptistæ. Nonnulli apud eos Apostolici vocabantur, qui omnia relinquebant: uxores, liberos, agros, opificia, quæ exercere consueverant: passim vagabundi oberrabant sine baculo, sine calceis, sine pera et pecunia, atque omnia volebant cum fratribus habere communia, quos sæpe gravabant ignavi homines, atque eorum facultates absumebant: donec ipsos tandem Anabaptistas, indignitate rei perspecta, id genus fucos atque ignavos ventres diutius alere pertæsum est. Separati dicuntur alii inter eosdem Anabaptistas, qui, si mores externos tantum spectes, omnino spirituales et sancti videbuntur: abhorrent a mundanorum hominum consortio: neque cum hoc sæculo commune quidquam habere volunt: austerum vultum semper præ se ferunt, crebros ducunt gemitus, gaudia aversantur: neque conviviis lætioribus interesse volunt: verum tristes atque soli esse cupiunt: vestibus utuntur ad simplicitatem omnino comparatis, nec gladios, nec ullum armorum genus portant: demum regulas suas habent, ad quarum præscriptum edunt, bibunt, dormiunt, vigilant, incedunt, et separatam omnino a vulgi consuetudine, atque severam vitam transigunt.

Rosemunda suo veneno periit.

Anabaptistæ hypocritæ.

Turcarum religiosi sunt hypocritæ. Giomaileri. Turcarum religiosi (si tam sancto nomine digni sunt) hac maxime hypocrisi laborant. Giomaileri quidem (sic quidam vocantur) nudis pedibus incedunt, humeris pellem leonis, leopardi, tigridis, aut pantheræ ferunt, capite nudo incedunt: nullam tamen sibi præscriptam habent regulam: sed per Barbariam, Persidem, Indias, et Turcarum ditionem vagantur, in hoc unum intenti, ut fœminas puerosque decipiant, unde ab ipsis Turcis, *religiosi amoris* vocantur. Altera ratio religiosorum est inter ipsos, et Dervisios appellant. Capite, ac toto corpore nudi incedunt, omnemque sibi pilum resecant: utcumque se duabus pellibus vervecis et capræ adhuc villosis circumtegunt. Sumpta quadam herba, quam matslach vocant, pene extra mentem aguntur. Tum ignem ingentem accendunt, et charcas circa illum agunt, cultrisque sibi modo crura, modo pectus aut brachia incidunt: florem unus, alter arborem, cor vulneratum alius his incisionibus efformat. Sed quorsum isthæc? En, inquiunt, figuram, in eius amorem quam depereo: ad extremum, ad ignem accedentes in vulnera calidos cineres iniiciunt, et imposito funga, ac relicto donec consumatur, sanantur. En præclaras virtutis simias. Torlaquini (aliud est apud Turcas religiasorum genus, cæteris nequitia non inferius) ducunt secum per urbes inveteratæ malitiæ senem, velut hominem qui e cælo venerit: cumque in aliquam urbem ventum est, eum in clarissimi civis domo collocant, populoque persuadent cælestem esse hominem: senex ille actionibus omnibus sanctitatem præ se fert, pauca loquitur, et quidem admirabilia, et graviter: fingit raptum se in extasim, et ad se reversus orat discipulos, ut se quam citissime ex ea urbe auferant, cui visione cælesti edoctus maximam ruinam impendere certo sciat: tum impastores flagitare, ut precibus cladem illam amoliatur: senex flexo poplite, magnaque in speciem pietate oculos in cælum erigit, et calamitatem (si superis placet) oratione avertit: tum vero rudis papulus certatim servatori suo dona offert. Herba etiam quadam ad temporariam insaniam commavente Dervisii abutuntur: fœminas impudenter ad scelus invitant.

Dervisii. Insani amatores. Torlaquini.

Nona tabella Tyrum nobis proponit, insularum reginam 39. Hæretici sunt Tyrii affligentes.
et dominam in mari Phœnicia sitam, ex qua navalis pedestrisque exercitus prodeat, exercitui Sennacheribi regis Assyriorum iungendus, quem in Iudæos Tyrii incitaraut, 4. Regum. 18. Tyrus significat Primo tribulationem, sive angustiam et coarctationem, a rad. צור *tsur*, obsidere, arctare, angustiis afficere. Ugo Cardinalis de iuvidis explicat. S. Hieronymus de hæreticis. Hi sunt in medio mari voluptatum, et fideles opprimere semper moliuntur. Thomas Fazelius lib. 6. decad. 2. hist. Siciliæ, pag. 373. de Constante Imperatore, nepote Heraclii, Monothelita: Constans, ait, Romam ingressus plus inde abstulit, quam ducentis quinquaginta annis barbari. Pantheon verticem, argento, quo erat coopertum, sublato, plumbo vestivit. In Sicilia cum in balneis Daphnis lavaretur, ab Andrea Troili filio, cæterisque suis domesticis, ferventi situla in verticem eius iniecta, excerebratus occubuit. Nam etiam qui iustos affligunt terræ, ipsi conteruntur. Secundo, Tyrus significat vinculum, colligationem, a rad. צרר *tsarar*, ligare, colligare, vincere: hinc gallicum *serrer*. Tertio, plasmationem, figurationem, a rad. יצר *iatsar*, formare, plasmare, figurare. Quarto, petram, rupem, a rad. צור *tsur*, sive *tsor*, roboraro, fortificare: hinc latinum turris. Hæretici sunt vincula diaboli, plasmatio vanitatis, et obstinatio insuperabilis. Non est enim hæreticus, qui non est obstinatus.

Decima denique tabella Sennacherib ostendit nobis As- 40. Hæretici sunt Assyrii flammei.
syriorum regem potenti cum exercitu Iudæam invadentem, et Ierosolymæ minitantem, sed ex altera parte angelum dat gladio demetentem universum eius exercitum 185. millium. Assyrius significat Primo, murum ignis, a rad. אש *es*, id est, ignis, et שור *scur*, hoc est, murus. Secundo, insidiantem, a rad. שור *scur*, aspicere, insidiari. Tertio, beatum: hæretici sunt murus ignis; fingunt se alios protegere, et eos comburunt et igni æterno tradunt; 2. semper prædæ insidiantur; 3. beatificant seipsos. Cathari genus quoddam Anabaptistarum, dicunt se a peccatis immunes esse, mundos atque puros. Quo fit, ut nec aliorum preces expetant, nec se cuiusquam orationibus indigere persuasum habeant. Coccius lib. 8. Sunt, ait, inter

eos, qui particulam orationis Dominicæ, *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, penitus omittunt: sancti nimirum homines, imo non homines, sed angeli, qui neque Dei gratia, neque remissione peccatorum opus habent. Ut in pauca conferamus: Est hoc sanctum, mundum, et incontaminatum hominum genus, ubi Catbari, qui dicere audent: Mundum est cor nostrum, puri sumus a peccato.

41. Lothi etymon. Omnes hi veniunt in auxilium filiis Loth, id est, Moabitis et Ammonitis. Loth significat Primo, declinantem: ita S. Hieronymus epist. ad Pammachium, et S. August. in Psal. nostr. qui ad dæmones id transfert a veritate declinantes, angeli apostatici ait, bene intelliguntur, *tamquam filii declinationis a veritate*, quippe declinando in satellitium diaboli discesserunt: ita August. Hæretici quoque sunt filii declinantes. S. Leo serm. 7. de Quadragesima: In aliam, inquit, transfertur viam, quisquis a confessione veritatis abducitur, totusque eius cursus abscessio est. S. Ephrem in suo testamento eos instar dæmonis vitandos monet cum ait: *Parum interest, an cum dæmone quis habitet, an cum viro apostata et desertore iniquo.* Secundo, Loth significat latentem, occultatum, involutum, a rad. לוט *loth*, involvere, tegere, occultare, latere: hinc latinum, *lateo* deduci videtur. Nihil est hæreticis tectius ac periculosius, sicut ex variis eorum conspirationibus apparuit.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

42. *Tria proponit. Primo, antiquas punitiones eorum qui afflixerunt populum Dei, v. 10. Secundo, prædicit punitionem eorum, qui postea idem tentabunt, v. 12. Tertio denique, ostendit effectum illius punitionis, v. 17.*

PARAPHRASIS.

9. *Fac illis sicut Madian, et Sisaræ: sicut Iabin in torrente Cisson.*	9. Sed tu vindex in sceleratos insurge, illosque ea clade affice, qua Madianitas olim per Gedeonem duce m, et qua Sisaram Iabini regis Chananæorum ducem, Iabinumque ipsum per Barachum et Deboram ad torrentem Cisson.
10. *Disperierunt in Endor: facti sunt ut stercus terræ.*	10. Sisara et Iabin perierunt cum suis exercitibus in circuitu urbis Endor, totosque late per agros in fuga trucidati, esca volucrum et ferarum iacuerunt, atque insepulti sicut stercora putruerunt.
11. *Pone principes eorum, sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana.*	11. Nec vulgus tantum promiscuum concide, sed ipsos eorum magnates et principes, instar Oreb et Zeb principum in Madianitico exercitu, et instar regum ipsorum Zebee et Salmana a Gedeone interfectorum, prosterne, ac merito supplicio affice.
12. *Omnes principes eorum, qui dixerunt: hæreditate possideamus sanctuarium Dei.*	12. Omnes, omnes, ne vel uno quidem exempto, pereant principes Moabitarum et Ammonitarum nunc in me irruentium, qui ea fuerunt audacia, ut dicerent: Eia agite, ad prædam advolate: possideamus velut hæreditatem nostram, Iudæam illam, quam populo suo Deus sanctificatam tradidit.
13. *Deus meus pone illos ut rotam: et sicut stipulam ante faciem venti.*	13. Domine Deus, cui uni, velut firmissimæ basi, innitor, eos rotæ instar versatilis et instabilis, in consiliis suis et actionibus inconstantes, et parum firmos, redde: instar paleæ ventorum turbinibus per aerem iactatæ, illos dissipa et disperde.
14. *Sicut ignis qui comburit sylvam: et sicut flamma comburens montes.*	14. Tu sis ei igni similis sylvam viridantem et amœnam, omnesque eius arbores et ornatum depascenti. Sis illis instar flammæ æstuantia montium viscera devorantis.
15. *Ita persequeris illos in tempestate tua: et in ira tua turbabis eos.*	15. Eosque in die vindictæ, velut tempestatis terrore et horrore plenissimæ, fugaces insequere: et scelerum suorum conscientia, ac furore tuo perturbatos, attere.
16. *Imple facies eorum ignominia: et quærent nomen tuum Domine.*	16. Victos rubore suffunde, ut perspecta potentia tua te quærant, tibique vel inviti serviant.
17. *Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi: et confundantur et pereant.*	17. Si vero obstinati na flagellis quidem ad te converti voluerint, ignominia perditi, atque æterno terrore concussi confundantur, atque in perpetuam ruinam devolvantur.
18. *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra.*	18. Tunc tandem cognoscant te unum esse in cælo terraque Dominum, quia omnia pro nutu moderer is: neque ullum tibi aut esse superiorem, aut æqualem.

QUÆSTIO UNICA.

Quam severa hæreticorum, et aliorum impiorum punitio.

43. Ordo Sectionis. Rex Iosaphat, qui in hoc Psalmo loquitur, scelera hostium suorum, Moabitarum præsertim et Ammonitarum prius aperuit: nunc eorum pœnam declarat.

Ac primo, eam illustrat veteribus exemplis populorum, principum, regum, qui parem ob amentiam puniti sunt. Primo quidem, mentionem facit populi, vers. 9. *Fac illis sicut Madian.* Secundo, principis: *Et Sisaræ.* Tertio, regis: *Sicut Iabin.* Quarto, locum declarat, in quo fugati sunt: *In torrente Cisson;* atque cæsi, v. 10. *Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ.* Quinto, alios etiam principes refert punitos, v. 11. *Pone principes eorum sicut Oreb et Zeb;* ac reges: *Et Zebee et Salmana.*

Secundo, causam aperit, cur Moabitæ et Ammonitæ, aliique eis adiuncti, sint puniendi, v. 12. *Omnes principes eorum, qui dixerunt: hæreditate possideamus sanctuarium Dei.*

Tertio, modum punitionis ponit, et quatuor similitudinibus illustrat. Primo, petit ut rotæ in modum semper agitentur ac rotentur, v. 13. *Deus meus pone illos ut rotam.* Secundo, stipulæ instar a ventis hac illac iactatæ, concutiantur: *Et sicut stipulam ante faciem venti.* Tertio, instar sylvæ incendio absumptæ bonis omnibus nudentur, v. 14. *Sicut ignis qui comburit sylvam.* Quarto denique, ut instar montium intus ardentium, in animo et corpore doloribus torqueantur: *Et sicut flamma cumburens montes.* Certo autem hoc illis affuturum prædicit, v. 15. *Ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos.*

Quarto denique, effectum illius punitionis aperit. Primo, emendationem aliquorum ob pudorem, v. 16. *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum Domine.* Secundo, obstinationem aliorum, qui in æternum confun-

dentur, et peribunt, v. 17. *Erubescant et conturbentur in sæculum sæculi, et confundantur et pereant.* Tertio denique, cognitionem potestatis et maiestatis Dei, sed tardiorem, v. 18. *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra.*

ARTICULUS I.

Iustum Dei iudicium non effugiet hæreticus.

44. Duæ hic impiorum populi Dei hostium clades proponuntur. Primo, Madianitarum. Secundo, Chananæorum:
Vers. 9. v. 9. FAC ILLIS SICUT MADIAN (id est, sicut Madianitis) ET SISARÆ: SICUT IABIN IN TORRENTE CISSON.

Vers. 10. Vers. 10. DISPERIERUNT IN ENDOR: FACTI SUNT UT STERCUS TERRÆ. S. Hieron. Fuerunt quasi sterquilinium terræ.

Vers. 11. Vers. 11. PONE PRINCIPES EORUM SICUT OREB, ET ZEB, ET ZEBEE, ET SALMANA.

Vers. 12. Vers. 12. OMNES PRINCIPES EORUM, QUI DIXERUNT: HÆREDITATE POSSIDEAMUS SANCTUARIUM DEI, id est, templum sanctum in Ierosolymis urbe regia positum, in quo templo fiebant præces sanctæ, sancta sacrificia cum sacris vasis, et ubi Deus sanctus sedem sibi specialem posuerat. 2. *Sanctuarium,* id est, Iudæa tota, a populo Dei eam inhabitante, et a sanctis Patriarchis sanctificata, et postea magis Christi habitatione sanctificanda. Ubi adverte, Moabitas et Ammonitas, dicentes: *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei,* alludere ad statutum, quo ab eo sanctuario in æternum excludebantur: præcepit enim Moses secundo legem promulgans in campestribus Moab, Deuter. 23. 3. *Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum: quia noluerunt vobis occurrere cum pane et aqua in via, quando egressi estis de Ægypto: et quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, ut malediceret tibi.* Itaque Moabitæ et Ammonitæ erant deterioris conditionis quam Idumæi et Ægyptii: qui enim nati fuerant ex eis, tertia generatione intrabant in Ecclesiam Domini. Deterioris etiam conditionis erant, quam mamzeres, id est, de scorto nati: nam intrabant in Ecclesiam Domini, post decimam generationem. Intrare porro in Ecclesiam Domini, non est intrare in atrium templi seu tabernaculi, ut vult Olympiodorus et Dionysius Carthusianus; nam nullus prorsus excludebatur a Iudaismo, fide, ac templo, si vellet, ac præscripta faceret. Moabitæ igitur et Ammonitæ poterant fieri proselyti, eoque modo admitti ad esum agni paschalis, et ad alia sacra Iudæorum. 2. Cornelius a Lapide putat, non intrare in Ecclesiam Domini, esse arceri a societate politica Iudæorum, ita ut quis non habeatur civis, nec habeat ius civicum apud Iudæos, nec censeatur Israelita. Sed hoc non videtur verum: nam eunuchi erant Israelitæ, et habebant ius civitatis; cur enim illis ablatum esset? 3. Caietanus, Oleaster, Fonseca, et alii melius, Ecclesiam Domini intelligunt cœtum et consessum magistratuum, q. d. Moabitæ et Ammonitæ nunquam admittentur inter magistratus et senatores populi ac iudices. Et idem intellige dictum de eunuchis, qui etiam non poterant intrare in Ecclesiam Domini, eod. cap. 23. Deut. 1.

Intrare in Ecclesiam Domini quid?

45. Nota, victoria Gedeonis de Madianitis fuit celeberrima. Primo, ob multitudinem hostium. Nam de Madianitis, et eorum sociis in ea pugna ceciderunt centum et triginta quinque millia. Secundo, ob paucitatem militum Gedeonis: trecentos enim tantum sub signis suis habebat. Tertio, ob modum pugnæ. Nam Gedeon suos armavit tubis, et hydriis testaceis ac lampadibus, id est, facibus et titionibus ardentibus. Quarto, ob fructum illius victoriæ. Cum enim Iudæi servivissent Madianitis per annos septem, ab ea servitute liberati sunt.

Gedeonis victoria.

Nota secundo, Oreb et Zeb erant principes Madianitarum, cæsi sunt ab Ephraimitis, cum fugerent: Zebee vero et Salmana, quos Gedeon ipse manu propria occidit, erant A eorum reges. Pene evaserant hi duo postremi: nam transiverant Iordanem, et cum quindecim militum millibus quiescebant securi, sed Gedeon cum solis suis trecentis militibus ipsos insecutus est, et omnes ad unum trucidavit, sicut asserit Iosephus. Hoc tamen clare non dicit Scriptura. Septuaginta habent ἐξέτρεψεν, id est, evertit, fugavit.

Nota tertio, David ordinem temporis non servavit: nam 46.
Gedeon fuit quintus Iudex seu Princeps populi Israel, et victoriam hanc consecutus est anno mundi 2768. Gedeonis ipsius Iudicis 8. ab exitu Hebræorum ex Ægypto 225. ante Christum 1235. Barach vero qui devicit Sisaram et Iabin Chananæos, fuit quartus Iudex Israelis, et instigante eum Debbora primam de Sisara victoriam obtinuit anno mundi 2741. exitus ab Ægypto et datæ legis 198. ipsius Baraci 21. ante Christum 1312. Victoria porro illa fuit memorabilis. Primo, ob multitudinem hostium. Nam Sisara habebat in exercitu suo nongentos currus falcatos, et omnem exercitum de Haseroth gentium. Iosephus l. 5. B antiq. Iud. cap. 6. ait, habuisse in suo exercitu trecenta militum millia, equitum decem, et currus bellicos ter mille. Sed hoc non est credibile. Secundo, ob paucitatem militum Baraci; habuit enim tantum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, et de filiis Zabulon. Tertio, quia dux fœmina facti: Angelus enim prædixit victoriam Deboræ prophetissæ, sine qua Barac noluit ad bellum pergere. Quarto, quia incruenta fuit ea victoria, Deo pro Israelitis pugnante. Quinto, quia Iahel fœmina Sisaram ducem totius exercitus, lacte potatum et butyro, id est, lacte pingui recentique, ex quo butyrum non erat expressum, occidit. Posuit enim supra tempus capitis eius clavum trabalem, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram. Sexto, ob fructum victoriæ, quia ita postea est debilitatus Iabin, ut qui per viginti annos populum Dei oppresserat servitute, penitus sit contritus, et populo Dei optata libertas sit reddita, anno datæ legis 199.

Ordo temporis non servatur in psalmis. *Victoria Baraci et Deboræ.*

Quæres, ubinam contigerit ea victoria Baraci conterentis Sisaram? Resp. id accidisse prope torrentem Cisson, 47.
C ut dicitur in Psal. nostro. Torrens porro Cisson non longe a campo Mageddo defluebat in mare, qui et campus Esdrelon dicitur, et planities Galilææ. Iudic. 5. 23. ait Debora: *Torrens Cisson traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cisson.* Adrichomius dicit rivulum quemdam procedentem de torrente Cisson vocari Cadumim. Lorinus censet, Cadumim esse diversum torrentem a Cisson: et Cisson bis nominari, quia maior clades prope ipsum contigit. Cornel. in lib. Iudic. cum opinatur torrentem Cadumim esse eumdem cum torrente Cisson. Vocari autem Cadumim, id est, antiquum, priscum: sive, quia licet sit torrens, ab antiquo fluit, ut ait Marinus: sive, quia in eo est renovatum antiquum prodigium maris rubri, ut dicit R. Ralbag: sive, quia ab antiquo ordinatus est a Deo ad hoc, ut in eo mergerentur Sisaræ milites: aut Cisson dicitur torrens Cadumim, id est, orientalium, q. d. In parte orientali torrentis Cisson cladem Sisaræ accidisse. Nam torrens Cisson fluit partim versus mare mediterraneum, quod est ad oc- D cidentem Iudææ: partim versus mare Galilææ, quod est illi ad orientem: aut torrens Cisson dicitur Cadumim, id est, præventorum seu præoccupatorum, q. d. In quo Sisaræ milites præventi et præoccupati ac submersi sunt.

Torrens Cisson.

Quæres secundo, quid sit Endor? Resp. Endor esse vo- 48.
cem Hebraicam, quæ significat fontem Dor sive Doræ; nam עין *ain,* sive עין *en,* significat fontem. Nonnulli apud Euthymium censent Cisson et Endor esse eumdem torrentem. Sed id verum non videtur: nam fons perenniter fluit, torrens aliquando siccatur. Melius itaque Masius in cap. 17. Iosue, v. 11. Endor, inquit, quod est, ac si fontem Doræ dicas, existebat in iugo quod a monte Thabor decurrit versus austrum, atque Hermonem minorem. Urbs nobilitata excito ab inferis Samuele per veneficium. 1. Reg. 28. 7. Hanc quoque prope torrentem Cisson positam fuisse argumento sunt divini Vatis verba, quibus eam memorat cladem, qua Sisara Præfectus regis Iabin apud illum

Endor.

torrentem est afflictus a Debora et Bareco. Tres urbes fuerunt cum suis quæque municipiis et pagis, ac veluti regiones in tractu Dorio: videlicet Endora, Thaanach, et Mageddo.

49. *Iabin quoties victus?* Quæres tertio, an Iabin rex Chanaam fuerit victus adhuc post Sisaræ cladem. Resp. ex Psal. nostro colligi saltem duplicem Baraci victoriam: unam de Sisara duce Iabini, et alteram de ipso Iabino rege, qui regnabat in Asor. Hoc quoque indicatur in lib. Iudicum, cap. 4. 23. *Humiliavit ergo Deus in die illo Iabin regem Chanaan coram filiis Israel, qui crescebant quotidie, et forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum.* Præcipua itaque victoria fuit ad torrentem Cisson, contra Sisaram, ubi fractæ sunt regni vires: aliæ, rem totam perfecerunt. Sic Alexander Magnus tribus victoriis Darium regem Persarum fregit, et regnum occupavit. Vix est, qui prima pugna victus animos non resumat. Carolo V. Imp. cum in provinciam duxisset exercitum, interroganti: Quot victoriis posset occupari Francia, quidam nobilis generose respondit: novem esse necessarias; sed timendum esse, ne aggressor sibi in prima pugna caput frangat.

50. *Moabitarum et Ammonitarum clades collata.* Quæres quarto, an factum sit Moabitis et Ammonitis, sicut Madianitis et Chananæis? Resp. In eo esse paritatem, quod omnes illi contriti sunt a Deo sine sanguine populi Israel: miraculosæ enim fuerunt omnes illæ victoriæ. Primo enim, ut temporis ordinem sequar: cum descendisset Barac de monte Thabor, perterruit Deus Sisaram, et omnes currus eius, et universam multitudinem. De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine suo, hoc est, in sua statione et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt; non lutum itinerum ita calefaciendo, ut equorum ungulæ deciderent, sicut putavit R. Salomon: non milites ita adurendo, ut refrigerari in torrente Cisson voluerint, sicut censuit R. David Kimhi: non eos ita frigefaciendo, ut gladios tenere non potuerint, sicut scripsit Iosephus: sed in Sisaram ac totum eius exercitum excitando ventos, procellas, nimbos, cometas, fulgura, ut docent Caiet. Lyran. Abul. et alii. Et hæc victoria eo fuit gloriosior, quod pene omnes milites carerent clypeo et hasta, ut canit Debora: nam Iabin per 20. annos servitutis, illis arma eripuerat, sicut fecerunt postea Philisthæi tempore Saulis. Secundo, cum Gedeon cecinit tuba, ac milites eius idem præstiterunt, complodentes lagenas suas fictiles, et ostentantes faces suas, immisit Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se cæde truncabant, fugientes usque ad Bethsetta, et crepidinem Abelmehula in Tebbath. Tertio denique, eadem clade perierunt Moabitæ et Ammonitæ, de quibus agitur in Ps. nostr. Cum enim iubente rege Iosaphat cœpissent Levitæ laudes canere, vertit Deus insidias eorum in semetipsos: filiorum scilicet Ammon et Moab, et montis Seir, qui egressi fuerant ut pugnarent contra Iudam, et percussi sunt. Namque filii Ammon et Moab consurrexerunt adversus habitatores montis Seir, ut interficerent et delerent eos: cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus, 2. Paralip. 20. Pari modo S. Georgius Aragonensibus in bello Ostensi maximum Agarenorum exercitum prostravit, ut testatur Carbonellius lib. 1. et in bello Valentino sæpe Christianis auxilium tulit. Idem S. Georgius, S. Mauritius et S. Demetrius tempore belli sacri, sæpe visi sunt militare pro Christianis, ut ait Robertus monachus lib. 6. et 7. de bello sacro.

51. *Tropol.* Tropol. Madian significat declinantem iudicium, a rad. מן *min*, id est, *a*, et דין *din*, et denotat peccatorem, qui non vult confiteri peccata, nec seipsum iudicare. Secundo, *Sisara*, ut S. Aug. exponit, est exclusio gaudii: eum secutus S. Petr. Dam. lib. 5. epist. 13. ait: *Sisara* dicitur exclusio gaudii, et quicumque se lascivis et carnalibus lenociniis petulanter immergunt, gaudium a se supernæ felicitatis excludunt: ita ille. Hoc intentat Christus Luc. 6. *Væ vobis divitibus, quia habetis hic consolationem vestram.* Tertio, *Iabin* significat sapientem. *Cisson*, lætificantem eos. Sapientes huius mundi habent lætitiam; sed torrentis, qui cito arescit. *Endor* est fons generationis a rad. עין *ain*, seu עין *en*, id est fons, et דור *dor*, generatio. Ugo per Endor intelligit luxuriam, sicut S. August. qui ait in Ps. nostr. Fons generationis, sed utique carnalis, cui dediti perierunt: non curantes regenerationem, quæ perducit ad vitam: ubi non nubent, neque uxores ducent: ita ipse. Imperia et regna plurima ob luxuriam periisse docui Ps. 3. sect. 1. Adde nunc Siciliam, quæ a Græcis ad Saracenos, deinde ad Francos et Aragonenses pervenit: *Luxuria Siciliam hostibus tradidit.* 1. enim Euphemius Siciliæ prorex ab Imperatore Michaele constitutus, virginem quamdam non ignobilis prosapiæ rapuit. Michaelis iram timens arma cœpit, et Siciliam fere totam occupavit. Imperatoris exercitum ut sustinere posset, Saracenos Africanos in auxilium evocavit. Regnabat tunc in Garueno urbe (nam Tunetanum oppidum parvum erat) Abrahamus Halbi. Euphemius ita cum eo paciscitur, ut ipse dicatur Imperator Græcorum, Saracenus vero totius Siciliæ rex. Abrahamus classem mittit cum quadringentis Saracenorum millibus Halcamo duce. Halcamus ubi in Siciliam venit, classem combussit, ut spe reditus amissa Saraceni fortius pugnarent. Selinuntem primum accepit, et cives æneis vasis igni suppositis coxit. Territæ urbes aliæ se dedidere, Euphemius Imperator est appellatus, sed a fratribus raptæ olim virginis occisus est. Sic Saracenis Siciliam luxuria prodidit, ex qua vix tandem a Rogerio et Roberto principibus Normannis, ex Italia a Maniace duce Imperatoris evocatis, expulsi sunt, S. Georgio pro illis pugnante, ut refert Thom. Fazellus decad. 2. lib. 6. pag. 377. hist. Siciliæ. 2. Franciæ aperuit Siciliam luxuria Maufredi regis. Urbanus enim Papa inique ferens Manfredum sibi Siciliæ regnum usurpare, illud dedit Carolo, fratri S. Ludovici regis Franciæ: Carolus illud acceptavit, stimulante eum uxore: quæ, cum trium reginarum esset soror, se Comitissam vocari, scribique, ægre ferebat. Carolus Manfredum superavit. Auctores habeo, qui Caroli victoriæ maxime profuisse asserant Ioannem, cognomento Batam, Casertæ Comitem: qui *cum violatam a Manfredo uxorem cognovisset*, essetque eius copiarum dux constitutus, Carolo regni Neapolitani fines aperuerit, facta cum ipso conventione. 3. Franci non moderatius se in Sicilia gesserunt, sed variis vitiis, ac præsertim luxuria infames, provinciam infestarunt. Ideo Legationem Siculi ad Papam miserunt, cuius initium esset: Miserere mei fili David, filia mea male a dæmonio vexatur. Ioannes Prochyta, *contaminatam uxoris suæ pudicitiam ulturus*, vestem religiosam sumpsit, omnesque ad defectionem sollicitavit. Anno 1282. tertius dies resurgenti Domino festus assignatur, audito signo ad vesperas tota in Sicilia Franci trucidantur: exenteratæ prægnantes, et parvuli (ne quid Francici generis in Sicilia superesset) saxis illiduntur: duarumque horarum spatio octo millia Francorum occiduntur. Petrus rex Aragonum Siciliam occupat, ut refert idem Fazellus pag. 451. De illis luxuriosis iure dicitur: *Facti sunt ut stercus conculcatum in pulvere.* Eccli 9. 10. dicitur: *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* De omnibus impiis dicit Sophar Naamathites: *Laus impiorum brevis est, gaudium hypocritæ adinstar puncti. Si ascenderit usque ad cælum superbia eius, et caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.* Plerique in ipsis suis sordibus gloriantur. Symbolo Scarabæi mundum significari apud Ægyptios tradunt Eusebius, Manethon, Hecatæus, Horus lib. 1. Hierogl. 50. Vide ibi eius rei rationes. Ægyptii quoque humanum caput corpori scarabæi adaptabant, ut denotarent Horum Isidis et Osiridis filium, ut tradit noster Athanasius Kircherus in suo Prodromo Ægyptiaco. Ibi etiam refert ex quodam libro Arabico: duos viros, unum Ægyptium, alterum Persam scarabæo occurrisse, qui pilulam e stercore asini conglobatam volvebat: cumque illum forte Persa calcaret, Ægyptium miserabili ploratu omnes deos testatum esse, ab hoc crimine se esse immunem. Nonne, ait, tu Dei nostri vindictam times, qui imaginem eius ita indigne tractare audeas? Quarto, *Oreb*,

id est corvus, loquacitatem, et gulam, ac rapinam notat: item obstinationem in peccato. Sed dæmonem caveant in sua nigredine pertinaces. Tigres in provincia Bemba regni Congensis, mirum in modum feroces sunt adversus Nigritas, et eos statim ut occupant, discerpunt: hominibus vero albis non nocent. Oreb etiam significat negotiatorem, a rad. ערב *arab*, miscere, negotiari. Candidi sint ac sinceri mercatores, si stygii tigridis ungues evitare volunt. Quinto, *Zeb*, id est lupus, est princeps rapax et subditos devorans. Ezech. 22. 27. *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, et ad perdendas animas. et avari ad sectanda lucra.* Sexto, *Zebee*, id est victima, sunt ii, qui se ab adulatoribus devorari permittunt. Septimo, *Salmana*, id est umbra commotionis, sunt ii, qui absque stabilitate aliqua sunt omni suggestioni diaboli consentientes, vel instabiles, ut ait Aiguanus. De carnalibus exponit S. Petr. Dam. lib. 5. cap. 13. Carnalis quisque, ait, dum umbraticam felicitatem sequitur, veritate contempta, per varias mundi concupiscentias commovetur.

52. Allegor. Allegor. Illis omnibus possunt figurari Ecclesiam oppugnantes, et misere pereuntes. Primo, hæretici sunt Madianitæ, id est declinantes iudicium. S. Hieron. in Psalm. nostr. Quicumque, ait, pugnat contra populum meum, non cogitat futurum esse iudicium. S. Petr. Damian. lib. 5. epist. 13. Illi plane, inquit, iudicium declinant, qui dogmatizando perversa, divinæ legis iustitiam violant: ita ipse. Sed eam iustitiam non evitant: 1. Hæresiarchæ. Manes ausus est in epistolis suis se vocare Apostolum. Cum Persarum regis filius ægrotaret, vocatus sanitatem promittit. Rex in manibus eius filium mori videns, occlusum volebat occidere: sed in Mesopotamiam fugit: unde extractus, est vivus excoriatus, pellisque eius paleis plena, ante portam urbis collocata est, ut narrat Socrates lib. 1. cap. 22. historiæ Ecclesiasticæ. 2. Hæretici plebei puniuntur. In Gallia variis in conciliabuis in caput Caroli IX. Catharinæ eius matris, variorumque principum conspiraverant: sed iussu regis, sibi hac severa, sed necessaria ratione consulentis, cæsi sunt die S. Bartholomæi, anno 1572. Caroli ipsius 12. Gregorii XIII. primo. 3. Parisiis uno die putantur cæsa eorum septem millia, alii ad duodecim millia numerum augent. Rex Francorum Henricus II. mortis suæ causam divinæ attribuit vindictæ, quod lentior in coercendis hæreticis sibi fuisse videatur. Quare Franciscum filium, qui fuit rex secundus hoc nomine, spondere voluit se in eos animadversurum, et obtenturum constanter ac defensurum catholicam fidem. Læsus fuerat lethaliter ab hæretico Mongomerio, filio Lorgii Scoti prætorianæ cohortis præfecti, viro fortissimo, quem rex ipse nolentem, modesteque recusantem, ad concursum coegerat, in quo lancea fracta est læsus. 4. Imperator Heraclius fide nixus Chosroem Persarum regem sæpius fudit, cum esset longe impar viribus: factus hæreticus Monothelita, a Saracenis victus est, ac Syriam, Phœniciam, Ægyptum, aliaque amisit, ipsamque Ierosolymam, et Antiochiam, ut docet Zonaras in Heraclio. Itaque reges et Imperatores in fide constantes sint, et hæreticos securi oppugnent, Deus illis speciale auxilium dabit. S. Georgius pugnavit cum Normannis in Rogerii exercitu contra Saracenos Siciliam vastantes, atque ab huius victoriæ die Rogerius in scuto et insignibus suis hanc inscriptionem posuit: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me.* Quæ verba in omnibus eius diplomatis ad hunc usque diem leguntur: quibus et successores eius Normanni Siciliæ reges, velut hæreditario iure sunt usi. Quatuor porro camelos spoliis onustos Alexandro II. Papæ misit Rogerius, ut memorat Thom. Fazellus lib. 7. hist. Sicil. pag. 397. S. Iacobus Pelagium regem Gallaciæ: Angelus, Garciam regem Navarræ: Christus ipse Henricum regem Portugalliæ, iuverunt contra Mauros seu Saracenos, ut alias dixi.

Hæretici sunt Madianitæ, iudicium declinantes.

Dies S. Bartholomæi funesta hæreticis.

53. Secundo, hæretici figurantur in Sisara, qui significat Primo, *equus videns*, vel *equi visio*. S. Hier. id de hæreticis sic exponit in Ps. nostr. Qui, ait, pugnant contra populum tuum, non sunt de grege tuo, et de pecoribus tuis: sed de equis qui insaniunt in fœminas: ita ipse. Omnes hæresiarchas salacissimos fuisse intelliges, si tibi Simonem magum, Basilidem, Lutherum, Calvinum, aliosque proponas. Similes sunt Giomaileris apud Turcas, qui vocantur *Religiosi amoris*, de quibus egi sect. præcedenti. Nobis enim religionem reformatam afferre se mentiuntur, cum toti venter sint, et ventris mancipia. Secundo, *Sisara* idem est atque exclusio gaudii. Nam hæretici ab aliis gaudium excludunt, et ipsi sunt sine gaudio, tum in vita ob stimulos conscientiæ, tum in morte, ut apparet in morte Simonis, Arrii, Calvini, et aliorum. Rad. שוש *sus*, id est gaudere: et צר *tsar*, recessit, divertit. Sed prima expositio est melior.

Hæretici sunt Sisara visum equorum habentes.

Tertio, hæretici vafri, et in scientiis suis tumentes, comparantur Iabino regi Chanaan. *Iabin* enim significat sapientem. S. Hilar. lib. 5. de Trin. fol. 73. *O hæretica impudentia*, inquit, *et stulta mundi sapientia, opprobrium Christi non intelligens esse Dei virtutem, et stultitiam fidei non sentiens Dei esse sapientiam.* Et lib. 3. fol. 43. generatim ait: *Omnis infidelitas, stultitia est.* Hoc clarum est in plerisque hæreticis, sed insignis fuit ille, qui eo ferme tempore, quo Lutherus in Germania Ecclesiam afflixit, in Francia prope Tolosam spiritum se S. Ioan. Baptistæ habere gloriabatur. Alter Parisiis dicebat habere se spiritum S. Petri. Basileæ vero alius, spiritum Mosis. Luthero cocus erat, qui Ionam se Prophetam prædicaret. Paduæ Rodolphus Mosham, extraordinariam se habere missionem iactabat, ut pacem Lutherum inter ac Papam sanciret. In Hollandia sartor quidam, David Georgius nomine, Messiam se regem regum, et Dei nepotem garriebat. Quis hos non iudicet aut amentes esse, aut a dæmone possidari? Tertullianus lib. de præscription. contra hæreticos, cap. 25. num. 1. iure irridet Marcionitas et Valentinianos hæreticos, quod velut cæteris sapientiores, lucem se mundo revexisse glorientur: *Quoquomodo*, ait, *sit erratum, tamdiu utique regnavit error, quamdiu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas et Valentinianos liberanda veritas expectabat: interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata*: ita ipse. Si ille antiquissimus auctor, qui circa ann. Christi ducentesimum florebat, hoc asserit: quid dicendum nobis est de Lutheranis et Calvinistis, qui post quindecim sæcula, et amplius, orbis se nova lumina prædicarunt: perinde quasi ad eorum usque tempora tenebræ plus mille annos Ecclesiam excæcassent. 54.

Hæretici sunt Iabino similes, et se sapientes simulant.

Insania prodigiosa et superbia.

Pereunt autem hæretici, sicut Sisara et Iabin, in Cisson et in Endor: hoc est, per obdurationem mentis et luxuriam corporis.

Primo enim Cisson significat duritiam, a rad. קשה *kascia*, obduruit, et obduravit. Cisson itaque est duritia, vel duritia eorum, vel durus. S. Petr. Dam. l. 5. ep. 13. *In duritia sua depereunt, qui prava docentes, veritati pertinaciter et obstinate resistunt.* S. Aug. lib. de quinque hæres. c. 2. t. 6. *Quid agimus, ait, ab Allophylo telum missum excepimus, quid remittimus? Quodlibet miserimus telum, licet perveniat ad illum, nihil prodest. Quare? Quia durus est, quia lapideus est quia idola colit. Et scriptum est Ps. 113. 8. Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.* Hæreticis est frons ænea, os ferreum, et cor lapideum, eo durius, quod in lapidibus Cardiacis reperitur. Alumnis suis pro pisce serpentem porrigunt, et pro pane lapidem. Henricus. I. rex Angliæ, et filius eius bello intestino Angliam consumebant. Ludovicus VII. Francorum rex arbiter constitutus, ut pacem Henrico suaderet, lapidem et panem obtulit, ut alterutrum eligeret: lapidem ille elegit, et a bello non destitit, ut ait Andreas du Chesne anno 1177. in hist. Angl. Hæretici illo sunt duriores, qui etiam in pace lapidei sunt. Fontes et rivi quidam sunt, 55.

Hæretici pereunt in Cisson, id est in obstinatione.

in quorum aquas omnia iniecta lapidescunt: talis est fons hæresis; ea quæ contingit, in lapides vertit. Sine obstinatione non est hæresis, et cum hæresi semper est obstinatio: eoque maior, quo diutius hæret in anima. Illa tamen duritia non consolidat, sed est infirma. *Cisson* etiam commode exponitur, *palearis*, seu, *ex palea factus*, vel, *palea doloris*, a rad. קש *kas*, palea, stipula: et fortasse ad illud etymon alluditur postea, cum dicitur, v. 13. *Deus meus pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti*. Præterea *Cisson* idem est ac illaqueans, irretiens, a rad. יקש *iakas*, illaqueare, irretire. *Cisson* denique, reddi potest, congregatio affligens, vel afflicta, a rad. קשש *kascias*, colligere, congregare instar palearum, et און *on*, afflictio, dolor. Hæc omnia hæreticis apte conveniunt. Nam instar paleæ igni parantur, fidelibus laqueos tendunt, eos affligunt, et a seipsis atque a Deo affliguntur. Camerarius pinxit viperam in partu morientem, et a parvulis suis erosam, et hæc verba addidit: *Suo perit exemplo*, q. d. A fœtu suo discerpitur, sicut ipsa matrem suam discerpsit. Hoc de vipera falsum esse plerique dicunt; sed vere hæreticorum discipuli suos magistros affligunt, et eos corrodunt, ut patuit in iis qui a Luthero prodierunt, quique eum verbis et scriptis exagitarunt.

Cisson alia etyma.

56. Hæretici pereunt in Endor id est in luxuria.

Secundo, hæretici pereunt in Endor, seu Ændor, id est in fonte generationis, hoc est in luxuria. Primo quidem, in luxuria spirituali, qua anima Christi sponsa ab eo avertitur. S. Cyprian. epist. 4. *Adulterium est, impium est, sacrilegium est, quodcumque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur. Procul ab huiusmodi contagione discedite: et sermones eorum, velut cancrum et pestem, fugiendo vitate*. Secundo, etiam hæretici pereunt in luxuria corporali. S. Gregor. Nyssen. tom. 1. oration. in illud, *Tunc ipse filius subiicitur*, pag. 875. Πορνη, ait, εστιν η αιρεσις: *Meretrix est hæresis, amatis voluptatibus incantans*. S. Epiphan. agit de Simonis magi turpitudine, ac sectariorum eius, hæres. 17. pag. 58. Baronius tom. 2. Annal. de variis hæreticis hoc ostendit. Ioann. Moschus cap. 188. ait, hæreticis communicare esse adulterium: Sed hoc ad animam pertinet. S. Hieron. de corpore loquitur, cum ait epist. ad Ctesiphontem: *Quid sibi volunt miseræ mulierculæ oneratæ peccatis, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes: et cæteri mulierculaгum socii prurientes auribus, et ignorantes quid audiant, et quid loquantur? qui vetustissimum cœnum, quasi novam suscipiunt temperaturam; qui iuxta Ezechielem liniunt parietem absque temperamento, et superveniente veritatis pluvia dissipantur? Simon magus hæresim condidit, Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum receptor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philomenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus, immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam et Maximillam nobiles et opulentas fœminas, primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arrius ut orbem deciperet, sororem principis Constantii ante decepit. In Hispania, Agape Helvidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foveam: successoremque suum Priscillianum habuit, Zoroastris magi studiosissimum, et ex mago Episcopum, cum iuncta Galla non gente, sed nomine, germanam huc illucque currentem, alterius et vicinæ hæreseos reliquit hæredem*: ita Hieronymus. Hæresis est illa impura Iezabel, de qua Isaias prædicit 4. Regum 9. 37. *Erunt carnes Iezabel, sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrahel*. In iure Canonico hæresis vocatur crimen contagiosum: a S. Basilio in Hexaam. homil. 2. hæresis Manichæorum dicitur, σηπεδων, id est tinea; a S. Epiphanio tom. 1. pag. 81. hær. 25. secta Nicolaitarum appellatur, ψωρα αγρια, η λεπρα, scabies molesta, aut lepra. Unde a castris Ecclesiæ separandos esse hæreticos docet Beda, sicut separabantur leprosi in Iudæa, ne contagione morum vitam polluant innocentium. Ita ille in cap. 5. Num.

Omnes hæresiarchæ mulierculas secum ducebant.

Hæresis elogia.

A Nonnulli hæretici dicti sunt Borboriani, a stercore et impuritate, ut ait S. Epiphan. tom. 1. hæres. 26. pag. 85. Sunt plerique eorum similes porco sordibus infecto, de quo agit Nicephor. Gregoras, lib. 8. f. 40. *Sub quartam*, ait, *diei horam, sacris imaginibus veteri more, una cum Imper. Patriarcha, et Pontificibus ad porphyreticam columnam congregatis, cui sacra crux insistit, cum sacri hymni canerentur, porcus aliunde elapsus, subito in medium psallentium cœtum insiliit, multo cœno inquinatus: et varie huc atque illuc vagatus, vix tandem excessit. Id prudentioribus confusionem quamdam Christi Ecclesiæ significare visum*.

57. Hæresis est horrori omnibus: 1. Nobilibus, et principibus. 2. Regibus. 3. Imperatoribus. 4. Patribus. 5. Sanctis.

Omnibus purulenta sanies hæresis est horrori. Primo, nobilibus et principibus. Dux Alenconius frater Henrici III. regis Franciæ, dicebat, hæreticos tolerari incognitos: cognitos vero, omnium odia in se concitare. Secundo, regibus. Philippus II. Hispaniæ rex, magno animo et generosa fide dixit: *Malo ego carere dominio Belgii, quam habere Belgas hæreticos*. Tertio, imperatoribus. Honorius et B Theodosius illos ab aulæ officiis excludunt, lege eos, Cod. Theodos. de hæreticis. Eos, inquiunt, qui Catholicæ sectæ sunt inimici, intra palatium militare prohibemus, ut nullus nobis sit aliqua ratione coniunctus, qui a nobis fide et religione discordat. Quarto, patribus antiquis. Tertull. de præscript. cap. 22. Incensum Domino, ait, non suave, sed execrabile offerunt: hæc ipse. Quid putavit esse eorum blasphemias, si eorum orationes et verba ad pietatem composita putavit esse execrabilia? Quinto, sanctis. Ioannes Moschus in prato spirit. cap. 40. pag. 1070. t. 2. Biblioth. patr. Græc. refert, quemdam virum sanctitate illustram, qui erat mortuus, cum cadaver hæretici alicuius prope ipsum esset depositum, exclamasse: *Noli me tangere hæretice*. Zonaras in Marciano refert, in sepulcro S. Euphemiæ, chartas duas positas fuisse, quarum una contineret dogma Catholicorum, altera vero dogma Eutychianorum: post triduum chartam Eutychianorum inventam esse sub pedibus sanctæ illius virginis, perinde ac C si eam calcaret: chartam vero Catholicorum repertam fuisse in eius manibus: quod etiam dicitur Marciano Imp. obtulisse; sic hæretici victi sunt. Sexto, hæreticos odio prosecuti sunt Apostoli. S. Ioannes noluit in eo balneo manere, in quo erat Ebion, aut Cherinthus, aut uterque. Varii enim varia dicunt. S. Paulus monet Titum discipulum suum Episc. Cretæ: *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita: sciens quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus*. Septimo, beata Virgo illos odit. Ioan. Moschus in prato spirit. cap. 46. pag. 1073 ait, ipsam noluisse ingredi locum, in quo libri essent hæretici. Octavo, Deus odium suum in hæresim est testatus, et eius fœditatem ostendit, cum Thelelæum Archiepiscopum Thessalonicæ pollutum hæresi infamem animam in latrinis effundere voluit, ut ait idem Moschus cap. 43. pag. 1071. De Arrio id vulgatius est, quam ut referatur. Nono denique, ipse dæmon ludibrio habet hæreticos, catholicos timet. D Noster Paulus le Ieune in Relatione novæ Franciæ ann. 1634. pag. 78. asserit, Americæ meridionalis incolas a dæmone verberari: sed præsente aliquo catholico id non audere: idem tradit noster Iacobus Bouton in Relatione Martiniquæ insulæ, ann. 1640. Sed addit le Ieune rem notabilem: Cum, ait, quidam hæreticus Gallus præsens esset, dæmon a verberatione non desistebat: ratus id quod erat, id signum esse in vera se fide non esse, voto se obstrinxit, fore se catholicum, si dæmon a verberando cessaret. Vix votum emiserat, cum verbera desierunt, qua re commotus statim hæresim eiuravit.

6. Apostolis. 7. Deiparæ. 8. Deo ipsi. 9. Sunt ludibrio dæmonum.

Quarto, hæretici sunt Oreb, id est corvi. Primo, ob loquacitatem. Secundo, ob voracitatem. Tertio, ob procrastinationem conversionis, cum a Deo illuminantur: modo enim dicunt se timere uxorem, modo parentes, modo alios: iis mortuis se ad Ecclesiam redituros. Sed sciant illi, horam mortis esse incertam; et perire semel, æternum esse. Quarto, ob nigredinem morum. Per hypocrisim ali- 58.

58. Hæretici sunt Oreb, id est corvi.

quando mentiuntur albedinem, sicut corvi nive operti: sed cito illa hypocrisis disparet. S. Ephrem, In suo testamento p. 739. peccatores in bonis suis propositis non stabiles, sed ad vitia facile redeuntes, comparat corvis nigris, qui in hyeme nivibus teguntur: videntur enim albi, et non sunt: sed brevi successu alarum mentitam illam albedinem cito reiiciunt. Hæc hypocrisis est aptissimum hæreticorum hieroglyphicum. Nam frigidi licet ac gelidi nivem sibi operum exteriorum imponunt, ut innocentes habeantur. Corvos albos visos esse scimus, sed semper corvi sunt, et devorant, oculosque eruunt: hæreticis nunquam fidendum est.

Et in vespera, seu tenebris positi. Secundum etymon *Oreb* est *vespertinus*, a rad. ערב *ereb*, id est vespera: cæcutiunt hæretici, et in tenebris versantur: unde fit, ut in portentosos errores incidant. Philastrius Episc. Brixiæ, qui tempore S. Augustini vixit, lib. de hæresib. unum refert, ex quo aperte id intelligas. Aliqui, ait, a Iuda traditore hæresim instituerunt, dicentes: bonum opus fecisse Iudam, quod tradiderit Salvatorem. Hic enim, inquiunt, nobis omnis scientiæ bonæ auctor extitit, per quem nobis mysteria revelata sunt Cainani, seu Caiani, Cainum colunt et venerantur, Iudam, Sodomitas, Core, Dathan, et Abiron. Ophitæ serpentem colebant. Mitto cætera eiusmodi monstra.

59. Ecclesia est in luce. In Ecclesia Dei est lux, et baptismus vocatur φωτισμός, id est illuminatio, quod menti det lucem. Fides ipsa lux est sole splendidior. Cum Ziemomislus Poloniæ rex annis aliquot ex uxore liberos non susciperet, unum sed cæcum habuit. Septimum annum puer attigerat, quo anno gentiii ritu prima coma tonderi, et nomen imponi solebat: *Puer repente lucem aspexit*. Puero Miezislao, quasi qui gladio sibi gloriam acquisiturus esset, nomen est impositum: mitius Miosco dictus est. Arioli rogati, quid hæc lux tam insperato reddita portenderet, responderunt, sub eo Poloniam illustratum iri, quod accidit. Nam primus fuit illius princeps Christianus, ut ait Salomon Neugebaverus lib. 3. hist. Polon. p. 50. (Miezislaus miro modo illuminatus.)

Oreb etiam significat siccitatem, ut exponit Beda: qui per illum vult repræsentari steriles in bonis operibus. S. Petr. Dam. lib. 5. epist. 13. Oreb, ait esse eum, qui æstu concupiscentiæ carnalis exuritur, et imbre S. Spiritus madefieri non meretur. Vitalis Card. ait, Oreb esse ardorem. S. Hier. foramen. Sed proprio significat corvum.

60. Hæretici sunt Zeb, id est lupus. Quinto, hæretici sunt Zeb, id est lupus. Hoc clare dixit Christus Matth. 7.15. *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* S. Hilarius eo nomine vocat Coustantium Imperat. Arrianum, lib. ad ipsum scripto, pag. 277. S. August. sic omnes nuncupat Arrianos tom. 9. lib. 2. de symbolo ad catechumenos, cap. 13. fol. 302. Hæreticus, inquit, Arrianus non insultet Ecclesiæ: *Lupus est*, agnoscite: *serpens est*, eius capita conquassate. Blanditur, sed fallit: multa promittit, sed decipit. S. Ignatius epist. ad Hieronem pag. 37. Quicumque, ait, dixerit quippiam præter ea, quæ constituta sunt, tametsi fide dignus sit, quamvis ieiunet, quamvis in virginitate degat, quamvis signa edat, quamvis prophetet: *pro lupo illum habeas*, qui sub ovina pelle exitium pestemque affert ovibus. Lupi porro sunt, quia et animas et corpora devorant. Primo, in anima devoranda præcipuus est eorum furor. Tertull. de præscript. cap. 4. Quænam, inquit, ipsæ sint pelles ovium, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus et spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes. Secundo, etiam corpora devorant. Timothei Æluri sectatores trucidavorunt S. Proterium Alexandriæ Episcopum, igni ustularunt, et viscera eius cruda degustarunt, ut ait Prateolus in elencho hæreticorum, l. 18. c. 22. In valle Lucernæ, hæretici unum catholicum occiderunt, et eius viscera scrutati (sic fama tulit) cor extractum vorarunt, ut refert Sacchinus noster lib. 4. hist. Soc. n. 68. Amurates Turcarum Imper. victis Græcis emit sexcenta mancipia, quæ immolari iussit in honorem patris sui, ut dicit Leonicus Chalcocondilas, lib. 7. hist. Turc. fol. 98.

A Tertio, hæretici sibi nocent, et fiunt lupi cæci similes lupis septemtrionalibus. Anton. Bonfinius decad. 1. lib. 1. rerum Hungar. pag. 1. ait, prope oceanum septemtrionalem reperiri lupos cæcos. Nam ibi esse insulas, quas congelato mari, cum lupi adeunt præ maximo frigore oculis privantur, rabiem tamen non amittunt.

Sexto, hæretici sunt Zebee, id est victimæ et victimantes. Nam זבח *zebach*, est victima, *et zabach* victimaro. S. Petr. Dam. lib. 5. epist. 13. Zeb, ait, dicitur lupus: Zebee, victima. Reprobi namque qui sunt rapaces in sæculo, et lupi sunt, et ipsi sunt victima: quia dum infirmiores quosque devorare contendunt, et ipsi spiritualis lupi, hoc est diaboli dentibus exponuntur. Quasi lupi sunt sylvæ, perversi doctores Ecclesiæ. Qui nimirum et lupi sunt, simul et victimæ: quia dum innocentes quosque, velut oves, cruentis pravæ prædicationis dentibus mactant, ipsi quoque rapina facti, et in diaboli devorantis intestina traiecti, infernalem eius ingluviem recreant: ita ipse. 61. (Hæretici sunt Zebee, id est victimæ.)

B Septimo, hæretici sunt Salmana, id est primo, imago instabilitatis, seu mobilitatis, a rad. צלם *tselem*, imago, similitudo, et נוע *nua*, id est moveri, vagari, instabilem esse. Unde fortasse nubes, et *nuage* deducuntur, quod vento hac illac agitentur fluctuantium opinionum. Hæreticos non male dixeris, similes esse imaginibus ac formis variis, quæ in nubibus apparent: vento enim inanis gloriolæ iactantur, se supra alios elevant, et momento in diversas ac ridiculas figuras et doctrinas transmutantur. S. Epiphan. docet Semiarrianos in varias se formas convertisse. Sic enim tom. 1. hær. 74. p. 886. Semiarriani, ait, sunt τέρας τι, monstrum aliquod: biformes enim sunt, et media ex parte conflati: sicut Centauri, Panes, aut Sirenes. Verius dixeris, omnes hæreticos mutari instar Protei, polypi, chamæleontis, aut spectrorum nocturnorum. S. Bonaventura, tom. 1. exposit. in Threnos p. 439. dicit, instabiles esse hæreticos instar equorum nullo in loco consistentium. Illa enim verba exponens, *Lamiæ nudaverunt mammam*, sic ait: *Lamia est monstrum, habens caput* C *virgineum, corpus porcinum, et equinos pedes; crudelissimum, dictum a lamentatione, quasi lamens. Iuxta litteram, vult dicere, Ierusalem in solitudinem redactam, et monstra ibi talia habitasse. Per Lamias ergo intelliguntur hæretici, vel hypocritæ, in facie simplices, in ventre carnales, in pedibus equi et instabiles.* Secundo, hæretici sunt Salmana, id est, *umbra prohibita*, a rad. צל *tsel*, id est umbra, et מנע *manah*, id est prohibeo. Umbra sunt hæretici, et nihil aliud: nel nullius soliditas est in eorum dogmatis: sed umbra noxia et lethalis. Plin. lib. 17. cap. 12. ait, quasdam umbras esse lethales. Iuglandium, ait, pinorumque et picearum, et abietis umbræ, quæcumque attigere, non dubie venenum est. Ne sub tecto hæretici maneas, illa umbra pestifera est. Tertio, hæretici sunt Salmana, id est, *umbra commotionis*, ut exponit S. Augustinus. Sed vide tu, ne vana specie aut terrore movearis, usque ad mortem pro vera fide pugnandum est. Id omnes nobiles docuit Miecizislaus Poloniæ princeps: statuit enim ut homines equestris ordinis, D in templo, dum sacerdos apud altare Evangelium pronuntiat, gladios medio tenus stringerent; quasi profitentes, mortem sibi potius oppetendam, quam a suscepto semel Evangelio discedere: choro autem respondente, *Gloria tibi Domine*, reconderent. 62. (Hæretici sunt Salmana, id est imago instabilitatis.) (Et umbra prohibita.)

Octavo denique, hæretici sunt eversores sanctuarii Dei, id est Primo, Scripturæ, ut explicat Origenes. Secundo, templorum materialium, et totius Ecclesiæ. Priusquam sub Constantio Imper. Arriani Ecclesiis regendis primas obtinerent, in somniis vidit S. Antonius mulos, cum impetu in sanctius sacrarium inferri; atque ibi salientes, saltibusque se petentes, sacram mensam everterunt, ut ait Nicephor. lib. 10. cap. 43. pag. 403. Quo viso denotabatur ab Arrianis exagitandam esse Ecclesiam. In Psalt. Æthiop. est. Hæreditate possideamus altare Dei. Apollin. Θεοῦ περικαλλῆ βωμόν, Dei perpulchram aram.

ARTICULUS II.

Graves hæreticorum pœnæ variis comparationibus expressæ.

Cum prius petiisset Iosaphat rex Iuda, qui hic loquitur, Moabitas et Ammonitas hostes suos puniri, sicut puniti sunt Madianitæ et principes eorum Oreb, Zeb, Zebee et Salmana: et Chananæi ac principes eorum Sisara et Iabin, nunc explicatius loquitur, ac petit in illos excitari
63. Vers. 13. tempestatem, in qua agitentur et pereant, v. 13. DEUS MEUS PONE ILLOS UT ROTAM, ET SICUT STIPULAM ANTE FACIEM VENTI, id est, ante ventum: est prosopopœia.

Vers. 14. Vers. 14. SICUT IGNIS QUI COMBURIT SYLVAM, ET SICUT FLAMMA COMBURENS MONTES.

Vers. 15. Vers. 15. ITA PERSEQUERIS (S. Hier. sic persequere) ILLOS IN TEMPESTATE TUA, ET IN IRA TUA (S. Hieron. in turbine tuo) TURBABIS EOS.

In tempestate sunt quatuor. Nota, in tempestate quatuor potissimum reperiuntur. Primo, tonitru in nubibus rotatum. Ideo dicitur hic: *Deus meus pone illos ut rotam*. Secundo, ventus: *Et sicut stipulam ante faciem venti*. Tertio, fulmen obvia quæque succendens, v. 14. *Sicut ignis qui comburit sylvam*, etc. Quarto, fulgetræ oculos perstringentes, et terrorem inferentes. Ideo postea additur, ut videbimus, v. 16. *Imple facies eorum ignominia*, etc. Vel, id referri potest ad pulverem, qui in tempestate coniicitur in vultum et oculos eorum, quos illa tempestas involvit.

64. Per rotam non intelligitur species tribuli. Ac primo, rotæ fit mentio: *Deus meus pone illos ut rotam*. Primo, R. Salomon per rotam intelligit speciem tribuli, seu herbæ, quæ in summitate facit quamdam sphæram albam, lanugini similem, et quæ ad modicum flatum venti dispergitur, ac disparet sicut et stipula, et ita ait evenisse exercitui Sennacherib, 4. Regum 19. Caietan. et Placidus Parmensis eam expositionem probant. Secundo, Agellius vult hic esse hendiadym: id est unum per duo explicari, ita ut sit sensus: Pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti: id est, sicut stipulam sub rota comminutam, deinde a vento raptam. Tertio, ac melius, triplex rota hic potest intelligi. Primo, rota tonitrui,
Sed rota tonitrui. seu tonitruum huc illuc se rotans. Tales sunt impii: 1. sublimes; 2. terrifici; 3. nusquam consistentes; 4. brevi desinentes. Secundo, rota pulveris aut folii in tempestate rotati et circumacti. Sic dicit Iob cap. 13. 25. *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris*. Et Isaias cap. 17. 13. *Rapietur sicut pulvis montium, et sicut turbo coram tempestate*. Græca hanc explicationem iuvant: habent enim, ὡς κονιορτὸν τροχοῦ, *sicut pulverem rotæ*, id est rotatum; phrasi Hebræorum; sæpe enim pro substantivo et adiectivo ponunt duo substantiva, quorum alterum est in obliquo casu. Hæc explicatio bona est. Tertio, simplicius et convenientius, rota sumetur in propria significatione.
Vel rota simpliciter sumpta.

65. Impii sunt similes rotæ volubili. Primo itaque, impii ponuntur ut rota: et sicut est Hebraice גלגל *galgal*, id est rota volubilis, quia in seipsis et a seipsis continuam agitationem et circumvolutionem habent. Eccli. 33. 5. *Præcordia*, Græce, viscera, id est intimæ cogitationes et affectiones, *fatui sicut rota carri, et quasi axis versatilis cogitatus illius*. Syr. vertit, Rota
I. In affectu et cogitatione. velox *cor iniqui*, et sicut sus omnes cogitationes eius, id est impuræ et sordidæ. Ps. 11. 9. *In circuitu impii ambulant*. Vide ibi dicta Ps. 37. 11. *Cor meum conturbatum est*, Hebr. סחרחר *secharchar*, circuivit. Syr. subversum est, circumagitatum, palpitavit. Ps. 139. 10. *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos*. Ubi S. August. dicit: Ut circumeant, et non stent, in gyrum eant erroris, ubi iter est sine fine: hæc ipse. Etiam cum stare et sedere videntur, tunc agitantur. Psal. 1. v. 1. *In cathedra pestilentiæ non sedit*. Chald. Et cum societate derisorum non circuivit. S. August. de instabilitate illa psalmum nostrum exponit. Ut, inquit, non sint in eo, quod cogitant, stabiles. Euthymius, continue instabiles, et crebris mutationibus circumacti.

A Secundo, impii sunt ut rota non tantum in cogitationibus et affectionibus suis, sed etiam in operibus, semper laborantes, et non proficientes: sicut rota quantumvis currat, semper manet illigata suo axi, ac semper in seipsam reflectitur: et quod sursum fuit, statim in luto reperitur, ac pulvere. Deinde, quod lugendum est magis, iniqui in anteriori, id est spirituali parte cadunt, et in posteriori, id est temporali, eriguntur. S. Greg. hoc advertit lib. 16. Mor. 25. *Ut rota ponuntur iniqui: quia in circuitu laboris missi, dum ea, quæ ante sunt, negligunt: et ea, quæ deserenda sunt, sequuntur, ex posterioribus elevantur, et in anterioribus cadunt*. II. In opere.

Tertio, impii sunt ut rota, quia Deus eos etiam nolentes circumagit, ut hoc loco explicat Origenes. Sic, ait, illos versa et circumage, ut nulla sit quies: sicut rotæ hæc est natura versari et circumagi: ita ipse. Hoc imprecatur Davidis hostibus sapiens Abigail, 1. Regum 25. 29. *Inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et circulo fundæ*. Cicero in oration. contra Pisonem appellat B fortunæ rotam. Poetæ et pictores eam pingunt insistentem rotæ vel globo, quod nusquam consistat. Pacuvius de ea sic scribit: Fortunam canit ultimus insanam esse, et cæcam, et brutam perhibent philosophi: saxoque instare globoso prædicant volubilem. Quia quo saxum impulerit sors, eo cadere fortunam autumant. S. Gregor. Naz. epist. ad Sophron. Præsidem, res nostras comparat cum circulo circumcurrente: ut nunc hi, nunc isti floreant, deflorenantque. S. Petr. Dam. Opusc. 52. cap. 30. Quidnam, ait, iuris est nostri, quod non debeamus tamquam volubilem rotam deputare? Nicephor. Calistus lib. 18. hist. Eccl. cap. 29. ea cogitatione ad pacem incitatum esse Chaganum regem Avarum prius inexorabilem dicit. Theodorus enim legatus Mauritii Imp. ad eum superblentem missus: Audi, inquit, Chagane. Sesostris rex illustris admodum et felix fuit, et plurimas sibi nationes subiecit. Currum sibi fecit aureum, lapillis pretiosis ornatum, in quo quatuor reges posuit. Quadam die rex unus rotam C aspectabat. Causam Sesostri roganti ait: *Rotam aspicio, quæ modo ad infima, modo ad summa volvitur*. Sesostris hoc audito statuit, ne amplius currum traherent reges. Ad hæc subridens Chaganus, pacis se cupidum ostendit. III. A Deo agitantur. Chaganus rotæ consideratione pacem acceptat.

Hæretici præsertim, ut rota, volvuntur, ab opinione una ad aliam transeuntes, et nunquam consistentes. S. Hilarius lib. 2. de Trinitate exagitans Arrianos dicit: *Forma fidei certa est, sed quantum ad hæreticos omnis sensus incertus est*. S. Epiphan. illos comparat ebriis inconstantibus et inconsideratis. Sic enim tom. 1. hær. 26. pag. 84. Sicut ebrii, inquit, quorum ἄστατος γνώμη, inconstans animus, et inconsideratus est sermo, nequaquam sibi consentanea loquuntur: sed alias ridicula verba, alias mœroris ac doloris plena proferunt: eodem prorsus modo sese habet ab illis impostoribus orta ac propagata nequitia. Procopius in cap. 54. Isaiæ sic loquitur: *Est errantium cor instabile, ebriorumque more agitatur et vacillat*. Quolibet enim spiritu circumaguntur: et, quod est in proverbio, ῥεμβασμῷ ἐπιθυμίας μεταλλεύονται, rapiuntur cupiditatum D turbine: ita Procopius. Quod deterius est, aberrant a centro, et ad illud non volvuntur: hoc aliis iniquis applicari potest. Guillelmus Abbas in meditationibus: *Acti, ait, circuitu erroris, quadam capitis vertigine obstupescimus, ut ad veritatis centrum, et unitatis punctum immobile non pertingamus, quod stabile permanens, dat cuncta moveri*. 66. Hæretici in suis opinionibus variant.

Secundo, impii sunt sicut palea, seu stipula, a turbine raptata: *Et sicut stipulam ante faciem venti*. Primo, stipula nullam habet vim resistendi, sed statim abripitur, et fit ludibrium venti huc illuc eam iactantis. Isai. 41. 2. de Christi potentia agens, ut explicat S. Hieron. prædicit: *Dabit in conspectu eius gentes, et reges obtinebit; dabit quasi pulverem gladio eius, sicut stipulam vento raptam arcui eius*. De Cyro id exponit Adamus: de Abrahamo, Cornelius. Sed melius Christo iudicanti et punienti conveniunt. Secundo, stipula elevatur a vento, non ad eius gloriam, sed ad ludum, atque ut cum maiori impetu in lutum reiicia- 67. Impii sunt palea a vento iactata.

*

tur. Hinc dicitur Eccli. 22. 21. *Sicut pali* (alii legunt, sicut paleæ) *in excelsis, et cæmenta sine impensa, posita ante faciem venti non permanebunt*. S. Greg. 16. Mor. 25. *Recte*, ait, *stipulæ ante faciem venti comparantur: quia irruente aura tentationis, dum nulla subnixi sunt ratione gravitatis, elevantur ut corruant, et sæpe eo se alicuius meriti existere existimant, quo eos in alta flatus erroris portat*. Deus eos in præceps agit, vel ad flatum folii volantis, ut sæpe visum est in terroribus panicis, quibus numerosi et victores exercitus dissipantur. Nicephor. lib. 14. cap. 21. pag. 481. Saraceni, ait, quos Alamundarus in Romanorum fines adducebat, subito terrore correpti fugerunt, cum se a maximis copiis circumdari crederent, in Euphratem se cum armis proiecerunt: fert opinio centum ibi virorum millia periisse. Vide Ps. 1. v. 4.

Hæretici sunt stipula vento errorum in diversas partes abrepti. S. Hilarius mutationem crebram Arrianorum in fide lugens et deplorans lib. ad Constantium Imp. ait: Dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de auctoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in conspectu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit, prope iam nemo Christi est. Incerto enim doctrinarum vento vagamur: et aut dum docemus, perturbamus: aut dum docemur, erramus. Iam vero proximi anni fides, quid de immutatione in se habet? hæc Hilarius. Varias Arrianorum fidei professiones refert Baronius tom. 3. Annalium. Hæc mutatio vetatur Eccli. 5. 11. *Non ventiles te in omnem ventum, et non eas in omnem viam. Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua*. S. Aug. arma hæreticorum vocat vitrea, tom. 6. lib. de quinque hæresibus: nihil apud eos est firmum, nihil solidum. Eorum scripta iure compares foliis Sybillæ Virgilianæ, quæ in foliis oracula sua scribebat: sed sæpe levi vento disiiciebantur. Unde Æneas trepidus dicit lib. 6.

Tantum foliis ne carmina manda:
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

In foliis arborum scripta sæpe diuturniora sunt, quam scripta hæreticorum et statuta. In regno Calecutii neque charta utuntur, neque papyro, sed stylo in foliis arborum sylvestrium, quas, propter nonnullam similitudinem, palmas appellant, litteras exarant. Multorum vero sæculorum memoriam in his libris retinent, foliorum extremitatem perforant, et inter se compingunt, ut ait Hier. Osorius lib. 2. de rebus Emmanuel. fol. 38. Olim Ægyptii scribebant in cortice papyri arbusculæ, quæ nascitur præcipue in Ægypti palustribus locis. Fides catholica est omni ære perennior, nec scripta in tabulis lapideis, ut lex Iudaica, sed in tabulis cordis sanctorum digito Christi et eius sanguine, charactere indelebili.

68. *Impii sunt folia sylvæ ardentis.* Tertio, impii sunt folia sylvæ ardentis: *Sicut ignis, qui comburit sylvam*, etc. *ita persequeris eos*. Unum post alium citissime corripiendo, et devorando sine ulla difficultate, sine resistentia, sine eorum ullo fructu, cum magno stridore, et cum omnium stupore. Per sylvam, non incommode intelliges exercitum numerosum Moabitarum et Ammonitarum, contis, hastis, sarissis, sudibus, lignisque aliis, et vexillis sylvæ ligna referentem: per montes, principes ac duces in equis et curribus, camelisque sublimes. Ugo Card. per sylvam divites accipit: per montes, superbos. S. Hier. notat, non dici hic arbores frugiferas, sed sylvam, quæ non habet fruges. Eliphaz Themanites, id est princeps Theman, quæ erat regio Idumææ, dicit Iob 15. 29. de impio: *Non ditabitur, neque perseverabit substantia eius. Non recedet de tenebris: ramos eius arefaciet flamma*. Et v. 34. *Congregatio hypocritæ sterilis, et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*. Incenduntur sylvæ, ait Lorinus, vel iniecto de industria igne, vel negligentia humana, vel sponte naturæ, seu ex causa naturali. Hæc mirabilior, quæ fit aut de cælo cum fulmine, aut ex ipsarummet arborum attritu, ot mutua collisione, aut ex ardore etiam solis. Ioannes Nodinus 5. de Republ. cap. 1. narrat, in Vasconiæ frigido cælo Nainum oppidum solis actione incensum, consumptumque anno 1540. et anno 1556. in Anglia ardore eiusdem solis totius regionis pagos et arva arsisse. In Moscovia eamdem ob causam Georgius Bruin tract. de Moscovia memorat, pagos, segetes, sylvas incensas, fumoque inde excitato multos visu orbatos. Incendii sylvarum, quando ventis agitatæ sese collidunt arbores, præcipue austrinis, facit mentionem Thucydides lib. 2. Lucretius lib. 1. Iosephus lib. 4. antiq. Iud. cap. 3. Ioannes Baptista Pius, in Lucretium, Pyrenæo monti ἀπὸ τοῦ πυρός, id est ab igne, ideo nomen esse vult, quod sæpe per attritum arborum ardorem suscitet: etsi alii, quod crebris fulminum ictibus feriatur. Diodorus lib. 6. quod iniecto olim a pastoribus igne, universæ illius sylvæ conflagraverint: Silius a Pyrene Bebricis filia, quam in Pyrenæo Hercules compressit; et a feris laniata, ibidem sepulta est. Huc facit excussio ignis lignorum attritione facta, de qua Plinius lib. 16. cap. 40. et quam hodie factitant Iudi. Lege hoc loco Bochium, et Simonis Maioli Colloquium 17. ex canicularibus. Deliciis suis iam præsentibus aliquando privantur gulosi. Cœna, quæ ad Neronem Imp. ferebatur, tota fulmine deflagravit, ut ait Dio Cassius lib. 61. pag. 697. *Fulmine cœna Neronis ambusta.* Superbi e suis honoribus et gloria sæpe decidunt, atque victoriam iam paratam et certam amittunt, ipsique in cineres redeunt. Roilas ingenti Scytharum Nomadum exercitu Thraciam vastabat, et prope urbem regiam venerat, nec erat qui se eius viribus obiiceret. Sed Deus cælitus Imperatorem propugnans, violento tonitru et fulmine demisso, non modo ipsum ustulatum in cineres redegit, sed innumeras quoque eius copias concidit, ut ait Niceph. Callixt. lib. 14. cap. 4. pag. 441. Voluptuosi in ipsis voluptatum suarum aquis et deliciis uruntur. Circa annum Christi 722. prope Asiæ minoris littora, terra in fundo maris ita arsit, ut primo fumus ex eo incendio, deinde tanta pumicum accensorum copia extitit, ut monticuli in mari nati viderentur, quibus pumicibus omnino Asiæ minoris, Lesbi, Abydi, ac Macedoniæ littora repleta, mareque ipsum iis stratum videbatur; quin etiam traditur tunc insula quædam prope Sacram insulam nata esse, ut ait Petr. Bizarus l. 6. hist. Persidis p. 173. Idem contigisse a paucis annis, in Ægæo mari, patres Societatis Iesu, qui ibi Evangelium prædicant, ad nos scripserunt.

Hæretici a Deo exusti. Primo, Valens Imp. Arrianus, quem cum exercitu ad Scythas pergentem S. Isaacius sic compellavit. Redde Imperator Ecclesias orthodoxis, et victor redibis: si contra Deum militaveris, scito te non rediturum. Ille ad suum reditum, sanctum virum iubet asservari. Si, ait, rediveris, non est locutus per me Deus. Victus se in tuguriolum rusticanum fugiens coniecit: sed ibi a Barbaris crematus est, ut ait Zonaras in Valente. 69. *Hæretici a Deo exusti. 1. Valens.* Secundo, Constantinus Copronymus, secta Iconomachus, sanctorum reliquias igni tradebat, et sancti nomen neque Deiparæ, neque cælitibus tribui volebat: sed hunc Apostolum Petrum, illum Theodorum Martyrem, etc. appellari. Sed ultor surrexit Deus. Nam carbunculo in pedibus enato clamabat, se viventem in ignem coniectum esse; et vindictam Dei agnoscens violenter periit, ut ait Zonaras tom. 3. Annal. pag. 86. Ridiculum est, nec tamen mirum, quod accidit hæreticis inter se contendentibus. Niceph. Gregoras lib. 6. sic refert: Cum aliqui schismatici Patriarcham Georgium Cyprium acceptare nollent, sed alium optarent: libros duos scripserunt de ea re, in ignem utrumque proiecerunt rem probaturi, uterque arsit: ita ibi. Sæpe sacri codices in flammis illæsi perstiterunt, et sancti viri, ut S. Polycarpus, et alii, de quibus Ps. 43. ubi egi de gloria martyrum, et quomodo a Deo iuventur.

Quarto, impii sunt montes flammivomi, intus combusti et consumpti, atque exterius horrendi, terrifici, et exitiales: *Et sicut flamma comburens montes, ita persequeris eos*, etc. Hoc intelligi potest, Primo, de flamma comburente exteriorem montium superficiem: nempe sylvas infrugiferas, arbores frugiferas, oliveta, vineas, herbas, flores, segetes. Secundo, de flamma depascente montium i- 70. *Impii sunt montes flammivomi.*

psorum viscera. De exteriori exustione explicat Chald. cum vertit: Quæ inflammat montium peripherias: id est, circumferentias. De interiori possunt explicari Hebr. Syr. Arab. quæ habent, comburens montes. Plin. lib. 2. cap. 109. mentionem facit multorum montium flammivomorum. In montium, ait, miraculis ardet Ætna noctibus semper, tantoque ævo materiæ ignium sufficit; nivalis hibernis temporibus, egestumque cinerem pruinis operiens. Nec in illo tantum natura sævit, exustionem terris denuncians. 2. Flagrat in Phaselide mons Chimæra, et quidem immortali diebus ac noctibus flamma. Ignem eius accendi aqua, extingui vero terra aut fœno, Gnidius Ctesias tradit. 3. Eadem in Lycia Hephæstii montes, tæda flammante tacti, flagrant adeo ut lapides quoque rivorum et arenæ in ipsis aquis ardeant: aliturque ignis ille pluviis. Baculo si quis ex iis accenso traxerit sulcos, rivos ignium sequi narrant. 4. Flagrat in Bactris Cophanti noctibus vertex. 5. Flagrat in Medis et Cestia gente confinio Persidis: Susis quidem ad turrim albam, e quindecim caminis, maximo eorum et interdiu. 6. Campus Babyloniæ flagrat, quadam veluti piscina, iugeri magnitudine. 7. Item Æthiopum iuxta Hesperium montem, stellarum modo campi noctu nitent. 8. Similiter in Megalopolitanorum agro, tametsi internus sit ille iucundus, frondemque densi supra se nemoris non adurens, et iuxta gelidum fontem semper ardens. 9. Nymphæi crater dira Apolloniatis suis portendit, ut Theopompus tradidit. Augetur imbribus, egeritque bitumen, temperandum fonte illo ingustabili, alias omni bitumine dilutius. Sed quis hæc miretur? In medio mari Hiera insula Æolia iuxta Italiam cum ipso mari arsit per aliquot dies sociali bello, donec legatio Senatus piavit. Maximo tamen ardet incendio Theon Ochema dictum, Æthiopum iugum, torrentesque solis ardoribus flammas egerit. Hæc Plinius, qui deinde non immerito miratur, tot ignibus, et siderum solisque flammis, ac domesticis focis, totum orbem non incendi. Et cap. 107. ait: *Excedit profecto omnia miracula, ullum diem fuisse, quo non cuncta conflagrarent.* Tot inter hæreticorum incendia præstat Ecclesia, eosque gratiarum rivis iuvare molitur: sed frustra volentibus ardere succurritur. De montibus flammivomis vide eumdem Plin. l. 3. cap. 8. lib. 5. cap. 27. lib. 6. cap. 17. Senecam 2. quæst. natur. cap. 30. lib. 6. cap. 1. Orosium lib. 5. cap. 10. et 12. lib. 7. cap. 9. S. August. 3. de civit. cap. 31. lib. 21. cap. 4. Strabon. lib. 5. Nicephor. lib. 3. cap. 12. Thom. Fazellum in hist. Siciliæ, Orlandin. in hist. Soc. et alios.

Varii montes flammivomi recensentur.

Etiam in medio mari.

Hæreticos inter se concertantes iure comparaveris montibus flammantibus et fumantibus, qui inter se concurrerunt suis sedibus emoti. Plin. lib. 2. cap. 8. sic narrat: *Factum est*, ait, *ingens terrarum portentum L. Marcio, Sexto Iulio Coss. in agro Mutinensi. Namque montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes recedentesque, inter eos flamma fumoque in cælum exeunte interdiu, spectante e via Æmylia, magna equitum Romanorum, familiarumque, et viatorum multitudine. Eo concursu villæ omnes elisæ, animalia permulta, quæ intra fuerunt, exanimata sunt, anno ante sociale bellum: quod haud scio an funestius terræ Italiæ fuerit, quam civilia:* ita Plinius.

Montes inter se concurrentes.

71. Deus itaque hic ponitur totus igneus, ut in curru bellico apparuit Ezechieli puniturus Ierusalem, Ezech. 1. aut gladio seu telo flammeo armatus, et tergo sceleratorum insistens. Hinc additur: *Ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua turbabis eos*, sicut olim Adamum, qui fugit audiens venientem ad se Deum; et Cain, qui profugus fuit in terra Naid, id est commotionis, et semper tremebat. Isaiæ 30. 31. *A Voce Domini pavebit Assur.* Mustansiri Saraceni symbolum fuit: *Timorem accipit, qui a Deo declinat.* Fugit impius nemine persequente: nec mirum, quia Deum sentit persequentem. Illum cum pedibus, auribus, et corde leporis possis pingere. Ericus rex frater Kanuti regis sæpe ab hostibus fugatus, dictus est, *pes leporinus*, ut ait Krantzius lib. 3. chron. Vandal. cap. 36. In Ponialo monstrum natum est anno 1491. humana

Scelerati semper timent.

Ericus est dictus pes leporinus.

A quidem forma, sed collo et auribus leporinis, uno grandiore intestino totum ventrem occupante, diducto rictu spirans, ut tradit Salomon Neugebaverus in hist. Polon. lib. 6. pag. 431. Scelerati, sunt gulæ dediti, ac timidi: vident enim se undique telis peti. Paradinus lib. Symbol. leporem pinxit undique telis et aculeis cinctum, addita hac epigraphe: *Malo undique clades.* Sed ut ad tempestatem redeam, de impii pœna sic ait Iob cap. 27. 20. *Apprehendet eum quasi aqua, inopia: nocte opprimet eum tempestas. Tollet eum ventus urens, et auferet: et velut turbo rapiet eum de loco suo. Et mittet super eum, et non parcet: de manu eius fugiens fugiet*, q. d. Semper fugiet, id est fugere conabitur, Dei ultricem manum. S. Ladislaus rex Hungariæ dicebat, vitam hanc esse perpetuam procellam, ut refert Anton. Bonfinius lib. 1. decad. 2. pag. 218. Hoc diffusius dixerat Seneca de vita beata cap. 28. *Turbo quidam, ait, animos vestros rotat, et involvit fugientes, petentesque eadem, et nunc in sublime alligatos, nunc in infima allisos rapit.* Vita nostra est fluvius ille magnus B apud Sinas, qui dicitur Yamsu, id est *filius maris:* eius latitudo ad duo triave milliaria excurrit. Non vacat ea navigatio periculo: nam procellis suis imitatur mare parentem suum: et ferunt, eum qui in fluvium inciderit, vorticibus ita rapi, ut paucis ars natatoria sit saluti, ut ait Trigautius lib. 3. cap. 9. Omnes morimur, et sicut aquæ dilabimur in mare salsum amaræ mortis, ubi horribilis est iudicii tempestas: sed in vitæ ipso fluxu plurimæ tempestates non desunt.

Vita hæc est procella.

Fluvius Yamsu.

Quinto, in ea tempestate Deus implet facies impiorum 72.
pulvere ac sordibus scelerum suorum, illa omnibus manifesta faciens, v. 16. IMPLE FACIES EORUM IGNOMINIA, ET QUÆRENT (Syr. ut quærant. Arab. ut sequantur) NOMEN TUUM (id est nominatum et invocatum) DOMINE. Vers. 16.

Vers. 17. ERUBESCANT, ET CONTURBENTUR IN SÆCULUM SÆCULI (Arab. timebunt in æternum æternitatis: id est, per totam æternitatem) ET CONFUNDANTUR, ET PEREANT. Vers. 17.

C Vers. 18. ET COGNOSCANT, QUIA (quod) NOMEN TIBI DOMINUS, TU SOLUS ALTISSIMUS IN OMNI TERRA. Chald. super omnes habitatores terræ. Ps. 112. 4. dicit David noster: *Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cælos gloria eius.* Ecclesiastici 1. 8. dicitur: *Unus est Altissimus, creator omnipotens, et rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius, et dominans Deus.* 1. Timoth. 6. 15. dicitur, solus potens, Rex regum et Dominus dominantium. Rom. 16. 17. solus sapiens. Isaiæ 37. 16. Deus solus. Vers. 18.

Nota, impii Primo ignominia afficiuntur. Ps. 108. 29. 73.
Induantur, Hebr. induentur, *qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua.* Ps. 131. 18. *Inimicos eius induam confusione.* Prov. 12. 8. *Qui vanus et excors est, patebit contemptui.* Isaiæ 23. 9. *Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret omnes inclytos terræ.* Et cap. 30. 3. *Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.* Cogitent D hoc nobiles, qui ita gloriam amant, et a vitiis sibi caveant. Secundo, conturbantur impii. Ezech. 7. 26. *Conturbatio super conturbationem veniet, et auditus super auditum.* Tertio, in animo suo confunduntur. Isaiæ 26. 11. *Videant, et confundantur zelantes populi.* Quarto, tandem pereunt. Proverb. 12. 7. *Verte impios, et non erunt: domus autem iustorum permanebit.*

Impios sequitur ignominia.

Nota secundo, ignominia sæpe peccatorem impellit, ut 74.
Deum quærat. Isaiæ 26. 16. *Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Nam sicut doctrina boum est stimulus: sic insipientes non aliter discunt nisi stimulis compuncti: unde Hebræis eadem vox מלמד *malmad*, stimulum et doctrinam significat, ut notat Sanchez. Vere dixit Lactant. lib. 5. instit. cap. 13. *Peccati conscientia, et metus pœnæ, religiosiorem facit.* Et lib. de ira cap. 12. *Quid, ait, erit homine truculentius, quid immitius, si dempto metu superiore, vim legum aut*

Ignominia efficit, ut Deum quæramus.

fallere potuerit, aut contemnere. Timor igitur Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quam vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur. Ægyptii faciem mulierum impudicarum, et crudelium parentum implebant ignominia, ut omnes in officio continerent. Apud Ægyptios, qui vim ingenuæ attulisset, ei virilia abscindebantur: si persuasa adulterium commisisset, viro mille plagæ, *mulieri narium detruncatio irrogabatur*, ut ait Diodor. Siculus lib. 1. pag. 71. Parentibus apud ipsos liberorum interfectio non erat capitalis, sed tres dies atque noctes in complexu occisi, assidente custodia publica, perdurare cogebantur, ut idem tradit pag. 70. Hæc pœna videtur ipsa morte gravior. Quod autem Deus per tribulationes sæpe convertat peccatorem, et efficiat ut ad se ac sanctos currat, probari potest exemplis. Primo, non prius Nabuchodonosor vocavit ad se Danielem, qui significat iudicium Dei, quam visiones conturbavissent eum, Dan. 4. 1. Secundo, Balthasar vocavit eumdem Danielem, cum vidit articulos manus scribentis in pariete, et facies eius commutata est, Dan. 5. 6. Tertio, Thracesius refert, quod Isaacius Comnenus Imper. viso prope Neapolim horrendo apro, qui in mare desiliens disparuit, equo excussus est, et in morbum incidens, Constantinum ducem Imp. designavit, et in Studiense monasterium se recepit, ubi recuperata etiam valetudine, vitæ reliquum exegit raso capillo, et purpuræ loco aspera lacerna sumpta. Quarto, soror principis Burgariæ illum ad fidem sollicitavit: sed non prius conversus est, quam pestis et fames eum ad pietatem movit, ut ait Zonaras tom. 3. Annal. pag. 125. in Michaele Theophili filio. S. August. tom. 6. de quinque hæresib. cap. 3. Audi, ait, pagane Mercurium: para frontem, et excipe lapis lapidem: *Cade, ut erigaris: frangere, ut confirmeris: destruere, ut ædificeris: ictus lapidis non cutem dividat frontis, non venam rumpat sanguinis, non aperiat foveam vulneris: sed signum faciat crucis:* ita ipse. S. Bernard. tribulationem vocat viam vitæ et regni cælestis. Sic autem loquitur serm. 1. in Dominica palmar. *Si considerasti in processione, quo properandum sit, disce in passione qua eundum sit. Hæc est enim via vitæ, tribulatio præsens. Via gloriæ, via civitatis, habitaculi, via regni, secundum quod clamat latro de cruce: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.*

(Margin notes: Ægyptiorum sapiens pœna in crudeles parentes. — Exempla in afflictione Deum quærentium.)

75. Allegor. Hæretici Ecclesiam persequentes confunduntur, et pereunt. Primo, ne confundantur, sua dogmata occultant. Tertull. lib. in Valentinianos, cap. 1. Valentiniani, ait, nihil magis curant quam occultare, quod prædicant: si tamen prædicant, qui occultant. Custodiæ officium conscientiæ officium est. *Confusio prædicatur, dum religio asseveratur. Nam et illa Eleusinia hæresis, et ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent pudor est:* ita ipse. S. Epiph. tom. 1. hær. 52. pag. 458. Adamianos hæreticos comparat talpæ, quæ cum in lucem venerit, risum præbet omnibus. Secundo, hæretici Ecclesiam invadentes atque Christum, pereunt. Angelomus eos comparat Sebæ contra Davidem rebellanti, qui misere periit, 2. Reg. 20. Sic autem ait: Seba, vir Belial, qui Israeliticum populum a domo David dividere conatus est, figuram gestavit hæreticorum, qui plebem Dei scindere volentes, in ipsa sua prava intentione, prius damnati ab Ecclesia, moriuntur, quam hoc quod cœperant implere possint. 2. Crabrones

(Margin notes: Allegor. — Hæretici sunt talpæ se occultantes.)

A sunt in ipsa sua rabie pereuntes. S. Epiph. hær. 44. agens de Apellicianis hæreticis: Crabronis, ait, genus est quod Zopyrum vocant, iratum in hominem lapides percutit, et sibi aculeum excutit: itaque moritur. Et lapidi quidem atque homini non nocet, quantumvis pungat: et præter levissimum dolorem nihil aliud infert homini, lapidi vero longe minus, aculeum vero sibi interim excutit, et sic moritur. Sic illa hæresis, σφηκιώδης ζωπύρου δίκην, simillima Zopyro crabroni, levi dolore inflicto, in petram, hoc est in veritatem, incurrens, et aculeum infigens, enecabitur: hæc ibi. 3. Hæretici sunt scarabæi morientes ob suave fragrantiam opobalsami, nardi, et aliorum aromatum, ex quibus apes recreantur. S. Epiph. hær. 40. pag. 294. ita, inquit, Archontici hæretici, mox ut ad sacrum baptismum, et fragrantiam illam accesserint, moriuntur, blasphemantes Deum, ac dominationem eius spernentes. 4. Denique hæretici sunt serpentes ad dictamini olfactum pereuntes: idem sanctus Doctor hær. 51. pag. 422. hæreticos comparat serpentibus, Christum dictamno. Ibidem B etiam Ecclesiam comparat arcæ Noemi illitæ bitumine, quo serpentes fugantur. Sic autem ait: *Christus dixit servis suis et Apostolis, Luc. 10. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici. Nihil possunt tales in arcam. Iubetur enim sanctus Noe iuxta Domini verbum munire ipsam, ait enim ad ipsum, Gen. 6. 14. Bitumine linies eam intrinsecus et extrinsecus, ut ostendat speciem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ bituminis vim habet fugantem,* δεινα και ολεθρια ερπετωδη διδαγματα, *horrenda et perniciosa atque humi serpentia dogmata. Ubi enim suffitur bitumen, non poterit stare serpens. Soporem enim huic inducit ac torporem sacer styracis suffitus, et illius odorem serpens devitat. Idem præstat et libanotidis facultas, contra ipsum serpentem producta, et supra latibulum ipsius exorta:* ita Epiphanius agens contra Ebionem et Cerinthum. Libanotis porro est frutex habens odorem thuris, a nobis rosmarinus vocatur.

(Margin notes: Hæretici sunt crabrones in ictu suo pereuntes. — Et scarabæi bono odore morientes. — Ac serpentes.)

Anagog. Omnia supradicta sumi possunt de die iudicii; 76. Anagog.
in eo enim impii, ac præsertim hæretici, primo ut rota C ponentur audientes terribilem sententiam: *Ite maledicti in ignem æternum.* De illa sententia dicitur Psal. 76. 19. *Vox tonitrui tui in rota.* Ugo Card. per rotam censet indicari varietatem et æternitatem pœnarum: quia, dum rota ex una parte elevatur, cadit in alia: et circularis cum sit, fine caret. Abigail dicebat Davidi 1. Reg. 25. 29. *Anima inimicorum tuorum rotabitur in impetu et circulo fundæ.* Virgil. lib. 6. Æneid. et Tibull. lib. 1. fabulantur, Ixionem ob crudelitatem, et luxuriam, fulmine ad inferos deiectum, ibi rotæ ferreæ alligari, circa quam complures angues volvebantur, et rotæ perpetuo circumvolutæ motu agitabantur. O æternitas semper in teipsam revoluta, quantum horroris et doloris afferes infelici peccatori! Secundo, impii in inferis erunt stipula huc illuc a ventis, id est dæmonibus, ad ludibrium ab uno supplicio in aliud iactata. Tertio, erunt folia sicca, cito flammam concipientia, et montes cavernosi tota æternitate illam nutrientes, et illa cruciati. Quarto, facies eorum erunt impletæ ignominia, et semper cum illo Apostata e Soc. nostra exeunte, et in æternum damnato, dicent id quod habetur Psal. D 68. 8. *Operuit confusio faciem meam.* Vide illum locum, et Deum quære, dum tibi lux est ac dies.

PSALMUS OCTOGESIMUS TERTIUS.

1. In finem, pro torcularibus, filiis Core, Psalmus.

2. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.
3. Cor meum et caro mea, exultaverunt in Deum vivum.
4. Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.
5. Altaria tua Domine virtutum: Rex meus et Deus meus.
6. Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.
7. Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum: in loco quem posuit.

8. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.
9. Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.
10. Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui.
11. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.
12. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.
13. Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.
14. Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

PSALMI OCTOGESIMI TERTII ANALYSIS.

Propheta noster in extasim raptus, et cælestem aulam contemplans, proponit

- Desiderium suum ardentissimum,
  - Tabernacula illa cælestia amantis. 2.
  - Possessionem eorum optantis. 2.
  - In atriorum consideratione deficientis. 2.
  - In Dei immortalis contemplatione exultantis; 3.
    - Mente. 3.
    - Et corpore. 3.
- Excellentiam paradisi, in quo
  - Securitas summa, 4.
    - Activa in vita exercitatis. 4.
    - In vita contemplativa perfectis. 4.
  - Sanctitas eximia. 5.
  - Gubernatio divina. 5.
  - Felicitas perfectissima. 6.
  - Æternitas interminabilis. 6.
  - Laus Dei perpetua. 6.
- Media quibus homines ad illum veniant:
  - In vita purgativa, in qua
    - Gratia Dei excitans et iuvans. 7.
    - Ascensio a terrenis. 7.
    - Lacrymarum effusio pro peccatis. 7.
    - Constantia in virtute suscepta. 7.
  - In vita illuminativa, in qua
    - Gratia Dei uberior. 8.
    - Progressus hominis in virtute illustrior. 8.
  - In vita unitiva, in qua
    - Visio Dei deorum. 8.
    - In contemplatione, et in cælo. 8.
- Motiva quibus Deus ad id iuvet:
  - 1. Orationem iusti, quam
    - Corde Deus exandit. 9.
    - Et auribus accipit. 9.
  - Et Dei ipsius curam,
    - Patris, iustorum protectoris. 10.
    - Filii, omnium redemptoris. 10.
  - 2. Humilitatem iusti, qua
    - Excellentiam paradisi suspicit. 11.
    - Abiectionem propriam quærit. 12.
    - Honores mundi respuit. 12.
  - Et Dei bonitatem, ob quam
    - Misericordia, cælum promittit. 13.
    - Veracitate, promissa complet. 13.
    - Liberalitate, gratiam dat omnibus. 13.
    - Iustitia, gloriam iusto reddit. 13.
  - 3. Fugam peccati,
    - Bonorum cælestium fontem. 14.
    - Virtutum omnium initium. 14.
  - Et excellentiam Dei,
    - Angelorum exercitum regentis. 14.
    - Homines in se sperantes beantis 14.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, pro torcularibus, filiis Core, Psalmus.

1. Psalmi encomium. Psalmus hic suavissimus, et amanti Deum animæ gratissimus, aptissimusque ad excitandum cælestis patriæ desiderium. Cassiodor. In fine Psalmi ait, mirabilem hunc Psalmum esse, et omni mundana suavitate iucundiorem. Rickelius eum vocat Psalmum gloriosum, amorosum, sanctum, qui etiam religiosos et claustrales præcipue consolatur, qui Domino malunt in cœnobio, spreto sæculo, in humili abiectaque vita servire, quam in mundo deliciari, atque florere.

2. Argumentum Psalmi. Quæres primo, quodnam sit Psalmi argumentum? Primo, Caietanus et Placidus Parmensis dicunt, esse laudem templi. Secundo, Beda, Trevetus, Theodoret. et S. Basilius censent hic exprimi desideria captivorum in Babylone optantium reditum in patriam suam. Tertio, Iansen. Genebr. Flaminius, Tirinus et alii, opinantur in persona ipsius Davidis ab Absalone, aliove exagitati, et exulis, Psalmum scribi, et ab eo desiderari reditum ad tabernaculum Dei, sive quod erat in Gabaone, sive quod ipse extruxerat in Sione, ut dicetur v. 1.

Quarto denique, et optime, S. August. Cassiod. Lindanus Episcopus Ruremundensis, Bellarm. Glossa ordinaria, id est Strabus Fuldensis monachus, qui floruit circa ann. Christi 840. (ille enim eam glossam scripsit) iure censent, hic etiam ad litteram exprimi desiderium Davidis, et omnis animæ perfectæ suspirantis ad cælum, atque ad visionem Dei. Quomodo enim tabernaculo materiali conveniret, quod dicitur v. 5. *Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.* Nec tam ardens et inflammatum desiderium habuisset David de ulla re terrena, quale ostendit in Psalmo nostro.

3. De quibus torcularibus agitur? Quæres, de quibus torcularibus hic agitur? Primo, S. August. Remig. Dio. Ugo, et alii censent, torcularia esse Ecclesias in pressuris, seu tribulationes et pressuras in Ecclesias. Ita ut gemens anima ad cæleste gaudium suspiret. S. August. in Psal. nostr. *Quid,* ait, *agatur in his visibilibus torcularibus, recordemur: et hoc videamus, quemadmodum spiritualiter agatur in Ecclesia. Uva certe pendet in vitibus, et oliva in arboribus: his enim duobus pro fructibus solent torcularia præparari. Et quamdiu pendent in frutetis suis, tamquam libero aere perfruuntur,* et

nec uva vinum est, nec oliva oleum ante pressuram. Sic sunt et homines, quos prædestinavit Deus ante sæcula conformes fieri imaginis unigeniti filii sui, qui præcipue in passione magnus botrus expressus est. Huiusmodi ergo homines, antequam accedant ad servitutem Dei, fruuntur in hoc sæculo tamquam deliciosa libertate, velut uvæ aut olivæ pendentes: sed quoniam dictum est, Eccli. 2. 1. *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem: accedens quisque ad servitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat: contribulabitur, conteretur, comprimetur: non ut in hoc sæculo pereat, sed ut in apothecas Dei defluat. Exuitur carnalium desideriorum integumentis quasi vinaceis: hoc enim ei contigit in desideriis carnalibus, propter quæ Apostolus dicit Ephes.* 4. 22. *Exuite vos veterem hominem, et induite novum: hoc totum non fit sine pressura. Propterea torcularia nominantur Ecclesiæ Dei huius temporis:* hæc Augustinus. Lege illum.

Secundo, et melius, Theodoretus in torcularibus non respicit pressuram, sed vinum inde exundans, ad lætitiam bibentium; verba eius sunt: Torcularia Ecclesias vocat: in his enim Ecclesiis cælestis vitis proprium offert fructum, et salutare vinum conficimus, quod vere fidelium cordi lætitiam affert: hæc Theodoretus.

4. Allegor. Nota, lex vetus erat instar agri frugum, aut vineæ, aut peregrinationis. Lex Evangelica est instar areæ, in qua teruntur fruges, et colligitur granum in horreum, et separatur a paleis cæremoniarum. 2. Lex Evangelica est instar torcularis, in quo Christus expressit vinum sanguinis sui in cruce, et in altari, et dat maiores gratias et consolationes. 3. Lex Evangelica est terminus peregrinationis legis veteris. Christus enim est finis legis, ut ait S. Paulus, Rom. 10. 4. Et S. August. lib. de catechiz. rudibus ait, quod lex vetus sive testamentum vetus, nihil aliud est nisi occultatio novi testamenti; et novum testamentum nihil est, nisi manifestatio veteris.

5. Anagog. Nota secundo, sicut lex vetus fuit ager frugum, sive vinea, sive peregrinatio respectu novæ legis: et lex Evangelica est area, et torcular, et terminus quietus illius: ita pari modo lex Evangelica est ager, et arbor, et vinea, et peregrinatio, respectu superioris patriæ. Nam ex hac vinea continue colliguntur, et extorquentur fructus meritorum: et in die iudicii triturabitur messis, et separabitur granum a paleis, et frumentum a zizania, et universaliter mali de medio iustorum: et sic patriæ cælestis erit finis Evangelicæ peregrinationis et laboris. Nam sicut hic colligimus fructus gratiæ: ita ibi colligemus fructus gloriæ: et sicut hic celebramus festa per gratiam: ita ibi celebrabimus festa per gloriam. Unde, sicut nullus Iudæorum potuit pervenire ad Christum, nisi per legem veterem: A ita nullus potest pervenire ad patriam, nisi per legem Evangelicam. Et nullus poterit celebrare prædictas festivitates in cælo per gloriam, quin celebraverit ipsas in hac Ecclesia per gratiam. Ita Valentia, qui advertit etiam Deum præcepisse quatuor festa celebrari a Iudæis in mense Septembri. Primum quidem, festum Neomeniæ: quod licet in principio cuiuslibet mensis celebraretur pro divina gubernatione: tamen in illo mense maxima celebrabatur pro collectione vindemiarum, et omnium fructuum. Secundum festum erat festum tubarum pro sacrificio ipsius Isaac. Tertium festum propitiationis: eo quod Deus propitiatus fuerat eis, post conflationem vituli. Quartum festum tabernaculorum in memoriam illorum 40. annorum, quibus habitabant in tabernaculis per desertum: sed hoc festum non celebrarunt, nisi postquam iam quieverunt in domibus suis in terra promissionis, et fixerunt tabernaculum in Silo: et ideo tale festum dicebatur festum quietis, in quantum finierant suam peregrinationem: hæc ipse. Itaque David festo tabernaculorum, videns plurima B tabernacula seu tentoria facta a toto populo ex universa Iudæa Gabaonem, aut potius Ierosolymam confluente, exclamat altius in cælum mentem elevans: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* Vide illum versum.

Quæres, quinam sint filii Core? Respond. esse Asaph, Heman et Idithun posteros Core, qui tempore Davidis facti sunt præfecti cantorum. Vide dicta in titulo Psal. 41. qui est pene eiusdem argumenti cum nostro. Ibi etiam dixi ex S. August. Christianos esse filios Core, id est filios Christi crucifixi in Calvaria monte. Core enim significat calvum, et in Psalmo nostro idem sanctus Doctor monet, non esse ridendos tales calvos: cum ursi comederint pueros, qui irridebant Elisæum calvum, cum esset figura Christi, 4. Reg. 2. 23. 6. Quinam filii Core?

Nota cum S. Hieron. omnes Psalmos qui inscribuntur filiis Core, nihil triste habere: *Do vobis*, inquit, *aliquam regulam, ut sciatis in scripturis quid observare debeatis. Quicumque Psalmus præscribitur filiorum Core, nihil triste habet, sed semper læta significat. Quoniam enim Core,* C *et Dathan, et Abiron fecerunt contra Mosen, et a Domino puniti sunt: filii Core, qui non sunt secuti patrem suum, æterno gaudio benedicti sunt. Quoniam autem Core interpretatur calvaria, manifestum est, quod calvaria significet locum resurrectionis: quicumque filius Core est, filius est resurrectionis. Quicumque autem filius resurrectionis est, nihil potest habere quod triste est:* hæc Hieronym. Psalmi porro illi intitulati filiis Core sunt decem: nempe Ps. 41. 44. 45. 46. 47. 48. 82. 84. 86. 87. Eos tamen omnes scripsit David, sed dabat illos cantandos filiis illis seu posteris Core, qui præerant cæteris cantoribus.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

7. Tria continet Primo, desiderium ardentissimum paradisi ob eius excellentiam, vers. 2. Secundo, media ad illum perveniendi, vers. 6. Tertio denique, motiva quæ habet Deus media illa dandi, vers. 8.

SECTIO PRIMA.

Tria complectitur. Primo, desiderium et admirationem aulæ cælestis, vers. 2. Secundo, descriptionem excellentiæ illius, vers. 6. Tertio, media ad illam ex hac vita ascendendi, vers. 7.

PARAPHRASIS.

2. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.*

2. Domine Deus, exercituum cælestium princeps atque moderator, quam amabilia sunt palatia tua! tanto in illa desiderio et ardore feror, ut in extasim extra me raptus prope deficiam animo, atriis tuis et vestibulis affixus in intimum conclave ingressum postulans.

3. *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

3. Neque anima modo lucem illam desiderat, sed ex vehementi mentis affectu lætitia in corpus ipsum redundat, quod a servitute hac mortali liberari desiderat, et Deo suo vestiri et ornari.

4. *Etenim passer invenit*

4. Nam sicut passerculi ac turtures terram deserentes conquirunt summa tectorum

sibi domum; et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. et arborum culmina: ita ego in te uno optatissimum nidum et desideriorum meorum terminum reperiam.

5. *Altaria tua Domine virtutum: Rex meus et Deus meus.*

5. Quod maxime continget, cum sanctuarium cæleste pervasero, et ad sacratissimas aras tuas voti compos stetero, Domine angelorum, et Rex meus ac Deus meus, quem amo, et ad quem unum suspiro.

6. *Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.*

6. Eos tantum perfecte beatos censeo, qui in cælesti domo tua habitant, Domine Deus: in omnem æternitatem nullo fine terminatas laudes summa sua voluptate concinent.

7. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum: in loco quem posuit.*

7. In hac autem vita beatus est ille, qui gratia tua in bonis operibus exequendis, vitiisque fugiendis adiuvatur: cor suum a terrenis erigit, atque ad cælestia traducit; et in hac lacrymarum valle, gradus sibi ad cælum facit, quod illi Deus posuit et præfixit veluti metam huius mortalis peregrinationis.

8. *Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.*

8. Ad illas enim ascensiones faciendas tu Deus in dies largieris uberiorem gratiam, qua vir pius adiutus ab una virtute ad alias generose et fortiter progrediatur, donec te regem hominum et angelorum omnium clare in cælo contempletur.

QUÆSTIO UNICA.

Quanto ardore ad cælum viri perfecti suspirant.

8. Ordo Sectionis. PROPHETA noster oculis animoque in cælum defixis, et tantorum bonorum contemplatione extra se abreptus, describit ferventissimum desiderium suum eo perveniendi.

Ac primo, affectus suos varios ex eo aspectu enatos aperit. Primo, amorem tanti boni, v. 2. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* Secundo, ex amore desiderium: *Concupiscit.* Tertio, ex desiderio raptum et extasim: *Et deficit anima mea in atria Domini.* Quarto, ex raptu et extasi lætitiam maximam tum mentis, tum corporis, v. 3. *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Secundo, excellentiam illius aulæ cælestis declarat, in qua est securitas, sanctitas, gubernatio mirabilis, felicitas, æternitas, laudatio Dei. Primo quidem, securitas, v. 4. *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* Secundo, sanctitas, v. 5. *Altaria tua, Domine virtutum.* Tertio, gubernatio, a Deo ipso immediate: *Rex meus, et Deus meus.* Quarto, felicitas cum omnibus Dei filiis, v. 6. *Beati, qui habitant in domo tua Domine.* Quinto, æternitas sine fine: *In sæcula sæculorum.* Sexto denique, laus Dei perennis: *Laudabunt te.*

Tertio, media profert consequendi tantam felicitatem: tum in vita purgativa, tum in illuminativa, tum in unitiva versantibus. Primo quidem, in purgativa, in qua primo requiritur gratia Dei peccatores excitans, eosque adiuvans, v. 7. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te.* Secundo, mens generosa a terrenarum rerum luto cor erigens: *Ascensiones in corde suo disposuit.* Lacrymis priores maculas eluens: *In valle lacrymarum.* Constantiam in suscepta virtute retinens: *In loco quem posuit.* Secundo, in vita illuminativa, 1. datur a Deo uberior gratia, v. 8. *Etenim benedictionem dabit Legislator;* 2. homo generosius et facilius in virtute proficit: *Ibunt de virtute in virtutem.* Tertio denique, in vita unitiva Deus videtur per contemplationem, ac deinde in cælis facie ad faciem: *Videbitur Deus deorum in Sion.*

ARTICULUS I.

Amore et desiderio nostro dignus est paradisus.

9. Vers. 2. SINE amore homo vivere non potest; sed accurate videndum est, ut ea amet, quæ amore digna sunt, nempe cælestia. Hoc faciebat David. Unde exclamat vers. 2. QUAM DILECTA (a me scilicet; 2. et melius, quam diligibilia. S. August. Psalter. Rom. Gallicanum, et vetus, habent, quam amabilia) TABERNACULA TUA DOMINE VIRTUTUM! CONCUPISCIT ET DEFICIT ANIMA MEA IN ATRIA DOMINI.

Tabernaculum paradisi diligibile, propter novem causas. Nota, per illa tabernacula intelligit cælum et paradisum, ut dixi in titulo. Illa autem tabernacula sunt dilecta, id est diligibilia propter novem. Primo, quia ibi est pax nunquam interrumpenda. Christus ab Isaia vocatur

A princeps pacis, cap. 9. 6. et additur v. 7. *Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis.* Et cap. 32. 18. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.* Quod S. Hieron. et Cyrill. explicant de cælesti requie. Secundo, illa tabernacula sunt diligibilia ob securitatem. Ibi sunt tabernacula fiduciæ, ad quæ nullus fur ingreditur. Matth. 6. 20. ait Christus: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Tertio, sunt amabilia, ob lætitiam mentis. Ps. 86. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* S. Hieron. ibi vertit: Cantores mei in choris: omnes fontes mei in te. Pagnin. Cantores sicut tibicines: omnes fontes mei in te. Vide ibi dicta. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Apocal. 21. 4. Quarto, amabilia sunt ob perfectam et perpetuam sanitatem corporis. Ibi est arbor vitæ. Apoc. 22. v. 2. ubi agitur de civitate cælesti, dicitur: *In medio plateæ eius, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos red-* B *dens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium.* Cap. 21. 4. dictum erat: *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra: quia prima abierunt,* id est prior vita, non vitalis, sed mortalis, quæ potius mors fuit quam vita, ait Cornelius. De cælesti autem hac vita ait S. Aug. lib. medit. cap. 22. et 2. *O vita, quam præparavit Deus his, qui diligunt illum! vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, vita nescia tristitiæ, vita sine labe, sine corruptione, sine anxietate, sine perturbatione, sine mutatione: vita totius elegantiæ et dignitatis plenissima, ubi non est adversarium impugnans, nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus, et timor nullus; ubi dies æternus et unus omnium spiritus, ubi Deus facie ad faciem cernitur, et hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur:* lege cætera. Quinto, amabilia sunt illa paradisi tabernacula, ob libertatem perfectam. Galat. 4. 26. *Illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra,* Rom. 8. 21. *Creatura liberabitur a* C *servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Sexto, amabilia sunt, ob remotionem omnis mali, et adeptionem omnis boni. Isaiæ 48. 18. *Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol: quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.* Septimo, amabilia sunt, ob honestissimam societatem sanctorum. Ps. 110. 1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio iustorum et congregatione.* Octavo, et præcipue, amabilia sunt propter claram Dei visionem. Isaiæ 33. 17. *Regem in decore suo videbunt oculi eius.* 1. Ioan. 3. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est.* S. Bernard. in Meditat. cap. 4. *Præmium,* inquit, *erit videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo, esse de Deo, qui erit omnia in omnibus: habere Deum, qui est summum bonum. Et ubi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa iucunditas, summa libertas, perfecta charitas, æterna securitas, et secura æternitas: ibi*

est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo et omnis beatitudo: ibi est pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, lætitia, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, et concordia dulcis. Nono denique, amabilia sunt illa paradisi tabernacula, ab loci ipsius pulchritudinem. S. Ioan. eam sanctam describit civitatem Apocal. 21. ubi inter cætera ait v. 10. *Ostendit mihi*, Angelus, *civitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo a Deo, habentem claritatem Dei: et lumen eius simile lapidi pretioso, tamquam lapidi iaspidis sicut crystallum*, etc.

10. Variæ figuræ paradisi.

Possis pulchritudinem et amabilitatem cælestium illorum tabernaculorum tibi figurare: Primo, per tabernacula populi Israel, de quibus canit Balaam illa aspiciens ex montis Phogor vertice, Numer. 24. 5. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, et tentoria tua Israel! ut valles nemorosæ, ut horti iuxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.* Secundo, illa tabernacula figurantur in Iudæa, terra promissionis fluente lacte et melle, Num. 13. 28. Tempore præsertim Salomonis fuit iucunda in pace et quiete. 3. Reg. 4. 25. *Habitabat Iuda et Israel absque timore ullo unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee cunctis diebus Salomonis*, id est perfici. Tertio, illa tabernacula paradisi figurantur in urbe regia Ierusalem. Isaiæ 33. 20. *Respice Sion*, Sionem, *civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri potest*, etc. De Ecclesia militante id explicat S. Hieron. de triumphante melius S. Cyrillus, et Procopius. Tempore Salomonis ita erat dives, ut dicatur, 3. Regum 10. 27. *Fecit Salomon, ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta et lapidum: et cedrorum præbuit multitudinem, quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus.* Quarto, illa tabernacula paradisi possunt figurari domo ipsius Salomonis, de qua 3. Reg. 7. et domo uxoris eius, ibid. Quinto, præsertim figurantur in templo eius, ac potissimum in Sancto sanctorum, id est loco templi sanctissimo, ex omni parte vestito laminis aureis, ubi erat arca aurea, cherubini aurei, et propitiatorium aureum, in quo Deus sedebat, et reddebat oracula. Procop. Gazæus in cap. 25. Gen. agens de tabernaculo Mosis, quod describitur Exod. 25. et 26. ait: Interius tabernaculum, dicit locum, qui supra cælum, vel firmamentum frequentatur. Pontificem summum vel primum vocat Christum: quod hic primus in hoc ascenderit, et nobis primam istam habitationem aperuerit. Sexto, tabernacula illa paradisi figurabantur per tabernacula seu tentoria ex ramis arborum, quæ extruebant Iudæi in Ierusalem, et circa illam, in festo tabernaculorum, quod fiebat die 15. mensis Tisri, id est Septembris. Et arbitror hunc Psalmum esse factum in eo festo, et Davidem ab iis tabernaculis mentem in cælos elevantem admiratum esse suprema cæli palatia. Septimo, tabernacula illa paradisi possis explicare per omnia pulchra, bona, suavia, et amabilia, quæ in hoc mundo sunt. Lege Baronium referentem ex Ruffino historico pulchritudinem templi Serapidis in Ægypto. Elevatum erat a terra centum et amplius gradibus, totum factum de marmore candido: intus habebat triplex pavimentum et incrustaturam parietum, primam et extimam æream, secundam argenteam, tertiam auream. In India, ut ait Orlandia. lib. 4. histor. Soc. Iesu, numer. 69. templum est simio dicatum, cuius dumtaxat pecori in victimarum usum custodiendo, porticus miram in magnitudinem excurrit, columnarum septingentarum e marmore miræ magnitudinis. Si hæc vilibus animalibus parantur, quid faciet Deus sanctis suis? Octava, mundi ipsius species repræsentare tibi potest paradisi pulchritudinem. Ut enim ait Plato in Timæo: *Mundus est omnium rerum genitarum pulcherrimus.* Quod facile concessero, si dixeris cum Macrobio l. 2. in somnium Scipionis, *Mundus cælum proprie vocatur.* Et vero, terra est tantum punctulum respectu cæli. Aspice itaque solis, lunæ, stellarum pulchritudinem, ordinem, motum, et cogita, si hæc dantur etiam hostibus, amicis quid fiet? Athenæus lib. 1. ait, Romam esse, ἐπιτομὴν οἰκουμένης, *totius mundi compendium.* Tu exclama cum Davide nostro: *Quam dilecta tabernacula tua!* et ad illa aspira. S. Paula morti proxima psalmi nostri hæc verba pie susurrabat, ut ait S. Hier. epist. 27. Unaquæque harum dictionum ad amorem Dei inflammat, sicut dicunt S. Basil. et Theodoret. Deus autem amari vult. Cum Ozanna Mantuana Ord. S. Dominici sex tantum annos nata esset, vocem inaudiit, quæ diceret: *O parvuli, vita et mors in amore Dei ex toto corde sita est.* Stephana Soncinas in teneris annis vocem audivit, quæ in imo cordis inclamaret: *Charitas, charitas, charitas:* quod symbolum S. Francisco de Paula datum est ab angelo. Ama itaque Deum, et quæ Dei sunt, propter ipsum Deum: dilige tabernacula cælestia, ut ibi Deum purius, sincerius, perfectius et ardentius diligas: opta in illis tabernaculis locum excelsum tenere, ut maiori lumine illustratus magis Deum cognoscas et diligas.

Psalmus hic factus est in festo tabernaculorum.

Templum Serapidis.

Templum simio dicatum.

Nota secundo, vehemens debet esse desiderium paradisi: *Concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini*, id est optat intrare tabernaculum illud cæleste. Alludit autem ad tabernaculum Mosaicum, in quo tres erant præcipuæ partes: 1. Sanctum sanctorum, ubi arca, cherubini, propitiatorium, urna aurea, in qua erat manna, et lex in arca; 2. sanctum, seu prima pars tabernaculi, in qua altare thymiamatis, mensa panum propositionis, et candelabrum; 3. atria, tam sacerdotum, ubi altare holocaustorum, quam populi ad orandum. Prius itaque dixit, *Quam dilecta tabernacula*, id est locus, ubi Deus se videndum præbet, et ubi specialius habitare videtur: deinde ait, se concupiscere Domini atria; hoc est, esse in loco, in quo sunt angeli et sancti Deum laudantes. 11.

11. Paradisus est desiderandus.

Ubi adverte, Primo, pro *concupiscit*, Hebr. est נִכְסְפָה *nicsepha, id* est desideravit sicut argentum. Nam *cheseph* argentum significat, a rad. *casaph*, amare, desiderare, concupiscere. De sapientia ait Salomon Prov. 14. *Melior est acquisitio eius negotiatione argenti et auri, et purissimi fructus eius.* Et cap. 2. 4. *Si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei.* Chald. a facie Dei *invenies:* in cælo præsertim, ubi facie ad faciem illum videbis. Terrena sunt mundanorum desideria. Solimannus tria in votis habebat: Primo, Viennam Austriæ metropolim capere. Secundo, templum quoddam (Moscheam vocant) Constantinopoli absolvere. Tertio, aquæ ductus quosdam perficere. Duo ultima vidit, primum non vidit, ut ait Petrus Bizarus lib. 1. de bello Pannonico, pag. 129. Sancti vero amant et optant illud unum necessarium, nempe esse cum Deo, et illum videre, amare ac possidere. Philipp. 1. 23. *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Cætera omnia non sunt vera desideria, sed vigilantium insomnia. S. Teresa tanto ardore cælum optabat, ut singulas horas numeraret: auditoque horologio sæpe diceret cum gaudio: Iam sumus cælo propiores, hora transiit. Si perfecte cælum et Deum desideras, optata consequeris. Ut enim ait Diodor. Siculus: *Desiderii ardor, quod videtur impossibile, efficit possibile.*

Secundo, pro *deficit*, Hebr. est כָלְתָה *caletha*, consumpta est, præ amore scilicet ac desiderio. Pagn. vertit, Concupivit et desideravit. Felix vero, Desideravit atque concupivit anima mea. Sensus est, ait Iansenius, q. d. Ob amorem habitaculorum tuorum tanta desideria fertur anima mea ad atria Domini, ut præ nimio illorum desideria, et ad factam eorum mentionem pene deficiat, ut vix apud se permaneat: ita ille. *Anima sponsæ liquefacta est, ut dilectus locutus est*, Cant. 5. 6. Regina Saba videns domum Salomonis deficit, 3. Reg. 10. 5. *Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, et cibos mensæ eius, et habitacula servorum, et ordines ministrantium, vestesque eorum, pincernas et holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum.* S. Xaverii in pectus tanta se vis cælestium ardorum et suavitatum infundebat, ut sæpius auditus sit inter ipsos labores exclamare: Quæso te Domine, noli me in hac vita tan- 12.

12. Extases amantium Deum.

tis obruere gaudiis: aut si, pro tua infinita liberalitate his me circumfluere omnino placet, transfer me hinc ocyus in istas sedes regionemque beatorum, ut ait Nicol. Orland. lib. 4. num. 74. Maria de Trino in orationibus suis tanta teneritudine movebatur, ut sæpe velut mortua iacere in pavimento finita oratione cerneretur. Stephanetta in extasi mansit per tres dies sine sensu ac motu. S. Ignatius Soc. nostræ Fundator per octo dies, ut refert Orland. lib. 1. num. 28. In completorio sabbati, ait, Ignatius avocatus a sensibus, *totos octo dies in ea extasi perstitit*: eumque pii viri conditurі erant sepulcro, nisi ex tenui cordis palpitatione vitam deprehendissent. In completorio etiam sabbati proximi, quasi e somno evigilans: et, ah Iesu! ingeminans, surgensque, omnes qui aderant admiratione complevit. Creditum, ut S. Paulo, in illo triduo pleraque ostensa: ita et formam Societatis et exemplar S. Ignatio ostensum: hæc ille. Catharina de Rissy per annos duodecim, ita Deo in orationibus uniebatur, ut in extasim omni in loco raperetur, in ipso quoque refectorio, in quod per sex annos pedem inferre non potuit, quod vel ad primam lectionis piæ periodum extra se raperetur. S. Ægidius socius S. Francisci concupiscebat et deficiebat in atria Domini, cum solum audito paradisi nomine in extasim raperetur. De extasi et raptu dixi fuse Ps. 15. Adverte porro, quod extases mentem roborant in cælestibus, in terrenis vero debilitant, et deficere faciunt. Gen. 32. 31. *Ortus est Iacobo statim sol, postquam transgressus est Phanuel, ipse vero claudicabat pede.* Ibi pedes, id est affectus terreni, claudicant atque minuuntur, cum sol, id est lux cælestis oritur, et cum quis venit ad Phanuel, id est ad faciem, apparitionem et contemplationem Dei. Sic locum psalmi nostri explicare videtur S. Greg. lib. 5. Mor. cap. 30. Qui, ait, ad appetenda æternitatis atria accenditur, dignum profecto est, ut ab hoc temporalitatis amore lassetur, ut tanto frigescat a studio sæculi, quanto surgit ardentior in amorem Dei. Et lib. 8. cap. 15. Concupiscit vero, inquit, et in atria Dei deficit, qui cum æterna desiderat, in amore temporalium non perdurat.

S. Ignatii mirabilis extasis.

13. Nota tertio, cum hic de cælo agatur, vocatur Deus *Dominus exercituum*, ut ostendatur dari certantibus, et sibi vim facientibus. Astra vocantur militia cæli, Deut. 17. 3. Isaiæ 24. 21. et 34. 2. De angelis sibi in patriam redeunti occurrentibus, ait Iacob Gen. 32. 2. *Castra Dei sunt hæc*; et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est, castra. Sancti varia agmina constituent Apostolorum, Patriarcharum, Martyrum, Virginum, etc. Una Deipara est instar multorum exercituum: Cant. 6. 3. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Et cap. 7. 1. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum.* Andreas de Yepes in Chron. gener. Ord. S. Benedicti advertit, quod eremitæ veteres baculum semper gerebant manu, ut medios se inter feras versari, et tentationibus subiectos esse meminissent, scirentque nunquam arma ponenda de manibus. Hoc præcepit S. Benedictus Abbatibus, et quoties ipse post mortem apparuit, pastoralem baculum semper manu tenere visus est. Tam generose porro sanctus ille ordo militavit, ut illi assignent aliqui auctores quindecim sanctorum millia, alii triginta millia, alii quinquaginta quinque millia, eiusque rei auctorem faciunt Ioannem 22. Papam, qui Romana archivia evolvi in eam rem curavit. Mihi vero hic numerus exiguus videtur: ita idem de Yepes tom. 1. pag. 359.

Regnum cæli datur pugnantibus.

14. Symbol. Dilecta Dei tabernacula sunt domus religiosæ. S. Bern. lib. de vita solitaria ad fratres de Monte Dei favet huic intelligentiæ. Ugo Card. id clare dicit: Proprie, ait, id competit Religioni, quia claustra sunt tabernacula, ubi sunt expediti milites Christi, quos fortius pugnare oportet, quia a diabolo fortius impugnantur. Unde Eccli. 2. 1. *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Sic Pharao relictus a filiis Israel, egressis de Ægypto, eos vehementius persecutus est, Exod. 14. Religiosis deinde applicat illud dictum Balaam, Num. 24. 5. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, etc.* atque illustrat. S. Augustin. Religiosos esse milites declaravit, cum apparens S. Norberto Ord. Præmonstratensis Fundatori, velut magni exercitus dux, suam illi regulam his verbis obtulit: *Ecce habes regulam, quam ego conscripsi, sub qua si bene militaverint fratres tui, filii mei, adstabunt securi in extremo timore iudicii*, sicut tradit Petrus Rabbi in catalogo Ordinum, qui sub regula S. Augustini militant. Ubi recenset Primo, ordinem eremitarum S. Augustini. Secundo, Augustinianorum discalceatorum. Tertio, Canonicorum regularium (scio non omnes in ea numerandi ratione convenire, sed ab eo dicta refero). Quarto, ordinem S. Iacobi de Spata. Quinto, ordinem S. Antonii. Sexto, ordinem S. Ioannis in Ierusalem. Septimo, ordinem Præmonstratensem. Octavo, ordinem S. Pauli Eremitæ. Nono, ordinem de cruce in Italia. Decimo, equitum Teutonicorum. Undecimo, vallis Scholarium. Duodecimo, Prædicatorum. Decimo tertio, valetudinarii S. Spiritus in Saxonia. Decimo quarto, S. Pauli Apostoli in Hungaria. Decimo quinto, S. Mariæ a mercede in regno Aragoniæ. Decimo sexto, Cruciferorum. Decimo septimo, Servitarum. Decimo octavo, S. Birgittæ. Decimo nono, S. Hieronymi. Vigesimo, cruciferorum cum stella. Vigesimo primo, clericorum regularium sub titulo S. Hieronymi et S. Gregorii. Vigesimo secundo, Hieronymitanorum aliorum prope Fesulas. Vigesimo tertio, Scopetinorum, seu S. Salvatoris. Vigesimo quarto, S. Spiritus Venetiis. Vigesimo quinto, equitum S. Michaelis in Francia. Vigesimo sexto, S. Georgii in Alga. Vigesimo septimo, Apostolinorum Genuæ. Vigesimo octavo, SS. Trinitatis, seu Redemptionis captivorum. Vigesimo nono, Iesuatarum auctore B. Ioanne Senensi anno 1365. Trigesimo, S. Ambrosii. Trigesimo primo, S. Spiritus in Francia. Adde his aliisque ordinibus sub S. Augustini regula militantibus septem Congregationes quas enumerat, et alias postea institutas nonne tibi apparebunt dilecta tabernacula Dei, amabilia Ecclesiæ, terribilia dæmoni? sunt velut *castrorum acies bene ordinata*. Idem dic de ordine S. Benedicti, S. Basilii, S. Francisci, et aliorum, atque exclama cum Iacob: *Castra Dei sunt hæc.* Hoc dixit Iacob de angelis in terram descendentibus, hoc dic de Religiosis angelicis in cælum ascendentibus, et supra mundum elevatis. Ut enim ait S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 278. ad Petrum: *Monastica vita*, inquit, *omnium Dei mandatorum imitatio est, ac receptaculum. Etenim ab ira, improbitate, fastu, pecuniarum studio, sui ipsius amore, remota est: obedientiam colit, omnibus inservit*, ἀλλοτρία σώματος καθόλου, οὖσα τοῦ πνεύματος, *a corpore omnino aliena est, ac spiritus dumtaxat propria.*

Religiosæ domus sunt tabernacula Dei.

S. Augustinus dat regulam S. Norberto.

Nota, dilecta fuerunt hæc tabernacula perfectis. 1. Anna de la Carriere Ord. S. Dominici de nocte ex paterna domo se proripuit, crucifixum manu tenens: cumque ad monasterii portam venisset, demissis servis in illud se coniecit, crucifixum arcte constringens, et tenerrimis his verbis suaviter alloquens: *Dilectus meus mihi, et ego illi:* ac vestem religiosam ibi suscepit. 2. Catharina de Vega fugiens parentes, qui eam ad matrimonium incitabant, cum esset clarissimis orta parentibus, per aliquot annos delituit, ac tandem se in monasterium tertii Ordinis S. Francisci recepit. 3. Catharina de Rissy tanto gaudio vestem religiosam suscepit, ut in hac sacra cæremonia extasim passa sit, et Christum ac Deiparam tunc sibi applaudentes viderit. 4. Catharina de Mendoza die ipso nuptiarum in monasterium fugit, ibique velum suscepit. 5. Dominica a S. Hieronymo, illustri prosapia oriunda, patriam suam deseruit, ac sexcentas leucas confecit, ut ex Canariis insulis in Hispaniam veniret velum sumptura. 6. Euphemia Domicilla cum vidisset columnam tribus cinctam radiis, in domum religiosarum S. Dominici cadentem, id de se interpretata, statim mundo valedixit, licet princeps esset: ac nuptias ducis Brunsvicensis et Marchionis Brandeburgensis respuit. Cum vestem religiosam sumeret, audita est cælestis musica quæ diu duravit. 7. Lucina Margareta de Soncino his verbis a concionatore prolatis: *Fallax gratia et vana est pulchritudo, mulier timens Domi-* 15.

Religiosæ vitæ amor insignis.

num ipsa laudabitur, commota, post multas doloris lacrymas, permissu mariti religionem ingressa est S. Isaac presbyter Antioch. lib. de contemptu mundi, vere dixit: *Mundus est meretrix, quæ desiderio pulchritudinis suæ ad concupiscentiam trahit videntes eam.* 8. Maria de Corona annos tantum sex nata domum parentum fugit, panem ferens, ut in solitudinem se reciperet, sed a parentibus revocata monasterium iis permittentibus intravit. 9. Maria a S. Bernardo ex Insulis Canariis in Hispaniam venit, et sexcentas leucas confecit, ut religionem ingrederetur: et cum filiolus, quem secum adduxerat, conquereretur, quod se in ignota terra solum relinqueret, ait: *Fili bono animo esto, Iesum Christum habebis patrem, atque Deiparam Virginem matrem, illis obedi, nihil tibi deerit.* Multis in sæculo abundaverat divitiis, quas pro Christo sprevit. Carolus a Lotharingia Serenissimæ domus Lotharingicæ et S. R. Imperii Princeps, Episcopus huius urbis Virodunensis, populo suo dilectissimus, in ipso ætatis vigore, tanto desiderio ardebat ingrediendi nostram Societatem, ut diceret: se, si necesse foret, ad eam rem obtinendam nudis pedibus iturum; Romam petiit, et facultate a Gregorio XV. Pontifice impetrata religiosam vestem summa animi sui voluptate sumpsit, et pie admodum vitam transegit. Vide infra v. 10. dicenda.

Caroli Episc. et principis desiderium intrandi Societ. Iesu.

Dilecta tibi sunt hæc Dei tabernacula, et tuum tibi specialiter assignatum: scilicet cella tua. Cella cælum est, in ea velut in cælo lætus, et sanctus, atque constans permane. Ludovicus Dony d'Attichy rarum exemplum ponit in patre Hieronymo Maluiso Ord. Minimorum. Is enim tanto cellæ suæ desiderio tenebatur, ut ab ea nunquam sit egressus, nisi ut chorum peteret, aut loca communitati in certas horas assignata, neque cum ullo unquam sæculari extra confessionis tribunal est conversatus. Conversationem suam habebat in cælis, de terra parum sollicitus.

ARTICULUS II.

Lætitia mentis et corporis a Deo, et in Deo, quærenda est.

16. Vers. 3. Ex amore et desiderio rerum cælestium ac Dei oritur lætitia vehemens: unde post declaratum amorem suum ac desiderium, ait David v. 3. COR MEUM ET CARO MEA EXULTAVERUNT IN DEUM VIVUM.

Exultare est a terra saltare, et cælum petere.

Nota, pro *exultaverunt*, Hebr. est in futuro, ut denotetur lætitiæ divinæ duratio; humana vero gaudia cito pereunt. S. Paschasius Ratbertus, Abbas Corbeiensis, qui floruit tempore Caroli Calvi regis Franciæ, circa ann. 850. ait in Ps. 44. *Omnis luxus præsentis vitæ vapor est, et spuma gaudii vani.* Secundo, Hebr. רנן *ranan*, est clamare fortiter, canere, vehementer exultare. Itaque denotat gaudii magnitudinem. Tertio, vox latina indicat lætitiæ illius excellentiam et honestatem, quæ non petatur a rebus abiectis et terrenis, sed a sublimibus atque cælestibus. *Exultare* enim est verbum frequentativum, q. d. Vehementer et frequenter saltare: qui autem saltat, a terra se elevat, et in cælum extollit. Propheta noster in cælum tendebat dicens, Ps. 121. 1. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Exultationem promittit Deus, et in cælum elevationem. Isaiæ 65. 17. *Ecce ego creo cælos novos, et terram novam: et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor. Sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum in his, quæ ego creo: quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, et populum eius gaudium. Et exultabo in Ierusalem, et gaudebo in populo meo: et non audietur in eo ultra vox fletus et vox clamoris.* Hoc fit inchoate in Ecclesia militante, et perfecte atque consummate in triumphante. Solutio a vinculis peccati, a curis et affectibus terrenis, et ab amore proprii corporis dat hanc lætitiam. Malach. 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ*, Chald. sol puritatis, *et sanitas in pennis eius, et salietis sicut vituli de armento.* Hebr. et Chald. sicut vituli saginati. Sept. sicut vituli de vinculis relaxati. Tales sunt, qui soluti e vinculis Pharaonis in desertum religionis evolant. Magdalena de Ursinis, cum esset novitiatus Præposita, audiretque aliquando nonnullas novitias in risum solvi, dicebat: *Ridete, ridete sorores meæ, quæ extra mundi pericula degitis: non fecit taliter omni nationi.* 2. In eo deserto, præsertim irradiant, et lætitiam in corde habent et vultu præferunt, qui cum Mose montem conscendunt. S. Paulin. epist. 3. ad Amandum Episcopum: *Velut de rupe celsa*, inquit, *despicientes vanas prætereuntis mundi figuras, in exultationis voce cantabimus. Exaltabo te Domine, quoniam ab insurgentibus in me exaltasti me, et super inimicos meos despexit oculus meus. Ex hac autem celsitudine montium informati, ad humilitatem cordis, et salubribus disciplinis, velut spinis, nostra undique membra muniti, efficiemur ut erinacei, qui parva corpuscula aspero tegmine armati, naturalibus iaculis adversum hostiles aut canum morsus, aut manus hominum, muniuntur.* 3. Pugnanti contra Amalecitas, instar Iosue, lætitiam dat spes coronæ. Maria de Raggi Ord. S. Dominici, cum ad S. Eucharistiæ perceptionem se præpararet, vocem audivit, quæ diceret: Gaude filia: nam coronam tibi vestemque pretiosissimam in cælos præparo. Sensit illa vocem esse sponsi sui Iesu, cui hæc respondit: Gratias tibi Domine Iesu, animæ meæ Sponse: nimis multis oneror peccatis, hos ut favores merear. Post hunc pulcherrimum amoris actum, virginum chorum aspexit, quæ splendidissimis vestibus coronisque effulgerent. Has sequebatur Iesus, qui undequaque clarissimos lucis radios spargebat, eamque amicissimis oculis intuebatur, ut ait Ioan. a S. Maria, in eius vita. 4. In ipsa morte lætantur Religiosi, scientes se mori instar Mosis in monte Abarim, id est transituum, prope terram promissam, oculis illam mentis cernentes, et ad eam pergentes. Deus mortem servorum suorum lætam efficit. Primo, in morte Catharinæ de Herrera, suavissima musica in aere audita est supra monasterium. Secundo, in morte Cæciliæ Faccioli, Ecclesiæ organa nullo ea pulsante suavissimos sonos ediderunt. Tertio, cum Theodora Rozati moreretur, plurimi etiam sæcularium variis in urbibus angelos discurrentes viderunt, qui omnes ad lætitiam invitarent, quod sancta quædam religiosa Florentiæ, in monasterio S. Catharinæ Senensis, statim cælum ingressura esset. Vide alia exempla Ps. 115. 15. et de lætitia iustorum Ps. 99. 1. fuse. Monasteria sunt cæli atria: inde in Sanctum, ac Sanctum sanctorum penetrandum est, rupto omnium affectuum mundanorum velo per mortificationem. Nam in passione Christi, et non aliter, templi velum scinditur.

Lætantur religiosi.

Mors læta sanctorum.

Nota secundo, lætitia iustorum est permanens in fundo cordis: *Cor meum et caro mea exultaverunt.* Sic Anna mater Samuelis dicebat nato sibi Samuele, et eo ablactato, ac ducto in templum, ibique relicto, 1. Reg. 2. 1. *Exultavit cor meum in Domino.* Samuel significat postulatum a Deo: vel, obedientem Deo: mater eius est Anna, id est gratia: pater Elcana, id est Dei possessio: nascitur in Ramathaim Sophim, hoc est in excelsis speculantium. Tales sunt domus Religiosæ, ubi viget oratio et contemplatio, qua obedientia roboratur, et lætitia infunditur. Primo itaque, in oratione gaudent sancti, ut patuit in S. Ephrem, S. Antonio, S. Bernardo, S. Francisco, S. Ignatio, S. Xaverio, et aliis viris perfectis: item in sacris virginibus Clara, Catharina Senensi, Teresa, et cæteris. Maria a Iesu tanto fervore in oratione sua ardebat, ut nonnunquam crederet cor suum esse disrumpendum præ spiritus ubertate, et loco suo dimovendum: adeo subsultabat. Secundo, gaudent sancti in operatione. In cubiculum Catharinæ de Raconis columba evolavit, eiusque dextro humero insedit: cum ter illa Iesum inclamasset, eodem tempore vocem inaudiit: *Bibe filia vinum hoc, quod tibi proponitur:* nunquam enim vel fame vel siti terrenarum rerum premeris: sed honoris divini, et salutis animarum desiderio ac siti inardesces, propriamque voluntatem penitus relinques. Tertio, gaudent sancti in ipsa recreatione. Cum Maria Pisana musicam audiret, in extasim rapta est, audi-

17. Lætitia sanctorum est interna.

toque angelorum cælesti cantu, ad se reversa, omnia quæ iucunda mundo videbantur, amara reperiebat. Marcus Antonius Carretus princeps Melphensis symbolum sibi elegit, leonem erectum corona desuper imminente, hoc addito elogio: *Consolatur conscientia, et finis*. In generosa operatione, et in iucunda recreatione, a sua conscientia et a fine quem intendit, suam quisque lætitiam petit. Quarto, gaudent sancti in morte. Zedmera filia regis Saba in Æthiopia, extremo vitæ suæ morbo laborans, cum magno contritionis et humilitatis motu peccata defleret, Christum vidit, qui ipsam ad gaudium et dilatationem cordis hortaretur, his verbis: *Aperi cor tuum amica mea*, neque illud amplius tristitia constringe: verba mea attende, quæ spiritus tibi ac vita sunt. Omnia tibi peccata dimissa esse assevero: neque de ipsis in die iudicii ullam quæstionem fore: eam tibi gratiam concedo, tum ob amorem tuum erga me, quo sponsis me ac regibus terrenis prætulisti: tum in mercedem fervoris, quo tota vita servum meum fidelem, tuumque amantissimum patrem Dominicum secuta es. Hactenus te variis in laboribus et austeritatibus vitæ pœnitentis consolatus sum, et vires suffeci, te cælesti manna nutriens, et veste pretiosa virtutum ornans, teque contemplatione ad paradisum usque evehens: sed nunc amica mea veni mecum, et felicitatem, quam paravi tibi, posside. His verbis exhilarata spiritum Sponso suo amantissimo læta reddit, ut testantur Seraphinus Razzi, et Ludovicus Haretta; qui etiam referunt, eam, dum viveret, sæpius animo in cælum evectam esse. Sed historia tota Zedmeræ non est admodum certa.

18. Lætitia sanctorum in corpus redundat. Nota tertio, lætitia mentis sanctorum in corpus ipsum redundat: *Cor meum et caro mea exultaverunt*. Sunt passer et turtur in Deo sibi nidum reperientes atque exultantes. Rupertus in Exod. cap. 25. ait, passerem et turturem hic positas a Davide esse cor et carnem: cum primum in cælestem domum tendat secundum spiritum: altera vero, in præsenti tabernaculo laboret. Arabs solius corporis facit mentionem: vertit enim: *Corpus meum et caro mea gaudebunt in Deo vivo*.

I. In eorum linguam. Per carnem porro Primo potest intelligi lingua: ita Bellarminus, q. d. *Cor meum et caro mea*, id est, mens et lingua exultando laudaverunt Deum vivum; ipse enim est pulchritudo increata, et infinita, cui suspiro. Hic est effectus perfecti amoris, corde recogitare, et ore laudare. In Hebræo pro *exultaverunt*, est ירננו *ierannenu*, id est, iubilaverunt, seu magna voce laudaverunt: proinde illud, exultaverunt, non debet accipi pro sola lætitia, sed pro lætitia prorumpente in vocem iubilationis. Neque repugnat hic versiculus cum superiore, etiamsi ibi anima deficiat, hic exultet: varii enim sunt amantium affectus: nunc deflent absentiam rei amatæ, et præ amore deficiunt: nunc exultant ob spem potiundæ rei tam pulchræ, et in laudes eius erumpunt: ita Bellarminus.

II. In faciem. Secundo, in vultu etiam sanctorum emicat illa exultatio. S. Antonius inter multa hominum millia ex sola vultus hilaritate et modestia agnoscebatur. S. Romualdus, qui centum totos annos in asperrima pœnitentia exigebat, tanta erat vultus alacritate, ut vel solo aspectu nebulas tristitiæ ab aliis excuteret. Christus nos monuit Matth. 6. 17. *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava*. Non vult servos tristes, aut hypocritas. Ursula Valentina post sacræ Eucharistiæ perceptionem, gratias in sacello agens, sensit ex vultu suo lucis radios emicare, vocemque Iesu Christi audiit: *Gaudete et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælis*. Tum vero tanta lætitia cumulata est, ut, nisi scandalum timuisset, instar insanæ saltu corporis eam esset indicatura, ut ait Ioan. a S. Maria, in vita.

III. Totum corpus. Tertio, totum corpus sentit vim ardoris interni. Ioanna Orvietensis ita in oratione ardebat, ut summa in hyeme vix saccum ex tela ferre posset, vestibus aliis omnibus præ ardore spiritus repudiatis. S. Catharina Senensis dicebat, mirari se, qua ratione ob ignem intus latentem non exureretur. Ipsa in morte exultant sancti: Perpetua

A Sadry angelum tutelarem suum vidit, ac stellam quæ eum præcederet: cum ad certum claustri locum venissent, stella in terram descendere visa est, et angelus disparuit. Mortis suæ nuntium hunc esse intellexit, quæ statim postea secuta est, cum tanto eius gaudio, ut moriens in risum solveretur. Unde in eius facie pulchritudo Angelica post mortem oculos omnium ad se rapiebat, ut ait Michael Pio.

Quarto, præcipue corpus in Deum exultat, cum puritatem servans et spiritui unitum, fit spirituale quodammodo atque angelicum. Sic Idiota dicit, tunc hominem esse perfectum, cum non solum anima, sed etiam corpus, in Deum fertur. Cornelius Vishavæus, vir insignis pietatis in Societ. Iesu, dicebat: *Dæmonem pugnare hasta, gladio, seipso*. Hasta, inquit, cum quasi eminus externarum rerum specie obiecta sollicitat: *Gladio, cum per corpus nos nostrum quasi cominus aggreditur*. Seipso, cum phantasiam ipsam invadit, eamque varie movet: et id tertium certamen dicebat esse gravissimum: et hoc maxime viros B pietati deditos oppugnare: ita Sacchin. lib. 3. numer. 58. Castitas autem Deo et incorruptioni nos unit. Ioannes Carpathius, in suo Consolatorio: Definitio castimoniæ, ait, sensus semper Deo affixus. 19. Virginitas Deo unit.

Pausanias in Achaicis dicit, eam vim Selemnum habere creditum est: ut qui viri aut fœminæ se in eo abluerint, amorum suorum obliviscantur, quod nisi commentitium esset, quantavis pecunia videri posset illa Selemni aqua pretiosior: ita ille. Deus fons est puritatis et purificans eos, qui de aqua bonitatis eius et sapientiæ bibunt. Christus latere aperto has aquas fundit, et optat illud donum castitatis communicare. Iacobo Ledesmæ de ingressu in Societatem suam cogitanti ipse apparuit, et daturum se illi promisit, ut et caste, et usque ad extremum spiritum in Societate perseveraret. Eidem B. Virgo cum Maria Magdalena, Catharina Virgine et Martyre, et Catharina Senensi, visendam se non solum præbuit, sed etiam dulcissime affata pudicitiam et perseverantiam pollicita est, C et rursus ad vitæ finem suam se illi speciem commodaturam: tumque intellecturum sibi vera pollicitam, quamque excellens donum sit cordis corporisque munditia, et quantam ei gloriam allaturum. Idipsum blando vultu appromisere tres comites. Quæ mox dum sensim recederent, castimoniæ laudes deprædicant cantu. Ex eo simplices hosce versiculos refert Ioannes Fernandius, qui Romæ interfuit Theologiam docens, cum hæc Ledesma prodidit: Selemni aquæ castitatem iuvant. Ledesma promittitur castitas.

Quantum est donum castitatis,
Quod Deus confert pietatis!

Tot divinis promissis confirmatus, castitatem perpetuam B. Virgini vovit, quod id audierat a B. Ignatio factum, ubi primum in solitudinem fugit: ita Sacchinus lib. 1. histor. Soc. Iesu num. 64. Quid sanctis Iuliano et Basilissæ eius uxori sit concessum vide in eorum vita. Quid S. Thomæ Aquinati vile scortum effuganti contigerit, notum est: angeli enim ipsi zona renes cinxerunt, et ab eo tempore nullos rebellantis carnis sensit aculeos. Catharinæ de Raconis renes quoque cinxerunt quatuor angeli, his D verbis additis: *Zona te castitatis nunquam solvenda in nomine Domini cingimus*. Tam arcte vero illam constrinxerunt, ut præ dolore in terram caderet: sed Iesus, qui præsens aderat, illam erexit, atque de suo latere ut amoris vinum divini sugeret, impulit: ab ea hora nullum inordinatum corporis motum sensit; omnesque, qui cum ea versabantur, in admirationem illius, et castum amorem rapiebantur. Idem accidit Columbæ Rocasani, quæ cum vehementibus carnis aculeis pungeretur, S. Thomam Aquinatem in opem vocavit: tum a duobus angelis zona renes suos cingi sensit. Francisca etiam a S. Dominico pari in discrimine constituta, et orationem ad Deum fundens, ab eodem zona in renibus circumcincta est. Agathæ a S. Cruce Deipara ipsa renes zona alba constrinxit, hæcque adiecit: Hac te zona circumcingo in signum virginitatis et puritatis, quam tota vita servabis, sub mea, filiique tutela. Zona castitatis cincti.

20. Deus solus proprie vivit. Nota denique quarto, in uno Deo reperitur pura, sincera, perfecta et perpetua lætitia: Cor meum et caro mea exultaverunt *in Deum vivum*. Deum vivum seu viventem appellat, ait Bellarminus, non solum ad distinctionem idolorum, quæ oculos habent et non vident: aures habent, et non audiunt, quia res inanimæ sunt: sed etiam, quia Deus solus propriissime vivit: vivere enim est moveri non ab alio, sed a se: res autem creatæ, quæ vivere dicuntur, quia habeant in se principium aliquod motus, tamen sine Deo non moventur: *In illo* enim *vivimus, movemur, et sumus*, Act. 17. Solus Deus ita vivit, ut a nullo moveatur: id est, a se solo habet intelligere, et velle, et ideo ipse solus est vita, ipse fons vitæ, non aliunde accipiens sed omnibus tribuens. *In ipso*, inquit Ioann. cap. 1. *vita erat, et vita erat lux hominum.*

21. Lætandum in Deo propter quinque. Lætitia itaque in Deo est, quia amantes se vivificat: eis enim unitur substantialiter, id est eis totam suam substantiam communicat novo modo ineffabili, sed accidentali tamen, ut alias explicui. Franciscus Boldon, Superior domus professæ Soc. Iesu Valentiæ, petiit a sorore Gratia de Valentia Ord. Minimorum: *Dic per charitatem quæso, famula Iesu Christi, quænam est distantia inter Deum et cor hominum?* Cui illa: *Amoris*, inquit, *amoris, quo homo ad Deum pergit, illique unitur*, ut ait Lud. Dony Dattichy tom. 2. hist. general. Minimor. lib. 7. pag. 151. Dixit angelus Deiparæ, Luc. 1. 28. *Ave*, Græc. χαῖρε, gaude, *gratia plena. Dominus tecum.* Chrysippus Ieros. id considerans ait, serm. de Deipara: *Tuum est audire verissime istud, Gratia plena; quia tecum est universus lætitiæ thesaurus, totius lætitiæ et gratiæ rex cum ancilla.* Idem in iustis proportione servata contingit.

Secundo, qui in Deum exultavit seu insiliit, et in quem Deus desiliit, lætatur; quia ab eo, velut æterno sole illuminatur. S. Fulgentius lib. 1. de remissione peccatorum: *Quis est*, ait, *sol humani cordis, nisi ille de quo dictum est per Prophetam: Timentibus autem nomen meum orietur sol iustitiæ*, Malach. 4. 2.

Tertio, exultans in Deum, ab eo, velut perenni fonte, aquas gratiæ et consolationis haurit in medio huius vitæ deserto. Agari, quæ significat peregrinam, fuit obvius angelus in deserto prope fontem, ut indicaret se illi nunquam defuturum. Agar illum puteum vocavit Gen. 16. 14. *Puteum viventis, et videntis me.* Ipse est inter Cades et Barad. Cades significat sanctitatem: et Barad grandinem, inter prospera et adversa adest Deus, qui semper vivit, agit, nos aspicit, et potat, ac reficit.

Quarto, exultans in Deum ab eo accipit vires ad bene operandum: bona autem operatio dat lætitiam. Herodes in carmina Pythagoræ: Ita, inquit, natura comparatum est, ut voluptas omnis actionis cuiuslibet comes fit. Non enim illa per se subsistit, sed nos alia atque alia gerentes comitatur. Unde fit, ut deteriores actiones illæ etiam subsequantur voluptates, quæ malæ sunt: præstantiores autem, quæ bonæ. Nec eo tantum quod honestum est, homini nequam is præstat, qui bonus est: sed illa etiam voluptate, qua solum ad vitia duci videtur improbus. Quanto enim affectione affectione præstantiorem esse contigit, tanto et voluptatem voluptate magis appeti.

Quinto denique exultans in Deum, et ad illum se erigens gaudet, quia illum coronantem se videt. S. Bern. serm. 47. in Cant. *Utrumque es mihi, Domine Iesu, et speculum patiendi, et præmium patientis: utrumque fortiter provocat, ac vehementer accendit: tu doces manus meas ad prælium, exemplo virtutis tuæ: tu caput meum post victoriam tua coronas præsentia maiestatis: sive quia pugnantem te specto, sive quia te expecto, non solum coronantem, sed et coronam: in utroque me mirabiliter allicis tibi; uterque funis violentissimus ad trahendum: trahe me post te, libenter te sequor, libentius fruor:* hæc Bernardus.

Contra vero, peccator semper tristis est, quia habet dæmonem in se habitantem, et se devorantem. Est templum idoli Dagon. Angelomus in lib. 1. Reg. *Dagon*, ait, *interpretatur piscis tristitiæ*, significat hostem antiquum, qui in mari istius mundi positus, devoret peccatores: ita ille. Peccatum ipsum est vulnus, quod hæret animo peccatoris, eumque affligit. Eusebius Gallicanus, hom. 3. de Paschate: *Servus peccati*, ait, *quo fugiet, qui se trahit quocumque fugerit? Non fugit seipsum, non est quo eat: mala conscientia sequitur se, imo non recedit a se. Vix aliquod de foris potest esse remedium, quando intus est vulnus inclusum. Quid prodest, quod homo sonantem fugit arcum, qui iaculum secum portat infixum? Serpens ille etsi revocavit mortem, reliquit venenum.*

ARTICULUS III.

Quanta paradisi excellentia.

Sex hic de paradiso dicuntur a Propheta nostro: nempe ibi esse, Primo securitatem. Secundo, sanctitatem. Tertio, gubernationem specialem Dei. Quarto, felicitatem inexplicabilem. Quinto, æternitatem. Sexto denique, laudem Dei. 22. In paradiso sex bona eximia.

Ac primo, securitatem sanctorum in cælo eleganter exprimit similitudine passeris et turturis, nidum sibi constituentis, vers. 4. ETENIM PASSER INVENIT SIBI DOMUM (id est nidum. Hebræi enim quodlibet habitaculum aut receptaculum vocant domum) ET TURTUR NIDUM SIBI, UBI PONAT PULLOS SUOS. ALTARIA TUA DOMINE VIRTUTUM: REX MEUS ET DEUS MEUS. Sensus est, q. d. Rex meus et Deus meus, ego passer tuus ac turtur inveni altaria tua, quæ mihi sint domus ac nidus, id est tutum ac suave perfugium, in quo ponam omnes cogitationes meas, affectiones, operationes, potentias, sensus, totum denique corpus et animam. Vers. 4.

Quæres, quænam altaria intelligis? Primo, Bellarminus sic explicat: Optaverat sanctus peregrinus domum cælestem; sed interim dum eius possessio differtur, consolatur se, quod vel niduium in terris invenerit, altaria videlicet Domini sui: nihil enim habemus in terris, quod melius nobis repræsentet tabernaculum cæleste, quam sacrum altare. Ibi enim adest multiplex memoria rerum cælestium: ibi quotidie immolatur Agnus Dei, qui sanguine suo aperuit credentibus regna cælorum: ibi futuræ gloriæ nobis pignus datur: ibi Deo propius astamus, eique intentius supplicamus: ibi effundimus corda nostra, et divinas laudes devotius, et attentius, quam usquam alibi decantamus: ita Bellarminus. 23. Altaria quæ hic intelliguntur.

Secundo, et melius, altaria hic intelliguntur cælestia. Primo, quia tabernacula et atria, de quibus supra dixit David, sunt cælestia: ergo et altaria. Alludit enim ad tabernaculum Mosaicum, ut iam monui. In atrio autem eius erat altare holocaustorum, in quo immolabantur victimæ: et in prima parte tabernaculi proprio dicti erat altare aureum, sive altare thymiamatis, in quo quotidie mane et vespere thymiama incendebatur Deo, eo ipso tempore quo in altari holocaustorum immolabatur iuge sacrificium, id est agnus anniculus et immaculatus. Secundo, particula causalis *etenim* ostendit coniunctionem sequentium cum præcedentibus: id est altarium cum tabernaculis, et cum exultatione quam dicit se habere in Deum vivum, ad quem anhelabat in cælo se manifestantem. Tertio, ita explicat S. Hieron. in commentario huius Psalmi: Tabernacula, inquit, et atria, et domus non sunt in humili ista terra: sed in excelso, hoc est in regnis cælestibus. Ita etiam censent Ugo, Haymo, Dionys. Ludulphus, et alii.

Nota, tabernacula, in quibus manent beati, altaria nuncupantur. Dicitur enim altare, quasi alta ara: dicuntur ergo altaria illa tabernacula: quia alta et a mundanis elevata et liberata: et ad solam contemplationem et laudem Dei deputata: ita Valentia. Secundo, tabernacula illa cælestia, dicuntur altaria, propter oblationem perfectam, præsertim cum in eis etiam Christus interpellet pro nobis: ita Dionysius Carthusianus. Ingeniose ait Ugo Cardin. *Dicitur cælestis patria, tabernacula, propter inhabitationem: atria, propter latitudinem: domus, propter quietem:* 24. Cælum dicitur altare.

nidus, propter securitatem: altaria, propter perfectam oblationem.

25. Nota secundo, licet tota patria cælestis possit dici altare, tamen maxime probabile esse in cælo empyreo esse locum quemdam selectissimum et ornatissimum, in quo vere et realiter est illa civitas aurea et gemmea, quam vidit et describit S. Ioannes Apocal. 21. et 22. Tota illa civitas est tabernaculum seu templum Dei, in quo specialius se manifestat et laudatur a tota Ecclesia triumphante in unum congregata. Hoc enim est longe decentius et ordinatius, quam si sanctos et angelos palantes et errabundos, ac vagos sine certis habitaculis et ordine relinquas. In ea autem civitate est locus quidam augustior, ubi Christus est ac Deipara, et ubi fortasse sanctissima Trinitas visibili specie se offert oculis corporeis beatorum. Illud est Sanctum sanctorum tabernaculi illius divini, et altare in quo domum sibi et nidum passer et turtur inveniunt: id est, qui in activa vita et contemplativa occupantur. Neque prorsus est improbabile, ibi esse formam quamdam altaris, in quo reposita sit sacra Eucharistia, quam quidam tota æternitate in cælo futuram putant (licet hoc minus probem) et ante quod sancti suas orationes offerant Deo. Id vidit S. Ioannes Apocal. 2. v. 2. *Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei: et datæ sunt illis septem tubæ. Et alius angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum, et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.* Nihil est quod vetet hæc, ut iacent, intelligere.

Ei locus cæli peculiaris.

26. Nota tertio, altaria in nostris Ecclesiis sunt nidus et domus sanctarum animarum. Ibi Christus sibi ipsi nidum et domum reperit in Eucharistia, ubi ponat pullos suos, id est animas pias, et unde ad ipsas evolet. Cum Philippa Botella ægrotaret, hostia ex infirmarii altari in os eius evolavit, et statim Deipara visibilis illi apparens animam Christo offerendam suscepit. 2. Imelda Lambertina virgo, claris orta natalibus, clara magis præcoci vitæ sanctimonia, cum divino sacræ Eucharistiæ incensa desiderio, propter ætatis imbecillitatem (vixdum enim undecim annos egerat) ad sacratissimam eius mensam accedere vereretur, in pias preces lacrymasque effusa, divina prorsus ope recreari meruit, hostia cælitus demissa, post cuius sumptionem feliciter expiravit, anno Domini 1333. Verba sunt epitaphii sepulcro eius impositi. Quod autem dicitur hostia cælitus demissa, intelligendum est divinitus e tabernaculo evolasse nullo accipiente, et supra caput orantis consedisse: quo viso miraculo, sacerdotem sorores evocarunt, qui ubi hostiam porrexit Christum suum amanti, illa præ gaudio tanti hospitis statim ei animam reddidit, cuius corpus tam mirabili modo acceperat. Hæc quæ visibiliter aliquando facit Deus, signa sunt eorum, quæ invisibiliter præstat sponsis suis. Unum addo illustre de Maria Raggensi: Cum tertia quadragesimæ Dominica ad Eucharistiam accessura esset, unus ex eius tutelaribus angelis ipsi apparuit; monuitque, ut ad tribunal Dei processura, ibique iudicanda se compararet. Tum illa in fletus ac singultus erumpere, omnesque patronos ad opem ferendam implorare: trementi ordinarius custos adstitit, eamque veste candida donavit, et operam suam ei est pollicitus: patroni quoque ipsius illi se visendos præbuerunt, quorum in comitatu ducta est ad tribunal Dei. Accedenti coronam imposuit Deipara, et reginam proclamari imperavit, atque in sanctorum omnium cœtu filio suo in sponsam tradidit, et in arrham divini matrimonii lucidissimum et pretiosissimum ei anuulum donavit. His cum ornamentis ad tribunal sanctissimæ Trinitatis deducta, sententiam sibi faventem accepit. Tum visio disparuit, exceptis eius patronis, qui ipsam tamdiu comitati sunt, donec sacrum Christi corpus sumpsisset, ut ait Ioan. a S. Maria, in eius vita. Christus castissimus turtur amat sponsas castas, et fœcundus passer eas prole virtutum ditat. Symbol. nidus Christi, est cor iusti. S. Paulin epist. 3. ad Aprum: *Christo,* inquit, *iam in corporis tui nave vectatio, et in tuo cordo cervical est: quia invenit illic passer sibi domum, et habet in te ubi reclinet caput suum.* Vicissim nidus cordis nostri est Christus ipse, et eius virtutes. S. Augustin. in Psal. nostr. *Ipsa fides nidus est pullorum tuorum. Nam propter infirmitatem pullorum turturis tuæ, dignatus est Dominus præbere tibi, unde nidum faceres: indutus est enim fœno carnis, ut ad te veniret. In ista fide pone pullos tuos, in isto nido operare opera tua:* ita Augustinus, qui prius dixerat cor nostrum esse tamquam passerem: carnem vero, esse tamquam turturem.

In Eucharistia fervor et dona sanctis dantur.

Nota quarto, passere vult Rickelius figurari pœnitentes, qui sibi locum misericordiæ inveniant in Ecclesia facti ex nobilibus, vagis, libidinosis, petulantibus, inhabitatores altitudinis virtutum, earum opera in Christo abscondentes. 2. Haymo in passere vult figurari animam: quia sicut passer dimittit sylvas, et nidificat in domibus; in altis tamen locis, ubi tutus sit a manibus puerorum et laqueis; ita fidelis anima, dimissis terrenis istis, invenit sibi domum cælestem, in qua iam spe inhabitat, et contemplatione: et ideo iam vellet dissolvi, et esse cum Christo. Passer potest dici tam de contemplativis, quam de activis. 27.

Passere varia figurantur.

Primo quidem, de contemplativis, quia passer est solitarius in tecto, hoc est, ut ait S. Bern. ad fratres de monte Dei, in altitudine contemplationis, calcare amat habitationem carnalis affectionis. Galenus lib. 6. de sanitate tuenda, cap. 16. vocat στρουθοὺς πυργίτας, eos passeres, qui in turribus, quæ in excelsis locis sunt, nidulantur. Vide dicta Psal. 101. 8.

Secundo, passer potissimum est typus activæ vitæ. Primo, quia fœcundissimus est, bis vel ter in anno parit, in singulas vices septena ut plurimum, ut minimum quaterna ova, ut ait Albertus: parit ad summum octona, ut dicit Athenæus, qui citat Aristotelem. Tradit quoque Ursinus aliquos asseverare, passerem aliquando trecenties in die fœminis iungi. Deus dixit Abrahamo, Gen. 22. 16. *Per memetipsum iuravi, quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas, et velut arenam, quæ est in littore maris.* Actio una generosa, et mortificatio perfecta, meretur fœcunditatem virtutum. Videndum est, ne nimia sollicitudo erga plurima, et nimia multitudo actionum tollat diuturnitatem. Aristoteles docet, passerem marem uno tantum anno vivere: quod contingit ob salacitatem. Videndum quoque est, ne sint actiones imperfectæ, ob multitudinem. Hinc præcipit auctor Ecclesiastici, Iesus Sirach cap. 11. 10. *Ne in multis sint actus tui.* Arist. ait, nonnullas aves imperfectos et cæcos parere pullos; quod cum parvæ sint corpore, multos progenerent, ut passer et hirundo. Hinc etiam S. Paulus hortatur, Rom. 12. 3. *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Secundo, charitatem in passere notat auctor de rerum natura. Passeris pulli, ait, cum evolare debent, vicini passeres cum eorum parentibus conatus ipsorum evolantium comitantur: ut imbecilles, si necesse sit, plurium constipatione adiuventur. Philostratus lib. 2. de vita Apollonii refert, ab uno passere cæteros admonitos cum frumentum sparsum esset in quodam loco, et omnes ad illum læto garritu advolasse. S. Andreas invento grano frumenti, quod e cælis in terram ceciderat, ad illud evocavit S. Petrum, et alios: sicut S. Philippus Nathanaelem, et alii alios.

Nota quinto, Hebr. צִפּוֹר *tsippor*, sumitur etiam pro minutis quibuslibet avibus. Chald. vertit, *columba*. Sancti in specie columbæ visi sunt nidum suum ac domum petere, ut dixi Ps. 54. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam?* Cum Iuliana a Crescimba Ordin. S. Dominici animam Deo redderet, sorores viderunt ex eius ore egredientem columbam niveam et argenteam, ex cuius pennis mirus splendor emicaret. S. Benedictus vidit animam sororis suæ S. Scholasticæ, in specie columbæ, cælos ascendere. *Domus nobis quærenda est, in qua requiem habeamus, hic omnia fluunt. Passer invenit sibi do-* 28.

Sancti in specie columbæ cælum petunt.

mum, sed in cælo, ubi est æterna quies. Ælian. lib. 3. var. hist. in cap. 18. Continentem unicam, inquit, extra mundum existere, et magnitudinem ipsius infinitam et immensam esse Silenus narrabat: alere diversa animalia grandia; et homines, qui eam inhabitant, duplo maiores iis esse qui hanc incolunt, vivendi duplum spatium, etc. Duas urbes esse magnitudine maximas dixit: nihil vero sibi mutuo similes: quarum altera μαχιμος, id est pugnax: altera ευσεβης, id est pia. Pios igitur in pace vitam agere, et amplissimis opibus fructum ex terra capere, sine aratris et bobus, agricultura et seminatione nihil eis opus esse: a morbis immunes esse, και καταστρεφειν εαυτων βιον γελωντας ευ μαλα και ηδομενους, et vitam peragere in suavissimo risu atque voluptate: adeo vero sine controversia iustitiam colere, ut persæpe dii quoque immortales non dedignentur uti illorum commercio. Qui vero Machimum urbem incolunt, bellicosissimi sunt. In bellis autem, plerumque lapidibus aut fuste percutiuntur: ferro enim vulnerari non possunt. Hæc Ælianus, quibus arbitror eos paradisum et inferos adumbrare velle: in cælo semper pax est, in inferno perpetuum bellum; in hac terra modo pax est, modo bellum, perpetuus et motus unius in alterum. Cicero lib. 4. Academ. quæstionum refert sententiam eorum, qui dicunt terram hanc semper moveri, cælum vero stare. Nicetas Syracusanus, ut ait Theophrastus, cælum, solem, lunam, supera denique stare omnia censet: neque præter terram rem ullam in mundo moveri: quæ cum circum axem se summa celeritate convertat, et torqueat, eadem effici omnia, quasi stante terra cælum moveretur. Atque hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, sed paulo obscurius: ita Cicero. Eam opinionem renovavit Copernicus. Quod absurdum est in physicis, hoc verum est in moralibus, nempe totam terram, civitates, domos, honores, divitias, regna circumvolvi, et perpetuo agitari. S. Aug. ait, perinde fieri ac si fluvius ducat in fluvium: quia ex una mutatione ad aliam devolvimur. Verba eius sunt, ep. 56. ad Dioscorum: *Non sic te prohibemus, in incerto famæ finem ponere, ut tamquam de Mincio in Eridanum emigres, quo te ipse fortasse Mincius etiam non emigrantem impingeret, cum enim non satiaverit avidum spiritum vanitas laudis humanæ; quia nihil ad cibandum affert, nisi inane et inflatum: cogitur eam ipsa aviditas referre in aliud, quasi uberius atque fructuosius: quod nihilominus temporali lapsu præterfluit: ita est quasi fluvius ducat in fluvium; ut non sit finis miseriæ, quamdiu finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. In aliquo igitur firmo et incommutabili bono te figere volumus constantissimæ intentionis domum, et securissimam requiem omnis bonæ atque honestæ actionis tuæ.* 2. Cor. 5. promittitur domus non manufacta, æterna in cælis.

Terra extra mundum.

Terram moveri docebat Nicetas.

29. Nota sexto, pro *turtur*, Hebr. est דרור *deror*, quod primo R. Mosis Nahmanides putat, significare aviculam quamlibet, quæ libere per domos, urbes, agros volitet, ac vagetur. S. Hieron. hoc loc vertit: *Passer invenit domum, et avis nidum sibi.* Secundo, *deror* est hirundo, ut hic reddunt Flamin. Pagn. Felix, et Arias: rationem reddit R. David: quia *deror* significat libertatem; hirundo autem libere nidificat in hominum habitaculis absque timore: ac si homines fecissent eam liberam, ne quis eam caperet. Tertio, et melius, *deror* est *turtur*: ita Psalt. Romanum, Gallican. et vetus. S. August. Cassiod. Noster, Septuaginta, vertunt τρυγων, id est turtur, a verbo τρυζω, id est strido, murmuro, susurro: sicut Latine turtur vocatur a sono quem edit. Libertate gaudet, ut mox dicetur, magis quam hirundo: ideo potius ab ea nomen sumit.

30. Turtur est symbolum animæ pœnitentis. Per turturem porro figurari potest et vita activa, et vita contemplativa. Nam primo, per illam Ugo Cardin. intelligit animam pœnitentem, nec male: nam ut ait Albertus, turtur pro cantu gemit. 2. Turtures quidam sunt campestres, qui humilium sunt symbolum. S. Bernard. ad fratres de monte Dei: *Turtur*, inquit, *in inferioribus fœcundatur, et gaudet in fructibus humilitatis. Perfecti enim quique et spirituales, qui turturis nomine designantur, cum ad firmamentum et robur virtutis suæ per virtutem obedientiæ et subiectionis perveniunt, premunt se semper, ac deiiciunt in id quod incipientium est, et unde infra se descendunt, ascendunt supra se: et humiliando se magis proficiunt, propter fructus solitudinis, qui sunt frequentes et sublimes excessus contemplationis, non arbitrantes esse negligendam conscientiam voluntariæ subiectionis, usum socialis vitæ, et dulcedinem fraternæ charitatis:* ita ille. Viri perfecti sunt angeli in scala Iacob ascendentes per contemplationem, et descendentes per actionem: scalæ innititur Deus, utrosque contemplans et animans. De turturibus campestribus mentionem facit Aloysius Mundella. 3. Turtur nidum suum munit squillæ foliis adversus lupos, ut ait S. Ambrosius in Hexaem. quod accipe de turturibus campestribus: hoc vulpi tribuit Zoroastres Geopon. 15. Turtur quoque gladiolum seu irim in nido ponit, tamquam fascinationis amuletum, ut ait Albertus. Nidum nostrum S. August. ait esse fidem in Christum, ut iam retuli, et S. Greg. in illud Iobi 29. *In nidulo meo moriar*, sic dicit, lib. 19. Mor. 16. Quid hoc loco per nidi nomen exprimitur, nisi tranquilla quies fidei, qua unusquisque infirmus nutritur? Turtur invenit sibi nidum: quia sancta Ecclesia, amore conditoris affecta, crebris gemitibus utitur: et velut nidum sibi, id est pacatissimam fidei quietem construit: in qua crescentes filios, quasi plumescentes pullos, quousque ad superiora evolent, charitatis gremio calefactos fovet: ita Greg. Hanc fidem vult operibus virtutum adiungi S. Ambros lib. 5. Hexaem. cap. 23. ubi agens de Phœnice sic loquitur: *Theca tua, vagina tua. Christus est, qui te protegat, et abscondat in die malo. Vis scire, quia theca protectio: Pharetra, inquit, mea protexi eum. Theca ergo tua est fides: imple eam bonis virtutum tuarum odoribus: hoc est castitatis, misericordiæ, atque iustitiæ, et in ipsa penetralia fidei suavi factorum præstantium odore redolentia totus ingredere: ea te amictum fide exitus vitæ huius inveniat, ut possint ossa tua pinguescere, et sint sicut hortus ebrius, cuius cito semina suscitantur*: ita Ambrosius.

31. Et melius, animæ contemplantis. Secundo, et melius, per turturem intelligitur anima contemplativa. Primo, quia turtur gemit in solitudine, et amat solitudinem. Secundo, in iugis montium, et in arborum verticibus commoratur, ut ait Origenes: tecta hominum et conversationem fugit, ut ait Isidorus: loca tutissima et amœnissima incolit, ut ait auctor lib. de natura rerum. S. Bern. lib. de vita solitaria ad fratres de monte Dei, sic ad mores traducit: *Turtur luctus amica, opacæ solitudinis familiaris incola, forma simplicitatis, exemplum castitatis. Invenit in secreto cellæ secretiorem recessum conscientiæ; ubi reponat et nutriat sanctarum affectionum suarum fructus, et spirituales sensus contemplationis.* S. Isaac lib. de contemptu mundi: Si vis, ait, animam tuam dare ad operationem orationis, quæ mundat mentem; et perseverantiam in vigiliis noctis, elonga teipsum ab aspectu mundi. S. Arsenius dicebat, non posse se dividere Deo et mundo. Tertio, contemplativi debent esse purissimi, et sicut angeli Dei; castitas turturis in laude est. Aristoteles enim tradit, mare uno esse contentam, nec alterum recipere. Albertus adiicit, post primum coniugem, alterum nescire. Auctor lib. de natura rerum ait: Mortuo marito, vel capto, solitariam vitam siccis arborum ramis, gementem ac tristem insidere. Grapaldus tradit, turturem amisso viduam marito, arborem viridem non petere: sed siccis ramalibus et truncis semper insistere, et fluenta limpida ad potum turbidare. Anima contemplativa moratur in cruce Christi, quæ est arbor sicca, omni tamen plena viriditatis iucunditate: in ea se quæri intra latus Salvatoris latentem volebat S. Elzearius Comes Arriani. In ea quiescens gloriabatur S. Paulus Galat. 6. 14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* S. Ambr. dicit nidos quos Noe iussus est facere in arca, esse oculos nostros, aures, nares, os, pulmonem, cor, etc. Hæc omnia ita mundana sunt, ut in iis Christus turtur castus inhabitare dignetur, in Eucharistia per sei-

psum, et reliquo tempore per suam gratiam. Arca quoque nostra, id est corpus nostrum, liniri debet bitumine, hoc est castitate. S. Ambr. lib. de Noe et Arca, cap. 6. *Est iam hoc corpore*, inquit, *nidus pudicitiæ, in quo erat nidus irrationabilis concupiscentiæ. Sed ubi ante partus deformes nutriebat libido, ibi nunc decora castitatis adolescit hæreditas.*

32. *Deus est Rex noster ob quatuor causas.* Nota septimo, additur, *Rex meus, et Deus meus*, quod Bellarm. sic explicat, q. d. Rex meus, et Deus meus, id est qui me regis, dum ut passer huc et illuc vagor: et qui me consolaris, dum ut turtur solitarius gemo: sive, Rex meus, cui milito, dum aucupes mihi, ut passeri, laqueos tendunt: et Deus meus, cui vaco: dum ut turtur viduus divina contemplor. Deus est noster, et Rex noster. Primo, quia illuminat nos. Isaiæ 60. 20. *Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Erit lux illorum et gloria Deus ipse: perfectioribus quidem sol: inferioribus autem, lunæ instar, ut pro incipientium ratione radios suos effundat.* Hæc dicuntur de statu legis gratiæ. Secundo, est noster, quia nos ditat suis gratiis et virtutibus, et seipso. S. Aug. Ps. 36. 3. illud considerans: *Spera in Domino, et fac bonitatem: et inhabita terram, et pasceris in divitiis eius*, sic ait: *Quæ sunt divitiæ eius terræ?* id est Ecclesiæ. *Divitiæ eius Dominus eius, divitiæ eius Deus eius. Ipse est ille, cui dicitur: Pars mea Domine. Ipse est ille, de quo dicitur: Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei.* Dio Chrysost. oration. 33. agens de Cydno fluvio ait: Omnium fluviorum commodissimus, et pulcherrimus est: et qui ex eo bibunt, ἀφνειοὶ καὶ μάκαρες, divites et beati sunt, iuxta Homerum. Tertio, noster est ad omnia. S. Ambros. lib. 3. de Virginib. *Omnia*, inquit, *Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est. Gustate igitur, et videte: quoniam suavis est Dominus; beatus vir qui sperat in eo.* Quarto, noster est, omnia sua pro nobis relinquendo: exinanivit enim se, ut nos exaltaret. *Lescus præfert amicum suum regno.* Lesco Albo Poloniæ regnum ea conditione oblatum est, ut Gonoricium consiliarium suum a se reiiceret: ubi vidit Gonoricium ei instantem ut regnum acciperet, se negligeret iam senem, regnum recusavit, nec a se innocentem amicum amovere voluit. Uladislaus Lasconopus electus est in regem, sed Lescus postea ad regnum revocatus est, ut ait Saloman Neugebaverus lib. 3. hist. Polon. pag. 125. Plus fecit Christus pro inimicis: nam cæleste regnum deseruit, ne nos a se reiiceret in æternum. Tu per virtutem et amorem esto tatus servus eius, et ei adhære constanter. S. Isaac lib. de contemptu mundi: Anima, inquit, quæ Deum diligit, in solo Deo hæret: ita ille. Sic enim eo regnabis. Hincmarus Archiepisc. Remensis, epistol. 9. Apud veteres, ait, tale est proverbium: Rex eris, si recte facias: si non facias, rex non eris.

33. *Vers. 6. Laus æterna in cælo.* Post expositam securitatem, et sanctitatem cæli, Deique in eo specialem gubernationem, de felicitate, æternitate et laudatione Dei addit David, v. 6. BEATI QUI HABITANT IN DOMO TUA DOMINE, IN SÆCULA SÆCULORUM LAUDABUNT TE. Hebr. יְהַלְלוּךָ *ichaleluchâ*, id est, tibi canent alleluia. S. August. in Psalm. nostr. Hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu alleluia. Hebr. pro *in sæcula sæculorum*, habetur עוֹד *od*, id est adhuc, ut vertit S. Hieron. et Felix, q. d. Cum per centum annos Deum laudaverint, adhuc laudabunt: cum per ducentos, adhuc laudabunt: cum per mille milliones annorum, adhuc laudabunt; 2. *od*, id est in æternum, ut habet Arnabius: perpetuo, ut Flaminius. Laudis illius mentio fit Ps. 28. 9. *In templo eius omnes dicent gloriam.* Isaiæ 26. 1. *In die illa cantabitur canticum in terra Iuda.* Cælum est terra Iuda, id est laudis seu laudantis, ibi dies est sine nocte. Et cap. 51. 3. *Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur ruinas eius: et ponet desertum eius, quasi delicias: et solitudinem eius, quasi hortum Domini: gaudium et lætitia invenientur in ea: gratiarum actio, et vox laudis.* Hoc in Apocalypsi declaratur fuse cap. 4.

Quæres, quomodo per totam æternitatem poterunt sancti Deum laudare? Resp. Prima ratio a priori est, quia eum tota æternitate amabunt. S. August. hoc loco: *Securi simus, fratres, non nos satiabit nisi laus Dei, amor Dei. Si deficias ab amore, deficies a laude. Si autem amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit: noli timere, ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare.* S. Bernard. serm. 5. de festo Sanctorum omnium: Nostra felicitas, nostra interim festivitas in timore Dei: nam illorum magis in exultatione et laude versatur. Secunda ratio a priori est, quod nova semper in infinito obiecto videbunt sancti laudanda et admiranda. *Quanto, ait, plus vident, plus intelligunt, plus agnoscunt: tanto plus diligunt, tanto magis laudant, tanto amplius admirantur.* Tertia ratio est a posteriori: in æternum sancti Deum laudabunt: quia in ea laude non lassabuntur, sed delectabuntur. S. August. serm. 35. de verbis Domini cap. 4. et 5. Pecunia est, ait, quam nomine divitiarum appellat iniquitas. Si enim veras divitias quæris, aliæ sunt. Talibus Iob nudus abundabat, quando in Deum cor plenum habebat, et laudes Deo perditis omnibus rebus, tamquam gemmas pretiosissimas, proferebat. Ipsæ sunt veræ divitiæ: istæ autem ab iniquitate appellantur divitiæ: hæc August. Hoc incipiunt facere sancti in terris, quod in cælo facturi sunt in æternum. Angelica Seraphina Ord. S. Dominici morti proxima identidem versum illum Ps. 141. repetebat: *Educ de custodia animam meam, ut confiteatur nomini tuo Domine.* Beda morbo gravi afflictus decantavit: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Vix extremum verbum finierat, cum morbo liberatus animam Deo reddidit. Nonnulli asseverant S. Benedictum in ipso matris utero auditum laudes Dei canicnentem. A Ioanne Baptista Salvatorem fuisse salutatum, cum adhuc ipse Ioannes esset in utero matris, certum est. Nos a primis annis ad vitæ finem laudemus Deum, ipsum per omnia sæcula laudaturi. Videamus tamen, ut manus ori consonet, sicut monet Petrus Laodicenus tract. in orat. Dominicam: Quisquis, inquit, Deum patrem vocat, is purus a peccatis, hæresque regni cælestis esse debet: temerarius autem, diabolo similis effectus, Deum patrem dicit, quem non glorificat. Vide dicta Ps. 49. 18.

34 *Quomodo tota æternitate Deum laudabunt sancti?*

Nota, in sala Dei domo est felicitas: *Beati qui habitant in domo tua Domine.* Plutarchus in symposio seu convivio septem sapientum, quæstionem ait propositam esse: *Quænam maxime felix domus foret?* 1. Solon ait, eam sibi videri felicissimam, in qua pecuniæ essent, sine fraude aut iniustitia comparatæ: et quæ fidelibus commissa esset custodibus, nec erogatis illis sequeretur pœnitentia. 2. Bias eam domum felicissimam esse censuit, in qua per se Dominus existeret talis, qualis in publico est a lege compulsus. 3. Thales, eam in qua pingui otio Dominum perfrui liceret. 4. Cleobulus, si plures multo essent, qui Dominum amarent, quam qui timerent. 5. Pittacus, eam domum præferebat, quæ tum necessariis tum redundantibus superflueret. 6. Chilon, eam quæ administrationi regiæ similis esset. 7. Lycurgus, quæ similis esset Democratiæ, id est gubernationi, in qua populus dominatur: hæc Plutarchus. Illa autem omnia in Dei domo excellentissime reperiuntur. Primo enim, ibi sunt divitiæ. Est enim civitas cælestis tota ex auro et gemmis conflata, ut docet S. Ioannes, qui illam vidit, Apocal. 21. 18. Ibi nihil deest. Secunda, in ea cælesti domo Deus ipse Dominus est ac paterfamilias, qui est infinitæ perfectionis et sanctitatis. Unde beatos efficit omnes suos domesticos. Boetius lib. 3. de consolatione Prosa 10. Confitendum est, ait, summum Deum summi perfectique boni esse plenissimum. Sed perfectum bonum, veram esse beatitudinem constituimus. Veram igitur beatitudinem in summo Deo sitam esse necesse est. Ita Boetius Severinus, vir clarissimus, Senator et Consularis, qui floruit tempore Theodorici regis Italiæ, circa ann. 520. David noster dicit, Ps. 143. 15. *Beatum dixe-*

35. *Sola Dei domus est felix, propter octo: Sapientum opiniones de domus felicitate.*

runt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cuius Dominus Deus eius. Sub eo patrefamilias omnes sancti sunt.

Annæ regis quatuor filiæ sanctæ fuerunt.

Annæ regis orientalium Anglorum domus felicissima iure æstimata est, quia teste Beda, quatuor filias habuit sanctas: nempe S. Etheldredam, S. Sexburgam, S. Withburgam, et S. Edilburgam: unde vocatur ab ipso Beda, *bona et sancta sobole felix.* Beatæ fuerunt domus S. Basilii, S. Gregorii Nazianzeni, S. Bernardi, et aliorum, in quibus pene omnes sancti fuerunt: sed quid hæc erunt, si cum innumerabilibus filiis Dei in cælo conferantur, a patre suo cælesti sanctitatem mutuantibus? Tertio, Deus in regia sua domo quietissimus est, et omnes quietos in optatissima in securissima pace efficit. Ibi est terra Eden, id est deliciarum, ubi est status innocentiæ: hic est terra Naid, hoc est fluctuationis et agitationis, in qua oberrat Cain, id est possessio, et possidens: amor enim terrenæ possessionis omnes eiicit a facie Dei, et vagos ac profugos, atque perpetuo trementes efficit. Quarto, in cælesti domo timor servilis non est, sed amor sincerissimus Dei unius gloriam optantium et cantantium, *in sæcula sæculorum laudabunt te.* Quia semper amabunt, ut dixi ex S. Augustino. Quinto, in ea domo omnia abundant. Ps. 16. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Vide ibi dicta. S. Bern. adde, qui serm. 4. de dedicatione Ecclesiæ, sic ait: *Gloriosa dicta sunt de te domus Dei. In tabernaculis enim gemitus est pœnitentium: in atriis, gustus lætitiæ: in te, satietas gloriæ. Hæc quidem est infima domus orationis: media expectationis: tu gratiarum actionis et laudis. Felix proinde qui hic declinaverit a malo, quod est culpa, et fecerit bonum: ut illic a malo, quod est pœnæ, liberetur, et in te recipiat bonum. Hic nimirum primitiæ spiritus, illic divitiæ: in te plenitudo: ubi bona illa mensura conferta, et coagitata, et supereffluens detur in sinus vestros. Hic denique fiunt sancti, illic securi, in te beati.* Sexto, in ea domo est Deus ipse rex, hæc est aula Dei regia, ibi verus Salomon leges dat, et omnes instruit. Illi dicendum est cum regina Saba, 3. Reg. 10. 8. *Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.* Septimo denique, in ea domo omnes regnant: reges enim sunt. Unde S. Ioan. Apoc. 4. 4. vidit illos coronis aureis coronatos. Octavo, et præcipue, in domo cælesti est felicitas: quia hæc omnia, aliaque bona, ibi æterna sunt, ob quæ laus a corde et ore sanctorum non cessabit: *In sæcula sæculorum laudabunt te.* Baruch propheta cap. 3. 24. eam Dei domum admirans dicit: *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius! magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus.* Luc. 16. 9. vocantur æterna tabernacula. Et cap. 10. 42. Maria dicitur optimam partem elegisse, quæ non auferetur ab ea. 2. Cor. 5. 1. ait S. Paulus: *Scimus quoniam*, quod, *si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.* Domus nostra terrestris est hoc corpus mortale, domus æterna in cælis est corpus resurrectione glorificatum, ait S. Chrysost. et Theophylactus. Est etiam præterea illa cælestis civitas habens fundamenta, id est stabilitatem, Apocal. 21. 14. quæ domus vocatur, quia omnes ibi sunt fratres cum eodem patre viventes, sine ulla divisione de omnibus bonis participantes. S. August. in Psal. nostr. *Possident*, ait, *Ierusalem cælestem sine angustia, sine pressura, sine diversitate et divisione limitum: omnes habent eam, et singuli habent totam. Magnæ illæ divitiæ: non angustat frater fratrem, nulla ibi indigentia est.* S. Bern. ingeniose ait, in ea domo esse fundamentum et tectum. Sic enim loquitur serm. 42. ex parvis: *Post hanc sane resurrectionem, cum angelis erunt in domo, quæ habet fundamentum et tectum. Fundamentum, est stabilitas æternæ beatitudinis: tectum, consummatio et perfectio illius.*

Ratio a priori illius æternæ felicitatis est decretum Dei semper suo aspectu beare volentis sanctos. Ps. 5. 12. *In æternum exultabunt, et habitabis in eis.* S. August. in illud Ps. 101. *Tu autem idem ipse es*, sic ait: Æternitas Dei, est Dei substantia, quæ nihil habet mutabile: ita ille. Præter Deum, nihil est, quod sit æternum ac stabile a seipso. Cassian. Collation. 23. cap. 3. *Nihil est per semetipsum stabile, nihil immutabile, nihil bonum, nisi deitas sola: omnes vero creaturæ, ut beatitudinem æternitatis, vel immutabilitatis obtineant, non hoc per suam naturam, sed per Creatoris sui participationem et gratiam consequuntur:* ita Cassianus.

36. Æternitas ad felicitatem requiritur.

Nota, ad perfectam felicitatem requiritur eius æternitas: ita docet S. Thomas in lib. 1. Ethic. Aristot. Requiritur, ait, ad felicitatem continuitas et perpetuitas, quantum possibile: quia homo appetit esse simpliciter et semper. Neque in anima tantum, sed etiam in corpore, et hæc est duplex sanctorum stola, ut docet S. Bern. sermon. 3. in festo sanctorum omnium. Una hirundo, aut unus dies non facit ver, ait Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 7. unde concludit, beatum non effici parvo tempore. S. August. æternitatem ad felicitatem requiri probat, alioqui homo non haberet id quod optat. Verba eius sunt lib. 4. de civit. Dei cap. 25. *Beati vita si non amatur, non habetur. Porro si amatur et habetur, cæteris omnibus rebus excellentius necesse est ut ametur. Porro si tantum amatur, quantum amari digna est (non enim beatus est, a quo ipsa beata vita non amatur, ut digna est) fieri non potest, ut eam qui sic amat, non æternam velit*: ita Augustinus.

Huius æternitatis beatæ in cælo empyreo, quædam adumbratio est in perenni cælorum sidereorum illuminatione, influxu, et motu. Plato in Timæo: *Eam ob rem*, ait, *opifex rerum Deus*, κινητόν, εἰκόνα αἰῶνος, *æternitatis imaginem mobilem facere instituit: ita, dum cælum ordinaret atque componeret, æternitatis scilicet in uno permanentem imaginem, certis numerorum articulis progredientem, quam tempus vocavimus*: ita ille. Cælum ipsum, sol, astraque omnia, transitoria sunt, et consequenter nec Deus noster, nec beatitudo esse possunt. In Alcorani Arabica epitome, num. 4. Deus, ait, docuit Abrahamum, quisnam esset Deus. Nam imperavit, ut ab his terrenis imaginibus, in cælum oculos intenderet. Nocte adveniente lucentem stellam conspicatus Abraham exclamavit: Hæc stella est Deus: sed cum eamdem in occasum tendentem vidisset, rem dixit esse transitoriam. Sole deinde oriente affirmavit illum esse Deum, quod stellis esset maior: sed eodem in occasum vergente, dixit: A vestra fide et credulitate, homines, recedo; ad Deum autem cæli et terræ conditorem faciem meam convertam: ita ibi. Si in cælo nihil est stabile, quid erit in terra? Winfridus vere dixit: *Terrena ut umbra prætereunt, ut fumus fatiscunt, ut spuma marcescunt.* In Romano imperio decem Imperatores intra annos viginti numerabis: et miraberis illud desinere in Augustulo, cum in Augusto inceperit. In Constantinopolitano imperio quot mutationes et strages? periit in uno Constantino, quod in Constantino magno inceperat: et nunc sub duro Turcarum iugo ingemit. Urbes ipsæ licet bene fundatæ corruunt. S. Aug. lib. 2. de mirabil. Scripturæ (si tamen est Aug. ille liber, et non potius alterius) cap. 3. ait: Famoso terræ motu centum Libyæ urbes corruerunt: ita ille. Proprium terræ est agitari: unde Tertull. mundum hunc vocat versiformem: mutat enim formas suas instar Protei. Verba eius sunt Lib. de pallio, cap. 2. Ita mutando erit mundus omnis diversitatibus corporatus, et vicibus temperatus, totum versiforme est. In rosæ typo pulchritudinem mundi, sed caducam, repræsentat Pontifex Rom. singulis enim annis, in 4. Dominica quadragesimæ, *rosam aurea*m benedicens: finitoque officio principi alicui præsenti offert, aut ad absentem mittit: sic Alexander III. misit regi Scotiæ: Paulus II. Ferdinando filio Ferdinandi regis Neapolitani: Paulus V. Ludovico XIII. regi nostro, ut rosæ eos monerent vitæ fragilitatis: et aurum omne, gemmas, honores, esse rosam pulchram, sed cito marcescentem. Paschas. in Ps. 44. *Aliæ sunt rosæ*, ait, *quæ Christi sanguine intus pinguescunt et rubricantur, ut semper floreant: aliæ, quæ in terra radicantur, cito ut floreant, et postmodum arescant. Omnis quippe luxus præsentis vitæ, vapor est, et spuma gaudii.* Alio simili mobilitatem rerum terrenarum

37 Terrena sunt mutabilia.

Imperatores decem intra annos viginti.

Rosa aurea a Pontifice benedicitur, et ad reges mittitur.

Romani repræsentabant: nempe lunulæ, quam sub pedibus gestabant. Plutarch. in quæstionib. Romanis: Rebus, ait, secundis elati, et superbientes, ut monerentur fortunæ in alteram partem mutationis, in exemplum lunam assumentes. Archimedes in Arenario dicit: ab Aristarcho Samio supponi inerrantia sidera, et solem non moveri: terram vero ferri in gyrum circa solem, qui in medio stadio iacet. Luna est mundus mutabilior et omni globo volubilior.

38. *Terrena sunt calcanda.* Ex his collige, terrena esse calcanda, æternitatem amandam. Basil. Imp. in exhort. ad Leonem filium, postquam docuit, in hac mortali vita omnia instar rotæ agitari, et sursum ac deorsum ferri, addit: *Obnoxius es morti corporeæ, sed animo permanebis immortalis. In iis ergo quæ corporis propria sunt, mortale sapias: in iis vero, quæ animi, immortale amplectere.* S. Gregor. Nazianz. in carmine de vitæ itineribus: Tuæ, inquit, sapientiæ est, gubernator rerum Verbum, instabilia facta esse omnia, στασιμων ως κεν ερροιεν ερως, *ut stabilium amor maneat.* S. August. in Psal. 145: ad æternitatem beatam amandam sic hortatur: *Ama æternitatem, nullo fine regnabis, si finis tibi Christus est.*

ARTICULUS IV.

Ad cælum et cælestia mente ascendendum est.

39. *Vers. 7* Viso termino, nempe domo Dei cælesti, et eius incolis ipsum laudantibus, felices eos dicit David, qui ad illum tendant, v. 7. BEATUS VIR, CUIUS EST AUXILIUM ABS TE, ASCENSIONES IN CORDE SUO DISPOSUIT IN VALLE LACRYMARUM: IN LOCO (Gr. εις τον τοπον, in locum, ut legit S. Aug. Noster enim Interpres non semper se adstringit regulis grammaticæ. Sic Ioan. 7. ait: *Ambulabat Iesus in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare: pro, in Galilæa, et in Iudæa*) QUEM POSUIT, supple Deus: ita Augustinus; 2. ipse vir, qui in corde suo ascensiones disposuit; et hæc explicatio est melior. Alioqui dicendum esset, quem posuisti. Nam Deum ibi alloquitur Propheta, ut patet. Non est tamen prorsus reiicienda expositio S. Augustini. Hebræi enim aliquem alloquentes, sæpe a secunda persona ad tertiam transeunt. Et favet Psalterium Romanum, in quo habetur: *In locum quem disposuisti ei.*

Motiva quatuor ad cælum petendum. Nota, quatuor hic ponuntur motiva, quibus inciteris ad ascendendum in cælum. Primum petitur a Deo adiuvante: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te.* Secundum, a natura cordis humani, quod cupit semper ascendere: *Ascensiones in corde suo disposuit.* Tertium, a loco ex quo est ascendendum: *In valle lacrymarum.* Quartum, a loco ad quem est ascendendum: *In loco quem posuit.*

40. *Deus iuvat ascendentes in cælum.* Ac primo, Deus ascendentes iuvat. Primo, eos roborando, et vires internas dando ad iter faciendum, et animando mentem, ut iter incipiat. Hebr. *Beatus vir, cuius est* עז *oz*, id est, *fortitudo in te.* Non prius Moses a terra Madian exivit in Ægyptum, ibi miracula patraturus, et inde populum ad terram promissionis educturus, quam natus illi esset Eliezer, id est adiutorium Dei, Exod. 2. 22. quo nato dixit: *Deus patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis,* quem timens ex Ægypto fugerat Ab alio deinde Pharaone eripuit cum variis prodigiis. Secundo, Deus ad ascensum iuvat, animam stabiliendo in ipso ascensu sanctarum cogitationum et affectionum, sicut firmavit scalam Iacob in ascensu et descensu Angelorum. Genes. 28. 12. *Vidit Iacob scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ.* Philo lib. de somniis pag. 456. ait, in scala illa animam figurari. Si scalam, ait, quæramus in hominibus, *Anima est scala Iacob.* inveniemus animam, cuius basis est corporea, et veluti terrea, scilicet sensus: caput vero, tamquam cæleste, mens illa purissima: per eam sursum deorsumque feruntur indesinenter divinæ intelligentiæ: quoties ascendunt trahentes eam secum divellentesque a rebus mortalibus, et pro dignitate tantum ostendentes ei spectacula; sed non detrahentes secum, quando descendunt. Nam nec Deus, nec

A Dei nuntius, detrimenti causa est: sed condescendunt propter charitatem, ut succurrant misero nostro generi, ωσπερ εν ποταμω τω σωματι φορουμενην ψυχην, quasi a flumine raptam animam, favore suo reddit incolumem. Purgatissimas quidem mentes solus Deus omnipotens insensibiliter et invisibiliter dignatur invisere. Deus enim est στηριγμα, και ισχυροτης, και βεβαιοτης απαντων, fulcimentum, robur, et firmitas rerum, quibuscumque vult assignare stabilitatem perpetuam. Tertio, progredientes dirigit ad portum. Salvian. lib. 1. de prudentia: Plato, inquit, et omnes Platonicorum scholæ, moderatorem rerum omnium confitentur Deum. Stoici eum gubernatoris vice, intra id quod regat, semper manere testantur. Hoc utique intelligentes, *quod sicut navigans gubernator, nunquam manum suam a gubernaculo, sic nunquam penitus curam suam Deus tollat a mundo.* Ac sicut ille et auras captans, et saxa vitans, et astra suspiciens, totus sit simul tam corporis quam cordis officio, operi suo deditus ita scilicet Deum nostrum ab universalitate omnium rerum, nec munus dignantissimæ
B visionis avertere, nec regimen providentiæ suæ tollere, nec indulgentiam benignissimæ pietatis auferre: ita Salvianus. Quarto, Deus pigritantes, aut deficientes præ infirmitate impellit. Cæsar Capaccius navem immotam pinxit, cuius vela nautæ explicant, cum hoc eloquio: *Aderit mox ventus et unda.* Quinto, hostium deiicere animam volentium vires infringit, et animam erigit. Hostes enim externi transitum in cælum obstruere moliuntur, ut in variis visionibus cognitum est, sicut gigantis illius magni, qui S. Antonio apparuit animas evolantes in terram detrudens. Hostes etiam interni eam degravant, unde multi iam pene cælum tangentes cadunt, ut declaratum est S. Francisco, in illa scala aurea, in cuius summo erat Christus, et in qua varii eius alumni ascendebant. S. Aug. in Psalm. nostr. Spiritus, ait, sursum vocat, pondus carnis deorsum revocat, inter duos conatus suspensionis et ponderis, colluctatio quædam est: et ipsa colluctatio ad pressuram, pertinet torcularis. Ita ipse, alludens ad titulum psalmi,
C qui inscribitur, Pro torcularibus. Et aliquot interiectis, quibus ingeniose et pie luctam S. Pauli explicat, addit: Considerata gravedine corporis sui, et mole carnis suæ, et desperatione quadam suborta: rursus in spe evigilavit, et ait: *Beatus vir, cuius est susceptio eius abs te Domine.* Sic legit: illi itaque omnes victorias nostras acceptas feramus. Philippus August. Francorum rex, cum centum hostium millia ad Bovinum adstarent, ducibus Othone Imperatore, Ioanne rege Angliæ, et Ferdinando Flandriæ Comite, coronam altari erecto imposuit, ut ostenderet Deo se illam tutandam committere, ut ait Rigordus anno 1214. cum vero victor Parisios rediit, plurima variis Ecclesiis regni sui donavit in actionem gratiarum. Romani veteres singulis quinquenniis lustrum agebant, in quo sacrificium fiebat, et cum cereis et lampadibus urbs Roma lustrabatur, in honorem infernalium deorum, et præcipue Februi, id est Plutonis, a quo et mensis Februarius dictus est: quod ideo fiebat, quia eorum præsidio nationes orbis se subiugasse putabant, ut ait S. Eligius hom. 2. in festo
D Purificationis. Nos a Deo cæli bona accipimus, illi uni accepta ferimus, et ab eo illa singulis diebus expectamus, sicut flos a suo sole. Cæsar Capaccius pinxit florem, explicantem se ad solem, his verbis appositis: *Te sine quid moliar?* Sexto, ascendere in cælum cupienti alas dat Deus: aut alas columbæ, Psal. 54. 7. aut aquilæ, Isaiæ 40. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ.* Typotius pegasum equum alatum, et ad nubes se efferentem delineavit, hoc addito: *Alta alatis patent.* Septimo denique, si etiam alati fatigentur, eos brachiis suis portat. Syr. vertit in Psalm. nostr. *Beatus vir, cuius tu es suffultor.* S. Aug. Cuius est susceptio abs te. Eos vultu benigno recreat. Arabs, Cui adiutorium advenit a conspectu tuo; sicut flori a sole, de quo mox dixi. Eos portari facit ab angelis. S. Catharinam Senensem ferebant nonnunquam angeli, cum gradus ascendebat. S. Mariam Magdalenam, et Zedmeram filiam regis Saba in

cælum sæpe tulisse dicuntur. Nos saltem de anima dicamus cum Davide Psalm. 24. 1. *Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido.* Vide illum locum.

41. *Cor nostrum vult ascendere.* Secunda, ascendendum est in cælum, quia cor nostrum amat ascensum, et irrequietum est, donec in Deo requiescat: *Ascensiones in corde suo disposuit.* Hebr. pro *ascensiones*, habetur מסלות *mesilloth*, id est, viæ elevatæ lapidibus aut aliis rebus, ut ait R. Ioseph; 2. gradus, ut R. David; 3. via trita et calcata ut explicat Chaldæus Isaiæ 19. 23. Noli ambulare per vias insolitas atque aliis inaccessas, illæ in præcipitium ducunt: vitæ tritæ tendunt ad cælum.

Gradus cordis sunt virtutes. Quæres, quibus gradibus et ascensionibus cor ad cælum elevatur? Resp. Primo, fide: ita Greg. in proœmio in Ps. 6. pœnit. Secundo, spe: ita Chald. qui vertit: Beatus vir, cuius est fortitudo in verbo tuo: fiducia eius in corde suo. Tertio, charitate: ita S. Aug. in Psalm. nostr. *Ascensus in corde eius. Facit illi gradus, quibus ascendat. Ubi illi facit gradus? In corde. Quando ergo plus amaveris, tanto plus ascendes*: ita ille. Amor etiam plumbeis, et testudineis hominibus dat alas. Felix princeps Salernitanus testudinem alatam pinxit, cum his verbis: *Amor addidit alas.* Quarto, gradus in cælum sunt omnes virtutes: ita Cassiodorus, qui ait: Tot scandi gradus, quot quis auxilio Domini vitia vincit: et tot quemque gradibus evehi, quot vitiis fuerit absolutus: et quantum in valle seu convalle lacrymarum, et pœnitentiæ humilitate, satisfacienda descenderit. De gradibus variarum virtutum dicam in quindecim Psalmis gradualibus, præsertim initio Ps. 119. qui est primus inter illos. In terra nobis periculum est, *Brasili in retibus dormiunt.* virtutibus anima sursum elevanda est. Brasili in mediis campis nonnunquam dormiunt: sed ne a belluis infestentur aut a serpentibus, et possint puro aere libere frui, retia duabus arboribus appendunt, sicque a terra elevati securos somnos ducunt. Voluptates sunt feræ ac serpentes, beatus est qui eas fugit. S. Ambr. lib. de fuga sæculi, cap. 1. Beatus, ait, quem delectatio non revocat, quem voluptas non inclinat, qui ad inferiora non respicit: quod nec ipsius Loth uxor potuit evadere: ita Ambrosius. In cælo vivendum est et conversandum. S. Eligius hom. 8. Manus vestras, inquit, in sublime porrigentes, ostendite, quia magis cælestia quam terrena diligitis, et vestra iam conversatio in cælis est: hæc Eligius.

42. *Terra est vallis lacrymarum, ob miserias varias.* Tertio, in cælum ascendendum est, quia in valle lacrymarum sumus, in qua miserum est iacere et plorare: *In valle lacrymarum.* Homo plorat in nativitate, in vita, et in morte. Plorat ob miserias mentis et miserias corporis. S. Ambros. lib. 3. Hexaem. cap. 1. legit, in convalle fletus. S. Bernard. serm. 5. in Assump. B. Virg. in convalle plorationis. Convallis est planities ex omni parte comprehensa montibus, collibusque. Varro sic dictam esse ait, quasi cavatam vallem. Omni die et hora sunt lugendi causæ in hac vita. Vallis est planities duobus lateribus inclusa: quod hinc atque illinc vallata sit. Mundus hic est *vallis flentium.* Iudicum 2. Angelus Michael ascendit de Galgalis ad locum Flentium, et increpat ibi Israel, quod percussissent fœdus cum Chananæis: ideo elevaverunt vocem suam, et fleverunt: *Et vocatum est nomen loci illius, locus flentium*, sive lacrymarum. Adrichamius putat hunc locum fuisse iuxta Galgala: alii fuisse in Sila: nam illa apparitio contigit anno exitus ab Ægypto 56. ingressus in terram promissam 16. Iosue Princip. 16. tunc autem arca et tabernaculum erant in urbe Silo. Sed probabilius, locus ille erat in tribu Iuda, iuxta Ierusalem a parte occidentali, in sylva ultra vallem Raphaim, quæ a tergo habebat Philisthinos. Si essemus in monte lacrymarum, aquæ illæ defluerent, et in nobis diu non hærerent: sed in valle sumus, et dum vivemus, in nos aquæ ex montibus et rupibus afflictionum defluent.

43. *Per vallem, id est, humilitatem, est ascendendum.* Nota, per vallem nobis ascendendum est, id est per humilitatem; 2. per vallem lacrymarum, id est pœnitentiæ et devotionis. Ac primo humilitas elevat. Lucæ 18. 14. *Qui se humiliat, exaltabitur.* S. Benedictus agit de illa humilitatis scala in regula cap. 6. quæ extat tom. 7. Bibl. Patr. parte 1. fol. 421. *Si, ait, summæ humilitatis volumus culmen attingere, et ad exaltationem illam cælestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire: actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est, quæ in somno Iacob apparuit, per quam ei descendentes et ascendentes angeli monstrabantur. Nihil aliud sine dubio descensus ille et ascensus a nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, et humilitate ascendere. Scala vero ipsa erecta nostra vita in sæculo, quæ humiliato corde a Domino erigitur ad cælum. Latera enim huius scalæ, dicimus nostrum esse corpus et animam, in quæ latera diversos gradus humilitatis vel disciplinæ evocatio divina ascendendos inseruit.* Ita Benedictus, qui deinde duodecim gradus humilitatis assignat: 1. timorem Domini; 2. abrenunciationem propriæ voluntatis; 3. obedientiam; 4. patientiam; 5. confessionem peccatorum; 6. contemptum sui; 7. præferre alios sibi; 8. nihil singulariter agere; 9. tacere usque ad interrogationem; 10. non esse facilem ad ridendum; 11. pauca et rationabilia loqui; 12. statu et habitu humilitatem prætendere: hæc ipse. Hanc lectionem a se disci vult Christus, qui sibi complacet et requiescit in humilibus, et apud humiles. Zachæus statura pusillus erat, ideo ascendit, et Iesum vidit, Lucæ 19. 4. atque Iesus in eius domum descendit, eique salutem attulit. *Deus servos suos humiliat, ut eos exaltet.* Non prius cæli aperti sunt, ut in eos ascendamus, quam Iesus in aquam descenderit, Matthæi 3. 16. Deus servos suos prius humiliat, ut eos exaltet. Hoc patuit in Isaac, quem gladio parentis subiecit, ut vivificatum patrem Christi faceret; 2. in Iacob, quem cum baculo trementem mittit extra patriam, ut eum ditet; 3. in Ioseph, quem in Ægyptum et in carcerem deiicit, ut toti regno præficiat; 4. in Mose, quem in Madian eiicit, atque ad oves abiicit per 40. annos, ut Deum Pharaonis constituat; 5. in Israelitis, quos affligi patitur, ut in terram promissionis erigat. Gen. 50. 23. Ioseph ait fratribus suis: *Post mortem meam Deus visitabit vos*, id est, affliget: afflictio est Dei visitatio, quæ nos ad se trahit; unde additur: *Et ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam iuravit Abraham, Isaac et Iacob.* Iob. 5. 11. ait Eliphaz Themanites: *Qui ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit sospitate.* Contra vero, qui se exaltat, humiliatur, et se erigere non potest. Aimoin. l. 1. histor. Franc. cap. 2. ait, Alces in Germania esse capris similes, quæ crura sine nodis et articulis habent, neque quietis causa procumbunt: neque, si quo afflictæ casu conciderint, erigere sese et sublevare possunt. His sunt arbores pro cubilibus, et ad eas se applicant: atque ita paululum modo reclinatæ quietem capiunt. Ideo venatores arbores eradicant, aut secant: ita ut summa species earum stantium relinquatur. Cum se inclinaverint, arbores cadunt: hæc ille. Quidam de elephantis idem dicunt. De Assyriis, quorum gloriam descripserat, ait Isaias cap. 8. 15. *Cadent et conterentur.* Et de iisdem duce Sennacherib affligentibus Iudæam, et ibi pereuntibus dicit, cap. 10. 33. *Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore*, id est copias Sennacherib. Alludit ad lagenas fictiles Gedeonis, *et excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur; et subvertentur condensa saltus, et Libanus cum excelsis cadet*, id est exercitus idem, in quo hastati et lanceati milites sunt instar sylvæ in Libano elevatæ.

44. *Lacrymæ pœnitentium ad Deum elevant.* Secunda, vallis lacrymarum est hæc vita. Primo, ob miseriam eius, ut dixi supra, quæ nos humilians ad cælum attollit. Secundo, est vallis lacrymarum ob peccata admissa, et hæ lacrymæ nos elevant ad Deum. S. Greg. in Ezech. lib. 2. hom. 19. Ascensus, inquit, in valle eius disposuit, in convalle lacrymarum. Convallis quippe humilis locus est, et peccator quisque dum se in lacrymis humiliter affligit in corde, per ascensum virtutum proficit. Qui rursus ait Psal. 103. 10. *Qui emittis fontes in convallibus*: quia omnipotens Deus dona spiritalis gratiæ humilibus præstat: ita Gregorius. Ludovicus VII. rex Franciæ, ob Theobaldum comitem Campaniæ comburi iussit urbem Victoriacum, sed postea tam ardentes et frequentes lacrymas *Ludovici regis ardentes lacrymæ.*

eam ob rem emisit, ut S. Bernardus eas videns, dixerit: Hæ lacrymæ, nisi cito exarescant, restinguere possunt Victoriacensis incendii memoriam. Tantam illis addidit constantiam, roburque permovit, ut sacram militiam susciperet, tantoque ardore facta sit profectio, ut qui irent, remanentibus colum mitterent, velut muliercculis: ideo multi præ pudore profecti sunt, ut ait Aimoinus l. 5. hist. Franc. fol. 224. Solis pœnitentiæ aquis anima sordida lavari potest:

Cydni aquæ. Iure comparabitur aquæ Cydni fluminis, de qua ait Plutarchus lib. de oraculor. defectu. De Cydno autem, et sacro Apollinis gladio, qui Tarsi est, tc, mi Demetri, narrantem audivimus. Gladium illum nulla alia aqua tergi ac purgari posse, quam fluminis Cydni. Sicut etiam Olympiæ cinerem aqua Alphei amnis affusa aræ agglutinari, cum nulla hoc alia aqua possit efficere: hæc ille. Nihil

45. Lacrymæ devotionis ad cælos suspirantium. autem coinquinatum intrabit in regnum cælorum. Tertio, vita hæc est vallis lacrymarum devotionis, ob desiderium cæli et amorem Dei. Iudicum 1. cap. 15. Caleb dedit Othonieli Axam filiam suam in uxorem, quod percussisset Cariath Sepher, id est civitatem litterarum. Othoniel autem monuit uxorem suam, ut a patre postularet agrum. Tunc illa patri dixit: *Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi: da mihi irriguam aquis. Dedit ergo et Caleb irriguum superius, et irriguum inferius.* Hebr. vox *more*, et doctorem et pluviam significat. S. Ignatio Soc. Iesu Fundatori dedit Deus, ut instar Othonielis civitatem litterarum caperet, atque in ea suos filios collocaret, fundando academias et collegia, quibus vallum hæresi opponeret. Dedit quoque illi irriguum superius et inferius, consolationes scilicet cælestes in mente, et donum lacrymarum in corpore. 2. Beatricis Arainæ oculi videbantur esse duo fontes lacrymarum, cum in oratione versabatur. 3. Hieronymæ a Carvallo oculi adeo diffluebant in lacrymas, ut iis quotidie quatuor strophiola madefierent, et sæpe magnum eius velum, quod Hispanorum more, capiti imponebat. 4. Anna Albuquercia tantum lacrymarum imbrem cum tantis suspiriis, ob peccata in sæculo commissa, fundebat, ut in cellam subterraneam sæpe se recipere cogeretur, ut liberius et suspiria erumpere, et lacrymæ fluere possent. 5. Ioannæ a S. Stephano vestes omnino sudore madidæ erant, cum in extasim raperetur, ob amoris vehementiam, et caput instar lebetis bullientis fumabat. 6. Angelica Cademonti videbatur in oratione flammato Seraphini vultu: atque ex genis sæpe visæ sunt scintillæ igneæ emicare, dum fluenta lacrymarum ex oculis fluerent. S. August. in Psal. nostr. *Ascensus*, inquit, *in corde eius disposuit Deus, in convalle plorationis. Ecce habetis torcular convallem plorationis: ipsæ lacrymæ piæ contribulatorum, mustum sunt amantium. Hic disposuit ascensus in convalle plorationis: hic enim ploratur, ubi seminatur. Euntes, inquit, ibant et flebant, mittentes semina sua. Ergo ascensus in corde tuo sunt dispositi a Deo per gratiam ipsius. Amando ascende: inde cantatur canticum graduum:* ita Augustinus. Romani aquas e leucis quatuordecim Romam deduxerunt. Sublacus enim Roma distat leucis 14. ibi tres lacus sunt, qui Teveronis augent aquas, quæ frigidæ sunt, atque perspicuæ, adeoque a Romanis in pretio habitæ, ut per aquæ ductus eas Romam usque deducerent, rupibus et montibus perforatis: quod ita visum est admirabile Leandro Alberto, ut non prius id scribere voluerit, quam oculis aspexisset. Nobis e cælo fontes devotionis petendi sunt; fluere visæ sunt aquæ e templo cælesti ab Ezechiele conspecto, Ezech. 47.

46. Quarto denique, in cælum ascendendum est, quia est locus quem Deus nobis posuit, et quem cor nostrum sibi ponit tamquam metam et terminum laborum, domum quietis, et regnum gloriæ: *In loco*, id est, in locum, ut

Paradisus est lætitiæ locus. dixi ex Græco, *quem posuit*. Hebr. ibi est nunc: *Semitæ in corde eius: transeuntes in valle fletus, fontem ponent eam*, ut vertit S. Hieronymus. Nam מעין *maian* significat, fontem. Sed probabile est Septuag. Legisse מעון *maon*, id est, locum.

Nota, in hac valle sunt fontes et flumina: sed fontes lacrymarum et flumina Babylonis: in cælo sunt fontes vitæ, et flumina, quorum impetus lætificat civitatem Dei. Theophrastus Silenum varia Midæ regi narrantem inducit, atque inter cætera se vidisse duos fluvios sibi contrarios: nempe fluvium lætitiæ, et fluvium tristitiæ. In eo loco, ait, duo fluvii labuntur, alter voluptatis, alter tristitiæ: et ad utrumque arbores sitæ sunt magnitudine platani magnæ. Quæ ad flumen tristitiæ sunt, eiusmodi naturæ ac potestatis fructus producere: si quis iis vescatur, eum tantum eiicere lacrymarum, ut per universæ vitæ reliquum tempus fletibus luctibusque diffluat, et sic vitam finiat. Alteras vero, quæ fluvio voluptatis agnoscuntur, fructum contrarium ferre: qui enim hunc gustat, et ab omnibus pristinis cupiditatibus abducitur, etc. Fluvii lætitiæ et tristitiæ.

Nota secundo, in oratione et contemplatione potissimum ad eum locum ascenditur. Illa est porta orientalis, per quam intratur in templum, per septem gradus. Ezech. 40. 6. *Et venit ad portam, quæ respiciebat viam orientalem, et ascendit per gradus eius.* Gradus autem illi dicuntur esse septem, vers. 22. Ugo Cardinalis id exponit de septem gradibus contemplationis. Primo enim, inquit, debemus contemplari ea quæ tantum habent esse, ut lapides et inanima. Secundo, contemplari ea quæ vitam vegetativam vivunt, ut arbores. Tertio, contemplari ea quæ vitam habent sensitivam, ut animalia. Quarto, ea quæ ratiocinantur, ut homines. Quinto, ea quæ comprehendunt, ut angelos, et animas glorificatas. Sexto, Christi humanitatem. Septimo denique, sanctissimam Trinitatem: ita Ugo. Ubi adverte, aliquando esse tantam elevationem mentis in contemplatione, ut secum corpus abripiat, sicut in sanctis plerisque contigit. 1. In S. Ignatio orante in suo cubiculo, et radiis cælestibus coruscante. 2. In S. Xaverio, cum porrigeret populo Eucharistiam. 3. In S. Francisco de Paula, qui visus est a Ludovico XIII. rege Franciæ et tota eius aula elevatus supra nemus in aere. 4. Ioanna Orvietensis die Assumptionis Deiparæ, duas horas integras in aere elevata visa est. 5. Margareta Hungarica in oratione sæpe visa est elevata plusquam cubito a terra. 6. Maria Benigna plusquam tribus cubitis conspecta est a terra extans genibus flexis, sicut orare erat solita. 7. S. Agnes de monte Politiano visa est a sororibus religiosis ante crucifixum a terra erectum orans, paulatim a terra erigi, et ad illum ascendere, nulla re prorsus innixa. Cum ad crucifixum venit, amore illius vulnerata manus extendit, cumque osculari et sæpius amplexari cœpit: tum paulatim visa est descendere in terram, in qua prius orabat. Tunc annos agebat tantum quatuordecim. 8. S. Catharina de Raconis in cælum, purgatorium, et inferos mente ducta est. 9. Maria Pisana anno 1393. mense Iunio cum vacaret contemplationi, in extasim rapta est, et ab angelo ducta in quamdam viam, cuius in fine *scalam centum viginti graduum repererunt, ex gemmis pretiosis constantem:* duobus hominibus simul per illam ascensus patebat. Cum ducente angelo ad scalæ summitatem venit, magnificum palatium reperit, quod tribus columnis innitebatur: prima unico constabat carbunculo, secunda unico smaragdo, tertia adamante quoque unico. Universa domus structura e variis gemmis erat. Duodecim porro contignationibus erigebatur, quarum in singulis duodecim latæ ornatissimæque patebant fenestræ, septem columellis distinctæ e lapillis pretiosis omnes. In summo palatii loco tres ingentes turres assurgebant, ut toti domui præsidium essent. Tum vero angelus, scalam illam ait esse similem scalæ olim a Patriarcha Iacob perspectæ. Palatium illud cælum esse. Tribus angelorum hierarchiis fulciri: contignationes duodecim, duodecim tribus esse: duodecim autem fenestras, Apostolorum typum esse: septem columellas, septem sacramentorum: septem donorum Spiritus sancti, septem Ecclesiarum Apocalypsis: turres tres, esse sanctissimam Trinitatem. S. Bapthildis scalam vidit, quæ ab altari Deiparæ ad cælos usque pertingeret, cuius gradus in multorum angelorum comitatu scanderet. Hinc mortem suam esse proximam cognovit.

Margin notes: 47. Gradus septem contemplationis. — A terra elevati, cum orarent.

48. Vers. 8. Ut clarius explicet Propheta, quas ascensiones seu gradus vir iustus in sua mente disponat, et ad quem locum pergat, subdit v. 8. ETENIM BENEDICTIONEM DABIT LEGISLATOR, IBUNT DE VIRTUTE IN VIRTUTEM: VIDEBITUR DEUS DEORUM (id est, Deus excellentissimus: sicut dicitur Rex regum, id est, rex præstantissimus et potentissimus: Sanctus sanctorum, id est, sanctissimus. Est Hebraismus) IN SION, id est in cælo supremo. Sion significat speculam, seu speculationem.

Nota, tria hic dicuntur. Primo, quod Deus sit daturus benedictionem. Secundo, quod sancti ibunt de virtute in virtutem. Tertio, quod in cælo videbitur Deus. Sic declaratur, ut ait Bellarminus, quomodo vir iustus ascendens per vallem lacrymarum perveniat ad locum quietis, quem Deus posuit: ac demonstrat initium, medium et finem huius ascensionis. Initium est iustificatio, sine qua lex impleri non potest: medium, est impletio legis: finis, est visio Dei, in qua beatitudo consistit.

Ac primo, dicit David: *Benedictionem dabit legislator,* id est, tu Deus, quem alloquor, dabis gratiam. Solent enim Hebræi a secunda persona transire ad tertiam, et rursus a tertia redire ad secundam, ut hic fit: dixerat enim, *Beatus vir, cuius est auxilium abs te;* hic dicit, in tertia persona, dabit: postea redit ad secundam, *Exaudi*, etc. Secundo, exponi potest, *benedictionem dabit Legislator*, id est, Christus, a quo omnis est gratia, et qui a Patre constitutus est super Sion, prædicans præceptum eius, id est, leges sanciens, ut ibi explicui Ps. 2. v. 7. Iobi 36. 22. de illo dicitur: *Nullus ei similis in Legislatoribus.* Isaiæ 33. 22. *Dominus legifer noster: Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* Matthæi 7. 29. *Erat docens tamquam potestatem habens: et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi:* quorum fuit legem explicare, sed non ferre. Per Christum autem nobis provenit omnis benedictio. Ephes. 1. 3. *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus,* locis et sedibus, ait S. Hieronymus; 2. bonis et gratiis, ut alii; *in Christo*, id est per Christum: unde collige cum S. Aug. ipsum initium fidei esse donum gratiæ, et dari ex meritis Christi. Semper servos suos invisibiliter benedicit Christus, aliquando etiam visibiliter. 1. Annam a Iesu, eam visitans in hora mortis. 2. Mariam Raggensem cum oraret die Annuntiationis: Christum sequebatur innumera sanctorum multitudo: Deipara etiam adfuit regiis vestibus ornata cum diademate, eique etiam benedixit. 3. Cum S. Catharina Senensis oraret, pluvia ignis et sanguinis visibiliter in eam decidit, et manna nonnunquam: vidit quoque Christum sibi e templi vertice benedicentem, cum esset parvula. 4. Cum Maria Raggensis, de qua mox, ad sacram Eucharistiam se præpararet, vocem inaudiit, quæ diceret: Gaude filia mea, tibi enim coronam vestemque pulcherrimam paratam habeo. Christi vocem hanc esse dignovit, eique respondit: Gratias tibi Domine Iesu, Sponse animæ meæ: nimiis peccatis oneror, cum ut gratiam consequar. Post hunc humilitatis actum, vidit chorum virginum pulcherrimum, vestibus et corollis radiantem. Hunc sequebatur Christus, luce cælesti conspicuus, angelus eum præcedebat tria candissima lilia manus prætentans. Tum pia virgo supplex Christo accidit benedictionem pro se primum petiit et impetravit, ac deinde pro amicis. Tum ipsi Christus imperavit, ut ad Eucharistiam accederet, non benedictionem tantum, sed seipsum perceptura, ut ait Ioan. a S. Maria, in eius vita.

Per Christum est omnis benedictio.

Christus S. Catharinam visibiliter benedicit.

49. Nota, benedictio Dei est beneficentia: cum enim dicit, facit; 2. benedictio non dicit simplicem beneficentiam, sed abundantiam et ubertatem donorum: quod hoc loco præsertim verum est, cum in Hebr. sit, *Benedictiones dabit.* Non una enim gratia solum, sed pluribus egemus. Nam ne unam quidem actionem sine gratia facere possumus, ita ut sit meritoria gloriæ. Pagn. vertit, *piscinas operiet pluvia.* Sed cur id fecerit non video: nam Hebr. *beracoth* quod hic ponitur, proprie significat benedictiones; et מורה *more,* non minus significat doctorem et doctrinam, quam pluviam. Sed multi novas interpretationes ponere studiosius ambiunt quam expedit. Sept. autem pro doctore legislatorem vertunt, quia omnis legislator est doctor; per leges enim docet, quid sit agendum. Deus autem et Christus non sunt simplices doctores, ut Scribæ et Pharisæi, sed pro sua potestate et voluntate viam ostendunt, et imperant omnibus, ut per eam ambulent. Adverte porro, gratiam nobis infundi, sicut pluviam et rorem salutarem de fontibus Salvatoris. Hoc figuratum est in S. Agnete de monte Politiano, super quam ros cælestis cecidit, cum vota religiosa emitteret, atque alias sæpe. Ut enim ait Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis an. 1317. Illud solemne dicitur huic virgini fuisse, ut quoties ad supplicandum humi genua posuisset, continuo roscidus e cælo nimbus effusus, et ipsam large conspergeret, et locum latissime circumfunderet: ut tunc accidit, cum illam Episcopus Provincialis adstante clero, spectante populo, immortali Christo perpetua virginitate dedicabat. Quo quidem tempore, tanta vis candidi concretique roris, ex aere desudasse dicitur, ut et templi pavimentum aperiretur, et ara maxima largissime permaderet. Animadvertebatur virginis indumentum eo rore guttatim sic, ut roscidis eius nimbi guttis, quasi corymbis in crucis formam incidentibus, et conglobatis, sparsim baccatum cerneretur, ac multa dispersa cruce stellatum. Indicio permaximo amoris cælestis Sponsi, castissimæ Sponsæ blandientis, et ut ita dicam, in rore ludentis. Quamquam et cruce in rore formata exprimebatur, nihil in Agnetis moribus ferreum fuisse, nihil asperum, nihil immane, nihil agreste aut horridum: sed neque in eius suavitate aliquid molle, languidum, remissum, abiectum, et effœminatum: hæc Bzovius, qui etiam refert, sæpenumero quem locum Agnes, ubi Deum adoraret, esset ingressa, repentinam illico rosam et violam, alienissima tempestate vernum Favonium non exspectasse: satis magno documento nihil ardentius illo pectore tunc fuisse, cuius languentem animam Deus, quod in epithalamio divino Sponsa postulabat, manipulatim subito flore vestiret. S. Chromatius tract. in cap. 5. Matthæi, et S. Greg. lib. 5. in 1. Reg. cap. 14. legunt: *Benedictionem dabit, qui legem dedit,* q. d. Noli timere iugum legis, mollietur oleo et aqua gratiæ datæ ab ipso legislatore. Illi dic cum S. August. Da quod iubes, et iube quod vis. Ne timeas, erit copiosa, et ex omni affluens benedictio. S. Hier. vertit, benedictione amicietur doctor. Felix, benedictionibus induetur doctor.

Benedictio significat copiosam gratiam.

50. *Gratia est instar roris.*

Ros cadens in S. Agnetem.

51. Secundo, ait David, sanctos ituros de virtute in virtutem, sunt sacra Ezechielis animalia, semper currui Dei proxima, ut audiant vocem sui regis et legislatoris; 2. duæ eorum pennæ, nempe amor Dei et desiderium cæli, semper sunt elevatæ, ut volent; 3. non revertuntur cum incedunt, sed unumquodque ante faciem suam graditur, id est, operatur, pro lucis sibi datæ et gratiæ proportione. Ut enim S. Paulus dicit Philipp. 3. 13. *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis in Christo Iesu.* Secundo, hic progressus in virtute figurari potest in herbis, floribus, et arboribus, quæ paulatim crescunt, florent, dant fructus. Marci 4. v. 28. *Ultro terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Quod considerans S. Greg. hom. 15. in Ezech. Semen, inquit, homo iactat in terram, cum cordi suo bonam intentionem inserit. Et postquam semen iactaverit, dormit: quia iam in spe boni operis quiescit. Nocte vero exurgit ac die, quia in adversa et prospera proficit. Et semen germinat et crescit, dum nescit ille: quia dum adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad perfectum ducitur. Et ultro terra fructificat, quia præveniente se gratia, mens hominis spontanee ad profectum boni operis assurgit. Herbam autem producere, est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad spicam vero herba pervenit, cum se virtus animo concepta, ad profectum boni operis pertrahit. Plenum vero frumentum in spica fructificat, quando iam

Sancti semper in virtute proficiunt.

in tantum virtus proficit, ut esse robusti et perfecti operis possit: ita Gregorius. Progressiones in virtutibus, quæ, quod circa ardua sint, vocantur ascensiones, notat Ioan. Vitalis in speculo morali, verbo Virtus: 1. fidem quæ animam ascendere facit per puritatem intentionis, cum flore comparat; 2. spem, cum virgulto, seu virga, per sanctitatem meditationis; 3. charitatem, cum flamma, per ignitionem affectionis; 4. prudentiam cum aquila, per subtilitatem contemplationis; 5. temperantiam, cum nube, per refrigerium carnalis delectationis; 6. fortitudinem, cum leone, per patientiam tribulationis; 7. iustitiam, cum fonte qui salit, per opera pietatis. Per has omnes virtutes decurrit iustus, in iisque lætatur, sicut sacra avis paradisi ab una ad alias cum gaudio volitans. Isaiæ 40. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas ut aquilæ: current, et non laborabunt: ambulabunt, et non deficient.* Tertio, formatio corporis humani, docet animæ virtutibus formandæ modum. S. Eligius hom. 2. Humana conceptio, inquit, sic perfici dicitur, ut primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus novem, convertatur in sanguinem: deinde duodecim diebus solidetur, reliquos duodecim usque ad perfecta lineamenta membrorum formetur: et hinc iam reliquo tempore usque ad partum magnitudine augeatur: ita ipse. Varii de re varia censent, sed certum est virtutes animæ paulatim crescere, et a prima conceptione usque ad perfectionem absolutam, maximo cura et sedulo industria indigere. Ephes. 4. 15. *Veritatem autem facientes,* in verbis et operibus, *in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus.* 1. Thess. 3. 12. *Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat charitatem vestram in invicem, et in omnes.* Matthæus Baldanus, eques Lucensis, pingit galeam in quam nummi desuper decidebant, cum hoc lemmate: *Expetendæ opes, ut dignis largiamur,* ut refert Hieron. Ruscellius lib. Symbol. virtutes tibi compara, ut eas aliis communices. Deus præcepit Adamo, Gen. 1. 28. et Noemo, Gen. 9. 1. *Crescere et multiplicari, et replere terram.* Quarto, profectus virtutibus repræsentatur in generatione filiorum Iacob, qui primum ex Lia lusciosa et ex ancillis aliquos procreat, deinde ex Rachele Iosephum, qui significat augmentum, et Beniaminum qui significat filium dexteræ. Ab imperfectioribus actibus ad perfectiores fit profectus. Videndum, ut in nobis sit par ardor proficiendi in virtute et producendi actus bonos, sicut Liæ et Racheli, filios pariendi, qui earum ardor patet Gen. 29. et 30. Rachel dicebat marito suo Iacob: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Cum ex se nullos habere posset, dedit in sinum eius Balam ancillam suam, quæ peperit Dan, et Nephthalim, in quorum nativitate lætatur Rachel. Si contemplationi vacare non possumus, ne desperemus per activam vitam nos posse virtutes consequi: sed illis aucti iterum ad contemplationem redeamus: tandem ipsi Racheli ortus est Ioseph, quo nato dixit: *Addat mihi Dominus filium alterum:* nunquam verus amor satiatur: postea Rachel habuit Beniaminum, id est, filium dexteræ, et hunc peperit moriens: quia in morte vires suas omnes colligunt Sancti, ex aspectu cæli seipsis facti fortiores, ut patet in Martyribus. Quinto denique, progressus in virtute figuratur in Iosepho, qui 1. significat augmentum; 2. habet tunicam polymitam; 3. videt spicas, et solem, lunam ac stellas se adorare; 4. pergit ad fratres iuvandos; 5. in Ægypto est gratiosus Putiphari hero suo; 6. præficitur toti Ægypto, et proclamatur salvator mundi, Gen. 41. 46. 7. patrem suum et fratres alit, et per 80. annos feliciter Ægypto cum honore præest. De illo ait Iacob filios suos benedicens, Gen. 49. 22. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, et decorus aspectu.* Erat accrescens in bonis internis, et in externis, et decorus modestia ac virtutibus exterioribus. In Psalmo nostro, ut dixi, pro *benedictionem dabit legislator,* Hebr. est, benedictionibus induetur doctor. Ioseph erat figura Christi, de quo habetur Lucæ 2. 52. *Iesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.* Quod non est intelligendum de scientia beatifica, qua Deum videbat, atque omnia in Deo: nec de scientia infusa in primo instanti conceptionis: illæ enim erant ita perfectæ, ut in iis crescere non posset, sed de scientia experimentali: nam ipso usu multa expertus maiorem acquisivit experientiam. Gratia habitualis in Christo non crevit: cum enim ab unione hypostatica procederet, data est illi plenissima et perfectissima ipso primo conceptionis puncto: in gratia tamen actuali et practica crevit, quia semper exercebat maiores actus modestiæ, maturitatis, prudentiæ, castitatis, pietatis, et aliarum virtutum. Vide Suar. 3. p. quæst. 7.

52. *Eundum, non volandum in progressu virtutum.*

Nota, non dicitur, volabunt de virtute in virtutem, sed, *ibunt:* quia requiritur labor et patientia, longumque tempus, ut magnos in virtute progressus faciamus. Matth. 19. 21. Christus adolescenti petenti, Quid faciam boni, ut habeam vitam æternam, dixit: *Si vis perfectus esse, vade.* Paralytico sanato in domo ipsius Christi in urbe Capharnaum, ait, Marc. 2. 9. *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula.* In mediis Dei benedictionibus, seu piscinis, cisternis et fontibus, ut quidam *beracoth* explicant, sicut supra monui, eris similis prophetæ Ezechieli, qui ambulans per aquas fluentes e templo Dei, Ezech. 47. 4. Primo eas ingressus est usque ad talos, deinde usque ad genua, postea usque ad renes: denique, copia se torrentis immensa in te effundet, teque suavitate inenarrabili complebit. In Loanda insula, quæ est in regno Congensi, si tres quatuorve pedes in terra foderis, aquam potui accommodam et suavissimam reperies, cum plenum est mare: salsam vero, cum recedit. Qui in Dei servitio opera pauca et perfunctorie facit, ac tribulationes fugit, amaritiem sentit: qui vero in opus se quamtumlibet arduum immergit, neque afflictiones curat, suavitatem sentiet.

In Loanda res mirabilis.

Ex eo autem, quod ad virtutis perfectionem non raptamur, nec volamus, sed imus, fit ut multi deficiant, nec perseverent: sed cum sint ut dicitur, iuvenes angeli, fiunt dæmones senes, ut accidit Salomoni, cuius iam senis cor perverterunt mulieres, ita ut filium suum immolarit idolo Moloch. Est apud Indos genus Brachmanum, quos proprio vocabulo Iogues appellant, posteri, ut videtur, Gymnosophistarum Græcis olim celebratorum, qui cælibem vitam agunt. Nam alii et liberis operam dant, et uxorum multitudine, quos Pagodum in usum esse mentiuntur, intemperanter potiuntur. Iogues autem, partim longissime peregrinantur, stipem emendicantes, asperiore vestitu, cultuque, partim in subterraneis specubus durissimo vitæ genere semetipsi cruciant, abstinentque ab omni corporis voluptate ad certum annorum spatium: quo absoluto in Abductos (id nomen Ordini) magna cum gloria referuntur: ii tamquam humano fastigio celsiores, et omnium rerum adepti licentiam, nullis iam tenentur legibus, et in omni scelerum ac flagitiorum genere volutantur impune, ut ait Nicol. Orlandin. lib. 4. n. 67. In Christianis vero non tam aspicitur initium, quam finis. Elias illis imitandus est, qui in angeli visione, et in pane cælitus demisso non acquievit: sed cum surrexisset, comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Oreb. 3. Regum 19. 8. *In vallibus sunt lacrymæ, lutum, et pecudes: in monte gaudium, pax et Deus.* Christus Cantic. 2. 17. comparatur *capreæ, hinnuloque cervorum;* ibid. 8. dicitur, *venisse saliens in montibus, transiliens colles:* tu illum desidera et perge sicut cervus. Carolus Borbonius cohorti suæ dederat in symbolum cervum alatum, quem quisque sago suo assuebat, cum hac epigraphe: *Cervum intendimus alis,* q.d. Ad certamen curremus instar cervorum. Longa nobis restat via, cum dicatur Matth. 5. 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester cælestis perfectus est.*

Iogues Indorum.

53. *Virtus in pugna perficitur.*

Nota secundo, pro *de virtute,* Hebraica est vox חיל *chail,* quæ significat: 1. strenuitatem, robur, fortitudinem; 2. virtutem, quæ labore acquiritur et pugna: sic Græce dicitur ἀρετὴ virtus, ab Ἄρης, id est a marte, seu bello: et Latine virtus a viribus; 3. *chail* est murus, propugnaculum; 4. exercitus; 5. divitiæ. Hæc omnia nobis est virtus.

Nos enim tuetur et ditat. Hinc S. Hieronymus et Flaminius vertunt: *Ibunt de fortitudine in fortitudinem*; 2. Arias, ibunt de virtute ad virtutem; 3. Chald. progredientibus de domo sanctuarii in domum doctrinæ; 4. ibunt de exercitu ad exercitum; 5. Campens. transeunt de opulentia in opulentiam; aut, incrementa virtutum, quicumque sunt tales, assidue magis ac magis accipient, quoad pervenerint ad ipsum Deum. Basilius Imper. sciebat animi humani divitias, robur et ornatum in virtute consistere, cum dicebat in exhortatione ad Leonem filium: *Equi nobilitas est, ut ferox sit atque interritus. Canis, ut latrator acer in persequendis feris, et de cæteris similiter animantibus: hominis vero nobilitas est, ut animum habeat omni virtutum genere exornatum. Corporis ornatus est, ut forma, et robore, et valetudine polleat: animi vero generositas in dicendi facultate, morum probitate, et omnium virtutum perfectione spectatur.*

54. *A qua virtute, et ad quam virtutem eunt sancti?* Quæres, a qua virtute ad quam virtutem eunt sancti pergentes ad Deum? Respond. Primo, a virtute donorum Dei, quæ hic in terra nobis præstantur, ad eorum virtutem, quæ in cælorum regno tribuentur: ita Euthymius. Secundo, a virtute imperfecta ad virtutem perfectam. S. Greg. 22. Mor. 14. vel 20. et homil. 15. in Ezech. docet in una eademque virtute distinctis ordinatisque modis, quasi quibusdam gradibus, ascendi: hocque innui similitudine illius, quem vidit Ezechiel cap. 47. 3. mille cubitos mensum, se vero traductum per aquam usque ad talos, deinde usque ad genua, tum usque ad renes, postea non potuisse pertransire. Begardi et Beguinæ dicebant, charitatem in hac vita habere certum quemdam terminum, quem possit attingere, et ultra quem nequeat augeri, sed damnati sunt in Concilio Viennensi sub Clemente V. Et S. Paulus hortatur nos Ephes. 4. 15. ut in charitate crescamus. Et Philipp. 1. 26. orat, ut charitas nostra magis abundet. 1. Thessal. 3. 12. ut nos Dominus multiplicet, et abundare faciat in charitate. Tertio, sancti ibunt de virtute actionis ad virtutem contemplationis, sicut Moses post exitum ex Ægypto et transitum maris, quod virga sua diviserat, ivit ad montem Sinai cum Deo locuturus. Cum S. Antonius anxius quæreret a Deo, qua ratione salvus esse posset, apparuit ei homo leni et blando aspectu, qui opus faceret: is enim modo orabat, modo aliis operibus vacabat; tum ait Antonio: Sic tu vivito, et salvus eris, ut ait Ioann. Geometra in Paradiso tetrasticho 57. Quarto, et optime, sancti ibunt de virtute in virtutem, id est, ab una virtute ad aliam virtutem quamlibet, sed præsertim perfectiorem, sicut populus Israel ab una mansione in mansionem, ut per variarum virtutum exercitium tandem veniat ad terram promissam, et ad montem Sion, ubi templum extructum est, et Deum sibi specialem sedem elegit. Theodoretus: Qui, ait, studiosam vitam amplexi sunt, a precibus in hymnorum cantilenam pergunt, et ab hymnorum cantilena in supplicationem, et ex illa in divinorum oraculorum lectionem, hinc in consilia et admonitiones perfectorum hominum progrediuntur, et a virtute in virtutem transeuntes, quotidie proprias divitias augent. Ita ipse: idem fere dicit Euthymius.

55. *Visio Dei est summa beatitudo.* Nota denique tertio, merces summa virtutis est visio Dei intuitiva per totam æternitatem: *Videbitur Deus deorum Sion.* Primo, obiectum quod videtur, est perfectissimum, nempe Deus, cuius excellentiæ nihil est quod comparari possit. S. Bernar. sermon. 5. de Assumptione B. Virginis: *Hæc est merces*, inquit, *et hic est finis et fructus nostri laboris, visio scilicet Dei. Quis non hunc tantum fructum rebus omnibus visibilibus et invisibilibus incomparabiliter præferat? Quis est, cuius vel gelidum pectus hoc desiderium non accendat?* Beatus porro, qui videt Deum, videt non tantum eius essentiam, sed etiam Trinitatem personarum, et omnia attributa tam essentialia quam personalia. Secundo, illa visio Dei est perfectissima, quia fit ab intellectu illuminatissimo, per lumen gloriæ confortato et elevato. S. Thomas 1. p. qu. 12. art. 5. Omne, inquit, quod elevatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, quod disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam, sicut si aer debeat accipere formam ignis, oportet quod disponatur aliqua dispositione ad talem formam, cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus. Unde oportet, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc, quod elevetur ad tantam sublimitatem. Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, oportet quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivæ illuminationem intellectus vocamus, sicut et ipsum intelligibile vocatur lumen, vel lux. Et istud est lumen, de quo dicitur Apocal. 21. quod claritas Dei illuminabit eam: scilicet societatem beatorum Deum videntium. Et secundum hoc lumen efficiuntur deiformes, id est, Deo similes, secundum illud 1. Ioan. 3. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est*: ita S. Thom. Tertio, visio Dei est perfectissima extensive, quia beati omnes post diem iudicii videbunt omnia, quæ Deus videt per scientiam visionis, ut docet idem S. Doctor in 4. dist. 49. q. 2. art. 5. Omnes enim videntes essentiam Dei, cognoscunt omnes creaturas, saltem in specie ibidem, et per cognitionem specierum naturalium, individua sub eis existentia, ut ait Corn. 3. ubi etiam docet, beatos videre omnia quæ sunt in rerum natura, et omnia quæ Deus produxit ad perfectionem universi. Videntur autem illæ res in essentia Dei, non per similitudines earum, sed per essentiam ipsam Dei, 1. p. q. 12. art. 9. et in 3. dist. 14. art. 1. Videntur in essentia Dei, seu in verbo, sicut effectus in causa, et conclusio in principio, non autem sicut in speculo, 1. p. q. 12. artic. 8. et 2. 2. q. 173. art. 1. et in 2. dist. 11. q. 32. Ubi adverte, beatos tamen non videre omnia quæ Deus potest facere, alioqui comprehenderent eius virtutem, quod nullus intellectus creatus facere potest, cum sit finitus, Deus autem infinitus, 1. p. q. 12. art. 8. in corp. et 3. p. q. 10. art. 2. Quanto autem quis limpidius videt essentiam Dei, tanto plura in eo videre potest, 2. 2. q. 180. artic. 5. Quarto, visio Dei est perfectissima, quia beati vident in essentia Dei simul omnia, quæ aliquando vident, 1. p. q. 12. art. 10. et in 2. dist. 3. q. 3. Illa visio erit æterna, et sine ulla fatigatione potentiæ intellectivæ, aut aliarum facultatum: per eam enim est intellectus in Deo, velut in suo centro, ubi quiescit. Quinto denique, visio Dei perfectissima est, quia extra sequitur amor æternus Dei, et impeccabilitas. Videns enim Deum videt summum bonum, et non potest in eo apprehendere ullam rationem mali: itaque non potest eum non amare, et consequenter ab eo non potest inordinate averti. Ex his autem omnibus sequitur summa et inexplicabilis delectatio, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, et quæ in cor hominis non ascendit. Si Iacob videns filium suum dominantem Ægypto, tanta lætitia abreptus est; ut nihil amplius in mundo desideraret, diceretque Genesis 46. v. 30. *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo.* Si Tobias senior recepto visu conspiciens filium suum exclamavit, Tobiæ 11. v. 17. *Benedico te Deus Israel, quia tu castigasti me, et tu salvasti me: et ecce ego video Tobiam filium meum.* Si senex Simeon videns Iesum puerum oculis corporeis, dixit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Quid dicent beati in cælo, uniti vero et intelligibili soli, in fontem infinitæ bonitatis immersi, et intrantes in gaudium Domini? Illi nos reservemus, et calcatis terrenis eius cognitioni assuescamus. Mercurius Trismegistus in Pymandra, cap. 11. *Nisi*, ait, *te ipsum Deo assimilaveris, Deum cognoscere non poteris*, το γαρ ομοιον τω ομοιω νοητον. *Simile namque per similia noscitur. Effer teipsum magnitudine immensa, toto prosiliens corpore, et omne corpus transcendens, ævum esto, et Deum intelliges. Nihil teipsum non nosse supponens, te immortalem arbitrare, ac omnia intelligendi capacem: omnem*

quidem artem, omnem scientiam, omnis animalis habitus. Omni altitudine sublimior fias, omni infimo humilior. Omnes item sensus eorum, quæ facta sunt, in te ipso complectere, ignis, aquæ, sicci et humidi: ac teipsum pariter ubique existima in terra, in mari, in cælo, non adhuc na-
A *tum, in utero esse, iuvenem, senem, mortuum, et quæ a morte succedunt. Hæc autem cuncta simul intelligens, tempora, loca, opera, qualitates, quantitates: tum demum,* δυνασαι νοησαι τον Θεον, *cognoscere Deum poteris:* hæc Trismegistus. Vide dicta Ps. 15. vers. ult.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

56. *Tria continet. Primo, orationem suam cælum desiderantis, a Deo audiri et aspici postulat, vers. 8. Secundo, humilitatem suam terrenos honores spernentis modeste explicat, vers. 11. Tertio, Dei bonitatem iusto cælestem beatitudinem dantis declarat, vers. 13.*

PARAPHRASIS.

9. *Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.*	9. Quamdiu his in tenebris demorabor? Domine Deus, orationem ad te tuaque tabernacula suspirantis exaudi, et precibus vinci te patere, eas ut mihi cælestes sedes brevi aperias.
10. *Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui.*	10. Cum ad te faciem meam amore sancius erigam, tu Deus benignitate solita vultum ad me oculosque converte, et supplicem protege: quemque in regem populi tui unxisti, ad te respectantem contemplare.
11. *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.*	11. Quoniam optatior, iucundiorque, et utilior dies unus est in cælesti tuo palatio exactus, quam mille annorum myriades in huius sæculi honoribus, aut deliciis vel maximis.
12. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*	12. Ideo elegi etiam minimus esse in domo tua cælesti potius, quam in hominum toties peccantium medio conversari, etiam cum sceptro et corona.
13. *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.*	13. Neque voti compotem fore confido. Cum enim misericordiæ et veritatis sis amantissimus, tu misericordia gratiam miseris, veracitate gloriam cælestem iustis attribues.
14. *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.*	14. Neque gratiæ, neque gloriæ, neque etiam fortunæ, aliisque bonis, eos privabis, qui tibi puro et immaculato corde servierint: tu enim Deus potentissimus es: et beatus ille solus est, qui cæteris posthabitis, in te uno spem omnem suam collocat.

QUÆSTIO UNICA.

QUIBUS MOTIVIS DEUS IMPELLI POTEST, UT DET NOBIS ÆTERNAM BEATITUDINEM.

57. Ordo Sectionis. PRIMA sectione, David aperuit præstantiam paradisi, et suum desiderium eo perveniendi. Nunc de suis viribus diffisus ad Deum fugit, ut ab eo iuvetur: et rationes proponit, partim a se, partim a Deo ipso petitas, quibus illum impellat ad iuvandum.

Primo, proponit orationem suam, v. 9. *Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.* Ex parte Dei proponit, quod sit protector, qui Christum suum, id est, regem unctum, protegere debeat, v. 10. *Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.*

Secundo, proponit fidem suam de bonis paradisi, v. 11. *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.* Et contemptum terrenorum, vers. 12. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Ex parte Dei, proponit eius misericordiam et veracitatem, v. 13. *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.* Atque iustitiam, dando gloriam innocentibus et in se sperantibus, v. 14. *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.*

ARTICULUS I.

Oratio cælum aperit, si Dei adsit gratia.

58. Vers. 9. IN cælum ire optans David, *orationem suam præmittit*, quæ viam paret, portam aperiat, cives et regem civitatis sibi conciliet, v. 9. DOMINE DEUS VIRTUTUM (Hebr. exercituum. Videt armis opus esse ac violentia ad illum ascensum) EXAUDI ORATIONEM MEAM: AURIBUS PERCIPE

B DEUS IACOB, qui ut ait Lorinus, toti populo denominationem tribuens, religiosius coluit votis Deum, sensitque adiutorem in tribulationibus et peregrinationibus suis, ac Dei visiones habuit, angelorumque et visiones et auxilia.

Vers. 10. PROTECTOR NOSTER ASPICE DEUS: ET RESPICE IN FACIEM CHRISTI TUI, id est, in me qui sum Christus, id est, unctus tuus. Rex scilicet iussu tuo ter inunctus. Primo, a Samuele in domo Bethlehemitica patris mei Isai occulte. Secundo, in Hebron acceptatus in regem a tribu Iuda post mortem Saulis et Samuelis, idque publice. Tertio denique, cum omnes tribus post mortem Isboseth filii Saul me in regem totius populi tui elegerunt. Mystico sensu, petit aspici Christum pro nobis patientem et orantem. Nam ipse *mediator est Dei et hominum*, 1. Timot. 2. v. 5. Medium illum semper statuere debemus inter nos et Deum, ut Deus nos non aspiciens nisi per eum et eius merita, videat tinctos eius sanguine et luce radiantes, sicque sibi gratos et amabiles reperiat: sicut vilissima quæque, et serpentes ipsos aspicientes per vitrum trigonum admira-
C mur, et pulchritudinem eorum suspicimus. Sanguine agni intincti postes Israelitarum averterunt ab ipsorum domibus angelum Ægypti percussorem, Exodi 12. 13. sic Mosi promisit ille angelus: *Erit sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis: et videbo sanguinem, et transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti.* Ubi adverte, quod Christus primo est Rex noster. S. Chrysologus serm. 98. *Christus Rex, quia tota ipse est origo regnandi: Christus regnum, quia in ipso est regni sui tota maiestas: Christus homo, quia totus homo reparatur in Christo.* Ps. 2. 6. egi de rege Christo. Secundo, Christus est Rex, unctus unione hypostatica, et omni gratia. Ps. 44. 8. *Propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis:* vide illum locum. Petrus Cellensis Abbas id meditatur libro de panibus cap. 24. *Iesu soli, ait, tota simul gratia affuit, et tota gratia Iesus totus infinite af-*

Vers. 10. David se Christum vocat, id est, regem unctum.

59. Christus est Rex noster.

fluit. Totus unctus, quia totus sanctus. Totus unctus, quia totus desiderabilis. Totus unctus, quia Spiritu sancto totus plenus. Tertio. Christus Rex noster unctus nos ungit, ut suaviter eius iugum feramus computrescens a facie olei, ut hostis non habeat in nobis ubi manus suas figat, ut tamquam bonus pastor morbidas oves sanet, ut nos patri suo gratiosiores efficiat suo inunctos oleo, et tinctos sanguine. S. Ignatius epistola 9. ad Philadelphios: Sanctum Dei Verbum, ait, via est quæ ad Patrem ducit, petra, septum, clavis, *pastor*, hostia, cognitionis ostium, quod ingressus est Abraham, Isaac, Iacob, Moses, et universus Prophetarum chorus, et στυλοι κοσμου, orbis columnæ Apostoli, et sponsa Christi, pro qua φερνης λογω, dotis loco effudit proprium sanguinem, ut eam redimeret. De Christo pastore egi fuse Ps. 22. sect. 1. S. Ignatium et Societatem nostram in filio suo, et per filium suum aspiciebat Pater æternus, atque nunc aspicit, cum sit Societas Iesu. Hoc declaravit visione illa mirabili, quam eidem S. Ignatio obiecit Romanum Pontificem adeunti, ut refert Orlandin. lib. 2. hist. Soc. num. 30. Beatus, ait, Ignatius Romam pergens, cum templum ex itinere salutandi numinis gratia solus esset ingressus, mente excessit a sensibus, et in ipso contemplationis æstu, maiestatem Dei Patris, qui filio Iesu crucem baiulanti, se suosque amantissime commendabat, clarissima luce perspexit; quos cum in suum Iesus patrocinium fidemque reciperet, ad Ignatium ore placido conversus: *Ego*, inquit, *vobis Romæ propitius ero.* Quo ille tam mirifico viso dulcissime recreatus, Fabrum Lainiumque compellans: Quid nobis, inquit, futurum sit Romæ, in crucemne Deus, an in rotam agi nos velit, haud mihi quidem satis est exploratum: illud certe valde persuasum est, Iesum nobis quocumque in eventu nunquam defuturum: et simul ut eorum in sententia pectora magis roboret, visum aperit. Hinc præcepta iam in sententia animum confirmavit, *ut cœtus hic Societas Iesu diceretur.*

60. Optabile et necessarium est, ut Deus nos per filium suum aspiciat: optabile quoque est ac necessarium, ut per eumdem filium, eumque crucifixum, nos Deum et labores nobis ab eo propositos ad cælum consequendum aspiciamus. Hoc fecerunt Sancti. Primo, Cæcilia religiosa Ord. S. Dominici in cubiculo reperta est coram Crucifixo in extasim rapta, et cincta lumine, quo totum cubiculum collucerct. Secundo, sæpe perspectus est radius lucis egredi a Crucifixo, coram quo Dorothea orabat, ea autem luce facies eius tota fulgebat. Tertio, cum Lucia Narniensis meditaretur de passione Christi in Ecclesia, omnibus videntibus tres radii lucis a crucifixi latere exeuntes, in eius faciem irruerunt, et alius ex ore eius egressus caput ipsius in diadematis modum cinxit. Quarto, dicebat Paulus Galat. 6. 14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Reges ipsi in cruce gloriantur, et eam aspiciendam et adorandam populis suis proponunt. Baccianensis rex in India, cum in extemporariam arborum ramis consertam domum convenissent e Ternate Christiani, crucem una cum proceribus sustulit, Osorio Litanias decantante. Ubi ad destinatum ventum est locum, suis rex manibus humum molitur, ac triumphale statuit signum, cæteris ubique genibus humi positis, et Osorio precationes tempori convenientes elata piaque voce peragente: *Addidit capitale edictum rex, ni omnes sui quotidie mane genua ante crucem flecterent,* ut ait Franc. Sacchinus lib. 2. hist. Soc. Iesu num. 179.

Christus crucifixus aspiciendus, ut ad crucem ferendam animemur.

Bacciani rex crucem portat.

Hic aspectus Crucis, Primo innocentiam conservat, et a peccatis absterret. Idem Sacchinus loco citato factum puellæ barbaræ plane admirabile commemorat. Puella, inquit, Brasila statuit ad mortem illibatum pudorem servare. Ea mox divendita in manus Christianorum incidit, qui eius tentantes pudicitiam ab ea fortiter repulsi sunt. Ut se tueretur, cum advertisset heros Christi in cruce pendentis effigiem magni facere, unam e collo suspendit, et sibi faciem deformat. Tentata, in genua concidit, speciem Christi ostendit, quam in collo gestabat: sic hunc evasit: indigenæ vendita ab eo sollicitatur, sed frustra. Tanta virtute cognita patres stipe corrogata eam in tuto collocatam nosocomii ministerio deputant: Ita Sacchinus. Secundo, non innocentiam tantum conservat Christus in cruce conspectus, sed ad crucem in religione ferendam incitat, et ad constanter et cito mundum relinquendum. Quidam sacerdos, carnis vitio laborans, ad pœnitentiam a Deo vocatus semper procrastinabat, donec quadam nocte apparuit illi Christus, quinas acceptas in cruce cicatrices sanguine manantes ostendens et dicens: Hæc ego pro te pertuli, et in meo servo corpora recentia, ut recenti Passionis meæ memoria inveterati mali, et duri pectoris peccatores ad pœnitentiam adducam. Hoc audito, die sequenti factus est Franciscanus, ut dicit Lucas Waddingus in Annalibus Minorum tom. 1. ann. 1235. num. 11.

Brasilæ puellæ castitas mira.

Nota, oratio est clavis cæli, ideo cælum desiderans dicit: *Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam.* Primo, oratio cælum aperit, ut dona cælestia inde ad nos depluant. Sic Elias cælum aperuit, ut pluvia irrigaret terram Israel, quæ per tres annos sicca remanserat, et diram famam patiebatur, 3. Reg. 18. 1. Secundo, oratio cælum aperit, ut inde sancti atque angeli ad nos veniant, qui recreent et iuvant. Maria Angelica Litanias Sanctorum recitans, sæpe visa est a Sanctis Ord. S. Dominici, cuius erat Religiosa, circumcingi, et ab illis vultu arridenti aspici, ut ait Ioannes a S. Maria in eius vita. Cum orarent tres pueri in fornace Babylonis, Angelus Domini descendit in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit. Dan. 3. 49. *Flamma ignis est concupiscentiæ ardor:* fornax, est corpus hoc mortale: medium fornacis, est cor humanum: ventus roris seu roruleutus, est gratia S. Spiritus flammam extinguens. In flammis spiritualibus aut tartareis idem accidit per orationem, quod S. Martino contigit in materialibus; cum enim in mediis flammis esset, tamdiu in eum ignis sæviit, quamdiu evadere nisus est orationis immemor; ubi vero crucis et orationis arma reperit, sensit flammas rorantes, quas urentes erat expertus. Tertio, oratio cælum aperit, ut illud nobis eo tendentibus aperiat. Theodulphus Abbas Floriacensis, ac deinde Episc. Aurelianensis, qui tempore Ludovici Imper. floruit, in epist. ad suos Sacerdotes sic ait: Oportet vos assiduitatem habere legendi, et instantiam orandi; quia vita viri iusti oratione instruitur et ornatur; et assiduitate lectionis munitur homo a peccato, iuxta illum qui dicebat, Psal. 118. 11. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Hæc sunt enim arma, lectio videlicet, et oratio, quibus diabolus expugnatur. *Hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur.* His armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur: ita Theodulphus. Paradinus duas claves decussatas pinxit, cum hac inscriptione: *Hac ratione tentandi aditus.* Ora, et tibi cælum patebit. Ipsa oratio portus est salutis, et tabula naufragii ad portum ducens. S. Isaac lib. de contemptu mundi, orationem vocat portum. Sic enim ait cap. 22. *Oratio refugium est auxilii, fons salutis, ac confidentiæ thesaurus, et lumen iis qui in tenebris sunt, et portus liberans a tempestate.* S. Paulinus Epist. ad S. Augustinum, orationem dicit esse tabulam naufragii. Me, inquit, de periculis vitæ istius, et de profundo peccatorum evadere nitentem, orationibus tuis tamquam tabula sustine: ut de hoc mundo, quasi de naufragio nudus evadam. Hæc Paulinus, florebat circa ann. 426. fuit Episc. Nolanus, eodem tempore florebat S. Augustinus. 61.

Oratio est clavis cæli.

Nota, pro *protector*, Hebr. est מגן *maghen*, id est, clypeus. Hinc S. Hier. vertit, *Clypeus noster vide Deus.* Clypeus oculatus est Deus, hostes declinare potest: clypeus est impenetrabilis, tela non timet. Pagninus vertit, *Clypeum nostrum vide Deus, et aspice faciem Christi tui.* Noster clypeus est Christus: 1. quia Christiani sumus, itaque eius nomine cingimur; 2. quia crucem fronti et pectori imprimimus: sic verum fit, quod ait Ieremias, Thren. 3. 65. *Dabit eis scutum cordis laborem tuum;* 3. in Euchari- 62.

Christus est clypeus noster.

stia cum cordi applicamus; 4. in oratione menti eum circumponimus. Septuag. loco Threnorum citato vertunt, protectionem cordis; et R. Ioseph scutum; hoc ait intelligi illud, quo Deus erat protecturus ipsum Ieremiam, ne Iudæi nocerent. Syr vertit: *Vide tu suffultor noster.* Deus est clypeus, ut tegat pugnantes: suffultor est, ut erigat ascendentes, ne ob loci lubricitatem, et virium infirmitatem cadaut. Eccli. 34. 13. vocatur Deus: *Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, et umbraculum meridiani.* Ad eum accede, et sub tanto protectore securus esto. S. Paulinus Epist. ad quemdam militem: In hac, inquit, militia soletis in votis habere hanc officii promotionem, ut protectores efficiamini: si autem Deo te probaveris, ipsum Deum incipies habere protectorem. Vide ad qualem militiam te iuvito collegam ut quod homini esse optas, hoc tibi Deus sit. Ita Ipse. In eam rem Deus suos aspicit, ut eos protegat. Salvianus lib. 2. de Providentia, illud Psal. 32. *Oculi Domini super timentes eum*, considerans, ait: *Ecce cur aspicere iustos homines Deus dicitur, utique ut conservet et protegat. Aspectus enim divinitatis propitiæ, munus est conservationis humanæ.* S. Agnetis de monte Politiano corpus incorruptum repertum est triginta annis post mortem: oculi vero, pari pulchritudine, atque si in vivis extitisset, quod Carolo IV. Imp. maximam admirationem attulit atque lætitiam, cum ab ea se suosque benignis oculis aspici cerneret. Tu in perpetua lætitia eris, si consideres te a Deo amari aspici, et protegi.

63. Vers. 11. et 12. Cælo per orationem aperto, pulchritudinem eius videns Propheta exclamat, vers. 11. QUIA MELIOR EST DIES UNA IN ATRIIS TUIS SUPER MILLIA (dierum scilicet). Et v. 12. ELEGI ABIECTUS ESSE IN DOMO DEI MEI, MAGIS QUAM HABITARE IN TABERNACULIS PECCATORUM. Τὸ *quia* referri potest primo ad præcedentia: ita Bellarminus. Illud *quia*, inquit, reddit causam, cur tanto affectu dixerit, *Protector noster aspice*, etc. q. d. Ideo cupio valde protectionem tuam in hac ascensione ad patriam, quia nimis magna esset iactura, si ad patriam illam non pervenirem. Melior est enim habitatio unius diei in atriis illis cælestibus, quam mille, id est, innumerabilium dierum alibi: ita Bellarminus.

Secundo et melius, τὸ *quia* referendum est ad sequentia, q. d. Quia dies una in atriis et tabernaculis tuis cælestibus melior et præstantior est, quam mille dies, et quantumlibet tempus in aliis locis, ideo elegi esse abiectissimus et minimus in domo tua illa cælesti potius quam in hac vita misera inter peccatores versari, licet honoribus et deliciis abundem. Ubi adverte, pro *abiectus esse*. Hebraice est הסתופף *histopheph*, esse in limine, ut vertit Pagn. et Arias; accubare ad limen, seu ostiarius esse, ut Campensis: ad limen morari, ut Flaminius: super limen habitare, ut Felix, q. d. Esse in loco infimo et ultimo. Alludit autem ad tabernaculum Mosaicum, in quo ostiarii erant ultimi ministrorum templi, ut videtur lib. 1. Paralip. 9. *Et qui prope ostium est, remotissimus est ab altari.* Nos vernacule dicimus, *Ce m'est assez, si je suis derriere la porte du Paradis.* Qui enim minimus est in regno cælorum, maior est maximo in regnis terrarum. Nota etiam, quod David rex loquitur. Itaque tabernacula peccatorum intelligit aulam suam regiam. Et vere in palatiis principum sæpe multi sunt peccatores, ut patuit in domo ipsius David, licet sanctissimi; ibi enim fuit Iuab, qui Abnerem et Amasam nefarie interfecit, et Adoniæ rebellionem promovit. Ibi Amnon primogenitus Davidis, qui sororem suam Thamar constupravit. Ibi Absalon, qui fratrem suum Amnonem in convivio interfecit, et patrem suum regio throno et urbe expulit, ac vita privare tentavit.

Aulæ regum sunt tabernacula peccatorum.

Nota secundo, tabernacula seu tentoria facile mobilia de loco in locum, sunt aulæ regum; cito enim ab una familia in alteram familiam coronæ transeunt: unde sunt orbiculariæ figuræ, quia semper volvuntur. Hebr. אהל *ohel* quod hic ponitur, significat tentorium facile mobile, quale habebant pastores in Arabia, et milites habent in bello.

64. In cælo est dies continua. Nota tertio, in cælo non est nisi dies, nox ibi non habet locum. 1. Quia lucerna et sol illius est agnus, id est, Christus, lucidior omni sole, et illam civitatem totam illustrans. 2. Ibi sunt Sancti semper lucentes. 3. Ipsum cælum empyreum totum lucidum est seipso. Itaque *dies illa*, quæ est melior in atriis Dei, quam ulla alia, sumi potest pro tota æternitate, et sic accipit S. Augustinus in Psal. nostr. *Millia dierum desiderant homines, et multum hic volunt vivere: contemnant millia dierum, desiderent unum diem, qui non habet ortum et occasum. Unum diem, diem sempiternum, cui non cedit hesternus, quem non urget crastinus. Ipse unus dies desideretur a nobis. Quid nobis est cum millibus dierum? Imus a millibus dierum ad unum diem. Ad unum diem festinemus, sicut imus a virtutibus in virtutem.* Ita August. qui prius dixerat, per gratiam dari multas virtutes, alii sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, etc. per illas virtutes eundum in virtutem, id est, in Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. S. Anastas. Sinaita Episcopus Antiochenus, qui florebat tempore Iustiniani Imp. circa ann. 544. notat, lib. 1. Anagog. Contemplationum, Babylonios ab ortu solis ad occasum dies numerasse, nullam noctis facientes mentionem. Pro nihilo reputanda est tota hæc vita acta in umbra mortis præsertim a peccatoribus. Eusebius Gallicanus Episc. hom. 9. ad Monachos: Solemus, ait, annus nostros, et temporum spatia, quibus nunc vivimus, supputare. Non te fallat, quicumque ille es, numerus dierum, quos hic relicto corporaliter sæculo consumpsisti: *Illam tantum diem vixisse te computa, in quo voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti, quem sine ulla regulæ transgressione duxisti. Illum diem vixisse te computa, quem non malitia, non invidia, non superbia, commaculavit:* ita Eusebius.

Secundo et melius, *dies una* in atriis Dei exacta non est sumenda pro tota æternitate, sed pro duodecim aut 24. horis: alioqui non esset mirum dicere, quod dies una, id est æternitas, sit melior millibus dierum. Sic etiam explicat S. Aug. lib. 3. de libero arbitrio, cap. ult. *Tanta est*, ait, *pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis atque sapientiæ: ut etiamsi non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falso aut parvo affectu dictum est: Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia:* ita ipse. S. Paulus iure dicit, Rom. 8. 18. *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et 2. Corinth. 4. 17. *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hic te dies sine nocte expectat, eius spe te sustenta in vitæ laboribus. Iobi 11. 17. ait Sophar Naamathites: *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer*, id est ut stella matutina, quam stellam Veneris vocant, aut Dianam luciferam, quam fingunt Poetæ diem ducere et pulsare auroram. Academia Altorfina pinxit rosam emortuam suaveolentem, cum hoc elogio: *Virtus post fata superstes.*

Nota quarto, qui cogitatione in cælum intravit, non vult amplius habitare in tabernaculis peccatorum. S. Basilius in Ps. 44. dicit, turpia et reiectitia omnia illi apparere, qui pulchritudinem divinam semel aspexit. Rupertus lib. 2. in Ioannem: *Videntibus*, inquit, *creatoris habitationem, angustia est omnis creatura.* Agit de discipulis, quos Christus invitavit, ut venirent et viderent ubi habitaret. Hoc in Mose maxime eluxit, qui aulam Pharaonis contempsit, sciens se esse de populo Dei. Hebr. 11. 24. *Fide Moses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem: maiores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.* Iosephus lib. 2. Antiq. Iud. cap. 5. asserit, eum reiecisse a capite suo diadema sibi a rege impositum. Postquam, ait, Pharao acceptum Mosem 65. Terrena sunt spernenda.

*

ad pectus appressisset, filiæ gratificaturus, diadema suum eius capiti imposuit: Moses vero capiti pueriliter detractum, prolabi in humum passus, pedibus etiam conculcavit: ita Iosephus. Plerique id non credunt, sed refelli id nec potest, nec probari; non est prorsus improbabile. Contra vero, qui terram amant, cælum negligunt. Clemens Alexand. in Admonitione ad gentes, pag. 55. Qui, ait, mundo adhæserunt, οια φυκια τινα εν αλος πετραις, *ut marinis petris algæ*, contemnunt immortalitatem, sicut senex Ithacensis, id est Ulysses, qui non veritatem et cælestem patriam, eamque quæ vere est lucem, sed *fumum optabat:* ita Clemens. Dicendum est viro pio, quod Moses dicebat populo Israel prope tabernaculum Core, Dathan et Abyron manenti, Num. 16. 26. *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Et quod Saul iussus internecione delere Amalecitas dixit Cinæis, qui erant posteri Iethro soceri Mosis, et eam ob causam amici Hebræorum, et erant viri pii ac religiosi, 1. Reg. 15. 6. *Recedite, atque descendite ab Amalec, ne forte involvam te cum eo.*

66. Humilitas et abiectio amanda. Nota denique quinto, eligenda est abiectio et humilitas in domo Dei, id est, in Ecclesia, et in domo religiosa, si vis exaltari in cælo: *Elegi abiectus esse in domo Dei*, si tamen in ea domo quidquam abiectum esse potest, ubi Deus est, et ubi omnia Dei sunt. Crucius noster in sua Paraphrasi poetica sic vertit:

Asservare domus hic claviger ostia mallem,
Sceptrifer in scelerum quam ditione coli.

Abiectionem et contemptionem sancti omnes amarunt. Primo, Christus. Galat. 3. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Secundo, Apostoli. S. Paulus ait 1. Cor. 4. 13. *Tamquam purgamenta huius mundi, facti sumus omnium peripsema usque adhuc*, περίψημα, id est, ramentum vilissimum, aut res abiectissima, quæ ab omnibus conculcatur. In iis contumeliis ibant gaudentes, Act. 5. 41. Tertio, sancti Martyres. Quintianus Siciliæ Prætor obiiciebat S. Agathæ: Nonne te pudet nobili genere natam, humilem et servilem Christianorum vitam agere? generose respondit: *Multo præstantior est Christiana humilitas et servitus, regum opibus ac superbia.* Quarto, alii etiam sancti non Martyres. S. Paula adeo humilitatis bonum, ducentis nos ad æternam gloriam, degustarat, ut sit mortua in pia repetitione et meditatione istorum verborum: *Elegi abiectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* S. Paschasius Rathbertus Abbas Corbeiensis, qui floruit circa annum Christi 850. se Monachorum omnium peripsema, Levitarumque ultimum appellare solebat, et Diaconi gradu contentus, nunquam Presbyter fieri voluit. Scripsit varia, ac præsertim insignem librum de corpore et sanguine Domini, ac primus omnium serio et copiose de ea materia tractavit contra Bertramum presbyterum, qui fuit ex primis eam fidei veritatem in dubium vocantibus.

67. Sancti abiectionem quærunt in omnibus: Sancti in rebus omnibus abiecti esse ambiunt. Primo, in exteriore cultu corporis. Nunnius Patriarcha Æthiopiæ adduci non poterat, ut vestes quamvis obsoletas ac
1. In vestibus. laceras, quas resarcire suis manibus consueverat, melioribus mutaret, ut ait Franc. Sacchin. lib. 1. histor. Soc. Iesu, num. 143. Secundo, in fuga dignitatum. Adrianus
2. In fuga honoris. VI. Pontifex adeo honores oderat, ut hoc eius epitaphium fuerit: Adrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret. Tertio, in nomine. S.
3. In nomine. Franciscus Assisias voluit fratres suos vocari *Minores*. S. Franciscus de Paula, suos vocari *Minimos* optavit. S. Ignatius Fundator Societatis nostræ, statim in principio suarum
4. In officiis. Constitutionum eam vocat, *minimam Societatem*. Quarto, in officiis vilibus. Cardinalis Augustanus redeunti ex Alsatia Canisio, vel invito, Dilingæ manibus suis pedes la-
5. In odio gloriæ. vare voluit, ut refert Sacchin. lib. 2. num. 11. Quinto, in odio gloriæ humanæ. Cum morti proxima S. Catharina accusaretur a dæmone, quod vanæ gloriæ servivisset: Vana gloria, ait, nunquam dum vixi, paucula quæ Dei causa feci opera, illa inquinavi: sed omnia in Dei gloriam et contemptum meum feci. Oculos ad mortem usque in Crucifixi imaginem coniecit, eius amore saucia, et patiendi desiderio æstuans. Sexto, in desiderio proprii contemptus. 6. In amore contemptus.
Eadem S. Catharina Senensis morti proxima generalem confessionem suam coram omnibus facere voluit, ut contemneretur. Francisca a S. Dominico optasset in ipsa fronte peccata sua apparere, ut ab omnibus viderentur, atque ob eam rem despectui haberetur. Agnes a Villava eo humilitatis venerat, ut maximam consolationem arbitraretur opprobria et confusiones, quæ ipsi contingebant. Lucia Narniensis Iesum oravit, ut stigmatum suorum notas tolleret, efficeretque ut contemneretur: quod tanta constantia petiit, ut obtinuerit. Itaque primum vulnera pedum et manuum clausa sunt, ita ut ne cicatrix quidem appareret, vulnus quoque lateris postea etiam disparuit. Ob varias calumnias ab officio Prioris cum ignominia est deposita, et per triginta octo annos in monasterio delituit, omnibus invisa et velut fatua atque excommunicata. Dicebant animæ illæ cælo natæ: *Elegi abiectus esse in domo Dei.* Contra vero superbi, velut fumus in altum se erigunt. Villava fumum in aerem ascendentem delineavit, his verbis additis: *Quod levis, alta peto.* In populo gravi laudari vult Deus, Ps. 34. 18.

In nulla re magis elucet Christiana humilitas, quam 68. Reges et principes multi religiosas domos sunt ingressi.
quod reges ac principes aulas suas, sceptra, coronas, honores, delicias deserunt, ut vivant abiecti in religiosa domo, quæ vere est domus Dei: ibi enim rex et paterfamilias est Deus, ibi domestici sunt filii Dei, et bona omnia nullius sunt nisi Crucifixi. Ex uno Ordine S. Benedicti fac conjecturam, quot principes intraverint omnes Ordines religiosos. Oliverius Matthæus in Epistola dedicatoria in Chronicon generale Andreæ de Yepes, ait, in eum unum Ordinem intrasse viginti et unum Imperatores, quadraginta quatuor reges, quinquaginta quatuor reginas, viginti septem Imperatrices; et viginti quinque Pontifices ex eodem Ordine prodiisse. Sed orbem cursim obeamus, ubique reperiemus humilitatis Christianæ impressa vestigia.

Primo, in Italia Rachis Longobardorum rex sceptrum I. In Italia.
et coronam abiecit, ut fieret monachus in monte Cassinensi.

Secundo, in Francia Lotharius Imperator, Carlomannus, II. In Francia.
S. Clotildis uxor Clodovæi, S. Radegundis regina, S. Ioanna regina aliique religiosas domos subierunt. Iolanda filia comitis Viennensis, soror principis Achaiæ et Imperatorum orientis et occidentis germana ac neptis cælesti artificio in monasterium secessit, cum de nuptiis suis cogitari cerneret. Nam cum a matre postulasset, ut animi causa ad monasterium Ord. S. Dominici pergerent: ubi vidit matrem aliis intentam rebus, clam claustrum ingressa est, in quo sorores omnes erant congregatæ, velum sumpsit, votumque emisit, ac versiculum cantari solitum in virginum consecratione incœpit: Regnum mundi et omnem ornatum sæculi, etc. Inde vi a matre extracta, et in castello inclusa, vestes religiosas discindi sibi nisi summa vi passa non est; Episcopos, Abbates, aliosque Prælatos, matris voluntati nimis assentantes fortiter repulit, et inclamavit: In ea vocatione, qua vocata sum, immobilis permanebo, ut ait Thomas Cantipratensis in tract. apum, et Ambrosius Tiega in 1. parte histor. Ordinis S. Dominici.

Tertio, in Sabaudia, Margareta filia unica Ludovici Sa- III. In Sabaudia.
baudiæ principis, Theodoro Marchioni montis Ferrati, qui originem ab Imperatoribus orientis ducebat, nupsit; concionibus S. Vincentii Ferrerii excitata sumpsit habitum tertii Ordinis S. Dominici: post mariti mortem in monasterium se recepit.

Quarto, in Hungaria, Margareta Hungarica filia regis IV. In Hungaria.
Belæ IV. religiosa fuit, singulis annis in honorem B. Virginis tricies millies se in terram prosternebat. Isabella Hungarica Margaritæ neptis, et Stephani regis filia in religiosam quoque familiam evolavit, ut ait Michael Pio, lib. 1. tradit eam orationis et humilitatis dono, præsertim in monasterio excelluisse, in culina, et valetudinario et abiectissimis monasterii locis septimanam suam, aliarum

instar, exigere voluisse. Isabella a S. Maria filia Andreæ regis Hungariæ, recollectione ac demissione mentis excelluit clara miraculis.

V. *In Germania.* Quinto, in Germania, Benedicta a Subtilia, quod est monasterium, in quo religiosum habitum sumpsit S. Dominici, ex illustrissimis fuit Germaniæ familiis, eam Carolus Siciliæ rex, et Bohemiæ ac Poloniæ reges in uxorem sibi expetiverant: sed regios illos honores respuit, generosoque animo asseruit sibi se potius oculos eruturam, nasum abscissuram et labia, quam ut ulli matrimonio consentiret: ita Michael Pio libro 1.

VI. *In Hispania.* Sexto, in Hispania, Maria filia regis Aragonum, post mortem Petri filii Sancti regis Castiliæ, monasterium aulæ prætulit, ut ait Lopez libr. 2. cap. 23. Idem præstitit Maria filia Ferdinandi regis, Blanca filia Ferdinandi III. qui totum Hispaniarum regnum recuperavit, excepto regno Granatæ, idem præstitit Constantia quoque a Castilia, neptis Petri, cui a iustitia nomen fuit. Catharina de Mendoza nobilissimis orta parentibus, ipso die nuptiarum in monasterium fugit, ubi virginitatem Deo vovit, ut refert idem Lopez lib. 2. cap. 37.

VII. *In Lusitania.* Septimo, in Lusitania, Ioanna filia Alphonsi regis Quinti, spretis mundi deliciis ad Christi castra avolavit. Eleonora, filia Sanctii regis Lusitaniæ, Ferdinando regi Aragonum nupsit, qui bella omnia in Mauros tantum gessit: mortuo marito monasterium est ingressa, ut ait Ioannes a S. Maria in aius vita.

VIII. *In Canariis insulis.* Octavo, in Canariis insulis, Dominica a S. Hieronymo, familia illustri nata, parentes ac patriam reliquit, et sexcentas leucas navigio traiecit, ut vestem religiosam Hispali sumeret. Tanta familiaritate Christo loquebatur, ut eum fratrem suum natu maiorem vocaret, miraculis et in vita et post mortem clara extitit.

69. IX. *In Anglia.* Nono, in Anglia, reges octo religionem ingressi sunt. Primo, S. Ceolulphus rex Northumbrorum ann. 737. Secundo, Coenredus Merciorum rex ann. 708. Tertio, Egbertus, alias Eadhertus Northumbrorum rex ann. 758. Quarto, Ethelredus Merciorum rex ann. 704. Quinto, Ina occidentalium Saxonum rex ann. 727. Sexto, Offa orientalium Saxonum rex ann. 708. Septimo, S. Sebbus, alias Sebba, orientalium etiam rex Saxonum, ann. 694. Octavo denique, S. Sigebertus Anglorum orientalium rex ann. 646. De Entwino sive Kentwino occid. Saxonum rege, de Kinegilso eorumdem occid. Saxonum rege, de Osbaldo rege Northumbrorum dubitatur.

Decimo, reginæ sanctimoniales in Anglia. 1. Ædilthrides regina ann. 790. Eleonora Henrici III. Angliæ regis uxor ann. 1287. Ælfritha uxor Eadgari ann. 890. Ethelswitha Merciorum regina ann. 890. S. Cuthburga regina Northumbrorum ann. 720. S. Eadgitha item regina Northumbrorum ann. 925. Eanfleda item, ann. 685. Edburga Merciorum regina ann. 900. S. Erimemburga Merc. regina ann. 676. Ermemburga North. reg. ann. 688. S. Ermenilda Merciorum reg. ann. 680. Ethelburga regin. Northumbr. ann. 634. Ethelburga occid. Sax. ann. 726. S. Etheldreda North. ann. 679. Eva Merc. ann. 690. Hæresuida orient. Angl. ann. 647. S. Kineburga North. sive Deirorum ann. 668. Kineburga Merc. ann. 690. S. Osytha ann. 870. S. Eadgitha sive Editha ann. 670. Rietritha ann. 790. S. Sexburga Cantii ann. 680. Wereburga Merc. ann. 781.

Undecimo, filii regum in Anglia, S. Adelbertus Adilwaldi Deirorum regis filius ann. 696. Ethelulphus Egberti Occid. Saxon. regis filius, deinde ex Monacho rex Angliæ ann. 857. S. Gregorius cuiusdam Angliæ regis filius ann. 920. Offa regis cuiusdam Angliæ filius ann. 600. S. Neothus Edulphi sive Ethelulphi regis filius, Alfredi Magni regis frater.

Duodecimo, filiæ regum in Anglia. S. Eadburga in regno Merciorum, et soror eius S. Editha Frewaldi regis filiæ ann. 670. S. Kiniswida Pendæ regis filia ann. 675. S. Milburga, et S. Milgitha, alias Milvida Merwaldi regis filiæ 675. et soror earum S. Mildreda 690. Etheldritha Offæ regis filia 833. S. Wereburga Wulheri regis filia ann. 690. In regno occid. Sax. S. Quenburga Inæ reg. soror 727. In regno Cantii S. Eanswida Eadbaldi regis filia 630. S. Eartongotha Erconberti regis filia 650. S. Edburga S. Ethelberti regis filia 686. In regno Northumbrorum S. Ebba Ethelfridi regis filia 683. S. Elfleda Oswini regis filia 715. In regno orient. Angliæ S. Edelburga Annæ reg. filia 650. S. Wilburga Annæ etiam reg. filia 680. Edburga Aldulphi regis filia 710. Filiæ regum Angliæ simpliciter dictorum fuerunt. Ethelgeofa, alias Elfgina Alfredi regis filia 880. Elfleda Eduardi senioris filia 920. S. Editha Eadgari regis filia 980. S. Eatgitha Ethelulphi regis filia, et Alfredi regis soror. S. Edburga regis Eduardi senioris filia ann. 920. numero omnes viginti duæ. S. Modwena, alias Modovenna, virgo et Abbatissa Hiberni fuit regis filia. In una Cuthburga nunc moror. Hæc cum Alfrigo regi Northumbr. desponsata fuisset, thalamum ingressa sponso suo Iesu hanc orationem fudit: *Domine Iesu Christe universæ creaturæ dominator, inclina pias aures tuas ad preces ancillæ tuæ, intende quæso orationi meæ, te solum sponsum mihi elegi, tibi me totam a iuventute mea devovi, tu mihi super omnia complacuisti. Custodi ergo, Domine, quod tuum est: conserva tibi partem tuam, et dignare me vocare sponsam tuam. Non sinas corpus meum, quod tuum est templum, aliqua carnis corruptione contaminari, et mihi detrimentum inferri.* Addidit etiam pro sponso hanc orationem: Fac etiam, Domine, ut in corde sponsi mei huius regis terreni, spiritum infundas gratiæ salutaris; quatenus despectis huius mundi vanitatibus, et carnis illecebris mihi in castitatis proposito consentiat: ut ad te, qui omnium bonorum dispensator es, recto itinere perveniat. Sponsum ad castitatem perpetuam movit, et ipsa religiosam vitam traduxit, et Abbatissa fuit Ordinis S. Benedicti, ut ait Eduardus Maihew. tom. 2. pag. 1367. Agnes Bohema Primislai Otthogari, seu Otthischgari, huius cognominis primi, et Constantiæ Hungaræ (sive, ut aliis placet, Aragoniæ) regum Bohemiæ filia, ab incunabulis Deo oppignerata, facta est S. Claræ religiosa, anno 1234. aut circiter. Mater eius in somnis intellexit sanctitate illustrem futuram, ex habitu S. Claræ ostenso, et mysterioso modo in ipsis cunis complicatis brachiolis et pedibus in formam crucis: Friderici Cæsaris, et Henrici III. Angliæ regis nuptias repudiavit, quod legatus Cæsaris in somnis edoctus est, dum unam coronam vidit eam deponere, sed alteram gloriosam magis sibi imponere, ut ait Lucas Waddingus tom. 1. histor. Minorum ann. 1234. num. 4. pag. 313. Hæc ad Bohemiam magis pertinet, quam ad Angliam.

Decimotertio, huc maxime conferendi essent principes, qui infimum in religione gradum concupiverunt, ut Carlomannus, qui fuit servus coqui in monte Cassinensi, ac deinde pastor ovium. De illis egi alias. Hi possunt præsertim usurpare: *Elegi abiectus esse in domo Dei*, etc. B. Aloysius Gonzaga Marchio montis Ferrati, et B. Franciscus Borgia dux Gandiæ eam præsertim ob rem Societ. Iesu ingressi sunt, quod scirent in ea maxime obstructum esse aditum honoribus. In eorum vita invenies pulcherrima despicientiæ mundi, et abiectionis propriæ exempla.

ARTICULUS II.

Deus libenter aperit iusto cœlum, ut ibi eum gloria coronet.

Vir pius eligit abiectus esse in domo Dei, illum vero 70.
Deus exaltat, v. 13. Quia misericordiam et verita- Vers. 13.
tem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus. Nota, pro *misericordiam et veritatem*, Hebr. est, solem et scutum. Sed Septuaginta interpretes more suo metaphoras illas explicuerunt. Et fortasse solis mentionem facere noluerunt, quia ethnici pro deo illum habebant. *Misericordiæ et olei novens parallela.*

Primo, quod spectat ad *misericordiam*, Bellarminus et Agellius opinantur, Septuaginta interpretes non legisse שמש *scemes*, id est, solem: sed שמן *scemen*, id est, o-

leum. Sumi autem oleum pro misericordia, clarum est. Primo enim, oleum et misericordia habent affinitatem in nomine. Græce enim ἔλαιον est oleum: ἔλεος vero misericordia. Olivantibus lex antiquissima fuit: oleam ne stringito, neve verberato, ut ait Plinius lib. 15. cap. 2. perinde quasi misericorditer et benigne olea tractari velit. Secundo, oleum nutrit, ac cibos condit. Syrus hic vertit: *Quia educator noster, et adiutor noster Dominus est Deus.* Vocatur 2. Corinth. 1. 3. *Pater misericordiarum*: imo est mater misericordiarum, duas nobis misericordiæ dans mammas: nempe Filium ac Spiritum sanctum. Totus enim Deus est misericordia, ut dicitur Psal. 58. 18. *Deus meus, misericordia mea.* Tertio, oleum servit unctionibus, et corporis nervos confortat, et fatigata membra reficit et recreat. Unde athletæ se oleo inungi curabant. Sine Dei miserentis ope deficiemus. Roman. 9. 16. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quarto, oleo purgantur et sanantur vulnera. Hinc pius ille Samaritanus in semivivi vulnera infundit oleum et vinum, Lucæ 10.34. David sanitatis aucturem agnoscit misericordem Deum. Ierem. 17. *Sana me, et sanabor,* q. d. Hoc alter non fiet, id de meis viribus non præsumo. Et Psalm. 30. 17. *Salvum me fac in misericordia tua.* Quinto, oleum valde extenditur: latissime patet misericordia Dei, et neminem vult perire. De Christo dicit Sponsa Cant. 1. 3. *Oleum effusum nomen tuum.* Sexto, oleum aliis liquoribus supernatat, quia est aereum, et multum spiritus continet, ut ait Aristoteles lib. 2. de generation. animalium, cap. 2. De Deo habes Psal. 144. 9. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Vide illum locum. Septimo denique, oleum inservit lucernis. De luce misericordiæ statim dicetur. Hanc virtutem maxime requirit Christus. Unde imperat Matth. 11. *Discite a me, quia*, quod, *mitis sum.* Hæc est prima Christi lectio, q. d. Ego sum Christus, id est, unctus et ungens: vos sitis Christiani, ego vos gratia mea et misericordia inungam, sitis et vos fontes olei fratribus vestris. Hinc omnes Sancti ad misericordiam fuerunt propensi in hac vita, et post mortem, iuvantes accedentes ad se, quod declarant aliqui ex suo corpore oleum effundentes. Primo, ex corpore S. Agnetis o monte Politiano balsamum Indico et Arabico simile fluxit, quod non Religiosæ solum, sed plurimi Patres Ordinis S. Dominici, virique alii illustres viderunt: atque ampullam eo liquore plenam conspexisse se ac tetigisse, populoque ostendisse, ut fit singulis annis primo Maii, tradit Seraphinus Razzi: odorque suavissimus per totam ecclesiam ac monasterium effusus est, ut ait Ferdinandus de Castello. Secundo, fluit liquor e corpore S. Felicis Nolani. Sacchinus lib. 2. histor. Societatis Iesu, num. 79. Ea ipsa nocte, ait, qua Nolæ recepti sunt Patres Societatis Iesu, e S. Felicis Nolanorum Patroni corpore latex, qui sacer ac saluber habetur (manna id genus liquoribus vulgus nomen fecit) manavit. Quod quanquam non omnino præter solitum evenit; tamen quia persuasum est civibus, ubi manat, felicitatem portendere observata res est: tamquam vetus patronus novos hospites lætus ac favens susciperet. Tertio, mirabile est quod de S. Walburga (quæ etiam Walpurga et Walpurgis dicitur) boni referunt auctores: *De membris eius virgineis, maxime pectoralibus, sacrum emanat oleum, quod cæcos illuminat, aliaque præstat miracula.* Et quidem hora missæ, quæ dicitur in altari in quo reposita est, frequentius et uberius distillat. Si phialæ non directe supponantur, guttæ illius olei sibi cohærent dependentes ad modum botri vel favi mellis, nequaquam in alium locum cedentes: sed postquam negligentia corrigitur, in vas defluunt. Sæpe compertum est, quod receptum in vaso mundo si immunde et irreverenter teneatur, vel ad loca, ubi peccata crebra perpetrari consueverint, deportetur, omnino evanescit, et orificium vasis ipsum oleum nequaquam ad effectum sanationis egreditur. Tempore cuiusdam interdicti, liquor sacræ emanationis cessavit, usque ad diem qua Ecclesia reddita est indemnitati: hæc illi. Misericordia Dei illo oleo suavior est, quæ in peccatores præsertim sese effundit, eosque sanat: obstinatos tamen fugit, ac iustitiæ permittit.

Secundo, et melius, probabile est Septuaginta interpretes pro *misericordiam*, legisse, ut nunc est, שמש *semes*, id est, solem: sed cognovisse per solem hic intelligi misericordiam Dei. Vere enim misericordia Dei est sol mundi. Primo enim misericordia in cælo regnat. Psal. 35. 6. *Domine in cælo misericordia tua.* Secundo, suis radiis totam terram implet, ut dicitur Psal. 118. *Misericordia Domini plena est terra.* Plutarchus Dialogo de ira cohibenda: Deorum regem, inquit, Μειλίχιον, id est, mitem, suavem, blandum vocant: Athenienses vero ut arbitror, Maimactem nominant. Hesychius vero, ait, Maimactem esse μειλίχιον, καθάρσιον, blandum expiatorium. Deus deorum Dominus in cælo regnans terras expiat effusa in omnes misericordia. Tertio, pulchritudine sua et luce omnes recreat. Ps. 108. 21. *Suavis est misericordia tua.* Ps. 18. 5. *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Vide ibi multa de sole et Christo. Quarto, sol est causa omnis generationis in terra, eoque ablato nihil produceretur. Christus dicit Ioan. 15. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Necessaria est gratia Dei ad omne opus supernaturale. Quinto, sol continue volvitur. Psal. 102. 17. *Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.* S. Teresia, et Hieronyma Guliazo sæpe in ore et corde habebant illum versiculum: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Sexto, in nocte sol non lucet. Eccl. 1. 5. *Oritur sol, et occidit.* Christus dicit Ioann. 9. 4. *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari.* Diem interpretantur præsens sæculum: noctem vero, sæculum futurum. S. Chrysostomus et Leontius: Nunc tempus est misericordiæ, tunc erit tempus iustitiæ. Hic si iustitiam et severitatem hominum experimur, ad misericordiam Dei recurramus, et in ea nos consolemur: facit lucere solem suum super bonos et malos. Thomas quidam in Michaelem Balbum Imp. arma moverat; captum illum Michael (morem qui dudum Imperatoribus placuerat, et consuetudine receptus erat, servans) porrectum in pavimento iacere iussit, cervicemque eius pedibus suis calcavit: tum pedibus manibusque mutilatum, et asino impositum, spectaculi loco per castra circumduci iussit, nihil aliud vociferantem, quam ἐλέησόν με ἀληθῶς βασιλεῦ; *Miserere mei qui verus est rex.* Illa misericordia nos in terram promissam ducet, sicut Ioseph typus Christi tulit Iacob, id est, luctatorem et supplantatorem vitiorum. Iacob dicebat Iosepho, Genes. 47. 29. *Facies mihi misericordiam et veritatem, ut non sepelias me in Ægypto: sed dormiam cum patribus meis, et auferas me de terra hac.*

Nota secundo, pro *veritas*, Hebr. est מגן *maghen*, id est scutum. Unde S. Hieronymus, Pagninus, et Felix vertunt, *sol et scutum Dominus Deus.* Ubi adverte, quod veritas seu veracitas et fidelitas in promissis est scutum. Primo longum, quia ab initio vitæ usque ad finem porrigitur, et a minimis atque abiectissimis actionibus et affectionibus ad maximas et excelsissimas contemplationes. Clemens Alex. lib. 1. Stromat. Plato, ait, philosophus dicit in libro de legibus, cum qui beatus et felix futurus est, oportere esse ab initio, ἀληθείας μέτοχον, participem veritatis, ut cum sit verus, plurimo ita vivat tempore: hæc Clemens. Secundo, veritas Dei est scutum latum, quod tegit dexteram et sinistram bellatoris: id est, et in prosperis et in adversis. In bello corporali sinistra ferunt scutum, dextera gladium, et sic dextrum latus manet nudatum et solum sinistrum latus tegitur. Non curant homines nisi ut conservent se ab adversis; cum sunt in prosperitate, non sunt solliciti, unde multi in ea cadunt, et plures quam in adversitate. Psal. 90. 7. *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* Tertio, veritas Dei est scutum ex omni parte circumdans, tam in iis quæ providemus, et sunt ante oculos nostros: quam in iis quæ non videmus, et nos consequuntur. Psal. 90. 5. *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis a timore nocturno.* Illud est scutum bonæ

71. Misericordiæ divinæ et solis parallela quinque.

72. Veracitas Dei est scutum optimum: 1. Longum. 2. Latum. 3 Omni ex parte circumdans.

4. Impenetrabile. voluntatis, de quo vide dicta Psal. 5. v. ult. Quarto, veritas Dei est scutum impenetrabile. Est enim Deus ipse, de quo Plato ait lib. 2. de Republ. Simplex et verax est Deus, ἐν ἔργῳ καὶ ἐν λόγῳ, in opere et in verbis: et neque mutatur ipse, neque alios decipit. Malach. 3. 6. dicit: *Ego Dominus et non mutor*. Et Ioan. 14. 6. *Ego sum veritas*. Polybius lib. 13 Existimo naturam mortalibus constituisse veritatem, μεγίστην θεόν, deam maximam. Quinto denique, veritas Dei est scutum semper manens, et quod non recedit a corpore et animo illius quem protegit. Psalm. 116. 2. *Veritas Domini manet in æternum*. Hebræi vocant veritatem אמת *emeth*, cuius dictionis prima littera, nempe א *aleph*, est prima littera alphabeti Hebraici: secunda, nempe מ *mem*, est media in eodem alphabeto: tertia denique, scilicet ת *thau*, est postrema. Quo indicare voluerunt, Deum, cum sit perfectissima veritas, esse initium, medium, et finem omnium actionum. Item, Deum promissis suis stare statim a principio vitæ cuiuslibet, in medio, et in fine ab iis non discedere. Suidas in voce, ἀλήθεια, dicit: Veritas est θεῶν καὶ ἀνθρωπίνων ἡγεμών, divinarum humanarumque rerum dux. Clemens Alexandrinus lib. 8. Stromat. Merito, inquit, a Græcis acclamatum est, ἀρχὰ μεγάλας ἀρετᾶς ἄνασσα ἀλήθεια, principium magnæ virtutis est regina veritas. Hippocrates ait, pios ab ea feliciter deduci. Sic enim loquentem Æsculapium inducit in epist. ad Philopœmenem: *Hæc communis, inquit, tum immortalium, tum mortalium dea, te nunc sospitem deducet*. At ego conversus aspicio mulierem pulchram et magnam, simplici capillorum ornatu, splendido cultu, cuius oculorum orbes splendido lumine collucebant, ut stellarum fulgores viderentur. Qua iam discedente, quæso optima, inquam: Quænam es, et quod tibi nomen? Veritas, inquit: ita Hippocrates.

5. Excuti non potest a nobis.

73. Terrena sunt mendacium. Tropologice. In Deo ac divinis omnia sunt vera et realia: in terrenis, mendacia, umbræ, fumi, et fallaces imagines. Tertullianus lib. de corona militis: *Omnia imaginaria in sæculo, et nihil veri*. Philo id declarat lib. in Flaccum Ægypti Præfectum: ubi post narrationem potentiæ illius, rapinarum et crudelitatis, narrat eum in ipsa urbe Alexandria, in qua dominabatur, captum, e magistratu depositum, atque in Andrum insulam relegatum, quo in loco sic loquentem inducit, pag. 764. En Flaccus ille, paulo ante Præses, μεγαλοπόλεως ἢ πολυπόλεως Ἀλεξανδρείας, magnæ, et quæ multarum instar sit urbium, Alexandriæ, Ægypti Præfectus provinciæ felicissimæ, cuius nutum observabant tam multa hominum eius regionis millia, qui quotidie deducebatur a turbis innumeris: μὴ φάντασμα ταῦτ' ἦν οὐκ ἀλήθεια; *Nonne somnium erat illud, non veritas?* Dormiens videbam illam felicitatem, εἴδωλα κατὰ κενοῦ βαίνοντα, vanas imagines, fictiones inanes animæ sibi fingentis et efformantis, quæ non erant, perinde atque si extitissent. Deceptus sum profecto: σκιαὶ πραγμάτων ἦσαν, οὐ πράγματα, *umbræ, non res erant*, et fallaces species illudentes oculis: hæc Philo. Deus solus est, qui est: cætera se esse mentiuntur, et non sunt. Mercurius Trismegistus in Pimandra cap. 15. 6. Omne quod alteratur, ait, mendacium est: non enim in eo quod est, permanet. Quin etiam se convertens alias atque alias imaginationes nobis profert. Quæ utique ex corruptione fiunt, mendacia sunt, ut quæ nunc alia, quandoque alia fiunt: nam eadem fieri non possunt. Quod autem idem non est, qui verum erit. Hactenus Mercurius.

74. Gratia Dei omnino est necessaria ad meritum. Nota tertio, Dei unius est gratiam dare, sine qua nihil fit, et cum qua omnia fieri possunt: *Gratiam et gloriam dabit Dominus*. Pelagiani dicebant, hominem sine gratia Dei posse viribus naturalibus liberi arbitrii sui omnia Dei mandata servare, ut ait S. Augustinus de peccatorum meritis et remissione. S. Iacobus vero ait in epist. cap. 1. 17. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum*. Concilium Africanum cap. 80. *Non ait Christus: Sine me difficilius potestis facere: sed ait*, Ioan. 15. 5. *Sine me nihil potestis facere*. Marcus Eremita lib. de Paradiso, cap. 41. Quoties, inquit, aliquid boni feceris, fac memor sis eius, qui dixit Ioan. 15. 5. *Sine me nihil potestis facere*. Manuel Palæologus in præceptis educationis regiæ, cap. 13. Pulcherrimum est, ait, rem maximam feliciter efficientem, Deo præclarum facinus acceptum ferre, sine quo nihil boni fieri potest.

Primo, non est dubium primam intellectus illuminationem nullo nostro merito obtineri. Prima enim gratia non cadit sub meritum. Iob. 32. 8. ait Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram: *Spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*. Proverb. 20. 24. *A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam?* Secundo, motus pius voluntatis inclinantis se ad bonam affectionem a gratia Dei pendet. Philip. 2. 13. *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*. Concilium Carthaginense epistol. ad Innocentium I. ait, Pelagium et Cælestinum *in sacrilegam superbiam* extollere liberum arbitrium, nullum relinquentes locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus, qua et ipsum nostræ voluntatis arbitrium vere fit liberum: dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino, Ioann. 8. 36. *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis*. Tertio, a gratia Dei est bona operatio. 1. Corinth. 15. 10. *Non ego, sed gratia Dei mecum*. Rom. 7. 15. *Non quod volo bonum, hoc ago*. S. Gregor. in Psal. 7. nos gratia destitutos comparat terræ arenti ob defectum pluviæ. Illud enim: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*, considerans ait: *Quasi terra sine aqua, est anima sine gratia. Sicut enim terra, quæ imbre non perfunditur, non vestitur herbis, non venustatur floribus, non abundat messe: sic anima gratia carens, non operitur virtutibus, non cogitat de cælestibus, non insistit utilibus*. S. Macarius homil. 17. varias similitudines affert, quibus declarat, nos sine Deo nihil posse: *Quemadmodum, ait, sine aqua piscis vivere non potest, nec ambulare quis sine pedibus, aut absque oculis videre lumen, vel loqui, cum lingua careat, vel audire sine auribus: sic sine Domino Iesu, atque efficacia divinæ virtutis non potest quispiam cognoscere mysteria, aut sapientiam Dei, aut esse dives, et Christianus. Nam qui ducuntur et reguntur secundum interiorem hominem a potentia divina, ii sunt sapientes, milites fortes*, καὶ φιλόσοφοι Θεοῦ, *et philosophi Dei*. Variis comparationibus probatur.

75. Initium, medium et finis bonæ actionis est a gratia. In actionibus porro sanctis initium, progressus, et consummatio divinæ gratiæ debetur. Primo, initium. 2. Corinth. 3. 5. *Non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*. Marcus Eremita lib. de Paradiso, cap. 40. Omnis virtutis initium et auctor est Deus, sicut sol quotidiani luminis. Secundo, progressus bonæ actionis a Deo est. De sacris animalibus, id est, Cherubinis currus Dei, dicitur Ezechiel. 1. 12. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent*. S. Gregor. 22. Moral. 19. Nemo, inquit, se alicuius virtutis æstimet, etiam cum quid fortiter potest: quia si divina protectio deserat, ibi repente enervatus obruetur, ubi se valenter stare gloriatur: ita Gregorius. Tertio denique, finis et consummatio boni operis a Dei gratia pendet. S. Bernard. serm. 5. de Assumptione B. Virginis, illud considerans Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*, sic ait: *Ex quibus verbis innuitur, quod triplicem gratiam accipimus: unam, qua convertimur: aliam, qua in tentationibus adiuvamur: tertiam, qua probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur: secunda provehit, qua iustificamur: tertia consummat, qua glorificamur. Et prima quidem beneplacitum est, secunda meritum, tertia præmium. De prima dictum est: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus; de duabus reliquis dictum est: Et gratiam pro gratia, id est, munera gloriæ æternæ pro merito temporalis militiæ. Sit ergo prima gratia in muro continentiæ, ad quam vocamur: sit secunda in ascensione turris, quam ascendimus: sit tertia in eius culmine, quo pervenimus*: hæc Bernardus. Idem docet Franco Affligeniensis, de gratia Dei: *Gratiæ est*, ait, *quod elegit: gratiæ*,

quod posuit: gratiæ, quod fructum contulit: gratiæ, quod ad maturitatem usque perduxit. Quidquid ergo in homine virtutis ac studii spiritualis emicat, de hoc fonte pietatis manat.

76. Nota secundo, Dei unius est gloriam dare. Gratiam, *et gloriam* dabit Dominus. Sadducæi dixerunt, In nostra esse potestate, ut tam felicitatis nobis auctores simus, quam infortunii, ut ait Iosephus lib. 13. Antiquit. cap. 9. Sed errabant. Dei solius est dicere: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis a constitutione mundi.* Hoc figuratum est in introductione populi Israel in terram promissionis, de qua exultans Moses canit Exod. 15. 17. *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine: sanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuæ:* ita ibi. Deus eduxit populum illum ex Ægypto, deduxit per desertum, induxit in terram lacte et melle manantem. Iunilius Africanus, qui floruit circa annum 545. lib. 2. de partibus divinæ legis, cap. 52. sic ait: *Gratia præparat, adiuvat, corroborat, coronat:* hæc ille Episcopus Africanus. Cooperatio tamen nostra requiritur: Qui euntes eunt, et flentes mittunt semina sua, venientes veniunt cum exultatione portantes manipulos suos. S. Cyprianus Africæ Primas, et Episcopus Carthaginis epist. 16. ad Mosem et Maximum Confessores: Per vicissitudines, ait, mensium, transmeavit tempus hybernum, sed et vos inclusi, tempora hyemis, persecutionis tempore pensastis. Successit hyemi verna temperies, rosis læta, et floribus coronata: sed vobis rosæ et flores de paradisi deliciis aderant, *et caput vestrum serta cælestia coronabant.* Æstas ecce messium fertilitate fœcunda est, et area frugibus plena est: *sed vos qui gloriam seminastis, frugem gloriæ metitis*: hæc Cyprianus. Quid erit in cælo, si in ipso labore est gloria? Ursula Valentina Ordinis S. Dominici pulchritudinem animæ, gratia Dei ornatæ, cum semel vidisset, a die 25. Ianuarii, usque ad 5. Aprilis, quoties ea cogitatio recurrebat, in singultus crebros abibat, neque eos ullo conatu impedire poterat, quin deinde velut Irrugire vel invitissima cogeretur. Quæ iucunditas erit, in cælo videre tot millia Sanctorum!

Dei est dare gloriam.

77. Gratia porro et gloria dicuntur a Deo dari, tamquam a causa prima, principali, quamvis adulti dispositive concurrant ad consecutionem gratiæ iustificantis: ad actum vero visionis beatificæ etiam ut causa per se et principalis, sed secunda. Nec enim ex eo, quod gloriam dare Deus dicitur, sequitur in dicto actu habere se beatum mere passive, quod etiam aliqui arbitrantur actui vitali, qualis est visio, repugnare: sed causam primariam seu primam principalem Deum esse, tum quando elicitur actus ille, tum ratione gratiæ sanctificantis, cuius idem causa per se efficiens solus est, tum meritorum, quorum radix est eadem illa gratia simul cum auxiliis divinis, tametsi in dictis meritis, qui meretur, habeat se non ut causa instrumentalis tantum, sed tamquam efficiens causa per se secunda in genere moris. Sequitur potius ex istis verbis requiri ad sanctitatem, atque ad videndum Deum, peculiare eiusdem supernaturale donum. Qua in re, quod attinet ad visionem Dei, quæ difficilior est, damnantur in Concilio Viennensi sub Clemente V. Begardi et Beguinæ, qui senserunt quamcumque rationalem creaturam naturaliter beatam esse, nec indigere supernaturali lumine, sive intelligas de habituali, sive de actuali, quod nunc non curamus. Id certe ita proprium Deo est, esse causam efficientem primam principalem gratiæ et gloriæ, ut creaturæ communicari non possit: ut causam, inquam, talem ac independentem, atque per virtutem sibi propriam ac naturalem. An vero possit creatura aliqua esse causa principalis secunda dictarum rerum per virtutem a Deo acceptam, quæ sit sufficiens et proportionata ad eiusmodi producendos effectus, magis in dubium revocari potest, de quo nunc non agimus. Argumentari autem hinc licet, Christum Deum esse, quia de se ut de prima causa principali dixit Ioan. 10. 28. *Vitam æternam do eis.* Et 2. Timoth. 4. 6. ait Paulus: *Coronam iustitiæ reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Hebr. 2. 10. *Decebat auctorem salutis eorum, qui multos filios in gloriam adduxerat.* Præterea sequitur, gloriam gratiæ respondere, tamquam fructum radici, vel finem fructus præsentis, qui dicatur gratia sanctificans cum operibus ac meritis. Rom. 6. 22. ait Apostolus: *Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam.* Nam etsi debeatur meritis, tamen id est ratione gratiæ, ut docet S. August. epist. 105. et Enchirid cap. 107. et lib. de gratia et libero arbitrio, cap. 8. S. Chrysost. homil. 11. in epist. ad Rom. et alii: ita ut Deus dicatur præmiare et coronare munera et dona sua.

Gratia et gloria quomodo dantur a Deo.

Postquam dixit David Deum daturum esse gratiam et gloriam, adiungit duo in eam rem a nobis requiri: nempe innocentiam, quæ nos a terrenis retrahat, et in iis manere non permittat; et spem, quæ nos Deo uniat, vers. 14. NON PRIVABIT BONIS EOS QUI AMBULANT IN INNOCENTIA: DOMINE VIRTUTUM, BEATUS HOMO QUI SPERAT IN TE. 78. Vers. 14.

Nota, *non privabit bonis;* est miosis: plus enim intelligitur, quam dicitur. Sensus est, bonis omnibus cumulabit. Hebr. Non prohibebit bonum ambulantibus in perfectione. Syr. Non cohibebit beneficia sua ab his, qui ambulant in innocentia. Deus fons est copiosus et exundans, qui cum aquas gratiæ suæ et liberalitatis effundere non potest, dolet ac laborat.

Quæres, quibus bonis cumulat Deus innocentes? Resp. Primo, cumulare iis omnibus, quæ sunt necessaria ad salutem, et quidem dare illis abundanter; in illis autem veræ divitiæ sunt. S. August. in Psal. nostr. *Habet lucrum auri, ait, passus est damnum innocentiæ. Est aliquid pretiosum innocentia. Sed, si innocentiam retinebo, inquit, pauper ero. Parvæne divitiæ ipsa innocentia? Si arcam plenam auro habueris, dives eris: si cor plenum innocentia, pauper eris?* Hæc Augustinus. Gloriæ vero bona longe maiora sunt, et eo maiora bona terrenis, quo Deus creaturis; datur enim infinitum bonum, scilicet ipse Deus. Ps. 26. 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Hic in terra mortuorum sunt bona servilia, in cælo sunt bona Domini, imo bonum ibi possessum est ipse Dominus. Tanta illa sunt, ut pro magno munere amicos suos cito hinc ad se evocet. Antonius Senensis in chronica Dominicanorum, pag. 75. refert, puerulos innocentes, cum quibus Christus familiariter versabatur in Lusitania, rogasse eum, ut semel se et magistrum suum, fratrem Bernardum Ordin. S. Dominici invitaret in domum Patris sui. Promisit, et diem proximum Ascensionis assignavit. Illi rem magistro deferunt, qui se parans summo mane sacrum facit, parvulis illis ministrantibus, qui post sacrum ibi omnes vivere desierunt: tres erant, et tres simul eodem conditi tumulo: hæc ibi. Petrus du Iarric lib. 3. hist. Ind. cap. 30. pag. 342. refert: Brasilas duas fœminas morienti cuidam adstantes, plurimos iuvenibus similes, albis vestibus fulgentes, vidisse domum illam ingredi, magnoque gaudio animam Christiani illius secum abducere. Cum id vidissent, orarunt, ut sibi quoque paucos intra dies illud beatum iter tenere liceret. Earum alteri hoc sunt polliciti, seque ad eam venturos dixerunt, ut idem perficerent: alteram vero monuerunt, nisi vitam emendaret, ne cogitandum quidem illi esse de obtinenda cælesti felicitate. Hæc Iarrius, qui deinde rem terrificam narrat de quodam Lusitano Tribuno militum, qui tribus Armutiæ pellicibus Mahumetanis abutebatur: cumque P. Gasparis Barzæi monitis vitam in melius mutare nollet, repentina morte abreptus est: eodemque instanti aer, qui maxime serenus erat, adeo crassis nubibus obductus est, ut vel aspectu horrorem incuteret: tantusque repente ventorum turbo, ac pulveris tonitruumque fragor exortus est, ut per horam dimidiam conspectum mutuum omnibus eriperet, seque omnes perditos crederent. Expende itaque, et animo imprime illud S. Chrysost. serm. de misericordia: *Dæmones, ait, pro pusillis his et minimis rebus privabunt nos maioribus. Lutum enim offerunt, ut aurum subtrahant: vel potius ut cælo nos fraudent, um-*

Deus dat spirituales divitias.

Mors est donum Dei speciale.

Mors terrifica impii tribuni.

bram præferunt: ut a veris propellant, insomnia immittunt. Nihil enim aliud sunt fortunæ bona, ut luce abiecta omnium nos arguant egentissimos.

79. Deus dat servis suis bona temporalia necessaria: I. Divitias.

Secundo, Deus non privabit etiam bonis externis ad salutem necessariis, eos qui ambulant in innocentia: et sæpe eos illis locupletabit.

Primo enim, virtutem etiam divitiæ temporales sequuntur. De sapientia practica, id est virtute, dicitur Prov. 3.16. *Longitudo dierum in dextera eius, et in sinistra illius divitiæ et gloria.* Olaus Magnus lib. 11. cap. ult. Incolæ Bothniæ, inquit, deprehenderunt, qui recte vivunt, omnibus abundare: et contra, pro criminosis aves aerem, bestias nemora, pisces aquas deserere, nec redire, donec placato numine, et sacris orationibus revocentur: hæc ille. In veteri testamento id clare apparet, ut patet in libris Iudicum, et Regum, et in aliis. Iacob ditatus est a Deo, licet Laban eum ad inopiam redigere optaret. Gen. 31. 7. dicit ipse Racheli et Liæ: *Pater vester circumvenit me decem vicibus, et tamen non dimisit eum Deus, ut noceret mihi. Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ, pariebant omnes oves varios fœtus; quando vero e contrario ait: Alba quoque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt. Tulitque substantiam patris vestri, et dedit mihi.* Notabile est, quod non prorsus dissimile refert Andr. de Yapes in chron. general. Ordinis S. Benedicti: Comes, ait, de Loyasa sanatus a lepra per S. Maglorium, in gratiarum actionem dedit sancto viro mediam partem cuiusdam possessionis suæ: statim feræ sylvæ, et fluvii pisces partem Comitis deseruerunt, et ad partem viri sancti se contulerunt. Id ægre ferens uxor Comitis effecit, ut quodam prætextu partem illam suam cum Religiosis permutaret, sed idem iterum accidit: quare omnem possessionem illam eis tradidit.

II. Honorem.

Secundo, honor et gloria etiam in terris virtutem sequuntur. Ps. 111. 3. *Gloria et divitiæ in domo eius*, timentis Deum. Basilius Imperator censebat pulcherrimam regum coronam esse innocentiam. Sic enim loquitur in Exhortatione ad Leonem filium: *Lectissimam esse regni tui coronam statuito innocentiam, et bonam conscientiam, qua te magis meliusque exornabis, quam sexcentis aliis ornamentis. Divitiæ, infida quædam res, et quæ facile dilabitur: gloria transit, robur corporis flaccescit, voluptates diffluunt: sola innocentia, et boni mores in multas ætates protenduntur, et memoriam nominis æternam transmittunt ad posteros: quibus virtutem tuam æmulandam, quasi pharmacum adversus mala omnia relinques: eosque et laudatores, et imitatores tuæ administrationis efficies.* Vide a me dicta Ps. 111. 3.

III. Voluptatem.

Tertio, voluptas quoque virtutem sequitur. Ps. 18. 9. *Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.* Vide illum locum, et Ps. 91. sect. 1. Plutarchus integro tractatu docet, ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri decreta. Inter cætera ad rem nostram ait: *Omnia sunt deorum, si Diogeni credimus: itaque amicorum communia omnia,* φιλοι θεοις οι αγαθοι: *boni vero diis sunt amici, et fieri non potest, quin felices sint boni: et omnis bonus et iustus sit diis charus.*

IV. Omnia bona.

Quarto denique, omnia bona virtutem sequuntur. De sapientia practica, id est virtute, dicitur Sap. 7. 11. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas*, Græce πλουτος, id est, divitiæ. Sic honestas pro divitiis, et honestare pro divitem facere, sumitur Eccli. 11. v. 14. et 23. atque Sap. 8. 18. et 20. 10. quia divites honorantur. *per manus illius*, id est, eius voluntate, liberalitate, labore et operatione. Plutus divitiarum deus pingebatur cum signo Fortunæ et Minervæ Erganes, id est, operatricis. S. Paulus 1. Timoth. 4. 8. *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* Deus iustis dat Amalthææ cornu, ex quo omnia bona desumant, et præcipue post afflictiones toleratas. Passus est Iobum natione Idumæum, et regem, natum annos septuaginta affligi: quæ calamitas duravit annos septem, sed postea felix vixit duplicatis bonis per annos centum et quadraginta: mortuus est enim anno ætatis suæ 210.

Iobi felicitas longa, afflictio parva.

Quatuor liberos et tres filias post calamitatem ex eadem uxore, qua priores, procreavit, et in filiarum nominibus felicitatem expressit. Iob. 42. 14. *Vocavit nomen unius, Diem: et nomen secundæ, Cassiam: et nomen tertiæ, Cornustibii. Septuag.* αμαλθειας κερας, *cornu Amaltheæ.* Quem in locum Patres Græci in Catena sic loquuntur: Videtur, inquiunt, Iobus nominibus, quæ filiabus imposuit, bonorum quæ sibi largitus est Deus, non obscuram voluisse significationem conficere: ita primam filiam, Diem nominavit: ideo quod ab obscurissima ærumnarum nocte ad felicitatem restitutam divinitus, quasi ad diei lucem aspiciendam esset revocatus. Secundam, Cassiam appellavit, quod iam is odoris quadam suavitate, bonorumque voluptate frueratur. Tertiam *Amaltheæ cornu*, ad bonorum copiam significandam, transtulerunt: hæc illi. Fingebant ethnici Iovem alendum esse traditum fœminæ Amaltheæ, illam capræ ipsum subiecisse: Iovem vero beneficii memorem, cornu alterum capræ avulsum dedisse Amaltheæ; ut ab eo vinum, mel, lac, et demum quidquid vellet, emanaret. Alii aliter fabulantur, sed vere Deus nobis est Amaltheæ cornu, ex quo omnia profluant commoda.

80. In via Dei est ambulandum.

Adverte autem, ad servandam innocentiam, et obtinenda bona a Deo, esse ambulandum: non dat illa stertentibus. Deus ipse dicit Abrahamo Gen. 17. 1. *Ambula coram me, et esto perfectus: ponamque fœdus meum inter me et te, et multiplicabo te vehementer nimis.* Vide dicta Ps. 118. 1. Ad hanc ambulationem ut moveamur, cogitandum est, quod immediate antea dictum erat Abrahamo: *Ego Deus omnipotens.* Et hic in Psalmo nostro statim sequitur: *Domine virtutum.* Item, quod initio Psalmi positum est, nempe: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.* Si enim in Deum, et in bona paradisi oculos coniiciamus, et charitatem nostram incitemus, ambulabimus in innocentia, et in præcipitia non labemur. S. Cæsarius Arelat. Episc. qui floruit circa ann. 499. sic ait in exhortatione ad tenendam charitatem: *Vera charitas in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, inter insidias innocens, inter iniquitates gemens, in veritate respirans: casta in Susanna in virum, in Anna post virum, in Maria propter virum, humilis in Petro ad obediendum, libera in Paulo ad arguendum, humana in Christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum:* ita Cæsarius. Maiestate et delectatione plena est cum virtutibus ambulatio. Philostratus lib. 1. vitæ Apollonii, rem pulcherrimam refert: Post hæc, ait, in Mesopotamiam venientes Apollonius et Damis, a publicano, qui portoriis pontis Præfectus erat, quid mercium secum ducerent, interrogati sunt: Cui Apollonius ait: *Adduco modestiam, iustitiam, virtutem, continentiam, exercitationem, fortitudinem:* aliasque virtutes pulcherrimas fœmineo nomine appellavit. Tum custos ad lucrum respiciens: Da, inquit, ancillarum nomina. At enim minime licet, ait Apollonius: ου γαρ δουλας απαγω ταυτας, αλλα δεσποινας: *Non enim velut ancillas, sed velut dominas duco.* Quod ille arroganter et falso iactabat, id sancti iure dicebant, præsertim qui a prima infantia ambulaverant in innocentia, quod de S. Dominico dicitur, in vita S. Catharinæ Senensis apud Surium mense April. die 29. Fuit, inquit, illi da B. Patre Dominico revelatum, quod omnes actiones suas ab infantia usque ad obitum ad normam præceptorum Dei direxerit, nec unquam ullum Dei præceptum transgressus sit, corporisque et mentis virgineam integritatem, et baptismi gratiam perpetuo conservarit, omnemque conatum suum eo intenderit, ut animas tum de errorum, tum de vitiorum laqueis liberaret: ita ibi. Hoc imitandum est omnibus Christianis, id enim optat Christus purissimus. Salvian. lib. 3. de provid. Perfectæ, inquit, et sincerissimæ sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, iussit ab iis cautissime etiam minima vitari: scilicet, *Ut quam pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita:* hæc Salvianus. Ut hoc obtineas, vis naturæ est inferenda. S. Basil. regul. 17. de fusius disputatis: Est ergo, inquit, continentia, peccato-

Virtutes sunt dominæ.

S. Dominici innocentia.

rum sublatio, vitiosarum affectionum amandatio, corporis ad naturales etiam usque passiones mortificatio, principium vitæ spiritualis, sempiternorum bonorum conciliatio, voluptatis aculeum in seipsa abolens. Siquidem voluptas nihil aliud est, quam magna esca maligni, per quam nos homines ad peccatum valde proclives sumus: ita Basil.

81. In uno Deo sperandum. Nota secundo, præter innocentiam, qua abstrahimur a terrenis, necessaria est spes qua Deo hæreamus, ne in terram relabamur. Unde David Psalmum concludit: *Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.* Arnob. beatus vir. Spes est actus arduus, et difficile est in uno Deo sperare, et confidere tantum in eius auxilio, non in terrenis præsidiis. Ubi adverte, spe maxime sustentari vitam

Spes vitam sustentat. nostram. Elpistici Philosophi a spe, quam unice prædicabant, dicti, συνεκτικωτατον ειναι του βιου το ελπιζειν αποφαινονται, nihil esse pronuntiaverunt, *quod vitam magis contineat quam spes, sine cuius condimento vita sit intolerabilis,* ut ait Plutarch. lib. 4. Sympos. quæst. 4. Sed erant homines, qui spem in vanis rebus ponunt, et a spe sua ad desperationem ducuntur. Lucianus hoc ingeniose declarat, aulicæ vitæ imaginem depingens, in tract. de iis qui mercede conducti in divitum familiis degunt. Pingatur, inquit, vestibulum sublime atque inauratum: neque id humi si-

Spes aulicorum vana et fallax. tum in solo, sed procul a terra in edito collis fastigio: præterea inaccessum ferme et abruptum, lubricoque habitu: ita ut plerumque qui se iam ad summum usque verticem penetrasse sperant, lapso pede præcipitati cervicem frangant. Intus autem opulentia sedeat, tota aurea, maiorem in modum formosa atque amabilis. Porro amator ubi vix tandem conscendit, iamque ad fores accessit, obstupescat, oculis in aurum defixis. *Deinde spes, quæ et ipsa specioso vultu est, ac versicoloribus amicta, manu prehensum introducat, mire iam ipso ingressu attonitum.* Atque ab eo quidem tempore spes illum antecedat, ducatque, tum aliæ mulieres illum excipientes, puta fallacia servitusque tradent labori. At is miserum tandem defatigatum senectæ tradat iam morbidum, coloreque commutato. Postremo, contumelia arreptum illum ad desperationem pertrahat: et hoc quidem tempore spes avolans evanescat. Tum ille non per aureum illud atrium, per quod ingressus est: sed per posticum quoddam, et occultum exitum extrudatur nudus, ventricosus, pallidus, senex; læva quidem pudorem occultans, dextra vero seipsum strangulans. Occurrat autem exeunti pœnitentia frustra lacrymans, et miserum bis etiam conficiens. Atque hic quidem esto picturæ finis: ita Lucianus. Apud Hieronymum Alcandrum in tabula Heliaca, habetur descriptio antiqui marmoris Romani, in quo erat symbolum spei: Puer scilicet hirco insidens: ad dextram habens virum, cui caput radiis fulgens, ut sol pingi solet: utraque manu accensam facem præferebat: in sinistra stabat Mercurius; dextra gerens caduceum, sinistra cornu Amaltheæ. Subscriptio erat, *Bonæ spei.* Aug. Vot. PP. Tr. Solem sibi honorum, et vim eloquentiæ sperant homines, sed plerumque hircina est spes illa, et in fœtore vitiorum frustra quæritur. Dicamus cum Davide nostro Ps. 39. 5. *Beatus vir, cuius est nomen Domine spes eius: et non respexit in vanitates, et insanias falsas.* Vide ibi dicta. S. Paulus 1. Timoth. 6. 17. *Iubet præcipi divitibus non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum.* Ier. 17. 5.

A ait, *Maledictum esse hominem, qui confidit in homine, et a Domino recedit cor eius:* fore illum quasi myricam in deserto, et non visurum, cum venerit bonum: sed habitaturum in siccitate in deserto, in terra salsuginis et inhabitabile. Beda id considerans hom. in dedicatione altarium, dicit: Myrica est infructuosa arbor et humilis, gustu nimis amara, omnique humana cultura prorsus indigna, ac propterea fructificans in deserto: ita ille. Spes vero in Deum dat fructus æternos, et qui nunquam deficiunt. Eccli. 2. 8. *Qui timetis Dominum, credite illi,* tum per fidem, tum per spem, *et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. Respicite filii, nationes hominum: et scitote quia,* quod, *nullus speravit in Domino, et confusus est.* Magna et iucunda assertio. Nullus speravit in Domino, et confusus est, neminem excipit. S. Chrysost. id etiam extendit ad peccatores. Non dixit, ait, iustus. Hoc enim est admirabile, quod ipsi quoque pecca-

B tores anchoram hanc spei tenentes, sint ab omnibus inexpugnabiles: ita Chrysostomus.

Adverte porro, ut spem in uno Deo ponamus, non in 82. nostris fidendum viribus, industria, scientia, experientia, In nostris viribus non fidendum. virtute; cogitandum sæpe, quod, sicut hic dicitur quater, Deus sit *Dominus virtutum*, id est exercituum, ut est in Hebræo. Ut enim ait S. Cyprian. epist. 77. *Ipsius est quod vincimus, et quod ad maximi certaminis palmam, subacto adversario pervenimus:* hæc ibi. Epist. 2. vero dixerat, omne robur nostrum ab eo fluere. Dei est, inquit, Dei omne quod possumus: inde vivimus, inde pollemus, inde sumpto et concepto vigore, hic adhuc positi futurorum indicia prænoscimus. Sic tantum timor innocentiæ custos: ut Dominus, qui in mentes nostras indulgentiæ cælestis allapsu clementer influxit, in animi oblectantis hospitio iusta operatione teneatur: ita Cyprianus. Hoc definit Concil. Arausicanum cap. 9. Divini, ait, est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque

C nobiscum, ut operemur, operatur. Et cap. 20. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla vere facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo.* Adelinus Sagiensis in vita S. Opportunæ: Quidquid boni, ait, in nobis est, ab illo accepimus: quia sine illo nihil boni facere aut cogitare possumus. In illo namque vivimus, movemur, et sumus: ita Adelinus. Deus porro adeo potens est, ut etiam det facilitatem in rebus difficillimis. Syr. vertit: Domine *Deus fortissime*, beatus homo qui sperat in te. S. Bern. serm. 2. in Pentecoste: *Spiritus*, ait, *dabit robur vitæ, ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam eius non solum possibile, sed etiam facile fiat.* Quater autem hoc in Psalmo repetit hæc verba, *Domine virtutum*, Primo, ut ostendat in Deitate unitatem essentiæ, et Trinitatem in personis, omnesque esse eiusdem potestatis. Secundo, ut summam suam imbecillitatem declaret, et indigentiam opis divinæ. S. Hier. lib. 1. ad Ctesiphontem cap. 3. *Peto,* inquit, *ut accipiam; et cum accepero, rursus peto. Avarus sum ad accipienda beneficia Dei: nec ille deficit in dando, nec ego in accipiendo. Quanto plus bibero, tanto plus sitio:* hæc Hieron.

PSALMUS OCTOGESIMUS QUARTUS.

1. IN FINEM, FILIIS CORE, PSALMUS.

2. BENEDIXISTI Domine terram tuam: avertisti captivitatem Iacob.
3. Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.
4. Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.
5. Converte nos Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.
6. Numquid in æternum irasceris nobis; aut extendes iram tuam a generatione in generationem?
7. Deus tu conversus vivificabis nos: et plebs tua lætabitur in te.

8. Ostende nobis Domine misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.
9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam. Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.
10. Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.
11. Misericordia et veritas obviaverunt sibi: iustitia et pax osculatæ sunt.
12. Veritas de terra orta est: et iustitia de cælo prospexit.
13. Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.
14. Iustitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

PSALMI OCTOGESIMI QUARTI ANALYSIS.

Propheta noster incarnationem Christi mente prævidens, aperit

- Decretum Dei de incarnatione hominibus salutare,
  - Quo decrevit Ecclesiæ dare benedictionem per Christum. 2.
  - Liberationem electorum, a captivitate diaboli. 2.
  - Remissionem offensæ divinæ, peccato contractæ. 3.
  - Deletionem maculæ, ex anima. 3.
  - Condonationem reatus pœnæ
    - Ira Dei mitigata. 4.
    - Et indignatione sublata. 4.
- Dispositionem hominum ad incarnationem obtinendam:
  - Conversione mentis ad Salvatorem. 5.
  - Deprecatione punitionis a iudice, 4. ne
    - Semper irascatur illis. 6.
    - Et posteris secuturis. 6.
- Effectus in hominibus post incarnationem obtentam:
  - Interius
    - Vita reddita, menti iustorum. 7.
    - Et lætitia, cordi omnium. 7.
  - Exterius
    - Aspectu Christi misericordis. 8.
    - Susceptione oblati Salvatoris. 8.
    - Auscultatione Verbi pacem afferentis: 9.
      - Plebi suæ. 9.
      - Sanctis præsertim. 9.
      - Et conversis ad pœnitentiam. 9.
    - Veneratione divinæ maiestatis:
      - In Salvatore. 10.
      - Et glorificatore. 10.
- Virtutes Dei in ipsa executione incarnationis:
  - Misericordiam et veritatem sibi occurrentes. 11.
  - Iustitiam et pacem se osculantes. 11.
  - A terra, veritatem exortam. 12.
  - A cælo, iustitiam aspicientem. 12.
  - A Deo, misericordiam prodeuntem. 13.
  - Ab hominibus, Christum enatum, qui iustitiæ Dei satisfaciat. 14.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. IN FINEM, FILIIS CORE, PSALMUS.

1. Argumentum Psalmi. PRIMO, Iudæi hunc Psalmum explicant de liberatione a captivitate Babylonica: volunt enim fieri mentionem liberationis a captivitate Ægyptiaca, et orari deinde pro solutione captivitatis illius in Babylone: Mariana idem videtur sentire.

Secundo, melius Theodoret. Genebr. Iansen. Tirinus in typo liberationis e servitute Babylonis, volunt agi de primo Christi in hanc terram adventu, ut liberet eam a servitute diaboli.

Tertio, S. Aug. S. Hieron. Haymo, Bruno, Remigius, censent primario et per se agi de primo Christi in terras adventu, et redemptione generis humani a peccato. Nec refert, quod verba ponantur in tempore præterito. Hoc enim fit ad certitudinem prædictionis declarandam, et quia Propheta in extasi et contemplatione videbat rem veluti gestam, et in eius aspectu exultans Psalmum scribebat et cantabat. De redemptione per Christum exponunt etiam hunc Psalmum R. David Kimhi, et R. Moses Hadarsan. Dici etiam potest verba poni in præterito, quia Propheta loquitur de decreto incarnationis postea executioni mandandæ.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

2. QUATUOR PROPONIT, PRIMO, DECRETUM DIVINUM DE INCARNATIONE FILII DEI, PER QUEM HOMINES LIBERENTUR A CAPTIVITATE DIABOLI, V. 2. SECUNDO, DISPOSITIONEM HOMINUM AD ILLAM OBTINENDAM, VERS. 5. TERTIO, EFFECTUS IN HOMINIBUS PER INCARNATIONEM, VERS. 7. QUARTO DENIQUE, VIRTUTES DEI IN IPSA EXECUTIONE INCARNATIONIS, VERS. 11.

SECTIO PRIMA.

Duo asserit. Primo, decretam esse ab æterno Ecclesiæ benedictionem per incarnationem, vers. 2. Secundo, explicat in quo consistat illa benedictio, vers. 2. 3. et 4.

PARAPHRASIS.

2. *Benedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Iacob.*

2. Cum Incarnationem filii tui decreveris, terræ antea per Adami peccatum maledictæ benedices, et populum tuum Israeliticum in libertatem perfectam asseres.

3. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.*
3. Peccatum ab omnibus hominibus in origine contractum condonabis: et peccatorum omnium actualium maculam penitus delebis, infusaque gratia et virtutibus nuditatem animæ obteges.

4. *Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.*
4. Conceptum ob scelera nostra puniendi desiderium deponens: mentemque tuam ab omni indignatione humano generi placatus avertes, ac reatum pœnæ peccatis debitæ auferes.

QUÆSTIO UNICA.

Quam abundans benedictio Ecclesiæ a Deipara Virgine obtineatur.

3. Ordo Sectionis. Primo, benedictionem ita certam promittit Propheta, ut iam datam dicat v. 2. *Benedixisti Domine terram tuam.* Secundo, illius benedictionis excellentiam pouit. Primo, dæmone spoliato, v. eod. 2. *Avertisti captivitatem Iacob.* Secundo, hominibus expurgatis, v. 3. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.* Tertio, Deo placato, v. 4. *Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.*

ARTICULUS UNICUS.

Deipara benedictionibus est cumulata, et per eam homines benedicti a tyrannide diaboli liberantur.

Vers. 2. Lætus Propheta ob ostensum sibi diem Domini, et gratias ab eo effundendas in terram et homines, ait v. 2. Benedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Iacob, id est Iacobi, hoc est omnium tribuum Israel: quæ ab eodem vocantur Israel et Iacob: nam duo nomina Iacob habuit. Est metonymia.

Vers. 3. Vers. 3. Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

4. Vers. 4. Vers. 4. Mitigasti omnem (id est totam, ait Lorinus: sic erit enallage; 2. et melius, omnem sumere oportet in propria significatione) iram tuam (multas enim iræ occasiones habet Deus, et multas pœnas infert) avertisti ab ira (S. Hier. conversus es ab ira) indignationis tuæ.

Nota, pro *benedixisti*, Hebr. est רצית *ratsitha*, id est placatus es: ita Hier. reconciliatus es: ita Campens. Secundo, dilexisti: ita Felix; complacuisti: ita Pagn. et Felix; bene voluisti: ita Sept. hoc enim significat ευδοκησας, bonæ voluntatis affectum habuisti, et bonam voluntatem in opus prodeuntem, ut etiam notat Scepreus; benedixisti: ita Noster, Flamin. et alii; favisti: ita quidam apud S. Basilium; benefecisti: ita Nicephorus. Dei enim bene velle, et benedicere, est benefacere. Chald. רעיתא *reitha*, significat bene velle, benevolentia prosequi, gratum habere, delectari, acquiescere in aliquo. Arias Montanus vertit. benevolentia prosecutus es Domine terram tuam. Syr. צבית *tsebaith*, *est* etiam amare, bene velle, delectari. Gabriel Sionita reddit, oblectasti te Domine terra tua.

5. Nota secundo, terram hic intelligunt Iudæam Ludolphus, et Rabbini, atque Caietanus. Secundo, et melius, terra hic ponitur pro Ecclesia Christi: ita Dionys. et Ludolphus, S. Augustin. et alii. Tropol. terra est caro nostra et anima: ita Ludolph. et Philo Carpathius in Cantica.

Symbol. Terra est humana natura, quam Christus assumpsit, et cui se personaliter univit, ut ait Remigius et Bruno. Secundo, terra est Deipara, quæ fructum vitæ orbi produxit.

6. Nota igitur tertio, Deipara est terra a Deo benedicta. Primo, ob latitudinem charitatis, qua omnes homines complexa est, ac sustentat. Cum enim B. Virgo plus amaverit Deum quam ullus hominum aut angelorum, imo fortasse plus quam omnes homines collective sumpti simul cum omnibus angelis: et idem habitus charitatis inclinet ad amandum Deum, et homines propter Deum, sequitur B. Virginem plus amavisse homines, quam ullus hominum aut angelorum eos amaverit.

Deipara est terra benedicta ob novem rationes. Secundo, Deipara est terra benedicta ob longitudinem spei; cum enim fuerit sanctificata ut viatrix, habuit spem; sed in gradu perfectissimo, secundum perfectionem suæ gratiæ.

A Tertio, Deipara fuit terra benedicta, ob altitudinem seu profunditatem fidei, qua scrutata est arcana Dei. Fidem enim etiam habuit, quia erat viatrix. Christus vero fidem non habuit, quia erat comprehensor, et habebat claram Dei visionem, cum qua non stat obscuritas fidei. Deipara autem propter excellentiam fidei vocatur mater credentium, ut ait Abulensis. In primo suæ conceptionis instanti habuit perfectiorem fidem, quam angeli aut Adamus.

Quarto, Deipara fuit terra benedicta ob stabilitatem et perseverantiam in virtute. S. Bern. serm. de B. Virgine: *Mariam Deus*, ait, *tamquam mundum specialissimum sibi condidit, quem in iustitia et sanctitate fundavit.* Verisimile est, ait Suarez in 3. p. tom. 2. q. 10. sect. 2. B. Virginem toto tempore vitæ continue meruisse, et in gratia crevisse. Sed de ea re dicetur magis Ps. 86. 1.

Quinto, ac præcipue, Deipara fuit terra benedicta ob thesaurum, quem intra se portabat, nempe ob Christum filium Dei. S. Chrysolog. serm. 143. *Vere benedicta*, inquit, *quæ fuit maior cælo, fortior terra, orbe latior; nam Deum,* B *quem mundus non capit, sola cepit.* S. Gregor. Neocæsariensis, cognomento Thaumaturgus, serm. in Annuntiatione Virg. eam vocat, totius gratiæ thesaurum. Hesych. hom. 2. nominat, θησαυρον πλουτοποιον, thesaurum locupletantem. S. German. Patr. Constant. in nativ. sanctissimæ Virg. Gaude, inquit, sola sinu complexa benedictionem, hoc est Dominum, ut pro avia exuat execrationem: ita ille.

Possis etiam Christum vocare illius sanctæ terræ fructum. Sic dicit Elisabeth mater S. Ioannis Baptistæ, Luc. 1. 42. *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Deipara erat terra paradisi terrestris, quæ fructus protulit sine semine, et ipsam arborem vitæ. Richard. a S. Laurentio lib. 8. de laudib. Virg. *Ideo*, inquit, *dicta est benedicta in mulieribus: quia concepit salvo flore, portavit sine labore, peperit sine dolore, quod nulla alia.* S. German. mox cit. Ager est, ait, a Deo cultus, qui sine semine nec creatam nobis *vitæ spicam*, ζωης ασταχυν, velut in cumulo, utero gestavit; vocat deinde terram desiderabilem, ex qua figulus ipse limum terræ capiens æquale nobiscum C vas sub peccati lege induit. Andreas Cretensis orat. de Annunt. Virgin. *Gaude*, inquit, *sancta terra virginea*, ex qua novus Adam formatur, qui veterem Adam servet.

Sexto, Deipara est terra benedicta, ob varios flores et fructus omnium virtutum. Est ille ager plenus, de quo ait Isaac Iacobum filium benedicens Gen. 2. 7. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Ut enim docet Suarez disp. 18. sect. 2. mox citata, B. Virgo per omnes, ac singulos actus humanos, quos in mortali vita post primam sanctificationem exercuit, augmentum charitatis, gratiæ, et gloriæ meruit. Nam nullos habuit actus indeliberatos, et inter deliberatos nullum habuit malum. Hæc fœcunditas illi a Christo oriebatur. Arbor vitæ alios arborum fructus in ea vivificabat. Contrarium fit in terra hac: arbores enim vicinæ succum sibi attrahunt, et aliis non relinquunt, ita ut aliquando moriantur. De caryophyllo sic fertur: In solis prope Moluccis insulis nascitur caryophyllon: *Le clou de girofle.* Nec seritur, nec plantatur, sed ex solis granis deciduis exurgit, intra octavum D annum fert fructus, et annos centum durat. Adeo natura siccum est, ut humorem omnem terræ attrahat: neque circa se arborem ullam enasci patiatur, neque vel virentem herbulam succrescere. Unde fit, ut qui sylvam vellet arboribus suis viduare, huius unius adventu id posset facere. Qua enim proportione hæc arbor augebitur, eadem cæteræ exarescent. In fructu eadem vis hæret. Si enim, ut fertur, vas aquæ, aut alterius liquoris, caryophylli massæ adiunxeris, brevi tempore totum ebibet. Ideo qui in cellam

vinariam multum inferret, dolia omnia exhauriret: licet aliunde ne guttam quidem inde acciperet. Multæ sunt arbores mundi, quæ divitias, honores, et delicias aliorum exugunt, ut iis ipsæ increscant.

Septimo, Deipara est terra benedicta, quæ caret spinis et sentibus, 1. Peccatorum. Bruno Carth. in Psalm. 101. Hæc est, ait, *incorrupta terra*, cui benedixit Dominus, ab omni præterea contagione peccati libera, per quam vitam vitæ agnovimus, quæ quia digna fuit, Dominus in terram aspexit. 2. Caret spinis et aculeis fomitis, seu concupiscentiæ. Rupert. lib. 1. de gloria filii hominis: *Benedicta tu*, ait, *inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui*: quia videlicet mulier omnis concipiens, de amore viri concipit: tu sola de amore Dei, id est, de Spiritu sancto concepisti. Franciscus Mayronius lib. 3. dist. 2. q. 1. art. 9. Quatuor vicibus, ait, Maria fuit sanctificata: primo, in sua sancta conceptione: secundo, in Verbi conceptione: tertio, in Spiritus sancti missione: quarto, in sui assumptione et glorificatione. *In prima sanctificatione fuit in ea fomes extinctus, seu præventus: in secunda, totaliter extinctus*: in tertia autem, fuit gratia cumulata: in ultima autem, consummata: ita Mayro. Fomes porro est ipsa naturalis inclinatio appetitus sentientis, quatenus inordinata, et absque rationis consensu, sensibilia interdum potest appetere, quæ imperfectio originalis peccati effectus est: quamvis non semper auferatur ablata originali culpa, ut constat in renatis, ut ait Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 4. sect. 5. qui etiam docet, in B. Virgine a prima sanctificatione fomitem extinctum fuisse, licet hic effectus in secunda sanctificatione, in conceptione scilicet Filii Dei, auctus fuerit et perfectus. Id enim accidit partim per habitus et virtutes perfectas, partim per divinam gratiam excitantem, prævenientem et adiuvantem. Debuit enim fieri per principia intrinseca, non per solam extrinsecam Dei providentiam. Solet enim Deus causis secundis dare principia intrinseca ad suos effectus.

Octavo, Deipara est terra benedicta, quia habuit continuam illuminationem Solis iustitiæ. In ea non fuit ulla nox. Verisimilius enim est, ait Suar. disp. 19. sect. 2. habuisse B. Virginem cognitionem supernaturalem per se infusam, quoad lumen et species; ita ut obiecta fidei modo angelico per altiores species illi fuerint divinitus proposita independenter a phantasmatibus. Sic recte intelligitur, potuisse Virginem in statu viæ nunquam desistere ab actuali aliqua divinarum rerum consideratione, absque corporis impedimento, aut defatigatione: corpus enim non defatigatur contemplatione intellectus, nisi propter necessariam eius cooperationem, et phantasmatum concomitantiam; decuit autem animam B. Virginis, ex quo creata est, nunquam a Dei cognitione et amore cessare. Nam si hoc angelis datum est, quomodo credemus B. Virgini fuisse negatum? ita ille.

Nono denique, Deipara est terra benedicta in ipso nomine. S. Methodius Tyri Episc. et martyr, qui floruit tempore Diocletiani, circa ann. 285. orat. in Hypap. id est, in occursu S. Simeonis et Mariæ, ac Christi: *Tuum*, ait, *Dei Genitrix nomen, divinis benedictionibus et gratiis omni ex parte refertum*. In terris vocantur Arabia felix, et insulæ fortunatæ. Arabia quidam, ob fœcunditatem, et aromata, atque aurum. Strabo ait, eam bis quotannis seri. Canariæ vero insulæ Atlantici oceani dictæ sunt insulæ fortunatæ, ob insignem aeris temperiem. Sed in omnibus mundi terris multæ sunt miseriæ. In ipsum paradisum terrestrem serpens intravit. Sola Maria est terra sic benedicta, ut omni maledictione careat.

7. *Deipara caruit originali peccato.* Nota quarto, debuit Deipara carere originali peccato, quo omnes homines captivantur: *Avertisti captivitatem Iacob*, ab ea terra scilicet, hoc est, a Virgine: ita sentiunt Scotus in 3. distinct. 3. Aureolus, Thomas de Argentina, Almainus, Dionysius Carthus. Franciscus Mairo, Gerson opusc. de conceptione, Suar. tom. 2. in 3. part. disp. 3. sect. 5. fuse. Ratio est, quia non decuit Dei matrem esse vel unico momento captivam diaboli. Nullus est enim filius, qui si potuisset, nollet matrem suam ab eo malo et similibus esse liberam: Christus autem est infinita bonitas: cum itaque id potuerit, cur dicemus id eum non fecisse? cum præsertim omnes concedant eum ea dispensasse in aliis legibus, ut in lege fomitis; in illa: *In dolore paries filios;* et in illa: *In pulverem reverteris*. Dices fortasse, id non potuisse fieri, cum in Adamo peccaverit. Resp. primo Catharinus lib. de peccato origin. cap. ult. et lib. de conceptione, ad synod. Trident. p. 1. cap. 1. negando B. Virginem peccavisse in Adamo. Ut enim omnes posteri Adami dicantur in eo peccasse, non satis est, ut omnes fuerint in illo contenti, tamquam in primo parente, et naturali principio hominum futurorum omnium. Quia hæc sola ratio per se sumpta non satis est, ut peccatum parentis derivetur ad filium, neque ut filius in parente peccare dicatur. Oportuit ergo, ut Deus speciali lege et pacto voluerit constituere Adam quodammodo, ut caput cæterorum, et in eius voluntate posterorum voluntates ponere, ut veluti omnium nomine præceptum impositum aut servaret, aut transgrederetur: ita ut eo in divina obedientia perseverante omnes posteri quasi hæreditario iure iustitiam et gratiam Dei obtinerent: illo autem peccante omnes essent Deo invisi, et inimici. Potest ergo intelligi, Deum in hoc ipso pacto beatam Virginem excepisse, propter merita Christi prævisa; quia nullam involvit repugnantiam, quo minus hoc Deus facere potuerit: quia sicut libere voluit, pactum illud cum Adamo inire, ita eadam libertate potuit matrem suam iam prævisam illa lege liberare. Quod si hoc potuit, verisimile est fecisse. Quia prædestinatio Christi, et matris eius præscientiam originalis culpæ antecessit, et totum hoc privilegium dignitasque consentanea est dignitati matris Dei: ita Catharinus, Galatin. Vignerius, et alii. Resp. secundo, cum Suar. sect. 2. disp. 3. B. Virginem in Adamo peccasse, et ideo eguisse redemptione, et per Christum fuisse redemptam. Nam S. Paulus neminem excipit. 1. Corint. 15. 22. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*. Deinde si B. Virgo non peccasset in Adamo, non contraxisset mortem, aliasve corporis pœnalitates ex Adamo, quod tamen falsum est. Nam Rom. 5. 12. dicitur: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Itaque beatissima Virgo ex vi suæ conceptionis fuit obnoxia originali peccato, seu debitum habuit contrahendi illud nisi divina gratia fuisset impeditum: sed Deus in primo conceptionis instanti infundens gratiam, cum qua peccatum illud stare non potest, eam exemit ab illo peccato. Concilium Basileense sess. 36. ait, B. Virginem nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa. Nicolaus Cusanus lib. 8. in dictum illud: *Sicut lilium inter spinas*, dicit: Christum fuisse Virginis liberatorem et præliberatorem, cæterorum vero liberatorem et postliberatorem. S. Thomas in 1. Sentent. distinct. 44. art. 3. ad 3. *Puritas*, inquit, *B. Mariæ Virginis a peccato originali et actuali immunis fuit*: ita ibi. Scio quid alio loco feratur dixisse S. Augustin. de natura et gratia, cap. 36. *De Virgine matre, cum de peccatis agimus, nullam prorsus habere volo quæstionem: inde enim scimus, quod plus gratiæ ei collatum est ad vincendum omni ex parte peccatum, quia eum concipere meruit et parere, quem scimus nullum habuisse peccatum*: hæc Augustinus. Deinde Ecclesia ipsa celebrat festum Conceptionis Deiparæ, quod non esset faciendum, si esset concepta in peccato. Hic mos, teste Galatino lib. 7. cap. 4. in Ecclesia Græca fuit ante mille annos, et in Calendario Græcorum ponitur die 9. Decembris. In Ecclesia Latina introduci cœpit ante quingentos fere annos, ut patet ex S. Bernardi epistolis. Ecclesia Romana ante ducentos annos festum etiam illud celebrat, et in eo indulgentias singulares donat. Non est tamen tamquam de fide definitum, B. Virginem esse conceptam sine peccato, licet sit magis rationi, Patrum doctrinæ, et Ecclesiæ auctoritati conforme. Et

contrariam opinionem vetuerunt Pontifices publice proponi in templis, et defendi in scholis, aut privatis collocutionibus. Academia Parisiensis adeo acriter immaculatam Deiparæ conceptionem propugnavit, ut occasione quarumdam propositionum Ioannis de Montesono Ord. Prædicatorum gravis orta sit dissentio inter eum Ordinem et Academiam, ut refert Henricus Spondanus tom. 2. annal. suorum Eccl. anno 1387. Vide, si placet, plura ibi. Mahometes ipse immaculatam prorsus agnovit Deiparam. Sic enim loquitur Azoara 75. *Nullus nascitur de filiis Adam, quem non tangat Satan, præter Mariam, et eius filium. Multi perfecti fuerunt: nulla unquam perfecta ex mulieribus, nisi Maria mater Isæ*, id est, Iesu. Gallienus Imp. impius habitus est et ignavus, qui Valerianum patrem suum a Sapore Persarum rege captivum circumduci, atque ignominia affici passus est: unde triginta in eum tyranni rebellarunt. Et passus fuerit Christus matrem suam a dæmone captivari? Captivitas ita est odiosa, ut multi mortem illi præferant. Hieron. Osorius lib. 12. de rebus Emmanuelis regis Lusitaniæ fol. 402. refert, Turcas quosdam, cum mortem servituti longe prætulissent, clavorum attritu scintillas excussisse, quibus in tormentarium pulverem deiectis, flamma navem cum ipsis captivis, et Lusitanis omnibus, absumpserit. Morte ipsa et inferno gravior fuisset captivitas peccati B. Virgini.

Gallieni ignavia.

Turcæ captivi se combuiunt.

8. Tropol. Corpus nostrum est terra maledicta.

Tropolog. corpus nostrum est terra maledicta, quod ob peccatum spinas et tribulos germinat nobis. Possis etiam illud conferre lacui pulverulento, de quo sic ait Aristoteles lib. de mirabilibus auscultation. In finibus Massiliensium, inquit, circa Ligures lacus esse fertur, qui ebulliens effususque, piscium multitudinem immensam, et veri fidem superantem eiiciat. Cætorum flantibus Ethesiis *tantum pulverem concitari, ut coacervata in lacum sicca humo superficiem obtegat, et in formam redigat areæ:* unde indigenis pertusa siccitate, in triviis, quotcumque libitum est, pisces citra negotium eximere possunt. Corpus lacus est cœnosus, apparet terra firma, et statim subsidit et perit, ac dæmon ibi pro voluntate sua piscatur, nisi serio provideris.

9. Anima est terra benedicta.

Secundo, anima est terra benedicta, si Dei pluvias et culturam suscipiat. S. Cæsarius ad id nos hortatur, hom. 20. *Unus*, inquit, *est ager Dei, alter est hominis. Habes tu villam tuam: habet et Deus suam. Villa tua, est terra tua: villa Dei, est anima tua. Numquid iustum est, ut villam tuam colas, et villam Dei desertam dimittas? Si colis terram tuam, cole et animam tuam. Villam tuam vis componere, et villam Dei dimittere?* S. Fulgentius nos arbores Dei vocat, serm. de confessoribus et dispensatoribus Domini: Arbores sumus, inquit, in agro dominico constitutæ, Deus autem noster est agricola. *Ille nos compluit, ille nos colit.* Ipse fœcunditatem donat, ipse fructificandi gratiam subministrat. Pluvia Dei est sermo sanctæ prædicationis. Cultura Dei est infusio gratiæ spiritualis: ita Fulgentius. *Benedixit nos Deus Pater in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, ait S. Paulus Ephes. 1. 3.

10. Deipara nobis benedictionem impetrat.

Nota quinto, Deipara nobis impetrat benedictionem, nos liberat a captivitate diaboli, et a peccatis, atque præservat ab ira Dei.

Ac primo, illa est Axa, quæ dicit Patri suo Caleb, orans pro agro suo fœcundando, Iudic. 1. 15. *Da mihi benedictionem: quia terram arentem dedisti mihi: da et irriguam aquis.* Et quod petit, impetrat. Ipsa est fons omnis benedictionis. S. Petrus de assumptione Mariæ: *Maria*, inquit, *benedictionis novæ fluentum, totum detersit maledictionis antiquæ contagium.* S. Method. Episc. Tyri serm. in Hypap. *Maria*, inquit, *fons est uberrimus totius sanctitatis.*

11. Per eam a captivitate solvimur.

Secundo, per Mariam a captivitate diaboli solvimur. S. German. Patriarcha Constantin. orat. in Presentatione Deiparæ, vocat eam *δεσμων λυσιν*, vinculorum dissolutionem. S. Iren. lib. 3. adversus hæreses, cap. 33. ait, vinculorum solutionem homines accepisse per obedientiam Mariæ, dicentis: *Ecce ancilla Domini.* S. Ephrem orat. de laudibus sanctissimæ Dei matris, dicit, illam esse carcere clausorum liberatricem celeberrimam. Idiota contemplation. de B. Maria, cap. 5. ait, vel solum Mariæ nomen iugum diaboli extrudere. *Super omnia*, inquit, *Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, et iugum diaboli extrudit fama tui sanctissimi nominis, clarissima Virgo Maria.* Nec homines modo liberat, sed dæmonem subiugat. Est illa fortis fœmina, quæ conterit caput serpentis, ut explicat S. Fulbertus Episcopus Carnot. serm. de Nativit. Mariæ. Est virga Mosis Pharaonem domans, ut docet Richard. a S. Laurentio, lib. 12. Est mare rubrum Ægyptios submergens, sicut ait S. Bonav. in speculo, ubi etiam dicit, dæmones invocato Mariæ nomine perire, instar ceræ a facie ignis: *Non sic*, ait, *timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum: fluunt, pereunt, sicut cera a facie ignis, ubicumque inveniunt crebram huius nominis recordationem, devotam invocationem.*

12. A peccatis liberamur ope Deiparæ.

Tertio, per Deiparam a peccatis liberamur. Ubi adverte, B. Virginem non fuisse per modum causæ efficientis propriam, aut principalem causam nostræ salutis. Ut enim dictum est in Psalmo præcedente, v. 12. *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Solius est Dei illa dona tribuere: tamen B. Virgo aliquo modo cooperatur ad nostram salutem, impetrando, merendo de congruo, et suo modo cooperando ad Christi incarnationem. S. Bernard. serm. 98. *Maria*, inquit, *omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine eius accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, denique Filii persona carnis humanæ substantiam: ut non sit, qui se abscondat a calore eius.* S. Germ. Patriarcha Constantinop. qui floruit circa annum Christi 720. sic eam alloquitur, serm. de zona Domini: *Non est*, ait, *ulla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. Nullus enim est, qui salvus fiat nisi per te Virgo sanctissima! nemo est, qui liberetur a malis, nisi per te o purissima: nemo est cui donum concedatur, nisi per te o castissima! nemo est cui misereatur gratia, nisi per te o honestissima!* Illam vocat mediatricem Absalon Abbas serm 41. Illa, inquit, sedet Regina beatorum spirituum, et *mediatrix peccatorum semper interpellans pro nobis.* S. Laurentius Iustin. sermon. de Annuntiatione: Peccatorum spes, ait, naufragantium portus, maris stella, confugium periclitantium, solamen laborantium, fluctuantium robur, Dei et hominum verissima mediatrix. Euchologion Græcorum fol. 100. ait, eam esse unicam spem nostram. Zacharias Chrysopolytanus Episcop. qui floruit circa annum 1100. illam nuncupat potentem advocatam. Sic enim in fine commentar. in Evang. In tam potenti, ait, tam pia, tam fideli advocata nostra, toto corde gaudeamus, quæ nulli postulanti auxilium negat, et pro nullo apud filium frustra interpellat. S. Chrysolog. vocat, Collegium sanctitatis. Ut enim illam alloquitur S. Hildephonsus Episc. Tolet. qui floruit circa ann. 658. innocentiam reparat, et vitam angelicam reducit. Verba eius sunt: Per te, o super benedicta Virgo Maria! innocentia reparatur, vita angelica reducitur, Deus homini pacificatur et unitur, diabolus vincitur et conteritur: quia de te scribitur Genes. 3. 15. *Ipsa conteret caput tuum.* Ericus hom. de Purificatione Mariæ dicit, eam purgationem impetrare criminum, quæ purgationem temporalem suscepit sine sordibus peccatorum: ita ille. Ubi vides ipsum supponere, quod adhuc in cælo existens oret pro nobis. S. August. serm. 35. de Sanctis, dicit eam posse plus omnibus liberatis impendere suffragium. Andreas Cret. ser. de Assumpt. Virg. ait, esse universi mundi commune propitiatorium. S. Ephrem orat. ad Virg. ei dicit: Ave propitiatorium laborantium. S. Bonaventura in speculo Mariæ illud adaptans, quod dixit Booz Ruthæ: *Benedicta es a Domino filia, et priorem misericordiam posteriore superasti*, Ruth. 3. 10. sic loquitur: Magna erga miseros fuit misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo, sed multo maior erga miseros est misericordia eius

iam regnantis in cælo. Unde pro splendore prioris misericordiæ fuit pulchra ut luna; pro splendore vero posterioris misericordiæ, est electa ut sol. Nam quemadmodum sol lunam superat magnitudine splendoris, sic priorem Mariæ misericordiam superat magnitudo posterioris.

Si peccatum est onus, illud sublevat B. Virgo quæ est nubes levis et allevians. S. Ambrosius cap. 13. de instit. Virg. Ecce, ait, Dominus venit, sedens super nubem levem: vere levem, quæ coniugii onera nescivit: vere levem, quæ levavit hunc mundum onere peccatorum. 2. Si peccatum fluctus est ac procella animam undis tribulationum et tentationum agitans, Deipara portus est, ad quem iactati appellimus, et in quo securi sumus. S. Ephrem orat. de laudibus sanctiss. Dei matris: Tu, ait, peccantium et auxilio destitutorum adiutrix, tu portus procella vexatorum, solatium mundi. 3. Si peccatum ignis est corpus et animam exurens, ipsa est ros cælestis flammas tartareas extinguens. S. German. serm. in festo Presentationis, τον, ait, εν εμοι καυσωνος η θεια δροσος, æstus in me existentis divinus ros existis. 4. Denique, si peccatum est aer pestileus, aut lethale vulnus, Deipara est medicina salutaris. S. German. eodem loco eam appellat, ανιατων τραυματων ιαμα, insanabilium vulnerum medicinam. Eccl. 7. 2. dicitur: *Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa.* Richardus a S. Laurentio, libr. 1. de laudibus Virgin. cap. 2. id Mariæ nomini accommodat: *Mariæ nomen*, inquit, *dolori peccatorum medetur melius, quam unguenta. Peccator es? ad Mariæ nomen confugias: ipsum solum sufficit ad medendum. Nulla enim pestis tam efficax, nulla sic hæret, quæ ad nomen Mariæ non cadat continuo:* ita ipse. Sic onus terræ, agitationem maris, ignis flammas, aeris pestem a nobis expellit. Itaque in umbra eius ubique securi et læti erimus, atque in cælo conversationem habebimus.

A Quarto denique, Deipara iratum nobis Deum placat: *Operuisti omnia peccata eorum, avertisti*, illa peccata scilicet, *ab ira indignationis tuæ*, ut illa non puniret. B. Virgo est Regina misericordiæ. Dionys. Carthus. in Concept. B. Virg. Mariæ: *Virgo*, inquit, *est humani generis advocata, pietatis regina, cui Deus regnum misericordiæ dicitur commisisse.* Andreas Cretensis serm. in salutationem Angel. nuncupat illam, θειον προς ανθρωπους διαλλακτηριον, divinam cum hominibus reconciliationem. S. Methodius serm. de Purificatione, ait, eam esse animarum altare. Richard. a S. Laurent. libr. 2. vocat, altare placationis Domini, qua placatur erga peccatores: super hoc altare offerunt dona et sacrificia sua. A S. Bonavent. in speculo cap. 3. dicitur: Maria nobis est columna nubis, quia tamquam nubes protegit nos ab æstu divinæ indignationis: ita ille. Est arcus cælestis, signum pacis et fœderis inter Deum et homines. Eugenius Sinaita epist. ad Maximilianum Imper. asserit, nos alibi spem firmam non habere, nisi in Domino nostro Iesu Christo eiusque matre: hæc B ille. Est etiam mater nostra, et quidem suavissima, licet peccaverimus. Gregorius VII. libr. 1. epist. 47. *Hoc*, inquit, *procul dubio teneas, quia quanto altior, et melior, ac sanctior est omni matre: tanto clementior, et dulcior circa conversos peccatores et peccatrices.* Illa tenens Christum inter ubera sua totum facit lacteum. Richard. a S. Laurent. lib. 4. illud expendens: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*, sic ait: *Fasciculus fuit Christus in veteri lege, sed inter Mariæ ubera factus est dilectus, ac suavis et mitis. Sicut enim sanguis in se horribilis in uberibus efficitur lac, quod dulce est, et delectabile ad videndum: sic Filius qui in lege erat terribilis, inter ubera Mariæ factus est mitis:* ita Richardus. Ad eam itaque velut ad portum, civitatem refugii, altare et propitiatorium mundi recurramus, si tuti esse volumus. 13. Deipara Deum iratum placat.

SECTIO SECUNDA.

14. *Duo proponit. Primo, conversionem hominum ad Deum, ut emollitus det illis Salvatorem, vers. 5. Secundo, conversionem Dei ad homines per incarnationem omnia bona illis afferentis, vers. 7.*

PARAPHRASIS.

5. *Converte nos Deus salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.*

5. Corda nostra in terram inflexa ad te Deus converte, cum Salvator noster futurus sis: et iustam indignationem, qua adventum tuum ad nos differs, depone.

6. *Numquid in æternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem?*

6. Quousque se ira tua proferet? num tandem illi finem impones? huic omnes nostri posteri ab Abrahamo servo tuo originem ducentes subiacebunt?

7. *Deus tu conversus vivificabis nos: et plebs tua lætabitur in te.*

7. Nota mihi est bonitas tua et misericordia: tu ad nos e cælo delapsus converteris, et scelerum in morte iacentem mundum suscitabis, atque populum tibi consecratum cælesti lætitia perfundes.

8. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.*

8. Ubi primum misericordiam tuam illam insignem, quam es pollicitus, terris ostenderis, et salutem tamdiu expectatam orbi concesseris.

9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.*

9. Statim ego, orbisque universus, mandata tua avidis auribus excipiemus. Certo enim scio pacem te ac suavitatem omnibus servis tuis allaturum.

Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.

Ac præsertim iis, qui sanctitati comparandæ ardentius insudabunt: quique a peccatis magno animo avulsi totos se ad divina contemplanda convertent.

10. *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.*

10. Neque momentanea et brevis erit hæc salus: sed propinqua, et semper facile parabilis Deum timentibus: ut terra hæc antea misera et vilis, per tuam præsentiam et opem sit felix atque gloriosa.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta in nostra iustificatione per Deiparam bona obtineantur.

15. Ordo Sectionis. Sectione superiori ostendimus decretum Dei de danda incarnatione, salutem hominibus allatura. Nunc considerat Propheta homines ante incarnationem Deo supplices: et Deum ipsum, post incarnationem hominibus gratias liberaliter dividentem.

Ac primo, ratio exigebat, ut homines se tanti Salvatoris adventu dignos exhiberent, conversione mentis ad Deum, v. 5. *Converte nos Deus salutaris noster.* Et agnitione iræ iustæ in sceleratos inflammatæ, atque eius depre-

catione: *Et averte iram tuam a nobis.* Cum præsertim sit periculum æternæ damnationis, nisi Deus nobis placetur, v. 6. *Numquid in æternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem?*

Secundo, conversionem Dei ad homines per incarnationem, eiusque effectus declarat. Primo, vitam animarum, v. 7. *Deus tu conversus vivificabis nos.* Secundo, lætitiam: *Et plebs tua lætabitur in te.* Tertio, misericordiam, v. 8. *Ostende nobis misericordiam tuam.* Quarto, salutem: *Et salutare tuum da nobis.* Quinto, intelligentiam verborum Dei, v. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Sexto, pacem: *Quoniam loquetur pacem in plebem suam,* etc. Septimo, gloriam, v. 10. *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.*

ARTICULUS I.

Conversio nostra ad Deum, et Dei ad nos, fit per Virginem.

Visa benedictione, quæ danda erat in adventu Salvatoris, et oculos deflectens ad depravatos homines in terram incurvatos, petit eos converti, ut tantum bonum videant et percipiant,
Vers. 5. v. 5. CONVERTE NOS DEUS SALUTARIS NOSTER (S. Augustin. Domine sanitatum nostrarum. Arias, salutis nostræ. S. Hieron. *Iesus noster*) ET AVERTE (S. Hieron. solve. Felix, dissolve. Pagn. cessare fac) IRAM TUAM A NOBIS.

Vers. 6. Vers. 6. NUMQUID IN ÆTERNUM IRASCERIS NOBIS: AUT EXTENDES IRAM TUAM A GENERATIONE IN GENERATIONEM?

16. Necessaria est gratia redemptoris ad conversionem. Nota, necessaria est gratia redemptoris, ut ad Deum convertamur: *Converte nos Deus salutaris noster*, id est, Iesus noster, ut dixi ex S. Hieronymo. Primo, id docet Scriptura. Ierem. Thren. 5. 21. *Converte nos Domine ad te, et convertemur; innova dies nostros sicut a principio.* Et prophetiæ suæ c. 31. 19. *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam*, q. d. Non antea. Luc. 13. Mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, et erat inclinata, nec poterat sursum respicere, accessit ad Iesum, *qui imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum.* Erat illa mulier typus humanæ naturæ per peccata in terram incurvatæ. Salvianus dicebat l. 2. de providentia: Quid est aliud pene omnis cœtus Christianorum, quam sentina vitiorum? Et libr. 3. *Pene*, inquit, *omnis vita naufragium est. In tantum quippe ab omnibus vivitur, ut pene nullus Christianorum sit, qui non iugiter naufragare videatur:* ita ille. Plerique non ad vitæ fontem convertuntur, sicut cervi æstuantes, de quibus Psal. 41. sed ad ventos, ut capræ, de quibus ait Aristot. lib. 2. de mirabil. auscultationib. In Cephalenia, inquit, non bibunt capræ singulis diebus, ut videtur; sed ad flantem auram conversæ, et hiantes, hausto vento reficiuntur. Secundo, S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 7. docet, quod homo nullo modo potest resurgere a peccato per seipsum sine auxilio gratiæ. Cum enim peccatum transiens actu maneat reatu, non est idem resurgere a peccato, quod cessare ab actu peccati: sed resurgere a peccato est reparari hominem ad ea, quæ peccando amisit. Incurrit autem homo triplex detrimentum peccando, scilicet maculam corruptionem naturalis boni, et reatum pœnæ. Maculam quidem incurrit, in quantum privatur decore gratiæ ex deformitate peccati. Bonum autem naturæ corrumpitur, in quantum natura hominis deordinatur voluntate hominis Deo non subiecta, hoc enim ordine sublato, consequens est, ut tota natura hominis peccantis inordinata remaneat. Reatus vero pœnæ est, per quem homo peccando mortaliter meretur damnationem æternam. Manifestum autem est de singulis horum trium, quod non possunt reparari, nisi per Deum. Cum enim decor gratiæ proveniat ex illustratione divini luminis, non potest talis decor in anima reparari, nisi Deo denuo illustrante: unde requiritur habituale donum, quod est gratiæ lumen. Similiter ordo naturæ reparari non potest, ut scilicet voluntas hominis Deo subiiciatur, nisi Deo voluntatem hominis ad se trahente: similiter etiam, reatus pœnæ æternæ remitti non potest, nisi a Deo, in quem est offensa commissa, et qui est hominum iudex: et ideo requiritur auxilium gratiæ ad hoc, quod homo a peccato resurgat: et quantum ad habituale donum, et quantum ad interiorem Dei motionem: ita S. Thomas. Nulla autem gratia datur, nisi per Christi merita: unde S. Bernard. eum vocat fontem gratiæ. Sic enim ser. de Nativ. B. Mariæ: Christus, inquit, in Ecclesia est tamquam fons gratiæ: beata autem Virgo, ut aquæ ductus: reliqui vero Sancti, ut rivuli: hæc ipse. Itaque ad Christum converti debemus, sicut ad fontem lucis. Imitemur avem paradisi, de qua referunt, quod in Molucis insulis tantum reperitur, atque a Lusitanis vocatur *passaros do sol*, id est, *avis solis*, quod versus solem semper volatum intendat ipsum aspiciens: pedibus caret, eamque ob rem in terram nunquam devolare creditur, in qua a nemine visa es, nisi mortua.

(Cephaleniæ capræ. S. Thomæ optimus discursus.)

17. In completorio dicitur, Converte nos, etc. Nota secundo, hic versiculus, *Converte nos Deus*, etc. dicitur quotidie in Completorio. Primo, quia toto die conversi fuimus ad creaturas, et variis distenti negotiis vix oculos ad Deum vertimus; par igitur est ratio, ut ad eum convertamur mundi strepitu cessante. Turrecremata in regul. S. Benedicti, tract. 107. notat, quo pacto ea hora cuncta animalia revertuntur ab exterioribus ad interiora, id est, ad lustra et cavernas, sic revocandum esse spiritum, intra spiritum nostrum: ita ille. Ubi adverte id verum esse de animalibus domesticis, quæ ab agricultura, et aliis rebus domum suam sub vesperam repetunt, contra vero, feræ de latibulis suis tunc incipiunt exire: eodem modo pii se sub noctem in se convertunt per examen conscientiæ, et avertunt iram Dei per contritionem et propositum emendationis: scelerati vero, ut fures et adulteri, tunc maxime grassantur, et a seipsis exeunt ad creaturas conversi. Secundo, sub vesperam dicitur, *Converte nos Deus*, etc. quia difficile est, quin contraxerimus toto die aliquem pulverem superbiæ, ut idcirco istis verbis humiliemus nosmetipsos, et culpam agnoscamus, implorando auxilium Dei in futurum, alterius Psalmi sententia: nempe, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina.* Tertio, peccata diurna punitionem merentur, ideo petitur tunc venia: additur enim, *Et averte iram tuam a nobis.* Iudæi dicunt, Deum singulis diebus semel irasci, et quidem mane: quod in illa hora reges iniquitatis diademata sibi imponant, et solem adorent, ut refert Petrus Alphonsus dialogo in Iudæos, titulo primo. Non semel tantum in die irascitur Deus, sed quoties peccatur: et nisi quis cito se ad eum convertat et avertat iram, severe punit. Notabile est, quod habet noster Petrus Maffæus lib. 11. hist. Ind. Cum, ait, Ioannes Lusitaniæ rex navibus undecim armatorum millia mitteret in Indiam, reos omnes in una posuit: sed illa una fluctibus hausta, cæteræ salvæ ad Indiam venerunt. Quarto, dicitur hic versiculus sub vesperam, ut imploremus opem contra noctis insidias, dæmonum tenebras, hominis infinitas indigentias: quatenus diurno iam lumine recedente mens ipsa ad Deum conversa, luce gratiæ perfundatur, atque ab hominibus et sensibilibus rebus abstracta, intelligibili, incommutabili, summoque bono firmiter immergatur, ut ait Rickelius. Quinto denique, dicitur hic versiculus sub vesperam, ut intelligamus petendam plenam conversionem, quæ erit in patria: ubi completa erunt omnia, et motus animi convertentur in Deum, quod nunc non fit, sicut notat Ugo Card.

Nota tertio, hæc conversio obtinetur per Virginem. Ps. 44. 15. *Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.* Vide ibi dicta. Est sacer magnes omnia ad se et filium trahens. S. Birgitta lib. 3. revelat. cap. 32. Tertium, inquit, quod attrahit, est proprietas naturalis, sicut apparet *de magnete* attrahente ferrum: et ideo ipsa Virgo non ferreos, id est in malos obstinatos et duros debet attrahere propter proprietatem suæ misericordiæ. Sicut enim Deo est proprium miserere semper et parcere: sic etiam et matri eius: ita Birgitta. Secundo, Virgo ad 18. Conversio ad Deum obtinetur per Virginem.

se et Christum attractos facit securos, ob veniam peccatorum impetratam. S. Ephrem in lamentatione sanctissimæ Dei genitricis, eam vocat, desperatorum spem. S. Bonav. in 3. dist. 3. B. Virgo, inquit, *advocata est peccantium*, gloria et corona iustorum, sponsa Dei, et totius Trinitatis triclinium, et speciosissimum filii reclinatorium. Andreas Cret. in encomio de dormitione Deiparæ eam vocat commune propitiatorium: Placa, inquit, Dominum pro communi figmento. Nam quamdiu quidem versabaris in terra, te habuit parva terræ portio: ex quo autem translata es e terra, te universus mundus continet *commune propitiatorium*. Moscovitæ, licet schismatici, eam orant, ut veniam illis impetret, ut tradit Ioannes Basilius dux Moscoviæ. Respons. ad Ioannem Rohitam cap. 8. Mariam, ait, reginam Deiparam, confidentia materna apud filium pollentem pro universo Christianorum genere orantem, illudque protegentem invocamus, auxilium ab ea imploramus, ac ut nobis *veniam peccatorum*, salutem, dulcemque futurorum bonorum possessionem, a suo Nato impetret, rogamus. Tertio, conversis ad se et filium salutem procurat suis precibus et meritis. Richard. a S. Victore lib. 1. de Emmanuele cap. 12. pag. 1. eam vocat, arrbam salutis. Emmanuel Melaxus vocat anchoram piorum. Sic enim appellat lib. 2. Turcogræciæ: Sanctam et gloriosissimam pammacaristam, Dei genitricem, spem et anchoram piorum verorumque Christianorum. Quarto, omnes ad se et filium conversos illuminat, et gratia complet. S. Bernard. in verba Apocalypsis: *Signum magnum*, illam soli totum orbem illuminanti comparat: *Maria est*, inquit, *qui velut alterum solem induit. Quemadmodum enim ille super bonos et malos indifferenter oritur: sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitatibus amplissimo quodam miseratur affectu.* Cæsarius Heisterbachius libr. 7. dial. cap. 1. illam nuncupat orbis conservatricem. S. Hieronymus ser. 1. in Assumpt. eam comparat fluvio paradisi: *Gratia plena est*, ait, *ex qua multi deducti rivi omnem irrigant terram deliciarum, et infundunt hortum voluptatis.* Quinto, Deipara conversos ad se et filium iuvat contra hostes irruentes. Cum Mahometes Turcarum Imperator certum de morte Scanderbergii nuncium accepit, subsiliit præ gaudio, dixitque: sperare se brevi Christianos in potestate habiturum, qui *gladium suum et scutum* amisissent. Deipara etiam post mortem est gladius et scutum Ecclesiæ, et cuiusvis animæ piæ. Eutychianus in vita S. Theophili eam appellat, defensionem generis humani. Sexto, Deipara mortem securam Sanctis præstat. S. Bonav. in Psalterio B. Virginis: Gloriosum, ait, et admirabile est nomen tuum, qui illud retinent, non expavescent in hora mortis. Septimo, ab inferis liberat. Hinc S. Gregorius Nazianz. in tragœdia orat: Tuere me, et ab æterno igne assere. Octavo denique, Deipara est clavis cæli et ianitrix, in illud servos suos et filios introducens. S. Ephrem de laudibus Virg. nominat, portarum paradisi reseramentum. Basil. Imper. orat. ad 8. Synodum, ait: Non solum ab divina ira intentatos mansuros, sed æterna bona consecuturos, orationibus et intercessionibus sanctissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis.

(Scanderbergius scutum et gladius Christianorum.)

ARTICULUS II.

Incarnationis effectus hominibus communicatur per Mariam.

Christus in hunc mundum veniens attulit vitam, lætitiam, misericordiam, salutem, pacem et gloriam. Singula videamus.

Vers. 7. Ac primo, dicit Propheta, v. 7. DEUS TU CONVERSUS VIVIFICABIS NOS, ET PLEBS TUA LÆTABITUR IN TE. Chald. in verbo tuo: id est, in Christo, si Patrem alloquitur: aut, in sermone tuo, si alloquitur Filium.

Vers. 8. Vers. 8. OSTENDE NOBIS DOMINE MISERICORDIAM TUAM (Chald. bonitatem tuam) ET SALUTARE TUUM (Felix, salutem tuam) DA NOBIS.

Nota, fons vitæ, lætitiæ, misericordiæ, et salutis omnium est Christus ad nos conversus per incarnationem: sic enim factus est caput nostrum, a quo est omnis influxus vitæ et donorum. Ipsorum angelorum est sanctificator, iustificator, et glorificator, non autem redemptor: fuit etiam eorum caput. Hominum vero et caput est, et sanctificator, iustificator, atque glorificator, et redemptor. Omnibus hominibus sufficienter meruit remissionem peccati tum originalis, tum actualis. Primam gratiam sanantem naturam a lapsu peccati, gloriam et æternam vitam. Vide S. Thom. 3. p. q. 19. art. 4. et Suar. disp. 41. ibid. qui etiam docet, omne auxilium gratiæ excitantis et adiuvantis, quod datur homini, ut se disponat ad gratiam a prima vocatione usque ad dispositionem ultimam, esse effectum et præmium meritorum Christi, qui hæc omnia bona hominibus meruit. 2. Christum Dominum meruisse non tantum quoad sufficientiam omnibus hominibus omnia dona gratiæ, sed etiam quoad efficaciam meruisse aliquibus specialia dona; seu, ut sua merita in illis haberent infallibiliter aliquem effectum gratiæ. 3. Omnia gratiæ auxilia, quæ hominibus iustificatis conferuntur, effectum esse meritorum Christi. 19. (Christus est fons omnium bonorum.)

Primo igitur, Christus dat nobis vitam. Psal. 70. 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas, et conversus vivificasti me, et de abyssis terrræ reduxisti me.* Charadrius avis maritima, magna et ingluviosa, conspecta ab ictericis, seu regio morbo, id est, suffusione bilis flavæ, vel nigræ per totum corpus laborantibus, eos sanat, ut dicit Ælian. lib. 15. cap. 26. Ictibus etiam appellatur, et a Latinis galgulus, sicut ait Plinius lib. 30. cap. 11. Aldrovandus id negat, et libr. 20. ornithol. cap. 67. nugas illam assertionem vocat. Sed de Christo dicit David, Ps. 118. 132. *Aspice in me, et miserere mei*, q. d. Si respexeris, misereberis. Christus aspiciens Zacchæum, Matthæum, Magdalenam, Petrum, eos sanavit, et ad se convertit. Eum quoque respicientes sanabantur, ut Zacchæus. Quotidie morimur. Drogo Abbas serm. de Pass. Mors, inquit, est durissima crux, quæ tibi paratur: ad quam quotidie tu festinas, et non attendis: vide quomodo te mors crucifigit, corpus rigescit, crura distenduntur, manus et brachia decidunt, pectus anhelat, cervix languescit, labia spumant, oculi stupescunt, facies exudat, vultus horrescit, et velut testa pallescit. Ista te manet crux: nescio utrum in lectulo molli, an in cruce rigida suavius moriatur, nisi quod crux citius dolorem abscindit: ita Drogo. Instar cerei consume vitam tuam ob eius amorem, qui tibi illam meruit, ac dedit. Petrus Aragonum rex anno Domini 1196. cum nomen filio vellet eligere, duodecim cereos albos eiusdem longitudinis, ponderis, et crassitudinis accendi iussit apud altare sacelli, in laudem et honorem Mariæ Virginis, et duodecim Apostolorum, quorum singula nomina cereis singulis inscripserat, voveratque illius Apostoli nomen impositurum, cuius cereus reliquis extinctis et consumptis, solus diutius permansisset: hac ratione infans Iacobus dictus est, quod cereus in quo S. Iacobi nomen scriptum fuerat, reliquis supervixisset. Morem illum attingit S. Chrysost. in cap. 4. epist. 1. ad Corinth. et causam assignat, quod videretur longioris ævi sic futurus infans. Hoc porro fiebat non tantum in Apostolorum, sed etiam in aliorum Sanctorum nominibus. Dicta de Petro rege habet Marineus Siculus lib. 10. de rebus Hispan. cap. 13. Nos Christiani sumus, cereus noster et lux est Christus, illi vivamus, luceamus, atque moriamur. 20. (Christus dat vitam.) (Charadrius avis.)

Secundo, Christus est fons veræ, puræ, et stabilis lætitiæ: *Et plebs tua lætabitur in te*, non in se, nec in terrenis: utrobique enim est vana et mendax lætitia. De primo ait S. August. in Psal. noster: *Plebs tua*, inquit, *lætabitur in te. Malo suo lætabitur in se, bono suo lætabitur in te. Quando enim voluit habere gaudia de se, invenit planctum in se. Nunc ergo, quia totum gaudium nostrum Deus est, qui vult securus gaudere, in illo gaudeat, qui non potest perire. Quid enim, fratres mei, gaudere vultis* 21. (Christus est fons lætitiæ.)

in argento? Aut argentum perit, aut tu, et nemo scit quid prius: verumtamen illud constat, quia utrumque periturum est, quid prius, incertum est. Nam nec homo hic potest manere semper, nec argentum hic potest manere semper: sic aurum, sic vestis, sic domus, sic pecunia, sic lata prædia, sic postremo lux ista. Noli ergo velle gaudere in istis; sed gaude in illa luce, quæ non habet occasum, gaude in ea illa luce, quam non præcedit hesternus dies, nec sequitur crastinus. Quid est ista lux? Ego sum, inquit, lux mundi. Qui tibi dicit: Ego sum lux mundi, vocat te ad se. Cum vocat te, convertit te: cum convertit te, sanat te: cum sanaverit te, videbis conversorem tuum, cui dicitur: Et plebs tua lætabitur in te. Hæc August. qui etiam illud Ps. 9. 3. *Lætabor et exultabo in te*, cousiderans, ait: Non in hoc sæculo, nec in vanitatibus laudis humanæ, nec in superfluis temporalium divitiarum, sed lætabor et exultabo in te. S. Bernard. serm. 15. in Cant. *Iesus*, ait, *mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor Iesus, et inde saliat in os, et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum.* Origen. hom. 10. in Gen. Non gaudebat, inquit, de presentibus Abraham, neque de divitiis mundi, et actibus sæculi. Sed vis audire, unde gauderet? audi Dominum ad Iudæos dicentem, Ioann. 8. 56. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est:* spes gaudia cumulabat: hæc Origenes. Diem Domini de die æternitatis explicat S. Augustinus: de die passionis, S. Chrysostomus: de incarnatione, alii melius.

Christus est fons misericordiæ et salutis. Tertio denique, Christus est fons misericordiæ et salutis. S. Ambr. in Psal. 118. Octon. 6. dicit, in Psalmo nostro Christum intelligi per misericordiam. Luc. 1. 50. Deipara ob incarnationem gratias agens, laudat Dei misericordiam: et S. Simeon Luc. 2. 29. laudat eius salutare.

22. Christus per Deiparam dat vitam. Nota, sicut Pater æternus dat vitam, lætitiam, misericordiam, et salutem per Filium suum: ita Christus per matrem suam.

Ac primo, Deipara dat vitam. Primo, eam Sergius Hierapolita orat. in eius Nativ. vocat, vitæ matrem. Est Eva, id est, mater viventium. Hebr. חוה *hava*, significat vivere: inde Eva dicta, q. d. vivificatrix. S. German. de Virg. Hæc est illa, inquit, per quam omnes renascimur. S. Athanasius in Evangel. de sanctissima Deipara: Ista nova Eva, inquit, mater vitæ appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viventium. Theophanes hymno in Annunciat. appellat, vitæ puram matrem. Secundo, est lignum vitæ, ut ait S. Ephrem de laud. sanctissimæ Dei genitricis: Hæc arbor dat fructus vitæ, nempe Christum, et varia dona. Gulielmus illud meditans, Cant. 4. 13. *Emissiones tuæ*, id est, surculi et propagines tuæ, *paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus*, sic loquitur: Emissiones, fructus sunt ex ea emissi. Unicus Mariæ fructus est, qui ab efficacitate salutis dictus est Iesus: sed in uno illo fructu, multiplex est fructus. In uno salvatore omnium Iesu plurimos Maria peperit ad salutem; pariendo vitam, multos peperit od vitam. Eo ipso quod mater est capitis, multorum membrorum mater est. Mater est membrorum Christi: quia caput et corpus unus est Christus: corporaliter caput pariendo, spiritualiter membra peperit: unde etiam ab omnibus mater appellatur, et ab omnibus cultu debito, ut mater honoratur. S. Gregor. Neocæsar. serm. 2. in Annuntiat. B. Mariæ: Hæc, ait, semper vigens αφθαρτος παραδεισος, *immortalitatis paradisus*, in qua lignum vitæ plantatum, cunctis αθανασιας καρπους, *immortalitatis fructus* suppeditat. Hinc nobis sapientiæ et immortalitatis scaturiunt fontes. Ita ille, qui non tantum arbori vitæ, sed ipsi paradiso terrestri eam assimilat. Tertio, Deipara est fluvius vitæ defluens ex paradiso per totam terram. Sergius Hierap. mox citatus eam vocat, *immortalitatis fontem*. Hesych. homil. 2. de S. Maria Deipara, ποταμος ζωης, ait, *flumen vitæ* ex te prodiens replevit terram. S. Methodius Tyri Episc. et martyr, eam comparat cisternæ Bethlehemiticæ, quam velut vitæ refociliationem David desideravit, et ex qua immortalitatis poculum emanavit. Quarto, vitam etiam amissam reparat. S. Hildephonsus Episcop. Tolet. qui floruit circa annum 658. serm. 1. de Assumptione B. Virginis, illam nuncupat, *reparationem vitæ*, ianuam cæli, decus mulierum, fastigium omnium virginum. S. Chrysol. ingeniose eam comparat Mariæ Magdalenæ, sine qua Christus noluit Lazarum suscitare. Sic autem ait ser. 64. Martha mittitur ad Mariam: quia sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari: veniat Maria, veniat materni nominis baiula: quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulcris: ita ipse. Quinto denique, Deipara est vita, ut eam vocat Hermannus Contractus in hymno: αρτος ζωης, panis vitæ, ut loquitur Hesych. hom. 2. de S. Maria Deipara, ταμειον ζωης, armarium vitæ, ut Chrysippus Ierosol. de S. Maria Deip. θησαυρος ακηρατου ζωης, thesaurus vitæ immarcescibilis.

Secundo, beata Virgo dat lætitiam. Primo enim, est veræ 23.
et sinceræ lætitiæ mater. Andreas Cretensis ser. in salut. Deipara dat lætitiam.
Angelic. illam nominat, ακαταληπτου χαρας γεννητριαν, immensi gaudii genitricem. Lætitiam dat filiis suis Eva præstantior, quæ in dolore suos peperit, et ad lacrymas. S. Germanus in encom. Deiparæ, id est, in festo Præsentationis: O Domina mea, inquit, sola mihi es ex Deo ψυχαγωγημα, *mentis solatium*: lacrymarum mearum oblatio, gemituum meorum cessatio, calamitatum mearum restauratio, dolorum meorum revelatio. Secundo, est vas lætitiæ infinitæ, quia Christum continebat. S. Gregorius Neocæsariens. serm. 2. in Annuntiat. *Ave*, inquit, *gratia plena*, δοχειον επουρανιου ευφροσυνης, super cælestis lætitiæ vas et receptaculum. Chrysippus de laudibus Virgin. illam excitat ad gaudendum: quia, inquit, tecum est universus lætitiæ thesaurus, totius lætitiæ et gratiæ rex. Tertio, illa lætitia foras prodit. Torrens est gaudii. Rupertus lib. 1. in Cantica: O beata Maria, inquit, inundatio gaudii, vis amoris, *torrens voluptatis*: ita ille. Torrens ille totum orbem pervadit. Procop. Gazæus in cap. 3. Genesis: Verum, ait, Maria gaudium et lætitiam toti mortalium generi nuntiavit. S. Ephrem docet, ad cælum usque illud gaudium ascendere. Sic enim orat. de laudibus sanctissimæ Dei Matris: *Ave*, inquit, *canticum Cherubim, et hymnus Angelorum. Ave generis humani lætitia.* S. Methodius orat. in Hypap. Salve in æternum, inquit, ineffabile gaudium: ad te rursus recurrimus, tu festivitatis nostræ principium, tu medium, tu finis: hæc Methodius. Quarto denique, nomen ipsum Mariæ dat lætitiam. Eckbertus Abbas ad Mariam: Tu, inquit, nec nominari potes, quin recrees. Tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita, piæ memoriæ portus ingrederis. Richard. a S. Laur. l. 1. de laudibus Virg. cap. 2. Sicut, inquit, nomen Iesu mel in ore, in aure melos, in corde iubilus: sic et nomen Mariæ. Et cum non tantam maiestatem præferat, ait esse quodammodo suavius. S. German. de zona Virg. Quomodo, inquit, corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita etiam sanctissimum tuum nomen o Virgo, quod in ore servorum tuorum versetur assidue in omni tempore, loco, et modo, vitæ, lætitiæ, et auxilii non solum est signum, sed ea etiam procurat et conciliat: hæc Germanus.

Tertio denique, Deipara dat misericordiam et salutem. 24.
S. Ephrem, orat. de laudibus Virg. Ave, inquit, vallum Deipara dat misericordiam et salutem.
fidelium, et mundi salus. S. Maximus Taurin. Episc. qui floruit sub Honorio et Theodosio iuniore circa ann. 420. sic loquitur hom. 6. de Christi nativit. Parturit fœmina, inquit, salutem mundi, ut qua exierat fomes iniquitatis, fieret ministra iustitiæ, et per quam mors sibi in hunc mundum aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingressum. Tertullianus de carne Christi, cap. 17. In virginem adhuc Evam irrepserat verbum ædificatorium mortis. In Virginem æque introducendum erat Dei verbum extructorium vitæ. Gregorius Tiphernas in hymno ad D. Virginem sic ipsam orat: Et servatricem porrige quæso manum. S. Chrysolog. dicit, nomen eius esse salutare. Sic enim ait ser. 146. Maria mare vocabatur; et quomodo non

Maria mare? Congregationes, ait, aquarum appellavit maria. Nomen hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc collegium sanctitatis: ita Chrysologus.

Tenebras et tartareos tenebriones e terris fugat Deipara: est enim lux mundi. S. German. in encom. Deip. Tenebricosæ, inquit, animæ meæ splendidissima lampas. S. Ephrem. ser. de laud. S. Dei matris: Salve, ait, lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum rectæ doctrinæ. S. Method. in Hyp. Tu fidelium fax. S. Greg. Neocæsar. ser. 2. de Annuntiatione, φωτὸς ἔνδυμα, lucis indumentum. Radulphus Ardens in Annunt. lux et stella prævia. Hesych. hom. 2. de S. Maria Deip. μήτηρ φωτός, mater lucis. Chrysipp. hom. de S. Maria Deip. ait, eam esse auroram, quæ nullum ferre possit occasum. S. Thom. opusc. 8. in salut. Angel. solem et lunam vocat. Maria, inquit, excedit angelos pulchritudine et gratia: non solum illuminata est, sed etiam illuminatrix: quæ propterea *soli et lunæ* comparatur, ac totius Trinitatis est nobile triclinium. Hinc B. Thomas a Villanova Concion. 1. de Annuntiation: *Tolle solem*, ait, *quid est in mundo, nisi tenebræ? Tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat nisi caligo?* S. German. in dormition. Deipar. ait, vincere solem luce sua. Albertus Magnus itaque recte monet in cap. 1. Lucæ: Si circumdatus es tenebris, et abscondita est tibi via tua, respice illuminatricem, invoca Dei genitricem, et nomina Mariam. S. Bern. serm. 2. de Pentecoste: *Ad illam sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium omnium sæculorum respiciunt, et qui in cælo habitant, et qui in inferno, et qui nos præcesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur.*

ARTICULUS III.

Pacem dat Deus mundo per Virginem.

PER Incarnationem Christi dari vitam, lætitiam, mise-
25. ricordiam, et salutem, vidimus articulo præcedenti:
Vers. 9. nunc pacem et gloriam per eamdem dari videamus. Addit enim Propheta vers. 9. AUDIAM QUID LOQUATUR IN ME DOMINUS DEUS, QUONIAM LOQUETUR PACEM IN PLEBEM SUAM. ET SUPER SANCTOS SUOS, ET IN EOS QUI CONVERTUNTUR AD COR. S. Hieron. vertit, *Ut non convertantur ad stultitiam:* nunc etiam legitur, *al ia subule cislą*, et non convertantur ad stultitiam, ut reddit Pagninus. Sed legerant Septuaginta, quibus insistit noster in Psalterio, *el iasubu leb, sela*, id est, ad eos qui convertuntur ad cor *sela*. Vox *sela* sæpe ponitur in Psalterio, et non redditur a Septuag. et nostro Interprete: qua de re egi Psal. 3. Arabs solitus quoque Septuag. sequi, vertit: Qui tendunt cordibus suis ad eum. Fortasse doctissimi illi interpretes sensum secuti sunt, non verba. Qui enim ad cor convertitur, non convertitur ad vanas et stultas res huius mundi.
Vers. 10. Vers. 10. VERUMTAMEN (Hebr. אך *ach*, id est, vere, ut Arias et Pagn. vertunt; certe, ut Campensis) PROPE TIMENTES EUM SALUTARE IPSIUS (salus eius: ita Felix) UT INHABITET GLORIA IN TERRA NOSTRA.

26. *Prophetiæ varii modi.* Nota, prophetia non est habitus, nec qualitas permanens, sed ut passio transiens, ait S. Thomas 1. 2. q. 68. art. 3. ad 3. et 2. 2. q. 171. art. 2. Itaque opus est attentione, ut Deus loquens percipiatur. Itaque dicit: *Audiam quid loquatur.* Secundo, prophetia nonnunquam vocatur visio, nonnunquam auditio: quia variis modis fiunt revelationes. S. Thomas 2. 2. q. 176. art. 2. dicit, actum prophetiæ esse duplicem: scilicet principalem, id est, visionem: et secundarium, id est, denunciationem. Ibidem qu. 174. art. 1. ad 3. assignat triplicem modum prophetiæ, secundum triplicem potentiam cognoscitivam: 1. secundum oculos corporis; 2. secundum spiritum imaginarium; 3. secundum intuitum mentis. Et quæst. 173. art. 2. ait, Prophetis repræsentantur aliqua quadrupliciter: 1. in sensu exteriori, sicut Daniel vidit scripturam in pariete, et Samuel audivit verba; 2. per formas in imaginatione divi-

A nitus impressas, sicut in cæcis natis similitudines colorum; 3. per formas divinitus ordinatas, sicut Ieremias vidit ollam accensam; 4. per species in intellectu, sicut in scientia infusa Salomoni et Apostolis. Et q. 174. art. 1. ad 3. ait, modum prophetiæ esse septuplicem, secundum differentias influxus: nempe extasim, visionem, somnium, per nubem, vocem de cælo, parabolam, et repletionem sancti Spiritus. Vide Suar. 3. part. q. 7. disp. 21. et Cornel. proœmio in Prophetas.

Nota secundo, Christus per incarnationem dedit pacem 27.
mundo. Zachar. 9. 10. *Disperdam quadrigam ex Ephraim,* *Christus incarnatus dat pacem.*
et equum de Ierusalem, et dissipabitur arcus belli, et loquetur pacem gentibus, et potestas eius a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. De Christo id dici docent S. Hieron. Arias, Ugo, et alii. Ephraim, sunt fructificantes in vita activa: Ierusalem, sunt videntes pacem in vita contemplativa. S. Paulus clare loquitur Colossens. 1. 20. *Per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cæ-*
B *lis sunt.* Ephes. 2. 17. *Veniens evangelizavit vobis pacem, qui longe fuistis: et pacem iis qui prope:* id est Iudæis, et gentilibus. Vide dicta Psal. 75. 3. in illud: *Factus est in pace locus eius.* Olim in Sinai erant tonitrua, fulgura, terræmotus et minæ: nunc loquitur Deus in susurro auræ tenuis, sicut Eliæ. S. Aug. in Ps. nostr. Vox Christi, ait, vox Dei, pax est. Pax quid est? Ubi nullum bellum est. Quid est, ubi nullum bellum est? Ubi nulla est contradictio, ubi nihil resistit, nihil adversum est. Ita Augustinus: qui deinde ostendit, ob concupiscentiæ pugnas, et famis ac sitis incommoda, non esse in hac vita pacem perfectam sed futuram in cælo. Deus sibi sabbatum, id est quietem, sanctificavit. Exod. 31. 13. *Videte ut sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me et vos in generationibus vestris: ut sciatis, quia ego Dominus qui sanctifico vos.* Deus in quiete et pace sua festa ponit: dæmon vero, in concupiscentia et tumultu, ut infra dicetur. Sancti itaque, qui Deo placere volunt, pacem ament. Deut.
C 33. 24. *Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, et tingat in oleo pedem suum, ferrum et æs calceamentum eius: sicut dies iuventutis tuæ, ita et senectus tua.* Rupert. tom. 1. lib. 1. in Deut. cap. 20. fol. 226. ad mores trahens sic explicat: *Quoniam*, inquit, *Aser beatus interpretatur, latius sanctos omnes beatam spem expectantes, in hoc nomine beatificari arbitremur. Itaque benedictus in filiis Aser; id est, benedictus in operibus bonis, et virtutibus suis: Beatus ille populus, cuius Dominus Deus eius est. Sic placens fratribus suis, id est, habeat dilectionem adinvicem, sicut eum Dominus Deus eius dilexit. Et intingat in oleo pedem suum, videlicet pacem annuntiando, charitatem prædicando. Nam beati pedes evangelizantium pacem.* Ferrum et æs calceamentum eius: id est, sicut ferrum forte, et æs perseverantissimus est: ita fides eius fortis sit, et usque in finem perseveret: vel, sicut ferrum constans, et æs sonorum est: ita bona et constanter operetur, et fideliter annuntiet: ita Rupertus. Possis dicere, ferrum et æs esse calceamentum sanctorum; quia in hac vita nunquam est tanta
D pax in parte inferiori, quin ibi sit opus armis et pugna.

Qui vero Christum non sequuntur, sed suam concupi- 28.
scentiam, mundum, et dæmonem, sunt in perpetuo bello. *Vitiorum sectator est in perpetuo bello.*
Primo enim, voluptas carnis bellum est contra spiritum. Cum populus Israel adoraret vitulum aureum, et circa eum choreas ageret, Iosue descendens de monte Sinai cum Mose, ait Exod. 32. 17. *Ululatus pugnæ auditur in castris:* cui Moses dixit: *Vocem cantantium ego audio.* Illa vox cantantium, erat vox pugnæ et tumultus in Deum, et in eos ipsos, ut patuit. Nam cæsa sunt viginti tria millia illorum saltatorum et idololatrarum, atque Deus ab iis recessit. Moses enim a Deo iussus, tollens tabernaculum, tetendit *extra castra* procul. Deus noster est Deus pacis, et cogitat cogitationes pacis, Ierem. 29. 11. In Diomedea insula maris Adriatici, ferunt templum quoddam et admirandum, et religione sacrum ab avibus in circulum obsideri, magnitudine vastis, rostris et longis et turgidis: quæ Græcis qui-

dem accedentibus quietem agant: cæterum barbaris, qui accolunt, venientibus, subvolent: ac pedibus rostrisque capita eorum lacerent, inflictisque multis vulneribus interimant, ut ait Aristot. lib. de mirabilib. auscult. Passiones corporis quietæ sunt sanctis, infestæ peccatoribus. Secundo, mundus etiam cum amicis suis bellum gerit. Nam inimici hominis domestici eius. Pax mundi est inimica Dei. Potho presbyter Prumiensis, qui floruit circa ann. 1152. in libris de domo Dei, sic loquitur: *Pax mundi cum domo Dei perpetuum gerit bellum: ergo pax mundi nostrum bellum est. Pax autem domus Dei est ordinata imperandi et obediendi concordia cohabitantium. Domus Dei tranquillissima pace fruitur, quæ in mentibus illorum, quorum conversatio in cælis est, construitur. Domus huius fundamentum fides ponit, spes parietem erigit, tectum charitas consummat. Sub hoc tecto proteguntur, qui a vanitate sæculi convertuntur:* hæc ille. Malachiæ 3. 9. Deus ipse conqueritur: *Me vos configitis gens tota.* Explicari id potest cæremonia Bisnagonsis provinciæ: ibi enim certa quotannis festa in honorem solis celebrantur, in quibus adest Imperator, cum maximis regni principibus. Si quis autem desit, aut ante festum absolutum egrediatur, hostis imperii ab omnibus iudicatur. Octo totos dies id festum tenet, quibus primo sors ducitur, an frugifer necne; pacatus an turbulentus annus esse debeat. Sors autem hac ratione ducitur: in arborem tela emittuntur; primum a rege, deinde a principibus, et nobilissimis quibusque, suo ordine. Si aliquo telo in arborem infixo gutta rubra exprimatur, belli signum id reputant: si vero alba fluxerit gutta, pacis hoc hieroglyphicum arbitrantur, et arma ponunt. Nobis cum Deo pax est, si innocentia candidi sumus: bellum vero, si manus nostræ plenæ sunt sanguine. S. Cæsarius Arel. Episc. hom. 19. *Quis est,* ait, *qui pacem cum Deo habere non velit? Ille utique, qui sic non vivit, quomodo Deus præcipit esse vivendum. Quis est, qui pacem cum Deo non habet; cui displicet Deus.* Tertio, dæmon amat bellum, et circuit quærens quem devoret. Attila rex Hunnorum hos sibi titulos assumebat: Attila filius Bendekuoz, nepos magni Nemrod, nutritus in Engaddi, Dei gratia rex Hunnorum, Medorum, Gothorum, Danorum, *metus orbis, et flagellum Dei.* ut ait Ioan. Thurocz. in Chron. Hungar. cap. 13. pag. 16. Vix creatus erat Lucifer, cum bellum indixit Deo; vix creatus erat Adamus, cum in serpentem transformatus ei quoque bellum intulit. Facile enim mihi persuaserim primum dæmonum surrexisse in primum hominum. Nunc etiam sanguinem et ignem spirans satellites suos armat. Hunnis eos non male compares in obvios populos irruentibus. Anno Christi 343. Damaso Papa et Valente Imp. Hunni suadentibus venatoribus, in unum collecti, in occidentales oras venerunt, et duces elegerunt Belam, Zeme, et Zadicham fratres: Attilam, Kewe et Budam etiam fratres. Kedar etiam, ductorem, qui lites dirimeret, elegerunt. Sub illis septem ducibus selegerunt decies centena et octoginta militum millia: de unaquaque tribu decem millia: erant autem centum et octo tribus. Edictum est, ut, cum esset generalis expeditio facienda, mucro sanguine tinctus per domos et castra deferretur, uxorque præconia sequeretur, dicens: *Vox Dei, et præceptum communitatis universæ, ut unusquisque in tali loco armatus, vel qualiter potest, compareat:* communitatis consilium simul et præceptum auditurus. Qui deerant, cultro per media viscera dividebantur, vel in servitutem redigebantur. Qui mos usque ad tempora Geisæ perduravit, ut tradit idem Thurocz. cap. 10. pag. 13. S. Ignatius Fundator Soc. nostræ, in exercitiis spiritualibus posuit meditationem, in qua monet a Lucifero per totum mundum mitti dæmones, qui bellum sanctis et Deo indicant, et homines in scelera præcipitent.

Bisnagensis provinciæ ritus.

Attilæ cognomina.

Hunnorum severitas.

29. *Deipara obtinet pacem mundo.* Nota tertio, Christus incarnatus pacem dat mundo per matrem suam. Primo enim, per eam ipse venit, pacem afferens. S. Greg. Neocæs. serm. 3. in Annunt. pag. 29. Adest per eam, ait, ægrotantibus medicus; in tenebris sedentibus Sol iustitiæ: cunctis vero tempestate iactatis, anchora portusque tutissimus. Inimicis et Deo invisis servis, Dominus natus est, εἰρήνης ὁ σύνδεσμος, *pacis vinculum factus,* captivis liberatio, et bello exagitatis pacificatio. *Ipse enim est pax nostra.* Secundo, S. Ephrem oration. de laud. S. Dei matr. sic eam salutat: Ave pax, gaudium et salus nostra. B. Andreas Ord. Eremit. in tract. manuscripto, de laud. Virg. vocat eam, *sanctorum coronam.* S. Bonav. illud Eccli. 24. 16. *In plenitudine sanctorum detentio mea,* considerans, dicit: *Ipsa non solum in plenitudine sanctorum detinetur, sed in plenitudine sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur: detinet nimirum virtutes, ne fugiant: detinet merita, ne pereant: detinet dæmones, ne noceant: detinet filium, ne peccatores percutiat.* Dat pacem cordis. S. Ioan. Damasc. serm. de dormition. Virg. Ave, inquit, unicum molestiarum levamen. *Ave omnium dolorum cordium medicamentum.* Illam vocat S. German. Cordis exarescentis guttam divinitus fluentem. S. Ephr. mox citatus ait esse, fontem totius consolationis. Cosmas Ierosolymitan. hymno 6. Misericordiæ, ait, ianuam aperit. Est enim salus hominum.

30. *Christus meruit nobis gloriam, et dat illam per Virginem.* Nota quarto, Christus nobis meruit prædestinationem et electionem ad gloriam: *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.* Ephes. 1. 5. *Prædestinavit nos per Iesum Christum.* Vide Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 41. sect. 4. Illa autem prædestinatio et electio executioni mandatur per bona opera, et prope timentes Deum habitat gloria, et salus, nempe Christus. S. Aug. in Psal. nostr. Non regionibus, ait, longe est quisque a Deo, sed affectibus. Amas Deum, prope es: odisti Deum, longe es. Uno loco stans, et prope es, et longe es: ita Augustinus. Ad nos accessit per incarnationem, et gloriam secum detulit e cælo descendens. Num. 16. 43. *Tabernaculum fœderis operuit nubes, et apparuit gloria Domini.* Tabernaculum fœderis est Deipara, nubes gloriosa super eam descendens est Christi humanitas illam gloriosam reddens. Est etiam rubus ille gloriosus, igne divino collucens, Exod. 3. 2. Basilius dux Moscovitarum in responsione ad Ioannem Rohitam cap. 6. Maria, inquit, cum digna sit inventa, quæ tantorum mysteriorum ministra foret, ignem divinitatis suo ventre innocua complecteretur, et incomprehensibiliter Dominum comprehenderet: ita ille. S. Epiphan. serm. de laud. Virg. eam vocat, totius gloriæ radicem. And. Cret. serm. in salut. Angel. cælum cæleste, Solis gloriæ tabernaculum. B. Amedeus hom. 5. 6. 7. et 8. de laud. Virg. sæpe illam nuncupat, gloriosam et gloriosissimam, sine ullo alio substantivo addito. Hom. 8. inter cætera dicit: Gaudebunt confessores videntes gloriosam, quam in terris positi dilexerunt. Et S. Petr. Damiani serm. 45. De qua nihil aliud possimus dicere, nisi quia, Gloriosa dicta sunt de te gloria Dei. Galatin. illam nominat, solium gloriæ Dei. Sic enim lib. 7. cap. 47. illud Ierem 17. 12. *Solium gloriæ altitudinis a principio,* considerans, ait: Ego, *per solium gloriæ,* gloriosam virginem Messiæ matrem intelligi arbitror, quæ est sedes Dei Altissimi. Dixit autem, *a principio,* ut ostendat eam absque initiali peccato conceptam. R. Haccados in lib. revel. arcanorum, ad quæsitum tertium: Mater Messiæ, inquit, futura est sedes Dei, quam Deus construxit, ut in ea sederet rex Messias ad augendam maiestatis suæ gloriam cunctis mortalibus. And. Cret. modo allatus, ait esse: νέαν δόξης κιβωτόν, novam gloriæ arcam. Item, θείας δόξης ἀνάκτορον, divinæ gloriæ templum. Et oration. in Annunt. dicit esse cælum, in quo sol gloriæ splendet. S. Ephr. iam citatus: *Sublimior cælicolis,* inquit, *purior solis radiis et splendoribus, honoratior Cherubim, et multoculis spiritibus, splendidior Seraphim, et nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior, spes patrum, gloria prophetarum, apostolorum præconium, et honor martyrum, sanctorum lætitia, et lumen studiosorum Abraham, Isaac et Iacob, decus Aaron, Mosis splendor, et Gedeonis vellus, hierarcharum cætus, et omnium sanctorum ac Virginum corona, ob fulgorem inaccessa. Acerra aurea, lucerna micantissima, urna cæli, manna gestans, tabula scriptam*

legem ferens mortalibus. Arca vera, charta divinissima, omnium princeps, circumspecta et lucifera virgo.

31. Timendum etiam post incarnationem. Nota quinto, etiam post incarnationem Christi, timendum est: *Prope timentes eum salutare ipsius*, id est Iesus, et salus per eum parta. Potho Prumiensis tract. de statu domus Dei: *Timor Dei*, ait, *thesaurus est cordis, scientiæ ac sapientiæ opibus impletus*. S. Ambros. lib. 3. de Virginib. *Bonum est*, ait, *ut ad adventum Domini interiora turbentur. Si ad angeli adventum Maria turbata est: quanto magis ad Christi nos turbamur adventum?* Alludit ad id, quod dicitur Luc. 1. 29. *Turbata est in sermone eius.* Deipara hunc timorem nutrit in suis filiis: est enim mater dilectionis et timoris. S. Hildefons. serm. 11. de Assumpt. Virg. Floruit, ait, ut mater honorificata, ut mater pulchræ dilectionis et timoris: ita ille. Christus quidem veniens nos regit, si velimus: sed cum in mari simus, multi sunt naufragi. Anacletus Epist. 1. tom. 1. Conciiior. pag. 51. *Similis est*, ait, *omnis Ecclesiæ status navi magnæ, quæ per undosum pelagus diversis e regionibus viros portat, ad unam potentis regni urbem properare cupientes. Sit ergo navis auctor huius, Dominus ipse omnipotens Deus: Gubernator vero Christus: tum deinde proretæ officium Episcopus impleat: presbyteri, nautarum: diaconi, dispensatorum locum teneant. Hi qui catechizant, nautologis conferantur: persecutiones, tribulationes, sive pericula, fluctibus exæquentur. Terreni vero spiritus, qui vel de torrentibus, vel de convallibus spirant, pseudoprophetarum et seductorum, seu pravæ doctrinæ verba dicantur: promontoria vero et loca confragosa, hi qui in potestatibus sæculi sunt iudices, et qui pericula nominantur ac mortes. Bitalassa vero loca, quæ duplicis undæ fallacis æstibus verberantur, dubiis mente, et de repromissionum veritate nutantibus conferantur, atque his qui irrationabili fidem nostram ratione discutiunt. Hypocritæ vero et dolosi, piratis similes habeantur. Iam vero rapidus vortex, et tartarea charybdis, et saxis illis naufragia, ac mortiferæ submersiones, quid aliud æstimanda sunt, quam peccata?* ita Anacletus. Etiam Christo præsente navigantes Apostoli trepidant. Matth. 8. 26. *In nobis sunt perpetui fluctus.* Si aliud placet simile. In Melo insula ferunt effossas terræ cavernas, alia succrescente humo rursum repleri. Cor terrenis vacuare non possumus sine speciali Dei gratia, et natura corrupta illam de novo aggerit. Sumus sentina inexhausta. Itaque semper timendum est, dum vivimus, ut portum securi, et salvi teneamus. Trepidi ad Virginem curramus, ut sicut pulli sub eius alis milvos vitemus: et sicut naves fluctuantes, in portu simus. S. Ephr. in or. de S. Dei matris laud. *Tu*, ait, *meus portus, o Virgo inviolata, et præsens auxiliatrix: denique sub tutela et protectione tua totus sum.*

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

32. *Duo ostendit. Primo, virtutes quæ in Christi incarnatione eminent, v. 11. Secundo, earum officia, v. 12.*

PARAPHRASIS.

11. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi: iustitia et pax osculatæ sunt.*	11. In hoc suavissimo Incarnationis mysterio, misericordia et veracitas Dei emicuerunt: iustitia quoque et pax miro splendore coruscarunt.
12. *Veritas de terra orta est, et iustitia de cælo prospexit.*	12. Dei veracitas in complendis omnibus per Prophetas promissis apparuit nato Salvatore ex utero Virginis, et in terris conversante. Et iustitia Dei, in cælis diu occultata oculos in terras deiecit, ut per hominem Deum toti Trinitati satisfieret.
13. *Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.*	13. Misericordia vero gratiarum ubertatem et lætitiam orbi universo affundet: et pax e terra virginea fructum suum tot sæculis exoptatum redemptorem educet, patrique mediatorem offeret.
14. *Iustitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.*	14. Prævia semper ipsum antecedet iustitia: et quocumque perrexerit, ipsa primum procedet: ita illum dirigens, ut Patri satisfaciat, et homines redimat.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTÆ CHRISTI VIRTUTES IN INCARNATIONE APPARUERINT.

ARTICULUS I.

Quatuor virtutes in Incarnatione eminuerunt: nempe misericordia, veracitas, iustitia, et pax.

Prima sectio declaravit decretum Dei de incarnatione.
33. Secunda homines se ad illam disponentes exhibuit, et
Ordo Sectionis. effectus ex ea secutos. Tertia hæc denique, aperit Dei virtutes, quæ in hoc mysterio magis excelluerunt: nempe misericordiam, veracitatem, iustitiam, et pacem.

Ac primo, mutuum earum complexum, in tanto festo exultantium, et veluti choreas agentium, omnibus declarat, v. 11. *Misericordia et veritas obviaverunt sibi: iustitia et pax osculatæ sunt.*

Secundo, ostendit, unde et a quo singulæ prodierint. Primo, e terra veritatem ait exire, v. 12. *Veritas de terra orta est.* Secundo iustitiam e cælo: *Et iustitia de cælo prospexit.* Tertio, misericordiam a Deo, v. 13. *Etenim Dominus dabit benignitatem.* Quarto, pacem ab hominibus: *Et terra nostra dabit fructum suum.*

Tertio denique, iustitiæ iterum solius facit mentionem: quia miro modo ibi eluxit, Deo ipso infinitam satisfactionem pro vilibus creaturis offerente, v. 14. *Iustitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos.*

Christum regem cælestem decebat venire cum cælesti 34.
virtutum comitatu. Ideo dicit Propheta v. 11. Miseri- Vers. 11.
cordia et veritas obviaverunt sibi (S. Hieron. occurrerunt sibi): iustitia et pax osculatæ sunt. S. Aug. et Arnob. addunt, *se*. S. Isidor. lib. de nativit. Domini cap. 11. Concil. Toletan. cap. 1. Adrianus Papa I. in scripto de imaginibus legunt, complexæ sunt se. Chald. adhæserunt sibi. Syr. occurrerunt sibi.

Vers. 12. Veritas de terra orta est (Hebr. תִּצְמָח Vers. 12.
titsmach, id est germinabit, ut vertit Felix: pullulabit, ut Campensis. Metaphora est a floribus et arboribus ducta. Græce ἀνέτειλε, id est orta est instar auroræ; ἀνατέλλω enim atque ἀνατολὴ, proprie dicuntur de ortu solis et lunæ. Chald. רְבִית *rebith*, id est germinavit; 2. crevit, exaltata est, magnificata est) et iustitia de cælo prospexit. Caiet. de cælis prospecta est. Nam נִשְׁקָף *niskaph*, est in coniugatione Niphal, quæ est passiva. Sed hoc verbum etiam in Niphal est coniugationis activæ, ut patet Prov. 7. 6. Num. 21. 20. Iudicum 5. 28. et alibi. Deus tamen ita tunc e cælo prospexit, ut etiam visibilem se hominibus fecerit, cum antea lateret.

Vers. 13. Vers. 13. ETENIM (Hebr. גם *gam*, id est *etiam*, ut reddit Pagnin. et Felix; *sed et*, ut S. Hieranymus; *profecto*, ut Campensis) DOMINUS DABIT BENIGNITATEM (S. August. suavitatem; Chald. beatitudinem; Arias, bonum; Camp. bonitatem) ET TERRA NOSTRA DABIT FRUCTUM SUUM, id est, terræ externam fœcunditatem, ut explicat Lorinus; 2. et melius, fructum suum, hac est Christum, et cum eo ubertatem bonorum spiritualium.

35 Vers. 14. IUSTITIA ANTE EUM (Dominum) AMBULABIT:
Vers. 14. ET PONET IN VIA GRESSUS SUOS, id est, et iustitia ponet gressus suos in via Domini, hoc est in via, quam Dominus est calcaturus: ita ut idem repetatur in secunda hemistichio, quad dictum est in prima, ut sæpe fit in psalmis. Et hic sensus mihi videtur optimus et facillimus; 2. et panet ipse Daminus gressus suos in via iustitiæ, in via quam præcedens iustitia illi straverit: hic etiam sensus bouus est. Chald. vertit, in via bona.

Nota prima, veritas hic sumitur pro iustitia, ut sæpe alias: sic est melior antithesis cum misericardia: ita Bellarm. et alii; 2. et melius, veritas sumitur hic pra veracitate et fidelitate iu promissis. Quod enim pro iustitia proprie sumpta non sumatur, videtur pene evidens, cum in sequenti versu contradistinguat veritatem a iustitia, cum ait, *Veritas de terra orta est, et iustitia de cælo prospexit.*

Nata secunda, pax proprie non est virtus, sed est effectus virtutis, nempe charitatis. Causatur enim a charitate secundum ipsam rationem dilectianis Dei et proximi, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 29. art. 4. qui articula tertio docuerat, pacem esse proprium effectum charitatis, ut ipsa charitatis dilectia se ad Deum et praximum extendit.

36. Virtutes quatuor eminent in Incarnatione. Nata tertia, quatuor virtutes eminuerunt in Incarnatione: nempe misericordia, veracitas, iustitia, et pax: seu charitas pacem afferens. Erant hæ veluti quatuor bases throni Christi, aut quatuor principes illi adstantes, et eum comitantes: 1. a dextris est misericordia oleam præferens; 2. a sinistris veracitas, lilium tenens candidum; 3. ante ipsum ambulat iustitia libram gestans; 4. illum sequitur pax carnu copiæ plenum flaribus habens, et illos flares spargens.

I. Misericordia. Ac prima, misericordia eluxit in Incarnatione, quia venit Christus miserias nastras videns esse sine remedio; nullus enim paterat satisfacere Deo offenso, tum ob vilitatem creaturæ, tum ob dignitatem infinitam Dei offensi. Præterea, cum terminus adæquatus Incarnatianis sit Deus homo, nemo potuit illam mereri de condigno: itaque fuit opus maximum misericardiæ Dei, se exinanire, et iu similitudinem haminum apparere. Deinde, S. Thom. 3. p. q. 1. art. 3. docet, Christum incarnatum fuisse principaliter, ad tollenda hominum peccata: et, si homo non peccasset, nan futuram fuisse incarnationem, cum in sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur. Plurimi patres idem dicunt, quos refert Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 5. sect. 2. licet ipse sentiat, Deum primaria intentione, et prima voluntate, qua valuit se creaturis communicare, voluisse mysterium incarnationis, et Christum Dominum Deum simul et hominem, ut esset caput et finis omnium divinorum aperum sub ipso Deo. Itaque excellentia ipsius mysterii fuit prima causa incarnatianis absque respectu ad peccata. Sect. tamen 3. fatetur Deum non prius voluisse Christum venire passibilem et martalem, quam valuerit permittere peccatum, illudque propria et absoluta scientia visionis prævideril. In leonibus et suibus vix est medulla, agnus vera noster totus medulla est, ac misericardia. Ps. 58. 18. *Deus meus misericordia mea.* Andr. Cret. in salut. Angel. *Hadie*, ait, *misericardiæ largitor nobis revelat*, παντάγαθων σπλάγχνων ἄβυσσον, *viscerum optimorum abyssum: ac naturam suam misericordia sua perfundit, instar maris, quod multa aqua tegitur.* Orosius refert fontem olea fluxisse Ramæ circa tempus nativitatis Christi, qui significat unctum, et illo oleo figurabatur. Aristot. lib. de mirabilib. auscultation. tradit, in ditione Carthagiuensium esse iuxta montem Comium fontem aleo fluentem, atque odare cedri guttis non absimilem. Oleum est misericordiæ symbolum.

Secunda, veritas, seu veracitas et fidelitas in promissis eluxit in Incarnatiane: quia Deus venit eo modo et tempore, quo se venturum Patriarchis et Prophetis pramiserat, qui eam suis precibus, et bonis aperibus meriti erant de congruo, non quoad eius prædestinatianem, sed quoad executianem, et quaad quasdam circumstantias, ut docet S. Thom. 3. p. q. 2. art. 11. et Suar. ibid. disp. 10. sect. 7. Veritatem porra e cælis demisisse Christum docet S. Paulus Rom. 15. 8. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*, id est Iudæorum circumcisorum, *propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum*, id est patribus factas. Ioan. 1. 17. *Lex per Mosem data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Ubi S. Chrysost. Per Christum, ait, facta est gratia: quia cum potestate remittebat peccata, regenerabat, etc. veritas, quia figuras adimplevit: ita ipse. Seipsum dicit veritatem, Ioan. 14. 6. Est Pontifex ornatus Rationali, in quo Urim et Tummim, id est dactrina et veritas, ut exponitur Exod. 28. 30. Veritatem vocat Origenes germen Dei. Sic enim dialag. de recta fide: Invicta, iuquit, et immortalis est veritas, βλάστημα ἀγαθοῦ Θεοῦ οὖσα, *cum sit germen boni Dei.* Phila eam facit comitem Dei, lib. 3. de vita Mosis: Veritas, ait, est Dei comes individua. Plato lib. 2. de Republ. Simplex, inquit, et verax est Deus, et opere et verbis: et neque mutatur ipse, neque alias decipit, neque simulacrorum subiectis, neque sermonibus, neque signis immissis, neque pervigilio, neque insomnio: ita Plato. II. Veritas.

Tertio, iustitia Dei eluxit in Incarnatione. Nam Christus satisfecit Patri æterna in rigore iustitiæ pro peccatis totius generis humani. Opera enim eius habuerunt valarem absalute et simpliciter infinitum ad satisfaciendum, et merendum apud Deum. Satisfactio enim crescit in valore ex dignitate persanæ satisfacientis: sed persana satisfaciens in Christo est infinitæ dignitatis. Ita docent Alex. Alensis, S. Bonav. Richardus, Capreolus, Paludanus, Ferrariensis, Soto, Driedo, Vega, et alii. Christo dicit David noster Ps. 88. 15. *Iustitia et iudicium præparatio*, id est stabilitas, *sedis tuæ.* 1. Corinth. 1. 30. *Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio.* III. Iustitia.

Quarta, pax in Incarnatione Christi eluxit. Venit enim, ut pacem faceret inter Deum et homines; 2. inter homines et angelas; 3. inter Iudæos et Gentiles; 4. in regnis, pravinciis, civitatibus, damibus, inter reges et subditos, cives ac magistratus, daminos et servos, et inter alios omnes. Coloss. 1. 19. *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*, id est tam homines quam angelos, ait Carnelius. Ephes. 2. 14. *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ salvens inimicitias in carne sua.* Quæ inimicitiæ scilicet erant, veluti medius paries dividens Iudæos a Gentilibus, ut Vatablus et Erasmus exponunt. Pacem abundantem per Messiam promiserat Isaias cap. 2. 4. *Iudicabit gentes, et arguet populos multos, et conflabunt gladios in vomeres, et lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Et cap. 66. 12. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam, quasi fluvium pacis.* Vide dicta supra v. 10. Unum sufficiat Glossæ dictum in cap. 24. Lucæ, ubi in illa verba, *Pax vobis*, ait: *Qui pacem dedit, omnia dedit:* et quidem apud Hebræos pax sumitur pro omni bono: uude salutantes dicunt, *Pax tibi*, veluti bonum omne ac felicitatem apprecantes. IV. Pax.

Nota quarto, in Incarnatione, misericordia et veritas simul iunctæ fuerunt: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi.* Sic Psal. 88. 16. dicitur: *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam.* Nec præcedunt tantum, sed etiam comitantur. Ibidem habetur v. 25. *Veritas mea et misericordia mea cum ipso.* Vides modo misericordiam præcedere, modo veritatem: utramque enim Deus temperat, et sibi invicem honorem deferunt. Nec comitatus earum est ina- 37. In Incarnatione misericordia et veritas simul iunctæ.

nis, stabiliunt eius thronum. Isa. 16. 5. *Præparabitur*, id est, confirmabitur et corroborabitur, *in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate*. Prov. 20. 28. *Misericordia et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus eius*. S. Augustinus ait, misericordiam et veritatem apparuisse in Christi adventu propter Iudæos et Gentiles. Nam summa Dei misericordia fuit nasci et pati propter idololatras: veritas autem seu veracitas fuit, venire Messiam promissum. Latius tamen id patet: nam etiam Messias promissus fuerat gentibus: et Iob, qui non erat Iudæus, dicit sperare se visurum Salvatorem suum.

38. Nota quinto, iustitia et pax simul iunguntur in Incarnatione. Psal. 71. 7. *Orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna*, id est, semper. Vide illum locum. S. Bernardus serm. 1. de Annunt. B. Virginis, refert, contentionem misericordiæ et pacis cum iustitia et veritate de salvando homine: cum iustitia et veritas punitionem peccatorum peterent, misericordia et pax liberationem illorum postularent: tandem Filius Dei hoc remedium invenit, ut has in terras veniret, eaque ratione omnibus fieret satis. Cum suavitate et delectatione nonnunquam miscetur ardor et zelus, atque vindicta. Ferunt in Thracia lapidem esse, quem vocant Spinum, qui dissectus ardeat: quique compositus rursus, sicut et Smarilleus aqua perfusus accendatur. In Carthaginensium autem fonte oleo fluente, sponte natam petram iusta magnitudine, ex qua aiunt æstivis caloribus flammam ignis exilire, hyeme autem aquæ voraginem effundi, ut ait Aristoteles lib. de mirabilibus auscultationibus. Mistio hæc efficit, ut afflicti iusti gaudeant, et prosperitate utentes trepident. Memorabile est, quod de Ugolino refert Paulus Æmilius lib. 8. histor. Franc. pag. 341. Ugolinus, ait, Girardescus civis Pisanus, Guelfarum partium princeps, initio contraria factione afflicta, eo potentiæ venerat, ut nutu omnia administraret, patriæque dominus et esset, et haberetur: divitiis, nobilitate, ingenii fama, auctoritate ingens: uxore, filiis, nepotibus, et omnibus in vita bonis appetendis circumfluens; beatus, felix, et cæteris et sibi visus, eorumque cogitatione perfruens, lætus, fidens, etiam illorum commemoratione gaudebat. In festo frequentique natalis sui celebrandi convivio, ad quod omnes suos invitarat, adhibueratque: dum fortunam suam ipse fando effert, admiratur, cæloque æquat, ausus est quemquam ex intimis amicis suis Mancum, quid tandem abesse videretur, interrogare. Ille vel reputatione rerum humanarum, vel mente divinitus admonita: Sola, inquit, ira Numinis procul diuque abesse a tam secundis rebus non potest. Guelforum viribus consenescentibus, Gibellini armis correptis ædes eius circumsistunt et oppugnant: unum e filiis, et unum nepotum vim arcere conatus, occidunt, ipsum, et duos præterea filios, tres nepotes comprehensos in turrim inclusere obseratis foribus, clavibusque in Arnum propinquum flumen deiectis. Ibi fame, in oculis suis, in gremio suo charissima pignora parens moriens morientia vidit. Petenti, ut suppliciis humanis inimici contenti essent, sacræ confessionis et sacrosancti viatici potestas facta non est: hæc Æmilius. Quis sibi in humana pace et felicitate fidendum putet? Cervi et delphini felle carent: cervis tamen Achainis fel in cauda esse fertur. Multi in fine habent amaritudinem, et aliis afferunt.

Iustitia et pax in Incarnatione.

Flamma ex fonte.

Ugolini summa calamitas post felicitatem.

39. Tropolog. Videndum nobis est, ut in misericordia, veritate, iustitia et pace excellamus, Christum salvatorem imitantes.

Tropol.

Primo, simus misericordes, cum simus in sacram oleam insiti, et nihil sit ea virtute suavius. S. Leo serm. 4. de Passione: *Nihil est*, ait, *in omnium virtutum dignitate præstantius, quam pietas misericordiæ*.

Secundo, veritatem amemus. Philostratus in Heroicis, veritatem vocat μητέρα τῆς ἀρετῆς, virtutis matrem. Hippocrates in epist. ad Philopœmenem, ait, esse stellis splendidiorem. Hierocles in aurea Pythagoræ carmina, dicit, vicissim ad videndam veritatem requiri virtutem. Quemadmodum enim, inquit, lippitudine laboranti oculo, nec purgato, quæ valde lucida sunt, videri non possunt: ita nec animo virtute carenti veritatis pulchritudo: hæc ille. Philo lib. de vita contemplativa, dicit, a veritate oriri omnium felicitatum humanarum et divinarum copiam. De veracitate, seu fidelitate in promissis dixi alias.

Veritatis laus.

Tertio, iustitia exercenda est; est enim Amaltheæ cornu, plenum omni bono. Hippodamus Thurius: Rerum bonarum, inquit, non solum possessionem, sed fructum quoque habere convenit. Hæc autem omnia contingent, si quis civitatem bonis legibus constitutam nanciscatur. Et hæc omnia, ἀμαλθείας κέρας, Amaltheæ cornu nominatum esse dixerim: ita ipse.

Quarto, pax amanda est. In ea enim manet Deus. Ps. 75. 3. *Factus est in pace locus eius*. Vide ibi dicta. Hebraice est, factum in pace umbraculum eius. Quod S. Hieron. considerans ait: *Non est umbraculum Domini, nisi ubi pax; ubi zelus atque discordia, ibi non est protector Deus: locus Dei non est nisi in anima, quæ pacem habet*: hæc Hieronymus. Pacem esse effectum charitatis, dixi supra. Deus autem charitas est; satan vero, id est, adversarius, fugit animam pacificam, et illam timet. S. Gregorius hom. 8. in Ezechiel: *Antiquus*, ait, *inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timet: quia ipse nec carne premitur, ut in eius luxuria dissolvatur. Abstinentiam non timet, quia ipse cibo non utitur. Valde autem in nobis charitatem veram, id est, amorem Dei humilem, quem nobis vicissim inpendimus, timet: et concordiæ nostræ invidet; quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amisit in cælo*: hactenus Gregorius.

Quinto, misericordiam et veritatem simul iungant omnes, præsertim principes. Exod. 35. 27. *Principes obtulerunt lapides onychinos et gemmas, ad superhumerale et rationale*, aromataque, *et oleum ad luminaria* concinnanda.

Sexto, iustitia et pax simul iunguntur. S. Augustinus in Psalm. nostr. *Fac iustitiam*, inquit, *et habebis pacem, ut osculentur se iustitia et pax: bona res est pax, sed fac iustitiam: quia iustitia et pax osculantur se, non litigant.*

Septimo, veritas e terra oritur, cum peccator sua peccata confitetur. S. Augustinus in Psal. nostr. *O terra*, inquit, *qui quando peccasti, audisti: Terra es, et in terram ibis. Oriatur de te veritas, ut respiciat de cælo iustitia: Quomodo ergo orietur a te veritas, cum tu peccator sis, cum tu iniquus sis? Confitere peccata tua, et orietur de te veritas.* Affert in eam rem exemplum Publicani sua peccata confitentis, quam ob confessionem a Deo veniam obtinuit. Subdit deinde: *Orta est veritas de terra in confessione peccatorum, et iustitia de cælo prospexit, ut descenderet iustificatus Publicanus magis quam ille Pharisæus.*

Nota sexto, Deipara excellit misericordia, veritate, iustitia, et pace: atque hæc omnia alumnis suis communicat. 40.

Primo, ab Hermanno Contracto in hymno, *Salve Regina*, vocatur *mater misericordiæ*. Primo, quia Christum peperit, qui est infinita misericordia. S. Bern. serm. 1. in Domin. 1. post octavam Epiphan. *Quid, ait, de fonte pietatis procederet, nisi pietas? Quid, inquam, mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis*: hæc ille. Ab illa misericordia divina, Christo scilicet, sumit mater augmentum misericordiæ. Richardus a S. Victore in cap. 4. Cant. Quid mirum, ait, si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Secundo, est mater misericordiæ, quia illam omnibus effundit. Gregorius Nicomediensis eam vocat, oleam frugiferam, per quam scaturit oleum exhilarans et pinguefaciens creaturam. Idiota in Prologo de Virgine Maria: Beatissima, inquit, Virgo Maria, sicut est omnium regina, sic et omnium patrona et advocata: et cura est illi de omnibus: longe enim positos illuminat radiis misericordiæ suæ: sibi propinquos per specialem devotionem, consolationis suavitate: præsentes sibi in patria, excellentia gloriæ: et sic non est qui se abscondat a calore eius, id est, a charitate et dilectione ipsius: ita Idiota. Tertio, ad se recurrentes misericorditer suscipit. In Liturgia Armenorum: Admonemus adstantes, ait, ut Dei Genitricem et omnes Sanctos invocent in adiutorium ad Deum

Deipara est misericors.

Patrem cælestem, ut misereatur creaturæ. Albertus Magnus serm. iu Dedicat. Ecclesiæ: Thronus gratiæ, inquit, est B. Virgo Maria. Luc. 1. *Ave Maria gratia plena;* unde Apostolus: Adeamus cum fiducia ad thronum eius gratiæ, scilicet Mariæ, qui est thronus Salomonis eburneus: ita Albertus.

Verax. Secundo, veritas habetur per Virginem. Est enim, ut ait S. Germanus serm. in Nativit. Virg. *ακροςιχις θεοπνευςων γραφων αληθεια*, summa veritas divinitus inspiratæ doctrinæ. Sophronius serm. de Assumpt. Hæc est virgo, quæ sola interemit hæreticam pravitatem, sola post Deum, quæ nos confirmat in omni veritate: hæc ipse. Plura mox subdam.

Iusta. Tertio, per Virginem habetur iustitia. S. Leo serm. 5. ad Neophytos: *Leo noster*, inquit, *sicut Genesis protestatur, leonis est catulus, qui ad hoc recubans obdormivit, ut vinceret mortem: ad hoc evigilavit, ut beatæ resurrectionis suæ in nos munus immortalitatis conferret: quem competenter sequitur Virgo prænuntians libram: ut nosceremus per Filium, qui incarnatus processit ex Virgine, æquitatem iustitiamque terris illatam: quam qui constanter tenuerit, non dicam scorpionem, sed, sicut Dominus ait, omnes serpentes illæsa planta calcabit.*

Pacifica. Quarto, per Virginem pax obtinetur. Cantic. 8. 10. *Inventa sum coram eo quasi pacem reperiens.* S. Laurentius Iustin. de casto connubio Verbi et animæ: *Ipsa est*, ait, *quæ contulit mundo pacem*, Genes. 9. 13. figuratur hoc in iride, quæ est signum fœderis Dei cum hominibus. S. Petrus Damiani: Per Evam, ait, potus mortis porrigitur: per Mariam vitæ et pacis poculum exhibetur. Hinc Ioannes Patr. Ierosol. scribens ad Ioannem Patriarcham Constant. hortatur illum, ut secum B. Virgini fiat supplex pro pace Ecclesiæ, pro victoria et perpetuitate piissimi et

Mulieres Gallorum pace conciliant. serenissimi Imperatoris nostri. Mulieres apud Gallos aliquando inter infestas civilis furoris acies ausæ se immittere, lacrymis precibusque pacem sanciverunt: unde diu apud illos mos tenuit, ut, cum de pace belloque consilium iniretur, in illud mulieres admitterent. Uxores quoque primorum Romanorum diremerunt bellum ob eas exortum inter parentes ac maritos, inter utrosque armatos ausæ sese immittere, et utrisque corpus suum obiicere. Idiota dicit de B. Virgine in Prologo: *Sæpe quos iustitia filii potest damnare, matris misericordia liberat; quia thesaurus Domini est, et thesauraria gratiarum ipsius.* Richard. a S. Laur. lib. 1. cap. 1. Per salutationem angeli, ait, ad Mariam notatur concordia angeli et hominis: quia per partum Mariæ factus est homo concivis angelorum, et domesticus Dei.

Quinto, Virgo iungit misericordiam veritati. Richardus a S. Laurentio lib. 7. De Mariæ nube, ait, dicitur Ps. 104. *Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem.* Ecce duo officia, ad quæ data est Maria, ut protegat a fervore Solis iustitiæ, tamquam nubes: et etiam contra diabolum, quasi igneus murus, et contra vitia et peccata.

41. Veritas oritur de terra, id est, de Virgine. Sexto, veritas de terra orta est, id est, Christus de Virgine. Ita explicat S. Augustinus in Psal. nostr. *Christus*, inquit, *de fœmina natus est: Filius Dei de carne processit. Quid est veritas? Filius Dei. Quid est terra? caro:* hæc ipse. Hoc prædixit Isaias cap. 53. 2. *Ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti*, id est, de Virgine, nulla voluptate in conceptu compluta, nec virili semine seminata. In Ps. nostr. pro *orta est*, Hebr. est, germinavit, pullulavit, ut supra monui. Terra est, de qua novus Adam prodiit. Hugo a S. Victore lib. 4. de proprietatibus et epithetis rerum, cap. 2. Mater est Domina, inquit, Domina angelorum, stella maris, terra quæ germinat salvatorem, terra de qua formatus est verus Adam, terra de qua orta est veritas, terra de qua eductus est verus panis, terra quæ dedit fructum suum, terra cuius fructus sublimis, terra quam Dominus benedixit: terra, de qua dicitur: Cecidit semen in terram bonam: terra fluens lacte et melle: ita Hugo. Aristot. lib. de mirabil. auscult.

A ait: In Coronea urbe Bœotiæ talpas nec vivere, nec terram fodere posse, magna alioqui copia per totam Bœotiam redundante. Prius dixerat in Creta lupos, ursos, viperas, aliasque id genus noxias feras non nasci: Iovis beneficio, qui ibi natus esse perhibetur. Solus Iesus est Mariæ filius naturalis: adoptivi Mariæ filii, sunt soli iusti et pii. Si non amas veritatem mentis, oris et operis, non es terræ illius filius ac fructus.

Septimo, iustitia de cælo respicit in Virginem, et in omnes per Virginem: ut in ea, et per eam mitescat. De 42.
primo, nempe quod iustitia de cælo respiciat in Virginem, E cælo
ait Isaias 45. 8. *Rorate cæli desuper, et nubes pluant iu-* respicitur Dei-
stum: aperiatur terra, et germinet salvatorem: et iustitia para.
oriatur simul: ego Dominus creavi eum. B. Virgo dicit Luc. 1. 48. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Origenes homil. 8. in Lucam, alias virtutes eius enumerat. Respexit, ait, in iustitiam ancillæ suæ, respexit in temperantiam, respexit in fortitudinem atque sapientiam. S. Bernard. hom. 2. super Missus est: Virgo regia, inquit,
B gemmis ornata virtutum, specie sua et pulchritudine sua cæli civium in se provocavit aspectum: ita ut regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et cælestem nuntium ad se de supernis educeret. S. Maximus: Omnis, inquit, pulchritudo ad Virginem comparata, deformitas est: et omnis innocentia, peccatum. Secundo, efficit Deipara, ut iustitia, id est, Christus, e cælo nos respiciat, atque illuminet. S. Chrysost. serm. de Genesi: Per hanc, ait, ad- Et nos
est ægrotantibus medicus, in tenebris considentibus illu- propter
xit Sol iustitiæ: hæc ipse. Deipara speculum est lucem ac- illam.
cipiens, et reddens. Andreas Cretens. serm. in Annunt. *Gaude speculum, ait, per quod iustitiæ Solem venientem e cælo suscipientes, qui densis in tenebris versabantur, illustrati sunt.* S. Epiphan. illam comparat nubi lucem suscipienti, et in terras reflectenti. Sic enim serm. de laud. B. Virg. *φωτεινη νεφελη, Nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum. Nubes cælestis, quæ tonitruum Spiritus sancti, in se*
C *ipsa reconditum, deduxit in mundum. et imbrem Spiritus sancti in universam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demisit.*

Octavo, per Virginem Deus dat benignitatem suam, et 43.
omne bonum. A S. Greg. Naz. orat. de Christo patiente Per Vir-
vocatur: *Generis humani bonum.* Ab Andrea Cret. orat. ginem
de Annunt. benignitas incredibilis. A S. Basilio Seleuciæ datur o-
Episcopo, benignitatis fons, et fluvius. Sic enim loquitur mne bo-
orat. in Annunt. *Quomodo celebrabo*, inquit, πηγην φιλαν- num.
θρωπιας, *fontem clementiæ? quomodo prædicabo*, ποταμον φιλανθρωπιας, *fluvium benignitatis? quomodo cantabo illud*, παρθενικον πελαγος, *virgineum pelagus?* Idiota lib. de Virg. Maria in prologo, hortatur omnes, ut ad eam accedant, et promittit illis omne bonum. Verba eius sunt: Accede per devotam mentis contemplationem ad gloriosissimam Virginem Mariam matrem eius: quia *per ipsam, et in ipsa, et cum ipsa, et ab ipsa habet mundus, et habiturus est omne bonum.*

D Ratio a priori est, Primo, quia habet, et dat Christum, qui est omne bonum. S. Ambr. lib. de Institution. Virginis, considerans illud Cant. 7. 2. *Venter tuus, sicut acervus tritici, vallatus liliis*, ait: Unum granum frumenti fuit in utero Virginis Christus Dominus, et tamen acervus tritici dicitur: quia granum hoc virtute continet omnes electos. Secunda ratio, cur abundanter det bona petentibus, est, quia illis abundat. S. Ignat. epist. ad S. Ioannem, si tamen eius est hæc epistola, dicit Virginem esse omnium gratiarum abundantem, et omnium virtutum et gratiæ fœcundam. S. Methodius orat. in Hypap. appellat, dilectionis Dei thesaurum. Sophron. serm. de Assumptione: *Cæteris*, ait, *per partes præstatur: Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ.* Mahometes ipse non est ausus negare excellentiam Virginis. Sic enim Azoara 5. Maria omnibus viris et mulieribus splendidior et mundior, atque lotior, soli Deo perseveranter studens: ita ille. Comparare eam possis tabernaculo Mosaico, in quo erat ponenda arca au-

rea, id est, Christi humanitas ditissima: ad illud autem tabernaculum ornandum ponuntur aurum, argentum, æs, hyacinthus, purpura, coccus bis tinctus, etc. Id est, omnes virtutum divitiæ. Tertio, Maria dat abundanter a se petenti, quia est liberalis et clemens. Est virga aurea Assueri, quam qui tangit, petita impetrat et vitam. Ugo Cardinalis in illud Ps. 109. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, sic loquitur: *Significata est Maria per virgam Assueri, de qua Esther 8. 4. dicitur: quod extendit contra eam virgam auream, et hoc fuit in signum clementiæ: sic Deus B. Virginem nobis dedit, ut ipsa mediante gratiam eius inveniremus:* hæc Ugo. Omnibus itaque dicendum est quod Estheri dicebat ipse Assuerus cap. 15. *Accede, et tange sceptrum*, id est, virgam illam auream. Eutychianus in vita S. Theophili dicit, ab ea neminem reiici. Quis, ait, o Domina mea, speravit in te, et pudore est affectus? aut quis hominum fideliter omnipotentem tuam rogavit opem, et fuit unquam derelictus? Revera nullus unquam. Quamobrem ego quoque peccator, et nequam, rogo tuum perennem fontem, ex quo fluunt ad animas nostras curationes, præbe mihi viscera miserationum: ita ille.

44. Nono, Deipara dat fructum toti mundo. Primo, omnes virtutes. Sophron. serm. de Assumpt. Vere, inquit, hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera et odoramenta virtutum. S. Bernard. serm. 2. de Adventu, illam vocat, cælestem plantam pretiosiorem cunctis, sanctiorem universis. Victorinus in prosa de Assumpt. ait esse florem spina carentem. Sic enim concinit:

Deipara dat fructus virtutum.

Salve Verbi sacra parens,
Flos de spinis, spina carens,
Flos spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati:
Sed tu spinæ nescia.

Et Christum. Dabit igitur flores et fructus. Secundo, Virgo dat fructum suum, id est, Christum, qui est fructus eius, quia nullius alterius est, cum sit virgo. S. Epiphanius de laud. B. Virginis, illam comparat agro non sulcato. Verba eius sunt: Ἀγεώργητος χώρα· *Ager est non cultus, quæ Verbum velut granum frumenti suscipiens, etiam manipulum germinavit.* *Semper mansit virgo.* Hesychius id admirans homil. 2. exclamat: Quis vidit, quis audivit fertilium agrorum naturæ peritus, agrum ante incultum produxisse spicam: aut terram non plantatam germinasse uvam? Vinum sine vite, aut fluvium sine fonte prodeuntem? Iacobus Vitriacus plures acervat comparationes, in die Natalis Domini: *Pulchra*, inquit, *in flore virginitatis, pulchrior in fructu fœcunditatis, pulcherrima in partu Dei et hominis. Placens Deo per virginitatem, in fructu reficiens animas per saturitatem, in partu subveniens mundo per fœcunditatem. Natus est Dei Filius ex Maria absque humano semine, et sine ulla corruptione, tamquam vermiculus ex terra, odor ex nuce, scintilla ex silice, fructus ex arbore, radius ex sole.* S. Basilius Seleuciæ orat. 30. ait, esse paradisum terrestrem, in quo arbor vitæ Christus dans fructus omnibus. Ave, inquit, gratia plena: ave florentissime virginitatis paradise, in quo lignum vitæ producet fructus omnibus salutares, ex quo evangeliorum fons in quatuor ora sectus, miserationum flumina credentibus deducet: ita Basilius. Denique Chrysippus serm. de laud. Virg. eam nuncupat, ῥίζαν πάντων ἀγαθῶν, *radicem omnium bonorum.*

45. Decimo denique, iustitiæ viam nobis demonstrat. S. Gregorius Neocæs. serm. 2. de Annunt. eam nuncupat iustitiæ munimentum. Nicephorus Gregoras lib. 4. nominat, ὁδηγήτριαν, *viæ monstratricem.* S. Germanus in Encomio Deiparæ, multa conglobat in hunc modum: *O Domina mea, sola mihi es ex Deo solatium, sola æstus in me existentis divinus ros, cordis mei exardescentis guttæ divinitus fluentes, tenebricosæ animæ meæ splendidissima lampas,* ἐμπορίας ὁδηγία, *itineris mei directio, debilitatis meæ potentia, nuditatis meæ vestimentum, mendicitatis meæ divitiæ, insanabilium vulnerum meorum medicina.*

Deipara viam iustitiæ demonstrat.

PSALMUS OCTOGESIMUS QUINTUS.

Oratio ipsi David.

1. Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.
2. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.
3. Miserere mei Domine quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.
4. Quoniam tu Domine suavis et mitis: et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.
5. Auribus percipe Domine orationem meam: et intende voci deprecationis meæ.
6. In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudisti me.
7. Non est similis tui in diis Domine: et non est secundum opera tua.
8. Omnes gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine: et glorificabunt nomen tuum.
9 Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.
10. Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.
11. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in æternum.
12. Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.
13. Deus iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.
14. Et tu Domine Deus miserator et misericors: patiens et multæ misericordiæ et verax.
15 Respice in me, et miserere mei, da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillæ tuæ.
16. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu Domine adiuvisti me, et consolatus es me.

PSALMI OCTOGESIMI QUINTI ANALYSIS.

- Christus infinitam Dei misericordiam et potentiam contemplans, postulat:
  - Orationem suam exaudiri,
    - Ob seipsum
      - Fortunæ bonis destitutum, qui
        - Auris divinæ inclinatione egeat. 1.
        - Et cordis ac mentis auditione. 1.
      - Animi bonis abundantem,
        - Cum in animæ substantia habeat gratiam. 2.
        - In voluntate, spem firmam. 2.
        - In ore, clamorem, indicem fervoris. 3.
        - In omnibus facultatibus, elevationem a terrenis. 3.
    - Ac Deum
      - Clementem, qui
        - Suavis est fruentibus se. 4.
        - Mitis ad se accedentibus. 4.
        - Misericors afflictis orantibus, 4.
          - Aure, preces percipiens. 5.
          - Mente, eas considerans. 5.
          - Et affectu, exaudiens. 6.
      - Excellentem, cum
        - Essentia, omnes superet. 7.
        - Potentia, nullus ei sit similis: 7.
        - Conversione gentium, sit mirabilis. 8.
  - Et qualis sit illa, declarat:
    - Deduci scilicet in via, ob
      - Deum
        - Maiestate, magnum. 9.
        - Potestate, mirabilem. 9.
        - Essentia, Dominum, 10. qui
          - Infirmum deducat. 10.
          - Cæcum illuminet. 10.
          - Tristem lætificet. 10.
      - Et seipsum
        - Corde toto, gratias acturum. 11.
        - Ore, laudes Deo dicturum. 11.
          - Ob misericordiam in vita 12.
          - Et post mortem. 12.
    - Iuvari in morte, ob
      - Hostes, qui
        - Iniustitia, insurgunt in ipsum. 13.
        - Potentia, vitam eius quærunt. 13.
        - Malitia, oculos a Deo avertunt. 13.
      - Et Deum, qui
        - Misericors est. 14.
        - Et verax. 14.
    - Glorificari post mortem, ob
      - Deum, qui
        - Det regnum. 15.
        - Et salvet. 15.
      - Et hostes, qui
        - In resurrectione signo edito terreantur. 16.
        - Videant gloriam eius, quem confixerunt. 16.
        - Confundantur, ob opem et lætitiam datam. 16.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

ORATIO IPSI DAVID.

1. Argum. Psalmi. PRIMO, Theodoretus vult hic præcini Assyriorum in Ierosolymam impetum, atque Ezechiæ spem, quam in Deo constituit. Ita ille, qui nimis sæpe ad Ezechiam et ad captivos in Babylone transfert Psalmos.

Secundo, et melius, Mariana et Bellarminus dicunt, Psalmum hunc nihil esse aliud nisi orationem Davidi a Deo inspiratam, cum amaro esset animo, et consolatione divina indigeret; David enim, ut erat homo spiritualis, et in schola Spiritus sancti eruditus, cum variis tribulationibus premeretur, non quærebat consolationem a rebus creatis, in quibus vera consolatio animæ inveniri non potest, sed ad Deum fontem omnis suavitatis per contemplationem et orationem confugiebat. Proinde nos etiam hoc Psalmo uti debemus, cum tentationibus variis, undecumque illæ veniant, fatigati, mœrore tabescimus: ita illi, et bene. Agellius et Iansenius factum hunc Psalmum putant tempore persecutionis a Saule excitatæ. Caietanus, tempore persecutionis excitatæ ab Absalone.

Tertio, et optime, Christus hic loquitur instante sua passione, in qua iuvari postulat. Petit resurrectionem suam, eamque prædicit cum omnium gentium ad Deum conversione: ita August. Ugo, Bruno, Remig. Strabus seu Glossa ordinaria: eam enim Glossam scripsit Strabus Fuldensis monachus, qui floruit circa ann. 840. et fuit Rabani discipulus, ex magistri operibus discerpens explicationes Scripturarum, composuit Glossam, quæ dicitur ordinaria in Scripturas utriusque testamenti, quæ postea aucta et ornata a posterioribus fuit, ut ait Bellarminus: dicitur porro Glossa ordinaria, ut distinguatur a Glossa interlineari, quam scripsit Anselmus Laudunensis Scholasticus, qui vivebat circa ann. 1077. Sed ad rem, Christum hic loqui et non alium, duo mihi maxime persuadent. Primo, quod dicit v. 2. *Quoniam sanctus sum.* Solus autem Christus id dicere potuit. Quis alius orans id diceret, cum in oratione nos humiliare debeamus? Neque dicas Davidem sæpe prædicare suam innocentiam, ut Ps. 7. 9. Ps. 25. 1. nam non loquitur de innocentia respectu Dei, sed de innocentia respectu Saulis et Absalonis, quos non læserat. Secundo, hunc Psalmum agere de Christo maxime, etiam probat illud v. 13. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* id est, e limbo, loco subterraneo, ut ibi dicetur. Notat Valent. hunc Psalm. similem esse orationi Christi, Ioan. 17.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

2. DUO DICIT. PRIMO, PETIT IUVARI IN SUA PASSIONE CHRISTUS AFFLICTUS, VERS. 1. SECUNDO, PETIT RESURRECTIONEM SUAM, ET ILLAM PRÆDICIT.

SECTIO PRIMA.

Quatuor facit. Primo, postulat audiri orationem suam, ob summam inopiam, vers. 1. Secundo, ob suum meritum, vers. 2. Tertio, ob Dei clementiam, vers. 4. Quarto denique, ob Dei potestatem, vers. 8.

PARAPHRASIS.

1. *Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.*

1. Domine Deus summæ maiestatis, mea se oratio ad tantam celsitudinem tuam elevare non potest: sed pro benignitate solita aures inclina, facilemque te ad exaudiendum præbe: vel hoc uno excitatus, quod ab amicis inops, et a rebus omnibus destitutus iaceo.

2. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.*

2. Animam et vitam meam tot ab hostibus circumcinctam tuere, cum a primo conceptionis momento tibi consecratus de virtutis tramite non deflexerim, sed omni gratia circumfluam. Tibi uni toto affectu innixum, ab angustiis, quibus urgeor, exime.

3. *Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.*

3. Misericordiam præsertim tuam imploro, cui magno ardore tota vita dies noctesque supplex fio. Tristitiæ nebulas ex mente tibi uni serviente discute, et tandem lætitia illam comple, glorioso corpori eam uniens, cum illam semper ex his lutulentis quisquiliis ad te unum erexerim.

4. *Quoniam tu Domine suavis, et mitis, et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.*

4. Tu Domine Deus suavis es te fruentibus in oratione, clemens ad te per illam accedentibus, infinitæ misericordiæ in ea suspirantibus.

5. *Auribus percipe Domine orationem meam: et intende voci deprecationis meæ.*

5. Cum talis sis, obsecro, ut pro tanta bonitate facilem aditum inveniant preces meæ ad thronum maiestatis tuæ, easque benigne audias, et consideres quid postulent.

6. *In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudisti me.*

6. Quoties aliqua calamitas ingruit, non in humanis præsidiis spem meam collocavi, sed ad te unum confugi; tibi miseriam meam exposui, ut nunc facio: quod paternum pectus tuum apertum mihi senserim, manusque ad largiendum faciles: quod nunc ut facias, efflagito.

7. *Non est similis tui in diis Domine: et non est secundum opera tua.*

7. Non enim est qui tanta potentia polleat, sive in diis gentium, sive inter reges principesque terrenos, ut in iis spem meam reponam: tu unus es omnipotens: neque est, qui se tibi operibus domi forisve exæquare valeat.

8. *Omnes gentes quascumque fecisti, venient: et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.*

8. Quorum operum præstantia, ac præsertim misericordia tua, qua me in passione adiutum resuscitasti, omnes populi excitati, ad aras tuas confluent: teque Deum suum agnoscent, ac venerabuntur, laudesque nomini tuo concinent.

QUÆSTIO UNICA.

QUALIS ORATIO ESSE DEBET, UT A DEO FACILE EXAUDIATUR.

3 Ordo Sectionis. GLORIAM Resurrectionis petiturus Christus, orat prius se adiuvari in sua passione, et varia motiva proponit, propter quæ exaudiri debeat.

Primo quidem, Inopiam suam et paupertatem, v. 1. *Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.*

Secundo, sua merita declarat. Cum Primo, habeat gratiam sanctificantem, in animæ substantia hærentem, v. 2. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Secundo, in voluntate, spem firmam: *Salvum fac servum tuum Deus meus sperantem in te.* Tertio, in ore, clamorem, indicem fervoris interni, v. 3. *Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die.* Quarto, in omnibus facultatibus, elevationem a terrenis: *Lætifica animam servi tui: quoniam ad te animam meam levavi.*

Tertio, Dei clementiam allegat, qua suavem se fruenti præbeat, v. 4. *Quoniam tu Domine suavis;* facilem et clementem accedenti: *Et mitis;* misericordem afflicto oranti: *Et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.* Ideo petit orationem suam. Primo, auribus percipi, v. 5. *Auribus percipe orationem meam.* Secundo, mente considerari: *Et intende voci deprecationis meæ.* Tertio, affectu exaudiri, v. 6. *In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudisti me.*

Quarto, potentiam Dei prædicat, qua omnes superat agendi facultate, v. 7. *Non est similis tui in diis Domine: et non est secundum opera tua.*

Quinto denique, effectum exauditæ orationis prædicit, conversionem omnium gentium ad veram fidem, v. 8. *Omnes gentes quascumque fecisti, venient: et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.*

ARTICULUS I.

Oratio humilis pauperum spiritu exauditur.

4. Vers. 1. CHRISTUS in cruce patiens, primum argumentum, ut exaudiatur desumit a sua calamitate, v. 1. INCLINA DOMINE AUREM TUAM (Psalter. Romanum et Cassiodorus addunt, *ad me*) ET EXAUDI ME (Felix, responde mibi) QUONIAM INOPS ET PAUPER SUM EGO. Ubi adverte, Christum pauperem fuisse. 1. In nativitate, cum natus sit in spelunca vili et aliena. 2. In toto vitæ decursu ante baptismum apud pauperes parentes victitans labore manuum suarum: et verisimile est, ait Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 28. sect. 2. Christum tunc semper sese ut subditum, inferioremque gessisse: atque adeo nihil ut proprium toto illo tempore possedisse, ac dispensasse, sed iuxta parentum arbitratum. 3. Post baptismum ita pauper fuit, ut dixerit Matth. 8. 20. *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Matth. 19. 21. ait cuidam adolescenti: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me,* hoc est, mecum in paupertate vive. Probabile est, etiam tunc aliquando mendicasse, et hoc sentit Waldensis lib. 4. de doctrin. fidei antiquæ, cap. 3. et 4. Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. ann. 118. et 137. atque Albertus Pighius lib. 5. contra Erasmum. Ratio est, quia cum esset pauper, difficile est ut in variis itineribus nihil illi defuerit, quod emendicare deberet: cum tantæ paupertatis fuerit, ut advertit S. Hieron. Matth. 21. et ita nulli adulatus sit, ut interdum in urbe maxima nullum hospitem, nullam invenerit mansionem, et oportuerit eum redire Bethaniam, ut in domo Lazari hospitio reciperetur: ita Hieronymus. 4. In cruce Christus ita pauper fuit, ut vestibus propriis caruerit. An votum emiserit paupertatis vide apud Suar. iam citatum.

Christus fuit pauper.

Moral. Oratio pauperis Deo placet. Primo, quia paupertas humiliet: humilitas autem Deum inclinat ad orantem. S. Augustinus in Psal. nostr. *Non inclinat Deus aures ad divitem, sed ad inopem et egenum, id est, ad humilem et ad confitentem: ad indigentem misericordia, non ad saturatum et extollentem se, et iactantem quasi nihil ei desit:* ita ipse. Hoc fit evidens in parabola Pharisæi et Publicani, atque in exemplo Lazari et divitis Epulonis. Hoc Deus etiam asseruit Is. 66. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* Itaque accedamus ad Deum veluti mendici et hu- 5. Oratio pauperis placet Deo, et cur? I.

miliati. Hinc Abraham supplex angelis personam Dei sustinentibus, se cinerem ac pulverem vocat. Ieremias dicit: *Ego vir videns paupertatem meam, Thren.* 1. 3. Iob rex fuit in Hus terra Idumæa, sed divitias neglexisse se dicit: *Si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi: Fiducia mea. Si lætatus sum super divitiis meis, et quia plurima reperit manus mea. Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare*, Iob 31. 24. Esther regina uxor Assueri regis Persarum orans dicit, se contempsisse coronam regiam. Esth. 14. 16. *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in die ostentationis meæ, et quod detester illud quasi pannum menstruatæ*: ideo in ipsis divitiis erat pauper, et eam ob rem exaudita est. S. Gregor. Neocæs. orat. panegyr. in Origenem, iure vocat cognitionem sui θειαν φρονησιν, divinam sapientiam. Quid autem est in homine, unde superbiat, cum vere canat Homerus: ουδεν οιζυρωτερον ανδρος, nihil homine calamitosius ex omnibus, quæ in terra vivunt, et serpunt. Quare talem se reputans coram Deo supremo rerum omnium Domino adstet, sicut servus oculos habens in dominum intentos, ut ad eius nutum currat et volet.

II. Secundo, oratio pauperis humilis facilius exauditur, quia ardentius orat videns indigentiam suam, et Dei abundantiam. S. August. serm. 15. *Omnes*, inquit, *quando oramus, mendici Dei sumus, ante ianuam magni patrisfamilias stamus: imo et prosternimur, supplices ingemiscimus, aliquid volentes accipere, et ipsum aliquid Deus est. Quid a te petit mendicus? panem. Et tu quid petis a Deo, nisi Christum, qui dicit: Ego sum panis vivus qui de exlo descendi?* ita Augustinus. Notabile est quod refert Anton. Senensis in chronico Dominicanorum, pag. 72. In Ecclesia, inquit, Conimbricensi cymbalum est, quo ad Ecclesiam solet populus convocari, pro parte non modica habet adiectum terræ aliquantulum. Accepta causa ab antiquis, quod cum satis materiæ ad illud perficiendum non fuisset. Hoc advertens B. Pelagius: vel, ut aliis placet, religiosus aliquis, B. Pelagii nomine vocato, terræ quantitatem aliquam iecit in fornacem, quæ perinde atque si materia ad illud opus apta extitisset, campanam absolvit, hoc signo ad miraculi memoriam relicto: ita ille. Tunc optime coram Deo resonamus, etiam in oratione vocali, cum vilitatis nostræ meminimus, et paupertatis atque indigentiæ. S. Chrysostomus orationem vocat pauperum thesaurum. Sic enim ait homil. 32. quæ est de consubstantiali, tom. 1. pag. 419. Oratio, inquit, portus est tempestate iactatis, fluctantibus anchora, scipio titubantibus, πενητων θησαυρος, *pauperum thesaurus*, divitum securitas, morborum curatio, custodia sanitatis. S. Antiochus ait, orationem esse cibum animæ. Verba eius sunt hom. 106. Quæ cum fletu et ardore spiritus fit oratio, τροφη του νου, *cibus est animæ*: non minus quam panis corporis: ita ille. Potum etiam dat vinum optimum, ut in Cana Galilææ fecit oratio Deiparæ. De variis orationе impetratis dixi alias. Dat sanitatem oratio lib. 1. decretorum S. Stephani Hungariæ regis, cap. 3. pag. 4. Observatio orationis, inquit, maxima est acquisitio regalis salutis.

Notabile de cymbalo Conimbricensi.

III. Tertio itaque, oratio pauperis facilius exauditur: quia qui pauper est coram hominibus, ditissimus est coram Deo, nempe virtutibus. S. Gregorius Nazianz. orat. 28. p. 483. *Paupertatem obiicient?* inquit, *meas scilicet opes et abundantiam. Atque utinam et pannos hosce exuere possem, ut huius vitæ spinas nudus percurrerem*. S. Dominicus exorcismis agens in dæmonem, petiit, ut diceret, ex quo hominum statu plures damnarentur, respondit: Antistitum et principum utriusque sexus maximum habemus numerum; colonorum vero ac rusticorum parvum. Licet enim boni et perfecti non sint, non sunt tamen tam multis peccatis obnoxii, atque illi. Mercatores et oppidanos quamplurimos habemus: quia sæpe per avaritiam, fraudes, delicias, voluptates carnales in nostra claustra et barathrum descendunt. S. Franciscus existimavit et professus est, paupertatem esse maximas Ordinis sui divitias, domos sumptuosius extructas destrui curabat, paupertatem vocabat Ordinis sui fundamentum, cui substrato primarie, sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, et eversione funditus evertatur, ut ait S. Bonav. in eius vita. Paupertatis etiam sibi peculiarem curam et punitionem contra infractores reservatam asseruit: illam dicebat esse decorem et ornamentum sui Ordinis, ut refert Lucas Waddingus tom. 1. Annal. Minorum, anno 1220. num. 20. pag. 230. ubi agit de visione statuæ illius mirabilis, aureæ, argenteæ, etc. illi ostensæ, in qua varii status Ordinis repræsentabantur: tunc enim S. Francisco revelatum est, paupertatem esse *totius Ordinis decorem, et speculum, et custodiam singularem, et coronam, et fundamentum omnimodæ sanctitatis*. Petro Ioanni de Stiachia ministro in Lombardia sumptuosum nimis monasterium extrui permittenti maledixit; unde in morte inclamavit: Damnatus sum, et in æternum maledictus: quod secuta prodigia declararunt, ibid. num. 20. pag. 237. Pœna quoque similis accidit Guardiano in Thuscia, eamdem ob causam, ut ibidem traditur anno 1243. num. 13. pag. 363. A dæmonibus abripi passus est quemdam, qui in paupertatem multa commiserat, et caputium illi abreptum sibi retinuit, eo misere mortuo, ibid. pag. 624. libris onustos, vestibus mollibus indutos, clientum caterva cinctos, ad pœnas destinavit maledictos: quibus addidit alium geometricis instrumentis et circinis onustum. Pauperculum vero alium est amplexatus, et ad gloriam his verbis invitavit: *Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui*, ut dicitur ibid. pag. 624. Multa in eam rem tibi suppeditabunt illi Annales. S. Nilus in Parænesi num. 149. Ne, ait, accuses paupertatem: efficit enim απερισπαστον νομου αθλητην, constantem legis athletam. S. Chrysostomus hom. 15. Paupertas, inquit, innumera vitæ nostræ intulit bona, et sine paupertate inutiles sunt divitiæ. Georgius Agricola lib. 5. de re metallica, pag. 76. ait, in sicca terra plerumque plus inesse auri. In paupertate plus est virtutis, quæ vera est opulentia. Diogenes se in paupertate esse divitem gloriabatur, et suam Athenis Corinthum, Corinthoque Thebas profectionem ac transitionem comparabat migrationibus regis Persarum, vere Susis, hyeme Babylone, æstate in Media commorantis. Divites depauperati ad mentem redeunt. Agatharcides dicit, vidisse se in Æthiopia serpentes triginta cubitorum, qui cibi inopia cicurarentur. Pisidas dicit, fastum et arrogantiam esse ιον δρακοντος, venenum serpentis. S. Augustinus ait superbiam esse, vermem divitiarum. Paupertas superveniens divitibus oculos aperit, ut dicant, quod est in nostro Psalmo: *Exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego*. Divitiæ prius eos excæcabant. Geminus cap. 6. elementorum Astronomicorum: *Lunæ eclypses*, ait, *contingunt ea nocte, quæ tendit ad medietatem mensis; tunc enim secundum diametrum luna soli opponitur, et incidit in umbram terræ*. Homo instar lunæ mutabilis tunc obscuratur, et Deo opponitur, cum plenus est, et terrarum mole obumbratur. Lib. 8. oraculor. Sibyllin. pag. 56. auri et argenti desiderium vocatur πηγη δυσσεβειης, fons impietatis. S. Antiochus hom. 119. ait, nimiam anxietatem de rebus ad vitam hanc temporalem pertinentibus esse, απιστου και ολιγοψυχου, increduli et pusillanimi hominis propriam. Itaque S. Paulinus ep. 2. ad Severum, pag. 146. ait, bona temporalia esse abiicienda velut onera, aut saltem exuenda instar vestis, quæ corpori non adhæret. Vide quanta vitia Aquitanis attulerint divitiæ, ut ait Salvian. lib. 7. de Provid.

ARTICULUS II.

Oratio iustorum custodit eorum animam, atque lætificat.

Christus declarata sua paupertate in rebus terrenis, aperit divitias suas internas, ob quas exaudiri et custodiri petit, vers. 2. Custodi animam meam (id est, vitam meam; 2. animam proprie sumptam) quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Vers. 2.

6. Christus fuit impeccabilis intrinsece.

Nota, solus Christus proprie dicere potest *sanctus sum.* Nulli enim alteri debita fuit gratia, quam Christo. Unio autem hypostatica humanitatem Christi sanctificavit, et effecit, ut Christus esset simpliciter et absolute impeccabilis, atque gratia sanctificans illi deberetur. Suarez 3. p. in q. 34. art. 1. ait, Christus non solum non fuit prius tempore homo, quam sanctus; verum etiam nec prius natura: quia per ipsam unionem sanctificatus est: loquimur autem de Christo homine, qui proprie sanctificari dicitur. Nam si loquamur de humanitate, illa revera prius natura extitit, quam sanctificaretur: sicut prius natura extitit, quam assumeretur. Et hoc modo terminus a quo illius sanctificationis fuit negatio substantialis sanctitatis in hac humanitate, non quæ duratione præcederet, sed quæ existeret, si statim in eodem instanti non assumeretur illa humanitas, ut hic Deus homo constitueretur. At vero, loquendo de gratia habituali, quæ ab unione derivatur, licet temporis duratione, simul Christus fuerit homo, et sanctus sanctitate accidentali: tamen prius natura fuit factus homo, et sanctus per gratiam unionis. Quapropter non intelligitur sanctificatus per gratiam habitualem ex non sancto simpliciter, sed ex non sancto tali modo, id est, sanctitate accidentaria: seu, ut D. Thomas locutus est, sanctitate humana; illa enim sanctificatio, quæ est per gratiam unionis, multo magis est divina: ita Suarez.

7. Anima nostra custodienda est.

Moralit. Anima nostra studiose custodienda est, quia unica est: *Custodi animam meam.* Plato diversas animas ponebat in uno corpore, secundum organa distinctas, quibus diversa vitæ opera attribuebat: dicens vim nutritivam esse in hepate, concupiscibilem in corde, cognoscitivam in cerebro, ut ait Aristoteles lib. 1. de Anima, text. 90. et refutat lib. 3. text. 41. Ipse vero lib. 2. de Anima, comparat diversas animas speciebus figurarum, quarum una continet aliam: sicut pentagonum continet tetragonum, et excedit. S. Thom. 1. part. quæst. 76. art. 4. Anima, inquit, intellectiva continet in sua virtute, quidquid habet anima sensitiva brutorum, et nutritiva plantarum. Sicut ergo superficies, quæ habet figuram pentagonam, non per aliam figuram est tetragona, et per aliam pentagona: quia superflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur: ita nec per aliam animam Socrates est homo, et per aliam animal; sed per unam et eamdem: ita S. Thomas. Igitur, si unam tuam animam non custodieris, quam commutationem dabis pro illa, cum præsertim secum corpus ipsum tractura sit in gehennam? Ieremias audiendus cap. 17. *Custodite animas vestras.*

8. Deus servat animas.

Nota secundo, Deus custodit animas servorum suorum. Ideo sæpe illi dicendum: *Custodi animam meam.* Custodiet illam Primo, velut civitatem. Isa. 26. 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion: salvator ponetur in ea murus et antemurale.* Zachar. 2. 4. *Absque muro habitabitur Ierusalem, præ multitudine hominum et iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Secundo, Deus custodit animas iustorum, velut thesaurum, 2. Corinth. 4. 7. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* De sapientia dicitur Sap. 7. 14. *Infinitus thesaurus est hominibus.* Tertio, custodit illam, velut pupillam oculi sui. Zachar. 2. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Vide dicta Ps. 16. 8.

1. Per angelos.

Custodit autem Deus animas servorum. Primo, per angelos, sicut paradisum terrestrem per Cherubim. Genes. 3. 24. *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ:* quæ sicut sonant, accipiunt S. Augustinus et S. Chrysostomus. Is. 62. 6. dicit Deus: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes: tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt.* In prosperis et adversis iuvant angeli, quos intelligit S. Hier. et S. Bernar.

2. Per prælatos.

Secundo, custodit Deus animas servorum suorum per Prælatos: de illis eumdem Isaiæ locum exponunt S. Cyrillus et S. Thomas. De Adamo dicitur Genes. 2. 15. *Tulit Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum:* a feris, quæ erant extra paradisum, ait S. Basilius: et ab animalibus ipsis, quæ erant in paradiso, ut ait Cornelius; et in nobis, et extra nos feras habemus, quæ in nos irruant. Cant. 3. 8. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.* Lectulus Christi pacifici est anima sancta: fortes illi, sunt Sancti, ait Philo: sunt angeli, ait Aponius: sunt Doctores et Superiores, ait S. Gregorius et Cassiodorus.

3. Per prædicatores.

Tertio, Deus custodit animas servorum suorum per Prædicatores. 2. Machab. 15. 9. Iudas Machabæus adhortans suos duces ac milites, victores efficit de Nicanore: *Et allocutus est eos de lege et Prophetis*, etc. *Singulos autem illorum armavit, non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis et exhortationibus.*

4. Per virtutes.

Quarto, Deus custodit animas servorum per virtutes. 1. Thessal. 5. 8. *Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis. Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum.*

5. Per seipsum.

Quinto denique, Deus custodit animas servorum suorum seipso. Ps. 96. 10. *Qui diligitis Dominum, odite malum. Custodit Dominus animas servorum suorum. De manu peccatoris liberabit eos.* Sed ordinarie id non facit nisi per orationem.

9. Deus præsertim servat per orationem.

Nota igitur tertio, Deus orantes custodit. S. Chrysostomus tom. 1. hom. de consubstantiali, pag. 418. Non est, inquit, ουκ εστιν ουδεν ευχης δυνατωτερον, non est quidquam oratione potentius, aut quod ei possit æquari. Non sic amictus purpura splendidus est Imperator, ut qui orat colloquio cum Deo exornatus. S. Nilus in Parænesi, num. 53. ait, ieiunium esse armaturam: την προσευχην τειχος, orationem vero murum: et balneum, lacrymas. De equitibus balnei in Anglia vide Mennenium in Symbol. et Originib. Equestrium Ordinum, pag. 129. nunc de orationis custodia agitur. S. Macarius hom. 40. vocat illam, κεφαλαιον πασης σπουδης αγαθης, caput totius boni instituti, ut verticem honestarum actionum: eiusque beneficio reliquas virtutes a Deo posse obtineri. Hesychius rationem affert: quia oratio nos Deo unit, et in divinam naturam transformat. Verba eius sunt Centuria 1. num. 96. *In animo nascitur* τις καταστασις θεια, *status quidam divinus ex continua Domini nostri recordatione, et assidua eius invocatione: modo solliciti simus de frequentibus animi precibus erga Christum.* S. Nilus in Parænesi, num. 86. ait, castitatem in corpore, et puritatem in corde nos efficere Θεου ναον, Dei templum. Et num. 104. in eo templo dicit peragenda esse sacrificia. Ac num. 176. orationem esse αγιον βωμον, sanctam aram. Pertrahere enim ad nos sancte, Sanctum sanctorum. Contra vero cessatio ab oratione removet Deum a nobis, et nos a Deo, atque ad bestias nos deiicit. Palladius in hist. Lausiaca, cap. 98. refert dictum Abbatis Dioclis: *Mens*, ait, *quæ cogitatione recessit a Dei contemplatione*, η δαιμων γινεται, η κτηνος, *fit vel dæmon, vel bestia.*

Non orans fit dæmon vel bestia.

Nobis autem rogantibus, quo id fieret modo, subiecit: *Mens, quæ recessit a Dei contemplatione, necessario incidit vel in dæmonem cupiditatis, vel in spiritum iræ. Et cupiditatem quidem dicebat belluinam; iram vero dæmoniacam commotionem.*

10. Orans in solo Deo speret.

Nota quarto, Deus quidem orantes custodit, sed orantes cum spe: *Salvum fac servum tuum Deus meus, sperantem in te.* Hoc fieri docet Eliphaz, Iob. 5. 15. præsertim pro pauperibus: *Salvum faciet egenum a gladio eorum, et de manu violenti pauperem. Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum.* Proverb. 28. 25. *Qui sperat in te Domine, sanabitur.* Is. 30. 15. *In silentio et spe erit fortitudo vestra.* In numis veterum invenies aliquando fœminam stantem, et columnæ innixam, cum hoc elogio, *Securitas Augustorum.* Orationem sic depictam velim, cum hac inscriptione, *Securitas Christianorum.*

Adverte autem, το *in te*, q. d. Non in aliis rebus sperandum, sed in solo Deo. S. Paulinus ep. 5. ad Severum: *An magis, ait, abundare credis illum, qui terræ, quam qui Deo credit? Et qui propria, quam istum, qui divina pascitur cura? Quid ille miser habeat, qui se non habet? Non enim se habet, qui plus de se, quam de Deo sperat: vereque*

est mortuus, qui non vivere timet; si totum de Deo se credat, Deoque permittat: ita ille. Rationem vero ostendit, cur vere sit dives, qui Deo totum se credidit, et in eo uno spem reposuit. Subiicit enim: *Nihil habemus nisi Christum: et vide si nihil habeamus, qui omnia habentem habemus? Ebromagum enim non hortuli causa reliquimus, sed paradisi: illum hortulum prætulimus et patrimonio, et patriæ: quia illic magis domus vera, ubi æterna. Ibi verius patria, ubi originalis terra, et principalis habitatio*: hæc Paulinus. Accedenti ad se dat Deus pro terra silicem, et pro silice torrentes aureos, ut ait Eliphaz Iob. 22. Contra vero, spes in terrenis est fallax; lib. 8. oracul. Sibyll. dicitur: χρυσος αει δολος εστι, και αργυρος ανθρωποισι; *Aurum semper fraus est, et argentum hominibus.* O aurum malorum dux, vitæ labes, omnia evertens! Utinam tu mortalibus non esses malum desiderabile. Tui enim gratia pugnæ, prædæ, cædes: infensique liberi parentibus, et fratres consanguineis: hæc ibi.

11. Vers. 3. Oratio sit constans, ob quatuor rationes. Nota quinto, constantia etiam requiritur in oratione. Unde addit Christus v. 3. MISERERE MEI DOMINE, QUONIAM AD TE CLAMAVI TOTA DIE (S. Hier. clamabo): LÆTIFICA ANIMAM SERVI TUI, QUONIAM AD TE ANIMAM MEAM LEVAVI. S. Hier. levo; Hebr. levabo. Ubi adverte futurum Hebraicum aliquando sumi pro præsenti, et aliquando pro præterito: sicut ipsum præteritum aliquando accipitur pro futuro et præsenti. Quod autem oratio debeat esse tota die, id est tota vita, ut hoc loco explicat S. Aug. docet Christus Luc 18. 1. *Oportet semper orare, et nunquam deficere.* 1. Thessal. 5. 16. *Sine intermissione orate.* Vide Suar. tom. 2. de religion. lib. 1. cap. 26. ubi ostendit, qualis perseverantia orationis sit ad impetrandum necessaria.

Prima oratio necessitatis, cur oratio sit continuanda, est continua huius vitæ miseria. S. Paulin. Epist. 2. ad Severum: *Tota*, inquit, *huius mundi figura quæ præterit, et per oculos proleciat, diabolicis prætenta retibus, in qualibet sui specie laqueus menti et gladius est. Credamus Prophetæ, Eccli. 9. 20. quia in medio muscipularum ambulamus, et inter apertos lethalibus dolis gladios vita transigitur. Excipit nos mundus iste variis voluptatibus florens, et fallentibus venenatus illecebris excipit nos innumeris anguis insidiis, cui nomina mille, mille nocendi artes.*

Secunda ratio, petitur ab ira Dei, in non continuantes orationem. Hoc figuratum in Aarone et filiis eius, quos iussit Deus tota septimana manere in tabernaculo, cum consecrati sunt in sacerdotes. Levit. 8. 33. *De ostio tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ: septem enim diebus finitur consecratio. Die ac nocte manebitis in tabernaculo observantes custodias Domini, ne moriamini: sic enim mihi præceptum est.* Vita nostra septem diebus volvitur, octava est dies resurrectionis; per unctionem gratiæ quotidie consecramur, si exeamus de tabernaculo, moriemur.

Tertia ratio, petitur ab efficacia continuationis in oratione. Hoc declarat Christus Luc. 11. 5. parabola de amico petente commodari sibi tres panes: licet iam ostium clausum sit, tamen amicus eius e lecto surgit, et propter improbitatem, id est importunitatem, ut vertit Arabs, dat illi panes, quotquot habet necessarios. Tum addit v. 9. *Et ego dico vobis: Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: et qui quærit, invenit: et pulsanti aperietur.*

Quarta ratio continuandi orationem, petitur ab exemplo sanctorum. S. Epiph. lib. 3. adversus hæreses. S. Iacobi genua, inquit, obduruerant, δικην καμηλων, *instar camelorum*, quod sæpius ea curvaret coram Deo, ob pietatis et devotionis vehementiam. Vide dicta Psal. 5. ubi plura dixi de oratione.

12. Hominis fervor obtinet Dei misericordiam. Nota sexto, hominis clamor, id est fervor, et misericordia Dei se mutuo consequuntur. Unde dicitur: *Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die.* Ratio a priori est, quia Deus pater noster est, et infinitæ bonitatis: non potest audire clamantes filios, quin viscera miserationum commoveantur. Matth. 20. 30. Duo cæci prope Iericho clamabant: Domine miserere nostri, fili David: turba increpabat eos, ut tacerent: at illi magis clamabant, dicentes, Domine miserere nostri, fili David: ideo Iesus vocatos ad se sanavit: eorum unus erat Bartimæus, id est filius Timæi: duo illi cæci sunt Iudas et Israel: ait S. Ambr. Iudæi et Gentiles, ait S. Aug. intellectus et voluntas, ut enim ait S. Greg. *Cæcum est genus humanum;* itaque clamemus ad Iesum, ut nostri misereatur. Idem pene contigit duobus cæcis Matth. 9. 27. Chananæa erat gentilis, ex Chananæis orta, et habitans in Phœniciæ parte, quæ Syriæ est contermina: unde Marci 7. 26. vocatur Syrophœnissa: et tamen clamans, miserere mei fili David, et perseverans, impetrat sanitatem filiæ, quæ male a dæmonio vexabatur; id est, quæ malum habebat dæmonium, ut explicat interpres Arabs. In lege veteri cogebantur leprosi clamare se esse immundos, ne obvii eos tangentes legalem immunditiam contraherent. Levit. 13. 44. *Cum vero mundabantur oleo, quod est symbolum misericordiæ, tingebantur a sacerdote.* Levit. 14. v. 14. *Assumens sacerdos de sanguine hostiæ*, id est agni, *quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, et super pollices manus dextræ et pedis: et de olei sextario mittet in manum suam sinistram, tingetque digitum dextrum in eo, et asperget coram Domino septies: quod autem reliquum est olei in læva manu, fundit super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, et super pollices manus, ac pedis dextri, et super sanguinem qui effusus est pro delicto, et super caput eius.* Hæc ibi, quæ figurate ostendunt sanguine et misericordia Christi nos sanari a fœdissimis etiam peccatis. Tuo etiam opus est sanguine et mortificatione: ne timeas tamen: Christi enim te suavitas et oleum recreabunt.

Nota itaque septimo, oratio dat lætitiam: *Lætifica animam servi tui* (q. d. de corpore et bonis externis non curo) *quoniam ad te animam meam levavi*, Chald. quia animam meam levabo in oratione.

Ubi adverte primo, oratione mentem elevari. Ut enim eam definit S. Ioan. Damasc. lib. 3. de fide, cap. 24. *Oratio est ascensio mentis in Deum.* S. Aug. serm. 130. de tempore: *Quid est oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium;* lib. de spiritu et anima cap. 50. *Oratio est conversio mentis in Deum, per pium et humilem affectum.* Quæ descriptiones propriæ videntur orationis mentalis generatim dictæ, ut ait Suar. tom. 2. de religion. lib. 1. cap. 1. illum consule. Ieremias ait Thren. 3. 41. *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos.* Vide dicta Psal. 24. 1. ubi octo rationes attuli, cur anima sit levanda in cælum, et sex alas ostendi, quibus elevari possit. Philo eleganter lib. de mundi opificio hominem vocat, θνητης και αθανατου φυσεως μεθοριον, *mortalis et immortalis naturæ confinium.* Hinc enim corpus bestiis affine in terram illum trahit, hinc anima angelis similis in cælos elevat. Quæritur, an possit dari corpus æquale ad pondus in qualitatibus motivis: quod si fieret, locus eius esset in mundi medio, sicut ignis in summo, terræ in infimo. Homo corpus quidem habet atque animam, ut velut in æquilibrio consistat, sed, ut dicitur Sap. 9. 15. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Unum cogita non multa, et elevaberis: Deum unum ama, et ad eum in oratione frequenti, et ardenti evolabis. S. Aug. in Psal. nostr. *Non putrescit cor*, inquit, *si levetur ad Deum. Frumentum si haberes in inferioribus, ne putresceret, levares ad superiora. Frumento tuo quæris mutare locum, et cor permittis in terra putrescere. Et unde, inquis, possum. Qui funes, quæ machinæ, quæ scalæ opus sunt? Gradus affectus sunt: iter tuum, voluntas tua est. Amando ascendis, negligendo descendis. Stans in terra, in cælo es, si diligas Deum.* S. Paulinus epist. 1. ad Severum Sulpitium dicit. Tu inter mortuos liber, qui in possessione terrena terra iam non es, nec seminis, nec morticinorum contagione pollueris, nec habitas in dormientium proiectorum sepulcris: quia in cælo sepelisti vitam tuam quam in Christo abscondisti: hæc ille. Sancti sunt volucres cæli lætos

13. Oratio elevat mentem a terra.

cantus Deo resonantes. Daniel. 3. 8. *Benedicite omnes volucres cæli Domino, laudate et superexaltate eum in sæcula.* Hesych. lib. 1. in Levit. Volatilia, inquit, homines sunt contemplationi vacantes, terrenis omnino se non miscentes negotiis. Quod etsi forte necessitas exegerit, mox revolant ad sublimia : hæc Hesychius. Talis erat David noster, qui instar passeris et turturis ponebat sibi nidum in altaribus cælestibus, Psal. 83. 3. S. Macar. hom. 1. fol. 7. Sicut, inquit, volucrum pedes sunt alæ : ita lumen cæleste spiritus assumit alas cogitationum dignarum anima, dirigens et ducens prout novit ille spiritus : ita Ipse. Avibus holocausti caput retorquebatur ad collum, ne amplius terram spectarent. Levit. 1. 14. *Si de avibus holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus aut pullis columbarum offeret eam Sacerdos ad altare : et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere facit sanguinem super crepidine altaris; vesiculam vero gutturis, et plumas, proiiciet prope altare ad orientalem plagam in loco, in quo cineres effundi solent, confringetque ascellas eius, et non secabit, neque dividet eam, et adolebit super altare lignis igne supposito : holocaustum est, et oblatio suavissimi odoris Domino.* Caput avium retorquetur, ne terram sed cælum spectet; 2. rumpitur per mortificationem; 3. decurrere facit Sacerdos sanguinem super crepidinem altaris, totam vitam Deo offerens; 4. vesiculam gutturis proiicit, id est gulam; 5. et plumas, id est amorem vanitatis: idque ad orientalem plagam, ad lucem Dei quærendam : in loco in quo cineres effunduntur, id est cum mortis memoria; 6. ascellas seu alas frangit, ne levis per creaturas orans vagetur; 7. non dividit eam, quia nemo potest duobus dominis servire; 8. ignem supponit lignis, id est fervorem actionibus et cogitationibus, quæ ipsum fervorem nutriunt et augent. Sic erit oblatio suavissimi odoris. Quisque autem est Sacerdos in eo sacrificio suiipsius. S. Macarius orans, dicebat menti sui : βλεπε μη κατελθῃς εξ ουρανων; *Vide ne descendas de cælis. Habes ibi angelos, archangelos, omnes supernas potestates, Cherubim et Seraphim, Deum horum omnium effectorem. Illic versare, ne sub cælos descenderis, ne incideris in mundanas cogitationes.* Sic duos dies et duas noctes in rerum divinarum contemplatione perstitit, nulla alia admissa cogitatione, ut ait Palladius hist. Lausiacæ cap. 11. tom. 2. Biblioth. 62. pag. 929. Anima, si naturæ suæ relinquatur, nec degravetur curis terrenis, levissima est, ac sursum volat. Cassian. Coll. 9. Qualitas animæ, inquit, non inepte *subtilissimæ plumæ,* seu pennæ levissimæ comparatur, quæ si humoris cuiuspiam extrinsecus accidentis corruptione vitiata non fuerit, vel infusa, mobilitate substantiæ suæ, tenuissimi spiritus adiumento, velut naturaliter ad sublimia cælestiaque sustollitur. S. Thomas 1. p. q. 76. art. 1. docet, ab anima rationali excedi omnem materiam corporalem. Quanto, inquit, forma est nobilior, tanto magis dominatur materiæ corporali : et minus ei immergitur, et magis sua operatione vel virtute excedit eam. Unde videmus quod forma misti corporis habet aliam operationem, quæ non causatur ex qualitatibus elementaribus. Et quando magis proceditur in nobilitate formarum, tanto magis invenitur virtus formæ materiam elementarem excedere. Sicut anima vegetabilis, plusquam forma metalli : et anima sensibilis, plusquam anima vegetabilis : anima autem humana est ultima in nobilitate formarum. Unde in tantum sua virtute excedit materiam corporalem, quod habet aliquam operationem et virtutem, in qua nullo modo communicat materia corporalis. Ita S. Doctor, qui quæst. 75. art. 5. ait, carere animam compositione formæ et materiæ.

Quod si pondere terreno anima deprimatur, oratio est machina cælestis, qua elevetur. Pappus Alexandrinus lib. 8. Mathematicarum collectionum, pag. 305. docet mechanicam contemplationem plurimum vitæ nostræ conducere, et omnes Mathematicos in eius studium debere incumbere. Nam corpora quidem natura sua decedere cogens extra propria loca in contrarios motus transfert : hæc ille. Deinde concludit, Maxime omnium necessariæ artes sunt ad vitæ usus mechanicæ post architectonicam. Et ars Manganorum, qui et ipsi mechanici ab antiquis appellati sunt; magna enim pondera machinis adhibitis præter naturam in altitudinem tollunt. Minori potentia movens, Archimedes mediam partem navis, quam Hiero iussit confici, opera trecentorum hominum præter administros, spatio anni unius, in mare demisit solus, cum paucis instrumentis. Cum enim, ut ait Athenæus lib. 5. Dipnosoph. præparasset Helicem machinam, tam stupendum navigium in mare detrusit. David Rivaldus a Flurantia commentario in Archimedem putat, non fuisse multum diversam illam Archimedis machinam ab ea quam vulgus Cochleam seu Helicem infinitam vocat, cuius vires immensæ sunt : quo solvi potest illud Archimedis problema, τῃ δοθειςῃ δυναμει δοθεν βαρος κινησαι. Ea enim ratione infinita dicitur, quia virium possit quantarumcumque propositarum confici, nec sit constituendæ potentiæ ipsius ullus definitus numerus. Magno etiam in pretio fuit Archimedis Trispaton, de quo Tzetzes Chiliad. 2. cap. 35. Et Trispato machina manu læva solaque, septem millia modiorum pondus attrahebat. Oratio adhuc facilius gravia elevat, ut docuit S. Thomas sola oratione movens et ad mare deducens ingentem trabem, quæ nulla vi humana loco moveri potuerat. Ipsos montes loco oratio dimovet, ut S. Gregor. Neocæs. cognomento Thaumaturgus, edocuit. Longe vero magis, animam concitat in cælum.

Archimedis instrumenta efficacia.

14. Oratio a terra elevata dat lætitiam.

Secundo, anima sic a terris elevata gaudet, ac triumphat. Primo, quia videt se esse superiorem omnibus mundi miseriis. Isaiæ 56. 7. *Adducam eos in montem sanctum meum, et lætificabo eos in domo orationis meæ.* Secundo, lucem puriorem et maiorem haurit. Psal. 96. 11. *Lux orta est iusto, et rectis corde lætitia.* Tertio, Deo proximat. Ps. 76. 4. *Memor fui Dei, et delectatus sum.* S. Chrysost. hom. 18; ad populum, vocat Deum, fontem lætitiæ. Quarto denique, a Deo locupletatur donis variis ac virtutibus, quæ lætitiam augent. 1. Fides lætificat. Relatio Synodi Chalcedon. ad S. Leonem Papam, tom. 3. Concil. pag. 473. Repletum est, inquiunt patres, gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. Hanc tamquam propriam nobis prophetiam gratia dedit, a quibus est pietatis restitutio confirmata; τι γαρ πιςεως προς ευφροσυνην ανωτερον; *quid fide est ad veram lætitiam præstantius? quid ad exultationem divina cognitione promptius et alacrius?* 2. Spes lætificat. Rom. 12. v. 12. *spe gaudentes;* et cap. 15. 13. *Deus autem spei, repleat vos omni gaudio.* 3. Charitas lætificat. Est cella vinaria Sponsi, de qua Cant. 2. 4. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* S. Bern. Serm. 49. cellam vinariam ait, esse domum contemplationis. *Si quis,* inquit, *orando obtineat mente excedere in id divini arcani, unde mox redeat divino amore vehementissime flagrans, et æstuans iustitiæ zelo : nec non et in cunctis spiritualibus studiis atque officiis per nimium fervens, ita ut possit dicere: Concaluit cor meum intra me, et in meditationibus meis exardescit ignis : is plane cum ex charitatis abundantia, beatum et salutarem vini lætitiæ ructare crapulam cœperit, in cellam non immerito perhibebitur vinariam introisse. Cum enim duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus, et alter in affectu : unus in lumine, alter in fervore : unus in agnitione, alter in devotione : pius sane affectus, et pectus amore calens, et sanctæ devotionis infusio, etiam et vehementis spiritus repletus zelo, non plane aliunde, quam e cella vinaria reportantur : et cuicumque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate loqui, quia introduxit me rex in cellam vinariam :* Ita Bernardus. S. Antioch. hom. 105. clare dicit : Oratio est χαρας και ευχαριςιας προβλημα, gaudii et gratiarum actionis tutelare propugnaculum : tristitiæ vero et pusillanimitatis amuletum præsentissimum. Vide plura de lætitia spirituali Psal. 99. 2.

ARTICULUS III.

Orans, speret se a Deo exaudiendum, ob Dei bonitatem et misericordiam.

Post rationes petitas a sua inopia, sanctitate, spe, fer-
15. vore, et elevatione a terrenis, alias rationes desumit
Vers. 4. Christus ab ipso Deo, v. 4. QUONIAM TU DOMINE SUAVIS (Hebr. טוב *tob*, id est bonus, Græce, χρηστὸς, utilis, commodus) ET MITIS (Aquila et Theodotio, ἱλαστὴς, propitiabilis, ut etiam vertit S. Hieronym.) ET MULTÆ MISERICORDIÆ OMNIBUS INVOCANTIBUS TE.

Vers. 5. Vers. 5. AURIBUS PERCIPE DOMINE ORATIONEM MEAM, ET INTENDE VOCI DEPRECATIONIS MEÆ.

Vers. 6. Vers. 6. IN DIE TRIBULATIONIS MEÆ CLAMAVI AD TE: QUIA EXAUDISTI ME.

Nota, Bellarm. censet τὸ *quoniam* referri ad superiora. Hæc est, inquit, ratio cur animam suam ad Deum levaverit, pro consolatione recipienda: quia Deus suavis est, et dulcis. Sed commodius τὸ *quoniam*, refertur ad sequentia, q. d. *Quoniam suavis es*, etc. *auribus percipe meam orationem.* Hic enim varia motiva proponit, cur exaudiri debeat.

16. Christus est suavis, mitis et misericors. Nota secundo, suavis est Deus, quia in eo amaritudo non est ulla: mitis, quia ad se accedentes non repellit, et imperfectum nostrum tolerat: multæ misericordiæ, quia facile admittit, et recipit; et se gustandum præbet omnibus invocantibus se: non accipiens personas divitum, aut pauperum: Iudæorum, aut Gentilium. *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*, Rom. 10. hæc Bellarminus. Secundo, Aiguanus in eo ponit suavitatem Dei, quod omnibus ad se revertentibus dulcedinem suæ misericordiæ præstat: Mititatem, quia peccata non punit ad condignum, nec etiam impunita dimittit. Beda misericordiam Dei in eo ponit, quod non solum remittit peccata, sed etiam remunerat in nobis sua dona. Adde, quod nulla gravitate et multitudine scelerum deterretur a danda venia, si bene invocetur.

I. Suavis. Primo, de suavitate Dei dictum est Psal. 33. 8. in illud: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* S. Petrus 1. Epist. 2. v. 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Si tamen gustastis, quam dulcis est Dominus.* Clem. Alex. lib. 1. pædag. cap. 6. p. 102. Christum lacteum et mammeum nobis proponit: *Verbum*, inquit, *est omnia infanti, et pater, et mater, et pædagogus, et altor. Comedite, inquit Ioan. 6. meam carnem, et bibite meum sanguinem. Hæc apposita et convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, et carnem præbet, et effundit sanguinem, et ad incrementum nihil deest infantulis.* In mundo est parum lactis, sed olidum et hircinum. Rem admirabilem refert S. Xaverius lib. 2. epist. 3. nempe vidisse se in Amboino insula hircum unum, qui capros duos parvulos lacte suo aleret; mammam enim habebat sub genitalibus, ex qua præter cibum duorum illorum caprorum, lactis scutellam extrahebant. Lusitanus, qui hircum illum habebat, eum in Europam volebat adducere, sed de eo nihil est auditum. Ipsæ mundi dulcedines, male olent et molestæ sunt: ipsæ vero amaritudines pro Deo susceptæ et a Deo immissæ suaves sunt. Computrescit eius iugum a facie olei. Isaiæ 10. 27. Leo Papa X. cum illud Maronianum ab ipsa iuventute imbibisset. Superanda omnis fortuna ferendo est: nullum opus aut publicum aut privatum fieri curavit, quin iugorum insignia apposuerit, cum hoc lemmate: *Suave.* S. Maxim. Taurin. homil. 1. in natali S. Cypr. Episc. et mart. passionem martyrum comparat vindemiis: et dicit vinum salutare martyrii, cordi lætitiam præstare, calorem fidei, animæ puritatem. Sap. 12. 1. dicitur: *O quam bonus et suavis est Domine spiritus tuus in omnibus:* Nihil excipit. Gratia Dei, etiam ex amaris floribus mel suavissimum conficit. S. Macar. hom. 16. p. 106. *Sicut*, inquit, *apis secreto favum conficit in alulo: sic et gratia dilectionem suam secreto in cordibus exercet:* καὶ μεταβάλλει ἀπὸ πικρότητος εἰς γλυκύτητα: *et quod amarum est, mutat in dulce: quod autem asperum, in planum*: ita ille. Ex ore Nestoris suavior melle fluebat oratio. S. Paulinus idem dicit de Severo Sulpitio, epist. 5. ad ipsum: In Domino, inquit, Iesu Christo sentio, et in te potissimum munere et verbo Dei lætus experior, quia amico fideli nulla est comparatio, et lingua gratiæ in bono opere abundat. Nam quasi medicamentum vitæ nobis consolatio charitatis tuæ; *ut favi mellis sermones tui;* ut aqua frigida sitientibus: ita nuntius de te bonus a terra longinqua: ita Paulinus de Severo; nos de Deo quid sentiemus? De Christo dicitur Psal. 44. 3. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Vide illum locum. Dilatandum est cor tuum, ut infinitæ suavitati in te exundanti locum capacem efficias. Apes capacissimam figuram eligunt ad mel suum recondendum, nempe hexagonam. Pappus Alexandr. lib. 5. Mathematicarum collectionum. pag. 73. Apes, ait, persuasissimum habentes, ut par est, a diis se ad elegantes homines ambrosiæ particulam quamdam deportare, hanc non temere in terram, vel in lignum, vel in aliam informem et inordinatam materiam effundunt, sed ex suavissimis floribus, qui in terra nascuntur, colligentes, optima fingunt ex iis in mellis receptaculum vasa, quæ Græce κηρία, Latine favi appellantur: omnia quidem æqualia, similia, sibi cohærentia: *specie autem hexagona:* ita Pappus, qui hanc apum providentiam vocat admirabilem: quia, ut discurrit, cum tres figuræ sint, quæ per seipsas locum circa idem punctum consistentem replere possunt, triangulum scilicet, quadratum, et hexagonum: apes illam, quæ ex pluribus angulis constat, ad structuram sapienter delegerunt, utpote suspicantes eam plus mellis capere, quam utramque reliquarum; hæc ille. Deus abundat donis suavissimis, vas capax postulat. Psal. 89. 11. dicit tibi: *Dilata os tuum, et implebo illud.* Hoc fecerat David, et fructum senserat, cum cantabat Psal. 118. 131. *Os meum aperui, et attraxi spiritum.* Apum favi sunt figura capacissima.

Deus est fons et fluvius dulcedinis, salsas huius mundani maris aquas dulces reddens. Zaires Africæ fluvius ex ipsis Nili fontibus procedit: et tanta aquarum vi, præsertim hyeme, in oceanum proruit, ut ferant in octoginta passuum millia ab eo vinci mare, quod ex dulci haustu, prænavigantes sentiunt. Iacobus Canus Lusitanus cum ad illum fluvium navigando pervenisset, ultra Alphonsi metas, columnam unam, in qua Lusitaniæ regis nomen esset, nomen ducis Cani, et temporis nota, ac præterea signum Crucis, in fluminis ostio collocavit. Tu nomen Dei, nomen Iesu, et eius crucem in corde tuo inscribe, inde tibi omnis suavitas defluet.

Secundo, Deus mitis est ac misericors. Christus ait suis 17.
Apostolis, Matth. 11. 28. *Discite a me, quia mitis sum.* II.
Deus est mitis et misericors. Hoc sancti omnes discere et opere explere conati sunt. Vult Deus tabernaculum suum, id est cor sanctorum, atque omnia eius vasa inungi. Exod. 40. 9. dicit Mosi: *Assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur: altare holocausti, et omnia vasa eius: labium cum basi sua, omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum*, id est sanctissima. Cum ad Ecclesias sacro oleo inunctas accedimus, recurrat memoria nos ad misericordem parentem properare. S. Antioch. homil. 115. ait, mansuetudinem obsequenti famulatu gratiam emereri divinam. Ratio est, quia est indicium et effectus charitatis. 1. Cor. 13. 4. *Charitas benigna est.* S. Paulin. epist. 5. ad Severum: *Charitas*, inquit, *est inflari nescia, expers doli, pura livoris, æmula Deo, non elatione spiritus, sed spiritu mansuetudinis, et æmulatione pietatis:* ita ipse. Contra vero, qui mansuetus non est, ostendit se non amare Deum. Concil. Aquisgran. 1. cap. 35. tom. 6. concilior. pag. 257. Ideo, inquit, sine mensura ulciscitur culpas præpositus iracundus, quia cor eius dispersum in rerum curis, *non colligitur in amorem unius Deitatis.* Mens enim soluta in diversis, catena charitatis non adstringitur: sed male laxata, male ad omnem occasionem movetur: hæc ibi. Æneas Sylvius hist. Bohem. cap. 46. pag. 87. Ferunt, ait, Zischam hæreticorum in Bohemia ducem fortissimum, interrogatum quo in loco sepeliri vellet, iussisse cadaveri suo pellem detrahi, carnes volucribus ac feris obiectari, ex pelle tympanum fieri, eoque duce bella geri:

arrepturum fugam hostes, quam primum eius tympani sonitum audierint. Crudelitatem adhuc spirabat moriens et barbariem. Contra vero, sancti ita mites sunt, ut sæpe in mansuetudine excedere videantur. S. Gregor. Naz. orat. 32. pag. 523. Lassus sum, ait, dum mihi toties mansuetudo crimini vertitur. Lassus sum, dum pugno cum sermone et invidia, cum hostibus, et cum nostris. Ipsi principes pagani mansuetudinem coluerunt ac benignitatem.

Echebaris benignitas. Echebar rex Mogoris tanta morum fuit facilitate, ut bis diebus singulis in publicum prodiret, ut obviis quibusque ius daret, atque postulata benignis auribus acciperet. Quam in rem thronos duos erigi duabus in areis sui palatii curaverat. In primam omnibus patebat aditus, in secundam nobilitati tantum, ac ducibus et legatis. In eo autem errabat, quod pro Deo coli se, aut prophetæ instar magni haberi vellet; nitebaturque populo persuadere, miracula se patrare, morbosque sanare aqua, in qua pedes abluerat. Svetonius ait, Titum Imp. tanta fuisse humanitate, ut a sontium ipsorum supplicio abhorruerit: eaque de causa Pontifex Maximus creari voluerit, ut se a sanguine temperaret. Vespasianus eius pater, qui se regem illum magnum ex Iudæa venturum credi volebat, cum audivisset regem illum fore principem pacis, templum pacis Romæ extruxit, et paci æternæ dicavit, ut ait Baronius tom. 1. Annal. ann. 77. num. 3.

18. Auribus Dei oratio nostra infigitur. Nota tertio, pro *auribus percipe*, S. August. legit, *auribus infige*, ubi notat magnum orantis affectum. *Magnus*, inquit, *orantis affectus: Auribus infige Domine orationem meam: id est, non exeat de auribus tuis oratio mea, fige illam ibi in auribus tuis. Respondeat Deus, et dicat nobis: Vis figam orationem tuam in auribus meis? fige in corde tuo legem meam.* Hinc Aiguanus ait: Auribus percipere nihil aliud esse, quam in corde aliquid capere profunde. Plin. lib. 11. cap. 45. Est, inquit, in aurea ima, memoriæ locus, quem tangentes attestamur. De hoc disputent physici.

19. Oratio sit importuna. Nota quarto, S. Bonaventura inter orationis conditiones ponit, ut sit importuna. Hoc notare possumus in Psalmo nostro. Cum enim dixisset Christus: *Inclina aurem: Exaudi: Custodi: Salvum fac: Miserere: Lætifica:* nunc addit: *Auribus percipe.* S. Anastasius quæst. 77. ad Antiochum principem, si tamen illius, et non potius alterius sunt illæ quæstiones, dicit: Tunc maxime sciri, an Deus post grave admissum peccatum condonarit, si sentimus rediisse παρρησιαν, id est loquendi cum ipso libertatem. S. Ioan. Climacus hunc orationis constantis ardorem comparat equo currenti in stadio. Equus, ait, generosus quo magis progreditur, hoc magis incalescere et currere solet: cursum autem intelligo, divinas precum laudes; equum interpretor, generosum animum: qui eminus etiam et remotior odoratur bellum, et inde animatus et præparatus, invictus et insuperabilis persistit. Durum est autem ex ore sitientis aquam rapere: sed durius animæ cum compunctione orantis ante orationis finem, optatissimum et desideratissimum eius cum Deo congressum et colloquium abrumpere: hactenus Climacus.

20. Deus exaudit in die tribulationis. Nota quinto, Deus exaudit præsertim in die tribulationis. Psal. 80. 8. *Exaudivi te in abscondito tempestatis.* In psalmo nostro tribulatio sumi potest proprie; 2. pro tota vita. S. August. hic: *Tota die clamavi, tota die tribulatus sum. Nullus ergo Christianus dicat esse diem, in quo non sit tribulatus. Et quando bene est, utique tribulatio est. Unde tribulatio? Quia quamdiu in corpore sumus, peregrinamur a Domino. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam. Si dulcis est patria, amara est peregrinatio. Si amara est peregrinatio, tota die tribulatio:* hæc Augustinus. Comparari possunt divites iumentis, quæ ipso auro, quod portant, et quo ornantur, onerantur. Isaiæ 30. 6. de Iudæis dicitur: *Onus iumentorum Austri in terra tribulationis et angustiæ. Leæna et leo ex eis, vipera, et regulus volans, portantes super humeros iumentorum divitias suas, et super gibbum camelorum thesauros suos ad populum, qui eis prodesse non poterit.*

Mundus est mare. Mundus hic est mare procellis et naufragiis continuis in-

A fame. S. Aug. ser. 13. *Attendite sæculum*, inquit, *quasi mare, ventus validus, et magna tempestas. Unicuique sua cupiditas, tempestas est. Amas Deum, ambulas super mare: sub pedibus tuis est tumor sæculi. Amas sæculum, absorbebit te. Amatores suos vorare novit non portare:* hæc ipse. Pisces sumus in illo mari aquis undique circumdati. Simus pisces vocales quales feruntur esse pisces Clitorii fluvii: imitemur Ionam in medio mari orantem, Ion. 2. 2. *Oravit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, et dixit: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me: de ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam.* Si placet, sumus instar navis in medio mari, oratione et mortificatione exhauriendæ sunt aquæ subintrantes, velut cochlio Archimedis, de quo Athenæus lib. 5. Dipnosoph. Sentina, inquit, magni illius navigii Hieronis, quod anno integro a trecentis hominibus præter administros factum fuerat, ab uno homine exhauriebatur cochlio, quod Archimedis inventum fuit. Eo postea usi sunt Ægyptii, et post eos Iberi, et Hispani, teste Diodoro Siculo. Neque exhaurit modo navem oratio ac virtus, sed etiam illam erigit in tribulatione. Genes. 7. 18. *Arca ferebatur super aquas;* quod considerans S. Basil. Seleuciæ Episcop. oration. 5. pag. 29. ait: Arca ferebatur super aquas, velut curriculo undis invecta, non proscindens fluctuum profunda, sed equitans in salo, velut in solo, vice basis erat pelagus, et arcæ substernebatur inundatio, quasi via publica. Hoc fidei vehiculum, hæc naturæ custodia. O arca paradiso firmior. Hæc Basilius, qui misere submersorum naufragium fuse describit: prius dixerat, Noemum esse in arca, καθαπερ εν ακροπολει, velut in arce. Iustorum enim anima et Ecclesia ipsa tribulationibus ad alta subvehitur. Stephanus Papa ad omnes orbis Episcopos, pag. 998. tom. 7. Concil. part. 1. Catholica, inquit, Christi Dei nostri Ecclesia ædificata supra firmam petram, quæ est Apostoli Petri confessio, etsi quamplurimis tempestatum fluctibus, et turbinum procellis agitetur, tamen solidatur magis et crescit. Nec mirum videri debet, si malignus Ecclesiæ membra tentamentis aggrediatur: quando idem, caput Ecclesiæ Dominum nostrum Iesum Christum tentare non dubitavit: hæc ille Pontifex. Itaque noli nimis anxie prosperitatem optare. Cidambarani fabulantur, quemdam multis annis pœnitentiam egisse, pede uno trabali clavo defixo: neque ab ea pœnitentia desistere voluisse, licet hoc imperaret Deus, *donec Deum ipsum circa se saltantem vidisset*, ut ait Petr. Iarrius lib. 2. cap. 19. fol. 531. tom. 1. histor. Indicæ. Nonnulli sunt, qui luctu et querelis non desistant, donec ludis et saltationibus indulgere possint. R. Ionathan vere dixit: Qui legem in angustia servat, multo magis eam observaturus est, ubi divitiis affluet: et qui tempore, quo ei prospere omnia succedunt, eius observantiam dimittit, etiam in tempore penuriæ obliviscetur eius: hæc ille. Deus iuvat et extollit afflictos. Eliphaz Iob 5. 11. ait de eo: *Qui ponit humiles in sublime, et mœrentes erigit sospitate.* Fabula ridicula.

Corpus ipsum hominis ac domus, similitudinem referunt Zairis fluvii in Africa, in quo multi sunt hippopotami, et enormis magnitudinis crocodili. Hippopotami autem illi, seu equi fluviatiles, adeo feri esse dicuntur, et robusti, ut pedum ictibus cymbas evertant, aut dentibus arreptas demergant: cum vero in terram desilierint, tunc hominum et animalium late stragem edant, quocumque se intulerint. Ab his autem in Congi regno insula una dicta est, equorum insula. Passiones intus hominem discerpunt. Plutarch. in libello, animine an corporis affectiones sint peiores, pag. 500. ait: Multos hominis corpus morbos et passiones profert a seipso, et occurrentia multa recipit allunde. Si intus teipsum aperias, varium aliquod ac multis affectum modis, κακων ταμειον, *penu malorum* reperies: atque, ut ait Democritus, thesaurum: non extrinsecus affluentium, sed insitos et indigenas fontes habentium, quos pravitas aperit copiose largiterque varias fundens affectiones: ita Plutarchus. Si Deum ores, te liberabit. Eliphaz ait Iob 5. 19. *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* Hoc est, in omnibus te iuvabit. Hippopotami efferati.

ARTICULUS IV.

Omnes orbis nationes a Christo adducentur ad Patrem æternum, ut eum adorent.

POST argumenta a se petita, et a Deo ipso, nunc samit a fructu suæ passionis, per quam Dei gloria per totum

Vers. 7. orbem amplificabitur, vers. 7. NON EST SIMILIS TUI IN DIIS DOMINE, ET NON EST SECUNDUM OPERA TUA.

Vers. 8. Vers. 8. OMNES GENTES QUASCUMQUE FECISTI, VENIENT, ET ADORABUNT CORAM TE DOMINE, ET GLORIFICABUNT NOMEN TUUM.

21. *Nullus est Deo similis in ullo attributo.* Nota, nihil est Deo æquale in potentia, et cæteris attributis. Isaiæ 45. 7. *Ego Dominus, et non est alter: formans lucem, et creans tenebras: faciens pacem, et creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.* S. August. id eleganter ac vere dicit in Psal. nostr. *Terram*, ait, *cogitas, non est hoc Deus: mare cogitas, non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in terra homines et iumenta, non est hoc Deus. Omnia quæ sunt in mari, quæ volant per aerem,* B *non est hoc Deus. Quidquid lucet in cælo, stellæ, sol, et luna, non est hoc Deus. Ipsum cælum, non est hoc Deus. Angelos cogita, virtutes, potestates, archangelos, thronos, sedes, dominationes, non est hoc Deus. Et quid est hoc? Solum potui dicere, quod non sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit?* Hæc excellentia Dei super omnia refertur Exod. 15. 11. Psal. 88. 7. Psal. 96. 9. et 2. Paralip. 6. 14. Ægyptii præ cæteris diis colebant Osirim et Isidem; illum omnia condere et figuris numerisque materiam adornare arbitrati: hanc vere, immensis perennis vitæ rivulis fabricam illius irrigare et saginare, ut ait Damascenus in vita Isidori philosophi. S. Thom. 1. p. q. 25. art. 2. probat, Dei potentiam esse infinitam, quia eius essentia est infinita. In omnibus, ait, agentibus hoc invenitur, quod quanto aliquod agens perfectius habet formam, qua agit, tanto est maior eius potentia in agendo. Sicut quanto est aliquid magis calidum, tanto habet maiorem potentiam ad C calefaciendum. Et haberet utique potentiam infinitam ad calefaciendum, si calor eius esset infinitus. Unde cum ipsa essentia divina, per quam Deus agit, sit infinita, sequitur quod eius potentia sit infinita: ita S. Thomas.

22. *Ecclesia Christi est Catholica.* Nota secundo, Ecclesia Christi est Catholica: *Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine.* Hoc variis locis prædicitur. Psal. 2. 8. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Vide ibi dicta, et Ps. 21. 28. *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum, universi fines terræ: et adorabunt in conspectu eius universæ familiæ gentium.* Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. Isaiæ 60. v. 3. dicitur de Ierusalem, id est Ecclesia: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui, etc.* fuse. Ierem. 31. describitur multiplicatio Ecclesiæ per varias terrenas metaphoras; v. 8. dicitur: *Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, et congregabo eos ab extremis terræ.* Sophon. 2. 11. *Adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ Gentium.* Hebræi omnes D terras trans mare sitas, ut Galliam, Hispaniam, et alias regiones, vocant insulas: quia ad illas navigandum erat, sicut ad insulas. Zachar. 2. 11: dicitur Ierusalem, seu Ecclesiæ: *Applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa: et erunt mihi in populum, et habitabo in medio tui.*

S. Aug. in Psalm. nostr. perstringit Donatistas hæreticos in Africa: *Christo*, ait, *tales maledicunt, qui dicunt, quia periit Ecclesia de toto orbe terrarum, et remansit in sola Africa. Si diceres illi, perdes villam tuam, forte non a te temperaret manum: et dicis, Christum perdidisse hæreditatem suam, redemptam sanguine suo?* *Turcarum figmentum de creatione hominis.* Turcæ fabulantur, Deum creasse mundum ex pulvere omnium colorum, et Adamum ex limo omnis generis terrarum. Nam si fuisset, inquiunt, unius eiusdemque coloris, omnes res invicem similes extitissent, nec homo unus ab altero secerni potuisset, ut tradit Wilhelmus Godelevæus lib. 2. de

A Turcarum moribus et gestis. Omnes populos in se virtute contiaet Christus novus Adam, et omni virtute condecorat. Ab extremis terræ populis venisse multos ad Christi Ecclesiam probat Iapones et Cataiæ regnum. Protasius rex Arimæ in Iaponia insula, pene ultima orientis, scribens Sixto V. Pontifici hunc titulum epistolæ præfixit: *Magno et sanctissimo Papæ Sixto quinto, qui in terra regis cæli locum tenet, Don Protasius rex Arimæ magna cum reverentia has offert.* Hanc epistolam reperies apud nostrum Ioan. Hayium, inter epistolas de rebus Iaponicis. Ind. Peruan. quas in unum compegit. Mercator Mahumetanus, qui tredecim totos annos in Cataiæ regno vixerat, dicebat urbes ibi esse ad mille quingentas, et nonnullas populosas. Omnes autem pene incolas esse Isauitas, aut Iesauitas, id est Christianos. Sic enim a Iesu vocant Iesauitas: ita Petr. du Iarric. lib. 4. hist. Ind. cap. 16. pag. 495. *In Cataia Christiani dicuntur Iesauitæ.* Non explicat autem ubi situm sit illud Cataiæ regnum: probabile est intelligi regnum Præsteiannis, quod in extremo est Asiæ angulo: unde multos Christianos arbitror venisse ad exercitum Tamerlanis, cum Abbas du Bec in eius vita dicat: tertiam militum eius partem fuisse mysteriis nostris imbutam. Nullam gentem a cælo excludit Deus: sive sub septemtrionali polo homines albi sint, sive in zona torrida nigri; omnes possunt rubricari et dealbari in sanguine agni. S. Benedictus nullum colorem determinatum suis Religiosis præscripsit: ipse quidem, et omnes discipuli eius per annos quadringentos nigro colore usi sunt, pœnitentiæ symbolo. *Color varius in Ordine S. Benedicti.* S. Odo primus reformator Ordinis, et congregationis Cluniacensis fundator eumdem colorem nigrum retinuit. S. Romualdus colorem album a Deo admonitus præscripsit suis Camaldulensibus, visa illa mirabili scala, ad cælos pertingente. Olivetani in Italia idem præscripserunt. S. Stephanus Arvernas pater congregationis Gramontensis, et S. Cælestinus Papa suis Cælestinis, album et cæruleum colorem dederunt. Congregatio Cisterciensis, quæ vulgo S. Bernardi nuncupatur, nigrum albo admiscet. In Germania tamen color cinericius ita illis erat in usu, ut Paulus Langius eos nominet griseos monachos. S. Ioannes Gualbertus suis alumnis subcinereum colorem obscurum, ad cæruleum declinantem dedit. Ecclesia regina est, in vestitu deaurato, circumdata varietate: qua de re vide Psalm. 44. 10.

Adoratur Christus, et quomodo? Nota, ad Ecclesiam venientes Christum adorant, et glorificant: *Et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.* 23. De primo dicitur Isaiæ 45. 24. *Mihi curvabitur omne genu, et iurabit omnis lingua.* In regno Mogoris pedes regi osculantur, qui eum salutaturi veniunt. Hoc iure meliori fit Romano Pontifici vices Christi tenenti. Christum vix natum adoraverunt reges, Matth. 2. 11. Adoratio Dei, est actus latriæ, ut docet S. Thom. 2. 2. qu. 84. art. 1. Adoratio latriæ fit ratione principii, creationis, gubernationis, ut idem S. Doctor ait ibid. q. 81. art. 1. ad 3. Tota Trinitas adoranda est, una tantum latria, ibid. q. 81. art. 3. ad 1. Deitas et humanitas Christi, sunt adorandæ una adoratione latriæ, 3. p. q. 25. art. 1. In Christo autem multa considerari possunt. Primo, persona Christi adorari debet latria ratione deitatis, 3. p. q. 25. art. 2. Secundo, adoratio humanitatis Christi potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut sit eius sicut rei adoratæ, et sic adorare carnem Christi, nihil est aliud, quam adorare Verbum Dei incarnatum: sicut adorare vestem regis, nihil est aliud quam adorare regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi, est adoratio latriæ. Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quæ fit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum, et sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriæ, sed adoratio duliæ. Ita scilicet quod una eademque persona Christi adoretur adoratione latriæ, propter suam divinitatem: et adoratione duliæ, propter perfectionem humanitatis. Tertio, cum Christus latriæ adoratione sit adorandus, imago quoque eius eadem adoratione est adoranda. Quarto, crux etiam Christi, in qua Christus crucifixus est, tum propter repræsentationem, tum propter

membrorum Christi contactum, latria adoranda est: eruis vero effigies in alia quavis materia, priori tantum ratione, latria est adoranda, ut docet idem S. Doctor. Vide Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 51. et seqq. Illustre est ac iucundum, piumque, quod refertur de regibus Sionis et Sanguin. Hi enim ad fidem conversi crucem erigi iusserunt, eam nobiles propriis manibus ex pretiosissimo ligno fabricare exoptarunt: reges autem illi duo propriis humeris, eum maximis principibus ac nobilibus tulerunt, humique fixam summa veneratione positis humi genibus adorarunt. Cum locus ille ad templi ædificationem destinatus esset, regni Sanguin. regina misit ad Societatis Iesu patrem, qui eam nascentem Ecclesiam regebat, sibi ut permitteret eum principibus atque nobilibus fœminis illam aream expurgare, herbasque evellere, quod obtinuit, ut ait du Iarric. Hæc cogitans subvereor, ne sint novissimi primi, et primi novissimi: et ne fides ab Europa in extremas illas terras recedat. Adoratio porro est actus honorandi alterum, se illi tamquam superiori, et excellentiori submittendo: si circa Deum versetur, est actus religionis. Differt actus adorationis ab actu humilitatis; nam humilitas moderatur affectum honoris, et sub hac ratione interdum exercet exteriores actus submissionis, et alios similes: adoratio vero proprie reddit alteri honorem illi debitum ratione suæ dignitatis vel excellentiæ: sicut pecuniæ largitio, si fiat solum propter moderandum affectum pecuniarum, est actus liberalitatis: si propter solvendum debitum, est actus iustitiæ; ita Suar. disp. 51. mox citata sect. 1.

(Crucem reges Sionis et Sanguin. ferunt humeris.)

24. De secundo, nempe de glorificatione Christi, additur: *Et glorificabunt nomen tuum*, id est te, aut nomen Iesu. Ubi adverte, quod laus est quædam species honoris, ut Aristot. dixit lib. 1. Rhet. cap. 5. quamquam enim idem Arist. 1. Ethic. cap. 12. et D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. ad 3. dicant: *Honorari ea, quæ per se bona sunt: laudari vero, quæ ad aliud sunt utilia:* non est tamen intelligendum, laudem solum circa utilia versari, sed ad illa extendi: alioqui enim certum est etiam ea, quæ per se maxime bona sunt, maxime posse laudibus extolli: sic enim et Sanctos, et Deum ipsum laudamus. Hæc ergo laus honor quidem est, et si cum debita submissione et recognitione fiat, rationem adorationis habet. Gloria vero idem fere est, quod honorifica laus, addit enim effectum quemdam quem laus efficit in aliis, scilicet bonam existimationem de re laudata. *Est enim gloria, clara cum laude notitia*, ut S. August. eam definit, lib. 83. quæst. 931. Unde glorificare aliquem nihil aliud est, quam eum ita laudare, ut apud alios bona eius existimatio inde oriatur, ut ait Suarez. Malach. 1. 11. dicitur: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Echebar rex Mogoris adorationi solis sollicite vacabat: adeo ut diebus singulis quater illi orationem funderet: mane scilicet, eum primum oriri cœperat, ipso in meridie, cum occumberet, ac media nocte: *In vices singulas pronunciabat mille et quadraginta nomina in eius laudem:* eaque numerabat globulis quibusdam ad modum rosariorum sibi innexis: ex gemmis autem pretiosis globuli constabant, ut ait Petr. du Iarric, lib. 4. cap. 15. pag. 477. In monasterio Beneor habitabant tria millia monachorum. Illi in septem turmas divisi eum septem Superioribus suis, quorum quilibet præerat quadringentis monachis, Dei laudes perpetuo cantabant, ut asserit Andreas de Yepes. In monasterio S. Medardi Suessione, quod rex Clotarius condidit, ut in eo sepeliretur, et in monasterio S. Marcelli Cabilone, quod rex Guntrannus extrui curavit, in eoque sepeliri voluit, et in quo postea regum sepulcra fuerunt, *laus perennis* extitit, religiosis aliquibus semper in choro Deum glorificantibus. De monasterio quoque S. Mauritii ait S. Eucherius Lugd. Episc. qui floruit circa ann. Christi 440. Pro eo ipso, *die noctuque Psalmorum et hymnorum decantatio non desistit,* quod iubente sancto et præclaro Christi martyre B. Sigismundo rege institutum, hinc usque hodie Deo protegente est conservatum.

(Gloria quid sit.) (Echebaris pietas mira.) (Monasterium Beneor numerosissimum.) (Laus perennis.)

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

25. *Tria Christus postulat. Primo, deduci in via, vers. 10. Secundo, iuvari in morte, vers. 15. Tertio, glorificari post mortem, vers. 16.*

PARAPHRASIS.

9. *Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.*

9. Quandoquidem maiestate et bonitate es maximus: tibique in patrandis miraculis places: et quandoquidem tu Deus es unicus, a quo omnia mea sperare debeam.

10. *Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.*

10. Ideo iter salutis initurus ad te unum accurro, ut me securam et regiam in viam tuam paterna manu deducas: atque a te suffultum ambulare facias, non deflectentem in errorum avia. Omnem a me terrenam anxietatem, et tristitiam amove, ut te unum revereri condiscam, cælesti lætitia perfusus.

11. *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in æternum.*

11. In via illa cælesti magnis passibus ad te contendens beneficia accepta prædicabo, ex intimo totoque mentis affectu: et nomen tuum laudibus celebrabo per totam æternitatem, Domine Deus meus.

12. *Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

12. Misericordia enim tua maxima emicuit, quod ex alto solio tuo me respexeris, et in rectam semitam adduxeris: frustraque nitentem ex præcipitiis potenti manu extraxeris.

13. *Deus iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu tuo.*

13. Ne tamen unquam auxilium tuum subtrahas: latentes enim in insidiis hostes stricto gladio in me assurgentes adverto: et undequaque circumstantes euneos, qui, cum te in oculis et mente non habeant, per fas et nefas ruinam meam machinantur.

14. *Et tu Domine Deus miserator et misericors: patiens, et multæ misericordiæ, et verax.*

14. Tu vero Domine, qui erga miseros manifestas misericordiæ tuæ præstantiam; qui hactenus peccatores, pro quibus pœnam exsolvo, ad pœnitentiam expectasti, multaque pietate cicatrices scelerum obduxisti, et veracem te in promissis probasti.

15. *Respice in me, et miserere mei, da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillæ tuæ.*

15. Tu, inquam, cinctum me tot hostibus, benignis oculis intuere, et tantam calamitatem miserare: mihi filio tuo amantissimo promissum in omnes gentes imperium largire, et me servum tuum e periculis omnibus eripe.

*

16. *Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur: quoniam tu Domine adiuvisti me, et consolatus es me.*

16. Resurrectionis, eximium beneficium, et amoris favorisque erga me tui signum illis inimicis meis ostende, sicut es pollicitus: ut me filium tuum intelligant, et confusi a sceleribus recedant, qui prius odio in me flagrabant: sciantque te adiutorem meum esse et consolatorem.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta cura Christum et Sanctos suos tuetur et honorat Deus.

26. Ordo Sectionis. PRIMA sectione petiit Christus oratione suam exaudiri, nec satis aperte declaravit, quænam illa esset; nunc illam apertius proponit.

Primo, postulat deduci a Deo tota vita sua, cum Deus id facere facile possit, v. 9. *Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.* Vers. 10. *Deduc me Domine in via tua.* Secundo, petit illuminari: *Et ingrediar in veritate tua.* Tertio, lætificari: *Lætetur cor meum.* Quarto, in veneratione et cultu Dei conservari: *Ut timeat nomen tuum.*

Pollicetur gratum se fore, ob acceptum illud beneficium. Primo, corde, gratiam habendo et agendo, v. 11. *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo.* Secundo, ore, gloriam eius celebrando: *Et glorificabo nomen tuum in æternum.* Illius gratitudinis causam affert: nempe misericordiam Dei ac potestatem, qua eum e limbo liberabit, v. 12. *Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

Secundo, auxilium petit in morte, in qua ab innumeris hostibus impetitur. Nam plebei in eum mendacibus testimoniis insurgunt, v. 13. *Deus iniqui insurrexerunt super me.* Principes et magnates potentia sua vitam eripere moliuntur: *Et synagoga potentium quæsierunt animam meam.* Omnes tam Iudæi quam Gentiles non curant Deum, neque illum sibi ob oculos ponunt: *Et non proposuerunt te in conspectu suo.* Itaque in tot hostes unum sibi reliquum Deum esse videt, eumque implorat, v. 14. *Et tu Domine Deus miserator, et misericors: patiens, et multæ misericordiæ, verax.* Vers. 15. *Respice in me, et miserere mei.*

Tertio denique, Christus regnum sibi promissum, et resurrectionis gloriam petit. Primo quidem, regnum in omnem terram, v. eod. 15. *Da imperium puero tuo.* Et deletionem omnium hostium, ut omnino perfectam salutem habeat: *Salvum fac filium ancillæ tuæ.* Secundo, Resurrectionem postulat, v. 16. *Fac mecum signum in bonum.* Utilitatem huius rei ostendit. Primo, cognitionem intellectus in convertendis: *Ut videant qui oderunt me.* Secundo, detestationem scelerum in voluntate: *Et confundantur.* Admirantes auxilium datum in morte, et gloriam in resurrectione: *Quoniam tu Domine adiuvisti me, et consolatus es me.*

ARTICULUS I.

Deus solus magnus est, ac sequendus est solus.

Vers. 9. CHRISTUS viam suam videns, plenam hostibus, anfractibus, et præcipitiis, ducem sibi Deum postulat, v. 9. QUONIAM MAGNUS ES TU, ET FACIENS MIRABILIA: TU ES DEUS SOLUS.

Vers. 10. Et vers. 10. DEDUC ME DOMINE IN VIA TUA, ET INGREDIAR (S. Hier. ut ambulem) IN VERITATE TUA: LÆTETUR COR MEUM, UT TIMEAT NOMEN TUUM.

27. Tota Trinitas est Deus magnus. Nota primo, pro *tu es Deus solus*, S. Aug. vetus Psalterium Latinum, Psalt. Arab. et Æthiopicum, Psalt. Græcum correctum habent, *Tu es solus Deus magnus.* Sensus porro est, ut ait Bellarminus, q. d. Ideo cessabit cultus inanium deorum, et omnes gentes adorabunt, et glorificabunt Dominum: quoniam ipse solus est Deus vero magnus, et Deus faciens mirabilia, quæ nullus alius facere potest: ita Bellarminus. Secundo et melius, sensus est, q.d. Quoniam tu magnus es, et quoniam tu facis mirabilia, et quoniam tu es Deus solus, ideo deduc me Domine. Ubi adverte, quod tota Trinitas dicitur, *Rex magnus*, Psalm. 46. 3. A *Magnus Dominus*, Psal. 47. 2. *Deus magnus*, Psal. 76. 14. De magnitudine totius sanctissimæ Trinitatis psalmum nostrum sic explicat S. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 8. Non de Patre solo, ait, sicut Arriani perverse sentiunt: sed de Patre, et Filio, et Spiritu sancto, scriptum est: *Tu es Deus solus magnus.* Probat a simili de nomine *boni*, quando Christus dixit: *Nemo bonus, nisi solus Deus*, Matth. 19. 17. Cum vero Ioan. 14. 28. dicitur, *Pater maior me est*, hoc intelligendum est de Christi humanitate: seu de Christo, non qua Deus est, sed qua homo, quod clarum est: quia ibi Christus dat causam, cur ad Patrem vadat: quia, inquit, *Pater maior me est:* manifestum autem est Christum ire ad Patrem et cælum conscendere qua homo est: nam ut Deus, semper fuit in cælo, et ab eo abesse non potest. Vide Cornel. in Ioannem, hæc fuse tractantem.

De magnitudine solis variæ sunt sententiæ, quas refert Theodoretus serm. 4. de materia et mundo: Solem, inquit, Solis quanta magnitudo. alii globosum aiunt, alii pelvis modo concavum, alii rotis currus similem. Anaximander vicies septies terra maiorem. B Empedocles æqualem terræ. Anaxagoras maiorem Peloponneso. Heraclitus pedali magnitudine: hæc ibi. Nunc mathematici docent, eum esse centies et sexagies maiorem terra. Deus vero tantus est, ut sit penitus incomprehensibilis ab hominibus, angelis et qualibet creatura possibili: nullus enim intellectus creatus est infinite perfectus: Deus autem est infinitæ perfectionis tam in essentia, quam in suis attributis. Vide S. Thom. 1. p. q. 12. a. 7. Tantus est Deus, ut ait S. Greg. Naz. orat. 34. ut eum velle comprehendere, sit κυάθῳ μετρεῖν θάλασσαν, *scypho mare metiri.* Lactantius lib. de ira Dei cap. 11. Unus est, ait, princeps et origo rerum Deus, sicut Plato in Timæo et sensit, et docuit: cuius maiestatem tantam esse declarat, ut nec mente comprehendi, nec lingua exprimi possit. Idem testatur Hermas. Apud Xenophontem Socrates disputans ait, formam Dei non oportere conquiri. Et Plato in legum C libro: Quid omnino sit Deus, non esse quærendum: quia nec inveniri possit, nec enarrari. S. Hilarius ait, id esse gratissimum Deo, ut fateamur eum non posse comprehendi. Verba eius sunt lib. 1. de Trinitate: His, ait, piæ opinionis studiis animus imbutus in secessu quodam ac specula pulcherrimæ huius sententiæ requiescebat: non sibi relictum quidquam aliud a natura sua intelligens, in quo maius officium conditori suo præstaro posset; quam ut tantum eum esse intelligeret, quantus et intelligi non potest, et potest credi: dum intelligentiam et fidem sibi necessariæ religionis assumit, et infinitas æternæ potestatis excedit. Et lib. 2. fol. 18. queritur, quod ab hæreticis Arrianis compelleretur Dei naturam investigare. Compellimur, ait, hæreticorum et blasphemantium vitiis, illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere. Et cum sola fide expleri, quæ præcepta sunt, oporteret: adorare scilicet Patrem, et venerari cum eo Filium, sancto Spiritu abundare: cogimur sermonis nostri humilitatem, ad ea quæ inenarrabilia sunt, extendere: et in D vitium vitio coarctamur alieno: ut quæ contineri religione mentium oportuisset, nunc in periculum humani eloquii proferantur: ita Hilarius. Pygmæi non possunt Herculis magnitudinem metiri. Pygmæi in India. Ctesias mentionem facit Pygmæorum Indiæ apud Photium in Bibliotheca: In media, inquit, India homines nigri, qui Pygmæi dicuntur, eadem, qua reliqui Indi, lingua utuntur: sed valde parvi, ut maximi duorum cubitorum, et plerumque unius cubiti cum dimidio altitudinem non excedant. Comam alunt longissimam ad genua demissam, atque etiam infra, cum barba longiore, quam apud ullos hominum: ita ille. Cum magni non sint, nec esse possint, superfluitates ambiunt, et gloriolam ex reiectaneorum magnitudine, ut avarus ex auro,

superbus ex vana laude. Pergit Ctesias: Ipsorum oves, agnorum nostrorum instar, boves et asini arietum fere magnitudine. Equi, muli, et iumenta omnia nihilo maiora. Tria horum Pygmæorum millia rex Indorum habet in suo comitatu, quod sagittarii sint peritissimi: hactenus Ctesias. David regi Sauli se comparans dicebat *se esse canem mortuum, et pulicem unum*. 1. Reg. 24. 15. Nos Deo nos comparantes quid dicemus?

28. Mira sunt Dei opera, propter tres rationes. Nota secundo, Deus facit mirabilia. Primo, si spectes inscrutabilem providentiam illa opera disponentis et ordinantis præter et contra omnem humanam prudentiam, quæ assequi cogitatione non potest fines eius et media, quibus ad eos pertingit suaviter ac fortiter. Salonius illud contemplans, Proverb. 23. 5. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cælum*, sic loquitur: Opes istæ sunt arcana divinitatis, et secreta cælestium mysteriorum; et est sensus: Ne erigas oculos tuæ mentis ad inscrutanda divinitatis arcana, et mysteriorum cælestium secreta, quæ penetrare non potes, nec intelligere vales: quoniam solis aquilis hæc patent, id est supernis civibus tantum manifesta sunt: ita Salonius. Secundo, mirabilia sunt opera Dei, ob eorum numerum: Deus enim semper operatur. Eliphaz, Iob. 5. 9. *Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia absque numero*. Et ipse Iob cap. 9. 10. *Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus*. Tertio, mirabilia sunt, ob eorum excellentiam. S. Greg. lib. 9. Moral. cap. 20. ait, opera Dei esse magna virtute, inscrutabilia ratione, innumerabilia multiplicitate.

29. Deus est venerandus. Ex his duo collige. Primo, venerari Deum. Zaleucus Locrensium legislator in procemio legum suarum præcipit: Venerari deos oportet, ὡς παντων ἐν βιῳ καλων και ἀγαθων αἰτιους, velut omnium rerum præclararum et bonarum, quæ in vita hominibus accidunt, causas, ut ait Diodorus Siculus lib. 12. p. 81. t. 2. Turcæ ita admirabantur opera bellica Scanderbergii regis Albaniæ, ut capta Lyssa urbe post eius mortem, ossa ipsius exhumarint, ut illa venerarentur, ac prope adorarent: illa autem auro argentoque incluserunt, secum deferentes aliquam eorum particulam, ut felices fortesque essent, ut ait Iacobus de Lavardin. libr. 12. hist. Scanderb. cap. 3. pag. 493. Nos vero quid præstabimus Deo nostro et Christo? Secundo, cum admiratione et silentio opera Dei veneranda sunt. S. Gregor. 9. Mor. 20. Divinæ fortitudinis facta, inquit, tunc verius explicamus, cum nos illa explicare non posse cognoscimus: tunc facundius loquimur, cum ab his obstupescendo reticemus. Tertio denique, cum gratiarum actione omnia cæli et terræ bona, velut a Deo data recipiamus. Zaleucus loco mox citato: Oportet, inquit, ut urbis omnes incolæ ante omnia certo persuasum habeant, credantque esse deos, et mente cælum intuentes, et mirificum eius ornatum atque ordinem, non casus fortuiti, nec hominum illud opificium esse iudicent.

Scanderbergium mirantur Turcæ.

30. Deus solus est metuendus et honorandus. Nota tertio, non est nobis nisi unus Deus: *Tu es Deus solus*. Ex quo est consequens, ut eum unum metuamus. Eccli. 1. 8. *Unus est altissimus Creator omnipotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius*. Syr. Unus est, et terribilis solus Deus: quia ipse dominator est super omnes thesauros eius, sapientiæ videlicet. Et Arabs: Unus est metuendus solus ipse, Deus dominans universis thesauris illius. Secundo, cum sit unus Deus, ab eo uno salutem sperare debemus. Isa. 45. 21. *Numquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me? Deus iustus et salvans non est præter me. Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, et non est alius*. Tertio, cum sit unus Deus, illi uni servire debemus. Lactantius libr. de ira Dei, cap. 11. *Non possunt in hoc mundo multi esse rectores, nec in una domo multi domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno examine multi reges: sed nec in cælo quidem multi soles esse poterunt, sicut nec animæ plures in uno corpore: adeo in unitate natura ipsa consen-*

A *tit*: ita Lactantius. Dicebat Christus Matthæi 6. *Nemo potest duobus dominis servire*. Imitemur Sinas, de quibus ait noster Nicolaus Trigautius de Christiana expeditione apud Sin. lib. 5. c. 6. pag. 44. Hoc, inquit, in laude apud Sinas ponendum, quod complures potius honestam mortem optant, quam in principis intrusi verba iurare. Etenim apud philosophos Sinenses celebre dictum: *Matrona casta duos nescit maritos: nec fidelis cliens duos dominos*: ita ille. Huc vocare possis iustam Dei querelam de fornicatoribus et adulteris toties repetitam in Prophetis, præsertim Ezech. 16. et 23. S. Anselmus in Monologio, cap. 15. *Deus*, ait, *est summa essentia, et summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immortalitas, summa incorruptibilitas, summa immutabilitas, summa beatitudo, summa æternitas, summa potestas, summa unitas*.

Nota quarto, dux Christus nos ducit in viam optimam: 31. Via Dei est Christus.
B *Deduc me in via tua*, id est in Christo, ut explicat S. Augustinus: *Via tua*, inquit, *veritas tua, vita tua, Christus: et brachium Domini cui revelatum est? Dando enim Christum suum, dat manum suam: dando manum suam, Christum suum dat: ad vitam ducit, perducendo ad Christum suum: in via deducit, deducendo in Christo suo: Christum autem est veritas*: hæc ipse; 2. viam malim explicare mandata Dei. Vide dicta Ps. 22. 3. *Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum*.

Illa via, Primo est solida et secura. Ps. 15. 11. *Notas mihi fecisti vias vitæ*. Contra vero, via impiorum via est mortis et lubrica. Ps. 34. 6. *Fiant viæ illorum tenebræ et lubricum*. Bachiarius epist. ad Ianuar. de recipiendis lapsis: Memento frater, quod caro sumus. Mare illud, id est forma baptismi, quod B. Ioannes in Apocalypsi vidisse se dicit, vitreum fuisse describit: et ideo in nobis cito periclitatur aut frangitur. Lubrica via est sæculi huius glaciali iniquitate constricta, quam cum immodicæ concupiscentiæ calor solverit, facilis est ad lapsum ruinamque cæ- 32. Via Dei sunt mandata. Via illa est solida et secura.
C terorum. Theodoretus ser. 4. de materia et mundo, pag. 68. Deum ducem ponit in fluctuante hoc et irato mari. Cum, ait, Deus sit maximi navigii creaturarum omnium gubernator, ipse gubernat ac dirigit, quod sapienter aptavit, navigium.

Secundo, via Dei est recta, et consequenter brevissima. II. Recta et brevis.
Ierem. 31. 9. *Adducam eos per torrentem aquarum in via recta, et non impingent in ea: quia factus sum Israel pater, et Ephraim primogenitus meus est*. Plutarc. in quæst. Platonicis, q. 4. docet lineas rectas priores fuisse curvis. Archimedes de sphæra et cylindro, hypot. 1. *Omnium*, inquit, *linearum eadem puncta, seu homines habentium*, ἐλαχίστην εἶναι τὴν εὐθεῖαν δεῖ, *minimam esse rectam oportet*.

Tertio, via Dei est via in cælum tendens, et excelsa, expers luti et sordium huius terræ. Moses a Deo evocatur in montem. Leo Ostiensis et Gordianus narrant, a Deo missos fuisse angelos duos duorum iuvenum pulcherrima specie, qui S. Benedictum et socios ad montem Cassinatem III. Atque excelsa.
D ducerent. Quoties autem bifurcatum iter occurrebat, præibant cælestes illi duces. Quadraginta leucas emensi ad Cassinatem optatum montem pervenerunt, et per tria milliaria ascenderunt: tum Martinum eremitam, qui pie in eo loco vivebat, monuerunt, ut amico Dei maiori locum daret: quare in Massicum montem, in quo sancte obiit, se statim recepit. Guido Ubaldus e Marchionibus montis in tractatu de Cochlea, pingi curavit Cochleam, quæ aquam educeret, hac inscriptione adiecta: *Deducendo evehit*. Dei via alta est: cum Deus ducit, erigit: gratias communicat, quæ in altum compellant quodammodo invitos, sed tamen suaviter allectos. Ioann. 4. 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*.

Quarto, via Dei est via iucunda etiam in mediis molestiis, eam dux noster Christus præsens facilem fecit. 1. Petro 2. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*. S. Wenceslaus Bohemiæ dux noctis tempore nudis pedibus super glaciem ac 33. IV. Et iucunda.

S. Wenceslai vestigiis incalescit. nivem iter agens, vim frigoris minime sensit. Podius vero eius comes cum caligatus obriguisset, iussus vestigia Wenceslai pedibus premere, concaluit. Postera die cruenta sancti viri vestigia inventa, ut ait Æneas Sylvius hist. Bohem. cap. 15. pag. 28. Rem non absimilem de S. Francisco et S. Hedwige ducissa Poloniæ legisse memini. Nos Christus præcedens ardorem imprimit suis vestigiis, illum sequamur. Contra vero, via mundi est molesta et damnosa. Xenophontis ducis Atheniensis militibus quibusdam, in Armenia non procul a fontibus Euphratis, partim ob nives corrupti sunt oculi, partim ob frigus digiti pedum putruerunt. Ferebat autem opem adversus nivem, si quis ita pergeret, ut nigri aliquid ante oculos haberet: pedibus vero, si quis se commoveret, ac nunquam interquiesceret, noctuque calceamenta solveret. Quotquot autem calceati cubabant, illis lora in pedes imprimebantur, et calcei pedibus adhærescebant. Habebant enim, postquam veteres calcei defecissent, carbatinas (calceamenti rustici genus) factas de corio recens bobus detracto, ut ait idem Xenophon lib. 4. de Cyri iunioris expeditione, pag. 330. Deliciæ oculos corrumpunt ac vani honores: torpor ligat affectus mentis: nocturna vero luxuriæ intemperantia ita adhæret, ut ab ea avelli homo non possit.

34 V. Et lucida. Quinto denique, via Dei est lucida; unde additur: *Et ingrediar in veritate tua,* id est, in Christo, ait S. August. hoc loco. Ipse enim dixit Ioan. 14. 6. *Ego sum via, veritas, et vita.* Ut via sustentat, ut veritas dirigit, ut vita perducit. In Christo, et ad Christum imus. Nam, ut ait idem S. Doctor: Qui in via et veritate deducis, quo nisi od vitam perducis? 2. et magis ad litteram, veritatem intelligit fidei et legis divinæ. Illa veritas iuvat et dirigit in via cælesti. Ps. 24. 5. *Dirige me in veritate tua, et doce me; quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.* Primo enim, Deus dat lucem naturalem, quæ veritatem ostendat. Psal. 4. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* S. Thom. 1. p. q. 76. art. 7. inquirens, utrum animo corpori animalis uniatur mediante aliquo corpore, dicit, aliquos censere eam uniri mediante luce. Quidam, ait, dixerunt, quod anima uniatur corpori *mediante luce,* quam dicunt esse corpus, et de natura quintæ essentiæ: ita quod anima vegetabilis unitur corpori mediante luce cæli siderei, anima vero sensibilis mediante luce cæli crystallini: anima vero intellectualis mediante luce cæli empyrei. Quod fictitium et derisibile apparet, quia anima immediate corpori unitur, ut forma materiæ: ita S. Doctor. Sed verum est, Deum animæ hominis primi magnam lucem infudisse: unde S. August. lib. 3. de libero arbitr. cap. 12. ait: Approbare vera pro falsis, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Et S. Thom. 1. p. q. 94. art. 4. inquirens, utrum homo in primo statu decipi potuisset, respondet: Sicut in membris corporis primi hominis erat quidem carentia perfectionis alicuius, puta claritatis, non tamen aliquod malum inesse poterat: ita in intellectu poterat esse carentia notitiæ alicuius, nulla tamen ibi poterat esse existimatio falsi. Quod etiam ex ipso rectitudine primi status apparet. Sed quamdiu anima maneret Deo subdita, tamdiu in homine inferiora superioribus subderentur, nec superiora per inferiora impedirentur. Manifestum est autem, quod intellectus circa proprium obiectum semper verus est. Unde ex seipso nunquam decipitur, sed omnis deceptio accidit in intellectu ex aliquo inferiori, puta phantasia, vel aliquo huiusmodi. Unde videmus, quod quando naturale iudicatorium non est ligatum, non decipimur per huiusmodi apparitiones: sed solum quando ligatur, ut patet in dormientibus. Unde manifestum est, quod rectitudo primi status non compatiebatur aliquam deceptionem circa intellectum: ita S. Thomas. Non deest etiam nunc post lapsum, lumen sufficiens. Secundo, Deus dat lucem gratiæ. Eliphaz Themanites ait Iobo c. 22. 28. *In viis tuis splendebit lumen.* S. Macarius hom. 43. pag. 213. mentem oculo comparat, qui cum sit exiguus terram tamen, cælum, solem, stellas, omnia continere potest: ita cor humanum continet dracones, serpentes, leones, vias asperas et inæquales, atque præcipitia: Deum ipsum, angelos, vitam, regnum, ἐκεῖ τὸ φῶς, καὶ θησαυροὶ χάριτος, *ibi lux, et thesauri gratiæ.* Et hom. 1. fol. 2. totam animam in lucem cælestem transformat: Anima, inquit, quæ digna habita est, ut fieret particeps spiritus in lumine illius, et illustrata est a decore illius inenarrabilis gloriæ eius, cum præparaverit eam sibi in sedem et domicilium, ὅλη φῶς γίνεται, καὶ ὅλη πρόσωπον, καὶ ὅλη ὀφθαλμός, *tota lumen evadit, tota facies, et tota oculus:* ita ipse. Itaque anima gratia effulgens, solis est instar, qui totus est facies luminosa; aut ignis, qui totus ardet, atque in cælum evadit. Pergit idem sanctus pater: Anima, quæ plene illustrata est ab ineffabili pulchritudine gloriæ luminis vultus Christi, et Spiritus sancti perfecte particeps facta et digna, quæ fieret domicilium et thronus Dei, tota oculus, tota facies, tota gloria, et tota spiritus evadit: nempe sic eam adornante Christo, gestante, agente, baiulante, et ducente illam: et hunc in modum illam instruente, et spiritali decore adornante: ita Macarius. Tertio, præcipue lux fidei illustrat animam. 1. Petr. 2. 9. *Virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vocavit vos in admirabile lumen suum,* id est, fidei et cognitionis Dei. Is. 9. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* S. Othilia liberata est a cæcitate corporali in ipso baptismo. S. Greg. Nazianz. orat. 40. pag. 638. vocat baptismum, lucem mentium, et φώτισμα, id est, illuminationem: φώτισμα, inquit, λαμπρότης ἐστὶ ψυχῶν: *Baptismus est splendor animarum,* vitæ in melius mutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adiumentum, baptismus carnis est abiectio, Spiritus assectatio, Verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluvium, *lucis communicatio,* tenebrarum oppressio. Baptismus ὄχημα πρὸς Θεὸν, συνέκδημια Χριστοῦ, *vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo,* fidei adminiculum, mentis perfectio, cælestis regni clavis, vitæ commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio: ita Gregor.

Nota quinto, per viam nobis a Christo ostensam, ambulandum est: *Et ingrediar,* in veritate tua. S. Hieron. vertit: Doce me Domine viam tuam, *ut ambulem* in veritate tua. Exod. 13. 21. *Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis.* Eccli. 1. 1. *Omnis sapientia a Domino Deo est.* Ab Ægypto revocat illa lux, et ducit in terram promissam. Contra vero, sapientes mundi eunt in Ægyptum, ut scientias addiscant, sicut fecit Orpheus, Musæus, Melampus, Dædalus, Homerus, Lycurgus legislator Lacedæmoniorum, Solon legislator Atheniensium, Plato, Pythagoras, Eudoxus mathematicus, Democritus, Oenopides, Telecles item et Theodorus statuarii, ut ait Diodor. Siculus lib. 1. Bibliothecæ. Ægyptus tenebras significat, ut quidam volunt. Thren. 3. 2. anima a peccatis captivata, et ab illis ducta dicit: *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Curramus ad scientiam lucis, sicut ad scientias umbraticas curritur. Ioannes Baptista Benedictus, in physicis et mathematicis responsis, scribens Ioanni Paulo Capræ ait: Si vera esset animorum illa transmigratio, quam sibi Italicæ sapientiæ pater Pythagoras effinxerat, tuam meamque existimarem animam *canis quoque venatici fuisse.* Quæstionem illi de motu perpetuo proposuerat, quam dissolvit. Ut ad quietem æternam veniamus, in motu perpetuo nunc esse debemus. S. Paulin. ep. 2. ad Severum: *Curramus pariter,* ait, *ut apprehendamus omnes, sine æmulatione invidiæ, cum æqualitate victoriæ: ut sicut in contentione labor Christi sumus, ita in perveniendi fine, Christi triumphus esse possimus.* 35. Ambulandum est in via Dei.

In via mundi non ambulatur, sed terra effoditur magno et inani labore. Appian. lib. de bello Parthico, pag. 246. Antonii milites, ait, coacti quæ gustui insueta essent experiri, primum in herbam incidunt, quæ per furorem ad interitum adduceret: qui enim comedisset, nihil aliarum reminiscebatur rerum, aut intelligebat: nec aliud quam lapidem continuo effodiebat, vertebatque, quasi quidpiam magni operis acturus. Erat igitur huiuscemodi ager reple- Antonii milites terram fodientes.

tus terram ac lapides effodientium multitudine: inter quos debacchati, demum bilem revomentes interibant, eum primum, quod antidotum huic morbo erat, vinum defecisset. Ubi spiritualis lætitia nos in via defecerit, ad terrena solatiola recurrimus et sistimus, tempusque conterimus. Abrahamo dixit Deus, Gen. 17. 1. *Ambula coram me, et esto perfectus.* Torpore contrahuntur, qui in via mundi sunt. Ultra Euphratem palus est, solidum circa se locum habens, in quem imperitorum quis ingressus, per breve tempus natat: ubi vero ad medium pervenerit, ceu quadam violentia attrahitur; opitulaturus vero sibi et regredi cupiens, tam violenter ab aliquo teneri videtur, ut frustra ad exitum contendat. Ac primum ei pedes, mox crura et tibiæ ad lumbos usque exanimantur. Torpore denique per corpus subactus in profundum defertur, et paulopost mortuus eructatur, ut ait Diodor. lib. 2. pag. 100. Crediderim dæmonem ibi aliquem extitisse. Hæc via mundi lutosa est, et fallax: prima rident, sed mox pedes et affectus vinciuntur, deinde crura et lumbi mortem suscipiunt, ac tandem omni vitiorum genere pollutus homo in præceps volvitur.

Palus fallax.

36. Lætitia spiritualis fovet timorem Dei.

Nota sexto, lætitia spiritualis fovet et auget timorem Dei, et timor Dei fovet et auget lætitiam spiritualem. De primo clare dicitur hoc loco: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* De secundo patet ex versione Arabica, quæ talis est: *Lætabitur cor meum, cum timuerit nomen tuum.* Nicephor. in Psal. nostr. dicit: αληθης ευφροσυνη θειου φοβου εστιν απογεννημα; Vera lætitia divini timoris est propago. Eccli. 11. 1. *Timor Domini gloria, et gloriatio, et lætitia, et corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, et dabit lætitiam, gaudium, et longitudinem dierum.* Psal. 96. 8. *Exultaverunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine.* Animæ Iudæ, sunt animæ Deum laudantes. Ad eum timorem non venitur, nisi anima sit tranquilla et quieta. S. Anastasius Sinaita quæst. 2. tract. quem οδηγον, hoc est, viæ ducem, nominat: Nullus omnino, ait, ad Dei timorem veniet, nisi fuerit remotus ab omnibus de hac vita sollicitudinibus. Quando enim mens fuerit in quiete, et semota ab omni sollicitudine, tunc Dei metus facessit negotium, in multo sensu eam expurgans a terrena crassitudine: ita Anastasius. Miscenda porro sunt simul timor et lætitia, ut docui Psal. 2. 11. in illud: *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.* Adde ex S. Aug. in Psal. nostr. *Nondum est plena securitas, nec perfecta iucunditas. Si multa iucunditas, deficimus. Si plena securitas, male exultamus. Ergo et iucunditatem aspergat, et timorem incutiat: ut de dulcedine iucunditatis perducat nos ad sedem securitatis:* ita Augustinus. Cyrus morti proximus, testatus est se nunquam in summa felicitate effuse lætatum esse: cum sciret, omnia in futurum servari incerta, ut tradit Xenophon lib. 8. Cyropædiæ, pag. 234. Contra vero, Dionysius Heracleæ princeps audita morte Alexandri, lætitiæ statuam consecravit, et ad primum famæ adventum tanto gaudio correptus est, ut prope a sana mente conspiceretur alienus, ut ait Memnon in sua historia. S. Nilus sapienter monet in paræuesi, num. 28. *Gaude,* inquit, *quando virtutem exerces: sed ne efferaris, μηποτε ναυαγιον εν λιμενι γενηται, ne quando in portu naufragium facias.*

Cyri moderatio in prosperis.

37. Lætitia et timor iuvant viatorem.

Nota septimo, lætitia et timor Dei iuvant viatorem: illa dat vires, hic addit calcar. De lætitia vires dante habes, Psal. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Psal. 104. 3. *Lætetur cor quærentium Dominum,* sicut cor quærentium thesaurum, quem pro certo sciunt latere in aliquo loco, ad quem vadunt. Virile est lætari, muliebre lugere. Lyciorum legislator præceperat, ut in luctu uterentur veste muliebri, indicans luctum rem esse muliebrem, neque convenire viris moderatis, et liberali doctrina præditis; θηλυ γαρ οντως, και ασθενες, και αγενες το πενθειν, lugere enim muliebre est, et imbecillum, atque inglorium.

Lyciorum mos in luctu.

Secundo, de timore vulgo dicitur, timor addidit alas. Clearchus dicebat frequenter, militem metuere magis oportere suum Imperatorem, quam hostem: siquidem excubias recte sit obiturus, vel abstinenter in amicos se gesturus, vel sine recusatione perrecturus in hostem. In periculis milites orationem eius requirebant, neque ullum illi præferebant. Nam pro severitate illa tristi aiebant, tunc alacritatem ex eius vultu relucere, et acerbitas videbatur habere aliquid roboris in hostem, ut ait Xenophon lib. 2. Cyropæd. pag. 290. Qui Deum timet, mandata eius observat. Hoc clare dicitur Ps. 111. 1. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis.* Vide illum locum.

ARTICULUS II.

Deus eos, quos deducit, liberat ab inferno inferiori, et a variis periculis.

Postquam Deum doctorem petiit Christus, promittit gratiarum actionem, prævidens opem sibi ab ipso dandam, vers. 11. CONFITEBOR TIBI DOMINE IN TOTO CORDE MEO: ET GLORIFICABO NOMEN TUUM IN ÆTERNUM. Vers. 11.

Vers. 12. QUIA MISERICORDIA TUA MAGNA EST SUPER ME (hoc est, erga me: est super me velut manus liberatoris extrahentis e naufragio, aut instar clypei tegentis ab hostibus) ET ERUISTI ANIMAM MEAM EX INFERNO INFERIORI, id est, Primo, a gravibus calamitatibus et periculis huius vitæ temporalis. Secundo, et melius, a limbo Patrum, in quem descensurus sum, et a quo me esse liberaturus. Ita S. Augustinus in Psal. nostr. qui ait, vitam hanc esse infernum superius (sic ipse loquitur) respectu cæli, quod supra nos est: infra terram vero esse infernum inferius, in quod Christus descendit, qui in Psal. 15. 10. ait: *Non derelinques animam meam in inferno.* Vide illum locum. Haymo sic breviter ait: *Iste mundus dicitur infernus, ad comparationem cælestis habitationis. Ille vero locus, quo animæ malorum ad torquendum descendunt, inferior infernus dicitur.* Christum non descendisse ad infernum damnatorum, sed ad limbum Patrum, indeque exivisse, et eos eduxisse docet S. Thomas 3. p. q. 52. quem consule. Fuit instar Ionæ in ventre ceti per tres dies, et per tres noctes, non totales, sed partiales. Vers. 12.

38. Tropol.

Tropolog. Infernus inferior est peccatum luxuriæ, a quo liberatum se gaudebat David: ita Euthymius. Omne enim grave peccatum est infernus, in quo reperitur ignis tartareus, catenæ flammæ, dæmon, carcer, vermes, serpentes, tenebræ, blasphemiæ, voracitas, æternitas misera, ut fuse ostendi Psal. 6. v. 6. in illud: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Luxuria autem est infernus inferior, a quo non est redemptio: vix enim luxuriosus convertitur. Proverb. 22. 14. ait Salomon: *Fovea profunda os alienæ, cui iratus est Dominus, incidet in eam.* Vatablus vertit: Os scorti profundus est hiatus: in quem cadet, cui Dominus irascetur. Per os, porro, ait Cornelius, accipe oscula, nutus et eloquia, cæteraque meretricis oris et vultus blandimenta, quibus meretrices quasi iynges, viros ad se rapiunt ac dementant. Sensus est, q. d. Os meretricis, quod osculis, et verbis, cantibusque amatoriis, instar sirenis, iuvenes et viros ad se allicit, est vorago profunda, iuvenes virosque absorbens, instar Heclæ, Vesuvii, et Ætnæ. Sicut enim hi montes ignibus æstuantes globos igneos eiaculantur, quibus omnia circumcirca inflammant et comburunt. Sic os meretricis igne libidinis æstuans, amoris flammas facesque eiaculatur, quibus omnes in sui concupiscentiam rapit et accendit. Rursum, sicut Vesuvius propius ad os eius accedentem Plinium secundum, tempore Vespasiani Imperatoris, ut causas tanti incendii investigaret, rapuit et absorbuit: sic os meretricis iuvenes ad se accedentes rapit et devorat: uti sirenes devorarunt socios Ulyssis, quos cantibus dulcisonis ad se illexerant, et dementarant. Fossa profunda per catachresin significat exitium et perniciem extremam, puta pauperiem, morbos, infamiam, mortem, ac tandem barathrum gehennæ, in quæ incidunt qui ad meretrices accedunt. Hæc ergo fossa adeo profunda est, ut careat fundo, sitque interminа et æterna. Itaque meretrix est gurges patrimoniorum, vorago

Infernus est luxuria.

bonorum omnium, abyssus gehennæ, iuxta illud cap. 7. 27. *Viæ inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.* Porro, sicut Ætna non semper ignes vomit, sed prius eos intra se colligit et coacervat, ut stato tempore simul ingentes flammarum moles et quasi montes evibret; sic os meretricis studio subinde premit suos amores, ut collectos maiori impetu suo tempore in accedentes eiaculetur, adeo ut iis resistendo non sint. Os ergo meretricis est quasi os barathri, imo quasi vestibulum inferni, ut si in os meretricis incidas, casurus sis in amores et tricas meretricias, ex quibus nunquam te extricabis; ac tandem in barathrum inferni, ex quo per omnem æternitatem emergere non valebis: ita Beda. *Fovea profunda*, inquit, *os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam. Qui enim verba vel oscula meretricis libenter amplectitur, quasi ianuam iam gehennalis pulsat abyssi: citoque mergitur, si pedem cautus non retrahit: si non membra reliqua a vicinia cohibet foveæ pœnalis, in quam nullus omnino nisi filius iræ illabitur.* Et cap. 23. v. 27. *Fovea profunda est meretrix, et puteus angustus aliena.* Oseas Propheta increpans Israelitas, id est, decem tribus, ait cap. 9. v. 9. *Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa*: cum scilicet Gabaitæ enormi stupro polluerunt et occiderunt uxorem Levitæ, ob quod scelus omnes cæsi sunt, ut refertur Iud. 19.

39. Quatuor loca inferni. Secundo, infernus inferior est locus damnatorum. Primo enim quodlibet peccatum, sive superbiæ, sive gulæ, sive etiam luxuriæ, aut alterius pravi affectus, est infernus superior. Secundo, quia Theologi distinguunt quatuor inferni loca, quorum unum sit altero superius aut inferius: 1. est limbus Patrum, in quo non erat pœna sensus, sed tantum pœna damni ad tempus; 2. purgatorium, in quo pœna damni et sensus ad tempus; 3. limbus puerorum mortuorum sine peccato, in eo non est pœna sensus, sed pœna damni æterna; 4. infernus damnatorum, in quo pœna sensus et damni est æterna.

40. Laudandus Deus toto corde. Nota, Deus laudari vult ex toto corde: *Confitebor tibi in toto corde meo.* Vide dicta Psal. 9. 1. In Psalm. nostr. supra v. 11. ubi habetur: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum*, pro *lætetur*, S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *unicum fac.* Felix, *unias.* Nam Deus non vult cor divisum in timentibus se. Camp. reddit, excita cor meum, ut *unice* revereatur maiestatem nominis tui. David. Psal. 72. 26. vocat Deum cordis sui: *Deus in omni virtute vult cor totum sibi dari.* Primo, in fide. Eunucho Candacis reginæ Æthiopum petenti baptismum ait Philippus Diaconus, In omni virtute cor totum requiritur. seu Apostolus, Act. 8. 37. *Si credis ex toto corde, licet.* Secundo, in spe. Prov. 3. 5. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ.* Non est consulendus Beelzebub ad sanitatem quærendam, cum sit Deus in Israel, 4. Reg. 1. Tertio, in charitate præsertim. Deuter. 6. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Quarto, in timore Dei. Eccli. 7. 31. *In tota anima tua time Dominum.* Quinto, in pœnitentia. Ioel 2. 12. *Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, et in fletu, et in planctu.* Sexto denique, in gratiarum actione, ut hoc loco. Clem. Alex. vult, totum hominem esse unam Dei laudem. Sic enim admonitione ad Gentes p. 67. Καλος υμνος Θεου, *pulcher hymnus Dei*, ait, *homo immortalis, qui iustitia ædificatur, in quo sunt insculpta eloquia veritatis.* Sed præsertim cor requirit. Cum Ludovicus XI. Ludovicus XI. offert cor aureum Deiparæ. Francorum rex a Bertrando de la Tour, comite Arverniæ, Bononiam emisset, eius homagium discinctus, et genibus flexis, fecit Deiparæ, quæ in Ecclesia et Abbatia illius loci colitur, præsente Abbate: obtulitque *cor aureum*, ut clientaris officii debitum, quod bis mille aureos penderet: statuitque ut tum ipse, tum posteri, Comitatum illum Bononiensem a Deipara acceptum tenerent: atque ad mutationem vassalii, cor offerrent auri obrizi eiusdem ponderis bis mille aureorum. Missam deinde perpetuam in eadem Ecclesia fundavit, et alteram in Ecclesia S. Martini extra muros eiusdem civitatis, in gratiarum actionem propter A obtentam a Deo victoriam, ut ait Nicolaus Gilles histor. Franc. fol. 117.

Post actas Deo gratias de liberatione ex inferno inferiori, sicut fore prævidebat, petit Christus liberari a præsenti periculo, v. 13. Deus iniqui (S. Hier. et Arias, superbi) insurrexerunt super me, et synagoga potentium (S. Hieron. cœtus robustorum. Pagn. congregatio fortium) quæsierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo. 41. Vers. 13.

Vers. 14. Et tu (S. Hieron. tu autem. Camp. tu ergo) Domine Deus miserator, et misericors: patiens, et multæ misericordiæ et verax. Vers. 14.

Vers. 15. Respice in me, et miserere mei, etc. Ubi adverte, nonnunquam poni tantum absolute, *respice in me*, ut Psal. 21. 2. non enim respicere in aliquem dicitur Deus, nisi ut eius misereatur, sicut docet S. Cyrill. Alex. in Habac. 3. n. 46. Licet aliquando dicatur respicere Deus in furore et minis. Orat David Psal. 24. 16. *Respice in me, et miserere mei: quia unicus et pauper sum ego.* Thren. 1. B 20. ait Sion: *Vide Domine, quoniam tribulor*: non potest pater aut mater videre filium afflictum, et miserum, quin eius misereatur. 2. Sol terras non aspicit, quin radios emittat: nec radios lucemque dat sine calore, nec calorem sine fœcunditate. Nam vel aurum, vel gemmas, vel segetes, vel herbas, arboresve, aut similia producit. 3. Deus virum iustum aspicit, sicut sol nubem, quam facit parelium illi suum splendorem imprimens et gratiam. 4. Deus virum instum aspicit sicut rex sceptro et diademate insignis speculum, in quo se depingit. S. Gregorius Nazianz. orat. 29. pag. 486. virum iustum vocat, ἐσοπτρον ακηλιδωτον Θεου, και των θειων; *Purissimum Dei, rerumque divinarum speculum.* Damascius in vita Isidori philosophi sic eum depingit: Facies ei erat pene quadrangula, Ερμου λογιου τυπος ιερος; *eloquentis Mercurii quoddam simulacrum*: oculi elus, ut ita loquar, vere gratiosam habebant sitam Venerem: utque sic efferam, infixam sibi sapientissimam Palladem cernebant: ita ille. Sic erat veluti conflatus ex iis, C et Deus alter. Peccator vero opponit nubem inter se ac Deum: et tam densam, ut a sole illo iustitiæ, et bonitatis, ac misericordiæ non videatur et illuminetur. Inconstans ei lunam obiicit, et eclipsim facit. Ut enim ait Geminus lib. 8. elementorum astronomicorum: Solis eclipses fiunt ex interpositu lunæ. Cum enim sol superius feratur, luna inferius: cum in eodem gradu fuerint sol et luna, sub solem subiens ista efficit solis radiis, qui ad nos feruntur: Quamobrem ne dicendum quidem est, eas esse proprie eclipses, αλλ' επιπροσθησεις, sed interpositiones. Nam solis nulla pars unquam deficiet: ημιν δη αθεωρητος γινεται, nobis vero invisibilis redditur, propter incursionem lunæ: ita ille. De Levita et uxore eius stuprata a Gabaitis dicitur Iudicum 19. v. 14. *Occubuit eis sol iuxta Gabaa.* Hebr. Gabaa significat collem, Deus superbos non aspicit, sed humiles. Psal. 137. 6. *Humilia respicit, et alta a longe cognoscit.* Si vis a Deo aspici, imitare publicanum, qui longe ab altari stans, nolebat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: *Deus propitius esto* D *mihi peccatori.* Arabs vertit: *Parce mihi, quia peccator sum.* Descendit itaque iustificatus in domum suam ab illo, id est, præ Pharisæo superbo. Publicanum pœnitentem imitatus est S. Fulco Comes Andegavensis, Martelli pater: aliquot enim annis duorum omnino vernaculorum comitatu Hierosolymam peregre profectus, illis iureiurando adactis, se, quod imperaretur, facturos, sumpto noxii damnatique habitu, eorum alteri se collo resti illaqueandum trahendumque ad Domini monumentum tradidit: alteri virgas dedit, quibus se tergo cæsum lacerumque fœde agerent, vociferantem: Admitte Domine miserum Fulconem, periurum et fugitivum tuum. Hoc factum satis constat, sed cuiusnam periurii sceleris ve expiandi causa, non liquet, ut ait Paulus Æmilius hist. Franc. lib. 3. fol. 140. Quomodo id respexerit Deus, patet ex felicitate data posteris eius: nam Martellus fuit Franciæ moderator, et Pipinus Martelli filius regnum ad se transtulit.

Non respicit Deus in aliquem, nisi ut misereatur.

Eclipsis fit ex obiectu lunæ inter solem et nos.

Fulconis mira pœnitentia.

42\. *Dæmones virum iustum insequuntur.*

Nota, duplicem rationem affert Christus, cur sit a Deo aspiciendus. Primo quidem, suam miseriam. Secundo, Dei misericordiam. Ubi adverte eum loqui de se et de suis membris.

Ac primo, de sua miseria sic dicit: *Deus iniqui insurrexerunt in me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam.* Iniqui illi, seu, ut Hebr. est, superbi, sunt dæmones et peccatores virum iustum persequentes. De Iudæis possis accipere, qui in Christum ipsum insurrexerunt, ut dictum est Psal. 2. et Christianos semper odio prosecuti sunt. Unum exemplum refero. Philippo Longo in Francia regnante leprosos incitarunt, ut puteos fontesque per totum regnum veneno inficerent: ideo omnes exusti sunt, aut regno expulsi. Vitriaci in Pertensi regione quadraginta Iudæi captivi adolescentem unum ad se iugulandos impulerunt: quo facto, pene evasit: sed rupto tunc ob pondus auri, quod exportabat, captus est, et in flammas cum sociorum cadaveribus coniectus.

Putei veneno corrumpunt leprosi in Francia.

Tigres in Bengala. Dæmones, qui quærunt animam peccatoris, commode comparaveris tigridibus, qui Nigritas summa aviditate et ferocia insequuntur. In regno Bengala plurimi tigres sunt, qui nonnunquam plusquam viginti leucarum spatio navem insequuntur: ut, cum quis ad littus descenderit, illum devorent. De nocte in naves desiliunt, ut aliquem inde rapiant. Nigrita quidam in somnis sibi finxerat se a tigride devorari: territus sub proram se navigii abdidit, sequenti nocte tigris in navem involavit, et illæsis cæteris hunc unum petiit et abripuit, ut refert Petr. Iarrius lib. 2. cap. 23. pag. 603. Secundo, dæmones quærentes animam avari divitis, aut peccata animam eius diripientia et possidentia comparari possunt militibus barbaris pinguem aliquam regionem incursantibus et occupare conantibus. Ubi adverte, pinguissimas et feracissimas terras sæpius esse ab hostibus devastatas. Unam Hungariam consideremus, de qua sic ait Ioannes Herold in chronologia Pannoniæ, id est Hungariæ. Anno Christi 9. inquit, Pannonia cessit Augusto. Anno 336. Vandali illam per quadraginta fere annos inhabitarunt. Anno 382. Gothi Theodosio Imper. duce Alatheo et Safra Vandalos expulerunt, Pannoniamque ex fœdere icto cum Gratiano possederunt. Anno 401. Gothis expulsis Hunni illam occuparunt duce Keva. Sed Attila cum regnasset, Ernacus eius successor post tres annos ab Ostrogothis in Scythiam pellitur. Anno 526. Longobardi Gothos eiiciunt. Anno 566. Hunni Pannoniam recuperant. Anno 604. Romani illam recipiunt. Anno 744. Hunni iterum illam possident. Anno 803. a Carolo Magno domantur. Anno 999. iterum Hunni Pannoniam recuperant, at illam semper servarunt, donec Turca mediam partem occupavit, ac nunc etiam tenet. Anima peccatrix modo ab avaritia, modo a gula, modo a luxuria, aliisve sceleribus et vitiis occupatur, nisi semper arma parata sint, et sedulæ vigiliæ intendantur.

Hungaria sæpe vastata ab hostibus.

43\. *Misericors est Deus quoad effectum, non quoad affectum.*

Secundo, Dei misericordiam plurimum extollit: *Tu Domine miserator et misericors, patiens, et multæ misericordiæ, et verax.* Primo quidem, Deus est miserator et misericors, quæ duo differunt, sicut doctor et docens, cantor et cantans. Nam misericors est, qui habet affectum miserendi: miserator, qui de facto misericordiam exhibet. Hæc duo tamen sæpe confunduntur. Si proprie loquamur, Deus non habet affectum miserendi, sed effectum, ut docet S. Thomas 1. p. q. 21. art. 2. Misericordia, inquit, est Deo maxima attribuenda, tamen secundum effectum, non secundum passionis affectum. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod misericors dicitur aliquis, quasi habens miserum cor: quia scilicet afficitur ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset eius propria miseria. Et ex hoc sequitur, quod operetur ad depellendam miseriam alterius, sicut miseriam propriam, et hic est misericordiæ effectus. Tristari ergo de miseria alterius non competit Deo: sed repellere miseriam alterius, hoc maxime ei competit, ut per miseriam quemcumque defectum intelligamus. Defectus autem non tolluntur, nisi per alicuius bonitatis perfectionem: ita S. Thomas. Peculiaris ara misericordiæ fuit apud Athenienses, ut ait Apsinis in suis Rhetoricis: eam aram Plutarchus libro de superstit. vocat, φευξιμον βωμον, id est aram refugii. Ierem. 31. 9. sub typo liberationis populi Israel ex Ægypto, Babylone, et Assyria agens de bonis legis gratiæ sub rege Christo dicit: *In fletu venient, et in misericordia reducam eos.* Solon dicebat Crœso: O Crœse, πας ανθρωπος εστι ξυμφορα, omnis homo est miseria et calamitas: hæc ille. Ad Deum itaque misericordem accedat necesse est, ut miser prodigus ad patrem, ab eo accipiet stolam primam, calceos, annulum, et convivium. Proprium dabit sanguinem. Ægyptii misericordiam exhibere oculis volentes pingebant aliquando vulturem crura sibi rostro vellicantem. Hoc enim illi proprium est volucri, ut centum et viginti diebus, quibus educandæ proli vacat, non avolet longius, sed tantum in proximo venetur: quod si nihil occurrerit dandum parvulis, crura sua rostro pungat et vellicet, ut sanguine inde desultante eos alat. Ægyptii iidem misericordiam delineant sub typo pelicani avis Ægyptiæ, quæ nascitur in solitudinibus, maxime Nili fluminis. S. Hieron. dicit, pelicanum dici rostro pullos suos occidere, mox facti pœnitentem, in ipso nido per triduum eos lugere, postremo seipsum graviter vulnerare, et sanguinem suum super illos effundere, quo ipsi revivi-scant. Sed hoc verum sit necne, ipsi viderint. Christus Iesus pelicano melior est, qui a se vivificatos in baptismo, et a dæmone occisos, ad vitam suo divino sanguine, qui ob unionem hypostaticam, qua unitur personæ Verbi, est infiniti valoris, ad vitam revocat. Clem. Alex. lib. 1. pædag. pag. 103. Ipse itaque, qui est dilectus, et altor noster, Verbum, effudit pro nobis suum sanguinem, salutem humanæ naturæ asserens, per quem qui in Deum credimus, επι λαθικη δεα μαζον πατρος, *ad mamillam patris*, quæ curarum oblivionem inducit, nempe Verbum, confugimus. Ille autem solus, ut est consentaneum, nobis lac dilectionis infantibus suppeditat. Iique vere sunt beati, qui hanc lactant mamillam: ita ipse. Phœnix dicitur sibi rostro crura percutere, ut ex fuso sanguine oriatur vermiculus, et ex vermiculo alter phœnix, ne species intereat. Aliter de phœnice alii philosophantur. Redemptor autem noster sacro suo cruore efficit, ne homines omnes morte æterna sepulti iaceant sine remedio.

Vultur sibi fodit crura, et pullos alit sanguine.

Pelicanus suo sanguine prolem resuscitat.

44\. *Deus est patiens, et tarde punit.*

Secundo, Deus est patiens. Sept. μακροθυμος, id est longanimis, ut legit S. Augustinus. Hebr. est, longus naribus. Felix, longus furore, id est, ad furorem concipiendum. Pagn. longius ad iram. Is. 30. 18. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri: et ideo exaltabitur parcens vobis.* Ne tamen ita confidas, ut te non amendes, licet enim pedibus laneis vindicta veniet. Salvian. lib. 7. de provid. agens de punitis Afris per Vandalos: Quod, ait, Vandali ad Africam transierunt, non est divinæ severitati, sed Afrorum sceleri deputandum. Gravi enim eos, antequam illuc pergerent, ac longa iniquitate traxerunt. Et ideo intelligere debemus, quia *pietatis divinæ fuit, quod pœnam diu debitam distulit*: piaculorum autem et criminum, quod aliquando peccator populus, quæ merebatur, accepit. Exceptis paucissimis Dei servis, quid fuit totum Africæ territorium, quam domus una vitiorum? ita Salvianus. Vel ab invito Deo fulmen extorquent scelera.

Afrorum pœna et correptio.

45\. *Deus est multæ misericordiæ.*

Tertio, Deus est *multæ misericordiæ*. Arab. vertit, copiosus misericordia. Syr. copiosus bonitate. Chald. multiplicia conferens beneficia. Eum recte contularis diviti venæ aureæ se per totum montem in varias partes inferenti, omnesque locupletanti. Georgius Agricola lib. 3. de re metallica: Venarum dilatatarum, ait, aliquæ recte dilatant se, aliæ oblique, partim curvatæ. At vero etiam venæ, quas profundas appellamus, diverso modo in profundum descendunt. Nam alia recta, alia obliqua, sive devexa, alia torta. Venæ præterea profundæ in varietate locorum, per quos se tendunt, multum inter se discrepant. Nam aliæ per devexum montis aut collis tendentes de eo prorsus non descendunt. Aliquæ de summo montis vel collis vertice per devexum descendunt in vallem aut convallem, rursusque per declivem oppositi montis collisve partem ascen-

Vena aurea per montem varie spargitur.

dunt. Quædam de monte aut colle descendentes in camporum planitiem excurrunt. Cæteræ per planitiam montis, aut collis, aut campi tendunt: ita ille. Deus et thesaurus aureus in totam Ecclesiam vel animam se diffundens: eam ditat misericorditer, id est, sine meritis nostris. Ephes. 2. 4. *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos.* Et quidem omnibus suas dat divitias. Rom. 10. 12. *Non enim est distinctio Iudæi et Græci*, id est gentilis: *nam idem Dominus omnium: dives in omnes, qui invocant illum.* Vide dicta Psal. 102. 8.

46. *Deus est verax.* Quarto, Deus est verax. Hebr. est, *Multæ misericordiæ et veritatis.* Arab. copiosus misericordia et æquitate. Syr. copiosus bonitate et veritate. Chald. multiplicia conferens beneficia et veritatem. Ægyptii melle et licu sacra faciebant Mercurio, magna voce inclamantes, γλυκὺ καὶ ἀλήθεια, suavitas et veritas. Apoc. 19. 11. Christus in equo albo pingitur, ut denotetur eius candor et veracitas. *Vidi cælum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur fidelis et verax, et cum iustitia iudicat et pugnat.*

47. *Imitanda est Dei misericordia.* Hæ Dei virtutes imitandæ sunt. Primo, misericordia. In oblatione similæ fundebatur oleum, ut dicitur Levit. 2. 1. Deus non vult accedere ad altare suum, nisi eos qui pepercerint suis inimicis, Matth. 5. 33. Olim in regum capitibus erant insignia leonum, luporum, ursorum, tigridum, taurorum, draconum, aspidum, ad terrorem et maiestatem: nunc in iis ponitur crux Salvatoris, eos commonens patientiæ ac misericordiæ. *Apum rex caret aculeo.* Rex apum caret aculeo. Iulian. Imp. orat. 2. Principem ipsum, ait, neque in manibus gladium gerere ad cuiusquam civium necem oportet, etiamsi extrema quæque perpetraverit: neque aculeum ullum in manibus animo hærera: siquidem in genera apum, regi videmus aculeum a natura esse denegatum. Quamquam nihil est, quod apes ipsas intueamur: sed ipsummet potius deorum moderatorem ac regem, cuius interpretem ac ministrum verum esse principem addecet: ita Iulianus. Casimirus Poloniæ rex, cognomento Magnus, dicebatur rex rusticorum et plebeiorum, quod in eos esset indulgentior, nec eos pateretur exactionibus, vel laboribus, vel ullis iniuriis a suis proceribus, aut nobilitate affici, ut ait Salomon Neugebaverus lib. 3. hist. Polon. pag. 205. *Scipionis misericordia in hostes.* Scipio etiam in hostes misericors sibi ipsorum hostium benevolentiam conciliavit. Cum enim Carthaginenses tempestate ad eius castra eiecti essent, ac præfectus ipsum interrogaret, quid de iis faciendum esset, ait: *Nihil simile Carthaginensibus*, sed liberos abire iussit. Hæc cum Carthaginis Senatus audivisset, plebeios acrius increpavit, consilioque inito Scipionem placare statuit, ut fœdera servaret: et decrevit pœnas sumere de iis, qui Romanos occidissent, ut ait Appian. lib. de bello Libico.

48. *Patientia Dei imitanda.* Secundo, patientia Dei imitanda est. Prov. 14. v. 29. *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Et cap. 19. 16. *Doctrina viri per patientiam noscitur: et gloria eius est, iniqua prætergredi.* R. Hillel in Pirke avoth: Qui iracundus est, non docebit. S. Ignatius Patr. Constant. teste Niceta, id dabat præcepti: Iram, ὡς ἐκστάσεως παραφυσιν, velut stultitiæ agnationem, deformitatis matrem, dæmonis eruptionem, diligenter fugiamus, ne forte illa absumamur flamma: ita ille. Deus cor vastissimum habet, in quod omnia mundi peccata immitti possint sine nausea, nobis cor est arctissimum, quod vix guttulam salsi maris contineat.

49. *Veracitas Dei imitanda.* Tertio, veracitas Dei imitanda est. Ephes. 4. 15. *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Gregorius Papa epist. ad Ioannem Episcop. Ravennatem: *Christiani*, ait, *viri officium est, ne aliud ore loquatur, aliud in corde habeat.* Levit. 2. 11. præcipitur, ut oblatio fiat sine fermento, hoc est, sine duplicitate. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento erit: nec quidquam fermenti, aut mellis, adolebitur in sacrificio.* Diogenes Laertius refert, Atenienses recipere solitos Xenocratis solius testimonium sine iuramento, velut varitatem cognitam. Caritus Ateniensium dux fuit etiam tautæ veracitatis, ut in parœmia esset, Iuro instar Cariti. Regum verba sacra esse debent, et certiora aliorum iuramentis. Hinc, ut Ioannes le Maistre, celeberrimus in curia Parisiensi patronus anno 1011. cum ageretur de matrimonio Caroli ducis Andegavensis et Susannæ Borboniæ, asseruit, regem Christianissimum nullo unquam iuramento agere cum subditis, post sacramentum solemne in eius inauguratione: postea vero tantum illis promittere fide regia, nullo alio addito iureiurando. *Franciæ rex non firmat sua dicta iuramento.* Ad infideles barbaros amandandus est Menon Thessalus, qui teste Xenophonte in Cyropædia, f. 292. viam maxime compendiariam putabat esse ad agendum, si peieraret ac mentiretur, et falleret: simplicem et candidum esse, pro eo ducebat atque si quis esset stupidus.

ARTICULUS III.

Deus servos suos efficit reges hostium omnium domitores.

Tandem Christus finem laborum suorum postulat, nempe regnum sibi promissum, v. eod. 15. DA IMPERIUM TUUM PUERO TUO (id est, mihi. Hebræi enim de se loquuntur sæpe in tertia persona, et deinde redeunt ad secundam, ut hic fit) ET SALVUM FAC FILIUM ANCILLÆ TUÆ, id est me, qui sum filius ancillæ tuæ, id est, Virginis Mariæ. 50. *Vers. 15. 2. Pars.*

Vers. 16. FAC MECUM (ecce redit ad secundam personam) SIGNUM IN BONUM (Camp. ad bonum. S. Hieron. et Felix, in bonitate. Syr. Fac erga me signum bonum. Arabs, signum optimum. Petav. τέρας αἴσιμον, signum prosperum) UT VIDEANT QUI ODERUNT ME, ET CONFUNDANTUR: QUONIAM TU DOMINE ADIUVISTI ME, ET CONSOLATUS ES ME. *Vers. 16.*

Quæres, quale erat illud signum, quod petit Christus? Primo, Valentia explicat de signis favoris in passione ipsius Christi, qualia fuerunt obscuratio solis, tenebræ factæ super terram, terræ concussio, etc.

Secundo, et melius, signum in bonum, seu signum favoris divini erga Christum, et quod Pater æternus velit illi dare imperium in omnes homines et angelos, est resurrectio ipsius: quam resurrectionem dicit faciendam secum, quia ipse Christus, ut Deus, fuit causa principalis suæ resurrectionis: et ipsa eius anima, fuit causa instrumentalis: vel secum, id est, sibi, vel erga se, faciendam dicit resurrectionem, et hic secundus sensus est melior: ita S. August. Glossa, Remig. Bruno, Haymo, Ugo, Dionys. Valentia. Resurrectio porro Christi fuit signum in bonum: scilicet ad clarificationem nominis Christi: ita Dionys. 2. signum fuit nostræ resurrectionis: ita Hugo; 3. multis fuit ad salutem, ait Remigius; 4. ut aliis prosit, ut spes credentium confirmetur, ut per hoc boni confortentur, ut dicit Ludolphus. Signum illud resurrectionis dandum Iudæis prædixerat ipse Christus, Matth. 12. 39. *Generatio*, Græce γενεά, id est, natio, gens, *mala et adultera, signum quærit: et*, id est, sed, *signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus*, computando dies et noctes more Romanorum, qui tempore Christi imperabant Iudæis: diem autem incipiebant a media nocte: sic Christus fuit in sepulcro tribus diebus et tribus noctibus, sed partialibus. Signa etiam varia facta sunt in resurrectione Christi, ut apertio sepulcrorum, motus lapidis, apparitiones angelorum, etc. 51 *Resurrectio Christi est signum in bonum.*

Anagog. Signum in bonum fiet in die iudicii, quia tunc Christus veniet in potestate magna et maiestate: et apparebit signum filii hominis in cælo: scilicet crux, ubi fuerat crucifixus: quod signum erit in bonum, et in gloriam fidelium, et terrorem malorum: quia videbunt, in quem confixerunt. Et sic confundentur Iudæi, et cognoscent Christum fuisse verum Messiam, et a mortuis resurrexisse, et cognoscent ipsum esse iudicem bonorum et malorum: ita Valentia. 52. *In die iudicii erit signum in bonum.*

Symbolice, signum in bonum est crux Christi, ut expli- 53.

Crux est signum in bonum.

cat S. Hieron. *Muniar*, ait, *crucis tuæ signo, quod videntes potestates adversæ, fugiant confusæ, et discedant a me.* Se in cruce, tamquam signum positum fuisse dicit Christus Thren. 3. 12. *Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam*, id est scopum, in quem omnes tela contorqueant. Simeon senex apertius et generalius dicit Luc. 2. 34. *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur*: id est, in scopum sagittariorum, ait Maldon. et Franc. Lucas: de signo crucis exponit S. Basil. et Theophyl. De Christo dicitur Is. 11. 10. *In die illa radix Iesse*, id est surculus ex radice Iesse exortus, *qui stat in signum*, Hebr. in vexillum, *populorum*, q. d. Messias erit rex qui vexillum eriget, ad quod omnes gentes confluent. Ioann. 12. 31. ait Christus: *Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*. Exaltatus fuit a terra in cruce.

Quia signum victoriæ et salutis.

Crux porro est signum in bonum. Primo, quia est signum victoriæ Christi de dæmone, qua de re multa dixi Psal. 9. Secundo, quia est signum nostræ salutis. Tertio, quia crux nobis impressa nos consecrat. Baronius tom. 2. Annal. anno 112. num. 4. Fuisse, inquit, apud Christianos titulum, quo domus aliqua cultui divino consecraretur, titulum Crucis: ex iis possumus intelligere, quæ Theodosius Imperator præcepit, ut delubra gentilium Christianæ religionis cultui nuncuparentur, collocato in eis, ut eit, venerandæ Christianæ religionis signo. Eaque ratione, quod titulo Crucis censerentur res dicatæ esse religioni, Leo Imperator, ne signum Crucis inferretur in loca publica, quæ gratia popularis voluptatis essent erecta, lege vetuit. Cum igitur domus aliqua publico religioso Christianorum cultui manciparetur, Crucis titulo insignita, ex eo et nomen accipiens, titulus dicebatur. Per titulos itaque, accipitur domus divino cultui mancipata, in qua Christiani synaxes agere consueverant. A rebus fiscalibus id sumptum; tituli namque impositione, rem aliquam sibi fiscus solitus erat vendicare, atque principi consecrare. Fuisse autem titulos vela quædam, quæ regiam repræsentarent potestatem, vel imaginibus Imperatorum, vel nominis ipsorum inscriptione insignita, multa sunt quæ poterunt demonstrare. Eiusmodi vela cortinas regias S. Ambrosius nominat. Hinc Ecclesiæ, quibus præsunt Cardinales, dicuntur Tituli Cardinalium: ita Baronius. Quarto, crux est signum in bonum, quia est signum seu vexillum, sub quo militantes vincemus et triumphabimus. *In hoc signo vinces*, erat scriptum in Labaro Constantini, ob sacrum illud signum visum in cælo, quod fuit præsagium victoriæ de Maxentio reportandæ. Scotorum reges S. Andream regni tutelarem dudum agnoscunt: idque a temporibus Hungi Pictonum regis, cui hostes oppugnaturo scribunt, *lucidam in cælo apparuisse crucem*, illius instar, in quam ipse Apostolus sublatus pro Christi nomine mortem oppetiit, victoriamque cæso Athelstano consecutum: ac ne hoc deleretur oblivione, crucem illam in armis et insigniibus efformatam contra hostes deinde gestavit, quod et Scotiæ reges in rei gestæ fidem religiose observarunt. Hinc originem traxisse creditur Ordo equitum S. Andreæ, ut ait Ioannes Leslæus Episc. Rossensis. Eam ob causam equitum varii Ordines crucem pro suo insigni sumpserunt, velut omen victoriæ, atque ut se declararent Christi Salvatoris crucem portare velle, et decus suum æstimare. Primo quidem, equitibus hospitalariis S. Ioannis Ierosolymæ, qui post Rhodii, nunc Melitenses equites dicuntur, vestem nigram; *et crucem in ea candidam* assignavit Girardus, qui primus illud xenodochium condidit, p. 69. Equites S. Mauritii *crucem albam* gestabant. Fuit is S. Mauritius Thebææ legionis dux. Hunc ut tutelarem et præsidem Allobroges colunt, p. 54. Secundo, Teutonici equites *cruces nigras* albis chlamydibus apposuerunt, p. 79. Tertio, equites S. Sepulcri *quinque cruces rubeas* in honorem quinque plagarum Domini nostri ferunt: regno Ierosolymæ everso, in Italia sedem Perusiæ statuerunt, p. 40. Templariis Eugenii Pontificis auctoritate *crux rubea* est attributa. Vexillum bipartitum ex albo et nigro, quod vocant *beauceant*,

Tituli Cardinalium unde dicti.

S. Andreas tutelaris est regni Scotiæ patronus.

Equites varii variam crucem portant.

A quasi *beauseant*, prævium habentes ad bellum procedunt, p. 76. Equites S. Iacobi in Hispania *crucem rubram* in modum gladii factam habent, p. 97. Equites S. Mariæ gloriosæ apud Italos tunicam albam et subcinericiam togam induti, *crucem purpuream* in campo albo duabus suprapositis stellis præferunt, p. 111. Quarto, Equites Christi in Portugallia, *cruce rubra, alia candida intersecante distincta* insignes sunt, p. 114. Quinto, Equites S. Lazari *crucem viridem* ferebant. Pulsis a Syria Christianis, Boniaci in Gallia Magister Ordinis consedit, p. 51. Sexto, post unionem duorum Ordinum S. Lazari et S. Mauritii per Emmanuelem Philibertum Sabaudiæ ducem anno 1573. *crucem viridem limbo candido inclusam* gestant, p. 53. Septimo, Philibertus Nerestanus a Paulo V. obtinuit, ut equites S. Lazari in Gallia, S. Mariæ de monte Carmelo, et S. Lazari dicantur, ac *violacei coloris crucem*, Virginis matris effigie insignem ferant, p. 56. Octavo denique, equites S. Mariæ de mercede et redemptione captivorum *crucem argenteam* gestant, p. 109. S. Spiritus equites in B Gallia ab Henrico III. instituti *crucem argenteam ferunt.* Ita Franciscus Menuenius in symbolis et originibus equestrium Ordinum. Alii aliam crucem ferunt, sed omnes crucem, atque crucem Christi, cui militant. Nemo se a cruce gestanda eximere debet. Christus præit gestans crucem, et ait Matth. 16. 24. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Nisi crucem sponte assumamus, sæpe in nos decidit. In variis expeditionibus ad terram sanctam, Crucis signum vestibus principum, militumque divinitus est impressum. Ioan. Trithemius in chronico Hirsaugiensi, p. 41. in Sigero VII. Abbate: Anno, inquit, 958. Ottonis Imp. Magni 22. cruces apparuerunt in vestimentis hominum, quæ multos terruerunt, et ad salutarem pœnitentiam reduxerunt. Quorumdam etiam vestes quasi lepra respersæ, maculisque infectæ apparuerunt: ita ibi. Nullum nobis vexillum honorificentius esse potest vexillo crucis. Hinc Nicolaus Papa I. in respons. ad consulta Bulgarorum t. 6. Concil. C p. 614. Quando, inquit, prælium inire soliti eratis, indicatis vos hactenus in signo, militari caudam equi portasse: et sciscitamini, quid nunc vice illius portare debeatis, quid aliud utique, nisi signum sanctæ Crucis? Ipsum est enim, quo Moses mare divisit, et Amalec interfecit: quo Gedeon Madianitas superavit, et Christus Dominus noster diabolum, etc. hæc Nicolaus. Christiani omnes sub cruce militant: unde in baptismo et confirmatione cruce signantur. Valentia in Psal. nostr. Fac mecum, ait, signum salutaris Crucis in fonte baptismi, in quo debeo salvari: ut diaboli, qui oderunt me, et cæteri inimici videant tale signum in me: et confundantur, et fugiant, et non noceant mihi: hæc Valentia. Est signum Thau impressum postibus Hebræorum. Exod. 12. 7. *Et signatum super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius*, civitatis, scilicet Ierusalem: id est animæ peccatricis, Ezech. 9. 4. Dæmon suis alumnis imprimit characterem bestiæ, Apoc. 13. 16. eos bestiales faciens. Crux est character Dei, efficit divinos.

Bulgaris crux datur in vexillum militare.

D Tropol. Signum in bonum est charitas. Ioan. 13. 35. 51.
ait Christus: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Secundo, signum in bonum, est lætitia spiritualis, quam initio petivit David, cum ait: Lætifica animam servi tui. Hæc enim lætitia in homine iusto, atque in tribulatione posito, signum clarissimum est gratiæ Dei: et hoc signo conspecto confunduntur non solum dæmones, sed etiam omnes alii persecutores. Et tunc sensus erit, q. d. Fac mecum signum in bonum: id est, da mihi gratiam spiritualis lætitiæ, quæ etiam ipsa vultus mei serenitate resplendeat: et videant, qui oderunt me, hoc signum patientiæ et tranquillitatis animæ meæ, et confundantur: quoniam tu Domine adiuvisti certantem, et consolatus es mœrentem, et tristitiam in gaudium internum iam convertisti: ita Bellar. Tertio denique: Fac mecum signum in bonum: id est, talem effectum operare in me, per quem innotescat me esse dile-

Charitas est signum in bonum. Et lætitia.

ctum ac prædestinatum a te, liberando videlicet me ab omni incursu hostili: et gratiam infundendo, per quam ea agam, quæ sunt signa prædestinationis. Quæ sunt, verbum Dei libenter audire, vitia abhorrere in quantum sunt vitia, bonum habere propositum ad semper bene vivendum, ut dæmones hominesque perversi videant signum hoc, qui oderunt me odio iniquo ac pessimo, invidentes non solum temporali meæ prosperitati, sed animæ quoque saluti: et confundantur, aspicientes se non posse obtinere de me, quod cupiunt. Ita Dionysius, qui addit, totum hunc Psalmum divina dulcedine, sancto fervore, spirituali iucunditate, et admiranda devotione redundare, quem condecet nos cum mentali sapore, cum magna lætitia, cum attentione præcipua decantare.

55. *Signa data sunt viris a Deo ad magna destinatis.*

Adverte autem, hoc hemistichium, *Fac mecum signum in bonum*, sibi pro symbolo petiere Pontifices Eugenius III. Innocentius III. Gregorius IX. Urbanus IV. Innocentius VI. Signum a Deo petiit Moses evocatus ad liberandum Israelitas de manu Pharaonis, Exod. 4. 1. Gedeon evocatus ad liberandum eos de manu Madianitarum, Iudicum 6. 17. Rahab ab exploratoribus missis a Iosue petiit, et obtinuit signum salutis, nempe funiculum coccineum, Iosue 2. 12. qui fuit signum cruentæ passionis, et gloriosæ resurrectionis, ad quam tota vita nostra dirigitur, quod S. Anastasius Sinaita sic explicat, q. d. Odegi, hoc est, viæ ducis. Primum, ait, diem creationis mundi reputa ætatem infantiæ, ut baptismo statim illumineris: nam primo die creata est lux. Secundum diem existima esse pueritiam, ut divinis sermonibus confirmeris: firmamentum enim secundo die conditum est. Tertium diem arbitrare esse adolescentiam, ut pravarum affectionum humiditatem castitate exsicces: nam tertio die Deus aridam ab humida natura seiunxit. Quartum diem habeto pro iuventute, ut quatuor virtutes velut astra circumferas, et ut luminare in mundo luceas: nam quarto die luminaria creata sunt. Quintum diem pro media ætate ducito, quo tempore oportet, ut sensuum tuorum animalia fræno coerceas, ne in peccatum ruant. Nam animalia quinto die producta sunt. Sextum diem senectuti deputa, quo statu necesse est, ut insitam ab initio motionem, ratione velut homo, munias: lutum corporis tui refingas, variisque virtutibus exornes: nam sexta die conditus est homo. Septimum diem habe pro ætate iam cana et nivea, quando pie in terra requiescens, ceu albicans arista, frumentumque molarium, quod opportuno tempore colligitur, sepulcrum ingredieris: ut ibi tamquam die septimo quietem capias: Dominus enim die septimo ab operibus evangelicis in sepulcro conquievit. Octavo die præstolare exitum ex tabernaculo, et ex sepulcro liberationem, et resurrectionem ex mortuis: die enim octavo resurrexit Dominus: ita Anastasius. Vitam tuam ita transige, ut in fine mundi fiat tibi signum in bonum resurrectio gloriosa.

56. *Regnum Christi est: 1. Bene munitum. 2. Gloriosum.*

Nota, Christo datur regnum bene munitum contra hostes: *Da imperium puero tuo.* S. Hier. Pagnin. Fel. Arias vertunt: Da fortitudinem tuam servo tuo. Hebræi sæpe sumunt abstracta pro concretis: fortitudinem scilicet pro forti imperio. Secundo, imperium seu regnum Christi est illustre et gloriosum. 1. Reg. 2. 10. Anna mater Samuelis concinit: *Dominus dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.* Est apud Sinas in more ab omni memoria positum, ut quoties imperandi ius ab una familia in aliam, pro rerum vicissitudine transit, ipsum quoque regnum novo nomine ab eo, qui regnare incipit, insigniatur: quod qui facit, speciosum aliquem regno titulum pro arbitratu ponit. Ita olim Than appellari legimus, quod sine termino latum sonat: alias Yu, ac si quietum dicas: *Regni Sinarum varia nomina.* deinde Ya, quod idem est, ac si magnum dicas. Postea Sciam, quæ vox ornatum innuit. Tum Cheu, hoc est perfectum: Han vero, lacteam in cælo viam signat, aliaque permulta. Ex quo vero hæc ipsa familia, penes quam hodie regnandi ius est, quæ Ciu dicitur, regnum universum Min, id est, claritatis nomine insignitur, cui tamen hodie syllabam Ta adiunxerunt, et Tamin, id est, magnæ claritatis regnum appellant. E vicinis vero populis pauci has nominum varietates advertunt. Hinc fit, ut singulis prope singulis hoc regnum nominibus insigniant. Cocincinenses et Ciami (a quibus Lusitani Chinæ nomen didicerunt) Cin: Iapones, Than: Tartari, Han: Saraceni ab occasu, Catainum hodieque appellant, ut ait Trigautius noster lib. 1. c. 2. exped. Christian. apud Sinas. Tertio, regnum Christi est amplum: Ipse id testatur Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra.* Arabs vertit, *Dominus sum omni potestate in cælo, et super terram.* Sinæ regem suum specioso nomine cæli filium, Thienca dicunt: et hodie, ut olim semper, appellant: quia porro cælum ipsi pro numine colunt, idem est cæli, ac Dei filium dicere. Vulgo tamen non hoc nomine, sed Hoamsi appellatur: hoc est, supremus imperator et monarcha. Proprie tamen etiam in terra solus monarcha, q. d. Solus rex, solus imperans, est Christus, cæteri reges et principes sunt eius vicarii, tam in temporalibus, quam in spiritualibus. Apoc. 1. 5. dicitur: *Princeps regum terræ*, et cap. 19. 16. *Habet in femore scriptum*, id est, in humanitate, ut Glossa explicat, *Rex regum, et Dominus dominantium.* Potestatem illam excellentiæ, habuit etiam in hac vita mortali, et illi debebatur ob unionem hypostaticam: nec decebat illa privari magis, quam potestate faciendi miracula. Itaque etiam inter homines vivens habuit per se et directe excellens quoddam dominium, et potestatem in res omnes creatas, et super omnes omnium hominum et angelorum actiones, ratione suæ humanitatis unitæ Verbo. Vide Suar. tom. 1. in 3. p. q. 22. disp. 48. sect. 2. et a me dicta Ps. 2. 6. et Ps. 8. 7. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Ninus septemdecim annorum spatio totam Asiam præter Bactrianos et Indos subegit, Ægyptum, Phœniciam, cavamque Syriam cum Cilicia, Pamphylia, Lycia: et præter has Cariam, Phrygiam, Mysiam, et Lydiam debellavit; Troadem quoque cum Phrygia ad Hellespontum, cum Propontide, Bithynia, Cappadocia et barbaris ad Pontum gentibus, et Tapyrorum Tanaim adiunxit: Caddusiorum etiam terra, nec non Hyrcanis, Dacis, Derbicibus, Carmaniis, Choramnæis, Boreaniis, et Parthis est potitus. Ad hæc Persiam et Susianam, et quæ Caspiana nominatur. Multas insuper alias gentes, sed minores, subiugavit, ut ait Diodor. Siculus lib. 2. p. 91. Hæc ampla quidem sunt atque illustria, sed Ninus nihil possedit in Europa, nec in America, nec in Africa præter Ægyptum. Christus vero est rex totius orbis. Quarto, regnum Christi est dives: est regnum veri Salomonis, de quo 3. Reg. 10. 27. *Fecit ut tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta et lapidum: et cedrorum præbuit multitudinem, quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus.* Papias, magnæ auctoritatis in Ecclesia, Hierapolitanus Episcopus, S. Ioannis Apostoli auditor, ex male intellecto loco, Apocal. 20. in quo dicitur regnaturos fideles cum Christo mille annis, de regno terreno putavit intelligendum. Hunc secuti sunt S. Irenæus, S. Iustinus martyr, et alii, nec tamen transivit in hæresim, donec Apollinaris illi tenacius inhærens damnatus est a Damaso, ut ait Baron. anno 118. num. 2. De divitiis spiritualibus hic loquor, quæ veræ divitiæ sunt: cum mundi et dæmonis divitiæ sint phantasticæ. Radbodus dux Frisiæ resilit a fide, quam S. Vulfranno suadente suscepturus erat. Illusus est a dæmone specie regis apparente, et aulam auream appromittente: Hanc fictitiam domum, auro gemmisque collucentem, paratam Radbodo, ostendit dæmon Frisoni, et Diacono S. Vulfranni ad hoc missis; sed cito facto signo Crucis disparuit, et in luto hærentes illi vix emerserunt, ut ait Ionas Fontanellensis in vita S. Vulfranni apud Sur. die 20. mens. Mart. quem consule. Quinto, regnum Christi est æternum: id prædixit S. Gabriel Virgini, Luc. 1. 32. *Et regni eius non erit finis.* Corona capiti eius infixa, hoc in ipsis tormentis declaravit. Contra vero, terrenorum regum sceptra sunt arundinea et diademata caduca. Cum Alexander ex Sidone in Babyloniam reverteretur, et per ipsas Babyloniæ paludes Euphrate Syriam invadente, navigaret, incumbens subito ventus diadema ex eius capite abstulit: quod

3. Amplum. — 4. Dives. — Radbodus illuditur. — 5. Æternum. — Alexandri diadema in arundine fluitans.

volitans in arundine, non longe a vetusti regis monumento deposuit, quod regiæ necis in primis signum fuit: nautam vero adnatantem diadema capiti imposuisse ferunt, et Alexandro purum ab humiditate attulisse, eius rei præmium a rege talentum accepisse: auguribus autem illum interfici iubentibus, nonnullos Alexandro idem suasisse, alios adversatos esse. Alii ferunt non nautam, sed Seleucum id præstitisse, illique omen ad regnum fuisse, ita Appianus lib. de bello Syriæ. Stant et fluctuant in mobili arundine regum diademata, brevi inde excutienda: ipse a morte Philippi patris sui fuit rex Macedonum per annos 13. deinde a morte Darii ultimi regis Persarum fuit imperator seu monarcha Asiæ annos 7. Quid hæc sunt, si cum æternitate conferantur? Sexto denique, regnum Christi per totam æternitatem erit populosum. Apoc. 7. 9. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum: et clamabant voce magna dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.* Id aliquatenus explicari potest per multitudinem Sinensium, ac regni ipsorum amplitudinem. Sinensium enim regnum in quindecim provincias, (regna ea iure dixeris) alia divisione in 158. regiones, aut potius provincias minores, dividitur: quarum pleræque 12. aut 15. urbes bene magnas, præter villas, pagos, castella, et oppida continent. In his regionibus, 247. urbes maiores titulo Chen insigniuntur, tametsi a reliquis urbibus sæpe dignitate potius, quam celebritate vel amplitudine distinguuntur. Vulgares urbes reliquæ, quas Hien vocant, mille supra centum et quinquaginta duas continentur. Adultorum porro capita, a quibus vectigal singulatim regi penditur, *quinquaginta octo milliones, quingenta quinquaginta millia et* 801. eo tempore, quo liber excusus erat, quem citat Trigautius, hæc narrans, numerabantur. Excusus autem erat anno 1579. Sed in his neque muliebris sexus includitur, et e virili sexu pueri, adolescentesque, eunuchi, milites, propinqui regis, magistratus, litteratique, et alii permulti excipiuntur. Etiam in pace, militum supra decies centena millia stipendio regio aluntur. Regna finitima, Sinarum imperio vectigalia, ad ortum tria: ad occasum 53. ad austrum 55. ad boream tria. Longe tamen nunc panciora vectigal persolvunt, quæ tamen persolvunt, plus e Sinis efferunt, quam inferunt, ut ait Trigautius lib. 1. cap. 2. pag. 4. et 8. Sed quid sunt Sinæ, si cum tota Asia, Europa, Africa, et America comparentur? Quid sunt ætatis unius homines, si cum omnibus, qui sunt, fuerunt, ac futuri sunt, componantur?

6. Populosum. — *Sinarum regnum populosum.*

57. Nota secundo, Christus humilitate sibi illud regnum quæsivit, et obtinuit. Hinc dicit: Da imperium *puero tuo.* S. Hieron. Pagnin. Felix, et alii, *servo tuo;* nam Hebr. עבד *ebed,* servus est. Et Latina vox puer pro servo sumitur sæpe in Scriptura, ut Gen. 19. 2. Iudic. 19. 3. 1. Reg. 25. 8. Ubi adverte, Christum ut hominem esse et appellari posse servum Dei. S. Thomas q. 20. 3. partis, art. 1. ad 2. ait: Relatio servitutis et dominii fundatur super actione et passione: in quantum scilicet servi est moveri a domino secundum imperium. Agere non attribuitur naturæ, sicut agenti, sed personæ: actus enim suppositorum sunt et singularium: secundum Philosophum libr. 1. Met. paulo post principium. Attribuitur tamen actio naturæ, sicut ei secundum quam persona vel hypostasis agit. Et ideo quamvis non proprie dicatur, quod natura sit domina vel serva; potest tamen proprie dici, quod quælibet hypostasis vel persona sit domina vel serva secundum hanc vel illam naturam. Et secundum hoc nihil prohibet, Christum dicere Patri subiectum, vel servum secundum humanam naturam. Ita S. Thomas, qui toto articulo sequenti docet, Christum fuisse subiectum Patri secundum humanam naturam. Is. 42. 1. dicitur: *Ecce servus meus: suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Quidam de Iacob id explicant, alii de Isaia, alii de Cyro: sed ex Matth. 12. 18. constat de Christo esse accipiendum. Zachar. 3. 8. *Ecce ego adducam servum meum Orientem.* Hebr. צמח *tsemach,* id est, surculum, seu germen; *tsemach* porro per metathesim est idem quod משיח *masciach,* id est Messias seu Christus, qui est germen solare exoriens, et totum mundum illustrans. Christus ipse ait Ioan. 20. 17. *Ascendo ad patrem meum, et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Ubi per *patrem meum* suam divinam naturam ostendit: per *Deum meum* declarat se naturam humanam assumpsisse, ut explicat S. Ambr. libr. 3. de Virg. Cum autem Christus dicat Patrem esse Deum suum, fatetur quoque esse Dominum suum. Ut enim argumentatur Suar. 3. part. disp. 44. sect. 1. Quamvis verum sit, nomina *Dei* et *Domini* in rigore esse diversa, et illud esse proprie nomen naturæ, hoc potestatis: tamen ita sunt coniuncta, et æqualia, (ut sic dicam) quatenus in Deum conveniunt, ut æque late pateant, si sub aliquo respectu ad creaturas respiciant, vel potius a creaturis respiciantur: ergo hoc ipso, quod Deus dicitur alicuius Deus, necesse est ut sit etiam illius Dominus, et e contrario: ergo hoc ipso quod Christus ut homo vocat Deum suum, virtute vocat Dominum suum. Quis enim sibi persuadeat, Deum alicuius esse Deum, cuius non sit Dominus? ac si divina dominatio non tam late pateat, quantum quælibet alia habitudo, sub qua possit Deus dici alicuius Deus. Etenim, cum Deus per sese et absolute sit Deus, quidnam addi potest, cum dicitur esse alicuius Deus, nisi vel habitudo ultimi finis, vel primi principii, vel alia similis? Ad hunc enim modum dixisse videtur Iacob, Gen. 28. 20. *Si fuerit Dominus Deus mecum, etc. erit mihi Dominus in Deum,* id est illum venerabor et colam ut supremum numen, in eo fidam, et gratias referam, tamquam supremo auctori bonorum omnium: nullos autem ita recognoscit Deum suum, quin etiam recognoscat illum Dominum suum, et se servum eius. Quia non potest Deus non esse auctor illius, cuius est ultimus finis, nec potest non esse Dominus eius, cuius est auctor. Hinc Hilarius dicto lib. 11. de Trinit. col. 8. a principio, ex hoc loco Ioannis, quem tractamus, colligit per assumptionem carnis factum esse, ut is qui erat Pater Filii, inceperit esse Deus Christi: *Dum,* ait, *qui in forma Dei erat, repertus est in forma servi: servus enim non erat, cum esset secundum spiritum Filius Dei, et secundum commune iudicium, ubi non est servus, neque Dominus est: Deus quidem et Pater nativitatis est unigeniti Dei: sed ad id, quod servus est, non possumus nisi tunc Dominum deputare, cum servus est. Quia cum ante per naturam non esset servus, et postea secundum naturam esse, quod non erat cœpit, non alia dominatus causa intelligenda est; quam quæ extitit servitutis: tunc habens ex naturæ dispensatione Dominum, cum præbuit ex hominis assumptione se servum. Manens igitur in forma servi, qui manebat ante in Dei forma, homo Christus Iesus locutus est: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum:* ita Hilarius, in quo discursu evidenter supponit, Christum appellando Deum suum, eum ut hominem Dominum recognovisse. Hactenus Suarez, qui sect. 2. docet, in rigore sermonis non esse dicendum, Christum servum sine determinatione, *ut homo:* vel, *in quantum homo:* vel, *secundum humanitatem,* sive hæc determinatio expresse addatur, sive implicite subintelligatur, quod frequentius contingit, quando illa propositio non solitarie profertur, sed in alicuius sermonis progressu, in quo ex antecedentibus et consequentibus satis constat locutionis sensus: et hoc fere modo invenitur hæc locutio in Scriptura et Patribus.

Christus sibi regnum quæsivit humilitate. — *Christus est servus Dei, ut homo.*

Nota tertio, Christus non contentus se dicere puerum, seu servum Dei: addit se esse filium ancillæ eius, q. d. Se esse eius vernam, seu vernaculum, et servum dominatum: quod enim ex serva nascitur, domini est tamquam proprium. Itaque dicit, se non esse servum bello captum, aut emptione acquisitum, sed a natura sic factum, quæ servitus erat maior, et minus habens spem aut voluntatem libertatis. Qui enim non gustavit quid sit libertas, non ita curat se a servitute liberare: non dicit Christus se esse li- 58.

Deiparam ancillam vocat.

lium servi, quia natus et conceptus est sine virili semine: sed dicit, filium se esse ancillæ, id est, humilis Virginis, quæ id cognoscens angelo Gabrieli nuncianti Incarnationem Dei, et quod futura esset eius mater, dixit Luc. 1. 38. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Æthiopicus et Persicus textus habent, *sit mihi secundum verbum tuum.* Poterat Virgo Deipara matrem se Dei, et reginam hominum atque angelorum futuram prædicare, sed maluit ancillam se dicere, quod expendens S. Ambros. in Lucam ait: *Vide humilitatem Virginis, vide eius devotionem. Ancillam se dicit, quæ mater eligitur, nec repentina exaltata est promissione. Mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit et ipsa proferre.* Et S. August. ser. de Assumpt. *O vera*, inquit, *Mariæ humilitas, quæ mater Creatoris effecta, ancillam se nominat. O vera Mariæ humilitas, quæ hominibus peperit Deum, mortalibus edidit vitam, cælos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, et hominum animas liberavit. Facta est Mariæ humilitas scala cælestis, per quam descendit ad terras*: ita Augustinus.

59. Nota quarto, pro *ut videant, et confundantur*, Hebr. est in futuro, *et videbunt, et confundentur*, et ita vertit Felix. Christus de synagoga Iudæorum sibi infesta dicit Mich. 7. 10. *Aspiciet me inimica mea, et operietur confusione, quæ dicit ad me: Ubi est Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem, ut lutum platearum.* Ad litteram hoc intelligitur de Idumæa, quæ populum Dei oderat, et a Chaldæis vastata est paulo post eversam Ierosolymam a Nabuchodonosore. Psal. 2. 1. de Iudæis Christum persequentibus dicitur: *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania.* Vide illum locum. S. Epiph. serm. in sepulcrum Christi, tom. 2. pag. 260. id considerans ait: Vere populi meditati sunt inania et fatua. Impegerunt in lapidem angularem Christum: sed ipsi contriti sunt: alliserunt petræ solidæ, sed ipsi contriti sunt, et in spumam fluctus eorum dissoluti. Offenderunt ad indomitam incudem, et ipsi confracti sunt. Sustulerunt in ligno petram vitæ, quæ descendens ipsos occidit. Colligarunt magnum Samsonem solum Deum: sed solutis a sæculo vinculis, alienigenas et impios perdidit. Occidit sol Christus sub terram, et tenebras perpetuas Iudæis fecit. Hodie salus his, qui sunt supra terram: et his, qui sunt a sæculo subtus terram. Hodie salus universo mundo quantuscumque visibilis, et quantus invisibilis: ita Epiph.

Confusi sunt Iudæi.

60. Tropolog. Regnum amplissimum, gloria, honore et divitiis cumulatissimum offert Christus filiis suis per gratiam a se adoptatis, atque ad hæreditatem regiam vocatis. Primo, homo a Deo creatus est rex orbis. S. Gregor. Nazian. orat. 42. pag. 680. Hominem, inquit, Deus velut alterum quemdam mundum in parvo magnum, in terra collocat: angelum alterum, mistum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intellectualis mystem, βασιλέα τῶν ἐπὶ γῆς, *eorum, quæ in terra sunt, regem*, superis autem subditum, terrenum et cælestem, caducum et immortalem, visibilem et invisibilem, medium inter magnitudinem et humilitatem, eumdem spiritum et carnem: ita Gregorius. Si spiritum sequatur, regnat: si carnem, servus est. Secundo, gratia divina reges consecrat. S. Macar. hom. 17. pag. 110. *Sicut*, inquit, *prophetarum temporibus, unctio quippiam erat plane pretiosum, cum in reges et prophetas ungerentur: ita nunc spirituales, qui cælesti unctione uncti sunt, per gratiam evadunt Christiani:* ὥστε εἶναι αὐτοὺς βασιλεῖς καὶ προφήτας ἐπουρανίων μυστηρίων: *Ita ut ipsi sint reges et prophetæ cælestium mysteriorum.* Tertio denique, reges sunt sancti in cælo per gloriam, quæ est tertium diadema additum coronæ naturæ et gratiæ. Coronas aureas habent Apoc. 4. Ipsi dicunt c. 5. v. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum*, id est reges, *et sacerdotes: et regnabimus super terram.*

Tropol. Christus offert regnum filiis suis.

61. Secundo, humilitate ad imperium pervenitur: *Da imperium puero tuo.* Matth. 23. *Qui se humiliat, exaltabitur.* S. August. lib. 6. de civit. cap. 4. *Tutam*, inquit, *veramque ad cælum viam molitur humilitas, sursum levans cor ad Dominum.* S. Chrysost. hom. 40. in 1. ad Corint. *Sedebis*, inquit, *in curru humilitatis*, μέχρι οὐρανῶν σε ἀνάγοντος, πτηνοὺς ἔχοντος ἵππους, *qui te in cælum sustollit, qui equos alatos habet: sin autem ab illo cecideris, et in arrogantiæ currum transieris, nihilo melius afficieris, quam serpentes humi repentes; imo vero miserius, ac miserabilior*: ita Chrysost. Serpens antiquus, cum similis Deo fieri voluit, in monte frigido et Aquilonari sedit, periitque. Nunc etiam in superbiæ monte glaciali et nivoso impii pereunt. Hoc explicari potest facto temerario et calamitate Annebaldi Mareschalli Franciæ Alpes incommodo tempore transeuntis. Cum enim ad radices montis illius nivosi venisset, monitus est tempestatem ibi esse exortam: voluit tamen eo ipso die, contra sententiam omnium viæ ductorum, quibus notæ sunt eæ procellæ, iter prosequi. Sed cum ad montis medium venisset, tanta nivis tempestas exorta est, ut plurimi interierint, alii cæcati sint, aliis pedes frigore concreti, ac plerique tota vita perfectam sanitatem non recuperarint. Mareschalius vero, cum ad montis planitiem evasisset, adeo inops erat consilii, viæque ipsi duces, ut, nisi ex hospitiolis accurrentes aliqui præsto fuissent, eamdem cum aliis sortem fuisset experturus. Nobiles præsertim, et ipsi reges, sub Deo se humilient, eiusque servos se profiteantur, si recte præesse ac dominari volunt. Agapetus Diaconus in capitulis paræneticis ad Iustinian. Imperat. Sicut, inquit, Imperator est Dominus omnium, ita cum omnibus Dei servus existit. Tunc igitur demum vocabitur Dominus, cum ipse sibi dominari, nec illicitis voluptatibus famulari patitur: tunc adiutricem piam rationem assumens, ἀήττητον αὐτοκράτορα ἀλόγων παθῶν, *invictam scilicet Imperatricem animi perturbationum rationis expertium*, indomitas cupiditates armatura castimoniæ debellabit: ita Agapetus.

Humilitate ad regnum venitur.

Annebaldi periculum in Alpibus.

62. Tertio, humilitati addendum est patrocinium Deiparæ, ut in regno gratiæ conserveris: *Et salvum fac filium ancillæ tuæ*, id est, Virginis. Cosmas Ierosol. hymno 5. sic canit: *Insuperabilem*, o Domina, *spem tuam* habens servabor: defensionem tuam possidens, non timebo. Persequar inimicos meos, et in fugam vertam: solam habens, *velut thoracem* protectionem tuam, et omnipotens auxilium tuum. Amedæus homil. 8. de laud. B. Virginis: Omnium, inquit, de quacumque tribulatione clamantium illa libens preces suscipit, et nato supplicans, omne malum ab eis miseratrix avertit. Enimvero *sicut ignis attactu cera liquescit, et velut ardore solis defluit glacies*, sic ab eius facie inimicorum deperit acies, eaque iubente nihil adversi subsistit: ita Amedæus. Utile est a probis maioribus ortum ducere. Humerus, qui e Sinensi regione Tartaros expulit, et rex creatus est, primogenitis eorum ducum, quorum ope Rempublicam liberavit, concessit ut in lamina ferrea adiustar pateræ exsculpta, viserentur præclara illa facinora, quæ a familiæ capite sub Humero rege, ad regni liberationem patrata sunt. In horum gratiam, delicti cuiuslibet impunitatem etiam morte plectendi, impetrabit etiam tertio, qui eam laminam regi obtulerit: qua visa rex quoties condonat, in ea cælari iubet indicium quoddam, ex quo intelligatur, quoties ea lamina veniam impetrarit. Non ter tantum, sed quoties necesse est, ostensa Christo mater nos conservat. In eius filiatione gloriandum est. Filius primogenitus regis Francorum adeo augustus est titulus, ut regum ipsorum titulis præponatur. Philippus enim Pulcher, et Ludovicus Hutinus regum filii, et reges Navarræ propter uxores suas, viventibus parentibus suis, sic titulos scripserunt: Philippus, aut Ludovicus primogenitus regis Franciæ, Dei gratia Navarræ rex: ita illi. Tu te filium Mariæ nomina, et illum titulum regnorum omnium titulis illustriorem et utiliorem iudica. S. Stephanus Hungariæ rex, eam simpliciter et absolute Hungariæ Dominam dici imperavit. Miramur Comiti Sancerræ Sandiserium contra Carolum V. Imper. tutanti, ensem nudum a dextra manu globo maioris tormenti ablatum esse, ipso comite illæso, qui assultantem hostem e muro repellebat. Miramur Franciscum a Lotharingia,

Humilitati adde opem Deiparæ.

ducem Aumalæ, adhuc adolescentem, lancea inter oculos nasumque vulneratum, ferro in caput ad dimidium pedem impacto, et ibi hærente, non esse tamen mortuum. Maiora in servorum suorum corporibus et animabus perpetrat, ut videre est apud Bonifacium nostrum in hist. Mariæ. Ipsa est lignum vitæ, sicut loquitur Andreas Mediolanensis, Ord. Eremit. in eod. M. S. de excellenti Mariæ dignitate. Est armarium vitæ, ut ait Chrysippus ser. de laud. Virg. ταμιεῖον ζωῆς. Ipsa est stella vitæ, ut dicit Hesychius serm. 2. de B. Maria. Dicamus itaque Deo: *Salvum fac filium ancillæ tuæ*. Si nobis deest humilitas, qua ipsi placeamus, eam ipsa nobis dabit, et salvos nos faciet a superbia animam perturbante. Richard. a S. Laur. lib. 2. de laudib. Virgin. part. 1. Maria protegit nos in umbra humilitatis contra ventum inanis gloriæ, vel tempestatem superbiæ. S. Birgitta lib. 2. Revelat. cap. 23. Tu, ait, filia mea veni, *et absconde te sub mantello meo*. Hic est exterius contemptibilis, intus vero utilis propter tria: primo, obumbrat ab aere intempestuoso: secundo, munit a frigore urente: tertio, defendit contra nubium imbrem. Hic mantellus humilitas mea est: hæc ibi.

63. *Servos suos consolatur Deus.* Quarto denique, servos suos consolatur Deus: *Tu Domine adiuvisti me, et consolatus es me*. S. Paulinus epist. 5. ad Severum Sulpitium: Nobis, ait, licet dicere: mundus nos non amat, sed amat Christus. Homo negligit, sed Deus diligit. Inimici hominis, domestici eius: sed rursum, amici hominis, domestici Dei: ita ille. Dat signum in bonum. Nicetas in vita S. Ignatii Patriarchæ Constant. tom.

A 7. Concil. ait, signis visibilibus Deum esse testatum, qua benevolentia eum persequeretur. S. Ignatius inquit, tam pie et religiose rem divinam faciebat, ut in ipso altari videre esset aperta Spiritus sancti præsentiæ argumenta. Nam videbatur panis divinus penitus immutatus, totusque veluti cælestis carbo, gratiæ radios spargere cælestis flammæ. Crucis quoque signum, quod aræ desuper imminebat, sæpe placide concuti videbatur, cum sacra hostia extollebatur, sancti Spiritus videlicet significans obumbrationem. Sed ipso die Paschæ adeo vehementer commotum est, ut Presbyteri et Episcopi omnes, iique maxime, qui ex aliis Patriarchiis aderant, mysterio perculsi, ingenti voce diutius numen laudibus celebrarint: ita Nicetas. In Eucharistia participantes Christi sanguini non possunt non accipere consolationem. Vincentius Gonzages Mantuæ quartus, et Montisferrati secundus dux, erexit Ordinem in honorem sacrosancti Saguinis Redemptoris nostri Iesu Christi, cuius guttulæ aliquot a Longino centurione et martyre, ut traditur, collectæ, Mantuæ in D. Andreæ basilica cum parB te spongiæ dominicæ, eiusdemque Apostoli reliquiis, magna religione asservantur. Harum enim guttularum numero ternario expressarum notas cum hac inscriptione: *Nihil illo triste recepto;* Ordinis tesseram constituit, ut ait Franc. Mennenius in symbolis et originib. equestrium Ordinum. Gratia quoque, quæ est præmium illius sanguinis pro nobis effusi, filios Dei iuvat et consolatur. Tu eam lætus suscipe, fove, et fuso, si necesse est, proprio sanguine, adauge.

PSALMUS OCTOGESIMUS SEXTUS.

1. Filiis Core, Psalmus Cantici.

2. Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.
3. Gloriosa dicta sunt de te: civitas Dei.
4. Memor ero Raab et Babylonis: scientium me.
5. Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum: hi fuerunt illic.
6. Numquid Sion dicet, homo et homo natus est in ea: et ipse fundavit eam Altissimus?
7. Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum, horum qui fuerunt in ea.
8. Sicut lætantium omnium: habitatio est in te.

PSALMI OCTOGESIMI SEXTI ANALYSIS.

Propheta noster Ecclesiam sub typo Sionis contemplans, describit.
- Fundamenta eius, posita in montibus sanctis. 2.
- Portas, a Deo, amore summo, exornatas. 2.
- Muros, domus, palatia, etc. omnium laude dignissima. 3.
- Cives, ex omni natione collectos, sub figura.
  - Ægyptiorum. 4.
  - Babyloniorum. 4.
  - Palæstinorum. 5.
  - Tyriorum. 5.
  - Æthiopum. 5.
- Regem in ea natum Christum. 6.
- Conditorem et conservatorem eius, Deum. 6.
- Annales, Scripturas sacras, 7. in usum
  - Plebeiorum. 7.
  - Et magnatum. 7.
- Exercitia civium, perpetuam in Deo lætitiam. 8.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Filiis Core, Psalmus Cantici.

1. *Laus huius Psalmi.* Psalmus hic, ut ait S. Augustinus, brevis est numero verborum, magnus est pondere omnium sententiarum. Glossa Ordinaria vocat plenum spiritu. Titelmannus dicit, in eo esse maiestatem. Dionys. Carth. Parvus est, ait, quantitate, brevis verbo, sed magnus scientia.

Argumentum eius. I. Hebræi illum explicant Primo, de civitate Ierusalem, quam ædificavit Salomon, eam claudendo triplici muro: et de templo, quod ibi ædificavit. Lyranus, id refutat:

C quia, inquit, cum dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*, in Hebræo dicitur *sela*, quod perpetuitatem significat a parte post: propter quod S. Hieron. addit hic, semper: quod est omissum in translatione communi. Civitas autem et templum, quod ædificavit Salomon, non duravit in perpetuum, sed solum 420. annis secundum Hebræos, et tunc Nabuchodonosor civitatem et templum destruxit et succendit: ita Lyranus: sed infirmo nititur

fundamento; nam *sela*, seu *cela*, ut non recte scribit, aliis de causis in Psalmis ponitur, ut dixi Ps. 3. satis fuse. Malim dicere, nimis augusta esse, quæ hic dicuntur in Psalmo, ut totaliter terrenæ Ierusalem conveniant.

II. Secundo, Hebræi explicant Psalmum de Ierusalem et templo reædificandis per regem Messiam, quem adhuc expectant, nobilius et altius quam fuerint tempore Salomonis: unde dixerunt aliqui ipsorum, quod in adventu Messiæ mons Sion elevabitur in altum: quia Dominus transferet ibi montem Sinai, et montem Thabor, et montem Carmeli: et super istos elevabitur mons, inducentes ad hoc illud Isaiæ 2. 2. *Erit in novissimis diebus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles:* et sic secundum eos dicitur in principio huius Psalmi: *Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion.* Et tres dicuntur montes sancti prædicti: quia in uno data fuit lex, Exod. 20. 1. in alio ostensa victoria Barachi, Iudic. 4. in tertio, descendit ignis de cælo super sacrificium Eliæ, 3. Reg. 18. 38. Sed, ut recte ait Lyranus, dictum istorum prima facie videtur ridiculum et fictitium: propter quod R. Salomon reprobat ipsum, super Isaiam dicens: quod elevatio domus Domini est intelligenda secundum magnitudinem signorum et mirabilium, quæ fient ibi in adventu Messiæ, qui reædificabit templum et civitatem Ierusalem in monte Sion: et ibi adducentur Iudæi, qui sunt dispersi per orbem; quia gentes, apud quas sunt dispersi, audientes mirabilia Dei, quæ tunc fient ibi: filios Israel, quos invenient in terris suis, mittent honorifice, offerentes eos donum Domino: et inducit ad hoc auctoritatem Isaiæ 66. 19. *Annuntiabunt gloriam meam gentibus: et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, et quadrigis, et lecticis, et in mulis, et in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus.*

III. Et optime. Tertio, et optime, Propheta noster sub typo terrenæ Ierusalem bene munitæ, gloriosæ, atque populosæ, describit Ecclesiam conflatam ex militante et triumphante: illa est enim Ierusalem cælestis, nova et divina: ita S. Aug. S. Hieron. Iansen. Ludolphus, Tirinus, et alii. Symbolice, de Deipara exponam artic. 4. et ultim.

2. Relativum eius sine antecedente. Nota, crediderim Davidem hunc Psalmum cecinisse, cum e fenestra palatii sui regii, aut e tecto eius plano, more Iudæorum modo Sionem et subiectam illi Ierusalem, modo cælum contemplaretur; unde exclamat: Fundamenta *eius* in montibus sanctis: ponens relativum eius sine antecedente; quia rem, de qua loquebatur, ante oculos habebat: non male tamen notat Mariana, apud Hebræos sæpe relativum poni sine antecedente, aut illud præcedere. Sed arbitror eius rei præcipuam causam esse, quod Prophetæ, apud quos id sæpius fit, rem de qua prophetabant, velut præsentem intuerentur, ac veluti digito indicarent, et in eius intuitu et amore absorpti hærerent. Sic Sponsa amore rapta incipit canticum, cap. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Non dicit, de quo loquatur. Licet ibi quis iure putet esse alium Hebraismum, quo præsentem sponsum alloquitur in tertia persona. Magdalena quærens Iesum suum dicit ei ignoto, et in specie hortulani apparenti post resurrectionem, Ioan. 20. 15. *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, et ego eum tollam:* ubi ter ponit relativum sine ullo antecedente. Qui amant, putant omnes de suo amato cogitare, et quæ a se de illo dicuntur, ab omnibus intelligi.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3. QUATUOR COMPLECTITUR, PRIMO, STRUCTURAM TOTIUS ECCLESIÆ, VERS. 2. SECUNDO, ILLIUS CIVES, VERS. 4. TERTIO, REGEM, VERS. 6. QUARTO DENIQUE, EXERCITIA ET OFFICIA CIVIUM, VERS. 8.

PARAPHRASIS.

2. *Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.*	2. Civitas Ierusalem in montibus Moria et Sione radicatur et firmatur: eamque Deus reliquis Israelitici populi urbibus prætulit, in ea sibi sedem eligens. Ecclesia vero Christi in Apostolis et Apostolicis viris, velut in sanctis celsisque montibus statuetur, et synagogæ præferetur.
3. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*	3. O civitas a Deo fundata, decorata, et habitata! quis ea mente complectatur, quæ a Prophetis de tuis muris, turribus, plateis, domibus, palatiis, templis, civibus, cæterisque prædicta sunt?
4. *Memor ero Raab et Babylonis, scientium me.*	4. Unum hoc a Deo promissum mihi maxime sapit: quod non Israelitas modo civitatis huius ambitu complexurus sit; sed universi orbis homines, ipsosque, qui prius hostes fuerant, Ægyptios et Babylonios, ad veri Dei notitiam traductos.
5. *Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.*	5. Philisthæi ipsi, Tyri, longeque positi Æthiopes, cæterique populi in eam admittentur, non ut advenæ et peregrini, sed ut cives et indigenæ, in ea per baptismum regenerati.
6. *Numquid Sion dicet: homo et homo natus est in ea: et ipse fundavit eam Altissimus.*	6. Quapropter Sioni dicent omnes, plurimos in ea natos esse, eamque esse populorum omnium fœcundam parentem: ac Deum, qui potestate, maiestate, cæterisque est maximus et celsissimus, propriis etiam manibus stabilivisse, et inconcussam reddidisse.
7. *Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum, horum qui fuerunt in ea.*	7. Deus ipse hanc Ecclesiæ suæ fœcunditatem in Scripturis aperiet, in quibus et populum suum, et principes eius Apostolos, qui in ea eminebunt, per Prophetas suos et Evangelistas describet.
8. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*	8. Id quoque Sioni huic fortunatæ ab omnibus dicetur: Nullus in te mœror est, aut tumultus, ob confluentium populorum multitudinem: sed iugis lætitia, tum in hac vita, tum præsertim in futura.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTA CURA ET AMORE DEUS ECCLESIAM SUAM REGIT ET EXORNAT.

4. Ordo Sectionis. PROPHETA in contemplationem Ecclesiæ sub Sionis typo absorptus, et in admirationem eius raptus, illam laudat et prædicat a fundamentis, portis, reliqua structura, civibus, rege, officiis.

Primo, a fundamentis, et eorum situ, v. 2. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Secundo, a portis, et earum ornatu: *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* Tertio, a reliqua structura, v. 3. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Quarto, a civibus ex omni natione, etiam Gentilium collectis, v. 4. *Memor ero Raab et Babylonis, scientium me;* et v. 5. *Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum. hi fuerunt illic.* Quinto, a rege ibi nato, v. 6. *Numquid Sion dicet: homo et homo na-*

tus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Sexto, a legislatore, v. 7. *Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum qui fuerunt in ea.* Septimo denique, ab officio civium, quibus unum id opus est, lætari in rege, et cum rege suo, v. 8. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

ARTICULUS I.

Ecclesiæ fundamenta, portæ, et structura.

5. Vers. 2. Ierusalem fundata in duobus montibus. Duo ad urbem eximiam requiruntur, nempe natura et ars: ut scilicet in bono et commodo loco ponatur, et deinde labore et industria exornetur, v. 2. FUNDAMENTA EIUS IN MONTIBUS SANCTIS, DILIGIT DOMINUS PORTAS SION SUPER OMNIA TABERNACULA IACOB, seu Israel: utroque enim nomine tum Patriarcha Iacob, tum populus Israel ab eo descendens appellatur. Ierusalem porro, de qua ad litteram hic est sermo, fundata erat in duobus montibus, Sione scilicet, ubi erat aula Davidis, et aliorum regum; fuitque instar arcis civitati Ierusalem subiectæ: et in monte Moria, in quo templum suum extruxit Salomon. Circa ipsam Ierusalem erant vicini alii montes. Unde Ps. 124. 2. dicitur: *Montes in circuitu eius.* 1. Mons olivarum ad orientem positus distabat ab ea urbe gressibus sive passibus minoribus mille et ducentis. 2. Ad austrum mons offensionis, ubi Salomon excitavit idolum Chamos, 3. Reg. 11. 7. — 3. Ab occidente ager fullonis, terminatus in montem Geon urbi imminentem. 4. In latere aquilonari inter austrum et ortum mons, in quo Machabæorum tempore castrum constructum est. Quin etiam Iudæa tota montana est.

6. Nota, τὸ *eius* ponitur sine antecedente, aut certe ante illud, nempe ante Sionem: qua de re dixi in titulo. Secundo, τὸ *eius* est masculini in Hebræo, et Græce etiam est αὐτοῦ. Hinc primo S. Augustinus alibi, et S. Hieronymus epist. 26. illud relativum ad Deum referunt, q. d. Fundamenta Domini, id est, quæ constituit Dominus, de quo dictum est: *Ædificans Ierusalem Dominus.* Tertio, Euthymius et S. Basilius τὸ *eius*, referunt ad Christum, qui fundamenta sua, id est, prima fidei dogmata, iecit in montibus: hoc est, in mentibus Apostolorum. Quarto, et melius, Urbium nomina aliquando masculina apud Hebræos alii τὸ *eius* referunt ad Sionem: tum quia, ut ait Genebrardus, interdum quoque apud Hebræos masculina sunt nomina urbium, generisque mutatio non rara est in Scripturis. Michææ 5. 2. epithetum urbis Bethlehem est masculini generis צעיר *tsair*, id est, parvus, tum quia civitas de qua hic loquitur, nihil aliud est, quam populus: itaque ad sensum respicit potius, quam ad verba. Non placet, quod Hebræi τὸ *eius* cum titulo iungunt, q. d. ait Mariana, fundamentum eius cantici in montibus sanctis: id est, montes sancti sunt argumentum Psalmi. Sed recte ipse ad Sionem refert.

7. Fundamenta Ecclesiæ in montibus. Nota secundo, fundamenta Sionis, id est Ecclesiæ, sunt in montibus: id est sunt firma et solida; 2. excelsa et sublimia. Sic principes et reges sibi castella et arces construunt in montibus ad maiestatem et securitatem. In Æthiopia Abassinorum mons est munitissimus, ubi regum filii manent, de quo hæc refert Ioan. Petr. Maffæus lib. 11. histor. Indiarum, pag. 322. Elisabetha, inquit, regis Abassinorum mater se munitissimo tenebat loco, quo regum filii natu minores, ne quid eorum gratia seditionis existat, Mons in Æthiopia notabilis. Sinarum more includuntur: excelsa et undique abscissa est rupes, quæ ab satis lato fundo ad summum paulatim fastigiatur: inde ad fundi maxime speciem circumquaque promiuet labrum, ex quo subiecta quæque ita lustrantur oculis, ut nullus circa latebris insidiisque sit locus. Intra eius proiecturæ planitiem regia tecta cum capacissimis duabus cisternis, et ornatissimo templo et cœnobio visuntur: accedit agri quod probe cultum, in annua quingentorum fere hominum alimenta sufficiat. Uno dumtaxat, eoque perangusto, et tortuoso anfractu ad certum usque spatium ascensus est: ab eo spatio ita arrecta sunt saxa, ut funibus corbibusque extollantur demittanturve homines, quæque alia vel importanda, vel avehenda sunt. Ac demum, ea natura loci est, ut prorsus neque vi, neque fame sit expugnabilis: ita ille. Ecclesia sita est in summis 8. Ecclesia in montibus fundata dicitur ob quatuordecim rationes. montibus, sed qui sint latissimi et amplissimi, ac perennibus scaturiant fontibus, regum domus et sedes ornatissima. Rutilius Benzonus in commentario istius psalmi varias affert rationes, cur Ecclesia dicatur fundata in montibus sanctis. Primo, quia maiestatem quamdam montes præ se ferunt. Secundo, quia idonei sunt ad res promulgandas. Tertio, magna ex his utilitas capitur. Quarto, in illis tuta est commoratio. Quinto, bellatores ibi aptiores. Sexto, illic refugium. Septimo, iisdem locorum termini designari solent. Octavo, denotant fœcunditatem, ac felicitatem. Nono, illuc evocantur alii, et congregantur. Decimo, per eos provinciæ populique disterminantur. Undecimo, ampli sunt, alti, antiqui. Duodecimo, rerum in eis gestarum memoria est celebris. Decimo tertio, ornatum ac venustatem orbi afferunt. Decimo quarto, Dei providentia peculiaris in eis resplendet.

9. Fundamenta Ecclesiæ: 1. Christus. Quæres, quænam sint Ecclesiæ fundamenta? Primo, fundamentum Ecclesiæ tam triumphantis, quam militantis Christus est: imo est fundamentum fundamentorum, ut hic eum vocat S. Augustinus: *Omnis,* inquit, *ista compages Sionis ubi innititur, ubi incumbit, ut nusquam cadat? Ipso, inquit, summo angulari lapide existente Christo Iesu. Dicet fortasse aliquis: Si angularis lapis est Christus Iesus, in illo quidem duo parietes compaginantur. Neque enim angulum faciunt, nisi duo parietes in unum de diverso venientes. Sic et populi duo ex circumcisione et ex præputio ad pacem Christianam sibimet connexi in una fide, una spe, una charitate. Sed si angulus summus Christus Iesus, quasi videntur priora fundamenta, et posterior lapis angularis. Potest ergo aliquis dicere, quia magis Christus super Prophetas et Apostolos incumbit, non illi super illum, sed illi sunt in fundamento, ipse in angulo. Sed cogitet qui hoc dicit, angulum et in fundamento esse. Neque enim ibi est angulus, ubi videtur ut surgat in apicem, a fundo enim incipit. Nam ut noveritis, quia fundamentum Christus et primum et maximum. Fundamentum, inquit Apostolus, nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Quomodo ergo fundamenta Prophetæ et Apostoli? Et quomodo fundamentum Christus Iesus, quo ulterius nihil est? Quomodo putamus, nisi quemadmodum dicitur Sanctus sanctorum, sic figurate fundamentum fundamentorum? Si ergo sacramenta cogites, Christus Sanctus sanctorum. Si gregem subditum cogites, Christus pastor pastorum. Si fabricam cogites, Christus fundamentum fundamentorum.* Ac paucis interiectis docet, illum lapidem angularem et fundamentalem Christum esse in summitate ædificii. Origo, ait, fundamenti huius summitatem tenet. Et quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo est, sic fundamentum spiritualis fabricæ in summo est. Si ad terram ædificaremur, in imo ponendum nobis erat fundamentum. Quia cælestis fabrica est, ad cælos præcessit fundamentum nostrum: ita Augustinus. Ab Isaia vocatur cap. 28. 16. *Lapis probatus, angularis, pretiosus, in fundamento fundatus.* In psalmo nostro pro *fundamenta*, Hebraice est fundamentum.

II. Apostoli. Secundo, fundamenta Ecclesiæ sunt Apostoli et Prophetæ. Ephes. 2. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum,* id est, super Apostolos et Prophetas, qui sunt fundamentum Ecclesiæ, ait Cornelius. Apostolorum enim et Prophetarum fidei, doctrinæ, prædicationi, institutioni, quasi fundamento Ecclesia incumbit: Christus est fundamentum fundamentorum, quod se ipso consistit, omnia sustentat, ipsosque Apostolos. Apostoli vero sunt secundaria fundamenta. S. August. in Ps. nostr. Quare, inquit, sunt fundamenta Apostoli et Prophetæ? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram.

III. Virtutes. Fides. Tertio, fundamenta Ecclesiæ sunt virtutes. Primo, fides. Adalbertus Episcop. Morinensis scribens Hincmaro Remorum Archiepiscopo, tom. 2. Conciliorum: *Fundamentum*, ait, *bonorum operum, per quod ad cæleste regnum gratia Dei pervenitur, fidem, quæ per dilectionem*

operatur, esse non dubium est. Clemens Alex. fidem vocat basim veritatis. Sic enim loquitur lib. 2. Strom. pag. 373. Sicut absque elementis quatuor non possumus vivere: ita nec absque fide possumus assequi cognitionem. Hæc est enim κρηπις αληθειας, basis veritatis. Proclus Episcop. Constant. tract. de fide ad Armenios, qui extat tom. 1. Biblioth. Græc. Patr. pag. 311. Fides, inquit, παντων αρετων υπαρχει κεφαλαιον, omnium virtutum est caput. Secundo, spes in Deo est fundamentum Ecclesiæ, et animæ sanctæ. S. Chrysostomus tom. 2. pag. 754. hom. 56. in Genes. Spem, inquit, omnem in Deo statuamus, αυτη βεβαια, και ακινητος, *ipsa firma est, et immobilis,* et mutationem non recipiens, ut spes in hominibus defixa. S. Gregor. Naz. orat. 4. pag. 123. securos esse docet eos, qui præter spem in Deum nulla arma, murum, aut præsidium habent. Philo lib. Quis rerum divinarum hæres, dicit, spem in solo Deo habere, esse rem magni animi et cælestis, non inescati captique rebus terrenis. Et lib. de plantatione Noe p. 168. dicit, legem Dei esse, οχυρωτατον και βεβαιοτατον ερεισμα ολων, firmissimum et munitissimum fulcrum rerum omnium, et vinculum non rumpendum in perpetuum. Sperent itaque, qui eam legem sequuntur, fore ut quærentibus primo regnum Dei cætera adiiciantur. Tertio, charitas est Ecclesiæ et animæ piæ fundamentum. Ephes. 3. 17. *In charitate radicati et fundati.* 1. Cor. 13. 1. ait: Si linguis hominum loquar, aut angelorum, charitatem autem non habeam, factum sum *velut æs sonans, aut cymbalum tinniens:* quæ fundamento carent, sed inanem sonum in aere emittunt. Varia deinde percenset Apostolus, et se sine charitate nihil esse dicit. S. Zeno sermon. de fide, spe, et charitate, verbo rem absolvit: Nihil habet, inquit, qui charitatem non habet. Proclus tract. de fide ad Armenos, dicit, ipsam fidem, quæ est primum gratiæ, donorum, et virtutum fundamentum, charitate stabiliri. Fides, ait, speculum est charitatis, charitas autem βεβαιωσις υπαρχει πιστεως, *est stabilimentum fidei.* Quarto, iustitia vocatur fundamentum. Isaiæ 54. 14. *In iustitia fundaberis.* Quinto, pœnitentia. Hebræorum 6. 1. *Fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.* Sexto, temperantiæ. Philo, libro quod omnis probus est liber: Temperantiæ, inquit, ωσπερ θεμελιον, tamquam fundamento, cæteras virtutes superstruunt. Septimo denique, omnes virtutes sunt Ecclesiæ et animæ sanctæ fundamentum. Apocal. 21. 19. *Fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, iaspis: secundum, sapphirus: tertium, chalcedonius: quartum smaragdus: quintum, sardonyx: sextum, sardius: septimum chrysolithus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: undecimum, hyacinthus: duodecimum, amethystus.* Ioachimus Abbas iaspidem tribuit Petro, sapphirum Andreæ, chalcedonium Iacobo maiori fratri Ioannis Evangelistæ, smaragdum nostro Ioanni, sardonychem Philippo, sardium Bartholomæo, chrysolithum Matthæo, beryllum Thomæ, topazium Iacobo minori fratri Domini, chrysoprasum Iudæ fratri prædicti Iacobi, hyacintum Simoni, amethystum Matthiæ. Et quidem non est dubium ibi agi de Apostolis, cum dicatur v. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis nomina duodecim Apostolorum Agni.* In singulis tamen lapidibus possumus contemplari singulas virtutes. S. Anselmus commentario in Apocalypsim varias percenset. Iaspis, inquit, viridis virorem fidei immarcescibilem significat. 2. Sapphirus similis sereno cælo, qui percussus radiis solis, ardentem emittit fulgorem, significat altitudinem spei sanctorum, quorum conversatio est in cælis, qui et a vero sole innovati ardentius æterna quærunt, et alios quærere docent. 3. Chalcedonius, quasi pallens ignis lucernæ nitet, et fulget sub dio, non in domo, significat flammam charitatis internæ, quæ in abscondito bona agit: sed cum aliis prodesse iubetur, mox apparet quid fulgoris habeat intus, sculpentibus resistit, ictu solis vel digitorum attritu excandens, ad se paleas trahit, id est, sancti, a nullo queunt vinci, et ad se fragiliores trahunt. 4. Smaragdus nimiæ viriditatis, super herbas et frondes Scythiæ invenitur: id est, fortis eiusdem fidei inter adversa, quæ frigore significantur, confessio: quæ quia tanta per evangelium mundo innotuit, quanta dicitur, propter quatuor evangelia. 5. Sardonix inter virtutes humilitas, inferius niger, in medio candidus, superius rubeus, id est, sancti in passione rubei, inferius candidi, sed per humilitatem despecti. 6. Sardius sanguinei coloris, martyrii gloriam significat: sextus, quia Christus sexta hora crucifixus. 7. Chrysolithus ut aurum fulget, scintillasque emittit ardentes: id est, spiritualis inter miracula prædicatio: auro, superna sapientia, etc. 8. Beryllus est perfecta prædicantium operatio. 9. Topatius quantum rarior, tantum pretiosior: bicolor, ex auro et ætherea claritate maxime lucens, cum solis splendore tangitur: superans omnium gemmarum claritates, in aspectum suum singulariter provocans aspicientes: quem si polis, obscuras: si naturæ relinquis, clarior est: et nihil clarius regibus inter divitias: contemplativam vitam significat, quam sancti reges omnibus operum divitiis, et gemmis virtutum præferunt, et in eam maxime mentes dirigunt: et tanto amplius, quanto frequentius divina gratia illustrantur: ex interna claritate aureus color: ex dulcedine contemplationis, æthereus, quæ attritu scilicet sæpe vilescit. Vix enim poterit aliquis simul doloribus angi, et tranquilla mente gaudia cæli intueri: et sicut in octo, activa figuratur vita: sic in novem, contemplativa, quæ est angelorum, quorum sunt ordines: vel quia uno gradu abest a denario, mortis scilicet. 10. Chrysoprasus viridis aureæque misturæ, quidam etiam purpureus cum guttis aureis, et nascitur in India: significat eos, qui virorem æternæ patriæ charitate merentur, et aliis purpuram martyrii ostendunt: et quia exemplum Domini sequuntur, in India, id est prope ortum solis sunt: et quia cum Christo regnare expectant, in denario numero sunt, et decalogus implebitur per dilectionem Dei, quæ nova fuit: igitur in chrysopraso opus martyrii indicatur, et præmium. 11. Hyacinthus cum aere mutatur, in sereno perspicuus, nubilo marcescit, indicat Doctores ad alta levatos, sed propter infirmos condescendentes. 12. Amethystus est purpureus, misto colore violæ et rosæ, leniter quasdam flammas fundens; purpureus decor cælestis regni habitum, viola sanctorum verecundiam, rosa pretiosam significat mortem, qui inter adversa mente sunt in summo: qui non modo inter se, sed ad persecutores animam charitate fundant. Significat etiam amethystus, cælestis regni memoriam in animo humillimum: ita Anselmus. Vide Alcazar fuse de illis lapidibus tractantem in Apocalypsim. Cæmentum illorum lapidum in fundamento Ecclesiæ est sanguis Christi, figuratus in sanguine victimarum, de quibus Levit. 8. 15. *Fudit reliquum sanguinem, ad fundamenta altaris.* Christus cor S. Catharinæ Senensis ex eius pectore abstulit, et sanguinem inde expressit supra urbem Romam, ut indicaret, multa se Ecclesiæ bona largiturum ob eius preces, et dolores. Christi sanguis dat pacem, id est felicitatem et omnia bona mundo. Coloss. 1. 20. *Pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.*

Spes. — Charitas — Et aliæ virtutes.

Quæres secundo, in quibus montibus posita sunt fundamenta Ecclesiæ? Primo, si agitur de Ecclesia militante, fundamenta eius a Christo posita sunt in monte, in quo vicit diabolum prope desertum Quarantanæ, qui mons ab ea victoria iure mons Christi vocari debet: vulgus tamen vocat montem diaboli, quia ibi diabolus Christum tentavit, et ab eo victus recessit. 2. Christus posuit fundamenta Ecclesiæ in monte, in quo docuit beatitudines aperiens os suum Apostolis. Brocardus, Bredembachius, et Salignaiacus vocant montem Christi, quod Christus in eo solitus esset orare et prædicare, qui ab urbe Capharnaum, in qua Christus domum suam habebat tempore prædicationis, distat tribus milliaribus versus occidentem, nec procul a mari Galilææ abest, adiacetque urbi Bethsaidæ. 3. Christus posuit fundamenta Ecclesiæ in monte Thabor, qui est vicinus Nazareth, ubi Christus conceptus est, et Capharnao, ubi habitabat et prædicabat. Ibi transfigura- 10.

Christus posuit fundamenta Ecclesiæ in variis montibus agens.

tus est coram Petro, Iacobo, et Ioanne, atque se Mose legislatore, et Elia principe prophetarum maiorem esse docuit, filiumque æterni Patris. 4. Christus posuit fundamenta Ecclesiæ in monte Calvariæ, ubi S. Hier. S. Aug. et Beda dicunt Abraham iussum esse immolare Isaacum. Est enim vicinus monti Moria, et uterque videtur esse unus et idem mons, in duo iuga sive duos colles divisus: nempe in Moria et Calvariam. Ibi Christus crucifixus est, quod ibi rei solerent plecti et decollari: unde et nomen habuit a craniis seu calvariis decollatorum. Iudæi enim etiam utebantur gladio in suppliciis, ut docet Petr. Gregorius lib. 31. Syntagm. cap. 16. Et sub Romanis id crebrius fiebat. 5. Christus fundamenta Ecclesiæ posuit in Sione monte, et in monte Moria, in hoc quidem docens in templo, in illo instituens Eucharistiam in domo Ioannis, qui cognominatus est Marcus, fuitque socius sanctorum Pauli et Barnabæ in profectione et prædicatione evangelii: in eadem domo apparuit discipulis post resurrectionem; ibi orantes Apostoli receperunt Spiritum sanctum, et legem Evangelicam promulgarunt. 6. Denique, Christus in monte Oliveti posuit fundamenta Ecclesiæ, quia ibi sæpius oravit, ibi sudavit sanguinem, et in cælum ascendit.

Secundo, si de Ecclesia triumphante agitur, habet fundamenta in montibus sanctis, id est in cælis, qui ob excelsitatem et soliditatem montes dicuntur. Secundo, civitas cælestis a S. Ioanne visa est in monte. Apocal. 21. 10. *Sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam.* Alludit, ait Cornelius, ad Isaiæ 2. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium.* Mons hic non erat extra civitatem quasi eo ductus sit Ioannes ab angelo, ut eminus ex eo conspiceret civitatem: sed fuit mons ipse civitatis, sive in quo ædificata erat civitas. Nam ad ipsam civitatem in spiritu ductus fuit Ioannes ab angelo, ut cominus eam, eiusque muros, plateas et fabricam intueretur. Id ita esse patet ex eo, quod angelus coram Ioanne calamo dimensus est totam urbem, eiusque murum. Porro mons hic in cacumine, ubi erat civitas, planus erat et æqualis. Nam de civitate ipsa dicitur, v. 16. Longitudo, et altitudo et latitudo eius æqualia sunt: ita Cornelius.

11. *Montes symbolici, in quibus fundatur Ecclesia.* Tertio, si de montibus symbolicis, quibus innititur tam militans quam triumphans Ecclesia, sermo est: Primo, Trinitas sancta est mons: sive Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt montes, in quibus ponuntur Ecclesiæ fundamenta. Necessaria enim est fides Trinitatis omni Christiano: ita S. Hieronymus.

I. *SS. Trinitas.* II. *Christus.* Secundo, Christus est mons sanctus, in quo fundatur Ecclesia. Daniel. 2. 35. dicitur mons magnus. Psal. 17. 3. *Dominus firmamentum meum, et refugium meum.* Hebr. *petra mea.* In Beresith rabba, id est, in expositione magna lib. Gen. in illum versum, cap. 38. *Et egressus est Iacob de Bersabee*, dicitur: *Levabo oculos meos ad montes, unde veniet auxiliator meus, vel auxilium meum.* Hoc est quod scriptum est Zachar. 4. *Quis tu mons magne coram Zorobabel?* Mons magnus iste est Messias. Et quare ipsum vocat montem magnum? Quia maior est quam patres: sicut dictum est, Isaiæ 52. 13. *Ecce intelligit servus meus: et elevabitur, et exaltabitur, et sublimis erit.* Hic est Messias, qui elevabitur plusquam Abraham, de quo dictum est Gen. 14. *Levabo manus meas ad Dominum.* Et exaltabitur plusquam Moses, de quo dictum est Numer. 11. *Quia dicis mihi, exalta eum in sinum tuum.* Et sublimior erit, plusquam angeli ministerii, de quibus dictum est Ezech. 1. *Et sublimitas eorum, et sublimitas eis.* Propter hoc dictum est Zachar. 4. *Quis tu mons magne coram Zorobabel?* Et cur dicit coram Zorobabel? Quia de Zorobabel egressurus est: ita in Beresith.

III. *Apostoli.* Tertio, Apostoli sunt montes, in quibus fundatur Ecclesia. Montes sunt primo ob scientiæ excelsitatem. Secundo, ob cæli contemplationem. Tertio, ob lucis primam susceptionem. Quarto, ob securum in ipsis asylum. Quinto, ob soliditatem virtutum. Sexto, ob auri argentique cælestis feracitatem. Undique hi montes vallant Ecclesiam. Psal. 124. 2. *Montes in circuitu eius.* Beda in Psal. nostr. Montes, ait, vocat Patriarchas, Prophetas, Apostolos, et alios Doctores summos, qui propter fidei constantiam et virtutum eminentiam montes dicuntur. Matth. 16. 18. Petro dicit Christus: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus* (Syr. *tu es Cepha*, id est petra, sive saxum durissimum) *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Quæres tertio, quas portas Sionis intelligit Propheta? 12. *Portæ Sionis quæ.*
Respondet primo, Chald. intelligi portas templi. Vertit enim: Diligit Dominus portas sanctuarii structas in Sion, plusquam omnes domus Ecclesiarum domus Iacob: id est, plusquam omnes synagogas, quæ erant in singulis urbibus Israelitarum, ut ad eas populus conveniret ad preces, et ad audiendam legem et eius explicationem per Levitas: sed ibi non sacrificabatur, sed tantum in Ierusalem, ubi erat arca et templum. Davidis tamen tempore fiebant etiam sacrificia in Gabaon, quia ibi erat tabernaculum Mosaicum, needum extructo templo.

Secundo, et melius, intelligendæ sunt portæ civitatis ipsius Ierusalem, cum simpliciter dicatur: *Diligit Dominus portas Sion.* Ubi adverte, portarum fieri mentionem, quia in iis solebat ius reddi apud Hebræos et populus convenire; 2. ibi arma et munitiones bellicæ; 3. ibi ornatus maior. Notabile est, quod de portis palatii regis Sinarum refert Trigautius lib. 1. cap. 7. pag. 76. Palatii, inquit, regii apud Sinas portæ sunt quatuor ad totidem mundi plagas, ex adverso distributæ: quotquot ex itinere has portas prætergrediuntur, ex equo descendunt, si equitent: aut e sella, si ea gestentur, ac pedites incedunt, donec eas fuerint prætergressi. Id omnes faciunt, sed maximus quisque accuratius, et e loco remotiore: et non Pequini solum, sed in Nanquinensi quoque priscorum regum palatio religiosius, etsi dudum ibi rex non maneat. Portæ ad austrum sive internæ, sive externæ sunt triplices, media regem ingredi vel egredi solemne est: reliqui dextra lævaque admittuntur: ideo media illa ianua nunquam nisi egressuro aut ingressuro rege, aperitur: ita ibi Trigautius. *Notabile de portis aulæ regum Sinensium.* De portis et muris urbis Nanquinensis apud eosdem Sinas hæc refert Petr. Iarrius lib. 4. cap. 29. pag. 680. tom. 2. Triplici, inquit, muro lateritio Nanquinum cingitur: quorum quilibet tam latus est, ut in summo currus duo simul possint agi. Primus murus et interior sex millia passuum circuitu suo complectitur, quæ leucam cum dimidia conficiunt. Duodecim aditus habet, atque in singulis portas quatuor, quarum quælibet ab alia iactu lapidis dividitur. *Muri et portæ Nanquini.* Omnes hæ portæ laminis ferreis, et quidem spississimis totæ vestiuntur, et in muro portis proximo tormenta multa bellica militesque statuuntur. Intra murum hunc palatia sunt regia, et circa illi horti plurimi, stagna, et domus multæ ad recreationem accommodatæ, in quibus nemora feris referta. Intra hunc etiam murum domus sunt Mandarinorum, et litteratorum, magnique nominis et auctoritatis virorum. Secundus murus viginti milliaria Italica continet, aut quinque leucas Gallicas, ex eadem materia et pari latitudine et firmitate cum primo muro. Tertius denique murus ad quadraginta milliaria extenditur, quæ leucas decem explent: hæc Iarrius. Sed quid hæc sunt, si cum Ecclesia totum orbem complexa conferas?

Quæres quarto, quænam sunt portæ Sionis spiritualis, 13. *Portæ symbolicæ, Ecclesiæ sunt:*
sive Ecclesiæ? Primo, Christus, cum ipse dicat Ioan. 10. 9. *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur: et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet:* non potest enim quis intrare in Ecclesiam et in cælum, nisi per Christum, et per fidem in ipsum. *I. Christus.*

Secundo, portæ Ecclesiæ sive in terris, sive in cælis sunt Apostoli, et Apostolici viri, qui per suam prædicationem iter aperiunt. *II. Apostoli.* Chald. in textu Nebiensis reddit: *Diligit Dominus portas studiosorum:* id est portas templi, in quo Scribæ, seu Doctores legis populum docebant legem Dei. Apoc. 21. 12. *Habebat murum magnum et altum habentem portas duodecim, et nomina inscripta quæ sunt nomina duodecim tribuum Israel. Ab oriente portæ tres: et ab aquilone portæ tres, et ab austro portæ tres, et ab occasu portæ*

tres. Non plures portæ in una mundi parte ponuntur, quam in alia: omnibus enim aditus hic patet: et in totum orbem terrarum missi sunt viri Apostolici. Sacerdotes quoque omnes, portæ sunt Ecclesiæ, quia per eos in ipsam intratur. Concil. Paris. 6. can. 7. pag. 648. anno 829. Ludovici Pii 16. celebratum, id declarat ex Prospero lib. de
III. Sacerdotes. contempl. et activa vita: *Sacerdotes,* ait, *post Dei gratiam divinæ voluntatis fiunt iudices; Ecclesiarum post Apostolos, fundatores: fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, et male sibi consciis etiam ipso visu terribiles: vindices oppressorum, patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cælestium præmiorum, exempla bonorum, documenta virtutum, et forma fidelium. Ipsi sunt decus Ecclesiæ, in quibus amplius fulget Ecclesia. Ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis, innititur omnis multitudo credentium. Ipsi ianuæ civitatis æternæ, per quas omnes, qui credunt, ingrediuntur ad Christum. Ipsi ianitores, quibus claves datæ sunt regni cælorum:* ita ibi.

IV. Sacramenta. Quarto, portæ Ecclesiæ sunt sacramenta, præsertim baptismus ac pœnitentia. Valentia quatuor sacramenta portas Ecclesiæ facit; 1. baptismum, ad intrandum; 2. pœnitentiam, ad redeundum; 3. ordinem, ad ascendendum; 4. extremam unctionem, ad exeundum.

V. Virtutes. Quinto, portæ Ecclesiæ sunt virtutes, ait S. Hieronym. aditum enim ad Deum pandunt: sic vitia sunt portæ mortis. Unde Ps. 9. 15. canitur: *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.*

VI. Articuli fidei. Sexto denique, portæ Ecclesiæ sunt articuli fidei, ait Valentia, earumque portarum clavis est fides.

14. Apostoli fundamenta et portæ. Dices, quomodo Apostoli sunt fundamenta et portæ Ecclesiæ? S. August. huic obiectioni respondet in Psal. nostr. *Quare,* inquit, *sunt fundamenta Apostoli et Prophetæ? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portæ? quia per ipsos intramus ad regnum Dei: prædicant enim nobis. Et cum per ipsos intramus, per Christum intramus. Ipse est enim ianua. Et cum dicuntur duodecim portæ Ierusalem, et una porta Christus, et duodecim portæ Christus: quia in duodecim portis Christus:* hæc Aug.

15. Duo in portis spectantur. Nota, in portis spectatur firmitas et robur. Psal. 147. 1. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortavit seras portarum tuarum.* Secundo, in portis spectatur ornatus. Tobias senior admirans cælestem Sionem, Tob. 13. 21. *Portæ Ierusalem,* ait, *ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius.* Apocal. 21. v. 21. ait Ioannes, qui portas illas viderat: *Duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas. Singulæ portæ ex singulis margaritis.* Quales gemmas esse oportet, ut singulæ portam unam
Gemmæ a rege Persidis missæ Imp. paradisi faciant? Miramur gemmas a rege Persidis oblatas Imperatori Germaniæ, anno 1610. cum esset Pragæ in Bohemia, ut se cum eo in Turcas uniret. Crucem auream obtulit variis lapillis pretiosis ornatam, in quorum uno erat effigies Deiparæ Iesum ulnis tenentis, eaque tanto artificio erat facta, ut a natura id esse videretur: duos præterea obtulit topazios, album unum, violaceum alterum, tantæ magnitudinis, ut ex eo vas confici posset: amethystum unum magnitudine ovi gallinæ: lapidem album, colore aqueo, qui collo appensus a peste præservet, ut ait Michael Baudier lib. 17. p. 759. hist. Turcarum. Magna sunt et præclara, sed quid sunt, si compareutur cum gemmis portarum cælestium?

16. Vers. 3. Elogia Constantinopolis. Nota, desperans Propheta se posse explicare omne decus Sionis, præsertim cælestis, admirans exclamat v. 3. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, Syr. civitas Dei nostri. Psal. 47. 1. vocatur civitas regis magni, et toto Psalmo describitur: illum consule. S. Gregor. Naz. orat. 32. p. 517. laudans Constantinopolim: Hæc civitas, ait, est οἰκουμένης ὀφθαλμός, *orbis oculus,* terra marique potentissima, orientalis atque occiduæ oræ σύνδεσμος, velut nodus et vinculum, ad quam extremi totius terræ fines concurrunt, et a qua incipiunt, ὡς ἐμπόριον κοινὸν πίστεως, velut a communi fidei emporio: ita Gregorius. De terrena

A Ierusalem gloriosa dicta sunt: Primo quod esset civitas regia et sacerdotalis. Secundo, quod in ea esset templum et arca. Tertio, quod in ea sola licitum esset sacrificare a tempore templi dedicati. Quarto, quod in ea fides vera maxime floruerit, cum in regno Samaritano omnes reges fuerint idololatræ. Quinto, quod opibus et civium multitudine floreret. Sexto, quod triplici, eoque fortissimo et ornatissimo muro cincta esset. Septimo, quod in ea regnaverint Christi maiores. Octavo denique, quod Christus in eius templo fuerit præsentatus, quod ibi docuerit, miracula fecerit, Eucharistiam instituerit, passus sit, sepulcrum elegerit et reliquerit, Spiritum sanctum miserit. De illa, velut Ecclesiæ typo, dicitur Isa. 60. 15. *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem et generationem.* Et cap. 33. 20. *Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi eius in sempiternum, et funiculi eius non rumpentur.* De cælesti Ierusalem lege cap. 21. Apocalypsis. Conclude cum Tobia cap. 13. 20. *Beatus ero, si fuerint re-*
B *liquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem. Portæ Ierusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur, et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido et mundo omnes plateæ eius sternentur: et per vicos eius Alleluia cantabitur.* Tunc dicemus cum Propheta nostro Psal. 101. 17. *Ædificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.*

Gloriosa de Ierusalem dicta.

ARTICULUS II.

Ecclesia Dei gentes omnes totius orbis complectitur.

A fundamentis, portis, cæterisque gloriosis in civitate Dei, id est in Ecclesia, ad cives eius delabitur, v. 4. Vers. 4.
Memor ero (inducitur Christus loquens, ait Euthymius, aut Deus Pater, ait S. Isidoros) Raab et Babylonis scientium me. Vers. 5. Ecce alienigenæ, et Tyrus, Vers. 5.
et populus Æthiopum, hi fuerunt illic, id est, erunt
C cives illius civitatis Dei. Ponitur enim præteritum prophetice pro futuro.

Nota, hic est synecdoche, hæ enim gentes paucæ Iu- 17.
dæis notæ ponuntur pro omnibus totius orbis gentibus, Ecclesia gentes omnes complectitur.
quæ in Ecclesiam Christi admittuntur. Est enim Catholica, id est universalis. Hoc prædixit Isaias cap. 2. ubi agens de monte posito in vertice montium, id est de Ecclesia, ait v. 2. *Fluent ad eum omnes Gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob.* Cap. etiam 49. 22. et cap. 60. 11. variisque in locis ea de re agit. Præsertim cap. 43. 5. alloquens Iacob et Israel, id est populum fidelem, dicit: *Noli timere, quia ego tecum sum: ab oriente adducam semen tuum, et ab occidentem congregabo te. Dicam aquiloni, da: et austro, noli prohibere: affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ.* In lege Mosaica, In lege Mosis multi arcebantur a magistratu.
primo Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabant in Ecclesiam Domini in æternum, Deut. 23. 3. Ubi per Ecclesiam Domini intelligunt atrium
D templi vel tabernaculi, Olymp. et Dionys. Carth. 2. Caiet. ait sensum esse, q. d. Non erat e magistratu. 3. Cornelius sensum vult esse, q. d. Arcebunt a societate politica Iudæorum, ut non habeantur cives, nec habeant ius civicum apud Iudæos. Secundo, Idumæi et Ægyptii non intrabant in Ecclesiam Domini, nisi tertia generatione: quæ tertia generatio erat computanda ab eo, qui factus fuerat Iudæus. Tertio, Levitæ obibant sacra ministeria in templo et tabernaculo ad portanda vasa sacra, præparandas Et a sacris ministeriis.
victimas, aliaque præstanda; externus qui non erat de tribu Levi, iis se immiscens functionibus, erat reus mortis, Num. 1. 51. Quarto, Aaron et ex eo geniti erant soli destinati ad sacerdotium, et eius functiones: nempe sacrificare, adolere incensum, singulis sabbatis ponere et tollere panes propositionis in sancto, et quotidie aptare et accendere lucernas; externus, etiam Levita, qui non erat

ex posteris Aaronis, ea attingens munera moriebatur, vel iudicis vel Dei sententia, ut patuit in 250. principibus Levitarum incensum offerentibus, id est offerre volentibus et tentantibus, accepto igne ex altari holocaustorum, ut irent in sanctuarium ad altare thymiamatis: occisi enim sunt igne egresso ex altari holocaustorum antequam venirent ad sanctuarium, seu Sanctum, id est ad primam partem tabernaculi. In regno Calecutii, existimant nobilis nobilitatem fœdari, genusque pollui, si vir ignobilis eos attigerit, et hanc iniuriam miserorum cæde expiant. Idcirco, qui nobiles non sunt, quoties ambulant voces edere coguntur. Nobiles vero his vocibus auditis, eos decedere de via iubent. Omnibus in illa conditione moriendum est, in qua nati sunt. Artificum genera ita sunt distincta, ut non sit inter dissimiles ullum ius connubii. Nec enim licet sartoris filiis sutoris filias ducere: neque aliam artem, nisi eam per quam pater illius victum comparavit, addiscere, ut ait Hier. Osorius lib. 2. de rebus Emmanuelis, pag. 38. Nunc in Christo et per Christum omnes populi possunt esse Ecclesiæ cives, nobiles, et sacerdotes. Ephesus erat metropolis Asiæ minoris, ubi vigebat idololatria et magia. Ephesiis tamen conversis dicit S. Paulus cap. 2. 19. *Iam non estis hospites*, Græce ξένοι, id est peregrini, *et advenæ: sed estis cives*, Græce συμπολῖται, *concives sanctorum, et domestici Dei*, q. d. Estis de domo et familia Dei, puta de Ecclesia Dei, a qua fuistis ante Christum extorres: estis de familia regis Messiæ, qui tam Deus est quam homo, deque christiana Rep. in qua habetis ius civicum ad Ecclesiæ sacramenta, et bona omnia Christi et Christianorum, atque conscripti estis cives et hæredes eiusdem civitatis cælestis, scilicet Ierusalem, ut ait S. Chrysost. S. Anselm. Theophylactus, et Corn. a Lapide. Qui autem sunt domestici Dei, sunt nobiles. S. Petrus primam suam Epistolam scripsit electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ: per advenas intelligunt aliqui, et bene, Iudæos Christianos, qui fugerant post necem S. Stephani, et dispersi erant per varias provincias. Lyranus intelligit proselytos: id est, qui ex gentilismo erant conversi ad Iudaismum, et inde ad Christianismum. Maldonatus intelligit gentiles. Eos autem vocat cap. 2. 9. *regale sacerdotium*. Baptizati solebant corona ab Episcopo benedicta coronari, in signum illius regiæ dignitatis. Severus Alex. lib. de baptismo: Elevant, inquit, baptizatos ad altare, eisque dant mysteria, Eucharistiam, et sertis eos coronat Sacerdos: et postea dicit: Fratres mei psallite hymnum filio dominatoris omnium, *qui regum corona vos coronavit*, peroptate eam, immutate vestimenta vestra, et candidi estote in modum nivis, ac in similitudine angelorum splendores vestros illuminate: hæc Severus. Ad eam coronam alludit S. Gregor. Naz. orat. 23. et 40. Nunc in Christo omnes gentes sunt populus unus, et una domus. Psal. 101. 23. *In conveniendo populos in unum, et reges, ut serviant Domino*. Paries intermedius Iudæos a Gentilibus dividens disiectus est: nunc omnium est unum caput Christus, unum cor, et anima una Spiritus sanctus. S. Ambr. lib. 1. offic. cap. 29. *Dominus per Isaiam cap. 28. Ecce, inquit, mitto lapidem in fundamentum Sion: id est, Christum in fundamentum Ecclesiæ: fides enim omnium Christus; Ecclesiæ autem quædam forma iustitiæ est, commune ius omnium. In commune orat, in commune operatur, in commune tentatur.* Ipsi Sinæ, qui in orientali tractu terrarum continentium sunt ultimi in Asia, fidem receperunt a S. Thoma Apostolo, sicut constat ex breviario Chaldæo Ecclesiæ Malabaricæ, quod vocatur S. Thomæ gaza, seu thesaurus: ibi enim in officio illius Apostoli in una lectione secundi Nocturni sic habetur ad verbum, teste nostro Trigantio lib. 1. de Christ. exped. apud Sin. p. 124. *Per D. Thomam Sinæ et Æthiopes conversi sunt ad fidem. Per D. Thomam baptismi sacramentum acceperunt, et filiorum adoptionem. Per D. Thomam crediderunt, et confessi sunt Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Per D. Thomam acceptam servaverunt fidem unius Dei. Per D. Thomam doctrinæ vivificæ splendores orti sunt u-*

Nobiles in regno Calecutii plebeios mirum in modum contemnunt.

Coronabantur baptizati.

Sinæ a S. Thoma sunt conversi.

A *niversæ Iudææ. Per D. Thomam regnum cælorum volavit et ascendit ad Sinas.* S. Xaverius iterum aditus in illud regnum tentavit, sed in hoc laudabili conatu est mortuus. Petrus Ruggerius id feliciter primus præstitit e Soc. nostra, quem Riccius sequens plus adhuc splendoris et nominis, attulit fidei. Mandarinus, seu doctor unus in urba Xanquin Ecclesiam suo sumptu extruxit in usum Societatis, ut ait Iarrius libr. 4. cap. 4. pag. 644. in eaque inscriptionem duplicem posuit: in prima idiomate Sinico legebatur: *Hic manent sancti viri, qui huc ab occidente venerunt;* in altera vero: *Hic vera regis cælorum fides edocetur.* Ultra Sinas est etiam regnum vastissimum Presteiannis Imp. olim Christiani, qui sub se plusquam sexaginta reges habebat. Versus septemtrionem illud imperium porrigitur, et generali Tartariæ nomine continetur: appellatio eius errore vulgi ad Imperatorem Abassinorum in Africam transiit. Isaias de Christi Ecclesia dicit c. 49. 19. *Deserta tua, et solitudines tuæ nunc angustæ erunt præ habitatoribus, et longe fugabuntur, qui absorbebant te. Ad-*
B *huc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi, ut habitem.* Universus pene orbis terrarum annis quinquaginta tribus, ac ne illis quidem totis, sub unius pop. Romani imperium est redactus, ut ait Polybius lib. 1. fol. 1. quod intelligendum est, non statim a Romulo urbis conditore (nam in sola Italia domanda quingenti circiter anni positi sunt), sed post Italiam domitam. Annis paucioribus totum prorsus orbem Apostoli decurrerunt, et nunc fide Romana in toto orbe dominatur, et ad eam omnes gentes admittuntur, atque ad augustius sacerdotium, quam esset Aaronicum elevantur. S. Leo serm. 8. de Pass. *Nunc, ait, et ordo clarior levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacratior est unctio sacerdotum: quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Miramur 215. annis ita crevisse Israelitas in Ægypto, ut cum 70. animæ, id est viri, in Ægyptum descendissent,
C ipso Iacobo in eo numero incluso, tamen in deserto sexcenta et amplius armatorum millia numerata sint: nempe in tribu Ruben 46500. in tribu Simeon 59300. in tribu Gad 45650. in tribu Iuda 74600. in tribu Issachar 54400. in Zabulon 57400. in Ephraim 40500. in Manasse 32200. in Beniamin 35400. in Dan 62700. in Aser 41500. in Nephtalim 53400. Omnis numerus 603550. Adde Levitas, qui veluti supra humanam conditionem positi, et Deo consecrati, cum aliis numerati non sunt, sed scorsim: repertaque sunt viginti duo millia a mense et supra, mares tantum in computum redigendo, sicut factum fuerat in aliis tribubus: sic efficies hominum 625550. Sed hæc pene nihil sunt, si cum gentilium numero conferantur, cum in solo Sinarum regno, ut dixi, nunc numerentur 58. milliones virorum tributa solventium, præter pueros, et mulieres ac puellas.

Quæres, quid sit Raab? Primo, Nicephorus Arabes in- 18.
telligit. Secundo, et melius, S. Hieron. S. August. Euth. et Theodoretus accipiunt de Raab meretrice seu caupona-
D ria (ut vertit Chaldæus Iosue 2. 1.) quæ hospitio excepit duos exploratores missos a Iosue in urbem Iericho. Hæc enim fuit typus Ecclesiæ ex gentilibus conflatæ, et fornicationem cum idolis deserente. S. August. in Psal. nostr. *Memor ero Raab. Quæ est ista? Meretrix illa in Iericho, meretrix, quæ suscepit nuncios, et alia via eiecit, quæ præsumpsit in promissione, quæ timuit Deum, cui dictum est, ut per fenestram mitteret coccum: id est, ut in fronte haberet signum sanguinis Christi. Salvata est ibi, et Ecclesiam gentium significavit. Unde Dominus superbientibus Pharisæis dixit: Amen dico vobis: Publicani et meretrices præcedunt vos in regno cælorum. Præcedunt, quia vim faciunt. Impellunt credendo, et ceditur fidei, nec obsistere potest quisquam, quia qui vim faciunt diripiunt illud.* Vide S. Ambr. lib. 5. de fide, cap. 4. Rahab porro est typus Ecclesiæ ex gentibus collectæ. Primo, quia sicut ipsa, ait Rupertus c. 10. prius erat prostibulum dæmoniorum,

Raab hoc loco pro Chananæis sumitur.

et lupanar idolorum, sed ex infideli et incesta, per receptionem exploratorum Hebræorum facta est fidelis et casta; sic gentes idololatræ et impuræ per receptionem Apostolorum, factæ sunt Christianæ et sanctæ. Secundo, sicut Rahab per funiculum coccineum, sic Ecclesia per sanguinem Christi salvata est. Tertio, Rahab servavit omnes cognatos. Itaque, ut videtur, omnes ad fidem et cultum veri Dei Hebræorum adduxit: unde et Rahab Hebraice idem est, quod dilatatio: sic Ecclesia per omnes gentes se dilatavit. Quarto, extra domum Rahab omnes occisi sunt: sic extra Ecclesiam omnes pereunt, nullique salus conceditur. Quinto, Rahab iustificata est per fidem et hospitalitatem, sic et Ecclesia per fidem et charitatem: ita S. Augustin. Orig. Rupert. Cornelius. Sed huic explicationi obstat primo, quod Rahab meretrix scribitur Hebr. per cheth, et Græce dicitur ραχάβ: in psalmo autem nostro, Raab scribitur per he, et Græce est ρααβ. 2. Satis intelliguntur Chananæi sub nomine alienigenarum, itaque non est necesse eos intelligere sub nomine Raab. 3. In hac enumeratione non fieret ulla mentio Ægyptiorum, cum fiat Babylonis atque Æthiopum, cum tamen essent Iudæis finitimi et notissimi, commodissimeque repræsentarent idololatras, erant etiam addictissimi superstitioni multorum idolorum.

II. Et melius, pro Ægyptus.

II. Secundo igitur, et melius, per Raab hoc loco accipiendi sunt Ægyptii. Nam רהב *rahab* per he, significat superbiam. Per superbum autem Chaldæus Paraphrastes intelligit Pharaonem regem Ægypti. Psal. 88. 11. *Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum*. Vertit enim, Tu contrivisti velut interfectum gladio; superbum hic est Pharao impius. Et in Psalmo nostro reddit: Commemoraut laudes tuas Ægyptii et Babylonii his qui sciunt te; ecce Palæstini, et Tyrii cum Æthiopibus, ubi rex iste generatus est: ita Chaldæus. Isaiæ 30. ubi habetur: *Superbia tantum est, quiesce*, S. Hieron. explicat de Ægyptio populo.

Sensus itaque est, q. d. Ego Deus conditor civitatis Ierusalem in advocandis et conscribendis electis civibus Ierusalem, memor ero non Iudæorum tantum, sed etiam Ægyptiorum et Babyloniorum, qui scient me, per fidem videlicet, et religiosum cultum cognoscent me. Ecce enim etiam alienigenæ, id est Palæstini, et Tyrus, id est populus Tyri: et populus Æthiopum, fuerunt illic: id est, istæ quoque gentes me vocante, et adducente erunt in civitate sancta Ierusalem. Ponitur enim præteritum pro futuro more prophetico. In Hebræo, pro, scientium me, habetur, scientibus me: et eodem modo habetur in Græco. Sed articulus *le*, qui habetur hoc loco, non solum deservit dativo, sed etiam genitivo: imo et accusativo, ut grammatici docent. Quare, si Græcam interpretationem sequi velimus, non erit vertendum, Memor ero Raab et Babylonis: sed, Commemorabo Raab et Babylonem scientibus me, id est fidelibus meis. Sed quia Latinus interpres vertit, ut iure potuit, Memor ero Raab et Babylonis, rectissime addit, scientium me: et hæc est lectio antiquissima apud Latinos, ut perspicuum est ex commentario S. Hieronymi in hunc Psalmum. Illud autem, hi fuerunt illic, in Hebræo est, iste natus est ibi. In Græco habetur in numero multitudinis, hi nati sunt illic: et idem est sensus, nimirum, unusquisque horum natus est illic. Quare Latina interpretatio explicari debet hoc modo: hi fuerunt illic; id est hi omnes populi enumerati, fuerunt, sive erunt in Ierusalem per novam generationem: per antiquam enim generationem, cives erant Ægypti, vel Babyloniæ, vel Tyri, vel Palæstinæ, vel Æthiopiæ: sed per novam generationem renati ex Deo per Christum, erunt omnes cives unius atque eiusdem civitatis sanctæ Ierusalem: ubi non est Gentilis, aut Iudæus, Barbarus, et Scytha, servus et liber: sed omnia, et in omnibus Christus, Coloss. 3. ita Bellarminus. De Ægyptiis etiam sumunt Raab, Iansenius, Genebr. Tirinus, et alii:
19. puto Rahab poni pro Ægypto, non tantum ob superbiam, sed etiam ob fortitudinem.

Deus recipit omnes peccatores.

Tropolog. Deus recipit omnes peccatores ad se accedentes. Iudæis præceptum erat, ut eiicerent de castris omnem leprosum, Num. 5. 2. Iesus vero leprosos ad se vocat, et sanat, Marc. 1. 40. Philo recte dicit lib. 2. Allegor. legis pag. 46. *Omnis improbus*, απολις ἐστι και αοικος, *civitate caret, ac domo, cum a virtute exulet. Qui vero virtutis studiosus est, pro civitate et domo sapientiam sortitus est.* Iesus vagos et errantes iustar Caini, in sua civitate ponit, ut consistant et sapiant. Cambaiæ regni incolæ ornithodochia pro avibus ægrotantibus, aut vulneratis, membrove mutilatis instituunt, easque in foro et agris quærunt, ut sanatas libero aere potiri faciant. Si vero hominem ab omni ope destitutum repererint in vitæ periculo ob penuriam aut morbos, ne a terra quidem illum erigunt, nec aspectu dignantur: licet illis affinitate aut consanguinitate iunctus sit. Si vel ipse eorum pater in captivitate teneatur, sæpe prius eum ibi putrescere et emori sinunt, quam opibus suis redimant aut sustentent. De Deo autem dicitur Sap. 11. 24. *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.*

Cambaianorum præpostera misericordia.

I. Deus recipit meretrices, seu Raab.

I. Primo, Deus recipit Raab, id est meretrices, et in adulterio deprehensas: non condemnat Iesus rite pœnitentes Ioann. 8. et asserit præcedere ipsos Pharisæos, qui ea rant religiosi illius temporis, in regno Dei, Matth. 21. 31. ut planum est in Maria Magdalena, S. Pelagia, S. Maria Ægyptiaca, et aliis. In lege Mosaica cum vir dubitans de fidelitate suæ uxoris offerebat sacrificium zelotypiæ, sacerdos non fundebat oleum super oblationem, Num. 5. 15. quia sine misericordia uxor illa impudica puniebatur, vel a iudice, vel sumptis aquis maledictionis putrescebat femur eius, et tumens uterus rumpebatur. Nunc omnibus patet pœnitentiæ locus. Secundo, Raab, id est superbus, a Iesu admittitur, et discit, quia est mitis et humilis corde. In regno Angolano solus rex pavones nutrit, qui ex illis vel unam pennam extraxerit, aut occiditur, aut servus fit cum omnibus consanguineis, bonaque eius fisco addicuntur. In Christi adventu mons omnis et collis humiliatur, Luc. 3. 5. per Raab intelligit Beda in Ps. noster gentilitatem, quæ in Iericho erat: quia soli terrenitatis defectui inhærebat: et superba erat, quia creaturam Creatori præponebat: ita ille. Idem dici potest de qualibet anima superba.

Et superbos.

Angolæ reges soli aluut pavones.

20. II. Recipit Deus Babylonem, id est peccatorem confusum.

Secundo, Deus recipit Babylonem, id est hominem multitudine et enormitate scelerum confusum. Babylon significat confusionem. Philo lib. de confusione linguarum, ubi agit de ædificatione turris Babylonicæ pag. 273. Οικειοτατον, ait, κακιας ονομα συγχυσις; *Convenientissimum peccati nomen est confusio.* Pag. 263. duas in nobis civitates ponit: bonam unam, in qua leges principatum obtineant: malam alteram, in qua vulgus dominetur præsidente iniquitate atque iniustitia. In prioris ius probi adscribuntur: in ius posterioris, ignavorum multitudo, perturbationem magis quam ordinem, et confusionem magis quam bonam constitutionem diligens. Insipiens autem socios postulat non contentus propriis peccatis: sed nunc visum, nunc auditum, nunc sensus cæteros invitat, et passiones omnes, ut auxilio sint. Tum Poniropolim extruit, et magistratus eligit: opulentiam scilicet, gloriam, honores, voluptates, per quos adipiscitur potentiam exclusa iustitia: paupertatem et obscuritatem afferre solita. Tum idem auctor subdit: Turris extruatur, quæ vitio tyranno sit pro arce et regia munitissima, cuius pedes in terra nitantur, caput ad cælum pertingat, magnanimitate ad tantam celsitudinem penetrans. Nam certum est eam non in solis humanis iniquitatibus consistere, sed properare ad cælestia per impios et Deo infestos sermones, dum aut cæli numen negat, aut providentiam eius, aut mundi conditi principium. Quantam inesse necesse est in hac animæ civitate ac turri confusionem: in qua petulantia inest cum impudentia, contemptus cum violentia, vis cum cæde, stupra cum adulteriis, cum immoderatis voluptatibus immensa concupiscentia, cum temeritate insolentia, cum calliditate iniustitia, cum furacitate rapacitas, cum mendaciis periuria, cum iniquitatibus impietas, et his similia? ita Philo. In ipsis paganorum virtutibus est Babylon, id est confusio, ut vidimus in Cambaianorum charitate erga aves, et impietate erga homines. In regno Calecutii interdicta sunt nobilibus

coniugia, ne quid illis sit impedimento, quo minus se in armis perpetuo exerceant, ut tradit Hieron. Osorius l. 2. de rebus Emmanuelis fol. 37. Quid hac re purius et generosius? mentem ac iudicium paulisper sustine. Nam habet quilibet eorum amicas eiusdem ordinis complures. Nefas est enim illis mulieri, quæ non sit nobilis, commisceri. Similiter et illæ tot amatores habent, quot habere volunt, dummodo nobiles sint. Nulla est inter illos æmulatio, sed alii aliis per vices sine ullo dissidio aut obtrectatione succedunt. Si vero aliquis mulieri coniungitur, quæ non sit nobilis, nobilium gladiis conciditur. Similiter et mulieres, quæ eam legem transiliunt, idem supplicium subeunt. Testamento filios hæredes non instituunt, eo quod ignorent, an sint ab illis progeniti, sed sororum filios. Regum stipendio nutriuntur, et pro eorum salute intrepide se omni periculo exponunt: umbilico tenus, nudi ambulant: hæc ibi. In quibus et nobilitatis curam, et fortitudinis umbram videas, sed multis vitiis confusas. De his iure dicat Deus illud Is. 21. 4. *Babylon dilecta mea, posita est mihi in miraculum.* Vide Ps. 136. 1.

Cambaianorum luxuriosa castitas.

III. Tertio, Deus recipit alienigenas, id est Philisthæos, hoc est conspersos pulvere: avaros scilicet, et de illis bona terrena excutientibus Apostolos facit, ut S. Matthæo accidit, quem vocavit de telonio, ubi exercebat officium publicani, id est publicorum vectigalium redemptoris et exactoris. Hinc pro *in telonio*, textus Persicus habet, in domo solutionis; textus Æthiopicus, in foro; τελος significat vectigal: telonium, locum, seu domum, ubi nautæ et mercatores solvebant navium et mercium vectigal. Suam ipse vocationem refert S. Matth. cap. 9. Ugo Card. Palæstinam interpretatur os malleatoris, et vult denotari gulosos et detractores. Unde id deducat, ipse viderit: non male autem gulosos et detractores contuleris malleatori incudem perpetuo percutienti, et malleo suo obvia quæque conteronti; dentibus enim sæviunt.

Recipit Deus Philisthæos, id est avaros.

21. IV. Quarto, Deus recipit Tyrios, id est Primo persecutores et oppressores iustorum: ipsos suos carnifices et sanctorum martyrum convertit et salvavit. Secundo, a vitiis oppressos et afflictos; צור *tsor* enim, id est Tyrus, angustiam significat, a rad. צרר *tsarar*, ligare, comprimere, angustiis et afflictionibus afficere; צור *tsur* sive *tsir*, idem significat. Ubi adverte, vitiorum proprium esse affligere, et opprimere. Psal. 37. 5. ait David: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Vide illum locum. Salvian. lib. 7. de provid. pag. 356. tom. 5. bibl. patr. part. 3. docet, Afros, qui sunt Tyriorum coloni, a Vandalis esse subactos, et protritos ob sua scelera. Verba eius sunt: *Gothorum gens perfida, sed pudica est. Alemannorum impudica, sed minus perfida. Franci mendaces, sed hospitales. Saxones crudelitate efferi, sed castitate mirandi. Omnes denique gentes habent sicut peculiaria mala, ita etiam quædam bona. In Afris pene omnibus nescio quid non malum. Si accusanda est inhumanitas, inhumani sunt: si ebriositas, ebriosi sunt: si falsitas, fallacissimi: si dolus, fraudulentissimi: si cupiditas, cupidissimi: si perfidia, perfidissimi: Tam infrequens est hoc et inusitatum, impudicum non esse Afrum, quam novum et inauditum, Afrum non esse Afrum.* Hæc Salvianus, qui lib. 8. pag. 560. tyrannidem vitiorum deplorans, ait: Nihil, nihil est in nobis crudelius nobis. Nos, inquam, nos etiam Deo nolente cruciamus: ita ille. Christus fideles in Ecclesia reficit ac refovet. De Sione, id est Ecclesia, ait Is. cap. 4. 6. *Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine et a pluvia.*

Recipit Deus Tyrios, id est persecutores.

Afrorum perversitas.

22. V. Quinto denique, Deus recipit ipsos Æthiopes, id est inveteratis vitiis denigratos. Vide dicta Ps. 7. in titulo, ubi de Chusi agitur. Psal. 67. 15. dicitur: *Nive dealbabuntur in Selmon,* hoc est in Ecclesia obumbrante. Isaias monet omnes c. 1. 16. *Lavamini, mundi estote.* Zachar. 14. 20. ablatio fuliginis prædicitur: *Erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari, et erit omnis lebes in Ierusalem et in Iuda sanctificatus Domino exercituum.* Lebetes sunt peccatores nigri: phialæ sunt viri per charitatem aurei, et consecrantur in altari. Ugo Card. dicit Æthiopiam Hebr. significare caliginem: et explicat de superbia, quæ excæcat. Illam superbiæ caliginem videre potes in Æthiopibus schismaticis, de quibus sic ait Hieron. Osorius lib. 9. de rebus Emmanuel, fol. 304. Rex, inquit, Abyssinorum se ut numen cœleste coli faciebat: vultum ne principibus quidem apertum, nisi statis diebus ostendebat. Illis, qui eum convenire volebant, aliquando pedem tantum, aliquando vero manum demonstrabat: reliquam speciem regis intueri, nefas existimabatur. Cum vero respondere volebat, internunciis utebatur, et e cortinis quasi ex adyto oraculum edebat, responsa per interpretes dabat. Hæc Osorius, qui per fidem veram hæc mutata fuisse docet: addit enim: Sed post adventum Lusitanorum hæc derisa: nunc nec se rex ut Deum coli curat, et facile videtur. Hanc vim divini verbi ac fidei docet Lactantius libr. 3. divinar. institut. cap. 25. *Da mihi virum,* ait, *qui sit iracundus, maledicus, effrænatus paucissimis Dei verbis tam placidum, quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: iam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis: iam cruces, et ignes, et taurum contemnet:* hæc ipse.

Deus recipit Æthiopes, id est diuturnis vitiis denigratos.

Abyssinorum schismaticorum superbia ridicula.

Nota, scientia Dei fugat peccata, et virtutum lucem ac suavitatem in animam inducit. Lumen ipsum naturale fontem bonorum facit Philo lib. de plantatione Noe pag. 180. Πηγη αεννaος αρετων ο ορθος λογος: *Fons perennis virtutum recta ratio est.* De lumine supernaturali dicit Lactantius esse etiam fontem lucis uberrimum. Sic enim lib. 3. divin. institut. cap. 25. *Tanta,* inquit, *divinæ sapientiæ vis est, ut in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam, uno simul impetu expellat, ad quod efficiendum, non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est. Gratis ista fiunt, facile, cito, modo pateant aures et pectus sapientiam sitiat. Nemo vereatur nos, aquam non vendimus, nec solem mercede præstamus. Dei fons uberrimus atque plenissimus patet cunctis, et hoc cæleste lumen universis oritur, quicumque oculos habent*: ita Lactantius. Christus est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. In eius passione velum templi est scissum, ut omnia omnibus paterent mysteria. Olim Sanctum a Sancto sanctorum dividebatur velo, et Sanctum ipsum ab atriis. Solis sacerdotibus Sanctum, soli Pontifici Sanctum sanctorum patebat. Levitæ non tangebant arcam et alia vasa, nisi involuta. Numer. 4. 15. *Cum involverint Aaron et filii eius sanctuarium, et omnia vasa eius in commotione castrorum: tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta, et non tangent vasa sanctuarii ne moriantur.* Et v. 20. Alii nulla curiositate videant, quæ sunt in sanctuario, priusquam involvantur: alioquin morientur: hæc ibi. Si ne Levitis quidem, qui non erant sacerdotes, non licebat arcam videre et tangere, quid dicetur de cæteris? Bethsamitarum septuaginta primores, et millia plebis quinquaginta, perierunt ob conspectam arcam. Nunc vero in lege gratiæ populis et familiis omnibus licet sacerdotio fungi, et sacra post unctionem et consecrationem rite adhibitam attingere, ipsumque Iesum manibus versare, ore tangere, aliis tradere. Unde S. Macarius hom. 5. fol. 37. χριστιανων κοσμος ετερος εστι; *Christianorum mundus alius est, et alia mensa, aliaque sunt indumenta, alia fruitio, alia item societas, et alia cogitatio*: ita Macarius. Alium itaque solem, lunam, et stellas habent Christiani, cum novum mundum incolant.

23. *Scientia Dei fugat peccata.*

Adverte autem, ad hanc Dei scientiam ardenter accurrendum esse si vis in ea proficere. Diophantus Alex. lib. 1. Arithmeticorum: Celeriter addiscunt, ait, qui ad discendum eum cupiditate accedunt, ταχεια εστι, ut ait, εις μαθησιν επιθυμια προσλαβουσα διδαχην. Multi vero, in voluptatibus hærent, et loco moveri non possunt, ut ad Deum evolent, eos pinnis, urticis, et spongiis marinis iure compares. Primo enim, ut ait Nemesius tract. de natura hominis, c. 1. *Pinnas Deus et urticas marinas*, ωσπερ αισθητικα δενδρα, *tamquam sentientes arbores effecit: quoniam eas* ερριζωσεν εν θαλασση δικην φυτων, *in mari, instar stirpium, suis radi-*

cibus defixit, et testis quasi lignis circumdedit, et non secus ac si stirpes essent, immobiles esse iussit. Tangendi tamen sensum iis largitus est, qui communis est omnium animalium: ut cum stirpibus, hoc ipso quod fixæ et stabiles sunt: cum animalibus, ob tangendi sensum, societate teneantur. Secundo, spongiis comparari possunt, quæ ad saxa hærent: et contrahuntur, atque aperiuntur, aut potius dilatantur, cum aliquid senserint accedere, ut ait Aristoteles: Divitiis et honore turgescit peccator, sed a saxo suo et obstinatione non divellitur, neque a voluptatum salsis aquis, ut Dei notitiam et cælestia conquirat.

ARTICULUS III.

Sub Christo rege felicem agunt vitam eius Ecclesiæ

24. Vers. 6. POST explicata Ecclesiæ fundamenta, portas, reliquam structuram, cives innumeros: nunc regem, eiusque sapientem gubernationem, et civium sub eius ductu lætantium felicitatem depingit, vers. 6. NUMQUID SION (id est Sioni) DICET: HOMO ET HOMO NATUS EST IN EA: ET IPSE FUNDAVIT EAM ALTISSIMUS. Hebraica clara sunt, si ea sic interpungas: *Numquid Sioni dicetur: homo et homo natus est in ea?* Sed interpunctio ponitur post τὸ *homo*, sicut in Græco codice; unde S. Hier. vertit: *Ad Sion autem dicetur vir, et vir natus est in ea: et ipse fundavit eam excelsus.*

Sensus huius loci. Nota, hæc est præcipua laus Sionis, hoc est Ecclesiæ, quod in ea natus sit, qui eam fundavit atque stabilivit. Hinc enim, ait Bellarminus, potissimum gloriosa dicta sunt de ea, quod civis eius esse voluerit secundum naturam humanam, qui fundator eius est secundum naturam divinam. Sic enim intelligunt hunc locum sancti patres Hieron. et Augustin. et post eos Theodoretus, et Euthymius, Doctores græci, et ante hos omnes Tertullianus in libro adversus Praxeam: *Numquid Sion dicet homo* (id est, num fieri poterit, ut homo aliquis dicat Sioni rem tam novam et tam admirandam, et inauditam a sæculo) et *homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus:* id est, numquid aliquis significabit Sioni ipsi, quod homo natus sit in ea, et ipse idem fundaverit eam, cum sit Altissimus? Hanc tam evidentem prophetiam nonnulli cum Iudæis obscurare nituntur. Sed nos maiorem fidem habemus sanctis patribus, quam omnibus Iudæis. Quod attinet ad verba: illud *numquid*, in Hebræo est *et:* sed fortasse textus Hebraicus corruptus est vitio scriptorum: et pro *vau*, legendum est *he*, quod significat *numquid*. Cæterum etiamsi maneat particula *et*, idem est sensus: Si accipiatur per modum interrogandi: idem est enim, et Sioni dicet homo? et, numquid Sion dicet homo? In textu Græco non habetur *numquid*, neque *et*, sed *mater:* et sic legit etiam S. August. *Mater Sion dicet homo:* sed B. Hier. in commentario, aperte docet textum Græcum esse corruptum, et Septuaginta vertisse μήτι, quod est *numquid:* sed ab aliquo sciolo additum esse ρ, et factum esse μήτηρ. Illud *Sion*, est in casu dandi, ut ex articulo Hebraico notum est: et etiam ex eo, quod verbum dicet, in Hebræo est generis masculini, et Sion est generis fœminini. Itaque homo dicet Sion, non ipsa Sion dicet. Illud *dicet*, in Hebræo est יאמר *ieamar*, dicetur: sed remotis punctis eædem litteræ faciunt *iomar*, quod significat, dicet, et sic legerunt Septuaginta, qui verterunt, ἐρεῖ, dicet: Illud, homo et homo, Rabbini, et qui eos sequuntur, ita coniungunt, ut sensus sit: homo et homo: id est multi homines. Sed in textu hebraico et græco primum: homo, coniungitur cum verbo, dicet, ut sensus sit: Dicet homo ad Sion; alterum, homo, coniungitur cum verbo, *natus est:* et hæc est vera interpunctio et lectio: neque debemus propter Rabbinorum glossas pervertere textum, et relinquere patrum expositionem. Illud *et*, cum dicitur, *Et homo natus est in ea*, potest accipi, pro *quia*, ut sæpissime alias in scripturis: ita Bellarminus. Sed non est necesse sumere τὸ *et* pro *quia*, hoc loco, cum illi respondeat aliud *et* sequens: dicitur enim, *et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus:* hic autem loquendi modus est elegans et frequens. Salmeron etiam tom. 1. prolegom. 13. ac Lindan. 3. de opt. genere interpret. cap. 13. dicunt, hunc locum esse corruptum in textu græco, *Mater Sion dicet homo.* Psalterium tamen Arabicum sic habet: Dictum est de Sion, o mater hominis, et homo natus est ex ipsa, ipse Altissimus fundavit eam in æternum. Matris etiam nomen est in Psalt. Æthiopico, et Illyrico, et in omnibus aliis Psalteriis latinis: sic legerunt S. Ambr. oration. de obitu fratris, et lib. 3. de fide cap. 2. S. Aug. hoc loco, S. Soter Papa, Epist. 1. et alii non pauci. Itaque malim dicere non esse errorem in Septuaginta interpret. sed eos sensum esse secutos, non verba. Sensus autem esse potest, q.d. Homo dicet Sioni, quod mater est, sive, quod Sion est mater, et quod homo natus est in ea.

Quæres, cur dicitur Christus natus esse in Sione seu Ierusalem, cum constet eum esse natum in Bethlehem? Resp. primo, potes ex S. Ambr. oration. de obitu fratris, per Sionem intelligere Iudæam, in Iudæa autem erat Bethlehem. Secundo, et melius, natus dicitur in Sion, quia Bethlehem erat subiecta Sioni metropoli, a qua non multum aberat. Tertio, Christus dicitur natus in Sion, ratione parentum suorum: Davidis scilicet, Salomonis, et aliorum regum, qui ibi nati sunt. Quarto, et optime, Christus natus est in Sion, hoc est in Ecclesia, quæ ab initio mundi incepit, atque ad eius finem perdurabit a Deo ipso fundata: in Psalmo enim nostro agitur præsertim de Sione spirituali, hoc est Ecclesia; in typis autem, sicut in parabolis, aliqua ponuntur, quæ magis typo et figuræ, alia, quæ magis rei figuratæ conveniant. Chald. vertit: *Proinde Sioni dictum est: David est rex Israelis, et Salomon filius eius educatus est intra eam.* Syr vero, Sioni dictum est, vir gigas natus est in illa. Cur Christus dicatur gigas vide Psal. 18. 7. 25. Cur Christus dicitur natus in Sione?

Nota, τὸ *homo et homo*, sive, ut S. Hier. et S. Isidor. de vocatione Gent. cap. 3. vertunt, sumi potest pro homine magno, insigni et principe: ita Scepreus, Rutilius Benzonus, et alii: sic apud Hebreos טוב טוב *tob tob*, significat optimum: et Psalm. 67. *Domini, domini*, id est excellentissimi domini. Christus autem est homo princeps et rex totius orbis.

Secundo, *homo et homo*, id est multi homines, q.d. Sioni dicetur, hoc est Ecclesiæ, quod multi homines in ea nascentur. Hæc expositio non est reiicienda, licet præferam sententiam sanctorum patrum, de Christo exponentium. Mirare Ecclesiam matrem omnium gentium, de ea dicit Isaias cap. 49. 21. *Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos. Ego sterilis, et non pariens: transmigrata et captiva, et istos quis enutrivit? ego destituta et sola: et isti ubi erant?* Et cap. 66. 7. *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audivit unquam tale. et quis vidit huic simile? numquid parturiet terra in die una? aut parietur gens simul: quia parturivit, et peperit Sion filios suos?* S. Ambr. in cap. 3. Lucæ vocat Ecclesiam, matrem viventium. S. Cyprian. lib. de unitate Eccl. vocat eam matrem fœcundam: unam quidem, sed multorum filiorum matrem: *Ecclesia una est*, inquit, *quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum: et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: et cum de fonte uno plurimi rivi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: a fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic et Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit: unum tamen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit: unum tamen caput est, et origo una, et una mater, fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur. Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est et pudica: unam domum* 26. Homo et homo.

novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Pacianus Episcop. Barcinonensis, qui floruit circa ann. 360. ait, Ecclesiam esse virginem, et matrem. Ecclesia, inquit, est virgo sancta, castissimis sensibus sponsa Christi. Virgo, verum est: sed et mater sponsa, manifestum est: sed etiam uxor et coniunx de viro sumpta: ideoque os de ossibus eius, et caro de carne, Gen. 2. Nam et de hoc David dicit, Psal. 127. *Uxor tua sicut vitis fœcunda in lateribus domus tuæ: filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ suæ.* Multus igitur huic virgini partus, et proles innumera, qua totus impletur orbis, qua circumfluis semper alvearibus populosum fervet examen: ita Pacianus.

Nota secundo, pro *fundavit eam*, Arabs habet, *fundavit eam in æternum*, ut declaret, tantam esse Ecclesiæ soliditatem et firmitatem, ut nullis agitationibus everti possit. Hoc prædictum est Psal. 47. 7. *Deus fundavit eam in æternum.* Et Isaiæ 33. 20. *Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi eius in sempiternum, et omnes funiculi eius non rumpentur.* Alludit ad tabernaculum Mosaicum, quod erat mobile, et de loco in locum transferebatur, ac tandem omnino dissolutum est: eo porro significabatur, synagogam et legem Iudæorum non semper mansuram.

27. Ecclesia Christi manebit usque ad finem mundi.

Ratio autem, cur Ecclesia Christi sit æterna, peti potest ex nostro Psalmo: quia scilicet ipse Christus natus est in ea, et in medio eius positus illam conservat. Psal. 45. 5. *Deus in medio eius non commovebitur.* Vide ibi dicta. Innocentius III. serm. 2. in consec. Pontif. Cum, ait, idem ipse sit fundator et fundamentum Ecclesiæ, profecto portæ inferi prævalere non possunt adversus eam. Isaiæ 9. 7. de Christo dicitur: *Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum eius sedebit: ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iustitia, amodo et usque in sempiternum: zelus Domini exercituum facit hoc.* S. Martialis Epist. ad Burdegalenses suos, ait: Firma Ecclesia Dei et Christi, nec cadere, nec dirumpi poterit unquam: ita ipse. Hoc per totum orbem sancti patres confirmant, quod probari potest per omnes sedes Patriarchales. Primo, in sede Ierosolymitana. S. Cyrill. Patr. catech. 18. Ecclesia, inquit, docet catholice, hoc est universaliter, et sine ullo defectu. Secundo, in sede Constantinopolitana. S. Germanus Patr. Epist. ad Thomam Episc. Claudiopoleos vocat Ecclesiam, inconcussum et incommutabile præsidium. Ieremias Patriarcha Epist. ad Martinum Crucium appellat eam, stabilem et inconcussam. S. Greg. Naz. orat. 23. Persecutiones, ait, Ecclesiam illustriorem et splendidiorem per supplicia reddebant. Tertio, in urbe Antiochena floruit S. Chrysostomus, adhuc Presbyter, postea Patriarcha Constantinopolis. Sic autem loquitur serm. de Pentec. Propter Ecclesiam prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli: et quid plura dicam? Propter Ecclesiam unigenitus Dei filius homo factus est, sicut dicit S. Paulus Rom. 8. *Qui proprio filio non pepercit*, ut Ecclesiæ mederetur: sanguinem filii effudit propter Ecclesiam. *Hic sanguis irrigat Ecclesiam, ideo plantaria eius marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta eius, non subiacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, ut per æstatem coma foliorum tegatur, hyeme amittatur. Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam sancti gratia gubernat, et ideo non senescit.* Hæc Chrysostomus, qui hom. cum de eius expulsione ageretur, dicit Ecclesia nihil fortius: si quis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est. Et in Psal. 147. tom. 3. pag. 605. Ecclesiam, ait, Deus munit validius, quam Ierusalem, non vectibus at portis, sed cruce circumseptam, et renunciatione propriæ voluntatis: hæc ipse: ostendit deinde, Ecclesiam crevisse, cum a tyrannis dira pateretur, et eam in tantam provectam esse altitudinem, ut ipsos etiam cælos superarit. Quarto, in sede Alexandrina, Alexander Patr. in Epist. ad Alexandrum Episcop. Const. ait, Ecclesiam unam solam Catholicam et Apostolicam agnoscimus, quæ sicut *nunquam expugnari potest, etiamsi totus mundus eam oppugnare instituat:* sic omnem impiam hæreticorum incursionem evincit, ac profligat: quandoquidem eius Dominus satis animosos nos facit, dum clamat Ioan. 16. *Confidite, ego vici mundum.* S. Cyrill. patr. etiam Alex. lib. 5. in Isaiam, cap. 54. Sanctuarium eius, Ecclesiam esse dicimus, quæ hostibus horribile cornu erigit, sicut unicornis, cæteris animantibus. Fundata est enim in æternitatem a Christo: ita Cyrillus. Quinto denique, in Romana sede, Felix I. Epist. 1. *Spiritus Dei artificio*, inquit, *quasi in arcæ modum, quatuor mundi constructa lateribus, atque imputribilium lignorum compage, et bitumine charitatis adstricta est Ecclesia, ut nullius adversitate spiritus, nullius venientis extrinsecus tumore fluctus perturbetur.* S. Leo serm. 1. in natali Petri et Pauli cap. 6. Nullo, inquit, crudelitatis genere destrui potest, sacramento Crucis fundata religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; et semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur: ita Leo. Et S. Greg. 9. Mor. 6. Arcturus, ait, semper versatur, et nunquam mergitur: et sancta Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat: sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat: ita Gregorius.

Patitur Deus nonnunquam agitari Ecclesiam, sed eam ipse firmat. Hoc explicari potest mirabili invento cuiusdam artificis, cuius nomen invidit posteritati Tiberius Imperator. Cum enim porticus maxima Romæ in alterum latus inclinasset, miro modo erecta est. Architectus quidam firmatis undequaque eius fundamentis, ne moveri possint, reliqua omnia velleribus et centonibus circumdedit, ac porticum funibus ex omni parte alligatam, multorum hominum ac machinarum impulsu in pristinum statum restituit: hoc et miratus est Tiberius, et invidit: ideoque hominem pecunia donatum urbe eiecit, et nomen eius in libros referri vetuit, ut ait Dio Cassius lib. 57. pag. 617. fortasse putavit esse magum, sed etiamnum muri inclinati eriguntur, at in suo situ reponuntur. *(Porticus in suo situ reposita.)*

Ad interrogationem prius positam, numquid Sioni dicet homo, quod homo natus sit in ea, qui sit etiam eius fundator, respondat Propheta, non hominem, sed Deum ipsum, narraturum tantum mysterium, vers. 7. DOMINUS NARRABIT IN SCRIPTURIS POPULORUM ET PRINCIPUM, HORUM, QUI FUERUNT IN EA, Sione scilicet, seu Ecclesia. *(Vers. 7.)* Hebr. nunc est in singulari: unde S. Hier. hoc loco, et S. Isidor. vertunt, ipse natus est in ea. Chald. ibi rex generatus est; de Christo scilicet id exponit: sed non est necesse. Sensus enim esse potest: Dominus narrabit eam nativitatem Christi hominis, et Ecclesiæ fundatoris, in scripturis populorum et principum, quorum unusquisque per novam nativitatem fuit in ea Sione, id est Ecclesia.

Quæres, quænam sunt Scripturæ populorum et principum? Primo, Bellarminus censet esse librum vitæ, in quo scripta sunt nomina electorum: qui liber legendus est a Christo in die iudicii. Iansenius Episcop. Gandavensis eodem modo exponit: Dominus ipse, ait, narrabit istud, et notum faciet tunc, cum omnes simul populos et principes, qui nati fuerint in ea civitate, describet et recensebit in novissimo scilicet iudicii die, quando omnes simul cives huius civitatis numerans, toti mundo declarabit, quanta sit, et quam diversarum gentium multitudo civium eius: ita ipse. 28. *(Scripturæ populorum sunt: 1. Liber vitæ.)*

Secundo, Galatinus lib. 8. cap. 6. ait, scripturas populorum esse sacras imagines, quæ in templis Christianorum ad instructionem populorum fieri solent: in quibus miracula Christi, et sectatorum eius, librorum ignari iugiter legunt, quæ in codicibus sapientes lectitant. S. Greg. lib. 9. Epistol. In 9. scribit, quod legentibus scripturam, hoc idiotis præstaro picturam cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident quod sequi debeant, in ipsa legunt, qui litteras nesciunt: et quod, dum nobis ipsa pictura quasi scriptura, ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet, et quod idcirco pictura in Ecclesia adhibetur: ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus vi- II. *(Imagines.)*

dendo legant, quæ legere in codicibus non valent. Hæc Gregorius, partim loco citato, partim lib. 7. Epist. 54. et Epist. 109.

III. Scripturæ gentium. Tertio, idem Galatin. ait, scripturas populorum esse eas, quas de miraculis Christi et eius gestis scripserant Gentiles, quos ait semper intelligi nomine populorum. Sed contrarium patet Psal. 2. 1. ubi per populos Iudæi accipiuntur pene ab omnibus. Ugo Card. censet scripturas populorum, esse scripturas Gentilibus a Deo inspiratas: a suis enim Sibyllis divinitus edocti sunt. Scripturas vero principum, esse libros prophetarum apud Iudæos, quibus clarius innotuerat Deus, et a quibus oriturus Messias legem novam toti orbi dare decreverat. Isaiæ 2. 3. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* Deus ibi voluntatem suam populis et principibus narrat, atque explicat.

IV. Sacræ Scripturæ. Quarto denique, et optime, scripturæ populorum et principum sunt scripturæ a Deo nobis datæ: id est vetus et novum testamentum. Dicuntur autem scripturæ populorum et principum. Primo, quia ibi sunt scripti populi et principes, ex quibus erat oriturus Christus, et quos ad se erat vocaturus. Secundo, quia, ut ait Beda, diriguntur ad populos corrigendos et docendos. Tertio, quia leges ibi positas sequi debent non tantum plebeii, sed etiam principes. Quarto, quia Apostoli et Prophetæ, qui sunt Ecclesiæ principes, eas scripserunt. S. Augustinus ingeniose ex hoc loco notat, Apostolos ideo esse principes, quia a Christo tales facti sunt in Ecclesia: *Dominus*, inquit, *narrabit in scripturis populorum et principum. Quorum principum? Horum, qui facti sunt in ea. Principes, qui facti sunt in ea, in ea facti sunt principes. Nam antequam in ea fierent principes, abiecta mundi elegit Deus ut confundat fortia. Numquid princeps piscator? Numquid princeps publicanus? Principes plane: sed quia facti sunt in ea. Quales isti principes venerunt de Babylone? Principes credentes de sæculo: principes venerunt ad urbem Romam, quasi caput Babylonis, non ierunt ad templum Imperatoris, sed ad memoriam piscatoris. Unde enim isti principes? Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, ut ea quæ sunt evacuentur. Hoc facit qui erigit de terra inopem, et de stercore exaltat pauperem. Ut quid erigit? Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Magna res, magnum gaudium, magna lætitia. Postea venerunt in hanc civitatem et oratores, sed non venirent, nisi præcederent piscatores. Magna hæc: sed ubi hæc, nisi in illa civitate Dei, de qua gloriosissima dicta sunt?* ita Augustinus.

29. Scripturæ omnibus sunt utiles. Nota, Scripturæ divinæ sunt non tantum in usus principum, sed etiam populorum. Eas iure compares, Primo, mari et terræ, quæ omnibus patent, et in omnium utilitatem a Deo offeruntur. Clem. Alex. apud S. Ioan. Damascenum lib. 2. Paral. cap. 49. *Sicut*, inquit, *mare omnibus patet, atque alius natat, alius negotiatur, alius piscatur. Et rursus, sicut terra communis est omnibus, atque alius iter facit, alius arat, alius ædificat: eodem modo dum sacra Scriptura legitur, alius in fide, alius in moribus iuvatur, alii per litterarum agnitionem superstitio eximitur.* Secundo, Scripturas etiam compara montibus, in quibus et cervi, et agni pascuntur. S. Isidor. Episc. Hispal. lib. 1. de summo bono, cap. 18. Sanctarum, ait, Scripturarum altitudo, *quasi montes pascuæ sunt, ad quos dum quisque iustorum conscendit, pascuæ indeficientis refectionem se invenisse congaudet. In Scripturis sanctis, quasi in montibus excelsis, et viri perfecti habent sublimia intelligentiæ, quibus gressus contemplationis, quasi cervi erigant: et simplices, quasi parva animalia, inveniunt modicos intellectus, ad quos ipsi humiles refugiunt. Scriptura sacra infirmis, et sensu parvulis, secundum historiam humilis videtur in verbis: cum excellentioribus autem viris altius incedit, dum eis sua mysteria pandit: ac per hoc utrisque manet communis, et parvulis, et perfectis.* Tertio, Scriptura ad omnia et omnibus est utilis, est lac parvulorum, vinum fortium, mel esurientium, ros omnium. S. Dionysius

A Areopag. Epist. ad Titum: *Divina*, inquit, *et spiritualia eloquia, et rori, et aquæ, et lacti, et vino, et melli merito assimilantur: quod et vivificandi, ac fœcundandi vim habeant, velut in aqua: et ad incrementum perducendi, ut in lacte: et recreandi, ut in vino: et purgandi simul atque conservandi, ut in melle.* Quarto denique, Scriptura omnes nutrire ac ditare potest. Olympiodor. ad cap. 5. Ecclæ. Divina, inquit, ipsa Scriptura est velut ager quidam ferax et odoratus, et quasi paradisus optimis arboribus consitus, habensque thesaurum occultum: hæc ille. Ne tamen existimes temere terendam omnium manibus Scripturam, vide dicta Ps. 50. 7. in illud: *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Si cum humilitate et assiduitate eam legeris, magnam utilitatem senties. Ioan. Picus Mirandulanus: Nihil, inquit, Deo gratius, nihil tibi utilius facere potes, quam si non cessaveris litteras sacras nocturna versare manu, versare diurna. Latet enim in illis vis, quæ viva et efficax, quæ legentis animum (si modo illas pure ac humiliter tractaverit) in divinum amorem B mirabili quadam potestate transformat: ita ille.

Tandem concludit Propheta, in Sione, hoc est in Ecclesia tum militante, tum præsertim triumphante, esse perennem lætitiam, vers. ult. SICUT LÆTANTIUM (Hebr. חללים *cholelim*, id est tibicinum; 2. tripudiantium et saltantium) OMNIUM, HABITATIO EST IN TE. Nota, ex Hebræo S. Hier. vertit: *Et cantores quasi in choris, omnes fontes mei in te.* Pagn. et cantores sicut tibicines, omnes fontes mei in te. Felix, et cantores sicut choraules, omnes contemplationes meæ in te. Sed Sept. qui habebant emendatiores codices, το ושרים *vesciarim*, verterunt, *et principum;* nam *sar* cum puncto *sin* in cornu sinistro significat principem: cum puncto *scin* in cornu dextro significat cantorem. 2. Adverte, Septuag. commodius iunxisse, *et principum* cum superioribus, quam eos qui iungunt sequentibus, ut ipsa lectione clarum est. 3. Sept. qui vertunt, *habitatio est in te*, legerant מעוני *maoni*, id est habitatio: iod enim illud est paragogicum, et ornatus ac ver- C sus causa positum: itaque nihil significat. Nunc legitur מעיני *maianai*, id est fontes mei, et sic post S. Hieron. vertunt pene omnes recentiores. 30. Vers. 8.

Nota quarto, in lege veteri vetitum erat vinum, et omne quod inebriare poterat, Nazaræo, tempore suæ consecrationis. Numer. 6. 2. *Vir, sive mulier, cum fecerint votum ut sanctificentur, et se voluerint Domino consecrare, a vino abstinebunt: acetum ex vino, et ex qualibet alia potione, et quidquid de uva exprimitur, non bibent: uvas recentes siccasque comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur: quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum non comedent.* Non erat in ea lege lætitia, circumcisio erat dolorifera, præcepta multa et gravia, Christus non venerat, cælum non patebat. At vero, nato Salvatore annuntiatur gaudium magnum: Christus primum miraculum facit in vino, in quod mutat aquam: Dei proprium est dare gaudium. Philo lib. quod deterius potiori insidiari soleat, pag. 138. Δημιουργος ο Θεος σπουδαιου γελωτος και χαρας εστιν; *Opifex est Deus boni risus et gaudii: ita-* D *que Isaac non vulgariter genitus, sed operante Deo credendus est:* ita ille. Isaac risum significat, et est typus Christi, qui fundavit et lætificat civitatem Dei. In cælo præsertim erit gaudium sine tristitia, et quidem æternum. Apocal. 22. 3. *Et omne maledictum non erit amplius, sed sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi eius servient illi. Et nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum.* 31. Christus dat gaudium in lege gratiæ.

Ubi adverte, totam illam civitatem Dei videri conflatam esse ex lætitia. Primo enim, lætitia est illius basis. Ps. 47. 3. *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion.* Secundo, universa structura illius civitatis est gaudium. Thren. 2. 15. *Urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ.* Et Isaiæ 65. 18. *Gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum, in his quæ ego creo: quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, et populum eius gaudium.* Tertio, in 32. Civitas ex lætitia conflata, est Ecclesia Dei.

eius vicis et plateis est exultatio. Tob. 13. 22. *Per vicos eius Alleluia cantabitur.* Quarto, rex lætitiam affundet. Isaiæ 51. 3. *Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas eius: et ponet desertum eius, quasi delicias: et solitudinem eius, quasi hortum Domini. Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.* Quinto, in vultu sanctorum emicat lætitia, illa veluti coronantur. Isaiæ 51. 11. *Et nunc, qui redempti sunt a Domino revertentur, et venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et exultationem tenebunt, fugiet dolor et gemitus. Ego, ego ipse consolabor vos.* Sexto denique, lætitia ad cor eorum penetrabit. Ioan. 16. 22. ait Christus Apostolis, et in eorum persona omnibus fidelibus: *Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Terrena gaudia non sunt nostra, neque ad cor usque penetrant, et ideo cito

Prodigia in Seiani statua. avolant, cum sint tantum exteriora. Ex statua Seiani, qui erat potentissimus et ditissimus in aula Tiberii, paulo antequam interiret fumus copiosus emersit, et capite eius B statuæ sublato, ut posset aspici quid rei esset, serpens exiliit: rursusque alio capite imposito, cum propter hæc rem sacram facere vellet Seianus, inventus est funis capiti statuæ circumiectus, et ipse litans vidit simulacrum fortunæ, quod Tullii quondam Romanorum regis fuisse ferebatur, ipseque domi suæ gratissimum babebat, sese avertere, ut ait Dio Cassius lib. 58. p. 625. Finis hic terrenæ felicitatis est: nempe fumus, funis, aversio fortunæ: et in ipsa fortuna serpens internus veneno mentem inficit ac dolore: sine dolore enim vehemens et immoderata passio, ac peccatum, esse non possunt. In cælo autem, sicut est virtus, et gloria, ipseque Deus, et in mente iustorum, ita in eis lætitia habitat secura atque æterna, et ipsi habitant in lætitia, qua ex omni parte circumdantur et perfunduntur, sicut pisces aqua, et aves aere. S. August. in Psalm. nostr. *Tamquam iucundatorum habitatio omnium in te. In peregrinatione ista conterimur. Habitatio nostra, iucunditas sola erit. Peribit labor et gemitus, transeunt orationes, succedunt* C *laudationes. Ibi erit habitatio iucundatorum, non erit gemitus desiderantium, sed lætitia perfruentium. Aderit enim, cui modo suspiramus, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ibi totum negotium nostrum non erit, nisi laudare Deum, et frui Deo. Et quid aliud quæremus, ubi solus sufficit, per quem facta sunt omnia? Habitabimur, et habitabimus: subiicientur illi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Beati ergo, qui habitant in domo tua. Unde beati? Habendo aurum, habendo argentum, numerosam familiam, multiplicem prolem? Unde beati? Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hoc uno beati otioso negotio. Non ibi erunt opera misericordiæ, ubi nulla erit miseria. Egentem non invenies, nudum non invenies, nemo tibi occurret sitiens, nullus peregrinus erit, nullus ægrotus quem visites, nullus mortuus quem sepelias, nullus litigatorum inter quos pacem componas. Quid facturus es? An forte propter necessitates nostri corporis novellabimus, et arabimus, et negotiabimur, et peregrinabimur? Magna ibi requies. Nam ibi omnia opera, quæ* D *necessitas flagitat, subtrahentur: mortua necessitate peribunt opera necessitatis. Quid ergo erit! Quomodo potuit, dixit lingua humana; tamquam iucundatorum omnium habitatio in te:* ita Augustinus.

33. Lætitia sanctorum est inexplicabilis. Nota quinto, non dicitur *lætantium*, sed *tamquam lætantium*. Primo, quia tanta est lætitia, ut id explicari non possit: sic dicunt captivi redeuntes e Babylone, Ps. 125. 1. *Facti sumus sicut consolati.* Vide illum locum. Secundo, τὸ *tamquam*, denotat lætitiam illam esse supereminentem, nec satis explicari posse: lætitia huius mundi est tantum velut umbra illius cælestis lætitiæ. S. Aug. in Psal. nostr. *Quid est, tamquam. Quare, tamquam? Quia talis ibi erit iucunditas, qualem hic non novimus. Video hic multas iucunditates, et multi gaudent in sæculo: alii hinc, alii inde, et non est quod illi gaudio comparetur, sed tamquam iucunditas erit. Nam si dicam iucunditas, incipit homini oc-*

A *currere talis iucunditas, qualem solet habere in poculis, in prandiis, in avaritia, in honoribus sæculi. Extolluntur enim homines, et lætitia quadam insaniunt: sed non est gaudere impiis, dicit Dominus. Est enim iucunditas quædam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit:* hæc ipse.

ARTICULUS IV.

Deipara est Sion civitas Dei in montibus sanctis fundata.

In Sione duo spectari possunt, nempe ipse mons, et civitas in monte posita; utrumque est Virgo Deipara. 34. Deipara est mons Sion.

Primo enim, est mons in vertice montium. Isai. 2. v. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* Mons est, in quo passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi. Primo, ille mons est altus. S. Fulbertus Carnotensis Episcopus, qui circa annum Christi millesimum floruit, serm. de Assumpt. ait: *Altior cælo est, de qua loquimur.* Secundo, mons est bene radicatus. Idem S. Pater pergit: *Abysso profundior, cui laudes dicere conamur. Hæc est enim, quæ sola meruit mater et sponsa vocari.* Tertio, mons est solidus et firmus. Guarricus Abbas Igniacensis, Ordinis Cisterciensis, S. Bernardi discipulus, qui claruit circa ann. 1180. serm. 2. in Annuntiatione: Si, ait, petra Christus, ut ait Apostolus, non degenerat a matre filius, quando et ipsa petræ nomine censetur. Annon recte vocatur petra, quæ et in amore integritatis firma, affectu solida, sensu quoque ipso adversus illecebram peccati tota insensibilis erat, et lapides. Quarto, mons ille est ferax. Psal. 67. 16. *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis: mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* S. Dominicus fundator Ord. Prædicatorum, qui floruit circa annum 1206. tract. de corpore Christi: Sicut, inquit, primus Adam fuit ex terra virgine, et nunquam maledicta formatus: ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet Christo: cuius terra, id est mater virgo, nunquam fuit maledicta: hæc ipse. Nulla maior et optabilior feracitas esse possit, quam dare nobis thesaurum, qui omnes homines atque angelos ditet. Quinto, mons ille est iucundus et odoratus, ob flores omnium virtutum. Sophronius Episc. Hierosol. qui vixit tempore Honorii Imp. circa ann. 630. serm. de Assumpt. Vere, ait, hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, et odoramenta virtutum. Eam iure compares hortis pensilibus in Babylone et Media factis, de illis Diodor. Siculus lib. 2. pag. 98. sic ait: Erat κρεμαστὸς κῆπος, *hortus pensilis* iuxta arcem, non a Semiramide, sed a Syro quodam rege, posteris temporibus in gratiam concubinæ ædificatus. Quæ cum ex Perside, ut perhibent, orinnda esset, ἐν ὄρεσι λειμῶνας ἐπιζητοῦσα, in montibus requirens prata, a rege ut artificioso quodam plantario Persicæ naturam terræ imitaretur, contendit. Paradisus ille unumquodque latus ad quatuor plethra seu iugera extendit. Aditum montanum, aliasque ex aliis ad formam theatri structuras habebat. Sub gradibus autem fabrefactis ubi ascenditur, fornices ædificati erant totam viridarii molem sustinentes, aliusque alium subinde in accessu modicum supereminebat. Supremus tandem fornix, quinquaginta cubitos altus, supremam paradisi arcam, pinnarum ambitu exequatam habebat. Tum parietes multis impendiis firmati pedes 22. crassi erant, et quilibet exitus 12. pedes latus erat. Concamerationes vero trabes lapideæ integebant, longitudinem 16. cum superiniectis, et latitudinem pedum quatuor obtinentes. Tectum lapidibus incumbens, arundines primo cum multo bitumine substratas habebat. Deinde later erat duplex, gypso ferruminatus. Tertia porro tegminis series laminas plumbeas excipiebat: ne ex humo ingesta humor ad fundum penetraret. Super hæc terra ad iustam profunditatem coacervata erat, quæ maximarum arborum radicibus satis esset. Solum denique complanatum omnigenis et arboribus plenum erat, quæ magnitudine, et cætera a-

Horti pensiles Babylonis.

*

mœnitate, spectantes oblectare possent. Fornices præterea quod lumen per arcus inter se eminentes exciperent, multas variique generis diætas regias continebant. Sed una erat, ex suprema arca dissectiones seu foramina habens, et hauriendis aquis instrumenta, quibus aquarum copia ex fluvio, nemine foris quid fieret animadvertente, attrahebatur: hæc ibi. Ad rem præsentem adhuc aptius est, quod idem Diodorus refert pag. 101. in eodem libro. Cum, ait, Semiramis ad Chaonem Mediæ urbem venisset, in edito quodam campo petram vidit ὕψει καὶ μεγέθει καταπληκτικήν, excelsitate et magnitudine stupendam. Ibi prægrandem hortum, qui petram in medio complecteretur, extruxit: cui impendiosa ad voluptatem ædificia superimposuit; unde et horti vireta, et omnem in planitie castrametatum exercitum prospiceret. Hoc in loco omni deliciarum genere perfruens, non parum temporis absumpsit. Sexto denique, ad eum montem fluunt omnes gentes. Rupertus lib. 7. in Cant. O beata Maria, inquit, *mons montium*, virgo virginum, sancta sanctorum: ad omnes quidem convertimur montes aromatum, et vocamus, ut respondeant nobis: sed ad te præcipue convertimur, ad te præ cæteris oculos nostros levamus: hæc Rupertus.

35. Deipara est civitas Sion.

Secundo, Deipara est civitas Sion, ob contemplationem divinorum. Sion enim speculum seu speculationem significat. Radulphus Ardens in Assumpt. Virg. Mariæ: *Quis*, inquit, *sic fuit Iacob, id est luctator contra vitia, ut Maria? Quis sic fuit Sion, id est speculativus, ut Maria? Quæ civitas sic fuit sanctificata, ut civitas et claustrum Dei Maria? Quis fuit sic Ierusalem, id est pacificus, ut mediatrix Dei et hominum Maria?* hæc ipse. Ubi adverte, Primo, in Deipara fuit a primo suæ conceptionis instanti fides perfectissima, quæ omnem motum etiam primo primum dubitationis excluderet: et tunc distincte cognovit mysterium Trinitatis, et mysterium Incarnationis, quoad substantiam: scilicet quod Verbum, seu secunda Trinitatis persona esset carnem assumptura ex aliqua muliere: ignoravit tamen aliquas eius circumstantias, quas temporis processu didicit, ut patet in Evangelio. Abulensis parad. 1. cap. 31. ait, ob eam fidei perfectionem vocari a S. Aug. et S. Bern. matrem credentium. In ea cognitione Dei superavit Apostolos, Prophetas, et ipsos Angelos: ipsi enim sunt servi Dei, illa vero est mater, quæ solem intra se recepit ac mundo dedit. S. Anselm. hom. in illud, *Intravit Iesus in quoddam castellum*, ait: *Christus in Maria, ergo Dei virtus, et Dei sapientia, et omnes thesauri sapientiæ et scientiæ in Maria.* Et lib. de excellentia Virginis: Licet, inquit, ipsi Apostoli per revelationem Spiritus sancti edocti fuerint omnem veritatem: incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius ipsa per eum spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, et per hoc multa ei per hanc revelabantur, quæ in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat: hæc Anselm. Secundo, verisimilius est, habuisse B. Virginem cognitionem supernaturalem per se infusam, quoad lumen et species, ita ut obiecta fidei modo angelico per altiores species illi fuerint divinitus proposita, independenter a phantasmatibus: ita Suarez in 3. p. tom. 2. q. 37. disp. 19. sect. 3. et sic probat: Primo, fuit totus hic modus cognitionis, non solum possibilis, sed etiam facilis, et multum conferre potuit ad maiorem, et perfectiorem usum gratiæ sanctificantis, et non excedit limites viatoris: quin potius in viatoribus angelis inventus est: ergo valde credibile est concessum fuisse B. Virgini. Secundo, multa privilegia concessa creduntur B. Virgini, quæ vel hunc modum cognitionis requirunt, vel certe illo posito, facilius et commodius intelliguntur: ut verbi gratia, quod in primo instanti suæ conceptionis fuerit per propriam dispositionem et conversionem in Deum sanctificata. Item, quod toto tempore infantiæ habuerit usum rationis circa res divinas. Item, quod tempora somni, in Dei contemplatione et amore occupari posset: quæ omnia, et si quæ sunt alia id genus, facile intelliguntur posito prædicto modo cognitionis per se infusæ et sine illo intelligi nequeunt, absque aliis per multis miraculis. Tertio, hoc modo recte etiam intelligitur, *potuisse Virginem in statu viæ nunquam desistere ab actuali aliqua divinarum rerum consideratione, absque corporis impedimento, aut defatigatione: corpus enim non defatigatur contemplatione intellectus, nisi propter necessariam eius cooperationem, et phantasmatum concomitantium. Decuit autem animam B. Virginis, ex quo creata est, nunquam a Dei cognitione et amore cessare.* Quarto, hoc etiam modo intelligimus potuisse Virginem altius, et perfectius ex vi cognitionis et amoris divini, quem perpetuo habebat, prævenire in se, et cohibere omnem inordinatum motum. Ita Suarez, qui ait, hanc fidem et sapientiam infusam fuisse omni tempore in Virgine, non tamen semper cum eadem perfectione, sed in singulis ætatibus per eam intellexisse omnia, quæ illo tempore erant opportuna, et pro ratione status decebant. Sect. 4. docet, pie ac probabiliter credi posse, B. Virginem in hac vita interdum elevatam fuisse ad videndum clare divinam essentiam brevi tempore: idem docet S. Antonin. 4. p. tit. 15. Gerson alphabeto 15. tit. 8. Ubertinus Cassalius lib. 1. arboris vitæ crucifixi cap. 9. Villanova Archiep. Valentinus in serm. de resurrectione, et alii.

Tertio, Deipara est civitas Dei. In ea enim mansit Deus, et tota eius aula ac principes. Primo itaque, ibi est Rex Christus. Psal. 47. 1. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius.* Secundo, ibi principes angeli: a rege enim, et eius throno non discedunt. Psal. 46. 9. *Deus sedet super sedem sanctam suam. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Tertio, in ea civitate multus est populus. Est enim mater omnium fidelium. Apostolus dicebat Philippensibus, cap. 1. 7. *Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde meo.* Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Thren. 1. 1. Sion illa dicitur civitas plena populo, domina Gentium, princeps provinciarum. Quarto, in ea civitate sunt domus multæ et pulcherrimæ, hoc est varia virtutum habitacula. Psal. 47. 4. *Deus in domibus eius cognoscetur.* Idiota in contemplatione de B. Maria cap. 2. *Non defuit tibi*, ait, *puritas angelorum, non fides patriarcharum, non zelus apostolorum, non patientia martyrum, non sobrietas confessorum, non innocentia aut humilitas virginum. In summa, nullo genere vacasti virtutum:* hæc ipse. Quinto, ibi est curia, non iustitiæ, sed misericordiæ. Prov. 31. 26. *Lex clementiæ in lingua eius.* Sexto, ibi templum veri Salomonis, omni templo, ipsoque cælo augustius. Hesychius serm. 2. de laudib. Virginis: Iste, inquit, cognominat eam, matrem lucis: ille, stellam vitæ: alius, thronum Dei appellat: alius, ναὸν οὐρανοῦ μείζονα, *templum cælo maius.* In eo templo est arca, in qua lex continetur, altare thymiamatis in oratione, mensa panum propositionis in operibus misericordiæ, candelabrum aureum in lumine contemplationis. Septimo, ibi est regium palatium. Petrus venerabilis Cluniacensis Abbas sancti Bernardi æqualis, qui floruit circa ann. 1130. lib. 5. Epist. 1. illam vocat, *Spiritus sancti sacrarium, filii Dei reclinatorium, totius deitatis solium.* Octavo, in ea civitate sunt thesauri gratiarum. Prov. 31. 29. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* S. Bonav. in speculo, cap. 2. id considerans, ait: Si filias istas intelligamus animas sanctas, vel intelligentias angelicas, numquid non supergressa est divitias omnium, cum ipsa sit primitiva virginum, speculum confessorum, rosa martyrum, registrum apostolorum, oraculum prophetarum, filia patriarcharum, regina angelorum: quid enim da divitiis omnium horum defuit? Vide S. Bernardum tom. 2. serm. 2. de B. Virgine, et S. Bernardin. tom. 2. concionum serm. 1. art. 3. cap. 10. Nono, in ea civitate sunt fontes liberalitatis. Eccl. 24. 40. *Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio. Ego quasi fluvii dioryx* (id est aquæductus) *exivi de paradiso.* Decimo, in ea civitate sunt horti pleni floribus donorum Spiritus sancti. Hesychius serm. 3. de laudib. Virg. ait eam esse, κῆπον πατρὸς, λειμῶνα ὅλης εὐωδίας πνεύματος, *hortum* 36. Deipara est civitas Dei.

Patris, pratum totius fragrantiæ Spiritus sancti. Adam Victorinus in prosa de Assumpt. B. Mariæ Virg. ait esse rosam sine spinis. Sic autem canit :

Flos de spinis, spina carens,
Flos spineti gloria.

Undecimo, in ea civitate est schola, Lue. 2. 19. *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Sancti patres eam vocant magistram Apostolorum. Duodecimo denique, in ea civitate est murus constantiæ, omnia hæc secura faciens. Zachar. 2. 5. *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Cant. 4. v. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Ubi Hailgrinus: Propugnacula, inquit, cum quibus est ædificata, sunt virtutes, et gratiæ dignitates et prærogativæ, intentionis puritas, operum sanctitas, vis orationum et merita operum, per quæ B. Virgo peccatorem pœnitentem protegit, et inimicum expugnat: hæc ipse.

37. *Et civitas gloria coronata.* Illa civitas est gloria coronata: unde dicitur, *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Urbem Pragam in Bohemia circa mensem Octobrem corona in aere effulgens coronabat et illuminabat, atque circa illam videbantur armati pro ea decertantes. *Praga coronata.* Tunc erat morti proximus Rodulphus Imperator, cui Matthias rex Hungariæ successit, ut ait Michael Baudier hist. Turc. lib. 17. pag. 771. Christus vocatur a S. Paulo Hebr. 1. 3. *Splendor gloriæ*, et a S. Simone Luc. 2. 32. *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis Israel.* Hunc splendorem, lumen, et gloriam communicat matri suæ. Guarricus Abbas serm. 2. de Assumptione: Veni, ait, electa mea, et ponam in te thronum meum. Nullus plus mihi ministravit in humilitate mea, nulli abundantius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi, quod homo sum, communicabo tibi, quod Deus sum: hæc ille. Vocemus illam cum Ieremia propheta, cap. 17. 12. solium gloriæ altitudinis a principio. Vocatur a S. Chrysostomo in Hypapante, seu occursu Simeonis et Mariæ ac Iesu, magnum mundi miraculum: et in liturgia dicitur, honorabilior Cherubim, gloriosior incomparabiliter Seraphim: ita ipse. Verbo rem absolvit S. Petr. Damiani serm. 45. Gloria, quæ eam de hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem: de qua nihil aliud possumus dicere: nisi quia gloriosa dicta sunt de te, gloria Dei: sic ille. Nobis quoque dabit gloriam. A S. Bonav. in 3. dist. 3. nuncupatur gloria et corona iustorum. Vide dicta Psal. 84. 10. in illud: *Ut inhabitet gloria in terra nostra.* De gloria eius in cælo lege Suar. in 3. p. q. 37. disp. 21. sect. 4.

38. *Duo sunt fundamenta illius civitatis Dei:* Quæres primo, quænam sunt fundamenta illius civitatis Dei? Resp. esse eius conceptionem, et conceptionem Verbi in eius sanctissimo utero. Illa duo fundamenta posita sunt in montibus sanctis, id est in immensis pene gratiis Spiritus sancti.

I. *Eius immaculata conceptio.* Primo enim, in ipso primo conceptionis suæ instanti sanctificata fuit, et ab originali peccato præservata, ut ostendi Psal. 84. 1. Adde S. Bernardum super Salve regina, si tamen eius est ille tractatus: *Turris es Libani*, ait, *Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam præ omnibus signat innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus et actualibus peccatis. Nemo ita præter te.* Ioannes a S. Geminiano in Summa lib. 1. cap. 48. B. Virginis conceptionem comparat solis exortui, in quo splendor semper emicat. In aliis tenebræ extiterunt, et factum est vespere et mane, peccatum et gratia, dies unus vitæ omnium, præter Christum et Virginem. Nam, ut dicitur Apoc. 21. 23. *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est Agnus.* S. German. Patr. ser. de Nativ. Virg. Infinitam et incomprehensibilem eius gratiam esse ait iam in ipsa eius nativitate. *Si*, ait, *palmo metiri terram possumus, ac funiculo mare circumscribere: si cubitis cælum continetur, et stellarum numerari copia potest: si guttæ pluviæ, tellurisque glebæ, ventorumque impetus et arenæ comprehenduntur: certe facile comprehendi queat ortus admirandæ eius Virginis perfectio, puellæ nuptiarum semper expertis, reginæ et prophetissæ, in cuius regia incunabula magnus ille inter reges et prophetas David regio velut cernens oculo, sic exclamat: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietate*: ita Germanus. Prima gratia sanctificans Virginem fuit posita in montibus sanctis: quia ibi incœpit, ubi alii desierunt: et in primo illo instanti suæ conceptionis plus habuit gratiæ, quam ullus angelorum aut sanctorum in fine vitæ suæ. Suarez in 3. p. q. 27. disp. 4. sect. 10. Pium, inquit, et verisimile est credere, gratiam Virginis in prima sanctificatione intensiorem fuisse, quam supremam gratiam, in qua consummantur angeli et homines. Solet ad hanc veritatem accommodari illud Ps. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis*; quia fundamenta sanctitatis Virginis posita fuerunt, ubi alii sancti consummaverunt: *Quia diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*: neque mirum, quia Altissimus, qui illam fundavit, in ea factus est homo. Licet enim in mystico sensu argumentari, præsertim cum Ecclesia huiusmodi scripturas Virgini accommodet. Et in eumdem sensum videtur S. Gregor. libr. 1. Reg. cap. 1. explicare illud Isaiæ 2. *Et erit præparatus mons Domini in vertice montium.* Potest, inquit, huius montis nomine Beatissima Virgo designari. In vertice autem montium potest intelligi, quia gratia quæ in aliis finis fuit et terminus, illi *initium ac fundamentum* fuisse videtur. Ratio vero propria huius conclusionis sumenda est ex D. Thoma hic: quia scilicet Beatissima Virgo coniunctissima fuit Verbo. Quam rationem existimat Caietanus non procedere respectu angelorum: quia illi, inquit, erant coniunctiores Deo ratione beatitudinis, sed immerito; nam D. Thomas loquitur de coniunctione alterius ordinis, secundum dignitatem matris, et ex hac infert maiorem coniunctionem in genere gratiæ. Potest autem amplius hæc ratio explicari ex S. Laur. Iustin. serm. de Nativ. Virg. Quia beata Virgo in instanti suæ sanctificationis plus amabatur a Verbo, quam ullus angelus vel homo; sed gratia respondet amori, et est quasi obiectum eius: ergo maior gratia illi data fuit, quam haberent angeli, etiam beati. Maior patet, quia ex illo instanti amabat illam Verbum, ut futuram sui matrem. Totus autem hic amor debetur matri, et tota hæc perfectio gratiæ optime quadrat, cum tanta dignitate. Unde eleganter S. Petr. Damiani ser. de annuntiation. dixit: *Attende Seraphim, et videbis, quidquid maius est, minus esse Virgine, solumque opificem opus istud supergredi.* Et S. Vincent. Ferr. ser. 1. de Nativit. Mariæ, aperte idem sentit, dicens, fuisse sanctificatam Virginem in utero matris, supra omnes sanctos, et supra omnes angelos, accommodans illud Ps. 45. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* D. Bernard. ser. de Nativ. Mariæ, et clarius S. Damascenus dicunt beatam Virginem, etiam ante filii conceptionem fuisse angelis præstantiorem. Quia licet nondum in reipsa esset mater effecta, tamen iam erat ad hanc dignitatem destinata, et ipsamet persona Verbi illam amabat et sanctificabat, ut personam ad se valde pertinentem et futuram matrem suam. Quæ ratio etiam de prima sanctificatione procedit: ita Suarez. Petrus Abbas Cell. libr. de panibus c. 21. Filius, ait, est sanctus sanctorum, mater est sancta sanctorum. S. Gregor. in lib. 1. Reg. cap. 1. Virginem ait esse montem in vertice montium, ut supra dictum est. Verba eius sunt: *Potest huius montis nomine beatissima semper Virgo Maria Dei genitrix designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros, usque ad solium deitatis erexit?* Hæc Gregorius, quem vides loqui de gratia, quam Virgo habuit ante incarnationem Verbi. 39.

II. *Fundamentum est Verbi incarnatio.* Secundo, fundamentum illius civitatis Dei est incarnatio Verbi, quod fundamentum est in montibus sanctis, id est in selectissimis et excelsissimis gratiis. B. Virginem immediate a Deo suscepisse singularem sanctificationem,

seu augmentum eius illo instanti, in quo filium concepit, omnes Theologi in 3. dist. 3. sentire videntur. Nam dicunt, sicut in conceptione sua accepit primam sanctificationem, præter omne meritum, et præter omnem sacramentalem sanctificationem, sed ex singulari privilegio: ita in conceptione filii accepisse præter omne meritum singularem perfectionem sanctificationis, ob novam et admirabilem præsentiam divini Verbi, iuxta verbum angeli dicentis: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Et hoc modo sensit aperte D. Thomas in 3. p. q. 27. art. 3. tunc fuisse illi sublatum fomitem peccati, qui iuxta illius sententiam, antea tantum fuerat ligatus: et art. 4. docet, gratiam Virginis in filii conceptione fuisse quodammodo consummatam. Idem late Durandus, Scotus, et alii, dum aiunt, tam perfectam fuisse in eo instanti gratiam Virginis, ut amplius crescere non potuerit, hoc necessario supponunt. Idem aperte docent Damascen. Rupertus, ac S. Bernardinus, S. Bern. hom. super Missus est, et S. Laur. Iustin. serm. de Annunciat. Denique S. Athanas. serm. de sanctissima Deipara, inquit: *Tunc descendisse Spiritum sanctum in Virginem cum omnibus suis virtutibus essentialibus, imbuentem eam gratia et virtute.* Et infra, excludit errorem, putantium tantum vim quamdam et energiam illi datam esse Spiritus, ut incarnatio perficeretur. Et paulo post subdit, secundum orthodoxorum dogmatum rectitudinem, virtute et spiritu esse impletam Virginem: tum ut corpus eius sanctificaretur, tum ut salutarem illum fœtum concipere posset. Unde Euseb. Emiss. hom. super Missus est, in feriam quartam Dominicæ quartæ Adventus: Cum gratiæ, inquit, plena sit, priusquam concipiat, post conceptionem quanta abundavit? et Albertus Magnus in Mariali, cap. 69. quem imitatur D. Thomas, opusc. 60. art. 3. triplicem distinguit plenitudinem gratiæ Virginis; aliam vocat *sufficientiæ*, quam habuit a principio: aliam *abundantiæ*, quam dicit habuisse in filii conceptione: *aliam singularis excellentiæ*, quam in toto vitæ decursu consecuta est. Denique afferri potest coniectura: quia quando B. Virgo visitavit Elisabeth, propter Christi præsentiam, et Ioannes fuit sanctificatus, et Elisabeth gratia impleta: quid ergo mirum, quod divinum Verbum ingrediens uterum Virginis, singulari modo illam sanctificaverit. De hoc augmento nullus sine temeritate dubitare potest: ita Suarez in 3. p. q. 37. disput. 18. sect. 3. ubi addit: Alia esse tempora, de quibus simile quidpiam probabiliter coniectare possumus, quamvis sit res minus certa: huiusmodi sunt dies nativitatis Christi, dies mortis, vel resurrectionis eius.

40. *Portæ illius civitatis, sunt eius sensus.* Quæres secundo, quænam sint portæ illius civitatis Dei? Resp. esse eius sensus, quos diligit Deus super omnia tabernacula Iacob, id est super omnes potentias hominum, quia soli Deo patuerunt, et per eos nullum unquam vel levissimum peccatum intravit. Cant. 5. v. 5. ait: *Surrexi, ut aperirem dilecto meo.* Primo, oculis solum Deum aspexit. Ioann. Geometra hymn. 2. in laud. Virg. Salve, inquit, oculos pervigiles habens, quibus ut luna solem, aspicias solis dominum: hæc ille. Et postea illam vocat πολυομματον, cælum mille oculis præditum. Petr. Galatin. lib. 7. de arcanis fidei cap. 5. Virginis oculi, ait, nihil inhonesti aut illiciti unquam aspexerunt: imo nunquam oculos elevavit, sicut cæteri homines facere solent: sed semper humi defixos tenuit, nisi dum oraret. A Deo inter cæteras perfectiones spiritu prophetiæ donata est: ut si forte quid inconcessum seu illicitum visura esset, illico eius oculi clauderentur. Secundo, aures eius Deo uni patuerunt. Illud Cant. 2. 3. *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo*, sic vertit: Tunc temporis in umbra eius desideravi habitare, et verba legis eius dulcia fuerunt gutturi meo. Galatin. libr. 7. cap. 5. inter cæteras, ait, perfectiones et Prophetiæ spiritu donata est, ut si forte aliud inconcessum seu illicitum auditura esset, illico eius aures clauderentur, ita ut nonnisi voluntati divinæ deservire viderentur S. Ambros. declarat, quam dilecta fuerit Domino illa Sionis porta, cum ait tom. 2. in fragmento super cap. 30. Prov. *Venit Christus de cælo, aure concipitur.* S. Eleutherius Tornacensis Episc. ser. in Annun. Virg. O virgo benedicta, inquit, o virgo a conditore mundi prælecta, illum qui ante omnia sæcula genitus est absque matre ab æterno Patre, concipies mater effecta absque alicuius viri copulatione. *Ibi enim auricula uxor fuit, angelicus sermo maritus extitit.* Tertio, Deipara portam oris sui pene Deo soli aperiebat. Hoc declarat S. Ambr. lib. 2. de virginibus: *Corde humilis*, ait, *verbis gravis*, *animi prudens*, *loquendi parcior*, *legendi studiosior.* Hoc præceptum dat nobis omnibus l. 3. *Ianua nostra*, inquit, *os nostrum est: Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperitur, nisi ante pulsaverit Dei verbum.* S. Ægidius dicebat: Qui bona loquitur, tamquam os Dei est: qui mala loquitur, ceu quoddam Satanæ os: hæc ipse. Portas itaque mentis nostræ illi committamus. Richardus a S. Laurentio l. 2. Maria, inquit, assidet tamquam ianitor et custos, ne diabolus vel peccatum subintret portas nostras ad iugulandum et deprædandum. Portæ istæ sunt nostri sensus exteriores: ita Richardus.

41. *Ad eam civitatem fugiunt omnes peccatores.* Quæres tertio, quinam sint huius civitatis cives? Resp. Primo, esse omnes iustos. S. Bonav. in 3. dist. 3. eam vocat gloriam et coronam iustorum. Secundo, ad civitatem confugiunt omnes peccatores: est enim urbs refugii, ad quam cum sceleris alicuius reus pervenerit, iudicis severitatem non sentit. Alcuinus ser. de nativit. *Nemo*, inquit, *tam idoneus est, ut gladio Domini manum pro nobis obiiciat, ut tu Dei amantissima, per quam primum in terras suscepimus iustitiam et misericordiam.* S. Anselm. lib. de excell. Virg. cap. 6. Velocior, ait, est nonnunquam salus invocato nomine Mariæ, quam invocato nomine Iesu: hæc ipse. Ratio est, quia non est iudex, sed patrona tantum: est illa prudens Abigail, iram Davidis, hoc est Christi armati, avertens a domo Nabal, hoc est stulti, peccatoris scilicet. S. Bonav. in 3. d. 3. vocat illam, advocatam peccatorum. S. Ephrem, ait esse desperantium spem, et damnatorum patrocinatricem. Richard. a S. Victore, part. 2. in Cant. cap. 2. dat illi lac divinæ misericordiæ. Nec mirum, cum sit mater misericordiæ. Gregor. 7. lib. 1. epist. 47. Maria, inquit, quanto altior, melior, et sanctior omni matre: tanto clementior et dulcior est circa conversos peccatores et peccatrices: ita ipse.

1. Raab id est meretrices et superbi. Prophetæ nostro insistamus: *Memor ero Raab et Babylonis scientium me: ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Primo, si per Raab intelligis meretricem illam Iericbuntinam conversam, Iosue 2. 1. vim maximam habet Deipara ad inspirandam puritatem. Ut enim ait Proclus Patr. Constant. S. Cyrilli æqualis, floruit enim circa ann. 430. Maria est impollutus et purus virginitatis thesaurus, decus et ornamentum. Si per Raab intelligis superbiam, Deipara per humilitatem cælum aperiet. S. Augustinus serm. 35. de sanctis: O vere, inquit, gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, et scala cæli constituitur. Si per Raab intelligis Ægyptios, Deipara tenebras Ægyptiacas dispellit. Quidam dicunt Ægyptum significare tenebras, in peccatis summa est caligo, Maria vero est μητηρ φωτος, id est mater lucis, ut ait Hesychius serm. 2. de laudib. Virginis. Solem illam nuncupat B. Thomas Archiep. Valentinus. *Tolle solem*, ait, *quid est in mundo, nisi tenebræ? Tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat nisi caligo?* Secundo, peccator est Babylon, id est confusio, ob agitationem passionum, veluti fluctuum omnia evertentium et perturbantium. Deipara portus est noster, ut ait S. Ephrem ser. in laud. Deiparæ, cælesti ducatu ad portum æternæ pacis applicandos evehit, ut dicit Amedeus hom. 8. de laud. Virg. ipsa contulit mundo pacem, ait S. Laur. Iust. de casto connubio Verbi et animæ. Est χαρας αρχη, και τελος κατάρας, gaudii apex, et finis maledictionis, ait Geometra. Tertio, peccator omnis est alienigena: est enim filius diaboli, sed præsertim hæretici, schismatici, iudæi, et pagani. Deipara est ποταμος ζωης, vitæ flumen, ut vocat Hesych. ser. 2. de eius laudibus, est mater et regeneratrix nostra, ut ait S. Petr. Damian. ser. 1. de Nativ. Mariæ. *In me omnis spes vitæ*, ut

2. Babylon. *3. Alienigenæ.*

ipsa clamat, Eccli. 24. 25. Sola interimit hæreses in universo mundo, ut cantat Ecclesia. Est virga Mosis, serpentes, id est peccata et hæreses, devorans et absumens. Absalon Abbas serm. 31. de Assumpt. Virga Mosi, ait, per quam fecit signa in Ægypto, Maria est: per eam Deus fecit mirabilia in mundo: e quibus unum de maximis est, quod versa in colubrum dracones Ægyptiorum devoravit: quia cum de se Christum in similitudine carnis genuit, omnia crimina, omnes hæreses impiorum, quæ Ægypto huius mundi illudebant, cum virtute prolis, tum exemplo suæ sanctitatis delevit.

4. Tyrus. Quarto, peccator omnis est Tyrus, id est affligens et afflictus. Nam, ut dicit S. Chrys. hom. 8. tom. 1. pag. 115. Peccator intus habet agentem conscientiæ accusatorem, et hunc ubique circumfert: et sicut seipsum non potest fugere, sic nec intrinsecus ipsum agitantem: sed quocumque abeat, flagellatur, et τραυμα ανιατον εχει, vulnus habet immedicabile: ita Chrysostomus. Deipara afflictorum miseretur. Amedeus hom. 8. mox citata: Sancta animalia, inquit, de quibus in Ezechiele legitur, quod ante et retro, intus et foris, atque in circuitu, plena sunt oculis, labores hominum et dolores, casus, defectus, cæcitates, invaletudines, extrema pericula, incertos exitus vitæ, et mala quæque humani generis: non æque ut Dei genitrix valent examinare, examinando cælesti auxilio diluere, et propulsare. *Quo enim sublimius immensi regis cor aspicit, eo profundius divinæ gratia pietatis afflictorum et misereri, et miseris succurrere novit.*

5. Æthiopes. Quinto, Æthiopes sunt ii peccatores, qui vitiis denigrati sunt, et colorem mutare non possunt. *Cur nigri Æthiopes?* Æthiopum nigredo a parentum semine contrahitur, non a solis ardore: nam Brasili et Peruani, qui zonam torridam incolunt, non sunt nigri; et contra, qui promontorium bonæ spei incolunt, nigri sunt, licet a linea æquinoctiali distent 35. gradibus latitudinis australis. Nos ab ortu peccatum originis trahimus, et nigredinem illam in vitæ decursu, solis ardoribus expositi, et concupiscentiæ flammis augemus. Deipara nos dealbat. Est enim, ut ait Ioan. Geometra hymn. 2. Lilium, et λευκοτερα χιονος, nive candidior. S. Bern. super Salve regina, divinæ pietatis abyssum, inquit, cui vult, et quando vult, et quomodo vult, creditur aperire: ut quivis enormis peccator non pereat, cui sancta sanctorum patrociniis suis suffragia præstat: hæc Bernardus. *Deipara apparet regi Æthiopum.* Regem Monomotapæ, quod regnum est in Æthiopia exteriori, convertit illi apparens, cum Sylveira e Soc. nostra in illud pervenit. Franc. Sacchin. sic refert lib. 5. hist. Soc. num. 224. regi Monomotapæ regina Virgo apparet, eique lingua loquitur incognita: cum id rex Sylveiræ retulisset, idque unum doleret, quod linguam intelligere non potuisset, ait Sylveira: Linguam illam esse divinam, quam nemo intelligat, nisi baptizatus. Paulo post rex cum matre baptizatur, et Sebastianus in gratiam regis Lusitani, mater vero Maria dicitur: ita Sacchinus.

42. *Christus est Virginis bonum.* Nota primo, summum illius civitatis bonum est Christus in ea natus. *Numquid Sion dicet: homo et homo natus est in ea.* Homo et homo, hebraismus est, id est, ille excellens homo; sicut Ps. 67. 21. dicitur, *Domini Domini*, hoc est excellentissimi Domini, *exitus mortis.* Ierem. 31. 22. habetur: *Creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum.* Ps. 73. 12. *Operatus est salutem in medio terræ*, hoc est in utero Virginis. S. Bernard. ser. 2. de Pentecoste: *Operabatur, ait, salutem nostram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam respiciunt, et qui in cælo habitant, et qui in inferno: et qui nos præcesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis. Illi, qui sunt in cælo, ut resarciantur: qui in inferno, ut eripiantur: qui præcesserunt, ut prophetæ fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificentur.* S. Chrysolog. ser. 3. in Annunt. Hæc est gratia, inquit, quæ dedit cælis gloriam, *terris Deum*, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit angelus, accepit virgo, salutem sæculis redditura. *Iesus apparet multis sanctis.* Miramur Beneventæ virgini hora integra puerulum Iesum a B. Virgine datum ulnis gestasse: Luciam Narniensem, triduo toto Iesum domi suæ, in forma pueri apparentem vidisse: S. Catharinam Senensem, cum hostiam sacram ore reciperet, sæpe tam suavem odorem sensisse, ut deliquium animi pateretur. Cum semel ante perceptionem Eucharistiæ in sui cognitione attentissime fixa esset, audivit vocem, qua diceret Christus: *Si tu digna non es, quæ in me ingrediaris, dignus ego sum, qui in te ingrediar:* tum sibi visa est in ipsa communione in Iesum immergi, et Iesum in se, velut spongiam in aquam: idque cum summo dolore, sed maiori utilitate. Miramur Iesum apparuisse Catharinæ de Raconis affixum cruci, radios ex vulneribus fulgidissimos emittentem, eaque forma in cor eius intravisse his verbis additis: *Hic requies mea, ab ea divelli nolo.* Sed nihil sunt hæc, si cum Deipara conferantur, in cuius utero per menses novem mansit Iesus ex purissimo eius sanguine factus et formatus, et eam gratia complens. S. August. in Ps. nostro legit: *Homo et homo factus est in ea.* De Christo id intelligunt S. Hieron. Tertull. Enth. Theodoretus, et ipse S. Augustin. Quod matrem gratia impleverit, quis dubitet, cum sit auctor gratiæ? S. Ambros. lib. 2. in Lucam: *Soli Mariæ*, ait, *hæc salutatio servabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat consecuta est, ut gratiæ repleretur auctore.* S. Germ. Patr. Const. oration. in nativit. Mariæ, ait esse, παρθενον θηραξουσαν, virginem acquisitionis, velut venatione Deum illaqueantem. S. Gregor. Thaum. serm. 3. in Annuntiation. vocat illam, cælo et terra æquale domicilium. Ioann. Geometra dicit, esse maris concham, quæ unionem peperit fulgoris divini, et purpurei laticis.

43. *Deipara est civitas fundata in humilitate et virginitate.* Nota secundo, civitas illa Dei fundata est ab Altissimo super duas columnas, nempe super humilitatem eius ac virginitatem. Primo, fundata est super humilitatem et cognitionem sui nihili. Iob 26. 7. *Appendit terram super nihilum.* Hoc ipsa dixit in suo cantico Luc. 1. 48. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Contra vero, *dispersit superbos mente cordis sui*: quia super arenam et pulverem siti sunt. *I. In humilitate.* S. Bernardin. tom. 2. serm. 51. cap. 3. de fundatione Virginis super humilitatem eius clare dicit: *Gratia primæ sanctificationis, quæ eam omni virtute replevit, sic in principio mentem eius in abysso humilitatis fundavit, quod sicut nulla post filium Dei creatura tantum ascendit in gratiæ dignitate, sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profundæ.* Guarricus Abbas ser. 3. de Assumpt. O humilitas, inquit, angusta tibi, ampla divinitati, pauper et insufficiens sibi, sufficiens ei quem non capit orbis, copiose ac deliciose reficiens illam, quæ et angelos pascit. Super quem, inquit, requiescam, nisi super humilem. In omnibus requiem quæsivi, sed apud humilem ancillam inveni.

II. In virginitate. Secunda columna, super quam illa civitas Dei fundata est, est perpetua et illibata eius virginitas. Sic enim purissimus Iesus in eam venit, qui illam fundavit. Isaiæ 28. 16. *Mittam in fundamentis Sion lapidem.* Chald. vertit: *Ecce ego statuens regem Messiam.* Christus est lapis absque manibus decisus e monte, qui fit mons magnus, et replet totam terram. Vide dicta Psal. 44. Virgo itaque est etiam mons, ex quo ille lapis sine manibus abscinditur, ut ait Ioan. Cantacuzen. in apolog. 1. Theodotus Anciran. eam comparat rubo ardenti et fulgenti, sed incombusto. Anastas. Nicæn. qu. 53. comparat candelabro aureo. Cur totum aureum? ait: quia post partum virgo permansit: hæc ille. S. Anastas. Sinaita lib. 4. Hexaem. dicit esse lunam plenam, quæ nunquam diminuta fuit. S. Bernard. hom. 1. super Missus est, ait, esse stellam, quæ sine corruptione suum emittit radium. Ut ne a fundamenti comparatione recedamus, sentientes infirmitatem nostram, ad eam recurramus. Est enim, βασις βροτειας γενεας, mortalis generis fundamentum et firmamentum.

Nota tertio, Deipara lætificat servos suos: *Sicut lætan-* 44.

Deipara lætificat servos suos. *tium omnium habitatio est in te.* Vide dicta Ps. 45. 4. In illud: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Primo, dat lætitiam angelis. Guilhelmus in Cant. Maria, inquit, est fons hortorum, rigando eos. Puteus aquarum viventium, continendo eos. Continet sibi abyssos vitæ, et immortalium gaudiorum: sed non ita continet sibi, ut non effundat et aliis. Effundit angelis et hominibus participationem pro captu singulorum: *angelis quidem torrentem voluptatis*, hominibus in hac peregrinatione, rivulos sanctitatis et sanitatis: donec ipsi cives effecti inebrientur ab ubertate domus, et torrente voluptatis eius potentur. Sic tamen effundit, ut non minus contineat: hæc Guilhelmus. Secundo, dat lætitiam hominibus. Est illa fortis et triumphans Iudith, cui omnes acclamant, ipsique presbyteri. Iudith 15. 10. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri: quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris.* Servos suos præsertim in morte lætificat. Menologium Cisterciense, sexto idus Febr. refert, cum B. Paulus Conversus, lethali morbo correptus, ultimum iam ageret spiritum, ridere suavissime cœpit, et circumstantibus, qui eius insolitam in moribundo exultationem mirabantur, dixit: Cur non riderem, cur non exultarem? Ecce domina nostra præsens est, et iam animam meam suscipiet. Inter loquendum exhalavit spiritum, qui a piissima mater benigniter acceptus ad æterna gaudia perductus est. In ipso purgatorio dat consolationem. S. Birgitta lib. 1. Revel. cap. 16. illam sic alloquitur: Tu es mea, tu mater misericordiæ, *tu consolatio eorum qui sunt in purgatorio*, tu lætitia eorum qui peregrinantur in mundo. Franciscus de Mendoza in Viridario quærit, an B. Virgo aliquos ab inferis extraxerit: et videtur in eam sententiam inclinare, quod aliqui ab aliis extracti legantur, et nihil debeat negari Virgini, quod aliis sit concessum: sed lego: In inferno nulla est redemptio; et Baronius in Annal. tom. 8. anno 604. erudite confutat fabulam de Traiano ab inferis per S. Gregorium revocato, aliasque similium rerum revelationes iure censet esse fictitias. Tertio, Deipara lætificat omnes creaturas. Andr. Cret. serm. in salut. angel. eam vocat, παντων χαραν, omnium lætitiam: et festum Annuntiationis dicit esse, universæ creaturæ lætam festivitatem, et gaudii annuntiationes, atque evangelia. Quarto denique, ipsa Virgo præsertim plena fuit cælesti lætitia. Ideo illi dicit angelus Gabriel Luc. c. 1. 28. *Ave gratia plena.* Græce χαιρε, id est gaude. Chrysipp. de laud. Virg. Mariæ: Tuum est revera, inquit, avere et gaudere: tuum est verissime audire istud, Gratia plena: quia *tecum est universus lætitiæ thesaurus*, totius lætitiæ et gratiæ rex cum ancilla: ita ille. Ergo dictum erat, Gen. 3. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos: in dolore paries filios*; at Maria mater vera viventium eos parit cum gaudio, non flentes sed lætantes. Hinc illi canunt Æthiopes in sua Liturgia, seu Missa: Lætare Domina, quia salutem deprecamur, o Virgo in omni tempore mater Dei et Christi: effer sursum in altum orationem nostram apud electos filii tui, ut remittantur peccata nostra. Lætare Domina, quia peperisti nobis Dominum nostrum Iesum: hæc ibi. Illi itaque nos totos consecremus, in ea spes nostras ponamus, atque gaudeamus. Zacharias Episc. Chrysopoleos, qui floruit circa annum 1100. ad finem commentarii in Evangelia: In ea, inquit, tam potenti, tam pia, tam fideli advocata nostra toto corde gaudeamus, quæ nulli postulanti auxilium negat, et pro nullo apud filium frustra interpellat: hæc Zacharias.

(Margin: 1. Angelos. — 2. Homines.)

45. Religio est civitas Dei. Symbolice etiam Ugo Card. civitatem Dei ait esse Religionem. *Fundamenta eius, Religionis scilicet, in montibus sanctis: id est, in arduis conversationibus sanctorum Prælatorum, et altis religionibus monachorum. Et tunc non potuit abscondi civitas supra montem posita. De his fundamentis Apocal. 21. 19. Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata: id est, omni virtute. Et ideo montes erant. Sed hi montes modo multum defluxerunt, et valles facti sunt*: ita Ugo. Ne per multas religiones vager, in uno hæreamus Ordine S. Benedicti, de quo sæpe multa affero, tum quia sunt illa per se præclara, tum ut amorem meum et Soc. nostræ erga mirabilem hunc ordinem declarem, tum ut gratitudinem tester ob sublevatam per Prælatos eius collegiorum multorum inopiam. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Primo ad litteram, in monte Cassinensi, ubi S. Benedictus et socii ipsius mira sanctitate floruerunt. Secundo, in montibus sanctis, id est viris sanctis, qui ad quinquaginta et amplius millia ab aliquibus in eo Ordine fuisse referuntur. Tertio, in montibus sanctis, id est in principibus, regibus et imperatoribus, qui ibi vitam religiosam egerunt, ut alias retuli. Quarto, in montibus sanctis, id est in Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Cardinalibus, et Pontificibus, qui ex eo prodierunt. Quinto, in montibus sanctis, id est in tot Monasteriis et Abbatiis, ubi disciplina religiosa maximo religiosorum numero floruit. Trithemius suo tempore dicit, fuisse abbatias quindecies mille. Ne longe abeamus, in hac urbe Virdunensi est Abbatia S. Vitoni in monte sita, et quidem in eius arce, totius sui Ordinis uno arx iure nominanda. Possit etiam illud Monasterium dici civitas Dei fundata in montibus sanctis: hoc est, in nobilibus et principibus viris, qui ibi vota sua Deo emiserunt: illustrissimus est S. Henricus Imperator, qui Virdunum venit, ut deposito imperio monasticam vitam ageret. Cum ad claustrum venisset, S. Richardo Abbati magno animi ardore dixit: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* Haymo Episcopus huius urbis rem subodoratus monuit S. Richardum, ne tanto Imperatore orbem christianum privaret. Ubi ad capitulum ventum est, sanctus Abbas ad Imperatorem conversus: Quandoquidem, ait, statuisti renunciare pompis et vanitatibus sæculi, ut Deo te consecres in ordine S. Benedicti, sciendum tibi est, Religionem non subsistere nisi per votum obedientiæ; itaque mihi tamquam Abbati tuo tota vita obedire debes, pari mentis demissione, qua subditi imperii tui præceptis tuis obtemperarunt, alioqui de religione ingredienda sine hac conditione essentiali ne cogitandum quidem est. Sanctus Imperator totus in lacrymas diffluens se in genua ad eius pedes abiecit, et magno fervore exclamavit, votum se nuncupare Deo, illi se Abbati suo in omnibus prorsus obediturum. Tum vero S. Richardus subiecit: Ego te nunc in meum Religiosum recipio secundum desideria tua et promissa mea, et tamquam Abbas tuus curam animæ tuæ et conscientiæ in me suscipio; sed in virtute sanctæ obedientiæ, quam modo in manibus meis vovisti, tibi impero, ut habenas imperii tui recipias, et illud cum charitate et amore subditorum gubernes, cum iustitia et timore Dei sub meo imperio et obedientia. Imperator his verbis attonitus, in administratione sua sancte vixit, et obiit. 2. Monasterium S. Vitoni est civitas Dei fundata in montibus sanctis, id est in magnis Prælatis et Episcopis, qui in eo religiose vixerunt. Inter cæteros eminent tres Episcopi Virdunenses. Berengarius Episcopus 33. qui eiectis clericis in illud monachos introduxit. Wilgifridus Episc. successor Berengarii, et Albertus Episcopus 47. qui volens ad Ordinem Cisterciensem se conferre non sine miraculo impulsus est, ut monasterium hoc S. Vitoni intraret. 3. Monasterium illud est civitas Dei fundata in montibus sanctis, hoc est in sanctis viris, iam beatis, quorum reliquiæ ibi summa veneratione coluntur: ibi enim servantur corpora S. Sanctini Episc. primi, et Apostoli Virdunensis, S. Pulchronii Episc. 5. S. Possessoris Episc. 6. S. Firmini Episc. 7. S. Vitoni Episc. 8. S. Magdalvei Episcopi 23. Omitto cæteras reliquias. 4. Monasterium hoc, est civitas Dei fundata in montibus sanctis, hoc est in sanctis viris, qui ibi floruerunt, in quibus tres potissimum eminent. Humbertus scilicet Abbas, qui a Berengario Episcopo evocatus ex Tullensi Monasterio iacentem religiosam disciplinam restauravit, et tanta virtute resplenduit, ut dicatur vir beatissimus, gloriosus Abbas, et vir sanctissimus. Postea aliquo interiecto tempore S. Richardus, de quo mox, iterum lapsam disciplinam restauravit, non in hoc solum monasterio, sed etiam in aliis multis in Francia, in Lotharingia

(Margin: Abbatia S. Vitoni fons reform. Ordin. S. Benedicti. — S. Henricus ibi obedientiam vovet. — S. Richardi Abbatis ingeniosum inventum.)

et Belgio. Nostro denique sæculo Reverendus P. Desiderius de la Cour, magna mentis humilitate, vitæ austeritate, unione cum Deo clarus, lapsos penitus cis Alpes religiosorum suorum mores reformavit, et ad antiquum rigorem reduxit. Mirabili ac divino prorsus modo primum reformavit hoc S. Vitoni monasterium, ex quo sacræ coloniæ emissæ primo monasterium S. Huberti in Arduenna sylva reformarunt: unde initium sumpsit congregatio S. Placidi in Belgio. Secundo, causa extiterunt congregationis S. Mauri in Francia. Tertio, reformarunt monasterium Cluniacense, et multa illius Ordinis monasteria. Tantorum bonorum causa superatis innumeris difficultatibus fuit dictus pater Desiderius de la Cour inter maxima sanctissimi Ordinis sidera iure numerandus, in cuius obitu stella, instar magnæ facis, supra Ecclesiam S. Vitoni lucere visa est, cum in ipsa corpus eius exponeretur, iis inscii, qui illam stellam viderunt. Fuit is vir vere humilis, amicissimus Societatis nostræ, et ea plurimum usus est in sua reformatione, præsertim eum iuverunt P. de la Tour huius Collegii Rector, et P. Torontinus. Primo, ei conciliando illustrissimum principem Erricum a Lotharingia, Episc. huius urbis, et Abbatem S. Vitoni. Secundo, illum animando ad rem tam arduam, quæ pene impossibilis et desperanda videbatur. Tertio, religiosos antiquos monendo, rogando, impellendo, terrendo, exercitiis spiritualibus exercendo domi nostræ, exhortationes prope quotidie in ipso eorum Monasterio faciendo. Quarto, novitios conquirendo, tres primo, deinde singulis annis tam multos, ut iure hoc collegium possit dici seminarium illius Ordinis et Reformationis: adeo ut audierim uno anno duodecim ad illa Dei castra, et quidem hoc anno 1649. octo se obtulerunt, licet collegium bello sit imminutum, evolasse. Quinto, novitios illos exercendo, hortando, consolando, fluctuantes roborando, ardentiores moderando, exercitiis spiritualibus illuminando. Sexto, ipsum illum sanctum Reformatorem ardore mentis propensum ad austeriora suscipienda, quam multitudo ferre posset, intra humanam moderationem retinendo, ut res sit durabilior: sicut initio non existimarant ab extremo ad extremum statim faciendum esse transitum; non animi mollitie, sed sagaci prudentia. Quæ si spectasset malevolus, parumque gratus auctor chronici illius monasterii, qui a tribus diebus incidit in manus meas, non esset conatus obscurare hanc navatam tanto bono operam duorum illorum patrum mortificatione et aliis virtutibus insignium, sed adeo hæc parvi fecit, ut Societatem ipsam nostram ingratissimo calamo contumeliis proscindat, quod intolerabile prorsus mihi visum est. Sciat ille, quisquis est, veram Reformationem in vera et sincera charitate atque humilitate consistere, et illitteralis esse animi eos, a quibus profeceris, vellicare. Hoc unum in vindictam contendam, ut quantis potero laudibus, sanctissimum et clarissimum eius ordinem prosequar, cum sciam ab exordio huius sanctæ Reformationis Societatis nostræ patres omnibus in locis, sed præsertim in hoc collegio, contendisse omnes nervos, ut illud Dei opus foverent, et quantum possent, augerent. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Faxit Deus, ut simus omnes cor unum et anima una, cum omnes uni Deo et Christo contra eosdem hostes, militemus. Non prius ab ea charitate omnes divellamur, quam a corpore, cum præsertim sanctus ille Reformator illam indivulsam et immotam usque ad mortem ita tenuerit, ut mortem sibi instantem præsagiens rogarit patrem unum adhuc in hoc collegio agentem, cui hæc mox a me scripta dedi, ut se vellet ad exercitia S. Ignatii facienda in hac nostra domo admittere, et in illis exercere, sicut alias ea iam fecerat, sub Patre de la Tour: sed consultius visum est, ut iam aliorum ipse doctor et ductor illa domi suæ usurparet. Adde quod vir ille divina charitate ardens multis in capitulis eam vocem frequentabat, viderent omnes, ut a mutua Societatis charitate non recederent, ut Reformatio, quæ opera Societatis inceperat, eius auxilio perduraret: Conabatur scilicet a se gloriam tanti operis in alios reiicere: sed absit, ut vel minimum ex ea decerpamus, quam omni studio illi conservare et augere debemus: imo, Deo soli, cui uni sit honor et gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Illi et nobis invicem uniamur in terris, sicut S. Benedictus et S. Ignatius in cælis.

Anno 1649. hæc scripta sunt.

P. Le Brun.

PSALMUS OCTOGESIMUS SEPTIMUS.

1. Canticum Psalmi, filiis Core, in finem, pro Mahelet ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.

2. Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te.
3. Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.
4. Quia repleta est malis anima mea: et vita mea inferno appropinquavit.
5. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.
6. Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius: et ipsi de manu tua repulsi sunt.
7. Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis et in umbra mortis.
8. Super me confirmatus est furor tuus: et omnes fluctus tuos induxisti super me.
9. Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi.
10. Traditus sum, et non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.
11. Clamavi ad te, Domine, tota die: expandi ad te manus meas.
12. Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?
13. Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam: et veritatem tuam in perditione?
14. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: et iustitia tua in terra oblivionis?
15. Et ego ad te Domine clamavi: et mane oratio mea præveniet te.
16. Ut quid Domine repellis orationem meam: avertis faciem tuam a me?
17. Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.
18. In me transierunt iræ tuæ: et terrores tui conturbaverunt me.
19. Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.
20. Elongasti a me amicum et proximum: et notos meos a miseria.

PSALMI OCTOGESIMI SEPTIMI ANALYSIS.

Propheta noster Christum in cruce contemplatur, in qua

- Passionem suam describit,
  - Mentem ad Deum erigens:
    - Spe, ad salutare suum clamando. 2.
    - Charitate, eius aspectum optando. 3.
    - Humilitate, benevolentiam eius sibi necessariam profitendo. 3.
  - Se totum illius voluntati tradens:
    - Ante crucem
      - Anima, doloribus repleta. 4.
      - Corpore, vulneribus confecto. 4.
    - In cruce
      - Ab hostibus, inter latrones deputatus. 5.
      - Ab amicis, sine auxilio relictus. 5.
    - In sepulcro
      - Divinitate, inter mortuos liber. 5.
      - Corpore, vulneribus coopertus. 6.
      - Opinione hominum, a Deo derelictus. 6.
    - In limbo
      - Ad lacum patrum descendens. 7.
      - Et ad purgatorium.
        - Ubi tenebræ. 7.
        - Et umbra mortis. 7.
    - Post descensum ad limbos:
      - Hostibus eum calumniantibus. 8.
      - Amicis deserentibus. 9.
- Resurrectionem postulat:
  - Ob suam consolationem, cum
    - Traditus a Iuda non fugerit, cum posset. 10.
    - Oculos a Deo, etiam non liberante, non removerit. 10.
    - Vocem ad eum cum perseverantia direxerit. 11.
    - Manus extentas usque ad mortem ad illum habuerit. 11.
  - Ob Dei gloriam, qui
    - Non facit mirabilia in cadaveribus mortuorum. 12.
    - Non recipit gratiarum actiones ab illis, nisi ea suscitet. 12.
    - Non laudatur in sepulcro,
    - Non ibi cognoscitur,
      - Neque ob misericordiam. 13.
      - Neque ob veracitatem. 13.
      - Neque ob potentiam. 14.
      - Neque ob iustitiam. 14.
  - Ob suam orationem
    - Ferventem, ad Deum clamando. 15.
    - Celerem, initio passionis orando. 15.
    - Constantem, licet repulsam passa sit. 16.
    - Amantem, et optantem videre Dei vultum. 16.
  - Ob suam miseriam,
    - Præteritam, cum
      - Fortunæ bonis semper fuerit privatus. 17.
      - Corporis laboribus ab infantia exercitatus. 17.
    - Præsentem, qua
      - Exaltatus in cruce. 17.
      - Humiliatus coram hostibus. 18.
      - Conturbatus in animo suo. 18.
      - Tempestate a Deo iactatus. 19.
      - Desertus ab amicis et domesticis. 20.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Canticum Psalmi, filiis Core, in finem, pro Mahelet ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.

1. Tituli sensus. Tituli sensus est, q. d. Canticum Psalmi, sive cantandus Psalmus datus cantoribus filiis Core ad illum cantandum, et frequentandum usque ad finem sibi alternatim in choris respondendo: in eo autem Psalmo proponitur cantanda Eman Ezrahitæ res plena eruditionis, intelligentiæ et mysterii. Ubi adverte, Eman et Ethan fuisse sapientissimos; unde 3. Reg. 4. 31 dicitur: *Erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezrahita, et Heman.* Et hoc dicitur, ait Valentia, quia isti fuerunt magistri Salomonis: qui declarabant ipsi Salomoni intelligentiam Psalmorum ipsius David et totius sacræ Scripturæ. Sed postea Salomon superavit omnes in scientia et sapientia. Legitur 1. Paralip. 25. quod isti cantores, et maxime filii Heman erant videntes, id est Prophetæ regis: eo quod declarabant regi Salomoni sacram Scripturam, et maxime intelligentiam Psalmorum, prout in illo statu poterant attingere. Et ideo dicebantur prophetæ, non quod ipsi condidissent Psalmos, sed quia declarabant populo, sicut modo faciunt nostri prædicatores. Et sic in illo tempore tam cantores, quam prædicatores, et recitatores prophetiarum, dicebantur prophetæ et prophetare: et ita dicitur in prælegato capite, quod Asaph, et Heman, et Idithun prophetabant in citharis, et psalteriis, et etiam de Saule dicitur, quod prophetabat inter prophetas: et etiam cantores vocat prophetas Apostolus, 1. Corinth. 14. hæc Valentia, qui monet Heman fuisse principem unius choricantorum. Nam

Eman et Ethan cur dicti prophetæ.

A David constituit tres principales cantores: scilicet Heman, Asaph et Idithun, qui tres fuerunt filii, hoc est posteri Core illius, qui fuit a terra absorptus cum Dathan et Abiron, ut alias docui.

Nota, S. August. Cassiod. Dionys. Psal. Gallic. Rom. habent *Eman Israelitæ;* Græce etiam idem est. Sed textus videtur corruptus. Legendum itaque est cum Vulgata, *Ezrahitæ.* Est nomen patronymicum, factum addito aleph heemantico, a rad. זרח *zarach,* id est oriri. Fuit enim ex patria Ezrai, ut explicant Hebræi, Lyranus, Caietanus, et alii: hæc explicatio commoda mihi videtur. Sic Ieremias propheta dictus est Anathotites, quia erat de Anathoth. Quidam Ezrahitam explicant, filium Ezræ: sed hoc dici non potest; nam lib. 1. Paralip. 6. 33. et 15. 17. vocatur filius Ioel, filii Samuelis; itaque hic Heman fuit nepos Samuelis. Neque dicas, Heman dici filium Zaræ, lib. 1. Paral. 2. 6. nam clarum est, illum Zaræ filium non vixisse tempore Davidis et Salomonis, cum ille Zara dicatur filius Iuda ex Thamar. Est autem Thamar imprægnata a Iuda B filio Patriarchæ Iacob, et illi peperit Phares et Zaram, anno mundi 2327. ante Christum 1726. David autem, sub quo Heman cantabat, incepit regnare anno mundi 2979. ante Christum 1074. id est interiectis annis sexcentis et quinquaginta duobus. Nec statim initio regni sui David distribuit cantores, sed omnino in fine; unde hæc distributio ponitur a Saliano, Salomonis regni anno secun-

2 Ezrahita nomen est patronymicum.

do. David enim assignantur 40. anni regni, tempus reliquum tribuitur Salomonis regno; nam in eum David curas regni sui reiecit Deo uni vacans, post eius coronationem et consecrationem.

3 Maheleth. Nota secundo, *maheleth* vel *maeleth* est instrumentum musicum, quod chorus vocabatur, et erat aptum cantilenis lugubribus. Vide de eo dicta Ps.52. in titulo. S.August. Ugo, Haymo, Ludolphus, Dionysius, et alii legunt *melech*, sed corrupte: *melech* enim regem significat, non chorum. Valentia item corrupte legit malaach: et Raynerius, mohalath: et Arnobius, maleth.

4. Argum. Psalmi. Quæres, quodnam est argumentum Psalmi? Primo, S. Basii. Theodoret. R. Salomon. Lyr. et Aiguanus, qui vulgo vocatur Incognitus, explicant de Iudæorum calamitatibus, et captivitate Babylonis. Secundo, alii exponunt de gravissimis calamitatibus Davidis, sive in persecutione Sauiis, sive in persecutione Absalonis.

Tertio, et optime, S. Hier. S. August. S. Athanas. Euth. Niceph. Lindan. et pene omnes alii, volunt hic patientem Christum loqui de passione sua, et resurrectionem corporis sui postulare.

5. Solus hic Psalmus est totus in tristitia. Ubi adverte, huic uni Psalmo proprium esse, ut a rebus tristibus incipiat et in iis finiat, sine ulla consolatione et prædictione liberationis, aut gratiarum actione ob prævisum auxilium: ita Genebr. Iansen. et Titelm.

6. Tropol. Tropolog. Psalmus hic, ait Lindanus, est oratio contra graves animi tentationes atque tristissimas calamitates, quas mirabilibus similitudinibus comparat, et tragicis figuris amplificat: morte, inferno, fluctibus, etc. hæc ipse. In præcedenti Psalmo, ait Ugo, egit David de civitate cælesti: in isto agitur de præparatione viæ, qua itur ad illam: scilicet de passionibus Christi et sanctorum. Et invitat ad imitationem Dominicæ passionis in hilaritate, et concordi charitate: hæc Ugo. S. August. insistens more suo: Tunc enim in choro cantari dicit, cum charitas servatur. Verba eius sunt: *In quo mysterio, inquit, dictum mihi videatur, pro choro ad respondendum: id est, ut canenti per chorum respondeatur, exponam. Domini hic passio prophetatur. Dicit autem Apostolus Petrus, 2. Petr. 1. Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius: hoc est respondere. Dicit etiam Apostolus Ioannes, 1. Ioan. 2. Sicut Christus pro nobis animam suam posuit: ita et nos debemus animam pro fratribus ponere, hoc est respondere. Chorus autem concordiam significat, quæ in charitate consistit. Quisquis ergo quasi æmulator Dominicæ passionis tradiderit corpus suum, ut ardeat, si charitatem non habeat, non respondet in choro, et ideo nihil ei prodest. Proinde quemadmodum dicuntur in arte musica, sicut ea edocti homines latine dicere potuerunt, præcentor et succentor: præcentor scilicet, qui vocem præmittit in cantu: succentor autem, qui subsequenter cantanti respondet: ita in hoc cantico passionis præcedentem Christum subsequitur chorus Martyrum in finem cælestium coronarum. Hoc enim canitur filiis Core; id est imitatoribus passionis Christi: quoniam in Calvariæ loco crucifixus est Christus, quæ illius Hebræi nominis interpretatione prohibetur, id est Core:* hæc Augustinus. Illum sequuntur Remig. Dionysius, Ludolphus, et alii.

Secundo, hic Psalmus congruit cuique fideli, qui in mortale crimen prolapsus, atque ob id pœnitentiæ dolore sese macerans, æternam damnationem deprecatur, in qua nemo Deum laudabit: ita Iansenius.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

7. Duo exequitur. Primo, Christus passionem suam depingit Patri æterno, vers. 2. Secundo, resurrectionem suam celerem ab eo postulat, vers. 10.

SECTIO PRIMA.

Duo comprehendit. Primo, orationem ardentem Christi ad Patrem, ut in passione sua eum adiuvet, vers. 2. Secundo, humiliationem et dolores passionis delineat, v. 4.

PARAPHRASIS.

2. Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te.

2. Domine Deus, et amantissime Pater, in cuius amore et potentia omnem salutem meam et incolumitatem positam esse certo scio, tota passionis meæ die et nocte, ab omnibus desertus, tibi uni clamores meos ac gemitus obtuli, te ubique præsentem considerans.

3. Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.

3. Patere tam ardentem et constantem orationem meam aditus facies ad te invenire, ut legationem suam pro me obeat: eam tu paternis auribus admitte, et in cor penetrare sine, ut postulatis annuas.

4. Quia repleta est malis anima mea: et vita mea inferno appropinquavit.

4. Undique enim omnes dolores ita in animam meam confluunt, ut pluribus capiendis sine ope tua singulari par esse non possit: corpusque meum tot verberibus et laboribus confectum est, ut mox sit moriturum, nisi tu vires novas suppedites.

5. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber.

5. Latronum in medio ob scelera sua crucifixorum constitutus, æstimatus sum illis similis, et eorum princeps: omni prorsus humano auxilio destitutus sum: liber tamen inter mortuos existo, animam tibi meam libere, et a nullo coactus, offerens.

6. Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius: et ipsi de manu tua repulsi sunt.

6. In sepulcro conditus, similis censebor iis, qui post acceptas ab hoste lethales plagas in illud inferuntur: et quorum nec meministi, ut eos ad vitam excites ante finem mundi: nec peculiarem curam habes, sicut vivorum, quibus cibos, vestes, cæteraque provides.

7. Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis, et in umbra mortis.

7. Ad eum me modum cruciarunt, ut mox sim descensurus ad limbos patrum in terræ parte infima sitos: et in purgatarum animarum specum, in quo tenebræ sunt, et adumbratio mortis æternæ.

8. Super me confirmatus est furor tuus: et omnes fluctus tuos induxisti super me.

8. Etiam post mortem, video iram in me tuam confirmatum iri, hostibus meis necdum exsatiatis, sed Pilati permissu procaces et malevolos milites mittentibus, ad sepulcrum meum circumcingendum.

9. Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi.

9. Nec in passione mea tantum recesserunt a me domestici mei et mihi familiariter cogniti: sed a meo etiam sepulcro se subtrahent præ timore, meque veluti rem abominandam, et sui periculi causam horrebunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quanti cruciatus Christi patientis, et quanta vis Crucis, ut afflictiones toleremus.

8. *Ordo Sectionis.* Christum in cruce pendentem inducit Propheta Patri suo supplicem, ut partim eum adiuvet ad Passionis dolores ferendos, partim Resurrectionis gloriam diu non differat. In hac prima sectione de Passione agitur

Primo enim, orationem suam Deo sistit. Primo, spei plenam, v. 2. *Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te.* Secundo, charitatem declarat, qua suavissimum Patris aspectum petit, v. 3. *Intret in conspectu tuo oratio mea.* Tertio, humilitatem, qua confitetur se egere favore divino: *Inclina aurem tuam ad precem meam.*

Secundo, describit illam suam Passionem, cum ante crucem, in cruce, in sepulcro, in limbo, ubique, dolores et abiectionem sit amplexatus.

Primo, ante Crucem. Primo, anima in horto Gethsemani, doloribus transfixa, v. 4. *Quia repleta est malis anima mea.* Secundo, corpore verberibus et laboribus fracto, apud Caipham, Pilatum, Herodem, etc. ita ut non possit conservari sine peculiari ope: *Et vita mea inferno appropinquavit.*

Secundo, in Cruce, princeps latronum iudicatus, et in eorum medio positus, v. 5. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum.* Ab omnibus sine ulla ope derelictus: *Factus sum sicut homo sine adiutorio.*

Tertio, in sepulcro, liber quidem et potens se suscitare, ob divinitatem, vers. eod. 5. *Inter mortuos liber.* Corpore tamen vulneribus discisso et transfosso, similis mortuis iudicatus, v. 6. *Sicut vulnerati dormientes in sepulcris.* Qui non sunt suscitandi ante diem iudicii: *Quorum non es memor amplius.* Quique non foventur amplius peculiari Dei cura: *Et ipsi de manu tua repulsi sunt.*

Quarto, in limbo, ad lacum inferiorem descendens, in quo Patriarchæ et Prophetæ captivi tenebantur, v. 7. *Posuerunt me in lacu inferiori.* Et ad purgatorium, in quo densæ tenebræ: *In tenebrosis.* Et adumbratio mortis æternæ, non tamen mors æterna: *Et in umbra mortis.*

Quinto, post descensum ad limbum, et corpus in sepulcro positum, tempestas non cessavit. Iudæi enim apud Pilatum calumniati sunt eum, v. 8. *Super me confirmatus est furor tuus.* Et cohortes militum miserunt, ut sepulcrum custodirent, ne resurrexisse crederetur: *Et omnes fluctus tuos induxisti super me.*

Sexto, non hostes tantum illi, velut victo, insultarunt: sed amici quoque, a sepulcro eius recesserunt, v. 9. *Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi.*

ARTICULUS I.

Oratio Cruce signata maximam vim apud Deum habet.

Priusquam exponat David afflictus, seu Christus potius cruci affixus, dolores suos, declarat orationis suæ fervorem, et illam petit exaudiri, v. 2. DOMINE DEUS SALUTIS MEÆ, IN DIE CLAMAVI ET NOCTE CORAM TE. *Vers. 2.*

Vers. 3. Vers. 3. INTRET IN CONSPECTU TUO ORATIO MEA, INCLINA AUREM TUAM AD PRECEM MEAM.

9. *Christus orat in passione.* Nota, Christus clamavit in die, id est tota vita sua: et in nocte, id est tempore Passionis; 2. clamavit in die existens in Cruce: et in nocte, cum in horto dixit, Matth. 26. 39. *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Nobis idem faciendum est. Primo cum fervore, quod clamor indicat: *Ranæ mutæ.* non clamatur enim, nisi ubi calor est. Ælian. lib. 13. hist. anim. cap. 66. ait, in Seripho ranas prorsus mutas esse: si vero eas alio importes, acre quiddam et tragicum sonare. In Pierium lacum, qui non perennis est, sed hyeme tantum existit, ex aquis in eum confluentibus, ranas si quis iniiciat, silent: alibi tamen vocales. Theophrastus putat causam esse aquæ frigiditatem. S. Xaverius et S. Ephrem tanto ardore aliquando colliquescebant, ut sibi a clamore inter orandum temperare non possent, vim infundentis se lætitiæ divinæ ferre non valentes. S. Franciscus Assisias futuræ suæ felicitatis admonitus clamorem continere non potuit. *S. Francisci raptus admirabilis.* Waddingum audiamus tom. 1. pag. 323. anno 1224. num. 32. Cum, inquit, ad prandium ivisset, vix unam aut alteram buccellam ceperat, cum suspensus hæsit oculis in cælum fixis, magno et ingenti clamore dicens: Benedictus, gloriosus, et superexaltatus sit Dominus. Deinde vehementi motu prosiliens de mensa, et in terra procumbens, extra se raptus est, et immobilis factus per integram horam. In se reversum dum frater Leonardus moneret indecentis clamoris et motus, respondit: Frater mi, magna tantæ commotionis subfuit causa, quam tibi revelo, nulli dum vixero expandendam. Si Imperator, vel rex, subdito suo regnum promitteret, nonne iure gauderet? Quid ergo fecerim, cui Dominus regnum suum certo promisit? Non potui me a clamore continere; neque per hæc voto satisfeci. *Revelationem accipit de sua beatitudine.* Laudabo nomen eius assidue, magnificabo eum in laude, et psallam Deo meo, quamdiu fuero. Tum paululum meditatus, hæc dictavit: Altissime omnipotens, bone Domine, tuæ sunt laudes, gloria, honor, et omnis benedictio. Tibi soli referendæ sunt, et nullus homo dignus est te nominare. Lauderis Domine Deus propter omnes creaturas tuas, et specialiter propter honorabilem fratrem nostrum solem, qui diescere facit, ut nos illuminet per lucem: pulcher est, et radians, et magni splendoris, tuique Domine symbolum præfert. Laudetur Dominus propter sororem lunam, etc. Hæc Wadingus. Laudabat Dominum Deum salutis suæ, et clamabat in die: id est in luce et ardore contemplationis, et divinæ consolationis. Aderit tibi Deus, et salutem dabit, si cum fervore ad eum clames. Catharina de Raconis ardentissime puritatem cordis petebat, Iesus cum multis sanctis illi apparens dedit benedictionem: cor avellit, in quo scripsit, *Iesus spes mea:* cum hoc primo scripsisset litteris argenteis, eas deinde mutavit in litteras aureas, cor denique purgavit, et in eius pectore reposuit, ut ait Ioan. a S. Maria in eius vita.

Nota secundo, in nocte præsertim, id est in tribulatione et tentatione, clamandum est. 10. *Clamor in afflictione utilis.* Primo, quia orationis ferventis clamor obtinet liberationem ex Ægypto, hoc est a peccato. Secundo, impetrat aquas gratiæ. Cum populus Israel murmuraret ob aquæ penuriam in Cades, Moses et Aaron, dimissa multitudine, ingressi sunt tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi, et aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum. Numer. 20. 6. *Hoc præstitit Deus, percussa bis petra:* in ipsa percussione et afflictione datur gratia, refrigeratio, et recreatio. Tertio, oratio nocturna utilis est contra hostes. S. Chrysolog. serm. 24. sacrarum vigiliarum, in quibus orationi vacatur, declarat, comparatione regis, nautæ, pastoris, ac viatoris sibi in nocturnis vigiliis providentium: *Vigiliarum utilitas in rege, nauta, pastore, viatore.* *Semper, inquit, et ad omnia vigilias esse salutares nullus ignorat: quia revera plus vigilare, plus vivere est. Nam quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? quid tam vita plenum, quam forma vigilantis? Indulgendum somno est, ut corpus reparet, non resolvat: et vires revocet, non enervet. Semper ergo ad omnia vigilias esse salutares nullus ignorat. Quæ ars, quod opus, quod tempus, quæ potestas, quod officium, non vitæ lucra lucubratione perquirit? Hinc est, quod rex in procinctu pervigil callidi hostis præcavet et evitat insidias: tunc in castris miles supervenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit. Sic nauta vigilando diffusi itineris incertas vias intrat, et calles transit invios, et vestigio furtivo ad lucrosi portus pervenit mansionem. Hinc pastor adiungit noctes diebus, et totum sibi tempus denegat dormiendi: ne qua lupis suffragante somno, grassandi in gregem præbeatur occasio. Sic viator solers per auras noctis æstus solis prævenit: actumque diem providentius deputat mansioni:* ita Chrysologus. Hinc sancti totas sæpe noctes in oratione transegerunt, *Dio orantes in nocte.*

ut S. Ignatius, S. Antonius, S. Arsenius, et alii. Cum Agatha a S. Cruce de die variis domus occupationibus distineretur, de nocte orabat, et nonnunquam integras decem horas in oratione cum suavitate mira transigebat. Angelica Seraphina sæpe a solis occasu ad ortum preces continuabat. Francisca a S. Dominico conquerebatur, quod sol, quo occidente orationem cœperat, nimis celeri cursu orationem eius interrumperet luce matutina. Catharina Dherrera sæpe ad totum noctis tempus, aliquid addebat, et orationem usque ad communionis horam producebat. Anna Duqua annos octoginta nata ad matutinas surgebat preces, et quatuor horas postea in mentali oratione ponebat. Sciebant illud Abbatis Isaaci effatum, quod refert Cassianus collation. 10. Qui ait, iugiter suum invocat protectorem, certus est eum semper esse præsentem. Habet amoris et charitatis ardorem, etc. Hic versiculus, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina*, omnibus infestatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus est, et impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus: ita Cassianus. Obtinuit olim mos in Hispania, ut equites tyrones tota nocte vigilent, antequam militarem baltheum recipiant, sicut testatur Hier. Romanus de institutione militum Bandæ, ab Alphonso 2. Castellæ rege in civitate Victoria, antequam regni insignia capesseret, constitutorum, et non multo post positorum in urbe Burgensi. Pridie cæremoniarum ibi in monasterio S. Mariæ Regalis, quisque tyronum a rege conductus, ad altare depositis armis totam noctem vigiliis et orationibus transigit: posteroque die sub missarum solemniis, ab eodem tamquam ab Ordinis Præside, militari baltheo, seu tænia rubra, vulgo banda dicta, et quatuor lata digitos, quæ a dextro humero sub sinistro brachio corpori circumduceretur, honoris ergo donatus est, ut ait Franciscus Menuenius in equestr. Ord. symbolis et originib. pag. 116.

Equites in oratione noctem ponentes.

11. *Oratio est legatus; et qualis esse debeat.*

Nota tertio, oratio est legatus, qui a nobis ad Deum mittitur: *Intret oratio mea in conspectu tuo.* Videndum autem est: Primo, ut sit agilis. Secundo, ut in hostes obvios armatus. Tertio, ut ornatus. Quarto, industrius. Quinto in postulatis rationabilis. Has conditiones requirit Guilielmus Arvernus Episcop. Parisiensis, vir magnæ pietatis et eruditionis, qui florebat circa ann. 1240. Tractatu enim de Rhetorica divina cap. 28. ait, orationem esse nuntium qui ad Deum mittitur, et ad ipsum intrat. In eo autem requiri Primo agilitatem; refert porro accepisse se a quodam parocho miram in orando tarditatem unius, qui vix ab eo persuaderi potuit, ut in tota septimana orationem dominicam diceret; ita ut singulis diebus septimam eius partem proferret: postea tamen orationi sic assuevit, ut ab illo suo sacerdote peteret, quod ei pœnitentiam quantumcumque gravem, et duram vellet iniungere. Paulatim id assecutus est per breves orationes. Secundo, videndum est, ne legatus ille spolietur a latronibus, aut occidatur. Latrones, inquit, intelligo improbas cogitationes, quæ se orationi ingerunt, et eam lacrymis piis et sanctis desideriis, etiam ipsis cogitationibus et attentione spoliant, ipsamque suavitatem unguenti surripiunt, vel etiam rapiunt violenter. Tertio, requiritur, ut cum apparatu et ornatu mittatur: intentionis scilicet, et attentionis, desideriorum, et aliorum: maxima enim negotia pertractat veniæ, gratiæ, et gloriæ obtinendæ, atque pacis cum Deo. Quarto, sit industrius oportet ac sedulus, non tantum cum ipso rege ac iudice, sed cum eius principibus et assessoribus, agendo strenue de negotiis sibi commissis. Quinto, ut decentia postulet, ac rationi consentanea, et digna tanto rege: non vero vilia, et quæ usui sint futura ad ipsum offendendum: hæc Guilielmus. Adde, cum humilitate et modestia debet oratio se sistere tanto regi. Hier. Osorius lib. 9. de rebus Emmanuelis regis Lusitan. f. 305. Apud Abassinos, ait, *nemini nisi nudis pedibus templum ingredi licet.* In fanis flagitium est ridere, sermocinari, deambulare, aut aliquid denique meditari, quod non ad cælestia atque divina referatur: ita ille. Debet quoque oratio habere introductores apud Deum, sicut legati apud reges et principes. Angelorum id officium est; Raphael ipse id præstitisse se dicit Tobiæ seniori cap. 12. v. 12. *Quando*, inquit, *orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Sis tu Tobias, id est bonus dominus: vel, bonus domino, vel, bonitas domini, et angeli gradientem orationem tuam erigent et offerent Domino: si vero sceleratus sis, qua ratione poteris opem eorum ad id implorare. Nam ut recte ait Ugo Card. in Psal. nostr. *Non decet angelos sanctos introferre profanas voces, nec ianitor cæli leprosas orationes admittit.* Alludit ad leprosos, qui cogebantur manere extra castra et urbes populi Dei, atque os veste contegere. Levit. 13. 45. *Habebit leprosus vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Nihil autem coinquinatum intrabit in regnum cælorum. Peccator tamen in oratione speret, si vitam emendare statuit. Eccl. 2. 13. *Pius et misericors est Deus, et remittet in die tribulationis peccata: et protector est omnibus exquirentibus se in veritate.*

Abassinorum reverentia in templis.

Nota quarto, necesse est ut Deus se inclinet ad orationem nostram, alioqui ad eum pervenire desperaret. Non prius prodigus ausus est orationem suam proferre, quam pater accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum, Luc. 15. tunc enim dixit: *Pater, peccavi in cælum, et coram te*, etc. sicque misericordiam obtinuit. Non prius Esther oravit Assuerum, quam de throno descendisset, et se ad eam inclinasset. Esth. 15. 9. dicitur: *Ingressa Esther cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, et pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu. Cumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit, et in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput. Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, et festinus ac metuens exilivit de solio, et sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se*, etc. Vides inclinationem regis, ante orationem. Esther enim ad se reversa dixit, v. 16. *Vidi te Domine, quasi angelum Dei, et conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ*, etc. Quare in Psalmo nostro dicitur: *Inclina aurem tuam ad precem meam.* Secundo, necesse est, ut nos ipsos inclinemus, ut fecit prodigus, et Esther 2. ut fecit quinquagenarius ante Eliam, 4. Reg. 1. Cum enim Elias in montis vertice sederet, duos quinquagenarios cum eorum militibus missos ab Ochozia rege Israel igne de cælo deiecto occidit: tertius id videns curvavit genua sua, et precatus est eum, ut misereretur animæ suæ: tunc Elias eius preces audivit, et iussu Dei cum eo descendit. 3. Vidua Sunamitis petitura suscitationem filii sui, ad pedes Elisei abiecit se, et obtinuit ut ab eo de monte descendente, et se super puerum inclinante suscitaretur, 4. Reg. 4.

12. *Inclinatione Dei eget nostra oratio.*

Nota quinto, oratio cruce signanda est, ut Deo grata sit, et ab ea ipso exaudiatur. Primo, oratio in Christi cruce spem suam ponat, tamquam *in Domino Deo salutis suæ.* Christus enim per crucem Salvator extitit, qua de re vide S. Thom. 3. p. q. 48. art. 6. S. Ioannes Damascen. lib. 4. de fide cap. 12. crucem vocat ψυχῆς σωτηρίαν καὶ σώματος, salutem animæ et corporis. S. Petr. Damiani serm. 48. Crux, ait, est signaculum redemptionis humanæ. S. Ambr. oration. funebr. Theodosii Imper. vocat illam vexillum salutis, et sacramentum salutis. S. Chrysost. tom. 5. serm. 35. pag. 488. κεφάλαιον σωτηρίας ἡμετέρας, summam et compendium salutis nostræ. Et hom. de continentia Ioseph, illam comparat columnæ nubis ducenti populum Israel per desertum. Sicut, inquit, columna nubis, figura nostræ crucis, Hebræorum multitudinem protegebat, ac quid mali ab Ægyptiis paterentur: ita crux ante oculos visa, omnem statim abigit malam voluptatem: hæc est enim salus animæ, fœdarumque concupiscentiarum salubre antidotum. Psal. 17. 4. dicit David Christo: *Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus.* S. Hier. cornu salutis ait esse crucem, ibi expansis manibus Iesum accedentium esse susceptorem. S. Isidor. de passione Domini cap. 35. Cor-

13. *Oratio est cruce signanda.*

I. *Per spem in Iesum crucifixum.*

nua, inquit, in manibus eius, quod quid est aliud nisi tropheum Crucis? Psal. 28. 6. Christus dicitur: *Dilectus, quemadmodum filius unicornium.* Vide illum locum. Andreas Cretensis de cruce sic loquitur: *Crux est spes Christianorum, servatrix desperatorum, portus eorum qui tempestate iactantur, medica infirmorum, expultrix vitiorum, datrix sanitatis, fidei propugnaculum, apud Deum fiducia, clavis regni cælorum:* ita ille. Quin etiam omnes sancti patres veteris testamenti gratiam et salutem obtinuerunt per crucem Christi. S. Leo serm. 1. de Passione Domini: Omnis prorsus antiquitas, ait, colentium Deum verum, omnis numerus apud sæcula priora sanctorum, sacra fide vixit et placuit: et neque patriarchis, neque prophetis, neque cuiquam omnino sanctorum, nisi in redemptione Domini nostri Iesu Christi salus et iustificatio fuit.

11. Per mortificationem.

Secundo, oratio cruce signanda est per mortificationem. Drogo Abbas serm. de Pass. *Nullus*, inquit, *te quærit, nullus te invenit nisi crucifixus. O gloriosa crux radicare in me, ut ascendam ad te.* Caritæ Ordinis S. Dominici religiosæ Christus apparuit cruci affixus, et lugubri voce amorisque plena ait: *Filia mea præbe mihi cor tuum.* Alteri quoque Religiosæ eiusdem Ordinis apparuit Crucifixus, eaque forma in eius cor intravit, his additis: *Hæc requies mea, a qua discedere nolo.* S. Petr. Dam. tom. 2. serm. 47. ait, crucem esse viam ad cælum. Crux, inquit, incipientibus semita, currentibus via, pervenientibus requies est secura. S. Franciscum euntem ad ædes S. Mariæ de Angelis crux aurea præcedebat, et coram stante stabat, et coram ambulante ambulabat, donec ædes est ingressus. Hanc vidit frater Leo, ut Deus ostenderet, quando sanctus vir flagraret Crucis affectu, ut ait Lucas Waddingus tom. 1. pag. 321. ann. 122. num. 30. Te quoque oraturum, et ad Ecclesias pergentem crux, id est mortificatio præcedat, sic ad Deum tibi faciles aditus reperies. Andr. Cret. oration. de exaltatione S. Crucis vocat crucem, clavem regni cælorum.

ARTICULUS II.

Omnis vita nostra et respersa crucibus.

14. Vers. 4.

POSTQUAM Christus petiit audiri orationem suam, declarat illius necessitatem, vers. 4. QUIA REPLETA (Hebr. שׂבעה *sabea*) MALIS ANIMA MEA, ET VITA MEA INFERNO APPROPINQUAVIT: id est, tanti sunt cruciatus mei ac dolores, ut morti sim proximus. Hoc referri potest Primo, ad ea Christi verba euntis in hortum Gethsemani cum Petro, Iacobo et Ioanne, Matth. 26. 37. *Tristis est anima mea usque ad mortem*, q. d. ait Cornelius, ex viva apprehensione instantium mihi tormentorum et mortis, adeo tristor et angor, ac si iam morerer: sustineo agoniam et dolores mortis, quales sustinent moribundi: spiritus et vires me deficiunt, videor mihi mœrore et pavore quasi exanimari: angor mihi pene vitam et spiritum eripit. Secundo, et melius, Christus in cruce hæc dicebat: quia tunc vere fuit saturatus opprobriis atque doloribus. Hinc clamavit Psal. 21. 1. *Deus Deus meus quare me dereliquisti, longe a salute mea verba delictorum meorum.* Vide ibi dicta. Tunc erat morti et inferno, id est limbis, ad quos descendit, proximus. Ps. 122. 4. se quoque saturatum fuisse opprobriis dicit: *Multum repleta est anima mea: opprobrium abundantibus*, supple fui, *et despectio superbis.* Ibi Hebr. etiam habetur, *sabea*, id est saturata est.

15. Christus omnem passionem sustinuit.

Nota, τὸ *repleta est:* quia Christus passus est omnem passionem humanam secundum genus, ut docet S. Thom. in 3. p. q. 46. art. 5. Quod, inquit, potest considerari tripliciter. Primo, uno modo ex parte hominum, a quibus passus est. Passus est enim aliquid et a Gentilibus, et a Iudæis, et a masculis, et a fœminis, ut patet de ancillis accusantibus Petrum. Passus est etiam et a principibus, et a ministris eorum, et a popularibus, secundum illud Ps. 2. *Quare fremuerunt gentes*, etc. Passus est etiam a familiaribus, et notis, sicut patet de Iuda eum prodente, et Petro

A ipsum negante. Alio modo patet idem ex parte eorum, in quibus homo potest pati. Passus est enim Christus in suis amicis, eum deserentibus. In fama per blasphemias contra eum prolatas, etc. ita S. Thomas, qui art. 6. docet, dolorem eius fuisse maximum inter dolores præsentis vitæ, idque ob quatuor rationes. Art. 7. docet, Christum passum esse secundum totam animam, quod quomodo sit intelligendum vide apud ipsum, et apud Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 38. sect. 2.

Nota secundo, cum dicitur, *vita mea inferno appropinquavit*, non esse sensum, quod Christus fuerit proximus damnatorum inferno, aut quod eius pœnas sustineret, aut sustinere deberet postea, sicut blasphemat Calvinus. Nam, ut docet Suar. tom. 2. in 3. p. q. 46. disp. 33. sect. 2. Si loquamur de interiori tristitia, quæ provenire potest ex malo pœnæ proprio, certum est naturalem tristitiam, quam Christus habuit de malis quæ passus est, non fuisse tam vehementem ex parte obiecti, seu secundum speciem suam, sicut est tristitia, quam damnati habent de suo statu ac perditione. Hoc etiam docet D. Thom. in 3. p. q. 46. art. 6. ad 3. Et ratio est manifesta, quia illa tristitia oritur ex malo pœnæ alterius ordinis et rationis: nimirum ex pœna damni, et amissione æternæ beatitudinis, et habet coniunctam desperationem salutis, sicut gaudium beatorum cum certa et inamissibili possessione coniunctum est: tristitia vero Christi de proprio malo pœnæ solum fuit de malo temporali et humano: ergo sunt hæ tristitiæ diversarum rationum, et illa est specie sua multo acerbior, sicut malum ipsum quo nititur, est longe maius. Nam actus proportionatus est obiecto suo, et effectus causæ. Ita Suarez, qui deinde probat non fuisse etiam tam intensam tristitiam Christi, quam est intensa tristitia damnatorum, quia elicita est tantum secundum vires naturales Christi: at in damnatis præter vires naturales, cogentur divina virtute, ut eo vehementiorem tristitiam sentiant, quo maiori pœna digni sunt. 16. Tristitia Christi fuit minor tristitia damnatorum.

Moral. Imitandus est Christus in Cruce patiens et moriens. Aiguanus notat, psalmum nostrum dici canticum et psalmum. Canticum, inquit, quia Christi passio fuit causa nostræ liberationis, unde exultare debemus: Psalmum, quia passio Christi nos incitat ad ipsum imitandum per bonam operationem. 1. Petr. 2. dicitur: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Quotidie in lege veteri duo agni immolabantur in holocaustum, unus mane, alter vesperi. Nunc quotidie Christus immolatur et sacrificatur mane in altaribus, in commemorationem passionis eius, nos ipsos addamus etiam in holocaustum sempiternum usque ad vitæ vesperam. S. Augustinus negat eum esse Christianum, qui non patitur. Sic enim Ps. 55. *Si putas te nondum habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Et ubi est vox Apostoli 2. ad Tim. 3. Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur:* hæc Augustinus. Omnes amici Christi passi sunt. Primo, Deiparæ ait Simeon Luc. 2. 35. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Secundo, Apostolis Iacobo et Ioanni Christus ipse obtulit calicem passionis, Matth. 20. 22. S. Paulus ait 2. Corinth. 4. 8. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus: semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Multa etiam refert 1. Corinth. 4. 9. Tertio, singuli fideles multa patiuntur. S. August. hom. 32. de Sanctis: *Tota*, inquit, *vita Christiani hominis si secundum Evangelium vivat, crux est atque martyrium:* hæc ipse. Ecclesia et anima sancta est terra promissionis, quæ undique mari, desertis et hostibus cingitur. Num. 34. 3. eius termini sic assignantur: *Pars meridiana incipiet a solitudine Sin, quæ est iuxta Edom, et habebit terminos contra orientem mare salsissimum: qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna: ibique per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti, et ma-* 17. Patiendum est cum Christo.

ris magni littore finietur. Porro ad septemtrionalem plagam a mari magno termini incipient pervenientes *ad montem altissimum*. Inde pervenient contra orientem *ad mare Cenereth*, et tendent usque ad Iordanem: *et ad ultimum salsissimo claudentur mari.* Hæc ibi, in quibus vides desertum Sin, id est, tentationis; 2. Edom seu Idumæam, id est, sanguineam; 3. mare mundi salsissimum, seu mare mortuum; 4. ascensum scorpionis, ob continuos stimulos carnis; 5. mare magnum, ob tempestates dæmonis; 6. montem altissimum, ob difficultatem perfectionis. Arx est munita iustorum anima, quam hostes obstinati concutiunt, et iteratis insultibus impetunt. Albertus archidux Ostendam maritimum oppidum Belgii cinxit obsidione die 7. Ianuarii, anno 1602. Ab ea die usque ad Calendas Martias ducenta quinquaginta ferreorum globorum millia, præter missilia saxa in oppidum iacta dicuntur. Hoc miramur, sed dæmon, mundus et caro eum suis satellitibus in animas nostras plura tela contorquent. Quarto denique, omnes homines in perpetuis miseriis vivunt. S. Chrysost. hom. 67. ad populum, vocat hominem, laboriosum et ærumnosum animal. Thren. 3. 19. ait Sion desolata, seu peccator afflictus: *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absinthii et fellis. Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.* Fingebant poetæ Prometheum affixum esse monti Caucaso, et pectus eius tundi a vulture. Albertus Krantzius lib. 5. c. 7. in chronicis Sveciæ, pag. 549. dicit, Hellam vulturi fuisse expositum. Regneri, ait, regis Daniæ filii victum Hellam puniverunt. Memores enim, parentem ab illo suum, serpentibus immissis, cruciatum, vulturem illi a tergo famelicum imminere curarunt, qui eius visceribus pasceretur, donec exhalaret spiritum. Curis innumeris in hac vita exedimur, donec nos penitus conficiant.

Ostendæ urbis obsidio.

Hellæ vultur.

18. Christus dolores nostros tulit. Isa. 53. 4. *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Nos quoque dolores eius debemus portare, et malis eius animam nostram replere. In eam rem servis suis apparuit, ut ad crucem et mortificationem eos hortetur. Primo, apparuit Magdalenæ Angelicæ Ordinis S. Dominici funem collo appensum gestans, aitque: Hoc ego habitu ad Annam et Caipham ductus sum, filia. Secundo, Mariæ Raggensi apparuit ea forma, qua spinis est coronatus. Tertio, cum Domicilla cubiculum repeteret, corde ob illata opprobria plenissimo doloris, Iesus illi visus est longa onustus cruce, eamque consolans dixit: Vide filia, quid pro te patiar! Quarto, S. Catharinam Senensem dæmones diris verberibus affecerant, Iesus cruci affixus illi apparuit, qui eam ad acerbissima quæque perferenda hortaretur; asseruitque, eo tempore se ab eius corde non recessisse. Tunc enim maxime Sancti Deo pleni sunt, cum pleni sunt malis. Coronam spineam et auream alias illi obtulit; sed optione data, ad spineam anima Crucis amantissima evolavit. Quinto, Agathæ a S. Cruce Iesus apparuit cruce oneratus, eamque ad mortificationem animans. Sexto, Columbæ etiam visibilem se ostendit, et crucifixus, et spinea corona cruentatus, totque vulneribus deformatus, ut præ dolore deliquium animi passa sit. Septimo, cum S. Franciscus gravi morbo affligeretur, eique molesti essent dæmones murium effigie, ait: Domine Deus in auxilium meum respice, et da gratiam ut infirmitates istas valeam patienter tolerare. Cui statim divinitus responsum est: *Francisce, quo poterunt æstimari pretio, per quæ regnum impretiabile obtinetur? scias æstimabiliores istos tuos dolores universis mundi opibus, neque eas vendi debere pro mundo universo: etsi eius partes ita transformarentur, ut montes omnes fierent aurum: lapides omnes, evaderent pretiosi, et vasti maris aquæ converterentur in balsamum.* Ad hæc Franciscus: In hoc pretio habeo, Domine, istos cruciatus: scio te hic mea punire peccata, ut ignoscas in æternum. Tum vox superna subiecit: Lætare ergo, hac itur ad cælum, qua tibi sternitur via, et semita paratur. S. Ægidius S. Francisci socius, cuidam roganti, qua ratione tentationes fugeret, respondit: Eum qui tentationes vellet fugere, ipsum fugere cælum: non enim coronari, nisi qui legitime certaverit. S. Chrysost. gaudium iustorum in tribulatione comparat gaudio agricolæ tempore pluviæ. Agricola, inquit, lætatur et gaudet tempestatem cernens. Non enim præsentia respicit, sed futura: non respicit ad fulmina, sed manipulos computat: non marcescentia semina, sed vernantes spicas: non gravem imbrem, sed iucundissimam areæ ventilationem. Sic et nos non præsentem spectemus afflictionem, sed orientem ex ipsa utilitatem, et ex ipsa nascentem fructum. Expectemus aream, et manipulos, et non modo nihil grave ex præsenti cruce patiemur, sed etiam innumera bona capiemus: hæc Chrys.

Christi patientis et crucifixi apparitiones.

Morbi patienter tolerati utilitas.

19. Nota, in cruce morimur oculis mundi, et inferno appropinquamus, sed in cruce et per crucem vivimus Deo. Crux enim est *planta immortalitatis, et thesaurus vitæ*, ut ait Andr. Cretensis serm. de exalt. S. Crucis. Est resurrectionis planta, vitæ æternæ signum, ait S. Ioannes Damascenus lib. 4. cap. 12. est signum Dei vivi, ut dicitur Apocal. 7. 2. Est arbor vitæ in medio paradisi posita. Moses Barcepha Episc. Syrus, qui vixit decimo sæculo, lib. de paradiso, part. 2. cap. 2. Paradisus, ait, spiritualis sive mysticus, vita est spiritualis, quæ animo agitatur, plena summæ temperantiæ atque sanctitatis, et perpetuis meditationibus rerum divinarum, earumque quæ sunt a Deo conditæ, addicta: atque omnino vita beata et angelica, procul ab omnibus vitæ perturbationibus, anxietatibus, suspiriis, atque cum gaudio, lætitia et exultatione coniuncta: itaque pollens potensque, ut radios atque splendorem divinarum notionum concipere queat. Arborem autem vitæ ab aliis vult dici libertatem Christianam: ab aliis novitatem vitæ, per baptismum et mortificationem: ab aliis corpus Christi in Eucharistia: ab aliis denique Crucem: quia ex ea promanant omnia bona spiritualia, abolito peccato et execratione. S. Ambrosius orat. de obitu Theodosii Imperatoris, illam vocat, remedium immortalitatis. Sophron. hom. de veneratione Crucis ait, esse vitale lignum. S. Ioannes Damas. mox citatus: Postquam, ait, per lignum mors, oportebat per lignum donari vitam et resurrectionem. Rufinus lib. 2. hist. cap. 29. Suidas in Theodosio, Socrates lib. 9. dicunt, crucem significare vitam venturam apud Ægyptios. Rufinus unus sufficiat: Signum, inquit, dominicæ Crucis, inter illas quas dicunt ἱερατικάς, id est, sacerdotales litteras habere dicuntur Ægyptii, velut unum ex cæteris litterarum, quæ apud illos sunt, elementis. Cuius litteræ seu vocabuli hanc esse asserunt interpretationem: *Vita ventura.* Dicebant ergo hi, qui tunc admiratione rerum gestarum convertebantur ad fidem, ita sibi ab antiquis traditum, quod hæc quæ nunc coluntur, tamdiu starent, quoad viderent signum illud venisse, in quo est vita: hæc Rufinus. Crucis signo apud eosdem Ægyptios significatam fuisse Dei Sapientiam, seu divinum Verbum, docet noster Athanasius Kircherus in Prodromo Ægyptiaco, cap. 6. fol. 169. Nomen Phtha, inquit, nullam recipit mutationem, nec affixum ullum: sed loco eius Coptitæ utuntur nomine Πινοουτ, veluti Πουνοουτ, Deus meus; Πεκνοουτ, Deus tuus; Πευνοουτ, Deus eius: sicut Hebræi, qui loco יהוה Iehova, utuntur *adonai*, vel *elohim*. Non minus igitur invariabile est Phtha, quam τετραγράμματον. Iterum sicut nomen Dei יהוה Iehova, iuxta R. Hakadosch, Deum generantem significat: sic et hoc, non apud Coptitas tantum, sed apud Ægyptios antiquos quoque Emepht, seu Hemepht, seu Ηεφτ, quod nos ex Coptho interpretamur, in Phtha, q. d. Deum omnia peragentem, in Phtha filio, quem produxit: vel ut cum Iamblicho loquar, Emepht nimirum producentem ex ovo Phtha, hoc est, intelligentiam ad exemplar suum Ιχθον generantem sapientiam, omnia cum veritate artificiose disponentem: neque Taautum illum supradictum, quem proinde apposite per hos characteres, seu μονογράμματα repræsentabant: Θ ✠ O✝ Per circulum primum mundi genitorem, æternumque conservatorem, divinitatemque eius ubique diffusam. Per ✠ vero sapientiam mundum gubernantem intelligentes. Hæc Kircherus: ubi vides per Crucem Verbum divinum esse figu-

Crux nos vivificat.

Est arbor vitæ in paradiso Ecclesiæ.

Signum crucis Ægyptiis vitam venturam significabat.

Phtha.

ratum, quod crediderim a Iosepho, futuræ incarnationis præscio, Ægyptiis declaratum, ut doceret, in cruce sitam esse veram sapientiam, et vitam spiritus.

20. Tropol. Nota secundo, vita nostrá est inferno proxima, quia sumus semper expositi peccato lethali; et, si Deus nos pro meritis tractaret, sæpe in inferos deiiceret. B. Franciscus Borgia in epist. ad Emmanuelem Sa dicit: Si aliquid scio, hoc tantum scio, infernum domum meam esse: hæc ipse. Crux Christi tanto malo remedium est. S. Petrus Damian. t. 2. serm. 47. pag. 263. Crux, inquit, est mors vitiorum, et omnium fons ac vita virtutum. Theophylactus Simocatta apud Photium, pag. 90. refert, Turcos semel captos a Narsete, habuisse impressum in fronte signum crucis, quod fecerant εις απαλλαγην λοιμικης νοσου, ad pestem depellendam. S. Ephrem lib. de vera pœnitentia vocat Crucem paradisi reseratricem, magnam, salutaremque custodiam.

ARTICULUS III.

Crucem suam ferre difficile est, sed gloriosum et utile.

CHRISTUS, qui in hoc Psalmo loquitur, animæ et corporis afflictione prius exposita magnitudinem illius declarat, v. 5. ÆSTIMATUS (S. Hieronymus, reputatus. Felix, existimatus. S. Augustinus, deputatus) SUM CUM DESCENDENTIBUS IN LACUM: FACTUS SUM SICUT HOMO SINE ADIUTORIO, INTER MORTUOS LIBER. (Vers. 5.)

Vers. 6. Vers. 6. SICUT VULNERATI DORMIENTES IN SEPULCRIS, QUORUM NON ES MEMOR AMPLIUS: ET IPSI DE MANU TUA REPULSI SUNT.

Vers. 7. Vers. 7. POSUERUNT ME IN LACU INFERIORI (S. Hieron. posuisti me in lacu novissimo. Felix, in puteo inferiorum) IN TENEBROSIS (supple, locis. Pagninus, in tenebris) ET IN UMBRA MORTIS, id est, in umbra densissima, ad quam descendunt mortui.

21. Sensus huius loci. Eleganti et poetica hypotyposi pergit David describere in summo luctu ærumnaque positum, aut seipsum, aut populum, quempiamve de populo, aut Christum, prout antea

I. facere cœperat. Ait se eo loco habitum ab hominibus, ac si iam iam inferendus foret in sepulcrum, cum conclamata salus eius esset, ac de ea omnes desperassent: præterea similem factum homini, qui sit omni penitus auxilio destitutus, et existens habitansque inter mortuos, liber exi-stat a cunctis vitæ istius officiis, curis, operibus, rebus: ad hæc comparari posse cum his, qui plagis et vulneribus contrucidati iacent in sepulcris: deinceps extra memoriam et providentiam Dei, et ab ea prorsus reiecti, quam de viventibus gerit, nec in pristinam ab illo vitam ante generalem anastasim revocandi: tandem tantis eum adversarios malis affecisse, ut sibi videretur in profundum aliquem puteum coniectus, vel obscurissimum teterrimumque carcerem; ac eo redactus extremarum calamitatum, ut nihil nisi mortem præ se ferrent, ipsiusque præsentiam, velut umbra corpus indicarent: ita Lorinus.

II. Et optime. Secundo, et commodius, Christus hic exponit ignominiam et infamiam, quam patiebatur in sermonibus et opinione hominum, qui eum existimabant. Primo, similem cæteris mortuis, qui necessario et inviti moriuntur. Secundo, quod crederent illum esse sine adiutorio: tum proprio, quasi se non posset iuvare: unde S. Hier. vertit, factus sum quasi homo invalidus: tum alieno, quasi nec a Deo, nec ab hominibus ullis iuvaretur. Tertio, quod censerent eum esse similem damnatis ad mortem ob scelera sua, qui abominabiles Deo et hominibus iacent in sepulcris. Quarto denique, quod illum dignum inferno damnatorum iudicarent. Hic enim est lacus inferior, sive infimus: ibi tenebræ et umbra mortis, hoc est, umbra mortifera. Ubi adverte, pro *umbra mortis*, Hebr. nunc est מצולות *metsoloth*, id est, profunda, ut S. Hier. et Pagn. vertunt; profunditates, ut Felix. Proprie *metsola*, sive *metsula* cum *schurec*, est profunditas aquarum multarum, vorago, abyssus, ut patet Psal. 68. 3. Ionæ 2. 4. Zach. 1. 8. Exod. 15. 5. et alibi. Rad. est צולה *tsula*, vorago, abyssus. Genebrardus existimat Septuaginta interpretes per metathesim, id est, litterarum transpositionem, quam etiam vocant Græci αναγραμμα, vel αναγραμματισμον, invertisse מצולות in צלמות *tsalmaveth*, quod est umbra mortis. Ioannes Reuctinus lib. de Cabbala, antiquum fuisse apud Hebræos huius figuræ usum docet. Eustathius in Iliad. α, pag. 45. et 46. bis illius mentionem facit, allatis multis exemplis Græcis, in quibus est similitudo eodem modo scriptorum vocabulorum: et, ut ita dicam, identificatorum secundum elementa, seu litteras: et in quibus sit interdum quædam affinitas in sensibus, sicut in litteris, ut ατλας, ταλας, id est miser: et alia non pauca. Interpres Lycophronis Tzetzes, Lycophroni si non primam istius rei inventionem, certe usum ipsum tribuit, hocque nomine charissimum Ptolomæo Philadelpho fuisse; cum nomen Πτολεμαιος, vertisset απο μελιτος, id est, *a melle:* et uxoris eius, cui nomen Αρσινοη, vertisset ιον ηρας, hoc est, unum quid et singulare gratiæ et amoris: seu potius, violam Iunonis, seu violam gratiosam atque amabilem. Imo Gulielmus Blancus iunior, qui tractatum de hoc argumento confecit, refert se legisse illum ab Hebræis rationem anagrammatis didicisse. Artemidorus quoque facit de anagrammatis mentionem in opere de interpretatione somniorum, sed somnians procul dubio eam interpretationem plurimum conducere. In obitu doctissimi et piissimi præceptoris nostri Benedicti Pererii hoc anno 1610. qui contigit ipso die festo S. Thomæ Aquinatis, quem propensius colebat, et in sortitione Sanctorum illi Martio mense obtigerat, evolvens nomen eius studiosus artis dicendi de nostris adolescens, hoc reperit anagramma: *Benedictus Pererius. En periit* (aut periet) *urbis decus.* Illud certe periit decus, quod tanti viri per tot annos habitæ lectiones rhetoricæ, philosophicæ, theologicæ, et de Scriptura, atque conciones, summa approbatione et commendatione: adeo multæ ac probæ de philosophia, divinisque litteris editæ lucubrationes, urbi cum primis, tum etiam orbi attulerant, quæ ipsæ res efficient, ut idem in urbe et orbe semper decus cum suavi recordatione perseveret. Hæc ferme Lorinus, qui recte censet cum Ricardo Cenomano et Agellio, Septuaginta non legisse *metsoloth*, sed *tsalmaveth*, sicque nihil invertisse. (Benedicti Pererii anagramma.)

Quæres, quomodo Christus dicatur, inter mortuos liber? 22. Christus inter mortuos liber, et quomodo?
Primo, inter mortuos liber, est liber vita, vitæque operibus, negotiis, rebus, sollicitudinibus, molestiis, tentationibus, quibus abundat vita, quæ tentatio ac militia est: ita Iansen. Lorin. Tirin. Sa, Theodoretus, et alii. I.

Secundo, *inter mortuos liber*, id est, ait Titelmannus, factus sum quasi derelictus inter mortuos, de quo ultra erigendo nemo cogitat, quemadmodum solent qui inter mortuos derelicti sunt, a nullo ultra curari. II.

Tertio, *inter mortuos liber*, id est, liber a peccatis omnibus. Ita Haymo, Valentia, Dionys. sequentes S. Augustinum, qui ait: Quis alius inter mortuos liber, nisi in similitudine carnis peccati inter peccatores solus sine peccato. III.

Quarto, *inter mortuos liber*, id est, qui non coactus, sed spontaneus mortem subiit: ita Remigius. Unde illud Ioan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam.* IV.

Quinto, et optime, *inter mortuos liber*, hoc est, quem nemo in inferno vinxit: sed qui vinctorum catenam propria virtute laxavit: ita S. Hier. S. August. Ludolph. Bruno, Haymo, Dionys. et alii, q. d. Factus sum et æstimatus ab imperitis et malevolis hominibus velut homo sine adiutorio, cum tamen sim inter mortuos liber: qui potens sim me et alios pro voluntate a morte suscitare. V. Et optime.

Nota, חפשי *chaphsi*, interpretatur R. Ionas *parvum;* id enim apud Arabes dicit significare. Sic sensus esset, q. d. Eo sum redactus miseriæ, ut ne inter mortuos quidem aliquo sim loco gradune, sed veluti minimus mortuorum. Secundo, Targum Ierosolymitanum ex Arabico vertit, *sepulcrum*, et sic liber inter mortuos esset idem, ac inter mortuos sepultos, seu præ magnitudine malorum inter iam sepultos mortuos numeratus, aut merito numerandus. Tertio, Septuaginta optime verterunt *liber*, id enim

significat *chophsi*, ut patet Exod. 21. 5. Iob 3. 19. Isai. 58. 6. Ierem. 34. 9.

23. *Tropol. Vir plus est liber, ob tres rationes.* Moral. vir iustus est liber. Primo enim filius est Dei per gratiam. Rom. 8. 2. *In libertatem gloriæ filiorum Dei.* Secundo, non servit suis concupiscentiis, aut peccatis. Philo lib. quod liber est omnis iustus: Nullus, inquit, iustorum et virtutis studiosorum servus est, sed liberi omnes. Tertio, ab hoste non captivatur, sed in bello victor evadit. Turcarum Imperatori expeditionem adversus Christianos suscipienti semper comes est turba mangonum, seu mercatorum hominum, camelis insidentium, ut emant captivos, longissimas catenas secum deferunt, in quibus quinquaginta aut sexaginta per seriem colligantur, ut ait Barth. Georgieviz, Peregrinus lib. de afflictione captivorum inter Turcas, p. 75. Non desunt dæmoni, carni et mundo sua vincula, de quibus vide Ps. 2. 3. sed illa rumpit vir fortis, ut Samson Iudic. 15. 14. Saül in Davidem contorquet lanceam, sed casso vulnere parieti infigitur, David elabitur, 1. Reg. 19. 10. eum domi suæ circumcingit, liber ipse evadit, 1. Reg. 19. 12. Psal. 115. 16. dicit vir iustus: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ubi

24. *Per crucem libertas obtinetur.* adverte, per Christi crucem obtineri libertatem et victoriam. Primo enim, crux est clypeus et gladius. Utrumque docet S. Orientius Illiberitanus, qui quarto sæculo floruit, in Commonitorio sic canit:

Si purum maculare animum parat impius hostis,
Semper ovans castam sollicitare fidem;
Accipe tela, quibus cordis pia mœnia serves,
Crux tibi sit clypeus, crux tibi sit gladius.

Et Ennodius Episcopus Ticinensis, qui floruit circa an. Christi 500. idem dicit in Parænesi didascalica:

At mihi crux cuspis, crux scutum, cruxque thoraca:
Hac tegar, hac feriam, hac pacis fœdera firmem:
Hac mihi dux belli est, quo victrix lubrica calcans,
Dira cupidinei detestor mella veneni.

S. Chrysost. illius gladii vim declarat serm. de ador. Crucis p. 615. tom. 6. Crux, inquit, quasi gladius quidam, et μαστιξ βασιλικη, flagellum regium, quod omnem diaboli adventum satanæque imperium profligat et fundit. Secundo, crux est vexillum, ipso aspectu fugans dæmones. S. Chrysost. tom. 1. pag. 275. hom. 21. Crucem, ait, in fronte efforma: sic non solum occurrens homo, sed ne diabolus quidem ipse nocere poterit, his te armis undique fulgentem intuitus. *Iapones ethnici crucem magnifaciunt.* Iapones ethnici, etiam ante adventum S. Xaverii crucem in honore habebant: et in vestibulis suis ponebant ad effugandos dæmones, quod eo maxime præsidio audirent uti Lusitanos ad illos fugandos. Quippe in oppido quodam cum deserta spectris dæmonum domicilia et terriculamentis infesta Lusitanis mercatoribus rei totius ignaris, Iapones assignassent, eorum edocti periculo exemploque senserunt, nihil esse adversus ludibria terroresque dæmonum, Christi cruce potentius, ut ait Sacchin. lib. 9. hist. Societ. num. 170. pag. 298. Tertio denique, crux corona est triumphantium. S. Cyrill. Ierosol. catech. 13. quæ tota est de cruce: Στεφανος, inquit, εστιν ο σταυρος ουκ ατιμια; *Corona est crux, non infamia et ignominia.* S. Chrysostom. orat. quod Christus sit Deus: *Hoc*, ait, *nobis genus mortis, quovis diademate gloriosius est. Nam reges positis diadematis crucem suscipiunt, mortis symbolum, in purpuris crux, in diadematis crux, in precibus crux, in armis crux, in mensa sacra crux, et in toto orbe crux, et super solem fulget crux*: ita Chrysostomus. Christi vox afflictos iustos maxime recreat. Matth. 5. 11. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Ubi nota, Christum non dicere, beati eritis: sed, beati estis: quia iam his in terris felices sunt, qui Christi sanguine tinctam crucem ferunt, eaque purpurantur ac fulgent.

25. *Iustus est in secura quiete.* Secundo nota, vir iustus securus dormit, per mentis tranquillitatem: et ad inferos descendentem Christum sequitur intrepidus, cum eo vivere et mori exoptans. Albertus Krantzius lib. 1. chron. Norvegiæ, cap. 18. pag. 609. refert, Hasmundum tanta amicitia fuisse iunctum Asvico, ut iuraverint vitæ mortisque communem sortem fore. *Hasmundi et Asvici amicitia.* Mortuo Hasmundo et sepulto, Asvicus vivus in eius tumulum descendit: sed inde extractus est fortuito, putantibus Daniæ proceribus ibi esse thesaurum, et demittentibus qui scrutarentur. S. Paulus dicebat Philipp. 2. 21. *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* S. Ignatius volebat verum obedientem mortuo esse similem, qui non resistit moventi, sed in omnem partem vertitur pro eius voluntate. Vix Christo mortuos, et descendentes ad inferos ipsius causa melius quam in persecutione Cæsaraugustana excitata contra Religiosos Societatis nostræ, in vinea Domini laborantes conspicies. *Cæsaraugustæ affliguntur Iesuitæ.* Falsas enim ob calumnias socii excommunicati sunt ab urbis illius Archiepiscopo; urbs ecclesiastico interdicto subiecta est, dum in ea manerent: effigies Patrum ad invidiam pictæ propositæ per urbem, in quibus cincti caterva dæmonum ad inferos trahebantur, impetus puerorum collegium lapidibus fenestras diffringentium, et in periculum vitæ Patres adducentium; funesta supplicatio tribus diebus, atro tectam velo, et aversam Christi e Cruce pendentis effigiem gestantium, inter maledicta et execrationes iactantium lapides in tecta, et identidem misericordiam magnis vocibus inclamantium. Tempestati cesserunt Patres ad tempus, sed brevi fluctus illi resederunt, et ignominia in gloriam versa est. Ribadeneira in vita S. Ignatii, et Sacchin. libr. 15. num. 76. rem fuse referunt. Et dum ipsa tempestas sævit, Christus et vir iustus in navi dormiunt. Matthias rex Hungariæ fortissimus, cum tormenta bellica muros quaterent, quiete dormiebat, qui tamen levi susurro a somnis excitari solebat, ut ait Galeotus Martius de dictis et factis eius. *Matthiæ regis formido intrepida.* Iapones maledicta, furta, impiam temere iurandi consuetudinem, aleæ genus omne aversantur. Constantiam ac decorum ita custodiunt vulgo, *ut vel ab imminente ruina sensim ac sine trepidatione recedant:* caventque diligenter, ne quid abiectum aut timidum, vel in dictis vel in factis appareat: atque ob idipsum animi perturbationes, ægritudines, impetus in speciem cohibere, atque iræ præsertim notas omnes obruere, et potius in contrarium flectere didicerunt. Tum enim et gradus lentior, et frons hilarior est. *Iaponum animus impavidus.* Intemperantiam vero linguæ, maximo animo minime dignam putant: ac proinde vociferationes ac iurgia, atque inter populares in publico, neque domi inter maritum uxoremque, parentes ac liberos, herum ac famulos audiuntur. Sedate graviterque, quod agendum est, agitur: si quid odiosius accidit, internuncii commeant: quin etiam inter ipsas noxiorum pœnas convicia removentur, et verborum acerbitas, ut ait Petr. Maffæus libr. 12. Quid faciet Christianus, Christum in cruce pendentem, in sepulcro dormientem, et usque ad inferos se humiliantem cernens? De patientia Broetti unius e primis sociis S. Ignatii, vide Sacchin. lib. 6. num. 95. p. 327.

Tertio nota, in umbra mortis positi, per ipsam crucem illuminantur et resplendent, ut S. Andreæ contigit. S. Gregor. Nazianz. de hominis vilitate: *Ego*, ait, *relictis omnibus crucem unam habeo, quæ tamquam clarissima quædam columna, vitæ meæ præluceat.* *Crux nos illuminat.* S. Theophilus Patr. Antioch. qui floruit circa ann. 170. lib. 1. in quatuor Evangelia: *Candelabrum*, ait, *crux Christi est, quæ totum mundum fulgore sui luminis illustravit.* Chromatius in c. 5. Matthæ: In ipso, ait, crucis candelabro Christus tamquam sol resplenduit: ita ille.

Quam acerbi dolores passionis et crucis declarat Christus, cum ait se a Patre, ipso impetitum, et ab omnibus 26. *Vers. 8.* desertum, v. 8. SUPER ME CONFIRMATUS EST FUROR TUUS (primo, me onere crucis atterendo; secundo, validis ictibus me in cruce configendo. Potest enim confirmari manus super aliquem, aut onus illi imponendo, aut valido ictu illum percutiendo) ET OMNES FLUCTUS TUOS INDUXISTI SUPER ME, velut in scopulum et rupem, contra quam fluctus continui sæviunt, aut velut in navem quam obruunt ex alto decidentes, et cum impetu ac turbine eam susdeque versantes.

In tam sæva tempestate desertum se ab omnibus queri-

Vers. 9. tur, v. 9. LONGE FECISTI NOTOS MEOS A ME: POSUERUNT ME ABOMINATIONEM SIBI.

27. Nota, Christus tempore Passionis fuit in maxima tempestate. Hoc fuse declarat Ps. 68. 1. et seq. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, et non est substantia. Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* Vide illum locum. Figuratus est in Iona proiecto in profundum, atque in cor maris, de quo Ionæ 2. fuse. Desertus est ibi a notis, id est, a Iudæis, ait Remigius; 2. ab angelis, quos vult hic per notos intelligi Euthymius; 3. a discipulis, quos eius notos dicit fuisse S. Irenæus libr. 4. cap. 66. Initio passionis *discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt*, Marc. 14. 50. In progressu eiusdem passionis: *Petrus sequebatur eum a longe*, Matth. 26. 58. In fine passionis, cum esset crucifixus: *Stabant omnes noti eius a longe, et mulieres quæ secutæ eum fuerant a Galilæa, hæc videntes*, Luc. 23. 49. Post passionem duo recedebant in Emaus tristes et desperantes de redemptione Israel, Luc. 24. 22. Sic vere dicit Christus Isa. 63. 3. *Torcular calcavi solus.* Secundo, non tantum deseruerunt illum, sed etiam posuerunt eum abominationem sibi. 1. Iudas, qui eum tradidit. Ps. 40. 10. *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* 2. Petrus, qui eum negavit anathematizando et iurando, quia nescio hominem istum, Marc. 14. 17. Denique alii omnes, tum nobiles, tum plebeii. Vide dicta Ps. 2. et 21. Tertio, Christus veluti delphinus coronatus, inter iratos fluctus eminebat. S. Augustinus lib. 18. de civit. Dei cap. 23. refert dictum Sybillæ et eius versus, quorum primæ litteræ efficiunt, Ιησους Χριστος Θεου υιος σωτηρ. Eorum autem verborum litteræ primæ sunt ιχθυς, id est, piscis. Verba eius sunt: *Si primas litteras iungas, erit ιχθυς, id est, piscis: in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate vivus, hoc est, sine peccato esse potuerit.*

(Christus est desertus ab omnibus.)

28. Moral. Hac in vita fluctus sunt innumeri. Psal. 41. 8. *Abyssus abyssum invocat*, hoc est, gravis afflicto gravem afflictionem. Facilius esset navem in medio mari non tangi fluctibus, quam vitam hominis non cingi et agitari tentationibus. Ipsi reges et principes ab iis non eximuntur. S. Chrys. hom. 66. ad popul. *Verumtamen nec rex, aut quivis alius princeps, procul a curis et cruce vitam agit, sed vitam vivit plenam multis tribulationibus et curis. Neque tu diadema erroris tui originem respicias: sed curarum tempestatem, per quam ipsa corona comparatur.* Vide dicta v. 4.

(In hac vita sunt multi fluctus.)

Eo gravior est ea tempestas afflictorum, quod Primo noti omnes longe recedunt, sicut hirundines in hyeme. Prov. 14. 20. *Etiam proximo suo pauper odiosus, amici vero divitum multi.* Seneca sapienter monet: *Mel*, inquit, *muscæ sequuntur, cadavera lupi, frumentum formicæ, prædam sequitur turba ista, non hominem.* Iob dicebat c. 19. 13. *Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei: et qui me noverant, obliti sunt mei.* Secundo, sæpe non tantum recedunt ab afflictis, sed ipsi affligunt, et inclinantem fortunam præcipitant. David Ps. 37. 12. *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt.* Eccl. 13. 25. *Dives commotus confirmatur ab amicis suis: humilis autem cum ceciderit, expelletur et a notis.* Multi sunt similes Subo pisci, qui socios suos devorat. Gyllius in cap. 12. Æliani lib. 7. hist. anim. Attagenes, ait, in cervorum dorso saliunt, in damarum item perdices alas explicantes se refrigerant, otides circum pedes equorum concursant, sargi ad aspectum caprarum accedunt. *Circa Subum omne piscium genus errare gaudet, atque ordine iter faciens, a tergo, dextra et sinistra eidem comitatur: sed scelestus ille externam amicitiam contemnens, marinos socios exedit et conficit.* Hi vero tametsi ob oculos versantem mortem vident, tamen interfectorem suum neque oderunt, neque relinquunt. Ita Gyllius, qui pœnam illi interminatur his verbis: Sed scelerate Sube, et fraudulente, non impune innocentes pisces occideris: nam ipsi tibi perniciem piscatores molientur. 2. Non socii tantum, sed etiam ipsi consanguinei et affines in se invicem sæviunt. 29.

(Subus piscis sequaces suos devorat.)

Primo, Popielus occidit patruos, sed graviter punitus est. Salomon Neugebaverus lib. 2. hist. Polon. pag. 47. Circa annum ait 815. Popielus senior regnavit ignavus; solitus erat sibi suisque murium devorationem imprecari, quo malo eius filius est absumptus. Cum enim *patruos*, ut vitia desereret, monentes, veneno sustulisset, ex eorum cadaveribus putrefactis mures insolitæ magnitudinis enati, ipsum cum uxore et liberis fugientem, per terram et aquam persequentes, absumptis primum liberis Popielo et Lecho, deinde uxore, tandem ipse lenta morte ab illis est absumptus: sic regnum et vitam misere amisit. Secundo, Clotarius et Childebertus reges filios duos Clodomiri fratris sui defuncti, nepotes suos crudeliter occiderunt, ut partem regni illis debiti occuparent, ut ait Aimoin. lib. 2. hist. Francorum, cap. 12. pag. 102. Tertio, Cyrus iunior et Artaxerses fratres singulari certamine pro regno dimicant, Artaxersem Cyrus vulnerat: sed a quodam in oculo vulneratus ipse occiditur, et Artaxerses regnum Persarum obtinet, ut ait Xenophon de Cyri expeditione, lib. 1. pag. 266. Lechus natu minor fratrem suum Cracum in sylvas venationis causa deductum occidit, et eius principatum obtinuit: sed eum Poloni eiecerunt, et sororem eius Vendam elegerunt, quæ magna cum lauda regnavit, virgo permansit, Ritigerum vicit, ut refert Salomon Neugeb. lib. 2. hist. Polon. pag. 43. Abimelech filius spurius Gedeonis Septuaginta fratres suos occidit: sed Deo tandem scelus ulciscente, a muliere in caput eius fragmen molæ deiiciente, occisus est, Iudic. 9. Quarto, ut ait Micheas cap. 7. 6. *Filius contumeliam facit patri, et filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam: et inimici hominis domestici eius.* David noster a filio suo Absalone eiectus est ex urbe regia, ut sæpe dictum est. Romanus Lacapenus Imperator Græcorum a filiis in exilium pulsus, ait: Filios genui, et exaltavi: ipsi autem spreverunt me, ut ait Zonaras tom. 3. Annal. in Romano. Horrorem facit crudelitas Tulliæ, uxoris Tarquinii Superbi, regis Romanorum, quæ cum Tullio patre suo occiso per angustum vicum carpento veheretur, et equi sisterent, causam petiit moræ: audito cadaver patris sui obstruere viam, iussit per medium eius corpus equos transire: inde vicus sceleratus dictus est. Sed vindex Deus furias illas regio solio dispulit. Qua in re deteriores se ostenderunt, Primo, avibus. Ælianus enim refert lib. 14. hist. anim. c. 36. 30. quod gallo occiso, convictor eius porphyrio avis se inedia conficit. Pyrrhi aquila mortuo domino suo est immortua, ab omni cibo abstinens, ut ait idem lib. 13. c. 5. Secundo, deteriores sunt ingrati illi canibus, qui dominis suis ob panis frustum gratos se exhibent. Polus quidam tragœdus cum esset mortuus, et antiquo more cremaretur, canis eius alumnus in medios rogos se immittens, vivus una cum altore suo combustus est. Mentoris quoque canes in rogum eius insilierunt, ibique perierunt. Theodorum saltatorem statim atque sui propinqui in sepulcrum imposuerunt, eius Melitensis catelius ultro seipsum in cadaveris tumulum proiiciens, pariter cum domino humari voluit, ut dicit idem auctor lib. 3. hist. animal. cap. 17. Tertio, peiores sunt serpentibus illi, qui in cives, socios, domesticos, cognatos et affines desæviunt. Idem Ælianus ait lib. 9. cap. 6. Ad primos ortus fluvii Euphratis nasci serpentes, qui externis hominibus, non item indigenis sint infesti, adeo ut eos morte mulctent. Conclude itaque cum Nicolao Claravallensi monacho, et S. Bernardi secretario, epist. 11. *Ingratitudo pessimum vitium, dispersio virtutum, meritorum exinanitio, ventus furens et urens, exsiccans misericordiæ fontem, rorem pietatis extergens, et obturans flumina gratiarum.*

(Consanguinei in se mutuo sæviunt.)

(Gratitudo bestiarum erga benefactores: 1. avium. 2. animalium domesticorum. 3. serpentum.)

Secundo nota, verum amicum esse, qui in afflictione non deserit, sed necessaria suppeditat. Tales fuerunt Davidi nostro, cum fugit Absalonem, Sobi filius Naas de Rabbam filiorum Ammon, et Machir filius Ammihel de Lodabar, et Berzellæi Galaadites et Rogelim, qui obtulerunt ei stratoria, et tapetia, et vasa fictilia, frumentum et hordeum, et 31.

(Amicus verus in necessitate non deserit.)

farinam, et polentam, et fabam, et lentem, et frixum cicer, et mel, at butyrum, oves, et pingues vitulos, dederuntque David, et populo qui cum eo erat, ad vescendum. 2. Reg. 17. 27. *Amicus est fons opportunus, liberaliter aquas fundens, cum res exigit.* Mirabilis est fons in Helvetiis, quem recens Helveticorum chronicorum scriptor tradit siccari mense Augusto, quo tempore novis ibi nivibus cadentibus, pecus inde mitiora in loca compellitur, neque postea manare, nisi mense Iunio, cum nudatus nivibus mons rursus pastioni pecoris patet. Manare autem eum e petra in fossam propinquam, ad aquandum pecus comparatam: per intervalla tamen, at bis tantum quotidie, mane scilicet ac vesperi, rursumque toties occultari, sicque quotannis fluere, donec Augusto mense siccetur. Quin additur, experimento cognitum, quod idem fons tam impatiens sit sordium, ut, si quid impuri in eum missum mersumve fuerit per aliquot deinde dies non compareat, nec aut mane aut vesperi quidquam aquæ reddat. Hoc refert Georgius Wernerus tract. de admirandis Hungariæ aquis.

Fons opportunus in Helvetiis.

32. Memoria crucis Christi pro nobis seipsum effundentis, hunc amorem proximi nobis ingenerare potest. Beda homil. de uno Martyre, tom. 7. pag. 160. *Duobus modis,* ait, *crux tollitur: cum aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus.* Christus nobis compatitur patientibus. Hoc declaravit sanguinem sudans, cum S. Xaverius gravia tolerabat in India: rem sic narrat Orlandinus lib. 12. num. 109. pag. 412. Compertum est, ait, Xaverii mortem in eius natali solo domoque, prodigio quodam fuisse præmonstratam. Ligneum simulacrum Salvatoris in cruce traiecti, sane religiosum, at in eius familiæ ædibus perantiquum, eo ipso anno, quo Xaverius post tot sudores laboresque, Christi causa susceptos, e vita migravit, sexta quaque feria per totum annum sanguine sudavisse: eamdemque Redemptoris effigiem, quoties ille vivus gravius aliquid pateretur in India, id quod ab eius domesticis ex ipsis Xaverii litteris, collatis una temporibus, animadversum est, haud obscuro sudore manasse, quasi caput in laborante membro, et dominus in patiente famulo pateretur.

Crux Christi excitat ad amorem proximi.

Tertio, notos Christus a se fugientes quærabat, et donis afficiebat. Duos discipulos abeuntes in Emaus, id est, ad populum reprobatum, illis se adiungens ad gregem revocavit, Luc. 24. Longe iverat Thomas per incredulitatem; ad eum venit ianuis clausis, nondum enim Deo suo cor aperuerat. Christus illi manus, pedes et latus aperit, aitque, infer digitum tuum huc, Ioan. 20. Vel ipsis suis hostibus novit Christiana charitas benefacere, et iis qui nos fecerunt abominationem sibi. Hoc S. Ignatius voluit imprimi cordibus filiorum suorum, ut malafacta benefactis rependerent. Quam christiane et religiose id fecerint, ex uno Toleti Cardinalis et aliorum facto iudica. Cum societas nostra miserabili casu ex Francia eiecta esset, ad Franciam charitate accedebat, eamque Deo unire ardentissime contendebat. Utar testimonio illustrissimi et eminentissimi viri Cardinalis D' Ossat Episcopi Baiocensis. Sic enim scribit lib. 1. epist. 20. Nec possum, nec debeo, Cardinalis Toleti, subticere optima officia, quæ at apud Pontificem, et apud alios regi et Franciæ: aut, ut verius loquar, religioni, Ecclesiæ Catholicæ, ac speciatim sedi ipsi Apostolicæ exhibuit: bonis consiliis, admonitionibus, et excitationibus quibus Pontificem cæterosque longissimo temporis spatio perpulit, ut regem Henricum IV. ab hæresi absolvendum censeret. Adeo ut vere dici possit, post Deum, qui regi felicitatem dedit, et Papæ bonam erga regem voluntatem inspiravit, *prædictum Cardinalem plusquam cæteros omnes homines simul et fecisse, et potuisse apud Pontificem, ob fiduciam quam de eius doctrina, prudentia, integritate, fidelitate, et bona erga ipsum affectione concepit. Mirumque est, aut potius opus Dei, ut e media Hispania, unde omnis extiterat oppositio et contradictio ad tam sanctum, tamque toti orbi Christiano necessarium opus, Deus hominem excitarit tantæ auctoritatis, ut procuraret, augeret, promoveret ac perficeret, quod maxime Hispani abhorrent.* Hæc ille Cardinalis, qui etiam ep. 22. sic ait: Cum rex ad summum Pontificem scribet, ad gratias de absolutione obtenta agendas, bonum erit ut Cardinali Toleto dicat, post Deum et Pontificem, acceptam illi ferre absolutionem suam: assereroque securus, regem in ea re nihil præter veritatem scripturum, nec regem posse iis verbis illi gratias agere, quin plurimum sint infra eius meritum futura: neque hæc tanta cum certitudine scriberem, nisi illa probe nossem: ita ipse. Tunc vero illa fiebant, cum armati non pauci Franci in regem exercitum ducerent. Patrem Commeletum etiam Iesuitam pro absolutione regis laborasse tradit idem Cardinalis in alia epistola: sibique id esse dictum ab ipso Pontifice. Quantum autem Franciæ bonum hæc absolutio Henrici IV. potentissimi et generosissimi Principis fuerit, nemo unquam satis dicet. In summo enim periculo erat fides Catholica in toto regno, si fuisset negata. Disce et tu iis benefacere, qui te odio prosequuntur, et ponunt te abominationem sibi. Tandem in illud regnum restituta est ab eodem Henrico Societas, et maxime adamata.

Toletus Iesuita procurat absolutionem Henrici IV. regis Franciæ.

Quarto denique, Crux et nos, et notos, atque amicos nostros a tempestate servat. Est arca Noe, hoc est, domus hominis quieti, tranquilli et pacifici, cum quo ipsæ feræ et serpentes cicurantur et mansuefiunt: efferatos enim homines sua mortificatione et amore crucis mitigat. S. Isidorus in cap. 14. Genes. Crucem in hunc modum arcæ comparat. Noe, inquit, per arcam et lignum liberatur. Lignum quippe et aqua crucem designat at baptisma: sicut enim ille cum suis per lignum et aquam salvatur, sic familia Christi per baptismum et crucis passionem sanatur. Clemens. Alex. lib. 6. Strom. cap. 4. subtiliter: Geometriæ testimonium, ait, sit tabernaculum quod constituitur, et arca quæ fabricatur: quæ quibusdam proportionibus, quæ cum summa ratione procedunt, divinis construuntur inventionibus per donum intelligentiæ: quæ a sensibus ad ea quæ percipiuntur intelligentia: vel potius ab iis ad sancta, et sancta sanctorum nos traducit. Ligna enim quadrata significant quadratam figuram quoquoversus pervasisse securitatem et stabilitatem efficientem in rectis angulis. Et ædificii quidem longitudo trecentorum cubitorum. Sunt autem qui trecentos cubitos dicant esse symbolum signi Domini. Iulius Firmicus Maternus, qui floruit circa annum 340. lib. de errore profanar. religion. comparat crucem arcæ Noemi, ligno aquas dulcoranti, virgæ Mosis, et scalæ Iacob. Verba eius sunt: *De cataclysmo humanum genus arca lignea liberavit: deinde Abraham ligna unici filii humeris imponit. De Ægypto recedentem populum Dei lignea virga protexit. Lignum dulcem saporem amaræ Marrhæ fructibus reddidit. Lignea virga ex spirituali petra salutaris unda profertur: et, ut Amalech vinceretur, circa virgam Moses expansis manibus extenditur. Scalæ ligneæ Patriarcha incumbentem angelum somniat, et lex Dei arcæ ligneæ creditur: ut his omnibus quasi per gradus quosdam ad lignum crucis salus hominum perveniret. Quapropter lignum crucis cæli sustinet machinam, terræ fundamenta corroborat, affixos sibi homines ducit ad vitam:* ita Firmicus. 33.

Crux nos servat a tempestate.

Ipsi nautæ signum crucis exhibent, cum mare sulcant. S. Ambrosius, seu S. Maxim. Taurinensis Episc. qui claruit circa annum 420. serm. 56. Grande, inquit, est crucis sacramentum: et, si intelligamus, per hoc signum mundus ipse salvatur. Nam cum a nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, ut cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, et hoc dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis evadunt. Figura enim sacramenti quædam est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in cruce: atque ideo confidentia de mysterio veniente, homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota suscipiunt. Sicut autem Ecclesia sine cruce stare non potest: ita et sine arbore navis infirma est: hæc ibi. Cum signo crucis per medias totius oceani undas nostra navis illæsa et secura transibit. In eam rem afferri potest mirabilis navigatio

*

Botellii navigatio mirabilis. Iacobi Botellii in cimbula ab Indiis usque in Lusitaniam. Cum enim Lusitani facultatem obtinuissent arcem in Dieusi insula faciendi, ratus ille pergratum regi se facturum, si omnes tam lætæ rei nuncios celeritate præverteret, modicam biremem pedes minus octodecim longam, sex latam habebat, ære suo in usus bellicos extructam. In eam egregiis aliquot nautis, ignaris consilii, assumptis, (quos in itinere deinde tumultuantes partim donis mitigavit, partim metu minisque coercuit) tam parvo navigio Lusitaniam protinus petere statuit, et præstitit. Omnes miris laudibus eam navigationem extulere, cui Argo illa non est conferenda, ut refert Ioan. Petr. Maffæus lib. 11. histor. Ind. pag. 305. Cum tu fluctibus huius mundi iactaris, crucem in te erige, Christi crucem aspice, illique te applica, ut evadas: vel ipsa eius memoria tempestatem sedabit. Novitium Ord. S. Francisci Parisiis in Quadragesima e monasterio exire volentem magister retinuit usque ad Pascha. In Parasceve illi Christus apparuit gravem crucem ferens et dicens: Non mihi compateris, filii, onus ma- A gnum ferenti? Cui ille: Domine compatior, et vellem te hoc onere levare. Et Christus: Accipe, inquit, crucem hanc, quam si in finem usque portaveris, salvus eris. Hac visione emendatus in religione perseveravit, ut ait Waddingus tom. 2. anno 1265. num. 7. pag. 282. qui etiam aliud exemplum refert alterius, quem matris amor nimius iam pene merserat, cumque coram Crucifixi imagine diceret: Domine, qui nosti corda omnium, scis me non teneri ullo desiderio te deserendi, sed succurrendi pauperi matri, quæ sollicite enutrivit adolescentem. Emisit ad hæc verba sanguinem, et ait Christus: *Ego charius te enutrivi quam mater tua, atque isto sanguine te redemi, nec propter matrem me deberes dimittere.* Hæc admonitio constantiam fluctuanti attulit. Si a morbis oriantur dolorum et tristitiæ fluctus, Christus patiens est aspiciendus, ille fluctus sedabit, et portum ostendet. Caritæ Ord. S. Dominici, cum esset morti proxima, Christus apparuit spinis coronatus, eam ob graves dolores perpessos consolatus est, atque ad constantem e vita exitum animavit. Christus crucifixus animi fluctuantem novitium.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

34. *Quatuor complectitur. Primo, orationem Christi, vers. 10. Secundo, necessitatem resurrectionis eius, ad Dei gloriam, vers. 12. Tertio, modestam querelam de dilatione, cum tanto ardore eam petierit, vers. 15. Quarto denique, meritum suum per tot dolores et molestias ad illam obtinendam, vers. 17.*

PARAPHRASIS.

10. *Traditus sum, et non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.*	10. A Iuda proditore traditus sum hostibus meis, et ab illis acerbissimo flagellorum, coronationis ac crucis supplicio: neque cum possem tantos dolores evitare, hoc facere volui: sed oculis fletu madentibus, et iam exhaustis, faciem meam in cælum converti.
11. *Clamavi ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas.*	11. Et clamore valido opem tui unius tota die imploravi, manibusque in cruce extensis in oratione perstiti.
12. *Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?*	12. Hæc autem oratio mea fuit pro mea resurrectione obtinenda. Nonne probe notum mirabilem potestatem tuam inter mortuos elucere, sicut inter vivos? nec medicos ullos artibus suis, sed te unum posse illos suscitare, ut laudes tibi concinant?
13. *Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam: et veritatem tuam in perditione?*	13. Nonne cadavera mortuorum in sepulcris iacent, omni facultate nomen tuum celebrandi destituta? Nonne cum sensibus omnibus suis et anima privata sint, nihil residui habent, quo veracitatem promissorum tuorum prædicent?
14. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: et iustitia tua in terra oblivionis?*	14. Nonne cadaver putridum tenebroso in sepulcro, ratione carens, miraculorum tuorum notitia privatur? et cum in terra oblivioni sit traditum, nec amplius ullis rebus ornetur, iustitiæ quoque tuæ obliviscitur?
15. *Et ego ad te Domine clamavi: et mane oratio mea præveniet te.*	15. Resurrectionis huius celeris inflammatus desiderio, ad te clamorem extuli; et ab initio passionis ac vitæ, hanc a te supplex postulavi.
16. *Ut quid Domine repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me?*	16. Quid igitur cum tantis me doloribus conflictantem deseris, et orationem meam a te reiicis, vultuque averso postulatis meis non annuis?
17. *Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.*	17. Totam vitam meam in paupertate summa exegi, atque a prima infantia laboribus variis sum exercitatus. Nunc vero in hac cruce exaltatus, rubore suffundor et conturbor, hostium risui et gravissimis doloribus expositus.
18. *In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me.*	18. In corpore meo sagittis iræ tuæ a peccatoribus promeritæ, transfixus sum, et variis terroribus a te immissis in anima perturbatus.
19. *Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.*	19. His ego cruciatibus et trepidationibus omni ex parte sum circumdatus, quæ intimas medullas, ut aqua spongiam, penetrarunt; quodque plus doloris habet ac periculi, uno impetu simul in me irruerunt.
20. *Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria.*	20. Cum malis omnibus succingar, ne vel unus est amicus, aut consanguineus, qui præsto sit, sed fuga sibi ipsis consuluerunt, suppliciis meis exterriti: omnesque mihi prius intima familiaritate et convictu noti, a miseria se mea subduxerunt.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM MERITO IURE RESURRECTIONEM SUAM EST MERITUS CHRISTUS IN CRUCE PATIENS ET ORANS.

35. Ordo Sectionis. CHRISTUM patientem vidimus præcedenti sectione: nunc ostendit resurrectionem corporis sibi esse debitam, ac Deo gloriosam fore.

B Primo, orationis suæ continuationem et perseverantiam declarat, v. 10. *Traditus sum, et non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.* Fervorem eius aperit, v. 11. *Clamavi ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas.*

Secundo, Dei gloriam sua resurrectione promovendam ostendit. Primo, Deus non facit miracula in cadaveribus

mortuorum, v. 12. *Numquid mortuis facies mirabilia?* Secundo, ab illis non accipit gratiarum actionem ante resurrectionem eorum, cum uni Deo sit possibilis: *Aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?* Tertio, Deus non laudatur, quamdiu iacent in sepulcro cadavera, v. 13. *Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam: et veritatem tuam in perditione?* Quarto denique, non cognoscitur a corporibus, quamdiu privantur anima, et rationis luce, v. 14. *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: et iustitia tua in terra oblivionis?*

Tertio, modeste conqueritur resurrectionem suam differri, cum ad Patrem clamaverit oratione ferventi, v. 15. *Et ego ad te Domine clamavi.* Secundo, celeri, ab initio passionis et vitæ: *Et mane oratio mea præveniet te.* Tertio, perseveranti, licet repulsam passa sit, v. 16. *Ut quid Domine repellis orationem meam?* Quarto, amanti, et Dei sui vultum videre cupienti: *Avertis faciem tuam a me?*

Quarto denique, meritum suum commemorat, ob vitæ totius et passionis actiones. Cum Primo, tota vita fuerit bonis fortunæ spoliatus, v. 17. *Pauper sum ego.* Secundo, a prima iuventute labores magno animo sibi oblatos susceperit: *Et in laboribus a iuventute mea.* Tertio, in cruce suspensus: *Exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.* Quarto, ab ipso Patre diram tempestatem perpessus. Primo, fulmine in eum intorto ob peccata hominum, v. 18. *In me transierunt iræ tuæ.* Secundo, fulgetris continuo assultantibus: *Et terrores tui conturbaverunt me.* Tertio, undis ex omni parte, et uno impetu invadentibus, v. 19. *Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.* Quinto denique, ab omnibus desertus in summis periculis, v. 20. *Elongasti a me amicum et proximum: et notos meos a miseria.*

ARTICULUS I.

Oratio et constantia Christi in Cruce et Passione.

36. Vers. 10. Ex doloris vehementia iterat orationem suam, quam initio Psalmi posuerat, vers. 10. TRADITUS SUM, ET NON EGREDIEBAR, OCULI MEI LANGUERUNT PRÆ INOPIA.

Vers. 11. Vers. 11. CLAMAVI AD TE DOMINE TOTA DIE: EXPANDI AD TE MANUS MEAS.

Nota primo, pro *traditus sum*, Hebr. כלא *calu*, id est, clausus, conclusus, a rad. כלא *cala*, claudere, concludere: unde Pagninus vertit, clausus sum, et non egrediebar. S. Hieronymus iungit præcedentibus in hunc modum: Posuisti me abominationem eis: clausum, et non prodeuntem. Felix vertit, In carcere inclusus sum, et non egrediar.

An Christus fuerit incarceratus. Quæres, an Christus fuerit in carcerem coniectus? Resp. hoc esse incertum. Partem affirmantem clare tenet Chaldæus, qui reddit: *Posuisti me clausum in domo vinctorum.* Lorinus in partem negantem probabilius inclinat. Si quis, inquit, pro noxiis carcer erat, in domo Pilati erat, et in eo conclusum Christum concedi posset. Utrumque incertum, et nox tota in circumducendo, vexandoque Christo transacta, non permisit illum carcere teneri, multo minus in Herodiano, quem vocant in Stratopedo, hoc est, in area quæ regiam Herodis undequaque ambiret, de qua agit Iosephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 17. Si ætate Pilati extabat illa regia, et in ea habitabat, cum regeret Iudæam, qui volet in dictum carcerem, coniectum ad tempus Christum, per me licet. Sed illum ipsum carcerem esse, in quem postea Petrum Herodes Agrippa misit, Adrichomio non assentior: ita Lorinus, qui etiam reiicit auctorem Græcum anonymum dicentem, clausum fuisse Christum in domo Archisynagogi. Crediderim velle dicere in domo Caiphæ. Potest dici Christus fuisse in carcere, quia in domo Caiphæ fuit a militibus custoditus, et vinctus instar aliorum reorum, ita ut ei liberum non esset exire. Carcer enim est locus, in quo rei asservantur: vel undecumque quis exire prohibetur, quasi coarcer: a coercendo, ut docet Varro, quod vincti in eo custoditi prohibeantur exire.

37. Nota, traditus est Christus: Primo, a Iuda. Luc. 22. 48. *Iuda, osculo filium hominis tradis.* Quantus dolor inde Christo ortus sit, quod ab Apostolo suo traderetur, vide Ps. 108. Hoc illi in cor miserat diabolus, ut dicitur Ioan. 13. 2. Ut enim ait S. Augustinus serm. 85. de tempore: Malos homines diabolus quasi malleos, vel flagella habere consuevit. *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, Ephes. 6. *sed adversus principes et potestates, et spiritualia nequitiæ*, id est, adversus diabolum et angelos eius: quia et quando patimur homines importunos, ille instigat, ille inflammat, ille tamquam vasa sua movet. Attendamus ergo duos homines: quem videmus, et quem non videmus. Hominem videmus, diabolum non videmus. Hominem diligamus, diabolum caveamus. Pro homine oremus, contra diabolum oremus, et dicamus Deo: *Miserere mei Domine, quoniam conculcavit me homo*: hæc Augustinus. Secundo, Christus traditus est a Patre æterno. Rom. 8. 32. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Tertio, traditus est a seipso. Isaiæ 53. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum.* Ita autem traditus est, ut non egrederetur: id est, non conaretur evadere manus se tenentium et ligantium, cum id facile possit. Isaiæ 53. 7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur.* Matth. 27. 40. dicebant prætereuntes: *Salva temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce.* S. Chrysost. recte monet, eos male argumentari, cum dicant: Si filius Dei es, descende de cruce, cum potius dicere deberent: ideo de cruce non descendat, quia filius Dei est. Christus traditus est a Iuda, a Patre, a seipso.

38. Tropol. Non est egrediendum ab afflictione et cruce, in quam nos tradidit Deus. Exod. 12. præcipitur, ne quis egrediatur e domo, in qua immolabatur, et assabatur agnus paschalis, et cuius superliminare et postes sanguine erant tincti. Tempus exitus ab Ægypto, velut ex fornace ferrea, Deo relinquendum est. S. Chrysost. hom. 4. Æquum est, ait, ut adversitatis faciendæ tempus Deo relinquamus, nos vero tantum in sanctitate vivamus. Opus enim nostrum est, ad virtutem mutari: Dei vero opus, malis urgentibus finem imponere. Qui enim crucis et tentationis tempus permisit, ipse novit, et tentationis solvendæ tempus. A cruce non est descendendum.

39. Quæres, cur oculi Christi crucifixi languebant? Primo, ob lacrymas, quas excutiebat vehementia passionis, et Iudæ ac Petri lapsus, Iudæorumque et aliorum peccatorum scelera. Secundo, ob diuturnam contentionem. Sic Isaiæ 38. 14. dicitur: *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.* Tertio, ob sanguinem decurrentem. Birgitta l. 1. revelation. cap. 10. et lib. 4. cap. 74. ait, sibi revelatum esse, ob sanguinem defluentem ex cruentatione coronæ spineæ, non potuisse Christum videre circumstantes, nisi abstergeret oculos: et in Cruce, nisi sanguinem exprimeret compressione ciliorum. Figurata est hæc Christi cæcitas in cæcitate Isaaci, Genes. 27. et Tobiæ senioris, Tob. 2. 11. Christi oculi pleni sanguine in cruce.

40. Symbolice, Apostoli sunt oculi Christi; eos enim, ut ait Ugo, diligebat, sicut homo diligit oculos suos; 2. illis pater, qui in cælis est, revelabat mysteria. S. Leo serm. 1. de Ss. Petro et Paulo, eos vocat geminum lumen oculorum. Secundo, Prophetæ sunt oculi Dei. Cant. 4. 1. de Ecclesia dicitur: *Oculi tui columbarum.* Hoc de Prophetis exponunt Rabbini. Videntes dicuntur in Scriptura, 1. Reg. 9. v. 9. Samuelem aditurus Saul dicebat servis suis: *Eamus ad videntem.* Tum additur: *Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.* Tertio, Prælati et Episcopi sunt oculi Christi. Hoc denotat nomen ipsum Episcopi. Dicitur enim a σκοπεῖν, speculari. Symbol. Oculi Christi sunt Apostoli et Prophetæ.

41. Nota, Christus clamavit tota die. Primo, quia mentem semper in Deo intentam habebat, per scientiam enim infusam operabatur sine phantasmate. Secundo, *tota die*, id est, sæpe in die, ac diu. Est synecdoche: totum ponitur pro parte. Sic Ps. 72. 14. dicitur: *Flagellatus tota die.* Nos eum ardorem et constantiam imitari debemus. Bonavent. Ord. S. Dominici, ab anno ætatis septimo centies saltem diebus singulis orationem dominicam et salutationem angelicam pronuntiabat, ac præterea salutationem angelicam iterum dicebat millies, diebus sabbati bis millies, die Orantes diu, et sæpe in die ac nocte.

Annuntiationis ter millies, ut ait Ioan. a S. Maria in eius vita. Laurentia a Præsentatione cum ad preces matutinas media nocte surgere non posset, septem totas in oratione horas traducebat coram sanctissimo Sacramento, ab hora quarta noctis ad undecimam. Margareta Yprensis duas sæpe tantum dormiebat horas, ut reliquum in oratione tempus consumeret. Idem fecit Maria a Sarmiento. S. Bartholomæi, S. Antonii, S. Xaverii, Barzei, et aliorum vigiliæ in oratione sunt mirabiles. Antonio Possevino Soc. Iesu viro clarissimo, a prima ætate tantus sciendi ardor inhæserat, ut, cum ad quietem se noctu componeret, tibiam ad columellam alligaret, ut ubi se a primo sopore commovisset, eo velut monitore excitatus ad studia surgeret. Ex qua puerili solertia utilis, quam ad ultimum usque tenuit, consuetudo coorta est, ut interrupta noctu quiete, horas aliquot magno per silentium illud profectu, curis gravissimis daret, ut ait Franc. Sacchin. lib. 3. histor. num. 38. pag. 115. Quantum hæc ruborem iniicient in Dei cultu dormitantibus, et in oratione oscitantibus?

Possevini ardor in studiis.

42. Nota secundo, Christus in cruce manus extendit. Primo, ut omnes ad se invitaret, et paratum se ostenderet ad omnes amplexandos. S. Cyrillus Ierosol. catech. 13. Expandit in cruce manus, ut comprehenderet fines terræ. Sibylla id prædixerat, ut Sozomenus refert hoc versu: Expandetque manus, totus mensuret ut orbem. Secundo, manus extendit, ut Patrem exoret, eique nos sistat, et per earum vulnera, velut sacra ora, veniam nobis imploret. Caveamus ne dicat nobis, quod habetur Prov. 1. 24. *Vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo.*

Manus in cruce Christus extendit.

Moral. multos afflictio male percepta excæcat. Scythæ servos suos omnes excæcabant, dæmon quoque suos, ut Balaam pseudo prophetam, Numer. 24. v. 3. *Dixit Balaam, dixit homo, cuius obturatus est oculus.* Rex Salomon putat illum fuisse luscum vel cæcum; alii melius, caruisse intellectu practico, et eum dirigente ad recte agendum. Felem marem dicunt Ægyptii oculos ad solis rationem variare. Cum enim sol exoritur, tum longi fiunt, in meridie rotundi videntur, ad vesperam vero obscurantur. Vespera est symbolum afflictionis. Vidi ego Catalauni in Campania iuvenem et puellam, quibus cum aperta esset vena, eodem tempore cæcitas oborta est: puella quidem tota vita permansit cæca: iuvenis vero, post tres quatuorve menses visum recuperavit. Levitici 26. v. 16. ait Deus: *Visitabo vos velociter in egestate et ardore, qui conficiat oculos vestros, et consumat animas vestras.*

Afflictio excæcat imbecillos.

Excæcati Catalauni in apertione venæ.

Crux Christi, si aspiciatur, nos illuminabit et sanabit, sicut serpens æneus in deserto. Ex Christi sanguine inde defluente collyrium faciendum est. Waddingus tom. 2. anno 1253. num. 44. pag. 61. refert, quemdam e claustro exire volentem, visum amisisse: cumque obstinatus per Ecclesiam egrederetur, salutasse Christum in altari crucifixum. Christum ab eo petiisse causam exitus. Tunc eum respondisse, nimis duram esse vitam molliter enutrito. Christum vero subiecisse: *Respice ad manus meas et pedes, latus aspice pro te transfixum, collige manantem sanguinem, et appone oculis tuis collyrium hoc, et videbis quam inanes sint illæ tuæ passiones respectu malorum, quæ pro te sum perpessus.* Eum hæc Christi charitas ad sanam mentem revocavit. Cum accipiter ex oculis laborat, sylvaticam lactucam evellit, eiusque acerrimum succum expressum suis oculis imponens ad sanitatem restituitur.

Christus monet e claustro fugientem.

43. Secundo nota, ad Christum crucifixum esse clamandum. Ut enim dicitur Act. 4. 11. *Non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Crux est altare, in quo est asylum securum, a Christi pedibus nemo nos avellet. Cum Geysa rex Hungariæ audivisset Borich sibi infestum esse apud regem Francorum, rogavit eum, ut pro amicitia illum sibi redderet. Cui rex Francorum dixit: *Noverit rex quod domus regia est quasi ecclesia: pedes eius quasi altare, et quomodo possum reddere vinctum eum, qui ad domum regalem, quasi ad ecclesiam: et ad pedes regis, quasi ad altare se prostravit?* Borich tamen videns sibi mortem imminere aufugit, ut ait Ioannes de Thurocz chron. Hungar. part. 2. pag. 76. Homines sæpe nolunt, sæpe non possunt salvare: Deus vero, asylum securum est. Sed necessarium est, ut nos quoque crucifixo immolemus, ut in cruce ad eum clamemus. S. Franciscus de Paula cum solus operi insistebat, cor suum altaris instar sibi repræsentabat, in quo varias victimas, oblationes, et sacrificia offerebat: imo et perfectum corporis et animæ holocaustum. Cuius in rei signum a Religiosis ad opus redeuntibus triplici corona visus est coronatus ad modum pontificiæ tiaræ, omnes autem illæ coronæ gemmis instar solis fulgentibus, radiabant, ut ait Ludov. Dony Dattichy lib. 1. hist. Minimor. pag. 18. Martyres præsertim ad crucem, et in cruce clamant. S. August. in Psal. nostr. In hoc cantico passionis præcedentem Christum subsequitur chorus Martyrum, in finem cælestium coronarum: hæc ipse. Alii quoque ad crucem devote se convertant. Castrius Indiæ Prætor ita pius fuit, ut ad crucis aspectum subito positis humi genibus oculos in cælum cum quadam veneratione defigeret, quantalibet stipatus aut nobilium aut plebis frequentia, ut ait Ioan. Petr. Maffæus hist. Ind. lib. 13. pag. 390.

Ad Christi crucifixi pedes fugiendum.

Pedes regum Franciæ sunt altare.

Castrii pietas.

Tertio nota, manus in oratione extendendæ, ut crucis memores spem in ea nostram ponamus, eius vim profitentes. S. Ambros. serm. 56. *Ipsius, ait, incessus hominis, cum manus levaverit, crucem pingit, atque ideo elevatis manibus orare præcipimur, ut ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cum Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* Maria Datayada Ordin. S. Dominici tres horas aliquando brachiis extensis in oratione perstabat. Frater S. Panormitanus necdum natus annos quatuordecim, priusquam fieret Minimus, ita orationi erat addictus, ut duas nonnunquam horas brachiis in crucis modum protensis orans perstaret. S. Gregor. Nazianz. orat. 3. pag. 38. vim illius extensionis manuum docet. Extentæ, ait, ad precandum manus flammas extinguunt, feras consopiunt, gladiorum aciem retundunt, instructas acies in fugam vertunt. Tertullian. lib. 3. contra Marcion. Iam vero, ait, Moses, cum Iesus adversus Amalech præliabatur, expansis manibus erat residens, quando in rebus tam attonitis magis utique genibus depositis, et manibus cædentibus pectus, et facie humi volutante orationem commendare debuisset: nisi quia illic ubi nomen Domini dimicabat, dimicaturæ quandoque adversus diabolum crucis quoque habitus necessarius, per quam Iesus victoriam esset relaturus: hæc Tertullianus. 44.

Manus in oratione extendendæ.

ARTICULUS II.

Resurrectio Christi et nostra Dei gloriam promovet.

Christus, qui in toto hoc Psalmo loquitur, tandem aperit materiam orationis suæ, nempe suscitationem sui corporis. Rationes varias affert: vers. 12. Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt (mortuos) et confitebuntur tibi? illi medici, suscitatis mortuis; 2. et melius, illi mortui, a medicis suscitati. 45. Vers. 12.

Vers. 13. Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione? id est, in loco perdito, et impios perdente. Hebræi sæpe abstractis nominibus utuntur pro concretis. Vers. 13.

Vers. 14. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et iustitia tua in terra oblivionis? id est, oblivioni tradita, et Deum oblivioni tradente. Nam sumi potest terra oblivionis passive et active. S. Hieronymus vertit: *In terra quæ oblivioni tradita est.* Cuius scilicet non amplius meminit Deus, id est, cui amplius non benefacit. Dei enim memoria est benefica: et tunc dicitur recordari Deus, cum bonis cumulat: oblivisci vero, cum bona subtrahit, et hominem deserit. Vers. 14.

Quæres, quænam sit illa terra oblivionis? Primo, Chald. id exponit de inferis. Vertit enim: *Numquid cognoscentur*

Terra oblivionis sunt inferi.

in tenebris gehennæ miracula tua, et iustitia tua in terra siccitatis et desolationis? Poetæ finxerunt in inferis esse Lethæum fluvium, quem transeuntes obliviscantur omnium, quæ hic gesserunt; 2. ibi finxerunt Lethæos campos, de quibus meminit Plato lib. 10. de Republica; 3. ibi quoque posuerunt deæ Lethes domum: λήθη autem oblivio est. Sed decepti sunt illi; nam damnatos maxime torquebit memoria peccatorum in terris commissorum, deliciarum temere quæsitarum et cito amissarum, occasionum salvandi animam quas contempserunt, et similium rerum: hic vermis in æternum eos corrodet.

Et sepulcrum. Secundo et melius, *terra oblivionis* est sepulcrum, in quod coniecta corpora memoriam nullius rei habent, et omnium rerum obliviscuntur, cum anima careant in qua sola est vis memoriæ. Ubi adverte, ne penitus ex viventium memoria excidant mortui, excitari illis sepulcra, quæ Græco vocant μνήματα, seu μνημεῖα, q. d. memorialia. Nos eodem modo monimenta seu monumenta appellamus; ut scilicet admoneant primo, talem olim vixisse, et fuisse in tali dignitate et urbe: secundo, pro anima ipsius orandum esse: tertio, nobis quoque similiter moriendum esse. Hinc nunc prope Ecclesias, quo ad orationem pergimus, sepulcra ponuntur, ut humiliores et ferventiores ad Deum accedamus, et vanas huius mundi illecebras contemnamus. Olim ante urbes erant sepulcra, ut tradit S. Chrysostomus, qui illa vocat διδασκαλεῖον ταπεινώσεως, id est, scholam humilitatis. *Omnis civitas*, inquit, *omne castellum ante ingressum sepulcra habet, ut contendens intrare in civitatem, quæ imperat et floret divitiis ac potentatu, aliisque dignitatibus, priusquam videt quod secum concipit, videat primum quod fit.* Ante civitates sunt sepulcra, ante agros sunt sepulcra. Ubique ante oculos est *nostræ humilitatis schola*, et docemur in quid desinamus tandem? Hæc Chrysostomus.

46. An resurrectio possit fieri naturaliter. Quæres secundo, an medici possint suis artibus aliquem a mortuis suscitare? Resp. resurrectionem hominum mortuorum excedere vires totius naturæ creatæ: ita S. Thomas Paludanus, Durandus, Richardus in 4. dist. 43. et 44. S. Dionys. cap. 6. de divinis nominibus, S. August. lib. 13. de Trinitate, Suarez in 3. p. quæst. 54. disp. 44. sectio. 6. qui rationem huius conclusionis dicit sumendam esse ex parte organizationis et dispositionis corporis. Quia in primis vix fieri potest, ut eadem numero materia prima, ex qua fuit corpus hominis formatum, iterum ita applicetur, ut per causas naturales possit ex ea homo generari. Quia per continuam transmutationem et resolutionem materia facile dissipatur, dividitur, et commiscetur, et ideo nunquam est omnino eadem, quæ ad generationem iterum assumitur. Deinde quamvis demus hoc interdum accidere, tamen agentia naturalia non poterunt eam disponere ad eiusdem animæ introductionem, cum eodem omnino temperamento et organizatione. Primo quidem, quia proximum agens principale vel erit diversum, vel aliter dispositum, quam prius fuit, cum semper sit in continua mutatione: variatio autem proximi agentis multum conducit, ut effectus varietur saltem secundum numerum. Secundo, quia licet interdum agens proximum sit idem, vel eodem modo dispositum: tamen cæli influentia, et causarum universarum influxus necessario erit diversus: et tamen sine dubio multum confert ad temperamentum constituendum. Tertio, etiamsi agens naturale esset omnino idem, eademque materia, non rediret naturaliter idem numero effectus qui antea fuit: nec eadem dispositio et organizatio corporis: alias calor eiusdem aquæ ab eodem igne semper esset idem numero, etiamsi millies deperderetur et acquireretur. Similiter, quotidianum lumen, quod in aere fit a sole, esse quotidie idem numero. Quæ sunt incredibilia, et contra Aristotelem lib. 2. de generatione, dicentem non redire quod corruptum est. Et contra rationem. Quia materia seu subiectum de se est capax ad recipiendas varias formas, seu dispositiones intra eamdem speciem. Nam sicut illius potentia passiva de se est indifferens ad plures formas intra idem genus specie differentes: ita et ad plures diversas numero intra eamdem speciem. Quia non est unde de se magis limitetur ad unam, quam ad aliam. Et similiter, agens naturale habens virtutem ad aliquem effectum, non limitatur ad unum individuum, ut per se constat: ergo, quamvis hoc agens sæpius applicetur ad agendum in hoc subiecto, non erit determinatum ad agendum semper idem numero. Quia neque ex virtute sua, neque ex capacitate subiecti, habet hanc determinationem. Hæc et alia Suarez, qui probaverat sect. 2. de necessitate resurrectionis esse, ut corpus resurgentis constet ex eadem numero materia, ex qua prius constitit, et ex eadem numero forma. S. Thom. in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 1. docet, resurrecturum quemlibet hominem eumdem numero, et quamlibet animam assumpturam corpus idem numero, quod prius habuit. Art. 2. docet, totum quod materialiter fuit in homine, quoad totalitatem speciei, resurrecturum: non autem quoad totalitatem materiæ. Et in 2. dist. 30. quæst. 2. artic. 1. tradit, quidquid habitum est a generantibus, et de addito per nutritionem, quantum fuerit utile ad complendam quantitatem, et de priori, resurrecturum: non autem quidquid fuit in corpore de veritate humanæ naturæ.

Dices, naturaliter muscæ submersæ reviviscunt, si in cineribus tepidis ponantur. 2. Apes, si succo nepetæ perfundantur. 3. Anguillæ defectu aquæ mortuæ, si integræ iniiciantur in acetum, et permisceatur sanguis vulturis, et sub fimo recondantur, intra paucos dies omnes vitæ reddnntur. 4. Pelicanus pullos mortuos, proprio sanguine ad vitam revocat. 5. Leunculus quoque defunctus voce et spiritu parentis resuscitatur. 6. Idem fit in mustelæ catulis. 7. Vicilinus avis parvula vocatur ab Indis resuscitatus, quia putant hieme emori, vere suscitari, ut ait Franciscus Gomara, c. 23. hist. Mexicanæ. *47. Animalia multa reviviscunt.* Resp. cum nostro Martino Delrio l. 2. disquisit. magicar. sect. 29. *Et quomodo?* Animalia, quæ ex putrefactione nascuntur, posse cum vitam amiserint, naturalibus remediis a dæmone vivificari, quia novit vim caloris putredinalis, et cætera ad hoc requisita. Notandum tamen, non fore hoc idem animal numero, quia licet materia possit adhuc esse eadem, si corrupta nondum erat: tamen anima, quæ ex eius potentia educetur de novo, non erit eadem cum ea numero, quæ perierat: soliusque Dei est privilegium posse, quod periit, iterum idem numero reproducere: quam sententiam cæterorum, dissentiente Scoto, veriorem puto. Scotus enim et Richardus censent etiam per naturales causas id fieri nonnunquam posse. Contra vero, Durandus et Marsilius neque Deum ipsum hoc facere posse censent. Scotum refellunt Capreolus in 4. dist. 43. Sotus, Toletus, Bannes, et alii; ac merito, cum a privatione ad habitum non sit possibilis regressus iuxta Aristotelem 5. Physic. et 2. de generat. D. Dionys. c. 6. de divin. nom. S. Ambr. Lactant. et alii Patres, semper de hac re ut de vero miraculo loquuntur. Durandum iidem, Sotus, Soncinas, Suarez, et alii citati, tam copiose et fortiter refellunt, ut qui eum adhuc defendere nitatur, is pervicaciæ et temeritatis notam certe nequeat effugere. Hinc ulterius infero, cum resurrectio requirat numericam identitatem rei resurgentis, tum quoad formam, tum quoad materiam, earumque unionem: eamdem saltem specificam, solum hominem proprie dici resurgere: huius enim solius, quia immortalis, eadem perdurat forma: cætera animantia, si quando vivificentur, improprie dicuntur resuscitari. Quare simpliciter loquendo, nec ut insecta quidem resurgant, Satan poterit efficere. Animantia vero perfectiora, et quæ ex putrefactione non nascuntur, ea naturaliter ab eo vitæ reddi non possunt, quia requirunt perfectiores quasdam dispositiones, accuratioremque organorum singulorum præparationem, quæ nonnisi naturali seminis virtute possunt confici. Et hoc apud Simeonem Metaphrastem in vita S. Sylvestri fatetur Zambre magus Iudæus, qui taurum verbis in aurem submurmuratis occiderat, eum vivificari, nisi a Deo non posse. Quare, si quæ talia nonnunquam visa sunt reviviscere, penitus mortua non fuere, sed mortuis tantum similia: sicut animan-

tia, quæ certis anni temporibus immota iacent: et quia mortua, postea vere ineunte excitantur, et videntur vitæ reddita: ut accidit gliribus, ursis, et passeri vitulino seu vicillino apud Mexicum, teste Cardano lib. 7. de variet. cap. 36. Non potest dæmon efficere ut anima unius bruti aliud corpus animet; quia singulæ huiusmodi animæ ex potentia materiæ eductæ, si a materia sua separes, emoriuntur. Sed quid de homine. Non potest facere dæmon, ut homo a mortuis resurgat: sive non potest facere, ut anima hominis suum corpus subintret, et illud vivificet, informetque. Hæc conclusionis pars est fide tenenda, et est philosophiæ innixa: quia definitum, a perfecta privatione et totali, non dari ad habitum naturalem regressum: miraculosa itaque est hæc res, quare et Deo propria. Non potest dæmon ipse illud corpus informare: quia ipse est substantia perfecta et completa, cui repugnat aliam substantiam, ut partem, componere. Non potest dæmon animam humanam a corpore separatam iterum illi immittere, ut eam informet: probo, quia unicus modus est naturalis, uniendi animam corpori per generationem corporis, et creationem infusionemque animæ. Sed hic corpus non generatur: ergo hic non est naturalis uniendi modus. Supernaturalis vero modus, qualis intervenit in resurrectione, soli Deo competit. Posset dæmon, si Deus permitteret, cogere animam damnatam subire corpus, ut illud moveat, et in illo actiones aliquas demonstret: quia sic ipse potest subire, et hanc animam invitam cruciatu ad hoc posset impellere. Possunt etiam magi ex pacto, per superiores dæmones cogere inferiores, ut cadaver ingressi, illud gestent, moveant, cæteraque ad tempus faciant, quibus videantur vivere, ut factum Lovanii iussu Cornelii Agrippæ magi, qui dæmoni adolescentis occisori iussit, ut cadaver eius ingrederetur, et per forum obambularet, tandemque corpus desereret, quod præstitit: sed indicia suffocationis rem suspectam fecere: ita Delrio.

48. *An aliqui homines sint naturaliter suscitati?* Dices secundo, aliqui homines fuerunt naturali vi suscitati, ut Æsopus fabulator, Tyndareus, Admetus, Erus Pamphilus, Zancla Ægyptius, Glaucus, Hercules, Hyppolytus, Maris, Aristæas, Horus, Gabienus, Enarchus Corfidius, et alii, quos referunt Clearchus, Plato, Athen. Plin. Apul. Philostr. Clemens, Egesippus, Pausanias, et cæteri. Glaucum quidem vitæ restitutum herba, quam Draconem dicunt, refert Clearchus lib. 7. vitarum. Herculem revixisse odore coturnicis incensæ, ait Athen. lib. 9. cap. 15. Hyppolitum ab Æsculapio suscitatum, Pausanias in Corinthiacis. Notabile est, quod refert Plutarchus lib. de anim. et Fulgosus lib. 1. cap. 6. Enarchus quidam, inquit, ab omnibus pro mortuo habitus ac relictus non multo post ad vitam reversus, vere resurrexisse, spiritusque eos, qui eum vita abstraxerant, graviter ab ipsorum principe increpitos esse affirmavit, quod eum pro Nicauda coriario accepissent, qui eodem die et hora febri correptus, cum in lecto iaceret, eo morbo decessit. Neque vero hac re contentus, ad testandam resurrectionem suam, Plutarcho, qui tunc laborabat, brevi eum incolumem fore prædixit: atque ita contigit. Plutarchus idem in vita Romuli refert, Aristeam Proconnesium Castrobii filium, multoties defunctum revixisse: qui etiam animam quoties voluit, resumere potuit. Ferunt Marim quemdam antica corporis parte humana, postica vero equina, qui equum primus inscenderit, annos centum viginti tres vixerit: ac ter mortuus, ter itidem revixerit. Guaguinus in descriptione Moscoviæ scribit, populos quosdam in Lucomoria, regione Russiæ, habitantes, quotannis 27. Novembris die, ut solent hirundines et ranæ: sic et ipsos præ frigoris brumalis magnitudine mori: postea redeunte vere, 24. Aprile die denuo reviviscere. Addit hos, cum sibi mortem imminere sentiunt, merces suas certis in locis deponere: quas Grustentii et Serponovutzii vicini populi, suis mercibus interim æquivalentibus eodem loco relictis auferunt. Illi reviviscentes eas merces, si iustæ videantur, pro suis accipiunt: sin minus, easdem repetunt. Unde lites et bella sæpissime inter eos oriri dicuntur.

Fabula ridicula de Lucomoria.

49. *Illusiones variæ dæmonis in suscitatione mortuorum.* Respond. Primo, aliqua ex his esse mere fabulosa et falsa, ut de incolis Lucomoriæ censet Sigismundus liber Baro, fol. 86. Secundo, ut ait Delrio, multæ solent esse illusiones dæmonum circa huiusmodi. Aliquando enim dæmon corpora mortuorum furatur, et substituit alia aerea, quæ movet instar viventium: sic abstulisse eum corpus Romuli scimus ex Livio: item Cleomedis et Alcmenæ, quam etiam Rhadamanto datam fingunt uxorem: et Aristeæ Proconnesii, ex Plutarcho et Herodoto: præterea Aspalidis et Ctesillæ virginum, ex Antonio liberali. Sic alios ad tempus substituit pro Glauco, Tyndareo, Ero, et similibus, vel ipse subivit eorum exuvias. Tertio, dæmon fingit mortuos, qui revera non sunt mortui: ad hoc utitur non raro commoditate morborum naturalium, quos ἀφώνους vocant, veluti si sint apoplectici, siderati, vel attoniti: qui cerebro communi nervorum principio vehementer afflicto, iacturam faciunt sensus ac motus membrorum omnium, et sic sensu motuque defecti, quasi mortui concidunt, iacentque. 2. Si ἄκρα corripiantur, quæ est capitis quædam percussio, cum debili febre, humoribus sic cerebrum infestantibus, ut totius inde corporis stupor et immobilitas consequatur: quam comitante profundo somno, fit ut homo clausis oculis de mortui specie, longissimo quandoque tempore sic iacet, ac si mortuus esset. 3. Si patiantur λιποθυμίαν, seu syncopen et animæ deliquium: qui morbus, ad ea quæ diximus, addit aliquando motus arteriæ, pulsusque amissionem: quæ passio reddit hominem vero mortuo quam simillimum; et durat, donec frigidorum humorum intemperantia et impetus dissipetur: tali morbo laborans, teste in elog. Iovio, Ioan. Duns Scotus, vivus pro mortuo sepultus interiit. Tali morbo censuerim laborasse ægrotum illum Plutarchi; nec quidquam momenti habet prædictio illa, quæ ex humana etiam prudentia, et crisi medica potuit manare. 4. Si fœminæ sint, quæ matricis strangulationes, et ictericas passiones sustinent, ob quas multum aliquando temporis, velut mortuæ solent iacere: talem fuisse ab Apollonio itiam puellam suscitatam deprehenditur ex ipsomet Philostrato, et Eusebio libro contra Hierocl. talis etiam fuit puella Heraclidis, quæ post septimum diem fertur ad vitam rediisse. Plinius lib. 7. cap. 52. ait, quod Attilius Aviola, cum diu assiduo et gravi morbo decumberet, demum vita functus est, qui eom post aliquot dies, per quos insutus humi iacuisset, ad ignem portaretur ad cremandum, posteaquam ignis corpus eius corripuit, alta voce vivere se exclamavit: et pædagogi sui auxilium imploravit: sed e flammis eripi non potuit. Idem contigit L. Lamiæ, viro prætorio. Cœlius Tubero functus præfectura, e rogo vivus relatus est. Vis ignium frigidos syncopes humores discussit, ait Delrio. Asclepiades medicus Prusiensis hominem elatum ad funus suscitavit: et cum fortuna sponsionem fecit, ne medicus crederetur, si unquam ægrotaret, ut ait Sabellicus libr. 10. cap. 8. Nostra propemodum ætate, ait Lorinus, accepimus in Hispania medicum recepisse se vitæ restituturum, si quis ei ex sontibus traderetur vulneribus extinctus: sed merito a fidei quæsitoribus reiectam huiusmodi fatuam petitionem, sponsionemve, quæ maxime difficilem in religione nostra resurrectionis articulum in dubium revocare posse videretur. Illi dicendum cum Davide: *Numquid medici suscitabunt?* q. d. Id non facient.

50. *Tropol.* Tropolog. Beda per mortuos intelligit damnatos: in inferno autem cum nulla sit redemptio, ibi non fiunt Dei mirabilia. 2. S. Augustinus explicat de mortuis spiritualiter in anima per peccatum. Significat, inquit, homines corde ita mortuos, ut eos ad vitam fidei tanta Christi mirabilia non moverent. Idem S. Doctor ser. 44. de verbis Domini tria genera mortuorum spiritualiter, ait figurata esse in tribus mortuis a Christo suscitatis: nempe in filia archisynagogi, quæ excitata est in domo; in filio viduæ Naim, excitato in via; et in Lazaro, excitato in sepulcro: *Sunt intus*, inquit, *qui peccatum in corde habent, in facto nondum habent. Dicit enim ipse Dominus: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in cor-*

Tria genera mortuorum in anima.

de suo. Nondum accessit corpore, consensit in corde: mortuum intus habet, nondum extulit. Alii post consensum eunt in factum, tamquam efferentes mortuum, ut quod latebat in secreto, appareat in publico. Qui autem faciendo quod malum est, etiam mala consuetudine se implicant, ut ipsa consuetudo mali non eos sinat videre, quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum. Tales consuetudine maligna pressi, tamquam sepulti sunt. Moles imposita sepulcro, ipsa est vis duræ consuetudinis, qua premitur anima, nec surgere, nec respirare permittitur. Hæc Augustinus, qui tract. 72. in Ioannem sic mortuos ad vitam suscitare, dicit esse maius, quam cælum et terram creare. Ratio est, quia hæc sunt altioris ordinis. S. Greg. illos mortuos paulo aliter explicat in illud Iob 3. cap. 11. *Quare non in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?* Sic enim exponit, 4. Moral. 25. *Quare non in vulva mortuus sum?* Vulva quippe, peccantis est hominis culpa latens, quæ occulte peccatorem concipit, et reatum suum adhuc in tenebris abscondit. 2. Egressus ex utero non statim perii? A vulva de utero exitur, cum peccator, quæ in utero commiserit, hæc etiam in aperto committere non erubescit. Quasi enim ab occultationis suæ vulva processerant, de quibus Propheta dicebat Isaiæ 3. *Et peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* 3. *Quare exceptus genibus?* Quia nimirum peccator, cum iam de iniquitate sua confunditur, in iniquitate eadem etiam adminiculis pessimæ consuetudinis roboratur. Quasi genibus peccator fovetur, ut crescat, dum culpa consuetudinibus firmatur, ut vigeat. 4. *Cur lactatus uberibus?* Quia dum prodire culpa in usum cœperit, nimirum se vel falsa spe divinæ misericordiæ, vel aperta miseria desperationis pascit, ut eo nequaquam ad correptionem redeat, quo vel factorem suum pium sibi inordinate simulat, vel hoc quod fecit inordinate formidat.

51. *Concionatores sunt medici spirituales.* Secundo, medici spirituales sunt concionatores, sacerdotes et prælati: sed sine bono Samaritano Christo neminem sanant. S. August. in Psal. nostr. Prædicatores, ait, sunt medici curantes a latronibus sauciatum, sed Dominus perduxit eum ad stabulum, Luc. 10. qui ipsi sunt etiam operantes in agro dominico: nec tamen qui plantat est aliquid, aut qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: hæc ipse. Nec vel claudicantem in via mandatorum Dei sanare possunt suis viribus, nedum mortuos excitare. S. Petrus claudum sanat, sed recte monet id factum esse in nomine Domini Iesu Christi, et hoc cupit notum esse omnibus, Act. 4. 10. Erat claudus ille prope templum, templa enim, ut ait S. Cæsar. Arelat. sunt cælestis medici schola. Verba eius sunt hom. 37. ut possimus hostem callidissimum opitulante gratia divina revincere, ieiuniorum, vigiliarum, orationum armis nobis debemus providere. Quis licet nobis omni tempore necessaria esse probentur; præcipue in istis tribus diebus Litaniarum, quos regulariter in toto mundo celebrat Ecclesia, nullus se a sancto conventu subducat; nullus Ecclesiam *quasi cælestis medici scholam*, occupatus terrenis actibus, derelinquat; nullus castra spiritualia deserat: ita Cæsarius.

52. *Corpus impii est sepulcrum.* Tertio, peccator non laudat Deum in sepulcro, id est in suo corpore, in quo iacet mortua eius anima. S. Chrysost. in illud Matth. 23. Similes sepulcris dealbatis, ait animam in iustis esse velut in templo: in impiis velut in sepulcro. Ibi non laudatur Deus. Ps. 6. v. 6. *Non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Idem dicitur Ps. 113. v. 17. Is. 38. v. 18. Anna in suo cantico ait, 1. Reg. 9. *Impii in tenebris conticescent.* S. Hippolytus Episcopus Portuensis et Martyr, qui floruit circa ann. 220. Clementis Alex. discipulus tract. de consummatione mundi, tom. 2. biblioth. Patr. Græc. pag. 362. Christum inducit exprobrantem peccatoribus, quod abusi sint ore suo, manibus, auribus, oculis, pedibus, quæ membra iis erant data ad Deum glorificandum. Os, ait, vestrum composui ad glorificandum et laudandum Deum, et psalmos cantionesque spirituales pronuntiandas, lectionesque continuam meditationem: at vos aptastis illud ad convicia, deierationes, et blasphemias: dum sedentes obtrectatis proximis vestris. Manus vestras feci, ut ad preces et obsecrationes extenderetis eas: at vos ad rapinas, cædes et mutuas occisiones expandistis. Pedes vestros ordinavi, ut ambularetis in præparatione Evangelii pacis, etc. At eos docuistis currere ad furta, etc.

Quarto, peccator in tenebris iacet. De illis sub Ægyptiorum typo habetur Sap. 17. 2. *Dum persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ, vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ iacuerunt.* Et v. 5. additur: *Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.* Iob 5. v. 14. *Per diem incurrent tenebras: et quasi in nocte sic palpabunt in meridie:* Id est, in ipsa luce honorum et divitiarum. Et cap. 38. 15. *Auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur.* Vir vero iustus, est lux in Domino. Ephes. 5. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* Qui tempore Christi vivebant, ut ait Leontius Cypri Episc. tract. contra Hebræos, cum multa et magna signa faceret, omnes a parvo usque ad magnum *oculos habuerunt magistros cognitionis Dei:* ita ille, tamen de multis eorum dictum est Ioan. 1. 5. *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Sic Propheta noster non dicit: Numquid erunt in tenebris mirabilia? sed, numquid cognoscentur? sunt quidem, sed cæci illa non vident. Qui humanæ mentis caliginem videre volet, legat opiniones variorum hæreticorum apud Baronium tom. 2. piget ac pudet illa tam portentosa deliria referre. Harpa avis montana impetens oculos, illos effodit, ut ait Ælian. lib. 15. hist. anim. cap. 51. Superbia homines excæcat. Hoc etiam facit gula. Leonides Byzantinus scripsit, in mari rubro piscem gigni, gobio ætatis perfectæ non inferiorem magnitudine, nullos oculos, nullumque os habentem, more tamen piscium huic innatas esse branchias, infra imum ventrem formam quamdam leniter in sinum contractam apparere: hanc ei oculorum loco et oris esse idem ait: appellatur Physsalus, ut ait Ælian. lib. 12. hist. anim. cap. 42. Quibusdam oculi et os eodem sunt in loco, nihil vident, nisi ut devorent. Cæcitas illa maxime deploranda est. Cum maris imperium tenerent Mitylenenses sociis qui desciscebant, hanc pœnam imposuerunt, ut liberos suos non docerent litteras, neque artes liberales, omnium suppliciorum gravissimum esse iudicantes, in artium liberalium ignorantia vitam transigere, ut idem Ælian. refert lib. 7. variæ hist. cap. 15. Longe gravior est pœna tolli a nobis lumen legis Dei. Psal. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Vide ibi dicta.

Quinto denique, peccator est in terra oblivionis: hoc est Primo, in qua ipse obliviscitur Dei sui. Ps. 8. 5. *Quid est homo, quod memor es eius?* Pro *homo*, Hebr. ibi est אנוש *enos*, hoc est, obliviosus, a rad. *nascia*, oblitus est. Isa. 5. 3. mala illius ignorantiæ referuntur: *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam*, etc. actualem scilicet. Secundo, peccator est in terra oblivionis, id est, cuius obliviscitur Deus. Sap. 17. 3. *Dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrende, et cum admiratione nimia perturbati.* Dicunt ipsi impii Sapient. 2. 3. *Transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est a radiis solis, et a calore illius aggravata, et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, et nemo memoriam habebit operum nostrorum. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri:* hæc illi; sed conclusionem inde stultissimam deducunt: *Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos repleamus*, etc. Ubi obiter advertite, impios esse stultos, quia carent tribus intellectus operationibus: nempe ratiocinatione, ut hic patet: iudicio, quia iudicant ea bona, quæ non sunt: et prima apprehen-

Margin notes (right column): 53. *Impii sunt in tenebris.* — *Harpa avis excæcat.* — *Piscis sine oculis et ore.* — 54. *Peccator vivit in terra oblivionis.* — *Peccator caret tribus mentis operationibus.*

sione, timentes id quod timendum non est, et concipientes res aliter quam sunt, ut in melancholicis accidit. Nota etiam, parum prodesse omnem rerum quarumlibet fruitionem, et quamlibet scientiam, sine Dei scientia. S. Prosper libr. 1. de vita contemp. cap. 17. ait, « nobis in die iudicii non verba quærenda, sed opera. Severus Sulpitius in prolog. dialog. docet, hominis officium esse perennem potius vitam, quam perennem memoriam quærere. Ammonius ita in doctorum virorum, Origenis, Didymi, Pierii, et Stephani scriptis versatus erat, ut sexagies centena millia versuum proferret, ut ait Pallad. hist. Lausiacæ, cap. 12. Dei memor esto, id facilius obtinebis; porro unum est necessarium. Ne tibi eius memoria excidat, ne tu illi excidas. Carcer quidam apud Persas dicebatur Lethe, id est, oblivio, ut ait Procopius apud Photium pag. 67. In carcerem perpetuum inferni deiectus sceleratus erit in perpetua Dei et sanctorum oblivione.

Carcer Lethe.

55. Nota, Christus hunc totum psalmum dixit in Cruce: a Cruce sumenda tibi remedia adversus hæc omnia mala. Primo enim, crux vivificat, ut iam ostendi v. 3. Adde, S. Ephrem, qui lib. de vera pœnitentia cap. 3. sic ait: *Crux victrix mortis, fidelium spes.* S. Ioan. Damasc. lib. 4. de fide, cap. 12. illam vocat φυτον αναστασεως, id est, arborem resurrectionis. Crux, inquit, est iacentium erectio, stantium firmamentum, baculus debilium, pastorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ salus et corporis, omnium malorum aversio, omnium bonorum causa, peccati destructio, *arbor resurrectionis*, ξυλον ζωης αιωνιου, lignum vitæ æternæ. S. Cyrill. Ierosol. suscitationem mortuorum per crucem iure præfert suscitationi Lazari. Gloriatio, inquit, Ecclesiæ Catholicæ est omnis Christi actio: καυχημα καυχηματων ο σταυρος, *gloriatio gloriationum est crux.* Admirandum quidem erat, cæcum natum in Siloe ad visum restituere: sed quid hoc ad cæcos totius orbis? Magnum erat, et supra naturam, Lazarum quatriduanum resurgere: sed hæc tamen in illo finita erat gratia: quid autem ad eos, qui in universo orbe peccatis erant mortui? hæc Cyrill. catech. 13. p. 281. Per crucem itaque fiunt mirabilia. S. August. serm. 101. de tempore notat, a Mose nullum signum factum esse sine ligni sacramento: et ait, virgam illam fuisse figuram crucis: et addit, ab Elisæo ferrum extractum esse ab aquis, misso ligno in aquas: ut significaret, dura corda, et ferreas hominum cervices, de profundo mersas errore, ligno crucis esse in posterum subiugandas. Sub aquis peccatorum mersi obstinati peccatores, ad vitam et ad liberum aerem cruce revocantur.

Crux dat vitam.

56. Crucifigendum est itaque corpus nostrum cum suis passionibus, ut Christo vivamus. S. Dorotheus in ipso diei æstu cellas ædificabat, et aliis eas deinde dabat. Causam rogatus: Cur sic affligeret corpus suum, respondit, εκεινο αποκτεινει με, αποκτενω αυτο καγω, ipsum me occidit, occidam et ego illud. S. Leo docet, morte hac vitam acquiri. Sic enim serm. 1. de Resurr. Domini: Interest, inquit, cui quis moriatur, aut vivat: oratio quia est mors, quæ causa vivendi: et est vita, quæ causa moriendi: Moriendum ergo est diabolo, et vivendum Deo: deficiendum iniquitati, ut iustitiæ resurgatur. S. Dunstanus Archiep. Cantuariensis, videns S. Editham filiam Edgari regis Angliæ crebro dextrum pollicem extendere, et eo crucis signum formare in fronte, eius dextra apprehensa, dixit: *Nunquam putrescat hic digitus:* quod contigit, cætero corpore consumpto, ait Edovardus Mathew in natalibus Congregationis Anglicanæ Ordin. S. Benedicti, pag. 1497. et 1499. Mos formandi signum crucis in fronte refertur a Severo Minoricensi Episcopo, qui floruit circa ann. 420. Epist. ad omnem Ecclesiam. Peractis mysteriis, ait, Ecclesiam ingressi, in occursum nostrum Iudæorum multitudinem convenisse conspeximus. Omnes unanimiter deprecabantur, ut Christi characterem a me, licet indigno pastore, susciperent. Reversi itaque ad Ecclesiam, et toto corde gratias referentes, illico in frontibus ipsorum *signum salutis* impinximus. Theophanes Cerameus orat. in exaltat.

Corpus est crucifigendum.

S. Edithæ digitus crucem formans non putrescit.

A Crucis, eam vocat lignum vitæ, regale sceptrum, interfectricem dæmonum, peccati propulsatricem, communis omnium salutis causam. Sinæ infantibus suis in fronte characterem salutaris signi crucis atramento exprimere solebant contra puerilia infortunia, etiam ante adventum nostrorum in illud regnum: didicerunt enim a Iudæo quodam in metropoli Caifumfu eius patria, et in alio emporio celeberrimo, Lincino nomine, provinciæ Sciantum, et in Sciamsi provincia, externos quosdam vivere, quorum maiores e regnis advenerant, eosque esse crucis adoratores, eamque solere in cibo et potu digito exprimere: sed neque se, neque illos scire, cur eum ritum adhibeant. Ante sexaginta enim annos ob excitatam persecutionem se occultaverant. Mirum est vero, quod P. Matthæus Riccius, aliique e Societate Iesu, crucem vocaverint Sciecu, quo nomine denarius significatur, qui hac forma † perfectam crucem refert: quo eodem nomine compererunt a primis Christianis fuisse appellatam, ut refert noster Nicol. Trigautius lib. 1. de expedit. Christ. apud Sinas, cap. 11. B pag. 122. Crux Christi ab Helena reperta seminecem fœminam attactu suo statim sanavit, et hoc miraculo cognita est, et separata a crucibus latronum. Virga Aaronis flores et fructus tulit. Num. 17.8. Crux Christi et floret et alia florere facit: sanguis enim Christi vivificus est. Hoc explicare possis ramo florente ad attactum sanguinis S. Elphegi, de quo hæc narrat Mathew in natal. sanct. Congreg. Angl. pag. 2369. S. Elphegum Cant. Archiep. interfecerant Dani, et in mare deiicere volebant, Angli obstiterunt: sed irati barbari corpus in medio statuerunt, et ramum fraxineum succisum, et cortice prorsus nudatum acceperunt. Si hunc ramum, inquiunt, *sanguine huius intinctum* matutina lux virentem invenerit, iustum nos et sanctum occidisse constabit, et quo illum honore sepeliatis, penes vos erit. Sin autem in pristina lignum ariditate permanserit, errasse vos in eius amore dicemus; nostrique erit arbitrii, quid de cadavere eius velimus facere. Cum Anglis conditio placuisset, aridum lignum sub unius C noctis tempore cœpit frondere, et quod sero Dani telluri fixerunt, mane surgentes florere viderunt. Dani tunc mirantes, certatim in amplexus defuncti ruere, crebra oscula figere, cervices supponere, lacrymas et eiulatus emittere cœperunt, et plerique eorum magnates sunt ad veram fidem conversi: hæc ille. Cassiodorus in Psal. 4. Crux, inquit, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cælestium confirmatio, mors infidelium, *vita iustorum.*

Sinæ ante adventum Iesuitarum, crucem venerabantur.

Ramus aridus revirescit ad S. Elphegi tactum.

Secundo, per crucem lux obtinetur. S. Ephrem lib. de vera pœnitentia, cap. 3. *Crux,* inquit, *lux orbis terræ.* Andreas Cretens. de exaltation. S. Crucis. *Crux,* ait, *custos in nocte, in die turris, in tenebris deductrix.* Iesus Margaretæ Delphinæ Ordinis S. Dominici cruci affixus apparuit, ad cuius pedes variæ erant personæ diversis exornatæ radiis, qui ex eius vulneribus emicabant. Ad crucem accede, et illuminaberis. 57.

Crux illuminat.

ARTICULUS III.

D *Matutina oratio pauperum et afflictorum exauditur.*

CHRISTUS post longam orationem sentiens se non exaudiri, causam petit: v.15. ET EGO (S. Hier. ego autem) AD TE DOMINE CLAMAVI: ET MANE ORATIO MEA PRÆVENIET TE. Vers. 15.

Vers. 16. UT QUID (S. Hier. quare) DOMINE REPELLIS ORATIONEM MEAM: AVERTIS FACIEM TUAM A ME? Vers. 16.

Nota, ter dicit se clamavisse. Primo quidem v. 2. ait se clamavisse die et nocte. Secundo, v. 11. tota die. Tertio hic, mane: ut et eius diligentia et perseverantia denotetur. Mane porro dicit se oravisse Christus: hoc est, in principio suæ passionis. Mane, ait Bellarminus, oratio mea præveniet te, id est satis tempestive, in ipso exortu passionis oratio mea præveniet te. Nam etiam si oratio Christi in horto fusa, nocturno tempore fuerit fusa, tamen dicitur mane fusa: quia tunc oriri incipiebat ipsa passio: et erat illud tempus, quasi aurora passionis. 58.

Clamat Christus mane, id est, initio passionis.

59. *Oratio Christi fuit exaudita, et quomodo?* Nota secundo, oratio Christi absoluta fuit exaudita, non vero oratio conditionata et inefficax. Hebr. 5. 7. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia:* non in sua petitione priori, ait Cornelius, et voluntate quasi naturali, qua petebat conditionate et inefficaciter, si fieri posset, mortem evadere: illam enim Christus ipse correxit, illamque impleri absolute noluit: sed in sua voluntate posteriori, et voluntate absoluta atque efficaci, qua oravit non pro fuga crucis et mortis, sed pro implenda Patris voluntate circa passionem suam, eiusque fructum: scilicet, ut sua passione et morte mereretur sibi resurrectionem a morte, nobis salutem tam corporis quam animæ. S. Thomas et Œcumenius volunt, Apostolum loqui de oratione in horto. S. Ambr. de oratione in cruce: arbitror agere de utraque. Vide Suar. in 3. p. q. 46. disp. 37. sect. 4.

60. *Tropol. Oratio matutina est optima.* Tropol. Oratio matutina est optima. Ea de re satis egi. Psal. 5. 5. in illud: *Mane adstabo tibi, et videbo:* qui solem aspicit, illuminatur. Mane Deus varia dedit dona. Primo, manna. Exod. 16. v. 13. *Mane ros iacuit per circuitum castrorum:* qui est in castris Dei, et fortiter pugnat, a Deo recipit rorem et consolationem, si mane, hoc est in principio tentationis oret. Vespere datæ erant carnes, unde mors consecuta est, sed alia vice: mane datur manna, unde vita sustentetur, donec veniatur in terram promissionis. Secundo, mane lex data in monte Sinai. Exod. 19. v. 16. *Iam advenerat tertius dies, et mane inclaruerat, et ecce cœperunt audiri tonitrua, et micare fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat.* In oratione matutina audiuntur distinctius Dei tonitrua, hoc est, iudicia: fulgura, hoc est, illustrationes divinæ: nubes operit montem, id est, obumbratio divina animam: clangor buccinæ, hoc est, inspiratio tunc fortius mentem pulsat. Tertio, summo mane egressi erant filii Israel de Ægypto: nam in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, Exod. 12. 29. statim surgens Pharao coegit Israelitas, ut iter suum peragerent. Postea insequens illos ipse Pharao cum sexcentis curribus electis, numerosoque exercitu, et intrans in mare rubrum, cum advenisset vigilia matutina, Dominus, id est, angelus Domini Dei legatus, interfecit exercitum eius, et subvertit rotas curruum. Mane ora, et hostes diurnos nocturnosque vinces: atque ipsum mare, id est, tentatio, erit tibi campus gloriæ, victoriæ atque exultationis, tibique omnia prospere succedent. In regno Calecutii annum a Septembri mense inchoant: sed diem certum, unde mensem incipiant, non habent. Astrologos et Augures primum consulunt, et ab hora quam illi faustam atque felicem prænuntiant, annum auspicantur. Qui iam decimum quintum annum excessere, faciem eo die involvunt, et oculos obtegunt, ne quidquam aspiciant. Deinde a pueris in fana deducuntur, in quibus varia deorum signa sunt. Ibi detractis oculorum involucris, aspectum in res oppositas repente coniiciunt. Quod si Dei illius, quem præcipue colunt, simulacrum ante omnes alias res intuentur, annum sibi faustum fore confidunt, ut ait Hier. Osorius lib. 2. de rebus Emmanuelis regis Lusitaniæ. Mane primus tuus aspectus in Deum tuum feratur, et omnia tibi cedent prospere.

Calecutianorum mos in idolis salutandis initio anni.

Secundo nota, orationem sanctorum nonnunquam differri, et non statim impetrare postulata, ut fervor eius augeatur. S. August. in Psal. nostr. *Ad hoc*, ait, *oratio sanctorum dilatione tanti beneficii, et tribulationum adversitate, quasi repellitur, ut tamquam ignis flatu repercussus inflammetur ardentius.*

61. *Orationis conditiones.* Tertio nota, ut oratio exaudiatur, debet Primo esse velox: tarda enim sæpe reiicitur, ut virginum septem fatuarum, quibus sero orantibus dicitur, *Nescio vos*, Matth. 25. 12. Secundo, oratio debet esse perseverans, impetrat enim propter improbitatem suam panes amicus importunus, Lucæ 11. 8. Tertio, oratio debet habere alas ieiunii, et eleemosynæ. Tob. 12. 8. Quarto, debet utilia postulare. Reiiciuntur enim ipsi Apostoli, Iacobus et Ioannes, ac mater ipsorum, quia nesciebant quid peterent, Matth. 20. 22. Quinto, orationi debent iungi opera et ori manus. Psal. 133. 2. *Extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.* Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Sexto denique, oratio debet esse humilis. Moses ad rubum ardentem accedens, tollere calceos iubetur, Exod. 3. 5. Æthiopes Abyssini, et ipsi Turcæ templa non adeunt nisi nudis pedibus. Monomotapæ regi omnes etiam nudis pedibus loquuntur, ut refert Franciscus Sacchinus lib. 5. num. 221. pag. 283. Sylveira, inquit, honorifice receptus est a rege. Cumque in intimum regis conclave nemini mortalium, ne stipendiariis quidem regibus pateat unquam accessus, sed e foribus eum alloquantur, nec ad colloquium *nisi pedibus nudis* ire fas sit. Consalvum Sylveiram calceatum in ipsa penetralia introduxit: mediusque ipse consistens, assidente ex altera parte matre, eum ex altera parte considere iussit. Antonius Caiadus, qui interpres adhibebatur, præ foribus constitit: hæc Sacchinus. Publicanus a longe stans, pectus percutiens, et caput demittens exauditur, Luc. 18.

Nudis pedibus loquuntur regi Monomotapæ.

Quarto denique nota, aspectus Dei est beneficus: aversio faciei, iram eius denotat. Ierem. 18. 27. *Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico: dorsum et non faciem ostendam eis, in die perditionis eorum.* Theodoretus serm. 8. de providentia: αγγελον ψυχης, ait, προσωπα: *facies est mentis nuntius:* hæc ille. Itaque ira statim in vultu apparet: sed aversio faciei maiorem iram notat. Adverte tamen, Deum nunquam ita faciem avertere, quin omnia quæ in mundo geruntur, videat. Socrates apud Xenoph. lib. dict. et fact. memorab. Socratis, pag. 728. ait: O bone disce, quod tua etiam tibi insita mens, quemadmodum velit, tuum corpus gubernat. Itaque opinandum est, illam etiam sapientiam, quæ totum continet, quemadmodum sibi placitum est, sic omnia gubernare. Num putas oculum tuum posse ad multa usque passuum millia pervenire: divinum vero oculum non posse simul omnia intueri. Aut tuam quidem animam de his, quæ apud diversas regiones geruntur, aut Athenis, aut in Sicilia, sive apud Ægyptios, posse cogitare: prudentiam vero divinam omnia simul non posse curare? 62. *Aversio faciei notat iram.*

Rationes etiam cur exaudiri debeat, sumit Christus a sua paupertate, labore, humilitate et afflictione: v. 17. PAUPER SUM EGO, ET IN LABORIBUS A IUVENTUTE MEA: EXALTATUS AUTEM, HUMILIATUS SUM, ET CONTURBATUS. *Vers. 17.*

Ac primo, Christus pauper fuit tota vita, ut ostendi Ps. 85. 1. Secundo in laboribus fuit a prima infantia: 1. in stabulo; 2 in Ægypto; 3. in domo Iosephi nutritii laborans manibus suis. Ut enim ait Suar. in 3. part. quæst. 37. disp. 17 sect. 3. ex verbis Lucæ 2. 51. *Descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis,* colligunt sancti Patres, Christum Dominum parentes suos in rebus domesticis iuvisse, et præsertim Iosephum, quamdiu vixit, in arte fabrili. Unde S. Basilius in constit. monast. c. 5. *Cum prima*, inquit, *sua ætate, parentum suorum imperio esset subiectus, et labores corporis omnes una cum ipsis animo illis obediens toleravit. Verisimile est enim cum homines illi essent et iustitiæ et pietatis cultores, tenues tamen, solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, et hac ratione quotidianum sibi victum quæritare. Porro Iesus cum his, ut divinæ litteræ prædicant, esset subiectus, sine dubio in perferendis etiam una cum ipsis, laboribus, morigeram declarabat suam obedientiam.* Ita Basilius, et similia fere habet S. Iustinus dialogo contra Tryphonem, et revelatum fertur S. Birgittæ lib. 6. revelat. cap. 18. Ex quo verisimile est etiam post mortem S. Iosephi, qui probabiliter mortuus est ante trigesimum Christi annum, Christum Dominum per se solum in ea ætate fabrilem artem exercuisse, ut se ac beatissimam matrem suam aleret. Unde Marc. 6. dicebant de illo Iudæi: *Nonne hic est faber, filius Mariæ?* Quod verbum licet non convincat, potuit enim sic appellari, vel ob vulgi existimationem, vel quia erat filius fabri ut putabatur, sicut ibi Carthusianus 63. *Christus laboro manuum se exercuit.*

*

et lanseuius notant: nihilominus adiuncta ratione, sumitur inde verisimile argumentum. Nam ut ibi Caiatanus notat, cum eo tempore litteris non vacaret (ut patet ex aliorum verbis et admiratione, quomodo litteras scit, cum non didicerit?) credendum esse, arte fabrili operam dedisse, ne vagus et otiosus videretur: at idem consideravit S. Bonaventura in libro medit. vitæ Christi, cap. 15. ac fere omnes, qui vitam Christi Domini describunt, uno excepto Simone de Casia lib. 4. de vita Domini, cap. 2. qui oppositum indicat sine fundamento: hæc Suarez. Eum fuisse fabrum ferrarium existimant S. Hilarius et S. Ambrosius; murarium, vel aurificem, Ugo. Melius censebis fuisse fabrum lignarium, ut ait S. Chrysostomus, S. Iustinus, S. Thomas, et pene omnes docent.

An fuerit faber lignarius.

64. Tertio præsertim, Christus fuit humiliatus et conturbatus in sua exaltatione in cruce; de illa enim recte hunc locum intelligit Arnobius et Bellarminus, qui sic ait: Exaltatus in cruce tamquam in solio regni, habens super caput titulum scriptum, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum; humiliatus sum usque ad mortem, et conturbatus ob cæcitatem et ruinam populi mei. Vel, exaltatus autem a populis clamantibus et dicentibus: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini*, ut habetur Lucæ 19. vel, *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*, ut dicitur Ioan. 12. humiliatus ea de causa usque ad flagella et mortem crucis, et conturbatus sum videns cæcitatem populi mei. In Hebræo, pro exaltatus autem humiliatus sum, habetur ex versione S. Hieronymi, portavi furorem tuum. Sed septuaginta Interpretes aliter acceperunt verbum ambiguum נשאתי *nasathi*; nam et portare, et exaltare, et exaltari significat. Itaque S. Hieronymus unam significationem, aliam septuaginta Interpretes sequuti sunt. Vocem autem אמיך *emecha*, furorem tuum, Septuaginta legisse videntur a verbo *macac*, quod humiliari, et depauperari significat: ita Bellarminus.

65. Tropologice. Deus pauperes facilius exaudit, ac totum se illis tradit. Primo quidem oculos, ut eos aspiciat. Psal. 11. 5. *Oculi eius in pauperem respiciunt*. Secundo, aures, ut illos audiat. Psal. 9. 37. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua*. Tertio, manum, ut adiuvet. Psal. 106. 41. *Adiuvit pauperem de inopia*. Quarto, pectus et brachia, ut fugientes et periclitantes suscipiat. Psal. 9. 10. *Factus est refugium pauperi*. Quinto, memoriam, ut illorum recordetur. Psal. 9. 19. *Non in finem oblivio erit pauperis*. Sexto, intellectum, ut eorum sit sollicitus, et commodis eorum invigilet. Psal. 39. 18. *Ego autem mendicus sum et pauper: Dominus sollicitus est mei*. Septimo, voluntatem ut eorum orationes amet, Psal. 21. 25. *Non sprevit neque despexit deprecationem pauperis*. Octavo denique, se totum illis dat, ut eos servet. Psal. 71. 13. *Animas pauperum salvas faciet*. Hinc collige Primo, magnificandam esse paupertatem: facit enim iter facile ad virtutem a Deo adiuta, et terrenis non onerata. Theodoretus sermon. 6. de Providentia, pag. 115. O amice, inquit, quid paupertatem accusas, per quam expeditus est ad virtutem cursus, atque aspera et prærupta via, prona et facilis illam conficientibus efficitur? ita ille. Multi tamen similes sunt piscibus et ranis, de quibus Ælianus lib. 13. cap. 64. In Africa, inquit, ferventis aquæ lacus esse existimatur, in quo pisces et natare dicuntur, et ad obiectum cibum assilire: at si quis in frigidam eos iniecerit, auditione accepi eos interire. Delicias amant molles animæ, et extra eas vivere non possunt. Secundo collige, pauperibus benefaciendum, ut a Deo tibi impetrent remedia vitiorum et malorum tuorum. S. Chrysostomus eos vocat medicos animarum. Sic enim loquitur tom. 6. serm. de negatione Petri, pag. 633. ιατροι ψυχων ημων εισιν οι πενητες; *Medici sunt animarum nostrarum pauperes, benefactores ac patroni. Non enim tantum das, quantum accipies: das pecuniam, et accipies regnum cælorum*. Felicitarius Episcopus Arelatensis, qui sæculo quinto floruit, in Admonitione 19. *Si*, ait, *cum diabolo condemnatur, qui pauperi non dederit, ubi damnandus est, qui tulerit alienum? Si in inferno damnatur, qui peregrinum non susceperit in domo sua, ubi damnandus est qui foras expellit? Si in ignem mittitur, qui nudum non vestivit: ubi damnandus est, qui vestitum expoliavit? Tenete vos, fratres, ad eleemosynam vel misericordiam: quia eleemosyna non patitur operarium suum ire in tenebras*: hæc ille: vult nos inhærere eleemosynæ, velut sacræ anchoræ, quæ naufragium fieri non patitur. Admonitione 21. idem auctor profert dictum S. Augustini: *Decimæ tributa sunt egentium animarum*. Hinc tantus ardor extitit verorum Christianorum in faciendis eleemosynis. Illustre est quod commemorat Ioannes Chapeavilius in gestis Pontificum Leodiensium: Anno, ait, millesimo sexcentesimo, et testatur Franciscus Costerus Societatis Iesu, Romæ in xenodochio sanctissimæ Trinitatis nunc octo, nunc decem, nunc duodecim millia exterorum conveniunt, qui nobilium et civium Romanorum impensis triduo gratis aluntur, et hospitio excipiuntur. His primates ministrant, pedes abluunt, et vitæ necessaria suppeditant, viri viris, mulieres separatis locis fœminis. Atque his duces et comites utriusque sexus, Episcopi, Cardinales, et summus Pontifex, qui nudiustertius, ut etiam alias, eodem loci, suis ipse manibus sordidos pauperum pedes lavit, et osculatus est. Pierique hæretici id videntes conversi sunt. Summi Pontificis, in pauperes præsertim Sacerdotes Transalpinos, liberalitas commendatur, qui præter mille coronatos, quos in hospitale sanctæ Trinitatis quotidie confert, in palatio suo ducentos, nunc trecentos et amplius alit. Neque desunt privati viri, tum ex Clero, tum ex nobilitate ac civibus, qui pro suis quisque facultatibus idipsum præstant. In prædicto xenodochio sanctissimæ Trinitatis, ab hora 20. usque ad 6. noctis, hoc est, ab hora quarta pomeridiana usque ad secundam post mediam noctem producitur cœna, non eorumdem, sed diversorum: quod singulæ mensæ paulo amplius dimidia hora absolvantur, simul autem eodem tempore cibum sumunt duo circiter hominum millia. Capucinos ducentos, et Franciscanos, quos feria secunda Pentecostes mille ducentos numeravimus, e Monasterio suo Capitolino, quod Aram cæli vocant, ad D. Petri ædem in Vaticanum binos procedentes: hæc ille pag. 619. Quis in ea re Catholicorum liberalitatem non prædicet, et vere hunc annum Iubilæi et remissionis fuisse non credat? Sunt tamen, qui hæreticos ob eam virtutem Catholicis præferant, cum non advertant ex solo S. Francisci Ordine trecenta circiter hominum millia eleemosynis sustentari: tot esse Ecclesias metropolitanas, cathedrales, collegiatas, domos religiosas, collegia, xenodochia, aliaque pietatis domicilia, quæ reditus ex factis dudum eleemosynis habeant, aut in dies singulos a solis Catholicis alantur.

Pauperes Deus facile exaudit.

Mira natura piscium et ranarum.

Magna charitas Romanorum, et Papæ.

Secundo, omnibus hominibus laborandum est a prima iuventute. Primo, quia ad hoc nascimur post Adami peccatum. Eliphaz amicus Iobi ait Iob 5. 7. *Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum*. Libero volantes aves alieno labore perfruuntur, et pericula ac lutum fugiunt, *iugum autem grave est super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium*, ut dicitur Eccli. 40. 1. Vita hæc tota est continua tribulatio. S. Augustinus: Vita ista parva, inquit, tribulatio est: si non tribulatio, non est peregrinatio: si autem peregrinatio est, aut parum patriam diligis, aut sine dubio tribularis. Quod si tibi non videtur tribulatio, causa est: quia non amas alteram vitam. Ama alteram vitam, et videbis quia ista vita tribulatio est, quacumque prosperitate fulgeat, quibuscumque deliciis abundet atque circumfluat: ita Augustinus. Secundo, laborandum est, quia Deus hoc a nobis postulat. Manna ipsum habens omne delectamentum suavitatis, vult cum labore conteri, Num. 11. 8. Quod considerans Drogo Abbas serm. de Passione, tom. 12. Biblioth. Patrum, part. 1. pag. 491. sic ait: *Colligite filii Israel, colligite manna, et frangite mola, et replebitur sicut adipe et pinguedine anima vestra. Molestus est labor, sed fructuosus; labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit*: ita Drogo. Scythæ 66.

Laborandum est a prima iuventute.

alunt, tempore Lipoxais, Arpoxais, atque Colaxais, demissa fuisse e cœlo in Scythicam regionem aratrum, iugum, securim, et phialam, sicut ait Herodotus lib. 4. pag. 226. ut scilicet aratrum, iugum, securis labores esse suscipiendos prædicarent: phiala vero admoneret, nectare et ambrosia reficiendos eos, qui seduio laborassent. Tertio, laborandum est, quia labor malam naturam domat, deliciæ vero mentem corrumpunt. Suavia enim capientibus id sæpe accidit, quod Clearchi ducis militibus, de quibus Xenophon lib. 2. de Cyri iunioris expeditione, pag. 279. Clearchus, inquit, Cyro occiso patriam repetens cogitur multa pati. Milites *palmarum medullam* comedebant, gustatu suavem, sed quæ capitis dolorem generaret: ita ibi. Voluptas est molestiarum ac doloris fons. [*Palmarum medulla noxia.*] Quarto denique, laborandum est, quia sancti omnes laboraverunt. 1. Prophetæ, de quibus Iacobi 5. 10. *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris et patientiæ, Prophetas qui locuti sunt in nomine Domini.* 2. Apostoli. 1. Corinth. 4. 11. *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris.* 3. Fundatores Religionum. S. Benedictus, qui, ut aliqui referunt, iam in utero matris laudes Dei decantans auditus est, studiorum cursum, quæ Romæ peragebat, interrumpit, *annos natus tantum tredecim,* ut S. Bonaventura et Trithemius asserunt, Sublacum petit, et in antrum se recipit, quod sepulcro quam domui erat similius. [*S. Benedictus ab anno ætatis 13. secedit in eremum.*] Nam locus, in quo somnum capiebat, sex septemve tantum palmos longus visitur, et latus quatuor: antri vero pars reliqua haud multo amplior erat. Pavimentum asperrimum: nam non solum durum et impolitum, sed etiam nulla re a cæli iniuriis munitum: in eo nec stans, nec iacens, sed incurvatus, sanctus iuvenis manere poterat. Huc nihil *præter crucem æream* S. Benedictus tulit. Ubi hæc lux a Deo delecta est, Equitius filium suum Maurum *annorum duodecim*, et Tertullius Placidum filium etiam suum, annorum tantum septem, adduxerunt: qui deinde hic in Sicilia, ille in Francia insignes sanctitate floruerunt, ut ait Andreas de Yepes in chronic. Ordinis S. Benedicti, tom. 1. pag. 29. et seqq. S. Franciscus de Paula *ab annis tredecim* e domo paterna in prædium rusticum secessit, ibique in cellula eremitica totos quinque (aut sex, ut aliis placet) annos traduxit cum uno Deo et angelis conversans. [*Et S. Franciscus de Paula.*] Humi cubabat, brevissimo somno laboribus fractum corpus reficiebat, aspero cilicio utebatur, flagellis ad sanguinem usque in tenerum corpusculum sæviebat, pane et aqua contentus; si morbus cogeret, crudas herbas aut olera ad panem adhibebat, ut ait Ludovicus Dony Datticby lib. 1. histor. general. Minim. cap. 1. pag. 7. 4. Alii viri in virtute eximii laboraverunt. Pambo morti proximus dixit, se ex quo in eremum venisset, ibique in cellula habitasset, absque labore manuum suarum nullam diem transegisse, neque se gratis ab ullo acceptum panem comedisse. Vide autem quanta virtus inde extiterit: *Non pœnitet me,* ait, *ad hanc usque horam* [sic?] *ullius verbi, quod temere effuderim: sic tamen ad Deum proficiscor, velut necdum illi servire, ut decet, incipiens,* ut refert Palladius cap. 10. pag. 913. Ex labore oritur taciturnitas et humilitas. 5. Ipsi Ethnici labore pueros suos indurant. Iapones in lucem editi, vel summa hyeme, protinus lavandi ad flumina deferuntur: ab ubere avulsi venatu exercentur, et procul a matre ac nutrice locis habentur asperis: quod ita sentiant, nulla re magis infringi animos, quam molli ac blanda educatione. [*Iaponum severa educatio.*] Storeis [sic?], culcitræ in modum tumentibus nitidisque pavimenta consternunt: in iis et somnum, subiecto cervicibus lapide, vel tigillo: et cibum capiunt genibus nixi, cruribus insidentes, teste Petro Maffæo lib. 12. pag. 348.

67. Nota, crux pauperes tuetur et consolatur, omnesque ad laborem incitat. [*Crux pauperes consolatur.*] Ac Primo, Andreas Cretensis serm. de Exaltatione S. Crucis: *Crux,* ait, *pauperum procuratrix, protectrix viduarum, tutrix orphanorum.* Secundo, crux Christi labores sanctorum mitigat. Idem auctor: *Crux,* inquit, *requies laborantium, aliptes athletarum:* hæc ille. Aliptes porro dicebatur magister athletarum, qui eos certaturos iungebat, eaque curabat, quæ ad corporis robur attinebant. Hinc ille amor crucis in Sanctis. Paulus dicebat, Galat. 2. 19. *Christo confixus sum cruci.* Id quoque S. Franciscus poterat dicere. De eo refert Lucas Wadingus tom. 1. Annalium Minor. ann. 1212. num. 36. p. 99. [*S. Franciscum crux sigillat, et munit.*] Cum quidam ab Imperatore rex versuum dictus, qui etiam præmium ideo obtinuerat, ad castrum S. Severini concionantem illum videret, *aspexit eumdem duobus transversum ensibus, valde fulgentem in modum crucis signatum: quorum unus a capite ad pedes, alter a manu in manum per pectus transversaliter tendebatur.* Non noverat ante virum Dei, sed viso illo conversus est, atque ab eo frater Pacificus appellatus. Christus ipse ad crucem ferendam a iuventute, invitat. Catharinæ de Raconis Ordinis S. Dominici, natæ decem annos, Christus apparuit cum cruce, quam eius sinistræ imposuit, eamque hortatus est ad patientiam. S. Gregorius Nazianzenus tom. 2. carm. 47. eam vocat φορτίον γλυκύ. onus suave. Tale onus sunt alæ avibus, quibus volando crucem efformant.

Tertio, etiam post exaltationem humilitas est amanda. 68. *Exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.* [*Humilitas est amanda.*] Eccli. 3. 20. præcipitur: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* S. Ambrosius legit: Quanto maior es, tanto magis humilia te in omnibus. Syr. et Arab. vertunt: In omni quod magnum est in mundo, humilia teipsum, et coram Domino invenies misericordiam. Vide septem huius rei caussas apud Cornelium. Imitari debemus illam arborem mirabilem, de qua Petr. Iarrius l. 3. cap. 1. pag. 5. tom. 2. In Congi regno, inquit, arbor est nomine Esanda, quæ semper viret, et altissima est, e ramis velut capillos demittens, qui ut terram attigerunt, radices agunt, et pari magnitudine cum priori arbore excrescunt: adeo ut ex una arbore possit tota regio vestiri, si propagatio illa permittatur. [*Arbor in terram ramos deliciens, et iis varias arbores producens.*] Sub primo cortice species quædam latet lintei, quod expurgatum contusumque plebeiis hominibus vestimenti loco est: hæc ibi. Cum erigimur, caput dimittamus, et in terra figamus radices, ut ad cælum ramos et fructus attollamus.

Hanc humilitatem amplexati sunt sancti, etiam claris orti natalibus. B. Borgia Gandiæ primum dux, deinde Soc. Iesu Præpositus Generalis, in hac virtute excelluit. Scribebat ad Emmanuelem Sa his verbis: Frater charissime, vide has positiones, et in eis adde, vel minue, quod melius visum fuerit. Positiones confusionis: 1. ex nihilo factus sum; 2. ad nihilum redactus sum; 3. quid sim, ignoro; 4. si aliquid scio, hoc tantum scio, infernum domum meam esse; 5. problema: Ex meipso nihil facio, sicut refert Orlandin. lib. 9. num. 80. Cum S. Stephanus Hungariæ rex de nocte surrexisset, ut daret eleemosynam solus pauperibus, illi pecuniæ inhiantes barbam beati viri evulserunt: at sanctus rex gaudio perfusus, ad B. Virginem perrexit gratias agens: [*S. Stephani regis mira humilitas.*] Regina cælestis, inquit, et mea, en quem tu regem constituisti, sic honorarunt milites tui. Cum magna suavitate perfunderetur, statuit nunquam eleemosynam pauperibus denegare, ut ait Chartuitius in eius historia. Cerdo aut sartor vilissimus ad verbulum excandescit, et rex pius tacet et gaudet in mediis contumeliis, non minus tamen, cum res exigebat, in regiis ac militaribus exercitiis fortis et illustris. S. Margareta filia Belæ Hungarorum regis, quinto ætatis anno, cilicinum cingulum tulit, hanc quoque sibi regulam proposuit: Deum ante omnia, et præ cunctis rebus: post eum, proximum diligere: seipsum despicere, contemnere, ac iudicare neminem. Georgius Bohemorum rex eam sibi in uxorem petiit, sed constanter id reiecit, Deoque uni se addixit, ut ait P. Ranzanus in epitome rerum Hungaricarum. Etiam reges, quorum nomina non sunt relata in catalogum Sanctorum, humilitate excelluerunt. Bulesiaus III. Polonorum rex cognomento Crinoustus [sic?], qui, ut facinus in Sbigneum fratrem admissum expiaret, solemne Christianis quadraginta dierum ieiunium, pane et aqua contentus, cilicium indutus exegit, et in Galliam ad D. Ægidii sui tutelaris sepulcrum peregri- [*Boleslai.*]

nationem peregrini habitu suscepit, et *iter magna ex parte nudis pedibus confecit*, quindecim dies apud Divi sepulcrum mansit, alias deinde peregrinationes obiit, ut testatur Salomon Neugebaverus lib. 3. hist. Polon. fol. 92. Lescus eiusdem provinciæ rex ex paupere factus, viles pannos semper ante oculos suos habere voluit, ut memor pristinæ conditionis esset moderatior: rem sic narrat idem Auctor lib. 2. pag. 45. Cum præmissus rex nullum filium hæredem reliquisset, post eius mortem cursus equorum est institutus: ut qui ad metam primus pervenisset, rex esset. Lescus quispiam, cum stadium vafro consilio stratis clam in sabulo ferreis acutis stylis, quibus currentium equorum pedes læderentur, impedivisset, primus ad metam obliquo tramite pervenit. Munierat quoque equi sui calces ferreis soleis: ut si forte in stylos incidisset, non læderetur. Cum iam rex acclamaretur, dolus dignoscitur, ipse damnatur, et concerpitur. Rem notarant duo iuvenes obscuri et tenues, qui pedestri cursu in stadio illo forte cucurrerant ioco inter se principatum pacti. Eorum unus cum primus post Lescum pedes ad metam cum omnium risu venisset, dolo cognito factus est rex, et Lescus appellatus: egregie se in ea dignitate gessit. In publicis sumptibus fuit magnificus, in privatis moderatus: *crassos suos pannos, quibus ante adeptum principatum usus erat, sibi ob oculos in aula poni iubebat*, ut fortunæ pristinæ recordaretur: hæc Neugebaverus. De Christianorum principum humilitate dixi Psal. 44. sect. 3. art. 2.

Et Lesci etiam regum.

Non modo, qui splendore generis effulgent, sed qui scientiarum gloria eminent, ad mentis se demissionem studiose deiicere debent. Insigne exemplum præbet Lainius, primus Soc. Iesu Generalis post S. Ignatium. Cum enim singulari eruditione et dicendi facultate, omnium sociorum esset clarissimus, et Italiæ Provincialis, a S. Ignatio admonitus, quod nimis ardenter conquereretur, evocari Romam e Collegiis operarios, sic ei rescripsit: Cum reddita mihi est Reverentiæ vestræ epistola, habita ad Deum precatione multis cum lacrymis (quod in me rarum est) elegi, et nunc ipsum haud item sine lacrymis eligo ad ista peccata vindicanda, et radices, unde prodeunt, tollendas, *ut R. V. per viscera Domini nostri removeat me ab aliis regendis, et a concionibus habendis, et ab omni litterarum tractatione, relicto solum sacerdotali Breviario, iubeatque Romam mendicantem ire: ibique in culina, aut triclinio, aut horto, aut alio quovis ministerio ultimo: vel si minus ad hæc idoneus sim, in Grammaticæ infima schola contineat, exerceatque usque ad mortem, nunquam respiciens curansque me, nisi ut quisquilias ac peripsema*, ut refert Nicolaus Orland. lib. 12. hist. Soc. Iesu, num. 24. Vocat ille peccata, quæ alius diceret virtutes ac zelum animarum. Qui autem noverit, quantæ esset existimationis et auctoritatis apud principes, Episcopos, Cardinales, ipsosque Pontifices, is tandem intelliget, quanti sit virtus humilitatis facienda.

Lainii viri doctissimi humilitas.

69. Quarto, superbia exaltatos humiliat et deiicit: *Exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.* Ea de re dixi Ps. 36. 36. in illud: *Vidi impium superexaltatum et elevatum, sicut cedros Libani: transivi, et ecce non erat.* Salomon etiam id sciebat, qui ait Prov. 16. 18. *Contritionem præcedit superbia, et ante ruinam exaltatur spiritus.* Deus ipse loquens Iobo, de turbine, ait cap. 38. 15. *Auferetur ab impiis lux sua, et brachium excelsum confringetur.* Isa. 13. v. 19. dicitur de superba Babylone a Persis deiicienda: *Erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum: sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorrham,* etc. c. 14. describitur ruina Balthasaris regis eius ultimi, sub typo Luciferi superbientis, atque e cælo deiecti. S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus, qui floruit circa ann. 1445. in parte 2. sui Chronici generatim dicit: *Nemo mundanam, miseria absque aliena, adeptus est gloriam.* Recte addideris, nec sine propria: nam sibiipsi nocet appetens gloriæ. Funambulis semper periclitantibus, et sæpe misere cadentibus superbos compara. Nicephorus Gregoras lib. 8. fol. 36. mira narrat de quibusdam

Superbia humiliat exaltatos.

A præstigiatoribus Ægyptiis. Ex unius, ait, mali cacumine, modo uno pede stabant, modo capiti insistebant pedibus in aerem sublatis, post subito saltu facto, unaque manu fune fortiter comprehenso inde pendebant; et ita sæpe sese rotabant, et circumagebant sursum versus cælum, et infra versus terram, trochi in morem. Deinde crure inflexo, manus vice, fune prehenso, supini dependebant, atque ita rursus eodem modo se circumagebant. Mox recti in medio fune stantes, arrepto arcu et sagittis, in scopum eminus positum collimabant, ita solerter, ut qui humi consisteret, melius non posset. Deinde, clausis oculis in humeros accepto puero in sublimi fune ambulabant, ab altero fune in alterum. Plurima prorsus miranda deinde narrat, sed subdit: Sæpe præcipites pereunt. Nam cum quadraginta ex Ægypto venissent, restabant tantum viginti: vidi ego unum e malo lapsum interire: ita Gregoras. Quantus porro dolor sit superbis ex alto fastigio decidere, docuit Sclerus, qui, cum de pacis conditionibus ageret, cogereturque imperio deposito privatam vitam agere, osteu-

Funambulis Ægyptiis similes superbi.

B so calceo coccineo dixit: Αδυνατον τον απαξ τουτο υποδεξαμενον ραον αποβαλλειν; Impossibile est hunc semel assumptum facile abiicere.

Contra vero humilitas exaltat. Prov. 15. 33. *Gloriam præcedet humilitas.* Et Christus ipse dixit Luc. 14. 11. *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* S. Aug. serm. 47. de diversis, ait gradum ad exaltationem essa humilitatem: *Omnes, ait, delectat celsitudo, sed humilitas gradus est. Qui quæritis apicem sublimitatis, potestis bibere calicem humilitatis?* hæc ipse. S. Fulgentius ad Monimum lib. 1. cap. 18. Voluntas, ait, sicut fit elatione humilis, sic fit humilitate sublimis: hæc ipse. Socrates dicebat: Non est pulchrior via ad gloriam, quam si quis sit virtutis studiosus, ac bonus, et videri nolit. Ratio præcipua illius exaltationis petitur a Deo sibi in humilibus placente. Cornelius Vishavæus Soc. Iesu, ad humilitatis commendationem dicebat: Gaudere Deum res ex nihilo facere: quod his modus infinitæ eius virtutis sit proprius, et clarius eam pro- 70.

Humilitas exaltat.

C dat, ut ait Franciscus Sacchin. lib. 3. num. 56. Vidimus supra, funambulos, qui sunt typus superborum, exaltatione sua misere perire: consideremus nunc piscatores gemmarum, qui sunt symbolum seipsos humiliantium, deiectione sua ditescere. Petrus Bizarus lib. 12. hist. Persicæ pag. 323. modum piscandi gemmas narrat, quem non erit iniucundum audire: In sinu, inquit, Persico margaritas et uniones sic piscantur. Urinatores vecti cymbis, in mare iactum faciunt prægrandis saxi dependentis fune: idque fit a gemina cymbæ parte, ut utrinque iactis in profundum lapidibus, constabiliri navis, non aliter, quam si in anchoris foret, possit. Firmata suo pondere cymba, alius, cui id munus obtigit, in æquor iacit funem saxo dependentem. In navi media alius, mantica in pectus tergumque dependente, alligato pedibus lapide, se vibrat in pelagus, subtusque aquas urinantium more natat, actusque in profundum ad passus quindenos tantisper urinat, donec legerit conchas, in quibus delitescunt uniones ac margaritæ: collectas manticæ indit, lapidemque protinus, quo pe-

Piscatori gemmarum similis est humilis.

D des gravabantur, abiicit, funique innexus in superiora evadit: ibi quoque ad trecentum ferme navigiorum genera comperiuntur, quæ undecumque contendunt: hæc Bizarus. Si vis gemmis virtutum collucere, in mare afflictionum et humiliationis demergaris necesse est: lux et gloria ab humilitate effulget.

Nota, Christus in cruce exaltatus et humiliatus amatores crucis exaltat, et sibi unit. Ioan. 12. 32. *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Addit Evangelista, eum his verbis significasse, qua morte esset moriturus. S. Gregor. Nyssen. vocat crucem universitatis vinculum, quo scilicet totus mundus Deo et Christo uniatur. Verba eius sunt orat. 1. de Resurrectione: Cælum suspice, et partes infimas animo complectere, extremosque ac summos orbis terminos cogitatione comprehende, atque considera, quænam potentia, *tamquam universitatis vinculum*, hæc omnia devinciat atque contineat: vide- 71.

Crux exaltat.

Est vinculum universitatis.

bisque sponte sua, in ea divinæ potentiæ contemplatione, A crucis figuram exprimi in animo ac mente tua, a superis ad inferos, ab extremis ad extrema protensam atque descriptam. Figuram hanc magnus etiam David de se loquens expressit: Quo ibo, inquit, a spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum (hæc est sublimitas crucis) tu illic es. Si descendero in infernum (hoc est, in profundum) ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, id est, ad ortum solis (hæc est latitudo) et habitavero in extremis maris, sic enim occasum appellat (hæc est longitudo). Cernis quomodo crucis figuram describat: Tu es, inquit, qui per omnia commeas, qui cuncta devincis, qui in teipso comprehendis universa, tu supra es, tu es infra. In hac extrema parte, manus est dextera tua: in hac, sinistra. Ob id magnus item Apostolus, cum omnia fide et cognitione repleta fuerint fore dici, ut is, qui super omnia est, in nomine Iesu Christi adoretur, et a cælestibus, et a terrestribus, et ab inferis. Quibus verbis per crucis figuram dividit Christi adorationem. Cælestis enim regio partem sublimiorem: terrestris ambas medias: inferna profundam continet: ita Nyssenus.

Theophanes Cerameus ait, crucem esse scalam Iacob, per quam ad Deum ascendamus. Sic enim orat in exal-
Et scala Iacob. tat. Crucis: Figura crucis, inquit, *scala Iacob:* fastigium virgæ Ioseph, arca Mosi, virga Mosi, virga Aaronis frondens, clavus Iahelis, etc. S. Hieronymus in Ps. 98. Ego, inquit, puto crucem Salvatoris illam esse scalam, quam vidit Iacob. In ista scala descendebant angeli, et conscendebant. In ista scala, hoc est, cruce, descendebant Iudæi, et conscendebant Gentiles: ita Hieronymus. Hortatur nos ad illam scalam conscendendam S. Sophronius Constant. Patriarcha orat. 1. de exaltatione venerandæ Crucis: Memoria, inquit, crucis agitur, quis hominum seipsum non crucifixerit? hunc enim Deus pro maxime legitimo et germano adoratore agnoscit, qui seipsum mundo crucifixit: quique opere ipso suum erga crucem cultum et amorem comprobat. Crux in altum attollitur, quis a terra in altum mystice se non attollet? Nam ubi liberator in altum effer- C tur, ibi oportet, ut is qui liberatur, pariter ascendat, desiderio semper cum Servatore versandi, semperque permansurum auxilium ab eo accipiendi: hæc Sophronius.

Guilielmus Abbas crucem vocat gloriam suam. Sic enim ait in Meditationibus: *Ad crucifixum conversio mea. Crux eius gloria mea, quia frons mea insignitur, hilarescit mens, dirigitur vita, mors amatur.* S. Athanasius ser. de cruce, illam vocat triumphatricem mortis. S. Ignatius epist. ad Philippenses ait, crucem esse trophæum victoriale. Princeps, inquit, huius mundi gaudet, cum quis crucem negaverit. Cognoscit enim crucis confessionem suum esse ipsius exitium. Hoc enim ἐστι τὸ τρόπαιον, *est trophæum contra eius potentiam,* quod ubi viderit, horret, et audiens timet. Origen. hom. 18. in diversis: Trophæa ipsa, inquit, et victoriæ triumphorum, ornatæ cruces sunt, quas non solum in frontibus, sed etiam in animabus nostris habere debemus: ut, cum sic armati fuerimus, calcemus super aspidem et basiliscum in Christo Iesu: hæc Origenes. Crux ipsis regibus et Imperatoribus ornamento est. Olim inter D Asiaticos Scythas, qui hodie sunt Tartari, in provincia Natail, quam Scythiam extra Imaum collocat Ptolemæus, recentiores Catayum vocant, fuisse principem Christianum asserunt inter Asiæ principes potentem in primis, quam
Presbyter Ioannes, seu Preto Ioannes crucem præfert. Tartari ethnici vocant Uncham: populares eius Christiani Ionannm, detorto ab Iona Propheta nomine nuncuparint, eumdemque quod crucem in otio tranquillisque rebus, ut prodidit Antoninus, indicem susceptæ tutelæ pro Christi fide gestaret, *quam sub armorum strepitu geminabat:* alteram solido ex auro, alteram pretiosis ex gemmis atque lapillis oneratam præferens: ut significaret se et opibus et nobilitate cæteris orbis terræ principibus anteire, et Christianæ religionis propugnatorem esse: inde sibi speciosum presbyteri nomen apud nostros invenisse. Hunc igitur verum aiunt esse inclytum olim presbyterum Ionanum, eamque deinceps appellationem ad cæteros eius gentis princi-

pes dimanasse, ut Cæsarum apud Romanos, ut refert Nicolaus Orlandinus lib. 14. hist. Societ. num. 104. Mallem a Ioanne nomen illud Presteiannis seu Preto-Ioannis derivare. Habr. enim *Iohanan* dicitur Ioannes. Illius porro Et Abassiæ imperator. imperii tantam fuisse amplitudinem ferunt, ut Septuag. duobus regibus imperaret: sed post susceptam Nestorii hæresim, florentissimum Imperium prope ad nihilum recidit. Nunc Abassinorum Æthiopum Imper. in Africa abusione vulgi vocatur Presteiannis, quod hic quoque rex venerandæ crucis insigne, velut avitæ religionis et ipse defensor ubique circumferat.

Crucem et nos ubique habeamus, eam semper præferamus, velut scutum inexpugnabile, ac triumphale Regis nostri vexillum, illi hæreamus, et ab ea separari nos nunquam permittamus. Pater Antonius de los Reyes Ordin. Verus crucis amator Antonius de los Reyes. Minimorum magnus crucis amator extitit, curabat se non raro cruci ligneæ, quam habebat, illigari, in eaque nonnunquam tres quatuorve horas, nonnunquam dimidiatum diem permanebat. Neque hanc tantum, sed asperiores B cruces subibat. Nam catena ferrea sex ramis horrenda corpus suum cruentabat: eumque hæc mortificationis instrumenta in eius cubiculo reperiebantur, dicebat ea se habere ad asinum sibi commissum (corpus intelligebat) gubernandum. Ut plurimum magister erat novitiorum: post lectionem datam ab iis se flagellari usque ad sanguinem curabat, idque recusantibus pro iure suo imperabat: ex quo religiosam vestem sumpsit, in lecto nunquam decubuit: sed innixus lapidi aut tigillo ligneo, aut in Ecclesiæ choro (quod ut plurimum faciebat) brevem somnum ante matutinas preces capiebat, reliquam in oratione noctem traducens. In obedientiæ cruce ita constans fuit, ut, cum aliquando sacrista circa undecimam illum in templo reperiens, dixisset: Ne egrederetur, dum ipse rediret, idque e memoria excidisset, ibi ad vesperas usque perstiterit, neque inde egredi voluerit, donec illi sacrista imperasset: cui propter oblivionem tristi arridens vir sanctus, ait: Hoc pro nihilo ducendum esse, sicut narrat Ludovicus Dionys. Dattichy, lib. 4. hist. Minim. p. 538. Dic tu etiam cum Paulo Galat. 6. 14. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.*

ARTICULUS IV.

Crux nos liberat ab hostibus, quibus circumdamur, et ab omni terrore.

Quam iustam conturbationis causam habuerit Christus patiens et crucifixus, declarat ipse v. 18. IN ME TRANS- Vers. 18.
IERUNT IRÆ TUÆ, ET TERRORES TUI CONTURBAVERUNT ME.

Vers. 19. CIRCUMDEDERUNT ME SICUT AQUA TOTA DIE, Vers. 19.
CIRCUMDEDERUNT ME SIMUL.

Et vers. 20. ELONGASTI A ME AMICUM ET PROXIMUM Vers. 20.
(S. Hieron. et sodalem) ET NOTOS MEOS A MISERIA, mea scilicet: quia omnes Apostoli, noti mei ac familiares me relicto fugerunt: et Iudas amicus meus et proximus me prodidit. Vide dicta supra v. 9. Hebr. est hic, notos meos a tenebris, sed idem est sensus: nam tenebræ sunt symbolum miseriæ et calamitatis.

Nota, Christus in se susceperat luenda peccata nostra, 72.
Christus scelera nostra luens timet. ideo eum Deus exterret. Terrores enim immittit ob scelera: sive intus in animo, sive externos hostes barbaros atque terrificos. Attila, Tamerlanes, et Scythæ vocantur hyperborei terrores, quod a partibus septemtrionalibus in varias provincias se effuderint, easque terrore compleverint. Attila quidem rex Hunnorum dicebat, sese a Deo Hyperborei terrores. missum esse ad Christiani nominis memoriam ex orbe delendam: ideoque dici se *flagellum Dei:* fertur supra viginti hominum millia sua manu occidisse: suis autem copiis ad octigenta millia, ut ait Rauzanus in epitome rerum Hungaricarum. Tamerlanes vocabat se iram Dei. Scythæ semper fuerunt velut gladii in vagina reconditi, quos subinde extrahit Deus, ut orbem sceleratum puniat. Varia flagella variis temporibus immittit Deus. Scelerus in orientis imperio tyrannidem occupavit, visione monachi

virtutis studiosi excitatus. Sibi enim visus erat in somnis videre mulierem quamdam in sublimi specula sedentem, quæ illi *flagellum imperatorium* porrigeret. Quod flagellum iram Dei at Romanorum ex intestinis bellis interitum significabat. (Sceleri flagellum.) Cum Sclerus primo Imperatoris exercitum vicisset, tandem victus est, et in ordinem redactus, atque curator palatii designatus, ait Zonaras iu Basilio Porphyrogenito, tom. 3. pag. 173. Familiara poetis est, ait Lorinus, usurpare ultrices deas, et σεμνας, id est, venerandas, graves, Nocta at Acheronte genitas: item Diras, Pœnas, Eumenidas, hoc est, implacabiles, per antiphrasim, epimenidas, erynnias, malos genios, seu ἀλάστορας, sau infestos dæmones, et Furias; famulas Ditis, Alecto, Tisiphonem, Megæram, Parcas etiam, quod minime parcant: Clotho, Lachesin, Atropon: hæc ille. Veri terrores, sunt crudeles reges. Amuratbes Turcarum Imperator sic inscribebat litteras suas: Amurathes deus terræ, gubernator mundi universi, nuntius Dei, fidus servus magni prophetæ Mahumeti, etc. testa Bizaro in hist. Pers. lib. 11. pag. 298. Quantus esset orbis terror, disce ex Thoma Minadoo lib. 1. belli Turco-Persici, pag. 527. qui sic ait: Mustafa dux exercitus eius in Persas movens, quingenta minora tormenta secum asportavit. Obtenta victoria quinque millia capitum, quæ ex barba et facie fuisse Persarum cognoscebantur, et ter mille Persas vivos ad Amuratbem misit. Ille in lætitiam effusus captivos omnes capite plecti iussit, et remotis truncis, capita in formam propugnaculi disponi. Hæc permittit iratus Deus. Isa. 9. 19. *In ira Domini exercituum conturbata est terra, et erit populus quasi esca ignis.*

73. (Scelerati sunt timidi.) Nota secundo, timidi sunt scelerati. Sap. 17. 10. *Timida nequitia ad testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia. Nihil enim est timor, nisi proditio cogitationis auxiliorum*, etc. Rahab terrorem impiorum Chananæorum aperit exploratoribus, Iosue 2. 9. Auctor Ecclesiastici declarat generatim timores sceleratorum cap. 20. 2. et seq. S. Aug. in Ps. 45. dicit, malam conscientiam esse tribulationem maximam. Verba eius sunt: Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est maior tribulatio, quam conscientia delictorum. (Conscientia mala est maxima tribulatio.) Namque si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis, quod conscientia vocatur, ubicumque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiat, et ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non est, propter abundantiam iniquitatis, quid facturus est homo? quo confugiet, cum cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, a publico ad domum, a domo ad cubiculum, et sequetur tribulatio. A cubiculo iam quo fugiat non habet, nisi interius ad cubile suum. Porro si ibi tumultus est, si flamma sceleris, non illuc potest confugere: pellitur enim inde, et cum inde pellitur, a seipso pellitur: et ecce hostem suum invenit quo confugerat. Seipsum quo fugiturus est? hæc Augustinus. Anger Iapon scelere aliquo commisso nusquam nisi in Christi fide potuit quiescere. Balthasar, Herodes, Nero, Theodoricus funesta sunt terroris a Deo immissi axempla. (Anastasii Imp. terror.) Anastasius Dicorus orientis Imperator hæreticus, vidit in somnis virum terribilem, qui librum gestans diceret: Ecce ob perversitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ tuæ deleo. Et quia fatale sibi esse audiverat, ut fulmine interiret, Tholotum ædificium construxit, in eoque degit, sed frustra. Nam cum aliquando tonitrua horrendum in modum resonarent, et fulgura multa eliderentur, atque ipse territus e cœnaculo in cœnaculum descenderet, et alios atque alios thalamos subiret, in quodam regio cubiculo mortuus est inventus. (Et Fonsecæ ducis.) Fonseca arcis cuiusdam in India præfectus Lusitanus, ita sibi timebat, ut non die, non nocte arma deponeret: *nihil ab ullo porrectum, nisi manu sinistra acciperet, quo alteram ad stringendum gladium expeditam haberet*: et, quod in conscientia magnorum scelerum accidit, umbras horreret. Interdum etiam congressus hominum vitabat ac lucem: et in solitudinem abditus, statum rerum suarum tacitus, apud se deflebat: occiderat Pereriam præfectum, et omnibus erat odiosus, testatur Ioan. Petr. Maffæus lib. 10. pag. 280. Badurius

A Cambaiæ rex suis ita erat invisus, ut scelerum magnorum sibi conscius, cibum ipse manibus suis sibi pararet, sicut tradit idem Maff. lib. 11. pag. 308. Vide dicta Ps. 13. 5. in illud: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

Nota tertio, iustis non desunt sui timores. Primo, quia nullus est ita iustus, qui dicere audeat se peccatum non habere, se esse in Dei gratia, se in ea perseveraturum atque moriturum. 74. (Iusti etiam timent.) Itaque dicitur omnibus Ps. 2. 11. *Servite Domino in timore.* Secundo, timet iustus ac terretur quia Deus illum vult humiliare, et ob præterita peccata punire, atque ab amore huius terræ abstrahere. Iob 6. 4. conqueritur: *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me.* Et cap. 16. 14. *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, et effudit in me viscera mea.* S. Aug. serm. 111. miseriam hominum deplorat, qui etiam amarum mundum ament. O infelicitas, ait, generis humani, amarus est mundus, et diligitur: putas si dulcis esset, qualiter amaretur? Turbatur mundus, et amatur mundus: B quid si tranquillus esset mundus? Formoso quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores eius quomodo colligeres, qui a spinis non revocas manum? hæc Augustinus.

Tertio, timet vir iustus, quia se videt a multis impiis hominibus, dæmonibus et vitiis unum circumcingi. 75. (Cingimur undique hostibus.) Sap. 2. 12. dicunt: *Circumveniamus iustum.* Iob id sentiebat, cum dicebat cap. 19. 12. *Simul venerunt latrones eius, fecerunt sibi viam per me, et obsederunt in gyro tabernaculum meum:* hoc est, corpus meum. S. Cyprianus lib. de mortalitate, pugnam illam cum vitiis sic describit: Quid, ait, aliud in mundo, quam pugna adversus diabolum quotidie geritur, quam adversus iacula eius et tela conflictationibus assiduis dimicatur: cum avaritia nobis, cum impudicitiis, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua et molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, et undique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit: si avaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: C si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam scelus abscindit, etc. hæc Cyprianus.

Comparari potest illa animæ circumvallatio obsidioni Samariæ urbis per Benadad, 3. Reg. 20. 1. *Porro Benadad rex Syriæ, congregavit omnem exercitum suum, et triginta duos reges secum, equos et currus: et ascendens pugnabat contra Samariam, et obsidebat eam.* Compara etiam obsidioni Citoris civitatis regni Sangæ. (Obsidio Citoris.) Civitas illa edito loco duodecim millia passuum obtinet ambitu, propter maiestatem ac pulchritudinem, licet arroganti vocabulo, *mundi umbella* (id enim Citor gentis lingua significat) appellatur. Hanc urbem Cambaiæ rex Badurius aggreditur, quod tributum negaret. Erant illi sub signis equitum centum et quinquaginta millia, e quibus erant gravis armaturæ triginta: peditatus quingentorum millium explebat summam: in iis externi variarum nationum ad quindecim millia, id erat exercitus robur. Ferracas et Abassinos, alii præfecti. D Turcas trecentos Mustafa ducebat. Accesserant Christiani captivi, demptis ad militiam vinculis, non plus octoginta: Quinquaginta Lusitani, Galli reliqui. Curulia tormenta mille ex ære: ex iis vastæ magnitudinis quatuor basiliscos, intremente solo, centena singulos boum iuga trahebant. Hisce addita sulphurei pulveris pilarumque plaustra quingenta, turriti elephanti amplius ducenti, quaternas alii minores fistulas, maiusculas alii binas, totidemque milites dorso vectabant. Signato in stipendium auro argentoque, vehes onustæ quingentæ. Clementina Sangæ regina virili animo fœmina, instar Amazonum pugnare solita, duo equitum millia, et triginta peditum in urbe Citore continebat: urbs tamen capitur, ut refert Maff. lib. 11. pag. 301. Cor hominis una manu comprehendi potest, et tot millia obsidentium habet, quomodo fieri potest ut resistat? microcosmus est, non tantum mundi umbella: ideo illi ab hostibus invidetur.

Secundo, illa humanæ animæ circumvallatio comparari

potest circumvallationi navis in mediis fluctibus: *Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.* Sæpe sumit David comparationem a fluctibus circumdantibus, ut Ps. 17. 17. Ps. 31. 6. Ps. 65. 12. Ps. 68. 2. sed horribilius est, cum præterea monstris cingitur navis et impetitur. Memorabile est quod narrat Maff. lib. 7. pag. 203. Classis, inquit, navium novem duce Georgio Britto, dum ex Lusitania Indiam petit, celsior Rotherici Vasæi Pereriæ, in medio cursu repente, veluti fræno equus adducto, ita substitit, magno cum aquæ sonitu ac motu, qualis ubi in vada ac syrtes incurritur, edi solet. Nautæ demissa bolide, profundum mare reperiunt. Cum inflatis vento velis hæreret, admotis ad marginem luminibus, impiexam alveo ingentem belluam vident. Carinæ centum et quinque dodrantium magnitudine, applicuerat corpus: cauda gubernaculum illigarat, alis immanibus latera ad summum usque cingebat: quas iam in alas per imprudentiam nonnulli manus iniecerant. Ut vero dolii magnitudine vasto hiatu caput extulit, infernum monstrum credidere. Erant qui contis et iaculis, balistisque depellendum suaderent cetum: alii contra, dicebant fore, ut agitatione navem everteret. Ad preces et vota concursum. Sacerdos cum linteo et stola, et signo crucis in medium prodiit: ab eo sacris carminibus et exorcismis delinita bellua (mirum dictu) nulla cuiusquam noxa relicto vestigio, cum e portentosis narium fistulis ingentem reflasset vim aquæ, sese admodum placido lapsu in mare demersit: hæc ille. Fluctibus et belluis, hoc est, passionibus et dæmonibus corpus et anima nostra cinguntur, Dei auxilio per orationes impetrato opus est, nulla vis humana sufficit ad victoriam, et ad navigationem securam. Illi dicendum est cum Davide Psal. 143. 7. *Libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.* Classis Rossica decies et quinquies mille navium urbem Constantinopolim aggressa esse dicitur, Imperatore Romano Lacapeno, quam tamen Romana classis profligavit, ut ait Zonaras tom. 3. Annal. in Romano, pag. 153. An error sit in numero, ipse viderit: sed longe plures sunt dæmones, qui in Ecclesiæ navim et civitatem insurgaut, et quotidie nos impetant. Non timet tamen Pharaonem et Ægyptios se insequentes vir fortis, sed in ipso mari securus est, et per illud transit ad terram promissam, Exod. 14. 22. *Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris. Erat enim aqua quasi murus a dextra eorum et læva.* Claudius Iaius unus ex decem primis Patribus Soc. Iesu, cum in Germania cruces et pericula undique intentarentur, gaudio triumphabat, et minitantibus prærupta Danubii, dicebat: Se tam facile aqua, quam terra in cælum iturum, ut refert Nicol. Orlandin. lib. 3. n. 62.

Navis ab uno monstro comprehensa.

Portentosa classis.

Crux Christi tollit vanos timores.

76. Nota quarto, crux Christi tollit vanos timores. Primo enim, dat desiderium patiendi. S. Xaverius adeo crucis amans erat, ut ab eo solvi nollet. Cum navis toto triduo fœda tempestate iactaretur, in ipso mortis instanti periculo orabat Deum, ne se prorsus ab eo periculo vindicaret, nisi ad paria aut graviora propter eius obsequium gloriamque pericula reservaret. Secundo, crucis amans in uno Deo spem suam collocat. Idem S. Xaverius in Iaponiam iturus ethnico naviculario se credit spe in Deum fretus, quam non mediocriter confirmabat S. Ignatii dictum, quod propositum semper habebat, Societatis hominibus enitendum esse, ut seipsi vincerent, timoresque ab sese omnes abiicerent, qui Dei fiduciam minuerent, impedirentque, quo minus spem omnem in uno Deo reponerent ac locarent: cuius quidem assequendæ spei gratia vias omnes indagandas: ipsum tamen fiduciæ fundamentum siquidem Dei munus est, collocandum utique esse in eo, cuius ad arbitrium ea plerumque fiducia, iis qui vicerint, impertitur. Tertio, crux tollit timores, quia fugat ac terret dæmones. S. Cyrill. Ierosol. catech. 13. *Crux,* inquit, σημειον πιστων, και φοβος δαιμονων, *signum fidelium, et terror dæmonum.* Quemdam cunctantem et tergiversantem tandem induxerat Caspar Barzæus ad evomendam animi saniem, cum peccatorum enumeratio dies aliquot absumpsisset, pridie quam beneficium absolutionis reciperet, dum circa

S. Ignatius monet timores spe in Deum vinci.

noctem mediam impositam a patre pœnam persolvit: ecce felibus, muribus, aliisque animalibus cubiculum repente completur. Cohorruit homo ad tam dirum spectaculum, et peccatorum conscius, ne vivus in tartarum abriperetur, extimuit. Deinde ubi se ex pavore collegit, detractam e pariete Christi redemptoris imaginem arcte complexus, magno clamore divinum numen implorat. Ad eas voces monstra illa repente diffugiunt, tanto cum strepitu fremituque, ut domus tota concuti et convelli funditus videretur. Quibus ille spectris admonitus, quarum se bestiarum similem effecisset flagitiose vivendo, studuit in humana specie deinceps hominum more vivere, non vitam imitari bestiarum. Aliud adhuc notabilius refertur in Annal. Minorum. B. Sylvester Assisias modum et vitam S. Francisci et fratrum suorum humano spiritu cum abhorreret, vidit in somnis totam Assisii civitatem a dracone magno circumdari, præ cuius magnitudine tota regio videbatur peritura. Videbat deinde *crucem auream* ex ore procedentem S. Francisci, cuius summitas cælos tangebat, cuiusque brachia protensa in latum, usque ad mundi fines videbantur extendi: ad cuius etiam aspectum præfulgidum, *draco ille teter et horridus penitus fugabatur.* Paulo post est Ordinem ingressus. Quarto, crux fu- 77.
gat vanos timores, quia est armatura optima. S. Ephrem lib. de vera pœnitentia, cap. 3. Crux, inquit, est inseparabilis Christianorum armatura. S. Theodoretus Studita orat. 2. de Adoratione crucis: Invictissima, inquit, militantium ducum virtus, exercituum excitatio est. 1. Clypeus est, ut circumdantibus ab hostibus nos protegat. S. Ioannes Damasc. lib. 4. cap. 2. Crux, ait, est clypeus et armatura, et trophæum in dæmones. 2. Est sagitta eos transverberans. S. Chrysost. eam vocat βελος αορατον, sagittam invisibilem. 3. Est gladius. S. Franciscus Romam pergens cum suis, obvium habuit in civitate Reatina nobilem quemdam militem Angelum Tancredum nominatum, cui licet antea ignoto, Dei instinctu dixit: Domine Angele, baltheum, ensem, et calcaria militaria sat longo cinxisti tempore, oportet te modo ferre pro cingulo rudem funem, *pro ense Christi crucem,* pro calcaribus pulverem et lutum platearum. Me ergo sequere, et faciem te militem Christi. Mirabile dictu: statim Spiritus sancti gratia adeo cor hominis ad suam flexit voluntatem, ut omnibus continuo relictis, virum Dei secutus sit, et sequenti die paupercula leucophæa veste se humiliter induerit, duodenariumque Franciscani collegii numerum compleverit. 4. Crux est omnis armatura. S. Martialis Epist. ad Burdegal. cap. 8. *Crux,* inquit, *armatura invicta contra Satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem et angelicas insidias perversæ potestatis, propinquare sibi nullo modo sinens. Hoc solo signo cælestis victoria data est nobis:* hæc Martialis. S. Chrysost. tom. 6. serm. de Adoratione crucis, pag. 613. ait esse, φρουριον ασφαλες, inexpugnabile præsidium, ensem, clypeum, loricam, galeam, ocreas, portum, refugium, coronam, præmium certaminis, αγαθων απαντων θησαυρον, *omnium bonorum thesaurum,* et quæ nunc sunt, et futurorum. Serm. 32. tom. 5. vocat crucem, αγιων τειχος, id est, murum sanctorum. S. Cyrillus Ierosol. catech. 13. dicit esse, μεγα φυλακτηριον, magnum propugnaculum: itaque dicit esse adhibendam in cibo, in potu, in ingressu, in exitu, ante somnum, in excitatione a somno, cum ambulamus, cum quiescimus. Quare ab hostibus undique circumdati, illo nos vallo muniamus, et sine timore Deo nostro securi serviamus. Monasterium S. Claudii Legionensis in Hispania nunquam expilatum est. Almansor dux Maurorum cum illud vastaturus irrueret, Abbas erecta dextera signum crucis, velut murum aut telum furentibus obiecit: tum equus, cui insidebat, crepuit medius; quo prodigio territus, militibus iam ingressis, et prædæ inhiantibus, retuit. ne quid attingerent, ut ait Andreas de Yepes in chron. Ord. S. Benedicti, an. 554. pag. 460. Sub crucis vexillo militemus, ducem invictum sequentes perire non possumus. Horatius solus totum Porsennæ

Crux est armatura.

Hetruscorum regis exercitum sustinuit in ponte, et ne Romam caperet, impedivit, donec alii se ad pugnandum comparabant. Hoc etiam de Marulla virgine refert Baudier, lib. 7. hist. Turcar. pag. 134. Cum enim Solymanus Imp. Turcarum obsideret Coccinum in Lemno insula, occiso a Turcis patre, portam urbis sola propugnavit. Sumptis enim patris armis, ense scilicet ac clypeo, impetum eorum sustinuit: deinde ab aliis adiuta eos ad naves usque insecuta est. Lauretanus duplex illi stipendium numerari iussit, a singulis ducibus aureum, et optionem dedit, ut quem vellet ducum, sibi in maritum eligeret: illa generoso animo respondit: Se pluris prudentiam, quam robur viri facere, neque se ullum ducturam, cuius ei prius virtus probata non esset: hæc ibi. Christus solus omnes dæmones et homines non sustinere modo, sed profligare potest; tu eo duce quid times?

Marullæ puellæ fortitudo.

PSALMUS OCTOGESIMUS OCTAVUS.

1. Intellectus Ethan Ezrahitæ.

2. Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.
3. Quoniam dixisti: in æternum misericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.
4. Disposui testamentum electis meis, iuravi David servo meo: usque in æternum præparabo semen tuum.
5. Et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam.
6. Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.
7. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?
8. Deus qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus et terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt.
9. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo.
10. Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.
11. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.
12. Tui sunt cæli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem eius tu fundasti: aquilonem et mare tu creasti.
13. Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.
14. Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua: iustitia et iudicium præparatio sedis tuæ.
15. Misericordia et veritas præcedent faciem tuam: beatus populus qui scit iubilationem.
16. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die: et in iustitia tua exaltabuntur.
17. Quoniam gloria virtutis eorum tu es: et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.
18. Quia Domini est assumptio nostra: et sancti Israel regis nostri.
19. Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti: Posui adiutorium in potente: et exaltavi electum de plebe mea.
20. Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum.
21. Manus enim mea auxiliabitur ei: et brachium meum confortabit eum.
22. Nihil proficiet inimicus in eo: et filius iniquitatis non apponet nocere ei.
23. Et concidam a facie ipsius inimicos eius: et odientes eum in fugam convertam.
24. Et veritas mea et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu eius.
25. Et ponam in mari manum eius: et in fluminibus dexteram eius.
26. Ipse invocabit me: Pater meus es tu: Deus meus et susceptor salutis meæ.
27. Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ.
28. In æternum servabo illi misericordiam meam: et testamentum meum fidele ipsi.
29 Et ponam in sæculum sæculi semen eius: et thronum eius sicut dies cæli.
30. Si autem dereliquerint filii eius legem meam: et in iudiciis meis non ambulaverint:
31. Si iustitias meas profanaverint: et mandata mea non custodierint,
32. Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.
33 Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea:
34. Neque profanabo testamentum meum: et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.
35. Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar: semen eius in æternum manebit.
36. Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum: et testis in cælo fidelis.
37. Tu vero repulisti et despexisti: distulisti Christum tuum.
38. Avertisti testamentum servi tui: profanasti in terra sanctuarium eius.
39. Destruxisti omnes sepes eius: posuisti firmamentum eius formidinem.
40. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.
41. Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos eius.
42. Avertisti adiutorium gladii eius: et non es auxiliatus ei in bello.
43. Destruxisti eum ab emundatione: et sedem eius in terra collisisti.
44. Minorasti dies temporis eius: perfudisti eum confusione.
45. Usquequo Domine avertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?
46. Memorare quæ mea substantia: numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?
47. Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?
48. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut iurasti David in veritate tua?
49. Memor esto Domine opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.
50. Quod exprobraverunt inimici tui Domine: quod exprobraverunt commutationem Christi tui.
51. Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.

PSALMI OCTOGESIMI OCTAVI ANALYSIS.

Propheta noster, sive in sua, sive in populi captivitate detenti persona, predicat:

- Promissionem regis Messiæ a Patre, qui
  - Laudandus
    - Ob misericordiam. 2.
    - Et veritatem. 2.
  - Admirandus
    - Ob æternitatem illius misericordiæ. 3.
    - Et veritatis. 3.
  - Fidelis
    - Electis omnibus, quibus Messiam promisit. 4.
    - Et Messiæ ipsi
      - Cuius filios in æternum conservabit. 4.
      - Et thronum regium. 5.
- Messiam ipsum a creaturis omnibus suscipiendum, velut Dominum:
  - A cælis
    - Laudantibus eius mirabilia. 6.
    - Et veritatem. 6.
  - A nubibus, in quibus
    - Ascendens, fulgebit præ omnibus. 7.
    - Laudabitur a Sanctis cum eo ascendentibus. 8.
    - Terribilis postea erit, orbem iudicans. 8.
    - Gloria superabit omnes homines, et angelos. 9.
    - Potestate et veritate cingetur. 9.
  - A mari, cuius
    - Potestati dominatur. 10.
    - Fluctus compescit, cum vult. 10.
    - Iram excitat
      - Ut superbum ad rupes allidat. 11.
      - Et ventis hac illac dispergat. 11.
  - A cælis, quorum est Dominus. 12.
  - A terra, cuius
    - Creator
    - Et rector
      - Sive aquilonem. 12.
      - Sive austrum. 12.
      - Sive orientem. 13.
      - Sive occidentem spectes. 13.
- Illum orat, ut regem se probet:
  - In throno sedens, ubi
    - Sceptrum tenet. 14.
    - Iustitiam exercet. 14.
  - E throno assurgens
    - Præduce misericordia et veritate. 15.
    - Populis sequentibus et laudantibus. 15.
  - In pace suos iuvans
    - Lumen intellectui infundendo. 15.
    - Lætitia voluntatem complendo. 15.
    - Facultates omnes ad Deum erigendo. 16.
  - In bello corroborans
    - Ut cum laude fortiter certent. 17.
    - Cum facilitate vincant. 17.
    - Victores in cælum assumpti coronentur. 18.
  - Promissus sanctis
    - Potens in hostes futurus. 19.
    - Exaltandus præ omnibus. 19.
  - Rex omnium
    - Servus Dei. 20.
    - A Deo unctus. 20.
  - A Deo adiutus
    - In rebus facilibus. 21.
    - Et in arduis. 21.
  - Inimicorum victor
    - Qui impediuntur, ne noceant. 22.
    - Conciduntur, ut in fuga pereant. 23.
- Felicitatem et potentiam eius aperit:
  - In seipso, qui
    - Fama celebris
      - Veritate et misericordia eum comitantibus. 24.
      - Et robur eius gloriamque augentibus. 24.
    - Late dominans
      - A mari australi et occidentali. 25.
      - Usque ad flumina septemtrionis et orientis. 25.
    - Charitate mirabilis, qua
      - Deum ipse patrem agnoscit ac servatorem. 26.
      - Deus ipsum primogenitum extollit præ omnibus. 27.
    - Æternitate regni spectabilis,
      - Servata ei Patris misericordia et veritate. 28.
      - Ac posteris et throno semper mansuris. 29.
  - In filiis, qui
    - Iustitiam Dei sentient, si peccaverint, 30. et seqq.
    - Misericordiam tamen rursus experientur. 33.
    - Fidelitatem mirabuntur
      - Servato divino fœdere ac promissis. 34.
      - Posteritate in æternum propagata. 35.
      - Regno semper durante et glorioso. 36.
- A Patre æterno adventum eius celerem petit:
  - Ob miserias a dilatione ortas
    - Populo, a Deo velut repulso et contempto. 37.
    - Fœdere divino, inutili reddito. 38.
    - Templo vastato. 38.
    - Muris civitatis, destructis. 39.
    - Militum animis, pavore perculsis. 39.
    - Divitiis, nullo negotio ablatis. 40.
    - Fama, ludibrio vicinorum obiecta. 40.
    - Hostibus, exaltatis et exultantibus. 41.
    - Deo, auxilium solitum auferente. 42.
    - Regibus spoliatis, et throno eiectis. 43.
    - Regno universo everso. 43. 44.
  - Et ob alia motiva
    - A diuturnitate dilationis petita. 45.
    - Ab humanæ naturæ miseria. 46. 47.
    - A Dei bonitate. 48.
    - Ab hostium malitia. 49. 50.
    - A Dei gloria et laude, in adventu Messiæ futura. 51.

*

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Intellectus Ethan Ezrahitæ.

1. Ethan non est Abraham, ut quidam Hebræi censuerunt, sed princeps unus cantorum, qui vixit tempore Davidis, et fuit præpositus cantoribus cum Asaph et Heman, quorum nomine quidam inscribuntur Psalmi. Erant illi tres de tribu Levi, Heman quidem ex familia Caathitarum: Asaph ex familia Gersonitarum: Ethan ex familia Meraritarum: eumdem enim esse arbitror cum Idithun, qui ponitur in titulo aliquot Psalmorum. De illo Ethan seu Idithun agitur 3. Regum 4. 31. et 1. Paral. 2. 6. De etymo Ethan non laboro, ait Lorinus. Plures robustum interpretantur. Arnobius contraria notione, humiliatum. Galatinus lib. 6. cap. 12. et fortem seu robustum, et venturum, et indigenam, et illustrativum, et orientalem. Felix, et robustum et futurum. Michael Angelus a S. Romulo, fortitudinem, insulæ donum, vomerem eorum. R. Ioseph, uberem et pinguem. Mercerus, fortem, durum, asperum. Proprie significat fortem, ut patet Num. 24. 21. Amos 5. 24. Ierem. 5. 15. et aliis locis. Felix in Hebraicis litteris איתן *ethan* advertit, א *aleph* importare idem quod nomen tetragrammaton: *iod* esse primam litteram ipsius nominis: ת *thau* esse crucem: *nun* significare filium. Sed hæc Rabbinica sunt, nec satis video cur *aleph* sit idem quod nomen tetragrammaton, nempe Iehova. Fateor tamen Christum esse verum Ethan, id est, fortissimum, et *thau* litteram apud Hebræos fuisse efformatam forma crucis, sicut nunc est apud Abyssinos, sed Iudæorum malitia formam illam fuisse corruptam. *(Ethan est Idithun.)*

2. Hic Ethan fuit Ezrahita, id est, de pago Ezra seu Ezrai, sicut Heman seu Eman, de quo in titulo Psalmi præcedentis, in quo sicut quidam legunt, Eman Israelita: ita Ugo. Ludolphus, Bruno, et alii, hic legunt Ethan Israelita, et Remigius, Ethan Iezraelita, sed corrupte. Mariana dicit, esse Ethan auctorem huius Psalmi; sed sæpius dixi Davidem esse auctorem omnium Psalmorum, et sic proponi ab Ecclesia. David autem scriptos a se Psalmos dabat modo A Asaph, modo Heman, modo Ethan sive Idithun præfectis cantorum, quos curavit distribui in viginti quatuor classes. *(Ethan hunc Psalmum non scripsit, sed David.)*

3. David porro, qui hoc in Psalmo loquitur, agit de stabilitate et perpetuitate regni sui, quæ completa est in Christo, et in nullo alio: ita Lyranus. Terrenum enim regnum promissum posteris Davidis finitum est in Sedecia ultimo rege Israelis, qui captus et excæcatus est a Nabuchodonosore rege Babylonis, qui evertit atque incendit Ierusalem ac templum. De Christo agi hic docent S. Aug. S. Basil. S. Hilar. Diodor. Euth. Nicephor. et omnes alii: quidam in fine deplorari volunt calamitatem captivitatis Babylonicæ, quidam vero persecutionis Ecclesiæ: arbitror deplorari omnia calamitosa tempora populi Israelitici, prout erant typus persecutionum Ecclesiæ. Unde hic Psalmus est intellectus, ut mysteria illa penetremus. Ad has miserias tollendas petitur adventus Messiæ. *(Argum. Psalmi.)*

4. In præcedenti Psalmo egit de tribulatione Ecclesiæ, per quam timor incutitur. Sed ne timor degeneret in desperationem, bene sequitur iste Psalmus, in quo agit de Dei misericordia, B per quam est spes. Spes enim non debet esse sine timore, neque e converso. Unde Deut. 24. præcipitur, ne altera mola in pignore accipiatur. Ethan, interpretatur robustus. Est ergo sensus tituli. Hic Psalmus agens de misericordia Dei, est intellectus Ethan Israelitæ: quia ipsa Dei misericordia intelligitur a robustis, qui in tribulatione non franguntur, sed Deum habent præ oculis, et sperant eripi et salvari per misericordiam eius. Et hoc etiam bene notatur, quia præcedens Psalmus terminatur per miseriam, iste vero incipit a misericordia: ita Ugo Cardinalis. Ut enim ait S. Augustinus: *Nemo in hoc sæculo robustus est, nisi in spe promissionis Dei. Quantum enim attinet ad merita nostra, infirmi sumus: quantum ad eius misericordiam, robusti sumus. Itaque iste infirmus in se, robustus in misericordia Dei, inde cœpit: Misericordias tuas Domine in æternum cantabo.* Hæc Augustinus. *(Tropol.)*

DIVISIO TOTIUS PSALMI

5. Quatuor complectitur, Primo, Christum regem æternum fore, vers. 2. Secundo, ab omnibus creaturis suscipiendum, velut earum Dominum, vers. 6. Tertio, potentiam eius et felicitatem declarat, v. 19. Quarto denique, postulat, ut quam citissime veniat, calamitates populi sui levaturus, vers. 17.

SECTIO PRIMA.

Duo proponit. Primo, se in æternum laudaturum Deum, vers. 2. Secundo, causam huius laudationis assignat decretum de rege Christo in æternum statuendo.

PARAPHRASIS.

2. *Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.*

2. Innumeras, Domine Deus, miserationes tuas mente versans, quas omnibus sæculis exhibuisti, in æternum illas carminibus meis celebrare constituo: et posteris meis per omnes omnino generationes veracitatem tuam, atque in præstandis promissis fidelitatem voce grata prædicare.

3. *Quoniam dixisti: In æternum misericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.*

3. Tu enim post hanc miseram vitam electis tuis in cælo perennem et stabilem misericordiam promisisti. Hic locus est præcipuus, in quo veritas tua elucescet, atque in æternum stabilita permanebit.

4. *Disposui testamentum electis meis, iuravi David servo meo: usque in æternum præparabo semen tuum.*

4. Hæc enim sunt verba tua dulcissima et fidelissima: Pepigi fœdus cum Abraham, Isaac et Iacob electis meis, aliisque viris sanctis eorum posteris, Davidique iuramento interposito confirmavi. Stirpem tuam nunquam interire patiar, sed filios tuos in æternum stabiliam.

5. *Et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam.*

5. Ac thronum tuum sceptrumque firmabo per continuam generationum seriem.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta Dei misericordia et veracitas in mysterio regni Christi elucet.

6. Ordo Sectionis. Regem nobis Christum exhibiturus Propheta, incipit a laudatione Patris æterni, quem alloquitur in hoc Psalmo, et quem loquentem inducit. Sic autem illum laudat a misericordia et veracitate, v. 2. *Misericordias Domini in æternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.*

Causam illius laudationis proponit misericordiæ per Christum in cælo exhibendæ æternitatem, v. 3. *Quoniam dixisti: In æternum misericordia ædificabitur in cælis.* Et veracitatis: *Præparabitur veritas tua in eis.*

Modum, quo pervenitur ad executionem illius æternæ misericordiæ, declarat: nempe pactum cum Christo initum ad utilitatem omnium electorum, et gloriam ipsius Christi, vers. 4. *Disposui testamentum electis meis, iuravi David servo meo,* id est, Christo, cuius typus erat David. Pactum autem illud Deus Pater, qui loquitur, exponit. Primo, de evehendis electis in cælum: *Usque in æternum præparabo semen tuum.* Secundo, de throno eius in æternum stabiliendo, v. 5. *Et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam.*

ARTICULUS I.

Misericordibus et veracibus misericors et fidelis est Deus.

7. Vers. 2. Ex affectus vehementia David a laude misericordiæ et veracitatis Dei incipit, v. 2. Misericordias Domini (id est, tuas, *o* Pater æterne) in æternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam.

Vers. 3. Vers. 3. Quoniam dixisti: In æternum misericordia ædificabitur in cælis, præparabitur (Hebr. firmabitur, stabilietur) veritas tua in eis. Non sunt hæc Dei verba, sed inducitur loquens tantum versu sequenti.

Quæres, utrum in Deo sint multæ misericordiæ? Resp. essentialem in Deo misericordiam unam esse: plures tamen dici posse secundum varios effectus. Dionysius Carthusianus sic explicat: Dulcissimum plane exordium, et omni mundana, carnali et vana voluptate vehementer suavius. Non ait, misericordiam Domini, sed misericordias: quoniam secundum multitudinem miseriarum nostrarum, multiplicatæ sunt super nos misericordiæ Domini. Misericordia autem Dei interdum vocatur ipsa pietas divinæ naturæ, quæ naturaliter clemens est: et ista misericordia non est nisi una, sicut divina essentia: quandoque vero misericordia Dei nominatur effectus pietatis divinæ, sicut Raphael ait, Tob. 12. 6. *Benedicite Deum cæli, quia fecit vobiscum misericordiam suam.* Et utroque modo accipi potest hoc loco misericordia Domini: sed si in primo modo accipiatur, tunc una ac simplex misericordia Dei pluraliter explicatur, propter multiplices suos effectus. Deus enim mille modis novit suis misericorditer auxiliari. Eritque sensus, misericordias Domini, id est, ipsum Deum naturaliter misericordem, seu pietatem divinam multipliciter miserentem, in æternum cantabo: hoc est, indesinenter laudabo, nunc incohative, et in futuro completive. Quemadmodum namque, secundum Apostolum 1. Corinth. 13. 8. *Charitas nunquam excidit;* quia nunc incipit, et in futuro perficitur: sic actus charitatis, qui sunt Deum diligere, contemplari, admirari, laudare, ipso frui, in ipso lætari, nunquam deficiunt, sed in præsenti habent exordium, et in patria complementum. Propter quod de Maria Magdalena his occupata, dixit Salvator Luc. 10. 42. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Si vero misericordiæ Domini iam dicantur effectus seu opera misericordissimi Creatoris, sensus erit, q. d. Misericordias Domini, hoc est, dona gratiæ, seu beneficia Dei, et multiplicem suæ bonitatis effectum, tam mihi quam toti generi huma-

(Una est Dei misericordia, sed multi eius effectus.)

A no impensum, in æternum cantabo: quemadmodum in Isaia dicitur cap. 63. 7. *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis, et quæ largitus est nobis secundum indulgentiam suam.* Recolat hic unusquisque, ut valet, misericordias Domini, id est, beneficia eius generalia et specialia. Generalia quippe beneficia Dei sunt, creatio, iustificatio, et glorificatio. Specialia vero beneficia Dei sunt, quæ unicuique singulariter data sunt. Sed utraque vere omnem rationem, linguam, numerumque transcendunt. Quis enim omnia beneficia Christi concipiat, eloquatur, aut numeret? Propter nos factus est homo, conversatus in mundo, suspensus in ligno. Nobis dedit seipsum in Sacramento, promisit pro præmio, in cordibus nostris vult habitare, deliciari, quiescere: ita Dionysius. Quatuor præcipuas Dei misericordias seu miserationes notat Ludolphus: 1. quod sumus creati; 2. quod recreati et renati; 3. quod conservati; 4. quod glorificandi. S. Bernardus serm. de septem misericordiis, septem enumerat: *Septem,* inquit, *in me invenio Dei miseB ricordias. Prima est, quod a multis peccatis adhuc in sæculo positum me custodivit. Prima inquam, non inter omnes, quas mihi impendit, sed inter septem prima. Et hoc tribus modis: occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectione, sanitate. Secunda miseratio, fuit expectatio sustinentis, quia tardabat ultionem, quia indulgentiam cogitabat, longanimiter expectans, electionem prædestinationis suæ impleri volens, et qua nos dilexit propter nimiam charitatem. Tertia miseratio fuit, quia ad pœnitentiam me convertit, concutiens cor meum et excitans, ut diverteret suorum vulnera peccatorum, et vulnerum sentiret dolorem, terrens et deducens ad portas inferi, et meliorem mihi consolationem inspirans, spem indulgentiæ largiendo. Quarta misericordia fuit, quod suscepit misericorditer pœnitentem. Sic enim ex toto indulsit, tam liberaliter omnem condonavit iniuriam: ut iam nec damnet ulciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. Sequitur misericordia quinta, per quam mihi continendi deinceps, et* C *emendatius vivendi præstitit virtutem, carnem cum concupiscentiis suis, præsens sæculum cum curiositatibus suis, et etiam ipsum cum tentationibus suis, conterens Satanam sub pedibus meis. Sexta misericordia, est gratia promerendi bona æterna: qua gratia in tribus maxime consistit: in odio præteritorum, in contemptu præsentium bonorum, in desiderio futurorum. Septima misericordia, est spes obtinendi. Tria siquidem considero, in quibus spes mea tota consistit, quæ sunt charitas adoptionis, veritas promissionis, potestas redditionis.* 2. *Timoth.* 1. 12. *Scio cui credidi, et certus sum, quia in charitate nimia adoptavit me, quia verax in promissione, et potens in exhibitione. Hic est funiculus triplex qui difficile rumpitur, quem nobis a patria nostra in hunc carcerem demissum, firmiter obsecro teneamus, ut ipse nos sublevet, et trahat usque ad conspectum magni Dei:* hæc Bernardus. Plures tamen sunt Dei misericordiæ, cum sint innumeræ nostræ miseriæ, quibus Deus medetur. Notandum est, ait Ugo, quod multiplex est miseria. Primo, D miseria naturæ. Iob 14. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Secundo, miseria culpæ. Proverb. 14. 24. *Miseros facit populos peccatum.* Tertio, miseria pœnæ. Iacobi 4. 9. *Miseri estote, et lugete, et plorate.* Quarto denique, miseria ignorantiæ. Quælibet autem harum miseriarum in multis consistit. Primo enim, natura de nihilo est, Isa. 41. 24. *Ecce vos estis ex nihilo;* 2. fluit, Eccl. 14. 19. *Alia generantur, et alia deiiciuntur: sic generatio carnis et sanguinis, alia finitur, et alia nascitur;* 3. alteratur, Iob. 14. 2. *Nunquam in eodem statu permanet;* 4. corrumpitur, Ps. 139. *In miseriis non subsistent.* Secundo, culpa annihilat, Ezech. 28. 19. *Nihili factus es;* 2. spoliat, Luc. 10. *Incidit in latrones, qui etiam spoliaverunt eum;* 3. cremat post mortem, Eccl. 27. 3. *Conteretur cum delinquente delictum;* 4. angit verme conscientiæ, Ierem. 2. 19. *Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te;* 5. vulnerat, Eccli. 21. 4. *Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas;* 6.

(Septem Dei misericordiæ ex Bernardo.)

8. (Multiplex hominis miseria.)

obstat misericordiæ Dei, Ierem 5. 25. *Peccata nostra prohibuerunt bonum a nobis.* Et hæc faciunt versum. Annihilat, spoliat, cremat, angit, vulnerat, obstat. Tertio, est pœna sollicitudinis. Eccli. 40. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus;* 2. laboris, Iob. 5. 7. *Homo natus ad laborem;* 3. morborum, Eccl. 40. 9. *Ad hæc mors, sanguis, contentio, et rhomphæa, oppressiones, fames, et contritio, et flagella, super iniquos creata sunt omnia;* 4. damnorum, scilicet rerum vel amicorum, Eccli. 40. 11. *Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur;* 5. mortis, 2. Reg. 14. 14. *Omnes morimur;* 6. carnis, Roman. 7. 29. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ;* 7. mundi, 1. Corinth. 7. 34. *Quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi;* 8. peccati venialis, Roman. 7. denique gehennæ, Matth. 25. 46. *Ibunt in supplicium æternum.* Et hæc comprehenduntur isto versu: Cura, labor, morbi, damna, gehenua, iugum: supple mortis. Quarto denique, ignorat homo initium suum. 3. Regum 3. 7. *Ego sum ignorans egressum et introitum meum;* 2. finem suum, Eccl. 9. 12. *Nescit homo finem suum;* 3. meritum suum, Ecclæ. 9. 1. *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit:* hæc Ugo. Miseriis autem omnibus, aliisque medetur Dei misericordia multiplex et infinita. Hebræi misericordiam vocant רחם *rehem*, id est, vulvam, matricem: nos miseros et informes Deus format in suæ misericordiæ visceribus. Hæc vox Hebraica eumdem numerum suis litteris continet, quot sunt corporis humani particulæ, nimirum 248. ut denotetur nihil esse in homine, in quod Deus bonitatem suam et misericordiam non exerceat. Hinc Eccli. 18. 12. dicitur: *Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem.* Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. pag. 312. vere dicit: αγαθοποιεν φυσις Θεου, ως πυρος το θερμαινειν και φωτος το φωτιζειν; *Benefacere est natura Dei, sicut ignis calefacere, et solis lucere et illuminare.*

Misericordia cur Hebraice vocatur רחם id est vulva.

9. Nota, cælum est domus misericordiæ et veritatis. Primo, quia ibi est Christus cum Sanctis sui misericors cum misericordibus. Secundo, quia inde in terram defluit omnis gratia et benignitas Dei. Tertio, quia ad illud admittuntur miseri et afflicti, ut patet in martyribus et pauperibus, quorum est regnum cælorum, in quod divites difficilius intrant, quam camelus in foramen acus. Ad eam misericordiæ domum misericordes præsertim admittuntur. Matth. 5. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et Luc. 16. 9. Christus dicit: *Ego dico vobis: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Apte huc referetur, quod narrat Leontius Episcopus Neapoleos in vita S. Ioannis Patriarchæ Alexandrini, cognomento Eleemosynarii, cui misericordia in cælis palatium ædificavit. Sic autem narrat: Cum sanctus ille vir ægrotos visitans rogavisset Troilum Episcopum his verbis: Ama ac honora, frater Troile, fratres Christi: isque triginta libras auri dedisset, ut domum repetiit, dolore correptus Troilus in febrim incidit: cupiditati enim pecuniarum plus æquo deditus erat. Accurrens S. Ioannes triginta illas libras reddidit, et abrenuntiationem mercedis earum sibi fieri voluit. Fecit autem hoc cum gaudio Troilus Episcopus, scribens propriis manibus in hunc modum: Deus Domino meo Ioanni, beatissimo Patriarchæ Alexandrinorum magnæ civitatis, da mercedem triginta librarum, quæ datæ sunt tibi, quoniam ego recepi mea. Recepta pecunia lætus statim convaluit, et cum Patriarcha ad prandium perrexit: sed eadem die in somnis vidit, qua mercede privatus esset: *Vidit enim domum, cuius pulchritudinem atque magnitudinem non potest ars hominum imitari, et ianuam eius totam auream, et super ianuam titulum conscriptum: Mansio æterna et requies Troili Episcopi.* Cum lætus id legeret, ecce tibi regium cubicularium cum aliis ministris, qui iis dixit: Deponite mihi titulum. Et cum deposuissent, iterum dixit: Mutate eum, et ponite quem misit orbis terrarum rex. Et attulerunt, et affixerunt aliud aspiciente me, superscriptum ita: Mansio æterna, ac requies Ioannis Archiepiscopi Alexandriæ, empta libris triginta. Ex ea visione factus est Troilus eleemosynarius magnificus: hæc Leontius, ex quibus etiam intelligis, iure a sancto illo Patriarcha pauperes vocatos esse dominos, cum ipsorum sit dare regnum cælorum. Cum promotus est ad Patriarchatum, dixit dispensatoribus, et ei qui dicitur super pacem: Non iustum est, fratres, non ante alterius cuiusquam curam habere, quam Christi. Omni autem multitudine, quæ convenerat, audito verbo compuncta, ac sustinente, dicit iterum ille beatus: Euntes ergo per totam civitatem, conscribite mihi ad unum omnes dominos meos. Illis autem non intelligentibus, qui hi essent, sed rogantibus dicere, et mirantibus, quinam Patriarchæ domini existerent, respondit iterum angelicum illud os, et ait: *Quos vos egenos et mendicos vocatis, illos ego dominos et auxiliatores prædico. Ipsi enim vobis vere et auxiliari, et cælorum regnum donare poterunt.* Plusquam septem millia quingenti reperti sunt, quibus per singulos dies stipendia tribui curavit.

Cælum domus est misericordiæ.

Cælum patet misericordibus.

Troili visio notabilis.

Palatium quoque S. Francisco paravit misericordia. Cum enim illi ante conversionem suam occurrisset quidam generosus miles extra urbem, sed pauper, laceraque veste semicinctus, eius sortem miseratus suo se amictu exuit, eique dedit. Nocte sequenti cum se sopori dedisset, *palatium speciosum et magnum*, cum militaribus armis, crucis Christi signaculo insignitis, clementia ipsi divina monstravit, ut misericordiam pro summi regis amore exhibitam militi præostenderet, incomparabili compensandam esse mercede: hæc Lucas Wadingus in Apparatu ad Annales Minorum num. 3. Cæli claves dat clementia. Themistius orat. 11. pag. 264. Si te, inquit, Platoni atque Aristoteli permiseris, te in terris adhuc ambulantem ad regni cælestis regiam perducent, omnemque loci huius dispositionem atque ordinem exponent, et mundi illius arcana ac mysteria patefacient: *Regiam illam clementia, benignitas et humanitas, tamquam satellites custodiunt: ad eam malignitas nulla succedit, nulla propinquat calumnia, criminatio longius omnis arcetur:* hæc ille. Melior se nobis dux offert Christus, qui totus est ex misericordia et benignitate conflatus, ipsaque misericordia *cæcos illuminans*, Matth. 20. 34. *ægros sanans*, Matth. 14. 14. *mortuos suscitans*, Luc. 7. 12. *peccata condonans*, Matth. 18. 27. Hæc misericordia est summe amabilis. Petrus Cellensis l. 1. de mystica expositione Mosaici tabernaculi: *Si, ait, in Iesu aliquid est melius ipso Iesu, id mihi est propitiatorium, id est, reconciliatorium. Sed Iesus totus desiderabilis, totus amabilis:* hæc ibi. Eius imago est vir misericors. Hoc S. Gregor. Nyssen. profitetur orat. in eos, qui durius iudicant et condemnant alios. Est in appendice pag. 167. Si Deum, inquit, cupitis æmulari, quod ad eius imaginem facti sitis, exemplum ipsius imitamini vos, qui Christiani estis, qui nomine ipsius humanitatem profitemini, imitamini Christi charitatem: hæc Nyssenus. Contra vero crudelis est imago diaboli. Origen. hom. 4. in Levit. Ipsam, inquit, animam nostram et corpus depositum accepimus a Deo. Et vis videre maius aliud depositum, quod accepisti a Deo? Ipsi animæ tuæ Deus imaginem suam et similitudinem commendavit. Istud ergo depositum tam integre tibi restituendum est, quam a te constat esse susceptum. *Si enim sis misericors, sicut Pater tuus in cælis misericors est, imago Dei in te est, et integrum depositum servas. Si perfectus es, sicut Pater tuus in cælis perfectus est, imaginis Dei depositum in te manet. Si autem e contrario pro misericorde crudelis es, diaboli in te imaginem suscepisti, et bonum depositum tibi divinitus commendatum denegasti:* ita Origenes. Principes præsertim Deum nobis repræsentant, cum misericordes sunt. Themistius orat. 10. p. 231. Quisquis principum, ait, in terris, non erga Romanos solum, sed etiam erga Scythas parentis more se gerit: hic Διος ζηλωτης, *imitator Iovis*, et vere hominum amator dicendus est: ita Themistius. Illa autem misericordia hominibus exhibita erit velut semen misericordiæ ipsis a Deo reddendæ. S. Chrysologus serm. 8. Clamat Deus, ait, misericordiam volo. Qui quod vult Deus, Deo negat, a Deo sibi quod desiderat, vult negari. Misericordiam volo. Homo,

Eleemosyna dat palatium S. Francisco.

Misericors est imago Dei.

petit Deus, sed tibi, non sibi: Misericordiam volo. *Humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam. Est in cælis misericordia, ad quam per terrenas misericordias pervenitur:* hæc Chrysologus.

10. Varietas lectionum. Nota secundo, in hoc versiculo, ait Bellarminus est aliqua varietas lectionis. Nam in Hebræo legitur in prima persona: *Quia dixi;* in Græco et Latino in secunda: *Quoniam dixisti;* sed in Hebræo unius solius litterulæ, quæ scribitur sic י, differentia est inter primam et secundam personam. Itaque facile fuit litterulam illam addere, vel demere librariis. Sensus est idem: nam si legatur *dixi,* sensus erit: te inspirante dixi; si legatur *dixisti,* sensus erit, q. d. Per os meum dixisti: vel, mihi dixisti. Illud *in cælis*, in Græco coniungitur cum verbo, *præparabitur,* et omittitur illud, *in eis*, hoc modo: in cælis præparabitur veritas tua: sed quoniam in Hebræo habetur, in eis distinctio est. Lectio communis vulgatæ editionis retinenda est, quæ coniungit, *in cælis*, cum verbo, *ædificabitur:* et non omittit, *in eis*. Hebræus codex non concordat, neque cum Græco, neque cum Latino; sic enim S. Hieronymus ex Hebræo reddit: cælos fundabis, et veritas tua in eis. Et quidem hanc lectionem voces Hebraicæ patiuntur: sed sententia non videtur apte cohærere cum præcedentibus, neque facile intelligi posse. Quid enim est: Misericordia præparabitur: cælos fundabis: nonne cæli ab initio fundati sunt? cur debent iterum fundari? et quemadmodum de misericordia dicitur, *ædificabitur*, nonne aptum erat, ut de veritate diceretur, præparabitur, vel, firmabitur, aut fundabitur. Et vox Hebraica *tachin*, facile potest per mutationem punctorum, et iod in vau, verti in tichon, quod est, præparabitur, vel firmabitur: et sic legisse credibile est septuaginta Interpretes. De voce, *in cælis*, non est facienda difficultas: quoniam etiamsi in Hebræo desit prepositio *in:* et ideo S. Hieronymus verterit, cælos: tamen sæpe Hebræi prepositionem omittunt, eamque subintelligunt: et septuaginta Interpretes eam addere solent, ut hoc loco fecerant: ita Bellarminus. Felix vertit: Quoniam dixi, mundus misericordia ædificabitur, cælos stabilies, veritas tua in eis. Sed cum עולם *olam* significet in sæculum, seu, in æternum, non video, cur discedat a Vulgata.

11. Veritas fidei est amanda. Nota tertio, veritas præparabitur, seu firmabitur in cælis, hoc est, in Sanctis, et quidem præsertim in Apostolis, qui veritatem Evangelicam orbi annuntiarunt; illi sunt cæli, qui enarrant gloriam Dei, ut probatum est Psal. 18. 1. et qui confitentur mirabilia Dei, ut dicetur infra sect. 2. art. 1. In Christianis etiam omnibus firmanda est veritas, ita ut ab ea nunquam deficiant. S. Hilarius lib. in Constantium Augustum: Melius est mihi, ait, in hoc sæculo mori, quam alicuius privati potentia dominante castam veritatis virginitatem corrumpere. Clem. Alex. lib. 1. Strom. pag. 319. ait, veritatem eorum, quæ fidem spectant, necessariam esse ad vitam sustentandam, ὡς ἄρτον, tamquam panem. Christus Matth. 16. 18. dicit firmatam esse Ecclesiam supra petram, et ab inferi portis non esse dimovendam. Bacchylides poeta Græcus docet amore veritatis probari virtutem viri. Sic enim loquitur: Lapis quidem Lydius aurum ostendit ac probat: virorum vero virtutem declarat sapientia, et omnipotens veritas παγκρατὴς ἀλήθεια: hæc Bacchylides. Si veritas est omnipotens, firmat animum, in quo bene est radicata. Hebr. vox אמונה *emuna*, quæ hic habetur, significat veritatem, fidem, fidelitatem, constantiam in promissis, firmitatem, et stabilitatem.

ARTICULUS II.

Christi regnum est æternum, alia regna cito desinunt.

DAVID aperit, quas misericordias et veritates sit cantaturus: nempe promissionem de posteris suis in æternum conservandis per Christum, et de regno suo stabiliendo per eumdem, vers. 4. DISPOSUI TESTAMENTUM (fœdus) ELECTIS MEIS (Hebr. *electo meo*, populo scilicet. Septuag. 12. Vers. 4

A in plurali numero posuerunt, quia in populo sunt plures). IURAVI DAVID SERVO MEO: USQUE IN ÆTERNUM PRÆPARABO (S. Hieron. stabiliam) SEMEN TUUM, id est, posteros tuos, ita ut nunquam desinant usque ad finem mundi, et per totam æternitatem Deum laudent.

Vers. 5. ET ÆDIFICABO IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM SEDEM TUAM, id est, thronum tuum, hoc est, regiam potestatem. Est metonymia. Ubi adverte, duo promitti Davidi: nempe æternam sobolem; 2. æternum regnum. Utrumque per Christum filium Davidis habitum est. Nam dudum in Sedecia desiit regnum filiorum Davidis. Captus est autem Sedecias, et regno privatus, urbe Ierosolymitana eversa anno mundi 3447. hoc est, ab annis 2255. Nec certum est, an aliqui e Davidis posteris durent, cum præsertim varii tyranni eos omnes occidere tentaverint, inter cæteros Vespasianus, Domitianus, et Traianus Imperatores. Eusebius in Chronico dicit, Simeonem Episcopum Ierosolymitanum iussum crucifigi iussu Traiani Imp. quod esset de Davidis stirpe, et quod esset Christianus. Vers. 5. Davidis regnum æternum per Christum.

B Christi autem regnum est æternum, ut prædixit angelus Luc: 1. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis.* Ezechiel 37. 25. *David servus meus princeps eorum in perpetuum.* Ubi vides, ipsum Christum vocari Davidem: nam dudum mortuus erat David, cum prophetabat Ezechiel. David enim mortuus est anno mundi 3019. ante Christum 1034. Prophetare incœpit Ezechiel anno mundi 3440. Babylonicæ transmigrationis 5. ante Christum 613. Davidi ipsi promissum est semen et regnum æternum, cum statuit ædificare templum Deo: tunc enim Deus misit Nathan Prophetam anno undecimo regni Davidis: exitus ab Ægypto 447. mundi 2990. qui inter cætera diceret, 2. Reg. 7. *Prædicit tibi Dominus, quod domum tibi faciat Dominus. Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius: ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni eius usque*

C *in sempiternum.* Facere porro domum, est facere et concedere prolem et familiam regiam ipsi regi: sicut in Psalmo nostro ædificare sedem seu thronum, est efficere ut regnum semper duret. Quæ phrasis ponitur, ut alludatur ad voluntatem illam Davidis Deo templum ædificandi, quam tamen voluntatem Deus non acceptavit ob bellicas occupationes Davidis: sed filio eius Salomoni, id est, pacifico, eam gloriam reservavit.

Tropolog. Thronus Dei sumus. Ugo Card. in Ps. nostr. Sedes Christi, ait, nos sumus nunc, et in futuro. In nobis enim sedet, et sedebit: nunc regens, tunc regnans: hæc ille. Videndum est, ut thronus ille sit æternus. Prov. 10. 30. *Iustus in æternum non commovebitur. Impii autem non habitabunt super terram.* Origenes notat, egredientes ex Ægypto profectos esse de Ramesse, id est, de commotione turbida. Sic enim dicit homil. 27. in Numer. Fit prima profectio de Ramesse, et sive de hoc mundo anima proficiscens ad futurum sæculum pergit, sive ab erroribus vitæ ad viam virtutis et agnitionis convertitur, ex Ramesse 13. Tropol. Vir iustus est Dei thronus.

D proficiscitur. *Ramesse enim in lingua nostra commotio turbida, et commotio tineæ. In quo utique ostenditur, quod omnia in hoc mundo in commotionibus et perturbationibus posita sunt, et in corruptela: hoc enim tinea indicat. In quibus non oportet residere animam, sed proficisci et venire in Socoth. Socoth autem interpretatur tabernacula:* hæc Origenes. Illa virtutis tabernacula sunt æterna. S. Isidorus Pelusiota lib. 5. Epist. 563. *Mundi huius gloria,* inquit, *est* ἡμεροκαλλής, *hoc est, flos uno die dumtaxat florens. At virtutis decus immarcescibile est, ac fine carens.* S. Ambrosius: Quid, ait, dicis devota Deo? quid vis hominibus placere? quid desideras, vel quid quæris? Si Deum quæris, tecum est: si autem hominem quæris non hoc devovisti. Quid sunt homines? Homines huius sæculi, et sæculum transit, et concupiscentia eius. Qui autem fecerit quæ scripta sunt, manet in æternum: ita Ambrosius. Cætera igitur præter Deum contemne. Winfridus epist. ad Nidhar-

dum : *Terrena,* inquit, *ut umbra prætereunt, ut fumus fatiscunt, ut spuma marcescunt* : hæc ille. Constantinus Magnus urbem Constantinopolim sibi sedem Romani Imperii fecit, et modis omnibus exornavit. Constantinus vero VIII. qui eiusdem nominis Helenam quoque matrem habuit, perdidit: cum stetisset annos 1190. ut supputat Petrus Biranus in historia Persica : vel, ut Spondanus tom. 2. Annalium Eccl. anno 1453. num. 12. cum stetisset annos solidos mille centum viginti tres, ac dies duodecim. Variant in ea re auctores. Cœptum quoque imperium Romanum in Augusto, desiit in Augustulo. Balduinus primus Gallicum imperium tenuit Constantinopoli, sed post annos 58. illud imperium concidit in alio Balduino, quem eiecit Michael Palæologus, anno Christi 1261.

14. *Fœdus ferire.* Nota, pro *disposui testamentum*, Hebr. est, *percussi fœdus.* Nam כרתי carathi significat *percussi:* ברית *berith, fœdus* seu *pactum*. Ratio illius phrasis Hebraicæ et Latinæ petitur ex more fœderis faciendi, cæsa semper aliqua victima. Unde etiam dicitur, icere et ferire fœdus, item sancire, id est, sanguine stabilire, et ratum facere. Sic Deus percussit et sancivit fœdus cum Abrahamo immolante vaccam triennem, capram trimam, id est, triennem, arietem trium annorum, turturem quoque et columbam, Gen. 15. quo facto lampas, quæ Deum repræsentabat, transiit inter carnes victimarum divisas: ut declararetur eodem pacto esse dividendum eum, qui initum fœdus violaret. Hinc quidam dicunt vocem Hebr. *berith*, per metathesim seu transpositionem literarum deduci a בתר *bathar*, hoc est dividere. S. Cyrillus lib. 10. in Iulian. refert ex Sophocle, observatum esse, ut euntes per medium ignem, et ferrum manibus ferentes, facerent iuramenta. Romani quoque victimas in fœderibus cædebant. Livius lib. 1. agens de vetustissimo fœdere inter Romanos et Albanos, ait: *Positis fœderis legibus, aiebat Fecialis, populus Romanus prior non deficiet; si prior defecit, publico consilio, dolo malo: tu illo die, Iupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam; tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque.* Porcum seu porcam ut plurimum cædebant Romani fœdus facientes.

Hinc quidam volunt fœdus dictum esse a fœdo animali, nempe sue. Veterem etiam ritum Græcorum dissecandi victimam in fœdere faciendo indicat Homerus, cum ait: ορκια πιστα ταμειν, fœdera fidelia scindere.

15. Nota secundo, in fœderibus etiam addebatur, et nunc additur, iuramentum. Unde adiungit Deus: *Iuravi David servo meo.* Euth. et Niceph. ορκος, βεβαιον τ' επαγγελιας δηλοι, iuramentum, firmitatem promissionis declarat. Quomodo Deus iuret, dicetur commodius Psal. 109. 4. Cassiodorus sapienter monet, iurare nobis minus licere: id est, adeo frequenter, ac sine gravi causa: quia non est in potestate nostra, quæ pollicemur, efficere: Deum iustissime iurare, cum iure suo promittat omnia: *iurare* enim esse quasi *iure orare,* id est, loqui. S. Augustinus addit aliam rationem, quia in nobis est periculum iurandi. Sic enim ait tom. 10. serm. 28. *Vis longe esse a periurio, iurare noli. Qui enim iurat, aliquando verum iurare potest: qui autem non iurat, mendacium iurare nunquam potest. Ne mendacium iures, ergo noli iurare. Ipsa est angustia, periurium præcipitium est. Qui iurat, iuxta est: qui non iurat, longe est.* Hæc Augustinus, qui deinde periurii malitiam exaggerans ait: Quid est iurare, nisi ius reddere Deo, quando per Deum iuras: ius saluti tuæ reddere, quando per salutem tuam iuras: ius filiis tuis reddere, quando per filios tuos iuras? Quod autem ius debemus saluti nostræ, filiis nostris, Deo nostro, nisi charitatis, veritatis, et non falsitatis? Timet falsum iurare per filium suum, et non timet falsum iurare per Deum suum. Si enim quis per filii salutem diceret, se aliquid fecisse quod non fecisset, vereretur ne in filium execratio caderet. Vetitum olim erat Flamini Diali apud Romanos iurare: cuius rei duplicem causam affert Plutarch. in Romanis quæstionibus, pag. 272. Prima est, quia βασανος τις ελευθερων ο ορκος εστι, *tormentum quoddam hominum ingenuorum et liberorum est iuramentum:* oportet autem et corpus et animam sacerdotis tormento vacare. Secunda ratio est, quia omne iuramentum in execrationem periurii desinit: est autem execratio res tristis et mali ominis: quæ causa est, ut dira imprecari aliis sacerdotes per leges non possint: hæc Plutarchus. Vide dicta in illud Psal. 14. 4. *Qui iurat proximo suo, et non decipit:* ubi satis multa de iuramento et periurio reperies. Adde S. August. in Psal. nostr. *Dei iuratio,* inquit, *promissionis est confirmatio. Bene prohibetur homo iurare, ne consuetudine iurandi, quia homo potest falli, etiam in periurium prolabatur. Deus solus securus iurat, quia falli non potest:* hæc ille. Iurat autem Deus per seipsum, Genes. 22. 16. rationem reddit Paulus Hebr. 6. 13. *Quoniam neminem habet, per quem iuret, maiorem.* Imperatores et reges ethnici solebant iurare per deos suos, et per seipsos, veluti diis se annumerantes. Solimanus Turcarum Imperator iuramentum huiusmodi usurpabat: Iuro Deum cæli terræque auctorem, iuro Evangelicæ historiæ chronographos, vicies quater mille Prophetas lapsos e cælo, summumque inter hos, nostrum Mahumetem: adorandos item manes avi patrisve: tum hoc sacrum augustumque meum imperiale caput: sic ipse. Tu rarissime iura, et per Deum tuum maxima cum reverentia, veritate, humilitate, et necessitate.

Periurium cavendum non iurando.

SECTIO SECUNDA.

16. *Duo exequitur. Primo, ab angelis Deum laudandum in cœlo ob admirabilem potestatem, et amabilem veracitatem, vers. 6. Secundo, ab hominibus laudandum quoque ob misericordiam atque veracitatem, vers. 14.*

PARAPHRASIS.

6. *Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.*

6. Mirabilia tua, o Pater æterne, in glorificatione præsertim Filii tui exhibita, celebrabunt angeli in cælis gloriosi, qui etiam laudes tibi concinent ob fidelitatem tuam ac veracitatem in promissorum executione, cum in cœtu Sanctorum in cælos conscendet, et in iis Rex ac Dominus apparebit.

7. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?*

7. Hæc autem præcipua laudis erit materia: quod in Ascensione super nubes se extollens omnibus hominibus excellentior apparuit, neque ullus id unquam pari potestate et maiestate præstare poterit.

8. *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.*

8. Est enim Deus, qui ob infinitam excellentiam suam ab omni angelorum et sanctorum multitudine est glorificandus, atque ob maiestatem omnibus supereminet: et ob iustitiam terribilis est, atque metuendus præ cæteris omnibus qui eum sequuntur et circumstant.

9. *Domine Deus virtutum quis similis tibi: potens es Domine, et veritas tua in circuitu tuo.*

9. Tu Christe, cælestes omnes exercitus nutu regis et ordinas, neque est dux ullus tibi exæquandus. Tu, quæcumque placuerit, exequi potes: et promissorum memor, illa semper ob oculos habes, et perfecta fidelitate, quam semper habes tibi sociam, adimples.

10. *Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.*	10. Tu a Patre subiectum voluntati tuæ oceanum, cæteraque maria gubernas, et tumescentes fluctus, dum placet, comprimis ac sedas.
11. *Tu humiliasti, sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.*	11. Tu excitatis fluctibus, Pharaoni similes superbos, in triste naufragium ad rupes allisos coniicis: et hac illac ventis concussos per iratos fluctus dispergis.
12. *Tui sunt cæli, et tua est terra: orbem terræ et plenitudinem eius tu fundasti: aquilonem et mare tu creasti.*	12. Cælorum ipsorum terræque Dominus es constitutus: quæ, si divinam naturam spectemus, iam tua erant. Nam et ipsum orbem terræ, et omnes creaturas, quibus repletur, condidisti. Tu septemtrionales plagas et australes, in quibus est mare mortuum, creavisti.
13. *Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.*	13. Occidentem quoque, in quo est mons Thabor: et orientem, in quo est mons Hermon, cælesti lætitia complebis, ut in te uno exulteut. Tu summa potentia in res omnes creatas præditus es, ut illas pro voluntate conserves, augeas, exornes: et, si necesse sit, destruas et annihiles.
14. *Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua: iustitia et iudicium præparatio sedis tuæ.*	14. Itaque rex orbis constitutus dexteram tuam exere, ut et iustos confirmes, et impios deprimas. Iustitia et æquitate thronus tuus stabilitur: neque fieri potest, ut quidquam iniustum decernas aut exequaris.
15. *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam: beatus populus qui scit iubilationem.*	15. Misericordiam semper ac veracitatem aspicis in omnibus actionibus tuis: teque illæ virtutes antecedunt cum aliquo te confers. Felicissimus est itaque iustorum chorus, qui agnitam iustitiam tuam, æquitatem, misericordiam et veracitatem celebrant, in iisque lætantur.
16. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die: et in iustitia tua exaltabuntur.*	16. His in terris, ac præsertim in cælis, tua luce collustrati te consequentur, quocumque perrexeris aut iusseris: et te Salvatorem suum, tuamque virtutem spectantes, tota vita et æternitate exultabunt, nullis rebus vel hostibus exterriti: et te iusto iudice præmia singularia reddente in cælos ascendent, ibique gloria coronati eminebunt.
17. *Quoniam gloria virtutis eorum tu es: et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.*	17. Tu enim es gloria ipsorum, tuo aspectu omnes eorum virtutes, et reportatas de hoste victorias, compensans: iis adiuncti per dona gratuita nobis concessa ad tantam gloriam tua benignitate evehemur.
18. *Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri.*	18. Neque enim nostrarum est virium in cælos evolare, sed tuum est nos in aulam tuam assumere, cum sis Dominus et Rex omnium Sanctorum.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta gloria Christus in Ascensione Dominus orbis constituitur.

17. Ordo Sectionis. **P**rima sectione thronum regi Christo in cælis David posuit. Nunc eum in throno collocatum, ab angelis et hominibus laudandum asserit.

Ac Primo, Deum Patrem alloquitur, qui eam gloriam Filio suo contulit, v. 6. *Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum.*

Secundo, declarat excellentiam Christi ascendentis, v. 7. *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?* Regis enim instar emicat in medio angelorum et sanctorum illum laudantium, v. 8. *Deus qui glorificatur in consilio Sanctorum.* Secundo, Iudex est omnibus terribilis: *Magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.* Tertio, Dominus est potentissimus, v. 9. *Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine.* Quarto, Remunerator est fidelissimus: *Et veritas tua in circuitu tuo.*

Tertio, asserit potestatem Christo datam in totum orbem. Primo quidem, in mare, v. 10. *Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.* Vers. 11. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.* Secundo, in cælos, v. 12. *Tui sunt cæli.* Tertio, in terram: *Et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem eius tu fundasti.* Sive septemtrionales, sive meridionales partes spectes: *Aquilonem et mare tu creasti.* Sive orientales et occidentales, v. 13. *Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia.*

Quarto, collocatum in throno regem Christum orat, ut agere incipiat, et regium robur suum ostendere ad tuendos bonos et atterendos malos, v. 14. *Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua.* Virtutes thronum eius circumstantes assignat: *Iustitia et iudicium præparatio sedis tuæ.*

A Vers. 15. *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam.* Homines omni ex parte affusos Deum laudantes proponit, et ad laudationem illam excitat: *Beatus populus qui scit iubilationem.*

Quinto denique, commoda hominibus tum in hac vita, tum in cælesti gloria, ex Christi ascensione et glorificatione oritura aperit. Primo quidem, lucem in intellectu, v. 16. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt.* Secundo, lætitiam in voluntate: *Et in nomine tuo exultabunt tota die.* Tertio denique, exaltationem in omnibus: *Et in iustitia tua exaltabuntur.* Rationem affert v. 17. *Quoniam gloria virtutis eorum tu es: et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.* Cum sit Dominus et Rex omnium, v. 18. *Quia Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri.*

ARTICULUS I.

Christus in cælum ascendens ab angelis et hominibus laudatur.

B **P**rima sectione thronum regi Christo in cælis David posuit. Nunc eum in throno collocatum ab angelis et ho- 18.
minibus laudandum dicit, v. 6. Confitebuntur cæli mi- Vers. 6.
rabilia tua Domine: etenim (Hebr. אַף *aph*, id est, *etiam*, *et*. S. Hieron. S. August. Cassiod. et alia Psalteria latina habent *et*: Pagn. Felix, Arias, *etiam*) veritatem tuam (Theodotio, πίστιν, id est, fidem, seu fidelitatem) in Ecclesia (Apollinar. in tabernaculis. Petavius in frequenti cœtu) sanctorum.

Ratio laudationis ponitur, suprema maiestas eius, v. 7. Vers. 7.
Quoniam quis in nubibus (Flamin. in cælo. Arias, in æthere. Syr. in cælis cæli) æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?

Secunda ratio laudationis est eius iustitia, v. 8. Deus Vers. 8.
qui glorificatur in consilio (Hebr. in secreto. S. Hier. in arcano) sanctorum: magnus et terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.

Tertia ratio laudationis est eius potentia, v. 9. Domine Vers. 9.

Deus virtutum (Hebr. צבאות *tsebaoth*, hoc est exercituum) quis similis tibi? potens es Domine.

Quarta denique ratio laudationis, est eius veritas seu veracitas: Et veritas tua in circuitu tuo.

19. Symbol. Cæli varii. Nota, hæc omnia commodissime dicentur de Patre æterno, qui bis loquitur in hoc Psalmo: de Christo tamen aliquo modo dici possunt, et huic applicat S. Cyrillus Alexandrin. Ad maiorem legentis utilitatem huic etiam posse applicari ostendam in decursu totius Psalmi.

Nota secundo, cæli Christum laudantes sunt angeli et Sancti in cælo beati: est metonymia. Quomodo Christum in cælos ascendentem laudaverint, dictum satis est Ps. 23. 7. Ps. 46. 6. et Ps. 67. 26. Symbolice, cæli sunt Apostoli, ut ostendi Ps. 18. 1. in illud: *Cæli enarrant gloriam Dei.* 2. Prælati, ut docet S. Bonavent. part. 4. Eccl. Hier. cap. 2. — 3. Doctores et Concionatores. Ugo Cardin. in Ps. nostr. *Cæli*, ait, *sunt prædicatores boni, a terra elevati, virtutibus stellati, gratiarum luminibus illustrati, Deo habitatore honorati, perfectionis cumulo congyrati: isti confitentur, non abscondunt.* S. Aug. secutus est in Ps. nostr. qui ait: Excipiat Ecclesia rorem cælorum, sitienti terræ pluant cæli, et germinet excipiens pluviam germina bona, opera bona, ne pro bona pluvia det spinas, et pro horreo expectet ignem: ita Augustinus. 4. Cæli sunt Religiosi et contemplativi, ut dicit S. Bonavent. mox citatus cap. 5.

Sis cælum per lucem, influxum, et laudem Dei. Esto etiam tu cælum. Primo, per lucem. Ferrandus Diaconus Carthaginensis in Parænesi ad Reginum comitem: *Vita tua*, inquit, *speculum sit, ubi milites tui videant, quid agere debeant. Si non præesse desideres vel appetas, sed prodesse, requiescet super te spiritus scientiæ: ille enim scit præesse, qui vult prodesse.* Secundo, esto cælum, per influxum. S. Bonavent. part. 2. Eccles. Hierarch. cap. 3. angelis, inquit, similis boni subditi, quoad exercitium misericordiæ et compassionis: quia enim nos diligunt, ideo dona gratiarum, quæ a Deo recipiunt, nobiscum dividunt. Tertio denique, esto cælum per laudem Dei. S. August. in Psalm. nostr. *Confitebuntur cæli*, ait, *mirabilia tua Domine.* Non merita sua confitebuntur cæli, sed confitebuntur mirabilia tua Domine. In omni enim misericordia perditorum, in iustificatione impiorum, quid laudamus nisi mirabilia Dei? Laudas, quia resurrexerunt mortui: plus lauda quia redempti sunt perditi. Quæ gratia, quæ misericordia Dei? Vides hominem heri voraginem ebriositatis, hodie ornamentum sobrietatis: Vides hominem heri cœnum luxuriæ, hodie decus temperantiæ: Vides hominem heri blasphematorem Dei, hodie laudatorem Dei: Vides hominem heri servum creaturæ, hodie cultorem Creatoris. Ab istis omnibus desperationibus ita homines convertuntur: non respiciant ad merita sua, fiant cæli. Confiteantur cæli mirabilia eius, a quo facti sunt cæli. Quoniam video, inquit, cælos, opera digitorum tuorum: ita August.

20. Verax, et utilis, et iucundus. Nota tertio, veritas reperitur in Ecclesia, seu congregatione sanctorum. Primo, veritas fidei in Ecclesia Christi. Est Ecclesia, *columna et firmamentum veritatis*, 1. Timoth. 3. 15. Secundo, veritas, id est, conformitas oris et conceptus, reperitur in sanctis: sicut contra mendacium in peccatoribus: nam mendacium intrinsece malum est, et multa alia mala invehit. S. Ephrem tract. de virtut. et vitiis, cap. 13. *Veritatis*, inquit, *studiosus semper et Deo placet, et cunctis hominibus utilis est. In cætu aliorum fratrum iucundus, et in re quacumque rectus. Mendax rixas et iurgia in monasteriis suscitat, et in mutua familiaritate est, ut in ferro rubigo. Cor quidem habet audax sed perfusum: libenter arcana audit sed eadem facile revelat, novitque organo linguæ suæ domos bene institutas subvertere.*

Indi non habent in ore pustulas. Ctesias in Indicis ait, inter Indos neminem pati oris pustulas: qui in orientali virtutis luce sunt, nullum ore mendacium proferunt. Ctesiæ verba sunt: Indorum nemo, aut capitis, aut oculorum, aut dentium dolore vexatur: nemo oris pustulas, aut penitus ullum putrescens ulcus patitur: hæc ille.

21. Nota quarto, pro *in nubibus*, Hebr. est in שחק *sciachak*, id est, in cælo, ait R. David, et R. Abraham; 2. in æthere, ait Arias; 3. in nubibus, ait S. Hieron. et Septuaginta. Ubi adverte primo, Deum habitare in nube, id est, in obscuritate et caligine. Hinc dicitur Eccli. 24. 7. *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.* Deus habitat in caligine. Ægyptii Deum creatorem appellabant Eneph, eiusque imaginem in forma hominis faciebant, colore cæruleo zonam tenentis et sceptrum, in cuius capite pennam ponebant, ut significarent difficilem inventu esse creatorem, et nemini conspicuum; evolat scilicet a nobis, ac nubibus conditur. Ægyptii Deum vocant Eneph. Talis apparuit in monte Sina Mosi, et populo Israel, Exod. 24. 15. talis Ezechieli prophetæ, Ezech. 1. 4. Secundo, in monte Thabor Christus intra nubem luminosam mirabilis fuit præ Mose, Elia, et Apostolis, Matth. 17. Ascendens in cælum susceptus a nube gloriosa, Act. 1. 9. S. Cyrillus Alexand. tract. de fide ad Theodosium, hunc locum Psalmi nostri affert ad probandam Verbi summam antiquitatem, seu coæternitatem, et consubstantialitatem. Et lib. 1. in Ioan. cap. 21. infert, veraciter hic Prophetam clamare in spiritu, fulgentissimæ Sanctorum multitudini Christum præesse. Nubes enim intellectuales esse prophetas, qui omnes Christo crediderunt, nullo modo ipsi exæquari contendentes: cum non ignorarent Mosem, qui præter cæteros a Deo cognitus fuerat, primas ei partes concessisse: filios autem Dei, qui adventus Christi tempore rutilarunt, non fore illi similes, neque hoc sibi attributuros: sed mensuram suam ignoraturos, audientes Matth. 11. vers. 11. *Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.* S. August. in Psalm. nostr. ait: *Si intelligatur sine mysterio ad litteram, non magna laus est, Domino non æquari nubes. Quid enim? Stellæ quæ sunt supra nubes, æquantur Domino? Quid enim? sol, et luna, et angeli, cæli comparari poterunt Domino? Quid est quod pro magno ait: Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? Intelligimus, fratres, nubes istas sicut cælos, prædicatores esse veritatis, Prophetas, Apostolos, annuntiatores verbi Dei. Nam ista omnia genera prædictorum nubes esse dictas ex illa prophetia intelligimus, ubi Deus iratus vineæ suæ dixit: Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem. Iidem quippe cæli, iidem nubes: cæli, propter fulgorem veritatis, nubes propter occulta carnis. Nubes enim omnes nebulosæ sunt propter mortalitatem, et veniunt et transeunt propter ipsa occulta carnis: id est, occulta nubium, ait Apostolus 1. Corinth. 4. Nolite ante tempus quidquam iudicare, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum. Nunc ergo quid loquatur homo, vides, quid gestet in corde, non vides. Quod exprimitur de nube, vides; quod servatur in nube, non vides. Cuius enim oculi urbem penetrant? Ergo nubes in carne prædicatores veritatis. Venit et ipse omnium Creator in carne. Sed quis in nubibus æquabitur Domino?* ita Augustinus. Quatuor nubes malas ponit Petrus Blesensis serm. 5. de adventu Domini. Nubes quatuor malæ. Prima, inquit, nubes est caliginis, secunda roris, tertia grandinis, quarta umbræ mortis. Prima fuit promittens, secunda decipiens, tertia puniens, quarta perimens. Prima fuit ab oriente: secunda a meridie, quia sufficiente umbra polliebat: tertia ab occidente, quia lumen tegebat: quarta ab aquilone, quia lumen non habebat: hæc ille. Ugo Cardinalis in cap. 19. Isaiæ tom. 4. fol. 44. statuit nubem bonam quadruplicem: 1. carnem Christi; 2. sacram Scripturam; 3. obumbrationem Spiritus; 4. prædicatores. Nubes bonæ quatuor. Sed quis in nubibus æquabitur Domino? Aristophanes dicit, nubes fieri omnia: hoc de solo Christo verum est, qui est omnia in omnibus. S. Isidorus Hispal. in Exordium cap. 18. pag. 453. eum comparat nubi illuminanti et obumbranti populum Israel: *Nubes ista*, ait, *præcedens, Christus est: idem etiam columna, quia rectus, et firmus, et fulciens infirmitatem nostram. Per noctem lucens, et per diem non lucens; ut, qui non vident, videant: et qui vident, cæci fiant:* hæc Isidorus.

22. Deus sibi placet in consilio sanctorum. Nota quinto, pro *in consilio*, Hebr. est *in* סוד *sod*, id est in arcano, seu in secreto. Hinc S. Hier. vertit: Deus inclytus in arcano sanctorum nimio. Chald. *Deus fortis in secreto sanctorum, sedens super thronum gloriæ suæ.* Ubi

alludit ad propitiatorum positum in Sancto sanctorum, ad quod non patebat aditus, nisi soli Pontifici; semel in anno: ibi autem Deus sedens in medio sanctorum Cherubinorum glorificabatur a toto populo, et Sacerdotibus. Tropologice, Deus glorificatur in consilio et cœtu sanctorum, ut enim dicitur Matth. 18. 20. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Secundo, Deus sibi placet in consultationibus. Proverb. 11. 14. Salus, ubi multa consilia. Tertio, Deus amat secretum, Ioan. 20. 26. *Venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis.*

23. *Terribilis est Deus malis prælatis.* Nota sextò, Deus terribilis est super omnes, qui in circuitu eius sunt: id est, super clericos et prælatos, qui ei adstant. Exod. 19. 22. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Lev. 11. hoc patuit in filiis Aaron, Nadab scilicet atque Abiu, qui occisi sunt igne egrediente a Domino, id est, ab altari holocaustorum, quod ignem alienum, hoc est, profanum, nec sumptum ex illo altari thuribulis suis imposuissent, thus oblaturi in altari thymiamatis, quod erat in Sancto. Tertio, Deus terribilis et venerandus est iis, qui in circuitu eius sunt ad Ecclesiam intrantes, et ibi orantes. S. Chrysostomus serm. de Euchar. in Encæniis: *Numquid,* inquit, *conspicis eos, qui sensibilem, temporalem, et terrenum regem circumsistunt, quam sint immobiles, non loquentes, non oculos huc et illuc circumferentes: sed modesti, territi, lugentes? Ex ipsis documentum accipite mortales, sicque Deo assistite, quasi ad terrenum regem accessuri. Multo enim magis cælesti regi cum timore adstare vos oportet.* Tertio denique, Deus terribilis est iis, qui in circuitu eius sunt, qui ad eum recta non veniunt, sed in circuitu ambulant: id est, peccatoribus, præsertim hypocritis, qui fingunt se ad Deum accedere, eique propinquare, et se ad creaturas volubiles convertunt: hinc semper pavidi sunt. Martinus Abbas Dumiensis, postea Bracarensis Episcopus, qui floruit sexto sæculo, lib. de moribus ait: Mala conscientia sæpe tuta est, secura nunquam: hæc ipse. S. Gregorius Nazianzenus orat. 15. pag. 235. Deum terrore implet in hunc mundum. Horrendus, ait, vultus Domini super facientes mala, vitiumque funditus evertens et delens. Horrenda auris Domini, Abelis vocem etiam per tacitum cruorem sentiens. Horrendi pedes, improbitatem cursu assequentes: hæc Gregorius. Id interminatus est S. Dunstanus Archiepiscopus Cantuar. Ethelredo regi fratricidæ. Cum enim illi coronam imponeret, eumque in regem ungeret, spiritu prophetico plenus ait: Quoniam adspirasti ad regnum per cædem fratris tui, quem occidit mater tua, propterea audi verbum Domini. Hæc dicit Dominus: Non deficiet gladius de domo tua, sæviens in te omnibus diebus vitæ tuæ, interficiens de semine tuo, quousque regnum tuum transferatur in regnum alienum, cuius ritum et linguam gens, cui præsides, non novit: nec expiabitur nisi longa vindicta peccatum tuum, et peccatum matris tuæ, et peccatum virorum, qui interfuere consilio eius nequam. Igitur post hæc nubes per totam Angliam media nocte, *nunc sanguinea, nunc ignea visa est.* Dehinc in radios diversos et colores varios mutata, circa auroram disparuit, ut ait Edovardus Maihew in Natalibus Sanctorum Congregationis Anglicanæ, pagina 1561.

Totus Deus est terribilis sceleratis.

24. *Milites Dei quinam.* Nota septimo, pro *Domine Deus virtutum*, Hebr. est, *Domine Deus exercituum*. Deus enim habet milites suos. Primo, angelos, Matth. 26. 53. Secundo, cælum et astra, Ierem. 19. 13. Tertio homines sanctos, qui militant adversus carnem, atque concupiscentias eius. Ferrandus Diaconus, in parænetico ad Reginum comitem, sic distinguit milites seculi a militibus Dei: *Milites sæculi,* ait, *passionibus et desideriis tenemur obnoxii: milites Dei carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis. Illi dapibus nutriuntur, isti virtutibus: illi rapere aliena conantur, isti etiam propria vel patienter perdere, vel misericorditer contendunt erogare. Illi gerunt unde falsis laudibus extollantur: isti quærunt unde sempiternis præmiis honorentur. Illis tribuit imaginem lætitiæ vanitas, istis vera confert gaudia veritas. Illi propriis utilitatibus consulunt, isti communibus. Illi perituram patriam, pariter perituri, salvare ac semper tenere festinant: isti nunquam perituram, ne in æternum pereant, possidere desiderant. Illis, vivere labor est, et mori supplicium: istis vivere Christus est, et mori lucrum. Illi præliantur contra inimicos visibiles: isti contra invisibiles. Illos, avaritia crudeles: istos misericordia facit benignos. Illos, invidia contentiosos: istos mansuetudo pacificos. Illi per superbiam, pro suis honoribus litigant: isti per humilitatem, alter alterum existimant superiorem sibi. Per illos, Babylonia regitur: per istos, et in istis a Domino Ierusalem cælestis administratur:* ita Ferrandus agens de militibus ipsis militiæ corporalis: quanto magis hæc servare debent clerici, religiosi, ac prælati, quorum arma non sunt carnalia? ut monet Paulus 2. Corinth. 10. 4. Potestas porro Dei laudatur etiam hic a Davide, cum subdit, *potens es Domine.* S. Hieron. reddit, fortissime Domine. Dei fortitudinem in cælo regnantis, et hominum imbecillitatem in terris reptantium, variis similitudinibus exponit Hermas discipulus S. Pauli lib. 2. Pastoris, mandato 11. Accipe, inquit, lapidem, et eiacula in cælum: aut iterum accipe siphonem aquæ, et eiacula in cælum. Sicut hæc fieri non possunt, sic spiritus terrestris sine virtute est, et sine effectu. Accipe nunc virtutem desursum venientem in hac similitudine. Grando minimum granum est, et cum cadit super caput hominis, quomodo dolores præstat? Aut iterum. Vide stillicidium, quod a tegula cadit in terram, et cavat lapidem. Sic minima, quæ desursum cadunt super terram, magnam habent virtutem. Adiunge te ergo huic habenti virtutem, et ab illo vacuo recede: ita Hermas.

Eorum mores.

Nota octavo, veritas est in circuitu Dei et Sanctorum. 25. *Veritas est scutum, et murus.* Primo, velut scutum eos circumdans, et coronans, Ps. 90. Secundo, velut testis. Isaiæ 11. 5. *Et erit iustitia cingulum lumborum eius, et fides,* id est, veracitas, sive fidelitas, ait Cornelius, *cinctorium renum eius.* Tertio, velut murus. S. Ambros. lib. de institut. Virginis, cap. 17. Noverit humiliari, inquit, dilectionem teneat, veritatis murum, pudoris septum. Quarto, velut iris illuminans et recreans. Apoc. 4. 3. *Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ.* Homo verax est ille angelus, de quo dicitur Apocal. 10. 1. *Vidi alium angelum fortem descendentem de cælo amictum nube, et iris in capite eius, et facies eius erat ut sol, et pedes eius tamquam columnæ ignis.*

ARTICULUS II.

Christi potestas in toto orbe elucet.

In throno suo cælesti sedens Christus ad dexteram Patris omnia infra se subiecta cernit, iisque dominatur, v. 10. TU DOMINARIS POTESTATI (S. Hieronymus, superbiæ. Syr. fastui) MARIS: MOTUM AUTEM FLUCTUUM (S. Hieronymus, elationes gurgitum) EIUS TU MITIGAS. Vers. 10.

Vers. 11. TU HUMILIASTI SICUT VULNERATUM SUPERBUM: IN BRACHIO VIRTUTIS TUÆ (Psalterium Romanorum et Gallicanum, in virtute brachii tui) DISPERSISTI INIMICOS TUOS. *Superbus* est diabolus: ita Hieron. vel, Pharao, Lorinus: vel potius quilibet superbus. Vers. 11.

Vers. 12. TUI SUNT CÆLI, ET TUA EST TERRA, ORBEM TERRÆ ET PLENITUDINEM EIUS TU FUNDASTI: AQUILONEM ET MARE TU CREASTI. Vers. 12.

Vers. 13. THABOR ET HERMON IN NOMINE TUO EXULTABUNT: TUUM BRACHIUM CUM POTENTIA. Per mare hic occidentem intelligit Lindanus, orientem Trevetus, alii rectius meridiem: quia ad partes meridionales Iudææ est mare rubrum et oceanus meridionalis. Sic Ps. 106. 3. per mare sumitur meridies: *A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari.* Sæpe tamen in Scriptura per mare accipitur occidens: quia mare mediterraneum est ad occidentem Iudææ. Secundo, ut ait Bellarminus, more poetico describit orientem et occidentem per montes Thabor et Hermon, quorum unus est terræ promissionis ad orientem, alius ad Vers. 13.

occidentem: sicut etiam poetico more describit creationem per effectum exultationis, ac si diceret: oriens et occidens a te creati exultabunt, et gestient, et in laudes tuas suo more prorumpent, ob tam insigne beneficium creationis: hæc ipse. Itaque totum orbem, eiusque partes omnes Christo subiicit Propheta. De monte Thabor et Hermon dixi alias.

Christus se probat Deum mari imperans.

26. Nota, Christus Deum se esse probavit imperando fluctibus maris. Matth. 8. 27. *Homines mirati sunt dicentes: Quis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* Canutus Anglorum rex tumorem mentis pressit egregio hoc facto. Cum enim animi causa secundum oceani littus deambularet, milesque cum *regem regum* longe omnium potentissimum diceret, qui hominibus, qui mari, qui terræ longe lateque imperaret. Tum ille sese vestem exuens, ac super ea conglobata proxime aquam sedens, cum se ex alto æstus incitasset: *Unda*, inquit, *tibi iubeo, ut ne pedes meos tangas.* Postea madefactus, negavit se priore illo titulo dignus, aut ullum mortalium, uno excepto Christo: tandem ubi Ventaniam pervenit, detractam de capite coronam crucifixo templi sanctorum Petri et Pauli imposuit, nunquam deinceps eiusmodi usus insigni, ut refert Polydor. Virg. lib. 7. hist. Angl. sub finem.

Canuti regis præclarum factum.

Tropol. Christus tentationes sedat.

27. Tropol. Christus dominatur potestati maris, id est, tentationis et persecutionis, qua de re dictum est Ps. 32. 7. Deus ipse dicit Iobo cap. 38. 10. *Circumdedi mare terminis meis, et posui vectem et ostia. Et dixi, usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Ierem. 5. 22. *Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit: et commovebuntur, et non poterunt: et intumescent fluctus eius, et non transibunt illud.* Iona eripitur ex maris fundo, Ion. 2. 11. S. Petrus impeditur a naufragio, Matth. 14. 29. Itaque securus est Deo duce et comite. Cum Cæsar turbato mari vellet ad exercitum transire, et nauclerus nollet, ait: Alacri animo et forti adversus fluctus esto: Cæsarem quippe et fortunam eius tecum vehis, ut ait Appianus l. 2. bell. civil. pag. 48. Caute tamen in mari sæculi naviga. S. Ambr. lib. 5. Hexaem. cap. 7. pag. 64. *Exili super undas o homo, quia piscis es: non te opprimant sæculi istius fluctus: si tempestas est, pete altum: si serenitas, lude in fluctibus: si procella, cave a scopuloso littore, ne te in rupem furens æstus allidat:* ita Ambrosius, de maris laudibus eum consule lib. 3. pag. 30. plerasque autem poteris persecutioni adaptare.

Superbi a Deo deiiciuntur.

28. Nota secundo, pro *superbum*, Hebr. est רהב *rehab*, unde Pagnin. vertit, *Ægyptum*. S. Hieronymus, Felix, Sept. Noster, et alii, reddunt *superbum*. Alluditur ad Pharaonem deiectum et humiliatum in mari rubro. Isaias id clarius ponit cap. 51. 9. *Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati?* Ægyptii, sunt omnes superbi.

Non Pharao tantum, sed omnis superbus deiicitur. S. Antioch. hom. 44. duplicem affert rationem. Primo, quia ope divina privatur. Anima superbi, ait, divino destituitur præsidio: quo fit, ut sit δαιμόνων ἐπίχαρμα, dæmonum ludibrium, et ridicula gratulatio. Secundo, non est, inquit, naturalis superbia, sed ἄγαλμα ἀγριωτάτου δαίμονος, contumacissimi dæmonis simulacrum.

Superbus est arbor sine radicibus.

Duplicem autem affert comparationem. Primo, superbum ait esse similem arbori radicibus carenti. Monachus superbus, inquit, arbor prorsus infrugifera est, quippe quæ radicem non habet, eoque violentas impressiones ventorum assilientium nunquam feret. Secundo, comparat superbum bullis aquæ cito subsidentibus. Sicut, inquit, inundantis aquæ bulla, mox ut rumpitur, evanescit, ita superbi memoria a morte vel momento deperit atque intercipitur oblivione. Hæc Antiochus: unde subdit: Sicut oratio humilis iram divinam inflectit, ita superbi oratio exacerbat Deum. Tertio, superbum compara avi imbecillas pennas habenti. Dio Chrysost. orat. de regno illum confert Icaro: *Gloriæ*, inquit, *plus æquo studiosus* ἀσθενέσι καὶ κούφοις πτεροῖς, *imbecillibus et levibus se credens alis, puta honoribus et opinionibus ab hominibus vulgaribus casu exortis, periculose et instabiliter fertur, hominemque fert ipsius amatorem et ministrum: nunc quidem excelsum et beatum multis apparentem: mox rursus humilem et miserum qui tamen sibi ipsi maxime primus videatur.* Quarto, compara superbum homini sine alis volare cupienti, et seipsum præcipitanti. Nicætas Choniata lib. 3. pag. 17. refert, quod, cum Sultanus Iconii Constantinopoli ad Manuelem Imperatorem fugisset, Agarenus quidam se per aerem volaturum Constantinopoli promisit, et conscendit Hippodromi turrim, sub qua carceres sunt, unde emittuntur equi. Amplam et sinuosam vestem candidam habebat, quæ vinculis in orbem succincta, sinuosa efficiebatur. Putabat enim se, *velut vento navem*, ita laciniis illius aere oppletis ad volatum instructum fore. Is aerem subinde captans spectatorum spem eludebat: tandem devolat, et inspectante Imperatore occiditur: hæc Nicætas.

Et homini sine alis volare cupienti comparandus.

Volaturiens Agarenus perit.

En tibi vulneratum atque humiliatum superbum. Quinto, superbum se ab aliorum removentem cœtu compara latronibus in montium antro latentibus, et fumo pereuntibus, aut præcipitio. Hegesippus libr. 1. de excidio Ierosolymitano sic refert fol. 11. Erant, inquit, in prærupto montium concavis saxorum latibulis inhorrentes specus, inter rupes: invio undique et impossibili, nisi locorum incolis, accessu. Qui transversariis semitis, et angustis callibus, quibus solis adire solerent, periculi usu in periculum deprehendendi tutiores forent. Cæci intus antrorum recessus, quarum in fronte petra usque ad profundas aquarum congregationes, velut quodam continenti iuga prominens spem adeundi excluderet, lubrico undique situ, de supercilio montium cadentibus aquis: et amnium cursu fragoso, ut præcipitium fluentorum ruina, et saxum imminens plus terroris daret. Herodes nescius quomodo inde latrones excuteret, arcas excogitat, in quibus milites fortissimos includit, eosque demittit funibus ad ora speluncarum. Itaque inermes facile occiduntur: qui resistunt, exuruntur. Unus de senioribus, cui septem filii uxorque adessent, quorum saluti consulere posset, cum vitam Herodes polliceretur, tradere se volentibus, omnes tamen occidit hoc modo: Singulos quosque progredi iubens, ipse in ingressu speluncæ stetit, et procedentem de filiis interficiebat. Herodes id videns, illum arcebat manu, et rogabat ut parceret liberis. At ille regi etiam conviciatus uxorem occidit, præcipitatis ex alto cadaveribus filiorum, ad ultimum se præcipitem in profundum dedit: ita Hegesippus. Hoc superbus facit, se ab alio cœtu segregat, in altis nidum ponit sibi, sed ut inde seipsum ac suos præcipitet.

Notabile de latronibus.

Optimum dat consilium Martinus Abbas Dumiensis, et postea Bracarensis Episcopus: *Si vis*, ait, *beatus vivere, cogita hoc primum: contemnere et contemni.*

Deus impios dispergit.

Nota tertio, Deus impios dispergit in brachio virtutis, id est, brachio forti, ut vertit S. Hieronymus: præsertim id accidit superbis. De gigantibus turrim Babel ædificantibus dicitur, Genes. 11. *Inde dispersit eos Deus super faciem cunctarum regionum.* Ctesias in Indicis ait, apud Seres fuisse gigantes, qui tredecim cubitos alti essent, et ducentesimum annum excederent. Sed Deus superbos elevatos, sicut cedros Libani, deiicit, ut ostendi Ps. 36. 35. In nostro alludit David ad Pharaonem, cuius exercitus dispersus est, ac submersus in mari rubro. Idem contigit Saracenis impiis in mari mediterraneo. Cum enim eorum exercitus monasterium S. Benedicti in monte Cassinate expilare cogitaret, religiosi nudis pedibus, capiteque cineribus asperso, S. Benedictum rogarunt, ut subsidio esset. Cum cœlum serenum esset, repente nubibus obducitur, fulgetrisque inhorrescens ac tonitru minax tantum aquarum effundit, ut fluviolus, qui facili vado erat permeabilis, intumescens, transitum impediret. Saraceni expilatis aliquot prioratibus mare petierunt, ut in patriam redirent. Iamque Africa erat in conspectu, cum cymbulam vident, in qua duo erant senes, alter sacerdotis habitu, capite canis venerabili: alter religiosam indutus vestem; a sacri-

Naufragium Saracenorum.

legis petierunt, qua ex regione venirent. Ab Italiæ se et Romæ expilatione venire professi sunt: dolere se quod monasterium montis Cassinatis expilare non potuissent. Cum Saraceni nomen eorum petiissent, responderunt. Illi sumus, quos læsistis, et quorum domos evertistis, statim cernetis, in quos ira vestra sævierit. Cum hoc dixissent, ex oculis evanuerunt. Statim tempestas exorta omnes naves diffregit, præda omnis periit, paucique milites evaseruot, ut miraculi fidem facerent: ita Andreas de Yepes in chronico generali Ord. S. Benedicti anno 541. pag. 304.

30. Tropol. Tropolog. Deus dispergit superbos mente cordis sui, eos ad varia et vana abduci permittens. Origenes id declarat homil. unica in libr. Reg. illud explicans, de Elcana viro Annæ matris Samuel Prophetæ: *Erat vir unus de Ramathaim*. Sic enim ait: *Nos qui adhuc sumus peccatores, non possumus istum titulum laudis acquirere, quia unusquisque non est unus, sed est multi. Intuere namque alicuius vultum, nunc irati, nunc tristis, paulo post rursum gaudentis et iterum turbati, et rursum lenis: in alio tempore de rebus divinis, ac vitæ æternæ actibus consulentis: paulo post vero, quæ ad avaritiam, vel quæ ad sæculi gloriam pertinent, molientis. Vides, quomodo ille qui putatur unus esse, non est unus: sed tot in eo personæ videntur esse, quot mores, et secundum Scripturas: Insipiens sicut luna mutatur*: hæc Origenes. Accidit peccatoris passionibus, et affectibus, atque cogitationibus, quod Israelitis in Ægypto manentibus, de quibus Moses ait Exod. 5. 12. *Dispersus est populus per omnem terram Ægypti, ad colligendas paleas*. Deus nobis quærendus est. Unus pro Deo sumitur Iob 31. 15. *Firmavit me in vulva unus*. Chald. reddit, *unus Deus*. Itaque nos iure sibi uni addictos esse vult, cum unus ipse nos creet, conservet, promoveat, glorificet. Davidi Abigail dicebat libr. 1. Reg. 25. 29. *Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum*. Changius Chan, primus Tartarorum Imp. filios habuit duodecim, illis morti proximus fasciculum sagittarum dedit frangendum: cum non possent concordiam illis suasit: singulas vero sagittas etiam minimus filiorum facile fregit, ut ait Petr. Bizarus libr. 8. rerum Persicarum, pag. 225. Silurus id iam olim fecerat. Nobis sunt passiones undecim: si cum anima vinculo charitatis divinæ et humanæ uniantur, nulla vis est quæ illas frangere aut debilitare possit: sin minus, vagæ hac illac dispergentur, et ad innumera collidentur.

Peccator non est unus vir, sed multi.

Unus, pro Deo sumitur.

Changii Chan commentum.

31. Nota quarto, totum orbem tradidit Deus Christo. *Tui sunt cæli, et tua est terra*, etc. Ipse dicit Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*. Vide dicta Ps. 2. 8. Ecclesia Christi est Catholica, id est universalis, per omnes partes orbis diffusa. Iuvat intueri miram Dei in ea re providentiam, qui orbis partes omnes ita mutuo charitatis vinculo colligavit, ut se in Christi fide consolident. Primo enim, ab oriente fides orta est, cum Christus e Iudæa Apostolos emiserit. Secundo, ab occidente, nempe a Romana urbe, rursus in orientem missis Apostolis fides ad extremos usque Iapones ac Sinas penetravit: ad meridionales quoque plagas pertigit, lavans Æthiopes ipsi oceano proximos, zonæ torridæ subiectos, et pene incognitos antiquis: ad septemtrionem excurrit, Anglos, Norvegos, Danos, Svecos, aliosque illuminans. Tertio, a septemtrione quoque se in meridiem et orientem fides diffudit, cum ex Anglia Apostoli et sanctissimi præsules prodierunt, Wilfridus, Bonifacius, Willebrordus, Suibertus, Acca, Livinus, Burchardus, Willibaldus, Lullus, Adelarius, Eobanus, Willeadus, Ioannes Saltzburgensis. Venerabiles item ac sancti sacerdotes Wigbertus martyr, Evaldus albus, Evaldus niger, Wunebaldus, Willeicus, Wigbertus Abbas, Marcellinus, Lebuinus, Werenfridus. Horum opera, tota fere Germania, et magna pars Belgicarum provinciarum, Christi fidem amplexa est. Adde S. Sigfridum et Æschillum Gothorum sive Svevorum, S. Henricum Upsalensis Ecclesiæ Finlandiæ, Adrianum 4. summum Pontificem Norvegiæ Apostolos, omnes natione anglos. Quarto denique, a meridie in orientem nobilissimæ Coloniæ eductæ sunt, cum ab Alexandrinis Patriarchis olim ad Sinas usque et Indos Apostoli missi sunt, ut refert Kircherus noster in prodromo Ægyptiaco, cap. 3. ubi fusissime percenset fidei mysteria pene omnia scripta reperta esse in pervetusto lapide, qui repertus est apud Sinas anno Christi 1625. In illius lapidis margine septuaginta doctores aut sacerdotes, et prælati erant notati, quorum opera hic lapis inscriptus erat: qui omnes erant vel Syri, vel Iudæi, vel Ægyptii.

Fides per totum orbem diffusa.

Nota quinto, Thabor mons respectu Hermonis est orientalis, ut docet R. Salomon, R. Kimhi, R. Abenezra, Vatablus, Iansenius, Bochius, et alii. Etymon est *lux veniens*. Rad. אתה *atha*, id est, venit: et אור *or*, id est, lux. Dicitur et Itabyrius, et Tabyrias, seu Taburius, atque Taborus. De monte Hermon vide dicta Psal. 132. 3. Montes porro illi dicuntur exultare, ob Christi baptismum et transfigurationem. Ita S. Ioan. Damasc. orat. de traosfigur. ait enim Hermonem exultasse, cum audivit in baptismo appellari Christum filium Dei, et columbam symbolum Spiritus sancti vidit, apertosque cælos. Thabor autem, quando similem vocem Patris percepit, et Christi gloriam, cum circumstantibus Mose et Elia. Arnobius vero censet eos montes poni pro eorum incolis, qui exultaverunt, cum viderent infirmos suos sanari, paralyticos curari, leprosos mundari, mortuos suscitari a Christo. 32.

Thabor mons.

ARTICULUS III.

Christus Rex potestate, iustitia, misericordia, et veritate emicat.

POST expositum Christi dominium in cælum, mare, ac terras, quatuor illi principes dat Propheta. Primo quidem, potestatem et iustitiam, quæ eius thronum stabiliant, 33.
vers. 14. FIRMETUR (S. Aug. confirmetur. S. Hieronym. roboretur) MANUS TUA (id est sinistra tua) ET EXALTETUR DEXTERA TUA: IUSTITIA ET IUDICIUM PRÆPARATIO (Hebr. מכון *macon*, id est habitaculum: ita Pagn. et Felix; 2. et melius S. Hieron. vertit firmamentum. Aquila, basis. Symmachus, stabilitas) SEDIS TUÆ. Chald. habitatio sedis gloriæ tuæ.

Vers. 14.

Secundo, Propheta assignat Christo misericordiam et veritatem, quæ illum amabilem populo efficiant, v. 15. MISERICORDIA ET VERITAS PRÆCEDENT FACIEM TUAM (Martinus Papa I. in concilio Lateranensi, secreta 2. legit, præibunt ante faciem tuam) BEATUS POPULUS QUI SCIT IUBILATIONEM.

Vers. 15. 1. Pars.

Quæres, quid sit firmari manum Dei, et exaltari dexteram? Chaldæus Paraphrastes roborationem manus refert ad redimendum populum: exaltationem dexteræ, ad ædificationem domus sanctuarii: Græci spectant in priore, punitionem inimicorum: in posteriore, liberationem populi: ita ut manus denotet operationem, efficaciamve: dextera, bonam operationem et efficaciam: videlicet favoris, beneficii, protectionis. Aiguanus explicat, ut Deus hostes persequatur ac debellet, et hæc iustitia iudiciumque sit præparatio sedis Dei: hoc est, firmæ habitationis pro arca: hoc autem factum est, quando devictis hostibus a Iosue, locus stabilis fuit in Silo. Hoc prior indicaverat Lyranus. Genebrardus a t significari. Deum utraque manu pollere, nec aliud fere alii volunt. Trevetus et Agellius, ut sinistra Deus propellat hostes, percutiat dextera. Rickelius, ut sinistra famulis auxilietur, eosque prævalere hostibus faciat, et benignitas liberaliter communicet dona gratiæ et virtutum. Existimarem manus nomine, ut fit fere quoties iungitur ei dextera in separato membro, sinistram intelligi: firmari autem ad comprehendendum adversarium, firmiterque retinendum, non vero ad propellendum, et exaltari dexteram ad fortius cædendum et percutiendam. Dextera etiam firmari dicitur, sed quando sinistra occupata est in tenendo arcu, unde iacienda est fortiter sagitta, ut Thren. 2. 4. Illustrari locus hic noster potest eo, qui est in Psal. 20. 9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dexte-*

Firmare manum, et exaltare dexteram, quid?

ra tua inveniat omnes qui te oderunt: id est, comprehendat illos, atque constringat sinistra, ne effugiant, et ita constrictos dextera verberet, feriat, occidat. Utraque manu quidem cædere quis alium potest, maxime ambidexter, et hic eum citans locum Rickelius putat sinistra leviorem, dextera graviorem punitionem designari: sed firmitudo sinistræ cum exaltatione dexteræ hoc magis innuit, quod dixi. Satis vero longæ amplæque sunt Dei manus, ut recte possimus intelligere, altera illum simul plures comprehendere, altera percutere: ita Lorinus. In sceptro magni adnumisstæ fuit columba, in eius summitate posita, ut ait Georg. Codinus lib. de officiis aulæ Constantinopol. cap. 4. num. 49. ut scilicet columba denotaret sinceritatem, innocentiam, integritatem et lenitatem. Ægyptii vero, in sceptris regum suorum superne ciconiam figurabant, inferius autem hippopotamum: id est, equum fluviatilem: ut ciconia pietatem regis, hippopotamus robur illius et potestatem indicaret. Hippopotami enim tantum est robur, ut calce cymbas aliquando demergat, aut dentibus evertat. Apostolus centuria 15. Prov. 93. ait indicari, vim esse subiectam iustitiæ: Ciconia enim ob pietatem suam nota est: hippopotamus vero, hominis est hostis: et, ut ipse ait, ζῶον ἀδικώτατον, animal iniustissimum. Sed prior explicatio magis placet.

Columba in summitate sceptri.

Et ciconia.

34. Nota, manus et dextera Christi denotant eius potestatem. Quanta sit, declarat S. Greg. Nyss. tom. 2. orat. 1. contra Eunomium pag. 50. Unigenitus Deus, ait, qui est in sinibus patris, qui fert universa verbo virtutis suæ, qui factor est sæculorum, ex quo omnia, et per quem omnia, qui terræ continet ambitum, qui cælum palmo comprehendit, qui manu metitur aquam, qui omnia, quæ sunt complexus est, qui in excelsis habitans humilia respicit, imo intuitus est, ut omnem terræ orbem sibi ipsi scabellum faciat, verbi vestigiis impressum. Operationis est sigillum, Dei forma: ita Gregorius. In tam potenti, benigna et sapiente manu persistendum est. Theodorus Lector in Cantica: *In manibus Christi deputantur*, inquit, *qui ea quæ bona sunt, operari non desinunt*: hæc ille. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis*. Sap. 3. 1. Si vero homo ab illa manu recedat, incidit in manus diaboli. Lucas Waddingus anno 1293. num. 5. tom. 2. pag. 642. rem horrendam refert. Novitius quidam, ait, in Hispania singularitati studebat, nec in pietatis et humilitatis exercitiis cum cæteris convenire volebat. A magistro reprehensus proprium iudicium sequebatur. Oranti ut liberaretur a molestiis magistri, et liceret sibi omni, quod vellet in macerando corpore, dæmon apparuit in specie Virginis Mariæ. Protinus adoranti et roganti quid eum facere vellet: falsa Virginis imago ait: Persevera fili, in tuis pœnitentiis et abstinentiis, neque credas magistro contraria suadenti: ego tui curam et magisterium geram: quando expedierit, ut carnem vel aliud obsonium omittas, faciam ut e regione loci, in quo sedes, *appareat tibi manus*, quæ illud indicet: quare quod illa prohibuerit ne tangas, quantumvis magister præceperit, ut manduces: hæc ibi. E manu Christi exierat miser, cum e superioris sui directione exibat. Factus hac visione obstinatior, magistri præcepta contemnebat; eoque demum est abductus, ut iterum ac tertio illi dæmone sub hac Deiparæ specie apparente, seipsum eius suasu crucifixerit: cumque deprehensus nollet illusionem agnoscere, a dæmone est abreptus, neque rescitum est, quo fuerit ablatus. Firmetur itaque manus Dei super nos, ut nos in officio confirmemur, et semper oculos intentos habeamus in manus eius, sicut servi ad voluntatem Domini comparati.

Christi potestas summa.

Obstinatus in proprio iudicio illuditur a dæmone.

35. Nota secundo, *iustitia et iudicium* se habent, sicut habitus et actus. Iustitia enim est habitus virtutis, iudicium vero est actus eius atque exercitium. Bellarminus porro hic sumit iustitiam pro bonitate et misericordia, quomodo accipitur nomen iustitiæ Matth. 5. 20. *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. Et cap. 6. 1. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Ubi per iustitiam significatur eleemosyna: et ibidem, v. 33. *Quærite primum regnum Dei et iustitiam eius, et hæc omnia adiicientur vobis*: hæc Bellarminus. Secundo tamen, ac melius, iustitia sumetur in propria significatione, cum in sequenti versu fiat mentio misericordiæ. De die iudicii exponit S. Augustinus. De omni tempore possis explicare. Nam de Christo rege dicitur Isaiæ 16. 5. *Et præparabitur*, id est firmabitur, *in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, iudicans et quærens iudicium, et velociter reddens quod iustum est*. Ibi misericordia, veritas, et iustitia numerantur, sicut in Psalmo nostro: deinde in die iudicii misericordia non præcedet Christi faciem, sed potius iustitia, sequetur autem misericordia pro iustis: quia prius damnabuntur impii, quam Christus cum sanctis cælum petat, dicens eis, Matth. 25. 34. *Venite benedicti*, etc.

Iustitia et iudicium.

Iustitia ponitur pro misericordia.

2. Eam melius, hic sumitur in propria significatione.

Moral. Iustitia est præparatio, id est stabilitas, throni regum. Hoc totus orbis testatur. Primo, in Africa S. Augustinus lib. 1. de civitate Dei, ait: *Iustitia unicum regnorum columen*. Et lib. 4. Remota iustitia, inquit, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? 36.

Iustitia stabilit regnum.

Secundo, in Europa idem omnes provinciæ clamant. 1. In Græcia Plato lib. 2. de legibus, vocat iustitiam ἔρμα πολέων, *fulcrum civitatum*. Tiberius Imp. Mauritio genero imperium tradens et filiam, ait: Sit tibi imperium cum hac puella, filia mea, concessum: utere eo feliciter, in mente habens æquitatem ac iustitiam, præcipua esse optimi principis insignia, ut ait Aimoinus lib. 3. hist. Franc. cap. 35. 2. In Italia, Tullius lib. 3. offic. Iustitia, inquit, fundamentum perpetuæ commendationis et famæ. Valentinianus Imp. teste Zonara lib. 3. dictitabat: A principe in primis curam iustitiæ flagitari. IuliusCæsar militibus ad Placentiam tumultuantibus dicebat, sicut refert Dio. lib. 41. Sine iustitia nihil esse perpetuum, nihilque diuturnum. Plutarchus lib. de doctr. princip. ait, absque iustitia ne Iovem quidem ipsum posse principatum regere. 3. In Gallia, S. Remigius huius civitatis Rhemensis Archiepiscopus et Apostolus Galliarum, prædixit Clodovæo, ipso inaugurationis eius die, regnum Francorum tamdiu florens futurum, quamdiu in eo iustitia et religio coleretur. Et quidem nunc sub Ludovico XIII. cognomento Iusto, videmus florentissimum esse, hæreticis domitis, et omnibus Franciæ hostibus debellatis, finibusque regni omni ex parte feliciter ac fortiter dilatatis. 4. In Germania Ferdinandus Imp. dictitabat: *Fiat iustitia, aut pereat mundus*. 5. In Hispania, Alphonsus Aragonum et Neapolis rex dicebat, reges, qui iustitiam non colerent, similes esse iis, qui morbo comitiali caderent, ut tradit Panormitanus in eius gestis.

Hoc testantur Africa, Europa, et Asia.

Tertio denique, in Asia Pædalii gens Indica in sacris publicis nihil aliud a diis quam iustitiam petere solebant: quod eam si consequerentur, affatim sibi bonorum omnium putarent fore. 2. Artaxerxes Longimanus rex Persidis cubiculario suo Satibarzani iniustum aliquid a se petenti spe impetrandorum trigesies CIↃ daricorum, eam pecuniam a quæstore iussu suo allatam tradidit, adiecitque: Accipe Satibarzanes, hoc enim largitus nihilo pauperior fio: istud autem si fecissem, essem iniustior, ut ait Plutarch. in apophthegmatis. 3. In Iudæa Essenus quidam Manahemus nomine, conspicatus Herodem etiam tum cum cæteris pueris ludum litterarium frequentantem, regem Iudæorum salutavit. Ille putans se rideri, aut non satis notum esse homini, correxit eius verba, unum de plebe esse se profitens. Tum Manahemus subridens, et blando plausu posteriora eius permulgens potius quam feriens: Imo regnabis, ait, et feliciter dominaberis. Sic enim Deus vult, et memor esto Manahemi verborum, quæ te fortunæ mutabilis admoneant. Nihil enim te magis cogitare decet quam de iustitia, et pietate, et æquitate erga cives subditos: sed scio te hoc non facturum futuri præscius: eris enim tam divini quam humani iuris immemor, licet alioqui fortunatissimus, et sempiterna dignus gloria. Nec tamen Deum latebis, qui te extremo vitæ tempore gravi castigatione reprehensurus est: hæc ille. Vides iustitiæ radiis, velut solis, orbem et

regna splendescere: illa recedente, noctem tristissimam suboriri: atque iniustos non evitare Dei vindictam.

37. Misericordia præcedit faciem Dei. Nota tertio, misericordia dicitur præcedere faciem Dei, quod Deus ante iudicium præmittat misericordiam, ut minus inveniat quod puniat, ita Bellarminus; 2. quod Deus in contemplatione faciem suam non ostendat, quin prius per misericordiam peccata dimiserit: ita Rickelius; 3. quod nemo ad Dei notitiam veniat, nisi prius sit misericordiam consecutus; 4. quod Deus ad nullum veniat nisi eum præcedat gratia.

38. Christus est facies Dei, quam præcedit misericordia. Symbol. facies Dei est Christus, de illo dicitur Ioan. 1. 14. *Plenus gratiæ et veritatis.* Et v. 17. *Lex per Mosem data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* S. August. in Psalmo nostro notat misericordiam eminere. Non exhiberetur, inquit, veritas in impletione promissorum, nisi præcederet misericordia in remissione peccatorum. S. Epiphan. in fragmento concionis de die palmarum, tom. 2. pag. 302. Quis, ait, ex monte olivarum Christi descensus, nisi Verbi divini ad nos descensus e cælo? Hæc ipse; oleum autem est symbolum misericordiæ. Alia similitudine utitur nycticoracis, id est corvi nocturni, ut ostendat Christum ad miseros potius, quam ad alios, se applicare. Sic enim ait in Physiologo, cap. 20. fol. 216. tom. 2. illud considerans Ps. 101. 7. *Sicut nycticorax in domicilio;* sic enim ait: Nycticorax magis amat tenebras, quam lucem. Sic Dominus noster Iesus Christus dilexit nos sedentes in tenebris, at in umbra mortis: hoc est, gentium populum amavit magis quam Iudæos, qui olim adoptionem, repromissionemque in patre habuerunt. S. Gregor. Nyss. oration. in eos qui alios iudicant et reprehendunt, dicit, Christi tantam fuisse benignitatem, ut Iudam ipsum recepturus fuisset, si se obtulisset. S. Bernard. serm. in festo S. Magdalenæ, miratur illam misericordiam in eius conversione: Hodie, inquit, misericordia et veritas obviaverunt sibi, et multitudo miserationum Domini in peccatricem fœminam, refusa est. Filius enim virginis, peccatricis et menstruatæ manibus attrectatur, Deumque atque Dei filium mulier infrunita contingit: hæc Bernardus:

Moral. Misericordia reges illustrat et stabilit. Prov. 20. 28. ait rex omnium sapientissimus: *Misericordia et veritas custodiunt regem, roboratur clementia thronus eius.* Primo enim, rex misericors est instar pastoris, qui subditos suos facile instar ovium regit. Eccli. 18. 13. *Qui misericordiam habet, docet et erudit quasi pastor gregem.* Secundo, rex misericors instar solis in suo microcosmo ac vicinis provinciis elucet. Dio Chrysost. orat. 1. de regno, pag. 5. Rex, inquit, bonorum quidem minime parcus est, ut quæ nunquam ipsum deficere queant: mali autem causam præbere natura probibetur, sicut et sol tenebrarum:

Rex clemens est: 1. Pastor. hæc Dio. Oculis sanis sol est gratus et utilis: lusciosis molestus et noxius. Vultus regis terribilis est impiis, probis benignus et amabilis. Synesius orat. de regno, pag. 10.

2. Sol. Hoc non est formidabile, sed maiestatis plenum spectaculum, cum placido, minimeque fluctuanti, ingenui pudoris affectu, amicis quidam (idem autem est ac si bonis dicamus) sui admirationem iniicit: hostes vero, eosdemque malos, terrore afficit. Tertio denique, rex misericors est

3 Deus alter in terris. alter Deus in terris. S. Greg. Naz. orat. 17. pag. 272. *Nihil,* ait, *tam divinum homo habet, quam benignitatem ac beneficentiam.* ἔξεστι σοι Θεὸν γενέσθαι, *licet tibi nullo labore Deum fieri: noli divinitatis consequendæ occasionem abiicere.* M. Antoninus Imp. id agnovit, cum enim Avidius Cassius in eum rebellasset, et in prælio occisus esset, pepercit iis qui se illi adiunxerant, et uxori suæ vindictam poscenti sic rescripsit: Tu quidem, mea Faustina, religiose pro marito, proque liberis nostris agis; relegi enim epistolam tuam in Formiano: qua me hortaris, ut in Avidii Cassii conscios vindicem. Ego vero et eius liberis parcam, et genero, et uxori, et ad Senatum scribam, ne aut proscriptio gravior sit, aut pœna crudelior. Nihil enim est quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam clementia. *Hæc Cæsarem Deum fecit, hæc Augustum consecravit.* Hæc patrem tuum præcipue ornavit. Denique, si ex animi mei sententia de bello esset iudicatum, nec Avidius esset occisus. Esto igitur secura, dii me tutentur, diis pietas mea cordi est: hæc ibi. Senatui autem rescripsit in hæc verba: Quod ad defectionem Cassianam pertinet, vos oro atque obsecro P. C. ut censura vestra deposita, meam pietatem clementiamque servetis: imo vestram, neque quemquam ullum Senatus occidat. Nemo senatorum puniatur, nullus fundatur viri nobilis sanguis. Deportati redeant, proscripti bona recipiant, atque utinam possem multos ab inferis excitare. Non enim unquam placet in Imperatore vindicta sui doloris: quæ etsi iustior fuerit, acrior videtur. Quare Avidii Cassii liberis, et genero, et uxori, veniam dabitis. Quid dicam veniam, cum ipsi nihil fecerint. Vivant igitur securi sub M. Antonino: vivant in patrimoniis parentum; sint divites, sint securi, sint vegeti et liberi: et per ora omnium ubique populorum circumferant, et meæ et vestræ pietatis exemplum: ita Antoninus. Theodosius Imp. L. unica C. Si quis Imper. maled. pulcherrime dixit: Si quis modestiæ nescius, et pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœnæ nolumus subiugari: neque durum aliquid, vel asperum, volumus sustinere: *quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab iniuria, remittendum.*

Nota quarto, veritas præcedit faciem Dei, quia eam semper Deus ante oculos habet, ut ei actiones suas conformet. 40. Veritas præcedit faciem Dei.
Pindarus veritatem vocat θυγατέρα Διός, filiam Iovis. Epaminondas dux Thebanorum ita studiose veritatem coluit, ut ne ioco quidam unquam feratur mentitus. In aulis regum hæc virtus rara est. Hinc Ludovicus XI. Francorum rex dicebat, se in aula sua rebus omnibus abundare, excepta una veritate, ut ait Philippus Cominæus. Carolus VIII. eius filius, eam ob rem censebat, paucos reges cælesti beatitudine frui, quod paucissimos circa se habeant veri bonestique monitores, ut tradit Ioan. Michael. Anat. corp. polit. cap. 39. Reges enim in præceps agit aulicorum adulatio. Senec. lib. 6. de benef. c. 30. Non vides, ait, quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, et fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadat, dissuadetque: sed adulandi certamen est, et unum amicorum omnium officium una contentio, quis blandissime fallat: hæc Seneca.

Nota quinto, misericordia veritati iungenda est, et veritas misericordiæ. De primo ait S. Bern. serm. 49. Importabilis absque scientia est zelus. Ubi ergo vehemens æmulatio, ibi maxime discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minus efficax minusque utilis invenitur, plerumque autem et perniciosus valde sentitur. Quo igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas: eo vigilantiori opus scientia est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem: hæc Bernardus. De secundo idem Sanctus serm. 1. in Epiphan. Noli, ait, contemnere Dei misericordiam, si non vis sentire iustitiam. Ut enim scires quanta districtio succedit, tanta illa mansuetudo prævenit: ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende: immensus est Deus, et infinitus in iustitia, sicut et in misericordia: hæc ipse. S. Fulgentius Episcopus Ruspensis: Sit, inquit, quantum potest in eleemosynis largus et hilaris, et ad dimittendum peccantibus facilis ac suavis: nec tamen se putat ita peccantibus tribuere veniam, ut disciplinam suæ domus existimet negligendam: sed vigoris retinens clementiæque temperiem, servet in correptione modestiam, et in remissione censuram. Arguat, moneat, terreat, increpet, consoletur, oblectet: hactenus Fulgentius. 41. Misericordia et veritas simul iungendæ sunt.

ARTICULUS IV.

Felix est populus Christianus sub Christo bono principe.

Post explicatum Christi Regis thronum, qui potentia et iustitia stabiliatur, et declaratum eius incessum præ- 42.

via misericordia et veritate, acclamationes populi subnectit Propheta, et dona regis populo facta.

Ac primo, acclamationes populi cum iubilo et exultatione ponit, vers. eod. 15. BEATUS POPULUS, QUI SCIT IUBILATIONEM. Syr. et Arabs, laudationes tuas. (Vers. 15. 2. Pars.)

Vers. 16. Vers. 16. DOMINE, IN LUMINE VULTUS TUI AMBULABUNT, ET IN NOMINE TUO EXULTABUNT TOTA DIE (Syr. vertit, quotidie. Hebr. utramque versionem patiuntur) ET IN IUSTITIA TUA EXALTABUNTUR.

Secundo, declarat bona populo iusto exorta per Christum, v. 17. QUONIAM GLORIA VIRTUTIS (Hebr. et Syr. roboris) EORUM TU ES: ET IN BENEPLACITO TUO (Hebr. in voluntate tua) EXALTABITUR CORNU NOSTRUM, Arabs reddit, in nomine tuo attollcatur capita nostra. (Vers. 17.)

Vers. 18. Vers. 18. QUIA DOMINI (id est, tui Ipsius. Hebræi enim sæpe nobiliores personas et Deum alloquuntur in tertia persona) EST ASSUMPTIO NOSTRA (Hebr. clypeus noster) ET SANCTI ISRAEL REGIS NOSTRI.

43. Nota igitur primo, iubilandum est Deo: *Beatus populus qui scit iubilationem.* Græce ἀλαλαγμὸν, id est clamorem generosum et alacrem, qualem edunt milites inter præliandum. Cæsar lib. 5. de bello Gallico vocat ululatum; 2. clamorem lætum, quia militibus victoribus, et hostes fugientes cernentibus cum gaudio emittitur; 3. Græci hic explicant de victoriali hymno, et id significat etiam ἀλαλαγμὸς, ut docent Suidas et Hesychius. Ubi adverte, hanc iubilationem haberi: Primo, cum quis generose pugnat: sic milites Gedeonis tenentes una manu lampades, et altera tubas clamaverunt, *Gladius Domini et Gedeonis*, Iudic. 7. 20. Secundo, iubilatio habetur in victoria et triumpho. Num. 23. 21. *Non est idolum in Israel, nec videtur simulacrum in Iacob: Dominus Deus eius cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo.* Sosibius testatur, Lycurgum erexisse simulacrum risui. Pausanias tradit de Hypatensibus Thessalis, quod γέλωτος Θεῷ, id est Deo risus, singulis annis rem divinam faciunt in summa lætitia. Christus est noster Isaac, id est risus, in eo gaudendum est. Paulus monet Philipp. 4. 4. *Gaudete in Domino semper.* S. Chrysost. homil. in Psal. 95. inter decem genera sacrificiorum Deo acceptorum numerat septimum ἀλαλαγμὸν, qui sit victorialis in bello post victoriam applausus. Vide a me dicta Psal. 26. 6. in illud: *Circuivi, et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis.* Tertio itaque, iubilandum est Deo nostro in contemplatione maiestatis eius et excellentiæ infinitæ. Chald. vertit: *Beatus populus, qui novit complacere Creatori suo cum iubilo.* Ad eam iubilationem omnes hortatur Propheta, Psal. 97. 4. *Iubilate Deo omnis terra: cantate, et exultate, et psallite. Psallite Domino in cithara, et voce Psalmi: in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.* Vide illum locum, ac præsertim Psalm. 99. 1. Scientia iubilationis est eius experientia, ut explicat Rickelius; efficitur autem iubilatio, et ineffabilis mentis exhilaratio in Deo, ex contemplatione divinæ bonitatis in se, illius beatitudini congaudendo: vel ex contemplatione divinorum beneficiorum; id est dulce ac ingens præambulum felicitatis futuræ, cum sic iubilans seipsum non capit præ gaudio, stillant per oculos lacrymæ dulces, miraturque animus, quod Deus tantam sibi gratiam præstare dignetur: hæc ille. S. August. ait, iubilationem esse gaudium verbis inexplicabile. Nullo modo beatus es, inquit, nisi intelligas iubilationem. Quid est, intelligas iubilationem? Scias, unde gaudeas, quod verbis explicare non possis. Gaudium enim tuum non de te, ut qui gloriantur, in Domino glorientur. Noli ergo exultare in superbia tua, sed in gratia Dei. Vides ipsam gratiam tantam esse, cui lingua explicandæ non sit idonea, et intellexisti iubilationem: hæc Augustinus. (Iubilandum est Deo.)

44. Nota secundo, in luce Dei ambulandum: *In lumine vultus tui ambulabunt.* Lumen illud vultus divini est: Primo, Evangelium: ita Ugo. Secundo, est illuminatio Spiritus sancti: ita S. Hier. Tertio, est lumen naturale et supernaturale: ita Rickelius. Quarto, est ipse Christus, ut ait Haymo. Hebræi vocant Adamum lucernam mundi, tenebras tamen induxit; Christus vero tenebras fugat, et veram lucem tribuit toti orbi. Ioan. 1. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et cap. 8. 12. Christus ipse dicit: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Cum in Sain urbem Ægyptii sacrificatum veniebant, noctu sub dio universi circa domos accendebant frequentes lucernas, imbutas sale, et oleo plenas, cum multo elychnio, quod tota ardebat nocte. Hoc festum dicebatur *accensio lucernarum*. Hoc fiebat per totam Ægyptum, ut Herodotus refert lib. 2. pag. 113. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit,* Rom. 13 12. per Christum scilicet: unde cum essemus aliquando tenebræ, nunc sumus lux in Domino, Ephes. 5. v. 6. S. Aug. in Psalm. 138. ait carnem Christi esse lucernam. *Quid facit,* inquit, *mulier sapiens? accendit lucernam. Lucerna de luto est: sed habet lucem, qua inveniatur drachma. Lucerna ergo sapientiæ, caro Christi: de luto facta est; sed verbo suo lucet, et invenit perditos.* Persæ et Magi omnes, qui Persiæ regionis incolunt fines, ignem aliis elementis anteponunt, ut ait Iulius Firmicus Maternus lib. de errore profan. relig. c. 5. Illum ante reges suos ferunt, ut docet Xenophon in Cyropædia: idem fiebat Romæ Imperatoribus, et spectatissimis viris ac mulieribus, si Imperator concederet: et quidem Herodianus lib. 1. refert, Commodum Lucillæ sorori suæ tantum honoris habuisse, ut in spectaculis regio in throno sederet, et ignis ei præferretur. Cælestis lux iustos præcedit velut reges et hostium domitores. Illa lux primo aspicienda est. Origenes lib. 1. in Iob: Sicut, inquit, omnes homines diei luce incipiente ad orientem suam extollunt visionem, pulcherrimos solis radios properantes respicere: sic similiter, imo potius, omnis pia ac religiosa atque credens anima in omni tempore ad incorruptibilem orientem, veram spiritualem extollit visionem, ut solis iustitiæ admirabilis radios exinde oriri conspiciat. Hoc monebat, et hoc significabat, et hoc docebat omnes ille, qui ait Psal. 67. 34. *Psallite Deo, qui ascendit super cælum cælorum ad orientem.* Sic namque Danieli adoranti Deum, atque deprecanti contra Ierusalem, aperiebantur fenestræ: ita Origenes. Secundo, illa lux non tantum est aspicienda extra nos, sed in nobis ipsis accendenda. S. Chrysost. orat. in Calendis habita: Non in foro, inquit, accendas lumen sensibile: sed in animo accende lumen spirituale. R. Salomon in כתר מלכות *Cheter Malchut*, Deum alloquens ait: *Tu es anima animæ.* Lux divina est nobis intima. Tertio denique, in ea luce, et per illam est ambulandum. Ioan. 12. 35. ait Iesus: *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: qui ambulat in tenebris nescit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Ad eam lucem internam transferri possunt elogia, quæ habet Dracontius lib. 1. sui Hexaem. de luce primigenia, initio mundi creata, et de luce solis ac lunæ. Sic autem concinit: (Lumen vultus Dei.) (Ægyptiorum festum lucernarum.) (Ignis ante reges ferebatur.) (Lux Dei aspicienda.) (In nobis accendenda.) (In eius radiis ambulandum.)

Prima dies lux est terris, mors una tenebris,
Lux datur ante polum, lux claræ causa diei:
Lux iubar æthereum, lux noctis limes et umbræ,
Lux facies rebus cunctis, et lux elementis.
Lux genitis factisque calor, lux gratia solis.
Lux decus astrorum, lux aurea cornua lunæ,
Lux fulgor cæli, lux et primordia mundi,
Lux splendor flammæ, lux magni temporis index,
Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris.

Philo lib. Quod Deus sit immutabilis, dicit viam regiam esse sapientiam, per quam solam supplicibus animabus ad illum ingenitum patet refugium. Charitas, et aliæ virtutes sunt lux ducens nos per eam viam cæli. Aelredus in speculo charitatis cap. 9. Cæteræ, inquit, virtutes sunt nobis, aut quasi fesso vehiculum, aut quasi viatori viaticum, *aut quasi lucerna caligantibus,* aut quasi arma pugnantibus. At charitas specialius, et requies fatigato, et viatori mansio, et *plena lux pervenienti,* et perfecta corona victori. Quid enim est fides, nisi vehiculum nostrum, quo ad patriam vehimur? Quid spes, nisi viaticum no- (Sapientia est via regia.) (Charitas est lux.)

strum, quo in huius vitæ miseriis sustentamur? Quid quatuor illæ virtutes: temperantia, prudentia, fortitudo, iustitia, nisi arma sunt nostra, quibus pugnamus? In antiquo canonum pœnitentialium libro habetur: Quisnam hominum erit, qui sibi manendum existimet in itinere, cum videbit milliaria lapidea litteris plena viam docere? hæc ibi. Quanto magis non est otiandum, cum Deus viam præmonstrat? Eo duce in cælum est currendum: Primo, oratione. Preces a veteribus vocatas esse cursus videmus. In vita enim S. Radegundis reginæ Francorum legimus: *Cursum decantans peragebat vigilias.* Nunc nobiles in suis curribus longe alios cursus instituunt. In historia S. Eparchii Abbatis et Confessoris dicitur: Erat vir sanctus noctes atque dies pervigil in cursu divino. Secundo, opere præsertim currendum est. S. Augustinus lib. de perfect. iustitiæ contra Cælestium: Sic curramus, inquit, ut comprehendamus: omnes enim qui perfecte currunt, comprehendunt: non sicut in agone theatrici, ubi omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam. Curramus credendo, sperando, desiderando. Curramus corpus castigando, et eleemosynas in dandis bonis, malisque ignoscendis hilariter ex corde faciendo et currentium vires, ut adiuventur, orando: et sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis: hæc Augustinus.

Preces vocabantur cursus.

Via impiorum tenebrosa est, ideo currunt. Ierem. 23. 12. *Via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, et corruent in ea.* Hoc maxime contendit dæmon, ut excæcet: tunc facile captos mactat. Herodotus lib. 2. pag. 116. Tergo suillo, inquit, capitur crocodilus allectus porcelli grunnientis voce. Postquam attractus est, venator cœno oculos opplet. Hoc facto cætera facile obtinet, alioqui cum labore perfecturus: hæc ille. Voluptatibus capitur peccator voce porcorum, id est fœtentium peccatorum, incitatus et excæcatus extra gratiarum divinarum aquas extrahitur, et occiditur. Possis etiam peccatorem in scelerum via ambulantem comparare homini aspidem in sinu gerenti, et ipsa ambulatione illum ad morsum incitanti, et sibi necem afferenti. Galenus in commentario de Theriaca ad Pisonem: Vidi sæpe, ait, in magna Alexandria, quanta celeritate mortem aspides inferant: quoties enim damnatum aliquem lege supplicii huius cum aliqua humanitate, et cito volunt interficere, pectori serpentem admovent, *et passus aliquos ambulare iubent*, et ita brevi enecant.

Impii sunt in tenebris.

Crocodilus cæcatur, ut capiatur.

Aspidem gerens necatur.

45. Nota tertio, in via cæli exultandum est: *In nomine tuo exultabunt tota die.* Hebr. verti etiam possunt, omni die. Propheta ad eam lætitiam hortatur, Psal. 137. 5. *Cantent in viis Domini;* sive sint faciles, sive asperæ. Ubi adverte, quod iter in cælos iuvat lætitia, tristitia impedit. Hermas S. Pauli discipulus lib. 2. Pastoris, mandato 10. *Tristitia*, inquit, *omnium spirituum nequissimus est, et pessima servis Dei, et omnium spiritus exterminat, et cruciat Spiritum sanctum, atque iterum salvum facit. Indue te hilaritate, quæ semper habet gratiam apud Dominum, et lætaberis in ea. Omnis enim hilaris vir bene operatur, et bona sapit, et contemnit iniustitiam. Oratio tristis hominis non habet virtutem, ut accedat ad altare Dei.* Non lætandum modo, sed exultandum, id est, sæpe saltandum. In templis ipsis plerique Paganorum sacrum obibant nullum absque saltatione et musica. Prodibant puerorum chori, tibiis ac cithara præcinentibus, e quibus selectis peritissimus quisque saltabat. Eorum item cantilenæ, a saltationis usu dicebantur ὑπορχήματα, id est, subsultationes. Vide dicta Psal. 26. 6. Anima læta est terrestris paradisus omni virtutum, velut suavissimorum florum, odore et pulchritudine iucundissimus, ut docet S. Iustinus martyr epist. ad Diognetum. Itaque vel in ipsa via sunt paradisi deliciis delibuti, qui in Deo suo lætantur. Synesius in encom. Calvitii ait, eos qui ad summum felicitatis apicem evecti sunt, lunas plenas, et ex omni parte luminosas, aut verius soles fulgentes vocari posse. Quid de eo dicemus, qui Deum in se habet, et in eo exultat omni et vera felicitate cumulatus?

In via cæli est exultandum.

46. Nota quarto, virtus homines in cælum evehit: *Et in iustitia tua exaltabuntur.* Syr. sese attollent. Et exaltautur, et se exaltant: cooperantur enim gratiæ elevanti. *Non ego, sed gratia Dei mecum,* ait Paulus 1. Corinth. 15. 10. Vidit S. Perpetua per visionem scalam auream usque ad cælum erectam: in dextera et læva cultris et gladiis plenam, adeo angustam, ut nonnisi unus et parvus per eam inter gladios posset ascendere. Subtus ad pedes eius draco teterrimus, quem omnes ascendere volentes formidabant. Viditque Satyrum unum ex sociis per eam sursum ascendentem, ac socios invitantem ut ascenderent, nec draconem timerent. Qua visione audita, omnes læti sunt, ut ait Baronius tom. 2. ann. 205. num. 22. ex Actis S. Felicitatis et sociorum. S. Benedictus vidit S. Scholasticam in specie columbæ cælos petentem, et S. Ignatius animam Hozii, unius e primis sociis. Orlandin. lib. 2. hist. Societ. num. 37. Beatus, inquit, Ignatius in Cassinensi secessu, cum pro Hozio, quem gravi morbo periclitari cognoverat, oraret: vidit eius animam, ut olim eodem loco S. Germani Episcopi Benedictus, luce clarissima circumfusam, eamque *inter angelorum manus evectam,* ad paradisi gaudia pervolare. Cumque ad Missæ sacrificium paulo post se conferret, atque in generalis confessionis formula omnes Sanctos invocaret, splendidissimum Beatorum agmen illi se obtulit, Hozio sic coruscante, ut exuperantia splendoris secerneretur a cæteris. Illustre est etiam quod refert S. Antoninus de S. Agilo, cuius in morte audita est angelorum symphonia animam eius comitantium, et canticum quod a Virginum choro canebatur, in hunc modum: Hodie S. Agilus cum summis laudibus pergit ad præmium, hodie cum Sanctis in cælo coronatus triumphat: felix valde, quia ab infantia servavit castitatem, et virgo centenarius ascendit ad gloriam: hæc ibi. Sed cogita, quod non in iustitia tua, sed in iustitia Christi exaltaberis. Noli esse nimium iustus, ne desideres in oculis hominum exaltari: fuge hominum iustitiam et laudem, ut glorificeris. Martinus Bracar. Episcop. lib. de morib. Vis, inquit, omnibus esse notus, effice ut neminem noveris: sic ipse. Virtus vel occultissima etiam in terris exaltatur. Leo ante imperium adeptum cæco potum quæsivit in sylva, et imperium illi prædictum est, ut dicit Nicephor. lib. 15. cap. 15. Marcianus etiam petens Philippopolim in militum numerum adscriptus est, in via cadaver recenter occisum reperit, misericordia motus illud sepelivit. Captus, velut homicida, in carcerem deiectus est, sed liberatus tandem factus est Imperator, ut ait Baronius tom. 6. pag. 116. ann. 450. De Rodulpho ad imperium in Germania electo ob pietatem erga sanctissimam Eucharistiam, dixi Psal. 21. ubi egi de Eucharistia.

Virtus homines in cælos evehit.

Scala in cælum erecta et cultris horrida.

47. Nota quinto, Christus est gloria et robur nostrum: *Gloria virtutis eorum tu es: et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.* Utrumque etiam dicitur Ps. 3. 4. *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.* Et Ps. 67. 36. *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ.* De robore speciatim agit Ps. 43. 4. et Propheta Habac. 3. 19. *Deus Dominus fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum.* S. Paulus Philipp. 4. 13. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* 2. Corinth. 3. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* S. Augustinus in Psal. nostr. Quantum, inquit, attinet ad merita nostra, infirmi sumus: quantum ad eius misericordiam, robusti sumus: hæc Augustinus. Id patuit in puellis et mulierculis tyrannos vincentibus, perinde quasi essent fortissimi athletæ. S. Aug. in eam rem refert visionem S. Perpetuæ, quæ visa est sibi in virum mutari martyrium toleratura. Sic enim habet lib. 4. de anima, cap. 18. De conscriptis visionibus Martyrum dicendum est aliquid, quoniam tu etiam inde testimonium habendum putasti: nempe S. Perpetua visa sibi est in somnis cum quodam Ægyptio in virum conversa luctari. Sic ipse. Divino robore firmati Martyres, instar æris et ferri stabiles et immobiles in tormentis perstitere, velut

Christus est robur nostrum.

S. Perpetua roboratur a Deo.

in alienis corporibus patientes. *Quomodo te,* inquit, *o strenue Christi miles appellabo?* ait S. Basilius orat. in Barlaam Martyrem. *Statuamne vocabo? sed multum ita de tua tolerantia detrivero. Nam acceptam statuam ignis emollit, dexteram vero tuam adigere non potuit, ut vel videretur tantillum moveri. Si ferrum nominavero, hanc quoque similitudinem fortitudine tua inferiorem invenio:* hæc Basilius. Quare omnis timor pellendus est, cum in Deo fortes simus. Origen. hom. 8. in Iudices: Omnes, ait, qui militiam Christi sequi vultis, qui in castris eius esse desideratis, procul a vobis timorem mentis, procul cordis expellite formidinem, ut cum confidentia dicat miles Christi: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Vis scire quam facile sit implere hæc in fide militantibus? Solent in ipsis castris sæpe etiam vincere mulieres: quia non corporis robore, sed fidei virtute pugnatur: sic Origenes.

48. *Christus a se protectos assumit.* Nota denique sexto, Christus a se protectos assumit: *Domini est assumptio nostra.* Hebr. מגננו *maghinnenu*, id est, clypeus noster. S. Hier. protectio. Psalt. Illyricum, propugnaculum. Syr. Dominus est fiducia nostra. Arabs, adiutor noster. Agathius Guidacerius dicit, Primo, assumptionem nostram esse Christum ipsum, qui est scutum et protectio nostra, et a Domino seu Patre nobis missus et datus est. Secundo, Aiguan. vult hic significari liberationem de servitute Ægyptiaca, et assumptionem ad statum libertatis, possidendamque terram sanctam. Tertio, malim exponi de assumptione a statu peccati ad gratiam et gloriam, quod facit nos protegendo et exornando. Tiberio Imp. mortuo, Agrippa qui Romæ in carcere tenebatur, a Caligula successore Tiberii solutus est vinculis; et aurea catena donatus paris ponderis cum ferrea, qua fuerat ligatus, ut tradit Iosephus lib. 18. antiq. cap. 8. *Agrippæ catena ferrea in auream mutata.* Christus ex hoc mundi carcere in cælos pergens nos secum trahit, adiuvat, protegit, propugnat, suscipit: estque in omnes hostes, ut hic vertit Apollinaris, ἕρκος ἀρωγῆς, munimentum auxilii. Ctesias apud Photium, pag. 250. miram ait esse naturam ligni Parœbi, quod omnia ad se attrahit. Verba eius sunt: Lignum Parœbum dictum in India, oleæ magnitudine, quod in regiis dumtaxat hortis reperitur, neque florem ullum, neque fructum producit: quindecim id tantum habet sub terra radices: sed eas ita crassas, ut tenuissima brachii magnitudinem adæquet. *Parœbum lignum ad se trahit omnia.* Huius ergo radicis si partem aliquam vel palmum longam sumpseris, quibuscumque eam rebus admoveris, *mox omnia ad se rapit: aurum, argentum, æs, lapides, cæteraque præter solum electrum: sin cubitum longam partem resecueris, iam agnos etiam, et boves, ac cætera animalia, ipsasque adeo aves ad se pertrahit,* et eius potissimum auxilio, maximam, quas venentur, avium partem incolæ capiunt: ita Ctesias. Christus dicit Ioan. 12. 32. *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Quod intelligi potest, et de cruce, ad quam elevatus est; et de cælo, ad quod evolavit: electrum tamen, hoc est, animas paleis terrenis attrahendis intentas, non trahit.

SECTIO TERTIA.

49. *Duo complectitur. Primo, felicitatem et potentiam regis Christi, si ipse tantum consideretur, vers. 19. Secundo, si etiam spectentur dona posteris eius ob ipsum facta, vers. 30.*

PARAPHRASIS.

19. *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti: Posui adiutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.*

19. Cum Messiam missurum te, et populi tui curam habiturum promisisti, apparuisti Prophetis et Patriarchis, eaque verba protulisti. Opem quam statui plebi meæ dare, posui in Christo meo, eumque præ cæteris omnibus extuli, ac donis omnibus cumulavi, ut eam commodius iuvaret.

20. *Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum.*

20. Quæsitum diu inter homines, qui dignus esset tanto orbis imperio, hunc tandem reperi verum Davidem, quem oleo divinitatis et gratiarum mearum omnium in regem hominum et angelorum inunxi.

21. *Manus enim mea auxiliabitur ei: et brachium meum confortabit eum.*

21. Ubi enim res feret, semper illi adero: et cum gravior inciderit pugna aut calamitas, novum illi robur sufficiam, ut omnes difficultates perrumpat.

22. *Nihil proficiet inimicus in eo: et filius iniquitatis non apponet nocere ei.*

22. Elusi omnes in eum irruentium hostium conatus, in nihilum recident: neque fraudes iniquorum illi damnum ullum afferent.

23. *Et concidam a facie ipsius inimicos eius: et odientes eum in fugam convertam.*

23. Vel ad unicum eius conspectum fulgore vultus eius hostes territos gladio victoris obiiciam: et turpi fuga salutem sibi quærere animo fractos compellam.

24. *Et veritas mea et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu eius.*

24. Neque illum solum unquam ex improviso ab hostibus cingi patiar, aut opprimi: a lateribus eius semper stabunt veracitas mea promissa exequens, et misericordia dona affundens: ac meo nomine invocato robur eius et dignitas in dies magis ac magis augebitur.

25. *Et ponam in mari manum eius, et in fluminibus dexteram eius.*

25. Adeoque fines eius imperii proferam, ut altera manu sit mare unum sub ditionem suam positurus: altera vero, oppositos fluvios et mare alterum domiturus.

26. *Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ.*

26. Hic erit filius meus, qui me in rebus omnibus ad auxilium vocet, velut amantissimum patrem, potentissimum Deum, et susceptorem tutissimum.

27. *Et ego primogenitum ponam illum: excelsum præ regibus terræ.*

27. Ego autem paterno affectu ius illi primogeniti in omnes filios meos adoptivos concedam: cæterisque omnibus terrenis principibus præferam.

28. *In æternum servabo illi misericordiam meam: et testamentum meum fidele ipsi.*

28. Neque in unum aut alterum diem misericordiam illi meam declarabo; sed in totam consequentem æternitatem: et pactum meum cum eo semel initum, nunquam irritum faciam.

29. *Et ponam in sæculum sæculi semen eius: et thronum eius sicut dies cæli.*

29. Efficiamque ut in omne ævum posteri eius perdurent: et thronus eius non minus sit diuturnus ac splendidus, quam ipsum cælum.

30. *Si autem dereliquerint filii eius legem meam: et in iudiciis meis non ambulaverint:*

30. Si vero, ut humana fert imbecillitas, aliqui ex eius posteris a lege mea recesserint, et secundum iustissima præcepta mea non vixerint:

31. *Si iustitias meas profanaverint: et mandata mea non custodierint,*

31. Si etiam increscente malitia rebelles iustitiæ meæ et decretis extiterint: et imperata sibi non fecerint,

32. *Visitabo in virga iniquitates eorum: et in verberibus peccata eorum.*

32. Non patiar illos diu in sceleribus hærere: sed virga paterna et verberibus commonitos atque castigatos ad officium revocabo.

33. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea.*

33. Non tamen iustitiam meam ita exercebo, ut misericordiæ obliviscar: neque ita exacte veritatem scelerum excutiam, ut vindicta illos atteram.

34. *Neque profanabo testamentum meum: et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.*

34. Nec fœdus sancitum inter me et illum violabo: et quæcumque promisi, fideliter exequar.

35. *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar: semen eius in æternum manebit.*

35. Satis est, quod semel in cælo illi iuraverim, nunquam fidem fallam: posteri eius in perpetuum durabunt.

36. *Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cælo fidelis.*

36. Solium eius, solis instar et lunæ plenissimæ, per totam æternitatem ad dexteram meam stabit, ut ex eo omnes regat: et solium hoc testabitur in æternum, me promissam illi gloriam et filiis eius reddidisse.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta Christi regis potestas et felicitas.

50. Ordo Sectionis. Prima sectione loquentem Deum induxerat Propheta, et promittentem adventum Christi regis æterni. In secunda, Propheta ipse creaturas omnes eius dominio subiiciendas docuerat. Nunc in hac tertia, iterum Deus loquens inducitur, et describens regis illius potestatem et felicitatem: sive in seipso consideretur, sive in posteritate sua.

Ac primo, promissio Prophetis et Patriarchis facta in memoriam revocatur, v. 19. *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti.* Secundo, verba Dei ipsius promittentis afflicto mundo auxilium per Christum, referuntur: *Posui adiutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.* Tertio, electio eius in peculiarem Dei servum declaratur, v. 20. *Inveni David servum meum.* Et unctio in regem: *Oleo sancto meo unxi eum.* Quarto auxilium Dei: tum in rebus facilibus, v. 21. *Manus enim mea auxiliabitur ei:* tum in arduis: *et brachium meum confortabit eum.* Quinto, hostium deiectio, qui damnum nullum Christo afferre potuerunt, v. 22. *Nihil proficiet inimicus in eo: et filius iniquitatis non apponet nocere ei.* Sed ab ipso damnum accipient victi et concisi, v. 23. *Et concidam a facie ipsius inimicos eius.* Et in fugam versi: *Et odientes eum in fugam convertam.* Sexto, securitas: veritate divina et misericordia semper comitantibus, v. 24. *Et veritas mea et misericordia mea cum ipso:* atque eum exaltantibus: *Et in nomine meo exaltabitur cornu eius.* Septimo, amplitudo imperii. A mari altero, v. 25. *Et ponam in mari manum eius:* usque ad fluvios oppositos, et mare alterum: *et in fluminibus dexteram eius.* Octavo, amor mutuus: et filii in patrem, ipsum invocando veluti certissimum præsidium, v. 26. *Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, et susceptor salutis meæ:* et patris in filium, v. 27. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.* Nono, æternitas regni: misericordia semper illi conservata, v. 28. *In æternum servabo illi misericordiam meam.* Et fidelitate: *et testamentum meum fidele ipsi.* Ac posteris nunquam perituris, v. 29. *Et ponam in sæculum sæculi semen eius: et thronum eius sicut dies cæli.*

Secundo, Deus posteros eius se curaturum pollicetur: iustitiam illis, misericordiam, fidelitatem, et charitatem exhibendo. Primo quidem, iustitiam, paterne illos puniendo, cum peccaverint, v. 30. *Si autem dereliquerint filii eius legem meam, etc. Visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.* Secundo, misericordiam paternam non auferendo, v. 33. *Misericordiam autem meam* A *non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate mea.* Tertio, fidelitatem quoque: servando pacta, v. 34. *Neque profanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Præsertim de posteritate eius semper mansura, v. 35. *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar, semen eius in æternum manebit.* Quarto denique, charitatem et potestatem, thronum ipsius tota æternitate illustrem, ad dexteram suam statuendo, v. 36. *Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum.* Qui thronus omnibus Beatis satis testabitur Deum esse fidelem in promissis filio suo præstandis: *Et testis in cælo fidelis.*

ARTICULUS I.

Regem nobis optimum dat Pater æternus filium suum.

Omnia quæ hic in Psalmo nostro habentur, David applicat Christo, cuius potentiam, exaltationem, obedientiam, et consecrationem aperit Pater æternus hic loquens, v. 19. 51. Vers. 19.
B Tunc locutus es in visione sanctis tuis, et dixisti: Posui adiutorium in potente (S. Hieron. super robustum) et exaltavi electum de plebe mea.

Vers. 20. Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum. Vers. 20.

Prophetiæ modus quis perfectior. Nota primo, variis modis Deus prophetis voluntatem suam manifestabat: 1. per locutionem externam; 2. per species aliquas sensibiles oculis corporeis vel imaginationi obiectas; 3. per visionem intellectualem. Si quæras, quis esset modus perfectior, S. Thomas respondet 22. qu. 174. art. 2. Dignitas, inquit, eorum quæ sunt ad finem, præcipue consideratur ex fine. Finis autem prophetiæ est manifestatio alicuius veritatis supra hominem existentis. Unde quanto huiusmodi manifestatio est potior, tanto prophetia est dignior. Manifestum est autem, quod manifestatio divinæ veritatis, quæ fit per nudam contemplationem ipsius veritatis, potior est quam illa quæ fit sub similitudine corporalium rerum. Magis enim appropinquat ad visionem patriæ, secundum quam in essentia Dei veritas conspicitur. Et inde est quod prophetia, per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur, secundum intellectualem veritatem, est dignior, quam illa in qua veritas C supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum secundum imaginariam visionem. Et ex hoc etiam ostenditur mens prophetæ sublimior, sicut in doctrina humana auditor ostenditur esse melioris intellectus, qui veritatem intelligibilem a magistro nude prolatam capere potest, quam ille qui indiget sensibilibus exemplis ad hoc manuduci. Unde in commendationem prophetiæ Da-

*

vid, dicitur 2. Reg. 23. *Mihi locutus est fortis Israel.* Et postea subdit: *Sicut lux auroræ oriente sole mane absque nubibus rutilat.* Ita S. Thomas, qui sequenti capite gradus prophetiæ propriæ acceptæ distinguit secundum imaginariam visionem. Eum lege, et Suaresium, 3. p. quæst. 30. art. 4. disp. 9. sect. 2. et Corn. a Lapide proœmio in Prophetas maiores, quæst. 2. Adverte etiam nomen visionis sumi de qualibet prophetia: tum ob certitudinem rerum prædictarum, quia visus est manifestissimus et certissimus omnium sensuum: tum ob lumen divinum quod in prophetia maxime spectatur. Hinc aliquando confunduntur visio et verbum: ut quando dicitur visio audita, et verbum visum, vel ostensum, ut notat Lorinus. Sic Isaias cap. 2. 1. verbum se vidisse scribit, et præfatus de visione cap. 1. 1. invitat cælum terramque, ut audiant. Loquitur Amos cap. 1. v. 1. eodem pacto, nempe se verba vidisse. Abdias v. 1. nominans visionem, ait se auditum audivisse. Micheas cap. 1. 12. verbum sibi factum se vidisse. Item Ezechiel cap. 1. 1. 3. et Zacharias cap. 1. 1.

Visio pro qualibet prophetia.

52. Nota secundo, dicta in duobus versibus allatis, et in sequentibus, explicant de Davide Rickelius et Lorinus; 2. et melius, de Christo exponit S. Augustinus: allusio tamen fit ad Davidem, ut videbitur in decursu.

Christus est potens.

Primo enim dicitur, *posui adiutorium in potente*, id est adiuvi populum meum per potentem, Davidem scilicet, qui significat manu fortem, et in adolescentia sua ursos et leones prosternebat et discerpebat, 1. Reg. 17. Goliath gigantem iugulavit. Postea vero in virili ætate Philisthæos, Ammonitas, Moabitas, Syros, Arabes, aliosque devicit. Secundo, de Christo dicitur Ps. 23. 8. *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.* Luc. 24. 19. dicebant de eo peregrini in Emmaus: *Fuit vir Propheta potens in opere et sermone.* Hebr. 1. 2. ait Paulus: *Per quem fecit et sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.* S. Thomas 3. pag. q. 3. art. 4. quærit utrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis? Et respondet dicendum esse, quod quidquid voluit, potuit. Suarez tamen recte docet disp. 31. sect. 1. omnipotentiam Dei simpliciter, et secundum totam suam perfectionem, nec fuisse communicatam, nec potuisse communicari Christi humanitati: atque adeo Christum ut hominem, non fuisse omnipotentem; 2. humanitatem Christi ex vi solius unionis ad Verbum, formaliter ac præcise sumptæ, non esse factam potentiorem ad operandum, quam ex natura sua esset. Nam licet unio sit ratio; ob quam humanitati supernaturalis virtus seu potestas donatur: non est tamen ipsa qua humanitas potentior efficitur; 3. sect. 3. docet, Christum hominem per actiones suæ humanitatis, non solum morali modo, sed etiam reali et physico, operatum esse opera miraculosa, et iustificasse animas, conferendo gratiam, et similia: hæc ille. Humanitas tamen non fuit principium principale proximum ad efficienda miracula, sed solum instrumentum Verbi divini. Dio Chrysostom. orat. 1. de regno pag. 7. Quodnam, σεμνοτερον θεαμα, gravius spectaculum, quam rex generosus et industrius? et quod suavius, quam mansuetus et amabilis, qui omnes beneficiis afficere concupiscat et possit? Iulian. Imp. orat. 2. in laudem Constantii Imp. pag. 162. Quis, ait, efficacius incitare potest eo duce, qui seipsum in laboribus subeundis constantem, και αδαμαντινον, et adamantis similem exhibet? hæc illi. Talis fuit Christus, potens opere et sermone, rex potens et metuendus nimis. Illum reges imitentur. Fortior est exercitus cervorum duce leone, quam exercitus leonum qui a cervo meticuloso ducatur. Nicetas Choniata lib. 3. in Alexio Comneno, fol. 63. Immodica mollities, ait, rebus gerendis nihilo aptior est, quam dementia. Vir mollis et effœminatus, res pessima et molestissima est. Cui qui parent, quid infortunii, quid extremi periculi non subibunt? Et lib. 4. pag. 19. ait: Plerique principes formidolosi sunt et suspicaces, nec inferno et morte clementiores, in viris nobilibus et generosis e medio tollendis: et *velut altæ piceæ levissimo vento impulsæ*, ramorum aculeis inter se nigris strident: ita ipsi et dantem suspectum habent, et fortitudine insignem formidant: Ita Nicetas. Deus ponere solet adiutorium in potente ac robusto, et generoso: non in imbelli timido et effœminato: sic liberavit populum suum Israel a Chusan Rasathaim, q. d. Ab Æthiope duarum impietatum, rege Mesopotamiæ, cui servierat annis octo, per Othonielem, qui interpretatur tempus meum Deus; ab Eglone (id est, vitulo) rege Moab, cui servierat annis decem et octo, per Aod, qui significat gloriosum: a Iabin rege Chanaan, cui servierat annis 20. per Barac qui idem est ac fulmen: a Madianitis, quibus subditi fuerant annis septem, per Gedeonem, cui ait angelus Iudic. 6. 12. *Dominus tecum, virorum fortissime.* Chald. vir virtutis. Gedeon autem sonat succisorem iniquitatis: vel, succisorem doloris: a Philisthæis et Ammonitis, quibus servierat octodecim annis, per Iephte, qui dicitur cap. 11. 1. vir fortissimus atque pugnator: a Philisthæis iterum, quibus subditi fuerant per annos 40. per Samsonem, cuius fortitudo satis nota est.

Christus habet omnipotentiam respectu suæ voluntatis.

Secundo, David a Deo electus est, et exaltatus. Cum enim esset pastor ovium, sed adolescens 20. annorum secundum cor Dei, electus est in regem loco Saulis. Unde ipse dicit 1. Paral. 28. 4. *Elegit Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel in sempiternum.* Synesius orat. de regno pag. 19. dicit, potestatem regiam esse donum Dei. Monarchiam, ait, tyrannis invisam reddit: regia potestas amabilem efficit, eamque Plato vocat, θειον αγαθον εν ανθρωποις, divinum inter homines bonum. Christus præsertim per excellentiam, potest dici electus: sic eum appellat Deus, Isaiæ 42. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet.* Cant. 5. 10. a sponsa vocatus, *electus ex millibus.* Dicebat olim rex sapiens, eligendos esse magistratus pro ratione donorum ipsis a Deo concessorum: quod enim electione sua tales non posset facere quales vellet, eligendos esse eos qui ante ipsam electionem digni essent. Deus vero eligendo dignos facit: unde infinitam pene gratiam et gloriam humanitati Christi contulit, ut divina unione digna esset. Ab illa enim electione et unione omnis eius decor profluxit, velut a causa morali, non physica. 53.

Tertio, David servum Dei se dicit Ps. 115. 16. In hoc loco pro, *inveni David servum meum*, legit S. August. ad Dulcitium, inveni David secundum cor meum. S. Paulus Act. 13. 22. velut ex sacris litteris referebat: *Inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Nihil excipit. Christus ut homo vocari etiam potest servus Dei, ut docet S. Ambr. lib. 5. de fide c. 3. et epist. 8. edition. Rom. atque alias ostendi. Reges omnes sunt Dei servi. Agapetus Diacon. in cap. parænecticis, p. 372. ait, Imperator ut est omnium dominus, ita cum omnibus Dei servus existit: hæc Ille. Vicissim omnes servi Dei sunt reges. Origen. hom. 6. in Iudices: *Regem*, ait, *te omnium facit, si regnet in te Christus. Rex namque a regendo dictus est. Si ergo et in te animus regnat, et corpus obtemperat: si concupiscentias carnis sub iugum imperii tui mittas, si vitiorum gentes sobrietatis tuæ frænis arctioribus premas, merito rex diceris, qui te recte regere noveris:* sic Origenes. Quanto maior es, tanto magis te humilia coram Deo. Athenæus lib. 3. dipnosophist. pag. 94. Pinnarum, ait, quæ in mari degunt, clarissimi sunt uniones, puriores, et grandiores: contra, illarum quæ per æquoris summa fluitant, et sursum evehuntur, minores, colorisque nubili: quia solis radiis percutiantur: hæc Athenæus. Reges ipsi ac principes se Christo submittant, et in eius obsequio condant: ne, si superbiant fiant evanidi et obscuri. 54.

Reges tunc maxime regnant, cum sunt servi Dei.

Gemmæ pulcherrimæ in fundo maris.

Quarto denique, ter David inunctus in regem. Primo, a Samuele occulte in domo Isai patris sui, natus annos 20. Secundo, in Hebron unctus est ab Abiathar Pontifice, aut a Gad, aut ab alio propheta, natus annos 30. et præposi- 55.

David in regem ter inunctus.

tus tribui Iuda, aliis undecim se filio Saulis Isbosetho subdentibus. Tertio denique, unctus est in regem duodecim tribuum in morte Isbosethi, natus annos 37. Hæc tertia unctio facta est etiam in Hebrone urbe.

56. Quæres, quo oleo unctus sit David, cum dicatur hic: *Oleo sancto meo unxi eum?* Resp. primo, videri certum in prima et secunda unctione non fuisse Davidem inunctum oleo sancto, quod e tabernaculo esset desumptum, et quod describitur Exod. 30. 22. Nam primam unctionem cupiebat Samuel esse maxime occultam, ne Saul in se ac Davidem sæviret. In secunda unctione unctus est in Hebron, ut dixi: tunc autem tabernaculum erat Gabaone, et Arca fœderis in Cariathiarim, quæ urbes erant in tribu Beniamin: tribus autem illa obtemperabat Isbosetho regi, qui erat de illa tribu: itaque non potuit inde sumi oleum sanctum, ut ungeretur David, in quem Isboseth bellum cogitabat.

David an unctus oleo sancto, et quando?

Difficultas itaque est de tertia unctione, quæ facta est in publicis totius regni comitiis, cum omnium tribuum consensu et applausu. Primo, Genebrardus censet illam unctionem factam eodem oleo sancto, quo inungebantur ipsi Pontifices ac vasa sanctuarii. Verba eius sunt: *Oleo sancto meo unxi eum.* Si de ipsomet oleo Mosaico intelligas, id Davidi per quamdam dispensationem contigit. Nam diserte Deus vetuerat pœna excidii, ne quis alienus (a familia Aaronis) isto inungeretur, Exod. 30. Videtur autem dispensatum Samuelis et Prophetarum illius sæculi consilio cum regibus familiæ Davidicæ in Christi Domini ex ea orituri gratiam, cuius spiritualis et divinæ unctionis hæc exterior typus fuit. Unde de hoc sacro oleo multa Rabbini tradunt diligenter observanda. Primum fuisse Gabbalaam apud Israelitas, ut illo inungeretur etiam David et eius posteritas, non autem reges alii. Et ita, inquit Aben Ezra, necesse est Mosem interpretari, quoniam Sadoc ex oleo unctionis accepisse legitur in tabernaculo fœderis conservato, ut Salomonem inungeret. Secundo, unctionem factam forma χ Græcorum, sive crucis Burgundæ et decussatæ. Solus R. Selomo excipit reges. Nam eos tradit inauguratos non σταυροειδῶς, sed in modum coronæ: nempe quia non ungebantur, ut eorum maiestas esset sacra, qualis est Pontificum, sed politica, profana, civilis et humana, ne sibi illi titulum aut ius sacerdotii arrogare possent, nedum rerum sacrarum curam vel administrationem. Tertio, e Talmudicis in principio tractatus Keritholh, sive de excisionibus, per modum miraculi durasso usque ad captivitatem Babylonicam, et citra diminutionem suffecisse inaugurandis Pontificibus et regibus per annos nongentos, quali prodigio apud nos ampulla divinitus allata ad consecrandos reges nostros Francicos, etiam hodie post mille octoginta septem annos suggerit Rhemis sanctum chrisma. Quarto, Saulem quidem fuisse unctum, sed oleo per Samuelem ex tempore, non per Mosem, olim consecrato. Sic post captivitatem, Pontifices oleo dumtaxat ad Mosaici compositionem et ritum renovato. Lege R. Levi, v. 57. Exod. 30. hæc Genebrardus.

Quæ forma et figura unctionis regum?

Secundo, Oleaster, Caietanus, Ystella, Lipomanus, Lorinus, et alii, censent oleo sacro et Pontificio nunquam fuisse unctos reges, ob præcisam legem, ne quis oleo sancto, quod erat sacerdotis, præter sacerdotem ungeretur. Rationem ipsam non parum suadere, quæ petitur ex discrimine, quod etiam ea in re decebat constitui inter laicam et sacram dignitatem, sive magistratum: sicut hoc tempore inter Catholicos non eadem ungendi ratio, nec in eadem corporis parte: quia sæcularis princeps ungitur in brachio, sive humero, vel armo: Ecclesiasticus in capite: rex oleo: Pontifex, seu Episcopus, chrismate: ut sciatur, ait Bertrandus Cardinalis Eduensis, tract. de origin. et usu iurisd. qu. 4. quod Episcopus est Vicarius capitis nostri: id est, Iesu Christi: et ut ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis, et principis potestatem. Quod ad hoc vero attinet, videtur in vetere testamento eadem unctionis ratio fuisse, videlicet super caput per modum effusionis, ut Abulensis indicat in 1. Reg. 10. q. 1. et 2. quamvis referat etiam ex R. Salomone, duxisse sacerdotem intinctum digitum per frontem regis ab aure ad aurem, quod Lyranus ait ex eodem, in fronte inter palpebras per modum coronæ: sacerdotes autem unctos fuisse in vertice, secundum crucis decussatæ figuram: ita Lorinus.

Tertio denique, arbitror saltem Davidem et Salomonem reges fuisse unctos oleo sacro, quo etiam Pontifices et vasa sacra inungi solebant. De Salomone id satis videtur clarum, cum dicatur, 3. Reg. 1. 39. *Sumpsit Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, et unxit Salomonem.* Non erat in tabernaculo oleum aliud quam illud, quo ipsi etiam Pontifices ungebantur. De Davide hic dicitur: *Oleo sancto meo unxi eum.* Ubi notandum est, τὸ *meo:* proprie autem oleum Dei erat illud, quod Deus Mosi imperarat, compositum ex aromatibus: nempe ex myrrha, cinnamomo, casia, et calamo, quæ oleo olivarum miscebantur, Exod. 30. 23. et 31. ac 32. Idem factitatum fuisse in cæteris regibus Iuda, ex quibus Christus erat oriturus, est probabile; reges vero Israel schismaticos et idololatras unctos fuisse alio oleo: item Absalonem rebellem, 2. Reg. 19. 10. unctus est enim absente Pontifice, et fugiente cum David. Unguntur porro reges, ut denotetur eos Dei gratia et spiritu intus inungi, ut curas et labores regni placide et quiete ferre possint. Ut enim ait S. Chrysost. hom. 15. ad Philippens. regum caput non ita cingit corona, ut mentem curæ: ita ille. Itaque est opus oleo, ut computrescat iugum a facie olei; 2. ut discant esse populo benigni et misericordes; ἔλεος misericordia, et ἔλαιον, hoc est oleum, magnam habent vocum affinitatem: et olei ac misericordiæ effectus sunt similes. 57.

Cur reges unguntur?

58. De Christi unctione satis dixi Psal. 44. 8. in illud: *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Adde S. Bonav. tom. 6. in diæta salutis cap. 4. tit. 7. pag. 311. Misericordia, inquit, et interna Christi passio, prima Christi lectio, optima Christi unctio: hæc ipse. Lacus in India est apud Pygmæos, cui oleum supernatat, cum nullus aspirat ventus, ut docet Ctesias in Indicis. Multi sunt benigni et faciles, cum nihil asperum exoritur: in duris vero, toti ferociunt. In mediis tormentis Christus est clementissimus, et pro suis inimicis orat. Idem auctor ait, in Carmania oleum e spina fieri, quo rex utitur: ex ipsa sua passione Christus unguentum facit, ut curet nostra vulnera. Oleum hoc diffundit in Christianos, ut coram se luceant et ardeant. Guillelmus in cap. 8. Cant. Lampades charitatis, ait, id est in quibus ardet charitas, corda sanctorum sunt, in quibus sane oleum gratiæ est.

Christi unctio.

Oleum e spina in Carmania.

Christum regem inunctum Deus potentem facit, et ab hostibus servat, v. 21. MANUS ENIM MEA AUXILIABITUR EI, ET BRACHIUM MEUM CONFORTABIT EUM. Vers. 21.

Vers. 22. NIHIL PROFICIET INIMICUS IN EO, ET FILIUS INIQUITATIS NON APPONET NOCERE EI. S. Hieronym. non affliget eum. Vers. 22.

Nota, manus Dei Primo, suscipit nos venientes ad se. Ps. 62. 9. *Me suscepit dextera tua.* Secundo, cooperatur laboranti. Gabaonitæ obsessi orant Iosue, qui fuit Christi figura, Ios. 10. 6. *Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum: ascende cito, et libera nos.* Tertio, suffulsit cadentem. Ps. 36. 24. *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Quarto denique, ab hoste servat. Psal. 118. 173. *Fiat manus tua, ut salvet me.* Symbol. manus Dei est Christus: per eum enim, velut instrumentum maxime coniunctum, Deus operatus est omnia. Colos. 1. 16. *In ipso condita sunt universa in cælis, et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Nobis quoque manus operi est admovenda. Scipio iunior alicui clypeum præclare ornatum ostentanti: Clypeus quidem, ait, adolescens, pulcher est: sed Romanum virum magis decet in dextera sua fiduciam habere, quam in sinistra collocatam, ut ait Plutarch. in apophthegmatis.

Manus Dei nos iuvat.

Nota secundo, robur nostrum a Deo est: *Et brachium*

59. *meum confortabit eum*. Hebr. Syr. Arab. roborabit eum. S. Petrus 1. epist. 5. 10. *Deus, ait, omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque*. S. Paulus 2. Thessalon. 3. v. 3. *Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo*. Robur Samsonis miramur, sed a Deo infusum erat. Dicitur enim Iudic. 14. 6. *Irruit Spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu sua*. Solus abstulit portas urbis Gazæ, et hostes insidiantes evasit, solus asini maxilla armatus interfecit mille viros, funes fortissimos, velut stupam, fregit: domum, in qua cœnabant Philisthæorum principes, et innumerus populus spectabat, concussis columnis evertit. Nihil est impossibile Deo roborante. Hinc ortum est robur Martyrum, de quo fuse dixi Ps. 43. Adiunge verba S. Basilii orat. de S. Barlaam martyre, pag. 513. *Talis*, inquit, *nobis hodie laudatur miles, qui supplicia loco gaudii duxit. Flagellis se, tamquam rosis, impeti arbitratus, pietatis offuscationem non secus atque iacula declinavit. Iudiciarium furorem, quasi quamdam fumi offusionem, reputavit. Efferas satellitum acies risit, pericula calcavit, quasi super rosis tripudiaret. Plagis affectus lætatus est, ac si honore afficeretur. In suppliciis vehementioribus non secus exultavit, quam si præclara bravia acciperet. Nudatos gladios despuit, manus lictorum tamquam cera molliores sustinuit. Lignum tormento deputatum, velut salutiferum complexus salutavit. Carceris clausura*, ὡς λειμῶνι τερπόμενος *quasi prato quodam viridi, oblectatus est, tormentorum adinventionibus*, ὡς ἀνθέων ποικιλίαις ἡδόμενος, *veluti variis flosculis iucundatus est. Dexteram habuit igne firmiorem, quod illi postremum ab hostibus machinamentum admotum est*: hæc ille. Nec martyrum modo, sed aliorum etiam sanctorum robur infractum fuit. Iovianus Imp. S. Athanasii invictam fortitudinem celebrat, epistola ad ipsum scripta. Pericula, inquit, et gladii minas flocci fecisti, charæ tibi orthodoxæ fidei clavum moderatus, huc usque pro veritate depugnas: exemplum autem populo universo fidelium, et τύπον ἀρετῆς, typum virtutis teipsum exhibes. Hermas S. Pauli discipulus libr. 2. Pastoris, mandato 7. dat optimum monitum: Time Dominum, ait, et mandata eius custodi. Servans enim præcepta Dei, eris potens in omni actu, et omne negotium tuum erit incomparabile. Ita Hermas, seu potius angelus ei loquens.

Robur nostrum est a Deo.

Robur martyrum.

60. Nota tertio, nullius nocet, ubi Deus iuvat: *Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis*, id est, iniquissimus: est Hebraismus, *non apponet nocere ei*. Idem est hoc loco inimicus et filius iniquitatis. Lorinus censet, filium iniquitatis hic intelligi Saulem. 2. Lyranus, Absalonem. 3. S. Hieronymus in cap. 57. Isaiæ, Iudam. 4. Clemens Alex. lib. 3. in Isaiam, cap. 32. Iudæos. 5. Cassiodorus, diabolum. 6. Hi omnes, partim litteraliter, partim mystice sumi possunt. Dæmon filius est iniquitatis, quia ob peccatum talis est factus, et quia eam amat. Est etiam parens iniquitatis, cum eam propaget. De luxuria præsertim tentat Asmodæus: de ira, Abbaddon: de gula et veneficio, Beelzebub: de invidia, Leviathan: de acedia, Beelphegor. Quilibet tamen omnem movet lapidem, ut venena suffundat omnia. Orig. libr. 3. Periarchon cap. 2. S. Gregor. Nyss. de vita Mosis, Magister sententiarum in 2. dist. 11. censent, datum singulis dæmonem peculiarem, qui eos tentet. Empedocles apud Plutarch. opusculo de tranquillitate mentis arbitratur, geminum dæmonem unicuique constitui a die nativitatis. Et aliqui confirmant dicto Pauli 2. Corinth. 12. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet*. Lucifer quidem est simia Dei, sed an singulis dæmonem tentatorem assignet, non est certum, et alius est sensus Apostoli. Sed quidquid sit de illa re, nihil timandum est. Nam, ut monemur 1. Cor. 15. 57. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*. Rom. 16. 20. *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter*. Iacob 4. 7. *Resistite diabolo, et fugiet a vobis*. Superbus est, pudebit illum sæpe vinci. Iustis fortiter pugnantibus id accidet, quod Iosue et populo Dei, Ios. 21. 42. *Data est ab eo pax in omnes per circuitum nationes: nullusque eis hostium resistere ausus est: sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt*. S. August. in Psal. nost. non modo non nocere, sed etiam prodesse diabolum docet. Exercebit, inquit, non nocebit: proderit sæviendo, quia in quos sævit, coronabuntur vincendo. S. Chrysost. tom. 1. hom. 25. integra, pag. 324. probat diaboli malitiam nobis non nocere. Inter cætera comparat tentationem viperæ, ex qua fit theriaca: *Sicut*, inquit, *medici viperas sumunt, et perniciosis membris resectis theriaca medicamenta conficiunt: ita quoque Paulus fecit, quidquid inerat utile ex illato a diabolo supplicio sumens, reliquum omisit*. Alio simili utitur tom. 4. epis. 107. ad Castum, Valerium, etc. vocat χρυσᾶς ψυχάς, aureas animas iustorum, aitque eas tentatione purgari, velut aurum igne. In urbe Cæsaraugustana, si recte memini, tempestas coorta est in patres nostros sine ulla culpa. Id ut audivit S. Ignatius, respondit: Tempestatem illam contra societatem, sine Societatis culpa, coortam, significationem quamdam esse futuri in ea urbe proventus. Eo enim uberiores lætioresque terræ solum fruges effundere, quo maior esset hybernæ tempestatis antegressa tristitia. Societatemque in iis semper locis fœcundiorem fuisse, ubi magis vulgo depressa, maioribusque iactata iniuriis et agitata fuisset. S. Paulus Corinthiis proventum ex tentatione promittit, 1. Epist. 10. 13. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Laban afflixit Iacobum Patriarcham, et eum mercede sua privare conatus est, sed Deus illum ditavit: fugientem persecutus est, sed Deus in somnis apparens, dixit, Gen. 31. 29. *Cave ne quidquam aspere loquaris contra Iacob*. Ne verba quidem ei libera permittuntur, nedum opera. Iobum ad summam calamitatem deiicere dæmon optabat, ait illi Deus cap. 1. 12. *In eum ne extendas manum tuam*. Tunc Deo permittente omnia quæ habebat, evertit, succendit, et perdidit: sed ne capitis quidem pilum attigit. Maiori rabie incitatus facultatem petit eum affligendi: atque, ut virtus eius appareret, impetrat, hoc tamen adiecto cap. 2. 6. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva*. Hinc Iob sentiens potentem Dei manum se adiuvantem, dicebat cap. 17. 3. *Pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me*. David noster ait Ps. 118. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*. Arias, offensio. Vide dicta Ps. 22. 4. S. Petrus 1. epist. 3. 13. ait: *Quis est qui vos noceat, si boni æmulatores fueritis?* Anastasius Dicorus Imp. hæreticus ante obitum, nunciatis sibi insidiis multos comprehenderat, et inter cæteros Iustinum et Iustinianum, qui postea imperarunt, et illos volebat occidere. Sed est deterritus somnio, cum vir terribilis ei astitisse visus esset, ac dicere: Iustino et Iustiniano ne quid mali feceris. Nam uterque suo tempore Deo inserviet, ait Zonaras tom. 3. in Anastasio. Postea uterque fuit Imperator. Ieremiæ Prophetæ illud auxilium pollicetur Deus cap. 1. 18. et universo populo Israel, 2. Reg. 7. 10.

Nihil nocet cum Deus iuvat.

Tentatio est vipera, ex qua fit theriaca.

Iustinus et Iustinianus a Deo servati.

61. Nota quarto, non modo impii non nocent Iustis, sed etiam ipsi pereunt: v. 23. Et concidam (Hebr. contundam, conteram) a facie ipsius (S. Hieron. ante faciam eius) inimicos eius, et odientes eum in fugam convertam, semper eorum tergo insistendo, eosque confodiendo. Hebr. enim est אגוף *eggoph*, id est, percutiam, ut vertit Hieronymus: conteram, ut Syrus. Deus id interminatur, Psal. 128. 4. *Deus iustus concidit cervices peccatorum*: eas in Deum erigebant, iustum est ut capita minuantur. Germani cuiusdam militis eximia fortitudo narratur a Niceta Choniata lib. 2. fol. 47. in Isaacio angelo: In exercitu, inquit, Friderici Imp. quidam Germanus corpore ingenti equum fatigatum trahebat longe post socios: Ismaelitæ quinquaginta ipsum aggressi sunt: sed ipse, velut rupes hæsit, eos contemnens: cumque unus in eum insilire vellet, pedes equi anteriores, velut fœnum, gladio

Vers. 23. Impii a Deo conciduntur.

Robur mirabile Germani militis.

amputavit: cumque equus adhuc sessorem sustineret, ensem in medium caput Persæ ita adegit, ut equite in duas partes dissecto, etiam iumenti tergum, sella quoque dissecta, vulneraret; eoque attonitos Persas non amplius ausos esse illum aggredi, ferunt: hæc ille. Nonne illud est a facie iusti hostes concidi? David percussit Philisthæos in Baal Pharasim, et dixit: *Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ,* 2. Reg. 5. Cum Mahometes Turcarum Imper. regem Persarum Usumcassanum prælio vicisset, domum rediens in singulis locis, ubi stativa habuit, quingentos captivos per medium secari iussit, et insepultos abiici, ut Armeniam terrore compleret. Deus est Dominus exercituum, a cuius facie omnes timeant. Is. 19. *In die illa erit Ægyptus quasi mulieres, et stupebunt, et timebunt a facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse movebit super eam: et erit terra Iuda Ægypto in pavorem.* Terra Iuda est vir iustus Deo confitens.

62. *Fuga est morte peior viro forti.* Nota quinto, viro forti fuga est morte peior. Iudas Machabæus cum a suis moneretur, ut se hosti subduceret ob eius multitudinem et robur, respondit lib. 1. Mac. 9. 10. *Absit istam rem facere, ut fugiamus ab eis: et si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, et non inferamus crimen gloriæ nostræ.* In eo prælio fortiter pugnans occubuit. Henricus IV. rex Franciæ, in Burgundia existens cum trecentis aut quadringentis tantum equitibus, cum suos fugere cerneret, atque hostem eorum tergo instantem, moneretur que totum exercitum ad pugnam avolare, fugam capere noluit; sed in densissimos cuneos se immittens, eorum impetum sustinuit, fugaces periculo regis et fortitudine incitati animos resumpserunt, et in fugam hostes verterunt usque ad conspectum exercitus ipsorum, ut ait du Pleix in hist. Franciæ. *Henrici IV. fortitudo.* Cum Dionysius Tyrannus a Syracusanis obsideretur, atque cedere vellet principatu, Heloris amicorum unus ait: καλον ενταφιον ἐστιν ἡ τυραννις, præclarum est sepulcrum principatus. Cumque Polyxenus socer esset auctor, ut velocissimo equo fugeret ad Campanos, Philistbis historiæ postea scriptor dixit: Ego vero arbitror convenire non ut velut ex equo, ita ex tyrannida, volens descendas, sed ut vi attractus, si necesse est, decidas, vel cum periculo cruris confringendi.

ARTICULUS III.

Custodes imperii Christi, et eius amplitudo.

Belli tempore securitatem esse sub rege Christo declaravit Propheta, nunc ad pacis tempora delabitur, et ait: veritate et misericordia regnum eius florere. Vers. 24.

Vers. 24. ET VERITAS MEA ET MISERICORDIA MEA (erit, ut addit S. Hieron.) CUM IPSO, ET IN NOMINE MEO EXALTABITUR CORNU NOSTRUM. De exaltatione cornu vide dicta supra Ps. 74. v. 11.

63. *Per Christum est veritas.* Nota, veritas est historiæ, quod animantibus oculus, ut ait Nicephorus Gregoras lib. 1. idem dici potest de omni homine et actione, sine veritate omnia cæca sunt, et in tenebris. A Christo illa lux veritatis petenda est. Ioann. 14. 6. ipse se veritatem vocat: et cap. 15. 26. Spiritum sanctum vocat spiritum veritatis: ab eo doctrinam veritatis orituram docet, cap. 16. 13. *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Pater quoque verax est; cap. 17. v. 17. *Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est.* Pharisæi ipsi et Herodiani virtutem hanc in deliciis Christo esse ostendunt, cum ei dicunt Matth. 22. 16. *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces.* Christus est sol orbem illustrans. Clemens Alex. lib. 1. Strom. pag. 318. Quemadmodum, ait, ut quis calefiat, et sol, et ignis, et balneum, et vestis: ita cum sit una veritas, multa sunt quæ conferunt ad eius inquisitionem: inventio autem est per filium: hæc ille. Christus est vera sapientia, quæ homines illuminat: si itaque philosophi tanto studio quærunt veritatem humanæ sapientiæ, ut ad eam velut ad portum tendant, quid nos facere addecet? De illis philosophis ait Lactantius lib. 1. divin. institut. cap. 1. Si quidam, ait, maximi oratores professionis suæ quasi veterani, decursis operibus actionum suarum, postremo se Philosophiæ tradiderunt: eamque sibi *requiem laborum* iustissimam putaverunt, quanto iustius ego me ad illam piam, verum, divinamque sapientiam, *quasi ad portum aliquem tutissimum,* conferam: in qua omnia dictu prona sunt, auditu suavia, facilia intellectu, honesta susceptu: ita Lactantius.

Nota secundo, misericordia est firmissimum regni columen. Agasicles Lacedæmoniorum rex, interrogatus: Quomodo sine stipatoribus posset esse tutus; respondit: Si subditis ita imperaret, ut pater filiis, ait Plutarch. in apophthegm. Laconicis, pag. 208. Misericordiam et benignitatem virtutem esse maxime regiam docet Themistius orat. 10. pag. 230. Quisquis, inquit, ferociter aliquid et insolenter tentantes barbaros nimia cum atrocitate persequitur, hic se Romanorum dumtaxat Imperatorem existimat. Quicumque vero et vincit, et parcit, agnoscit se βασιλεα παντων ανθρωπων, *omnium hominum Imperatorem:* eorumque magis quos, cum penitus profligare posset, eripuerit et servarit. 64. *Misericordia est columen regni.*

Nota tertio, pulchra est veritas, pulchra misericordia: sed si utraque simul iungatur, splendor admirabilis exoritur: *Veritas mea et misericordia mea cum ipso.* Has virtutes sæpe iungit Propheta. Vide dicta Psalm. 24. 10. in illud: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas;* et Ps. 84. 11. Christus dicitur Ioan. 1. 14. *Plenus gratiæ et veritatis:* et additur v. 17. *Lex per Mosem data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Veritatem Christo iungi dicit S. Hieronymus in hunc Psalmum, quia ea, quæ a Patre audivit, loquitur. Misericordiam vero, quia sanat infirmos, tam in mente quam in corpore. S. Augustinus id nobis accommodat: Misericordiam, ait, ut miserorum misereamur. Veritatem, ut non inique iudicemus. Si per misericordiam iudicaveris contra veritatem, aut quasi rigida veritate oblitus fueris misericordiam, non ambulabis in via Dei, ubi misericordia et veritas obviaverunt sibi: hæc Augustinus. 65. *Misericordia et veritas simul iungendæ.*

Hæc sunt duo sponsi ubera, de quibus Cant. 1. 2. *Meliora sunt ubera tuo vino.* Quem locum explanans Ugo Cardin. ait: Dextrum uber sponsi est congratulatio, de quo funditur lac exhortationis. Sinistrum uber est compassio, de quo sugitur lac consolationis. Unde Rom. 12. 15. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Habet et sponsus alia duo ubera, quibus incessanter lactat filios suos, quæ sunt misericordia et veritas: dexterum misericordia, sinistrum veritas. Et de misericordia sugitur lac indulgentiæ: de veritate vero sugitur lac doctrinæ: sic Ugo. Easdem virtutes agnoscit sponsa, v. 14. *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi;* ubi idem auctor sic loquitur: Cyprus interpretatur mœror; botrus, floritio. Unde alia translatio, pro botrus Cypri, habet, floritio mœroris: quia illi soli erunt florentes cum eo in resurrectione, qui fuerunt cum eo mœrentes in passione. Unde 2. Timoth. 2. *Fidelis sermo, etc. Nam si commortui sumus, et convivemus: si sustinebimus, et conregnabimus.* Vineæ Engaddi, ubi crescit balsamum, cuius arbores ad modum vinearum excoluntur, sunt vineæ balsami, sicut dicit Glossa. Et significant claustra, ubi similiter debent esse botrus Cypri, et balsamum Engaddi, id est, zelus districtionis et suavitatis mansuetudinis, quæ significat arca testamenti, in qua similiter et virga et manna fuerunt, virga æquitatis, et manna lenitatis. Neutrum per se sufficit ad salutem. Unde et medendis vulneribus sauciati, Samaritanus ille Evangelicus, vinum et oleum superfudit, Luc. 10. hæc Ugo. S. Bernard. serm. ad milites templi notat, vallem Iosaphat, in qua futurum est iudicium, esse proximam monti Oliveti, hoc est misericordiæ. Verba eius sunt: *Ascenditur in montem Oliveti, descenditur in vallem Iosaphat: ut si divitias divinæ misericordiæ cogites, quatenus horrorem iudicii nequaquam dissimules: quia et si multis miserationibus suis multus est ad ignoscendum; iudicia tamen eius nihilominus abyssus multa.*

S. Benedicti monitum.

S. Benedictus monet Abbates, ut severitati lenitatem misceant. Sic enim ait in sua regula cap. 2. In doctrina sua Abbas apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit: Argue, obsecra, increpa: id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, durum magistri, pium patris affectum: id est, indisciplinatos et inquietos debet durius arguere: obedientes autem, et mites, et patientes, ut in melius proficiant, obsecrare: negligentes autem, et contemnentes, ut increpet et corripiat, admonemus. Concilium Tridentinum session. 13. cap. 1. de reformatione, idem monet Pastores: Si quid, inquit, per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda præceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni lenitate et patientia: *Cum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas: plus exhortatio, quam comminatio: plus charitas, quam potestas.* Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur; et qui correcti fuerint, emendentur: aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animadversionis exemplo a vitiis deterreantur: cum sit diligentis et pii simul pastoris officium, morbis ovium lenia primum adhibere fomenta: post ubi morbi gravitas ita postulet, ad acriora et graviora remedia descendere: sin autem ne ea quidem proficiant, illis submovendis, cæteras saltem oves a contagionis periculo liberare: ita Tridentinum.

66. Vers. 25.

Quod autem spectat ad Christi dominium, per totam terram extenditur, v. 25. ET PONAM IN MARI MANUM EIUS, ET IN FLUMINIBUS DEXTERAM EIUS. Nota, dominii actus est, rem manu apprehendere, vel in ea pedem ponere: unde nonnulli censent possessionem esse dictam, q. d. Pedis sessionem, seu positionem: alii vero a posse derivant. Quidquid sit de ea re, hic alluditur ad fines terræ promissæ, quæ ab occidente habet mare mediterraneum, et ab oriente fluvium Euphratem, a meridie Nilum. Alexandrum regem quidam artifex ita se expressurum dicebat, ut altera manu unam urbem, altera fluvium unum effunderet.

Christi potestas est in toto orbe.

Christus est immensæ molis gigas montibus omnibus altior, qui altera manu terram, altera mare complectitur, et ab orientali mari usque ad occidentale brachia sua extendit. Ps. 71. v. 8. *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Est ille angelus Apoc. 10. 1. qui altero pede terram, altero mare premit. Ait porro ibi S. Ioannes: *Vidi alterum angelum fortem descendentem de cælo amictum nube, et iris in capite eius, et facies eius erat ut sol, et pedes eius tamquam columnæ ignis: et habebat in manu sua libellum apertum, et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.* Beda, Primasius, et Richardus a S. Victore censent, angelum illum esse Christum, qui de cælo descendit in Incarnatione. Iridem gestat, quia legatus est pacis. Terræ ac mari dominatur: ideo pedem unum terræ, et alterum mari, veluti dominus possessor, imponit. Pes eius dexter est misericordia: sinister, est iustitia. Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas. Librum habet apertum, quia mysterium gratiæ et veritatis revelavit. Rugit instar leonis, quia pœnas gehennæ ignis impiis denunciat: iuratque, quod post diem iudicii non erit amplius tempus. Post eius vocem locuta sunt septem tonitrua: id est, omnes Apostoli prædicarunt toto orbe: qui æque ut Iacobus et Ioannes fuerunt Boanerges, id est, filii tonitrui: hæc illi.

67. Christus habet in dextra fluvios, in sinistra mare, et cur?

Quæres, cur dicitur Christus habere in manu, id est in sinistra, mare: et in dextera, flumina: cum contrarium dicere videatur convenientius? Resp. primo, Vatablus nulla habita ratione distinctionis sinistræ et dexteræ, ob maiorem quantitatem aquæ quam terræ, per potentiam et imperium in mare ac flumina, censet colligi multo magis imperium in terram: esseque argumentum a minori ad maius. Sed male supponit esse maiorem quantitatem aquæ quam terræ, ut alias ostendi. Secundo itaque dico, tribui mare sinistræ, flumina dexteræ Christi: quia fit allusio ad terram promissam, ut dixi. In orientali autem parte est fluvius Euphrates, velut in parte dextra mundi: mare vero mediterraneum respectu Iudææ est occidentale, velut in parte mundi sinistra.

Mystice. Per mare Primo, intellige gentiles cum S. Augustino. Secundo, mundanos cum S. Hieronymo; hi enim innumeros et periculosos, ac maxime agitatos fluctus habent. Richardus a S. Victore tractato de exterminio mali, et promotione boni, varia percenset maria, aut mare variis modis constitutum. Mare enim rubrum ad allegoriam trahens, sic ait: Huiusmodi mare alii habent ante se, alii iuxta se, alii autem post se. Qui autem ante se habent, est eis ad impedimentum. Qui iuxta se habent, est eis in adiutorium. Qui post se habent, est eis ad firmamentum. Ante nos futura, iuxta nos præsentia, post nos præterita. Mare ante nos, timor futurorum periculorum est. Mare iuxta nos, labor incumbentium certaminum est. Mare post nos, dolor perpetratorum malorum. Mare ante nos, timor pusillanimitatis. Mare iuxta nos, labor sollicitudinis. Mare post nos, dolor pœnitudinis. Timor pusillanimitatis impedit, labor sollicitudinis munit, dolor pœnitudinis protegit. Et cap. 8. *Quid est,* ait, *cordis trepidatio, mentis hæsitatio, nisi quædam maris fluctuatio?* S. Hieronymus in epistola ad Rusticum sibi in huius mundi mari cavendum docet: Totum, ait, quod apprehensa manu insinuare tibi cupio, quod quasi doctus nauta, post multa naufragia, rudem conor instruere rectorem, illud est, ut in quo littore pudicitiæ pirata sit noveris, ubi Charybdis et radix omnium malorum avaritia, ubi Scyllæi obtrectatorum canes, de quibus Apostolus loquitur: Ne mordentes invicem, mutuo consumamini. Quomodo in media tranquillitate securi Libycis interdum vitiorum syrtibus obruamur, quid venenatorum animantium desertum huius sæculi nutriat: hæc Hieronymus. Mare duplex, et utrumque bonum, assignat Richard. a S. Vict. mox citatus cap. 10. Mœror, inquit, pro bonis æternis, mare est a dextris: mœror, pro malis æternis, mare est a sinistris. Sane; si sanæ mentis sumus, pro utrisque debemus timere, dolere, et amaris compunctionis lacrymis affluere: ista timeamus amittere, illa timeamus incurrere, et habemus geminum mare, muniens nos fortiter, et ab utroque latere: sic ille.

68. Mare quid? Mare ante nos, iuxta nos, et post nos.

69. Flumina quid figurent?

Flumina vero sunt primo inconstantia rerum terrenarum, et cordis humani. Petr. Cellensis epist. 13. *Currit, fluit, fugit, labitur, et evanescit, quidquid unquam habere potest mundanus usus.* S. August. in Psal. nostr. flumina esse dicit cupidos, qui ad mare deliciarum, opum et honorum currunt. Flumina, inquit, currunt in mare, cupidi homines in amaritudinem huius sæculi prolabuntur: omnia tamen ista genera Christo subdita erunt: ita Augustinus. Itaque si S. Gregorius Thaumaturgus Lycum fluvium suo baculo sistere potuit, et efficere ut baculus ille radices ageret, atque in arborem cresceret. Si S. Attalus Abbas baculum tradens Sinoaldo diacono fluvium alium magno impetu exundantem compescuit, cum monasterii molendinum ablaturus videretur: quid timeamus Deo propugnatore, in nos exundantes sceleratos? Secundo, hic melius flumina sumas in bonam partem. S. Bonaventura serm. 7. in Hexaem. Flumen, inquit, est gratia Spiritus sancti diffusa in has quatuor virtutes. Phison respondet temperantiæ: Gehon, prudentiæ: Tigris, fortitudini: Euphrates iustitiæ. Phison respondet rationali: Gehon, concupiscibili: Tigris, irascibili: Euphrates, toti animæ: hæc ille. De gratia Dei ait Propheta Psal. 45. 5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Similis est Nilo, et aliis fluviis terram sua inundatione fœcundantibus. In Assyriorum terra parum pluit: quod in ea frumenti germinat, id demum est, quod ex flumine irrigatur, ut ait Herodot. in Clio, seu lib. 1. pag. 80. Inter Brasilos quoque in America fluvius est, quem indigenæ Paragaium vocant; Lusitani et Hispani. *Rio de la plata,* id est fluvium argenteum: tantæ est amplitudinis, ut Nilum, Gangem, et Eupbra-

S. Gregorius sistit Lycum fluvium suo baculo.

Fluvius argenteus.

tem simul innctos superet, sicut dicit noster Acosta: quadraginta leucas latitudinis occupat, ubi in mare influit: singulis annis ad Nili modum exundat.

ARTICULUS IV.

Amor Patris æterni erga Christum filium suum, quem regem orbis constituit.

70. Christi Regis in totum orbem declarata potestate, causam aperit Pater æternus, quod scilicet sit filius
Vers. 26. eius, vers. 26. Ipse invocabit me: Pater meus es tu: Deus meus, et susceptor (Hebr. צוּר *tsur*, id est, rupes: ita Felix et Arias; petra: ita Campensis; adiutor: ita Flamin, fortitudo: ita S. Hieron. et Pagninus. Sept. ἀντιλήπτωρ, id est susceptor, adiutor, auxiliator) salutis meæ.

Vers. 27. Vers. 27. Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.

Vers. 28. Vers. 28. In æternum servabo (S. Hier. custodiam) illi misericordiam meam, et testamentum (Hebr. pactum) meum fidele ipsi.

Vers. 29. Vers. 29. Et ponam in sæculum sæculi (S. Hieron. in perpetuum) semen eius (Chald. filios eius) et thronum eius sicut dies cæli. Chaldæus, iuxta dies quibus steterint cæli. Hoc illud eat testamentum seu pactum fidele et stabile, Patris æterni cum Christo, ut scilicet ponat in sæculum sæculi, id est, in totam æternitatem, semen eius, seu filios ipsius sanguine redemptos, et thronum atque imperium æternum reddat, atque luminosum et gloriosum.

71. Christus Deum vocat patrem. Nota primo, Christus sæpe Deum vocavit patrem. Primo, illum laudando, Matth. 11. 25. Secundo, eum pro se orando. Ioan. 12. 27. *Pater, salvifica me ex hac hora.* Tertio, orando pro suis. Ioan. 17. 11. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Quarto, illius se perfectam cognitionem habere declarando, Ioan. 10. 15. Quinto, conformitatem voluntatis suæ cum illo aperiendo, Matth. 26. 39. Sexto, amari se ab illo protestando. Ioan. 3. 35. *Pater diligit filium, et omnia dedit in manu eius.* Septimo, animam suam illi commendando in cruce, Luc. 23. 46.

72. Iusti sunt filii Dei. Deus quoque iustos asciscit et adoptat sibi in filios. S. Paulus Rom. 8. 15. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba, Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Galatis idem dicit, cap. 4. 6. *Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater.* Christus ipse dicit Apostolis, Ioan. 20. 17. *Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* De Salomone dixerat Deus, 2. Regum 7. 14. *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Arrianus in Bithyniacis docet, a Bithynis Iovem Pappam, id est patrem, in montium verticibus cultum esse: et Herodotus in Melpomene tradit, a Scythis Deum vocatum esse Pappæum, id est, patrem. A Latinis supremus deorum dictus est Iuppiter, q. d. Iuvans pater. Alexander in templo Iovis Ammonis, quod erat in Africa, ab antistite loci appellatus Iovis filius, dixit hoc non esse mirum. Iovem enim qui omnium natura sit pater, optimos suorum filiorum nomine dignari, ut refert Plutarchus in apophthegmatis. S. Chromatius Episcop. Aquileiensis, qui floruit circa annum 390. concion. 1. de octo beatitudinibus, hanc filiationem Dei vocat, magnæ gratiæ munus. Quanta, inquit, Domini circa nos dilectio! quanta misericordia eius et pietas, quæ nobis *tantæ gratiæ munus* indulsit, ut licenter Dominum ac Deum nostrum servi Patrem dicere audeamus! S. Chrysologus Archiep. Ravennas, qui floruit circa annum 440. hoc Dei donum cæteris omnibus admirabilius esse dicit: Omnia, inquit, quæ divinitus dicta factaque referuntur, sunt miraculo, sunt stupori, sunt pavenda mortalibus, ipsis etiam cæiestibus sunt tremenda: sed *nihil tam stupet cælum, pavet terra, expavescit universa creatura,* quam quod vos estis hodie nobis dicentibus audituri. Servus dominum, patrem vocare audet, iudicem suum reus nuncupat genitorem, conditio terrena sua se voce adoptat in filium: qui terrena perdidit, æstimat se divinitatis hæredem: ita Chrysologus. S. Gregor. Nyssen. ait, hominem fieri Deum, cum filius Dei fiat. Sic enim ait orat. 7. de beatitudinibus pag. 822. Quæ, ait, gratiarum actio huic beneficio par inveniri potest? quæ vox, quæ sententia, quis cogitationis motus, quibus χάριτος ὑπερβολὴν, insuperabile beneficium celebretur? Excedit homo suam ipsius naturam, immortalis ex mortali, ex fragili et caduco integer et incorruptus, ex diario et temporario sempiternus: in summa, Θεὸς ἐξ ἀνθρώπου γινόμενος, *Deus ex homine evadens.* Nam cum dignus habitus sit, qui filius Dei fiat, dignitatem patris in sese prorsus habebit, atque omnium paternorum bonorum hæres existit: ita Gregorius, qui etiam oratione 2. de oratione Domini pag. 726. optat sibi alas columbæ, ut terram omnem, aerem, sidera, omnesque creaturas prætergressus, in immutabili et immobili animæ statu, possit dicere, familiari et amica voce, Pater. Nam quali opus est animo? οἵας παρρησίας, quanta fiducia? quali conscientia? ut ubi Deum, quod eius fieri potest, per eas appellationes, quæ in illo animadvertuntur, ad intellectum inenarrabilis gloriæ quasi manuductus, mente conceperit atque didicerit, quod divina natura, quodcumque tandem ea sit ipsa, bonitas sit, sanctimonia, exultatio, potentia, gloria, puritas, æternitas, semper modo eodem atque similiter se habens, etc. deinde talem emittere vocem, ut eum qui talis sit, suum patrem nominare audeat? Hæc ipse.

Mutuum affectum et officium hominis erga tam benignum parentem hæc divina filiatio exigit. Primo enim, si filii Dei sumus, amare debemus primogenitum nostrum. Ioannis 8. v. 42. *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me: quia ex Deo processi, et veni.* Secundo, fiducia in Deo patre nostro est habenda. Ut enim ait Christus Matthæi 7. 11. *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se.* Tertio, intentio sincera, et voluntas illi placendi habenda est. Matthæi 6. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quarto, perfectio excellens est quærenda. Matth. 5. 48. *Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester cælestis perfectus est.* Quinto, inimici amandi sunt. Matthæi. 5. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: et orate pro persequentibus et calumniantibus vos: ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum lucere facit super bonos et malos: et pluit super iustos et iniustos.* Iniuriam Deo irrogat, qui se eius filium profitetur, et male vivit. S. Gregorius Nyssenus orat. 2. de oration. Domin. pag. 726. dicit, Pater, iusto iniustus, puro impurus: contumelia et convicium plane ea verba sunt. Ananus senior inter felicissimos censetur, quod quinque liberos habuerit, omnes potitos summo Pontificatu, cum ipse ad satietatem eo functus esset, ut ait Iosephus lib. 20. antiq. cap. 8. pag. 698. Contra vero, miserum dicere possumus Gedeonem, cuius filius Abimelech fratres suos septuaginta interfecit super unum lapidem, Iudic. 9. solo Ioathamo, natu minimo, fuga elapso. Quantus dolor est Deo, cum tot liberos a dæmone in ignes æternos proiici videt? Impostor quidam, dictus la Ramee, filium se Caroli IX. Francorum regis iactitabat, et a Catharina Medicea celatum, ut quem maxime amabat Henricum III. filium, regem faceret: regnabat iam Henricus IV. et nonnulli aures accommodabant impostori, ut in tumultu publico commoda sua quærerent: sed captus in hanc Rhemensem urbem deductus est, et ad mortem damnatus: cum Parisiensem curiam appellasset, sententia confirmata est: additumque, ut corpus eius cremaretur, et cineres proiicerentur, ut ait du Pleix in historia Franciæ. Cavendum est, ne pro impostoribus habeamur, cum Dei nos filios et regni hæredes dicemus, nisi nomini mores respondeant. Augustus Pseudo-Alexandrum agnovit ex duritie manuum, et ad triremes illum damnavit. Operum aspectu patebit, quales simus. Christus vocat Scribas et Pharisæos generationem malam et adulteram, id est, adulte-

73. Deum amemus, cum simus eius filii.

Ananus in quinque liberis felix.

Impostor se fingens filium Caroli IX.

rinam atque degenerem a fide et virtutibus Abrahæ, et antiquorum Patrum.

74. Quæres, quomodo Christus vocatur primogenitus? Nota, etiam unigeniti vocantur primogeniti. Et hoc patet in ipso Christo, qui secundum divinam naturam est unicus filius Dei, et tamen sub nomine sapientiæ increatæ loquens, dicit Eccli. 24. 5. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam*. Erat quoque unigenitus Mariæ, et tamen dicitur Matthæi 1. 25. *Peperit filium suum primogenitum*: ante quem scilicet nullum alium genuerat, ut explicat S. Hieronymus. Respondeo autem ad quæsitum, Christum positum esse primogenitum, quatenus declaratus est filius esse is, qui homo erat: et sic obtinuit nomen, quod est super omne nomen, ut innuit Arnobius. Secundo, quia mediatoris ratio requirit, ut sit idem simul Deus et homo, primogenitum poni Christum, et naturæ humanæ ipsius divinam filii unigeniti naturam coniungi: et eumdem Christum posse invocare Deum patrem suum: non tantum ut est unigenitus consubstantialis, sed etiam ut homo et primogenitus, propter gratiam unionis: quia unicam habet filiationem, cum ex patre homine non sit natus, ob quam etiam ut homo filius est Dei, quomodo nullus alius, quantumvis iustus, et sit per adoptionem filius Dei, et frater Christi: ita Lorinus.

Unigeniti dicebantur primogeniti.

75. Tres porro ob causas Christus homo est primogenitus. Primo, quia est primus in prædestinatione divina: in primo enim decreto statuit Deus filium suum incarnari, et omnibus gratiæ et gloriæ donis exornari, et ab eo velut capite illa in alios derivare. In secundo decreto voluit nos illi conformes fieri. Roman. 8. 29. *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Coloss. 1. 15. dicitur *primogenitus omnis creaturæ*. Secundo, dicitur Christus primogenitus, quia primus resurrexit ad vitam immortalem. Coloss. 1. 18. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis*. Tertio denique, quia ipse habuit iura primogenitorum, quem Pater æternus constituit hæredem universorum, Hebr. 1. Octo primogeniti iura percenset Abulensis quæst. 6. in cap. 26. Genesis pag. 350. tom. 1. Primum est, quod sacerdotes erant primogeniti: et sic patet de Melchisedech, qui ex eo quod reputabatur primogenitus Noe, sacerdos erat Dei altissimi. Secundum, quod primogenitus sedebat prior in mensa, et accipiebat partem maiorem cibi. Tertium, quod primogeniti benedicebant alios fratres, et humiliabantur alii coram eis. Quartum, quod veste pretiosa utebantur in festivitatibus. Quintum, quod principatum dominativum regalem super alios gerebant. Sextum, quod duplicem hæreditatis partem assumebant. Septimum, quod redimebantur a Deo quinque siclis, alii autem non, tanquam illi spiritualiter obligarentur. Octavum, quod a patribus morientibus benedicebantur: hæc Abulensis. Facile est illa Christo adaptare.

Christus est primogenitus tres ob causas.

Octo iura primogeniti.

76. Nota secundo, Christus est excelsus præ regibus terræ. Primo, nomine. Philippens. 2. 9. *Dedit illi nomen super omne nomen*. Secundo, sapientia. 2. Paralip. 9. 23. *Omnes reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde eius*. Colossenses 2. 3. de Christo dicitur: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei*. Tertio, excelsus est gratia. Psal. 44. 8. *Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Quarto, excelsus gloria. 2. Paralipp. 9. 22. *Magnificatus est Salomon super omnes reges terræ divitiis et gloria*. Quinto, excelsus imperio et maiestate. Apocalypsis 1. 5. vocatur princeps regum terræ, Isaiæ 52. 15. *Super ipsum continebunt reges os suum*. Sexto, excelsus amplitudine imperii. Psal. 82. 19. *Tu solus altissimus in omni terra*. Vide dicta Psal. 2. 7. Philippus II. Hispaniæ rex quinquies mille quingentos et nonaginta quatuor auri milliones impendit, ut imperium dilataret non admodum felici eventu, si Lusitaniam Hispaniæ adiunctam excipias, ait du Pleix tom. 5. hist. Franc. Et nunc Lusitania ab Hispanis divulsa est, ut videas terrena bona etiam magno labore parta, fluxa esse et evanida. Christus sola cruce et paupertate sibi totum orbem subiecit, mittens Apostolos sine pera et sine calceamentis. Septimo, excelsus est potestate, ut sibi rebelles puniat. Hinc ipsi reges monentur, Psal. 2. 10. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore*. Videmus nunc reges ad Christi Iesu nomen caput inclinantes, legibus obsequentes, ad altaria supplices, crucem capiti apponentes, illi se in monasteriis devoventes, in ipso throno Christum coronam suam existimantes. Olim reges Poloniæ capite raso coronam religiosam ferebant, qualis a S. Benedicti religiosis formari consuevit. Cum enim Casimirum Christo dicatum in monasterio Cluniacensi in regem sibi Poloni deposcerent, Bonifacius IX. Pontifex Maximus illi imperavit, ut coronam regiam capite nunquam ferret, sed monachali corona ad mortem usque uteretur. Nobiles, ut regi placerent, ad eumdem modum capillos tonderi curabant: unde in honore diu corona illa est inter ipsos nobiles habita, non minus quam inter Ecclesiasticos, ut docet Andreas de Yepes ann. 523. in chron. general. Ord. S. Benedicti.

Christus præcellit reges terræ.

Philippi regis mirabilis impensæ.

Polonorum regum tonsura monachalis.

Tu igitur homulos neglige, ad Deum excelsum te erige. 77.
Primo, te amanter suscipiet. Psal. 88. 27. *Deus meus, et susceptor salutis meæ*. S. Bernardus serm. 70. in Cantica: *Qui, ait, in altissimis est Dominus, in imis est dilectus, super sidera regnans, et inter lilia amans. Amabat et super sidera, quia nusquam et nunquam potuit non amare: quia amor est*. Secundo, te susceptum proteget. Psal. 90. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*. Tertio, te excelsum faciet. Deuteron. 26. 18. Moses dicit populo Israel: *Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius: et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit, in laudem, et nomen, et gloriam tuam: ut sis populus sanctus Domini Dei tui*.

Ad Deum excelsum nos erigamus.

Quarto denique, te ad se elevando gloria exornabit. S. Petrus, cognomento Teutonicus, vidit Pii II. Papæ animam tribus diadematis redimitam, per angelorum manus in cælum ferri, ut memorat Hugo Menardus in Martyrologio Ordinis S. Benedicti. Cum S. Cuthbertus ovium pastor animam S. Aidani Episcopi Lindisfarnensis in cælum ferri vidisset, relictis ovibus factus est monachus. Nos visa Christi exaltatione in ascensione, terram calcemus, et de cælestibus tantum cogitemus.

Pii II. anima abit in cælum coronata.

Quæres secundo, quænam misericordia, et quod testamentum in æternum Christo servabuntur? Respond. Bellarminus: In æternum servabo illi misericordiam meam, id est, misericordia, qua illum prædestinavi, et elegi ante sæcula, ut esset filius Dei in virtute, primogenitus, et excelsus præ regibus terræ, semper manebit: non enim solvetur unquam unio hypostatica humanitatis cum Verbo, ac per hoc semper erit ille homo Christus filius Dei, primogenitus, et excelsus præ regibus terræ. Et testamentum meum fidele ipsi, id est, pactum meum cum ipso de stabiliendo regno eius in æternum fideliter semper observabitur. Expressit hanc promissionem angelus Gabriel, Luc. 1. cum ait: *Et regni eius non erit finis*: hæc Bellarminus. Nobis quoque promissa fideliter præstat Deus propter ipsum Christum. S. August. in Psal. nostr. propter Christum, ait, fidele testamentum, in ipso mediatum est testamentum: ipse mediator testamenti, ipse signator testamenti, ipse fideiussor testamenti, ipse testis testamenti, ipse hæreditas testamenti, ipse cohæres testamenti: ita Augustinus. Deus veritas est. Veritas autem, ut ait Iosephus lib. 11. antiquit. pag. 262. habet, ἰσχὺν ἄτρεπτον καὶ ἀγήρω, vim immutabilem, et quæ non senescit. Hebræi dicunt: Septem sunt, in quos vermes nihil post mortem potuerunt: Abraham scilicet, Isaac, Iacob, Moses, Aaron, Maria, et Beniamin filius Iacob. Quidquid sit de illis, Christus sine corruptione et diminutione gloriæ suæ manet ac regnat in æternum: illi te adiunge, et eum eo regnabis in æterna incorruptione.

78\. Misericordia Christo facta est æterna.

Quæres tertio, quomodo thronus Christi sit, sicut dies cæli? Resp. Primo, thronum sumi metonymice pro regno.

79\. Thronus Christi, ut dies cæli, et cur?

Secundo, thronum eius seu regnum esse sicut dies cæli. Primo, quia eximio et divino splendore irradiat. Secundo, ob eius æternitatem. S. August. in Psal. nostr. dies cæli et dies terræ sic distinguit: quod dies cæli sint æterni, dies terræ sint temporales et volubiles: *Dies cæli*, ait, *anni sunt illi, de quibus dicitur Psal.* 101. 27. *Tu autem ipse es, et anni tui non deficient. Dies terræ succedentibus urgentur, præcedentes excluduntur, nec qui succedunt, manent: sed veniunt, ut eant: et pene antequam veniant, eunt: ita sunt dies terræ. Dies autem cæli, qui? Et unus dies cæli, et illi anni non deficientes, nec initium habent, nec terminum: nec ullus dies tibi angustatur inter hesternum et crastinum. Nemo ibi expectat futurum, nemo ibi perdit præteritum: sed dies cæli semper præsentes sunt, ubi erit thronus eius in æternum:* hæc Augustinus. Ea similitudine utitur auctor Ecclesiastici agens de Aaronis sacerdotio æterno, cap. 45. 19. *Factum est illi in testamentum æternum et semini eius: sicut dies cæli, fungi sacerdotio, et habere laudem, et glorificare populum suum in nomine eius.* Christi regnum figuratum est in Davidis regno, et ipse Christus vocatur David, et similitudo ducitur a die et nocte, ut perennitas regni eius denotetur. Ieremiæ 33. v. 20. *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies et nox in tempore suo. Et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius.* Sine ambagibus et velis habetur Psal. 144. 13. *Regnum tuum regnum omnium sæculorum: et dominatio tua in omni generatione et generationem.* Vide etiam tu, et dies imperii tui, si quod in alios habes, sicut dies cæli: id est, qui subditos tuos illuminent, recreent, amore divino accendant, et sint immutabiles. Christus dixit Apostolis, Matth. 5. 14. *Vos estis lux mundi.* Armeni viderunt super caput Eugenii III. Papæ Missam celebrantis, radium, et duas columbas ascendentes et descendentes, ut ait Baronius tom. 12. pag. 314. anno 1145. Christus est dies æternitatis, ut loquitur S. Fulgentius serm. de duplici Nativitate Christi: Dies æternitatis, inquit, Christus angelos sanctos creans: dies in tempore, Christus homines salvans: dies æternitatis, Christus homines in terra reficiens. Ut enim panem angelorum manducaret homo, Creator angelorum factus est homo, utrosque pascens, et integer permanens: hæc Fulgentius.

ARTICULUS V.

Christus punit Christianos delinquentes.

NON soli Christo misericordia æterna et testamentum seu pactum æternum promittitur, sed etiam filiis eius, hoc
80. est, Christianis: non omissa tamen castigatione, si pec-
Vers. 30. cent, v. 30. SI AUTEM DERELIQUERINT FILII EIUS LEGEM MEAM: ET IN IUDICIIS MEIS NON AMBULAVERINT:

Vers. 31. Vers. 31. SI IUSTITIAS MEAS PROFANAVERINT, ET MANDATA MEA NON CUSTODIERINT,

Vers. 32. Vers. 32. VISITABO IN VIRGA (id est, virga; Arabs, cum fuste: sed melius Noster, Septuag. S. Hier. et Felix, in virga: castigatio enim est filiorum) INIQUITATES EORUM, ET IN VERBERIBUS (S. August. in flagellis, id est, cum flagellis) PECCATA EORUM.

Vers. 33. Vers. 33. MISERICORDIAM AUTEM MEAM NON DISPERGAM AB EO (Davide scilicet, seu Christo) NEQUE NOCEBO IN VERITATE MEA: hoc est, non nocebo veritate: id est, vere faciam quæ promisi. Hebr. non mentiar contra veritatem meam. Felix, neque falsam reddam veritatem meam.

Vers. 34. Vers. 34. NEQUE PROFANABO (S. Hieron. violabo) TESTAMENTUM (S. Hieron. pactum) MEUM, ET QUÆ PROCEDUNT DE LABIIS MEIS, NON FACIAM IRRITA. Christus dicit Matth. 24. 35. *Cælum et terra transibunt: verba autem mea non præteribunt.* Moral. Promissa servanda sunt. S. August. ipsis hostibus vult ea servari. Sic enim scribit ad Bonifacium: Fides quando promittitur, etiam hostibus est servanda, contra quos bellum geritur. In pugna Varnensi Christiani fœdifragi a Turcis victi sunt, cum iam pene essent victores, Deo perfidiam eorum ulciscente. Amasis dux, infamis habitus est ob fœdus dolose violatum. Cum enim contra Barcæos bellum gereret, supra terram intus cavam fœdus percussit: se fœdus illud servaturum, dum terra illa staret. Barcæi polliciti sunt se Persarum regi daturos, quod æquum foret: et fœdere percusso securi liberum in urbem ingressum Persis dederunt, qui terram, super quam erat percussum fœdus, diruentes, urbem diripuerunt, et plerosque crudeliter occiderunt, ut narrat Herodotus lib. 4. pag. 288. Secundo, ipsis proditoribus servandam esse fidem, monet Onosander in Strategico cap. 28. Proditoribus, ait, fides et promissa ab Imperatore servanda sunt, nec considerandum est, quod isti fuerint proditores, sed quod alii deinceps futuri sint. Tertio igitur, longe potiori iure fides servanda est viris sinceris, præsertim iuramento firmata. S. Stephanus rex Hungariæ graves pœnas sanxit contra periuros. Sic enim habetur lib. 2. eius decreti, cap. 15. Si quis fallentium fidem commaculatus, corde pollutus, iuramento confractus, periurio addictus invenietur, perditas manus periurio luat, aut quinquaginta iuvencis manum redimat. Si vero vulgaris periurus extiterit, manu amputatus punietur, aut duodecim iuvencis redimetur, et ieiunet, ut canones mandant. Hæc ibi.

[*Fides etiam hosti servanda.*]

[*Amasis perfidia ingeniosa.*]

[*S. Stephanus vult periuris manum amputari.*]

Nota, magnum Dei beneficium, et amoris eius signum 81.
est, cum punit peccatores: *Visitabo in virga iniquitates eorum.* Hæc enim punitio signum est, quod nostri miserebitur Deus. Hinc auctor lib. 2. Machab. cap. 6. v. 13. gloriatur, quod populum suum Israel Deus puniret statim atque peccasset: *Multo*, inquit, *tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum iudicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. Propter quod nunquam quidem a nobis misericordiam suam amovet: corripiens vero in adversis populum suum non derelinquit.* Deus ipse tamquam magnum beneficium Davidi promittit, se Salomonem eius filium puniturum, si peccet. Sic autem ait 2. Reg. 7. 14. *Si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea.* Hinc Burgensis, et nonnulli alii colligunt Salomonem non esse damnatum. Cum apud Hebræos ad quadragiata ictus determinata esset flagellatio, triginta novem ictus tantum infligebant. In tres autem partes illam flagellationem dividebant, et in singulis ictibus verbum unum pronuntiabant huius sententiæ: *Et ipse patiens ignoscet peccato, et non perdet, et non multiplicabit omnem iram suam.* Et post primam vicem id rursus repetebant. Deus punit citra merita, et puniendo ignoscit. Theodosius iunior Imperator facilius condonabat ei, in quem iratus excanduerat, ut testatur S. Ambrosius in eius orat. funebri. Beneficium, ait, se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cum rogaretur ignoscere: et tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio maioris iracundiæ. Prærogativa ignoscendi erat, indignatum fuisse: et optabatur in eo, quod in aliis timebatur, ut irasceretur: hæc Ambros. In promontorii Comorini flexu ad excitanda sapientum ingenia admirabile visitur. Æstas ibi et hyems non tam temporum vicibus, quam exiguo terrarum discrimine dirimuntur. Quo tempore in altero laterum hyberna tempestas ventis et imbribus perpetuis inhorrescit (his enim potius, quam rigore frigorum, hyems ibi censetur) eo tempore latus adversum æstas arida accendit. Nec minore admirabilitate, tamquam partitis regnis venti uno eodemque tempore contraria latera contrarii perflant, ut ait Nicolaus Orlandin. lib. 1. hist. Soc. Iesu, num. 95. pag. 98. Deus sæpe ex una parte affligit, et ex altera recreat: corporis morbos, et fortunæ incommoda alacritate mentis et virtutibus compensat.

[*Dei beneficium est peccatorum punitio.*]

[*Flagellationis ritus apud Hebræos.*]

[*Theodosii clementia in ipsa ira.*]

[*Æstas et hyems simul in Comorino promontorio.*]

82.
Secundo, Deus peccantem castigans se eius patrem probat, eumque se filium agnoscere declarat. Prov. 3. 12.

[*Deus punit ut pater.*]

Quem diligit Dominus, corrigit: et quasi pater in filio complacet sibi. Hinc afflictos Hebræos, et ad inopiam ob veræ fidei professionem redactos consolatur, quod sic appareant esse filii Dei. Hebr. 12. 8. *Si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, et non filii estis.* S. Hier. epist. ad Castrutium: Magna, inquit, ira est, quando peccantibus non irascitur Deus. Unde et in Ezechiele ad Ierusalem, cap. 16. 42. Iam, inquit, *non irascar tibi: zelus meus recessit a te.* Et Oseæ 4. 14. *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ, et super sponsas vestras, cum adulteraverint: quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, et cum effœminatis sacrificabant:* hæc Hieronymus. Prius probabatur fornicatio seu adulterium aquis maledictionis, quas bibentes, post peccatum computrescebant, et moriebantur.

Et ut pastor. Tertio, Deus peccantem puniens, eum a peccato retrahit, sicut pastor ovem a via aberrantem baculo in viam revocat. Hinc canit David Psal. 22. 4. *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Cum Edwigus quidam monasterio Hirsaugiensi molestus esset, S. Aurelius in somnis illi apparuit, eumque baculo pastorali percussit, graviora minatus, nisi satisfaceret. Ille ægrotus veniam petiit, et varia dona largitus est monasterio, ut ait Ioan. Trithemius in chron. Hirsaug. pag. 24.

83. Deus severe agit ut medicus. Quarto denique, cum Deus peccantem punit, efficit, ut virtutem amplectatur. Hebr. 12. 11. *Omnis quidem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Cum tonat, et largius pluit, gemmæ pulcherrimæ generantur, ut docet Athen. lib. 3. pag. 93. *Gemmæ fiunt pulchræ, cum tonat.* Aiunt cum sæpe tonat, inquit, et largior imber effunditur, tunc magis pinnas concipere, unionesque plurimos generari, et insignis magnitudinis: hyeme in profundos maris gurgites demergi solitas; æstate vero adnatantes hiare noctu, interdiu compressas. Seneca sumit similitudinem a discipulis, quos pro viribus exercet præceptor; et a Lacedæmoniis, qui flagellis liberos etiam insontes obdurabant. Verba eius sunt lib. Cur bonis viris mala fiant: *Hanc rationem dii sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Numquid tu invisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? Ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, et laceros ac semianimes rogant, perseverent vulnera præbere vulneribus. Quid mirum, si dure generosos spiritus Deus tentat?* ita Seneca.

84. Iusti ipsi egent Dei gratia. Nota, sine misericordia Dei, etiam iustus nihil potest: cum misericordia Dei, etiam peccator securus est. Primam partem variis locis declarat Concilium Arausicanum. Primo quidem can. 9. Divini, ait, esse muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et iniustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur. Secundo, can. 10. Adiutorium Dei etiam in renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare. Tertio, can. 12. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito. Quarto, can. 14. Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur, sicut dicit Psalmista: *Cito anticipet nos misericordia tua Domine.* Quinto, can. 1. Fortitudinem gentilium, mundana cupiditas: fortitudinem autem Christianorum, Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris: non per voluntatis arbitrium, quod est in nobis; sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sexto, can. 20. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstat, ut faciat homo. Septimo denique, can. 22. Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum: si quid autem habet homo veritatis atque iustitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via. Hactenus ex Concilio Arausicano II. quod celebratum est anno Christi 529.

Secunda pars, nempe quod, licet peccatores, timere non debeamus, si adsit misericordia Dei, probatur ex infinitate illius misericordiæ, cui omnia peccata collata nihil sunt. S. Chrysost. in Psal. 50. illa comparat telæ aranearum facile dissipandæ: *Quid est*, ait, *peccatum, si cum Dei benignitate conferatur? Araneæ tela. Ventus flat, et araneæ telam disrumpit.* Et hom. 3. de pœnitentia, tom. 4. pag. 558. ait, omnia peccata esse instar scintillæ cito extinguendæ in magno mari: *Non plus est*, ait, σπινθὴρ πρὸς πέλαγος, *scintillula ad totum oceanum: quam improbitas nostra, si cum Dei infinita benignitate et misericordia conferatur:* sic Chrysostomus. Nos quoque misericordes simus erga peccatores. Luc. 6. 36. *Estote misericordes, sicut et pater vester misericors est.* Diodorus Siculus lib. 13. pag. 152. Amicitiam, ait, et benevolentiam erga amicos et familiares, immortalem oportet conservare: inimicitias vero mortales, et facile mutabiles erga hostes gerere. S. Ambros. lib. de viduis: Servus peccavit, inquit, ignosce. Melius est enim alterius culpam feras, quam tuam prodas: hæc ille. Facile est irasci, sed mansuetudo eget magna sapientia. S. Gregorius illud 1. Reg. 16. 1. *Imple cornu tuum oleo,* expendens, ait: Irasci et arguere etiam inconsulti possumus: sed flecti ad misericordiam, nisi ex magna meditatione non possumus, q. d. Zelum, quem naturaliter habes, imple oleo: quod si non habes ex te, habere potes ex virtute: hæc Gregorius. 85. Peccatum facile a Deo dimittitur. Similitudines duæ id declarant.

ARTICULUS VI.

Christus totius orbis, reges vero Christiani sunt regnorum suorum soles, lunæ, et irides.

Cum dixerit Deus se promissa, et pacta facta servaturum, rationem reddit, quod scilicet iuraverit, v. 35. 86. Vers. 35.
SEMEL (Hebr. אחת *achat*, id est, una scilicet vice, seu semel) IURAVI IN SANCTO MEO (per sanctitatem meam) SI DAVID MENTIAR: SEMEN EIUS IN ÆTERNUM MANEBIT. Chald. filii eius in æternum erunt.

Vers. 36. ET THRONUS EIUS SICUT SOL IN CONSPECTU MEO, ET SICUT LUNA PERFECTA (Hebr. יכון *icon*, id est, stabilietur) IN ÆTERNUM, ET sicut TESTIS IN CÆLO FIDELIS, id est, sicut iris, ut ait Bellarminus, et infra declarabitur. Vers. 36.

87. Iurat Deus per seipsum. Nota primo, τὸ *semel* denotat immutabilitatem et irrevocabilitatem iuramenti divini. Secundo, Deus iurat *in sancto suo*, hoc est, per sanctum seu sanctuarium suum, tum cæleste, tum terrestre, in quo specialius inhabitat. 2. Iurat Deus *in sancto suo*, id est, per sanctitatem suam, ut denotet sanctum, et ratum, atque immobile esse suum iuramentum. Hæc secunda expositio est melior. S. Paulus Hebr. 6. 13. dicit Deum iurare per semetipsum, quia maiorem se non habet. Sic reges et Imperatores per suam maiestatem et salutem, ac per suum caput iurant. Solimanus Rhodum obsidens misit, qui obsessos ad deditionem invitarent, fidem se servaturum iuramento hoc affirmans: Iuro per Deum creatorem cæli et terræ, per quatuor scribas historiæ Evangelicæ, per quatuor Prophetarum millia, qui e cælo descenderunt: sed præ cæteris per supremum omnium Mahometum. Iuro quoque per divinas et adorandas parentum et maiorum meorum animas, *meumque augustum et sacratum caput,* fidem datam me inviolabiliter servaturum, ut ait Baudier. lib. 10. hist. Turcicæ p. 215. Solimani iuramentum.

88. Si pro non. Nota tertio, τὸ *si* poni pro *non*, cum dicit Deus: *si David mentiar*, q. d. Non mentiar Davidi. In ea significatione usurpatur Hebr. אם *im*, et Latinum *si*. Psal. 94. 11. *Iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, id est, non introibunt in requiem meam. Amos 8. 7. *Iuravit Dominus in superbiam Iacob, si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum.* 3. Reg. 2. 8. *Iuravi ei per Dominum dicens, non te interficiam gladio.* Hebr. est, *si te interficiam.* Aut certe est iuramentum execratorium, cuius imprecatio non ponitur.

89. Christus habet thronum materialem in cælo. Nota quarto, Christus habet thronum materialem in illa cælesti et divina civitate, quam vidit S. Ioannes: licet enim non egeat throno, ut sedeat quietis captandæ causa,

ad maiestatem tamen eius regiam thronus requiritur, in quo nonnunquam sublimis sedeat, astantibus, aut etiam considentibus Sanctis eius. Imo fortasse throni tres sunt, in quibus, aut semper, aut saltem aliquando sanctissima Trinitas forma visibili et splendidissima ac pulcherrima se visenda præbeat Sanctorum oculis corporeis, qui ad visionem divinitatis penetrare non possunt. Nam si sanctissima Trinitas se S. Ignatio Fundatori nostro in specie visibili exhibuit, aliisque Sanctis in terra, quid obstat quin se iis ostendat in cælo, ubi S. Ioannes vidit Patrem æternum instar regis sedentem in throno Principibus cælestibus circumdatum, Apoc. 4.

90. Christus et thronus eius sunt sol paradisi.

Nota quinta, Christus ipse est sol paradisi, nec alius est sol in ea sancta civitate, præter ipsum, ut docet S. Ioannes, qui eam vidit: ait enim Apoc. 21. 23. *Civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit, et lucerna eius est Agnus,* id est, Christus, seu eius humanitas lucidissima. Tredecim parallela solis et Christi attuli Ps. 18. sect. 1. art. 4.

Philosophorum opiniones de sole et luna.

Secundo, thronus Christi est sol, quia sublimis, lucidus, atque æternus, et immutabilis. Seleucus et Hermias hæretici, teste Philastrio hæresi 8. dicebant, corpus Christi non sedere ad dexteram Patris, sed esse in sole: id quoque censebant Manichæi; sed inepte: perinde quasi non sit ipsa Patris dextera sole omni fulgentior. Xenophanes docebat, solem et lunam ignitas esse nubes. Anaxagoras, Democritus, et Metrodorus ignitum ferrum, aut lapidem flamma succensum. Thales terrestri ex materia: e pumicea, Diogenes. Aristoteles, globum e quinto corpore conflatum. Thronus Christi est ex cælesti materia. Ibi Christus sole fulgidior irradiat. S. Dionys. cap. 4. de divinis nominibus: Sicut, inquit, sol noster non cogitatione et voluntate; sed eo ipso quod est, omnia illustrat, quæ eius lumen pro modo suo capere possunt: *Sic etiam ipsum bonum, quod ita præstat soli, ut prima species tenui obscuraque imagine, per se, ipsaque essentia sua iis, quæ sunt omnibus pro eorum captu, totius bonitatis radios emittit:* hæc Dionysius.

91. Christi regnum est æternum.

Tertio denique, regnum Christi, pro quo thronus ponitur, est 1. excelsum et divinum; 2. lucidum; 3. late patens, et totum orbem splendore implens; 4. animas locupletans; 5. indeficiens atque æternum. De illo dicitur Dan. 2. 44. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum.* Philo lib. de mundi opificio vocat solem, magnum regem. Orpheus in hymnis, ait esse, κοσμοκράτορα, id est mundi rectorem. Proclus Lycius philosophus, in hymno ad eius laudem, dicit eum esse πυρὸς νοητοῦ βασιλῆα, ignis intelligibilis regem. Synesius in hymno, pag. 342. φωτὸς ἄσβεστον παγὰν, lucis inexhaustum et inextinguibilem fontem.

Solis elogia.

92. Reges sunt regni sui soles.

Morali. Christiani omnes, ac præsertim reges, solis instar luceant oportet, aliosque illuminent.

Ac Primo, reges ipso vestium suarum splendore solem referunt. Demetrius rex vestem habebat, cui intextus
1. erat polus, in quo erant stellæ ex auro, ac duodecim si-
2. gna zodiaci. Secundo, sceptri et coronæ gemmis radios suos emittunt spectantibus. Cum Augustus intraret urbem Romam, solis orbis super caput eius incurvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est. De Latino rege coronam radiatam habente ait Virgilius lib. 12. Æneidos, cui tempora circum aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
3. solis avi specimen. Tertio, luce externa sibi prælata solem repræsentabant olim reges et imperatores. Codinus Curopalata lib. de officiis et officialibus aulæ Constant. cap. 6. num. 37. Lampadem, inquit, præferunt Imperatori, propter illud Christi, Matth. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent*
4. *patrem vestrum, qui in cælis est.* Quarto, luce præsertim interna reges fulgeant. Libanius ad Iulianum: Solem, ait, nihil latet eorum, quæ sunt in terra: sic neque te quid-

A quam eorum, quæ geruntur, sole ipso dante. Agapetus Diaconus lucem excelsiorem et supernaturalem deposcit, in capitul. parænet. num. 9. Sollicitam, inquit, Imperatoris animam, κατόπτρου δίκην, *speculi in modum*, abstergi oportet, ut divinis splendoribus semper coruscet, rerumque distincta iudicia inde condiscat. Nihil enim adeo facit quæ peragenda sunt, conspicere, atque custodire eam perpetuo sinceram: ita Agapetus.

Secundo, quot sunt Christiani, tot soles esse debent. 93.

Christiani singuli sint moribus suis soles urbium.

Vitellio Imp. regnante visi sunt in oriente et occidente duo soles, quorum hic erat imbecillis et pallidus, ille potens et clarus. Imperium tunc assumpsit Vespasianus, velut sol exoriens et fulgens: Vitellius occisus est, et regno privatus, velut sol occidens. Orig. hom. 8. in Iudices: *Omnis,* inquit, *qui super se quoquo modo nomen suscipit Christi, filius dicitur Orientis. Sic enim scriptum est de Christo, Zachariæ* 6. v. 12. *Ecce vir oriens nomen eius:* hæc Origenes. Imo omnis iustus vir est sol in cælo, id est, in Ecclesia fulgens. Isaac Sciadrensis Maronita Archiep. Tripo-
B litanus Syriæ, in rithmo Syriaco ad Kircheri nostri prodromum Ægyptiacum, vocat S. Gregorium, solem Ecclesiæ. S. Bonaventura tom. 3. pag. 339. ser. 1. de uno doctore, quinque in sole considerat: nempe essentiam, formam, figuram, motum, et influentiam, eaque omnia doctoribus adaptat. Cum S. Columbanum mater utero ferret, solem se ferre somniavit, qui lucem per totum orbem spargeret, ut ait Andreas de Yepes in chron. Ord. S. Benedicti, anno 611. S. Guilielmi Abbatis natione Itali mater, pia admodum mulier, secundum quietem vidit se Dalmatica veste indutam, statimque mammillam suam dexteram solis radio illustratam: dehinc quasdam angelico vultu collucentes, qui infantem e mammilla extrahentes in altum efferebant, nimia claritate circumfusum: se vero nimio timore perterritam, B. Virgini infantem commendasse, ut refert Hugo Menardus lib. 1. observationum in Martyrol. Ordin. S. Benedicti, pag. 161. De omnibus vero Sanctis dicitur Matth. 13. 43. *Iusti fulgebunt, sicut sol,*
C *in regno patris eorum.*

S. Columbanus velut sol videtur.

94. Misericordia efficit ut reges sint soles.

Quæres, quibus virtutibus solarem hunc splendorem reges, aliique obtinebunt? Resp. Omnibus virtutibus, sed præsertim misericordia et veritate, de quibus tam frequens est mentio in hoc Psalmo.

Ac primo, misericordiæ radii sic fulgentem regem efficiunt, ut sol videatur. Agapetus ad Iustinianum Imp. in capitul. parænetícis, seu adhortatoriis, ait: *Solis est illustrare radiis orbem,* ἄνακτος δὲ ἀρετὴ τὸ ἐλεεῖν δεομένους, *principis vero virtus est egenorum misereri. Illo porro clarior est rex. Ille namque cedit succedenti nocti, hic autem rapacitati pravorum non concedit, indulgetve quidquam: sed lumine veritatis, iniquitatis occulta coarguit.* Zonaras tom. 3. Annalium, pag. 42. Leo Magnus, ait, tum aliis virtutibus ornatus, tum clementia in primis. Solebat enim dicere: Sicut sol, quibus affulserit, iis calorem suum impertiri solet: ita etiam ab Imperatore clementiam iis tribuendam, quos aspexerit. Synes. orat. de regno, pag. 10. di-
D cit esse ὑπέρσεμνον θέαμα, spectaculum maiestate plenum, quando placido minimeque fluctuanti ingenui pudoris affectu, rex amicis quidem (idem autem est ac si bonis dicamus) sui inicit admirationem: hostes vero, eosdemque malos terrore afficit: hæc Synesius.

95. Veritatis radiis reges fiunt soles.

Secundo, per veritatem reges soles fiunt, et lucidi in se, et alios illustrantes. Philo lib. de decalogo, pag. 589. *Veritate,* inquit, *nihil est in rebus sacratius,* ἡλίου τρόπον, *solis in morem illustrante negotia, ne quid eorum in obscuro lateat.* S. Bonavent. tom. 1. ser. 4. pag. 23. Super omnia, inquit, prævalet veritas. Emittit autem hæc lux tres radios primos. Unde in Ecclesiastico scriptum est, Eccli. 43. 3. *Tripliciter sol exurens montes.* Est enim veritas rerum, veritas signorum seu vocum, et veritas morum: ita Bonaventura. Veritas instar solis fugat omnes tenebras. Ut enim ait Arnobius lib. 1. in gentes: Veritas, nunquam sectata est fucum. Constantinopoli toto pene die visi sunt tres soles, ut ait Beudier lib. 12. hist. Turc.

96. *Thronus Christi est similis lunæ plenæ.* Nota sexto, thronus Christi est luna perfecta, id est, plana, noctem huius mundi illuminans et recreans. Supra urbem Capha, luna visa est crucifixo cooperta, ut refert idem Baudier mox citatus. Sub pedibus vero Christi regnantis est luna effulgens. In luna fulgente figuratus est Osmanus Turcarum Imperator clarissimus. Orthogules anim, quam Turcæ Ertuculem vocant, vidit in somnis posterorum suorum gloriam. Vidit enim lunam e sinu Edebalis exeuntem in suum sinum venire: in quem ubi devenit, enata est ex eodem sinu arbor ingens, quæ regiones plurimas montesque ramis viridantibus inumbraret: atque e radicibus fontem aquæ vivæ profunderet, qui in varios sectus rivos vastam planitiem irrigans agros fœcundarat, prata floribus vestiret, vites racemis ditaret. Ab ipso Edebale discit habiturum se filium Osmanum nomine, *Osmanus in luna figuratus.* qui filiam ipsius in uxorem duceret, ab iisque magnos reges et principes esse orituros. Ab eo initium duxerunt Imperatores Turcarum, qui nunc regnant, et in suis insignibus ponunt lunam corniculatam. Illa luna est mutabilis, imperfecta, et semiplena, atque tandem omnino peritura. At vero humanitas Christi est luna perfecta in æternum. Cant. 6. 9. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Lucas Abbas hæc omnia convenire ostendit humanitati Christi, in hunc modum: Egreditur, ait, quasi aurora post ignorantiæ tenebras, quasi matutina luce consurgens ad sacrum baptisma. 2. *Per singulas virtutes pulchra ut luna, quæ tot annis sapientia et ætate corporis proficit, quot diebus luna complet orbem, et minuit. Quæ ut luna in ortu ostensionis suæ præstat lætitiam viatoribus contristatis, in nuptiis, exhausto vino, inter exordia adhuc credentium, splendens ostenditur, et in cuius occasu totum mundum tempestas quassavit, et amoris luminaribus tenebras operuit.* Electa ut sol, post resurrectionis gloriam plenissimam, paterna claritate consistens. Possunt siquidem tres isti gradus laudibus pleni in futuro iudicio intelligi. Apparebit iustis in pulchritudine lunæ, cælorum virtutibus in maiestate fulgens: impiis autem deputatis æterno igni, terribilis ut castrorum acies ordinata. Hæc Lucas abbreviator Aponii.

97. *Deipara est thronus Dei.* Deipara quoque est thronus Dei, et sicut luna perfecta. De primo ait S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus serm. in Nativitatem Virginis: *Maria est Cherubicus, maximus, igneus, et sublimis thronus, regem Dominum Sabaoth sinu gestans.* Methodius ser. in festo Purificationis: Thronus, inquit, sublimis, et elevatus, capax cælum ad Deum, qui nusquam alioquin capi potest, recipiendum facta: hæc ipse. Sermone pene integro Deiparam comparat throno Salomonis, de quo 3. Reg. 10. 18. *Fecit sibi Salomon thronum de ebore grandem: et vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus.* Ebur est castitas, quia elephas est animal castissimum, et draconi inimicum. Sex gradus sunt prærogativæ beatæ Virginis. *Sex gradus illius throni.* Prima, est voti voluntas, quia prima virginitatem vovit. Secunda, est castitas virginalis, et matrimonialis. Tertia, parientis integritas. Quarta, plenitudo charismatum. Quinta, est humilitas. Sexta denique, est prærogativa præmiorum: ita Greværus ser. 190. in Psalmos.

98. *Christi humanitas est iris.* Nota septimo, humanitas Christi est iris perfectissima, ac *testis in cælo fidelis.* Sic Genebrard. et Bellarminus hunc locum exponunt, q. d. ait Bellarminus: Thronus eius in conspectu meo manebit sicut sol, sicut luna perfecta, et sicut testis in cælo fidelis, quæ significant regnum Christi, ac per hoc Ecclesiam eius fore semper illustrem et perspicuam: non obscuram, vel invisibilem, ut hæretici somniant; nihil enim clarius et pulchrius sole interdiu: nihil item clarius et pulchrius luna plena nocturno tempore: denique nihil clarius et pulchrius in nubibus arcu cælesti, qui testis est fidelis a Deo datus hominibus, nunquam amplius fore diluvium aquarum. Per testem in cælo fidelem aliqui ipsam lunam intelligunt: sed videtur probabilius, ut intelligatur iris: hæc ipse. Lorinus eam explicationem improbat, quod nimis fluxa est ipsius natura: neque definiri potest, quo tempore arcus hic excitetur, seu quandonam concurrat materia ei necessaria. Sed responderi potest. Primo, comparari thronum Christi iridi non ob æternitatem, sed ob ipsius pulchritudinem. Secundo, licet non semper iris appareat, tamen signum est nunquam mutandum non futuri diluvii. Apoc. 4. 3. dicitur: *Iris erat in circuitu sedis.* Quam sedem seu thronum Christi esse dicit S. Ambrosius: censeo tamen cum Ribera, ibi agi de throno Dei: id est, totius Trinitatis. Ansbertus in eum Apocalypsis locum dicit: Iridem esse incarnationem Verbi: *Incarnatio comparata iridi, ob sex rationes.* Primo, quia sol in nube irradians fecit iridem, sic Verbum in carne irradians fecit Christum. Secundo, sicut iris fuit pacis symbolum tempore Noe, ita et Incarnatio Christi fuit reconciliatio mundi. Tertio, duo cornua iridis sunt duæ naturæ Christi humana scilicet, ac divina: chorda in hoc quasi arcu, est earumdem unio hypostatica. Quarto, in iride triplex est color; ita et in Christo: Christus enim fuit quasi cæruleus, id est, cælestis per orationem assiduam: fuit viridis, per florem gratiarum et virtutum: fuit rubicundus in cruce, per amorem æque ac sanguinem. Quinto, ab hoc arcu amissæ sagittæ amoris sunt, quibus vulnerata Sponsa dicebat, Cant. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo:* ita Viegas. Sexto, iris hæc imbrifera fuit: quia effudit in orbem prædicationis at doctrinæ cælestis abundantiam.

SECTIO QUARTA ET ULTIMA.

99. *Duo comprehendit. Primo, miserias populi Dei ob dilationem adventus Messiæ. vers. 37. Secundo, obsecrationem, ut has miserias quam citissime tollat, illum mittendo, vers. 45.*

PARAPHRASIS.

37. *Tu vero repulisti et despexisti: distulisti Christum tuum.*

37. Tu quidem hæc olim servis tuis es pollicitus: nunc vero nostris peccatis id exposcentibus, videris eos a te reiicere, et contemnere, differendo adventum Messiæ filii tui.

38. *Avertisti testamentum servi tui: profanasti in terra sanctuarium eius.*

38. Pactum mecum initum de regno meo in æternum servando evertisse videris ac neglexisse, regiam meam dignitatem et coronam, ipsumque templum a sacrilegis Chaldæis profanari permittens, ut mihi prædicis.

39. *Destruxisti omnes sepes eius: posuisti firmamentum eius formidinem.*

39. Tunc permittes omnia regni munimenta, et civitatis regiæ muros prosterni: et militum animos prius ad omnia interritos, pavore consternari.

40. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.*

40. Omnes divitiæ patebunt hostibus transeuntibus, qui primo impetu plerasque urbes munitas capient, atque diripient. Vicinorum omnium ludibrio populum tuum obiicies.

41. *Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos eius.*

41. Tu vires suppeditabis adversariis nostris, ut nobis sint superiores, nobisque depressis emineant: ob frequentes de nobis reportatas victorias illos gaudio afficies.

42. *Avertisti adiutorium gladii eius: et non es auxiliatus ei in bello.*	42. Efficies, ut effluant nobis gladii de manibus, nec irrumpentibus hostibus resistere possimus: opem enim in aliis bellis præstitam in illo subtrahes.
43. *Destruxisti eum ab emundatione: et sedem eius in terram collisisti.*	43. Munditiam et decorem, ornamentaque regia destrues: et thronum, quem æternum fore promiseras, in terram deiicies.
44. *Minorasti dies temporis eius: perfudisti eum confusione.*	44. Regnum meum semper duraturum esse asseveras, nunc paucis annis terminatum videmus: regesque captivos ab hoste detineri cum rubore cernimus.
45. *Usquequo Domine avertis in finem? exardescet sicut ignis ira tua?*	45. Quamdiu te a servis tuis avertes Domine, et iusta ira incitatus Messiæ tui adventum differes, tuosque servos proteri patieris?
46. *Memorare quæ mea substantia: numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?*	46. Redeat in amantissimi patris memoriam vitæ nostræ summa fragilitas et miseria: quæ si sola spectetur, non expectata vita ventura per Christum tuum, in vanum creati esse homines iure videantur.
47. *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?*	47. Quis enim est, qui cum aliquot dies in hac ærumnosa terra traxerit, non sit moriturus, et ad sepulcrum cum aliis descensurus?
48. *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine: sicut iurasti David in veritate tua?*	48. Quoniam abierunt misericordiæ tuæ, quas olim promisisti patribus nostris, et fideliter exhibuisti: quasque præstiturum te semper mihi servo tuo affirmasti, et pactum illud iuramento stabilivisti.
49. *Memor esto Domine opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.*	49. Aspice ignominiam nostram, qua ab omnibus circumfusis nationibus afficimur: quam tristi mente concoquere, nullo perspecto illius evitandæ modo, nisi iuveris, vel invitissimi cogimur.
50. *Quod exprobraverunt inimici tui Domine: quod exprobraverunt commutationem Christi tui.*	50. Nostram nobis miseriam et abiectionem hostes tui et nostri exprobrant: et promissa mihi facta in nihilum recidisse glorientur: teque, velut imbellem, irrident.
51. *Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.*	51. Sed video te tandem promissum redemptorem missurum esse: quare omnes te in omnem æternitatem prædicent: hoc ut eveniat, votis omnibus exopto.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta miseria animæ a Deo relictæ.

100. Ordo Sectionis. In prima sectione pollicetur Deus ipse Christum venturum, ut in æternum sit rex hominum a se liberatorum. In secunda, Propheta omnes creaturas eius dominio subiiciendas docet. In tertia, Deus loquens inducitur, et Christi virtutes atque gloriam declarat. Nunc in hac ultima orat Propheta, ut quam citissime adveniat, ob summam miseriam populi sui ab hostibus oppressi.

Ac primo, miserias illas percenset, cum Primo videatur populus omnino reiectus a Deo, v. 37. *Tu vero repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum.* Secundo, fœdus cum Davide initum, videatur ob peccata populi mutatum, v. 38. *Avertisti testamentum servi tui.* Tertio, dicit templum magno apparatu et sumptibus a filio eius extructum, incendendum esse atque spoliandum: *Profanasti in terra sanctuarium eius.* Quarto muros civitatis solo æquandos, v. 39. *Destruxisti omnes sepes eius.* Quinto, militum fortissimorum animos timore prosternendos: *Posuisti firmamentum eius formidinem.* Sexto, divitias tot laboribus partas, auferendas, v. 40. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam.* Septimo, famam tot victoriis collectam, auferendam: *Factus est opprobrium vicinis suis.* Octavo, hostes ab ipso Deo roborandos, v. 41. *Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos eius.* Nono, Deum solitam opem non præbiturum, v. 42. *Avertisti adiutorium gladii eius, et non es auxiliatus ei in bello.* Decimo, reges ornamentis suis spoliandos, vers. 43. *Destruxisti eum ab emundatione, et sedem eius in terram collisisti.* Undecimo denique, regnum, quod æternum erat promissum, brevi evertendum, v. 44. *Minorasti dies temporis eius, perfudisti eum confusione.*

Secundo, adventum Messiæ accelerandum docet. Primo, ob satis magnam dilationem, v. 45. *Usquequo Domine avertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?* Secundo, ob miseriam hominum, v. 46. *Memorare quæ mea substantia: numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?* v. 47. *Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem: eruet* A *animam suam de manu inferi?* Tertio, ob Dei bonitatem, v. 48. *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine: sicut iurasti David in veritate tua?* Quarto, ob hostium malitiam, v. 49. *Memor esto opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.* v. 50. *Quod exprobraverunt,* etc. Quinto denique, ob Dei gloriam, v. 51. *Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.*

ARTICULUS I.

Peccatum omnia vastat in anima.

In aliis sectionibus David induxit Deum loquentem; in hac vero inducit loquentem populum in captivitate Babylonica afflictum, ut vult Bellarminus: aut potius, ipse David loquitur, ut patet in mea paraphrasi. Cum autem sæpius egerim de malis, quæ acciderunt in eversione Ierusalem per Nabuchodonosor et Chaldæos, atque de miseria captivitatis Babylonicæ: nunc sensui tantum morali insistam, qui est de totali animæ vastatione per peccatum. 101.

Ac Primo, Christiani magna est dignitas, sed peccato Magna est dignitas Christiani.
B perditur. De primo, nempe de dignitate Christiani dicit S. Greg. Naz. orat. 20. pag. 331. Nobis μεγα πραγμα και ονομα, *magna res, et magnum nomen Christianos et esse, et nominari: atque ea re magis efferebamur, quam Gyges palæ annuli conversione (siquidem hoc fabulosum non esset) per quam Lydiorum tyrannidem occupavit; aut Midas auro, quod ipsi interitum accersivit, cum voti sui compos factus, nihil præter aurum possideret: quæ et in ipsa Phrygia est fabula*: ita Gregorius. De secundo, nempe quod Peccato perditur. peccatum illam dignitatem tollat, hic dicitur: *Tu vero repulisti, et despexisti: distulisti Christum tuum:* id est, a te unctum Christianum in baptismo et in confirmatione. S. Hieron. vertit: *Iratus adversus Christum tuum.* Hebr. התעבר *hithabber*, utramque explicationem patitur. S. Greg. Nyss. tract. de perfecta forma Christiani, tom. 2. pag. 711. ait, eum non esse perfecte Christianum qui peccat: sed draconem, hyppocentaurum, atque minotaurum, vel simile monstrum: *Neque*, ait, *perfectus Christianus* Peccator enim est monstrum. *appellabitur, qui vel a ratione abhorrens caput non habuerit: id est, ipsum universi corporis caput, quod Verbum est, fide non habeat, et si cæteris partibus absolutus*

sit: vel eo capite præditus reliquas corporis partes aut capiti, aut inter se minime convenientes possideat: hoc est, vivendi rationem a fide alienam instituat: cum et draconum furiis imbutus ira excandeseat, atque instar horum serpentium humi repat, et equinam rabiem apponens humanæ formæ fœminarum amoribus insaniat: et ex duplici natura, humana scilicet ac ferina, velut hippocentaurus coalescat. Eiusmodi autem hominum genera passim licet intueri, qui vel in vituli capite, in idololatriæ scilicet disciplina, decentem vitam officiis excultam agunt: qualem simulant esse minotaurum, vel Christianæ personæ belluæ corpus, id est, flagitiosum vivendi genus adiiciunt, quales hippocentauros, aut anguipedes fingunt: hæc Greg. Nyssenus.

102. *Christianus est templum Dei.* Secundo, Christianus est templum Dei, sed peccato evertitur. De primo, ait S. Athanasius tract. de definitionibus, tom. 2. pag. 53. Christianus est vera domus Christi et rationalis, per bona opera et recta dogmata extructa: et S. Ignatius epist. 14. ad Ephesios, pag. 42. Beati estis vos, qui Deo ac spiritu pleni, qui templum, qui sancta fertis, per omnia ornati præceptis Iesu Christi, regale sacerdotium, gens sancta, populus in acquisitionem. De secundo, nempe quod templum illud Dei evertitur peccato, ait Origenes hom. 27. in Matth. *Peccato illud evertitur.* Unusquisque suscipiens verbum Dei, templum est Dei. Unusquisque ergo cum sit templum sanctum Dei, propter Spiritum inhabitantem in se: si peccaverit, ipse fit causa desertionis suæ, ut egrediatur Christus ab eo: ut qui fuerat ante templum filii Dei, postmodum sit domus deserta, et non relinquatur lapis super lapidem ex omnibus dogmatibus, ot bonæ vitæ ædificationibus, quod non destruatur: ita Origenes. Hæc desolatio describitur Isaiæ 64. 11. *Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.*

103. *Christianus perfectus nihil timet.* Tertio, Christianus verus est interritus, peccator in continuo pavore vivit. De primo, ait S. Aug. tom. 9. serm. de excidio urbis, pag. 331. si tamen est Augustini ille sermo: *Gratias tibi: quia iam nec barbaros, nec diabolum formidamus: non timemus in terra famem, non timemus grandinem, non timemus hostem, non timemus lictorem, non timemus oppressorem: sed sumus in terra mortui, apud te morituri, in regno tuo salvi, dono tuo, non merito nostro:* hæc ille. Lege S. Bernardum serm. ad milites templi cap. 1. *Peccator semper pavet.* De secundo, nempe quod a peccato pavor oriatur, hic dicitur: *Posuisti firmamentum eius formidinem.* Deut. 28. 65. dicitur: *Dabit tibi Dominus cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. Mane dices: Quis mihi det vesperum? et vespere, Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis: et propter ea quæ tuis videbis oculis.* Vide dicta Ps. 13. 5. in illud: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Peccatores optime comparabis plebi Constantinopolitanæ, quæ modo insana furit audacia, modo pavore consternata iacet. Nicetas Choniata id dicit lib. 7. Annalium, fol. 79. Constantinopoli, ait, turba circumforanea turbulentissima est, ut rectis consiliis eo minus gaudet, quo ex pluribus constat, et artium varietate quodammodo ingenia mutat: et quia peiora vincere solent, et in multis uvis immaturis vix unus maturus acinus reperitur, neque consilio quidquam aggreditur, neque æquo animo ab inhonestis conatibus desistit, et interdum fama tantum seditionis impulsa, igne ferventius exæstuat: in enses, in præcipitia, in marinos scopulos cæco furore ruit. Contra, cum perterrita est, ad quemvis strepitum expavescit, cuivis collum calcandum præbet: ita Nicætas.

104. *Christianus est dives.* Quarto, Christianus dives est, sed a peccato spoliatur. De primo ait Clemens Alexandr. lib. 3. pædag. cap. 6. pag. 233. Solus Christianus est dives. S. Macarius homil. 27. Christiani regnum, ait, et divitiæ, sunt res divinæ, res cælestes et gloriosæ, nunquam aut transeuntes, aut dissolvendæ. *Peccato spoliatur.* De secundo, nempe quod peccatum animam spoliet, hic dicitur: *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam.* Hoc adhuc clarius tradit Ieremias cap. 15. 13. *Divitias tuas, et thesauros tuos in direptionem dabo gratis, in omnibus peccatis tuis, et in omnibus terminis tuis.* Vide cap. 2. 5. et seqq. atque cap. 4. Reg. 24. 13. ubi describitur quid abstulerit Nabuchodonosor ab urbe Ierusalem. Tempore etiam Iudicum sæpe ob sua scelera Iudæi dati sunt hostibus suis diripiendi, ut dicitur cap. 2. 12. *Dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti: et secuti sunt deos alienos, deosque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, et adoraverunt eos: et ad iracundiam concitaverunt Dominum, dimittentes eum, et servientes Baal et Astaroth. Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, et vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere adversariis suis.* Sæpissime eadem facta in eodem libro reperies. S. Isaac presbyter comparat mundum meretrici suis amatoribus blandienti, sed eos spolianti. Sic autem ait cap. 2. de mundi contemptu: *Mundus est meretrix*, quæ desiderio pulchritudinis suæ ad concupiscendum trahit videntes eam; qui autem peculiariter eius amore deceptus, ipsam fuerit amplexatus, a manibus eius non potest evadere, donec spoliet eum vita sua: et cum spoliaverit eum omnibus, eiiciet eum de domo sua, et in die obitus sui homo cognoscet eum: hæc ipse. Avaritia præsertim, quæ a Sybilla lib. 8. oracul. vocatur, dementia habendi et impietatis fons, vocatur a S. Athanas. t. 2. in sanctum Pascha, pessima peccatorum omnium radix. Itaque spolians alios bonis terrenis, animam avari spoliat virtutibus, et omni celesti ornatu.

Quinto, Christiano habenda est cura bonæ famæ, sed peccato perditur. 105. *Cura famæ est habenda.* De primo, ait S. Iustus Abbas Ord. Cisterciensis serm. ad Ord. Reform. Non est vobis incognitum duas res esse, quas negligere non debemus: *famam, et conscientiam:* conscientiam mihi, famam proximo, conscientiam ad meritum, famam ad exemplum. Sic ille. De secundo, nempe quod per peccatum fama perdatur, habes: *Factus est opprobrium vicinis suis.* Ieremiæ 19. 8. *Peccato obscuratur.* Deus ait de Ierusalem peccatrice: *Ponam civitatem hanc in stuporem, et in sibilum: et omnis qui præterierit per eam, obstupescet, et sibilabit super universas plagas eius.* Obscuratio famæ in peccatore explicari potest per obscuritatem coloris in lapidibus pretiosis Ephod ac Rationalis, cum populus Israel peccaverat. S. Ephrem tom. 2. de gemmis pag. 231. Sacerdos, inquit, per Ephod voluntatem Dei aliquando eruebat. Quod si in peccato deprehenderentur, si in præceptis quæ dederat Deus, non ambulassent, mutabatur, ut ferunt, color lapidis, et fiebat niger. *Rationales gemmæ colorem mutabant.* Hinc agnoscebant, quod Dominus mortem esset missurus. Cum vero eos gladio vellet perdere, efficiebatur sanguinei coloris. Quod si ut nix splenderet, agnoscebant se non peccasse, et tunc festum celebrabant. De ea re etiam mentionem facit Iosephus. Nigredinem et fuliginem inducit peccatum, et splendorem famæ obscurat: et Nazaræi prius candidiores lacte, fiunt ut nigredo ollæ. Vitellius Imp. gulæ deditus, summa ignominia affectus est a militibus, *Vitellius contumeliis affectus.* ut refert Dio Cassius lib. 66. pag. 743. Vitellium victum, ait, in forum perducunt, ubi concionatus erat: ibi quidam ei colaphos impingunt, alii barbam velluut, illudunt omnes, et contumeliose maledicunt, eique exprobrant comessationes; nam ventre obeso erat. Cum rubore suffusus, capite demisso terram intueretur, milites sub mento illum pungebant, ut caput extolleret invitus, altumque cerneret. Id quidam Germanus videns, et misericordia motus, ait: Ego tibi qua in re potero opem feram, atque illum percussit, deinde sibi manus intulit. Neque tamen ex eo vulnere mortuus est Vitellius, sed tractus in carcerem cum suis statuis, quibus ridicula multa et turpia exprobrabantur. Hic Vitellius summo dolore affectus dicebat: Ego quidem aliquando Imperator vester fui. Ideo irati milites eum ad scalas Gemonias traxerunt, ibique obtruncarunt, et caput per totam urbem gestaverunt. De contumeliis Andronico Imp. illatis vide Nicetam Choniatam fol. 40. col. 4. *Scorpiorum catena pestifera.* Plebei detractores et contumeliosi similes sunt parvis scor-

piis, qui cum separati nocere non possint, catenam venenatam faciunt, ut pungant et interimant. Ælianus lib. 8. hist. animal. cap. 41. Libyes, ait, lectum suspendunt, sed scorpius e tecto se demittit, et aculeum exerit, cui alter adhæret, donec *facta lethali catena* dormientem pungat ultimus: qui deinde ascendit ad tectum per alios, sicque deinceps: sic Ælianus. Detractores, et procaces, petulantesque, sæpe sunt pusilli, et nocere soli non possunt: sed ubi aculeum exeruerint, camdem calumniam alter amplectitur, atque per varia ora circumlata plurimum nocet. Quodque luctuosius est, sæpe magis nocet vicinis, amicis, affinibus, et parentibus, quam extraneis. Quemadmodum scorpii in Cariæ Latmo, ut idem testatur, indigenas mortifera percussione interimunt, externos vero leniter mordent.

106. Deus iustos iuvat, deserit peccatores.

Sexto, iustos iuvat Deus, peccatores sua ope destituit. De primo dicitur Psal. 5. 13. *Tu benedices iusto.* Ps. 7. 10. *Diriges iustum.* Psal. 36. 17. *Confirmat iustos Dominus;* et v. 29. *Salus iustorum a Domino.* Psal. 54. 23. *Non dabit in æternum fluctuationem iusto.* De secundo, nempe quod Deus sua ope destituat peccatores, dicitur hic: *Avertisti adiutorium gladii eius, et non es auxiliatus ei in bello.* Hoc patuit in Israelitis murmurantibus contra Mosem et Aaronem, cum rediverunt exploratores de terra Chanaan in Cades, anno exitus ab Ægypto, et commorationis in deserto 2. Mosis 82. Cum enim postea illi sine arca et ductu Dei vellent ascendere in montem, ab Amalecitis victi sunt et fugati cum ignominia. 2. Post ingressum in terram Chanaan anno primo, cum Achan furatus esset de anathemate urbis Iericho pallium coccineum, ducentos argenti siclos, et regulam auream quinquaginta siclorum, qui missi erant ad capiendam urbem Hai, victi et fugati sunt, Iosue septimo. 3. Id patuit in Ophni et Phinees filiis Heli pessimis, et ducibus exercitus Israelitarum contra Philisthæos anno mundi 2939. Heli Iudicis et Pontif. 40. victi enim sunt duobus præliis, in quorum secundo triginta millia peditum cæsa sunt, et arca Dei capta. Ophni et Phinees cæsi hostium gladio, Heli Pontifex cadens de sella sua retrorsum fractis cervicibus mortuus est, uxor Phinees in partu etiam mortua est, 1. Reg. 4. Casanus rex Tartariæ victo Sultano Ægyptio omnem prædam dedit militibus, nihil sibi retinens præter unum ensem, et quoddam marsupium, in quo erant scripturæ pertinentes ad regnum Ægyptiorum, ut ait Petrus Bizarus lib. 8. pag. 224. In magno munere Brissacus Marescallus Franciæ habuit ensem Henrici II. quo rex in bello uti consueverat, sibi ab ipso rege donatum, ut refert Matthæus Turpinus lib. 5. hist. regni Neapolitani et Siculi, pag. 878. Quanto magis pretiosus fuit Dei gladius Iudæ Machabæo datus a Ieremia Propheta, his verbis additis, 2. Machab.

Gladius e cælo datus Athelstano regi.

15. v. 15. *Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel.* Cum Atelstanus rex Angliæ amisso gladio in certamine ab hostibus pene cingeretur, S. Odo porrectis in cælum manibus, vidit gladium, cæleste munus, regiæ vaginæ illapsum divinitus: quo factum est, ut e tanto periculo eriperetur, sicut tradit Edovardus Maihew in natalibus Sanctorum Congreg. Anglicanæ Ord. Benedicti. Theodosius et Valentinianus Imp. vere et Christiane, Æstio scripserunt: Certum est nobis, et imperio nostro, unicum esse præsidium in supernæ divinitatis favore: ad quem promerendum præcipue Christiana fides, et veneranda nobis religio suffragatur: hæc illi. David noster pugnaturus in gigantem Goliath, dicebat 1. Reg. 17. 47. *Noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus: ipsius enim est bellum, et tradet vos in manus nostras.* Quomodo Deus suo illo auxilio privet peccatores, et illud eis subtrahat, patuit in civibus Iericho, quorum muri corruerunt ad preces Iosue et populi Dei, Iosue 6. 20. Mirabilius est, quod contigit vitiosis Græcis, quos Deus in Turcarum recedentium manus tradidit, eis murorum suorum præsidium tollendo.

Muris urbium cadentibus Turcæ manent in Europa.

Nam fertur Solimanum Turcarum Imp. statuisse, omnia quæ in Europa habebat pro sex ducatorum millibus reddere: sed orto terræmotu, cum plurimarum civitatum muri corruissent, mentem mutavisse, et in Europa hæsisse, teste Baudier lib. 1. pag. 8.

107. Ira Dei est fulmen.

Septimo, ira Dei est fulmen in peccatores decidens: *Usquequo exardescet sicut ignis ira tua?* Igne iram suam probavit Deus in duos filios Aaronis, Levit. 10. Ignis ille erat ortus ex altari holocausti. Igne cælesti duos quinquagenarios cum suis militibus occidit, Elia id postulante, 4. Reg. 1. 10. et 12. Notabile est, quod Francis accidit Mediolani: nam cum in quadam arcis turri essent ducenta quinquaginta millia librarum pulveris tormentarii, mille et ducenta vasa igniaria, sexcentæ lanceæ ignis missilis, atque in quinquennium sal congestum, in eam fulmen decidit, atque illam a fundamentis evertit, ablatis ex utraque muri parte sex orgyris seu ulnis: Richeburgus castelli gubernator hac ruina obvolutus est cum trecentis hominibus, et aliis qui extra arcem inambulabant. Ad leucæ quadrantem muri partes tantæ disiectæ sunt, ut vix a centum bobus loco moveri posse viderentur: mansitque sine ullis custodibus arx, ita ut senatores Galli cum familia eo coacti sint commigrare, donec centum cataphracti equites Novaria venirent. Ubi hoc Leo Papa inaudiit, iram Dei in Francos decidisse ratus, statuit eorum adversæ parti se adiungere: auditoque postea Francos esse expulsos Mediolano, tanto correptus est gaudio, ut catarrho oppressus, ac febri continua exæstuans, intra triduum mortuus fuerit, sicut narrat Martinus du Bellay lib. 1. fol. 52. et lib. 2. fol. 60. Deus minatur Israelitis peccantibus, Deuteron. 32. 41. *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit iudicium manus mea: reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt me, retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes.*

(Mediolani turris a fulmine disiecta.)

108. Vita humana est brevis.

Octavo, multæ sunt hominis miseriæ, et multæ Dei misericordiæ. De primo dicitur: *Memorare quæ mea substantia?* etc. Felix vertit, memor esto quanti temporis ego. Campensis, recordare quam brevis et nihil sit vita mea. Chald. recordare quod creatus sum de pulvere. Omnis gloria et vita humana, est sol occidens. S. Chrysost. tom. 1. hom. 10. pag. 141. Cum, ait, solem videris orientem, Creatorem admirare: quando ipsum se celantem et evanescentem conspexeris, naturæ imbecillitatis demonstrationem adverte. S. Athanasius tom. 2. pag. 372. ad Antiochum, qu. 105. quærit: Cur maior pars hominum noctu nascatur, et noctu moriatur? et rationem reddit: quia obscura et tenebrosa existit huius præsentis vitæ et generatio et mors: hæc ibi. In vita vero S. Antonii, illud tanti patriarchæ monitum (fundatum in Pauli dicto 1. Corinth. 15. *Quotidie morior*) refert: *Si nos sic vixerimus,* ὡς ἀποθνήσκοντες καθ' ἡμέραν, *tamquam in dies singulos morituri, non peccabimus.* Quod ita intelligendum est, ut e lectulo surrecturi, quotidie existimemus nos ad vesperam usque non esse victuros: et dormitum ituri, existimemus nos non esse surrecturos: cum vitæ nostræ natura sit incerta, quam in dies divina providentia metitur: hæc Athanasius.

(Cur multi noctu nascuntur?)

Misericors pro Deo sumitur a Chaldæis.

De secundo, nempe quod sunt multæ Dei misericordiæ, dicitur: *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine?* Chaldæi hanc formulam frequenter usurpant: *Benedictus misericors:* id est, benedictus Deus: quasi Deus totus sit misericordia. Unde Psal. 58. 18. habetur: *Deus meus misericordia mea.* Ugo Card. in cap. 1. Cant. fol. 106. triplicem Dei misericordiam sic distinguit: Est, inquit, triplex misericordia sponsi. Prima est speciosa, secunda est spatiosa, tertia pretiosa. Speciosa purificat a vitiis animarum et corporum. Spatiosa locupletat deliciis gaudiorum cælestium. Prima speciosa dicitur, quia facit animam speciosam, ut sit omnis gloria eius filiæ regis ab intus. Secunda spatiosa, quia a summo cælo egressio eius. Tertia pretiosa, quia procul et de ultimis finibus pretium eius. De prima dicitur Eccli. 35. *Speciosa est misericordia in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.* De secunda dicitur Psal. 32. 5. *Misericordia Domini plena est terra.* De tertia dicitur Psal. 83. 12. *Misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus:* hæc Ugo Cardinalis.

(Triplex Dei misericordia.)

PSALMUS OCTOGESIMUS NONUS.

ORATIO MOSI HOMINIS DEI.

1. DOMINE refugium factus es nobis: a generatione in generationem.
2. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, et orbis: a sæculo et usque in sæculum tu es Deus.
3. Ne avertas hominem in humilitatem: et dixisti: Convertimini filii hominum.
4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit;
5. Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.
6. Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat: vespere decidat, induret et arescat.
7. Quia defecimus in ira tua: et in furore tuo turbati sumus.
8. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.
9. Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et in ira tua defecimus.
10. Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.
11. Si autem in potentatibus octoginta anni: et amplius eorum labor et dolor.
12. Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.
13. Quis novit potestatem iræ tuæ: et præ timore tuo iram tuam dinumerare?
14. Dexteram tuam sic notam fac: et eruditos corde in sapientia.
15. Convertere Domine, usquequo? et deprecabilis esto super servos tuos.
16. Repleti sumus mane misericordia tua: et exultavimus et delectati sumus omnibus diebus nostris.
17. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala.
18. Respice in servos tuos, et in opera tua: et dirige filios eorum.
19. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos: et opus manuum nostrarum dirige.

PSALMI OCTOGESIMI NONI ANALYSIS.

David iam annis gravis ad cælum suspirans, et vitæ mortalis senescentis miserias contemplans:

- Ad Deum currit arcem tutissimam, quæ
  - Omnibus fuit hominibus aperta. 1.
  - Omnibus sæculis anterior. 2.
  - Tota æternitate est permansura. 2.
- Præcipitium timet in via lubrica, quod
  - Iustitia Dei deiicit homines nisi convertantur. 3.
  - Brevitas vitæ eos impellit, similis
    - Diei hesternæ iam præteritæ. 4.
    - Vigiliæ nocturnæ trium horarum. 5.
    - Nihilo prorsus contemnendo. 5.
    - Herbæ mane florenti, vespere cadenti. 6.
  - Peccatorum gravitas trahit:
    - Corpore deficiente, ob iram Dei. 7.
    - Animo turbato, ob eius furorem. 7.
    - Iniquitate se ostendente oculis iudicis. 8.
    - Vitæ maculis illi apertis. 8.
    - Diebus omnibus cito defluentibus. 9.
    - Annis instar aranearum telæ abruptis, cum
      - Ad 70. vix veniant. 10.
      - Ad summum ad 80. 11.
      - Si excedant, pleni sint dolorum. 11.
- Deum solum sibi ducem ad iter eligit, qui
  - Mansuetudine incitet, qua
    - Homo
      - Affectus emendet, visa Dei bonitate. 12.
      - Cognitionem perficiat, visa iustitia. 13.
    - Deus
      - Dexteram porrigat ascendenti. 14.
      - Os aperiat erudiendo. 14.
      - Vultum convertat, ut laborantes animet. 14.
      - Aures aperiat precibus servorum. 15.
  - Ac misericordia, qua
    - Homo
      - Donis Dei repleatur. 16.
      - Exultet tota vita. 16. 17.
    - Deus
      - Oculis respiciat servos suos. 18.
      - Voce dirigat filios eorum. 18.
      - Vultu eos illuminet. 19.
      - Manu dirigat opera illorum. 19.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

ORATIO MOSI HOMINIS DEI.

1. *Hic psalmus non est factus a Mose, sed a Davide.*

SANCTUS Hieronymus in Epist. 139. ad Cyprianum constanter affirmat, hunc Psalmum cum aliis decem sequentibus a Mose fuisse compositos: id colligit ex titulo. S. Augustinus tamen hunc Psalmum exponens, constanter id negat: ea ratione, quia si hic Psalmus a Mose compositus fuisset, haberetur in eius libris: id est, in Pentateucho, ubi habentur alia cantica eiusdem auctoris. Ad-

A dere possumus aliam rationem: quoniam in hoc psalmo definitur vita hominis, ut plurimum, annis septuaginta: et in robustioribus annis octoginta: at Mosis tempore plurimi centesimum annum transcendebant: ipse enim Moses obiit annorum centum viginti, ut dicitur Deut. ult. et octoginta annorum erat, quando fecit eum Dominus ducem populi sui, et Aaron frater eius erat annorum octo-

ginta trium, antequam fieret summus sacerdos, ut intelligi potest ex cap. 7. Exodi: et tamen non est credibile electum fuisse aut Mosem ducem populi, aut Aaronem summum sacerdotem, homines decrepitos, et morti proximos. Itaque ætas octoginta annorum non erat tunc extrema et decrepita, sed ætas matura et vigens, atque ad res maximas gerendas aptissima. Neque probabile est, quod reliqui decem psalmi sequentes sint compositi a Mose, cum in Psal. 98. fiat mentio Samuelis, qui diu post mortem Mosis natus est. Neque satisfacit huic obiectioni S. Hieronymus, dicens: nomen Samuelis fuisse prophetatum a Mose, ut lib. 3. Reg. 13. prædicitur nomen Iosiæ regis: nam de Iosia sic loquitur Propheta: Nascetur filius domui David, Iosias nomine, etc. ubi est manifesta prædictio de futuro: at in Psal. 98. narrantur res præteritæ, his verbis: *Moses et Aaron in sacerdotibus eius, et Samuel inter eos, qui invocant nomen eius. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, custodiebant testimonia eius*, etc. Non igitur hic prædicitur nomen Samuelis, quemadmodum nec Mosis, aut Aaronis, sed narrantur res ab ipsis gestæ, antequam hic psalmus scriberetur. Quare videtur nobis titulum huius psalmi inscribi Mosi, quod Mosem loquentem David introducat. Introducitur autem Moses fortasse, quod ipse scripserit creationem mundi, peccatum primorum parentum, et pœnas inde secutas: ita Bellarminus. Cum S. Augustino censent hunc psalmum esse Davidis, Haymo, Bruno, Rickelius, Remigius, Glossa, Ludolphus, Ugo, Caietanus, Euthymius, et plurimi alii. Cum S. Hieronymo eum Psalmum tribuunt Mosi Genebrardus, Mariana, et alii. Valentia censet S. Hieronymum non loqui assertive, nisi secundum opinionem magistri sui Barrabam et cæterorum Rabbinorum sui temporis, quibus nulla fides est adhibenda. Et B. Hieronymus postea secundum communem opinionem Ecclesiæ attribuit istum psalmum ipsi David tamquam auctori. Unde in epistola ad Iulianum, quæ est 107. dicit: Audi et David: Dies vitæ nostræ septuaginta anni: si autem amplius, octoginta: et quidquid superest, labor et dolor: hæc Valentia. Addi alia ratio potest cur saltem decem sequentes Psalmi non sint scripti a Mose: quia scilicet S. Paulus nonnulla ex Psal. 94. tribuit Davidi, Hebr. 4.

2. *Moses homo Dei cur dictus.* Quæres, cur Moses vocetur homo Dei? Resp. Primo, quod homo Dei idem est quod servus Dei. Homagium enim præstare alicui est quædam species servitutis, ut dicitur cap. veniens 15. De accusat. Nam homagium est, quando quis facit alteri promissionem genibus flexis, et manibus in manus illius positis: *ita quod efficiatur homo illius*, et talis appellatur homo ligius, dd. reprob. gl. 1. in d. c. ex diligenti. Itaque homagium, idem est quod fidelitas et obedientia, quam quis ratione beneficii alicuius præstat domino, gl. 2. in cap. gravem. de excess. Prælat. Moses autem fuit et vocatur servus Dei fidelis, Num. 12. 1. *Servus meus Moses in omni domo mea fidelissimus est.*

Secundo, *homo Dei* fuit Moses, id est amicus Dei illi intime familiaris et eximie sanctus. Sic S. Paulus vocat S. Timotheum Episcopum Ephesinum, hominem Dei, 1. Timoth. 6. 11. q. d. Homo qui Deum unum spirat, de illo uno cogitat et loquitur, in Dei unius gloriam intentiones suas et actiones dirigit, Dei imaginem in seipso circumfert, in cuius vultu, verbis, incessu et operibus Deus apparet. Sic vernacule dicimus, *c'est un homme de Dieu;* id est, qui Deum unum curat et amat, qui illi se totum consecravit, et qui vicissim a Deo amatur et conservatur. Talis autem erat Moses Exod. 33. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Mosem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Itaque probabile est, angelum vices Dei tenentem apparuisse Mosi corporea et humana specie. De virtutibus Mosis vide epistolam nuncupatoriam præfixam commentariis Cornelii a Lapide in Pentateuchum.

Tertio, Hebræi *hominem Dei* eum vocant, qui est Dei apud homines internuncius, interpres, vicarius: per quem Deus loquitur, operatur et moderatur suum populum. Hinc primo et sæpissime hoc nomen tribuitur prophetis, quos

A spiritus Dei regebat. Sic Eliæ dicit Pentacontarchus 4. Regum 1. 11. et 12. *Homo Dei;* cui Elias: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, et devoret te, et quinquaginta tuos.* Sic 1. Reg. 9. de Samuele dicitur: *Vir Dei est in hac civitate.* Sic Iudicum 12. 6. Manue de angelo, quem videbat: *Vir Dei*, inquit, *venit ad me, habens vultum angelicum.* Sic 3. Reg. 13. 1. dicitur: *Vir Dei venit de Iuda in sermone* (id est iussu) *Domini in Bethel.* Quis autem sit hic vir Dei, exponit v. 13. ubi eum vocat נביא *nabi*, id est propheta. Sic 2. Timoth. 3. 17. doctor sacræ Scripturæ vocatur a Paulo homo Dei: iam enim sunt doctores, quod olim erant prophetæ. Secundo, *homo Dei*, est nomen quod tribuitur regibus, principibus et prælatis a Deo constitutis, ut suo nomine populum regant: his enim Deus suam potestatem iudicandi et gubernandi (quam significat nomen *elohim)* communicat. Sic Moses a Deo constitutus, et Dei apud populum internuncius, vocatur homo Dei, Deut. 33. 1. Sic David 2. Paralip. 8. 14. vocatur homo Dei. Sic Act. 2. 22. S. Petrus Iesum vocat *virum approbatum a Deo* (id est virum Dei) *virtutibus et signis, quæ Deus fecit per illum.* Et cap. 17. 31. Paulus Iesum B vocat *virum, in quo Deus statuit iudicare orbem.* Vir ergo Dei, idem est quod iudex, legislator, princeps, qui Dei nomine et virtute iudicat, regit, operatur: ita Cornelius in epist. ad Timotheum cap. 6. Utroque autem modo Moses fuit homo Dei. Primo enim fuit Propheta, imo maximus inter prophetas in multis rebus, ut ait Iosue, qui composuit ultimum caput Deuteronomii, ubi agitur de morte Mosis. Ibi dicitur v. 10. *Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moses, quem nosset Dominus facie ad faciem. In omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in terra Ægypti Pharaoni et omnibus servis eius, etc.* Arbitror tamen absolute maximum prophetarum fuisse nostrum Davidem, ut ostendi Psal. 50. Secundo, Moses fuit summus Pontifex, priusquam Aaron ad eam dignitatem eligeretur, summus imperator, legislator, doctor, ac ductor totius populi Israel: id est trium hominum millionum, C quæ totis quadraginta annis in arido deserto duxit, manna cibo angelico e cælis decidente pavit, Dei timorem atque cultum edocuit; sapientia, mansuetudine et iustitia in officio continuit, solus lites omnes atque controversias dirimens, atque hostes ab illis arcens et conterens. Laudes eius recensentur Eccli. 45. a Siracide his verbis: *Dilectus Deo et hominibus Moses, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum, magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit; glorificavit illum in conspectu regum, et iussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam, in fide et lenitate sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. Audivit enim vocem ipsius, et induxit illum in nubem, et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, docere Iacob testamentum suum, et iudicia sua Israel.* Lege quid de eo dicat S. Paulus Hebr. 11. 24. S. Stephanus Act. 7. 22. et 30. S. Ambros. lib. 1. de Cain et Abel cap. 2. S. Augustin. lib. 22. contra Faustum cap. 69. S. D Gregor. 2. pag. pastoral. c. 5. S. Basil. hom. 1. Hexaem. S. Gregor. Nazianzen. orat. 22.

Quæres secundo, cur hic psalmus vocetur oratio Mosis? 3. *Psalmus hic dicitur oratio Mosis.* Resp. hunc psalmum habere aliquam affinitatem cum oratione, quam fecit Moses petens sibi ostendi faciem Dei, id est angeli, qui erat Dei vicarius. Hic enim petitur Verbi incarnatio ad tollendas omnes miserias humanas, et dandam æternam felicitatem. Lege Valentiam fuse comparantem hunc psalmum cum illa Mosi oratione, quæ habetur Exod. 33.

Nota. Totum Davidis psalterium dividitur in quinque libros: hinc autem incipit quartus, ut ait S. Gregor. Nyssen. tract. 1. in Psalmos cap. 7. In eo libro sive sectione non quivis de vulgo αλλ'ο προσκολληθεις ηδη και συνημμενος Θεω, *sed homo eum Deo coniunctus, firmoque nexu copulatus, subit:* hæc Gregorius. Mentem igitur erige, et a terrenis avoca, ut sublimem hanc sapientiam possis percipere. 4. *Psalterium in quinque libros dividitur.*

*

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Tria continet. Primo, Deum esse arcem tutissimam servis suis, vers. 1. Secundo, timendum esse præcipitium peccatori, vers. 3. Tertio denique, orat Deum, ut se ad illam arcem ascendentem cum mansuetudine et misericordia dirigat, vers. 15.

SECTIO PRIMA.

5. *Tria complectitur. Primo, Deum esse refugium æternum, v. 1. Secundo, orat, ne patiatur se in voraginem labi, v. 3. Tertio, exponit periculum cadendi cito in eam voraginem, ob vitæ fragilitatem et peccata, v. 4.*

PARAPHRASIS.

1. *Domine refugium factus es nobis, a generatione in generationem.*	1. Domine Deus, tu in omnes hostium insultus populo tuo semper extitisti arx tutissima et asylum apertum, in quod maiores nostri omnes longa serie, nosque ipsi confugimus.
2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis: a sæculo, et usque in sæculum tu es Deus.*	2. Tibi uni debita est æternitas. Tu enim ante montium omnium, imo ipsius terræ tum inhabitatæ, tum habitatæ, formationem, ab omni æternitate Deus es, et per te atque essentialiter, sicut nunc, extitisti.
3. *Ne avertas hominem in humilitatem: et dixisti: Convertimini filii hominum.*	3. Homo vero in tempore per te creatus est: hunc ne ob admissum scelus ex arce et protectione tua in eam vilitatem et abiectionem deiicias, ut perpetua in morte taceat tum corporis, tum animæ. Tu enim paterna pietate iustitiam temperasti: nec interitum te nostrum optare, sed conversionem testatus es.
4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit.*	4. Præterea tanta est vitæ humanæ, si cum tua æternitate conferatur, brevitas, ut merito reputetur instar diei hesternæ, cuius nulla pars remanet.
5. *Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*	5. Seu verius, similis est nocturnæ vigiliæ, quæ tres horas, easque sollicitas et periculi plenas continet: atque, ut verbo absolvam, anni nostri nihil sunt subsistens, sed somniorum instar avolant.
6. *Mane sicut herba transeat: mane floreat et transeat: vespere decidat, induret et arescat.*	6. In primo infantiæ et pueritiæ exortu vita hæc herbæ instar virescentis crescit, atque spem fructus ostentat, sed cito transit. In adolescentia et iuventute, odoris suavitate et pulchritudinis admirabilitate allectat, sed citissime prætervolat. Ubi vero senectus advenerit, marcescit, induratur, et in pulverem recidens arescit.
7. *Quia defecimus in ira tua: et in furore tuo turbati sumus.*	7. Hic autem ætatis fluxus, et vigoris nativi defectus a iusta tua vindicta scelus Adami et posterorum ulciscente, exoritur: et te iudicem scientes, atque in fine vitæ expectantes, conturbamur.
8. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.*	8. Quis enim non expavescat, cum sciat ne levissimam quidem culpam oculos tuos suffugere, sed perpetuo memoriæ tuæ obversari: totumque vitæ decursum, velut in speculo, iudicandum tibi repræsentari?
9. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et in ira tua defecimus.*	9. Quod ex nobis ipsis innotescit, cum dies omnes nostros defluere, nosque ob iustam iram tuam deficere sentiamus.
10. *Anni nostri, sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.*	10. Viliis instar aranei, in fragili honorum, voluptatum et divitiarum tela texenda, tota vita anxii et meditabundi occupamur. Cum nunc ad septuaginta annos ordinarius vitæ cursus sit limitatus.
11. *Si autem in potentatibus octoginta anni: et amplius eorum labor et dolor.*	11. Vel ad summum ad annos octoginta, et quidem in iis, qui melioris et robustioris fuerint complexionis. Post hanc vero metam, nihil præter morbos, molestias, et dolores, residuum est.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta vitæ humanæ brevitas et vanitas.

6. Ordo Sectionis. Emblema nobis pulcherrimum proponere David videtur, in quo plurima hominum turba amœno et floribus convestito in prato sit constituta: multæque fallacibus herbis obtectæ voragines, et colubri lateant. Ipse vero oculos in altum erigens, collem prato contiguum, præcelsam munitamque in eo arcem mirabundus suspectat, et petere contendit, ut in ea securus a præcipitiis atque serpentibus conquiescat.

Ac primo, asserit Deum esse arcem et asylum. Primo, securum, v. 1. *Domine refugium factus es nobis.* Secundo, omnibus late patens: *A generatione in generationem.* Tertio, asylis omnibus antiquius, v. 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis.* Quarto, in æternum duraturum: *A sæculo et usque in sæculum tu es Deus.*

Secundo orat, ne in præcipitia humanum genus cadere A permittatur, a recta via declinans, v. 3. *Ne avertas hominem in humilitatem.* Rationes petitionis suæ varias affert, partim a Deo ipso, partim ab hominibus petitas. Primo, quidem a Deo, invitationem paternam ad homines, ut ad se confugiant, v. 3. *Et dixisti: Convertimini filii hominum.* Secundo, ab hominibus, tum ob vitæ brevitatem, tum ob peccati vim, tum ob labores inutiles in terrenis.

Nam primo brevitas vitæ ex eo patet: Primo, quod sit instar diei unius, si cum æternitate conferatur, v. 4. *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna quæ præteriit.* Secundo, quod sit instar vigiliæ nocturnæ, v. 5. *Et custodia in nocte.* Tertio, merum et purum nihil: *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Utitur similitudine floris cito marcescentis, ut commodius hanc vitæ brevitatem et inanitatem declaret. Nam primo homo in infantia et pueritia est instar herbulæ virentis, v. 6. *Mane sicut herba transeat.* Secundo, in adolescentia et iuventute, ut flos odore et pulchritudine recreat: *Mane floreat et transeat.* Tertio, in senectute flos est deciduus: *Vespere*

decidat. Quarto denique, in morte desinit in pulverem: *Induret et arescat.*

Secundo, peccata hominum vitam minuunt. Primo enim, iustitia Dei punit sceleratos, v. 7. *Quia defecimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus.* Secundo, conscientia peccati ob terrores minuit vitam, v. 8. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: seculum nostrum in illuminatione vultus tui,* v. 9. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus.*

Tertio denique, labores inutiles vitam diminuunt hominibus. Hoc explicat comparatione telæ aranearum. Nam vir rebus terrenis intentus se exenterat et consumit instar araneæ, v. 10. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Telæ illius brevitatem ordinariam declarat: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.* Et extraordinariam: v. 11. *Si autem in potentatibus, octoginta anni.* Denique, si tela fiat longior, esse onus tantum, et non commodum: *Et amplius eorum labor et dolor.*

ARTICULUS I.

Deus est iustorum asylum securum, late patens, atque æternum.

Vers. 1. SUAM orationem incipit Propheta a gratiarum actione, et lauda Dei. Dicit enim v. 1. DOMINE REFUGIUM FACTUS ES NOBIS, A GENERATIONE IN GENERATIONEM.

Vers. 2. Vers. 2. PRIUSQUAM MONTES FIERENT, AUT FORMARETUR (S. Hieronymus, parturiretur) TERRA ET ORBIS: A SÆCULO ET USQUE IN SÆCULUM TU ES DEUS. Arabs, tu Deus ab æterno, et usque in æternum.

Vers. 3. Vers. 3. NE AVERTAS HOMINEM IN HUMILITATEM (S. Hieronym. usque ad contritionem) ET DIXISTI: CONVERTIMINI FILII HOMINUM. S. Hieron. Revertimini filii Adam.

7. *Deus est refugium securum.* Nota primo, refugium seu asylum, quod iustis præbet Deus, est securum et munitum. Pro *refugium,* Hebr. est מעון *maon,* habitaculum, receptaculum, domus munita et in alto loco posita, in quam qui se recipiunt, tuti sunt ab hostibus atque periculis. Sic Ps. 90. v. 9. *Altissimum posuisti* מעונך *meonecha, refugium tuum.* Et vere, ait Bellarminus, qui confugiunt ad Deum, et in eo tamquam in arce munita per fidem, spem, et charitatem, cogitatione assidua, et iugi desiderio habitant: securissimi sunt ab omni incursu malo, quoniam eis omnia cooperantur in bonum: hæc ipse. Quam securum sit, altumque illud refugium declarat Chaldæus: ait enim esse in cælo, et Deum ipsum adiuvare. Nam vertit: *Domine, cuius habitatio domus maiestatis tuæ est in cælis, tu fuisti adiutor nobis in omni generatione et generationem.* Chaldaica vox סעיד *sahid,* significat non qualemcumque adiutorem, sed sustentatorem, roboratorem, confortatorem; 2. eum qui reficit ac fulcit cibo. Bonum itaque refugium est Deus, et arx desiderabilis, ubi non tantum muri dant securitatem a tentatore, sed etiam delicias filiorum in natione et sanctis desideriis, atque in sacramentis. Ad eam arcem atque refugium sæpe confugit rex noster, ut ipse testatur Psal. 17. 2. Ps. 30. 3. et 4. Ps. 31. 7. Psal. 45. 2. Psal. 58. 17. Ps. 70. 3. Ps. 90. 2. Ps. 93. 22. Ps. 143. 2. atque variis in locis. *Clementis Papæ symbolum.* Clemens Papa VII. variis calamitatibus agitatus, id sibi sumpsit symbolii, *Domine refugium factus es nobis.* Semper paratus est Deus ad auxilium præstandum; si quando relinquimur, id nostra culpa contingit: unde miserias suorum narraturus, laudat Deum: ut in eum non videatur culpam refundere. S. Hieronym. epist. 139. *David,* inquit, *narraturus tristia, et genus deploraturus humanum, a laudibus Dei incipit: ut quidquid postea homini accidit adversorum, non creatoris duritia, sed eius qui creatus est culpa, accidisse videatur. Qui sustinet tempestatem, vel petræ, vel tecti quærit refugium. Quem hostis persequitur, ad muros urbium confugit. Fessus viator tam sole quam pulvere, umbræ quærit solatium. Si sævissima bestia hominis sanguinem sitiat, cupit, et nititur, utrumque poterit, præsens vitare discrimen: ita et homo a principio conditionis suæ Deo utitur adiutore: et cum illius sit gra*A*tiæ, quod creatus est: illiusque misericordiæ, quod subsistit et vivit: nihil boni operis agere potest absque eo: qui ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret: ne libertas arbitrii redundaret ad iniuriam conditoris: et ad eius contumaciam, qui ideo liber conditus est, ut absque Deo nihil se esse noverit:* hæc Hier.

Adverte autem, Deum omni modo esse homini refugium. 8. *Deus est refugium multis modis:* Primo enim, ad se fugientes recipit, instar matris pullos suos foventis. *1. Ut pater.* Matth. 23. 37. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt! quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.* Hinc factum est, ut humanum refugium perdiderit, quæ divinum respuit: *Ecce relinquerunt vobis domus vestra deserta.* Secundo, Deus est refugium, sicut magister, qui doceat. *2. Ut magister.* Ps. 142. v. 9. *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Tertio, Deus est refugium, sicut dux, qui in bello tuetur. *3. Ut dux.* Psal. 9. v. 10. *Factus est Dominus refugium pau*B*peri: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Quarto, Deus est refugium, sicut domus, quæ tegit a pluviis et ventis, aliisque. *4. Ut domus.* Psal. 30. v. 3. *Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias.* Quinto, Deus est civitas refugii, ad quam se recipiunt peccatores. *5. Ut civitas.* Iosue 20. v. 1. ait Deus Iosue duci populi sui: *Loquere filiis Israel, et dic eis: Separate urbes fugitivorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Mosi: ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius, et possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis;* id est, sanguine propinquus, ad quem spectabat vindicta. Lex enim erat Numer. 35. *Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt, fuerit inventus, et percussus ab eo qui ultor est sanguinis, absque noxa erit qui eum occiderit.* Itaque novem urbes refugii constitutæ erant, ad quas fugerent, et in quibus tuti essent, qui non advertentes, aut sine culpa aliquem occidissent. Sexto denique, Deus est arx in alto posita, et hostibus impervia. *6. Ut arx.* Ps. 90. C v. 9. *Altissimum posuisti refugium tuum.* Alludit ad tabernaculum, quod ædificaverat Deo in monte Sion, et in quo arcam posuerat: et ad templum, a filio suo Salomone ædificandum in monte Moria, qui erat unus de verticibus montis Sion. David etiam qui erat figura Christi habitabat in Sione, quæ erat arx civitatis Ierusalem. 1. Paralip. 11. v. 7. *Habitavit David in arce, et idcirco appellata est civitas David.* Illam arcem munivit Iudas Machabæus, qui etiam erat typus Christi, 1. Machab. 4. 60. *Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion, et per circuitum muros altos, et turres firmas, ne quando venirent gentes, et conculcarent eum, sicut antea fecerunt. Et collocavit illic exercitum, ut servarent eum, et munivit eum ad custodiendam Bethsuram, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.* Ad illud refugium est accedendum. Proverb. 18. v. 10. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus, et exaltabitur.* Spes in Deum aditus aperit: illam Philo libro de confusione linguarum vocat, πυλωρον βασιλιδων αρετων, ianitricem regiarum virtutum.

D Alia omnia refugia et asyla hominum contemnenda sunt 9. *Omnia refugia humana sunt spernenda.* et negligenda. Primo, divitiæ. Hinc Iob dicebat 31. 24. *Si putavi aurum robur meum; et obrizo dixi, fiducia mea. Si lætatus sum super divitiis meis, et quæ plurima reperit manus mea.* Secundo, honoris. Iob addit vers. 26. *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare.* Multi tamen iis præsidiis se tutos putant. Proverb. 18. 11. *Substantia divitis urbs roboris eius; et quasi murus validus circumdans eum.* Sed illa refugia et præsidia non prosunt in tempore opportuno, cum afflictio ingruit. Ieremias alloquens plebem Israel a Chaldæis captivandam, dicit cap. 2. 28. *Ubi sunt dii tui quos fecisti tibi: surgant et liberent te in tempore afflictionis tuæ: secundum numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui Iuda.* Dii aurei et argentei, ac lutei, sunt divitiæ, honores, atque voluptates. Refugium humanum est mons semper intus mugiens, et ruinam minitans, qui tandem lapsu suo ad se fugientes obte-

rit. S. Gregor. Turon. lib. 4. hist. Franc. pag. 446. refert Tauriduni castelli ruinam in hunc modum. In Galliis, ait, magnum prodigium de Tauriduno castello apparet, quod super Rhodanum fluvium in monte collocatum erat. Qui cum per dies amplius sexaginta, nescio quem mugitum daret, tandem scissus atque separatus mons ille ab alio monte sibi propinquo, cum hominibus, Ecclesiis, opibusque ac domibus in fluvium ruit, exclusoque amnis illius littore, aqua retrorsum petiit. Locus autem ille a montibus conclusus erat inter quorum angustias torrens defluit. Itaque multi aquis periere. In alios deinde accedentes, et æs sive ferrum repertum accipientes, edito prius mugitu altera pars montis, quæ nondum ceciderat, corruit: eosque ita obtrivit, ut amplius non sint inventi: hæc Gregorius. Unde discas, ea quæ in terrenis censentur altissima et securissima, corruere plerumque, et in se confisos obterere. Mundus est arx munita, sed crudelitate et barbarie: in ea sunt multa pericula. Petr. du Iarric. lib. 2. hist. Ind. cap. 19. pag. 561. narrat, Cboigonam gubernatorem urbis Christianopatamæ, in arcis fossis crocodilos posuisse, ut difficilem eius aditum præstaret. Mundus conservat suos remediis ipso malo peioribus.

Mons terræ motu dissectus.

10. Nota secundo, Deus est refugium omnibus patens, et quidem omni tempore: *Domine refugium factus es nobis, a generatione in generationem*: id est, per omnes generationes atque ætate maiorum nostrorum. Nulla gens orbis ab eo refugio excluditur. Ieremiæ 16. 9. *Domine fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum in die tribulationis: ad te Gentes venient ab extremis terræ.* Eccl. 2. 13. *Pius et misericors est Deus, et protector est omnibus exquirentibus se in veritate.* S. Paulus Coloss. 1. 15. de Christo dicit: *Omnia in ipso constant*, id est, stant, consistunt, firmantur. Philo lib. de migration. Abrahæ, pag. 318. Vere, inquit, vir iustus est, ερεισμα γενους ανθρωπων, *fulcrum generis humani*. Pauci tamen sunt, qui ad illud asylum fugiant. Herodotus lib. 9. pag. 537. Tenet me admiratio, inquit, cum in Platæensi pugna prope Cereris fanum pugnatum esset, ne unum quidem Persarum visum esse fanum intrare, neque circa illud occubuisse, verum plerosque in profano: sed opinor, deam ipsos non recepisse, quod templum in Eleusine Anactorium cremassent: hæc Herodotus. Pauciores etiam sunt, qui post salutem in asylo receptam, eius se memores exhibeant. Dicebat dux quidam, similem se esse platanis, sub quarum folia confugiunt viatores orta tempestate: reddita autem serenitate, folia eius stringunt, eamque dicteriis incessunt, ut ait Plutarchus in apophtegmatis.

Deus est refugium omnibus patens.

Persæ impii ab asylo exclusi.

11. Nota denique tertio, Deus est refugium æternum, per totam æternitatem patens: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a sæculo et usque in sæculum tu es Deus.* Convenientius, ait S. Augustinus, diceretur, ab æterno in æternum. Non enim a sæculo Deus, quia est ante sæcula, aut usque in sæculum, cuius est finis, cum sit ille sine fine: sed ex ambiguo verbo Græco fit plerumque in Scripturis, ut vel sæculum pro æterno, vel æternum pro sæculo ponat Latinus interpres. Optime autem, non ait, a sæculo tu fuisti, et usque in sæculum tu eris: sed præsentis significationis verbum posuit, insinuans Dei substantiam omnimodo incommutabilem, ubi non est, fuit et erit, sed tantummodo est. Unde dictum est Exod. 3. *Ego sum qui sum;* et: *Qui est, misit me ad vos.* Et Ps. 101. 27. *Mutabis ea, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*: hæc Augustinus. Vide illum Psalmum. Idem sanctus Doctor in Ps. 101. dicit, de essentia Dei esse eius æternitatem, illud explicans: *Tu autem idem ipse es*: *Æternitas Dei est Dei substantia, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi iam non sit: nihil est futurum, quasi nondum sit: quia non est ibi, nisi est.* S. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 18. Ουδεν, inquit, ουτως ιδιον και χαρακτηριστικον της θειας φυσεως, ως το αιδιον; *Nihil divinæ naturæ tam proprium et peculiare est, nec quod expressus eam notet atque insignat, quam æternitas.* Plutarchus in opusculo de syllaba ει, *es*, Delphico templo inscripta: Quid est, inquit, quod vere est? Id unum utique, quod sempiternum est, quod ortu simul et interitu caret, cui nullum tempus mutationem affert. Est enim omnino tempus mobile quiddam, quodque simul cum mobili materia, semper fluens, ac nihil unquam firmitatis habens, sic tamquam vas aliquod interitus ortusque cogitatur. S. Gregor. Papa ait, nihil proprie esse præter Deum. Sic enim loquitur libr. 16. Mor. 16. illud Iobi, *Ipse solus est*, meditans: Numquid, inquit, non sunt angeli et homines, cælum et terra, aer et maria, cuncta volatilia, quadrupedia, atque reptilia? Et certe scriptum est, Gen. 1. Creavit ut essent omnia. Cum ergo in rerum natura tam multa sint, cur beati viri voce nunc dicitur, Ipse enim solus est? Sed aliud est esse, aliud principaliter esse: aliud mutabiliter atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt: quia in semetipsis minime subsistunt: et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt: ita Gregorius.

Deus est refugium æternum.

Deus est a sæculo et usque in sæculum, id est, ab æterno usque in æternum, velut gigas sæculorum, altera manu attingens æternitatem a parte anteriori, et altera manu attingens æternitatem a parte post, omniaque sinu suo complectens sæcula et creaturas in iis existentes. Ipse est, ut habetur Apocal. 1. 8. *alpha et omega, principium et finis: qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens.* Ab eo principio, velut a fonte omnis entis, singula fluxerunt. Genes. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cælum et terram.* Anaximander Milesius principium rerum adscribebat infinito, ex quo omnia fiant, et in quod omnia resolvantur, ut ait Plutarch. lib. 1. de placitis philosophorum, cap. 3. Mercurius Trismegistus cap. 10. num. 14. Pymandræ: Mundus, inquit, est θεου υιος, Dei filius: homo vero, velut mundi filius: hæc ille. Ad eum velut finem tendunt omnia, ut a quo exiverunt, ad illum redeant, sicut fontes et fluvii ad mare ex quo emanarunt. S. Hilar. lib. 11. de Trinitate: Finis, inquit, non defectio est, sed consummata perfectio. Tendunt enim in finem omnia, non ut non sint: sed ut in eo, ad quod tetenderunt, maneant, et propter finem omnia: cæterum finis ad aliquid aliud non refertur. Finis itaque est manendi immobilis, ad quem tenditur, status: hæc S. Hilar.

Quæres, quandonam montes facti sunt? Resp. factos esse tertio creationis die. Nam primo et secundo die abyssus primigenia inter cælum empyreum atque terram creata, terram totam tegebat, ita ut nihil eius appareret: tertio autem die ad Dei imperium recesserunt aquæ in locum unum, et apparuit terra. Tunc Deus in terra montes erexit, deiecit valles, reliquam planitiem et campos conservavit, alveos, fontium, fluviorum et maris effodit, ut iis aquæ consistentes locum agriculturæ et usibus hominum relinquerent in terra. Montes porro erecti sunt, tum ad varietatem et pulchritudinem universi: tum ut mare fluviosque frænarent, et in suis limitibus continerent: tum ut arboribus vestirentur, et commoda pecori pascua præberent: deinde ad arces et munitas urbes extruendas, ad dividenda regna inter se, eaque firmis claustris vallanda: ad extremum, ut campos a ventis sua mole, et ab æstu umbra sua tegerent, ac pluvias fontesque in subiectam planitiem profunderent. 12.

Quandonam montes facti?

Ab alto refugio et arce, nempe Deo, timens Propheta deiici ad ima, dicit: *Ne avertas hominem in humilitatem, et* (id est, *quia*, ait Cassiodorus) *dixisti: Convertimini filii hominum.* Dixit hoc Deus per Davidem: ita Haimo; 2. dixit id per Prophetas: ita idem Haimo; 3. per homines et angelos sanctos: ita Rickelius; 4. per interiorem dictionem sine strepitu verborum: ita S. Bruno. Hebr. est, *revertimini filii Adam*, ut S. Hieron. vertit. Revertimini scilicet a terrenis ad cælestia, ab imis ad excelsa, a caducis ad stabilia, a turpibus ad honesta, a vilibus ad pretiosa, a temporalibus ad æterna, a peccatis ad gratiam, a creaturis ad Deum, ut vere dicere possitis: *Domine refugium factus es nobis.*

Nota, omnia terrena sunt lubrica et lapsui proxima. 13.

Omnia terrena sunt lubrica. Ælian. libr. 2. var. histor. cap. 29. refert id figuratum a Pittaco philosopho per scalæ symbolum. Nam in templo Mitylenæo scalam fecit, ad nullum alium usum, quam ut esset dedicatum donum: αινιττομενος την εκ της τυχης ανω και κατω μεταπτωσιν, adumbrans fortunæ repentinos ascensus atque descensus. Ascendentibus quodammodo his quibus fortuna aspirat: descendentibus vero, qui miseriis premuntur: ita Ælianus. Erat porro Pittacus philosophus Mitylenæus, unus ex septem Græciæ sapientibus. Quod autem omnia terrena sint lubrica et fragilia probari potest inductione. Primo enim, honores et dignitates sunt fragiles. Philo lib. de Abraham, p. 302. αρχη πασα σφαλερον, *principatus omnis lubricus*, innumeros habens insidiatores occultos. Secundo, divitiæ sunt instabiles. S. Gregor. Naz. carmine Iambico 3. sic canit: Divitiarum natura non est stabilis, rapidis ac præcipitibus maris fluctibus similis, qui intumescunt et elevantur, deinde repente concidunt ac deprimuntur instabili impetu. Tertio, corporis fragilitas declaratur a S. Aug. ser. 1. de verbis Domini. Inter casus ambulamus. Si vitrei essemus, minus casus timeremus. Quid fragilius vase vitreo? et tamen servatur et durat per sæcula: nos ergo fragiliores et infirmiores sumus: hæc Augustinus. Ex his facile concluditur, animam terrenis rebus et caducis non esse immergendam. S. Petr. Damiani opusc. 56. c. 7. Cum ergo, ait, fallax huiusmodi felicitas, tot mundi calamitatibus sit obnoxia, eum potentia temporalis tot casibus varianda subiaceat: et rerum ordo sese velut mundanæ deiectionis æternitate confundat, quis sanæ mentis a rebus tam frivolis, tamque fugacibus animum non avertat? Hæc ipse.

(Vitro sumus fragiliores.)

14. (Homo fit vilis per peccatum.) Nota secundo, homo sua natura et gratia Dei excelsus est, per peccatum vero deiectus est ac vilissimus. S. Greg. Nazian. orat. 10. hoc in se admirans, ait: Quodnam, ait, istud est in me, καινον μυστηριον, novum et inauditum mysterium? magnus sum et parvus: ταπεινος και υψηλος, humilis et excelsus, mortalis et immortalis, terrenus et cælestis. Clemens Alexand. libr. 4. Stromat. pag. 477. Homo, inquit, εοικεν κενταυρω θεσσαλικω, similis est Centauro, figmento Thessalico: ut sit compositus ex parte rationis participe, et experte rationis. S. Greg. Nyss. tract. 1. in Ps. cap. 7. dicit, hic agi de humiliatione et vilitate ex peccatis proficiscente. S. August. sic ait: Ne ab æternis atque sublimibus homo aversus temporalia concupiscat, sapiatque terrena. S. Paulus Philipp. 3. 8. ea arbitrabatur ut stercora. Ieremias cap. 2. 36. dicit plebi Israel in peccatum ruenti: *Quam vilis facta es, iterans vias tuas: et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.*

15. (Conversio ad Deum necessaria.) Nota tertio, ad excelsum refugium redeundum est: *Convertimini filii hominum.* Hebr. filii Adam: id est, terreni ac lutei, relinquite lutum vestrum, ad astra Deumque oculos et animos convertite. Ugo Card. in Ps. nostr. *Convertimini*, ait, *simul vertimini: intellectu pariter et affectu. Hi sunt duo oculi, qui simul Deum debent intueri. Sicut est de oculis corporis: quia semper acies amborum ad idem dirigitur:* ita Ugo. David oculum utrumque ad Deum erigebat, cum dicebat Ps. 120. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Et Ps. 122. 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis. Sicut*, etc. Primo, intellectus conversionem deposcit Deus. Zachar. 1. 3. *Convertimini ad me, dicit Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Quam conversionem petat, explicat v. 4. *Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis.* Secundo, voluntatis conversionem deposcit Deus. Ier. 48. 11. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fæcibus suis: nec transfusus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit.* Tertio, operum conversio est necessaria. Ezech. 18. 23. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus: et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* S. Basil. ait, virtutem esse viaticum senectutis: illa egemus ut ad Deum revertamur. Verba S. Basilii sunt, hom. de legendis Gentilium libris: Nec, ait, Biantis saluberrimum dictum prætereo, qui ad Ægyptios eunti filio, et percontanti, quid ei maxime gratum faceret: *Viaticum*, ait, *senectutis possidendo:* virtutem scilicet, viaticum appellans: hæc Basilius. Sublimes ad Deum nos virtus elevat. S. Hier. lib. 2. adversus Iovinianum: Sed et ad te loquar, inquit, quæ scriptam in fronte blasphemiam, Christi confessione delesti. Urbs potens, urbs orbis domina, urbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Roma aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos. Serva, quod diceris: *Virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem:* hæc Hieronymus. (Virtus excelsum facit.)

ARTICULUS II.

Magna est humanæ vitæ brevitas et vanitas.

POST admonitionem de æternitate Dei, et petitionem, ne Deus hominem averteret in humilitatem, dederat rationem primam petitionis: quia Deus dixit, ut homines convertantur. Nunc secundam attexit: nempe, vitæ brevitatem, v. 4. QUONIAM MILLE ANNI ANTE OCULOS TUOS, TAMQUAM DIES HESTERNA, QUÆ PRÆTERIIT. (Vers. 4.)

Vers. 5. ET CUSTODIA IN NOCTE (S. Hieron. et vigilia nocturna) QUÆ PRO NIHILO HABENTUR, EORUM ANNI ERUNT. (Vers. 5.) Versiones variæ examinabuntur infra.

Nota primo, neminem legimus a mundo condito vixisse mille annos. Nam Adamus vixit annos 930. Seth. 912. Enos 905. Cainan 910. Malaleel 890. Iared 960. Mathusala 969. Annos autem fuisse nostris æquales collige ex anno diluvii. Quidam annum unum æstate definiebant, alterum hyeme: quidam trimestri, quidam lunæ senio. Diodorus Siculus lib. 1. Bibliothecæ, et S. August. lib. 12. de civitat. cap. 10. ait, annos veterum Ægyptiorum quatuor tantum menses continuisse: unde factum dicit Diodorus, ut a regno Solis usque ad Alexandri transitum in Asiam sacerdotes Ægyptii viginti tria annorum circiter millia colligerent. Plin. lib. 4. cap. 12. ait: Pone Riphæos montes, ultraque Aquilonem, gens felix (si credimus) quos Hyperboreos appellavere, *annoso degit ævo*, fabulosis celebrata miraculis. Ibi creduntur esse cardines mundi, extremique siderum ambitus, semestri luce et una die solis aversi: non, ut imperiti dixere, ab æquinoctio verno in autumnum. Cælius lib. 16. cap. 22. annosum ævum explicat mille annos. Vix ipsæ urbes et regna ad millesimum annum perveniunt, nedum homunciones. Hinc tanta fuit Romæ celebritas, in anno urbis conditæ millesimo, ut Flavius Lucius Dexter ait: Regnantibus, inquit, Philippis fuit Romæ millenarius annus, ob quam celebritatem innumerabiles in Circo bestiæ occisæ, et ludi theatrales tribus diebus ac noctibus populo pervigilante cum magno apparatu et hilaritate civium exhibiti: ita Dexter. 16. (Nemo vixit per mille annos.) (Anni varii.)

Nota secundo, mille anni, cum æternitate collati, sunt instar diei iam præteritæ, cuius ne punctum quidem restat. Seneca lib. de brevitate vitæ, cap. 6. dicit: Vestra vita, licet mille annos exeat, in aretissimum contrahetur. S. Hier. epist. 139. mille annos hic censet pro una die computari, ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus annorum tantum credatur subsistere: et postea venire septenarium numerum, et octonarium, in quo verus exercetur sabbatismus, et circumcisionis puritas redditur. Unde et octo beatitudinibus bonorum operum præmia proponuntur: hæc Hier. Rectius velocitatem vitæ censet indicari S. Ambr. in illud Psal. 118. 84. *Quot sunt dies servi tui?* Sic enim loquitur Propheta: quasi celeritatem transcurrendæ istius vitæ, non annorum, sed dierum æstimatione subducit, dicens: *Quot sunt dies servi tui?* hæc Ambrosius. Pindarus ode 8. v. 135. ait, επαμεροι, diei unius sunt homines: Quid enim, quis, quid nullus? σκιας οναρ ανθρωποι, *umbræ somnium omnes mortales.* Comparandi sumus animalculis, de quibus Plutarchus lib. de consolatione ad Apollonium, pag. 111. *Iuxta Pontum*, ait, *animalia quædam nasci traditum est, quæ unum diem viverent, cum mane nascantur, meridie vigeant, vespere consenescant, vivendique finem faciant.* S. Ambros. lib. 3. 17. (Vita etiam longissima æternitati comparata nihil est.) (Animalia uno tantum die viventia.)

epist. 20. ad Irenæum, cicadis unum diem viventibus nos æquiparat. *Quid aliud*, ait, *sunt homines? nullius ponderis, nullius disciplinæ, nisi ut videantur sicut cicadæ, ad mortem nati diurnam, strepentes magis, quam loquentes? Qui sub ardore ferventium cupiditatum se mulceant cantu sibi noxio, statimque occidant, nullum fructum ferentes, nihil habentes gratiæ*: ita Ambrosius.

18. Vita nostra est velut dies hesternus, et cur?

S. August. in Psal. nostr. recte advertit, mille annos illos non vocari diem crastinum, sed hesternum: quia omnia quæ temporis fine clauduntur, pro transactis habenda sunt. Iob cap. 8. 9. dicit Baldad Suhites amicus Iobi: *Hesterni sumus et ignoramus: quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.* Seneca epist. 120. voluptatum et honorum celerem transitum miratur his verbis: Vidistine, quam intra paucas horas ille ordo quamvis lentus dispositusque transierit? Hoc totam vitam nostram occupabit, quod totum diem occupare non potuit? Hoc itaque mihi dico: quoties tale aliquid præstrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosis imposita colonibus. Quid miraris? quid stupes? *Pompa est: ostenduntur istæ res, non possidentur: et dum placent, transeunt.*

19. Vitæ brevitatem meditari est utile.

Utilitates varias ex hac meditatione oriri docet noster Lorinus: Hæc, inquit, meditatio confert, ut longius vitæ spatium non expetamus; 2. ut ad æterna inhiemus: 3. ut momentaneam et brevem censeamus quantamcumque tribulationem; 4. ut nihil æstimemus, quibus æternitatem promeremur; 5. ut solam æternam damnationem serio formidemus, ut omnia quæ transeunt, contemnamus: hæc ille. S. Basilius hom. de legendis Gentil. libris: Ego autem, inquit, etsi Tithoni senectam, et Arganthonii, et Mathusalem illius, qui mille annos, demptis triginta, vixisse dicitur. Denique, si tempus omne ab initio quo cœperunt homines, computes; sane *velut pueri sententiam*, ridebo ad prolixum illud et nulli senio obnoxium sæculum respiciens: cuius nec finem est ullum mente comprehendere, non magis quam animæ immortalis mortem cognoscere: ad cuius possessionem admonemur comparandum esse viaticum: hæc Basil. Aristot. lib. 1. et hic cap. 7. ait, Humanum bonum est, ἐν βίῳ τελείῳ, in vita perfecta. Una enim hirundo ver non facit, neque una dies. Sic etiam neque beatum et felicem una dies, neque parvum tempus: ita Aristoteles.

20. Tropol.

Tropolog. huius loci sensum S. Greg. Nyssen. trahit ad consolationem peccatorum, qui etiam post multa peccata sperare debent Dei misericordiam: et ad timorem iustorum, qui post bona opera securi esse non debent, sed sibi serio a peccatis cavere. Sic enim tract. 1. in Ps. cap. 7. Quid, inquit, dogmatis insinuatur nobis? Ei videlicet, qui mutata velificatione, ad rectam vivendi rationem revertitur, licet vita infinitis scelerum maculis notata sit, ut collectio illa peccatorum mille annorum videatur, ἀντὶ οὐδενός, pro nihilo totam illam congeriem reputatum iri, dummodo pedem referat. Nam divinus oculus præsentia semper intuetur, præteritum vero non æstimat, sed instar unius diei vel noctis nostræ, quæ iam præteriit, a Deo habetur. At id quod in præsenti obstrictum est malitia, etiamsi tamquam nihilum a peccatoribus extenuetur, Deus tamen velut longissimam annorum multitudinem aspicit: hactenus Gregorius.

21. Vita nostra est similis nocti.

Nota tertio, vita hæc in terris nocti similis est, ac vigiliæ nocturnæ. Hinc additur: *Et custodia in nocte.* S. Hier. vertit, et vigilia nocturna.

Primo, vita est similis nocti. Primo, quia de nocte feræ grassantur, ita hic passiones. Secundo, in nocte latrones se occultant, ac aliena diripiunt, ac multo labore parta auferunt: ita hic dæmones. Tertio, in nocte spectra exterrent: ita hic variæ et vanæ imaginationes. Michææ 3. 6. dicitur: *Nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione: et occumbet sol super prophetas, et obtenebrabuntur super eos dies. Et confundentur qui vident visiones, et confundentur divini: et operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei.* Gen. 1. 5. dicitur: *Factum*

A

est vespere et mane dies unus. A vespera vitæ incipimus in cælis solem conspecturi. S. Greg. 23. Moral. 21. Nox est vita, inquit, in qua quamdiu sumus, per hoc quod interna non conspicimus, *sub incerta imaginatione caligamus.* Quarto, vita hæc terrena est similis nocti ob tenebras. Persæ olim sacra Mithræ Dei sui faciebant in speluncis abditis, ut semper, ait quidam veterum, obscuro tenebrarum squalore demersi, gratiam splendidi ac sereni luminis non videant. Id faciunt multi in vitiorum tenebris laborantes. Mithra erat Persis sol: in honorum luce, peccator in tenebris est. Quinto, vita est similis nocti, quia non sine anxietate et difficultate ibi laboratur. Sexto denique, est similis nocti, quia in hac vita dominatur luna, hoc est inconstantia.

(Persæ solem adorabant in speluncis.)

Secundo, vita nostra est similis custodiæ et vigiliæ nocturnæ. Primo, ob brevitatem: quia nox dividebatur in tres vigilias a Græcis, ut Homerus indicat Odyssea ξ. Itaque singulæ vigiliæ apud ipsos erant quatuor horarum. Romani vero dividebant noctem in quatuor vigilias, quas 22.

(Vita est similis vigiliæ nocturnæ.)

B

vocabant vesperum, conticinium seu noctem intempestam, gallicinium, et luciferum. Illam divisionem secuti sunt Iudæi, præsertim Romanis subiecti: unde S. Matthæus cap. 14. 25. et S. Marcus cap. 6. 48. quartæ vigiliæ meminerunt. Quare singulæ durabant tres horas, ut notavit S. Hier. in Matthæum, et epistola 139. Maior adhuc erit brevitas, si dividamus cum Isidoro lib. 5. etymolog. noctem in septem partes: nempe in vesperum, crepusculum, conticinium, intempestum, gallicinium, matutinum, et diluculum. Hoc septem ætatibus hominis commode aptaretur. Ugo Card. in Psal. nostr. dicit, quod in bellis antiquitus dividebatur nox per quatuor custodias. Primo, vigilabant pueri. Secundo, adolescentes. Tertio, iuvenes. Quarto denique, senes. Nobis tota vita vigilandum est. Secundo, vita hæc similis est vigiliæ et custodiæ in nocte, ob molestiam et tædium: molestum enim est et tædiosum per tres horas in frigore, gelu, ventis, et pluvia vigilare et excubare, vel in mediis campis, vel in alicuius urbis muris. Mira est in his terris tempestatum varietas et molestia. Tertio denique, vita hæc similis est vigiliæ nocturnæ, ob periculum, ne hostis occultus irrepat, aut violentus irrumpat. S. Greg. Naz. orat. 10. pag. 170. agens de fratre suo Cæsario in exilium eiecto, quod fidem negare noluisset, nocturnæ pugnæ vitam hanc similem facit. Omnia, inquit, quæ hic sunt ex alto deridens: nimirum et divitias, ut appellantur: et abiectas dignitates, et falsos honores, et imposturam, quam sensus faciunt, et huius vitæ iactationem, ac ὥσπερ ἐν νυκτομαχίᾳ, *velut in nocturna pugna*, confusionem et ignorantiam: hæc Nazianzenus.

C

Nota quarto, vita hæc est merum nihil: *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*: id est, ait Bellarminus, hominum, qui ad tuam imaginem creati sunt, ac per hoc semper vivere deberent, anni tam breves erunt, ut in nihilum reputari possint: sic enim intelligimus illa verba, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt: id est, anni hominum post peccatum erunt numerandi inter ea, quæ pro nihilo habentur, id est, brevissimi, ac pene nulli. In textu Græco habetur, ἔτι per *ëta*: id est adhuc, et sic legit Euthymius, adhuc erunt: sed verior lectio est, ἔτη, per *eta*, id est, anni, et sic legit interpres, anni erunt. Nam in Hebr. habetur שׁנים *scianim*, quod annos significat, non adhuc. Ex Hebræo sic vertit S. Hier. hæc ultima verba: *Percutiente te eos in somnium erunt.* Pro quo nos habemus, *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Et quidem de voce somnii et annorum non magna est difficultas: nam eadem vox Hebræa, si legatur שׁנה *scena*, significat somnium, sive somnium: et sic legit S. Hieronymus, et legitur hodie in textu Hebraico, iuxta puncta Rabbinorum: sed si legatur, שׁנה *sciana*, significat annum, et sic legerunt Septuag. et vulgatus noster Interpres. Illud autem: Percutiente te eos, in Hebræo est, זרמתם *seramtham*, quod ad litteram reddi potest, inundasti eos. Sed potest etiam legi cum aliis punctis *zirmatham*, id est, inundatio eorum, sive fluxus eorum: et sic legisse vi- 23.

(Vita nostra est merum nihil.)

D

dentur Septuaginta, qui nomen, non verbum verterunt, τα εξουδενωματα αυτων, id est, contemptibilia ipsorum, quod recte noster Interpres latine reddidit: Quæ pro nihilo habentur eorum; verterunt autem Septuaginta non tam verbum, quam sensum: Illa enim quæ fluunt et transeunt, pro nihilo habentur, quia mox evanescunt. Illud pronomen *eorum*, in Hebræo coniungitur cum nomine *inundatio*, sive *fluxus*, non cum nomine *anni*. Quare sensus est, inter ea quæ fluunt, et pro nihilo habentur eorum, id est, hominum, anni sunt: vel clarius, anni vitæ, vel tempora vitæ computantur inter eas res humanas, quæ contemptibiles sunt, quia celerrime finiuntur. Hæc Bellarminus. Mox vitam somno et insomniis comparabimus, nunc breviter videamus, eam esse nihil.

Septuaginta vertunt, τα εξουδενωματα, αυτων ετη εσονται, id est, contemptibilia, eorum anni erunt. Tertull. vertit, nullificamina ipsorum amiserunt; id est, habebuntur ut nihil. Eugubinus vertit, nihilitudines. Delrius, nihileitates: vertere possis, annihilamenta. Arabs hæc iungit sequentibus in hunc modum: Anni eorum erunt apud illos contempti, tamquam germen herbæ. Parva mutatione ουδος significat terram, et ουδεις nullum, εξουδενω nihil facio. Totus homo, etiam regia dignitate sublimis, nihil esse dicitur. Psalm. 38. 6. *Substantia mea, tamquam nihilum ante te.* Dies hominis nihil esse profitetur Iob cap. 7. 16. *Parce mihi Domine. Nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Petrus Delphinus Camaldulensis lib. 3. epist. 1. Vere sic est, ait: Da hominem qui diutissime vixerit, qui et Nestoris et Mathusalem annos excesserit: laxa huic etiam longe amplius angustias temporis; *nonne iste non modo punctum, sed puncto minus vixisse tibi videbitur, si corruptis moribus, dum fuerit in corpore, seipsum fœdaverit, atque maculaverit, si desidiose ac turpiter, si minus quam Christianum hominem ac renatum fonte baptismatis deceat, sancte et religiose vitam duxerit.* S. Ambrosius comœdiis et tragœdiis vitam nostram comparat lib. 3. epist. 20. ad Irenæum. Quid, ait, nobis cum istius sæculi vita, in qua est tentatio, imo ipsa vita hominis tentatio est, et exilior quam sermo fabularum, habitare in luteis domibus, dies et noctes in lucris ponere, et de lucris semper cogitare, et sicut mercenarius diurnam mercedem quærere. S. Theodorus Studita vir clarissimus doctrina et pietate, qui floruit circa annum 820. vocat vitam nostram, umbram. Sic enim serm. 66. Nihil est, ait, in hoc sæculo constans, quin dies instar umbræ labuntur, vitaque nostra, ceu pernix eques decurrit, dum urgemur ad metam. Denique S. Augustinus vitam nostram et annos merum nihil esse sic declarat: *Pro nihilo habentur, quæ antequam veniant, adhuc non sunt: cum venerint, iam non erunt: non enim ut adsint, veniunt, sed ut non sint.* Et in Psal. 76. *Quid, ait, de his annis manet? Ecce loquendo dicimus, hoc anno: et quid tenemus de hoc anno præter unum diem, in quo sumus? Nam superiores dies anni huius iam transierunt, nec tenentur: futuri autem nondum venerunt. In uno die sumus, et dicimus, hoc anno, imo hodie, si aliquid vis præsens dicere: nam de toto anno quid præsens tenes? Quidquid de illo præteritum est, iam non est: quidquid de illo futurum est, nondum est. Quomodo hoc anno? Corrige locutionem, hodie dic: verum dies hodie iam dicamus. Rursus et hoc attende, cum hodie horæ matutinæ transierunt, horæ futuræ nondum venerunt: et hoc ergo corrige: hac hora dic, et de ista hora quid tenes? Momenta eius quædam iam transierunt: quæ futura sunt, nondum venerunt. Hoc momento dic: quo momento: dum syllabam loquor: si duas syllabas dicam, altera non sonat, nisi cum illa transierit: ipsa denique una syllaba, si duas litteras habeat, non sonat posterior littera, nisi prior abierit. Quid ergo tenemus de his annis? anni isti mutabiles sunt: anni æterni cogitandi sunt: anni sunt, qui non venientibus et abeuntibus diebus peraguntur: anni, de quibus alio loco Scriptura dicit Deo: Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* S. Hier. epist. 3. ostendit vitam quantumvis longissimam nihil esse, cum nihil illius remaneat. Si, ait, nongentos vitæ excederemus annos, ut ante diluvium vivebat genus humanum, et Mathusalem nobis tempora donarentur: tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desiisset. Etenim inter eum qui decem vixit annos, et eum qui mille, postquam idem vitæ finis advenerit, et irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantumdem est, nisi quod senex magis onustus peccatorum fasce proficiscitur: hæc Hieronymus. Sophocles in Œdipo, v. 1196. O generationes hominum, ait, vos perinde atque nihil existimo. Hinc, ut notat Lyranus in cap. 34. Iobi: Antiquitus Imperatore creato, statim ab eo quærebatur, quo ex marmore sepulcrum sibi fieri exoptaret. Hoc verum est de Imperatore Constantinopolitano: illi enim statim a creatione offerebantur in disco marmorei lapides, vel alabastrini et porphyretici, ut, quem vellet, eligeret in sepulcrum. Tota itaque eius vita pro nihilo computabatur, cum de morte et sepulcro tamquam præsente deliberaretur. Aristobulus refert, in Sardanapali sepulcro fuisse sculptam imaginem manus dextræ coniunctis digitis velut ad sonum elidendum, in coque litteris Assyriis hoc fuisse scriptum: Sardanapalus Ariacyndaraxis filius, Anchialen et Tarsum uno die condidit: Ede, bibe, lude: reliqua ne digitorum quidem strepitu digna sunt. Arabum Christianorum antiquus celebratur rythmus: *Mundus est minimum de minimis; et qui ei serviunt, minus sunt minimo.* Unde concludo eum Salomone rege sapientissimo, et ditissimo: *Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Eccl. 11. 8.

Sardanapali sepulcrum.

Peccatoris præsertim vita nihil est. S. Greg. Nyss. tract. 1. in Psalmos cap. 7. locum Psalmi nostri explanans, ait: Pulchre et ingeniose David appellat peccata, nihil: nam qui peccat, solet quodammodo pro nihilo peccatum ducere, et pro quovis scelere perpetrato defensionem instituere, ut cuivis in quocumque male commisso promptum sit dicere: Nihil est cupiditas, nihil ira, et alia huius generis nihil sunt: ita Gregorius.

Peccatoris vita nihil est.

Nota quinto, nunc in Hebræo pro, *quæ pro nihilo habentur*, est vox זרמתם *zeramtham*, id est, inundasti eos, ut vertit Pagninus. Rapuisti eos ut impetus aquarum, ut Flaminius et Felix. Radix est זרם *zerem*, id est, inundatio aquæ subita et vehemens, ac ruens cum impetu, imber rapidus, fluxus instar torrentis proruens. Agellius suspicatur lectum esse a Septuag. Interpretibus זהמתם *zihamtham*, id est, abominatus es illos, nauseasti, fastidivisti eos, reputavisti, ut sordes et excrementa, quæ sive ex corpore, sive ex cibis egeruntur: inde Rabbini deducunt nomen זוהם *zoham*, quod illas sordes significat. S. Paulus ad Philippenses cap. 3. v. 8. ait: *Omnia arbitror ut stercora.* Sed hæc Agellii suspicio non est necessaria. Commode porro comparatur vita fluxui aquæ ac torrentis in mare se præcipitantis. Oseas Propheta agens de excidio Samariæ et interitu Osee regis eius ultimi, ob scelera et idololatriam, dicit cap. 10. 7. *Transire fecit Samaria regem suum, quasi spumam super faciem aquæ.* Arias vertit: Similis est cum Samaria rex eius spumæ, quæ est in superficie aquarum.

24. Nota sexto, S. Hieronymus Hebraica vertit: *Percutiente te eos in somnium erunt.* Pagninus vero, ut somnus erunt. Vita nostra somnus est, et insomnium: ubi adverte, somnum esse soporem, qui fit ab humoribus a corde ad cerebrum sublatis, qui cum ibi fuerint refrigerati, recidentes ad cor, calorem eius refrigerant. Quidam deducunt ab υπνος, sed male ut apparet: deducitur ab Hebræo *sena*, id est, somnus. Insomnium vero est id, quod in somnis videmus.

Vita nostra somnus et insomnium.

Rationes similitudinis inter somnum et vitam variæ afferri possunt. Primo, in somnis sensus sopiuntur, et ratio ligatur. Quis in hac vita rationem ut oportet, ducem sequitur? Secundo, imaginaria et fictitia multa pro veris in somno existimantur. Iansenius in sua paraphrasi versum nostrum sic explicat: Anni hominum ob brevitatem

suam sunt ex numero eorum, quæ nihili reputantur, ut sunt ea quæ amplius non sunt, quæque homines esse somniant. S. Gregorius Nazianzenus orat. 10. pag. 171. tom. 1. Οναρ εσμεν, ait, ουχ ισταμενον φασματι μη κρατουμενον; *In somnium sumus minime consistens, spectrum quoddam quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, navis in mari vestigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos pro tempore nascens, et suo tempore marcescens. Homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri sic efflorebit.* Et Epist. 70. laudat eum, qui spes hominum vocavit γρηγορουντων ενυπνια, *insomnia vigilantium.* S. Augustinus in Ps. 131. Omnes, ait, istæ felicitates, quæ videntur sæculi, somnia sunt dormientium. Philo lib. de Ioseph, pag. 424. rem hanc perbelle declarat: Ego, inquit, non dissimulanter dico, civilem virum utique ονειροκριτικον τινα, somniorum esse interpretem: non quales isti nugatores garruli et mercenarii sophistæ quæstum facientes ex nocturnis somniorum ludibriis: sed qui, κοινον, και πανδημον, και μεγαν ονειρον, *magnum illud somnium, commune, publicumque non dormientium modo, sed vigilantium quoque, exacte intelligat. Id somnium, ne quid mentiar, est vita hominum.* Hæc Philo, qui rationem affectionis suæ sic proponit: *Nam sicut in somniorum visionibus videntes non videmus, audientes non audimus, gustantes aut tangentes nec gustamus, nec tangimus, loquentes non loquimur, deambulantes non deambulamus: sed cum videamur uti motibus et habitibus, nullo modo utimur, mente inaniter sine ullis obiectis veris pingente sibi simulacra rerum non existentium, tamquam existentium. Eodem modo etiam vigilantium imaginationes somniis sunt simillimæ: veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt: priusquam comprehendantur, avolant.* Tertio, vita hominum est somnus et insomnium, quia multa ridicula et absurda imaginamur, quæ exterreant, vel delectent. S. Chrysost. serm. Quod carnis concupiscentia non sit sectanda: Somnus, inquit, præsens est vita, nil prorsus ab insomniis aliena. Nam, quemadmodum somno pressi pleraque supervacanea, et frustra loquuntur, videntque persepe nihil sanum: Ita et nos: sic Chrys. Quarto denique, vita hominum est somnus et insomnium, quia cito avolat, et fructum nullum sui relinquit: post somnium enim æque pauper est atque famelicus, qui sibi thesauros et cibos fingebat, quam antea fuisset. S. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 165. ad Eudæmonem: Umbra, inquit, και οναρ, et insomnium, et fumus, optime vir, et quidvis θαττον αφιπταμενων, *eorum quæ citissime avolant*, hominum vita merito appellata est. Ac propterea ne ipsi quidem addictum animum habere oportet: nec delicias, delicias existimare. Hæc Isidorus, qui deinde ostendit pueritiam et senectutem ineptas esse ad voluptatum gustum: alias vero ætates infinitis curis, ac laboribus et molestiis labefactari.

Vir civilis est interpres somniorum.

Conclusionem inde optimam deducit idem S. Isidor. l. 3. Da, inquit, operam, ne valeant magne vir, vel imperium, vel dignitatis tumor, aut res mortalium secundæ, sapientiæ in te amorem ac studium concutere et evertere, quæ amant maxime cogitationes, mentesque hominum in altum tollere. Sed hæc omnia velut umbras et somnia reputans virtutem cole, quæ de possessionibus vestris est minime veterascens: hæc ipse. Isæus Sophista apud Philostratum lib. 1. de vitis Sophistarum, interrogatus, quis piscium aut volucrum esset optimus inter obsonia, respondit: Cessavi ab istorum inquisitione ac studio; intellexi enim me, Ταντάλου κηπους τρυγων. *Tantali hortos vindemiare:* significans omnes voluptates terrenas, esse σκιας και ονειρατα, umbras et somnia.

ARTICULUS III.

Vita hominum comparatur herbæ et flori marcescenti, ac decidenti.

25. Vers. 6. Ut melius Propheta ob oculos ponat vitæ brevitatem et vanitatem, illam comparat fœno virenti, florenti, ac marcido: MANE SICUT HERBA TRANSEAT (Hebr. יחלף *iahaloph*, id est innovabitur, ait R. Kimchi: augescet, ait Chaldæus: crescet, ait Campensis; 2. transibit, ut exponit Pagnin. discedet, ut Felix) MANE FLOREAT ET TRANSEAT: VESPERE DECIDAT, INDURET ET ARESCAT. To *induret*, additum est a Sept. Interpretibus: fœnum enim et flos decidens durescit, ac deinde arescit. Nota secundo, illa omnia verba in Hebræo esse futuri temporis: et eamdem vim habent verba Latina in optativo, sumenda enim sunt pro futuris, ut sæpe fit in Psalmis præsertim ac Prophetis.

Optativa pro futuris.

Nota tertio, τo *transeat*, sumi in bonam et in malam partem. Primo enim Lorinus noster sumit pro transitu ad statum perfectiorem. Mane herba, inquit, cum exoriente sole prodit, quodammodo proficit, permutatur, transit ad perfectiorem quasi staturam: et dum in ea flos existit, videtur aliquid esse: sed eiusdem solis nimio per diem adusta æstu, decidit; vespere ab illo virore suo, ac demum humore destituta, exarescit. Ad eumdem modum homo in ipso vitæ principio, tamquam e tenebris noctis productus in lucem continuo profectu ocyus transitum facit ad iustam corporis mensuram, florens, vigensque: at ubi vesper adventarit extremæ vel vitæ, vel senectæ, decidat ab eo vigore, atque naturali exhaustus humore, indurescet et arescet: consumente nimirum humorem illum, aut senectute, aut morte. Puer viridis videtur, succique plenus: pubescens florere, deinde durari laboribus: tandem exhausto humore iam in senio siccari, et ad interitum perveniре. Pueritia similis est matutino tempori, iuventus meridiano, senium vespertino: ita Lorinus, cui favet Chaldaica paraphrasis, ut dixi. 26.

Homo est herba virescens.

Secundo tamen commodius, et ad mentem Prophetæ nostri convenientius, τo *transeat*, in deteriorem partem sumetur, q. d. Homo in ipsa pueritia statim ut incipit vivere, statim incipit transire et mori: vita enim eius semper minuitur, et in cursu est, ac transit nunquam reditura.

Dico itaque primo, hominem esse herbam virescentem seu fœnum. Arabs hoc loco vertit: Tamquam gramen herbæ, quod pulchre fit mane viride ac germinat. Isaias cap. 40. 6. *Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos agri.* S. Ambrosius id considerans lib. 3. Hexaem, cap. 7. In hac, ait, germinum specie, et in illo virentis herbæ munere, imago est vitæ humanæ, et naturæ conditionisque insigne quoddam spectatur, et speculum elucet. Illa herba et flos fœni, figura est carnis humanæ: sicut bonus divinitatis interpres organo suæ vocis expressit, dicens: Clama: quid clamabo? Omnis caro fœnum, et omnis gloria hominis, ut flos fœni: viret gloria hominis in carne quasi fœnum, et quæ putatur esse sublimis, exigua quædam herba est, præmatura ut flos, caduca quasi fœnum: ita Ambrosius. Odericus lib. 1. rem prorsus mirabilem refert de planta agno. Non procul, ait, a Tartaris Carnensibus semen quoddam inveniri memoratur a gravissimis viris, quod non est absimile peponum semini, sed paulo maius et rotundius, ex eoque in terram condito quiddam agno simillimum enasci, quinque palmorum altitudine. Nam caput, oculos, aures, cæteraque omnia *in formam agni recens editi*, pellem etiam subtilissimam habere, qua permulti illis in regionibus ad subducenda capitum tegmina utantur. Plantam porro illam, si eo est nomine nuncupanda, carnem quidem nullam, sanguinem tamen habere, et carnis loco materiam quamdam cancrorum carni persimilem: ungulas vero, non ut agni, carneas; sed pilis quibusdam ad cornu similitudinem vestitas: radicem illi ad umbilicum, ceu vestis medium esse: vivere autem tantisper, donec depastis circum se herbis, radix ipsa pabuli inopia exarescit. Dubites an agnus ille planta sit, an vero animal: sicut pene dubites: an spongiæ marinæ sint animalia, an plantæ. Hæc mirabilia sunt, sed longe mirabilius est hominem esse plantam, herbam, et fœnum. Psal. 102. 15. *Homo sicut fœnum, dies eius.* Isaias prædicens Syris et Samaritis cladem eventuram per Theglatphalasar regem Assyriorum, dicit cap. 17. 5. *Erit sicut congregans in messe quod restiterit, et brachium eius spicas leget: et erit sic-*

ut quærens spicas in valle Raphaim. Procopius in eum locum per spicas intelligit discipulorum cœtum. S. Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 4. homines vocat spicas rationales.

27. Dico secundo, homo est flos: *Mane floreat, et transeat.* S. Hieronymus, mane floruit, et abiit. Hebr. habetur, mane florebit, et transibit. Homo est flos: primo, ob floris pulchritudinem: secundo, ob varietatem colorum in flore: tertio denique, ob suavem odorem floris. Nam primo, flos est herbarum arborumque gaudium ac decus, hortorum deliciæ, hominum amor, oculorum blanda et innocens fascinatio. Homine autem nihil in toto orbe pulchrius atque suavius. Secundo, varietas colorum in floribus est mirabilis. Plinius lib. 21. cap. 1. *In hortis*, ait, *seri et coronamenta iussit Cato, inenarrabili florum maxime subtilitate: quando nulli potest facilius esse loqui, quam rerum naturæ pingere, lascivienti præsertim, et in magno gaudio fertilitatis tam varie ludenti. Quippe reliqua, usus alimentique gratia genuit, ideoque sæcula annosque tribuit iis Flores vero odoresque in diem gignit: magna (ut palam est) admonitione hominum, quæ spectatissime floreant, celerrime marcescere. Sed ne pictura quidem sufficiente imagini colorum reddendæ, misturarum varietati, sive alterni atque multiplices inter se nectantur, sive privatis generum funiculis in orbem, in obliquum, in ambitum, quædam coronæ per coronas currunt*: ita Plinius.

Homo est flos.

Tulipæ aut rosæ Sinensi commode homines composueris, sive singulos spectes, sive universos. Ioannes Baptista Ferrarius noster lib. 2. Floræ suæ, id est, libri, in quo tractat de floribus, cap. 2. de tulipa sic ait: *Nulla æque in planta versicolor naturæ licentia lascivit, quam in tulipa: ut superioribus annis fuerit, qui supra ducenta coloribus discreta genera numeraverit.* In hominibus pene sunt infinitæ morum varietates.

Tulipæ mira varietas.

Rosa quoque Sinensis maximam habet colorum varietatem. De ea idem Ferrarius lib. 4. cap. 6. pag. 483. dicit primo, totam sese pandit ad Batavæ rosæ amplitudinem, repando calyci, sæpius quinque partito, et in pateræ formam nonnihil sinuoso insidens, varia serie foliorum ramulosis rugis crispantium speciosa, *triplicisque coloris vicissitudine speciosior Sinensis rosa*, florum vertumnus, hortense miraculum. Rosa hæc primo lactea decenter nascitur: decet enim floris infantiam lac: elbo deinde rubroque temperatis coloribus, in oris humani formosam temperiem transformatur, ut hominibus charissima sit, quibus concolor est. Tandem candido vultu ante nata, purpureo moritur, ut pavide morientibus exprobret iracundo robore pallorem. Secundo, ex iis quæ subnectit, colliges quam belle flos ille ad Prophetæ nostri locum aptetur. In patrio, inquit, Indiæ solo una die, *quam unicam vivit*, hæc veluti florum dies, matutino cum albore albicat, cum meridiano ardore flammeola est, cum luce noctescente purpurat: ut quando unum ægre novum colorem in pluribus flosculis longo tempore ars æmula elaborat, admirandas triplicis coloris in uno flore vices properare unius esse dieculæ sibi minime laboriosum ludum victrix natura significet. At vero nostratibus in hortis hospes bidno triduove vivax, diuturniorem florel miraculi copiam facit, ut cumulatiorem hospitii gratiam lento sui spectaculo rependat. Quamquam utrobique monet e candido mox purpureus flos, ab ingenuo candore facilem esse transitum ad purpuram. Tertio, notabile quoque est, quod adiicit: Amœnissimæ spectaculum voluptatis est, alieno tempore sic vernare arbusculam, ut coloribus multis quadruplicem anni faciem simul expingat; dum flos alius niveus, nivosam hyemem: alius flammeus, igneam æstatem: purpureus alius, maturum autumnum: alii medio qua vitæ, qua colorum transitu varii, varie coloratum ver: universi denique singulique versicolores, tempestatum omnium vicissitudinem, intra tempus brevissimum colorant. Quarto, mirum est quid accidat post rosæ illius mortem. Illa, inquit, præterea mira novitas quotidiano spectaculo pene viluit, ut Sinensis rosa etiam recisa in vasculo equæ pleno, atque adeo inter manus, si diutius habeatur, varios induat colores. Tanta est flori huic delectandæ mortalitatis ambitio. Quinto denique concludit: Et quisquam neget, *rosarum reginam omnium*, Sinensem esse rosam, quæ gratia colorum vicibus mirabilem in modum varians, pulcherrimas sese transformat in facies reliquarum? Ut ipsa celsior atque arborea statura, dominantis in cæteras rosæ argumentum sit. At enim odore caret. Hæc Ferrarius floride, ingeniose, et eleganter. Multi mundani hanc rosam referunt, colores multos, et fucos habent, et odorem nullum. Adolescentes præsertim venustos et speciosis vestibus sese ostentantes, et inde se erigentes, rosam Sinensem voca. Suis Indis, ait idem auctor, adeo pulcher est ille flos, ut, nato inde proverbio, inter homines pulcherrimus quisque Sinensi rosa pulchrior appelletur: sic ipse. Olim, sicut etiam nunc, in vestibus flores mira varietate pingebantur, sed in hominum moribus maior adhuc est varietas. De antiquis vestibus, et coloribus florum in illis vide Plinium lib. 2. cap. 8.

Sinensis rosæ descriptio.

Dico tertio, homo est herba et flos transiens. Iob 14. 2. 28.
Qui quasi flos egreditur, et conteritur. Nicolaus S. Bernardi notarius Epist. 49. id meditans ait: Egreditur Iob, et conteritur; quia unde incipit vivere, inde incipit mori. Quotidie enim morimur. S. Gregorius lib. 11. Moral. cap. 26. Qui quasi flos egreditur, quia nitet in carne: sed conteritur, quia redigitur in putredinem. Quid enim sunt neti homines in mundo, nisi quidam flores in campo? Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem mundi præsentis, et ecce quasi tot floribus, quot hominibus plenus est. Vita itaque in carne, flos in fœno est. Unde bene per Psalmistam dicitur, Psal. 102. *Homo sicut fœnum dies eius: et sicut flos agris, sic efflorebit*: ita Gregorius. Titulus Ps. 44. est: *In finem, pro iis, qui commutabuntur.* Aquila, ἐπὶ τοῖς κρίνοις, pro liliis. Symmachus, ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν, pro floribus. Ubi S. Basilius id de hominibus explicat. Nos enim, inquit, præter omnes creaturas rationis participes, maxime alterationibus ac mutationibus, singulis fere horis obnoxii sumus. Maro in Epigr. suspicit celerem transitum rosarum, et admirabundus canit:

Homo est flos transiens.

Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam:
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.

De rosa Sinensi ephemera mox dixi. S. Chrysostomus homil. 17. omnem honorem mundi ait esse similem fœneis coronis, quas per iocum alicui imponant ludibundi pueri. Philo flores marcidos dicit esse bona corporis. Verba eius sunt lib. de Ioseph. p. 425. Quid aliæ res corporis, nonne somnia sunt? Nonne pulchritudo momentanea pene prius marcescit, quam floreat? sanitas incerte infirmitatibus obnoxia, robur morbis expugnabile per occasiones plurimas? sensuum integritas humoribus vitiosis facile corrumpitur. Hæc Philo, qui de bonis fortunæ subdit: Iam quanta in rebus externis obscuritas quis nescit? ingentes opes sæpe una dies abstulit. Imperia regum maxima brevi temporis momento subversa sunt. Dioscorides lib. 4. cap. 8. et lib. 6. cap. 5. dicit, duplicem esse herbam ephemeron, id est, diariam dictam. Unam, quæ uno die intereat; alteram, quæ uno die flores amittat. In Taprobana insula duorum generum herba crescit, cui si quis indormit, latenter absque molestia aut sensu ægritudinis, ceu suavi correptus somno, extinguitur, ut ait Diodorus libr. 2. Vita hæc et flores cito amittit, et quotidianam mortem affert. Tertullianus lib. de pallio cap. 2. Mundus hic, ait, totum versiforme est: hæc ipse. In omnes se formas, varietates, et vicissitudines transmutat, fera Tarandro mutabilior, quæ plantarum omnium, locorum, lapidum, aliorumque quibus se applicat, colorem mutuatur, teste Theophrasto in fragmento de animalibus. S. Augustinus avi volanti hunc mundum comparat, dum res mundi appellat transitus volaticos. Sic autem ait serm. 6. ex 40. qui non ita pridem prodierunt. Cogitate, inquit, fratres fragilitatem vestram, conditionem carnis, *huius sæculi volaticos transitus*: et videte, quia tunc vobis bene erit, si tota spes vestra in illo sit, in quo solo potest firmiter collocari. S. Petrus Damiani opusc. 13. cap. 17. Commissæ tibi curæ intentus, semper providus, semperque sollicitus, *volubilis sphæræ ne-*

Herba diaria.

Tarandro mutabilior est homo.

*

cessitatem quiescere nescientem, siderum transitum, et elabentis temporis meditetur semper excursum. S. Isidorus lib. 1. epist. 31. ad Diophantum Prætorem, vocat πολυτροφον και πολυτρεπτον πραγματων απιστιαν, volubiiem, ac multis mutationibus obnoxiam, rerum infidelitatem. S. Isidorus Hispal. florem a fluendo dictum putat. In perenni ad mortem fluxu sumus. S. Augustinus lib. 13. de civitate Dei, cap. 10. Omnino, ait, nihil est aliud tempus vitæ huius, quam cursus ad mortem. In quo nemo vel paululum stare, vel aliquandò tardius ire permittitur: sed omnes urgentur pari motu, nec diverso impelluntur accessu. Neque enim cui vita brevior fuit, celerius diem duxit, quam ille, cui longior; sed cum æqualiter, et æqualia momenta raperentur ambobus, alter habuit propius, alter remotius, quo non impari voluntate ambo currebant.

29. Voluptas spernenda. Hinc duæ conclusiones sunt deducendæ. Primo, voluptates terrenas esse contemnendas, cum cito marcescant et transeant. Clemens Alexand. in adhort. ad Gentes: Voluptates, inquit, et delicias tamquam caducum et brevem florem relinquo vento et igni. Secundo, utendum esse tempore, cum cito ætas apta ad virtutem transeat. Alcuinus epist. 1. Tempus, ait, huius vitæ, velociter currit, fugit, et non revertitur: ineffabilis vero Dei pietas humano providebat generi; breviter laborare, et æternaliter coronari. Ideo pretiosa debent esse nobis tempora, ne perdamus per negligentiam, quod per bonæ vitæ exercitium habere poterimus æternum: hæc Alcuinus. Deficiunt quidem in vanitate dies, et anni cum festinatione, Ps. 77. 33. sed improborum anni magis peculiariter pro nihilo habentur, ut Grevæus demonstrat ser. 192. quia pro nihilo dantur: id est, pro peccato: quia non redeunt, neque colliguntur ex iis fructus, quia otiose consumuntur. Ostendit præterea, quanti fieri tempus debeat, quoniam bestiæ ipsæ id æstimant: quia nunc nostrum est, nobisque a Deo datum, postea irrecuperabile: quoniam res adeo rara, ut duo simul momenta possideri nequeant: quoniam de illo reddenda ratio severe est: hæc Grevæus dilatat. Seneca tract. de brevitate vitæ, cap. 4. ait: *Tamquam semper victuri vivitis. Nunquam vobis fragilitas vestra succurrit. Non observatis quantum temporis transierit, velut ex pleno et abundanti perditis? cum interim fortasse ille ipse, qui alicui vel homini, vel rei donatur, ultimus dies sit. Omnia tamquam mortales timetis: omnia tamquam immortales concupiscitis*: ita Seneca. Tertio denique, omni tempore et pueritiæ, et adolescentiæ etiam, expectandam esse messem, matutina enim florum messis est optima. Ferrarius noster l. 1. Floræ suæ, cap. 4. *Matutina*, inquit, *florum messis tempestiva est*, cum sublucana illa blandientium siderum saliva guttatim perfusi, omnino nectarei sunt: cum recentem ad solem experrecti roscidis lacrymulis lepide lippiunt: cum semihiulco risu legi prægestiunt: cum e gelido tepore suffiti odoratiorem animam expirant: ita Ferrarius. Deus adolescentes et iuvenes sæpe demetit, ne virtus eorum in ardore sæculi marcescat. Sap. 4. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Hoc in S. Agnete, S. Agapito, S. Pancratio, beato Aloysio Gonzaga, beato Stanislao Kostka, aliisque visum est. Lege a me dicta Psal. 8. 3. Psal. 43. ubi de pueris martyribus, et Psal. 112. 1. Iure itaque hic dicitur, *Mane florebit, et transibit*, ut est in textu Hebræo.

30. Homo senex est flos decidens. Dico quarto, homo in senectute est flos decidens: *Vespere decidat, induret, et arescat*, S. Augustinus hic: Decidat, inquit, in mortem, durescat in cadavere, arescat in pulvere. Vesperam illam sentiebat, qui dicebat, Psal. 101. 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui.* Iustorum dies a vespera incipit, et in lucem matutinam, ac semper duraturam terminatur. Gen. 1. 5. *Factum est vespere et mane dies unus.* Contra vero, a flore incipiunt impii, et in ariditatem desinunt. Iob 8. 11. ait Baldad Suhites: *Numquid virere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua?* Et v. 12. *Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit. Sic viæ omnium, qui obliviscuntur Deum, et spes hypocritæ peribit.* Euripides sapienter senem vocat, φωνην και σκιαν, *vocem et umbram*. Senectus enim est vitæ vespera, in qua lux omnis et vita florum humanorum concidit. Isidorus Clarius in cap. 9. Genesis tradit, Iudæos annum distinxisse in sex tempora, quæ singula binos habent menses, quos vocabant floritionis, maturitionis, caloris, seminationis, frigoris, et hyemis. Tu non incommode pueritiæ, adolescentiæ, iuventuti, virili ætati, senectuti, et decrepitæ ætati tribues. Herba quædam est solis foliis constans, cuius et ipsa radix folium est. Homines sunt folia, quæ in senectute velut autumno et hyeme defluunt. Mimnermus poeta Græcus tom. 1. Poet. Græc. pag. 736. Nos, inquit, οια τα φυλλα, *velut folia*, producit floridum tempus veris, cum subito splendor solis augetur. His similes ad breve tempus floribus iuventutis delectamur, a diis neque malum edocti, neque bonum: hæc ilic. S. Paschasius in Ps. 44. vitam deflorescentem comparat rosæ marcescenti. Aliæ, inquit, sunt rosæ, quæ Christi sanguine intus pinguescunt, et rubricantur, ut semper floreant: aliæ, quæ in terra radicantur, cito ut floreant, et postmodum arescant. Omnis quippe luxus præsentis vitæ, vapor est, et spuma gaudii vani. Hecuba apud Euripidem dicebat, vers. 431. Mortua sum ego, priusquam moriar, ob innumera mala. S. Hieronym. eleganter homines comparat floribus, qui brevi concidunt. Sic enim epistol. 139. *Omnis humana conditio somnio comparabitur. Sicut enim mane virens herba, et suis floribus vernans, delectat oculos contemplantium: paulatimque marcescens amittit pulchritudinem, et in fœnum, quod conterendum est, vertitur: ita omnis species hominum vernat in parvulis, floret in iuvenibus, viget in perfectæ ætatis viris: et repente dum crescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis prius extenta contrahitur*: hæc Hieronymus. Neque divitiæ stabilitatem faciunt. S. Iacobus c. 1. 10. *Dives sicut flos fœni transit. Exortus enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos eius decidit, et decor vultus eius deperiit: ita et dives in itineribus suis marcescet.* Et quo flos se citius extulit, eo citius excidetur. Isa. 18. 5. *Ante messem totus effloruit, et immatura perfectio germinabit, et præcidentur ramusculi eius falcibus: et quæ derelicta fuerunt, abscindentur et excutientur. Et relinquentur simul avibus montium, et bestiis terræ: et æstate perpetua erunt super eum volucres, et omnes bestiæ terræ super illum hyemabunt.* Agit ibi de Æthiopibus præmature gloriantibus, et spe prædæ in Assyrios tendentibus, qui victi sunt primo a Sennacherib rege Assyriorum, deinde a Nabuchodonosore rege Babylonis. Ramusculi sunt iuvenes atque milites ardentiores: derelicta, sunt reliquiæ Æthiopum ex prælio fugientium.

Hinc conclude, non expectandum tempus senectutis, ut Deo vivamus. 31. Senectus non expectanda, ut Deo serviamus. Seneca ep. 13. Quid est turpius, ait, quam senex vivere incipiens? S. Gregorius Nazianz. epist. 67. ad Philagrium: Totum te, ait, cælesti parti addicas, nec præsenti tempori, sed futuro ævo vivas, θανατου μελετην, *mortis meditationem*, ut ait Plato, hanc vitam existimans: atque ab hoc sive corpore, sive sepulcro, ut idem loquitur, animam quoad eius fieri poterit, solvas: ita Gregorius. Recte Salomon admonet, Ecclæ. 11. 6. *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua.*

Dico denique quinto, homo in morte est flos arescens: 32. Homo in morte est flos arescens. *Vespere decidat, induret, et arescat.* Ugo Cardinalis putat agi de arefactione in igne gehennali. S. Augustinus, de arefactione in morte. Iob 7. 21. *Ecce nunc in pulvere dormiam: et si mane me quæsieris, non subsistam.* Ps. 53. titulus est hic: *In finem in hymnis, intellectus ipsi David: cum venerunt Ziphæi, et dixerunt ad Saul: Nonne ecce David absconditus est apud nos?* Ubi S. Augustinus annotat vitam iustorum esse apud Christum absconditam in Deo, ut loquitur S. Paulus Colossen. 3. malos vero in Ziphæis repræsentari, quæ vox significat florentes: atque inter cætera ait: *Tu Ziphæus vis esse? florent in sæculo, arescent in iudicio, et post ariditatem in ignem mittentur.* S. Chrysost. hom. 43. in Ioan. de ariditate in morte ait: Quænam quæso voluptatum utilitas? Hodie sunt, cras e-

labuntur: *hodie flos pulcherrimus, cras aridus pulvis:* hodie ignis ardens, cras cinis extinctus: spiritualia tamen perpetua floridaque, et in dies splendidiora permanent. Et tom. 6. pag. 114. ser. in illud: Verumtamen conturbatur omnis homo, varias similitudines affert, quibus explicet hominis subitaneam defectionem: *Omnis homo,* inquit, *velut ignis incenditur, et instar stipulæ in cinerem redigitur; 2. velut procella extollitur, et sicut pulvis terræ adæquatur; 3. sicut flamma excitatur, et instar fumi dissipatur;* 4. ως ανθος ωραιζεται και ως χορτος ξηραινεται, *sicut flos forma est præstanti, et sicut fœnum exsiccatur; 5. sicut nubes conglobatur, et tamquam gutta imminuitur; 6. denique, sicut bulla inflatur, et scintillæ instar extinguitur:* ita Chrysostomus. Plantæ sumus, quarum humor siccatur. S. Gregor. Nyssen. tract. 1. in Ps. sic inquit: νοτιδος αναλωθεισης, consumpto quasi vegetioris et viridioris ævi rore, plantaque deflorescente, et hora illa vernante, et formosa expirante, id quod relinquitur nihil aliud est, quam arefactio et exsiccatio. Childeberto in Francia regnante arbores iterum floruerunt mense Septembri, et multæ quæ prius poma habuerant, nova dederunt, quæ usque ad Natalis Dominici tempora in ipsis altaribus habita sunt, ut
Arbores in autumno et hyeme florentes. ait S. Gregor. Turon. lib. 8. hist. Franc. pag. 490. Scopas, quibus curia Romæ mundabatur floruisse tradit Ammianus Marcellinus lib. 28. sed fides sit penes auctorem. Virgam Aaronis siccam fronduisse, et flores fructusque protulisse certum est, Num. 17. Varias arbores plantasque aut ad Reliquiarum tantum, aut ad Sanctorum probandam vel honorandam virtutem, flores fructusque protulisse in summa hyeme, aut alieno tempore notum est, ut contigit in S. Firmino Ambianensi primo Episcopo. Sed qui post mortem sibi certo novos flores promittere valeat, nullus est.

33. Vitæ nostræ summa est miseria. Hinc collige Primo, quanta sit huius vitæ miseria: eam deplorat S. Augustinus tom. 7. lib. de anima, et eius origine: Vitam hanc dubiam, ait, vitam ærumnosam, quam dolores exterminant, honores desiccant et morbidant, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci solvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ iactant, paupertas deiicit, iuventus extollit, *senectus incurvat*, infirmitas frangit, mœror deprimit, *et post hæc omnia mors interimit:* quæ ita universis finem ponit, ut cum esse desierit, esse nec fuisse putetur: ita Augustin. Secundo, ab initio vitæ hæc ob oculos habenda sunt. Apud Romanos, quæ ad funera pertinebant, in templo Libitinæ vendebantur, quam eamdem esse cum Venere credebant, ut monerentur esse caducum omne quod natum est: una eademque Dea et ortui, et interitui præsidente, ut ait Plutarchus in quæstionibus Romanis, pag. 269. Archiepiscopum Byzantinum laudat S. Petrus Damiani, quod sepulcrum sibi adhuc vivens construxisset. Verba eius sunt opusc. 39. c. 1. Placet mihi sepultura tua, quam tibi velut memoriæ signum ante oculos posuisti: ut, dum illa conspicitur, *florentis male huius vitæ tibi viror arescat,* ac de futuris cogitare mens in se collecta solerter incipiat. Quo scilicet postquam homo pervenerit, illud procul dubio invenit, quod mutare nullatenus possit: hæc ipse. Tertio denique, sibi potissimum timeat peccator, omnia enim eius opera et labores arescent cum eo. Chald. hoc loco vertit: *Similes sunt operationes eorum herbæ, quæ mane florebit atque crescet: vesperi autem excisa siccabitur propter æstum.* Propheta noster id prædicit, Psalm. 128. 6. *Fiant,* Hebr. erunt, *sicut fœnum tectorum, quam priusquam evellatur, exaruit.* Vide
Asphodelus a verme eroditur. illum locum. Asphodelus planta vocatur hasta regis. In ea nascitur vermis, qui in alatum animal mutatur, et Asphodelum depascitur, donec viroris aliquid remanet: cum vero exaruit, eo eroso avolat, ut docet idem Theophrastus. Si vel totius orbis Imperator esses, si vitiorum vermis menti insederit, honoris, et divitiarum, voluptatumque suavitatem omnem, velut medullam, depascetur, atque omnia arefaciet. Contra vero, virtus nunquam marcescit. Est herba amaranthus, sic dicta ab α privativo, et μαραινομαι, siccor, tabefio, quod non marcescat: unde vocantur immortales amaranthi. Ioan. 2. 18. dicitur: *Mundus transit, et concupiscentia eius: qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Possis etiam virum iustum comparare vitibus et arboribus, de quibus Theophrastus l. 1. de plantis. Tradit enim in agro Elephantino vites ficusque ne folia quidem ullo tempore amittere. In Creta insula in agro Gortynensi platanum apud fontem quemdam esse, quæ nunquam folia deperderet. In agro quoque Thurino quercum Sybari conspicuam, quæ pari honore sua servaret. De aliis dixi alio loco. Clemens Alexand. lib. 2. Strom. p. 383. stabilem esse virtutem docet. Quibus, inquit, non inest gubernatio, πιπτουσιν ωσπερ φυλλα, ii cadunt sicut folia. Ratio vero, et principalis pars animæ, inconcussa permanens, et animam regens, dicitur eius gubernator. Est enim revera immutabiliter, ad id quod est immutabile, deducta. Sic Gen. 18. 2. Abraham stabat rectus ex adverso Domini, et appropinquans dixit. Et dicitur Mosi, Exod. 34. Tu autem sta hic mecum: hæc Clemens. Herodotus l. 4. p. 272. memorat septem annis in Thera insula non pluisse, ita ut omnes arbores, una excepta, exaruerint. In vitiosi mundi incendio, velut in deflagratione Sodomorum, nonnullos servat Deus: alii succensi pereunt, et poma ferunt, pulchra quidem aliquando, sed cineris plena, et gustui insipida.

Omnes Christiani si velint, flores sunt immarcescibiles 34. Virgines sunt flores Ecclesiæ.
Ecclesiæ et Paradisi. S. Cyrill. Ierosol. in præfatione Catech. Iam est, inquit, beatitudinis odor in vobis, o illuminati: iam spirituales colligitis flores ad plectendas cælestes coronas, iam Spiritus sancti spiravit fragrantia, iam circa porticum regalis palatii fuistis. Utinam vero et ab ipso rege introducamini. Secundo tamen specialius, virgines sunt flores Ecclesiæ et Paradisi. S. Paschasius in Ps. 44. virgines alloquens ait: *Vos estis, quæ secundum nobilitatem generis flores estis Ecclesiæ, quæ virore pudicitiæ,* 35. Angeli sunt flores paradisi.
et splendore castæ dilectionis, Sponso serta componitis, et coronam spineam mutatis quotidie in gloriam triumphantis: hæc ipse. Tertio, angeli sunt flores Paradisi et Ecclesiæ. S. Ambros. cap. 12. in Lucam: Angeli, inquit, istius mundi flores sunt, quorum claritatibus ornatur mundus, et bonum odorem sanctificationis spirant: ita Ambrosius. S. Basilius Seleuciæ stellas vocat luminosos flores, orat. 1. quanto id verius dicetur de angelis, qui sunt astra matutina Deum laudantia? Quarto denique, Christus est flos florum. Cantic. 2. *Ego flos campi.* Ubi Ugo Card. ait: Generaliter se florem dicit, non determinando aliquem, quod non unico modo floret in campo Ecclesiæ: *Sed, ut ita dicam, rubet in Martyribus, candet in Virginibus, viret in Confessoribus, pallet in pœnitentibus:* ita Ugo. Concludo itaque, tibi virtutem et cælestem terram amandam, ubi tot et tam pulchros colliges flores. Ferrarius lib. 1. Floræ suæ, cap. 1. Cælum suscipe, inquit, ad quod natus, ad quod erecta statura tuendum tenendumque factus es. Immortalia sidera caducis flosculis præfer, aut eadem esse cæli flores existima nostratibus amaranthis diuturniores: hæc Ferrarius.

ARTICULUS IV.

Naturalem vitæ brevitatem peccata breviorem faciunt.

Homo flos est suapte sponte marcescens, licet a nullo colligatur: multi tamen messores in eum irruunt, ut florem illum etiam ante tempus demetant. Deus præsertim 36.
ultor scelerum involat, v. 7. Quia defecimus in ira tua Vers. 7.
(per iram tuam) et in furore tuo turbati sumus. Pro *defecimus*, vertit Hieronymus, consumpti sumus.

Vers. 8. Posuisti iniquitates nostras in conspectu Vers. 8.
tuo, sæculum nostrum (id est, peccata sæculi, seu temporis nostri. Hebr. עלמנו *alumenu*, id est, primo, *occulta nostra:* ita Felix; talia sunt peccata cordis; 2. *adolescentiam nostram,* id est ait Camp. peccata in adolescentia commissa; 3. sæculum nostrum: ita Septuag. et Noster; negligentias nostras: ita S. Hieron. errores nostros: ita Pagninus. Rad. *alam*, occultavit) in illuminatione (S. Hieron. in luce; Pagn. ad luminare) vultus tui.

Vers. 9

Vers. 9. QUONIAM OMNES DIES NOSTRI DEFECERUNT, ET IN IRA TUA DEFECIMUS.

37\. Vita brevis similis est vitro fragili. 2. Vapori. 3. Fumo. 4. Cursori. 5. Navi poma portanti. 6. Aquilæ volanti. 7. Fluvio rapido.

Nota primo, vita nostra per seipsam brevis est, hoc ostendi articulo præcedenti per floris similitudinem: aliæ etiam afferri possunt. Primo, vitrum est fragile. Petr. Blesensis serm. 16. in hebdomada pœnosa, corpus nostrum vocat vitream ampullam. Secundo, vita nostra vapor est ad modicum parens, Iacobi 4. 15. Tertio, fumus est deficiens, Ps. 101. 4. Quarto, cursor est velox, Iob. 9. 25. Quinto, navis est poma portans, ibid. Palladas poeta Græcus in anthologia dicit, πλοῦς σφαλερὸς τὸ ζῆν, navigatio periculosa est hæc vita. Sexto, aquila est præceps in escam involans, Iob. 9. 25. Septimo, fluvius est rapidus, nunquam consistens. Plutarchus in opusculo de syllaba ει: *Sicut*, inquit, *eumdem fluvium, sicut dictitabat Heraclitus, bis nemo superare potest: ita mortalem naturam in eodem statu hærentem nemo bis attingit, sed repentino mutationis impetu dissipatur illico, rursumque colligitur; vel potius, ne rursum quidem aut postea, sed existit simul ac desinit, accedit simulque discedit. Ita quæ pars illius nascitur, ea nunquam ut perfecte sit assequitur, quod ortus ille neque unquam desinat, neque consistat usquam: sed iam inde a semine fœtum inchoatum, mox infantem, puerum inde, inde adolescentem, iuvenem, senem, vetulum, continua mutatione fingit, ac priores ortus ætatesque delet successione novarum. At nos ridicule sane facimus, qui mortem unam timemus, iam mortui toties totiesque morientes*: ita Plutarch. Octavo, vita nostra defluit instar aquæ aut pulveris in horologio. Sinæ dimetiendis horis habebant horologia aquea aut ignea ante adventum Europæorum, pauca etiam conficiebant rotulis ab arena, velut aqua, circumactis: nos clepsydras habemus pulvereas, et rotulala ex ferro instrumenta. Quæ omnia notant, vitam nostram esse instar aquæ fluidam, instar ignis urentem, ad modum pulveris terrestrem et volaticam, ad modum ferri duram et laboriosam. Aquea etiam horologia habebant Romani, de quibus Plinius lib. 7. cap. ultimo, Scipio, ait, Nasica collega Lænaris, primus aqua divisit horas æque noctium ac dierum: idque horologium sub tecto dicavit, anno 514.

8\. Pulveri cadenti in clepsydra.

9\. Imagini in speculo.

Nono, vita nostra est instar imaginis in speculo, quæ cito evanescit ablato speculo. Inter Turcas Sachæ sunt Mechæ peregrini, qui totam vitam piis actionibus devoverunt. Per vicos oberrant, aquam bibendam obviis quibusque offerunt: speculum deinde ostendunt, in quo dum quis se contemplatur, statim illi speculum obvertunt, ut videant rerum humanarum inconstantiam, cum brevi mutatione dispareant. Vel maximæ mundi felicitates momento unico in contrarium vertuntur. Magno id luctu nostro vidimus in morte Henrici IV. regis nostri et nomine, et rebus præclaro gestis vere Magni. Cum enim Maria Medicæa eius uxor, totius regni maximo gaudio coronata esset in templo Sandionysiano, in egressu templi plurima aurea et argentea numismata exultanti populo sunt proiecta, quorum in altera facie sculpta erat ipsius reginæ efficies: in altera corona, ex qua tres rami, unus lauri, alter palmæ, tertius olivæ, egrediebantur, hac adiecta epigraphe: *Sæculi felicitas*. Nihil enim tunc erat Francia potentius et amœnius. Sed, proh dolor! die sequenti tartareum monstrum (neque enim has furias in hominibus reponendas censeo) regem optimum nulla accepta iniuria trucidavit, et lætitiam omnem in luctum et trepidationem convertit. Vere itaque dixit Seneca lib. de brevitate vitæ, cap. 17. *Maxima quæque bona sollicita sunt: nec ulli fortunæ minus bene quam optimæ creditur*. Ab eodem auctore disce, cum vita brevis sit, ea dum adsit, diligenter utendum esse. Sic docet ibid. cap. 9. *Cum celeritate temporis, utendi velocitate certandum est: velut ex torrente rapido, nec semper casuro, cito hauriendum*. Et cap. 1. recte docet, sine causa nos conqueri, quod longam animalibus, brevem nobis vitam dederit Deus. Non exiguum temporis habemus, inquit, sed multum perdimus. Satis longa vita, et in maximarum rerum consummationem large data est, si bene collocaretur. Non accepimus brevem vitam, sed fecimus; nec inopes eius, sed prodigi sumus. Sicut amplæ et regni opes ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur: at quamvis modicæ si bono custodi traditæ sunt, usu crescunt: ita ætas nostra bene disponenti multum patet: hæc et alia Seneca. Iacturam hanc pretiosissimi temporis deplorat S. Augustin. serm. 18. fol. 31. O virum prudentem! inquit, si vinum minuatur in utre, tristaris: dies perdis, et gaudes? mali ergo sunt dies, et eo peiores, quia diliguntur: ita Augustinus.

Henrici IV. luctuosa mors.

38\. Peccata vitam minuunt.

Nota secundo, vita male utentes, eamque sceleribus suis inquinantes, Deus iratus demetit: *Defecimus in ira tua*, etc. *quoniam posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo*. Primo, voluptates ipsæ vitam minuunt. Heliogabalus Imp. in tricliniis versatilibus parasitos suos violis et floribus nonnunquam oppressit, sic ut animam aliqui efflaverint, cum eripi ad summum non possent, ut ait Ælius Lampridius in Heliogabalo cap. 21. Lege, quæ ipsi voluptuosi dicunt, Sap. 2. Secundo, Deus ultor exurgit. Gen. 2. 17. vetans esum pomi dicit Deus Adamo: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Inde in nos defluxit mors et miseria. S. Gregor. lib. 11. Moral. cap. 26. Fixum statum, ait, hinc habere non possumus, ubi transituri venimus; atque hoc ipsum nostrum vivere, quotidie a vita transire est. Quem videlicet lapsum primus homo ante culpam habere non potuit: quia tempora eo stante transibant. Sed postquam deliquit, in quodam se quasi lubrico temporalitatis posuit: et quia cibum comedit vetitum, status sui protinus invenit defectum: ita Gregorius. Ptolom. Hephas. lib. 4. dicit, quod qui comedunt Helenium herbam, ad rixas et contentiones incitantur: Adamus pomum comedens in se iram Dei incitavit. Bellarminus per *iniquitates nostras*, intelligit peccatum primi parentis Adami.

Heliogabalus floribus necat parasitos.

Arboris cuiusdam medulla ferrea.

Tarquinius superbus ultimus rex Romanorum, virga quam gestabat manu, demetebat summa capita papaverum in horto, ut indicaret primores urbis Gabiorum capite plectendos, ut ea potiri posset. Christo dicit Deus Ps. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea*. Marcus Pol. lib. 3. cap. 16. tradit, in Iava maiore arborem esse, quæ ferri vim atque aciem habeat, et interiorem medullam ferream, virgæ modo in summum verticem ab imo ductam. Hieron. Osorius lib. 2. de rebus Emmanuelis pag. 53. docet, Brasilos non solum arcubus et sagittis, sed etiam gladiis e ligno durissimo factis uti, quibus hostium membra frangunt et dissecant. Virga Mosis, quæ data erat illi ad liberandum et iuvandum populum Israel, vertitur in serpentem contra impios Ægyptios, eorumque serpentes devorat. Aristot. lib. de mirab. auscult. ait, a sacro quodam serpente alios vorari solitos. In Thessalia, inquit, ferunt sacrum serpentem, non solum morsu, sed etiam contactu, reliquos omnes perdere. Quocirca cum apparet, aut vox tantum auditur (quod raro contingit) serpentes ac viperæ, tum reliquæ etiam feræ omnes diffugiunt. Magnitudine est non perinde vasta, sed moderata: ita Aristoteles. Deo ait David Ps. 17. 27. *Cum bono bonus eris, et cum perverso perverteris*. In honore constituti scelerati commoda comparabuntur statuæ solis in fuliginem conversæ. In Actis sanctorum Faustini et Iovitæ dicitur Iovita conversus *ad statuam solis*, et dixit: Nos adoramus Deum qui regnat in cælis, qui solem lucere constituit. Tu autem cum sis statua, in aspectu tanti solis *transfigurare in effigiem picis* ad confusionem eorum, qui te quasi Deum adorant. Cumque hæc dixisset, illico facta est statua ut fuligo in conspectu populi. Radii autem, qui in capite eius erant, tamquam carbones mortui decidebant in terram: hæc ibi. Dives impius est instar urbis magnæ et populosæ, quæ incendio hostili, aut cælitus immisso perit: sic Ierusalem a Nabuchodonosore est incensa et in cineres redacta. Roma a Nerone, Lugdunum miserabili casu, de quo Seneca lib. 12. Epist. 91. Tot, inquit, pulcherrima opera, quæ singula illustrare urbes singulas possent, una nox stravit: et in tanta pace, quantum ne bello quidem timeri potest, audit. Quis hoc credat? ubique armis quiescentibus, cum toto

Statua solis in pulverem conversa.

orbe terrarum diffusa securitas est, Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, quæritur. Una nox fuit inter urbem maximam et nullam. Denique diutius illam tibi periisse, quam periit, narro. Ioelis 1. 20. dicitur: *Ignis devoravit speciosa deserti.*

39. Impii semper timent. Nota tertio, falcem sibi semper imminentem cernentes impii in continuo pavore sunt: *In furore tuo turbati sumus.* Levit. 26. 36. dicit Deus Israelitis, quid eis sit eventurum, si peccent: *Qui de vobis remanserint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hostium: terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente, et corruent singuli super fratres suos quasi bella fugientes.* Deut. 28. 66. eidem populo dicit Moses: *Erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. Mane dices: Quis mihi det vesperum? et vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem qua terreberis, et propter ea quæ tuis videbis oculis.* Iob 18. 11. de impio dicit Baldad Suhites: *Undique terrebunt eum formidines, et involvent eum pedes eius,* q. d. Præ timore non poterit ambulare, sed ad singulos passus cæspitabit. 2. Paral. 15. 5. de hostibus Israelitarum dicitur: *In tempore illo non erit pax egredienti et ingredienti: sed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum.* S. Gregorius Nyss. in oratione catech. cap. 35. vitam hanc vocat carcerem, et labyrinthum. Oratione autem de baptismo magis ad rem præsentem dicit se timere falcem messoris terribilis. Verba eius sunt: Caput iam canescit: prope est æstas vitæ, in nos forte falx acuitur: et timeo, ne nobis dormientibus, et in una spe occupatis, repente accedat messor terribilis: ita S. Gregorius. In ipso ætatis flore, et lætissimo rerum cursu trepidant scelerati. Seneca lib. de brevitate vitæ cap. 17. Quid, ait, quod gaudia quoque erunt? trepida sunt. Non enim solidis causis innituntur, sed eadem qua oriuntur vanitate, turbantur. Qualia autem putes tempora esse, etiam ipsorum confessione misera, cum hæc quoque, quibus se attollunt, et supra hominem efferunt, parum sincera sunt: hæc Seneca.

40. Vir pius semper est securus. Contra vero, vir iustus vel inter hostes interritus est. De ea re dixi Ps. 26. 3. illud explicans: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Ferunt in fluvio Scamandro herbam nasci, quam Sistrum vocant, eamque qui gustarit, nullis neque dæmonibus, neque spectris terreri. Sistrum herba timores tollit. Innocentia est hæc herba: eam qui habet, nihil timet. Vallantes iustum hostes, atque interritum eius animum, commode repræsentabis facto Darii regis Persarum, Darii mens interrita. qui mentis robore ita insidiantes sibi exterruit, ut arma abiecerint. Ælian. lib. 6. var. hist. cap. 14. rem sic narrat: Aribazus Hyrcanus Dario Hystaspis filio insidias struxerat una cum aliis obscuræ famæ in Perside, idque inter venandum. Quod ille cum rescisset, non correptus metu est, sed iussit eos arma sumere et equos: atque deinde mandavit, ut intenderent arma, torvumque aspiciens eos. Quid igitur, ait, non exequimini id, cuius gratia venistis? At illi cum intrepidum hominis vultum aspicerent, non solum impetum remiserunt, sed usque adeo terrore perculsi sunt, ut hastas abiicerent, et desilientes ab equis Darium adorarent, eiusque arbitrio prorsus se dederent. Qui disiunxit illos a se mutuo, et alium ad Indiæ confinia misit, alium ad Scythica. Illi autem beneficii memores fideles in posterum et obedientes illi fuerunt: ita Ælianus. Splendor quidam e regum vultu emicat, qui nefarios exterreat: satius tamen est securitati servire, quam vitam regum, ex qua tot hominum pendent millia, furentibus obiicere.

41. Multitudo scelerum terret impios. Nota quarto, terret impios multitudo iniquitatum: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: sæculum nostrum,* id est iniquitates sæculi seu temporis nostri, *in illuminatione,* id est in luce, *vultus tui.* Itaque timendum nobis est pro peccatis propriis et pro alienis. S. Chrys. hanc vitam fœtenti stabulo comparat, lib. 3. de providentia, tom. 4. p. 225. Huius, inquit, vitæ constitutio, et agendi ratio, nihil differt a stabulo, et mansione in diversorio. Seneca vero, lugubrem vitæ nostræ faciem confert urbi captæ,

A quæ diripitur. Sic enim ait lib. 7. de beneficiis cap. 27. *Si, ait, tibi vitæ nostræ vero imago succurret, videberis tibi videre captæ cum maxime civitatis faciem, in qua omisso pudoris rectique respectu, vires in consilio sunt, vel signo ad permiscenda omnia dato, non igni, non ferro abstinetur. Soluta legibus scelera sunt. Nec religio quidem, quæ inter arma hostilia supplices texit, ullum impedimentum est ruentium in prædam. Hic ex privato, hic ex publico, hic ex profano, hic sacra rapit, hic effringit, hic transilit, hic non contentus angusto itinere, ipsa quibus arcetur, evertit, et in lucrum ruina venit. Hic sine cæde populatur, hic spolia cruenta manu portat. Nemo non fert aliquid ex altero.* Hactenus Seneca. In Chalcide Thraciæ urbe iuxta Olynthum, locum esse aiunt, quem Cantharolethon, id est mortem cantharorum vocant, paulo area maiorem, quem reliqua quidem animalia ingrediuntur illæsa; canthari vero nequaquam: quippe qui ingressi oberrantes in eo fame exanimantur, ut ait Aristot. lib. de mirabilib. auscultationibus. Angliam omni genere animalium
B venenatorum, et rapacium, excepta vulpe, carere docet Andreas du Chesne in histor. Angliæ. Vita vero nostra similis est Africæ, quæ est plena feris et monstris, atque nova in dies procreat. 1. Ioan. 2. 16. *Si quis, inquit, diligit mundum, non est charitas Patris in eo: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Hinc monet S. Paulus Rom. 12. 2. *Nolite conformari huic sæculo.* Gal. 1. 4. ait Christum dedisse semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam. Seneca monet, omnia sæcula fuisse referta vitiis, nostram tamen esse culpam, si vitiis sæculi adhæréscimus. Sic enim loquitur epist. 97. Erras, mi Lucili, si existimas nostri sæculi esse vitium, luxuriam et negligentiam boni moris, et alia quæ obiicit suis quisque temporibus. Hominum sunt ista, non temporum. Nulla ætas vacavit a culpa. Et si æstimare licentiam cuiusque sæculi incipias, pudet dicere: Nunquam apertius, quam coram Catone peccatum est: ita Seneca.

C Nota denique quinto, terret impios maxime conspectus Dei, omnia eorum scelera cernentis: *Quoniam posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo.* Primo enim, ille aspectus Dei est universalis, nullum non peccatum cernens. Ierem. 16. 17. *Oculi mei super omnes vias eorum: non sunt absconditæ a facie mea, et non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis.* Secundo, aspectus ille in singulis est perspicax, et intima quæque penetrans. Hebr. 4. 13. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius.* Nullæ tenebræ sceleratos occultant, ut docet fuse auctor Eccli. cap. 23. 25. et seqq. S. Greg. Naz. orat. 3. pag. 93. Nulla, inquit, ratione seipsum impius occultabit, ne si in omnem quidem partem se verset, ac per vafritiam suam in omnes formas immutet, atque Orci galeam, ut dici solet, induat, aut Gygis annulo et palæ conversione sese suffuretur: ita Gregorius. Tertio, ille aspectus Dei est diligens et sollicitus. Hinc Sodomam et Gomorrham perditurus dicit Gen. 18. 20. 42. Dei aspectus terret impios.
D *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint.* Humano more loquitur: cæteroqui enim Deus intimo præsens est rebus omnibus, et eas ex propinquo videt. Quarto, ille aspectus Dei purus est, et sordes omnes abhorret. Habacuc 1. 13. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum.* Vide dicta Psal. 5. 5. Quinto denique, ille aspectus Dei est terrificus et fulgurans. Apocal. 1. 14. de Christo dicitur: *Oculi eius tamquam flamma ignis.* His oculis significatur omniscia mens Christi, iustis lucens, reprobos incendens, ut dicit Gagneius. Ps. 33. 17. dicitur: *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Dagon non stat coram arca, nec impii Philisthei, sed quocumque arca ducitur, ibi morbi grassantur, 1. Reg. 5. Agathon Samius refert, Phrixam herbam, Putæ similem, in Boreæ antro provenire, niveque esse frigidiorem, postquam collecta fuerit, ita tamen excan-

descere adversus insidiatores pudicitiæ alienæ, ut flammas edat. Deus natura mitissimus est, sceleratos tamen perdit.

43. Vers. 10. Vitæ sceleratorum brevitatem illustrant Septuaginta interpretes comparatione aranei sese in texenda tela sua eviscerandis, et multum sed frustra in ea laborantis, v. 10. ANNI NOSTRI SICUT ARANEA MEDITABUNTUR, id est meditatis laboribus se cruciabunt, meditatione continua se exercebunt. Sumitur enim active hoc verbum, non passive, ut ex Græco ἐμελέτων, quod est activæ vocis et significationis, planum est. Est autem metonymia: anni enim ponuntur pro hominibus meditantibus varia lucra, sed vana, in vita sua. Vel est metaphora: tribuitur enim annis meditatio, sicut diei locutio, cum dicitur Psal. 18. 3. *Dies diei eructat verbum:* et dies posterior prioris discipulus dicitur.

Nota, in Hebræo tantum est: *Anni nostri sicut* הֶגֶה *heghe, meditatio,* supple sunt; 2. vox *heghe* significat etiam sermonem oris, et ita sumit S. Hieron. et Arias; 3. *heghe* arbitror significasse etiam araneam, q. d. Meditabundum animal, quod maxime intentum est rei, quam facit. Hoc enim *haga* significat. Hinc fortasse *regarder,* id est attente considerare. Rustici nostri dicunt *haga haga,* id est vide, considera, attende. S. Hieron. hæc præcedentibus nectens vertit, consumpsimus annos nostros quasi sermonem loquens. Pagn. tamquam sermonem. Felix, sicut locutionem. Ea nihil est fragilius, et ex illa nihil remanet, hoc de loquacibus recte dicetur: Perdunt vitam suam, sicut sonum vocis.

Garruli vitam perdunt.

44. Nota secundo, anni nostri, et nos ipsi, similes sumus araneæ. Primo, quia in rebus inutilibus sæpe laboramus. S. Aug. in Psalm. nostr. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* In rebus corruptibilibus laborabamus, corruptibilia opera texebamus, quæ nos secundum Isaiam prophetam minime contegebant: ita Augustinus. Sap. 3. 11. *Vacua est spes illorum, et labores sine fructu, et inutilia opera eorum.* Heliogabalus Imp. curavit colligi decem millia pondo seu librarum de telis aranearum. Eusebius in hunc Psal. de vanis doctrinis telas araneæ exponit. Olim, ait, texebant tunicam summo sacerdoti, stolasque sanctas: at nunc omnem doctrinæ telam contextione divinarum Scripturarum, perinde atque aranea texunt. Tales nunc texit meditationes Scripturarum, in quibus continentur et deuteroses, per quam doctrinam quamdam texunt, araneæ telis comparandam.

Similes sunt araneæ, et cur?

Secundo, Haymo laborem aranei considerat et eviscerationem. Hoc in avaro clarum est, et notat auctor Eccli. 10. 10. *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam.* Hic enim et animam suam venalem habet: *quoniam in vita sua projecit intima sua.* Prov. 1. 16. *Pedes illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.* Isaiæ 57. 10. *In multitudine viæ tuæ laborasti: non dixisti: Quiescam.*

Tertio, Remigius advertit, araneam sæpe in tela sua occidi. Iob 18. 8. *Immisit in rete pedes suos, et in maculis eius ambulat. Tenebitur planta illius laqueo.* Psal. 38. 12. *Propter iniquitatem corripuisti hominem: et tabescere fecisti sicut arenam, animam eius.*

Quarto, Cassiodorus notat telæ debilitatem, et tenuitatem, ac dolum. Isaiæ 19. 9. *Confundentur, qui operabantur linum, pectentes et texentes subtilia.* Syrus in Psalmo nostro vertit, Defecerunt dies nostri, sicut aranea. Arabs, Ætates nostræ velut textura araneæ transeuntes.

Quinto, araneæ sereno non texunt, nubilo texunt: ita multi in tenebris et caligine vitiorum et dolorum alios implicant. Hinc monet Paulus Ephes. 5. 9. *Ut filii lucis ambulate: nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere.* Phalangius species est aranei, in ipso antro incubat magno numero: atque ut emersit, matrem consumit, sæpe et patrem: adiuvat enim incubare. Parit autem et tricenos, ut ait Plinius lib. 11. cap. 24. Triginta illi phalangii, sunt triginta dies cuiuslibet mensis, in quibus homo sceleratus veneno parentes ipsos suos et amicos enecat.

Sexto denique, magna meditatione, sollicitudine et cura araneus texit, hoc præsertim spectari a Davide arbitror; A ait enim: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Non pigebit pulcherrimam telæ araneorum texturam referre ex Plinio lib. 11. cap. 24. Orditur telas, inquit, tantique operis materiæ uterus ipsius sufficit: sive ita corrupta alvi natura stato tempore (ut Democrito placet) sive est quædam intus lanigera fertilitas: tam moderato ungue, tam tereti filo, et tam æquali deducit stamina, ipso se pondere usus. Texere a medio incipit, circinnato orbe subtegmina adnectens: maculasque paribus semper intervallis, sed subinde crescentibus, ex angusto dilatans indissolubili nodo implicat. Quanta arte celat pedicas scutulato rete grassantes, quam non ad hoc videtur pertinere cribratæ paritas telæ, et quadam polituræ arte, ipsa per se tenax ratio tramæ? quam laxus ad flatus non ad respuenda, quæ veniant sinus, derelicta lasso prætenti summa parte, ut arbitrari licet illa, quæ difficile cernuntur: atque ut in plagis lineæ offensæ præcipitant in sinum? Specus ipse qua concameratur architectura? et contra frigora quanto villosior? quam remotus a medio, aliudque B agenti similis, inclusus vero sic, ut sit necne intus aliquis, cerni non possit? Age, firmitas quanta irrumpentibus ventis, qua pulverum mole degravante? Latitudo telæ sæpe inter duas arbores, cum exercet artem, et discit texere. Longitudo fili a culmine, ac rursus a terra per illud ipsum velox reciprocatio, subitque pariter ac fila deducit. Cum vero captura incidit, quam vigilans et paratus ad cursum? licet extrema hæreat plaga, semper in medium currit, quia sic maxime totum concutiendo implicat. Scissa protinus reficit ad polituram sarciens. Namque et lacertorum catulos venantur: hos primum tela involventes, et tunc demum labra utraque morsu apprehendentes, amphitheatrali spectaculo eum contigit: hactenus Plinius.

Araneæ tela describitur.

Sed hic omnis labor araneæ vanus est atque inutilis. Vix enim ad ullos hominis usus conducit, et facile disiicitur aut pede, aut manu, aut scopa. Sic de opere impiorum inutili, et auctoribus ipsis noxio dicitur, Isaiæ 59. 5. *Ova aspidum ruperunt, et telas araneæ texuerunt.* Iob 27. C 18. de impio dicit: *Ædificavit sicut tinea domum suam.* Sept. vertunt, evasit domus eius sicut tinea, et sicut aranea. Pineda noster hoc paraphrastice sic reddit: Domo magnificentissime ædificata non eiicietur improbus tardius, quam tinea ex putri ligno aut vestimento, quod paulatim arrodit: atque sicut tinea corrodendo videtur sibi domum ædificare, et latibulum quærere, simul tamen et sibi, et domui suæ exitium et interitum molitur: ita sane impius, dum res alienas mordendo et dilacerando, domos ipse suas erigere et stabilire nititur, suum sibi exitium machinatur. Atque adeo munimenta, quibus improbi se protegunt et tutantur, quamvis astuta et latebrosa, non magis valida erunt, quam tineæ folliculus, quo se abscondit: et araneæ caverna, in quam se includit. Tum etiam impietas instar veneni depascet impios, non secus quam tineæ lanas. Et quemadmodum aranearum telæ, nullo maiori negotio exterminantur, sic quæ ab impio asservantur, putridam et dissolubilem aranearum telam imitabuntur: ita Pineda. Baldad Suhites amicus Iobi de hypocrita dicit D cap. 8. 14. *Non ei placuit vecordia sua, et sicut tela aranearum fiducia eius. Innitetur super domum suam, et non stabit: fulciet eam, et non consurget.* Soph. 1. 13. *Et erit fortitudo eorum in direptionem, et domus eorum in desertum: et ædificabunt domos, et non habitabunt: et plantabunt vineas, et non bibent vinum earum.* In fano Cereris, subtilis quædam araneæ tela expandi visa est, quæ pallium magnitudine æquans, iridem per omnia cælesti similem effecit. Hoc portendit Thebarum ruinam, ut ait Diodor. Siculus lib. 17. pag. 494. Tunc omnia sunt ruinæ proxima, cum hypocrisis cælestes radios mentitur et ostentat. Vita potentiorum lucet quidem, sed luce cito peritura, cum ipsa eorum tela momento evanescat. S. Greg. Nyss. tract. 1. in Psal. cap. 7. Quibus, ait, iræ potentia et vis prævalet, ἀνυπόστατος καὶ σκιώδης ἐστιν ἡ ζωή, his vita quædam umbratilis et minime subsistens ducitur ad similitudinem telæ aranearum: ut enim illa apparet quidem, quoad

connexa fuerit: at si quis manum admoverit, derepente contactu digitorum dilabens evanescit. Sic et humana vita, supervacaneis et non consistentibus studiis, tamquam εναεριοις νημασιν αει συμπλεκομενος, *aeriis quibusdam filis semper implicata*, contexit sibi non subsistentem telam, quam si quis firma cogitatione apprehendat, effugit contactum vana sedulitas, et in nihilum recidit: hæc Gregorius.

45. Terrena contemnenda.

Hinc conclude, Deum unum cogitandum esse, et terrena spernenda. S. Isidor. in epist. Graviter turbato simillis es, inquit, quod civili gloriæ excidisse sis visus. Existima itaque huius vitæ bonam existimationem telis aranearum tenuiorem esse, fumisque magis exilem. In cælestia itaque mentem tuam dirige, animique tumultum facile placabis. S. Greg. Naz. id quoque præcepti dat, tom. 2. carmin. 62. pag. 146.

Sit tibi pro cunctis opibus Deus: at bona mundi
Semper arachnæi staminis instar habe.

S. Greg. Nyss. mox citatus recte etiam admonet: Omnia quibus in hac vita mortalium curæ distinentur, οιησις εστιν και ουχ υποστασις, *inanis quædam opinio sunt, nihilque subsistens.* Opinio est honor, dignitas, generis claritudo, superbia, elatio, divitiæ, et his similia, οις εμμελετωσιν οι του βιου αραχναι, *quibus vitæ huius aranei inhiant: ideo talia egent Dei medela.*

ARTICULUS V.

Vitæ humanæ brevitas terminatur septuaginta aut octoginta annis.

Vers. 10. 2. Pars.

Cum David brevem esse hominum vitam dixisset, tempus illius determinat, v. eod. 10. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.

Vers. 11.

Et vers. 11. Si autem in potentatibus octoginta anni: et amplius eorum (annorum scilicet. S.Hier. 34. *et quidquid superest*) labor et dolor, hoc est, ætas infirma et variis morbis atque incommodis obnoxia est.

46. Hebraismi duo.

Nota, το *in ipsis* per hebraismum redundat. Clarus enim sensus est: *Dies annorum nostrorum septuaginta anni.* Hæc expositio mihi maxime arridet: sæpe enim pronomen apud Hebræos superfluum est, et ponitur tantum ornatus gratia. Ps. 121.3 dicitur: *Cuius participatio eius in idipsum:* ubi το *eius* abundat. Secundo, alius etiam hebraismus esse potest, quo nominativus casus ponitur sine ullo verbo cui correspondeat, ut Ps. 10.5. *Dominus, in cælo sedes eius:* id est, Domini sedes est in cælo Psal. 17. *Deus, impolluta via eius:* hoc est, Dei via est impolluta. Itaque sensus esset in Psalmo nostro, Dies annorum nostrorum septuaginta anni sunt; aut, in diebus annorum nostrorum septuaginta anni.

47. Ante diluvium vita longa.

Nota secundo, pro το *in potentatibus,* Hebr. est בגבורות *bigburoth,* hoc est in fortitudine, in robore, q. d. Quod si quis sit robustissimæ complexionis vegetus et sanus, vivet usque ad octoginta annos, postea vero erit in molesta, laboriosa et infirma senectute. Græco Septuag. vertunt, εν δυναστειαις, quod reddi posset in principatibus et imperiis: sed hoc loco significat in robore et potentia bonæ et firmæ complexionis. Principes enim cum delicate nutriantur, et ingentibus curis obruantur, brevem vitam ut plurimum agunt, et hoc docet auctor Eccli. 10. 11. *Omnis potentatus brevis vita.*

Nota tertio, ante diluvium longissima erat hominum vita, ut patet Gen. 5. ubi dicitur Adamus vixisse annis 930. Seth annis 912. Enos 905. Cainan 910. Malaleel 895. Iared 962. Mathusala 969. nullus reperitur, qui illo diutius vixerit. Lamech 777. Pererius noster in Genesim lib. 7. causas assignat huius longissimæ vitæ: nempe bonitatem constitutionis, sobrietatem, præstantiam alimentorum, benigniores influxus et aspectus cælorum, ut propagaretur genus humanum, ut artes longa experientia adinvenirentur.

48. Post diluvium vita etiam longa.

Secundo, post diluvium tempus ætatis hominum ad centum viginti annos determinatum fuisse multi arbitrantur, nixi illo loco Genesis cap. 6. 3. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.* Sed non est is sensus illius loci: sed sensus est, q. d. Post centum et viginti annos futurum esse diluvium, et omnes illos carneos homines perituros. Et quidem Gen. 9. 28. habetur: *Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis:* iam initio illius eluvionis natus erat annos sexcentos, sicque tempus vitæ eius fuit 950. annorum. Sem vixit annis 600. Gen. 11. 11. Arphaxad illius filius 338. annis. Sale 433. Heber 464. Phaleg 239. Reu 239. Sarug 230. Nachor 139. Thare pater Abrahami 205. Abraham 125. Gen. 25. 17. Isaac 180. Gen. 35. 28. Iacob 147. Gen. 47. 28. Ioseph 110. Genes. ultimo. Quod de plerisque Patriarchis, et aliis eodem tempore viventibus existimari potest.

49. Tempore Mosis, vita longa.

Tertio, tempore Mosis usque ad Davidem nostrum longam multorum vitam extitisse certum est, nam Moses ipse vixit 120. annos vegeto corpore. De illo enim dicitur Deuteron. 34. 7. *Moses centum et viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligavit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.* Aaron frater eius natu maior vixit annis 123. Exod. 33. 39. Iosue annis 110. Ios. 24. 29. Quamdiu autem tunc integre vires remanerent, colligere possis ex eo, quod Moses natus annos octoginta, a Deo missus est ad liberandum populum Israel ex Ægypto. Non mittebat autem eum, qui ætatis esset ad agendum ineptæ. Caleb natus annos octoginta quinque postulat a Iosue montem, in quo erant filii Enacim gigantes, et urbes magnæ atque munitæ, ut armis eam sibi terram subiugaret, aitque: *Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum, illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quam ad gradiendum,* Ios. 14. 10. Quadraginta erat annorum, quando cum Iosue et aliis missus est ad explorandam terram promissionis.

50. Davidis ætate vita brevior.

Quarto, Davidis ætate contractius vitæ spatium fuisse discimus ex textu quem explicamus: et in ipso Davide hoc probatur. Nam 3. Reg. 1. 2. dicitur: *Et rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies; cumque operiretur vestibus non calefiebat.* Erat tunc septuagenarius. An diutius vixerit in quæstione est. Berzellai octogenarius dicit se esse ineptum ad omnes aulæ delicias. Sic enim David ipsi loquitur 2. Reg. 19. 35. *Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suave aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus aut potus? vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum? quare servus tuus sit oneri domino meo regi?* Isaiæ 23. 15. habetur: *In oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis, sicut dies regis unius;* ubi alludi ad Davidem nostrum, qui vixit 70. annis, vult Cornelius.

51. A tempore Davidis vix est imminuta hominum vita.

Quinto, a tempore Davidis non videtur tempus vitæ diminutum esse, aut parum admodum, licet lib. 4. Esdræ apocrypho dicatur cap. 5. Considera et tu quoniam minori statura estis præ his, qui ante vos: et qui post vos minori, quam vos, quasi iam senescentes creaturæ, et fortitudinem iuventutis prætereuntes. Nunc videmus satis ordinarie homines non prorsus fractis viribus ad septuaginta annos pervenire, alios ad octoginta: et quod amplius est, laborem esse ac dolorem. Confessionem excepi unius rustici in hoc tractu Virdunensi, qui natus erat annos centum et duos, atque ad Ecclesiam adhuc pedes veniebat: et in hac urbe etiam confessionem audivi vetulæ unius cæcæ, quæ fertur esse centum annorum ac septem, atque sæpius ad huius collegii templum pedes venit. Accepi a viro probatæ fidei, non ita a multis annis quemdam Tolosæ civem ad annos centum et quinquaginta pervenisse. Hæc facit identidem Deus, ut veteribus historiis fidem habeamus. Mirabile prorsus est, quod Maffeus noster refert lib. 11. hist. Indiar. pag. 308. de quodam sene 335. annorum in regno Cambaiæ; et mirabilius adhuc est, quod ait esse rem certam. Verba eius sunt: Quidam e gente Gangaridum, quam hodie Bengalam vocant, ad Prætorem Lusitanorum abiit natus, ut ferebatur, annos trecentos triginta quinque, neque suspicio mendacii suberat. Nam et se-

Senex in Cambaia 335. annorum.

niores, qui tum erant, se de hoc eodem grandævo aiebant a maioribus accepisse, et ipse filium habebat nonagenarium: et cum litteram nosset nullam, quæ referebantur ab eo de veterum gestis rebus, ad fidem annalium optime congruebant. Huic aliquoties iam deciderant dentes, aliis continuo subnascentibus, et barba ubi prorsus incanuisset, in atrum denuo colorem, idque paulatim, semetipsa vertebat: ante centesimum annum idola coluerat, postea factus Mahumetanus. Is propter miraculi novitatem stipendiis Sultani ali solitus, idem vitæ subsidium ab Nonnio petiit, et facile impetravit: hæc ille. Credet qui volet: fidem penitus abrogare fideli historico non velim, sed filius eius tantum nonagenarius me nonnihil commovet: licet sciam Noemum tempore diluvii fuisse natum annos sexcentos,
Macrobii. et Sem tantum annos centum. Quidquid sit de illo Indo et mutatione coloris in eius pilis, et dentium post eorum iacturam exortu: Anacreon certe Arganthonio regi Tartessiorum tribuit annos centum quinquaginta, Cyniræ Cypriorum decem amplius, Ægimio ducentos, Theopompus Epimenidi Gnosio centum quinquaginta septem, Hellanicus quosdam in Ætolia Epiorum gentis ducentos explere. Cui adstipulatur Damastes, memorans Pietoreum ex iis præcipuum corpore viribusque etiam trecentos vixisse. Ephorus Arcadum reges trecentis annis. Alexander Cornelius, Dandonem quemdam in Illyrico quingentis vixisse. Xenophon in Periplo, maritimorum regem sexcentis: atque, sicut loquitur Plinius lib. 7. cap. 48. ut parce mentitus, filium eius octingentis: quæ omnia temporum inscitia dicit accidisse. Annum enim alii æstate unum determinabant, et alterum hyeme: alii quadripartitis temporibus, sic Arcades, quorum anni trimestres fuere: quidam lunæ senio, ut Ægyptii: itaque apud eos aliqui et singula millia annorum vixisse produntur. Diodorus Siculus lib. 2. pag. 139. In Taprobana, inquit, insula longissimæ sunt ætatis, ut qui ad centum et quinquaginta annos sine morbo perveniant. Isigonus tradit Cyrnos Indorum gentem annis centenis quadragenis vivere. Idem arbitratur de Æthiopibus Macrobiis et Seribus, atque incolis montis Atho. Onesicritus docet, quibus in locis Indiæ umbræ non sunt, corpora hominum cubitorum quinum et binorum palmorum existere, et vivere annos 130. nec senescere, sed ut medio ævo mori. Crates Pergamenus Indos, qui centenos annos excedant, Gymnetas appellat, non pauci Macrobios. Ctesias gentem ex his quæ appellantur Pandoræ, in convallibus sitam, annos ducentos vivere, in iuventa candido capillo. qui in senectute nigrescat.

Quid in his credendum, quid reiiciendum sit, non satis constat, sed Plinius lib. 7. cap. 48. sic ait: Arganthonium Gaditanum octoginta annis regnasse prope certum est, putant quadragesimo cepisse: Masinissam sexaginta annis regnasse indubitatum est. Gorgiam Siculum centum et octo vixisse. Q. Fabius Maximus 63. annis augur fuit. M. Perpenna, et nuper L. Volusius Saturninus, omnium quos in Consulatu sententiam rogaverant, superstites fuere. Perpenna septem reliquit ex iis, quos Censor legerat, vixit annos 98. M. Valerius Corvinus centum annos implevit, cuius inter primum et sextum consulatum 46. anni fuere. Idem sella curuli semel ac vicies sedit, quoties nemo alius. Æquavit eius vitæ spatium Metellus Pontifex. Avity docet etiam hac ætate Svecos multos vivere annis 130. Andreas du Chesne in hist. Angliæ lib. 1. tradit ex Polydoro Virgilio, in Anglia multos ad 100. et 110. imo 120. annos pertingere, ob salubrem cæli temperiem. Mutianus antiquus auctor ait, in Tmoli montis cacumine, quod vocant Tempsin, quosdam centum quinquaginta annis vixisse: totidem annos censum Claudii Cæsaris censura T. Fullonium Bononiensem.

Ex fœminis Livia Rutilii 97. annos excessit. Statilia Claudio principe ex nobili domo nonaginta novem. Terentia Ciceronis centum et tres. Clodia Ofilii 115. Hæc quidem etiam enixa quindecies.

52. Quis vitæ humanæ terminus?

Quæres, quisnam sit vitæ humanæ ordinarius terminus? Artemidorus ait, in Calingis Indiæ gente quinquennes concipere fœminas, octavum vero annum vitæ non excedere. Agatharcides docet gentem Indorum. iunctam Macrobiis, quadragenos non excedere annos, eorum fœminas semel parere. Diodorus Siculus lib. 3. pag. 163. dicit, Æthiopes Acridophagos non vivere ultra annos quadraginta, et a pediculis alatis corrodi, et sic interire. S. Gregorius Naz. orat. 19. humanæ vitæ mensuram annis quadraginta quinque definit: quod scilicet post hos annos homo deficere incipiat. Nam homo ab exortu ad annos quatuor est infans: ad decem puer: adolescens, ab his ad viginti quinque: florens a 25. ad triginta quinque: hinc ad 45. crudus senex: ab istis ad quinquaginta quinque, senex: ex hoc termino ad 65. deinceps, decrepitus senex.

Secundo, Solon apud Laertium lib. 1. terminum vitæ nostræ præfigit septuaginta annorum David noster idem dicit in Ps. nostr. Illud fuit spatium captivitatis Babylonicæ, quæ fuit typus captivitatis humanæ in his terris. Lev. 25. 3. dicitur: *Sex annis seres agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus eius.* Septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini. Agrum non seres, et vineam non putabis. Symbolice hæc ad annos vitæ nostræ aptari possunt.

Tertio, Herodotus lib. 1. perfectissimum annorum spatium præfigit octoginta, sicut hic etiam David noster. Censorinus ait Staseam Peripateticum ad Solonis determinationem addidisse duas hebdomadas, id est annos quatuordecim: ita ut vita nostra octoginta quatuor annis perficiatur: et, si hunc terminum transilierit, perinde fecerit, ac stadiodromi quadrigæque, cum procurrunt extra finem. Hi sunt circuli araneæ, de qua Pineda noster in cap. 27. Iobi, v. 18. recitatis Psalmi nostri verbis, ait: Quibus verbis eruditi quidam respici existimant ad quarumdam aranearum naturam, quæ nectunt suas telas in quatuor circulorum quasi sectiones, quarum quælibet sectio viginti item sectiunculas alias, et fila viginti contineat, ut inspicienti curiosius constare poterit. Octoginta igitur circulis aut sectionibus constat tela tota, si plura fila astruat aut neat, incommoda fit prædando et capiendo animalcula; avolat enim præda propter maius spatium, et discurrendi laborem ex telæ centro ac latebris. Noster Ludovicus Crucius in sua Psalmorum paraphrasi egregie versum hunc, quem evolvimus, expressit in hunc modum:

Nos fila molles sicut aranei
Denos in annos tendere septies
Speremus, ante mors obunca
Falce rapax, nisi solvit orsa.
Denos in annos firmior octies
Procurrat ætas: hic labor, hic dolor
Maior. Volandum quippe tandem,
Ceu volucres habeamus alas.
Quis deinde novit crimina puniet
Ut iusta fragris ira sonantibus?
Pro more culparum severas
Iustitia repetente pœnas.

Quarto denique, Iurisconsulti DD. de usufruct. lege, Si ususfruct. definiunt centum annis ætatem hominis, quod scilicet aliqui licet pauci, ad tempus illud vitam progent. Et quidem Eccli. 18. 8. habetur: *Numerus dierum hominum ut multum, centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt: et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. Propter hoc patiens est Deus in illis, et effundit super eos misericordiam.* Trebellius Pollio in Claudio prodit doctissimos mathematicos assignasse summam ætatem 120. annorum. Epigenes ex siderali scientia coniecturas trahens, negavit annos centum viginti duos impleri posse: Berosus vero nequidem 117. excedi. Sed decepti sunt, nisi loquantur de ætate ordinaria suorum temporum. Nam variis temporibus variam fuisse vitæ humanæ longitudinem certum est.

Hinc collige, cum vita nostra ordinarie sit tam brevis, mature nobis esse consulendum. Seneca lib. de brevitate vitæ, cap. 4. *Quam serum est*, ait, *tunc vivere incipere*, *cum desinendum est? Quæ tam stulta mortalitatis oblivio,* 53. Mature nobis est consulendum.

in quinquagesimum et sexagesimum annum differre sua consilia: et inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt? Et epist. 77. Quomodo fabula, sic vita: non quam diu, sed quam bene acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas: quocumque voles, desine: tantum bonam clausulam impone: hæc illi. Multi similes volunt esse illi arbori, quæ teste Theophrasto, in Ægypto fructum nullum fert ante centum annos. In senectutem omnia bona proposita reiiciunt. Florere volunt, non fructum ferre. Imitemur ficum, quæ nunquam floret, fructus vero fert dulcissimos. Multi vitam suam in ludis et nugis etiam senes conterunt, similes Lucciæ mimæ, quæ centum annis in scena fabulas egit: et Galeriæ Copiolæ Emboliariæ, quæ reducta est in scenam Cn. Pompeio, Q. Sulpitio Coss. ludis pro salute Divi Augusti votivis, annum centesimum quartum agens. Turpe tamen est senem repuerascere. Multi vitam bestialem vivunt etiam senes. Elephas ducentos ac trecentos annos vivit, ut ait Ælianus lib. 1. histor. anim. cap. 44. Cornici novem nostras attribuit ætates Hesiodus, quadruplum eius cervis, id triplicatum corvis. Et reliqua fabulosius in phœnice ac nymphis, ut docet Plinius lib. 7. cap. 48. Tota tamen hæc vita in elephante, cornice, cervis, corvis et phœnice (si quis est) non desinit esse vita bestiarum, etiam in senectute.

Arbor non ferens fructum ante centum annos.

54. Nota, vita hæc repleta est innumeris miseriis. Iacob Patriarcha dicebat Pharaoni Gen. 47. 9. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali.* Electra apud Euripidem in Oreste, v. 1. dicit: Nulla est oratio de dicendo atrox: neque calamitas, neque afflictio divinitus veniens, cuius pondus non sustineat genus humanum. Plutarchus de consolatione ad Apollonium pag. 115. Plurimi, inquit, sapientes viri, non nunc primum, sed pridem deploraverunt res humanas, τιμωρίαν ἡγούμενοι τὸν βίον, supplicium iudicantes hanc vitam, et συμφορὰν μεγίστην, summam calamitatem existimantes, nasci hominem. Posidippus lib. 1. antholog. Græcæ, cap. 13. fol. 502. Iuventus, ait, stolida est, senectus rursus infirma. Esset igitur duorum unius electio, aut nasci nunquam, aut mori statim ubi quis natus est. Idiota negat, hanc vitam esse vitam dicendam, sed mortem potius esse appellandam. Sic enim loquitur lib. de vera patientia: *Tanta est tribulatio huius miseræ vitæ, ut nec vita sit dicenda, sed potius mors, vel quidpiam aliud morte deterius, cum vix aliquis pertranseat sine tribulatione vel unicum diem.*

Vita nostra est miserrima.

55. Etiam in ipsis vitæ deliciis labor est. S. August. lib. 50. homiliar. 38. sic ait: *Manducans reficeris; si plus manduces, plus deficis. Sitiens bibis, et reficeris: si plus bibis, suffocaris: lassus es, sedere vis: sede perpetuo, vide si non lassaberis. Qualis ergo est ista corporis salus. Transitoria, fragilis, peritura, vana*: ita Augustinus. S. Basilius comparat vitam hanc aquæ turbidæ. Sic enim ait in epistola ad Chilonem, tom. 2. pag. 741. Sicut exiguum quid limpidæ et illimis aquæ, si aspirantium ventorum fragosis procellis agitetur ac permisceatur pulvere, utique addensata nativam et illimem suam puritatem perdit: itidem et bona hæc qualiacumque, quæ tantisper dum vivimus, exequi nos arbitramur, obruuntur numerosa multitudine malorum: ita Basilius. Herodotus lib. 4. agens de Amaxampeo fonte: Adeo, inquit, amarus est, ut cum sit exiguus magnitudine, tamen inficiat Hypanim flumen in paucis magnum. Quid igitur faciet in hac vita innumera malorum multitudo in parvis bonis?

In ipsis vitæ deliciis labor est.

Nota secundo, senectus præsertim maximis doloribus 56.
plena est. S. Greg. Nyss. tract. 1. in Ps. cap. 7. Labor, inquit, est infantia: labor, iuventus: ætas, quæ inter hæc media, magis adhuc laboribus conflictatur: senectus ipsa, canitie et rugis copiam et abundantiam laboris egregie testatur. Tullius lib. de senectute, vocat ipsam senectutem, Ætna gravius onus. Aristotel. ingeniose lib. 4. de generation. animal. ait: *Morbum esse adventitiam senectutem, senectutem vero, νόσον φυσικήν, morbum naturalem.* Hinc fiebat, ut plerique ethnici senectutis incommoda vitaturi voluntaria morte interirent, ubi vires deficere sentirent. Diodorus Siculus lib. 3. bibliothec. p. 166. inter Troglodytas, ait, qui per senium non possunt greges assequi, gutture bovis caudæ illigato, ineluctanter sibi vitam præcludunt. Quod si quis id non faciat, cum velut amicitia incitante monitum, innexo laqueo, qui vult occidit. Et lib. 2. tradit, in Taprobana insula lege statutum esse, ut ad certum annorum numerum vivant, quo expleto decedunt sua sponte insolenti mortis genere.

Senectus est plena doloribus.

Hinc conclude cum Ecclesiaste, mature tibi providendum esse, priusquam his malis obruaris senectutis. Sic enim cap. 12. 1. *Memento creatoris tui in diebus iuventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent dies, de quibus dicas: Non mihi placent; antequam tenebrescat sol, et lumen, et lunæ et stellæ, et revertantur nubes post pluviam. Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea, et conteratur hydria super fontem, et conteratur rota super cisternam, et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas.*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

57. *Duo continet. Primo, Dei mansuetudinem in fine vitæ, v. 12. Secundo, misericordiam in vitæ decursu, v. 16.*

PARAPHRASIS.

12. *Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.*

12. Quia tu Domine Deus miseros licet, ac brevissimæ vitæ homuncioncs mansuetudine et benignitate paterna foves: et quia hac pietate excitati a iuventutis peccatis emendare nos cupimus, antequam dies iudicii terribilis veniat.

13. *Quis novit potestatem iræ tuæ: et præ timore tuo iram tuam dinumerare?*

13. Quis enim est, qui furoris tui in sceleratos exercendi vim possit mente concipere, aut sacro timore tuo satis edoctus illam voce eloqui ac percensere?

14. *Dexteram tuam sic notam fac: et eruditos corde in sapientia.*

14. Quoniam, inquam, mansuetus erga nos semper extitisti: nunc vel maxime benignitatis illius tuæ potentiam exere, et nobis manifesta: et caligantes oculos sapientia tua illustra.

15. *Convertere Domine, usquequo? et deprecabilis esto super servos tuos.*

15. Vultum ad nos paternum, manumque opitulatricem converte: cur tamdiu velut aversus cum tot senectutis incommodis luctari nos pateris? exorabilem te servis tuis præbe.

16. *Repleti sumus mane misericordia tua: et exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.*

16. In primo pueritiæ et adolescentiæ crepusculo nobis lucem ardoremque tua semper misericordia exhibuit: quibus excitati recreatique totum vitæ cursum læti decurrimus, novis in dies radiis illustrati.

17. *Lætati sumus pro die-*

17. Si quando densa se nubes splendori tuo obiecit, et a te afflicti sumus, lætitiam

bus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala. | tamen non amisimus in tuo amore stabilitam: ipsasque senectutis molestias læti et alacres propter te pertulimus.

18. *Respice in servos tuos, et in opera tua: et dirige filios eorum.* | 18. Nunc metam pene tenentes novis splendoribus amici vultus tui illustra, cum simus opera manuum tuarum per te in terra creati, per te in cælo collocandi: atque ubi e vita excesserimus, filios nostros ac nepotes in tutelam tuam suscipe.

19. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, et opera manuum nostrarum dirige super nos: et opus manuum nostrarum dirige.* | 19. Radii cælestes a te Domino Deo nostro demissi viam nobis certam securamque aperiant: nosque luce prævia sic dirige, ut non aberremus, sed opera nostra omnia recto cursu ferantur: ac præcipue curam salutis, quæ unicum est necessarium et præcipuum opus, dirige et ordina.

QUÆSTIO UNICA.

Quam potens, et quam magna Dei mansuetudo et misericordia erga servos suos.

58. Ordo Sectionis. Prima sectione David dixit, Deum esse desideriorum suorum metam, arcemque tutissimam, in qua securus in æternum conquiescat: miseriam vero humanam, ob propriam corruptibilitatem, morti esse obnoxiam, et ob peccata quotidiana variis pœnis subditam. Nunc Deum orat, sibi ut in tanta necessitate succurrat, eiusque mansuetudinem et misericordiam prædicat et implorat.

Primo quidem, mansuetudinem, quæ avertat a vita mala, v. 12. *Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.* Et iram Dei continet, v. 13. *Quis novit potestatem iræ tuæ: et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Petit vero a Deo mansueto opem. Primo, ut dexteram porrigat ad arcis culmen contendenti, v. 14. *Dexteram tuam sic notam fac.* Secundo, sapientiam cælestem infundat: *Et eruditos corde in sapientia,* supple, notos fac. Tertio, vultum suum convertat, ut laborantes animet, v. 15. *Convertere Domine: usquequo?* Quarto, aures aperiat servorum suorum precibus: *Et deprecabilis esto super servos tuos.*

Secundo, misericordiam declarat, qua homo repletur Dei donis ab initio vitæ, v.16. *Repleti sumus mane misericordia tua.* Et exultat in prosperis, quæ in vitæ decursu accidunt: *Et exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.* Atque in adversis, in tempore præsertim senectutis, v. 17. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala.*

Denique, orat Deum illum misericordem, ut oculis servos suos respiciat, cum sint opera manuum eius, v.18. *Respice in servos tuos, et in opera tua.* Secundo, voce dirigat eorum filios ac nepotes: *Et dirige filios eorum.* Tertio, vultu ipsos illuminet, v.19. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos.* Quarto, manu dirigat opera eorum: *Et opera manuum nostrarum dirige super nos: et opus manuum nostrarum dirige.*

ARTICULUS I.

Mansuetudo Dei et hominum efficax est ad morum correctionem.

59. Vers. 12 et 13. Versiones variæ. Post expositam vitæ brevitatem, quæ 70. aut ad summum 80. annis terminatur, ostendit causam illius brevitatis esse iustam Dei iram, quæ humanum genus punit et affligit, v. 12. Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur. V.13. Quis novit, etc. Hebraica nunc aliter habent: unde S. Hier. primo vertit: *Quoniam transibimus cito, et avolabimus.* Similes sumus avibus sub initium hyemis mare transeuntibus, quæ nullo in loco conquiescere possunt, sed in continuo volatus labore perdurant, donec ad oppositum littus veniant. Hinc tempus alatum pingebant veteres, et diebus, horis, annis alas appingere possumus. Chald. reddit: *Quoniam transierunt velociter, et volant in pulverem.* Aves mare transeunt, ut frigus, pluvias et lutum hyemis vitent, ac veris delicias et æstatis fructus in alia regione calida reperiant; nos a flore iuventutis volamus ad senectutis frigus, et ad pulverem mortis. Secundo, Ricardus Cenomanus vertit: *Vellus festinavit, et avolabimus:* per vellus autem intelligit mansuetudinem, ob eius mollitiem.

A Quæres, quid per mansuetudinem hic intelligat? Primo, Bellarm. suavitatem morum in senibus. Ex ærumna senectutis, inquit, hoc boni consequitur, ut deposita superbia et fastu iuvenili humiliemur, et mansuescamus, conscii propriæ infirmitatis et miseriæ, et corripiamur: id est erudiamur ad subiectionem sub potenti manu Dei: hæc ille. 60. Senex fit mansuetus.

Secundo et melius, mansuetudo Dei ac benignitas in ipsa correptione accipienda est, q. d. Hinc nobis tanta vitæ nostræ brevitas, et cum brevitate afflictio obtingit, quoniam venit super nos mansueta tua castigatio, eaque a te corripimur pro delictis nostris, ut hac correptione præsenti erudiamur, ad intelligendum et fugiendum venturam tuam in novissimo sæculo iram: ita Iansenius. Turtures fructum iridis sibi pro amuleto sumunt, ut ait Ælian. lib. 1. cap. 35. Vir iustus divina se mansuetudine securum censet, licet misceatur iustitiæ. Utramque Dei virtutem notant colores iridis, id est arcus cælestis, qui positus est in signum fœderis inter Deum et homines. Genes. 9. 13. *Arcum meum ponam in nubibus,* in ipsis afflictionibus et B caligine, *et erit signum fœderis inter me et inter terram.* S. Gregorius Nyssen. tract. 1. in Psalmos vim divinæ benignitatis prædicat in hunc modum: Corripit nos et erudit magis salus quam revertendo acquirimus, quam suppliciam peccatis inflictum: hæc ipse. *Non in commotione Dominus, non in igne Dominus, sed in spiritu auræ tenuis,* 3. Reg. 19. 11. *Virga tua, ait illi David, et baculus tuus ipsa me consolata sunt,* Psal. 22. 4. Tangit enim manu paterna, et amante, ut sanet. Eliphaz Themanites, id est, rex Theman regionis in Idumæa, ait Iobo afflicto amico suo, Iob 5. 15. *Beatus homo, qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes. Quia ipse vulnerat, et medetur: percutit, et manus eius sanabunt. In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* 61. Deus benigne corrigit.

Nota, efficacior est sæpe mansuetudo, quam rigor, et levi declinatione id sine periculo fit, quod cum impetu non ita facile perfeceris. Athenæus lib. 3. pag. 94. In magno, inquit, versantur periculo, qui margaritas venantur, cum C in hiantem concham recta manum indiderint: illa enim tam compressa digitos abscindit, quibusdam eo cruciatu statim morientibus: at si quis a latere conchæ manum subiiciat, avellitur facile a saxo. Hæc Athenæus: vel obstinatissimos, et rupi hærentes, benignitas Deo lucratur et nobis. Roboamo filio Salomonis regi Iuda dicebant sapientes consiliarii, 3. Reg. 12. 7. *Si hodie obedieris populo huic, et servieris, et petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus.* Sed secutus consilium iuniorum severius populo respondit, ideo se ab eo diviserunt decem tribus Israel, nunquam postea regno Iudæ uniendæ. Iustinianus Genuensis historiographus l. 6. refert ingeniosum Francisci Marcionis factum, quo denotavit ocymi herbæ symbolo nimiam severitatem esse perniciosam. Cum enim legatus missus esset a Republica Genuensi ad ducem Mediolanensem; isque nec eum vellet dimittere, nec stare pactis conventis cum Genuensibus, captata occasione eidem duci manipulum herbæ ocymi obtulit: cum admirabundus causam insoliti muneris D postulasset, respondit: Eam esse illius plantæ naturam, ut leniter et suaviter contrectata gratum odorem spiraret: nimis autem duriter compressa et attrita, non solum omnem suavitatem deperderet, sed etiam ineunte tempore scorpios generaret, habere autem se ingenia Genuensium 62. Mansuetudo est efficacior quam rigor. Margaritarum piscatio. Ingeniosum legati Genuensis factum.

eodem plane modo. Ingenioso responso dux delectatus, et legatum honorifice dimisit, et sententiam severiorem mutavit. Christus nos monet Matth. 11. 29. *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde.* S. Paulus Galat. 6. 1. ait: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris.* S. Gregor. 23. Moral. 14. considerationem sui in correctione vitiorum alienorum sic inculcat: Consideremus, inquit, quia aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus, aut tales aliquando fuimus. At si, divina gratia operante, iam tales non sumus, ut tanto temperantius corde humili alios corrigamus, quanto nosmetipsos in ipsis quos corrigimus, agnoscimus. Si autem tales, nec sumus, nec aliquando fuimus, quales illi adhuc sunt, quos emendare curamus: ne cor nostrum superbiat, et forte de ipsa innocentia prius ruat, quorum mala corrigimus, alia ipsorum bona ante oculos nostros revocemus. Quæ si omnino nulla sunt ad occulta Dei iudicia recurramus. Quia sicut nos nullis nostris meritis hoc ipsum bonum quod habemus, accepimus: ita illos quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, ut excitati posterius etiam ipsa possint, quæ nos non accepimus, dona prævenire. Quis enim credidisset, quod per Apostolatus meritum Saulus lapidatum Stephanum esset præcessurus, qui in morte eius lapidantium vestimenta servabat? Hæc Gregorius, qui etiam ad rem nostram aptissime dicit, lib. 26. cap. 28. in illud Iobi cap. 36. 18. *Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas.* Verba eius sunt: *Omnis, per quem necesse est aliena vitia corrigi, semetipsum prius debet solerter intueri: ne dum aliorum culpas ulciscitur, ipse ulciscendi furore superetur. Plerumque enim mentem sub obtentu iustitiæ, iræ immanitas vastat, et dum quasi sævit zelo rectitudinis, rabiem explet furoris: iusteque se facere æstimat, quidquid ira nequiter dictat. Unde et modum sæpe ulciscendi transgreditur: quia mensura iustitiæ non frænatur. Dignum quippe est, ut cum aliena corrigimus, prius nostra metiamur, ut prius mens a sua accensione deferveat, prius intra semetipsam zeli sui impetum tranquilla æquitate componat: ne si ad animadvertenda vitia abrupto furore trahimur, peccatum corrigendo peccemus: et qui culpam diiudicando insequimur, immoderate feriendo sæviamus. Non autem iam correctio delinquentis, sed magis oppressio sequitur, si in ultione ira ultra quam culpa meretur, extenditur:* ita Gregorius. Ingeniose S. Gregor. Nazian. dicit, irascendum esse contra ipsam iram, quam dæmonem vocat. Sic enim ait tom. 2. carm. iambico 21. Irascor iræ, συνοίκῳ δαίμονι, *dæmoni intus condito;* nam iusta sola hæc bilis est ex omnibus: hæc ipse.

ARTICULUS II.

Iustitia Dei sceleratos exterret, et iustos ipsos.

Non ita mansuetus est Deus, quin sit etiam severissi-
63. mus, cum res, tempus, et personæ postulant. Unde ad-
Vers. 13. ditur, vers. 13. Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo (Hebr. secundum timorem tuum. Psalt. Æthiopicum et Arabicum habent, præ timore iræ tuæ) iram tuam dinumerare. Syr. clare: Quis noscit vim iræ tuæ, et terrorem indignationis tuæ? Est tonitru reboans, et homines terrefaciens. Iob 26. 14. *Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Cafres ab Arabibus incitati castellum Lusitanorum tentabant invadere: sed ferrea procella prostratis multis alii fugerunt in Arabes indignabundi, quod eum ipsis diis se in bellum gerendum ducerent, ut ait Maffæus lib. 3. pag. 75. Vir ille sanctissimus Iob ita Deum iratum timebat, ut diceret cap. 31. 23. *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus eius ferre non potui.* S. Gregor. Naz. orat. 12. pag. 203. Nihil, ait, ex omnibus ita timendum est, ut præ Deo aliud quidpiam timeatur. (Deus solus timendus est.) Theopompus Chius lib. 38. historiæ suæ scribit, Clearchum Heracleotarum, qui in Ponto sunt, tyrannum per vim necavisse multos palam, et quampluri-mos potu cicutæ per insidias e medio sustulisse: cum vero mos ille innotuisset, priusquam ex ædibus egrederentur, esu rutæ sibi cavisse, cuius præsidio nihil læduntur, qui vel aconitum biberint. Mundus, caro, et diabolus totos dies in cicuta atque venenis propinandis insumunt, sed in matutina oratione divinorum iudiciorum amaritudinem mente versemus, et in æternum non peccabimus, sed illæsi pericula evademus. Antoninus Episcop. Constantiniensis epist. ad Arcadium a Genserico rege Vandalorum actum in exilium, sic ait: *Fremit diabolus, gaudet Christus. Roga, plora, posce auxilium, et mox accipies in mente solatium. Time pœnas æternas, ubi semper ardetur, ubi semper in tenebris et corpus et anima cruciatur, ubi cum diabolo anima et corpus in æternum exuritur. Gehennas expavesce, et Christum modo tene. Modo est ut aut vivas, aut pereas. Nemo te recuperabit, si in ista pugna defeceris:* hæc ille Antoninus. Ignis divinæ vindictæ animam sanctam fœcundat, et floridam ac vernantem facit. Achilles Tatius lib. 2. ex Sostrato Byzantino refert, lucum fuisse Byzantii, in eoque olivam, quam mirabili prodigio imber igneus fœcundarit. Pausanias item in Atticis memorat, olivam Minervæ, incensa urbe Atheniensi a Persis, conflagrasse: et eodem die in duorum cubitorum proceritatem germinasse.

Quæres, quænam sit potestas iræ Dei? Primo, Ugo Card. 64.
ait esse ipsam misericordiam Dei, quæ est potestas iræ (Potestas iræ Dei.) Dei, quia præest ei quasi maior. Ps. 144. 9. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Iacobi 2. 13. *Superexaltat misericordia iudicium.* Unde Bern. Maior est Christi pietas, quam quævis iniquitas.

Secundo et melius, potestas iræ Dei est eius vis et efficacitas tanta, ut illi nemo possit resistere, nemo illam ferre, nemo illam explicare. Hoc sancti omnes profitentur. Primo, Iob cap. 9. 13. *Deus, cuius iræ resistere nemo potest, et sub quo curvantur qui portant orbem.* Et cap. 26. 11. *Columnæ cæli contremiscunt, et pavent ad nutum eius.* Secundo, Is. cap. 10. 3. *Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis, ad cuius confugietis auxilium? et ubi derelinquetis gloriam vestram? ne incurvemini sub vinculo, et cum interfectis cadatis. Super omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.* Tertio, Ioel. 2. 11. *Magnus dies Domini, et terribilis valde: et quis sustinebit eum?* Quarto, Sophon. 1. 14. *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est, velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.* Famoso terræ motu centum Libyæ urbes corruerunt, ut ait S. August. lib. 2. de mirabil. sacræ Scripturæ, cap. 3. et in terræ motu Dominicæ passionis, in Thracia undecim subversæ sunt. Sed in die iudicii tota terra concutietur. Soph. 3. 8. *Effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra.* Miramur factum Clotarii regis Franciæ, qui teste (Clotarii severitas.) S. Gregor. Turon. libr. 4. hist. Franciæ, pag. 444. cum filium rebellem Chramnum in acie superasset, captum iussit cum uxore et liberis in tugurio cuiusdam pauperculæ comburi. Sed longe magis considerandum est, quod subiicit. Clotarius, ait, febre lethali correptus dicebat: *Vah, quid putatis? Qualis est ille rex cælestis, qui sic tam magnos reges interficit?* In hoc tædio positus spiritum exhalavit. Ita Gregorius, qui rem longe terribiliorem refert l. 8. pag. 483. Guntherannus, inquit, rex Franciæ dixit mihi: Vidi visionem, quæ Chilperici interitum declararet. (Chilperici punitio.) Adducebatur enim in conspectu meo a tribus Episcopis vinctus catenis, quorum unus Tetricus, alius Agricola, tertius vero Nicetius Lugdunensis erat, ex quibus dicebant duo: Solvite quæsumus eum, et castigatum abire permittite. Quibus e contrario cum amaritudine Tetricus Episcopus respondebat: Non fiet ita, sed igni concremabitur pro sceleribus suis. Et cum diu multumque, quasi altercantes, hæc inter se verba proferrent, conspicio eminus æneum, super ignem positum fervere vehementer. Tunc me flente, apprehensum infelicem Chilpericum confractis membris coniiciunt in æneum. Nec mora, inter undarum vapores

ita dissolutus ac liquefactus est, ut nullum ex eo penitus indicium remaneret: hæc ibi. Iure itaque regibus omnibus inclama illud Ps. 2. 10. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta.* Perditio illa impiorum, et ira Dei in eos figurata est in Amalecitarum terribili excidio, 1. Reg. 15. 2. ubi Samuel dicit Sauli regi: *Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli: quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa eius: non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum.* Hoc ita executioni mandari volebat Deus, ut Saulem perfecte non obtemperantem, et servantem Agag, spolia pretiosa, ovesque, a throno et vita deiecerit. Nec alia ratio affertur cap. 27. 17. ab anima Samuelis illi apparente.

ARTICULUS III.

Sapientia a Deo data virum iustum illustrat.

65. Vers. 14. VERSU præcedenti petiit Propheta: *Quis novit potestatem iræ tuæ*, etc. Nunc ait, non posse id haberi sine Dei lumine, quod petit, v. 14. DEXTERAM TUAM SIC NOTAM FAC: ET ERUDITOS CORDE (supple, notos fac; 2. et melius, supple, fac nos) IN SAPIENTIA, id est, sapientia, seu per sapientiam, q. d. ait Iansenius: Tu Domine, temporali hac castigatione notam fac nobis potentiam iræ tuæ futuræ: et fac nos per sapientiam cælestem eruditos esse corde, ut ex præsenti tua ultione venturam iram intelligentes, eam effugere studeamus.

Versionum varietas. Nota, nunc Hebræa longe aliter habent: unde S. Hier. vertit: *Ut numerentur dies nostri, sic ostende: et veniemus corde sapienti.* Secundo, Pagninus: *Ut numeremus dies nostros, sic scire fac, et adducemus in cor sapientiam.* Tertio, Aquila, Symm. et V. editio: *Dies nostros sic ostende, ut veniamus corde sapienti.* Ubi adverte, meditationem mortis, et brevitatis vitæ nobis tribuere sapientiam. Est collyrium oculos terrenarum rerum aspectu fascinatos sanans. Dicebant veteres philosophiam esse meditationem mortis. Cum Deus Sauli regi in summis angustiis posito noluisset respondere, neque per somnium, neque per Ephod, respondit tandem per animam Samuelis prophetæ defuncti, 1. Reg. 28. 15. Nam responsum mortui mortisve plus habet momenti sæpissime, quam quodvis aliud, magisque cor erudit, et sapiens reddit. Propheta opus est, id est, bono et ardenti concionatore, qui nobis memoriam mortis inculcet. Chald. id declarat cum vertit: *Ad numerandos dies nostros quis diriget ut scire faciat? certe Propheta, cuius cor abundat sapientia.* Sic Gad propheta mittitur ad Davidem ei annuncians bellum, pestem, aut famem, ut ei in memoriam veniat misera vitæ conditio, 2. Reg. 24. Sic Isaias ad Ezechiam mittitur ei præsentem mortem nunciaturus, quam tamen evasit precibus et lacrymis, Is. 38.

66. Sapientia nihil illustrius. Moral. Sapientia nihil illustrius et optabilius. Est lux divina virum iustum circumdans, eumque alterum mundi solem constituens. Philo lib. de somniis, pag. 459. *Est*, inquit, *vir probus non suum tantum, sed etiam* κοινον αγαθον απασιν. *publicum bonum omnium*, prompte suam opem offerens. *Sicut enim sol omnibus lucet habentibus oculos, sic sapiens omnibus quotquot sunt ratione præditi.* Idem auctor adhuc angustius et magnificentius dicit, sapientem esse primum in toto orbe: *Revera*, inquit, πρωτος ο σοφος ανθρωπων γενους, *primus est sapiens in humano genere, sicut gubernator in navi, magistratus in civitate, Imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima. Rursus, cælum in mundo, in cælo Deus, qui delectatus viri fiducia, et ipse iureiurando fidem promissorum confirmat: non ut Deus hominem, sed ut amicus familiarem alloquens.* Et lib. de plantatione Noe, pag. 196. ait sapientiam esse τεχνην τεχνων, *artem artium.* Plato comparat sapientiam

A nummo aureo et argenteo, quo omnia ad vitam et ad gratiam Dei necessaria comparentur. Sic enim ait in Phædone, pag. 69. Sapientia, inquit, rectus et genuinus est nummus, cuius vice omnia hæc sunt commutanda: cuius gratia, et cum qua omnia vendantur et emantur revera: fortitudo et temperantia, et iustitia, omnis denique (ut rem paucis complectar) vera virtus cum sapientia existit: dum accedunt et decedunt voluptates, et timores, aliaque omnia huiusmodi: ita Plato. Arabes itaque sapienter in vulgari parœmia dicunt: Non est orphanus, cuius obiit pater; sed orphanus est, qui nec scientiam habet, nec eruditionem.

Secundo, sapientia non in aure solum, nec in ore collocanda est, sed præcipue in corde: id est, in mente, et in affectu: *Eruditos corde*, fac nos, *in sapientia*. Mercurius Trismegistus Pimandræ cap. 3. scientiam vocat divinum craterem. Et Philo lib. de migratione Abrahami pag. 344. ait sapientiam esse, αυλην και βασιλειον, *aulam regiam* omnipotentis, et omnibus imperantis regis. Non minus com- 67. Sapientia cor recreat.
B mode dixeris, cor iustorum esse sapientiæ sacrum craterem et divinum vas, in quod Deus sapientiæ fons inexhaustus se et sua dona effundat: item, cor iustorum esse aulam cælestem sapientiæ, in qua inambulet atque dominetur. Rovillius in historia plantarum meminit unius, quam veteres dixere Rorem solis, et Rorariam, quæ licet æstate torrida ardentissimis solis radiis sit obiecta, nunquam tamen folia ipsius, cava instar pusilli cochlearis, roscido quodam humore destitui ferunt, eorumque lanuginem admodum tenellam guttulis quibusdam pellucidis semper madere. Eccl. 1. 5. *Fons sapientiæ verbum Dei*, illi semper aures apertas et cor præbent viri sancti atque sapientes. Roraria.

Cum semel sapientia in cor tuum venerit, eam ibi retine et adstringe; sic eris compeditus corde in sapientia. S. August. in Psal. nostr. legit: *Et compeditos corde in sapientia;* et aliis in codicibus dicit reperiri, eruditos, tum addit: Cum illi erudiantur in sapientia, qui iniiciunt, sicut scriptum est, Eccl. 6. 25. *Pedem in compedes eius:*
C non utique pedem corporis, *sed pedem cordis*, et eius *velut aureis vinculis* alligati, a via Dei non exorbitant, nec fiunt ab illo fugitivi, quodlibet horum legatur, salva est sententia veritatis: ita Augustinus. Diversa lectio orta est, quod alii legerint πεπαιδευμενους, id est, eruditos: alii πεπεδημενους, hoc est, compeditos.

Sapientia oris sæpe infructuosa est. Similis est tiliæ arbori, quæ, ut ait Theophrastus lib. 1. cap. 20. habet calicem, et folia dulcia, fructus autem eius a nullo animali attingitur. Sapientia vero cordis affert fructum virtutum omnium. Iacob. 3. 17. *Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.*

Tertio denique, Dei est dare sapientiam. Iacobi 1. 5. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei.* Ioannes Seldenus I. C. tract. de successionibus in bona defuncti, seu de iure hæreditario ad leges Hebræorum, re-
D fert ante excidium Ierosolymitanum fuisse in illa urbe *collegia amplius quadringenta*, quorum singulis inerant binæ scholæ: altera, in qua lex scripta prælegebatur, seu בית ספר *beth sepher*, id est, bibliotheca, seu schola in qua libri legis scriptæ exponebantur: altera, quæ Misnaioth, seu traditiones, et בית תלמיד *beth thalmud*, id est, domus doctrinæ dicebatur. Unica in schola addiscitur vera sapientia. *Deus scientiarum Dominus est*, ut ait Anna mater Samuelis 1. Regum 2. 3. Rabbi Eleazar dicebat: Magna scientia est, quæ in duobus verbis exhibita est, ut ait textus, Deus scientiarum Dominus: sic ille in ea verba Annæ. Christus vocatur Dei sapientia, 1. Corinth. 1. 23. Spiritus sanctus dicitur docere omnem veritatem, Ioan. 16. 13. Omnia alia excutiamus ut in compedes divinæ illius sapientiæ nos immittamus. Hegesistratus Lacedæmone ferreis compedibus adstrictus dimidium pedem sibi præcidit, ut evaderet, quod illi feliciter successit, ait Herod. Ierosolymis 400. collegia. Hegesistratus sibi pedem resecat.

lib. 9. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et proiice abs te,* ut a sapientia divina in cælestis lucis domos duci te patiaris.

ARTICULUS IV.

Misericordia Dei viros iustos replet bonis, et gaudio.

68. Vers. 15. Luce divina postulata, ut videat potestatem dexteræ divinæ iram suam exerentis, et erudiatur cælesti sapientia, petit David a Deo auxilium in tribulatione, vers. 15. CONVERTERE DOMINE, USQUEQUO? (id est, aliquando, ait Bellarminus, qui non admittit virgulam interpungentem; 2. Chald. vertit, usquequo affliges nos; 3. suppleri potest, usquequo non converteris) ET DEPRECABILIS ESTO SUPER SERVOS TUOS.

Vers. 16. Effectum illius divinæ conversionis ad nos declarat: nempe, ut repleamur Dei misericordia et gaudio, v. 16. REPLETI SUMUS MANE MISERICORDIA TUA: ET EXULTAVIMUS, ET DELECTATI SUMUS OMNIBUS DIEBUS NOSTRIS.

Vers. 17. Vers. 17. LÆTATI SUMUS PRO DIEBUS, QUIBUS NOS HUMILIASTI: ANNIS, QUIBUS VIDIMUS MALA.

69. Deus animam replet atque satiat. Nota, pro *repleti sumus,* Hebr. est, שבענו *sabbehenu,* satura nos. Primo itaque, Deus replet nos; 1. intellectum lumine. Eccl. 39. 8. *Spiritu intelligentiæ replebit illum,* sapientem scilicet; 2. voluntatem bonis. Psal. 102. 5. *Qui replet in bonis desiderium tuum*; 3. totam animam et corpus Spiritu sancto. Actor. 2. 4. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Isaac effossum puteum, in quo esset aqua, vocavit Abundantiam, Genes. 26. 33. unde urbs illi vicina dicta est Bersabea, id est, puteus plenus. Talis puteus, seu fons, est Deus. Secundo, Deus eos satiat, quos replet. Chald. vertit: *Satura nos in mundo, qui similis est matutino, benignitate tua.* Psal. 16. 15. dicit David: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* In hac etiam vita satiat miseros. Psal. 106. 9. *Satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis.* Vide illum locum.

70. Deus replet nos sua misericordia in Eucharistia. Nota secundo, Deus replet et satiat nos misericordia sua. In Eucharistiæ mensa præsertim id accidit. Figurari hoc potest in Davide ad mensam suam regiam admittente Miphiboseth claudicantem utroque pede, 2. Reg. 9. 1. *Et dixit David: Putasne est aliquis qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Ionatham?* Cum a Siba didicisset, esse Miphibosethum filium ipsius Ionathæ, evocatum ad se donavit omnibus agris Saulis, et licet se canis instar mortui regio aspectu indignum iudicaret, ad regis mensam est admissus. Et additur, v. 13. *Miphiboseth habitabat in Ierusalem, quia de mensa regis iugiter vescebatur: et erat claudus utroque pede.* Non habitabis in Ierusalem, id est, in visione pacis, nisi vescaris de mensa Regis. Aristoteles, sive Theophrastus, ubi de Magnesiis ait, sic loquitur: Magnesii, qui ad Mæandrum flumen habitant Deo sacri, Delphorum coloni, peregrinis accedentibus, tectum, oleum, acetum, salem, lucernam, mensas, lectum, stragulas vestes suppeditant, ut Athenæus refert lib. 4. pag. 173. Christus vero dat seipsum, et quidem omnibus accedentibus. Phylarcus lib. 3. scribit, Ariamnem Gallum ditissimum, Gallis omnibus promisisse, futurum anno se toto convivatorem: idque præstitisse hac ratione et diligentia, opportunissimas vias tractuum regionis illius mansionibus divisit, et obsedit, atque in illis ex arundine, palis, et amerina salice tabernacula extruxit, quæ trecentos circiter viros caperent, vel etiam plures, quantum locus permitteret, ut commode ex oppidis et vicis concursura multitudo exciperetur: Illic ahena magna carnibus omnifariis plena statuit, quæ anno priusquam id esset futurum accitis artificibus ex variis oppidis, fabricanda curaverat: quotidie multas hostias immolavit, tauros, sues, oves, aliasque pecudes: multa vini dolia comparavit, et polentæ iam subactæ plurimum: eaque rerum copia frui voluit, non solum eos qui ex urbibus et pagis adventabant, sed prætereuntes externos homines, quos ei negotio præfecti servi non dimitterent, priusquam

Ariamnis Galli mira magnificentia.

A epularum essent participes. Christus non Gallos tantum, sed Germanos, Italos, Hispanos, omnesque homines ad cœnam suam magnam invitat et cogit: neque uno tantum anno, sed usque ad consummationem sæculi. Assueri convivium refertur factum, per centum et octoginta dies cunctis principibus Parsarum, et Medorum, ac præfectis provinciarum, quæ erant 127. et per septem dies toti populo, qui erat in Susan civitate, Esth. 1.

Deus præsertim replet et satiat bonis post hanc vitam. 71. Post vitam Deus replet bonis.
Psal. 16. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Usque adeo nonnulli studio pecuniæ insaniunt, sicut ait Chrysippus, ut proditum sit quemdam devoratis sub vitæ exitum non paucis aureis nummis obiisse: alterum autem, iusutis tunicæ, eam induisse, præcepisseque familiaribus ut eam inducrent, nec corpus pollinctura ungi, nec curari, aut cremari sinerent, ut refert Athenæus lib. 4. pag. 159. Si vis repleri divitiis, unias te Christo, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi,* Coloss. 2. 3.

B Nota tertio, Deus replet pios *mane* misericordia sua. Mane, id est, cito post petitionem; 2. mane, id est, in iuventute; 3. initio regni; 4. in resurrectione, ait Beda; 5. in die æternitatis, ubi erit perpetuum mane, et sol nunquam verget in occasum. 72. Mane variis modis sumitur.

Tropolog. Deus nos replet misericordia in oratione matutina. S. Hieron. vertit: *Imple nos matutina misericordia tua.* Arabs, visita nos in matutinis, ex misericordia tua. De manna dicitur, Exod. 16. 13. *Mane ros iacuit per circuitum castrorum.* Sap. 16. 28. dicitur, quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: *ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam; et ad orientem lucis te adorare.* Curtius lib. 6. meminit arboris cuiusdam, quæ in India frequens est, cuius folia melle tinguntur: sed nisi solis ortum occupaverint incolæ, vel modico tempore succus extinguitur. In epistola Alexandri Magni, quæ extat typis excusa post historiam Curtii ordinaria, legitur: In India esse arbores solis et lunæ appellatas, quæ primo sideris sui afflatu percussæ reddebant oracula. Quid fidei sit adhibendum illi epistolæ, alii viderint: nos initio vitæ, velut lucis: et in senectute, velut in nocte, Deum incessanter laudemus. Beniamin in suo itinerario modum refert adorandi solem orientem in regione Haaulan. Colitur, ait, ab his sol aris frequentibus et magnis, extra urbem per omnia loca ad dimidium milliare extructis. Summo itaque mane communiter excurritur, aditurque sol, cui in cunctis aris simulacra sunt sacrata ad similitudinem orbis solaris, magicis artibus constructa. Exoriente autem sole, orbes illi incendi videntur, magnoque strepitu sonant. Habent autem singuli singulas acerras in manibus, tam fœminæ, quam viri, omnesque pariter thura soli adolent. Hæc vita illorum stultitia ipsis: ita Beniamin. Sed verum solem institiæ adorare summa sapientia est. Vide dicta Ps. 5. 4. in illud: *Mane astabo tibi, et videbo.* Deum tamen omni hora venerare. Luc. 18. 1. *Oportet semper orare.* Plutarchus lib. de Iside et Osiride, agens

73. In oratione matutina Deus nos replet.

C Arbores solis et lunæ.

Solis adoratio.

D de Ægyptiis, ait: Quotidie soli ter adolent: resinam sub eius exortum, myrrham quando medium tenet æthera, circa occasum Cyphi appellatum.

Nota quarto, Deus servos suos gaudio complet: *Exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.* Ad lætitiam nos hortatur Sophonias propheta cap. 3. 14. Zachar. cap. 9. 9. S. Paulus Philip. 4. 4. In virtute vera reperitur lætitia, Eccl. 2. 9. *Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectationem veniet vobis misericordia.* Lia et Rachel in partu liberorum suorum lætantur, Gen. 30. et vir generosus in exercitio virtutum. Prov. 20. 29. *Exultatio iuvenum fortitudo eorum.* Hæc inter se convertuntur: fortitudo dat exultationem, et exultatio fortitudinem. Contra vero, ut ait S. Greg. Naz. orat. 12. λύπη δεσμὸς καρδίας, tristitia est cordis vinculum: ita ille. Currere volentem in virtutum scammate ac palæstra constringit, et retinet. Cor triste non immerito comparaveris cavernis Cimoli insulæ, de quibus Semus Delius lib. 2. Nesiadis: scribit enim in 74. Iustos Deus replet gaudio. Peccator semper est tristis.

insula illa, per æstatem frigidarias specus effodi, in quibus aquæ tepentis doliola reponunt, illam posthac haurientes nive non minus frigidam. Omnis ardor a Deo immissus in corde tristi, velut in antro, quod soli pervium non est, frigescit et congelatur. Aut si placet, cor triste compara antro Trophonii, quod omne gaudium et risum excludit. De eo idem Semus Delius lib. 5. Deliadis: Parmeniscus, ait, Metapontinus, primarius tum genere, tum opibus, eum in antrum Trophonii descendisset, reversus postea nunquam ridere potuit. Viso deinde Latonæ ligneo et deformi simulacro in risum solutus est, ac sanatus: hæc ipse. Iusto risum facit Deus, impii nisi de rebus ineptis non lætantur. Etiam in summa felicitate sceleratis non est sincera lætitia. Seneca de brevitate vitæ cap. 17. Maxima quæque bona, inquit, sollicita sunt: nec ulli fortunæ minus bene, quam optimæ creditur. Alia felicitate ad tuendam felicitatem opus est, et pro ipsis quæ successerunt votis, vota facienda sunt. Omne enim, quod fortuito evenit, instabile est: quo altius surrexit, vergit pronius in occasum. *Neminem porro casura delectant.* Miserrimam ergo necesse est, non tantum brevissimam vitam eorum esse, qui magno parant labore, quod maiore possideant: operose assequuntur quæ volunt, anxii tenent, quæ assecuti sunt: hæc Seneca.

Trophonii antrum.

75. Nota quinto, lætantur iusti in ipsis afflictionibus: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala.* Causæ lætandi in afflictione variæ afferri possunt. Primo, quod afflicti imitamur Christum, qui præcessit baiulans sibi crucem: unde S. Paulus afflictis Thessalonicensibus ait. 1. Epist. 1. 6. *Et vos imitatores nostri facti estis et Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti.* Imitemur granadillam florem, qui Christi patientis insignia mirabili prorsus naturæ artificio expressa in se habet. Hunc sic describit et laudat Caussinus noster lib. 10. parabolicæ historiæ:

In afflictione lætitia.

Granadill la Christi patientis habet insignia.

Ite procul blandi, Veneris ludibria flores,
Quos parit in risum luxuriosus ager.
Altius una suos tollit Granadilla dolores,
Et fert congesti pondera tota Dei.
Tortilis hic nodis, et adunco milite surgit,
Regis apex Domini, gloria mista malis.
Hic crux, hic clavi, Christi pretiosa supellex
Pauperis, hic rubris vulnera picta notis.
O dilecta Deo, cui cœlum nectare sudat,
Et vigil intactas Flora tuetur opes.
Quis tanta in parvo lusit miracula flore,
Nempe sua hic pinxit se Deus ipse manu.

76. Secundo, afflicti imitantur Apostolos, qui in ipsa tribulatione exultabant. Act. 5. 41. *Ibant gaudentes a conspectu concilii: quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* S. Iacobus Apostolus epist. suæ cap. 1. 2. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis.* De S. Paulo dicit S. Chrysostomus hom. 1. pag. 729. S. Paulus intuens tentationes, nivis instar, confertim diebus singulis decidentes, ως εν μεσω παραδεισω τρυφων, tamquam in medio paradiso exultans, et delicians gaudebat et gloriabatur.

In afflictione imitaris Apostolos.

Tertio, afflicti gaudere debent, quia imitantur Martyres. Concilium Sardicense in epist. ad Alexandrinos. Licet, inquit, vos adhuc affligere audeant, tribulatio vobis sit loco gaudii: hæ enim passiones, μερος ες̃ι μαρτυριου, *pars sunt martyrii.* Martyrum constantiam, et in patiendo alacritatem, quid referam? Una contentus ero Potamiæna, quæ cum esset ancilla viri libidinosi, ab eo tradita est iudici, ea conditione, ut si hactenus immota flecti posset ad obtemperandum eius cupiditati, nihil pateretur: sin minus, dirissime torqueretur. Cum variis cruciatibus afficeretur, επυργομαχει τη γνωμη, *tamquam turris firma et stabilis resistebat.* Tum lebetem magnum pice repletum illi præses obiici curavit, ut timore cederet. In fide et puritatis custodia constantem iussit barbarus exui, et in lebetem iniici. Illa vero exclamans ait: Per caput imperatoris, quem tu times, si statuisti sic me supplicio afficere, ne iusseris me exui: sed iube me paulatim in picem ferventem demitti, ut videas quantam mihi largitus est patientiam Christus quem tu ignoras. Quæ sic paulatim demissa, spatio trium horarum emisit spiritum, cum pix pervenisset ad eius collum.

Et Martyres.

S. Potamiæna castitas invicta.

Quarto, afflicti gaudere debent considerantes robur infractum ipsorum ethnicorum in tormentis. Mulieres in India marito mortuo acriter contendebant, ut cum eius cadavere comburerentur: et quæ hoc obtinebant, lætæ et ornatæ ad rogum properabant: aliæ tristes se subducebant. Ad bellum pene omnes nationes pergunt cum læto tubarum, tibiarum, et tympanorum sono. Athen. lib. 14. Fortissimi Lacedæmonii, ait, cum tibia sub signis sunt, Creteuses cum lyra, cum fistulis et tibiis Lydi, ut scribit Herodotus. Ex barbaris multi legatos ad hostes cum tibiis et cithara mittunt, ut eorum infestas mentes emolliant: hæc ipse. Alacritatem in sanguine pro patria fundendo declarant. Creteusibus pueris inter se pugnantibus tibiæ ac citharæ resonabant. Heraclides tract. de politiis: Pueri Creteusium, inquit, pugnant inter se ex legis statuto, calcibus et fustibus: cumque congrediuntur, sunt qui ipsis tibias acciunt, et citharam pulsant. Quis non rideat Sagarim Mariandynum, qui præ mollitie ad senectutem usque nutricis ore cibatus est, ne mandendo fatigaretur, ut ait Clearchus lib. 5. vitarum. Vita hominis certamen est, ut dicit S. Basilius Seleuciæ Episcopus, orat. 17. fol. 147. 77.

Pagani in afflictione constantes.

Sagaris mollities ridicula.

Quinto, afflicti gaudere debent, quia virtus crescit atque roboratur in tribulatione. S. Paulus 2. Corinth. 12. 9. ait: *Virtus in infirmitate perficitur.* In vitis Patrum insignis quidam senex lib. 3. discipulo suo infirmo dicebat: Non contristeris, fili, ex infirmitate vel plaga corporis tui: summa enim religio est, ut in infirmitate quis agat Deo gratias: *Si ferrum es, per ignem æruginem amittis: si vero aurum es, per ignem probatus a magnis ad maiora procedis:* hæc ibi. Pulegium hyeme floret, ait Tullius lib. 1. de divinatione: fœnum græcum quo peius tractatur, lætius provenit, ut ait Plinius lib. 18. Post noctem sol exurgit gratior et splendidior: ita mens Deo plena magis proficit ac lucet in afflictione. Rutilius id celebrat his versibus: 78.

Virtus in afflictione roboratur.

Adversis solemne tuis sperare secunda,
Exemplo cœli ditia damna subis.
Astrorum flammæ renovant occasibus ortus,
Lunam finiri cernis ut incipiat.

Sexto, afflicti gaudere debent, quia afflictis dat consolationem maiorem Deus. Psal. 93. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* De ea re ibi dicitur. Genes. 1. 2. *Spiritus Dei ferebatur super aquas,* id est, super tribulationes.

Septimo denique, afflicti gaudere debent, quia æterna lætitia eos manet. Christus dicit Apostolis, Ioannis 16. 20. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Et vers. 22. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* S. Bernardus serm. 68. in Cantica, hoc pie admodum et suaviter prædicat, ubi post allatum Psalmi nostri versiculum, ait: Hoc genus lætitiæ cæli nescierunt, nisi per Ecclesiæ filios: hoc nemo unquam lætatur, qui nunquam non lætatur. Opportune post tristitiam gaudium subit, post laborem quies, post naufragium portus. Placet cunctis securitas, sed ei magis qui timuit. Iucunda omnibus lux, sed evadenti de potestate tenebrarum iucundior. Transisse de morte ad vitam, vitæ gratiam duplicat. Pars mea hæc in cælesti convivio, et seorsum ab ipsis spiritibus beatis. Audeo dicere expertem meæ beatitudinis ipsam beatam vitam, nisi dignetur fateri, quod per charitatem ea in me fruitur, et per me. Aliquid sane videtur etiam perfectioni illi accessisse ex me, neque hoc parvum. Denique gaudent angeli ad pœnitentiam peccatoris. Quod si deliciæ angelorum lacrymæ meæ, quid deliciæ? Omne opus ipsorum laudare Deum, sed deest laudi, si desint qui dicant: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium:* hæc Bernardus. Toto die laborandum est, in fine diei fit cœna operariis. Veteres ultimo die mensis et anni offerebant cibos diis suis. Hoc tra- 79.

Afflictos manet lætitia æterna.

dit S. Hier. lib. 18. in Isaiam: Est, inquit, in cunctis urbibus, et maxime in Ægypto, et in Alexandria, idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni et mensis eorum, qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis, et poculum mulso mistum, vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auspicantes. Hoc autem faciebant et Israelitæ omnium simulacrorum portenta venerantes, et nequaquam altari victimas, sed huiuscemodi mensæ liba fundebant: ita Hieronymus. Deus in fine vitæ convivium suis servis apparat, et illis ministrat, ut ipse testatur Lucæ 12. In terris rosa habet spinas cum suavitate odoris, et virtus suavitatem cum dolore, sicut expressit Carolus rex Neapolitanus, et dux Calabriæ, qui in insignibus suis effingi curavit rupem serra scissam, in cuius cacumine est crux, in summa cruce rosa cum symbolo: *In patientia suavitas.* In cælis erit rosa sine spinis, sicut in terrestri paradiso, S. Basil. et S. Ambr. fuisse putaverunt.

Caroli regis Neapolitani insignia.

80. Psalmista noster in præcedenti versu dixerat: *Exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.* S. Augustinus ibi ait, dies nostros esse felicem æternitatem, dies terreni non sunt nostri, quia transeunt, et ex iis vix momentum unum possidemus. Verba eius sunt: Dies ille, ait, dies est sine fine. Simul sunt illi omnes dies, ideo satiant. Non succedentibus cedunt, ubi non est aliquid, quod non veniendo nondum sit, et veniendo iam non sit. Omnes simul sunt, quia unus est qui stat, et non transit: ipsa est æternitas. Hi sunt dies, de quibus dicitur Ps. 33. 13. *Quis est homo qui vult vitam, et diligit dies videre bonos?* Hi dies et in alio loco anni appellantur, ubi Deo dicitur. Ps. 101. 28. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Non enim anni sunt qui pro nihilo habentur: aut dies sunt, qui sicut umbra declinaverunt: sed dies sunt qui sunt, quorum numerum notum sibi fieri precabatur, qui dicebat Psal. 38. 5. *Notum fac mihi Domine finem meum:* quo perveniendo maneam, ut nihil ulterius iam requiram, et numerum dierum qui est: Utique qui est, non qui non est: quia dies isti, de quibus et illic consequenter dicit: *Ecce veteres posuisti dies meos,* non sunt: quia non stant, non manent, celerrima mutabilitate transcurrunt; nec una hora in eis invenitur, in qua ita simus, ut non alia pars eius transierit, alia ventura sit: nulla stet, ut non sit. Hæc Augustin. qui Epist. 56. ad Dioscorum, in cælo, ait, esse finem omnium desideriorum, et gaudium tranquillissimum. Eo fruendo, ait, quisque beatus est, propter quod cætera vult habere, cum illud iam non propter aliud, sed propter seipsum diligatur. Et ideo finis ibi dicitur: quia iam quo excurrat, et quo referatur, non invenitur. Ibi requies appetendi, ibi fruendi securitas, ibi tranquillissimum gaudium optimæ voluntatis: hæc ipse. Ibi est fons vitæ et gaudii. Icthyophagorum rex a Legatis Cambysis regis Persarum interrogatus de vita et victu, ait: pleros que ex suis ad centum et viginti annos pervenire, plerosque transcendere, cibum esse carnem coctam, potum, lac. Cum a Cambyse missi mirarentur, eos ad quemdam fontem duxit, in quo loti perinde atque oleo inuncti, violam olent. Eam aquam dicebant exploratores esse ita invalidam, ut nihil in ea innataret, ne lignum quidem, et ligno leviora, sed omnia pessum irent in profundum. Hæc aqua causa est, cur sint Macrobii: ita ille. De fonte vitæ habes Apocal. 21. 6. Quod autem tribulatio ad eam vitam et gloriam ducat, docet Idiota lib. de vera patientia: *Tribulatio,* inquit, *est via vitæ, via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni. Res est enim necessaria, tribulatio, quæ in gloriam vertitur: et tristitia, quæ in gaudium mutatur.*

Dies stabiles sunt tantum in cælo.

Fons vitæ conservans.

81. Hinc Sancti quamlibet afflictionem fortiter pertulerunt. Primo, in affinium iacturis. S. Gregorius Nazianz. orat. 10. pag. 168. agens de fratre suo Cæsario, a Iuliano Imperatore in exilium acto: Hanc, ait, victoriam magna illius manu, et sublimi purpura, et ingentis pretii diademate longe sublimiorem et excellentiorem esse censeo. Hac narratione magis efferor, quam si universum imperium cum eo partitus esset: ita Gregorius.

Sancti in afflictione fortes.

Secundo, in propria calamitate vir fortis stat inconcussus. Seneca Epist. 66. Quemadmodum, ait, minora lumina claritas solis obscurat: sic dolores, molestias, iniurias, virtus magnitudine sua elidit, atque opprimit; et quocumque effulsit, ibi quidquid sine illa apparet, extinguitur, nec magis portionem habent incommoda cum in virtutem inciderint, quam in mari nimbus: ita Seneca. Deus dicit Gen. 1. 6. *Fiat firmamentum in medio aquarum.* In firmamento stellæ lucent, inter medias afflictiones emicat virtus. S. Gregorius 26. Moral. Sanctorum mentes, ait, æternitatis præmia præstolantur, vires ex adversitatibus sumunt.

Tertio, infamiam vir fortis patienter tolerat, sciens ex illa sua afflictione lucem veritate cognita orituram maiorem. Ælianus lib. 14. de animalibus, cap. 27. Cynosbatus, ait, herba humilis nocte stellæ instar lucet, ac facile in conspectum venit, quæ de die difficile reperitur inter alias latens. In Brasilia arbor est, e cuius summis foliis præcisis ferro quoddam balsami genus defluit, ut ait Hieronymus Osorius de rebus Emmanuelis regis Portugalliæ, l. 2. p. 53. Balsami ipsius radix incisa suavissimum liquorem fundit, ut docet Theophrastus lib. 9. de hist. plantar. c. 6. Vir fortis inter acerrimos dolores, teterrimos carceres et cruces suaveolentiam virtutum effundit.

Cynosbatus herba de nocte lucens.

Quarto, morbos corporis alacriter tolerat vir fortis. Seneca Epist. 30. ad Lucilium de Basso sic loquitur gravissimis senectutis incommodis affecto: Bassus noster alacer animo est, hoc philosophia præstat: in quocumque corporis habitu fortem, in conspectu mortis hilarem lætumque, nec deficientem, quamvis deficiat: *Magnus gubernator, et scisso navigat velo:* etsi exarmavit, tamen reliquias navigii aptat ad cursum. Hæc Seneca, qui libro de tranquillitate animi sic loquitur: Nihil tam acerbum est, in quo non æquus animus solatium habeat. Et epist. 67. Non enim pati tormenta optabile est, sed pati fortiter.

Quinto denique, in gravissimis ærumnis, et inflictis vulneribus vir fortis lætatur. Memoratu dignissimum est S. Francisci cum fratre Leone de vera lætitia colloquium, quod refert Lucas Wadingus anno 1221. num. 31. pag. 266. Quamvis, ait, Fratres Minores in omni terra dent bonum exemplum magnæ sanctitatis et ædificationis, ibi tamen non est perfecta lætitia. 2. Et quamvis Frater Minor illuminet cæcos, etc. et quod maius est, quatriduanum resuscitet mortuum, ibi non est perfecta lætitia. 3. Etsi frater minor sciret omnium gentium linguas, et omnes scientias et scripturas, ita ut sciret prophetare, et revelare non solum futura, sed etiam conscientias aliorum, ibi non est perfecta lætitia. 4. Si Frater Minor loquatur lingua angelica, et sciat stellarum cursus, et virtutes herbarum, et sint revelati ei omnes thesauri terrarum, etsi cognoscat proprietates avium, piscium, animalium, hominum, radicum, lapidum, arborum et aquarum, ibi non est perfecta lætitia. 5. Etsi Frater Minor sciret tam solemniter prædicare quod converteret omnes infideles ad fidem, ibi non est perfecta lætitia. 6. Sed quando venimus ad locum S. Mariæ de Angelis sic balneati pluvia, et frigore congelati, luto etiam deturpati, et fame afflicti, et ad portam loci pulsabimus, et veniet portarius iratus dicens: Qui estis vos? Et dicemus: Sumus duo de fratribus vestris. Et ille diceret: Imo estis duo ribaldi, qui itis circumquaque per mundum, pauperum eleemosynas rapiendo, et non aperiret nobis, et faceret nos stare ad nivem et aquam in frigore et fame usque ad mortem: tunc si nos tot iniurias et repulsas sine turbatione et murmuratione toleraverimus patienter, et cogitaverimus humiliter et charitative quod ille portarius veraciter nos cognoscit, et Deus linguam eius movet, scribe quia ibi est perfecta lætitia. 7. Et si nos in pulsando perseveraverimus, et ille portarius exiens durissime nos excipiat alapis, dicens: Recedite hinc poltrones vilissimi, et ite ad hospitale: qui enim estis vos? hic penitus non manducabitis. Et si nos hæc patienter tulerimus, et iniuriati pepercerimus toto corde, scribe, quia ibi est perfecta lætitia. 8. Si afflicti fame, urgente frigore afflicti, nocte appropinquante pulsabimus, clamore et fletu

S. Franciscus tribulationes magnifaciebat.

instabimus, et ille dixerit: Isti sunt homines procacissimi et protervi, ego pacabo eos, et exiens cum fuste nodoso, et proiiciens nos super nives, ita percutiat, ut plagis impleat: si hæc patienter toleremus, cogitantes quod Christi pœnas tolerare debemus, *scribe, et nota diligenter quod ibi est perfecta lætitia.* Et audi conclusionem: *Inter omnia charismata sancti Spiritus, quæ Christus servis suis concessit et concedet, præcipuum est vincere seipsum, et libenter propter Deum, et charitatem Dei, opprobria sustinere:* hæc S. Franciscus, quæ paulo longiora referre non piguit. Utinam tam brevi spatio celestem hanc doctrinam discere, et opere explere possemus, quam aut illam legere, aut scribere.

ARTICULUS V.

Pietas Dei iustos illuminat et dirigit.

Via cæli difficilis et obscura, indigemus luce et duce, ut ad eam tendamus, et in ea non erremus. Hoc petit
Vers. 17. David, v. 18. RESPICE IN SERVOS TUOS, ET IN OPERA TUA: ET DIRIGE FILIOS EORUM. S. Hieron. et gloria tua super filios eorum.
Vers. 18. Vers. 19. ET SIT SPLENDOR (S. Hieron. decor) DOMINI DEI NOSTRI SUPER NOS, ET OPERA MANUUM NOSTRARUM DIRIGE SUPER NOS, ET OPUS MANUUM NOSTRARUM DIRIGE.

82. *Dei aspectus est vivificus.* Nota primo, Dei aspectus optabilis est: nam est vivificus, et omnium bonorum causa. Solem *Iovis oculum* vocavit antiquitas, teste Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 21. Deus est sol omnia videns, et radios suos benignos in virum iustum derivans. Sap. 4. 15. *Gratia Dei et misericordia est in sanctos eius, et respectus in electos illius.* Gratia et misericordia comites sunt aspectus Dei. Christus vidit Matthæum in telonio, Zacchæum in arbore, Petrum inter perditos, et omnes sanavit atque convertit.

83. *Deus est contemplandus.* Nota secundo, Deus vicissim aspiciendus est. Pro, *Respice in servos tuos, et in opera tua,* S. Hieronym. ex Hebræo vertit: *Appareat apud servos tuos opus tuum.* Chal. Manifestæ fiant servis tuis operationes signorum tuorum. Primo, hic aspectus Dei operantis, et opera nostra aspicientis peccatum tollit. In Pirke avoth, cap. 2. *Ad tria respice, sic peccatum fugies. Considera oculum esse, qui videt: aurem, quæ audit: et omnia opera tua in libro scripta et exarata esse.* Secundo, Dei et operum eius aspectu fides augetur. S. Leo serm. 16. de Passione Domini: *Semper,* inquit, *fidelium mentes in divinorum operum decet admiratione versari: et rationales animos iis maxime cogitationibus inhærere, per quas incrementum fides consequatur. Cum enim pia cordis intentio, vel ad generalia beneficia, vel ad specialia ipsius gratiæ dona dirigitur, multas a se vanitates abigit, et a corporalibus curis in quoddam secretum spirituale secedit:* ita Leo. Tertio, aspectus Dei et operum eius lucem semper novam dat intellectui. Idem sanctus Pater serm. 18. de Passione: Veritatis, inquit, testificatio nunquam a sua luce discedit: et quod aliis minus, aliis amplius micat, non varietas facit luminis, sed infirmitas contemplationis: hæc ipse. Persæ erant miseri, qui solem adorabant in cavernis privati eius lumine. Iulius Firmicus lib. 5. de errore profanæ religionis: Persæ, inquit, hunc solem, Mithram dicunt: sacra vero eius in speluncis abditis tradunt, ut semper obscuro tenebrarum squallore demersi, gratiam splendidi ac sereni luminis non videant. Eccli. 11. 16. *Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt.*

84. *Deus est dux noster.* Nota tertio, Deo directore egemus in via cæli: *Et dirige filios eorum.* S. Hieronymus vertit: *Et gloria tua super filios eorum.* Alludere videtur ad columnam nubis ducentem et dirigentem filios Israel in deserto. Egemus porro illa divina directione, quia Primo, via ignota nobis est. Abrahamo dicitur, Gen. 12. 1. *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi.* Ubi adverte, quod illam terram non nominat, ut a se pendentem semper habeat Abrahamum, et a suo ductu. Israelitas in terram promissionis intrantes Deus in arca præcedebat, ut viam ignotam ostenderet. Iosue 3. 4. *Sit inter vos et arcam spatium cubitorum duorum millium: ut procul videre possitis et nosse per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulastis per eam.* Secundo, Deo directore indigemus, ob viæ difficultatem, et anfractus, atque præcipitia. Ierem. 2. 6. *Traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam, per imaginem mortis, per terram in qua non ambulavit vir, neque habitavit homo.* Clemens Alexandr. lib. 4. Stromatum, pag. 479. Multi, ait, nos impediunt valli et fossæ cupiditatis, iræ et excandescentiæ voragines, quas transire necesse est, et omnem insidiarum effugere molitionem, eum qui non est amplius per speculum visurus Dei cognitionem.

Nota quarto, luce divina egemus in via cæli: *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos.* Deus est lumen primigenium. Ioan. 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Philo lib. de Cherubim, pag. 95. *Qui est oculus,* ait, *aliena luce non indiget, ut res percipiat: sed cum ipse sit* αρχετυπος αυγη, *splendor archetypus, infinitos emittit radios, quorum nullus est sensibilis, omnes autem intelligibiles:* hæc Philo. Illos radios sol divinus ita imprimit viris iustis, ut sint divina parœlia. Mercurius Trismeg. in Pimandra cap. 10. Audendum est, ait, dicendumque, hominem quidem terrenum, δε Θεον θνητον, esse Deum mortalem: cælestem vero Deum, esse immortalem hominem: ita Trismeg. quod pia explicatione indiget. Procopius dicit, Deum perfectis esse solem, imperfectis vero lunam. Illud enim Isaiæ 60. 20. *Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, explicans, sic ait:* Erat lux illorum et gloria Deus ipse: perfectioribus quidem sol, inferioribus autem lunæ instar, ut pro excipientium ratione radios suos effundat. S. Athanasius orat. 2. contra Arrianos locum Psalmi nostri exponit de Christo, *qui est splendor gloriæ Dei,* ut ait Paulus Hebr. 1. 3. De eo ait idem sanctus Pater in illud, *Omnia mihi tradita sunt:* Omnia, inquit, Christo sunt tradita: ut medico, sanare morsum serpentis: ut vitæ, suscitare mortuos: ut luci, illuminare tenebras: hæc ipse. Imperfecti figurati in Lotho, qui significat declinantem, ab ea luce discedunt. Genes. 13. 11. *Elegit sibi Loth regionem circa Iordanem, et recessit ab oriente.* Multi non splendorem Domini, sed vilium creaturarum volunt lucere super eos: auro enim, argento et gemmis micare gestiunt, et lucem ac splendorem inanium rerum spectare. Prov. 23. 31. *Ne intuearis vinum cum flavescit, cum splenduerit in vitro color eius.* Ut enim ait S. August. lib. 4. de civit. cap. 3. *Vitro lætitia eorum comparatur fragiliter splendida,* cui timeatur horribilius ne repente frangatur. Arabes in proverbio ingeniose dicunt: *Obstrue quinque fenestras, ut luceat domus, et habites eam.* Per quinque fenestras intelligunt quinque corporis sensus, quibus occlusis fit mens splendidior.

85. *Dei luce indigemus.*

Trismegisti audax dictum.

Nota quinto, homini opera facienda sunt, sed ad Deum dirigenda: *Opera manuum nostrarum dirige.* De primo dicitur ab Eliphaz Themanite, Iobi 5. 7. *Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum.* Deus ipse imperat, Exod. 35. 2. *Sex diebus facietis opus.* R. Eliezer in Pirke avoth, hoc est, in capitulis Patrum cap. 4. Qui, ait, bonum opus facit, acquirit advocatum: qui vero in una re delinquit, sibi unum accusatorem acquirit: hæc ille. Deus imitandus est, qui, quod loquitur, operatur. Philo lib. de decalogo, in illud Exod. 20. 18. *Cunctus autem populus videbat voces,* sic loquitur: Humana vox, auditu; divina vero, visu percipitur: quare? quia quæcumque Deus dicit, non verba sunt, sed opera: quorum iudicium non tam est penes aures, quam penes oculos: ita Philo. 86.

Homini est laborandum.

De secundo, nempe quod ad Deum bona intentione dirigenda sunt opera, dicitur Isaiæ 26. 7. *Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum.* Cant. 1. 4. *Recti diligunt te.* S. Augustinus in Psal. nostr. sic ait: *Opera manuum nostrarum dirige super nos. Ut non ea pro rerum terrenarum mercede faciamus: tunc enim non directa, sed curva sunt. Et opus manuum nostrarum dirige. Omnia bona opera nostra, unum opus est charitatis. Plenitudo e-* 87.

Et opera ad Deum dirigenda.

nim legis, est charitas. Nam in superiore versu cum dixisset: Et opera manuum nostrarum dirige super nos, isto ultimo non opera, sed opus dixit manuum nostrarum dirige: tamquam ultimo versu volens ostendere ipsa opera unum opus esse: id est, ad unum opus dirigi. Tunc enim recta sunt opera, cum ad hunc unum finem diriguntur. Finis enim præcepti, charitas est, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Opus ergo unum est, in quo sunt omnia: fides quæ per dilectionem operatur; unde etiam Dominus in Evangelio dicit: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit: ita Augustinus. Variæ herbæ ac flores ad solem se convertunt. Reveilius de lupino et cichorio sic ait lib. 2. de natura stirpium: Lupinum, ait, ab ortu ad occasum solem sequitur, etiam nubilo die solem prodens. Miretur hic, qui non observat quotidiano experimento, herbam unam, quæ vocatur cichorium, qua rura scatent, abeuntem solem intueri, semperque omnibus horis cum eo verti vel nubilo obumbrante, florem exortu aperiri, et occasu claudi: tanto sideris amore flagrat, ut suo comitatu lustrans sæpe proprium caulem intorqueat, noctuque solis desiderio se contrahit: ita Reveilius. Plinium vide agentem de heliotropio, et aliis. Sancti ad Deum solem verum se convertunt. Gen. 5. 22. de Henoch habes: *Ambulavit Henoch cum Deo*. R. Iosue in Pirke avoth, cap. 2. dicit: Omnia opera tua sint ad nomen cæli, hoc est, ad Dei gloriam. Plutarchus lib. de Iside et Osiride, ait, a venerantibus solem non debere aurum gestari. In solis, ait, solemnibus Deum veneraturo præcipiunt, aurum corpore ne gestent, neve asino pabulum præbeant: hæc ille. Nec corporis, nec fortunæ bona cures, si vera mentis optas lumina.

PSALMUS NONAGESIMUS.

Laus cantici David.

1. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.
2. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus sperabo in eum.
3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.
4. Scapulis suis obumbrabit tibi: et sub pennis eius sperabis.
5. Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno:
6. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu et dæmonio meridiano.
7. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.
8. Verumtamen oculis tuis considerabis: et retributionem peccatorum videbis.
9. Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.
10. Non accedet ad te malum: et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
11. Quoniam angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis.
12. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
13. Super aspidem et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem.
14. Quoniam in me speravit liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.
15. Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum.
16. Longitudine dierum replebo eum: et ostendam illi salutare meum.

PSALMI NONAGESIMI ANALYSIS.

David iustum in Deo, velut in arce, commorantem considerans, prædicat:

- Securitatem eius,
  - In Dei altissimi adiutorio habitantis. 1.
  - Et in Dei cæli protectione commorantis. 1.
- Benignitatem Dei:
  - In primo arcis ingressu,
    - Cum in eam benigne admittat, ut
      - Susceptor, fugientem apertis portis excipiens. 2.
      - Refugium, eum ab hoste securum reddens. 2.
      - Deus, fruendum se illi amico convictu præbens. 2.
    - Et liberet ab hoste, qui
      - Laqueos occultos parabat. 3.
      - Et mortem stricto gladio minabatur. 3.
  - In commoratione,
    - Ante pugnam
      - Scapulis, fovendo fatigatum. 4.
      - Et alis, tegendo trepidum. 4.
    - In pugna
      - Scuto veritatis tegendo, ne timeat
        - Nocturnas larvas. 5.
        - Matutinas sagittas. 6.
        - Vespertinas insidias. 6.
        - Meridianum dæmonium. 6.
      - Vires dando ex muris pugnanti, ut
        - Sinistra, mille hostes in fossam prosternat. 7.
        - Dextra, perimat decem millia. 7.
        - Utraque manu scalam deiiciat, ne iterum accedant. 7.
    - Post pugnam
      - Faciendo, ut iustus intellectu videat hostium ruinam. 8.
      - Voluntate, spem et refugium in Deo ponat. 9.
      - Omnibus facultatibus animæ, securum se dicat. 10.
  - In egressu
    - Angelos duces dando, qui
      - Armis, custodiant in via. 11.
      - Manibus, portent in invio:
        - Ne in cautes incurrat. 12.
        - Et ut feras calcet. 13.
    - Comitem se præbendo, ut
      - Liberet, in se sperantem. 14.
      - Protegat, se cognoscentem. 14.
      - Exaudiat, ad se clamantem. 15.
      - Adiuvet, cum tribulatione luctantem. 15.
      - Æterna felicitate donet, victorem. 16.
      - Visione sua recreet, ab omni periculo salvatum. 16.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

LAUS CANTICI DAVID.

1. David hunc Psalmum scripsit, non Moses. Hic titulus non habetur in codice Hebraico, neque in omnibus codicibus Græcis: et S. Hilarius in prologo Psalmorum, S. Hieronymus, Theodoretus, et Euthymius in commentario huius Psalmi disertis verbis dicunt, eum carere titulo. S. Ioannes Chrysostomus, et S. Augustinus nullam tituli mentionem faciunt. Quare credibile est, titulum fuisse postea additum, ut intelligeremus, hunc Psalmum a Davide fuisse compositum, non a Mose, ut quidam alii tradiderunt. Et certe ratio, qua nonnulli adducti sunt, ut existimarent, hunc Psalmum non Davidis esse, sed Mosis, infirma omnino est. Dicunt enim, Psalmos qui carent titulo, illius esse, cuius est Psalmus præcedens: Psalmum autem præcedentem esse Mosis, probant ex titulo illo: *Oratio Mosis hominis Dei*. At nos in explicatione Psalmi superioris ostendimus, Psalmum illum inscribi Mosi, non quod ille fuerit auctor, sed quod David Mosem loquentem introduxerit: ita Bellarminus. Psalmus hic dicitur *Laus cantici*, id est, laudabile canticum, ut ait Haymo et Remigius. Dicitur etiam *Laus cantici*, ait Ludolphus, quia continet canticum, hoc est, iucunditatem: meminit enim

Psalmi elogia. æternæ beatitudinis: ita ille. Iansenius et Titelmannus dicunt huic Psalmo inesse miram incunditatem. Rickelius asserit, eum mirabili suavitate exundare. Iure dixeris eum esse cordis in Deum sperantis scutum et gladium, Dei ad illud amabile invitamentum, diaboli flagellum et terrorem. Ut enim loquitur Bruno, hunc hymnum dæmonibus pia confidentia semper opponimus.

2. Argum. Psalmi. Hunc Psalmum Primo, exponit Lyranus de beneficiis erga populum Israel, postquam ex Ægypto eductus est. Secundo, Trevetus et Valentia volunt agi de reditu populi ex captivitate Babylonica, duce Esdra, qui significat adiutorem, seu adiutorium, de quo agitur in primo Psalmi versu. Tertio, Theodoretus et Christianus Druthmarus, volunt sermonem esse de Ezechia rege, cum liberatus est ab exercitu Sennacherib Assyriorum regis, cuius exercitus ab angelo cæsus est una nocte. Quarto denique et melius, Ugo Card. docet, totam expositionem huius Psalmi moralem esse: in eo enim exponit David securitatem et suavitatem viri in Deum perfecte sperantis.

Nota, hic Psalmus est dramaticus: in eo enim inducuntur variæ personæ loquentes: modo enim Propheta, modo vir iustus, modo Deus ipse loquitur. Secundo, notandum est, quotidie hunc Psalmum ab Ecclesia usurpari in officio completorii, ut illud velut propugnaculum et murum obiiciat nocturnis tentationibus, quæ molestiores, frequentiores ac diuturniores esse solent: tunc enim est potestas tenebrarum, peccator occultum se omnium oculis videt, quies est a labore, lecti mollities corpus fractum refovet, atque animum enervat, somnolentia rationem obscurat, humores magis commoventur: unde in morbidis dolor est gravior de nocte. S. Hier. epist. ad Paulam et Eustochium vocat hunc Psalmum, orationem nocturni temporis. Hunc Psalmum mihi videtur David fecisse, cum fugiens Saulem pernoctaret in cavernis montium, ubi Deus illum liberavit a verbo aspero Saulis, qui ei mortem erat minitatus: inde vero assurgens, ait, eum omnem esse a periculis securum qui in Deum sperat. S. Bernardus fecit in hunc Psalmum sermones septemdecim. 3. Psalmus hic est dramaticus. 4. Tempus quo hic Psalmus scriptus est.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

5. DUO CONTINET. PRIMO, SPERANTES IN DEUM ADIUVARI A DEO IPSO, VERS. 1. SECUNDO, ADIUVARI AB ANGELIS DEI MINISTRIS, VERS. 11.

SECTIO PRIMA.

Duo complectitur. Primo, Deum instar arcis viris iustis existere, vers. 1. Secundo, illos in ea arce tutos ac securos degere, atque hostes vincere, vers. 2.

PARAPHRASIS.

1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.*	1. Qui totum se, suaque in Dei sinum conicit, ut ab eo foveatur, ibique tota vita inhabitet: is tutissimam arcem reperit, in qua commoretur, et a Deo omnipotente protegatur.
2. *Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.*	2. Tam suavi receptaculo exultans exclamabit: Tu me, immeritum licet, suscepisti, tu fugacem ac trepidum tutatus es, tu Deum te amabilem et potentem mihi exhibuisti, in te uno spes meas omnes collocabo.
3. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.*	3. Tu enim iam prope hostium insequentium retibus implicatum expedivisti, et in castellum tuum admisisti, atque a minis mortem præsentissimam intentantium liberasti.
4. *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis.*	4. Quisquis es, qui hæc dicis, spe tua non frustraberis. Nam Deus, gallinæ instar de pullis ad se convolantibus sollicitæ, potentiæ suæ bonitatisque alis securum te conteget, atque fiducia in dies maiori complebit.
5. *Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno:*	5. Si hostis ingruerit, scuto te suo circumcinget, sicut pollicitus est: neque nocturnas et clandestinas irruptiones timebis.
6. *A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu et dæmonio meridiano.*	6. Neque tela primo mane immissa exhorresces, neque vespertinas insidias, neque impetum ab hominibus et dæmonibus clara luce et totis agminibus factum expavesces.
7. *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.*	7. Si muros arcis ascendere hostes attentarint, innumeros ex omni parte in fossam deiicies, neque ad te approximare poterunt.

8. *Verumtamen oculis tuis considerabis: et retributionem peccatorum videbis.*

8. Sed ruentes iacentesque cum voluptate despicies: et pœnam peccatis debitam illis reddi cum fœnore, miraberis securus.

9. *(Quoniam tu es Domine spes mea): altissimum posuisti refugium tuum.*

9. Hoc autem tibi obtinget, quod Deum qui altissimus est, et potentia maiestateque omnes exuperat, in refugium tibi elegeris: ad quem ego quoque inclamabo: Te, o Domine, spem meam unam esse profiteor, in te uno sperabo.

10. *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

10. Infrement quidem prostrati hostes, et tela sed imbellia et sine ictu iactabunt: neque enim ad te pertingent: neque in tam erectam arcem, in qua habitas, machinæ ullæ pervadent.

QUÆSTIO UNICA.

Quam secura et iucunda iustis arx est Deus?

6. Ordo Sectionis. In præcedenti Psalmo oraverat Propheta, ne averteretur in humilitatem ac præcipitia: nunc considerat securitatem iustorum, in Deo, velut in altissima arce, exultantium.

Ac primo dicit, Deum esse arcem altissimam, in qua habitet atque protegatur vir iustus, v. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.*

Secundo, declarat virum iustum fugientem hostes a Deo suscipi et foveri, quod eleganti ipsius iusti ethopœia, eum loquentem inducens illustrat, v. 2. *Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus, sperabo in eum.* Hostes insequentes ac minantes spe sua frustratos esse dicit, v. 3. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.*

Tertio, commorationem in Deo, velut in arce, ait esse amabilem ante pugnam, securam in pugna, iucundam post pugnam.

Nam primo, ante pugnam ad se venientes Deus fovet, velut mater pullos suos, v. 4. *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis.*

Secundo, in pugna protegit, si hostis impetat, v. 5. *Scuto circumdabit te veritas eius.* Adeo ut nihil sit timendum, neque in pugna nocturna: *Non timebis a timore nocturno.* Neque in pugna matutina, v. 6. *A sagitta volante in die.* Neque ab irruptione vespertina: *A negotio perambulante in tenebris.* Neque ab insultu meridiano: *Ab incursu et dæmonio meridiano.* Secundo, non tantum iuvat, ut iustus sit ab hoste securus, sed etiam ut illum prosternat, v. 7. *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.*

Tertio denique, post pugnam Deus dat lætitiam victoribus hostes prostratos spectantibus, v. 8. *Verumtamen oculis tuis considerabis. et retributionem peccatorum videbis.* Et arcis, in qua sunt, altitudinem ac securitatem videntibus, v. 9. *Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.* Denique, lætitiam eorum aperit in remotione omnis incommodi, v. 10. *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

ARTICULUS I.

Deus est arx iustorum altissima, tutissima, commodissima.

In Psalmi principio amplissimam promissionem ponit Propheta, nempe sperantes in Deum ab ipso esse adiu-
Vers. 1. vandos, et protegendos, v. 1. Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.
7. Deus est altissimus. Nota, Deus est Altissimus in sua essentia et attributis, quæ omnia sunt infinita, et captum omnium hominum et angelorum infinite superant. Unum ex decem Dei nominibus est עליון *elion,* quod hic in Hebræo ponitur, et Altissimum significat, a radice עלה *ala*, id est ascendit. Præterea, Deus in cælo regium sibi thronum fixit, unde omnia videat et regat: ibi tamquam in arce et palatio suo dominatur, seque principibus suis videndum præbet, ibi divitiarum suarum thesauros condit, ut illis servos suos locupletet. S. Dionysius lib. de divinis nominibus Deum vocat, Superens, Superbonum, Supersapientem. Omnes creaturas transcendit, ut ait David Ps. 79. 2. *Qui sedes super Cherubim.* Ps. 17. 11. *Qui ascendit super Cherubim, et volavit: volavit super pennas ventorum.* Ecclæ. 5. 7. *Ex-*

A *celso excelsior est alius, et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universæ terræ rex imperat servienti.* S. Paulus Rom. 11. 33. miratur *altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei.* De solo Deo dici potest, quod sit Altissimus: unde concinit Ecclesia: Tu solus Altissimus. De Patre æterno dicit sapientia increata, Eccli. 24. 5. *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* De filio Dei dicit Paulus Philipp. 2. 9. *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* De tota Trinitate habetur Isaiæ 6. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum.* Deus est arx alta servos suos exaltans, in se per solidam spem stantes. Psal. 26. 6. *In petra exaltavit me: et nunc exaltabit caput meum.* Iob Deum alloquens cap. 39. 27. ait: *Ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum.* Franciscus comes Turrianus hoc sibi Deus est arx nostra.
sumpsit symboli: *Dominus turris et arx mea.* Georgius comes Turrianus, Valsasinæ et S. Crucis dominus, illud symbolum habuit: *Turris fortissima nomen Domini.*

B Nota secundo, habitat in adiutorio Altissimi, non qui unum aut alterum levem et volaticum actum spei in ipsum elicit, sed qui assiduam, constantem ac stabilem fiduciam in eo reponit, ita ut in Deo per eam fiduciam sibi domum ac sedem mansionemque constituat, eamque domum secum portet, instar testudinis in sua testa imbres et ventos ridentis. 8. In auxilio Dei velut in arce, iustus habitat. Pro *qui habitat*, Hebr. est יֹשֵׁב *iosceb*. id est, habitans cum quiete ac perseverantia, quiescens, perdurans, sedens. Deus est lapis adiutorii, in quo securus maneas. 1. Reg. 7. cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel. Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Masphath et inter Sen: et vocavit nomen loci illius, Lapis adiutorii. Dixitque: Huc usque auxiliatus est nobis Dominus: hæc ibi. Commodius dices, Deum esse petram Remmon, id est, malogranati: vel altitudinis fortis, ad quam se receperunt qui residui fuerunt de tribu Beniamin, in lib. In-
C dicum cap. 20. 47. Hi sunt typus religiosorum e mundi clade evadentium in solitudinem, et ad Christum. David noster sæpe in montibus a Deo servatus est: unde canit 2. Reg. 22. 2. *Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus.* Et Psalmum nostrum censeo factum in aliquo monte, ad quem se receperat, et in quo a Deo servatus erat. Philippus rex Hispaniæ in nummis suis Philippicis sculpi voluit illud Ps. 118. 114. *Dominus adiutor meus.* Vitus Baro Sconburgius sumpsit id symboli ex Ps. 17. 3. *Deus adiutor meus.* Erasmus comes Wertcimensis, ex Ps. 102. 2. *Auxilium meum a Domino,* q. d. Alii suum auxilium petant a divitiis, honoribus, auctoritate, scientia, potentia, armis, virtute bellica, amicis, parentibus, affinibus, servis, aliisque, auxilium meum est a solo Domino, ab eo uno illud expecto.

Nota tertio, pro *in adiutorio*, Hebr. est בסתר *besether*, 9. Dei auxilium est internum et secu- rum.
hoc est in abscondito. Adiutorium humanum sæpe tantum est in extrinseco, et in verbis: Dei autem adiutorium est in intimo et abscondito, atque in penetralibus. Geor-
D gius Achatius Baro Losenstenius hæc verba sibi in symbolum assumpsit: *Videas, cui fidas,* quia facies, os, oculi persæpe mentiuntur. Sæpe calamo Ægypti confracto, aut domui iamiam ruituræ, aut urbi undequaque perviæ, et proditorum plenæ, vitam nostram animamque committimus. Nec Seba filius Bochri, nec David in Ceila tuti ex-

literunt, ut infra dicetur. At vero Deus intra se sanctos suos ita abscondit, ut a nemine turbari possint. Ps. 30. 21. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum.* Vide illum locum. Absconditum divinæ faciei est pupilla oculi Dei, ibi absconditos iustos nemo potest perfodere, quin Deum, ut ita loquar, excæcet. Zachariæ 2. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Christus etiam abscondit servos suos in plagis corporis sui, præcipue in plaga cordis, et ibi se esse dicebat S. Elzearius comes Arriani, cum affligebatur: ibique tantum se esse inveniendum. Ibi pascuntur iusti, et in alios homines transformantur, neque ad eos accedit malum, cum flagellum nunc non appropinquet tam sancto et divino tabernaculo. Ps. 26. 5. *Abscondet me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Hoc prædicat S. Paulus Colossensibus cap. 3. 3. *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Olim ter in aquam immergebantur qui baptizabantur: quo figurabatur, immergi Christianum in Iesum Christum et eius gratiam, atque totam sanctam Trinitatem: hoc est, in Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, in quorum nomine baptizabantur. Sanctos David noster vocat absconditos, Ps. 82. 4. *Cogitaverunt adversus sanctos tuos.* Hebr. est צפוניך *tsephunecha*, id est, absconditos tuos. Sancti se et sua opera mundo abscondunt, ab eiusque oculis fugiunt, ut in Deo lateant.

S. Maria martyr in rupe miraculo aperta latet. Illustre est, quod contigit sanctæ Mariæ martyri fugienti, cui rupes sinum aperuit, ac deinde clausit ut a persecutore inveniri non posset. Res narratur in eius Actis die 1. Novembris: Hæc, inquit, erat Tertulli ancilla, quæ cum ieiuniis vacans ab alia ancilla pagana deprehensa esset, audacter ait: Christiana sum, Christiano nascor ex genere: hæreditarius est mihi iste cultus Christi. Tertulli iussu flagellata in carcerem detruditur. Ad Præsidem adducta minas eius his verbis contempsit: Supplicia quæ minaris nec longi temporis nec gravis doloris sunt. Quæso ergo, ne differas quæ moliris: *Christum habeo, ideo nihil timeo.* In carcerem post varia tormenta relicitur, ibique videt aciem angelorum, et multitudinem sanctorum, Deique filium sedentem ad dexteram Patris. Hinc tanto gaudio perfusa est, ut iam se paradisum ingressam putaret. Cum liberata fugeret, seque insequentes cerneret, ait: Ne permittas Domine tradi ancillam tuam, et lacerari manibus impiorum: sed ostende misericordiam tuam: cito exaudi ancillam tuam, exaudi Domine Rex cælestis. Cum eas preces funderet, *petra quæ ante oculos eius iacebat, Domino iubente patefacta, rimam perfugii, qua virgo susciperetur, ostendit, et adinstar dulcissimæ nutricis, vel charæ matris, motu quodam anxiam amplexans se præbuit: moxque suscepta virgine, latera ante aperta conclusit.* Passa est postea sub Adriano Imperatore. Rupes quoque aliis cessisse martyribus sacræ docent historiæ. Tu in Christo abscondere, et ibi securus ab hostibus vive.

10. Protectionis umbram dat Deus omnibus. Nota quarto, pro *in protectione*, Hebr. est *in umbra*: id enim significat צל *tsel*, ut denotetur facilitas et suavitas protectionis. Felix vertit: *In umbra omnipotentis commorabitur.* Syr. In umbra Dei gloriatur. Arabs: In umbra Dei cæli gloriosus erit. Ubi adverte, Deus hanc protectionis umbram dat. Primo, imperfectis, qui adhuc pugnant cum vitiis. Ps. 139. 8. *Domine, Domine virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli.* Secundo, hanc protectionis umbram dat Deus in via cæli progredientibus, sicut columnam nubis populo Israel per desertum ad terram promissam pergenti. Numer. 14. 14. ait Moses ad Dominum: *Nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna nubis per noctem.* Tertio denique, hanc protectionis umbram dat Deus perfectis, sicut Mosi nube tecto in monte Sinai. Exod. 24. 15. *Cum ascendisset Moses, operuit nubes montem, et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus.* In lege gratiæ est etiam illa protectio super Sion, id est, super Ecclesiam, et eius alumnos. Isaiæ 4. 5. *Creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus*

A *est, nubem per diem, et fumum, et splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio: et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia:* hæc ibi. Cum populum Israel ex Ægypto fugientem insequerentur Ægyptii, iamque in eos ruituri essent, tollens se angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos: et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum, et castra Israel; et erat nubes tenebrosa, et illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent, Exodi 14. Idem accidit S. Eduardo, quem nubes texit contra Godwinum. Ut enim refert Andreas du Chesne lib. 10. hist. Angl. pag. 409. Godwinus adiuvante Balduino Flandriæ comite potentem exercitum instruxerat, et Angliæ littora incursabat. S. Eduardus Angliæ rex exercitum suum illis opposuit, cumque ad arma iam curreretur nubem Deus inter utriusque copias obiecit, quæ mutuum conspectum eriperet; ventoque rebellium naves in Flandriam usque Nubes tegit S. Eduardi exercitum.
B dispulit. Tunc iure sanctus ille rex poterat cum rege nostro dicere Ps. 27. 8. *Dominus fortitudo plebis suæ: et protector salvationum Christi sui est.* Ps. 50. 5. *Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarum.* Sigismundus rex Poloniæ illud sibi symbolum sumpsit: *Protector in se sperantium Deus.* Carolus dux Monsterbergius illo usus est, Dominus protector meus. Ioannes Georgius Marchio Brandeburgicus, hoc symbolum habuit: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Si in pugnis corporalibus obumbrat, et protegit in die belli, quid faciet in pugna spirituali? Frater Stephanus Iustice, inter patres Minimos Oblatus, ut vocant, vir erat tantæ mortificationis, ut a beata Virgine monitus fuerit, ut sibi temperaret, et se fratrum communitati in cibo et potu conformaret: cum a dæmone impeteretur, qui ei fauces elidere moliebatur, Crucifixi sumpsit imaginem, et exclamavit: *Dominus protectio mea et salus mea, quem timebo? Si consistant adversum me castra,* etc. ad hæc verba monstrum diffugit, ut refert Lodovicus Dony Dattichy in histor.
C general. Ordin. Minim. lib. 3. pag. 435. Umbram et protectionem Dei omnia reverentur, et in ea positum non attingunt. Bellarminus in Psalmum nostrum hoc illustrat similitudine cuiusdam cervi. Ut cervus quidam, ait, ubique libere vagaretur, scriptum gerebat ad collum: *Cæsaris sum, noli me tangere.* Sic veri servi Dei ubique tuti sunt, inter leones, ursos, serpentes, ignes, aquas, fulmina, tempestates: quoniam *omnes creaturæ umbram Dei cognoscunt, et reverentur.* Sed etiam vox latina *protectio*, hoc locó valde ad rem facit. Protegere enim est procul tegere: potest autem homo procul tegi duobus modis: si vel protector prope astans sagittas procul venientes repellat: vel si protector quidem procul absit, sed tamen repellat tela vicina, ut gladios, vel pugiones. Utrumque facit Deus: ipse enim manens in nobis, repellit sagittas longissime venientes: videt enim prima initia periculorum: et ea, si vult, mirabili virtute in ipso exortu extinguit; sic etiam ipse in cælo sedens pericula nobis quantumvis proxima removet;
D habet enim oculos acutissimos, et manus longissimas, ut omnia mala nobis imminentia prævenire possit: oculus eius, intelligentia eius, manus eius, potentia eius: et potentia eius, voluntas eius: ita Bellarminus.

Nota quinto, pro *Dei cæli*, Hebr. est שדי *Sciaddai*, id est, 11. Cur Deus vocetur Sciaddai?
Primo omnipotentis, et sic vertit S. Hieron. In umbraculo omnipotentis commorabitur, a rad. שדד *sciadad*, spoliare, evertere, destruere. Isaias dicit Babylonis post 150. annos vastandis per Darium Medorum regem, et per Cyrum regem Persarum cap. 13. 6. *Ululate, quia prope est dies Domini, quasi vastitas a* (Sciaddai) *Domino veniet*, q. d. Erit vastitas inevitabilis, cum veniat in vilia mancipia a Domino omnipotente. Secundo, *sciaddai* significat sibi et aliis sufficientem, a rad. ש *sce*, id est, *qui est*, et די *dai*, hoc est, *sufficit*. Hinc dicit David Ps. 15. 2. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et Ps. 22. 1. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit,*

Tertio denique, *sciaddai* significat mammeum, q. d. Qui lac filiis suis, instar matris ac nutricis, præbet, a rad. שד *sciad*, id est mamma. Iustis dici potest, quod ait Iacob Patriarcha moriens filio suo Iosepho, Genes. 49. 25. *Deus patris tui erit adiutor tuus, et omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ.*

12. Pernoctat in Dei protectione vir iustus. Nota denique sexto, pro *commorabitur*, Hebr. est יתלונן *ithlonan*, id est, *pernoctabit*. Commoratio denotat ingem et continuam mansionem iustorum in Dei adiutorio et protectione: illud enim adiutorium et protectio Dei non est instar tugurii in cucumerario, aut vinea, quod statim destruitur: aut tentorii in via, quod a peregrinante deseritur: sed est arx firma, et domus paterna, in qua totam vitam cum parente optimo, ditissimo ac fortissimo degamus. Pernoctatio autem notat securitatem et quietem tempore ipsarum tenebrarum et tentationum, atque calamitatum. Cum Deo pernoctabat Abraham, cum illi prædixit afflictionem posterorum in Ægypto, et liberationem eorum, Genes. 15. 12. et seq. Tunc etiam dixit illi Deus, v. 1. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum.* Et educto foras ostendit lucentes stellas, et ait: *Numera stellas si potes: sic erit semen tuum.* 2. Isaac pernoctabat in Dei protectione, cum fugiens Esau fratrem suum sibi necem minitantem, et in mediis campis dormiens vidit scalam illam mirabilem, et Dominum innixum scalæ, qui ei dixit Genes. 28. 15. *Ero custos tuus, quocumque perrexeris.* 3. Pernoctabat in protectione Dei Loth, cum angelos recipiens ab eis adiutus est contra tumultuantes cives, Genes. 19. 10. *Ecce miserunt manum viri*, id est, angeli in forma viri apparentes, *et introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium*, ac facto mane salvum et incolumem ex incendio Sodomæ eduxerunt. S. Paulus ait Ephesiis c. 2. 19. *Estis cives sanctorum, et domestici Dei.* Quis in hac domo, et cum sanctis et angelis Deoque ipso non securo pernoctet? Contra vero, in protectione humana qui pernoctat, dire affligitur ac perit, ut Levitæ illius uxor, quæ pernoctavit in Gabaa apud hominem senem, Iudic. 19. Nam ibi capta, a libidinosis civibus ita polluta est, ut interierit. Mala protectio est Gabaa, quæ significat collem, et calicem seu scyphum; in deliciis et superbia non est adiutorium Dei, sed in humilitate et mortificatione. S. Augustinus in Psalmo nostro: Quis est, ait, qui habitat in adiutorio Altissimi? qui non habitat in adiutorio suo. Quis est qui habitat in adiutorio Altissimi? qui non est superbus, quomodo illi, qui manducaverunt ut essent quasi dii, et perdiderunt quod erant facti homines immortales. In a iutorio enim suo habitare voluerunt, non in adiutorio Altissimi: ideo suggestionem serpentis audierunt, præceptum Dei contempserunt, et invenerunt hoc evenisse in se, quod minatus est Deus, non quod promisit diabolus: ita August. Tria genera eorum, qui non habitant in adiutorio Altissimi, reperit S. Bernard. serm. 1. in Psal. 90. id est, in hunc nostrum: Unum genus est non sperantium, aliud desperantium, tertium frustra sperantium. Neque enim inhabitat in adiutorio Altissimi, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed confidit in virtute sua, et in multitudine divitiarum: *Nullus horum trium*, ait, *habitat in adiutorio Altissimi. Primus habitat in meritis suis, secundus in pœnis, tertius in vitiis. Immunda habitatio tertii, anxia secundi, stulta et periculosa primi. Soli in adiutorio Altissimi habitant, qui id solum obtinere desiderant, id solum amittere trepidant: sedula circa illud et sollicita cogitatione versantes, quæ est utique pietas, cultus Dei:* hæc Bernard. Cor iustorum in Deo figitur, ac securum est. Psal. 111. 8. *Paratum cor eius sperare in Domino.* Hebr. Firmum cor eius fidens in Domino. Symmachus: Stabilis animus eius, et securus in Domino. Ex Perside Legati duo Armuziam appulsi, ut ab Zeifadino vectigal annuum Ismaelis nomine exigerent. Ea seu vera fuit, seu ad metum Lu-
Albuquercii generosum responsum. sitanis incutiendum, allata in tempus ficta legatio, confestim ad Albuquercium ab Zeifadino defertur: *Ille hilari vultu regem sine metu esse iubet*, dein globis aliquot e ferro liquato, hastarumque cuspidibus et missilibus variis in ferculum impositis, cum eo ferculo mittit, qui suo nomine Persis aperte denuntient, ab iis qui in Emmanuelis patrocinio sint, alienis regibus, si lacessant, tributum ex ea moneta pendi. Legati irati in Persidem abiere, ut ait Petrus Maffæus lib. 3. hist. Ind. p. 94. Qui sub protectione Dei est, nihil timet.

Allegorice. Hic Psalmus dici potest de Christo, qui habitavit in adiutorio Altissimi, id est, in beata Virgine: ita 13. Allegor.
Ugo. Maria, inquit, est adiutorium Altissimi, quia eum iuvat ad salvandum genus humanum; unde de ipsa vere dicitur Genes. 2. 18. *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Galatinus eodem modo explicat lib. 3. cap. 21. Habitans erit, ait, in velamento, id est, in sanctissimo corpore suo Altissimus, hoc est, Dei Filius: in umbra, hoc est, in beatissimæ atque purissimæ Virginis utero: Sciaddai, id est, ille qui solus pro humano genere satisfacere sufficit, hospitabitur, id est, novem tantum mensibus commorabitur: ita Galatinus, qui versum Psalmi nostri sic reddit: Habitans in velamento Altissimi, in umbra Sciaddai hospitabitur.

ARTICULUS II.

Cum Deus sit arx iustorum, semper illis patet contra omnes hostes.

In primo versu locutus Propheta, nunc per ethopœiam virum iustum loquentem inducit, ut sit Psalmus ornatior, et auxilium Dei experto magis credatur, vers. 2. Dicet (Hebr. dicens) Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus sperabo in eum. Vers. 2.

Vers. 3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo (S. August. de muscipula) venantium, et a verbo aspero. Vers. 3.

Nota, pro *susceptor meus*, Hebr. est מחסי *machsi*, id est, *spes mea*, ut S. Hieron. Flamin. Pagnin. Felix, Arias, et Camp. vertunt, a rad. חסה *chasa*, id est, sperare, tegere, hospitari. Itaque *machse* seu spes, in asylo et loco tuto sperantem collocat. Philo lib. de Abrahamo spem vocat, πυλωρὸν βασιλικῶν ἀρετῶν, ianitricem regiarum virtutum. Aperit etiam asylum, in quod Deus sperantem introducit, ut eum ibi suscipiat. S. Bernard. ser. 2. in Psalm. nostrum: Possunt: inquit, omnia dicere: Creator meus es tu: possunt et animalia dicere: Pastor meus es tu: possunt omnes homines dicere: Redemptor meus es tu. At vero, Susceptor meus es tu, tantum dicere potest qui habitat in adiutorio Altissimi. 14. Susceptor iustorum est Deus.

Suscipit porro Deus, Primo, in oratione. Psal. 41. 10. *Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: Susceptor meus es.* Secundo, Deus susceptor est in operatione servorum suorum pro eo laborantium. Is. 42. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Tertio, Deus susceptor est in passione. Psalm. 118. 122. *Suscipe servum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.* Quarto, susceptor est in periculis. Psalm. 117. 13. *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.* Albertus IV. dux Bavariæ hoc sibi symbolum assumpsit: *Iustus non derelinquetur.* Quinto, susceptor est in pugna. Ps. 58. 10. *Fortitudinem meam ad te custodiam: quia Deus susceptor meus es.* Sexto, susceptor est in triumpho. Ps. 3. 4. *Tu autem Domine susceptor meus, gloria mea, et exaltans caput meum.* S. Ludovicus rex Franciæ morti proximus dicebat: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo*, et iis verbis est immortuus. Mors sancta D. Ludovici.

Nota secundo, pro *refugium meum*, Hebr. est מצודתי *metsudati*, hoc est, arx mea, ut vertit Pagninus: arx fortitudinis, ut vertit Chaldæus, id est, arx fortissima. Felix reddit, munimentum meum. Arias, munitio mea. S. Hieron. fortitudo mea. Camp. securitas mea, vel, propugnaculum meum. Apollinaris, πύργος, id est, turris. Rex noster sæpe Deum vocat refugium suum, arcem, et asylum. Sufficiat nunc Ps. 45. 1. *Deus noster refugium*, Hebr. refugium speratum, seu, spes tegens, *et virtus, adiutor in tri-* 15. Deus est arx sanctorum.

bulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Quem in locum S. Basilius docet, nullum esse tutum refugium præter Deum. Temporaria omnia, inquit, et momento decidua, imposturæ et fraudis plena omnia: unum tantum refugium Deus. Maledictus enim homo qui confidit in homine, aut in aliquo rerum humanarum sperat. Ergo Deus noster refugium et virtus. Illi enim, qui, ut Apostolus dicere valet, *Omnia possum in eo qui me confortat*, virtus est Deus. Sed pauci admodum sunt qui non admirantes humana præsidia, aut qui ex ipso Deo toti pendeant, ad ipsum aspirent, spem omnem suam atque fiduciam in ipso collocantes: ita Basilius. Hoc præstandum monet S. Petrus 1. epist. 5. 7. *Omnem sollicitudinem proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

16. *Nullum refugium humanum est securum.* S. Bern. ser. 16. in Ps. 90. hoc est, in nostrum, docet neque intra, neque infra, neque circa, neque supra nos esse ullum refugium securum præter Deum: *In quo*, ait, *speras solatii aliquid, aliquid auxilii invenire? Si quæras intra te, aruit cor tuum, et oblivioni datum te reperis, tamquam mortuum a corde. Si infra te, corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Si circa te, etiam terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem. Quære ergo supra te, sed cautus esto ventosa agmina transilire. Quia enim omne datum optimum, et omne donum perfectum nonnisi de sursum esse noverunt, medium iter latrunculi obsedere. Transi ergo, transi pervigiles illas nequitias*, etc. hæc ipse. David verbo rem concludit Ps. 59. 13. Hoc figurare possis in Seba filio Bochri fugiente in civitatem Abelam, quæ luctum significat: ibi enim caput eius rescissum est, ac datum Ioab duci Davidis, in quem rebellaverat, 2. Reg. 20. Si rebelles in Davidem, id est, in amabilem, hoc est, in Christum, omne perfugium humanum tibi erit luctus ac perditio. David ipse fugiens in urbem Ceilam (quæ significat moventem, transferentem, et suspendentem eam: vel, crucifixionem eius) ibi inter homines, quos a Philisthæis liberaverat, refugium non reperit, sed Deum consulens didicit, fore ut ab iis traderetur Sauli, si diutius maneret. *Surrexit itaque David de Ceila, et viri eius quasi sexcenti, et egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti*, 1. Reg. 23. 13. Nihil in ullis creaturis tutum est, firmum et constans. Ne in Ierusalem quidem urbe regia tutum esse, Absalone filio in Hebron rebellante, censuit, itaque inde fugit. 2. Reg. 15. 14. *Ait David servis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium a facie Absalom, festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, et impellat super nos ruinam.* In rupibus sibi pene semper asylum reperiebat David. Nos quoque ad Christum, qui solida et inconcussa petra est, fugiamus. Psal. 103. 18. *Petra refugium herinaceis.* Etiam peccatoribus, pauperibus et afflictis patent Christi vulnera. Philipp. Ludovicus comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ hoc symbolum adamavit: *Christus meum asylum.*

Civitates refugii tropol. sumptæ. Civitates refugii varias nobis Deus offert: nempe virtutes ad quas refugientes ipsum reperiamus. De illis fuse agitur cap. 20. Iosue: eas ad mores trahit Bachiarius in epistola de recipiendis lapsis, hoc modo: Ecce, inquit, sex refugii civitates, quas si placet, ingredere: ac si forte pro conscientia peccatorum, illas quæ sunt in terra promissionis, hoc est, in Ecclesia, intrare non audeas. 1. Est Bosor circa Iordanum in solitudine, quæ interpretatur angustia, id est, cellula monasterii parva vel modica: et optime tibi conveniet: quia de sorte Ruben est, et ipse thorum patris sui maculavit illicite. 2. Est et Ramoth de sorte Gad: quæ interpretatur excelsa mors: vel, visio mortis. Vere enim excelsa mors pœnitentia esse dicenda est, cum mortificatis membris deducatur homo ad excelsa cælorum, unde fuerat dilapsus ante. 3. Est Gaulon in finibus Manasse, quod interpretatur volutatio, ut tu memineris tibi in cilicio et cinere esse volutandum, et hoc in finibus Manasse, qui interpretatur oblivio, ut obliviscens ea, quæ ante gessisti, in priora te extendas. 4. Etiam ad Cades in terra repromissionis, quæ est in Galilæa, poteris pervenire, quæ interpretatur sancta, ut tu cum in tribulatione opus

A corruptionis abieceris, etiam ad sanctam tibi Ecclesiam tribuatur accessus: et in sortem Nephtaliæ, quæ dicitur vitis remissa, ut de Sacramento Dominici sanguinis participare merearis. 5. Sed nec Hebron tibi aditus claudatur, quæ interpretatur coniunctio, sive coniugium. Revertitur enim anima tua ad virum suum, id est, ad Spiritum Dei, a quo pro tempore peccaminum fuerat iudicata. 6. Sicque etiam sextam civitatem Sichem, quam Ioseph noster in hæreditatem consequitur, propter quod ibi sepultus est, valebis intrare: quæ interpretatur humerus, sive labor: ut ostendas te per laborem pœnitentiæ ab errore tuo Christi humeris reportatum, et adiunctum nonaginta novem ovibus, effectumque centesimum; quia ipsa Sichem ab alienigenis, centum agnis scribitur comparata: ita Bachiarius. Alia in eam rem non minus idonee possis excogitare, et variis virtutibus applicare.

Nota tertio, non dicit, Deus noster, sed, *Deus meus;* 17. *Deus est Deus omnium et singulorum iustorum.*
quia Deus est ita Deus, id est, pater, nutritius, tutor, curator, dux, provisor, protector et gubernator omnium iustorum, ut sit etiam singulorum, qui perinde ex eo infinito thesauro gratias sibi necessarias sumunt, ac si soli essent in mundo. Non plus soli laboris est multos quam unum illuminare. 2. Deus dicitur iustorum Deus, ob singularem favorem, amicitiam, dona, gratias, ac tandem beatificam in cælis unionem. S. Bernard. ser. 2. in Psal. 90. *Cur non Deus noster?* ait: *Quia in creatione, in redemptione, cæterisque communibus beneficiis est Deus omnium: sed in tentationibus suis tamquam proprium eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, et eripere fugientem, ut videri possit relictis omnibus aliis ei soli operam dare: propterea expedit omni animæ Deum semper attendere, tamquam proprium non modo adiutorem, sed etiam inspectorem. Quomodo enim negligens poterit fieri, qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri? Aut quomodo non quasi proprium illum habere videtur, qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora eius, et exteriora omni hora considerare non cesset; omnesque non solum actus, sed etiam ipsos subtilissimos animæ motus perscrutetur, atque diiudicet?* ita Bern. Nos Christo possumus et debemus singuli dicere, *Deus meus;* quia sic passus est pro omnibus, ut sanguinem suum perinde pro me fuderit, ac si solus essem in hoc mundo. Hoc S. Paulus de se prædicat, Galat. 2. 20. *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* S. Chrysostom. homil. 3. in Acta Apost. ait, unius animæ salutem tanti Deo esse, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, acerbissimaque pateretur. Se ad crucem pro uno peccatore iterum perferendam paratum esse declaravit Christus ipse S. Carpo, ardentius in quemdam sceleratum inflammato, ut refert S. Dionysius in epistola ad Demophilum. Non est tamen probabile, Deum incarnandum fuisse, et passionis dolores suscepturum, si tantum unus homo peccasset: imo verisimilius est, non venturum fuisse Christum in carne mortali et passibili propter actualia etiam multorum hominum peccata, nisi fuisset peccatum originale, quod est velut totius generis humani commune exitium et clades. Lege nostrum Vasquesium 3. part. disp. 13. Adverte autem, sicut Deus se tuum facit, ita tu eum, in tuum acceptare debes, ita ut pro eo omnia alia negligas, et eo perdito nihil te habere putes. David noster dicebat Ps. 15. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei.* Vide illum locum. S. Thomas Apostolus Christo sibi apparenti post resurrectionem, et vulnera ostendenti, dixit Ioan. 20. 28. *Dominus meus, et Deus meus.* S. Franciscus totas noctes in iis vocibus de- 18.
vote traducebat: *Deus meus et omnia.* Georgius princeps Anhaltinus hoc symbolum habuit: *Pars mea Dominus.* Olympiades martyr, Decio Imper. facultates eius poscenti, *Deum solum quærunt sancti.*
ait: *Nostræ opes, nostræ gemmæ, nostrum aurum et argentum Christus est. Disce autem miser, quia corpora nostra tibi tradimus, contemptis facultatibus terrenis atque perituris. Quod si teipsum bene considerares, supplex fieres Deo creatori tuo, et Filio eius Domino Iesu Christo. Honores enim et divitiæ ad tempus sunt, aliis quidem pro gloria,*

tibi vero ad pœnas sempiternas, ut habetur in Actis S. Laurentii. Eodem modo S. Symphorianus Iudici honores offerenti, si Berecynthiæ vellet sacrificia offerre, respondit: Nostræ opes et divitiæ semper in Christo sunt, quas nulla unquam vetustas, ulla temporis diuturnitas corrumpit. Cupiditas vestra etiam omnia habendo, nihil possidet: quandoquidem diabolicis obnoxia laqueis, infelicis lucri perpetuis uritur æstibus; sicut legitur in eius actis. S. Amatus Abbas Monasterii S. Romarici, cum adhuc solitarius degeret, obiatam sibi ab Episcopo pecuniam constanter respuit: cumque eam ipso inscio, imposuisset altari, repertam die sequenti tamquam hostis tartarei insidias execrans, in profundam vallem magna vi abiecit, dicens: Dominus pars hæreditatis meæ: ego his non indigeo, ut ait Surius in eius vita, die 13. Septembris.

S. Amatus contemnit pecunias.

19. Nota quarto, in triplici voce, *susceptor, refugium, Deus*, notat Bellarmin. tria Dei beneficia. Primum, præteritum: ineffabilem scilicet misericordiam, qua suscipit hominem iam lapsum in lethale peccatum, et ad gehennam ruentem, de quo dicitur in Psal. 117. *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.* Secundum, præsens: Deus enim quem suscipit per gratiam iustificationis, non statim assumit in cælum, ubi nulla sunt pericula, sed constituit in acie præliantium militum suorum, sed si confidat in Domino, Dominus illi refugium erit in omni tentatione. Tertium denique, futurum: nobis enim Deus tunc proprie erit Deus, quando videbimus eum sicuti est: tunc enim summo bono fruemur: hæc ipse. Malim tamen hæc tria de hac vita etiam intelligi: Deum scilicet esse susceptorem, cum iusto hostem fugienti arcis portas aperit: nempe, misericordiam suam et omnipotentiam: eumque recipit antequam vulneretur; 2. refugium, cum portæ hosti clauduntur, ut ad iustum intrare non possit; 3. Deus, cum fruendum se illi per mutuum aspectum, colloquium, et bonorum communicationem præbet. David hoc expertus erat, cum diceret Psal. 5. 10. *In quacumque die invocavero te: ecce cognovi quoniam* (quod) *Deus meus es.* Quantum sit hoc beneficium, prædicat ipse David, admirans a Deo electum esse peculiariter populum Israel, ut esset populus eius, et esset vicissim illi in Deum, 2. Reg. 7. 23. ac seqq. Martinus Episcop. Bracarensis lib. 4. de quatuor virtut. cap. 3. dicebat: Qui sibi ipsi satis est, cum divitiis natus est. Nos dicamus, cui Deus satis est, cum divitiis, honoribus ac summis sincerisque deliciis natus est.

Triplex Dei beneficium hic ponitur.

20. Nota quinto, in Deo uno sperandum tibi est: *Deus meus sperabo in eum.* S. Hier. et Felix, confidam in eo. Camp. totum me curæ illius committam. Primo, quia nos amat ut pater, imo plusquam pater. Salvianus lib. 4. de Providentia: Plus, ait, nos amat Deus, quam filium pater. Evidens quippe res est, quod super affectum filiorum nos Deus diligit, qui propter nos filio suo non pepercit. Et quid plus addo? Et hoc filio iusto, et hoc filio unigenito, et hoc filio Dei. Et quid dici amplius potest? Et hoc pro nobis, id est, pro malis, pro impiissimis, pro iniquis: hæc ille. Secundo, confidendum est Deo, quia est Sciaddai, ut supra dixi, hoc est, sibi et aliis solus sufficiens in omnibus. Ioannes a S. Maria refert, Catharinam Calabrem in morbum delapsam, a suo confessario rogatam fuisse, unde ad tantos sumptus pecunia illa suppeteret, fidenter subiecisse: Deum patrem habemus, qui centum aliis est præstabilior. Maria a S. Bernardo cum filium parvulum relinqueret, ut Religionem S. Dominici ingrederetur, illeque lacrymans postularet, cui se ignota in patria, sexcentis leucis a sua distante, sine ope ulla relinqueret, respondit: Iesu Christo te relinquo, hic erit pater tuus: et beatæ Virgini, quæ erit mater tua: his obtempera, fili, nihilque deerit: idque ex votis accidit, et ipse postea eiusdem Ordinis Religiosus extitit. Tertio, nullus hostis in nos quidquam poterit, si Deus nos iuvet. Iudith 9. 11. orabat: *Erige brachium tuum sicut ab initio, et allide virtutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorum in iracundia tua.* Hoc fecit Deus liberata Bethulia, et cæso Holoferne duce exercitus, totoque Assyriorum cæso fugatoque exercitu. Quarto, Deus

Spei in Deum septem motiva.

A arma nobis suppeditat, quibus hostes conteramus. Iudæ Machabæo porrexit gladium inauratum Ieremias Propheta illi apparens, 2. Machab. ult. his verbis additis, v. 16. *Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel.* Quinto, Deus dat nobis robur. Isaiæ 40. 29. *Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt, fortitudinem et robur multiplicat*; et v. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ; current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient.* Sexto, Deus nobiscum pugnat. Exod. 14. v. 14. trepidanti populo in egressu Ægypti ob insequentem Pharaonem cum potenti exercitu, ait Moses: *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis.* S. Catharina Senensis cum ariditatem animi patiebatur, dicebat Deo: *Cura cor tuum*; ab eo enim cor novum acceperat. Septimo denique, confidendum est in Deo quia cadentes erigit. Ps. 36. 24. *Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Spem itaque in Deum pro tessera et symbolo nobis assumamus, sicut varii duces. Raymun-B dus quidam comes Turrianus, in symbolo habebat: *Spero in Deum.* Albertus comes Leostenius: *Deo confido.* Bodo comes Solbergius: *In Dominum spero.* Enno comes Frisiæ Orientalis: *In Deo sperabo.* Henricus comes Iseburgius: *Rebus in omnibus fide Deo.* Ernestus comes Honstenius: *Deus spes mea, non confundar.* Georgius Andreas baro Buchemius: *Nil desperandum.* Sicut enim canit Reusnerus Leorinus:

In solo sperare Deo tutissima res est:
Desperet quisquis non putat esse Deum

21. Nota sexto, a laqueis venantium solus Deus eripere nos potest: *Ipse liberavit me* (Hebr. liberabit te) *de laqueo venantium.* Syr. et Arabs. de laqueo offendiculi. Chald. de laqueo et offendiculo. S. Augustinus, de muscipula venantium. Ubi adverte primo, quod aves sumus. Passerem se vocat David, Psal. 123. 7. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Columbæ alas optat, Ps. 54. 7. Aquilam se nuncupat, Psal. 102. 5. *Renovabitur ut a-C quilæ iuventus mea.* S. Ambrosius serm. 14. in Ps. 118. *Satis est tibi*, inquit, *ut avem te esse noveris, assumptum in naturam volandi. Avis es, o homo, qui sicut avis in quamdam aquilæ renovatus es iuventutem. Quid te in terram deiicis, qui iam cælum petebas?* hæc Ambrosius. Peccatores vero sunt bestiæ. S. Bernardus serm. 3. in Ps. 90. Ergone bestiæ sumus? inquit: Bestiæ prorsus: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Bestiæ profecto sunt homines, oves errantes, non habentes pastorem. Quid superbis, o homo? quid te sciolum iactas? Vide quia bestia factus es, cui venandæ laquei præparantur: ita Bernardus. Secundo adverte, diabolos esse venatores. Figurati sunt in Nemrod, Ismael, et Esau. De primo dicitur Genes. 10. 9. *Nemrod erat robustus venator coram Domino.* S. August. lib. 16. de civit. Dei, legit, contra Dominum. De secundo dicitur Genes. 16. 12. *Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, et manus omnium contra eum.* De tertio, Genes. 25. 27. *Factus est Esau vir gnarus venandi,* D *et homo agricola. Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* S. Hier. in Psal. nostr. dicit: penitus non inveniri in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem: piscatores inveniri sanctos. Sed hoc non videtur semper verum. Nam Ierem. 16. 16. ait Deus se missurum piscatores et venatores qui venentur Israelitas *de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum.* Hoc S. Hier. S. Ambr. et S. Aug. exponunt de Apostolis et Apostolicis viris homines Deo lucrantibus. Ezech. 12. 13. Chaldæos Deus piscatores facit, qui capiant intra retia sua regem Iudæorum Sedeciam: *Extendam*, ait, *rete meum super eum, et capietur in sagena mea.*

Iustus est avis cœli.

Peccator est bestia.

Diaboli sunt venatores.

Si quæras horum venatorum apparatum, equos, canes, arcum, pharetram, sagittas, rete, et laqueos reperies. Primo quidem equos. Apoc. 6. 8. *Ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum.* Equus pallidus est Invidia, qua maxime in nos dia-

Venatorum illorum apparatus.

boli incitantur. Secundo, canes eorum sunt detractiones. 3. Regum 21. 24. *Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes.* Tertio, arcus eorum est hypocrisis. Oseæ 7. 16. *Reversi sunt ut essent absque iugo: facti sunt quasi arcus dolosus.* Quarto, sagittæ sunt blasphemiæ. Ps. 72. 9. *Posuerunt in cælum os suum, et lingua eorum transivit in terra.* Quarto, rete eorum est avaritia. Habacuc 1. 16. *Immolabit sagenæ suæ, et sacrificabit reti suo: quia in ipsis incrassata est pars eius, et cibus eius electus. Propter hoc ergo expandit sagenam suam, et semper interficere gentes non parcet.* Sexto, laquei eorum sunt fraudes. Ierem. 5. 26. *Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos parantes et pedicas, ac capiendo viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo.* Psal. 63. 6. *Narraverunt ut absconderent laqueos; dixerunt: Quis videbit eos?* Laqueus quoque dici potest quælibet occasio, quam observat et captat diabolus secundum cuiusque inclinationem, mores, affectus, officium, ut monet S. Ephrem serm. de pass. et perturb. animi. Hic laqueus sæpe affert mortem. 2. Reg. 22. 6 David noster exclamat: *Funes inferni circumdederunt me: prævenerunt me laquei mortis.* Dæmon varias escas obiicit, ut nos in laqueum trahat. S. Ambr. serm. 14. in Ps. 118. Non capit laqueus, ait, nisi ante esca te ceperit. Dum prædam capis, laqueo ipse te nectis. Esca laquei, avaritia est: esca diaboli, luxuries est, quibus nos vult inescare, non pascere: et ideo clamabat Apostolus, Coloss. 2. 21. *Ne tetigeritis, neque gustaveritis quæ sunt omnia ad corruptelam ipso usu.* S. Antonius vidit mundum laqueis plenum, venatoribus etiam plenus est. Mercur. Trismeg. in Pimandra cap. 3. Mundi, ait, nulla pars est dæmonum præsentia destituta.

Corpus est laqueus. Hos laqueos excutere non possumus. S. Bern. serm. 3. in Psal. 90. ait, corpus nostrum esse laqueum: et vere nos maxime constringit. Verba eius sunt: Ipsum corpus laqueus quidam est; unde et oculus legitur animam deprædari. Minime ergo decet esse securum hominem, qui secum portat laqueum suum: imo vero bonum est magis habitare in adiutorio Altissimi, ut per eum possit laqueus evitari. Petrus Blesensis dicit nos a carne illigari. Sic enim loquitur serm. 8. qui est de S. Vincentio: Tres habemus hostes, carnem, mundum, diabolum. Caro est hostis domesticus, et ideo magis timendus. Mundus hostis sophisticus, et ideo cavendus. Diabolus hostis antiquus, et ideo magis odiendus. Caro suadet suavia, mundus inania, diabolus iniqua. Caro ligat, mundus nos sugillat, diabolus nos necat. Caro suggerit luxuriam, mundus avaritiam, diabolus superbiam. Caro deprimit nos infra nos per luxuriam, mundus trahit nos extra nos per avaritiam, diabolus erigit nos supra nos per superbiam: Ita Blesensis. S. Pelagia pœnitens inclamabat, se fuisse rete diaboli, et ornamentum eius atque ergasterium.

Unus Deus potest nos ab his pedicis explicare. Ps. 24. 15. *Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Eccli. 51. 3. dicitur: *Liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium.* Perdices assuefaciunt pullos suos, qui nondum volare possunt, urgente aucupe supinos iacere, et glebam aliquam aut quisquilias corpori suo inilcere aut prætendere, tamquam umbraculum aut tegumentum: ipsæ persequentem aliorsum abducunt hinc inde volitantes, et paulatim loco cedentes, donec lactatum spe capiendi longe a pullis avellant, ut ait Plutarchus lib. de solertia animal. pag. 971. Deus non tantum impedit suos alumnos ne capiantur, sed etiam captos liberat. Clamemus igitur cum Davide: *Ipse liberavit me de laqueo venantium.* Et sumamus symbolum Friderici II. Electoris Palatini: *De cælo victoria.*

22. A quo verbo aspero David liberatus? Quæres, quodnam sit verbum asperum, a quo liberatum se David ait? Primo, Iansenius sumit hoc loco verbum pro re, quod frequens est apud Hebræos, et ait sensum esse, q. d. Liberasti me a verbo aspero, id est, effecisti, ne incidam in rem aliquam asperam et noxiam. Hebræa iuvant, in quibus nunc non est דבר *dabar*, id est, verbum, sed דבר *deber*, id est, pestis. Hinc S. Hieron. vertit: Ipse liberabit te de morte insidiarum. Pagnin. de morte contritionum. Felix, a peste pravitatum. Flaminius, a peste exitiali. Camp. a peste pessima: et sunt qui velint, Davidem agere gratias, quod sit liberatus ab illa peste terrifica, in qua occubuerunt septuaginta millia virorum a Dan usque Bersabee ob numeratum populum.

Secundo, et melius, verbum accipiendum est in propria significatione: de re enim dixit, *Liberasti me de laqueo venantium.* Multipliciter autem verbum illud sumi potest.

Primo, Cassiodorus sumit de verbo, quod contra divinas regulas, velut lethiferum poculum propinatur. Secundo, Bruno Carth. explicat de occulta suggestione. Ludolphus etiam Carthusianus de tentatione, quæ fit per verba: sive sint aspera, ut convicia, detractio, et similia: sive blanda, ut adulatio, doli, et huiusmodi: omnia dicuntur aspera, quoniam divinis obviant legibus, et movent hominem ab eis: Ita Ludolphus. Tertio, Ugo Card. exponit de conviciis Iudæorum contra Christum. Quarto, Aignanus de insultatione et detractione infidelium. Quinto, de omni sermone nocivo contra nos dicto. S. Gregorius, de irrisionibus et contumeliis. Illud enim Iobi 5.21. *A flagello linguæ absconderis,* explicans sic ait lib. 6. Moral. 15. *Flagellum linguæ, est exprobratio illatæ contumeliæ. Flagello linguæ bonos feriunt, qui eorum opera irridendo persequuntur. Sæpe enim lingua a bono opere, dum vituperat, revocat, et quasi flagellum se exerit, quia dorsum timidæ mentis cedit. Hoc flagellum linguæ electorum mentibus insidiari Propheta conspexerat, cum supernum adiutorium pollicens dicebat: Ipse liberabit me de laqueo venantium, et a verbo aspero. Venantes enim nihil aliud quam carnem quærunt. Sed a venantium laqueo, atque a verbo aspero eripimur, quando et insidias carnalium, et irrisionum probra despiciendo superamus. Aspera quippe eorum verba sunt, quæ bonis nostris itineribus adversantur. Sed asperitatem verbi evadere, est irrisiones detrahentium dissimulando calcare. Sancta ergo anima a flagello linguæ absconditur: quia dum in hoc mundo honorem laudis non quærit, nec contumelias detractionis sentit:* Ita Gregorius. Sexto, et melius, Titelm. verbum asperum intelligit sententiam damnationis æternæ, cum dicetur impiis Matth. 25. 41. *Discedite maledicti in ignem æternum.* Septimo denique et optime, verbum asperum, a quo liberatum e laqueo venantium servat Deus, est insultatio ipsorum venantium, hoc est, dæmonum in captam prædam involantium, et se mutuo ad illam discerpendam hortantium. Ita S. Bernard. sermon. 3. in Psal. 90. Quod est hoc verbum, ait, nisi illud insatiabilis gehennæ: Affer, affer, pereute, dilacera, cito interfice, velociter spolia detrahe. Quid est verbum asperum, nisi: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Quomodo exultant venatores capta bestia, et clamant: Tolle, tolle, infige verubus, infer prunis, et male bullientibus impone lebetibus. Verbum asperum fuit, quod protulit domus exasperans populus Iudæorum: Crucifige, crucifige: Ita S. Bern. Tartari irruentes in Transylvaniam infantulos dissectos, et verubus attractos, ad ignem torrebant, et assatos devorabant. Plurimi carne dumtaxat nostrorum, et mulierum mammillis vescebantur, ut ait Petrus Bizarus lib. de bello Pannonico, pag. 131. Longe diriores erunt dæmones sceleratis. Ab his Deus iustos liberat. Eccli. 51. 4. *Liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum, quæ circumdederunt me.* Tartarorum crudelitas.

ARTICULUS III.

In arcem potentiæ suæ ingressos tuetur Deus ante pugnam, in pugna, et post pugnam.

Quid faciat Deus iusto post pugnam, dicetur art. ult. huius sectionis. Nunc et in articulo sequenti dicendum est, quid faciat ante pugnam, et in pugna.

Ac primo, ante pugnam Deus fovet iustos: v. 4. Scapu- Vers. 4.

LIS SUIS (Hebr. in ala sua. Sept. ἐν μεταφρένοις αὐτοῦ. Sunt autem μετάφρενα locus, in quo pennæ teneantur, quod interiectum est humeris, ait Græcus anonymus) OMBUMBRABIT TIBI, ET SUB PENNIS EIUS (S. Hier. sub alis eius) SPERABIS. Mutatur hic a prima persona ad tertiam locutio, ut denotetur Prophetam nunc loqui, q. d. Iusto, qui prius locutus erat: hæc sicut dixisti, eveniant tibi in Deum speranti.

23. Quibus alis Deus tegit sanctos? Quæres, quænam sunt alæ, quibus Deus servos suos obumbrat? Titelm. Ludolph. Haymo, et alii per alas Dei intelligunt eius potentiam et misericordiam; nec immerito, q. d. Deus ipse, in quo habes fiduciam, suæ potentiæ fortitudine tibi obumbrabit, quasi scapulas suas super te expandet, suum auxilium super te faciet apparere, ut nocumenti nihil ad te possit pertingere: quomodo cum pater scapulas suas et humeros obiicit pro filio, ut is qui parvulo nocere cupit, non possit, obstaculum præbentibus latis obumbrantis patris humeris: ita Titelm.

24. Unde ista comparatio ducitur? Quæres secundo, unde ista similitudo ducatur? Primo, Theodoretus et Euth. duci volunt ἀπὸ τοῦ προμάχου, id est, ab eo qui pugnat pro aliquo. Solet enim ante eum stare, atque hoc pacto illum tegit, atque obumbrat tergo suo ac

I. toto corpore. Vocabatur etiam ille propugnator, προασπιστὰς et ὑπερασπιστὰς, qui scilicet obiecto clypeo dominum suum, principem aut regem tegebat in bello pugnantem. Alæ militaris frequens mentio est apud Latinos, sed apud Hebræos nulla, quia pedites tantum pugnabant: ala autem dicitur de equitatu, quia illo volat exercitus, sicut aves alis suis. David dicit Deo Psalm. 139. 8. *Obumbrasti super caput meum in die belli.*

II. Secundo, scapularum obumbrationem Remigius sumit de aquila pullos humeris ferente. Solent, ait, aves quædam, ut aquila, pullos suos scapulis portare, et sic circumducere, donec discant volare: ne, cum primitus volare incœperint, casum patiantur: ita Dominus, dum infirmi sumus, portat nos, donec nos perficiat: ne si nos dimiserit, casum pro imperfectione patiamur: hæc ille, qui pennas explicat de charitate Dei et proximi. Moses dicebat de Deo ducente populum Israel ex Ægypto in terram promissionis, Deuter. 32. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Sed sic non obumbrat aquila, sed potius ferens scapulis pullos, eos exponit radiis solis. Itaque non tergo, sed pectore fit obumbratio, et protectio sub scapulis et pennis.

III. Et optime. Tertio denique, et optime, similitudo hæc a gallina fovente et tegente pullos suos petitur, ut ait S. Augustinus, et ipse Remigius. Verba S. Augustini sunt in Psal. nost. Attendat charitas vestra, hirundines, passeres, et ciconias videmus extra nidos suos, nec cognoscimus, utrum fœtus suos habeant. At vero gallinam cognoscimus in infirmitate vocis, et in relaxatione plumarum, tota mutatur affectu pullorum. Quia illi infirmi sunt, infirmam se facit. Quia ergo et nos infirmi eramus, infirmam se fecit sapientia Dei: quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, ut sub alis eius speremus: hæc ipse. Dicit Christus se gallinæ comparans, Matth. 23. 37. *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui congregare pullos tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* S. Bern. ser. 4. in Ps. 90. quatuor beneficia in illa obumbratione annotat. Primo, inquit, sub his scapulis abscondimur. Secundo, sub his in occursu accipitrum et milvorum protegimur, qui sunt aereæ potestates. Tertio, sub his umbraculum salubre refrigerat nos, et repellit nimium solis fervorem. Quarto, sub his quoque alimur et fovemur. Christus in cruce nos obumbrat scapulis suis, brachiis et manibus. Arabs vertit: *Manus eius obumbrabit te, et sub umbra sua proteget te.* Ægyptii et Phœnices diis singulis alas singulas tribuebant: Saturno autem quatuor: duas protensas, et duas remissas, atque oculos quatuor. Quo denotarent ipsum vigilantem dormire, et dormientem vigilare. Christus etiam in cruce mortuus vigilat, atque alas suas super nos expandit.

Deorum alæ.

25. Symbol. Symbolice Arnobius: Pennæ Dei, ait, angeli eius sunt, quorum custodiæ mancipamur. In eam rem aptissime refertur, quod habet noster Ludovicus de la Cerda, tract. de excellentia cælestium spirituum, cap. 20. pag. 199. Non omittam, ait, Alphonsi Henriquez regis Lusitaniæ pietatem, qui instituit militantes sub instituto Cisterciensi. Eius verba sunt: In Dei nomine, S. Michaelis Archangeli, et S. Angeli custodis, etc. Cum in bello signum meum esset captum ab inimicis meis, ego desilii de curru, ut liberarem illud, et cum in pressura pedibus pugnarem, mirabile visu evenit iuxta me peccatorem: *Brachium pugnantis et adiuvantis me, armatum quidem erat secundum visum meum, et summitatem eius cooperiebat ala tamquam angeli,* corpus autem non videbam, nec aliquis vidit, quamquam multi Maurorum manum vidissent, sicut postea dixerunt captivi. Cum ergo manum vidi, intra me confortatus insilii in hostes, et ecce cadebant a latere meo mille, et decem millia a dextris meis. Victus est inimicus meus, et collegimus spolia eorum, et vidimus prostratam in campis Sanctarenæ manum magnam, quæ persecuta fuerat nos: et cantavimus laudem Deo nostro, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Et ne obliviscamur adiutorium S. Michaelis, et angeli mei, de consilio supra dictorum decrevi facere unum Ordinem et Societatem militum, *qui deferant super cor alam purpuream, insignitam auro et fulgore:* sicut visum oculis meis fuisse illam, quam videram in prælio: hæc ibi. Dicamus Deo cum rege nostro, Ps. 62. 8. *In velamento alarum tuarum exultabo.* Plena est maiestatis et gloriæ ala Dei. Chaldæus in Psalmo nostro vertit: *In umbra maiestatis suæ obumbrabit tibi, et sub umbra gloriæ eius securus consistes.*

Brachium alatum tutatur regem Lusitan. in prælio.

26. Vers. 5. 1. Pars. In ipsa pugna Deus iustum protegit, v. 5. SCUTO CIRCUMDABIT TE VERITAS EIUS: NON TIMEBIS A TIMORE NOCTURNO. Nota, pro circumdabit te, legit S. Hier. וסוחרה *vesochera*, unde vertit: *Scutum et protectio veritas eius.* Pagninus et Flamin. Scutum et clypeus. Arias et Felix: Scutum et parma. Campensis: Clypeus et umbo. Vox Hebr. צנה *tsinna*, quæ primo loco ponitur, significat maiorem clypeum, qui totum fere hominem tegat, cingat et coronet; סוחרה *sochera* vero est scutum brevius et rotundum, quod nos vocamus *rondache*, a rad. *sachar*, circuire. Septuaginta porro interpretes non legerant *sochera*, id est, scutum, sed סוחרך *socherecha*, id est, circumdabit te: et eorum lectio est melior, ut patet ex sensu, et certum eos habuisse codices emendatiores, quam habuerit S. Hieron. post multa sæcula.

Tsinna et sochera.

27. Veritas pro iustitia. Quæres, quid per veritatem hic intelligatur? Primo, sumi potest Dei iustitia, pro qua sæpe in Scripturis veritas ponitur. Hinc Arabs vertit: *Circumdabit te iustitia eius armis.* Sap. 5. 19. *Sumet scutum inexpugnabile æquitatem.*

I. Sceleratos enim Deus punit in iustum involentes, ut sæpe contigit rebellibus in Mosen et Aaronem insurgentibus. Stephanus Bathorius rex Poloniæ in symbolo præferebat hæc verba: *Dominus exercituum nobiscum.*

II. Pro fidelitate. Secundo, veritas sumi potest pro veracitate, seu fidelitate in promissis, sicut sumitur Psal. 88. 25. Magnum et impenetrabile scutum est Deus verax, qui opem pugnanti et sibi servienti promisit. Abrahamo dixit Gen. 15. 1. *Noli timere Abram, ego protector tuus.* Hebr. מגנך *maghinni*, hoc est clypeus tuus. Locutus est David iam senex Domino, postquam liberavit eum de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul, 2. Reg. 22. 3. *Deus fortis meus, sperabo in eum: scutum meum et cornu salutis meæ.* Nec sibi soli, sed aliis etiam iustis Deum scutum esse declarat, v. 31. *Scutum est omnium sperantium in se.* Scutum vero illud esse salutare, ait v. 36. *Dedisti mihi clypeum salutis tuæ.* Scuto illo coronat Deus iustum, Ps. 102. 4. *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Et apertius Ps. 5. 15. *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Quem in locum S. Hieron. sic ait: *Apud sæculum aliud est scutum, aliud corona: apud Deum ipse est scutum, ipse est et corona: quasi scutum protegit, quasi Deus coronat; dicit igitur: Protexisti nos Domine scuto tuo, et pro-*

*

tectio tua corona fuit, id est, nostra victoria: hæc Hieron.

111. *Pro fidei veritate.* Tertio denique, veritas hic sumi potest pro veritate fidei revelatæ per Apostolos et Prophetas. Ierusalem, id est, Ecclesia, vocatur civitas veritatis, Zachar. 8. 3. *Est turris David, mille clypei pendent ex ea.* Cant. 4. 4. Fides clypeus est. Ephes. 6. 16. *In omnibus sumetis scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Nam quomodo qui per fidem considerat æternitatem præmiorum et suppliciorum, infinitam Dei bonitatem, sapientiam, iustitiam, misericordiam, poterit penetrari iaculis inimici? Ioann. 8. 32. dicebat Iesus: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* Sermo ille divinus est scutum nostrum. Prov. 30. 5. *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.* Ignis ille ardet ac lucet. Lazarus Schuendius baro Landspergius hoc symbolum sibi sumpsit: *Durat et lucet veritas.* S. August. in Psal. 34. docet, interiora et exteriora nostra tegi a fide. Ipsum, ait, Apostolum videmus dixisse quodam loco, loricam fidei: et alio loco dixisse, scutum fidei: ergo ipsa fides et lorica esse potest, et scutum. Scutum est, quia tela inimicorum excipit et repellit. Lorica est, quia interiora tua transfigi non sinit: hæc August. Galea solum caput tegit, lorica pectus et humeros, scutum vero corpus integrum tegit: fides est defensio generalis in omni tentatione. In eam rem non incommodo refertur, a Leone Papa III. in scutis argenteis scriptos esse fidei articulos, ut nos a fide protegi denotaret. Hic, ait Anastasius in eius vita, pro amore et cautela orthodoxæ fidei, *fecit scuta argentea duo, scripta utraque symbolo:* unum quidem litteris Græcis, et alium Latinis, sedentia dextra lævaque super ingressum corporis, pensantem ibi libras nonaginta quatuor, et uncias sex.

28. *Deus ex omni parte nos circumdat.* Nota, necesse est, ut Deus scuto suo nos undique circumdet, quia ab hostibus ex omni parte circumdamur. S. Bernard. ser. 15. in Psal. 90. Quia, inquit, undique circumdatus es tentationibus, scuto circumdabit te veritas eius, ut quemadmodum undique bella, ita undique sint et præsidia. Veritas autem circumdat, quia verax est qui promittit: et sic exhibet, ut promittit. Hæc S. Bernardus, qui etiam notat, scuto gratiam divinæ protectionis comparari, quod in superiori parte amplum et latum est, ut caput humerosque custodiat: in inferiori vero strictius, ut minus oneret. Pari ratione, in superioribus dat gratiæ spiritualis abundantiam amicis suis: in inferioribus vero patitur nonnunquam eos penuria premi rerum temporalium. Richardus a S. Victore annotat. In hunc Psal. tentationem dæmonis importunam nobis depingit, quæ suggestione sua prævenit rei præsentiam, sub ipsius rei præsentia exacuit concupiscentiam, subtracta rei præsentia revocat eam ad memoriam. Quasi ergo ex omni parte impugnat, dum se undique ingerere non cessat. Recte itaque de illa intelligitur quod dicitur: *Scuto circumdabit te veritas eius.* Nam quoniam ex omni parte per hanc tentationem impugnamur, recte circa eam veritatis scuto undique cingimur atque protegimur: hæc Richardus. Sub hoc Dei scuto fortiter Martyres dimicarunt. *S. Hippolyti fortitudo.* S. Hippolytus Martyr Decio Imperatori in mediis tormentis dicebat: Militia mea hæc est, ut me constanter Christianum militem declarem. Cassianus dicit, Religiosos esse Christi milites. Sic enim lib. 1. de cœnobior. institutis, cap. 2. agens de cingulo monachi, Monachum, ait, *ut militem Christi*, in procinctu semper belli positum, accinctis lumbis iugiter oportet incedere. Christiani etiam omnes laborare debent sicut boni milites Christi: dicant cum Maximiliano Austriæ duce, qui id symbolum habuit: *Militemus.* Clypeum assumat Dei veritatem, qua et in acie, et in omni periculo tutus evadat. Myrtilus miles in naufragio ope sui clypei enatavit; unde Leonides Poeta Græcus, cuius versus Alciatus emblem. 161. latinos fecit, sic cecinit:

Bina pericla unis evasi Myrtilus armis,
Cum premererque solo, cum premererque salo.
Incolumem ex acie clypeus me præstitit: idem
Fluctibus e mediis littora ad usque tulit.

ARTICULUS IV.

Deus iustos liberat a timore nocturno, matutino, vespertino, et meridiano.

Omnis hora in bello sollicita est, iustis autem certantibus omne tempus securum est, et timoris expers, vers. eod. 5. NON TIMEBIS A TIMORE NOCTURNO, id est, a re terrorem incutiente in nocte: est metonymia; timor enim ponitur pro re timenda: actus scilicet pro obiecto. *Vers. 5. 2. Pars.*

Vers. 6. A SAGITTA VOLANTE IN DIE, A NEGOTIO PERAMBULANTE IN TENEBRIS, AB INCURSU ET DÆMONIO MERIDIANO. *Vers. 6.*

Quæres primo, quid est timor nocturnus, quem non timent sancti? Primo, timor nocturnus est, qui habetur in morte, cum iam vitæ dies desinit, et in æternam clauduntur lumina noctem. Tunc vir iustus non timet hostem tenebrosum, qui tunc maxime instat. Exempla in promptu sunt. S. Adelelinus Sagiensis Episcopus in historia S. Opportunæ Abbatissæ refert, cum esset morti proxima, S. Cæciliam et S. Luciam illi apparuisse, quas ubi vidit, dixisse: Avete sorores Cæcilia et Lucia. Quid præcepit ancillæ suæ gloriosa Maria cælestis regina, et omnium virginum Domina? Tum subiecerunt: O splendidissima sponsa Christi Opportuna, expectat adventum tuum intacta Virgo Maria, ut filio eius coniungaris in cælo, quem totis visceribus dilexisti in mundo. Ornata corona gloriæ, et accensa lampade, debes ire obviam sponso et sponsæ. Post lætitiam autem tam præclaræ visionis et visitationis, ecce in sinistro angulo domus astitit terribilis dæmon, et nimis ferox, in specie nigerrimi Æthiopis, cuius capilli et barba distillabant quasi picem calidam et liquidam, oculi eius erant quasi ferrum ignitum, quod de fornace multis scintillis emicans producitur. De ore et naribus eius flamma exibat et vapor sulphureus. Omnes sanctimoniales advocans, eum victum esse declarat, rogat ne eius tentationibus acquiescant, et ad illum conversa dixit: In nomine Domini recede a me, ferox et truculente inimice Christi, quia non me ancillam Christi superabis, sicut Evam primam fœminam superasti. Christique corpore accepto, ait: Ecce advenit Domina mea B. Virgo Maria, cui vos commendo, quas in hoc sæculo amplius non videbo. Extendente autem ea brachia, quasi Matrem Dei vellet amplexari, sancta eius anima carne soluta est: hæc ibi. Christus ipse adest Sanctis suis in morte, et menti securitatem ingenerat. Sancta Clara morti proxima dicebat: Vade secura, quia bonum habes conductum itineris. Vade, quoniam qui te creavit, sanctificavit: et custodiens te semper, velut mater filium, tenero amore dilexit. Tu, inquit, Domine, benedictus sis, qui me creasti. Quam cum quædam ex sororibus interrogaret, cui loqueretur? respondit: Ego loquor animæ meæ benedictæ. Nec ille gloriosus conductus longe aberat. Nam ad quamdam filiam se convertens: Vides tu, inquit, o filia, regem gloriæ, quem ego video? Alia quoque versus portam aspiciens, vidit in vestibus albis turbam ingredientem Virginum, quæ omnes aurea serta suis capitibus deferebant. Graditur inter eas una præclarior cæteris, ex cuius corona, quæ in summo fenestrati thuribuli speciem prætendebat, tantus splendor irradiat, ut noctem ipsam in diei lucem intra domum convertat. Procedit ad lectulum ubi sponsa filii decubat, et amantissime se super eam inclinans, amplexum dulcissimum præstat: profertur a virginibus miræ pulchritudinis pallium, et certatim deservientibus cæteris, et Claræ corpus tegitur, et thalamus adornatur. Die sequenti ad vitam evolat, ut est in eius vita iussu Alexandri Pontificis Maximi conscripta. Sancti dum vivunt, sæpe de morte cogitant, et ad eam se præparant, ideo illam non timent. Alexander Oliva 25. Generalis Ordinis S. Augustini fit Cardinalis, quotidie sepulcrum suum visitat, dicens: Alexander quid post hæc? Morti proximus dicit: *Quid ego timeam, qui ad nuptias propero?* ut ait Nicolaus Crusenius in monastico Augustiniano. In morte, ubi aliis sunt tene-

29. Timor nocturnus quid? I. Qui habetur in morte. S. Opportuna dæmonem sibi in morte apparentem non timet. S. Claræ morienti Christus apparuit.

bræ, lux est animabus sanctorum, et tunc maxime terreno vase fracto internus splendor emicat, sicut accidit ruptis vasis a militibus Gedeonis. S. Francisci anima visa est *sub specie stellæ præfulgidæ* a candida subvecta nubecula, super aquas multas in cælum recto tramite sursum ferri, ut ait Lucas Wadingus in Annalibus Minorum, anno 1226. n. 38. pag. 353.

30. II. Timor nocturnus est qui in adversis accidit. Secundo, timor nocturnus est timor qui accidit tempore tribulationis per pusillanimitatem. S. Bern. ser. 6. in Ps. 90. Non afflictio, ait, tentatio est, sed magnus timor ipsius. Serm. 33. in Cant. timorem nocturnum, ait, esse pusillanimitatem, et horrorem difficultatis in virtute: *Primordia*, inquit, *nostræ conversionis primus exagitat timor, quem intrantibus statim horror vitæ ingerit arctioris, et insueta austeritas disciplinæ. At is timor nocturnus dicitur*: hæc ibi. Idem pene dicit in Ps. nostrum.

III. Levis tentatio. Tertio, timor nocturnus est tentatio levis. Ita S. Augustinus in Psal. nostr. Cum, ait, quisque ignorans peccat, tamquam in nocte peccat: cum autem sciens peccat, tamquam in die peccat. Tentationem, quæ fit ignorantibus levis, timorem nocturnum appellavit: hæc ipse. Richardus a S. Victore septem genera tentationum hoc loco vult designari: nempe importunam, dubiam, subitam, occultam, violentam, fraudulentam, perplexam. Importuna, inquit, tentatio est, quæ procaciter insistit: subita, quæ iudicium rationis prævenit: occulta, quæ deliberationis considerationem præterfugit: violenta, quæ vires mentis transcendit: fraudulenta, quæ animum seducit: perplexa, quæ variis vitiis impetit. Timore autem nocturno dubiam declarari ait: fit enim sæpe cum ad lumen lunæ et stellarum aliquid cernitur, ut mens in rei iudicio fallatur. Et sæpe cum animal aliud aliquid videt, hominem putat. Sic sæpe cum rubus vel rupes aliqua cernitur, ferarum impetus imminere timetur. Unde fit, ut intuentium membra invadat horror, et illic trepident timore, ubi non est timor.

IV. Omne noctis periculum. Quarto denique, et maxime ad litteram, timor nocturnus est omne periculum nocturnum, q. d. Qui in Deo sperat, nec nocturna, nec diurna timet pericula. Ita R. Kimhi, R. Aben Ezra, Genebrard. Rickelius, Eugubinus, Bellarminus, et alii. Homines enim plerique solent terroribus nocturnis conquassari, sive naturali imbecillitate propriæ imaginationis, sive somniorum tristium ac turpium etiam obiectu, sive terriculamentis de industria excitatis. Vocantur hæc phantasmata terricula, terriculamenta, lemures, empusæ, species, umbræ, larvæ, spectra, manes, simulacra, dæmones nocturni. Ipsa nox et tenebræ horrorem ingenerant. S. August. libr. 20. Confess. cap. 30. deplorat in se fœda somnia, et super eadem re Nebridio respondet epist. 115. S. Hieron. epist. 22. ait, somniantem se existimasse interesse se choreis Romanarum puellarum, cum procul in mediis Ægypti solitudinibus æstuaret. S. Petro Cælestino ea de re plurimum anxio responsum est, ne ideo abstineret a sacrificio: sicut bestiæ insidens homo, quæ sunt hominis facere non cessat, licet bestia naturæ necessitati satisfaciat.

31. Deus servat de nocte. Nota, Deus ab illis timoribus nocturnis servat. Primo, dans quietum somnum. Prov. 3. 24. *Si dormieris, non timebis: quiesces, et suavis erit somnus tuus: ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum*. Secundo, Deus dat custodes in nocte. Iob. 35. 10. ait Eliu amicus eius: *Ubi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?* Septuaginta vertunt: φύλακας νυκτερινάς, id est, custodias nocturnas. Hoc figuratur in Salomone, id est, in anima pacifica. Cantic. 3. 7. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi: uniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos*. Illi fortissimi custodes sunt angeli, qui mentes Deo dicatas diu noctuque custodiunt. Tertio denique, Deus dat lucem. Ps. 26. 1. *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?* David regnum suum comparat luci auroræ depulsis nubibus rutilanti. S. Gregorius Nazianzenus orat. de Nativitate Christi, vocat angelos λαμπρότητας δευτέρας, secundos splendores, primi splendoris administros. Dionysius Exiguus in historia S. Pachomii: Astiterunt, inquit, super Pachomium angeli lucis, et iuvenis in medio eorum ineffabili pulchritudine atque claritate resplendens, qui instar solis ex se fulgoris radios emittebat. S. Ægidii sanctitas cuidam revelata est, ostenso sole eius cellæ etiam noctu insidente. Lucas Wadingus anno 1261. num. 20. pag. 212. sic refert: Vidit quidam super cellam beati Ægidii oriri splendidissimum solem, neque ad noctem usque ab eadem suos radios divertisse, sed perseveranter eamdem illuminasse et fovisse: qua visione significatum est, Solem iustitiæ hunc Dei servum in omnibus regere, atque in Dei amore vehementer inflammare: hæc ibi. Ab angelis protectus, a Deo illustratus sume tibi symbolum Wilhelmi comitis de Monte: *Dominus protector meus, a quo trepidabo?* Hunc unum time, cætera non formidabis. Ut enim ait S. August. Timor Dei præsens securitatem generat sempiternam. Time Deum, qui super omnes est, et hominem non formidabis. Ioachimus porro comes Zollerius in suo symbolo declaravit, quantum bonum sit non timere: *Rex est, qui metuit nihil*. Antonius Fuggerus comes Kirchbergius illud habuit symbolum: *Tranquillitas felicitas summa*. Ne dæmones quidem timebis, si Deo te totum commiseris. Chald. Non timebis a timore dæmonum, qui ambulant in nocte.

Secundo, post noctis pericula, ubi repentinæ et occultæ invasiones fiunt, sequitur matutina irruptio sub crepusculum, ubi scalis, gladiis, telis, omni armorum genere certatur. Ab hac irruptione nos servat Deus. Additur enim: *A sagitta volante in die*. Chald. reddit: A sagitta angeli mortis, quam emittit interdiu. 32. Sagitta in die volans quid? I.

Quæres, quænam est sagitta volans in die? Primo, Caietanus sagittam volantem in die exponit de clamore furioso Christum poscentium, ut crucifigeretur. Secundo, S. Hier. sagittam volantem in die ait esse sermonem hæreticorum et philosophorum de luce scientiæ gloriantium. Sagitta volans diaboli, ait, videtur mihi sermo esse hæreticorum et philosophorum: *Isti enim lucem scientiæ promittunt*, et dicunt se habere diem, et non possunt decipere, nisi lucem promiserint. S. Ephrem tract. de virtutib. cap. 8. sagittas vulnerantes hæreticis tribuit. Devita, inquit, frater charissime, consuetudinem hominum hæreticorum ac libidinosorum, nihil fidele loquentium: nam *instar sagittarum, sermones ipsorum corda vulnerant*. II.

Tertio, S. August. ait sagittam volantem in die esse tentationem, quæ fit levis in scientibus: ita ipse. Scientiæ enim lux ostendit tentationem, et efficit ut cognita facile declinetur. III.

Quarto, sagitta volans in die est inanis gloria in luce sibi applaudens. Ita S. Bern. serm. 33. in Cant. *Sagitta volans in die, ait, est inanis gloria. Fama siquidem volat: et ideo in die, quia ex operibus lucis. Si hæc exsufflatur tamquam inanis aura, restat ut solidius aliquid afferatur de divitiis et honoribus sæculi, si forte qui non curat laudes, appetat dignitates. Et vide si non hic ordo tentandi servatus est in Domino nostro, cui post suggestum ad solam vanitatem præcipitium, ostensa sunt omnia regna mundi, atque oblata*: hæc S. Bernardus. Timendum hic est etiam ferventioribus, sed scutum inexpugnabile veritatis arripiant: nihil enim ita contrarium est vanitati: et si virtutes suas advertant, tantos in iis nævos dignoscent, ut plus sibi a nimia trepidatione, quam a vana gloria timeant. S. Ioan. Climacus grad. 22. vanam gloriam comparat puero, et superbiam viro. Auroræ illam possis conferre. Soli ardenti atque omnes urenti, et late radios suos extendenti. Sol, ait, affatim omnes luce sua perfundit, et vana gloria omnibus virtutum studiis gaudet: cum, inquam, ieiuniis operam do, vana gloria intumesco. Cum ieiunia latendi causa solvo, ut prudens efferor. Cum splendidus incedo, ab hac victus discedo: cum rursus viliori permuto, iterum vana gloria extollor. Quando loquor, huic succumbo: quando taceo, rursum vincor: quomodocumque ταύτην τὴν τρίβολον, hos murices abieceris, et sparseris, semper erectis mucronibus stabunt. Hæc Climac. qui tandem con- IV. Inanis gloria est sagitta diurna.

cludit: Κενόδοξος ἐστιν εἰδωλολάτρης πιστός; Vanæ gloriæ mancipium est idololatra Christianus. Idem S. Pater prius docuerat, quam exitialis sit hæc vanæ gloriæ sagitta. Vana gloria, inquit, est laborum dissipatio, sudorum perditio, thesauri insidiatrix, infidelitatis soboles, nuncia superbiæ, in portu naufragium, in area formica.

33. V. Et optime. Sagitta in die volans est illusio dæmonis.

Quinto denique, sagitta volans in die et luce, est illusio dæmonis sub specie boni ac virtutum illudentis, et se transfigurantis in angelum lucis. Pauca refero exempla. Primo, in Hispania quidam a diabolo persuasus, *in specie Christi apparente*, ad summum perfectionis gradum se pervenisse, nec quidquam, præter vitam mortalem, gloriæ suæ obsistere, statuit pulviuari ori admoto vitam finire; sed illum quidam superveniens impedivit. Ille fraude detecta laqueum collo immisit, et lacrymans scandali veniam petiit; voce de cælo recreatus est sibi peccata dimissa, nec amplium relictam dæmoni in ipsum potestatem, ut ait Lucas Wadingus anno 1253. annal. Minorum, num. 39. pag. 60. Secundo, infelicior fuit alter, qui semper orationi vacans tantum silentium servabat, ut soleret non verbis, sed nutibus confiteri. Cum illum omnes laudarent, ait S. Franciscus: Sinite, fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate sciatis, quia diabolica tentatio est, et deceptio fraudulenta. Dure hoc fratres acceperunt credentes hoc esse impossibile. Verum non post multos hos dies ex Ordine exivit, ut ait idem Auctor ann. 1220. n. 33. pag. 235. Tertio, ut refert idem anno 1285. num. 7. pag. 507. In Lusitania, inquit, mulier vexata dæmone, *sibi apparente in effigie Crucifixi*, et incitante ut se in Tagum fluvium proiiceret, ad plenam consequendam indulgentiam peccatorum, se submergere decrevit. Dum abire parat, accedit ad S. Francisci ædem, et prostrata coram S. Antonii altari, rogat sibi inspirari, quæ ad salutem essent. Mortis dolore oppressa, et animo fatigata, in somnum incidit, et S. Antonium vidit salutaria quæque monentem, diabolicas tentationes fugantem, lubentemque ut perpetuo ferret schedam, quam alligatam collo reperit, his verbis inscriptis: Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Iuda, radix David: Alleluia, alleluia. Tentationem amplius non sensit, donec rex Dionysius re audita, schedam ad se afferri iussit. Tum prior tentatio rediit; neque prius cessavit, quam ex autographo, in alia membrana, verba illa descripta collo sunt appensa. Autographum rex servavit inter reliquias. Quarto, Nicolaus Orlandinus lib. 15. histor. Soc. Iesu, num. 14. miram illusionem recitat: Laureti, ait, in Collegio Societatis Iesu dæmon erat nostris molestus. Cuidam natione Sardo, *in specie D. Pauli se obtulit*, cum humanitatis se litteris perpoliret, hortatus est, ut a lectione ethnicorum desisteret, suas potius epistolas evolveret, Dei numine, et cælesti doctrina refertas. Inexercitatus athleta id fecit. Occulta hæc tenebat: tandem aliis præstigiis atque ludibriis eo deductus est, ut prima sua vocatione deserta, solitudinis (ut ante significarat) studio, clanculum sese proriperet: hæc ibi. Unde discas tibi etiam in sanctissimis non fidere, sed duci tuo spirituali omnia aperire. His diebus prodigiosam illusionem vidimus, in quorumdam numismatum obstinata gestatione et veneratione. Hæc videns obstupesco, et humani ingenii imbecillitatem magis ac magis admiror, et dæmonis versutias et malitiam omnes invadentis. Flavianus Episcopus Constantinopolitanus epist. ad S. Leonem Papam: Nulla res, ait, diaboli venena compescit, nec continet eius mortiferas sagittas: sursum enim atque deorsum pervolans, quærit quos possit occidere, quos possit superare, quos possit devorare. Propter quam rem vigilandum est, et orationibus a Deo obtinendum, ut fatuas inquisitiones evitare possimus. Cum Darii exercitum viderent Scythæ fame laborantem, miserunt ad eum legatos cum ave, mure, rana, et quinque sagittis. Darii erat sententia, Scythas se illi donare, et terram atque aquam: hac ratione coniectans, quod mus in terra gignatur, rana in aqua, avis sit equo similis, et sagittis dandis seipsos tradere. At Gobryas unus e septem, qui magos sustulerunt, id Scy-

Mira illusio dæmonis.

Scytharum ingeniosa symbola.

A thas dicere his donis censebat. O Persæ! nisi effecti ut aves subvoletis in cælum: aut effecti ut mures, subeatis terram: aut effecti ut ranæ, insiliatis in paludes, non remeabitis unde venistis, his sagittis confecti. Thraces, dum tonat et fulgurat, in cælum sagittas coniiciunt, Deo ipsi minitantes, ut ait Herod. lib. 4. pag. 254. Dæmon in Christum sagittas coniicit in die et luce sub specie pietatis in deserto Quarentana, quod est inter Ierusalem et Iericho; incipit iuxta Anathoth, et extenditur supra Galgala usque ad desertum Thecuæ et Engaddi, iuxta mare mortuum. Vide Matth. cap. 4.

Sed sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, Ps. 63. Satanas Christum aggrediens abiit retro. Post Christi incarnationem sagittæ eius retusæ sunt. S. Athanasius tom. 2. serm. de Ascensione Christi: Nunc, inquit, diabole, etsi totam exhaurias pharetram, contra teipsum geris arcuum sagittas istas. Hucbaldus monachus sagittis Hungarorum lædi non potuit, ut ait Flodoardus lib. 2. hist. Eccl. Rhem. cap. 9. Non sagittis modo, sed gladiis ipsis B dæmonum, vir iustus est impervius. In Ioannem a Præsepi Ord. S. Dominici, stricto ense minas intentans furiosus hostis involabat, ab illo irrisus evanuit. Fugiendum est ad Deum, et in eius adiutorio, seu arce habitandum, tunc non timebimus; dicamus illi cum Hieronymo comite Turriano, suo symbolo: *Sis mihi Deus in turrim fortitudinis.*

34. Negotium in tenebris ambulans.

Tertio, ubi dæmon videt sagittam volantem in die non prodesse, ad tenebras se recipit, ut ibi incautos venetur et capiat. Sed non timet vir fortis, *a negotio*, id est, a re, *perambulante in tenebris*. Hebr. pro *negotio*, est דבר *deber*, quod pestem, excidium, vastationem, mortem significat. Hinc S. Hier. vertit: *A peste in tenebris ambulante*. Pagn. a morte. Flamin. ab exterminio. Septuag. legerant דבר *dabar*, verbum, rem: unde vertunt, ἀπὸ πράγματος, id est, a negotio, a re.

Quæres, quid sit negotium perambulans in tenebris? I.
Resp. ad litteram esse quidquid in obscuris tenebris subrepens, ex improviso perniciosum ingruit: ita Petavius: C sive sint latrones, sive lemures et larvæ, sive quid aliud. Magnetius sic concinit: Nec lemures auram media qui luce pererrant.

Secundo, S. Augustinus per negotium ambulans in tenebris intelligit vehementiores persecutiones, quæ terrent ignorantes, id est, nondum firmos in fide, nec scientes quod ad hoc sunt Christiani, ut futuram vitam sperent: cum cœperint terreri de malis temporalibus, putant quod deseruit illos Christus, et sine causa sunt Christiani. Contra hanc timiditatem assume symbolum Philippi II. regis Hispaniæ: *Nec spe, nec metu.* II.

Tertio, S. Bernard. serm. 6. in Ps. 90. ait, negotium perambulans in tenebris esse cupiditatem honorum et divitiarum, quæ tenebras inducit vitiorum, et mentem excæcat. Cupiditas, ait, *radix iniquitatis;* ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, *excæcatrix cordium*, ex remediis morbos creans, generans ex medicina D languorem: hæc Bernardus, qui dicit scuto veritatis hoc malum esse avertendum. Verba eius sunt: Quid vero hunc fovet vermem aliud, quam mentis alienatio, et oblivio veritatis? Aut quid, nisi veritas, hunc prodendum vestigat proditorem, et negotium arguit tenebrarum? Nimirum hæc est, quæ dicit: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur;* se autem perdat, et detrimentum sui faciat? Matth. 16. Et item: *Potentes potenter tormenta patientur*, Sap. 6. Hæc est quæ sedula suggestione reducit in mentem, quam sit in habitu frivola consolatio, grave iudicium, usus brevis, finis ignotus: hæc ipse. Negotium perambulans in tenebris recte dixeris esse mercatorum negotiationes iniustas in obscuris officinis. Salvianus lib. 3. de providentia: *Quid aliud est*, ait, *cunctorum negotiantium vita, quam fraus atque periurium? Quid aliud curialium, quam iniquitas? quid aliud officialium, quam calumnia? Quid aliud omnium militantium, quam rapina?* III.

35. Quarto denique, negotium perambulans in tenebris iure
IV. dixeris esse hypocrisim, obvelat enim quod est, et vult apparere quod non est. Lucem habet, sed malignam et vespertinam, ac cito in noctem desinentem. S. Bern. serm. 33. in Cant. Aliter necesse circumveniri te a negotio perambulante in tenebris, quod est hypocrisis. Etenim ista de ambitione descendit, et in tenebris habitatio eius; quippe abscondit quod est, et quod non est, mentitur. Negotiatur autem omni tempore, formam retinens pietatis ad se occultandum, virtutum autem eius vendicans et emens honores: ita ibi. Pugna hæc eo periculosior est, quo occultior. S. Chrysolog. sermon. 7. Adversa omnia, inquit, nituntur viribus suis, armis suis pugnant, impugnant palam: unde et caventur tam facile, quam videntur: *Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, et crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum: ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam misericordia prosternit:* ita Chrysolog. Hypocrisis virtutes in vitia convertit, sicut serotinum tempus vertit lucem in tenebras. S. Cyprianus orat. de ieiunio et tentationibus Christi: Laus, ait, subtilissimum malum, proprio laqueo hypocritam iugulat, et propriis armis sanctitatem impugnat. Castigatio carnis spiritum inflat, et macies corporis extenuatum arrogantem impinguat. Contemptus venerationem venatur, fames et calamitas laudibus saturatur. Mens hoc veneno imbuta in miseriis deliciatur, et occupata hac scabie in ulceribus gloriatur. Religio fit superstitio, et succedit ei ambitio subornata. Extincto spiritu quatriduano cadaveri solæ supersunt exuviæ, *virtutis species exanimis, et simulacrum sanctitatis.* Tanta est hypocritarum dementia, ut fœtoribus pro odoribus abutantur; et pretiosa, vilia: et aspera, suavia arbitrentur: hactenus Cyprianus. Hoc præsertim verum est in hæreticis, de quibus hunc locum exponit Bruno Carthusianus: lucem videntur ostendere, sed vespertina est: et vana virtutis specie exitales sunt hypocritæ. Salmeron tom. 13. disput. 10. pag. 223. varios eorum fucos detegit: quod scilicet Christum miris laudibus in speciem celebrent, quod in sua doctrina gloriam Dei, non suam, se quærere iactitent, quod primitivam Ecclesiam se imitari simulent fidem extollendo, abolendo delectum ciborum; quod Scripturas venerari se ostentent, nocturna diurnaque manu illas versando: quod se veros adoratores in spiritu esse dicant reiectis cæremoniis ecclesiasticis; quod eleemosynas frequenter facere videantur, et pauperum necessitates sublevare; quod persecutiones patiantur pro sua fide, quod zelo ardere videantur, quod sæpe verbum Dei interpretentur, quod denique flagranti amore Christi se ardere glorientur. Hæc omnia confutat, ipsum consule. Addo de illis iure dicendum esse, quod ait S. Hieron. epist. ad Rusticum: *Intus Nero, foris Cato: totus ambiguus, ut ex contrariis diversisque naturis unum monstrum novamque bestiam diceres esse compactam: iuxta illud poeticum: Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.* Similes mihi videntur hæretici Manueli Imp. Orientis, qui farinæ calcem immiscebat, cum Conradus Imp. Germ. ad terram sanctam exercitum duceret, ut ait Nicetas Choniata lib. 1. Annalium, pag. 11. unde multi milites mortui sunt. Neroni quoque eos possis comparare, qui, cum Britannicum veneno sustulisset, corpus eius ut vidit propter venenum livore decoloratum esse, gypso oblinendum curavit: cumque funus per forum deferretur, plurimo imbre e nubibus cadente omne gypsum, quod adhuc molle et tenerum erat, sublatum est, ut scelus oculis videretur.

Hypocrisis magnum malum.

Neronis hypocrisis.

36. Nota, hypocrisis est negotium ambulans, non potest enim hypocrita in virtutis assumpta statione subsistere, sed abit de virtute in vitia. Est enim inconstans et instabilis. S. Bonavent. tom. 1. illud Ieremiæ in Threnis exponens: *Lamiæ nudaverunt mammam*, sic ait: Per lamias intelliguntur hæretici, vel hypocritæ, in facie simplices, in ventre carnales, in pedibus equi et instabiles: hæc ipse. Secundo, hypocrisis non tantum ambulat, sed perambulat, et circumambulat. S. Greg. lib. 1. Moral. illud exponens: *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis*, sic ait cap. 11. Duabus viis peccator terram ingreditur, quando et Dei est quod opere exhibet: et mundi, quod per cognitionem quærit. Tertio, hypocritæ in maligna luce perambulant. Primo, viperæ sunt lucentes, sed pestiferæ. Salmeron noster tom. 4. tract. 5. pag. 39. Pharisæos hypocritas vult compari a Christo viperis, quod ut viperæ speciosis et aureis maculis foris splendidæ et gratæ apparent, intus tamen virus retinent: ita Pharisæos Scriptura depingit: hæc ille. S Ambr. viperæ malignitatem sic declarat in Hexaem. Vipera, inquit, nequissimum genus bestiæ, et supra omne quod serpentini est generis, astutior. Secundo, tigridi hypocritam comparat S. Gregor. quod maculas nigras albis habeat admistas. Sic autem loquitur lib. 5. Moral. 16. pag. 125. illud: *Tigris periit, eo quod non haberet prædam, et catuli leonum dissipati sunt*, explicans: *Quem*, ait, *nomine tigridis signat, nisi aspersum maculis simulationis?* Omnis namque simulator in eo, quod videri rectus appetit, mundom se per omnia non ostendit: quia dum virtutes quasdam per hypocrisim assumit, et occulte semetipsum vitiis subiicit, quædam latentia vitia repente in faciem erumpunt, et superductæ simulationis, quasi visionis corium, ex admistione sua varium ostendunt: ut plerumque sit mirum, cur homo qui tantis virtutibus pollere cernitur, etiam tam reprobis actibus inquinetur. Sed nimirum omnis hypocrita tigris est: quia dum mundus color de simulatione ducitur, vitiorum nigredine interrumpente variatur. Tertio, lib. autem 8. cap. 24. hypocritam comparat scirpo, seu iunco, qui viriditatem habet, sed ad humanos usus non est utilis. Quarto denique conferre possis commode hypocritam corvo, nive cooperto in hyeme: nam sub specie illa pulcherrima niger est, et carnivorus, ac friget; cum autem avolaverit, decorem omnem suum excutit, et nigrior apparet. Quinto denique, hypocritæ similes sunt grammaticis bene loquentibus, sed male viventibus. Hinc Ugo Card. eos vocat tom. 3. In Prov. cap. 9. Grammaticos diaboli. Habet, inquit, diabolus domum suam, scilicet sapientiam huius mundi, quæ inimica est Deo, cuius sunt septem columnæ, scilicet Grammatici, Dialectici, Rhetores, Arithmetici, Musici, Geometræ, Astronomi. 1. *Grammatici diaboli sunt omnes hypocritæ, qui recte et congrue loquuntur, sed congrue non vivunt.* 2. Dialectici diaboli, sunt omnes dolosi, qui sophistice loquuntur, ut decipiant: de quibus Eccli. 37. *Qui sophistice loquitur, odibilis est.* 3. Rhetores diaboli sunt advocati, qui causas iniquas fovent potentum: causa enim pupilli et viduæ non ingreditur ad eos, ut dicitur Isa. 1. Causidicorum enim lingua damnifica est, nisi eam funibus argenteis vincias. 4. Arithmeticos diaboli ait esse eos, qui habent numerum præbendarum. 5. Geometras diaboli esse eos, qui sunt superficialiter iusti. 6. Astronomos diaboli, esse curiosos, qui altiora se perquirunt. 7. Musicos diaboli, dicit esse adulatores, qui omnibus in bono et in malo concordant. Possis dicere, esse quoque eos, qui fœda carmina concinunt.

Hypocrita est instabilis.

1. Est vipera lucens.

2. Tigris maculosa.

3. Iuncus.

4. Corvus nive coopertus.

5. Grammaticus diaboli.

Nota secundo, si vis videri bonus, contende ut sis quod 37.
videri vis. Id præcepti dat Xenophon lib. 2. memorabilium dict. et fact. Socratis: Συντομωτατη: ait, και ασφαλεστατη, και καλλιστη οδος, compendiosissima, et tutissima, et pulcherrima via est, si velis bonus videri, ut bonus esse contendas: hæc ille. Virtus dabit lucem veram et claram. S. Ioann. Climacus grad. 26. pag. 336. Perfectorum ratio, inquit, finitio, et lex animorum et corporum religiose in carne versantium hæc est, αναιχμαλωτος καρδια, *cor ab omni captivitate liberum*, perfecta charitas, fons humilitatis, mentis a vanitate mundi emigratio, Christi immigratio, *lucis et orationis divinæ thesaurus a prædonibus securus, illustrationis divinæ copia*, mortis desiderium, odium vitæ, corporis fuga, legatus seu patronus et advocatus mundi, qui Deum quadammodo cogere possit, αγγελων συλλειτουργος, γνωσεως αβυσσος, μυστηριων οικος, angelorum collega et symmista, profundissima scientiæ altitudo, cælestium mysteriorum domicilium, custos divinorum arcano-

Lux virtutis necessaria.

rum, hominum salus, *δαιμονων Θεος, παθων κυριος*, dæmonum Deus, vitiorum dominus, imperator corporis, procurator naturæ, alienus a peccato, sedes tranquilli animi, et ab omnibus cupiditatibus expediti: hæc Climacus.

38. Quarto denique, vel in ipso meridie, et clarissima luce non desunt hostes qui impetant, sed ab his servatur iustus: *Nec timet ab incursu et dæmonio meridiano.* Hebr. pro *incursu*, est קטב *keteb*, id est, excisio, excidium, exitium, exterminium, plaga, morsus, lues, pestis. Hinc Arias vertit, ab excidio vastabit meridie; 2. Flaminius, ab exterminio vastante meridie; 3. Campensis, a noxa quæ meridie vastat; 4. Felix, ab ægritudine repentina devastante in meridie; 5. S. Hieron. a morsu insanientis meridie; 6. Cassiodor. a ruina. Chald. a caterva dæmonum qui grassantur meridie.

Hendiadys.

Nota, incursus et dæmonium meridianum res diversæ sunt, ut Lorinus censet, qui ait, durum esse aliter interpretari. Secundo, et melius, censebis hic esse hendiadym, et unum per duo exprimi, nempe incursum et dæmonium sumi pro incursu dæmonii, et hæc loquendi forma frequens est Hebræis. Incursus porro est irruptio, impetus, invasio, occursus cum animo nocendi.

39. Dæmon unde dictus.

Nota secundo, pro *dæmonium*, nunc in Hebræo est verbum ישוד *iasciud*, id est, vastabit. Sed Sept. legerant ושד *vesced*; unde verterunt, et a dæmonio, q. d. A vastatore, direptore, prædone: deduci enim potest *sced* a *sciadad*, id est, devastare, diripere, prædari. Vel, *sced* deducitur a *sciadad*, id est, mamma, q. d. A lactatore, adulatore, decipiente sub specie boni. Lamia lactat catulos suos. Diabolus quoque a Græcis dicitur *δαιμων*, id est, exterrens, perterrefaciens, a *δειμαινω*, id est, exterreo, ait Euseb. lib. 3. de præpar. Evang. Secundo, q. d. *δαιμων*, vel *δαημων*, id est, sciens, ut ait Plato in Cratylo. Tertio, Possidonius derivat illam vocem a *δαιειν*, id est, urere, incendere, q. d. Incensorem, aut incensum. De illo iure dixeris illud Ierem. 15. 8. *Induxi eis super matrem adolescentis vastatorem meridie.*

40. Quodnam dæmonium meridianum.

Quæres, quodnam sit dæmonium meridianum? Resp. ad litteram esse omnem aggressorem robustum et potentem, qui non timet in ipso meridie nocere et lædere. Quoniam enim dæmon princeps est omnium iniquorum et malefactorum, recte transfertur hoc nomen ad omnes iniquos et malefactores, præsertim audaces et robustos. Ita Bellarminus, et S. Augustinus, qui sic loquitur: Quare dixit in meridie? Quia multum fervet persecutio. Maiores æstus dixit meridiem. Trevetus exponit de serpentibus et aliis bestiis, quæ fervore meridiani æstus concitatæ desæviunt mordendo. Chaldæus paraphrastes, R. Salomon, et Thalmudici, dæmonium meridianum aiunt esse dæmonem pessimum, qui audeat etiam meridie et aperta vi, palam et publice sævire, cum alii noctu et in tenebris soleant terrere et nocere. R. Iarrius putat esse dæmonium Meriri, vocatum Keteb, id est, excisionem, seu exscindentem.

41. Tropol. I. Dæmonium meridianum est illusio sub specie virtutis.

Tropolog. Dæmonium meridianum est illud, quod se in angelum lucis transformat, et sub specie virtutis heroicæ fallere nititur, aut sub specie magnæ gloriæ. 2. Corinth. 11. 14. *Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis. Non est ergo magnum si ministri eius transfigurentur, velut ministri iustitiæ.* Dæmonium meridianum erat illud, quod tentavit Christum, ut lapides in panem converteret, et sic se filium Dei probaret: ut se de pinnaculo templi præcipitaret, sicque ab angelis deportatus a populo adoraretur: ut se ad pedes ipsius dæmonii abiiceret, ab eo recepturus omnia regna mundi, Matthæi 4. S. Bern. serm. 33. in Cant. Postrema, inquit, tentatio est dæmonium meridianum: quod soleat maxime insidiari perfectis, qui videlicet tamquam viri virtutum omnia superaverint, voluptates, favores, honores. Quid enim iam superest ei qui tentat, in quo possit pugnare palam adversus huiusmodi? Venit proinde occultus, qui manifestus non audet: ita Bernardus.

Lux est et calor in meridie: utrumque tentator conatur imitari: Richardus a S. Victore, annotat. in Psal. nostr. *Lux*, ait, *ad discretionem, et calor pertinet ad devotionem. Cum luce ergo et claritate dæmones ad nos veniunt, quando in eo quod fraudulenter suggerunt, non modo discrete, verum etiam devote acturos nos esse promittunt, et persuadere contendunt. Fit autem sæpe, ut eiusmodi fraudulenta tentatione infatuata mens eo usque desipiat, ut in eo ipso, quod ex dæmoniaca persuasione actitat, cæteris se credat, et rectius sapere et sanctius agere.* Exempla attuli supra. Dæmon cornua occultat quantum potest, et fuliginem abstergit, lucemque et splendorem mentitur. Illustre est quod refert Ionas Fontanellensis in histor. S. Vulfranni Arch. Senonensis, in hæc verba: Radbodus, inquit, Frisonum dux ægrotabat, illi dormienti apparet dæmon in angelum transformatus, diademate aureo, circumfulgentibus gemmis, capite opertus, vesteque aurea textili toto amictus corpore, et ait: Dic quæso, fortissime virorum, quis te ita seduxit, ut a cultura deorum, et a religione prædecessorum tuorum velis recedere? noli ita, obsecro, agere; sed in his, quæ hactenus tenuisti, culturis deorum, permane, ibisque ad domos aureas æternaliter mansuras, quas tibi in proximo sum daturus, ut verborum meorum dictis astruam fidem. Pollicetur deinde se ostensurum mansionem eximiæ pulchritudinis, nuntio sibi ab ipso dato, neque Vulfrannum quid simile posse præstare. Sed hæc omnia vanas esse præstigias nuntii missi agnoverunt luce clarius, ut ibi videre potes: tamen prius mortuus est Radbodus obstinatus, quam ad videndam eam domum missi nuntii redierint, sic misere periit. Lege illam historiam. Dæmon vulpes est decipiens. Catharina de Ricci dæmonem vidit in vulpis specie, præferentem ore chartulam: iussit illa sibi ut scriptum in ea legeret, et explicaret. Verba erant: *Sub boni specie confusiones et scandala.*

Radbodi damnosa illusio. I.

Secundo, dæmonium meridianum est spiritus acediæ seu pigritiæ. Ita S. Nilus de octo vitiosis cogitationibus, qui eum dæmonem vocat acrem, ac in primis gravem, semper monachis infestum, et præsertim circa meridiem, ideoque dici meridianum. Illum fusius delineat. Ventre pleno, et capite fumis oppleto, animus est languidior.

II. Dæmonium meridianum est pigritia.

Tertio denique et melius, dæmonium meridianum est spiritus luxuriæ, qui tempore meridiano sævit acrius a gula aditus. In eam opinionem eo libentius concesserim, quod David eo tempore victus est a luxuria, 2. Reg. 11. 2. *Surgens enim de strato suo post meridiem, et deambulans in solario seu tecto domus regiæ, vidit mulierem se lavantem ex adverso super solarium suum, et eam advocans peccavit.*

III. Dæmonium meridianum est spiritus luxuriæ.

Dæmonium luxuriæ meridianum est, tum quod potentissimum est, tum quod in eos etiam, qui in honoribus, dignitatibus, et divitiis sunt constituti, et in eos, qui in clarissima virtutis luce versantur, desævit. Hoc denotant miserabiles multorum casus, et tentationes aliorum, qui iam extra teli iactum esse videbantur. Primo, S. Victorinus eremum petiit, ut ab omnibus remotus Deo liberius vacaret, et assiduus ibi in lectione et oratione perstabat. Dæmon invidus in puellæ se formam transmutat, et ante tugurioli fores stat clamans, sibi ut succurrat, ne a feris devoretur. Admissus ad noctis unius tempus, vix horam exegerat, cum dulcedine sermonis eum ad scelus pellicit. Tum vero diabolus insultans: Quid agis, inquit, vir perfectissime, cui etiam frater gravis fuit? Iam iungeris alteri, qui recessisti a tuo? Quid agis, qui novum dogma sylvis constituens, suadebas scopulis castitatem? Hæc iactans ex oculis decepti velut fumus, evanuit. At is qui ceciderat, velut exanguis iacuit. In se autem aliquando reversus, sylvas deseruit, ad fratrem Severinum rediit: pudore diu vocem supprimens, tandem causam facti exposuit, ipse pœnam sibi statuens. Findens namque arborem, manusque per fissuras inserens, præduratam cuneis et pessulo cicatricem arboris claudit. Sed mox Severinus factum pœnamque fratris Episcopo suo nunciat. Ille veniens, primum eum solvere tentat: sed ut repugnantem vidit, orat, benedicit, consolatur, discedit. Vir autem Domini, qui se gravissima pœnitentia damnaverat, dominica tantum die modicum panis et aquæ coactus a fratre perci-

Victorini lapsus miserabilis.

Et mira pœnitentia.

plebat: qui etiam se simili cibo et ieiunio macerabat. Igitur in huiusmodi constrictione ieiunium volvitur: cumque iam omnes pena movisset eius in Christo imitanda humilitas, Episcopus civitatis rediens, vix agere potuit, ut sese a pœna, qua ille memor tremendi iudicii se damnaverat, absumptis pene carnibus, permitteret resolvi. Urbis Amiterninæ postea factus est Episcopus, et sub Imper. Nerva ab Aureliano iudice primum relegatus, deinde apud eum locum, qui Cotilias appellatur, ubi putentes aquæ manant et sulphureæ, in ipsis capite deorsum per tres horas suspendi iussus est, quod cum per triduum factum esset, gloriose coronatus migravit ad Dominum, ut refert Ado Viennensis, die 5. Sept.

Iacobi Eremitæ lapsus horrendus. Secundo, S. Iacobus Eremita variis florebat miraculis. Puellam dæmoniacam curaverat: parentes veriti, ne dæmon iterum rediret, rogaverunt ut puella apud eum duos dies remaneret, quoad omnino a dæmone liberaretur. Ubi se solum cum sola vidit, graviter tentatus est, et licet ad multam senectutem venisset, illa est abusus: atque ut res lateret, eam occidit: cum ad sæculum desperabundus rediret, in itinere a quodam Dei servo, cui factum narravit, animatus, in sepulcrum sese abdidit pœnitentiam acturus, ibi post decem annos exactos est Episcopo revelatus, ad pluviam impetrandam, quam eius unius precibus Deus sitienti regioni reservabat, ut ait Simeon Metaphr. 28. Ian.

42. Tentationes variorum sanctorum. Quis non contremiscat, cum cæli columnas ruentes viderit? quis non horreat, cum Paulos, Benedictos, Antonios, Bernardos, Franciscos, aliosque angelicos iam homines, ad flagitium viderit invitatos, licet gaudeat et admiretur victores? Modo ad matrimonium invitat, ut S. Albertum Carmelitam adhuc novitium, assumpta puellæ ad id allicientis specie: quo detecto artificio est irrisus, et signo Crucis expulsus, ut ait Ioannes Maria Politianus in eius vita. Modo ad apertum scelus incitat. S. Ephrem Syrum tentavit meretrix cibum coquentem: sed frustra. Nam vir Deo plenus, cum in urbis medio locum sceleri designasset, illaque hominum oculos metuere se diceret, ita vehementer egit de Dei præsentia in quibuslibet locis, ut monasterium ingressa ibi pie vixerit, ut ait Simeon Metaphrastes die prima Febr. Fuit S. Ephrem Diaconus Edessæ, S. Iacobi Nisibitæ discipulus, ut tradit Baronius.

1. S. Alberti.

2. S. Ephrem.

3. S. Bernard. S. Bernardum adhuc adolescentem matrona ad scelus invitavit, sed velut alter Ioseph fuga sibi consuluit. In lectum dormientis puella nuda iniecta est. Hanc ille sentiens, cum omni pace et silentio partem ei lectuli, quam occupaverat, cessit, et in latus alterum se convertit, atque dormivit: cumque nihil se proficere sentiret, recessit. Alias quoque apud matronam aliquam cum sociis aliquot diversans ab eadem ad lectulum noctu adventante invitatus est ad facinus: sed statim inclamavit, Latrones, latrones: idque tertio præstitit: cum sequenti die socii incusarent, quod domum illam turbaret, ait: Veraciter latro aderat: quia quod mihi pretiosius est, in hac vita, castitatem scilicet, hospita nitebatur mihi auferre, incomparabilem utique thesaurum, ut ait Wilhelmus Abbas S. Theodorici lib. 1. vitæ cap. 3.

4. S. Vincentii Ferrerii. S. Vincentium Ferrerium advocat mulier, amore eius saucia, in lecto decumbebat ficta ægritudine, et inter confitendum sceleratam mentem aperit: sed paucis conatus eam a sceleris voluntate avocare diffugit. Cum clamans vellet calumniam in virum Dei iacere, a dæmone possessa est; neque aliter sanari potuit, quam precibus eiusdem, qui, ut ipse dæmon confessus est, in medio ignis non est æstuatus, ut ait Petr. Rauzanus lib. 1. vitæ cap. 12. Alias in eius cellam introduxerunt meretricem; sed ille interminatione periculi mortis subitæ, nisi resipisceret, eam ita convertit, ut deserto prostibulo ad honestas nuptias convolarit. Ibid. cap. 13.

Cum S. Bernardinus Senensis Ord. S. Francisci panes quæsiturus domo egressus esset, illum ad se fœmina quædam accersivit, clausoque ostio, ait: Nisi te accommodes iam voluntati meæ, equidem insigni te ignominia afficiam, dicamque te mihi vim afferre voluisse. Tum Bernardinus

5. S. Bernardini.

in eas se angustias coniectum cernens, tota animi sui devotione Deo fit supplex, ut sibi in tanto periculo non deesset. Suggessit mox consilium, ut diceret mulieri, ut si ita fieri vellet, se vestibus nudaret. Cum mulier non distulisset, profert ille flagellum quod apud se habebat, apprehensamque fortiter fœminam egregie cædere cœpit: nec destitit, donec ardor libidinis in ea extinctus est. Ea causa impensius deinceps mulier amavit sanctum virum, itemque maritus eius, ubi is comperit rem ab eo gestam, ait Sur. in vita cap. 33. die 20. Maii.

Frater quidam nomine Dominicus a fœmina ad peccatum invitatus diem illi certum statuit, quasi tunc eius vellet libidini consentire. Constituta die hic beatus duos ignes excitari iussit. Cum illa advenirct, vir Dei ait: En lectus in quo nos commisceri oportet, ignem illi designando, et seipsum prius super ignem extendit, eam ut idem faceret exhortans. Sicut autem illum libidinis ignis intus non læserat, ita nec hic læsit exterius. Illa pœnitentiam egit. Sunt qui scribant, hunc tam potentem fuisse, ut concionibus suis regem Franciæ impulerit ad eiiciendos ex aula sua omnes adulatores, histriones quosvis, meretrices, similesque personas. Quod cum moleste ferrent aliqui, ut sancti viri famam corrumperent, illum variis calumniis impetivere, ut refert Antonius Senensis in Chronico Dominicanorum pag. 45. 6. Cuiusdam insignis concionatoris.

S. Franciscus invitatus a scorto, pollicetur se concubiturum, at in eo lecto, quem ipse vellet eligere. Placet muliercula pactum. Tum sanctus exuta paupere lacerna, et baculo, sparsis in pavimento carbonibus, qui erant in camino, desuper incubuit, magno illæsus prodigio. En, inquit, lectus splendidus in floribus, tanto opere dignum hic illa quem ego eligo, ut eos ignes evadam: si tibi adhuc molesti, nulla potiori aqua, quam igne hoc extinguentur. Expavit mulier, veniam petit genuflexa, et vitam mutat, ut ait Lucas Wadingus, anno 1219. n. 69. pag. 219. 7. S. Francisci.

Notum est, quid acciderit S. Thomæ Aquinati, cum in carcere a fratribus teneretur: is enim arrepto a foco titione procacem et impudentem mulierculam abegit: clausoque ostio crucem eodem titione in pariete pinxit. Inter orandum somnus obrepsit, et angeli duo renes cingentes dixerunt: Nos a Domino iussi, zona castitatis te cingimus, nulla post hac ratione dissolvenda. 8. S. Thomæ Aquinatis.

Quantos ignes ardor ille dæmonii meridiani in medullis etiam perfectorum accendat, testatur S. Paulus corpus castigans, ut stimulum carnis retundat, S. Hieron. pectus tundens et se ieiuniis macerans, S. Benedictus in vepribus se versans, S. Bernardus in gelidum se stagnum immergens, S. Franciscus in nivibus se volutans. 43. Quantum luxuriæ incendium?

In Agrigentino agro collis est Vulcanius dictus, ubi cum sacrificabatur, ligna licet viridia, sponte et nullio flammam subministrante conflagrabant, quod fiebat a dæmone, teste Thoma Fazelio, decad. 1. de rebus Siculis, lib. 1. cap. 5. pag. 19. Luxuriæ dæmon etiam frigidissimos incendit. Collis Vulcani, in quo ligna sponte ardebant.

Corpus humanum simile est Ætnæ monti iutus ignes alenti: de illo Plinius lib. 2. cap. 106. tradit, ad 150. passuum millia moles arenarum effudisse: et anno 1536. varios rivos igneos ab illo fluxisse ad latitudinem stadii unius, et ad profunditatem cubitorum circiter duodecim, tradit idem Fazelius lib. 2. cap. 4. ubi multa in eam rem colligit. De luxuriæ igne tartareo vere dixit S. Hieronym. in epist. ad Furiam: *Non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut iuveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammatæ. Grandis virtutis est, et sollicitæ diligentiæ, superare quod nata sis: in carne non carnaliter vivere: tecum pugnare quotidie, et inclusum hostem Argi (ut fabulæ ferunt) centum oculis observare.* A S. Laurentio Iustiniano tract. de ligno vitæ, sect. de sobrietate, cap. 1. pag. 98. vocatur, ignis infernalis, ut alias fuse retuli, ubi peccatum cum inferno comparavi. Ab Orig. hom. 9. in Levit. dicitur ignis alienus, et contrarius Deo, quem qui accenderit sine dubio Nadab et Abiu perferet sortem. A S. Chrysost. homil. 13. in epist. ad Ephes. pag. 1119. vocatur, πυρ ανάλωτ- Corpus hominis est Ætna ardens.

χον του ιματιου αρετους, ignis absumens vestem sanctitatis. A Quam periculosus sit hic ignis, disce Lothi cadentis exemplo, de quo Orig. hom. 5. in Genes. ait: Uritur Loth flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit. Quam sit vehemens ille ignis docet S. Gregor. Nyssen. a quo luxuria vocatur, δεσποτης αγριος και λυσσωδης, dominus crudelis et furiosus. S. Hieron. epist. ad Eustochium: Non sic, ait, avaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Facile aliis caremus vitiis, hic hostis nobis inclusus est. Quocumque pergimus, nobiscum portamus inimicum: *Vinum et adolescentia, duplex incendium voluptatis est.* Quid oleum flammæ adiicimus? Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? ita Hieronymus. Quam diuturnus sit hic ignis videbis in Pachone, cui Palladius suam se carnis tentationem aperuisse ait in historia Lausiaca, *Pachonis gravis tentatio.* cap. 29. Pachonem vero sibi dixisse, tres esse causas tentationum illarum: primam quidem, carnem nimis delicate curatam: secundam, cogitationes: tertiam, dæmonis invidiam. Ecce me, inquit, ut vides, hominem senem, cum iam quadragesimum annum degam in hac cella, curam B gerens meæ salutis, et ad hanc ætatem pervenerim septuaginta annorum, tentor usque in hodiernum diem, et iuravit dicens: Iam duodecim annis postquam transegi annum quinquagesimum, nullam diem neque noctem intermisit, qua me non invaserit. Ait deinde, se veluti desperabundum in hyænæ speluncam iniecisse, ut ab ea devoraretur: sed cum illum feræ non læsissent, et quietum dæmon aliquamdiu reliquisset, postea in puellæ Ægyptiæ formam mutatum in eius se genua iniecisse, et gravi tentatione vexatum tandem illum abegisse, tædioque affectum genitalibus aspidem admovisse, ut ab eo occideretur, illæsum tamen pacatius postea vixisse.

44. *Luxuria est diaboli sacrificium.* Quam grata sit dæmoni luxuria, ex eo patet, quod sacrificium illi factum vocetur a S. Athanasio tom. 3. pag. 268. quæst. 94. ad Antiochum: Putant aliqui, ait, corporale peccatum præ omnibus peccatis facilius veniam impetrare, ut quod sit naturalis motus in homine. Resp. contrarium Apostolus sentit, βαρυτερα πασων αμαρτιων, gravissimum omnium peccatorum nuncupans, 1. Corinth. 6.18. ubi ait: *Quodcumque fecerit quis peccatum, extra corpus est: qui autem fornicatur, in suum corpus peccat.* Quandoquidem ex carne propria, ωσπερ θυσιαν τινα παρεχει τω Σατανα, *tamquam sacrificium Satanæ præbet semen suum.* S. Cæsarius Arelat. Episc. hom. 4. Qui, ait, alienum malum respicit, qui in alienam rem anxia cupiditate suspirat, qui alienam mulierem, importunis oculis, et mortem ad se trahentibus, conspicit, *qui in alieno corpore sacrificat diabolo*, animam suam toxicato spiculo in corde percussus est: hic quam debili morsu, tam exitiabili sauciatus est: hæc Cæsarius. Luxuriam Beda vocat filiam diaboli, libr. 3. in Prov. Salomonis. Illi gratissimam esse ex eo etiam intelligitur, quod refert S. Greg. lib. 3. dialog. cap. 7. ubi in conciliabulo dæmonum ea quæ fecerat narrantium, laudatur is qui Andream Fundanæ civitatis Episcopum specie fœminæ sanctimonialis cum ipsa manentis tentaverat, induxeratque ut blandiens manu, dorsum eius palparet.

Luxuriam dæmonium meridianum esse ostendi, ardore suo multos inflammans. Luxuriosos itaque possis sectæ dæmoniacorum conferre, de qua Radolphus de Rivo in gestis Episcoporum Leodiensium. *Dæmoniacorum secta.* Anno, inquit, 1374. mense Iulio, mirabilis hominum secta Leodium venit ex superiore Germania; horum tale erat institutum. Utriusque sexus homines a dæmonibus possessi, seminudi sertis capita cingebant, choreas non in plateis tantum, sed et in Ecclesiis et domibus absque ullo pudore ducebant, nomina dæmonum inaudita in carminibus suis usurpabant: choreis finitis dæmones gravissimis eos pectoris doloribus cruciabant: ita ut nisi nexibus quibusdam umbilicatim fortiter stringerentur, magnis furiosisque ululatibus se mori proclamarent. Hæc secta a mense Septembri in Octobrem (mirum, verum tamen dictu) in multorum millium multitudinem excrevit. Nam et ex Germania huc quotidie choA rizantes confluebant, et Leodii viciniisque in provinciis plurimi mentis compotes a dæmonibus arripiebantur, aliis chorizantibus datis dextris se adiungentes. Causa assignabatur, crassa ignorantia: non deerant tamen e vulgo, qui id in sacerdotes concubinarios reiicerent, quod per eos minus recte pueri baptizarentur: sed, ut Deus ostenderet, non minus valere baptismum improborum quam proborum sacerdotum, sæcularibus sacerdotibus dabat gratiam dæmones per exorcismos eiiciendi, quam religiosis sacerdotibus negabat. Sicque secta illa brevi est extincta: hæc Radulphus. Sed dæmoniaca luxuriæ cohors non tam cito dissipatur.

ARTICULUS V.

Deus hostes iustorum in conspectu ipsorum prosternit.

Non solum, qui Deo confidit, non timet hostes, sed illos etiam deiicit, v. 7. CADENT A LATERE TUO, (sinistro, ut Chald. et Apollin. exprimunt. Cum enim dextra 45. *Vers. 7.* manus, vel dextrum latus opponitur, per latus et manum B simpliciter et absolute posita, sinistrum latus, vel sinistra manus accipitur. Et in genere, ubi speciali nomini commune additur, per illud commune intelligitur id, quod est deterius) MILLE, ET DECEM MILLIA A DEXTRIS (Hebr. a dextera tua. Nemo enim habet duas dexteras. Acute tamen S. Hier. ait duas dexteras iusto dari, sicut Matth. 5. 39. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram:* supple, dexteram. Nihil certe iustis sinistrum est, sed hæc expositio est subtilior et symbolica) TUIS: AD TE AUTEM NON APPROPINQUABIT, ullus hostis, vel sagitta. Chal. ad te autem non appropinquabunt, ut noceant.

Hostes deiectos videns gaudet iustus, v. 8. VERUMTAMEN (id est, sed) OCULIS TUIS CONSIDERABIS (S. Hieron. *Vers. 8.* vertit, videbis: sed consideratio denotat aspectum attentum) ET RETRIBUTIONEM (Chald. consumptionem. S. Hieron. ultionem. Camp. pœnas) PECCATORUM VIDEBIS.

Rationem dictorum dat, quia scilicet Deus est arx altissima, ad quam nullæ sagittæ, nulla tela, nulli hostes C pertingunt, v. 9. QUONIAM TU ES DOMINE SPES MEA: ALTISSIMUM POSUISTI REFUGIUM TUUM, id est arcem, ad quam *Vers. 9.* iustos recipis, o Deus; 2. altissimum posuisti refugium tuum, o homo, in Deo sperans. Sic, *Quoniam tu es Domine spes mea*, includendum est parenthesi. Hic sensus melior est, et eum secutus sum in paraphrasi. Sic totus Psalmi contextus est magis connexus.

Vers. 10. NON ACCEDET AD TE MALUM, ET FLAGELLUM NON APPROPINQUABIT TABERNACULO TUO, cælesti scilicet, *Vers. 10.* in quo virtutem coronas.

Quæres, quinam cadunt a latere et dextra iustorum? 46. Primo, Euthym. hoc explicat de sagittis hostium, q. d. Si *Sagitta hostium non tangit iustos.* habitaveris in Altissimi auxilio, cadent quidem a sinistra tui parte, mille sagittæ: a dextra autem decem millia, et nihilominus te non attingent. Euseb. lib. 2. de vita Constantini cap. 9. refert, eum qui Labarum, id est vexillum, in quo crux oblata in nubibus Constantino, erat depicta, in prælio gestabat, non lædebatur a frequentibus telis: sed hæc intra exiguum illum, et angustum hastilis ambitum D ita prolabant, ut in eo fixa hærescerent. Ioan. Mariana noster libr. 11. de rebus Hispan. cap. 24. pag. 493. idem refert de Paschasio crucem præferente. Cum, inquit, Alfonsus Castellæ rex Vasconum et Aragonum regibus iu- *Alfonsi mira victoria.* vantibus, Mauros fudit tanta strage, ut ducenta eorum millia in prælio ceciderint, in iisque triginta equitum millia, occisis tantum viginti quinque Christianis, teste Roderico Præsule, vel 115. secundum alios: convenit inter omnes Paschasium, crucem quam Roderico Præsuli præferebat insignem, per hostium cuneos semel et secundo circumtulisse, evasisseque incolumem: tametsi telis omnibus petebatur; multæque sagittæ crucis hastili confixæ sint: hæc ille. Carolus archidux Austriæ et Styriæ in symbolo suo præferebat hæc verba, *Audentes fortuna iuvat.* Rectius dixeris, in Deo sperantes fortuna iuvat. Ut enim Ioann. Christophorus Iorgerus baro Toletanus in symbolum sibi sumpsit: *Omnia Dei auspicio,* supple fiunt.

Secundo, S. August. et Bellarm. explicant versum nostrum de commilitonibus viri iusti, et in Dei adiutorio habitantis, q. d. Cadent in hoc prælio ex commilitonibus mille a latere, et decem millia a dextris: ad ipsum autem non appropinquabit neque timor nocturnus, neque sagitta volans in die, neque uegotium perambulans in tenebris, neque dæmonium vastans et sæviens in meridie.

47. *Verus huius loci sensus.* Tertio denique, ac melius, de hostibus exponunt S. Basil. Theodoret. Iansen. et alii, q. d. Si in acie cum hostibus manus conserueris, et in densissimos cuneos te immiseris, cadent a latere tuo sinistro, mille hostes, et decem eorum millia a dextera tua: tu vero illæsus periculum sine ullo incommodo evades. Sensum hunc verum esse docent sequentia: *Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis*, ante te prostratorum scilicet, atque mactatorum.

48. *Cadunt hostes in oculis iustorum.* Nota igitur Primo, hostes in conspectu iustorum cadunt. Ps. 14. 4. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Psal. 71. 9. *Coram illo procident Æthiopes, et inimici eius terram lingent.* Secundo, a dextris et sinistris cadunt. Utraque enim ex parte vir iustus, instar Aod, dimicat. 2. Cor. 6. 7. *In verbo veritatis in virtute Dei per arma iustitiæ, a dextris et a sinistris.* Tertio, cadunt mille et decem millia, id est maximo numero: ponitur enim numerus certus pro incerto. Hoc Deus per Mosem pollicetur Israelitis Deuter. 32. 30. *Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia.* Ad eum locum alludit hic David: sicut de eo ipso canentes puellæ eum caput Goliathi præferentem viderunt, 1. Reg. 18. 7. *Saul percussit mille, et David decem millia.* De eodem Davide S. Eucherius, Rupert. et Vatabl. explicant illud 2. Reg. 23. 8. *Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.* Verius id de Iesbaam, qui fuit primus Heroum seu fortium Davidis, exponunt Beda, Angelom. et Serarius. Lege totum illud caput, ibi notanda reperies de Eleazaro, Semma, Abisai, Banaia; Samgar tertius Iudex seu Princeps Israelis (primus enim fuit Othoniel, secundus Aod) percussit per se solus, ut docet Abulensis, non per socios, ut male putavit Lyranus, de Philisthiim sexcentos viros vomere, hoc est ferro sive cuspide aratri, quo terra scinditur ac veluti vomitur, subruendo illam. Iudicum 3. 31. Samson decimus tertius Iudex, seu princeps Israelis mille Philisthæos occidit obvia asini maxilla, Iudic. 15. 16. quod sine miraculo fieri non potuit, licet in Syria asini sint grandiores et fortiores nostratibus.

Victorias insignes Dei ope obtentas alio loco retuli. Nunc satis sit nobis Caroli V. Imp. contra Solimanum victoria. Cum enim hic anno 1532. Viennam Austriæ exercitu quadringentorum millium obsideret, occurrens ipse cum centum millibus militum ipsum abegit, cæsis quinquaginta hostium millibus, ut ait Thomas Fazellus decad. 2. l. 10. de rebus Siculis pag. 564. Virtutem ad illas victorias etiam temporales, iuvare docet Basilius Imperator in exhortatione ad Leonem filium: Concedet tibi Deus, ait, victorias et triumphos adversus hostes, cum ipse adversus perturbatos animi motus trophæa et titulos erexeris: qui enim invisibiles hostes deiecit, eum visibiles etiam posse vincere necessario consequens est: hæc Basilius.

49. *Sancti pugnant pro iustis.* Nonnunquam Deus sternit hostes manu servorum suorum pugnantium, nonnunquam manu angelorum aut sanctorum in cælo regnantium, nonnunquam propria. Primam partem mox vidimus.

De angelis pugnantibus dicemus sect. sequenti, et diximus iam Psal. 33. 8. Sancti non raro pugnare visi. Cum Hugo de Petra Ponte 65. Leodii Episcopus pugnaret in ducem Brabantiæ, S. Lambertus armis aureis fulgens, clypeum humeris gestans, hastam quoque vibrans auream, et equo candidissimo insidens, quem gloriosa virgo præcedebat in venerando habitu, et ad bellum citissime properabant. Victoriam eorum beneficio obtinuit Episcopus, ut refert Ægidius aureæ vallis, tract. de Episcopis Leodiensibus, cap. 110. pag. 221. Illustrius est, quod Rami- *Ramirus vincit ope S. Iacobi.* ro regi Hispaniæ in Mauros pugnanti contigit: cum enim S. Iacobum et S. Æmilianum invocasset, ad eam vocem cæli aperiri visi sunt, ex iisque duo equites armis candidis ornati, et equis albis vecti erumpere, enses nudos manibus tenentes, quos innumeri angeli sequebantur versus hostes, *plusquam octoginta millia ea pugna cæsa sunt*, ut asserit Andreas de Yepes anno 574. pag. 687. S. Æmiliani monasterium nunquam a Mauris, eo servante, destructum est. Adeo autem amplum extitit, ut plurimi Abbates illius loci dicti fuerint Episcopi sine alio Episcopatu.

Deus seipso iuvat pios, præsertim martyres. Sanctas Menodoram, Metrodoram, et Nymphodoram sorores, variis tormentis cruciatas, post mortem curavit impius iudex in ardentem fornacem conici. Sed magna vis repente tonitruum et fulgurum erumpens, prævenit ignem fornacis: et ipsum iudicem, et quæ ei serviebat, multitudinem, in favillam redegit atque fuliginem. Pluvia vero extinxit fornacem, corporaque sanctarum erepta flammis honorifice a Christianis sepulta sunt, ait Simeon Metaphrastes die 10. Septembris.

Deus per se et per angelos adiuvit S. Mariam virginem et martyrem, atque impios mactavit. Cum enim illam carnifices persequerentur, rupes fugienti se aperiens tutum refugium præbuit. Præses innumeram multitudinem iussit præconis voce congregari, ut rupem illam circumstarent, atque eruerent: sed statim ab oriente fulgor nimii splendoris exortus est. Nec mora, tonitru est auditum, terra concussa est, duo equites magno fulgore radiantes, a cælesti sede descenderunt, quorum sellæ fræna, et omnis ornatus adinstar lampadum cælesti igne rutilabant. Trepidi multi ad eorum aspectum sunt mortui, cæteri ad templum idolorum fugerunt, sed ignis e cælo missus eos cum templo exussit: *Ea clade periere duo millia septingenti.* Pauci vero qui evaserant, civitatem petentes, magnis per omne iter vocibus conclamabant: Magnus Deus Mariæ, magnus Deus Christianorum. Et crediderunt perterriti eo timore, tria fere millia animarum. Passa est sancta hæc virgo sub Adriano Imp. ut legitur in eius Actis.

Ex his conclude, Deo fretum magno animo in hostes ferri debere, assumpto Georgii Comitis Ostenburgii symbolo, *In spe et virtute.* Ita spera, ut pugnes: ita pugna, ut præsidium tuum in divina spe constituas. Nulla virgo nubebat inter Sauromatas, quin aliquem hostem occidisset: ideo nonnullæ ad senectutem usque veniebant, priusquam nuberent, quod legi satisfacere non potuissent, ut refert Herodot. lib. 4. pag. 261. Emmanuele rege Lusitaniæ regnante, pueris nobilibus in aula regia versantibus non erat licitum sumere pallium virile, antequam in Africam traiicerent, et aliquod decus egregium inde reportarent, ut ait Hier. Osorius lib. 12. de rebus Emmanuelis, fol. 412. Nobis itaque in bello contra vitia animus in Deum erigendus est, et arma in manibus semper tenenda. Martinus Episcop. Bracarensis lib. de moribus: Pacem, ait, cum hominibus habebis, cum vitiis bellum. 50. *Deo duce fortiter pugnandum.* *Sauromatæ generosi.*

Tropolog. Ludolphus et Dionys. Carthusiani volunt in sinistris adversa, in dextris prospera significari, et plures prosperitatis illecebris quam adversitatis molestiis capi: ideo iure dici, a latere sinistro mille, et decem millia a dextris cadere. Secundo, Diodorus tribuit sinistrum latus τῷ πρακτικῷ, id est homini se in actione exercenti, seu ἠθικῷ, id est illi qui moribus componendis studet: dextrum autem τῷ γνωστικῷ, hoc est ei qui scientiæ et contemplationi vacat, seu πνευματικῷ, id est spirituali atque contemplativo. Plures autem hostes vincuntur a contemplativis, quam ab activis. S. Bern. serm. 7. in Ps. 90. Ampliori, ait, sollicitudine et calliditate multiplici pars adversa vulnerare in nobis dexteram satagit, quam sinistram: nec tam corporis profecto, quam cordis laborat auferre substantiam. Utramque nimirum prosperitatem humano generi invidere noscuntur, utraque eos felicitate privare contendunt: et cælesti videlicet, et terrena: sed longe amplius rore cæli, quam pinguedine terræ. An vero incongrue hæc dixerimus duo latera; quibus nimirum duplicem hominis substantiam 51. *Tropol.*

constat inniti, vos iudicate: hæc Bernardus. Dæmon iustos et spirituales viros acrius impetit, quam carnales: illi enim sunt dextrum Ecclesiæ latus, hi sinistrum: et spiritualibus vitiis frequentius adurget, quam carnalibus. Richardus a S. Victore annotation. in Psalm. nostr. Si, ait, per dextram robustiora, et per sinistram recte intelliguntur imbecilliora: cur non carnalia ad sinistram, sicut spiritualia recte referuntur ad dexteram? Multo enim vicinius, multoque valentius, multo denique frequentius, spiritum impugnant spiritualia vitia, quam carnalia. Nam illa immediate, ista nonnisi mediante carne: carnalia autem triumphamus per disciplinam corporis: spiritualia vero, per disciplinam cordis: ita Richardus.

52. *Anagog.* Anagog. Iacobus Naclantius lect. 10. ait, in hac vita mille, in alia vita, decem millia cadere: tunc enim omnes superati iacebunt.

53. *In oculis iustorum puniuntur scelerati.* Nota secundo, Deus sternit hostes iustorum in eorum conspectu, ut inde lætentur. Ut enim dicitur Ps. 57. 11. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam.* Lege illum locum. Sophocles in Aiace inducit Minervam dicentem: γελως ηδιςος, εις εχθρους γελαν; Risus suavissimus est, in hostes ridere. Sic Israelitis obiecti sunt videndi Ægyptii post submersionem in mari rubro, Exod. 14. 31. Moses et Aaron viderunt Core, Dathan, et Abiron terra hiante vivos absorberi, Numer. 16. Cives Bethuliæ viderunt caput Holofernis excisum, Iudicum 15. Ezechias vidit exercitum Sennacheribi ab angelo cæsum, 4. Reg. 19. S. Bernardus acute notat, illis oculis sanctos hostem stratum visuros, qui fletu manduerunt. Sic enim loquitur serm. 8. in Ps. 90. Neque, ait, simpliciter oculis tuis considerabis: istis utique, qui nunc languent præ inopia, et deficiunt, dum speras in Deum tuum. Ipsis quos modo quidem nec levare audes ad cælum, ipsis plane qui toties interim fluunt lacrymis, ac crebris compunctionibus atteruntur.

54. *In Deo, velut in arce, est sperandum.* Nota tertio, In Deo, velut in altissima arce, sperandum est: *Altissimum posuisti refugium tuum,* o vir iuste et virtuti addicte, et habitans in adiutorio Altissimi. S. Hier. et Arias vertunt, excelsum posuisti habitaculum tuum. Cum S. Afra, prius meretrix, apud provinciam Rhetiam, in civitate Augusta, ad iudicem Caium ducta, iuberetur sacrificare, dixit: Sufficiunt mihi peccata mea, quæ ignorans Deum, gessi. Hoc autem quod me iubes facere, nunquam factura sum. Caius iudex dixit: Accedens ad Capitolium sacrifica. Afra respondit: *Capitolium meum Christus est, quem habeo ante oculos meos,* ut habetur in eius Actis a Marco Velsero vulgatis. Arx tutissima Deus est, ibi Capitolium Romano et Augustano celsius est atque augustius. S. Iohannicius Abbas migravit in locum quemdam, qui dicitur Cicbolix, degebat sub dio et absque ullo tabernaculo. Sed ob frequentiorem multorum ad ipsum adventum, ad montem quemdam nemorosum prope Hellespontum se contulit, ibique se in angustum et profundum sub terra defossum foramen abdidit, nunquam progrediens, et a pastore caprarum sumens in singulos menses panem et aquam. Tres totos annos in eo silentio transegit, orationi et hymnis vacans. Hæc autem verba in ore habebat, veluti quoddam condimentum, quæ devote ab ipso canebantur: *Spes mea Deus, refugium meum Christus, protectio mea Spiritus sanctus.* Quocirca videre licet multos hoc pulchrum dictum ab eo receptum, in ore ferre perpetuo, hoc testatur Simeon Metaphr. die 4. Novembris.

S. Afræ responsum.

Et S. Iohannicii dictum.

S. Greg. Naz. orat. 17. ait, spem esse το εν τοις ςενοις φαρμακον, medicinam et remedium in rebus angustis. Plato in Phædone, dicit, καλον το αθλον η ελπις μεγαλη, magnum et pulchrum præmium spes magna. S. Meuodora duabus horis cæsa dolorem non sensit. Cumque illam sceleratus iudex iuberet sacrificare, dixit: An non vides, quod me totam Deo meo sacrificavi? Quænam enim est meo sanguini utilitas, dum descendo in interitum, si non eum prius meo Sponso sacrificavero? Cumque virgis ad mortem usque cæderetur, et genæ contunderentur, magna voce exclamavit: Domine Iesu Christe, mea exultatio, meus amor, *spem meam confugio,* accipe in pace meam animam, atque in his verbis emisit spiritum, ait Metaphr. 10. Sept.

Reges quoque, principes et nobiles spem suam in bello, aliisque rebus testati sunt suis symbolis. Christianus 1. rex Daniæ, illud habuit symbolum: *Spes mea Christus.* 2. Ioachimus Ernestus princeps Anhaltinus: *In spe et silentio.* 3. Ezardus comes Frisiæ Orientalis: *In Deo spes.* Fridericus comes Solmensis: *Fido Christo Salvatori.* Weirichius comes a Dhuyn, comes Falcostenius: *En Dieu seul mon espoir.* Sebastianus a Dhuyn, comes item Falcostenius: *Espoir me confort.* 4. Vitus Mareschallus baro Pappenhemius: *Spes mea Christus.* Adamus baro Dietrichstenius et Holburgius: *In Deo virtutem.* Ioannes Gothardus Streinius baro Schwartzenavius: S. P. E. R. A. hoc est, *Sperantes possunt emergere rebus amaris.* *Varia symbola in Deo sperantium.*

Nota quarto, divinum refugium non tantum altum est, sed etiam est securum, ibi vir iustus non læditur: *Non accedet ad te malum, et flagellum* (Hebr. נגע nega, id est plaga, ut vertit Pagn. 2. lepra, ut S. Hier. 3. damnum, nocumentum, ut Chald. 4. flagellum, ut Sept. Noster, et Flamin.) *non appropinquabit tabernaculo tuo.* Albertus comes Schwartzeburgius dicebat in suo symbolo: *Nil altum, quod non placidum.* In Deo utrumque habes. Id experti sunt martyres illæsi ab igne, feris, variisque tormentis. Vide dicta fuse Psal. 43. Unum exemplum profero. S. Eleutherius Episcopus Illyrici, Felicem ducem exercitus ad fidem converterat, atque baptizarat: hunc Adrianus Imp. sibi sisti iussit, eumque ad idola adoranda concitavit, suppliciaque interminatus est, nisi obtemperaret. Cui vir fortis: Ego, ait, Domino meo adhæreo, et semper adhærebo, et Christo meo serviam, ignominias vestras et honores, et has pueriles larvas suppliciorum, infantium esse plagas reputans. In lectum æneum ardentem insiluit, Deus autem dolorem allevabat e superis et tamquam quodam rore refrigeratus, et in molli herba cubans, martyr sentiebat voluptatem. Cum e lecto surrexisset clamabat, Psal. 144. 1. *Exaltabo te Deus meus rex: et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.* 2. Rursus in medio proponitur craticula, igne quidem subtus accensa, oleo autem desuper aspera, et flammam graviter accendens. Sed simul atque Martyr impositus est craticulæ, ignis extinctus fuit, et carbones emarcuerunt: craticula vero erat frigida, Sanctum conservans illæsum. 3. Ira accensus Adrianus iubet afferri sartaginem, ceramque et picem, et adipem in eam coniici: multo autem igne subtus accendi, ac sic in ea extendi Martyrem. In illam Martyr coniicitur, sed ignis quidem mutatur in rorem, aura vero quædam suavissima fortem ac generosum virum refrigeravit. 4. In clibanum deinde ardentem missis obeliscis ferris transfixus non læditur. 5. In carcerem reiectus, ut ibi fame moreretur, multis diebus alitur per columbam. 6. Tyrannus insaniens iubet equos feros iugo alligari, ipsumque Eleutherium, ut eum ad saxa allisum discerperent: sed angelus e cælo adveniens equos reddidit mansuetos, solutumque Eleutherium in currum imposuit, et ad montem deduxit, ipsumque ursi aliæque feræ circumstantes venerabantur. 7. A militibus iterum captus in amphitheatro feris obiicitur, sed leæna accurrens cervicem pedibus eius acclinat, et lingua plantas eius lambit, exilit, gestu, aspectu, et motu suam declarat benevolentiam. Multi clamabant, magnum esse Deum, qui ab Eleutherio colebatur: obstinati vero, eum maleficum appellantes, qui præstigiis solis hæc faceret, subita morte pereunt. Tandem gladio percussus cum matre ad cælos evolavit, ut est in eius Actis. Tu esto Eleutherius, id est liber: ne captiveris a vitiis, et Deus liberum te faciet ab externis flagellis. Vide S. Vincentii, Clem. Ancyrani Pantaleonis, aliorumque martyrum gesta, in iis multa non dissimilia, et aliquando maiora reperies. 55. *Refugium in Deo est securum.* *S. Eleutherii fortitudo.*

In bello etiam temporali tuetur Deus. Hoc mirabiliter Lusitanis in India patuit. Primo, Calecuti rex Zamorinus odio Lusitanorum incensus, Trimumparám Cocini regem, quem ab eorum amicitia avellere non poterat, exercitu numeroso aggreditur, sed victus recedere cogitur. In tot præ- 56. *In bello Deus suos tuetur.*

liis cadentibus multis ex utraque parte Malabaribus, Lusitanus desideratus est nemo, ac navium insuper alvei non semel traiecti ac perforati, sine ullius damno feruntur: et fulmineo excussæ rotatu ferreæ pilæ irrita plaga (quis credat) obviis quorumdam exceptæ pectoribus, ut ait Ioan. Maffæus lib. 2. hist. Ind. pag. 69. Secundo, Lusitanis, qui ad Coranum agebant, ad unum cæsis, Laurentius Almeida classem ducit; commisso prælio, naves Arabum viginti captas incendit. Illud accidit mirabile: Pila e maiore tormento in scutum Ioannis hominis Lusitani contorta ad ipsius pedes sine ulla læsione defluxit, ut refert idem auctor lib. 3. pag. 73. Multa alia his similia contigere variis locis.

Lusitani a Deo miraculose servati.

Si in flagelli voce vim facere placet, illud Deus tyrannis eripuit, ut servos suos tutaretur. S. Greg. lib. 3. dialog. cap. 1. refert S. Paulinum Nolæ Episcopum se pro filio viduæ vendidisse, et in Africam traiecisse, hortumque generi regis coluisse: interiecto aliquo tempore herum suum monuisse regem brevi esse moriturum, regem vero cum Paulinum vidisset: verum est, inquit genero suo, quod audisti; nam nocte hac in somno sedentes in tribunalibus contra me iudices vidi, inter quos iste etiam simul sedebat, *et flagellum quod aliquando acceperam, eorum mihi iudicio tollebatur.* Regnabat tunc in Africa rex Guntharius. Ultra Scythiam feruntur esse homines ab ipso natali calvi, mares pariter ac fœminæ, simis naribus et ingenti mento. Hos a nemine lædi: nam sacri dicuntur esse, nihilque armorum possident. Iidem finitimorum controversias dirimunt, et qui ad eos fugerit a nemine læditur, ut ait Herodot. lib. 4. pag. 232. Vana salus hominis, in Deo eris tutissimus, hostibus tuis arma excutiet de manibus.

Flagellum eripitur regi Vandalorum.

Conclude itaque cum Davide gratias Deo agente ob liberationem in variis bellis, Ps. 143. 1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. Misericordia mea, et refugium meum: susceptor meus, et liberator meus. Protector meus, et in ipso speravi.* Albuquercii ducis Lusitani ingeniosa fuit gratitudo. Castris ad Benestarinum admotis, missus ab hoste globus agentem cum eo quemdam ex turba ita discerpsit, ut ipsum Albuquercium fœdo cruore consperserit. Globum deinde ipsum argenteis bracteis coopertum, una cum affabre facto monili ex gemmis et margaritis in celeberrimo templo Mariæ Virginis ad Aquas Lupias veteris Lusitaniæ, ponendum curavit, reditu insuper annuo in usum perpetui luminis, Hieronymianis eiusdem templi custodibus tributo, ut tradit Maffæus lib. 5. pag. 137.

Albuquercii gratitudo.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

57. *Duo exequitur. Primo, Propheta asserit, a Deo commissam esse angelis custodiam iustorum, vers. 11. Secundo, verba ipsa Dei dicta angelis, ut illam suscipiant curam, declarat, vers. 14.*

PARAPHRASIS.

11. *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

11. Quia Deus, pro sua erga te benevolentia, angelis suis præcepit, ut te in omnibus actionibus tuis atque periculis custodiant.

12. *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

12. Ideo sollicita cura, velut in manibus portantes, te conservabunt: ne forte in via ad offendiculum aliquod et lapidem incurras, atque concidas.

13. *Super aspidem et basiliscum ambulabis: et conculcabis leonem et draconem.*

13. Illis ducibus, si iter peragenti tibi aspis aut basiliscus accurrerit, eos proteres: si leo aut draco aditum obstruxerint, devictos proculcabis.

14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*

14. Hæc autem Deus angelis loquitur, iustum tutelæ ipsorum credens. Quoniam non in divitiis et honoribus, aliisque terrenis, sed in me uno spem suam posuit; ideo per vos liberatum eum a periculis volo: protegam eum ab hoste, quia maiestatem meam, potentiam, bonitatem, et providentiam agnovit, et adoravit.

15. *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum.*

15. De suis diffisus viribus, me adiutorem toto corde invocavit, ideo exaudiam eum, et in tribulatione comes illi individuus adero, tandemque victorem ab hostibus eripiam, et cum gloria triumphantem omnium oculis exhibebo.

16. *Longitudine dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum.*

16. Ætatem in hac vita, ut plurimum, longam illi tribuam, et in futura vitam æternam, atque salutem ei meam donabo.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta cura et amore angeli iustum tueantur.

58. Ordo Sectionis. Sectione prima iustum in Dei auxilio, velut in arce munita, securum et victorem David descripsit. Nunc angelorum agmine vallatum, etiam hosti insistentem facit.

Ac primo, angelicæ illum curæ a Deo deputatum dicit, v. 11. *Quoniam angelis suis mandavit de te.* Finem illius deputationis amplissimum notat: *Ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Angelorum id exequentium singularem amorem aperit, v. 12. *In manibus portabunt te.* Primo, ut servent ab offendiculis viæ: *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Secundo, a feris occulte invadentibus, v. 13. *Super aspidem et basiliscum ambulabis.* Tertio, a feris aperte occursantibus: *Et conculcabis leonem et draconem.*

Secundo, Deum inducit loquentem angelis, atque ea quæ iustis præstare cupit declarantem. Primo, sperantes in se liberando ab hostibus, v. 14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Secundo, cognoscentes se protegendo: *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Tertio, clamantes ad se exaudiendo, v. 15. *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum.* Quarto, tribulatis assistendo: *Cum ipso sum in tribulatione.* Quinto, ereptos a tribulatione glorificando: *Eripiam eum, et glorificabo eum.* Sexto, gloriam illam in æternum conservando, v. 16. *Longitudine dierum replebo eum.* Septimo, seipsum illis ostendendo: *Et ostendam illi salutare meum.*

ARTICULUS I.

Singulis hominibus, urbibus et regnis suus est custos angelus.

Deus se solo orbem regere et conservare potest, decet tamen magnum regem uti principibus suis ad rerum administrationem. Ideo angelis hæc inferiora, et præsertim viros iustos, commisit, v. 11. Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Vers. 11.

Quæres, an hæc de Christo dicantur, sicut diabolus u- 59.

De Christo hæc dicuntur.

surpavit illi suadens præcipitium de pinnaculo, id est de fastigio et summitate templi Ierosolymitani, ad quod eum tulerat? Resp. primo, S. Irenæus lib. 5. c. 21. S. Ambr. in cap. 4. Lucæ, Caiet. in Psalm. nostr. Salmeron tom. 4. tr. 13. Faber Stapul. in Psalm. nostr. et alii, hæc ad litteram de Christo esse intelligenda.

Aut potius de quolibet iusto.

Secundo tamen, ac melius, S. Hieron. S. August. S. Chrysost. S. Anselm. aliique plurimi negant hæc de Christo dici, sed de quolibet iusto. Christus enim non habuit custodem angelum: quia ob unionem hypostaticam Deus est, et ipsos custodit angelos. Abusus est Lucifer Christum tentans, ut illum incitaret ad præcipitium: sed acute dicit S. Bern. in eum iusurgens serm. 14. in Ps.90. *Quid mandavit? nempe quod in Psalmo sequitur: Ut custodiant te in omnibus viis tuis. Numquid in præcipitiis? qualis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non via hæc, sed ruina: et si via, tua est, non illius:* ita Bern.

60. Regnis singulis angeli sunt præpositi.

Nota, regnis singulis præpositi sunt angeli. Hoc colligi potest ex dictis Gabrielis angeli Iudææ præsidis, qui nitebatur eripere e Babylone, et in patriam reducere Iudæos a 70. annis captivos, ait enim principem regni Persarum restitisse sibi viginti et uno diebus. Principem illum volunt Iudæi et hæretici esse Cambysem, Cyri filium, Iudæis iufensum. S. Prosper et Cassian. fuisse dæmonem. S. Gregor. 17. Mor. 7. S. Thom. 1. p. q. 113. art. 7. ac noster Molina ibi varios citans, qui q. 108. notat, angelos infimæ hierarchiæ esse tutelares gentium, ac hominum: scilicet Principatus, tutelares esse regum et regnorum: inde vocari principem Persarum: archangelos vero, esse tutelares provinciarum: angelos denique, hominum singulorum. Deuter. 32. 8. ait Moses: *Deum constituisse terminum populorum iuxta numerum filiorum Israel.* Chald. vertit, iuxta numerum angelorum Dei: atque hanc versionem sequuntur Clemens Alexandr. Origenes et S. Iustinus. Addit Origen. hom. 11. in Num. ab angelis divisas esse linguas in Babel, et singulis gentibus suam esse inditam: sed probabilius est a Deo immediate id factum esse speciebus infusis cuiusque idiomatis. Sed ad rem, S. Clem. Rom. lib. 2. Recognitionum ait: Est cuiusque gentis angelus, cui credita est gentis ipsius dispositio. Clem. Alex. lib. 6. Strom. Per gentes, ait, ac civitates sunt distributæ angelorum præfecturæ. Advertit autem S. Basil. angelos regnorum esse nobiliores custodibus singulorum hominum, et ratio hoc dictat. Verba eius sunt lib. 3. in Eunomium: Angeli omnes ut appellationis unius, sic eiusdem etiam sunt naturæ inter se: attamen, οι μεν αυτων, εθνων προεστηκασι, alii ipsorum gentibus præpositi sunt: alii vero, fidelium singulos consequuntur: Quanto autem gens uni viro præponenda est: tanto maius esse necesse est, το αξιωμα εθναρχου αγγελου, decus ac dignitatem angeli, qui gentis principatum habeat, dignitate eorum quibus singulorum tutela commissa est: hæc Basilius.

61. Urbibus et pagis.

Secundo, singulis urbibus et pagis sunt sui assignati præsides. Isaiæ 62. 6. dicit Deus: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes: tota die et nocte in perpetuum non tacebunt.* Abulensis id explicat de angelis urbium custodibus. S.Greg. Naz. orat. 32. quam habuit ad Episcopos ab urbe Constantinopolit. discessurus, eius salutat custodes angelos. Tum ad angelos, ait, quibus huius urbis cura commissa est. Nec enim mihi dubium est, quin aliarum Ecclesiarum præsides ac patroni sint, sicut in Apocalypsi Ioannes me docet. Ecclesiis, Monasteriis, Altaribus, Exercitibus, Episcopatibus, etc. angelos deputatos dicam art. 5.

Et singulis hominibus.

Tertio, singulis hominibus suus est custos. Matth. 18. 10. dicit Christus Apostolis: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Hinc sancti colligunt, singulis hominibus suum esse custodem angelum. S. Hieron. *Magna,* inquit, *dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis suæ in custodiam sui angelum delegatum.* Origen. homil. 20. in Num. cap. 25. Adest unicuique nostrum, ait, etiam angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem Patris. Suarez lib. 6. de angelis cap. 17. n. 8. ac seq. contra Calvinum et Magdeburgenses ostendit, temerarium et erroneum esse, negare, singulis hominibus a Deo dari angelum custodem, non solum fidelibus et iustis, ut videtur sentire Origenes, et Auctor operis imperfecti in Matthæum, sed etiam infidelibus, impiis, ac reprobis. Unde et Antichristus suum habebit angelum custodem, ut docet S. Thom. 1. p. qu. 113. art. 4. ad 3. Idem Suarez c. 18. n. 7. docet, angelos singulorum hominum custodes ordinarie esse ex nono et infimo ordine, qui communi nomine angelorum nominatur: nonnullis tamen personis eximiis vel dignitate, vel publico officio, ut Apostolis, Prophetis, Patriarchis, Pontificibus, Episcopis, regibus custodes dari ex octavo ordine, qui Archangelorum dicitur. Hinc B. Virginis custos fuit Gabriel, quem multi putant esse ex ordine Seraphinorum. Igitur omnes omnino homines (etiam B. Virgo) habuerunt, vel habent, angelum custodem. Excipio Christum, quia is angelo non eguit, cum humanitatis sufficiens custos esset ipsa eius divinitas. Habuit tamen Christus semper ad manum plures angelos, quibus quasi administris ad usus quoslibet uti poterat: ita Suarez.

Hanc angelorum custodiam ipsi ethnici cognoverunt. Clem. Alex. in Strom. citat Menandrum, qui sic ait: Omni homini nato dæmon unus est, απαντος μυσταγωγος βιου, totius mystagogus vitæ. Euseb. lib. 13. de præparat. Evang. c. 7. de Plat. et Socr. hoc testatur: Angelum, inquit, unicuique ad custodiam divinitus datum a Scriptura nos didicimus, et Plato scribere non dubitavit, hoc modo. Quoniam, ait, omnes animæ sorte vivendi modum elegere, ordine ad sortem suam progrediuntur motæ a dæmone, quem singulæ sortitæ sunt: qui ad custodiendam hanc vitam, et ad perficienda quæ elegerunt, una cum eis mittitur. Hoc ipsum credo Socratem etiam significasse, cum a dæmone quodam se gubernari sæpius dixerit: hæc Euseb.

62. Regibus et prælatis duo sunt angeli custodes.

Nota secundo, licet unus tantum sit nobis angelus deputatus ordinarie ad custodiam, tamen alii subinde pro nata occasione nos iuvant. Unde hic in plurali dicitur, *Angelis suis mandavit de te.* Regibus et principibus duos esse custodes, est probabile. Ita sentit Suar. lib. 6. de Angelis cap. 17. n. 24. Mihi, ait, probabile fit, quod communiter creditur, has personas publicas duos habere angelos custodes: nimirum inferiores, quatenus tales personæ sunt: et superiores, ratione muneris. Nam sicut duplici egent prudentia et rectitudine: et illa quæ ad bonum commune pertinet, altioris rationis est: ita duplici egent gubernatore et custode angelo: Item, quia Petrus (et idem est cum proportione de reliquis) suum angelum peculiarem et privatum habuit a principio vitæ suæ: postea vero factus Apostolus et caput Ecclesiæ, superiori angelo in custodiam et directionem traditus est: et hoc genus providentiæ nullum habet inconveniens, et consentaneum est divinæ providentiæ ac liberalitati: hæc Suarez.

Et quibusdam sanctis.

Nonnullis etiam sanctis duos angelos concessos fuisse legimus. De S. Francisca Romana vidua habes in eius vita, præter custodem ordinarium illi datum angelum quarti chori, qui continuo splendore vultum illius mirifice illustrabat atque recreabat. Primum quidem, ordinarie cernebat manus complicantem in formam Crucis: alterum vero, manibus ferentem triplicem palmæ ramum deauratum, et ambos oculis in cælum sublatis, capillis aureis, et facie multo clarissima. Maria Raggensis Ord. S. Dominici duos habuit tutelares angelos, sicut Ioan. Saragossa et Michael Ribera testantur in eius vita. Cum autem Ecclesiam petebat, illos præeuntes videbat. Catharina de Raconis præter custodem angelum, habuit Seraphinum ad custodiam extraordinariam, utrumque vero nonnunquam cernebat: angelum quidem veste linea candidissima indutum: Seraphinum vero tectum veste purpurea, et sex alis præditum, ut suos describit Isaias, cum maiestate regia, quæ in eius facie emicabat, ut refert Ioan. a S. Maria in eius vita. De B. Maria Œgnatensi idem scribunt

Iacobus a Vitriaco Cardinalis et S. Antoninus Archiepisc.

63. *Tria corollaria.* Ex his tria collige. Primo Dei amorem erga nos, qui nostri curam mandat cæli principibus. S. Bern. serm. 12. in Psalm. 90. Mira dignatio, inquit, et vere magna dilectio charitatis: *Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit?* Illis utique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, et vere domesticis Dei. *Mandavit de te.* Tu quis es? Domine quid est homo, quod memor es eius: aut filius hominis, quoniam reputas eum? quasi vero non sit homo putredo et pulvis, et filius hominis vermis? Sed quid putas mandavit de te, etc. hæc Bernardus.

Secundo, hinc collige, amorem angelorum erga te, cum hanc curam suscipere non detrectent: et quantam illis debeas reverentiam et benevolentiam. S. Bern. serm. eodem 12. Quantam, ait, debet tibi hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia! Caute ambula, ut videlicet cui adsunt angeli (sicut eis mandatum est) in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, angelo tuo reverentiam habe. Tune audeas illo præsente, quod vidente me non auderes? Hæc ipse.

Tertio denique, hinc collige, quanta sit animæ tuæ dignitas, quæ instar filiæ regis a principibus circumvallatur, vide, ne hostibus eius ipsam turpiter subiicias. Petr. Cellensis lib. de panibus, cap. 4. Anima tua, inquit, a Deo facta, et ex Deo regenerata, *Regis filia nuncupatur.* Puella generosa, tenera et delicata, formosa et candida, ignara doli, laboris insueta, virtutum capax, damnatrix vitiorum, artium inventrix, constans in amore, verax in promissione, larga in donatione, socialis ad cives, affabilis ad omnes. Denique rapitur puella, o crimen! generositas ancillatur, o pudor! delicata laceratur, o pietatis naufragium! formosa denigratur, o pulchritudinis damnum? Hæc ille, qui singula amplificat.

ARTICULUS II.

Finis angelicæ custodiæ.

Illum assignat David: *Ut custodiant te in omnibus viis tuis:* id est, in omni cogitatione, affectione, locutione et actione: hæ enim sunt viæ, quibus ad cælum pergimus.

64. *In via sumus omnes.* Nota, in via sumus omnes. Miræus in chronico Cisterciensi pag. 267. ait, monasterium quoddam Virginum illius Ordinis dictum esse: *Viam cæli.* Duas vias in hac vita assignat Origenes, quibus angeli et dæmones præsideant. Sic enim loquitur lib. 3. de principiis cap. 2. *Eadem,* ait, *Barnabas in epistola sua declarat, cum duas vias esse dicit: unam lucis, alteram tenebrarum, quibus et præesse certos angelos dicit. Viæ quidem lucis, angelos Dei: tenebrarum autem viæ, angelos Satanæ.* S. Bern. serm. 11. in Psal. 90. quadruplicem viam distinguit: hominum scilicet, dæmonum, angelorum, ac Dei. Viæ filiorum Adam, inquit, in necessitate et cupiditate versantur. Ab utraque siquidem ducimur, et ab utraque trahimur: nisi quod videmur magis urgeri necessitate, trahi cupiditate. Viæ dæmonum, præsumptio et obstinatio. Viæ angelorum sunt ascensus per contemplationem Dei, et descensus per compassionem proximi. Viæ Dei sunt misericordia et veritas.

65. *Angeli ducunt populum integrum et singulares homines.* Nota secundo, angeli in via cæli ducunt. Primo, populum universum. Exod. 23. 20. dicitur Mosi ducenti populum Israel per desertum in Chananæam: *Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum quem paravi.* Secundo, singulos homines tutantur in omnibus viis eorum, quod in Tobia expressum est. Tob. 12. 2. *Respondens Tobias, dixit patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? Me duxit et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit,*

A *te quoque videre fecit lumen cæli, et bonis omnibus per eum repleti sumus.*

Nota tertio, angeli custodes primo animum erigunt, ut viam cæli ingredi velimus, et dant vires ad eam ineundam. Sic angelus excitavit Eliam iacentem ac tristitia exanimatum, ob furorem Iezabelis. Ait enim illi, 3. Reg. 19. 7. *Surge, comede: grandis enim tibi restat via.* Tum dato pane illum roboravit, ita ut 40. diebus ieiunus ambularit, donec Deum videret in monte Horeb, qui est unus de verticibus montis Sinai. 66. *Angelorum officia varia in via cæli iuvantium.*

Secundo, animato et roborato viam ostendit angelus. Lotho educto de Sodomis dixit angelus, Gen. 19. 17. *Salva animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione: sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas.*

Tertio, ambulantem in via angelus illuminat, sicut S. Michael in columna ignis populum Israel. Vocantur a Sanctis Patribus secundi splendores. Apoc. 1. 16. dicuntur stellæ. Comparare eos possis lucernis coram Deo lucentibus in candelabro aureo, quod erat in sancto prope altare thymiamatis. B Vocantur lampades, Apoc. 4. 5. Conferre possis lampadibus militum Gedeonis: illæ enim, et milites illuminabant, et hostes terrebant. A Zacharia Propheta c. 4. 10. vocantur oculi Domini. Philo lib. de somniis: Sunt, ait, quædam purissimæ, optimæque omnium, quæ altius diviniusque sapiunt, aspernatæ ista terrestria et humilia, ministræ omnipotentis, *tamquam magni regis aures et oculi*, audientes videntesque omnia. Hos, genios Philosophi, angelos vocant sacræ litteræ. Ita Philo, qui alludit ad reges Persarum, quibus erant certi ministri, qui dicebantur, regis aures, et regis oculi. Angelus, velut lux prævia, duxit S. Honufrium in eremum, ut ibi Deo serviret, ut narrat Paphnutius in eius vita. Nocte, inquit, veni in viam montis, volens ingredi in solitudinem. *Animadverti vero lucem, quæ ante me erat.* Cumque de reditu territus cogitarem, accessit ad me dicens: Ne timeas, ego sum angelus, qui tecum ambulo a tua ineunte ætate. Hoc enim consilium, et hæc dispensatio, propter quam C voluit me Deus tecum habitare, nunc tibi perficitur. Cum autem hæc mihi dixisset, mecum ambulavit, et venit in solitudinem circa sex vel septem milliaria. *S. Honufrius ab angelo in eremum ducitur.* S. Aug. c. 27. Soliloquiorum: Ambulant nobiscum, ait, in omnibus viis nostris, intrant et exeunt nobiscum, attente considerantes quam pie, quam honeste in medio nationis pravæ conversemur: hæc Augustinus. Catharina de Raconis cum plurimis comitibus in noctem coniecta oravit, ut Deus lucem daret. Oratione finita, Seraphinus eius apparuit, tantum luminis effundens, ut viæ omnibus paterent. Omnes quidem lumen videbant, sed ipsa sola videbat angelum ut ait Ioan. a S. Maria, qui etiam refert, Catharinam de Herrea monitam in civitatis cuiusdam suburbiis anum paupercula esse, quæ extrema necessitate premeretur, filium adhuc parvulum ipsa illa nocte ad hoc destinasse. Cum noctis horrore, et hyemis asperitate terreretur, promisit fore, ut itineris ducem haberet angelum: domo egressus statim obvium habuit angelum, in forma iuvenis facem manu præferentis, qui eum ad fœminæ illius domum, ne verbo D quidem dicto, deduxit, atque velut alio pergens discessit. Cum reditum vereretur, alius exeunti se obtulit, facem quoque gestans, et tacitus per varios vicos illum præcessit, atque ad parentis domum recta deduxit.

Quarto, angeli in deviis iuvant, et ignotas vias ostendunt, ut Agari ancillæ Abrahami erranti in solitudine, Bersabee, ei enim fontem aquæ ostendit angelus, Genes. 21. in montem Cassinum per vias ignotas ductus est S. Benedictus a duobus angelis, ut ait S. Petrus Damiani ser. 8. in vigilia S. Benedicti. Cum, ait, vir Dei Benedictus in loco, qui Sublacus dicitur, constructis circumquaque monasteriis solitarius degeret, divinitus est admonitus, ut loco cederet: castrumque, quod Cassinum dicitur, properaret. Sed cum per ignota loca solus viator incederet, ubicumque bivium occurrebat, duo protinus iuvenes videbantur assistere, qui sibi, quo progressus dirigere debe- 67. *Angeli in deviis iuvant.* *S. Benedictum ducunt.*

bat, indicarent. Qui nimirum iuvenes, qui alii credendi, nisi angelici spiritus ad sancti viri custodiam deputati? hæc ille. Ab angelo etiam deducti sunt per ignotos calles novem Patres Soc. nostræ per Germaniam ad S. Ignatium Venetias pergentes, cum semel in vitæ discrimen incidissent. Socrates lib. 7. cap. 23. ait: Asparis exercitum ductum esse ab angelo in forma et habitu pastoris apparente, et per stagnum Ravennæ adiacens, traiectum: qua via nemo unquam iter fecisse memorabatur. Wilihelmus Tyrius lib. 16. agens de exercitu Balduini regis Ierosolymitani dicit eum coniectum in discrimina inevitabilia, ita ut errarent omnes in invio et non in via; et angustiis locorum intercludendi, ab ingruentibus hostibus omnes cædendi essent, prævio ignoto duce, nempe cælesti nuntio, eodemque signifero, per alias vias secure deductum esse usque Ierosolymam, qui et admirabili perfunctus ministerio, ab omnium mox evanuit oculis.

68. Sancti angeli custodes sunt pædagogi nos docentes. S.
Angeli sunt pædagogi nostri. Basil. lib. 3. contra Eunomium: Singulis fidelium, inquit, adest angelus, παιδαγωγος τις και ποιμην ζωην διευθυνων, pædagogus quidam et pastor ad vitam dirigendam. Et lib. de Spiritu sancto: Apostolus, ait, sciens angelos hominibus datos, εις παιδαγωγους τινας και παιδονομους, ceu pædagogos quospiam, ac morum gubernatores, vocavit illos in testimonium. Origenes hom. 8 in cap. 22. Genes. Angeli, inquit, velut procurationem animarum nostrarum tenent, quibus dum adhuc parvuli sumus, veluti tutoribus et actoribus committimur. S. Maximus in cap. 5. cælest. Hier. Angeli, ait, παιδαγωγικως χειραγωγουσι, pædagogi in morem instruunt. S. Greg. Thaum. orat. prosphonet. Angelus custos, ait, privatim pædagogus noster, quia reipsa pueri et infantes sumus, qui cum in cæteris omnibus bonus semper nutritor atque curator meus fuerit: ut olim me, ita nunc quoque alit, et erudit, ac manuducit.

69. Quinto denique, in via iuvant pugnando, si hostis ir-
Angeli in via iuvant pugnando. ruat. Sunt enim milites Dei. Zachar. 9. 8. ait Deus: *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi.* Domus Dei est animæ sanctæ templum. Vide a me dicta Ps. 33. 8. in illud: *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos;* ubi ostendi custodiam angelorum in Iudæa, Thracia, Scythia, Perside, Polonia, Bohemia, Italia, Gallia, Hispania, et Lusitania. S. Epiphan. de laudib. Virg. Mariæ, vocat exercitus angelorum. Dicuntur a S. Greg. lib. 2. Moral. invisibilis exercitus. A Salomone Cant. 1. 8. *equitatus Dei.* Cantic. 7. 1. *Chori castrorum.* Luc. 2. 13. appellantur *militia cælestis.* Iosue 5. 14. *exercitus Domini.* 2. Paralip. 18. 18. *Exercitus cæli assistens Deo a dextris et a sinistris.* A Iacobo Patriarcha, Gen. 32. 2. *Castra*
Varia elogia angelorum. *Dei.* Sophronius multa eorum acervat elogia in encomio ipsorum. O vos, ait, reliqui omnes angeli et archangeli, cœtus cælestis, *corona impenetrabilis, phalanx præstantissima, multitudo immensa, exercitus innumerus*, celsitudo inaccessa, magnitudo incomprehensa, chorus incomparabilis, notitia omni indagatione superior, lætitia inexplicabilis, etc. hæc Sophronius. Arma nostra sunt: unde Beda orat. in Collectaneis: *Gabriel esto mihi lorica, Michael esto mihi baltheus, Raphael esto mihi scutum.* Æthiopes in Liturgia precantur: Custodi Domine populum tuum per preces maiorum angelorum splendentium, Michaelis, et Gabrielis, ac Raphaelis, et Urielis. Fit mentio Urielis, qui significat flammam et ignem Dei, lib. 4. Esdræ cap. 4. apud S. Ambrosium lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 2. apud S. Isidorum lib. 7. etymolog. cap. 5. Andream Cæsariensem in cap. 22. Apocalypsis, Albertum Magnum, Bonaventuram, et alios.

ARTICULS III.

Modus angelicæ custodiæ suavissimus et tutissimus est.

Non solum angeli suscipiunt curam animæ et corporis iustorum, sed id cum benevolentia et charitate faciunt,
Vers. 12. vers. 12. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Nota primo, in manibus ferre et in oculis dicimur, cum 70.
quid studiose et amanter custodimus: quod enim diligi- In manibus ferre dicimur quæ amamus.
mus, frequenter aspicimus, et manibus versamus. Hinc Deus Sioni timenti, ne ab eo sit relicta, dicit Isaiæ 49. fore ut nunquam eius obliviscatur, licet mater obliviscatur filii sui, ac subdit v. 16. *Ecce in manibus descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Sanchez noster ab Isaia alludi putat ad annulos, in quibus amici eos solent exsculpere, quos intime amant atque venerantur, sicut Epicuri effigiem ab eius asseclis in annulo exsculptam gestari solitam referunt Cicero et Plin. lib. 35. cap. 2. Hispanis et Italis est in vulgari parœmia: *Gestat illud supra palmas manuum suarum;* id est, illud valde amat, et diligentissime custodit: sic avarus thesaurum versat diu noctuque, et fœmina princeps gemmam magni pretii et splendoris.

Secundo et melius, formula illa, *in manibus ferre*, su- 71.
mitur a nutrice ac matre populum suum brachiis et sinu Angeli in manibus nos portant, instar nutricis.
gestante, manibusque constringente. Eo modo volebat Deus a Mose deferri per desertum Israelitas: unde ipse tanto pondere gravatus conqueritur, Num. 11. 12. *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram pro qua iurasti patribus eorum.* Meminerint itaque Prælati, se constitutos a Deo esse nutritios, qui subditos infirmos alant suo lacte, et brachiis ac sinu gestent et foveant. Hinc omnis magistratus dicitur onus, vel ipsi gigantes sæpe sub eo ingemunt. Carolus V. Imp. dicebat, se toto tempore, quo regnum habuit, ne quadrantem quidem horæ fuisse sine cura et sollicitudine. S. Bern. epist. 42. sapienter dicit: Meditantibus honores blandiuntur; sed onera pensantibus tædio sunt, atque formidini.

Nota secundo, cum dicitur de angelis, *in manibus porta-* 72.
bunt te, catachresis: est angeli enim cum sint puri spiritus Angelorum manus quæ.
et immateriales, carent manibus. Manus autem angelorum, ait Bellarminus, sunt intellectus et voluntas: sive sapientia et potentia. Nam intelligendo et volendo omnia faciunt. Lapides in via, sunt omnia impedimenta, quæ occurrunt in hac vita, sive temporalia, sive spiritualia, scandala, tentationes, persecutiones, et similia. Pedes, quibus ad lapides offendere solemus, sunt affectus humani. Pes tuus, inquit S. Bern. serm. 13. affectio tua; et S. Aug. in Psal. 94. Pedes nostri, inquit, in hoc itinere affectus nostri sunt. Duo sunt autem principales affectus, quasi duo pedes, amor, et timor; et quocumque homo operando, loquendo, desiderando pergit, vel amore movetur, vel timore: amore acquirendi aliquid boni, vel timore illud amittendi: sive amore cavendi malum, vel timore in illud incidendi. Tunc autem offendimus pedem ad lapidem, cum oblata occasione temporalis boni acquirendi, vel temporalis mali evadendi labimur in peccatum: unde bonum æternum amittimus, et sempiternum supplicium incurrimus. Sed qui habitant in adiutorio Altissimi, ab angelo custode ita iuvantur, ut vel occasio illa tollatur, id est lapis ille de via removeatur: vel animus ita illustretur ad vera bona, et vera mala internoscenda, ut pede, id est, affectu elevato a terra, occasio temporalis boni, quod sine peccato acquiri non potest, facile condemnatur: et malum temporale, quod sine peccato vitari non potest, patientissime toleretur: hæc Bellarminus. Chald vertit: Fortitudine sua portabunt te, ne forte impingat ad cupiditatem pravam lapidi similem, pes tuus. S. Bern. serm. 12. in Psal. 90. animos addit tribulatis. Turbatur, inquit, aliquis vehementer, seu corporali quovis incommodo, seu tribulatione sæcu-
lari, seu acedia spiritus, et quidem animi defectione lan- 73.
guescens? Arbitror sane velut duabus quibusdam mani- In omni re manum auxiliatricem dant angeli.
bus eiusmodi homines ab angelis supportari, ut quodammodo non sentientes transeant, quod tantopere formidabant: sic ipse.

Nota tertio, angeli in omni re manum auxiliatricem of-
ferunt. Primo, in periculis corporis. Deduxerunt Iacobum 1.
Patriarcham ex domo Labani soceri in patriam suam Chana- In periculis corporis.
nitidem, liberando illum a Labani et Esau furore, Gen. 32.

S. Philippum Nerium liberarunt e fovea, in quam ceciderat. Augustin. Mannus in Selectis, cap. 324. sic refert: Nocte quadam, cum panem viro cuidam nobili, sed pauperrimo deferret, diaboli opera factum est, ut intentus Philippus, quo pacto currum præcipiti se auferentem cursu declinaret, in altissimam foveam casu delapsus sit: sed Domino opem ferente, ab angelo confestim inter cadendum capillo capitis mirabiliter retinetur: indeque nulla læsus parte, ab eodem incolumis eripitur: ut is, qui ad aliorum vitam sustentandam ambularet, a benigno Domino vitæ beneficium reciperet.

II. *In exercitiis virtutum.* Secundo, manum auxiliatricem dant angeli in exercitiis virtutum. Habacuc prophetam deferunt capillo capitis ad lacum, ubi Daniel erat in leonum medio ieiunus, Dan. 14. 33. Philippum sive Apostolum, sive Diaconum, deferunt in urbem Azotum, ut ibi Evangelium annuntiet, Act. 8. 39. Margareta Yprensis quadringentas salutationes angelicas singulis diebus recitabat, et in singulis ad terram usque genuflectebat: cumque illam vires deficerent, ab angelis duobus sustentabatur, ut id facile præstaret, sicut refert Choquetius in eius vita. P. Ioannes Tolomei Senensis religiosus Ord. S. Dominici ab angelis nonnunquam elevabatur, concionem habens ad populum, ut ait Seraphinus Razzi, in virorum illustrium illius Ordinis gestis.

74. III. *Post mortem animas Deo offerunt.* Tertio denique, post mortem angeli iustos portant manibus suis in cælum. Phœnicem, aiunt, ex Arabia proficiscentem in templum solis gestare patrem suum myrrha obvolutum, et in eo templo humare. Fabula est, sed vere dixit S. Macarius homil. 22. Cum Sancti Dei exierint de corpore, chori angelorum assumunt animas eorum in suam partem in sæculo puro, et sic eas adducunt ad Dominum. Petrus Cellensis de Panibus, cap. 10. His, ait, principaliter et proprie deserviunt angeli officiis, ut ad Deum venientium inquirant mentem, propositum, et meritum. Officii sui certe est et dignos intromittere, et indignos extrudere, bene meritos cum reverentia suscipere, immeritos cum iniuria eiicere: ita Cellensis.

Exempla multa. Vis exempla? Primo, pauperes Deo sistunt. Luc. 16. 22. *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portabatur ab angelis in sinum Abrahæ,* hoc est, in limbum patrum. Ubi adverte, τὸ *portabatur*, denotare pompam multis angelis lente procedentibus, et in ea gestatione exultantibus. Non esse autem solum parabolam, sed veram historiam, docet S. Ambros. S. Chrysost. S. Iustin. S. Greg. et alii. Hebræorum traditio est, quod dives epulo vocabatur Nincusis, qui viceversa portatus est ad inferos a dæmonibus, et ibi sepultus.

Secundo, S. Antonius vidit inter angelorum catervas, inter Prophetarum et Apostolorum choros, niveo Paulum eremitam candore fulgentem, in sublime conscendere, ait S. Hieron. in vita S. Pauli. S. Hermelandus Abbas vidit absens in Aquitaniæ partibus, in Creæne monasterio animam cuiusdam monachi, quem informarat, et illi domui præfecerat, angelicis fultam præsidiis, recta ad cælos tendentem, ut Surius tradit die 25. Martii. Ammonis monachi animam vidit S. Antonius in cælum pergere, eique angelos occurrere usque ad thronum Dei comitaturos, sicut refert S. Athanas. in vita S. Antonii.

Tertio, angeli B. Anuph Abbatem, cui viventi cibum attulerant, in cælos deferunt mortuum, cum grata symphonia Deum laudantes: ita habetur lib. 2. in vitis Patrum. Godricus, eo tempore quo S. Robertus Abbas Cisterc. Ordin. in Anglia mortuus est, in cella sua manens, duos muros candidos vidit ad cælum usque porrectos. In iis autem tres angelici spiritus visebantur, *qui animam beati viri in specie globi ignei ad cælos deferebant.* Unus ex eis a dextris, alter a sinistris erat: sed præter illos tertius quidam spiritus supra omnium verticem, nimia cum exultatione antecedebat, ut refertur a Surio 7. Iunii, in vita S. Roberti.

Gotmundus in monasterio Sora degens, vidit multitudinem angelorum dulcissime canentium. Ex iis duo angeli, ineffabili splendore conspicui, quemdam ætate maturum, vestimentis sacerdotalibus ornatum, dextra lævaque sustentabant, eius brachia suis humeris retinentis innixa, sicque ad cælum usque procedentes. Hos autem sequebatur diabolus, cum multa furentium atque stridentium dæmonum turba: sed angelis cælos penetrantibus, ille tristis via, qua venerat, retrocessit. Didicit autem Gotmundus ab illis, animam Wilhebni Abbatis Roschildensis tunc mortui cælum petiisse, ut est in eius vita a quodam ipsius discipulo scripta.

Cum S. Clarus Abbas Viennensis decumberet, tertia die antequam moreretur, vidit circa crepusculum diei aperiri cælum, et immensum exercitum candidissimi et nivei candoris super cellam, ubi iacebat, descendere: quem exercitum miræ pulchritudinis et splendoris iuvenis præcedebat. Quod cum aspiceret, virgo beatissima Blandina ab eo cognita illum consolari cœpit, et ut tantum exercitum sequeretur, hortari. Cumque ipse voto et desideriis annueret, ab illa audivit: Tertia die, hora quinta, S. Marcellus et ego ad te venientes, te nobiscum ad felicia ducemus. Et ne hostis tibi nocere possit, *totus iste exercitus Dei, quem vides, tecum erit.* Sic visione abscedente, beatus vir in Ecclesiam deportatus, cilicioque superextentus, quamdiu supervixit, a Dei laudibus non cessavit. Appropinquante hora exitus sui, psalterium decantare cœpit. Ut ergo fratres finitis psalmis dixerunt: *Omnis spiritus laudet Dominum,* cum luce odor ineffabilis cellam, ubi sanctus Dei iacebat, replevit: sicque beata anima carne soluta migravit ad Dominum. Mansit autem idem odor usque ad locum sepulcri, ut docet Sur. 1. Ianuarii.

Quarto, sacerdotes et clerici ab angelis in cælum portantur. Qui S. Marcellinum presbyterum, et S. Petrum exorcistam decollavit, testatus est vidisse se animas eorum exeuntes a corporibus, tamquam virgines auro et gemmis ornatas, vestibus indutas splendidissimis, *Angelicisque manibus in cælum sublatas,* per auras ivisse gaudentes: ita eorum acta manuscripta.

Quinto, angeli Episcopos in cælum deferunt. S. Severinus Coloniensis Episcopus audivit cælestem musicam angelorum deferentium in cælos animam S. Martini Turonensis Episcopi. S. Cuthbertus adhuc monachus, postea Lindisfarnensis Episcopus, vidit animam S. Aidani eiusdem Ecclesiæ Lindisfarnensis Episcopi ab angelis magno in lumine ad cælum ferri, sicut memorat Beda in vita S. Cuthberti, quæ extat tom. 3. operum eius. S. Benedictus quiescentibus adhuc fratribus, instans vigiliis, nocturnæ orationis tempora præveniebat, ad fenestram stans, et omnipotentem Deum deprecans, subito intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est: quia, sicut post ipse narravit, omnis etiam mundus velut sub uno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est. Qui venerabilis Pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, *vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea ab angelis in cælum ferri.* Servandus Diaconus ab eo vocatus partem lucis exiguam vidit, ut narrat S. Gregorius lib. 2. dialogorum.

Concludamus itaque cum B. Isaia Abbate, gaudendum esse Dei servis ob illum angelorum famulatum. Quoniam, ait, gaudio affici debet animus illius, qui Dei se addixit servituti, et in eo studio se graviter gerit, cum considerat angelos sibi ex hac vita discedenti obviam venturos, gratulaturosque, quod ex tenebrarum potestatibus fuerit liberatus. Cum enim anima e corpore egreditur, angeli cum ipsa proficiscuntur: tunc autem occurrunt illi omnes tenebrarum potestates, exquirentesque si quid in ea proprium inveniant, ut eam sibi vindicent: contra vero, tunc angeli pugnant. Quod si bona opera vicerint, tunc ei præconium canunt angeli, donec cum lætitia Deo occurrat: ita Isaias Abbas.

ARTICULUS IV.

Effectus custodiæ angelicæ, contra dæmones, serpentes, et feras.

75. Vers. 13. HORRET homo, præsertim serpentes, et feras, ac dæmones: in eos omnes, angeli securum virum iustum præstabunt, vers. 13. SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULABIS, ET CONCULCABIS LEONEM ET DRACONEM.

Nota, hæc intelligi possunt tripliciter. Primo, materialiter atque corporaliter, ut iacent, de potestate Sanctorum in feras. Secundo, symbolice, de diabolo, et sceleratis hominibus. Tertio denique, tropologice, de vitiis.

Virtus feras homini subdit. Ac primo, virtus hominem ad innocentiæ statum quodammodo revocat, dum ei animalia, ipsosque serpentes et feras subiicit. Hoc pollicetur Apostolis suis Christus, Luc. 10. 19. *Ecce dedi*, Græce δίδωμι, do, *vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici. et nihil vobis nocebit.* Primo, feræ terrestres Sanctis se subiecerunt. S. Wilhelmum ex duce Aquitaniæ Anachoretam ita venerabantur, ut dixerit Theobaldus Episcopus in eius vita: *Diceres Eliam inter corvos, ovem Christi inter lupos, Lazarum inter canes, Danielem inter leones, Mosem inter serpentes, Davidem inter ursos, Ioseph inter Ægyptios, Benedictum inter volucres:* ita Theobaldus. Alii sancti viri ursis, alii leonibus ad onera ferenda, aliaque officia usi sunt. S Euphemiæ non nocent marinæ belluæ. Secundo, feræ maritimæ mites fuerunt S. Euphemiæ. Cum enim tyrannus in medio stadio effodi iussisset magnam cisternam, aqua autem impleri, et in eam iniici omnia animalia, quæ alit mare, adducta Euphemia manus in cælum sustulit, et oculos implens lacrymis dixit: Lux mea Iesu, mea gloriatio, mea vita, adiutor meæ imbecillitatis, qui in rebus dubiis facilem exitum invenis: qui belluæ quidem ventrem Ionæ pulchrum fecisti thalamum: leonum autem ora revereri Danielem: tu me, Domine, valida et invicta tua conserva dextera, ut sim quidem argumentum gloriæ iis, qui tuam colunt potentiam: vultus autem impiorum dedecore impleam, et ignominia. Cum sic precata esset, et se toto signasset corpore, in aquam forti et generoso animo insiliit. Bestiæ autem protinus quidem cum magno impetu accesserunt: postquam vero fuerunt prope corpus Martyris, cibi omnino sunt oblitæ, et functæ sunt munere satellitum: et Martyrem excipientes, eam dorsis suis sustinebant, perinde ac si curam eius gererent, ne quid ei grave eveniret, in aquam descendenti. Tertio denique, ipsi serpentes ad conspectum vel imperium Sanctorum fugantur, vel sunt innoxii. S. Hilarius fugat serpentes. Gallinariam insulam innumeri serpentes infestam reddebant: eo relegatus S. Hilarius omnes statim fugavit, et baculum figens in terra quasi metam, quousque deberent excurrere, virtutis potentia designavit: nec amplius libertas est illis occupare, quod vetuit, ut ait Fortunatus Pataviensis Episc. in eius rebus gestis, cap. 5. S. Caluppanus Reclusus cellam sibi construxerat in loco arduo, in quam per scalam valde difficilem scanderetur, ibi serpentes super caput orantis sæpius decidebant, et involventes se circa collum eius, non minimum inferebant horrorem. Sed semper in oratione immobilis perstabat. Duos quoque dracones sibi apparentes precibus abegit, ut dicetur infra: id testatur S. Gregor. Turonensis.

76. Virtus dæmones subiicit iustis. Secundo, virtus, ac præsertim firma spes in Deum, dæmones iustis subiicit. 1. S. Ludovicus dedit Carthusianis domum a dæmonibus infestatam, sed illi sanctis viris intrantibus effugerunt, ut ait Petrus Sutor. 2. Societatis Iesu religiosis aditus in Sinas miro modo apertus est, et commoratio non minus mirabilis. Mirabilis in Sinas ingressus Patrum Soc Iesu. Nicol. Trigantius lib. 3. de Christiana expeditione apud Sinas, cap. 10. pag. 300. rem sic refert. Pater Matthæus Riccius in sopore hominem ignotum videre sibi est visus, qui diceret: Itane tu hoc regno vagaris eo animo, ut antiquam religionem extrudas, novam intrudas? Pater Matthæus ait: aut te dæmonem, aut Deum esse oportet, cui hæc, quæ nemini dico, comperta sunt. Minime sum dæmon, ait, sed Deus. Tum P. Matthæus

A ad eius pedes proruit, et lacrymabundus dixit: Si tu hoc, Domine, votum nosti, quid est, cur adiutricem manum tantis rebus non exporrigis? His dictis ad illius pedes prostratus, lacrymis magis quam verbis ad eum loquebatur. Tum Dominus eum solatus ait: Ego in utraque tibi urbe regia propitius ero. Prope totidem verbis, quot olim B. P. nostro Ignatio auxiliatricem Dominus Romæ promisit manum. Deinde sibi visus est in urbem regiam libere ac tuto, nullo prohibente ingredi. Libro deinde 4. cap. 8. pag. 381. tradit, Nanchini domum a nostris emptam esse, ubi larvæ omnia turbabant, spectra autem illa ad Patrum ingressum diffugisse. Nanchinum autem est urbs regia, in qua semper præsidiarii milites sunt ad quadraginta millia, lib. 3. cap. 10. pag. 295. Pechinum altera est urbs regia, in qua nunc rex sedem habet, in quam quoque admissus est, et a rege cum summo honore ad mortem usque detentus, donato etiam post mortem eius palatio cuiusdam Mandarini, ut sepeliretur, lib. 5. cap. 21. pag. 620. Ante ipsum autem nullus in regno Sinensi a rege accepit locum suæ B sepulturæ, ut dicitur pag. 645. Victoria illa in dæmones magna est. Nam, ut S. Franciscus dicebat, Satanæ forma tam immanis et horrida est, ut nemo ad spatium Dominicæ precationis possit eum salva vita intueri, nisi divinitus conservetur, ut ait Lucas Wadingus anno 1262. num. 17. pag. 241.

Tertio denique, per aspidem, basiliscum, leonem, et draconem varia vitia denotantur, quæ variis virtutibus, ac præsertim 4. cardinalibus, superantur. S. Bern. serm. 14. in Ps. 90. *Illud*, inquit, *considerat, an forte virtutes quatuor his tentationibus opponere valeamus. Leo rugiet, quis non timebit? Si quis ille fuerit, fortis erit. Sed frustrato leone, draco absconditur in arena, ut virulentis flatibus attrahat animam, insufflans ei quodammodo concupiscentiam terrenorum. Quis putas illius prætervitabit insidias? Nemo utique, nisi prudens. At forte dum ad ista descendere caves, urget quis molestia: et ecce aspis adest. Quis non exasperabitur ab aspide ista? Nempe vir temperans et mo-* C *destus, qui sciat abundare, et penuriam pati. Puto ex hac occasione fascinare te volet male blandiens oculus nequam. Quis avertet faciem suam? Profecto iustus, qui non modo non ipse sibi accipere gloriam, quæ Dei est, sed ne ab alio quidem recipere velit oblatam:* ita S. Bernardus. Quænam vitia symbolice his feris et serpentibus repræsententur, dicetur in singulis. 77. Tropol.

Quæres igitur Primo, quid per aspidem figuretur? Nota, 78. Quid per aspidem figuratur? Hebr. est שחל sciachal, quæ vox ordinarie leonem, aut leopardum significat. Hinc. Camp. vertit: Super pardos et aspides incedes. Pagn. Super leonem et basiliscum calcabis. Sed recte S. Hier. Crucius, Bochius, Peregrinus, Herus, Gibrandus, Rullus, Witackerus, et alii, nomen aspidis retinent. Cur enim non credemus Septuaginta interpretibus linguæ suæ peritissimis, qui verterunt ἐπὶ ἀσπίδα, id est, super aspidem? cum præsertim postea fiat mentio leonis. Nota secundo: *Vulgatum est colla aspidum intumescere nullo ictus remedio, præterquam si confestim partes contactæ amputentur. Unus huic tam pestifero animali* D *sensus, vel potius affectus est. Coniugia ferme vagantur, nec nisi cum compare, vita est: itaque alterutra interempta, incredibilis alteri ultionis cura. Persequitur interfectorem, unumque eum in quantolibet populi agmine notitia quadam infestat, perrumpit omnes difficultates, permeat spatia, nec nisi omnibus arcetur, aut præceleri fuga. Non est fateri, rerum natura largius mala, an remedia genuerit. Iam primum hebetes oculos huic malo dedit, eosque non in fronte ex adverso cernere, sed in temporibus: itaque excitatur sæpius auditu, quam visu:* hæc Plin. lib. 8. cap. 23. His positis:

I. Diabolus est aspis. Primo, Cassiodorus per aspidem intelligit diabolum occulte percutientem. Hic longe aspidibus dirior est. Aspidem enim Thermotim tradunt Ægyptii non esse infestam viris bonis, neque illos lædere: improbis vero necem afferre, ut ait Ælian. lib. 9. hist. animal. cap. 26. Aspides cicures. Aspides etiam mansuefieri ab Ægyptiis, illisque cibum porrigi. Cum

autem de noctu surgunt, ne ipsas in tenebris conculcent, digitorum percussione signum dare, ut ad latibula redeant. Dæmon vero præcipue probos aggreditur: cibus enim eius electus, et circurari nunquam potest.

II. *Aspis est adulator.* Secundo, Ugo Card. aspide vult repræsentari adulatorem, vel dolosum, vel usurarium propter causas, quas unico versu complectitur: *Callida, surda, brevis, narcotica,* id est, stuporem inducens, ac torporem: *picta, venenans.* Ps. 9. 28. de istis dicitur: *Cuius maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo.*

III. *Aspis est tentatio occulta.* Tertio, S. Greg. 15. Mor. 9. in aspide vult figurari occultas tentationes. In illud enim Iobi cap. 20. 16. *Caput aspidum suget, et occidet eum lingua viperæ,* sic ait: *Quid per aspides parvos, nisi latentes suggestiones immundorum spirituum figurantur, qui cordibus hominum parva prius persuasione surrepunt? Quid vero per linguam viperæ, nisi violenta diaboli tentatio designatur? Prius enim leniter surrepit, postmodum vero etiam violenter trahit. Caput itaque aspidum sugit, quia initium tentationis occultæ parvum prius in corde nascitur, sed occidit eum lingua viperæ: quia postmodum capta mens veneno violentæ tentationis necatur*: ita Gregorius. Ælian. lib. 9. hist. anim. cap. 16. Ægyptios testari, ait, aspides quatuor cubitorum apparuisse: sic per illas aspides poteris interpretari graves et apertas tentationes.

IV. *Aspis est calumnia.* Quarto, aspide notari vult calumniam Euthymius.

V. *Invidia.* Quinto, Rickelius invidiam. Ut enim ait S. Chrys. hom. 7. in Epist. ad Rom. Cuinam invidi animum comparaveris? cui viperæ; ποια ασπιδι, *cui aspidi,* cui vermi, cui cantharo? Hoc certe animo neque deterius, neque sceleratius quidquam: hoc enim malum, hoc, inquam malum conventus Christianorum subvertit, hoc hæreses peperit, hoc fraternam manum armavit, perfecitque, ut iusto sanguine dextera madesceret: και νομους απισσασι φυσεως, *hoc naturæ leges a suis compagibus motas revellit*, hoc morti valvas adaperuit, et execrationem illam ad opus deduxit: ac neque parturiginum, neque parentum, neque alterius cuiusvis rei memorem esse miserum illum permisit: hactenus Chrys.

VI. *Obstinatio.* Sexto denique, aspis est symbolum obstinationis. Id patet Ps. 57. 5. ubi David agens in obstinatos Saulis consiliarios, qui eum ad necem ipsius incitabant, dicit: *Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas.* Vide illum locum, et S. Bern. in serm. 13. supra Ps. 90.

79. *Aspidis morsus curari non potest.* Nota, solus aspidis morsus curari non potest, ut ait Ælianus lib. 22. hist. anim. cap. 22. Si præsertim ranam comederit, ut idem tradit lib. 16. cap. 58. Sanctis tamen aspides non nocent, neque dæmones, aut vitia, quæ in illis figurantur.

S. Macario aspis non nocet. De primo afferri potest primo S. Macarius ab aspidibus illæsus. Ut enim Palladius refert in Lausiaca hist. cap. 2. Cum aspis in puteo Palladium ab haurienda aqua abduxisset, Dorotheus ipse hausit et bibit signo crucis prius facto: *Ubi autem Crux adest,* ουκ ισχυι κακια του σατανα, *illic viribus caret diaboli improbitas.* Et cap. 20. Cum Macarius puteum foderet, morsus est ab aspide: est autem venenatum et exitiosum animal. Aspidem ille apprehendens ambabus manibus, eam discerpsit dicens: Cum te non misisset Deus meus, quomodo ad me ausa es accedere? Et incolumis sanusque perstitit. Secundo, sanctos Terentium, Africanum, Maximum, et Pompeium martyres iussit Præfectus in carcerem coniici, et convocatis omnibus ferarum incantatoribus imperavit, ut sævas omnes feras et crudeles, quas haberent, *aspides et viperas*, afferrent, et cum ipsis includerent. Quæ quidem feræ ad pedes eorum accedentes, eos nihil omnino lædebant. Sancti vero sedentes psallebant, et Deum collaudabant. Cumque tribus diebus et tribus noctibus cum Sanctis inclusæ mansissent, quarta die sub noctem misit Præfectus, qui viderent, num a feris consumpti essent. Sed viderunt angelum Dei stantem ante faciem ferarum; et ne ad eos appropinquarent, prohibentem. Cumque ostium carceris apertum esset ab incantatoribus, feræ omnes uno impetu egredientes, quoscumque nactæ sunt homines, occiderunt, et in solitudinem profectæ sunt, ut est in eorum Actis. Tertio, sanctos Paulum et Iulianam martyres iussit Aurelianus in carcerem interiorem coniici, atque a veneficis feras omnes quascumque haberent acerbissimas, hoc est, viperas, *aspides*, cerastas et dracones afferri, ut una cum Paulo et Iuliana in carcere concluderentur. Serpebant autem feræ illæ, et ad pedes beatorum Martyrum assidebant, intentis quidem oculis eorum faciem aspicientes, sed tamen nihil nocentes. Illi autem sedebant, et Deum collaudabant. Tertio autem die missi venefici viderunt Paulum sedentem simul cum sorore sua Iuliana, et angelum Dei stantem in conspectu ferarum, neque permittentem feras accedere. Id cum renunciassent Aureliano, ianuas carceris patefecerunt, et feræ uno impetu omnes exierunt, et quoscumque infideles homines prope ianuam invenerunt, statim interfecere, et ad deserta loca aufugerunt, ut ait Metaphr. 17. Aug. *S. Paulus et Iuliana in medio aspidum sine noxa.*

80. *Per angelos dæmon vincitur.* De secundo, nempe quod per angelos aspidem, id est dæmonem vincamus, patet Tob. 8. 3. ubi dicitur, quod Raphael *apprehendit dæmonium,* et relegavit illud in deserto superioris Ægypti: id est, ait ibi Cornelius in parte australi Ægypti, quæ alta et montosa est, ex qua defluit Nilus, quæque Thebais vocatur, ait Ioan. Leo lib. 8. de Africa, cap. 2. Causam dat S. Hier. in Ezech. cap. 30. Quod ibi, inquit, Nilus innavigabilis est, et cataractarum fragor, et omnia invia, plenaque serpentum, et venenatorum animalium: hæc ille. Talis locus decet dæmonem, ne cui homini nocere queat. Quocirca dæmones coram S. Antonio, Macario, aliisque Thebaidis Eremitis, graviter questi sunt, quod ipsi suum locum invasissent, et suam Thebaidem monachis implessent, ut aiunt S. Athan. in vita S. Antonii, Palladius in hist. Lausiaca, cap. 10. Cassian. Collation. 7. cap. 23. Dæmonium illud a Raphaele domitum erat aspis, id est, obstinatissimus: septem enim viros Saræ, quæ postea fuit uxor Tobiæ iunioris, interfecerat ipsa nocte nuptiarum. S. Chrys. hom. 3. de Ascens. vim angelorum nos in dæmones tutantium declarat his verbis: Quoniam, inquit, barbara et agresti mente rabidi dæmones ad pacis eversionem ubique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus angelorum, ut eorum dæmonum confringatur audacia, et per eos nobis pacis gratia ministretur: hæc ipse. S. Petr. Dam. serm. de S. Michaele, paucis multa complectitur: Angeli, inquit, vincunt pro nobis. Angelomus in lib. 1. Reg. comparat dæmonem Naas regi Ammonitarum: Saulem vero Christo cum angelis eum fugantem. Verba eius sunt: Ipse ascendit ad præliandum contra Labes, qui interpretatur sensus: quia diabolus semper sensum divinæ cognitionis et bonitatis auferre ab hominibus conatur: Galaad vero, qui dicitur acervus testimonii, illos significat, qui eruditi sunt in Ecclesia testimoniis divinarum Scripturarum. Quorum oculos dextros eruere cupit, videlicet illuminationem fidei et prædicationis auferre satagit. Sed hos Saul, videlicet Dominus et Redemptor noster, liberat cum exercitu suo, id est, auxilio angelorum seu prædicatorum suorum, qui in Bezec populum enumerat. Bezec enim egestas interpretatur, quia in egestate præsentis vitæ novit Dominus qui sunt eius: hæc Angelomus. Naas serpentem significat: Ammonitæ vero popularem: dæmon est popularis serpens, adblandiens omnibus, et venena clam infundens. Mariæ Raggensi dæmon apparuit horrenda maxime specie: illa non territa in faciem eius spuit, signoque se crucis munivit. Tum angelus custos stricto armatus gladio apparuit, ad cuius aspectum larva illa disparuit, ut referunt Ioan. Saragossa, et Ribera. Hinc conclude cum Rodulpho Ardente serm. de Evangelio: Quoniam sancti angeli tantam erga nos habent charitatem, qui sic sunt solliciti nos defendere, nobis bona suggerere, pro nobis orare, pro nostra salute lætari, et Dominum laudare: diligamus et nos, veneremur, deprecemur, et memoriam eorum frequentemus: quatenus precibus et auxiliis eorum mereamur diabolicas insidias deprehendere et eludere.

Quæres secundo, quid per basiliscum hic figuretur? No- 81.

Quid per basiliscum figuratur? te, Hebr. pro *basiliscum*, est פתן *pethen*, quæ vox eliquendo aspidem significat. Unde Felix vertit: Super leonem et aspidem iter facies. Camp. Super pardos et aspides incedes. Aries, Super leonem et aspidem calcabis. Sed ridiculum videtur non sequi Sept. Interpretes, qui vertunt, βασιλίσκον, et effectare interpretationes novas. S. Hier. Pagn. Syr. Arabs, Flamin. atque alii retinent *basiliscum*.

Basilisci descriptio. Nota secundo: *Basiliscum serpentem Cyrenaica generat provincia duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate insignem. Sibilo omnes fugat serpentes: nec flexu multiplici, ut reliquæ corpus impellit, sed celsus et erectus in medio incedens. Necat frutices, non contactos modo, verum et afflatos: exurit herbas, rumpit saxa. Talis vis malo est. Creditum quondam, ex equo occiso hasta, et per eam subeunte vi, non equitem modo, sed equum quoque absumptum. Sæpe enectum concupivere reges videre*: ita Plin. lib. 8. cap. 21. Eius cadaver habebat Maximilianus Imp. Basiliscus seu regulus vocatur, q. d. Rex serpentium, a quodam veluti diademate: id est, quoniam in capite acutissimo tres habet eminentias, maculis subalbidis insignitas, ac, ut Solinus loquitur c. 30. albo quasi mitrulo lineatus caput: his positis:

82. *Basiliscus est dæmon.* Primo, per basiliscum, qui rex serpentium est, ait Beda, intelligitur ipsum caput dæmoniorum. 2. Remigius Basiliscus, inquit, rex serpentium dicitur: et sic per illum diabolus intelligitur, qui caput est totius serpentinæ malitiæ. 3. Bruno sic ait: Basiliscus est, cum palam venena disseminat. Ludulphus: Ipse aspis est, cum occulte veneno percutit, et hominem per ignorantiam mortaliter peccare facit: basiliscus, cum palam flatu venenat, et hominem scienter peccare mortaliter facit. 4. S. Antoninus ait, dæmonem esse, cum proficientes in virtute perturbet.

II. *Antichristus.* Secundo, Ugo Card. in basilisco notari vult Antichristum et hypocritam. Varias proprietates basilisci in eam rem affert: illum consule.

83. *Tropol. 1. Vana gloria et superbia est basiliscus. 2. Aspectus mulieris. Catoblepas fera exitialis.* Tertio, tropolog. basiliscus, est vana gloria, et superbia. Est enim coronatus, et diabolus est rex super omnes filios superbiæ. Secundo, basiliscus est exitialis aspectus mulieris, ait S. Basilius in cap. 3. Isaiæ. Nam, ut ait Plin. lib. 29. cap. 4. basiliscus hominem vel si aspiciat tantum, dicitur interimere. Lib. 8. cap. 21. meminit alterius feræ exitialis: *Apud Hesperios Æthiopes, ait, iuxta fontem Nigrim fera appellatur Catoblepas, modica alioquin, cæterisque membris iners, caput tantum prægrave ægre ferens: id deiectum semper in terram, alias internecio humani generis, omnibus, qui oculos eius videre, confestim expirantibus:* hæc ille. Ruine Ierusalem accidit, pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant et plaudebant. Hoc in præcipuis vitiis Iudæorum refertur Isa. 3. Diluvium universale, et pene totius humani generis clades contigit, eo quod filii Dei viderant filias hominum, quod essent pulchræ, hic aspectus corrupit omnem carnem, Gen. 6. Tertio, basiliscus

3. Invidia. est invidia, in oculis enim est invidiæ malum. Ut enim ait Cicero 4. Tusculan. Invidia dicitur a nimis videndo fortunam alterius. Fascinatio quædam et venenum est in oculo invidi. S. Bernard. serm. 13. Psal. 90. *Basiliscus, ut aiunt, venenum in oculo gerit, pessimum animal, et præ omnibus execrabile. Nosse cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinantem? Invidiam cogita. Quid vero invidere, nisi malum videre est? Si non esset ille basiliscus, nunquam per eius invidiam mors intrasset in orbem terrarum.* S. Gregor. Nyss. de vita Mosis ait, invidiam esse serpentem, qui tentavit primos parentes et cum illis nos omnes perdidit. Invidia, inquit, ἀρχίκακον πάθος, malorum princeps, mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ causa, ignominiæ principium. Invidia enim nos longe exterminavit e paradiso, versa in serpentem adversus Evam: invidia repulit a ligno vitæ. S. Chrysost. hom. 27. Melius est habere serpentem visceribus circumvolutum, quam invidiam intus serpentem et grassantem. S. Basil. orat. de humilit. dicit, esse proprium peccatum diaboli. S. Chrysost. hom. 46. in Genes. p. 657. Invidiam asserit esse omnibus pravis affectionibus mentis exitialius, et saluti nostræ perniciosius. Est enim πονηροῦ διαβόλου εὕρημα, pessimi dæmonis inventum. S. Antiochus homil. 55. Gravis, inquit, et molesta passio, et diabolica, et difficile sanabilis. S. Aug. lib. de catechiz. rudibus, cap. 11. Quid est, ait, detestabilius, et quod magis thesaurizet iram in die iræ et revelationis iusti iudicii Dei, quam de malo alterius mera diaboli similitudine et imitatione lætari?

Ex his sequitur, summa vi enitendum esse, ut hunc basiliscum conculcemus. S. Basil. orat. de invidia, p. 447. Fratres dilecti, ait, invidiam fugiamus, pugnæ in Deum magistram, homicidii matrem, naturæ confusionem, amicitiæ et familiaritatis expertem, calamitatem absurdissimam. Et pag. 450. Fugiamus, ait, κακὸν ἄφορητον, intolerabile malum, serpentis est documentum, dæmonum inventum, inimici satio, punitionis arrha, pietatis impedimentum, viæ ad gehennam, regni cælorum privatio. Vincentius Bellovacensis in speculo naturali refert, iaspidem repertum esse amœnæ pulchritudinis, in qua viri species emineret, clypeum e collo suspensum gestantis, et subiectum pedibus serpentem calcantis. Simus gemmei ac lucentes virtutibus, iisque armati, et aspides atque basiliscos, cæterosque serpentes calcabimus. 84. *Invidia est calcanda.*

Quæres tertio, quid per leonem hic figuretur? Nota, Hebr. est כפיר *chephir*, id est, catulus leonis, ut Pagn. et Felix vertunt: leo scilicet iunior, petulantior, avidior et robustior, atque ferocior. Pineda noster non placet, cum in c. 5. Iob v. 23. num. 9. opinatur, leonem hic sumi pro serpente vastissimo, qui est feritate fulvisque maculis, et insignis capitis nota similis gressibili leoni, de quo Nicander in Theriacis: his positis: 85. *Leo significat animi ferociam.*

Primo, per leonem intelligit Rickelius animi ferociam. Secundo, S. Iren. lib. 3. in Valentinum, dicit sumi Antichristum. Tertio, Ugo Card. persecutores crudeles. Quarto denique, S. Aug. intelligit dæmonem aperte sævientem, ut fecit in Martyres. Cassiodorus, dæmonem cum persequitur innocentes. S. Antoninus, dæmonem cum aggreditur permanentes in bono. Omnes in formas se transfigurat dæmon, ut Dei cultui addictos terreat. S. Guthlacus anachoreta in insulam Croulando se receperat, variis dæmonum præliis ibi exercitatus est. Nocte quadam cum vir sanctus vigiliis et precibus devotus insisteret, tota insula intremuit, infinita dæmonum multitudo, assumptis brutorum animalium formis, locum intravit, et intrando circumquaque concussit. Ingrediebantur domum innumeræ species bestiarum. *Leo rugiens*, taurus mugiens, ursus frendens, aper grunniens, lupus ululans, equus hinniens, aries balans, asinus rudens, coluber sibilans; unumquodque animal pro naturæ suæ facultate, dentibus vel pedibus, aut cornibus, minas et terrores intentans. Vir autem Dei signo Crucis se muniens dixit: Cur me tentas Satana? Dominus mihi adiutor est, et ego despiciam inimicos meos. Hæccine est similitudo Altissimi, quam tibi olim usurpare voluisti in deliciis paradisi? qui tunc ad formam et similitudinem Dei per superbiam aspirabas, nunc viliter et turpiter in brutorum et immundorum animantium effigies te transformas? Certe pauperes Christi magno tuo malo persequeris: quia quanto gravius supra dorsum eorum fabricaveris, tanto splendidioris gloriæ coronas eis in tuam perniciem fabricabis. In quamcumque autem speciem te transformes, certus sum, quia neque mors, neque vita, neque gladius, neque angelus, neque potestates, neque principatus, neque creatura aliqua poterit me separare a charitate Dei. His dictis monstra evanuerunt, ut habetur in eius vita manuscripta. *S. Guthlacum dæmones variis formis aggrediuntur.*

Remedium in dæmonem rugientem, est fortitudo animi in fide constantis. S. Petrus admonet 1. Epist. 5. 8. *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* S. Iacobus cap. 4. 7. *Resistite diabolo, et fugiet a vobis.* S. Bernard. ser. 13. in Ps. 90. Rugire iste potest, ait, ferire non potest. Rugiat quantum vult, tantum non fugiat ovis Christi. Non *Remedium in dæmonem est fortitudo animi.*

simus bestiæ, ut nos prosternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent, qui talia curiosius vestigaverint, ad rugitum leonis nullam bestiam stare posse, ne eam quidem, quæ adversus eius ictum tota animositate repugnat: et plerumque superat ferientem, quæ non sustinet rugientem. Vere bestia, vere rationis expers, qui tam pusillanimis est, ut solo timore cadat, qui sola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum non telo, sed tuba prosternitur. Vir fortis in Samsone figuratur leonem occidente, Iud. 14.6. in Davide, 1. Reg. 17.34. et in Banaia, 2. Reg. 23.20.

86. Leones non nocent sanctis. Nota, leones sæpe a Deo impediti sunt, ne nocerent sanctis, sed potius illis servirent. Primo, leæna ad S. Tarachi martyris pedes genuflexa incurvatur, eum veneratur, nec lacessita ab ipso ad iram excitari potest, ut est in actis præsidialibus a nostro Heriberto Rosweido integritati suæ restitutis. Leæna servavit S. Malchum monachum fugientem, ut virginitatem suam conservaret. Secundo, leo hortum S. Quirici anachoretæ servavit, ne ab ulla fera vastaretur, ut refert Metaphr. 29. Septembris. Leo in S. Miniatem martyrem involans unico Crucis signo occisus est, teste Surio 25. Octob. Tertio, duo leones sepulcrum S. Pauli Eremitæ effoderunt unguibus suis, nec prius recesserunt, quam benedictionem a S. Antonio percepissent, ut testatur S. Hieron. in vita S. Pauli Eremitæ. Cum duo leones immissi essent in S. Pontianum martyrem, ita Dominum oravit: Domine Iesu Christe, salva me de ore leonum, ut enarrem nomen tuum fratribus meis. Et cum orationem complesset, venerunt ad eum rugientes leones: illoque viso adeo sunt mansuefacti, ut demissis cervicibus B. Pontianum adorarent. Quod cum vidisset populus, exclamavit voce magna, dicens: Vere magnus est Deus Christianorum: dimittatur servus Dei: ita Acta M. S. Quarto, leo non nocuit filio S. Eustachii martyris a se abrepto cum fluvium traiiceret, ac plures leones in theatro, ipsi, uxori Theopistæ, et filiis capita acclinabant, et corpora eorum sine ulla læsione lambebant, ut ait Sim. Metaphr. 20. Sept. Daniel propheta inter medios leones illæsus perstitit, Dan. 6. 20. et 14. 39. Quinto denique, iucundum erat intueri ad pedes sanctorum Faustini et Iovitæ stratos leones, leopardos, et ursos, qui ipsos lambebant. Iucundum etiam erat audire Faustinum dicentem: Ubi sunt minæ, quas mihi intentabas Adriane? ecce feræ, quas cum grandi ad nos feritate misisti, adorantes Deum iacent ante pedes nostros prostratæ, nihil feritatis habentes, ut refert Ado Episc. 15. Febr. Hanno quidam Carthag. leonem habuit cicurem, quo ad vectiones sarcinarum utebatur, sicut ait Ælianus lib. 2. hist. anim. Una cum Berenice mansuefactus leo vixit, linguaque eius faciei blanditus in mensa convixit. Onomarchus Catanæ tyrannus leones etiam habuit convictores. In Elymæa regione Adonidis fuit templum, in quo leones ita erant cicures, ut advenientes amplexarentur, eisque adularentur, sicut idem auctor refert. Sancti vero Martyres non longo tempore a primis annis leones cicuratos, sed maxime efferatos, et fame rabieque ardentes, uno momento compescebant. De illis ait S. Paulus Hebr. 11. 33. *Obturaverunt ora leonum.* Leones ipsi suapte sponte se immiserunt, ut Martyres tutarentur. S. Dariam in lupanari leo adveniens servavit a lascivo iuvene, eamque eduxit intactam, obvios idololatras prostravit, quibus tamen iubente virgine pepercit; multi ad fidem conversi sunt, leo autem in montem se recepit innoxius, teste Metaphr. 25. Octobris.

87. Dracones maximi. Quæres denique quarto, quid hic per draconem intelligatur? Nota, draco est proprie serpens annosus, qui multa ætate in insolitam magnitudinem excrevit. Onesicritus Astypaleus scribit duos in India dracones fuisse, alterum 46. alterum 80. cubitorum. Ælianus lib. 9. hist. anim. cap. 9. tradit, in Æthiopia dracones gigni longos triginta passus, qui elephantos occidant. In Phrygia autem dracones esse ad magnitudinem quadragenum pedum qui volucres supervolantes flatu sistunt, et ad os suum attrahunt. Possidonius memorat, in Macra mortuam spectatam serpentem iugeri magnitudine: tanta vero crassitudine, ut ex utraque parte astantes equites se intueri non possent: tamque largo rictu, ut insidentem equo hominem exhauriret, ac squamas singulas clypeo maiores fuisse. Gyllius asserit, in novo orbe Senegas serpentes nunc reperiri ea vastitate, ut solidas capras nulla earum laceratione devorent. Audivi ego virum probatæ fidei, qui diceret, vidisse se ab annis circiter quadraginta draconem volantem vaccæ circiter crassitudine, alis exiguis, supra urbem Blamontum in Lotharingia: brevi autem postea consecutam esse pestem. Tiberio Imp. in oblectamentis erat draco, quem ex consuetudine sua manu cibabat: hic a formicis occisus et consumptus est, ut ait Svetonius in Tiberio. De dracone a Daniele occiso, vide quæ habentur Danielis cap. 14. Ex vitis sanctorum, et actis martyrum constat fuisse dracones.

Nota igitur secundo, dracones victos et calcatos esse a sanctis. Primo, armis occisi sunt dracones. S. Theodorus martyr equo vectus in draconem insiliit, et Christum invocans gladio eum peremit: ita Augarus in eius vita. Mariangelorum familiæ proceres ea de causa in Mediolanensem principatum, et in reliquam Liguriam allecti sunt, quod Mariangelus miles draconem viris infestum (mulieres non attingebat) occiderit, in eum cataphractus incurrens, et caput gladio demetens, cum iam eius servum devoraret. Secundo, dracones occisi sunt solo Crucis signo, et oratione. Cum draco obvios homines perimeret, S. Donatus Episcop. signo Crucis facto eum aggressus est, draco in eum insiliit, sed Donatus in os eius expuit, sicque statim draco interiit. Ab octo boum paribus tractum in vicinum campum incolæ combusserunt, ut tradit Nicephor. Callistus lib. 12. hist. Eccli. 45. pag. 328. Cum alius draco regionem vastaret, Ammon ter flexit genua ad orationem, in ipsum veniebat bellua magno cum stridore gravem emittens anhelitum, et intumescens ac sibilans, tetrumque edens spiritum. Is autem nihil territus, ad draconem conversus dixit: Vincet te Iesus Christus, filius Dei vivi, qui est magnum cetum victurus. Idque cum dixisset, protinus disruptus est draco, virus evomens cum sanguine, sicut tradit Palladius in Lausiaca, cap. 53. Tertio, sancti victos dracones velut in triumphum duxerunt stola tractos. In sepulcro mulieris adulteræ serpens maximus erat, qui cadaver devoraret. Tunc S. Marcellus collecta plebe, de civitate progreditur, et solus ad serpentem de sylva redeuntem accedit, ille capite supplici cœpit veniam blandiente cauda precari. Vir sanctus caput eius baculo ter percutiens, mittit in cervicem eius orarium seu stolam, et triumphum suum ante oculos civium tribus fere millibus extrahit, aitque: Ab hac die aut deserta pete, aut in mare te demerge. Postea amplius non comparuit: ita Fortunatus Episc. in eius vita. Erat S. Marcellus Episc. Parisiensis. In prædio Volusiani fuit immanis serpens, qui flatu suo homines et pecora adureret, ut nemo auderet eo pergere. Post preces S. Vigoris Episc. Baiocensis ad locum progreditur, et speluncæ proximus inclamat: Serpens antique et Satan, præcipio tibi in nomine Iesu Christi Filii Dei vivi, qui servis suis dedit virtutem ambulandi super aspidem et basiliscum, et conculcandi leonem et draconem, ut exeas ab hac specu. Mox prodit ille, stridens dentibus, et erecto capite flammas vomens, tamquam iam devoraturus hominem Dei. Fertur longus fuisse ad pedes quadraginta, aspectu terribilis. Postquam autem vidit Christi servum, mox contracto ore et abiecta cervice venit ad eum. At vir sanctus sublata manu Crucis signum exprimens, orarium suum iniicit in collum eius, eumque ligatum tradit discipulo suo, ceu ovem mansuetam, dicens ei: Duc eum ad littus maris, nec ultra liceat ei in hoc loco commorari. Cernens hæc populus, qui ad hoc spectaculum convenerat, in Dei laudes prorupit: Revera, inquiens, Deus est in servo suo, per quem tale edidit miraculum sub oculis nostris. Porro Volusianus abiiciens se ad pedes beati viri Dominum confitebatur mirabilem in sanctis suis: donavitque S. Vigori locum, qui Cerisiacus dicitur, qui in circuitu ferme quinque et viginti viculos ha-

buit, ut ait Sur. in vita S. Vigoris. Quarto denique, dra- A cones ipsi sanctos viros iuverunt. Palladius hist. Laus. cap. 53. narrat duas res mirabiles de Ammone Abbate: unam iam retuli supra, alteram videamus. Ad cellam eius sæpe venientes latrones, accipiebant eius panem et alimenta. Hæc ergo ægre ferens, cum die quodam egressus esset in solitudinem, *adduxit secum duos magnos dracones*, quibus iussit ut in eo loco manerent, portamque custodirent. Cum homicidæ illi accessissent, ac præ timore semimortui iacerent, ait: Videte quantum estis ἀγριώτεροι θηρίων, bestiis agrestiores. Nam istæ quidem propter Deum parent nostræ voluntati: vos vero neque Deum timuistis, neque Christianorum estis reveriti religionem. Introductis autem illis in cellam, apposuit mensam, et monuit ut mores mutarent. Illi autem surgentes protinus multis visi sunt meliores. Non multo post vero, ipsi quoque visi sunt eadem signa facere. His positis, si moralia et symbolica postulas:

89. *Draco est dæmon in hæreticis venena fundens.* I. Primo, S. August. in explicatione secunda huius Psalmi, per draconem intelligit dæmonem in hæreticis venena B fundentem. Verba illius sunt: Leo sævit aperte, draco occulte insidiatur. Utramque vim et potestatem habet diabolus. Quando Martyres occidebantur, leo erat sæviens: quando hæretici insidiantur, draco est surrepens. Vicisti leonem, vince et draconem: non te fregit leo, non te decipiat draco.

II. *Homo malitiosus.* Secundo, S. Greg. 20. Moral. 29. in dracone malitiosos sumit. Quid, ait, draconum nomine, nisi malitiosorum hominum vita signatur? De quibus et per Prophetam dicitur, Ierem. 14. 6. *Traxerunt ventum quasi dracones.* Perversi etenim quique ventum quasi dracones trahunt, cum malitiosa superbia inflantur.

III. *Iracundia.* Tertio denique, S. Bernard. serm. 13. in Psal. 90. per serpentem accipi vult iracundiam. Væ vobis a dracone, ait, immanis est bestia, flatu igneo quidquid attigerit, necat: non modo bestias terræ, sed et volucres cæli. Haud alium ego draconem hunc, quam spiritum iracundiæ reor. Quantos etiam sublimis (ut rebatur) vitæ, flatu huius dra- C conis misere satis adustos, turpiter in huius os ingemimus cecidisse? Quam melius sibi ipsis irasci poterant, ne peccarent? Nimirum affectio naturalis ira hominum est, sed abutentibus bono naturæ, gravis perditio est, et miseranda pernicies: hactenus Bernardus.

90. *Mundus est fons draconis.* Nota, mundum hunc iure vocaveris fontem draconis, et portam stercoris, de quibus lib. 2. Esdræ 2. 13. Unde Iob dicebat cap. 30. 29. *Frater fui draconum, et socius struthionum.* Isaiæ 13. 21. *Replebuntur domus eius draconibus.* Moses Deuter. 32. 33. *Fel draconum vinum eorum.* Esther 11. 5. Mardochæus et Aman in duobus magnis draconibus figurantur.

Nota secundo, Deus illos dracones iusto nocentes conterit. Ps. 73. 13. ubi agitur de Ægyptiis et Pharaone, dicitur: *Contribulasti capita draconum in aquis, tu confregisti capita draconis.* Lege Ezech. cap. 32. 2. et seqq. Secundo, Deus conterit dracones ope angelorum, Apocal. 12. 3. ac seqq.

91. *Terriculamenta dæmonis spernenda.* Conclude, inanes terrores esse contemnendos. Plerique D solo draconis aspectu trepidant, similes illis avibus, quæ visa draconis pictura a cantu silebant. Plin. lib. 35. cap. 11. Non omittenda, inquit, in picturæ mentione celebris circa Lepidum fabula. Siquidem in triumviratu quodam loco deductus a magistratibus in nemorosum hospitium, *Fabula de pictura draconis.* minaciter cum iis postero die expostulavit, somnum ademptum sibi volucrum concentu. At illi draconem in longissima membrana depictum circumdedere loco. Eoque terrore aves tum siluisse narratur, et postea cognitum est ita posse compesci: hæc Plinius. Quod in fabula dicitur de illa draconis pictura, et avium silentio, id quotidie contingit in dæmonis terroribus imaginariis. Christo credamus dicenti Ioan. 16. 33. *Confidite, ego vici mundum;* et S. Iacobo cap. 4. 7. *Resistite diabolo, et fugiet a vobis.* Iesus et Deipara dicunt fratri nostro Alphonso Rodriguez: *Super aspidem,* etc. et eum consolantur.

ARTICULUS V.

Effectus custodiæ angelicæ in rebus omnibus.

Cura et charitate angelorum erga iustos declarata, Deum inducit Propheta angelis loquentem, et sigillatim ape- 92.
rientem ea quæ sit ipsis præstiturus, v. 14. QUONIAM IN *Vers. 14.*
ME SPERAVIT, LIBERABO EUM: PROTEGAM EUM, QUONIAM COGNOVIT NOMEN MEUM, id est me. Est metonymia, qua ponitur nomen pro re nominata.

Vers. 15. CLAMABIT AD ME, ET EGO EXAUDIAM EUM, *Vers. 15.* CUM IPSO SUM IN TRIBULATIONE, etc.

Nota, pro *speravit*, Hebr. est חשק *hasciak*, id est adhæsit, amplexus est, dilexit ardenti amore. *Charitati iuncta spes, est potens.* Hinc S. Hieron. vertit, Quoniam mihi adhæsit, et liberabo eum. Secundo, Arias, Quoniam me amplexus est, et eruam eum. Tertio, Flamin. Quoniam me diligit. Felix, me concupivit. Pagn. me peramavit. R. Moses Ægyptius lib. 3. Ductoris dubiorum, cap. 52. explanans paraphrastice totum psalmum, verbo isto significari docet nimis intensum amorem: et quando oculi diligentis, et cor, et omnes cogitationes sunt intentæ in amicum adeo, quod nihil cogitat præter illum. Ubi adverte, non spem qualemcumque, sed ex vera et ardente charitate profectam ac Deo adhærentem, impetrare liberationem a malis. Hedera simus implexa stabili Deo, velut immotæ pyramidi, et dicamus cum Cardinale Lotharingico, *Testante virebo.* Regem ille suum, cui acceptus erat, pyramidi assimilabat, se autem hederæ, cuius natura est humi repere, nisi ab aliquo erigatur; sed arbori, alterive rei innixam altissime erigi.

Nota secundo, David sæpe monet sperantes in Deum ab 93.
ipso iuvari. Ps. 16. 7. *Salvos facis sperantes in te.* Psalm. *Sperantes in Deum ab ipso iuvantur.* 17. 31. *Protector est omnium sperantium in se.* Ps. 24. 20. *Non erubescam, quoniam speravi in te.* Ps. 25. 1. *In Domino sperans non infirmabor.* Ps. 27. 7. *In ipso speravit cor meum, et adiutus sum.* Ps. 30. 2. *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Ps. 31. 10. *Sperantem in Domino misericordia circumdabit.* Ps. 33. 23. *Non delinquent omnes qui sperant in eo.* Ps. 36. 3. *Spera in Domino, et fac bonitatem, et pascaris in divitiis eius.* Vide plura apud ipsum, et quæ ibi dixi.

Hinc factum factum est, ut sancti spes suas omnes in Deum abiicerent. S. Bernard. ser. 9. in Ps. 90. Quidquid agendum sit, inquit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se iactet pondus diei et æstus, ieiunare bis in sabbato dicat: postremo non esse sicut cæteros hominum glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Sperent in aliis alii, forte hic in scientia litterarum, hic in astutia sæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat, propter te omnia detrimentum feci, et ut stercora arbitror: quoniam tu es Domine spes mea: ita Bernard. Maria angelica Ord. S. Dominici dictitabat, suavissimam et tutissimam ad cælum viam esse, in Dei se manus abiicere, qui servis suis nunquam deest, ut ait Ioan. a S. Maria in eius vita. Cum Columbæ Rocasani mater et duæ sorores peste essent mortuæ, ipsaque eodem morbo afflata domi clausa, omni ope humana destituta esset, ad Deum inclamavit: Pater meus es tu, opem ferre pietas tua te obligat, necessitatem vides Domine Deus, quid timebo? Statim post eam orationem B. Virgo duabus sanctis comitata astitit, animos dedit, et quotidie cibos attulit, et ægrotanti ministravit, donec qui ægrotis præerant eam domo eduxerunt, ut illi providerent.

In bello etiam corporali reges et principes spe in Deum *Varia symbola principum.* tutos se fore crediderunt, et symbolis suis id testati sunt. Ioannes rex Sveciæ in symbolum sibi hæc verba sumpsit: *Domini est salus.* Georgius Wilhelmi filius, dux Luneburgicus: *Unica spes mea Christus.* Wilhelmus dux Iuliacensis: *Christus spes una salutis.* Philippus dux Pome-

raniæ: *Bonum est confidere in Domino.* Franciscus Henrici filius dux Lunæburgicus: *Iustum adiutorium meum a Domino.*

94. Deus liberat servos suos ope angelorum. Nota tertio, Deus ut plurimum liberat servos suos ope angelorum. Id clare patuit in Tobia, ducto et liberato per S. Raphaelem. Iacob Patriarcha benedicens filiis Ioseph, hoc est Manasse et Ephraim, dicebat Genes. 48.19. *Angelus qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* De cunctis malis in igne, aquis, terra, aliisque, eripit angelus sperantes in Deum.

I. Ab igne. Primo, eripuit tres pueros in fornacem Babylonicam coniectos, Dan. 3. 49. Angelus autem Domini descendit cum Azaria, et sociis eius in fornacem: et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.

II. A mari, et aliis aquis. Secundo, a mari et aquis aliis servavit angelus. Sanctos Nazarium et Celsum in mare deiectos Neronis iussu, eripuit Dei angelus, eoque viso miraculo satellites conversi sunt, ut ait Simeon Metaphr. 19. Iunii. S. Cosmas et Damianus in mare iactati sunt, statim vero angelus Domini adfuit, dirupit vincula eorum, et exposuit eos ad littus illæsos, sicut est in eorum actis. A naufragio servavit angelus S. Paulum et comites, Act. 27. 23. Cum S. Christina virgo et martyr, alligata rotæ, igni supposito, et fuso desuper oleo torreretur, erumpens flamma mille gentilium interfecit. Iterum carceri tradita, angelo visitante, sanata est et refecta. Deinde cum magno saxi pondere in lacum Vulsinum iactata, angelico præsidio liberata est, ut ait Ado 23. Iulii. Pater Balthasar Alvarez Soc. Iesu, equitans cum P. Mirone viro eximiæ sanctitatis, monitus est in quodam Galliæ oppido ut sibi a monte caverent, in quo latrones essent, sed per lacum iter facerent, vix tamen illum ingressi cum equos ad ventrem, usque in cœnum ruere cernerent, peiora veriti statuerant in urbem redire, cum ecce tibi mirum in modum ornatus eques, qui velut per solidam terram equitabat, hortatus est amico vultu ut se sequerentur viæ illius peritum. Fecere id patres, et summa facilitate lacum penetrarunt innoxii, tum ab oculis admirantium subito se iucundus comes abstulit, sicque angelus Dei fuisse est agnitus: ita Ludovicus de Ponte in vita Alvaresii. In puteum se desperabunda mulier demergere cogitabat in Lotharingia, quod a militibus multa illi essent abrepta, et mœrore obruta in dies peiora expectaret. Dimisit igitur illa se in puteum, manu tamen saxum ori putei appositum præ naturali metu retinens: tum vidit dæmonem, qui arreptis pedibus eam deorsum trahebat: sed adfuit angelus custos, qui humeros manibus apprehendens nullo negotio ex tanto periculo eduxit, ac tristitiam omnem solo aspectu abstersit. Vidi ego illam mulierem, et sine ulla spe commodi temporalis hæc mihi narrantem sedulo examinavi, ut adverterem numquid mendacii, aut imbecillitatis subesset: sani eam iudicii et piæ mentis esse comperi.

95. III. A terræ periculis. Tertio, in terræ profundo lacu servavit Danielem, Dan. 6. 21. *Daniel regi respondens ait: Rex in æternum vive: Deus meus misit angelum suum, et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi.* Apostolos liberavit angelus (S. Michaelem fuisse docet Pantaleon Chartophylax) e carcere Ierosolymitano, Act. 5. 19. *Angelus Domini per noctem aperiens ianuas carceris, et educens eos, dixit: Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius.* Gagneius putat illos eductos esse ianuis clausis, quas tamen phantasia eorum apertas videbat, sed contrarium est verius. S. Petrum ab Herode Agrippa incarceratum, et vinctum catenis duabus eduxit angelus, et porta ferrea quæ ducit ad civitatem aperta liberum dimisit. Cum S. Quintinus Martyr duceretur in carcerem, exultans cantabat illud Psal. 70.4. *Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui. Quoniam tu es patientia mea: Domine spes mea a iuventute mea.* Post præclara responsa, et flagella fortiter perpessa, adstitit ei angelus Domini per visum, et blandis eum sermonibus compellans, ait: Quintine, famule Dei, surge et confortare, et perge fiducialiter, et sta in media civitate, consolans, et in fide Christi corroborans populum universum, ut credant in Dominum Iesum Christum: et sanctifica eos baptismate sacro, quia appropinquat liberatio eorum, ut confundantur inimici Christiani nominis, cum impio eorum Rictiovaro præfecto. Hæc sancto angelo ita perorante, B. Quintinus evigilans surrexit, et angelico ductu universas carceris transivit custodias, ut habent Acta eius.

Quarto, ab hominum malitia et crudelitate eripit angelus. Hylas S. Vitum filium suum deliciis emollire nitebatur, ut ad idola colenda incitaret. Cubiculum iussit deliciis omnibus quibus potuit instrui, tapetis insterni, et ornari gemmis, et filium ibi claudi. Oranti adfuerunt duodecim angeli inæstimabili pulchritudine et splendore radiantes, et cantantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Illis visis Hylas excæcatus est. Per Vitum sanatus se renuntiaturum idolis est pollicitus. Promissa tamen illo non præstante, sed cogitante pœnis filium afficere, angelus Modesto apparuit, aitque: Tolle puerum, et descende ad mare, ubi naviculam invenies, qua una cum illo transfretabis in regionem, quam tibi ostendero. B. Modestus dixit: Domine, viam quam dicis, nescio, et quo ibo? angelus respondit: Ego vos ducam. Erat autem B. Vitus natus annos circiter duodecim. In naviculam a Christo paratam ascendentes venerunt ad Silerum fluvium, ubi Vitus miraculis clarus ab aquila cibum afferente nutriebatur, ut est in eius Actis. 96. IV. Ab hominum malitia et crudelitate.

A tortoribus tuetur angelus. Cum S. Mamantem tortores in mare deducerent proiiciendum, angelus humana forma in orbem circumiens eos in fugam vertit, et ad montem Cæsareæ sanctum virum ducit, ubi quadraginta dies Deo corroborante ieiunus perstat, et Evangelium accipit divinitus, ut evangelizet; cum feris autem degit innoxius, et lac fœminarum mulget, eoque vescitur, ut ait Metaphr. 17. Augusti.

Ab hæreticis tuetur angelus. Cum Ignatii socii iter in Italiam facerent per Germaniam, ad oppidum pervenerunt, sexdecim fere passuum millibus a Constantia, cuius oppidi pastor curioque uxorem duxerat, et filiorum copiosum alebat gregem, pestiferæ atque hæreticæ sectæ gnarus satis. Is audito peregrinos advenisse Catholicos sex septemve stipatus incolis de principibus ad eos venit, disputat acerrime, minatur carcerem in diem sequentem. Nec erat aliter facturus ac dixerat, ut ex hominis ingenio monuerant Catholici. Noctem in oratione absumunt. Summo mane ingreditur ad eos vir procero corpore, furentis parochi prævertens adventum, eximia quadam conformatione membrorum: annorum, ut videbatur, plus minus triginta. Is hilariore fronte patres intuitus, germanice loqui cœpit, nutuque significare illinc ocyus facesserent, et se quo duceret, sequerentur. Extra oppidum haud trito usitatoque calle, sed cæco atque transverso, octo circiter milliaribus in viam regiam ac militarem educit. Inter ambulandum patres subinde respectans, suaviterque subridens, ipso oris gestu, ne quid fraudis periculique metuerent, bono animo iubebat esse. Pars porro huius viæ quædam difficilior intuentibus videbatur, quæ tamen ipsa nullis constrata nivibus perfacilis est inventa. Quidam observatis curiose locis, ne vestigium quidem viæ regiæ, aut transversi limitis animadvertit. Cum illos in viam regiam duxisset, ac digito ita ostendisset, alio repente discessit. Creditum est, sanctum Dei angelum fuisse, quod in animo quamdam omnes concepissent fiduciam, tamquam filiorum in parentum: deinde, quod ab ipsis repente digressus evolaverat e conspectu: ita Orlandinus. S. Ignatii socios servat angelus.

Quinto, a tormentis eripit angelus. Præfectus volens torquere S. Calliopium martyrem iussit rotam collocari, et magnum ignem succendi. Huic rotæ cum alligatus esset, ut totus discerperetur, statim accedens angelus Dei flammam carbonum extinxit, et cum ministri rotam vellent volvere, non poterant: hæc eius Acta. S. Augustam in fide constantem pater prius furore correptus iussit inter 97. V. Angelus a tormentis liberat.

duas arbores mediam suspendi, ac submisso igne torqueri, cumque eam flamma nihil læderet, rota excogitata est, quæ promiuentium clavorum acumina eius corpus dilaceraret. Sed hoc etiam tormenti genus, angelo cælitus demisso, qui rotam confringeret, evasit, ut tradit Minutius de Minutiis a Seravallo in eius vita.

Iusserat Maximinus sub una fibula fieri quatuor rotas, unicuique rotæ infigi serras et clavos acutos, ut S. Catharina discerperetur : sed ab angelo advolante rotæ fractæ multos paganorum occiderunt, illæsa virgine, ut ait Metaphr. 25. Novembris.

Domitianus Antiochiæ Pisidiæ præses iussit grabatum æreum ferri, ignemque multum subiici. Cumque multæ flammæ in grabatum ascenderent, iussit beatum Sosimum nudum illuc coniici. Cum vero sanctus Martyr crucis figura se munivissat, et in grabatum coniectus esset, statim Dominus ignem in rorem convertit: etenim per angelos suos Deus Martyri opem tulit. Omnes vero qui præsentes erant, opinabantur ob nimium illum ignem Sosimum animam efflavisse. At angeli a Deo missi, sanctum Martyrem a grabato sublatum, omnibus spectantibus, extra grabatum constituerunt. Turba vero cum admirabilia facta vidisset, eius gloriam collaudavit, qui misit angelos suos, et a tali flamma virum illum eripuit. Itaque plurimi ad Christi fidem conversi sunt, ut ait Metaphr. 19. Iunii.

98. VI. *A morte eripit.* Sexto, a morte eripit angelus. S. Constantius Epis. Perusius et Martyr tantis plagis erat confectus, ut iam oraret: Suscipe spiritum meum Domine: requiescat in te, qui pro te, te ipso iuvante, omni tempore laboravit. Vix has preces fuderat, cum adest angelus, qui his verbis iacentem consolatur: Noli timere, Constanti, ego sum angelus Dei: misit me Christus, ut plagis tuis curationem adhibeam, ac deinceps tibi adsim in omnibus viis tuis. Statim omnis plaga curata est. Tum ille: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, qui per angelum tuum, me in angustiis positum confortasti, et curasti vulnera mea: nunc vere scio, te quidem nunquam deserere sperantes in te: hæc Andreas Palatius in eius historia.

Falconis generosus animus. Illustre est, quod refert Franciscus Ximenius Patriarcha Ierosol. lib. 3. cap. 8. Erat, inquit, iuvenis Constantinopoli, Falco nomine, addictissimus angelis, et suo in primis Custodi, ita ut statuerit nullum unquam mendacium, nec aliquid contra veritatem dicturum, in gratiam eius, etiam vocatus in discrimen capitis. Evenit igitur, quod aliquando cum altero iuvene nobilissimo inter rixandum verba miscerentur, ita ut stringerentur gladii, et illa alter fatali gladio occisus iaceret. Res ita occulte facta est, ut nullum indicium, nisi leve admodum, in Falconem existeret: quo levi indicio disquisitum est a iudice civitatis, utrum hominem occidisset. Ille memor voti promissi Custodi angelo, palam vulgavit delictum, et fassus cædem est. Damnatus itaque est confessione propria, iussusque caput amputari, ut nobilis: quod ille viriliter, et cum gaudio tulit, videns occasionem oblatam re adimplendi, quod facturum se voto Custodi angelo obligarat. Ductus itaque est ad locum supplicii cum strepitu militari: ille interim Deo rem et se commendabat et Custodi angelo, propter quem, nullo teste, fassus cædem et crimen erat. Dum itaque carnifex gladium iam in collum vibraret, vidit ante se iuvenem mire fulgentem, cum stricto gladio minitantem, nisi se averteret incepto. Obstupuit carnifex, et gladium manu proiecit, non ausus in collum distringere: quod accidit secundo, tertio, et quarto adhuc carnifici, quorum nemo ausus est rem patrare simili visione perterritus: quod videns quispiam cognatus hominis duello mortui, et ipse a iudice subornatus, gladio instituit Falconem decollaturus, cui angelus minas pariter intendit, si auderet hominem contingere, et in vocem erupit, monuitque ut absisteret, dicens non esse æquum, ut cæderet eum, qui in gratiam sui, angeli, inquam, custodis, fassus crimen fuisset: eumque magnum virum futurum. Dederunt fidem iudices testibus quinque, et absolutus est Falco, qui reputans Dei misericordiam primo nomen abiecit, et nominatus est angelus : deinde religionem ingressus est, in qua sanctissime vixit, et perpetuo se angeli custodis asseclam prædicavit, auditores excitans ad obeunda angelorum ministeria, et sacram religionem.

99. VII. *Eripit a tentationibus.* Septimo, angelus a tentationibus expedit, et ad virtutes incitat. Gerson pag. 3. tract. 8. super Magnificat: In libris Esdræ, inquit, fit mentio de Uriel angelo, cuius interpretatio sonat, ignis Dei; licet angelum quemlibet viatoribus singulis deputatum Uriel appellare, cuius officium est, suaviter urere renes et cor nostrum, consumere sordes vitiorum, succendere totum cor ad virtutes, sacrificare pietatis holocaustum, quod est in odorem Domino suavissimum. Uriel iste redigit quos inflammat in cinerem, per timorem et humilitatem spiritus: mollit per pietatem et mititatem contra cordis duritiem lapideam: resolvit in luctum per propriæ fragilitatis scientiam: corroborat per decoctionem et humoris fluidi resolutionem, unde venit apud animam fames et sitis congrua, tractabilem reddit ad consilium et misericordiam: subtilizat et purificat cor ad intelligendum. Demum saporem et internam pacem efficit per renovationem iuventutis, sicut aquilæ, sicut corvorum, sicut accipitris, sicut serpentis. Notæ sunt istæ similitudines, quales per metaphoram operatur in nobis Uriel noster, si non obstiterit ipse animus noster: Ita Gerson.

Landelinus e monasterio S. Autberti, postea Cameracensis Episcopi, aufugiens, prædonibus se comitem adiunxit. Volebat quadam nocte divitis cuiusdam domum expilare, sed cum dormiret vidit animam unius e sociis suis recens mortui ad inferos abduci. Cumque non sine ingenti tremore id aspiceret, adstitit angelus Domini, et voce terribili dixit: Cerne iam, Landeline, præmia laboris tui: vide ut anima socii tui ad inferorum æterna supplicia pertrahatur: simulque considera, utrum tibi præstabilius sit ita protrudi in barathrum æstuantis gehennæ, an nobiscum potius perfrui gaudiis sempiternis. Missa fac opera Satanæ, et amplectere Christi militiam. His aliisque eum permovet, ut ad S. Autbertum confugiat, sub quo ita profecit, ut fuerit Abbas Crispiniensis monasterii, et miraculis claruerit, ut ait Surius 15. Iunii.

100. VIII. *A dæmonibus liberat.* Octavo denique, angelus a dæmonibus liberat, non tantum in hac vita, sed etiam in morte. Martyrius Antiochiæ Pontifex in epistola: Dum, ait, anima e corpore emigrat, statim ei post digressum cælites occurrunt angeli, simulque deterrima dæmonum caterva, ut illam vel hi, vel illi ad sedes præteritæ vitæ actis, sive bonis, sive malis convenientes, deducant ad extremum usque mundi diem custodiendam, quo die omnes ad tribunal perducemur. Et vel ad vitam quietam, beatam, atque sempiternam, vel ad æternum ultricium flammarum incendium destinabimur. Quod Deus cum vellet per quamdam veluti similitudinem ostendere, fecit ut in Mosis morte, Michael Archangelus compareret, et cum adversario suo, malo dæmone, de Mosis corpore pugnaret, eumdemque repelleret, ac Domino rerum conditori iudicium hoc permitteret: ut nempe disceremus, animæ postquam ex corpore discessit, certamen instare, nobisque ad angelorum auxilia comparanda bonis operibus opus esse, quando hostes contra nos odio et invidia ardent, fremuntque: ita Martyrius. S. Martini, S. Willhelmi Abbatis Roschildensis in Dania, animas frustra secuti sunt dæmones post mortem, cum ab angelis in cælum ducerentur.

101. *Altum est Dei refugium.* Nota quarto, pro *protegam eum*, Hebr. est אשגבהו *asaghebehu*, exaltabo eum, ut vertit S. Hier. Altissimum est Dei refugium, et arx in qua servos suos tuetur. Cant. 8. 14. dicitur: *Fuge dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Christus montes amat, ibi suos docet ac tuetur. S. Bern. serm. 9. in Psal. 90. illud expendens: *Altissimum posuisti refugium tuum*, sic ait: *Sæpe illuc fugiamus, fratres, munitus est locus, nullus ibi timetur hostis. Ad omnem tribulationem, ad omnem cuiuscumque modi necessitatem, aperta est nobis urbs confugii, sinus matris expansus est. Parata sunt foramina petræ. Patent viscera misericordiæ Dei nostri,*

Hoc confugium qui declinat, nihil mirum si effugere non meretur. Maffæus lib. 4. hist. Ind. pag. 104. rem notabilem refert: Una, inquit, nave capta a Mahumetanis speculator et carchesii custos, Andreas nomine Portuensis, plumbea glande saucius humerum, et insuper usu lævæ manus amisso, nihilominus dextra plus biduum ex ipso carchesio dimicans, barbaris in tantæ virtutis admirationem adductis, accepta demum incolumitatis fide se dedidit, ac suis postea restitutus, et honore, ut erat æquum, et stipendiis est auctus: ita ille. Carchesium in navibus est suprema pars mali, a qua veli latera, quæ cornua vocantur, utrinque diffunduntur: cælo altior est Deus, in quo et per quem pugnamus. In eo tuti erimus. 3. Reg. 4. 24. *Salomon obtinebat omnem regionem quæ erat trans flumen, a Thaphsa usque ad Gazam, et cunctos reges illarum regionum: et habebat pacem ex omni parte in circuitu. Habitabatque Iuda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.* Salomon est Christus pacificus, Iudas est anima Deum confitens, Israel vir Deum videns et cognoscens: vitis sunt delectationes spirituales: ficus, dona misericordiæ et gratiæ. Si anima non sit munita in hostes, illam munit Salomon, et omnes eius potentias ac sensus. 3. Regum 9. 19. *Omnes vicos, qui ad se pertinebant, et erant absque muro, munivit Salomon, et civitates curruum, et civitates equitum.* Deum servos suos protegentem ab hoste comparat leoni intrepido, et avi incubanti pullis, ut eos a milvo tueatur. Isaias Propheta cap. 31. 4. et 5. *Quomodo si rugiat leo, et catulus leonis super prædam suam, et cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit. Sic descendet Dominus exercituum, ut prælietur super montem Sion, et super collem eius. Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Ierusalem, protegens et liberans, transiens et salvans:* contra Sennacherib regem Assyriorum, cuius exercitum delevit per angelum una nocte, Ex. 15. 3. dicitur: *Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen eius.*

(Mira fortitudo militis e carchesio pugnantis.)

102. Nota quinto, Dei cognitio sollicite quærenda est, ut in eo spes ponatur, et cognoscentes se protegat. Psalm. 39. 5. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* R. Pinchas ait, Iudæos nunc a Deo non exaudiri, quia nesciunt nomen tetragrammaton: sed vera ratio est, quia Deum ipsum ignorant, et nomen Iesu filii Dei. S. Quintinus Martyr vere dixit Rictiovaro Præsidi, eum a Dei veri cultu ad idola avertere cupienti: *Nobilitas summa est Deum cognoscere, eiusque devotissime obsequi mandatis.* Inter durissima flagella oculis ad cælum elevatis dicebat: Domine Deus meus, gratias ago tibi, quia propter nomen sanctum filii tui, Domini mei Iesu Christi, hæc me pati voluisti. Et nunc præsta fortitudinem Domine, concede virtutem, porrigens auxiliatricem dexteram tuam, quatenus pœnas cum tyranno superare valeam, ad laudem et gloriam nominis tui, quod est benedictum in sæcula. Tum vox fertur audita: Quintine, constans esto, viriliter age: ego adsum tibi. Statim apparitores, qui eum cædebant, in terram corruerunt, et se plagis immensis et ignibus torqueri clamaverunt: ita acta.

(Deus cognoscendus, ut in eo speretur.)

103. Nota sexto, Deus cognoscentes se protegit per angelos. 3. Reg. 8. 7. *Cherubim expandebant alas super locum arcæ, et protegebant arcam, et vectes eius desuper.* Arca est anima fidelis, in qua Deus habitat: vectes, sunt prælati et patres spirituales, qui illam portant. Et cap. 6. 23. id explicatur diffusius: *Et fecit Salomon in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis. Quinque cubitorum ala Cherub una, et quinque cubitorum ala Cherub altera: id est decem cubitorum habentes, a summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem.* Cherubini facti de lignis olivarum, sunt angeli illustrati et illustrantes scientia Dei, et erga nos misericordes: decem cubiti altitudinis sunt decem præcepta legis, ad quæ nobis vires donant. Et v. 27. *Posuit Cherubim in medio templi interioris. Extendebant autem alas suas Cherubim, et tangebat ala una parietem, et ala Cherub secundi tangebat parietem alterum, alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant. Texit quoque Cherubim auro.* Angelorum custodia non tantum se extendit ad exteriora bona, sed etiam ad medium templi interioris: id est, ad ipsa animæ penetralia, ibi extendunt alas suæ charitatis, et contingunt utrumque parietem: hoc est, intellectum et voluntatem. Denique v. 29. dicitur: *Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis et torno, et fecit in eis Cherubim, et palmas, et picturas varias, quasi prominentes de pariete, et egredientes.* Palmæ sunt victoriæ de passionibus: picturæ variæ, sunt plurima bona desideria, prominent de pariete, id est de intellectu et voluntate, quia illa desideria bona ad externum opus exeunt. S. Basilius in cap. 8. Isaiæ angelos vocat, ἐπιμελητὰς ἀνθρώπων γένους, tutores generis humani. Singula in toto orbe contenta lustremus.

(Deus cognoscentes se protegit per angelos.)

Primo, angelos regnis esse præpositos custodes satis patet Dan. 10. ubi fit mentio angeli principis Persarum, Græcorum et Iudæorum: sic enim S. Aug. q. 48. in lib. Iudic. S. Dion. cap. 9. cæl. Hier. Theodoret. lib. 5. divin. decret. cap. 7. dicunt, illos principes esse angelos ad custodiam talium provinciarum destinatos. Clem. Alex. lib. 6. Strom. Per gentes, ait, et civitates divisæ sunt angelorum præfecturæ. S. Epiph. hær. 15. Regna et gentes sub angelis sunt positæ. Francia S. Michaelem Archangelum pro suo custode agnoscit. Vide dicta art. 1. huius sect. 2.

(I. Regnis sunt angeli præpositi.)

Secundo, singulæ rerum species suum peculiarem angelum habere videntur. Apocal. 14. 18. *Alius angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem.* Quem in locum Aretas ait: Hinc scimus angelicas potestates præpositas esse creaturis: hanc quidem aquis, hanc autem igni, hanc autem alii cuidam particulari creaturæ. Apoc. 16. 5. ait S. Ioannes: *Audivi angelum aquarum dicentem.* Quod considerans Andreas Cæsar. cap. 47. in Apocal. ait hinc confirmari, angelos elementis præesse. Origen. hom. 8. in Ier. Omnibus, ait, rebus angeli præsident, tam terræ et aquæ, quam aeri et igni: hoc est, principari elementis, et hoc ordine pervenire ad omnia animalia, ad omne germen, ad ipsa quoque astra cæli. S. Aug. lib. 83. q. 979. Unaquæque res visibilis, ait, in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis divina Scriptura testatur: ita Aug.

(II. Singulis rerum speciebus.)

Tertio, exercitibus singulis præesse angelum probabile est. Iosue 5. 14. *Sum princeps exercitus Domini*, ait S. Michael, qui synagogæ curam habebat, principi exercitus populi Dei, nempe Iosuo ipsi. Abulensis putat illum angelum fuisse Gabrielem.

(III. Exercitibus.)

Quarto, singulis Episcopatibus præesse angelum peculiarem multi putant, et videtur id dixisse S. Greg. Naz. orat. 32. Præter omnia, inquit, et ante omnia, clamabo: χαίρετε ἄγγελοι τῆς δὲ τῆς ἐκκλησίας ἔφοροι, valete angeli, huius Ecclesiæ præsides. S. Ambr. l. 1. de pœnit. c. 21. et l. 2. in Lucam, dicens: Non solum ad tuendum gregem Dominus Episcopos ordinavit, sed etiam angelos destinavit: ita Ambr.

(IV. Episcopatibus.)

Quinto, urbibus singulis suum esse custodem angelum verisimile est. Sæpe enim visi sunt angeli urbes tutari, ut alias docui. Nunc sufficiat, quod refert Theodoretus in Philotheo, de Sapore Persarum rege in obsidione urbis Nisibis, visione quadam perterrito. Etenim, inquit, vidit in ipso muro quemdam regali plane vestitu amictum, cuius purpura et diadema mire splendebant, quem Imperatorem Romanum esse suspicatus, minabatur illis mortem, qui nunciarant eum minime adesse. Qui cum constanter affirmarent vera esse quæ dixerant, et Constantium Imp. esse Antiochiæ, intellexit tum visionis significationem, tum Deum pro Romanis (sic enim aiebat) bellum gerere: hæc Theod. Crediderim angelum urbis tutelarem imperatorio habitu sese hostibus terrificum ostendisse. Iam de ea re dixi art. 1. huius sect.

(V. Urbibus.)

Sexto, regibus, principibus, et prælatis duos esse angelos custodes iam dixi supra. Nunc considera quam illis curæ sit sacra regum persona. Gainas, qui Romani exercitus, tum equestris, tum pedestris dux fuerat, noctu bar-

(VI. Regibus.)

Arcadii palatium tuentur angeli. barorum multitudinem ad incendendum Arcadii Imperatoris palatium miserat. Tunc ait Socrates, perspicue declaratum est, quomodo urbem Deus, providentia sua custodierit. Nam missis insidiatoribus angelorum multitudo apparuit, εν σχηματι οπλιτων, *in figura armatorum*, magna habentium corpora,quos barbari conspectos vere magnum ac strenuum putabant esse exercitum, ac stupefacti discedebant. Cum hoc Gainæ nunciatum esset, videbatur illi incredibile. Sciebat enim non adesse armatam Romanorum multitudinem, quæ per civitates erat divisa. Mittit igitur sequenti nocte rursus alios, et postea sæpius. Cum vero varios mittendi eadem nunciarentur (eamdem enim apparitionem angeli insidiatoribus perpetuo obiecerant) ipse cum magna multitudine progressus miraculi capit experimentum. Suspicatus autem vere esse multitudinem militum, qui per diem occulerentur, noctu illi obsisterent, destitit: ita Socrates lib. 6. hist. Eccl. cap. 6. Angeli tutelares regum figurati sunt in scutis et peltis aureis Salomonis, de quibus 3. Reg. 10. 16. dicitur: *Fecit rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo, sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius. Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri unam peltam vestiebant: posuitque eas rex in domo saltus Libani*, id est, in domo regis Salomonis, quæsita quidem erat in Ierusalem et in monte Sion, sed confecta erat ex lignis Libani, et suis arboribus et amœnitate Libanum referebat. Secundo, angeli custodes regum optime figurantur in manibus sustinentibus sedile throni Salomonis, et in leonibus et leunculis thronum ipsum ambientibus, eiusque gradus ornantibus. Non ascenditur ad Salomonem, id est ad animam pacificam, quin per medios illos leones sit trascundum.

VII. Templis et altaribus. Septimo, templis et altaribus singulis suum esse custodem Angelum alias etiam docui. Iosephus lib. 2. cap. 12. Niceph. lib. 3. c. 4. S. Hier. q. 8. ad Hedi. tradunt, paulo antequam Ierosolyma everterctur, auditas fuisse voces angelorum, qui ad custodiam templi adhibiti erant, dicentium: Migremus hinc. Ioannes Lanspergius lib. 4. cap. 61. docet, S. Gertrudem vidisse aliquot angelos forma et splendore eximios, templi cuiusdam protectores.

VIII. Monasteriis. Octavo, monasteriis singulis suos quoque tutelares assignant S. Thomas 1. parte, Molina, et alii multi. Abulensis censet singulis quoque familiis, si præsertim persona sit iusta, præsidere angelos tutelares: eumque angelum, qui reduxit Agar ancillam ad Abrahæ domum, cum Saram fugeret, fuisse illius sanctæ familiæ tutelarem. Quanta autem cura Religiosos angeli tueantur, habes c. 1. vitar. Ord. S. Dominici, ubi hæc leguntur: Bononiæ quidam civis iurisperitus in familiam nostram se recepit, hunc cum e cœnobio parentes vi abstrahere cogitarent, Religiosi pavidi milites quosdam amicos admonere cogitabant, sibi ut præsidio essent: sed hoc vetuit S. Dominicus. Non egemus, inquit, auxilio militum: ego enim plusquam ducentos angelos circa Ecclesiam conspicio, qui ad custodiam fratrum missi sunt. Recesserunt ergo illi divino nutu exterriti, confusique, et novitius cælesti lætitia perfusus constantiam in proposito tenuit.

104. In pugna iuvant angeli. Nota septimo, Deus protegit cognoscentes se, tum in bello corporali, tum in bello spirituali.

Ac primo, sæpius pugnantibus Machabæis adfuerunt angeli, præsertim Iudæ Machabæo in Timotheum Antiochi Eupatoris ducem certanti. 2. Mach. 10. 29. dicitur: *Cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo, viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela et fulmina iaciebant, ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, et equites sexcenti.* Angeli succurrerunt Christianis Græcis contra Persas; ut enim ait Socrates lib. 7. cap. 18. Cum Theodosio iuniore imperante Persæ magno exercitu in Romanum imperium irruissent, et Constantinopolitani auxii essent ac dubium belli eventum hæsitabundi expectarent, angeli Dei circa Bithyniam iis, qui Constantinopolim necessitatis suæ gratia proficiscebantur, apparentes, nunciare iusserunt, ut bono animo essent, et præcarentur, Deoque fiderent, victores Romanos fore: ac simul addiderunt, αυτοι βραβευται του πολεμου πεπεμφθαι, esse se belli huius dispensatores a Deo missos. S. Wenceslaus Bohemiæ dux Curmensi duci, nulla iniuria lacessito, cum exercitu in Bohemiam ingresso, atque agros vastare conanti, armatus cum copiis occurrit: vocatusque in colloquium singulare certamen obtulit. Accepta ab adversario conditione, ubi manus conseri debuit, angeli visi, qui Wenceslaum protegentes arma ministrarent. Territus ea novitate Curmensis, ex equo prolapsus veniam petiit. Bohemus humiliato libenter pepercit, monuitque, ne deinceps aliena cuperet. Similem comitatum vidisse aiunt Imperatorem, cum Wenceslaus adolescens in eius curia versaretur, eamque ob causam brachium S. Viti dono ei dedisse: in cuius honore cathedralis ædes in Praga constructa est, ut tradit Æneas Sylvius hist. Bohem. cap. 15. S. Wenceslaum angeli protegunt.

105. Angeli in tentatione adsunt. Secundo, angeli in bello spirituali iuvant, præsertim virgines. S. Cyrilli. Ieros. vocat angelos catech. 12. αγνειας εργατας, virginitatis opifices. Catharina de Raconis Ord. S. Dominici a quatuor angelis cincta est in renibus, hæc adiicientibus: In nomine Domini Dei cingimus te hac zona castitatis. Ex eo tempore nullum carnalem motum sensit in corpore, ut testatur Ioan. a S. Maria in eius vita. De D. Thoma dixi alias.

S. Susanna ab angelo servatur. Corpus etiam virginum, præsertim martyrum, tutati sunt angeli. Primo, S. Susanna Christo se in sponsam obtulerat, et Maximinum Diocletiani Imp. filium coniugem accipere recusabat: nocte quadam in eius se cubiculum coniecit, ubi Susanna orabat: sed vidit angelum Domini supra illam cum multa claritate: ea re perterritus fugit ad palatium, nec illam attigit, ut legitur in eius Actis. Secundo, S. Iulianam cui nec ignita sedes, nec feræ, nec alia tormenta mali quidquam attulerant, Aurelianus Imp. trahi iussit in lupanar. Statim vero angelus Domini descendit de cælo, et dixit: Ne timeas Iuliana: Dominus enim Iesus Christus, quem tu colis, misit me, ut te protegam, et sanctum nomen eius notum faciam omnibus timentibus eum. Cum vero multi ad virginem accessissent, angelus excussit e pedibus suis pulverem, et in eorum oculos iniecit, ita ut eos excæcarit. Id cum turbæ vidissent, exclamarunt: Magnus est Deus Pauli et Iulianæ, qui ubique eos servat et protegit, qui illum timent. S. Iuliana vero in excæcatos illos aqua iniecta, eos sanavit, et Christiani facti sunt. S. Iuliana. Tertio, S. Agnetem insanus iudex iussit nudam ad lupanar trahi: statim vero ut spoliata est, crine resoluto tantam densitatem capillis eius divina gratia concessit, ut melius videretur fimbriis eorum, quam vestibus tecta. Ingressa autem turpitudinis locum angelum Domini ita præparatum invenit, ut circumdaret eam immenso lumine, ita ut nullus posset eam præ splendore respicere. Cumque se in orationem Domino prostravisset, apparuit ante oculos eius stola candidissima, et apprehendens eam induit se, et ait: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, qui me in numero ancillarum tuarum computans, vestem hanc mihi largiri præcepisti. Ita namque ad mensuram corpusculi eius aptum erat indumentum, et ita nimio candore conspicuum, ut nullus dubitaret hoc angelicis manibus præparatum. S. Agnes. Quarto, cum S. Seraphia Virgo et Martyr Beryllo Præsidi ad impia sacrificia invitanti diceret: Ego illi quotidie offero sacrificia, adorans illum, et deprecans die ac nocte. Et Seraphia. Præses ait: Ubi est templum Christi tui, et quodnam illi offers sacrificium. Saraphia dixit: Hoc est illud sacrificium, ut meipsam mundam illi exhibeam studio castitatis, ut per eius misericordiam alios ad eam professionem adducam. Præses ait: Hoccine ergo est templum et sacrificium Christi tui? Illa respondit: Nihil est præstabilius, quam verum nosse Deum, et pie vivendo illi servire. Præses dixit: Tu ipsa igitur, ut ais, templum es Dei tui? Seraphia respondit: Si eius freta auxilio mundam me conservavero, illius utique templum ego

sum. Præses tradit eam duobus iuvenibus coinquinandam: cum eam illi in obscurum duxissent cubiculum, audito sono et terribili terræmotu conciderunt pene exanimes in terram: Seraphia interrogata quid accidisset, ait: Mecum ille fuit, cuius ego sum, et qui me sibi vendicat. Præses ait: Quisnam ille est? Seraphia respondit: Custos et conservator meus Dominus Iesus Christus. Sanati iuvenes a virgine dicunt Præsidi: Simul atque ad eam ingressi sumus, iuvenis quidam advenit præstanti corporis forma, et instar solis totus radians, isque inter puellam hanc et nos se interposuit medium: nos vero præ nimio eius splendore, tremor, et caligo, et defectio apprehendit, atque ex eo tempore usque in præsens, mentis compotes non fuimus. Lampades ei postea admotæ, extinctæ sunt, caputque illi tandem est amputatum.

Angeli denique, non solum animas et corpora sanctorum, sed etiam ea, quæ ipsos spectant, licet vilissima, conservant. B. Felix Capucinus etiam antequam religionem ingrederetur, tanto affectu erga sacram Eucharistiam ferebatur, ut ad tanti mysterii considerationem, et in eo passionis Christi recordationem, Deique erga homines infinitum amorem, totus colliquesceret. Quin etiam ut sacrificio Missæ interesset, pecora quibus pascendis erat præpositus, mediis in agris relinquebat, solitaque simplicitate, divinæ providentiæ illa committebat, qui, ut gratam sibi hanc pietatem esse testaretur, angelum mittebat, qui eius absentiam suppleret, quem cives eius testati sunt, sæpe sub iuvenis vestem peregrinam induti, prorsusque incogniti forma a se visum, ut narrat Ioannes Baptista Perusinus in vita cap. 1. pag. 12.

Concludamus, enitendum esse, ut dignos exhibeamus nos quibus adsint et opitulentur angeli. S. Bern. serm. 1. de angelis: *Pensate*, inquit, *quanta nobis sollicitudo opus est, ut dignos nos exhibeamus eius frequentia, et eo modo conversemur in conspectu angelorum, ne forte sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando angeli provocati peccatis et negligentiis nostris, indignos nos iudicaverint præsentia et visitatione sua: ut iam necesse habeamus cum Propheta plangere et dicere: Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt; et qui iuxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant, qui quærebant animam meam: elongatis nimirum eis, quorum præsentia protegere et propulsare poterat inimicum*: ita Bernardus.

106. *Orans cum fervore ab angelis iuvatur.* Nota octavo, orantes cum clamore et fervore angeli adiuvant: *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum.* Clamor fervorem denotat, et firmam in Deo spem. Exod. 14. 15. Deus ait Mosi: *Quid clamas ad me?* Quod considerans S. Ambr. Psal. 118. octon. 19. dicit: Hoc est, quid de me speras? David noster vim illius clamoris declarat Ps. 4. 1. *Cum invocarem*, Hebr. cum clamarem, *exaudivit me Deus iustitiæ meæ*. Fr. Reginald. d'Agello Ord. S. Dominici merebatur exaudiri, qui quotidie millies in die recitabat orationem dominicam, et salutationem angelicam, ut tradit Seraphinus Razzi in vitis viror. ill. illius Ordinis, sed Deus sæpe vel unicum suspirium sanctorum exaudit. Ps. 9. 40. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

Quod autem orantes Deus iuvet per angelos, ostenditur Primo, quia docent nos orare, sunt enim ἀνθρώπων διδάσκαλοι, hoc est, hominum præceptores. Secundo, adsunt præsentes cum oramus. S. Bonav. in Soliloquiis: O anima, inquit, si videre posses, quanto gaudio angeli assistunt orantibus, intersunt meditantibus, quanto studio in bono conservant! Hac de re agam commodius Psal. 137. in illud: *In conspectu angelorum psallam tibi.* Tertio, offerunt orationes nostras Deo. Tob. 12. 12. ait Raph. Tobiæ seniori: *Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Orig. lib. 5. contra Celsum: *Angelos*, ait, *dicimus ascendere, ut hominum vota precesque ad ea loca perferant, quæ cælestia sunt*: ita ille. Et alio loco: *Angeli ascendunt et descendunt ad filium hominis: perquirunt et curiose agunt, quid in unoquoque nostrum inveniant, quod offerant Deo: vident et perscrutantur uniuscuiusque nostrum mentem, si habeat aliquid tale, si tam sanctum aliquid cogitet, quod Deo mereatur offerri.* S. Aug. in Soliloq. Gemitus nostros, ait, atque suspiria referunt ad te Domine, ut impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem. Quarto, orationis et clamoris ad Deum vim declarant. Cum quidam Tribunus militum ad S. Leontium capiendum missus, febri æstuaret, neque iter institutum tenere posset, nocte illa angelus ei apparuit, dicens: Tribune, si vis sanus fieri, una cum militibus, qui tecum sunt, ter clames: Tu, qui S. Leontii Deus es, mihi quæso auxilium feras. Si hoc dixeris, sanus statim efficieris. Quod cum ille effecisset, convaluit, et precibus S. Leontii nubes aquæ in ipsum ac Theodulum militem descendit, eosque illuminavit ad veram fidem conversos. Quod cum S. Leontius factum vidisset, voce magna clamans: Gloria, inquit, tibi sit Deus meus, qui voluntatem quærentium te non aspernaris. Illi autem capite cæsi sunt Adriani Præsidis iussu, et Leontius inter dirissima verbera reddidit spiritum. S. Raimundum a Rupeforti ut plurimum excitabat a somno angelus custos, cum ad preces matutinas eundum erat, atque in omni loco invitabat, ut ad Deum mentem erigeret. Quod in illis faciebat aperte et agnitus, hoc in nobis facit occulte et ignotus sæpissime. Quinto denique, angeli præsertim virgines et martyres orantes iuvant.

De virginibus dictum iam est supra, unum addo de S. Theophila, quæ, cum a lictoribus in lupanar traheretur, manus oculosque in cælum erigens, ait: Mi Iesu, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis et vitæ, vide eam, quæ tibi est desponsata. Ne prodas me bestiis, ne lupi tuam pecudem dilanient. Serva sponse sponsam, meam conserva castitatem fons castitatis, ut tuum quoque nomen nunc maxime glorificetur, quod intelligenter glorificator ab angelis. In prostibulum ingressa in manus sumit evangelium, et lectionem incipit. Cum autem petulans quidam ad eam accederet, ad pedes concidit mortuus, alius excæcatus lucis fulgore emicante, aliique graviora passi sunt. Multi his cognitis ad fidem conversi sunt. Angelus autem plenus lumine, qui videbatur Virgini assistere, cum eam domo eduxisset, suo lumine præcedens deducebat ad Ecclesiæ vestibulum; et cum, Pax tibi, dixisset, ex oculis evanuit. A Christianis omnibus gratiarum actio Deo reddita est: ita Acta sanctarum Indes, et Domnæ, et viginti millium Martyrum passorum Nicomediæ. *S. Theophila ab angelo conservatur.*

De martyribus orantibus, et ope angelorum honoratis et adiutis legitur Primo, apud Simeonem Metaph. die 2. Novemb. quod S. Acyndinus, Pegasius et Anempodistus in grabatos ferreos ardentes coniecti canebant: Igne probasti nos, sicut probatur argentum. Posuisti afflictiones super dorsa nostra. Da ut magno et forti animo feramus eos qui adsunt, cruciatus. Da etiam circumsistentibus, ut agnoscant nomen sanctum tuum, quibus et tuam virtutem, et tua nota fecisti miracula. Cum hæc dixissent, audita est vox e cælis, dicens: Quoniam factis fidem vestram confirmastis, vestræ petitiones deducentur ad effectum. Plurimi vocem audientes exclamaverunt: Unus solus est verus Deus, quem colunt: unus fortis, unus invictus, et præter ipsum non est Deus. Tum accessit multitudo angelorum candidis conversos induens vestibus: hæc ibi. Secundo, illustre est quod refertur in menologio de S. Heliodoro martyre, qui cum idolis sacrificare nollet, suspensus est et laceratus: cumque tormentorum acerbitatem sentiret, clamabat: Domine Iesu Christe, adiuva me. Statimque e cælo voce missa, audivit: Ne timeas, tecum enim sum. Hanc vocem audientes, qui faces accensas tenebant, et insuper videntes quatuor angelos, vim tormentorum prohibentes, in Christum crediderunt, et arguentes Præsidem in mare coniecti sunt, victoriæ coronas percipientes. Heliodorum vero in bovem igneum immisit; qui bos sta- 107. *Angeli iuvant martyres orantes.*

tim cum prius arderet, frigidus factus est, ac varia alia sanctis angelis comitibus fortiter passus est. Tertio, S. Sergius calceatus crepidis, in quibus erant clavi ferrei, iussus est tyranni vehiculum præcedere, et currere ad septuaginta stadia. Sanguis e pedibus defluebat, ipse autem cælesti consolatione recreatus psallebat cum lætitia, ex Ps. 39. 1. *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi. Et exaudivit preces meas, et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis, et statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos.* Cum pervenissent Tetrapyrgiam, in carcere martyr canebat: Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem, et funibus extenderunt laqueum pedibus meis, et cogitaverunt supplantare gressus meos. Sed tu, Domine, præveni, et supplanta eos, et libera ab impiis animam meam, et de manu canis unicam meam. Angelus ei media nocte apparuit, et sanavit eius vulnera. Apud Ægyptios singulorum morborum erant medici, non plurium: itaque omnia referta erant medicis: alii enim erant medici oculorum, alii capitis, et sic de cæteris, ut tradit Herodot. lib. 2. pag. 120. Idem dicitur nunc de Sinis. Angeli vero sunt medici universales, et animarum et corporum, et hoc sonat vox Raphaelis, q. d. Medicum Dei.

ARTICULUS VI.

Deus iustos in tribulatione positos iuvat, et quidem per angelos.

Vers. 15. 2. Pars. MAGNA promissio, quod Deus sperantes in se sit liberaturus, et protecturus; sed maior amanti est, quod sit cum eo in tribulatione mansurus, v. eod. 15. CUM IPSO SUM IN TRIBULATIONE (Hebr. in צרה *tsara*, id est in angustia et coactione, q. d. Ego, qui cælum et terram impleo, coarctabo et coangustabo meipsum, ut cum amico meo compresso et in angustiis posito verser. Arabs vertit, in omnibus tribulationibus eius) ERIPIAM EUM, ET GLORIFICABO EUM.

Deus vult iustos affligi. Nota, Deus vult servos suos hic tribulari. Christus Ioan. 16. 33. ait: *In mundo pressuram habebitis.* Longa enumeratione de sanctis veteris testamenti hoc probat S. Paulus Hebr. 11. 35. *Alii, inquit, distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ.* S. Chrysost. hoc probat longa inductione Patriarcharum et Prophetarum in libris de providentia ad Stagyr. tom. 4. operum.

Exempla varia. Hinc Deus dat sanctis dolores, veluti munus, et salutis pignus. Primo, cum S. Catharina Senensis Christi plagas in latere, manibus ac pedibus accepisset, tantos inde patiebatur dolores, ut deliquium animi passa sæpe collaberetur præ dolore: creditumque sit causam mortis eius illam extitisse. Secundo, Catharina de Raconis duobus clavis a S. Petro Martyre in sinu transfixa est: unde maximi dolores exorti sunt. Cor illi sæpius a Christo avulsum est cum summo cruciatu, per triginta septem annos et quinque menses acerbissimos passionis dolores toleravit. Pro anima in Purgatorio detenta, tantos dolores passa est per dies quindecim, ut tandem lecto affixa fuerit. Tertio, Catharina de Ricci incredibiles dolores pertulit ob plagas Christi sibi impressas, quas plurimi viderunt. Per annos 47. cum doloribus pene continuis et acerrimis luctata est. Quarto, Stephana de Soncino singulis diebus Veneris omnes dolores patientis Christi tolerabat. Quinto, Hieronyma Carvailo meditans Christi dolores in cruce, vidit quosdam radios coloris sanguinei, et ardentes, qui in eius pedes manusque cum summo cruciatu irruerent. Postea vix pedibus insistere poterat, et quidem cum acerrimo doloris sensu. Cumque semel amice quæreretur cum sponso suo, angeli vocem inaudiit, qui diceret: Ex doloribus, quos nunc pateris, amorem Dei erga te conspicies, qui participem te fecit tormentorum, quæ pro te toleravit. Ab eo tempore Crux adeo illi suavis extitit, ut omnis dolor etiam vehementissimus ipsi pro recreatione esset. Sexto, Ioanna Orvietana diebus omnibus hebdomadæ sanctæ Christi crucifixi dolores perferebat annis singulis. Septimo denique, Catharina Raggensis coronam spineam suo capiti imprimi sensit: ex eo tempore maximos dolores passa est.

Sicut Deus dat afflictiones sanctis, velut amoris pignus, 108. Sancti amant afflictiones.
ita sancti eos avide percipiunt, et toto sinu hauriunt, velut aroma sacrum. Cant. 4. 6. *Vadam ad montem myrrhæ*, hoc est mortificationis suaviter olentis, et mentem confortantis. Frater Thomasin Ord. S. Dominici Conversus in afflictione semper dicebat: laudetur Iesus Christus, ut ait Seraphinus Razzi in vitis viror. illustr. Ordinis illius. B. Agatha optabat pati pro animabus purgatorii: ignes internos experta est, quibus urebatur. Isabella a Pietate singulis diebus Veneris ardentem febrem patiebatur, cum petiisset aliquid perpeti cum Christo patiente. Magdalena Angelica catenis renes stringebat, quæ ita corpus penetrarunt, ut fuerint novaculis avellendæ. S. Margareta Hungarica filia Belæ IV. regis Hungariæ brachia chordulis ita strinxerat, ut cum carnem penetrassent, usum brachiorum per annos quatuor amiserit. (S. Margaretæ Hungaricæ mortificatio.) Philippus Edovardus comes Kirchbergius et Weissehornius id sibi sumpserat symboli: *Vexatio dat intellectum.* Non in intellectu solum, sed etiam in voluntate, et in omnibus potentiis fructum afflictionis sentiebant sancti Christo patienti uniti.

Nota secundo, Deus est cum sanctis in tribulatione. 109. Deus est cum afflictis.
Christus est verus *Emmanuel*, id est nobiscum Deus. Primo, tamquam Dominus cum servo auxilium implorante. Psal. 33. 19. *Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde.* (I. Ut Dominus cum servis.) Georgius dux Lignicensis et Brigensis hoc symbolo se ad fortia animabat: *Prope est Dominus.* Semper adest afflictis, sed non semper apparet, obvelatur nube in tempore tempestatis. Psal. 80. 8. hoc dicit ipse: *In tribulatione invocasti me, et liberavi te: exaudivi te in abscondito tempestatis.* Nubes obscura est, sed fœcunda.

Secundo, Deus adest sanctis in tribulatione, sicut agonotheta pugili, eos aspiciens, animans, et ad parata præmia invitans. (II. Sicut agonotheta cum pugile.) S. Cypr. in epist. ad Thibaritanos: *Præliantes vos, ait, et fidei congressione pugnantes spectat Deus, angeli eius, spectat et Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas, præsente Deo congredi, et Christo iudice coronari!* Antoninus Episc. Constantiensis in epist. ad Arcadium pro fide a Genserico rege Vandalorum in exilium missum: Perge, inquit, fidelis anima, perge confessor unitatis, gaude, quia pro nomine Christi pati meruisti contumeliam, sicut Apostoli, cum flagellati sunt. Ecce iam serpens ille sub pedibus tuis iacet; ipse confligere potuit, sed ipse cecidit, quia te elidere non potuit. Rogo te, preme caput eius, non surgat iste in agone martyrii, nemo te commoveat: *Ecce gaudet Christus, inspicit te. Lætantur angeli, et adiuvant te:* turba dæmonum calcaneum tuum observat: ne deficias, ut dæmones, qui nunc lugent, gaudeant: ita Antoninus.

Tertio, Deus adest sanctis in tribulatione, sicut dux militi pugnanti, eos dirigens, protegens, cum eis et pro eis pugnans. (III. Sicut dux cum milite.) Hinc Iob dicebat cap. 17. 3. *Pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me.* Ioannes comes Hardeggius pro symbolo hæc verba sibi sumpsit: *Deo duce, comite fortuna.* Cum sancti martyres Sergius et Bacchus in carcere somnum caperent, adfuit angelus, qui diceret: Confidite servi Christi, et nolite timere: sed state firmi et stabiles in Domini nostri Iesu Christi confessione. *Ipse enim est vobiscum defensor vester.* Illi a somno excitati concinebant ex Psal. 119. 1. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, et exaudivit me.* Item ex Psal. 3. 5. *Exaudivit me de monte sancto suo. Ego dormivi, et soporatus sum, et exurrexi: quia Dominus suscepit me. Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, salvum me fac Deus meus. Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua.* Prius quoque vestes induti muliebres ignominiæ causa, et collaribus vincti ferreis, per urbem mediam ducti psallebant: Etsi ambulaverimus in medio umbræ mortis,

non timebimus mala: quoniam tu nobiscum es, Domine. Propterea exultavit anima nostra in te: quoniam induisti nos vestimento salutaris, et tunica lætitiæ circumdedisti nos. Sed exurge, Domine, in adiutorium nostrum, et redima nos propter nomen tuum; ut ait Metaphr. 7. Octobris. S. Felix Nolanus Episcopus miro modo subductus oculis insequentium persecutorum, pari modo cantabat ex Psal. 22. 4. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*, ut ait Beda in eius vita. Est etiam Deus cum afflicto, sicut comes fidus, et locorum peritus in obscuro et periculoso itinere.

IV. Sicut medicus cum ægroto. Quarto, Deus est cum sanctis in tribulatione, sicut medicus cum ægroto, eos curans et sanans. S. Pantaleemon, sive Pantaleon medicus, in ligno suspensus ferreis laniabatur ungulis, et lampades admovebantur eius lateribus, oculos in cælum tollenti apparuit Christus in habitu Hermolai senis, a quo fuerat ad fidem conversus, aitque: *Ego sum tecum in omnibus, in quibus propter me patiens, te fortiter geris.* Statim lictorum manus dissolutæ sunt, et lampades extinctæ. Cum Maximianus Imper. id præstigiis tribueret, respondit Martyr: *Meæ præstigiæ Christus est, qui etiam adest mihi hæc operans.* In lebetem plumbo ferventi plenum coniiciendus, orabat ex Ps. 63. 1. *Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam. Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.* Sic deprecanti adfuit iterum Christus in forma senis Hermolai, et in lebetem una cum eo est ingressus; ignisque protinus extinctus est, et plumbum in naturalem mutatum est frigiditatem. Tum sanctus iubilans cantabat ex Ps. 54.17. *Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me. Vespere, et mane, et meridie narrabo, et annunciabo: et exaudiet vocem meam.* In mare coniectus est lapide collo eius alligato: sed Christus in priore Hermolai forma apparens effecit, ut lapis ille supernataret, ipsa vero super fluctus ambularet: ita eius Acta. Ss. Paulus et Iuliana hanc Christi præsentiam prædicaverunt, iussu Aureliani in sedibus ignitis collocati; dicebant enim: *Nobiscum hoc loco Christus est*, nobis opem affert, neque sinit ab igne nos tangi. Tu vero illum non vides, cum eius visione indignus sis. Moneo te, Aureliane, ut insaniam istam omittas, et ad Christum accedas. Nam si ei credere volueris, te resipiscentem amplectetur, cum benignus sit ac misericors, et humana peccata condonet. Quod si non credideris, æterno igne punieris; ut tradit Metaph. 17. Augusti.

V. Sicut nauclerus cum navi agitata. Quinto, Deus est cum sanctis in tribulatione, sicut nauclerus cum iis quodammodo periclitans. Eius rei illustre exemplum aliàs attuli cuiusdam, qui in naufragio multis diebus a Christo navem gubernante servatus est. Is. 43.2. ait Deus: *Cum transieris per aquas, tecum ero: et flumina non operient te.* Et v. 5. concludit: *Noli timere, quia ego tecum sum.* Timidos Apostolos in tempestate, licet cum eis esset, Christus increpat, Matth. 8. 26. S. August. in Psal. nostr. ait: Noli timere, quando tribularis, ne, quasi non sit tecum Deus. Fides sit tecum, et tecum est Deus in tribulatione. Fluctus sunt maris, turbaris in navigio, quia dormit Christus. Dormiebat in navi Christus, peribant homines. Si fide tua dormit in corde tuo, tamquam in navi tua dormit Christus: quia Christus per fidem in te habitat. Cum turbari cœperis, excita Christum dormientem, erige fidem tuam, et noveris quia te non deserit.

VI. Sicut amicus cum amico. Sexto, Christus est cum sanctis in tribulatione, sicut amicus cum amico, cum iis familiarius agens. Non constat Deum Mosi locutum esse, priusquam ex Ægypto eiiceretur, et ex aula Pharaonis, atque exul esset in deserto. Madian oves pascens: et quidem Deus tunc illi visus est in rubo ardente; ut ignis et spinæ denotarent, in media tribulatione ipsum reperiri. Non constat etiam Deum Iobo locutum esse ante afflictionem: in ea autem respondet Dominus Iob *de turbine*, cap. 38. 1. hoc est, de media nube obscura, et vento vehementi ac sonante agitata. Cum S. Elisabetha regina Lusitaniæ doleret se variis afflictionibus a Dei amore quieto divelli, illi ait frater Rodingerus: Non

Tribulatio est signum amoris divini.

A derelictæ, sed dilectæ esse hæc indicia, atque ad amoris augmentum permitti. Illud vero, ut sibi persuaderet, ait, prius arborem proceram ad oppositam ripam plantatam, ad eam, in qua coambulabant, transituram, quam Deus in amore reciproco cederet creaturæ. Statim ut hæc dixit, arbor omnibus stupentibus transplantata fuit ad locum deambulationis, ut ait Lucas Wadingus in Annal. Minorum anno 1228. num. 83. pag. 398.

Septimo, Christus est cum sanctis in tribulatione, sicut frater cum fratre. Christus sic appellat esurientes, sitientes, nudos, aliosque miseros. Matthæi enim cap. 25. 35. ait: *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere*, etc. mirantibus ac sciscitantibus sanctis, qua ratione hæc opera misericordiæ exhibuerint Christo, ipse respondet v. 40. *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Frater est fere alter. Christus se in afflictis esse idem cum illis testatur, cum ait Saulo adhuc persecutori Christianorum, Act. 9. 4. *Saule; Saule, quid me persequeris?* q. d. Tu B membra mea insectaris, ego qui sum eorum caput, eorum afflictionem tolero et sentio. VII. Sicut frater cum fratre.

Octavo, Christus est cum sanctis in tribulatione, sicut mater cum populo clamante, et larvam fugiente: eos statim mammæ apprimit, ut substantia sua eos solctur. Wolffgangus Wilhelmus comes Palatinus id symbolum habuit: *En Dieu ma consolation.* Sioni dicenti se esse a Deo derelictam, ait Deus ipse Is. 49. 15. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* VIII. Sicut mater cum filio timente.

Nono denique, Christus est cum sanctis in tribulatione, sicut sponsus cum sponsa, eis colacrymans, et abblandiens. Cant. 4. 8. vocat sponsam coronandam ob tribulationes. Sic enim ait: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Pro *veni*, Hebr. est אִתִּי *itthi*, hoc est, *mecum*, supple, veni. IX. Sicut sponsus cum sponsa.

C Ex his inferas, si Christus est tecum cum tribularis, et tu cum Christo tribulato et cruci affixo esse et manere debes, atque in eius vulneribus habitare, sicut columba gemens in foraminibus petræ, Cantic. 2. 14. Ethai amicus Davidis, e domo sua egressus est, ut eum fugientem præ Absalonis metu sequeretur: cumque David obsisteret, dixit, 2. Reg. 15. 21. *Vivit Dominus, et vivit Dominus meus rex, quoniam* (quod) *in quocumque loco fueris, Domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* Alioqui ficta est amicitia, nisi in adversitate præsto sit. Basil. Imp. in exhort. ad Leonem filium: Amicitia, inquit, quæ tempori servit, non tam amicitia, quam negotiatio et mercatura quædam esse deprehenditur. Secundo, ex his infer, amandam atque optandam esse tribulationem, quippe quæ Christo nos coniungat. S. Bernard. ser. 17. in Psalm. 90. *Cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione, ait Deus: et ego aliud interim requiram, quam tribulationem? Mihi adhærere Deo bonum est. Bonum mihi Domine tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, D epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te: in camino habere te mecum, quam esse sine te, vel in cælo. Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Aurum probat fornax, et viros iustos tentatio tribulationis. Ibi cum eis es Domine, ibi in tuo nomine congregatis medius astas, sicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam ethnico apparere ut diceret: quia species quarti, similis filio Dei. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus, hunc caminum? Sævit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione. Si Deus nobiscum, quis contra nos:* hactenus Bernard. Quæres, quomodo cognoscam, Deum esse mecum in tribulatione? Resp. quia ipse hoc asserit. Hinc S. Bernard. serm. 16. in eumdem Psalmum dicit: Unde scimus quod nobiscum sit in tribulatione? Ex eo utique, quod in ipsa tribulatione nos sumus. Quis enim sustineret, quis subsisteret, quis persisteset sine eo? Hæc ipse. 110. Corollaria duo.

111. Angeli a tribulatione liberant. Nota tertio, Deus non tantum per seipsum, sed etiam per angelos adest sanctis suis in tribulatione. Primo, in afflictione corporali. Secundo, in spirituali.

I. A corporali discrimine in bello. Ac Primo, angeli impediunt hostium legiones ne noceant sanctis, ut Elisæum Prophetam in urbe Dothain obsessum a Syris liberaverunt, 4. Reg. 6. Secundo, exercitus fidelium præcedunt, 2. Machab. 15. 23. Iudas Machabæus orat: *Nunc dominator cælorum, mitte angelum tuum bonum ante nos, in timore et tremore magnitudinis brachii tui,ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum.* Angelum adfuisse pugnæ ipsi milites senserunt Dei præsentia delectati, et cæso Nicanore, et eius exercitu. Tertio, angeli dant signum pugnæ, ut Davidi 2. Reg. 5. sonitum edentes in cacumine pyrorum, et cæsi sunt Philisthæi. Quarto, in pugna iuvant. Robertus Monachus scribit in historia sua, Christianos in oriente pugna sacra contra Saracenos, Arabes, Turcas, Persasque infideles, pro terra sancta dimicantes, dum multitudine innumerabili, crudelitate ferocissima, Corbonæ Persarum ducis exercitui resistere vix amplius possent, propitium opportunumque ab angelis auxilium, in barbarorum ruinam, pro salute sua suscepisse. Qui in formam bene ordinatorum agminum, sub specie albatorum equitum, barbaris contra Christianos furiose dimicantibus apparentes, tantum illis incusserunt tremorem, ut trepidatione stuporeque semianimes, conturbatoque exercitus ordine fugam maturarent. Quos Christiani persequentes, ex illis equitum centum millia, peditum vero præ multitudine innumerabiles barbaros Christiani nominis hostes infestissimos, ultore divinæ iustitiæ gladio victoreque necaverunt. Quinto,angeli ipsi in pugna hostes iustorum trucidant.Hoc patuit in pugna contra Mauros ad Gormatium oppidum. Ut enim noster Mariana refert lib. 8. hist. Hisp. cap. 9. Accidit in eo prælio, ut Ferdinandus Antolinus vir nobilis, et cultui religionis deditus, rei divinæ procurandæ causa, quod semper ante pugnam facere consueverat, maneret in templo, dum ab aliis dimicatum est. Numini quam grata eius viri pietas esset, miraculo indicatum: ipso in templo primum, deinde domi ignominiæ metu residente latitanteque, eius specie quidam, genius scilicet bonus, inter primos fortiter pugnare visus est: ut eius diei victoria Antolino potissimum tribueretur: recentia vulnerum vestigia, et sanguinis maculæ in equo et in armis inventa miraculum confirmarunt: reque omni prodita, Antolini innocentia virtusque illustrior evasit.

II. In martyrum pugnis. Secundo, angeli iuvant martyres in suis certaminibus. S. Leontius martyr iussu Adriani in carcerem post dira verbera coniectus psallebat: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* Cum psalmum illum concineret, angelus illi apparuit et dixit: *Esto fortis Leonti, ego enim tecum sum. Me Dominus Deus tuus misit, quem tu quæris:* ita Acta. Cum S. Clemens Episc. Ancyranus, et S. Agathangelus in grabatos ferreos coniecti sunt, fumus multus et flamma acrem complebant, ita ut mortui crederentur; sed in suavem somnum resoluti viderunt Christum cum exercitu angelorum, qui diceret: *Nolite timere, ego enim sum vobiscum.* Itaque velut in herba molli et odorifera illæsi iacebant, ut est in eorum Actis. S. Paphnutio anachoretæ apparuit angelus, et ait: Salve Paphnuti, Christi athleta. Cui Paphnutius respondit: Salvus sis et tu Domine. Tum angelus: Sequere me, ut coronem domum illam, quam a puero ædificasti. Ingredere in cellulam tuam, et arma te lorica iustitiæ, et pallio tuo indutus, cælestem oblationem offeras: quoniam veni hodie, ut te vocarem ad thalamum Domini tui, ut sine sollicitudine aliqua fruaris Deo tuo. Iam enim delatus es apud Arrianum præsidem, qui præcepit ducentis militibus, ut antequam dies crastinus illucescat, te vinctum ad tribunal ducant. Sed esto bono animo, neque timeas: *Ego enim sum angelus ille, qui fui cum patribus tuis, et nunc tecum sum.* Dominus autem te fortem reddet, facietque ut talis sis, qui Arrianum præsidem confundere valeas. Nec minus fecit, quam dixit: laceratum crudelissime sanavit, in obscurum carcerem de- A iectum illuminavit: Arrianus iussit S. Martyrem in rotam ferream extolli. Rota illa a parte superiore aciem gladii, ab inferiore autem, serræ cuspidem habebat. Qua rota cum B. Paphnutius laceraretur, in quatuor partes discerptus est. Tum Præses in Christum ut imbellem blasphemias coniecit. Angelus vero Martyris abiectum corpus tegebat, ne a feris aut avibus laniaretur. Et ecce Dominus ipse descendit cum Archangelis, habens a dextra Michaelem, et a sinistra Gabrielem, qui corpus eius conglutinavit atque instauravit, dicens: Manu mea primum illum hominem formavi, eadem illa manus instaurat te nunc electum meum. Cumque hæc Salvator dixisset, in eum insufflavit, et anima in eius corpus rediit: quem virum Salvator ipse spiritu fortitudinis replevit, et postquam eum amplexatus fuisset: Vade, inquit, et impudentem Præsidem redargue, qui nomen meum conviciatur. Hoc cum fecisset, Eusebius præfectus tanto miraculo permotus cum quadringentis militibus conversus est, et cum ipsis combustus. Paphnutius vero in fluvium cum mola abiectus, B enavigavit cum ipsa mola super fluvium, ac tandem per crucem glorioso martyrio cælos petiit, ut tradit Metaph. 28. Aprilis. Omitto per angelos cibum datum fuisse S. Terentio in carcere, sudorem abstersum S. Laurentio, coronam impositam S. Luciano, aliaque.

III. In tentationibus. Tertio, angeli adsunt nobis in pugna spirituali. Abbas Moses multis annis in eremo transactis sanctissime, tam acriter a diabolo tentatus est, ut, sicut refertur lib. 6. de vitis Patrum, ci se posse ultra reluctari vir sanctus diffideret. Itaque velut desperabundus per solitudinem discursabat, donec divina providentia incidit in Abbatem Isidorum, cui cum tentationis vim aperuisset, ille in orationem prosternitur, deinde se erigens præcepit Mosi, ut tectum cellæ conscenderet, et oculos coniiceret in occidentem. Paret ille, et ecce tibi infinitam multitudinem dæmonum, qui omnes implacabili succensi ira, ignita in eum iacula contorquerent: quare horrendo spectaculo conturbari cœpit, et altissima voce ad Deum exclamare pro divino auxilio: C quod impossibile sibi effugium a telis lethalibus iudicaret. Sed Isidorus eum confortans ait: Ne timueris, frater mi, propter ea quæ in occidente conspicatus es, sed deinceps ad orientem respice. Quamobrem Moses vertit faciem, et maximum exercitum angelorum conspexit, qui sole splendidiores ad hoc solum armati apparebant, ut milites Christi in spiritualibus præliis tuerentur. Tunc ait S. Isidorus: Isti sunt qui missi sunt ad auxiliandum: qui vero ad occasum ascendunt, hi sunt qui nos impugnant. Plures ergo qui nobiscum sunt, quam qui contra nos. Hæc in vitis Patrum. Mosis Abbatis visio.

Quarto denique, angeli iuvant in extrema lucta. Monachus quidam solitariam vitam agens in morbum incidit, conspexitque venientem angelum custodem, ut decumbenti sibi famularetur: postquam autem nonnullas septimanas monachus in ægritudine sua, et angelus in cœpta serviendi consuetudine perdurassent, accerserunt visitatum illum alii monachi, et angelus qui intus versabatur, mox pulsato ostio cellæ disparuit. Ingressis itaque hospitibus: D Abite, inquit, abite, amabo vos, fratres mei: quia vobis supervenientibus angelus custos meus, a quo visibiliter præsente solatium et plenissimum obsequium hue usque habui, repente dilapsus est. Vix prolatis ipsis verbis, anima discessit e corpore: assumpta, ut creditur, ac Deo restituta per eumdem angelum custodem, qui primitus eam receperat in custodiam. S. Nicolaus, morti vicinus, vidit ad protectionem suam complures angelos delabi e cælo, aliisque multis hoc accidit.

ARTICULUS VII.

Post tribulationem, in tribulatione, Deus sanctos glorificat.

Non semper imbres e nubibus depluunt, post tempestatem redit serenitas, v.cod. 15. ERIPIAM EUM, ET GLORIFICABO EUM. Nota, Dei gloriam quærunt sancti, et Deus quærit sanctorum gloriam. Vers. 15. 3. Pars.

De primo, nempe quod sancti quærant Dei gloriam, di- 112.

Dei gloriam quærunt sancti. citur Ps. 113. 9. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Vide illum locum. Sancti Processus et Martinianus, cum lapidibus ora eorum tunderentur, dicebant: *Gloria in excelsis Deo.* Ernestus archidux Austriæ in symbolo suo dicebat: *Soli Deo gloria.* Cum Antiochus iudex variis modis niteretur sanctos Sergium et Bacchum martyres a Christi fide avocare, responderunt: Iis, qui Christum solum, o iudex, et quæ apud ipsum absconsa est, vitam, lucrari statuerint, nihil est curæ ex iis, quæ fluunt et intereunt, non honor, non gloria, non potentia, non aliquid aliud eorum, quæ aut demulcere possunt, aut molestia afficere: ita eorum Acta.

113. *Deus quærit gloriam sanctorum.* Secundo, nempe quod Deus quærat gloriam sanctorum suorum, etiam ex ipsa tribulatione, probari potest exemplo Iosephi e carcere cum gloria educti. Sap. 10. 13. *Sapientia venditum iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam, et in vinculis dereliquit illum: donec afferret illi sceptrum regni, et potentiam adversus eos qui eum deprimebant.* Augustus dux Saxoniæ in suo symbolo habebat: *Tandem bona causa triumphat.* Ioannes Albertus dux Megapolensis: *Premente cruce tollimur.* Iucundum erit hoc conspicere in S. Daria, et in S. Chrysantho martyribus. Hic in carcerem Tullianum profundissimum ac teterrimum coniectus, odoris suavitate et lumine cælesti recreatus est. Dariæ autem ad lupanar tractæ, leo qui a stadio fugerat, auxilio fuit, et salacem iuvenem prostravit, quem pedibus proculcans virginem aspiciebat, ut quid fieri vellet, imperaret. At Sancta imperavit, ut sisteret impetum, donec illi Christum annuntiasset, versaque ad iuvenem: Ecce, inquit, leonis feritas, Christi nomine audito, Deum colit: tu autem homo ratione præditus, tot in flagitiis sceleribusque versaris infelix. Quorum enim pudere te oportebat, in iis te iactitas et gloriaris. At ille prostratus ad eius pedes in Christum credidit, egressus per urbem clamabat: Cognoscite omnes Romani Dariam esse deam. Cum autem audaces e stadio homines venissent, ut leonem corriperent, divina virtute leo singulos humi deiecit, detinebatque eos ad pedes S. Dariæ, nihil eis mali faciens. Dixit autem illis S. Daria: Si in Christum creditis, poteritis, incolumes abire: sin minus, dii vestri vos liberent. At illi omnes una voce clamabant: Qui non credit Christum esse Deum vivum et verum, hinc ne discedat vivus. Et cum hæc dixissent, discesserunt clamantes: Credite populi Romanorum, non esse alium Deum, nisi Christum, quem Daria prædicat. Tum Celerinus Prætor iussit ignem ad fores domus, ubi Daria cum leone erat, accendi. Igne autem viso timuit leo, rugituque cœpit signa doloris dare. At Daria: Ne timeas, inquit, neque enim combureris, neque capieris unquam, aut occideris; sed naturali morte interibis. Metu igitur deposito egredere, et abi in pace: quoniam is, quem in me honorasti, liberabit te. Cervice igitur inclinata discessit leo, et per mediam urbem incedens neminem læsit. Qui autem ex ore eius erepti fuerant, baptismum omnes susceperunt, ut ait Metaphr. 25. Octobris.

Non coronatur, nisi qui legitime certaverit. 2. Timoth. 4. 8. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum eius.* S. Varus martyr apparuit Cleopatræ coronatus. Visæ sunt quadraginta coronæ paratæ quadraginta Martyribus in aqua gelida patientibus: unde vocati sunt quadraginta Coronati. S. Episteme virgo et martyr in somnis videbatur sibi simul cum Galactione venire in quoddam palatium: fuisse autem eorum capita coronis a rege redimita. Mane autem œconomo monasterii ea quæ viderat, communicans, aperte didicit quorsum tenderet somnium. Is enim dixit, palatium quidem esse regnum cælorum, regem autem ipsum esse, qui vere et solus, et naturaliter regnat. Coronas autem hoc significare, eos mox esse processuros ad certamina, et adversariis futuros plane superiores, ut ait Metaphr. 5. Novembr. S. Demetrius in carcerem coniectus, dicebat: *Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuvandum me festina. Quoniam tu es patientia mea, Domine, spes mea a iuventute mea, in te confirmatus sum ex utero. De ventre matris meæ tu es protector meus, in te cantatio mea semper. Psallam Deo quamdiu fuero.* Peractis precibus, scorpius qui eum puncturus accedebat, mortuus est, et angelus apparens, coronam capiti eius imposuit, dicens: Pax tibi, Christi athleta, esto fortis, et te virum præbe: ita eius Acta.

Lux immissa sæpe illam sanctorum gloriam figuravit. S. Agibodus in extasim raptus cum ad mortem ægrotaret, vidit solem splendidissimum sibi apparentem. Tum angelus ait: Noveris te hodie venturum ad nos, et in hac admirabili luce habitaturum, septiesque vincente solis lumen, iustorum choris inserendum. Sumpto autem sacratissimo Christi corpore, statim mortuus est, ut prædixerat, sicut dicit Surius in vita S. Bertulphi Abbatis Bobiensis 19. Augusti. S. Catharina filia S. Birgittæ mortua, viderunt quidam homines religiosi supra domum, in qua corpus eius exanime iacebat, dies noctesque stellam consistere, donec esset tradita sepulturæ, ut ait Surius 22. Martii. Cum S. Guthlacus anachoreta est mortuus, Bertelinus vidit *quasi turrim igneam,* a terra usque ad cælum erectam, cuius tanta erat claritas, ut eius comparatione solaris splendor palescere videretur, ut tradit Felix Crolandiensis in eius vita. Tribulatio ipsa, gloria sanctorum est. In Actis Ss. Secundæ et Rufinæ, quarum hodie festum agitur, legimus, cum Secunda cerneret Rufinam flagellari, clamavisse ad iudicem: Quid agis scelestissime hostis cælorum? *Cur sororem meam gloria afficis, me vero eius gloriæ non pateris esse participem?* Præfectus ait: Ut video, sororem tuam insania superas. Secunda respondit: Nec soror mea insana est, nec ego insanio: sed ambæ Christianæ sumus, et iustum est ut simul cædamur, quæ pariter Christum Dominum confitemur. *Gloria enim nominis Christiani verberum ictibus augescit, et tot conciliat coronas sempiternas, quot temporariis verberum ictibus pulsatur.*

Nota, gloriam sanctorum procurat Deus per angelos. 114. *Deus dat gloriam sanctis per angelos.*
Primo, coronam regiam procuravit angelus S. Stephano duci Hungariæ. Nam nocte eius diei, quo statuerat Pontifex coronam Polonorum principi Miescæ, Christiano facto per id tempus dare perferendam, apparuit ei angelus Domini: Noveris, ait, cras hora diei prima ignotæ gentis nuntios ad te venturos, suo duci coronam regiam, et Apostolicæ benedictionis munus a te expetituros. Eam ergo coronam, quam parari iussisti, illis incunctanter tribue, ad ducem suum asportaturis: nec dubites illi eam cum regni gloria pro vitæ eius meritis deberi. Hæc, ut erat iussus, Pontifex legatis postulantibus præstitit. Sic refert Chartuitius Episcopus in eius vita.

Secundo, angeli coronam gloriæ sanctis procurant. S. Iulianum variis pœnis afflictum, et vinculis ferreis per omnes artus oneratum, Martianus sub voce præconis civitatem circuire præcepit, qui diceret: Hæc merentur rebelles deorum, et principum contemptores. Cumque venissent ad locum, ubi S. Celsus filius Præsidis litteris studebat, puer ait ad condiscipulos: Rem video inauditam. Qui dixerunt: Quam? Et ait: Ecce video reum illum Christianum, quem milites ducunt, et multitudinem candidatorum cum illo loquentem, *et coronam ex lapidibus pretiosis et auro super caput eius, cuius fulgor aeris huius obscurat lumen:* et alios tres viros albescentibus comis, aureoque vultu, in similitudine aquilarum, super eum excubias celebrantes. Et hoc mihi videtur, quia dignum est huic tali Deo credere, qui sic suos tuetur cultores, et tali decore circumdat. Nam credite mihi fratres, in eius confessione delector, et talia pati desidero, si velit eius Deus esse Deus meus. Et adiecit puer: Vere magnus est Deus Christianorum, in quem credere consilio salutari decrevi. Ipse est verus Deus, qui credentes in se non deserit, ut ait Surius 8. Ianuar. S. Acyndinus, Pegasius, et Anempodistus ab angelorum multitudine induti sunt candidis vestibus.

ARTICULUS VIII.

Deus vitam longam sæpe dat iustis, et semper vitam æternam, idque per angelos.

115. Vers. 16. Hoc asserit Deus per Davidem, vers. ult. huius Psalmi: LONGITUDINE DIERUM REPLEBO EUM (Hebr. אשביעהו *asbiehu*, satiabo eum) ET OSTENDAM ILLI SALUTARE MEUM. Hebr. salutem meam.

Nota, longitudo dierum, quam dat Deus, intelligi potest tam de hac, quam de alia vita.

Virtus dat longam vitam. Ac primo, vitam hanc temporalem longam sæpe dat virtuti Deus. 3. Reg. 3. 14. ait Deus Salomoni apparens in Gabaone, ubi erat tabernaculum Mosis: *Si ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea, et mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos.* Salomon a Deo edoctus Roboamum filium suum, et nos omnes docens, idem promittit: *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiant. Longitudinem enim dierum, et annos vitæ, et pacem apponent tibi.* Et cap. 28. 16. dicit: *Qui odit avaritiam, longi fient dies eius.* Sic A- B brahamus vixit annos centum septuaginta quinque, Gen. 25. 8. *Deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, et plenus dierum.* Isaac vixit annos centum octoginta, Gen. 35. 28. ubi etiam dicitur plenus dierum. Iacob vixit annos centum quadraginta septem. Moses vixit annos centum et viginti: *Non caligavit oculus eius, nec dentes illius moti sunt,* Deut. 34. 7. Calebi robur mirabile nati annos octoginta, vide Iosue 14. 20. et diu postea vixit. Iosue vixit annos centum et decem. Omitto prolixas ætates Adami, Sethi, Cainan, Malaleel, Iared, atque aliorum, de quibus Genes. 5. Ezechiæ regi Iuda prolongatur vita per annos 15. ob bona opera. Contra vero, de impiis dicitur Psal. 54. 24. *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.* Locum illum consule.

116. Virtus dat vitam æternam. Secundo, vita æterna datur virtuti: hic est finis peregrinationis nostræ. Rom. 6. 22. *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Hæc est vera longitudo dierum. S. August. in Ps. nostr. *Quæ est longi- C tudo dierum? Vita æterna est. Non nobis sufficit quidquid longum est in tempore, si habet finem: et ideo nec longum dicendum est. Et si avari sumus, vitæ æternæ debemus esse avari, talem vitam desiderare, quæ non habet finem. Ecce ubi extendatur avaritia vestra. Argentum vis sine fine? Vitam æternam desidera sine fine. Non vis ut habeat finem possessio tua? Vitam æternam desidera:* hæc Augustinus. S. Bern. serm. 17. in Psal. 90. Quid tam longum, ait, quam quod æternum est? Quid tam longum, quam quod nullo fine præciditur? Bonus finis vita æterna, bonus finis qui finem non habet: hæc Bernardus.

Si vitam hanc temporariam spectas, sumus μινυνθάδιοι, id est, brevi tempore durantes, ut loquuntur Homerus et Apoll. Si vero spectes vitam per virtutes obtentam, sumus æterni. Unde S. Paulus ad Philemonem, v. 15. *Forsitan ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum recipias.* Prius erat ἀνόνητος, id est, inutilis: nunc ὀνήσιμος, hoc D est, utilis: prius servus, nunc frater: prius moriturus, nunc in æternum victurus. Fuerat enim ille Onesimus fugitivus a Paulo ad fidem conversus, et ad meliorem vitam genitus. Ioan. Casimirus dux Saxoniæ hoc sibi in symbolum elegit: *Virtus post fata superstes.* Sigismundus Marchio Magdeburgensis, et Wilhelmus Landgravius Hassiæ: *Vivit post funera virtus.* Cum Donatus præfectus S. Rufinam, cuius hodie festum peragimus, ad idolorum cultum spe vitæ pelliceret, præclarum hoc responsum dedit: Illam ego vitam amplector, quæ est cum æternitate coniuncta, nec aliquid lubricum et incertum suis amatoribus promittit, quam vitam Christus docuit magister veritatis. Concludamus cum Basilio Imp. in exhortat. ad Leonem filium: Cave, inquit, ne præpostere atque importune robus utaris: sed ita te compara, ut et præsentis vitæ commodis fruaris, ut mortalis: et futuræ vitæ bona consequaris, ut immortalis.

A Nota secundo, summum bonum nostrum est videre Deum. 117. Visio Dei est summum bonum.
Psal. 16. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Vide illum locum. Ibi est vera salus. *Ostendam illi salutare meum.* Ad id contendere debemus toto mentis desiderio. S. Aug. in Psal. nostr. Desideremus, ait, et amemus: flagremus, si sponsa sumus: sponsus absens est, sustineamus: veniet quem desideramus. Tantum pignus dedit, non timeat sponsa, ne deseratur a sponso: non dimittit pignus suum. Quod pignus dedit? spiritum suum misit. Talia pignora dimittet ille sponsus? Si non amaret, talia pignora non daret. Iam amat. O si sic amaremus! Maiorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis: hæc Augustinus. Universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius, 3. Reg. 10. 24. Salomon dictus est *Ididia*, sive *Idida*, id est, amabilis Domino; seu, amabilis. Christus est Ididia, id est, amabilis Dominus.

Nota tertio, salutem suam, et bona in cælo reposita, Deus ostendit sanctis suis ante mortem, in morte, et post mortem.

Ac Primo, bona sibi in cælo parata vidit S. Cæsarius 118. Ante mortem bona sibi in cælis parata vident sancti.
duobus annis ante mortem, ut testantur Cyprianus eius discipulus, Messianus Presbyter, et Stephanus Diaconus in eius vita. Secundo, cum B. Ægidius S. Francisci alumnus esset in Thuscia triduo ante Christi natalem, ieiunassetque quadraginta diebus, quod S. Martini ieiunium appellant, nocte in preces incumbenti apparuit Dominus Iesus, eumque vidit oculis corporeis: sed præter humanitatem eius vidit oculis internis quiddam ineffabile, quod nec posset, nec ausus fuisset explicare. Duravit hæc apparitio per intervalla ad dies tredecim. Post eam visionem crebro et facile mentis excessus patiebatur. Toties in Deum rapiebatur, quoties aliquid audiret vel de Deo, vel de cælesti gloria, vel de paradisi amœnitate, manebatque eodem in loco immobilis. Itaque pueri et opiliones, ab aliis edocti, cum eum viderent, clamabant: Paradisus, paradisus. Id vero ille audiens, mox sursum rapiebatur. Tum in illa Christi apparitione vidit divinam essentiam, et propter certam Dei cognitionem, quæ tunc ei data est, ait: se si missa cantanda esset, non dicturum, Credo in Deum; sed, Cognosco Deum factorem cæli et terræ, quippe quem ego ipse vidi, ut dicit Lucas Wadingus anno 1262. num. 17. p. 240. Sed probabilius est nec Mosem, nec S. Paulum, nec S. Benedictum, nec B. Ægidium, nec S. Ignatium, neque ullum alium in hac vita vidisse clare, et sine aliqua specie sensibili divinam essentiam; Deum enim nemo vidit unquam, ait S. Ioannes cap. 1. 18. et S. Paulus 1. Tim. 6. 16. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.*

B. Ægidii extasis mirabilis.

Cælum sibi patere videns Geminianus, ad fidem conversus est, et martyrio coronatus. In Actis S. Luciæ refertur, quod cum ferro onusta per urbem duceretur, et Geminiani hominis præpotentis domum transiret, vidit ille columbam albam, velut nivem, de cælo descendere, et super caput Geminiani, tertio figurantem crucem, resedisse: Geminianus respiciens vidit sibi patere cælum, ideo cursu ad eum locum festinavit, ubi sancta torquebatur, et ad eius pedes advolutus, baptismum petebat: in carcerem cum illa deiectus, noctu baptizatus est a Protasio sacerdote, qui ab angelo admonitus eo se contulerat.

Sancti Martyres cælestem sibi paratam gloriam videntes maxime animati sunt ad tormenta pro fide perferenda. 119. Morti proximi martyres bona sibi parata in cælo prægustarunt.
S. Felix socius sanctorum Fortunati, Achillei, Ferreoli, et Ferrucionis, in sopore vidit locum splendore coruscantem, diversis floribus adornatum, florum et aromatum suavitate gratissimum, tabernaculum auro gemmisque insignibus conspicuum: ubi quinque agni sine macula mundi, candore splendidi, in eorum atriis lilia depascebant. Dum id intuitus esset, audivit iucundissimam vocem: Euge, euge, servi boni et fideles, quia super pauca fuistis fideles, supra multa vos constituam, intrate in gaudium Domini vestri: ita acta sancti Ferreoli et Ferrucionis. 2. Egregia et illustris est visio trium fratrum martyrum Speusippi, Eleusippi, et Meleusippi. Speusippus visionem suam

sic narravit: Videbam me in sinum aviæ meæ receptum, mammillæ suæ plenitudine, lactis abundantia satiari, quæ compellabat me etiam suis monitis, dicens: Speusippe, bibe lac salutiferum magis, ut plus bibendo, melius possis summa virtutis constantia in certamine positus contra adversarios gloriosam promereri coronam. Finita primæ visionis sententia, Eleusippus ait: Credite et me huiusmodi visionem vidisse. Vidi in cælo sedem magnam maiestatis potentia radiantem, quasi ex electro et gemmis, cuius splendor immensus meum obumbrabat aspectum, et ob stuporem nimium pavor cordis mei terruit intellectum. Tunc vultu sereno me vocans ad se, ait: Noli timere, coronam gloriæ promereberis. Tertio loco Meleusippus visionem suam exposuit. Vidi et ego, ait, nescio quem regem magnum, singularia sceptra tenentem, qui nos tres pariter ad suam militiam provocabat, præclaris baltheis accingebat, magno nos pretio a captivitatis vinculis redimebat, perpetua libertatis nostræ præmia litteris aureis scribebat, donis nos indeficientibus simul remunerabat. Super his ad me exhortandum addidit, dicens: Meleusippe, vos tres fratres in meo palatio collocare decrevi, et æternis præmiis pariter coronare. His animati fortissime pro Christo certantes occubuere, ut ait Neo in eorum actis.

Voce cælesti ad illam gloriæ coronam evocati sæpe sunt Martyres. S. Athenogenes Episcopus Sebastenus in minore Armenia in tormentis orabat: Gloria tibi Deus, quod me dignum censueris, qui pro tuo torquerer nomine. In te Domine speravi, salvum me fac in tua misericordia. Facta est statim vox cælestis: Confide, electe mi, et noli timere: Ego enim Dominus Deus tuus, qui te custodio. Et paulo post cum dixisset: Domine Deus meus, suscipe in pace animam meam, vox audita est: Gaudeas mi athleta Athenogenes, mi electe; hodie mecum eris in paradiso cum tuis discipulis, ut ait Metaph. 17. Iulii. 2. Vox cælestis audita est vocans S. Mamantem martyrem morti proximum ad æterna tabernacula et præmia, ut recitat Surius 17. August. 3. Statim atque S. Callistratus in aquas cum sociis martyribus proiectus est, vincula eorum soluta sunt, et læto vultu atque alacri habitu statim emerserunt ex aqua. Divinus autem Callistratus visus est in capite ferens coronam longe speciosissimam, et vox e cælis extitit: Esto bono animo, Callistrate, cum grege tuo, et iam venite in æternis requieturi tabernaculis. Alii 135. milites crediderunt viso miraculo. ut ait Metaph. 27. Sept. 4. Sancti Manuel, Sabel, et Ismael mox decollandi vocem cælestem audierunt: Venite gloriæ coronas accepturi, et beatæ vitæ fructum percepturi. 5. Sancti etiam alii ad cælos evocati sunt. Cunctis qui aderant, aspectantibus, lumen cælitus fusum est super Dei servum Guidonem, quod lumen in specie columbæ descendit, cuius splendore tota domus illustrata fuit: et cum aliquamdiu apud illum hæsisset, audita vox est: Veniat dilectus noster ad percipiendam æternæ iucunditatis coronam, quia fidem servavit. Mox advolantes ii, qui in domo erant, Dei famulum in cælestem mansionem commigrasse cernunt, ait Surius 12. Septembris.

120. In cælum visi ascendere cum gloria. Ad cælestem illam gloriam visi sunt sancti Martyres ascendere. S. Fructuosus quidem Episcopus, S. Augurius, et S. Eulogius martyres in igne illæsi sunt mortui: apertumque est cælum videntibus Babylone et Mygdonio fratribus. Ex familia autem Æmiliani Præsidis, filia eius dominæ suæ carnali ostendebat Fructuosum Episcopum cum diaconibus, adhuc stipitibus quibus ligati fuerant, permanentibus, in cælum ascendentes coronatos: ita eorum acta. 2. S. Aldegundis vidit animam sancti Amandi Traiectensis Episcopi in forma senis venerandi sacerdotalibus induti vestibus cælum petere, præcedentibus eum et sequentibus in veste candida iis, quos converterat, ut tradit Baudemundus et Milo in eius vita. 3. Cum S. Eusebia, quæ et Hospita dicebatur, mortua est, statim ipso in meridie apparet in cælo veluti corona quædam, quæ stellis circulum circumscribebat. In medio autem coronæ cernebatur Crux, quæ ipsa quoque erat stellis lucidis figurata. Cum ergo miraculum sic evasisset manifestum omnibus Episcopus Paulus, qui in Lence vico adhuc agebat, cum hoc præter spem spectaculum suis acciperet oculis, divino spiritu motus, iis qui congregati erant, dixit: Domina Hospita dormit, et hoc est eius signum, coronæ et crucis, ait Metaphrastes 25. Ianuarii. Ubi adverte, bene hæc duo coniungi, coronam scilicet, et crucem. 3. S. Richario presbytero mortuo, eius discipulus subito sopore oppressus, raptus est in aulam splendidissimam, omnique decore pulcherrimam, imo solis luce clariorem; in qua beatum Richarium præclaro et hilari vultu vidit habitantem, sibique loquentem: Ecce frater Sigobarde, qualem mansionem præparavit mihi Deus: pro vili quam habui in terra, pulcherrimam in cælo: pro contemptibili, gloriosam: pro obscura, lucidissimam: et pro fumosa, omni suavitate renidentem, ut memorat Albinus Flaccus Alcuinus in eius vita, cap. 9. Denique, duodecim annis ante mortem S. Wilhelmi Abbatis Roschildensis, discipulus eius Gerardus ductus est in extasi in planitiem quamdam amplissimam, et floribus amœnissimam, in qua erat domus miræ amplitudinis, ex marmore constructa. In eam ingressi, tantam luminis claritatem, tantam odoris suavitatem, tam miram et incomprehensam iucunditatem hauriunt, ut verbis explicari non possit. *Erat vero illic sedes posita, gemmis et auro mirifice ornata, in eaque visebatur corona aurea, lapidibus pretiosissimis intexta, sed necdum absoluta. In circuitu sedes quatuor erant viri albis induti, qui laminas aureas et gemmas ad coronæ absolvendum decorem compingebant.* Tum ductor ait: Scis cuius hæc sit sedes et corona? Illo se nescire affirmante, ait: Hanc sedem tum vester Abbas promeruit, quando conversus ad Dominum pro eius amore opes et copias, et omnem mundi gloriam contempsit, et seipsum abnegans, eius Crucem sustulit in humeros suos, eius vestigiis insistens. Porro hac corona, ubi multis afflictionibus, et diris insectationibus, quas pro Ordinis observantia pertulit, et adhuc perpessurus est, perfecta fuerit, coronabitur: ita Surius 6. Aprilis. Sedes quoque S. Francisco ob humilitatem parata, visa est in cælo pulcherrima. Trolli quoque Episcopi pulcherrimum palatium, ob eleemosynam illi præparatum, nisi illam a S. Ioanne Patriarcha Alex. redditam accepisset.

Concludamus, vitam illam in omnibus periculis et difficultatibus semper præ oculis habendam esse, ut omnia 121. Vita æterna semper contemplanda. superemus. Sozomenus lib. 2. cap. 11. sic ait: Pusices, qui omnibus artificibus regis Persarum præerat, videns Ananiam, ubi ad occisionem parabatur, trementem, dixit: Ad modicum tempus o senex, claude oculos tuos, et confide: statim videbis lumen Dei. S. Iuliano oranti, ut virginitatem servare posset, Christus apparuit, et constantiam in proposito suadens, cælum est pollicitus, ait Surius in eius vita. S. Ioanni Calybitæ apparens Christus, dixit: Salve Ioannes, tuæ exercitationis tempus, et laborum tuorum certamen completum est. Post tres dies ad me venies, ad illam iustorum requiem, ut tradit Metaphr. 15. Ianuarii.

Nota, Deus per angelos gloriam et salutem æternam ostendit ac donat. Primo quidem, angeli illam ostendunt. 122. Vitam æternam ostendit et dat Deus per angelos. 1. Cum S. Wolphelmus sæpe diceret ex Ps. 41 3. *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* et ex Ps. 16. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua;* quodam die tempore meridiano dormienti speciosissimus iuvenis adfuit: ut eum sequeretur, admonuit. Eumdem comitatus vir pius ductus est ad amœnissima loca omni decoris varietate vernantia, incomparabili lucis splendore micantia, totius etiam suavitatis odore redolentia. In ædificium speciosissimum introductus est ab angelo, cuius et exteriorem et interiorem ornatum iubetur contemplari, hunc sibi mansionis locum divinitus esse prænuntians destinatum. Quem, inquiebat, quanto studiosius ac venustius exornaveris, tanto iucundius ac felicius in perceptione illo frueris, ait Conradus eius auditor, in vita. 2. Beatus Timotheus ab orientis partibus veniens Remos, concionatus est, cumque a Lampadio Præside torqueretur, ait: Quanto tu mihi ampliora tormenta intuleris, tanto amplius refrigerium

præstabit Dominus, cui credo. Et cum cæderetur a ministris, exclamavit: Aspice Domine, et vide, quæ infert diabolus servo tuo, ne me derelinquas, ne dicant homines: Ubi est Deus eius? Præses iussit calce viva et aceto aspergi plagas eius. S. Timotheus vero: Ago tibi gratias Domine Iesu Christe, qui mihi das tolerantiam, ut hæc possim sufferre. Ita istud factum est in corpore meo, tamquam oleo perunctus sim. Unus autem de istis cædentibus Apollinaris vidit duos angelos stantes in latere ipsius, et dicentes: Confortare Timothee, missi sumus ad te, ut ostendamus tibi Dominum Iesum, pro cuius amore sustines pœnas, ut videas quæ aguntur in cælis, erige caput tuum, et vide. Aspiciens autem S. Timotheus, vidit cælos apertos, et Dominum Iesum stantem ad dextram Patris, tenentem in manibus coronam factam ex lapidibus pretiosis, ac dicentem: Timothee, hæc quam vides, tibi parata est: accipies illam tertia die de manibus meis: ita Flodoardus cap. 3. historiæ Rhemensis. Idem asserit, quod cum S. Apollinaris baptizaretur, vidit cælos apertos, et audivit angelum dicentem sibi: Beatus es Apollinaris, qui credidisti: beati omnes qui tincti sunt in aqua, in qua purificatus es. Quicumque hac nocte hic baptizatus fuerit, crastina die in paradiso suscipietur.

S. Huberto Episcopo Leodiensi afflicto angelus noctu in sopore adfuit. In tribulatione, inquit, invocasti me, et liberavi te, et exaudivi te. Et simul hæc dicendo, ostendit illi prægrandem aulam, novitate atque pulchritudine præstantem, et ait: Multis quidem mansionibus pollet domus Patris mei, e quibus omnibus ista delecta est tuæ habitationi, ut cedat tibi perpetua hæreditate.

In litteris annuis Societatis Iesu, anno 1587. refertur res digna memoria. In provincia Mexicana cum quidam ægrotus mortem vehementius formidaret, quadam die solus permanens, pulcherrimum iuvenem ante se astare conspexit, qui egregia luce circumfusus erat. Is accessit proximus, et ut illi extremum dolorem, quem mortis habebat, ægro mitigare posset, ostendit ei quosdam montes pretiosis gemmis et margaritis coruscantes, et auro contectos: super montes autem istos ambulabant mille hominum myriades, lætum et iucundum præ se ferentes vultum, et loci illius incredibili amœnitate fruentes. Cum autem hac ostensa rerum pulchritudine, ægrum ad pergendum ad amœnum locum incitasset, dixit ei: Hic locus paradisus est; illi autem, quos tanta alacritate, atque animi securitate, vides huc atque illuc iucunde ambulantes, sunt eorum animæ, qui fidem Christi amplexi sancte et iuste vixerunt, et in pace mortui sunt. Qua visione recreatus æger, postquam eam astantibus recensuit, accensus de-

A siderio accedendi ad illud felicissimum regnum, libenter ex hac vita recessit.

S. Salvius a morte ad vitam revocatus, ait: Cum me ante hos quatuor dies, contremiscente cellula, exanimem vidistis, apprehensus a duobus angelis, in cælorum excelsa sublatus sum: ita ut non solum hoc squalidum sæculum, sed etiam nubes, lunam, solem, et sidera, sub pedibus habere putarem. Deinde per portam luce ista clariorem introductus sum in illud habitaculum, in quo omne pavimentum erat quasi aurum argentumque renitens, lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis: quam ita multitudo promiscui sexus obtexerat, ut longitudo ac latitudo catervæ prorsus perviderі non posset, ut refert S. Gregor. Turon. hist. Franc. lib. 7. cap. 1.

Secundo, angeli prius non deserunt animas nostras, quam post mortem eas Deo obtulerint. S. Bathildis regina Franciæ appropinquante obitu scalam vidit adstare ante altare S. Mariæ, cuius culmen cælos contingebat, et quasi angelos benigne comitantes, cum ipsis eadem San-

B cta cælos se penetrare cernebat. Statim post mortem visa est eius anima manibus angelorum ferri in cælum, comitante S. Genesio Lugdunensi Episcopo: ita codex M. S. monasterii Rubeæ vallis.

S. Furseus in extasi vidit quatuor manus ad se extensas, quæ illum per brachia tenentes, niveis subvolabant pennis. Manus quippe sub pennis erant, quæ illum ex utraque parte sustinebant, et quasi per caliginem angelica cernebat corpora. Altius vero perveniens, mirifico splendentes fulgore facies sanctorum cernebat angelorum: vel, ut certius dicam, claritatem eximiæ lucis ex ipsis angelicis intuebatur conspectibus; nec aliquid corporeum, nisi luminis claritatem potuit videre. Tertium quoque angelum armatum scuto candido, et fulgureo gladio, claritate præcipuum se præcedere conspexit. Hi tres cælicolæ, splendentes pari fulgore, mire suavitatis dulcedinem alarum sonitu, carminum modulamine, conspectus pulchritudine, illius animæ inferebant. Canebant autem uno incipiente, ex Ps. 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deo-*

C *rum in Sion*. Audiebat quoque aliud quasi ignotum canticum multorum millium angelorum, unde pauca vix poterat intelligere. Exierunt autem obviam Christo: ita Beda lib. 3. hist. Anglor. cap. 19.

Ex his conclude cum Philone lib. de somniis, angelos esse μεσίτας, id est, mediatores nostros. Qui scilicet medii inter nos et Deum ad eum nos evehant, et pro nobis apud ipsum intercedant, donec gloriæ cælestis participes nos effecerint. Illis tu teipsum ac tua ex animo committe, et pro tot acceptis beneficiis iugem gratiarum actionem repende.

INDEX QUÆSTIONUM
ET EORUM, IN QUOS DIVISUS EST, ARTICULORUM, CONCIONATORI UTILISSIMUS.

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM

IN QUARTUM TOMUM COMMENTARII IN PSALMOS.

Prior numerus paginam, secundus columnam designat : literæ additæ ea, quæ columnis interiecta sunt, denotant : postremus numerus est marginalis.

A

D

E

F

G

H

I

INDEX MATERIARUM PRO CONCIONIBUS.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Sufficientem materiam dabit Ps. 75. v. 8. 9. 10. cum explicatione et plura sect. 2. a pag. 315.

DOMINICA II. ADVENTUS.

BENEDIXISTI DOMINE TERRAM TUAM, AVERTISTI CAPTIVITATEM IACOB. Ps. 84. Hic psalmus statim dabit pulchrum conceptum et copiosam materiam pro hoc tempore adventus Christi in carne. pag. 543

DOMINICA III. ADVENTUS.

DIRIGITE VIAM DOMINI. Ioan. 1. Concionem facile suggeret pag. 569 b 2 et seqq. et pag. 452 n. 64.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

VOX CLAMANTIS IN DESERTO. Luc. 3. Mundus est verum et horrendum desertum. 44 c 1
Eius figura Ægyptus. 364 b 2
Ipsa mundi prosperitas est tempestas. 166 c 2-167 b 1

FINIS TOMI QUARTI.